

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

C 350.1



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA;

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS NON NISI POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS, DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTLÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT MIGNE,
IN VIA DICTA: D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS

TERTULLIANI

PRESBYTERI CARTHAGINIENSIS

OPERA OMNIA

CUM

SELECTIS PRÆCEDENTIUM EDITIONUM LECTIONIBUS

VARIORUMQUE COMMENTARIIS.

PARS SECUNDA.

LIBRI AB AUCTORE MONTANISTA SCRIPTI QUIBUS PRÆMITTITUR LIBER INSIGNIS DE PRÆSCRIPTIONIBUS ADVERSUS HÆRETICOS,

IN QUINQUE AC SUBNECTUNTUR APPENDICIBUS CARMINA TERTULLIANO ADSCRIPTA, FRAGMENTUM DE EXECRANDIS DIIS E BIBLIOTHECA VATICANA ERUTUM, OPERUM QUORUMDAM GRÆCORUM VEL DEPERDITORUM FRAGMENTA ET NOTULÆ, NEC NON ET D. CORBINIANI THOMÆ ADNOTATIONES ET DISSERTATIO IN DUOS DE BAPTISMO ET PŒNITENTIA LIBROS. ACCEDUNT INDICES DUO : UNUS TERTULLIANEÆ LATINITATIS, CURA CHR. SCHUTZII DIGESTUM; ALTER AUCTORUM VETERUM QUORUM MENTIO IN TERTULLIANO.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS

EXCUDEBAT MIGNE,

IN VIA DICTA : D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS

TERTULLIANI

PRESBYTERI CARTHAGINIENSIS

OPERA OMNIA

CUM

SELECTIS PRÆCEDENTIUM EDITIONUM LECTIONIBUS

VARIORUMQUE COMMENTARIIS.

PARS SECUNDA.

LIBRI AB AUCTORE MONTANISTA SCRIPTI QUIBUS PRÆMITTITUR LIBER INSIGNIS DE PRÆSCRIPTIONIBUS ADVERSUS HÆRETICOS,

IN QUINQUE AC SUBNECTUNTUR APPENDICIBUS CARMINA TERTULLIANO ADSCRIPTA, FRAGMENTUM DE EXECRANDIS DIIS E BIBLIOTHECA VATICANA ERUTUM, OPERUM QUORUMDAM GRÆCORUM VEL DEPERDITORUM FRAGMENTA ET NOTULÆ, NEC NON ET D. CORBINIANI THOMÆ ADNOTATIONES ET DISSERTATIO IN DUOS DE BAPTISMO ET POENITENTIA LIBROS. ACCEDUNT INDICES DUO : UNUS TERTULLIANEÆ LATINITATIS, CURA CHR. SCHUTZII DIGESTUM ; ALTER AUCTORUM VETERUM QUORUM MENTIO IN TERTULLIANO.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS

EXCUDEBAT MIGNE,

IN VIA DICTA : D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

C 55 C. 1 (2)

ELENCHUS RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Liber de Præscriptionibus adversus hæreticos.

SERIES PRIMA.

SCRIPTA TERTULLIANI MONTANISTÆ POLEMICA.

De Corona militis.
De Fuga in persecutione.
Adversus Gnosticos Scorpiace.
Adversus Praxeam.
Adversus Hermogenem.
Adversus Marcionem libri quinque.
Adversus Valentinianos.
Adversus Judæos.
De Anima adversus philosophos.
De Carne Christi.
De Resurrectione carnis.

SERIES SECUNDA.

SCRIPTA TERTULLIANI MONTANISTÆ MORALIA.

De velandis Virginibus.
De Exhortatione Castitatis.
De Monogamia.
De Jejuniis.
De Pudicitia.
De Pallio.

APPENDICES.

App. I. Carmina Tertulliano adscripta.
Adversus Marcionem libri V.
Genesis.
Sodoma.
Ad Senatorem.
De Jona et Ninive.
De Ligno vitæ.

App. II. Fragmentum de execrandis Diis, e bibliotheca Vaticana erutum a Joh. Mar. Suaresio Avenionensi.

App. III. Græcorum operum fragmenta et notulæ.

App. IV. Deperditorum operum fragmenta et mentio.

App V. In libros de Baptismo et Pœnitentia adnotationes R. P. D. Corbiniani Thomæ, monachi O. S. B., cum ejusdem dissertatione de affinitate inter Baptismum et Pœnitentiam apud Tertullianum.

Indices.

HARVARD UNIVERSITY

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS

TERTULLIANI

LIBER DE

PRÆSCRIPTIONIBUS

ADVERSUS HÆRETICOS [a].

PROŒMIUM.

Etsi Tertulliani de Præscriptionibus librum, inter omnia ejus opuscula longe præstantissimum esse, eoque uno telo cunctas omnium temporum hæreses prostratas pessumdari, nemo ierit inficias, cuique tamen nota est ardua, quæ ab ipso operis occursu suboritur, controversia, quonam nempe potissimum tempore, an ante, postve Auctoris ad Montanistas discessum, libellus iste vel fuerit editus, vel exaratus.

Porro communis est Catholicorum sententia hoc opus eximium crescere intra hæreseos septa nequivisse : viros doctissimos, amplissimosque recenseas velim huic opinioni suffragantes, videlicet Baronium (*ad annum* 197, *n°* 11), Tillemontium (*Mémoires pour servir à l'Histoire ecclésiastique*, *t.* III, *note* 6 *sur Tertullien*, *p.* 300 *et suiv.*), D. Remig. Cellerium (*Histoire des auteurs ecclésiastiques*, *t.* II, *ch.* 28, *art.* VI, *p.* 395), Fleury (*Histoire ecclésiastique*, *t.* II, *liv. V*, n° 28), J. A. Mochler (Patrologie oder christliche litterar geschichte) cujus utpote recentioris, ac proinde cæterorum plenius sensus referentis verba hic laudare non pigebit : « Ea est, inquit, hujusce libri mens, eo per integrum contexitur modo, quo pateat catholici auctoris sinceritas. Ubi enim in Montanistarum placita totus semel abierit, palamque ab Ecclesia discesserit, jam non licuisset eo rerum verborumque pondere et integritate asserere palmare hoc præscriptionis argumentum, quo deinceps a Catholicis ipsemet fuit agitatus vehementer ac perfossus. »

Eosdem insuper ad id sentiendum triplex aliud movet argumentum : 1° nihil in hoc libro contineri quod apertam redoleat hæresim ; 2° imo haud dubiis liquere signis Auctorem fuisse tunc temporis cum Ecclesia romana communione consociatum ; 3° nullibi vel minime de quodam Artemone, nequissimo hæresiarcha, Christo divinitatem abjudicante, meminisse : unde inferre licet, ante Artemonis tempora, ac proinde a Tertulliano nondum lapso librum fuisse conscriptum.

Hæc et his similia afferre solent, nec tamen commode planeque oppugnant ipsiusmet Tertulliani testimonium post lapsum asseverantis, in libris adversus Marcionem, hunc de Præscriptionibus nondum fuisse editum, uti fusius videre est in dissertatione D. Lumper ad hujusce editionis frontem apposita.

Detur igitur necesse est, perpensis hinc inde momentis, media inter utramque sententiam semita, qua tuto coeant conveniantque dissentientes, nobisque ita videntur utrinque impelli, ut jam non ambigatur hoc opus alio fuisse conscriptum tempore, alioque in lucem editum.

Ac primo, Tertullianum arbitramur hunc librum concepisse primisque tabulis exaravisse, cum, Romæ versatus, fide adhuc integer ac veluti æstu novitio ferox et superbiens, omnes hæreses undique Sedem Apostolicam unanimi impetu obsidentes, ad Petram uno traditionis ictu allisas, conspexerit ; ac simul cum summis viris qui in Urbe, eadem tempestate florebant, necessitate conjunctus, nempe cum Caio presbytero, Hippolytoque, illustribus præ cunctis S. Irenæi

COMMENTARIUS.

(a) *De Præscriptione hæreticor.* Talis est in vetustiss. exemplari hujusce libri titulus, quem et ab

discipulis, ab ipsis tanti magistri libros acceperit, ab iisdem expeditissimam ad novatores quoslibet absque acie nec pugna debellandos, tutissimamque traditionum et præscriptionum viam, indagaverit, tenuerit, expertamque habuerit; indeque penitus in mente hoc infixum reposuerit consilium, novos nempe veritatis hostes ad judicium rapiendi, eosque, nec re perpensa, nec caussa agitata, vi quarumdam duntaxat exceptionum, ab omni lite expellendi, damnatosque remittendi. (*Cf. Eus., Hist. Eccl., l.* II, *c.* 2, *p.* 41; *Tertull. de Cultu F., l.* I, *c.* 6.— *Hier. Vir. Illustr., c.* 53.)

Quo consilio jam pene peracto, vel ad metam properante, subiit, sive ex clericorum romanorum invidia, sive ex impotenti Septimii ingenio, acerrimoque viri africani animo, lugenda sane procella, quæ eum ab navi Ecclesiæ et portu fidei catholicæ in invios Montanismi scopulos abripuit. Interdum vero remansit Tertullianus veritatis aliquatenus indefessus assertor, et cum jam ultimam ætatis suæ partem totam in certamina impenderet, non respuit exantlatos antea labores, ac in lucem emisit præclarum illud Præscriptionis catholicæ monumentum.

Hinc nobis satius visum est hoc opus medium inter catholici, montanistæque Tertulliani libros seponere, ratis nimirum hunc ad utramque ejus ingenii faciem, ambasque vitæ ipsius partes respicere ac eodem titulo pertinere.

ARGUMENTUM.

Hunc librum licet in duas scindere partes, quarum prior prævia quædam quinque perpendet momenta quæ viam ad præscriptiones sternunt, posterior vero novem præcipuos adversus hæreses præscribendi modos exponit. Hinc

Partis prioris

Propositio prima : oportere et hæreses esse, et plurimum valere, multumque in subvertendas animas proficere. . . . . I—III.

Prop. II. Fugiendas esse hæreses, utpote dissensionibus et persecutionibus pejores. . . . . IV—V.

Prop. III. Hæresim esse electionem, et in quo fit electio, inde damnationem . . . . . VI.

Prop. IV. Cunctas hæreses ab alterutro fonte, sive sæcularis sapientiæ sive prurientis curiositatis, dimanare . . . . . VII—XII.

Prop. V. Integram servandam esse fidei regulam, nec in litem unquam esse discerpendam. XIII—XIV.

Pars posterior

Hanc PRIMAM exhibet præscriptionem, hæreticos ad disputandum de Scriptura non esse audiendos. . . . . XV—XIX.

SECUNDAM. Ab ipso Christo Apostolos, ab Apostolis ecclesias sanam disciplinam posteris transferendam accepisse, nec aliunde ullam esse accipiendam. XX—XXVII.

TERTIAM. Ideo veram Ecclesiæ doctrinam, quia unam; falsam vero hæreticorum, quod diversam.

QUARTAM. Illud verum et divinum, quod prius traditum. . . . . XXIX—XXXI.

QUINTAM. Firmum esse veræ Ecclesiæ testimonium continuam ab Apostolis episcoporum successionem . . . . . XXXII.

SEXTAM. Vera est disciplina nostra, quæ ab Apostolis utique non damnatur, imo defenditur; falsa vero quælibet alia, utpote Apostolis aliena vel incognita . . . . . XXXIII—XXXV.

SEPTIMAM. Ad inveniendam veritatem consulendas esse ecclesias apostolicas ac præ omnibus felicem ecclesiam cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. . . . . XXXVI—XXXVII.

OCTAVAM. Jus nullum in Sacras Scripturas hæreticis competere. . . . . XXXVIII—XL.

NONAM. Nullam veritatem inesse cum perversa hæreticorum conversatione; ubi vero metum in Deum, ibi gravitatem honestam, et communicationem deliberatam, et promotionem emeritam, et subjectionem religiosam, et apparitionem devotam, et processionem modestam, et Ecclesiam unitam, et Dei omnia. . . . . XLI-XLV.

Subjiciuntur ultima capita quæ catalogum hæreticorum continent, de cujus αὐθεντίᾳ vide sis annotationem his capitibus annexam. EDD.

ARGUMENTUM PER JACOBUM PAMELIUM.

Adversus hæreticos, sive hæreses tum temporis grassantes, scripturus Tertullianus, videns disputationibus sive nihil aut parum profici, certis præscriptionibus, sive doctrinarum retractatu (uti ipse alibi loquitur), revincendos existimavit.

CAPUT PRIMUM.

Priusquam autem ad propositum veniat, docet non oportere nos admirari super hæreses, eo quod prænuntiatæ fuerint.

Conditio præsentium temporum (1) etiam hanc admonitionem provocat nostram : non oportere nos mirari super hæreses istas, sive quia sunt, futuræ enim prænuntiabantur, sive quia fidem quorumdam subvertunt, ad hoc enim sunt, ut fides, habendo tentationem, habeat (2) etiam probationem. Vane ergo et inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Jun. et Paris. inserunt* fratres. *coll. c.* 29.

(2) Haberet *Seml. Venet. Riq.*

COMMENTARIUS.

Auctore inditum fuisse arbitramur. Præscriptionem hæreticorum dicit, quia præscribimus hæreticis hoc ipso quod sint hæretici, quibus hanc unam exceptionem opponimus, quod adversus regulam dogmata proferant : itaque, ut minime audiendos, ab omni disputatione submovemus. Non agitur hic de alia præscriptione. Ipse Tertullianus, primo adversus Marcionem libro, *Alius,* inquit, *libellus hunc gradum sustinebit, adversus hæreticos etiam sine tractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptione novitatis.* Ergo præscriptio hæreticorum est præscriptio novitatis, et minus recte editum hactenus fuit, *De Præscriptionibus adversus hæreticos.* Ea loquendi forma dixit *præscriptionem hæreticorum*, qua juris auctores, *præscriptionem doli, præscriptionem fori, præscriptionem temporis, præscriptionem rei judicatæ.* RIG.— *De præscriptione.* Nescio an hic explicare debeam quod ab aliis ante nos excussum est. Præscriptio ex usu

quod tantum hæreses valeant. Quantum (*a*), si non fuissent (1) ! Cum quod (2) sortitum est, ut (3) omnimodo sit, sicut (4) caussam accipit ob quam sit, sic (5) vim consequitur (6) per quam sit, nec (7) esse non possit (8).

CAPUT II.

Sed abominandas potius et præcavendas, tanquam mortem æternam afferentes, nihil virium habentes, nisi apud eos qui in fide infirmi sunt.

Febrem denique, inter cæteros mortiferos et cruciarios (9) exitus (*b*) erogando (10) homini deputatam, neque quia est miramur, est enim ; neque quia erogat hominem, ad hoc enim est. Proinde hæreses, ad languorem et interitum fidei productas, si expavescimus hoc eas posse, prius est, ut expavescamus (11) hoc eas esse ; quæ, dum sunt, habent posse; et dum possunt, habent esse. Sed enim febrem, ut malum et de caussa et de potentia sua, ut notum est, (*c*) abominamur potius quam miramur, et, quantum in nobis est, præcavemus, non habentes abolitionem ejus in nostra potestate ; hæreses vero, mortem æternam et majoris ignis ardorem inferentes, (12) malunt quidam mirari quod hoc possint, quam devitare ne possint, cum habeant devitandi potestatem. Cæterum nihil valebunt, si illas tantum valere non mirentur. Aut enim (13), dum mirantur, in scandalum subministrantur ; aut, quia scandalizantur, ideo mirantur, quasi, quod tantum valeant, ex aliqua veA niat veritate. Mirum scilicet, ut malum vires suas habeat; nisi (14) quod hæreses apud eos multum valeant, qui in fide non (15) valent. In pugna pugilum et gladiatorum, plerumque non quia fortis est vincit quis, aut quia non potest vinci, sed quoniam ille, qui victus est, nullis viribus fuit; adeo idem ille victor bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter hæreses de quorumdam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant.

CAPUT III.

Neque scandalizari quemquam oportere si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula fuerit, quia ex personis non probatur fides, sed ex fide personæ.

B Solent quidem isti miriones (16) etiam de quibusdam personis, ab hæresi captis, ædificari in ruinam : quare ille vel ille, fidelissimi, prudentissimi, et usitatissimi (17) in Ecclesia, in illam partem transierunt ? Quis, hoc dicens, non ipse sibi respondet, neque prudentes, neque fideles, neque usitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare ? Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliqui retro, postea excidat ? Saul, bonus præ cæteris, livore postea evertitur. David, vir bonus secundum cor Domini, postea cædis et stupri reus est. Salomon, omni gratia et sapientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur. (*d*) Soli enim Dei Filio serva-

LECTIONES VARIANTES.

C (1) Quantum sint *Seml. Pam. Utrumvis delendum censet Heuman.*
(2) Quid *Venet. Pam. Rig.*
(3) Ut *supprim. Seml.*
(4) Sicut *supprim. Venet. Rig.*
(5) Hæc *pro* sic *Venet. Rig.*
(6) Consequitur *Jun. Wouw.*
(7) Ne *Venet. Gourcy, Rig. Pam.*
(8) Necesse est ut possit *Wouw.*
(9) Cruciatorios *alii volunt.*
(10) Ægrotando, *et paulo post* ægrotat, *in exemplari leger. Le Pr. Venet.*
(11) Expaveamus *alii ; alii vero* expavescantur.
(12) Inferenteis *Rig. Pam. Venet.*
(13) Etenim *Franeq.*
(14) Mirum *pro* nisi *Heuman.*
(15) Parum *alii.*
(16) Infirmiores *Rig. Venet. ex Agobardi exemplari antiquissimo.*
(17) Vetustissimi *Seml. ex antiquis exemplaribus.*

COMMENTARIUS.

forensi usurpatur, significatque refutationem qua qui postulatur, adversarii accusationem disjicit, aut in eum retorquet (*V. Ulpian. D. ad l. Juliam de adult.*). Sic frequens in jure *accusationem disjicere, excipere, producere.* Putarem quoque hic legendum *adversus hæreticos,* aut *hæreses,* non *hæreticorum.* Le Pr.

Dubitari non potest quin illud, *adversus hæreticos,* sit vera lectio Auctoris, qui in conclusione hujusce libri sic habet : *Generaliter actum est a nobis adversus* D *hæreses omnes certis, et justis, et necessariis præscriptionibus.* Locus ipse quem refert Rigaltius e lib. I adv. Marc. in gratiam suæ sententiæ, nobis etiam favet : *Alius libellus hunc gradum sustinebit adversus hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptione novitatis.* Neque enim dicit Noster : *præscriptione hæreticorum*, sed : *præscriptione novitatis... adversus hæreticos ;* præterea quod locutio *præscriptio hæreticorum* ambigua foret, et haberi melius posset de hæreticis præscribere adversus nos volentibus, quam de nobis, quibus præscribere adversus quoscumque proprio jure fas est. Edd. *ex opere* de Gourcy.

CAP. I.—(a) *Quantum si non fuissent !* Si mirantur, inquit, quod tantum hæreses valeant ; quantum mirarentur, si omnino hæreses non fuissent! Quod sane majore multo admiratione dignum foret, cum Spiritus Sanctus futuras prædixerit, nec falli potuerit. Hunc locum, antea depravatissimum, emendavimus ope exemplaris Agobardi, cui consonat etiam divionense. Le Pr.

CAP. II.—(b) *Erogando homini.* Hanc lectionem, quæ est Rigaltii, et vera videtur, servare libet. Verbum *erogo* adhibuit Tertullianus pluribus in locis eodem, ut patet, sensu quem *interimo* exprimeret ; ut, v. g., *tot innocentes erogamur* (*Apologet., cap.* 44), *caro supplicüis erogatur* (*de carnis Resurr., cap.* 8), *virginis erogatorem* (*de Pudicitia, cap.* 16). Edd. *ex oper.* D. de Gourcy.

(c) *Abominamur potius quam miramur.* Mirum non est tot hæreses exstare : et quemadmodum, si febris contingat, non miramur, sed ejus depellendæ modum quærimus ; ita de hæresi agendum, et modis omnibus enitendum ne subolescat. Attende aurea verba Augustini (lib. III contra Jul., cap. 3) : *Mira sunt, quæ dicitis, o Pelagiani ; nova sunt, quæ dicitis ; falsa sunt, quæ dicitis : mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.* Le Pr.

CAP. III.—(d) *Soli enim Dei Filio servabatur sine delicto permanere.* Non mirum si nec beatissimam Virginem hic addiderit Christo, qui, libro de Carne Christi, de ea scripserit minus consentanea sequentium ætatum theologis. Laudabili sane affectu Augustinus lib. de Natura et Gratia adversus Pelag. dixit : *De sancta virgine Maria, propter honorem Domini, nullam pror-*

bator sine delicto permanere. Quid ergo, si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula (*a*) fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis : nemo major, nisi christianus : nemo autem christianus, *nisi qui ad finem usque persevcraverit* (*Matth.*, X, 22).Tu, ut homo, extrinsecus unumquemque nosti ; putas, quod vides ; vides autem, quousque oculos habes. Sed *oculi*, inquit, *Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur* (I *Reg.* XVI, 7) . Et ideo, *cognoscit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.*, II, 19) ; et *plantam quam non plantavit Pater, eradicat* (*Matt.*, XV, 13): et *de primis novissimos* ostendit (*Matt.*, XX, 16) ; et *ventilabrum* (1) *in manu portat ad purgandam aream suam.* (*Matt.*, III , 12). Avolent quantum volent (2) paleæ levis fidei quocumque afflatu tentationum ; eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandallzati deverterunt? Nec tamen propterea cæteri quoque discedendum a vestigiis ejus putaverunt ; sed, qui scierunt illum vitæ esse Verbum (*b*) et a Deo venisse, perseveraverunt in comitatu ejus usque ad finem, cum illis, si vellent et ipsi discedere, placide obtulisset. Minus est, si et apostolum ejus aliquis Phygellus, et Hermogenes (*c*), et Philetus, et Hymenæus (*d*) reliquerunt (II *Tim.*, I, 15 ; I *Tim.*, I, 20) : ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de Ecclesiis ejus, si a quibusdam deseruntur, cum ea nos ostendant Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi : *Ex nobis*, inquit (I *Joan.*, II, 19), *prodierunt*, *sed non fuerunt ex nobis ; si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

CAPUT IV.

Quin potius memores simus tam dominicarum pronuntiationum quam apostolicarum litterarum, quæ futuras hæreses prænuntiarunt, et fugiendas præfinierunt.

Quin potius memores simus tam dominicarum pronuntiationum (3), quam apostolicarum litterarum, quæ nobis et futuras hæreses prænuntiarunt, et fugiendas præfinierunt ; et sicut esse illas non expavescimus, ita posse id, propter quod fugiendæ sunt, non miremur. (*e*) Instruit Dominus multos esse venturos, sub pellibus ovium, rapaces lupos. Quænam istæ sunt pelles ovium, nisi nominis christiani extrinsecus superficies? qui lupi rapaces, nisi sensus et spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi extrinsecus delitescentes? qui pseudoprophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? (*f*) qui pseudapostoli, nisi adulteri evangelizatores? qui (*g*) antichristi interim et semper, nisi Christi rebelles? Nunc sunt (4) hæreses, non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur : nisi quod persecutio et martyras facit, hæresis apostatas tantum. Et ideo *hæreses quoque oportebat esse, ut probabiles quique manifestarentur* (I *Cor.*, II, 19), tam qui in persecutionibus steterint, quam qui ad hæreses non exorbitaverint (5). Neque enim eos probabiles intelligi juvat (6), qui in hæresim fidem demutant : sicut ex diverso sibi interpretantur, quia dixit alibi : (*h*) *Omnia examinate*,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Palam *Franeq. Paris. et probat Junius coll. lib. de Fuga in persecut., sic et Irenæus, Augustinus ad Macrob. Arnob. annotat et Juvencus.*
(2) Volunt *Semler.*
(3) Prænuntiationum *Rig. Venet.*
(4) Hoc erunt *Seml. Pam.*
(5) Exhorbitaverunt *Seml.*
(6) Juvet *Seml.* ; jubet *Rig. Venet.*

COMMENTARIUS.

sus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Rig. — Eadem exceptione usa est œcumenica Tridentina synodus. Edd. *ex opere* D. de Gourcy.

(a) *A regula.* Id est, a symbolo, a fide catholica. Semler.

(b) *Qui scierunt illum vitæ esse verbum.* Diversum paulo sensum exhibet textus originalis (*Joan.*, VI, 69), quem fideliter retulit Vulgata nostra, necnon variæ versiones Orientalium. Pro *verba vitæ æternæ habes*, Noster *vitæ esse Verbum* Christum dicere maluit. Atqui notavit *La Cerda*, in *comment.*, hunc locum Scripturæ plures Patres non aliter ac Tertullianum interpretatos esse. Edd. *ex op.* D. de Gour.

(c) *Phygellus et Hermogenes. Scis hoc quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phygellus et Hermogenes.* Hæc Paulus, II ad Tim. I, et de illis Ambrosius : *fallacia pleni erant ;* simulabant enim amicitias cum apostolo, ut adhærentes ei addiscerent, unde illi calumniam facerent, aut per alios immitterent. Tertull., lib. de Resurr. carnis, cap. 24, hunc Hermogenem recenset inter hæreticos carnis resurrectionem abnegantes. Rig.

(d) *Et Philetus et Hymenæus.* Paulus, II ad Timoth., cap. II : *Et sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.* Rig.

CAP. IV.—(e) *Instruit Dominus*, etc. Ad verbum fere hunc locum imitatur B. Cyprianus, lib. ad Novatianum hæreticum : *Prædixerat quidem*, inquit, *Dominus, multos esse venturos, sub pellibus ovium, rapaces lupos. Qui sunt isti rapaces lupi, nisi sensus subdoli?* Pam.

(f) *Qui pseudapostoli.* Prius illud ex dominicis prænuntiationibus ; hoc, et quod sequitur, ex apostolicis literis sumpsit. II Cor., XI, et I Joan. II. Pam.

(g) *Antichristi.* Hæreticos vocat antichristos, quia ut verus Antichristus finget miracula, ita isti. Lucas Teudensis legendus *de hæretic. Fraudibus*, lib. III, cap. 2. Lac.

(h) *Omnia examinate.* Hæretici, inquit Quintinus, nunquam non prætexuerunt, modoque non prætexunt, opinionibus suis, a solita Patrum regula variantibus, id quod ipse Christus Christique discipuli faciendum præmonuerunt. Ille suis dicebat : *Attendite a falsis prophetis..... Cavete a Scribis..... A fermento Pharisæorum et Sadducæorum cavete..... Videte ne quis vos seducat*, etc. (Matth., VII, 15 ; Marc, VIII, 15 , XIII, 5), subinde suos Apostoli monebant : *Probate* (discutite, dignoscite, dijudicate) *quid sit beneplacitum Deo* (ad Eph. V, 10).

Item : *Prophetias* (interpretationes puta Scripturæ divinæ, ac declarationes fidei vestræ) *nolite spernere, sed omnia probate....* (I Thess., V, 21). Præterea : *Nolite omni spiritui credere, sed probate an spi-*

quod bonum est tenete (I *Thess*, V, 21). Quasi non A liceat, omnibus male examinatis, in electionem (1) alicujus mali impingere per errorem.

CAPUT V.

Fugiendas hæreses præfinitum non modo dissensionum et schismatum, sed etiam ipsarum hæreseon nomine.

Porro, si dissensiones et schismata increpat, quæ sine dubio mala sunt, et incontinenti (*a*) hæreses subjungit (I *Cor.*, XI, 18). Quod malis adjungat (2), malum utique profitetur, et quidem majus; cum ideo (3) credidisse se dicat de schismatibus et dissensionibus, quia sciret etiam hæreses oportere esse. Ostendit enim, gravioris mali prospectu (4), de (5) leviori- bus se facile credidisse; certe, non ut ideo de malis B crediderit, quia hæreses bonæ essent; sed uti de pejoris quoque notæ tentationibus præmoneret non esse mirandum, quas diceret tendere (6) ad probabiles quosque manifestandos, scilicet quos non potuerit depravare. Denique si totum capitulum ad unitatem continendam, et separationes coercendas sapit (7), hæreses vero non minus ab unitate divellunt, quam schismata et dissensiones; sine dubio et hæreses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata et dissensiones. Ac per hoc, non (8) eos probabiles facit, qui in hæreses diverterint, cum maxime diverti ab ejusmodi objurget, edocens (9) *unum omnes loqui et idipsum sapere* (I *Cor.*, I, 10), quod etiam hæreses non sinunt.

CAPUT VI.

Quippe cum, Epistola ad Titum, Apostolus hæreticum describens, hæreses dictas insinuet græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur.

Nec diutius de isto (10), si idem est (11) Paulus, qui et alibi hæreses inter carnalia crimina numerat, scribens ad Galatas (V, 20), et qui Tito suggerit (III, 10 *et* 11), *hominem hæreticum post primam correptionem recusandum, quod perversus sit ejusmodi et delinquat, ut a semetipso damnatus.* Sed et in omni pene epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat, quarum opera sunt adulteræ doctrinæ, hæreses dictæ græca voce (*b*), ex interpretatione electionis qua quis, sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. (*c*) Ideo et sibi damnatum dixit hæreticum, quia et in quo damnatur, sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere (12) quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent (13), elegerunt; sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt. Itaque *etiamsi angelus de cœlis aliter evangelizaret*, (*d*) *anathema diceretur a nobis* (I, 8). Providerat jam tunc Spiritus Sanctus futurum (*e*) in virgine quadam Philumene angelum seductionis, transfigurantem se in angelum lucis, cujus signis et præstigiis Apelles inductus, novam hæC resin induxit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Injectione *Seml.*; inlectione *suspicatur Junius*; electione *Rouw.*
(2) Adjugat *Jun.*
(3) Idem *Seml.*
(4) Despectu *Seml.*
(5) De *abest Paris.*
(6) Impendere *Rhen. Jun. Par.*
(7) Aptes *Seml.*; apit *vel* apet *Jun.*, *id est, uno quasi vinculo aptum constringit et continet.*
(8) Nos *Venet.*
(9) Objurgans, et docens *Seml. Pam.*
(10) Disputo *add. Heumun.*
(11) Et *Seml.*
(12) Indulgere *Seml.*
(13) Inducere *Venet.*

COMMENTARIUS.

ritus ex Deo sint..... (I Joan., IV, 1). Sic modo curiosi quidam male feriati ratiocinantur de sacramentis omnibus Ecclesiæ, prisca sint ea necne, de ritibus et formis rixantes, et explorare se velle dicunt (ut olim dicebant) utrum vera proferant, omnium scilicet hinc inde rationibus discussis. Aiunt enim scriptum esse : *Omnia probate.* Sic sensim per superbiam nostram nimis facili et lubrico assensu delabimur in hæreses..... Christiane lector, haud D quibusvis illud, *omnia probate*, cæteraque superiora dicta fuere. Non enim puto ἰδιώτην quempiam, si velit ambulare caute, posse hoc implere præceptum: quia sapientibus, et non insipientibus, imperatum est. Hæc et alia eodem pertinentia Hieronymus interpretans illud (ad Eph., V, 15) : *Videte quomodo caute ambuletis.* Amb. quoque legendus in illud ad Thess. mandatum : *Omnia probate.* PAM.

CAP. V.— (a) *Et incontinenti hæreses subjungit.* Incontinenti, id est statim. Justinus solet dicere *ex continenti*, ceu lib V, *ut ex continenti Alcibiadem ducem Cononе duce mutarent.* Et lib. VII, *teneri non potuit, quin ex continenti acie decerneret.* RHEN.

CAP. VI.— (b) *Græca voce.* αἵρεσις scilicet idipsum significat. EDD. *ex opere* D. DE GOURCY.

(c) *Ideo et sibi damnatum dixit hæreticum.* Paulo prius dixit, *ut a semetipso damnatus.* Pro quo legitur hodie apud Apostolum : *proprio judicio condemnatus.* Verum illud et legit etiam et declarat sic (uti etiam annotavit Quintinus) B. Hieronymus. Hæreticus a semetipso damnatus esse dicitur, propterea quod adulter, fornicator, homicida, et cætera vitia per sacerdotes ab Ecclesia propelluntur; hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, arbitrio suo de Ecclesia recedentes; quæ recessio, propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. PAM.

(d) *Anathema diceretur a nobis. Providerat jam tunc Sp. S.* Hic locus ab Hieronymo citatur, in cap. I ad Galat. *Eleganter*, inquit, *in hoc loco vir doctissimus Tertullianus, adversus Apellem et ejus virginem Philumenem, quam angelus quidam diabolici spiritus et perversus impleverat, hunc esse scribit angelum, cui, multo antequam Apelles nasceretur, Spiritus Sancti vaticinio sit anathema per Apostolum prophetatum.* RIG.

(e) *In virgine quadam Philumene.* Philumene puella fuit alexandrina, quæ familiari dæmone obsessa multa mentiebatur. Hanc postea compressit Apelles, adeoque hujus impudicæ mulieris amore cæcus fuit, ut librum scripserit hoc titulo, *Philumenæ Prophetiæ et Phaneroses.* Vide Euseb., lib. V Hist. et B. Aug. de Hær. ad Quodvultdeum. Cæteri fere omnes consulto impuram hanc mulierculam silentio obruere conati sunt. LE PR.

CAPUT VII.

Ipsas denique hæreses cum a philosophia subornentur, eo et curiositatis nomine etiam caveri oportere ab Apostolo præscriptum.

(a) Hæ sunt doctrinæ hominum et dæmoniorum, prurientibus auribus (II *Tim.*, IV, 3) natæ de ingenio sapientiæ sæcularis (1), quam Dominus stultitiam vocans, *stulta mundi* in confusionem (2) etiam philosophiæ ipsius *elegit* (I *Cor.* I, 27). Ea est enim materia (3) sapientiæ sæcularis, temeraria interpres divinæ naturæ et (4) dispositionis. Ipsæ denique hæreses a philosophia subornantur. Inde *æones*, et formæ nescio quæ, et trinitas hominis (5), apud Valentinum: platonicus fuerat (6). Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: a Stoicis venerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis (7) observatur. Et ut (8) carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est; et ubi aliquid de igneo deo allegatur (9), Heraclitus intervenit (10): Eadem materia apud hæreticos et philosophos volutatur, iidem (11) retractatus implicantur. Unde malum, et quare? et unde homo, et quomodo? et, quod proxime Valentinus proposuit, unde Deus? Scilicet A de enthymesi, et ectromate (b). Miserum (12) Aristotelem (c)! qui illis dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum (13), molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem (14), ne quid omnino tractaverit. Hinc illæ *fabulæ* (d) *et genealogiæ interminabiles* (e), *et quæstiones infructuosæ, et sermones serpentes velut cancer* (I *Tim.* I, 4; *ibid.*, III, 4; II *Tim.* II, 17-23); a quibus nos Apostolus refrænans, nominatim philosophiam contestatur (15) caveri oportere, scribens ad Colossenses (II, 8): *Videte ne quis vos circumveniat* (16) *per philosophiam et inanem seductionem, secundum traditionem hominum, præter providentiam Spiritus Sancti.* Fuerat Athenis, et istam sapientiam B humanam, affectatricem (17) et interpolatricem veritatis, de congressibus noverat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis et Hierosolymis? quid Academiæ et Ecclesiæ? Quid hæreticis et Christianis? Nostra institutio de Porticu (f) Salomonis est, qui et ipse tradiderat *Dominum in simplicitate cordis esse quærendum* (*Sap.* I, 1). Viderint, qui stoicum et platonicum (g) et dialecticum Christianismum (18) protulerunt. Nobis curiositate opus non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sæculi *Franeq.*
(2) Confusione *Seml.*
(3) Mater *suspicatur Heuman.*
(4) Et *abest a Seml.*
(5) Nescio quæ infinitæ hominis *Rig. ex Agobardi libro. Cf. de Anima, c.* 21.
(6) Furor *Jun. ex quibusd. mss.*
(7) Epicurus, *pro* ab Epicureis, *al.*
(8) Ut *abest a Venet.*
(9) Alligatur *Seml.*
(10) Invenit *suspicatur Heuman.*
(11) Idem *Venet.*
(12) Sequitur, *pro* miserum, *Seml.*
(13) Contentione *Seml.*
(14) Tractantem *Seml.*
(15) Contestatus *Seml. Venet.*
(16) Sit circumveniens vos *Seml.*
(17) Assectatricem *Venet.*
(18) Christianis *Paris. ex Gorziensi*; christianismo C prætulerunt *volebat Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. VII.—(a) *Hæ sunt doctrinæ hominum.* Doctrinæ diabolicæ, natæ et inventæ his, qui pruriunt auribus; hominibus, videlicet, qui desideriis variis et carnalibus aguntur, quique audire nova, et curiosa, et mollia appetunt. Unde sibi magistros quærunt, non qui verbo mordeant, et obsistant vitiis, sed qui sibi et suis concupiscentiis blandiantur, et scalpant aures, dum mellita prædicant, et vulgo plausibilia: isti sunt quos prædixit Paulus, II ad Tim. 4. LAC.

(b) *Ectromate.* Hieronymus, in Amos prophetam primo commentario, scribit, Valentinum ex æonibus suis extremum, hoc est trigesimum, Christum vocare et ἔκτρωμα, hoc est abortivum. RHEN.

(c) *Miserum Aristotelem.* Gregorius Bæticus, lib. de Fide, ed. rom.: *Noli, infelix, adversus Christum Dominum totius creaturæ Aristotelis artificiosa argumenta colligere, qui te christianum qualitercumque profiteris, nec adversus piam confessionem inenarrabilis de Deo sacramenti, ut calculo calumniatore, quasi ex disciplina terrenæ suppputationis circumscriptor advenias.* Idem: *Ubi sunt nunc illa impia vestra sophismata, quæ Aristotelis, episcopi vestri, magisterio didicistis?* Non est trivialis auctor ille Bæticus episcopus Eliberitanus: censetur inter scriptores ecclesiasticos catalogo Hieronymiano. Scripsit autem ad Gallam Placidiam, Theodosii imp. filiam, adversus Arianos, et sane miror hominem, cætera satis ingenuum, ne semel quidem Septimium nostrum nominasse, cum ab eo passim habeat multa. RIG.

(d) *Hinc et illæ fabulæ.* Propter Judæos, inquit Quintinus, hoc admonitum putarunt, qui continue progenitoribus suis Abraham, Isaac, Jacob et aliis gloriabantur. Inutilis certe gloriatio, sed quæ nullam gignebat quæstionem, neque fabulas habebat. Nam verum suum quisque genus et majores suos inter Judæos habebat notissimos, et citra controversiam. Nonnulli gentiles reprehendi hic dixerunt eum sua theogonia. Tertullianus hæreticos æonum fabricatores notari credidit. In cellas enim varias distinguebant illi æonas suos, ostendentes quis a quo gigneretur, quibus omnem contineri divinitatem fabulabantur. Apostolorum coævi Cerdon et Valentinus erant, qui non-finiendis istis quæstionibus supra modum turbabant infideles. Inter quos ab Apostolo nominatur Hymenæus, Alexander, Philetus. Et meo quidem judicio, totus ille locus ad hæreticorum confutationem spectat. Epiphanius etiam sic intelligit: Pro more calumniari mihi videtur, qui locum detorquet ad cæremonias et hominum constitutiunculas (ut loquitur) et quæstio- D nes scholasticas. PAM

(e) *Et genealogiæ interminabiles.* In græco vox adhibetur ἀτέρμονος (I *Tim.* I, 3). Judæorum notat deliria et ridicula commenta quæ iis יתוסים dicebantur. Basilidiani vero et Valentiniani qui gnosticæ pravitatis erant veluti rami, æonas usurparunt, pro illis Judæorum fabulis. Qui Plutarchum legerit in Iside, tales fuisse Persarum Magos comperiet. LE PR.

(f) *De Porticu Salomonis.* Opponit Noster Porticum Salomonis Porticui scilicet Stoicorum. Constat enim ex Evangelio et Actibus Apostolorum tum Christum, cum Apostolos in templo ejusque porticu sæpius docuisse, quæ *porticus Salomonis* dicebatur, ideo sane quia ruinis porticus Salomonis superstructa erat (V. *Joan.* X 23; *Act. Apost. c.* III et V). EDD. *ex opere* D. DE GOURCY.

(g) *Et dialecticum Christianismum.* Non leve certe

est, post Christum Jesum; nec inquisitione, post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus.

CAPUT VIII.

Nihil autem obstare illud : QUÆRITE ET INVENIETIS *; id enim dictum ad eos quibus nondum agnitus Christus.*

Venio itaque ad illum articulum, quem et nostri prætendunt ad ineundam curiositatem, et hæretici inculcant ad importandam scrupulositatem (1). Scriptum est (inquiunt): *Quærite et invenietis* (*Matth.*, VIII, 7). Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur. Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset, et cum adhuc nec Petrus illum Dei Filium pronuntiasset; cum etiam Joannes de illo certus esse desiisset (*a*) (2). Merito ergo tunc dictum est (3), *Quærite et invenietis*, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat (4). Et hoc quantum ad Judæos; ad illos enim pertinet totus sermo suggillationis istius, qui habebant ubi quærerent Christum. (*b*) *Habent*, inquit, *Moysen et Heliam* (*Luc.*, XVI, 29), id est legem et prophetas Christum prædicantes, secundum quod et alibi (*Joan.*, V, 39), *Scrutamini*, inquit, *Scripturas in quibus salutem speratis; illæ enim de me loquuntur.* Hoc (5) erit, QUÆRITE ET INVENIETIS; nam et sequentia in Judæos competere manifestum est: *Pulsate et aperietur vobis.* Judæi retro penes Deum fuerant; dehinc ejecti ob delicta, extra Deum esse cœperunt. Nationes vero nunquam penes Deum, *nisi stillicidium de situla, et pulvis ex area, et foris semper* (*Isai*, XL, 15). Itaque qui foris semper, quomodo pulsabit eo ubi nunquam fuit? quam (6) januam novit, in quam (7) nec receptus, nec ejectus aliquando? an (8) qui scit se intus fuisse et foras actum, is potius pulsabit (9) et ostium novit (10)? Etiam, PETITE ET ACCIPIETIS ei competit, qui sciebat a quo esset petendum (11), a quo et erat aliquid repromissum; a Deo scilicet Abraham, Isaac et Jacob, quem nationes non magis noverant, quam ullam repromissionem ejus. Et ideo ad Israel loquebatur : *Non sum*, inquit (*Matth.*, X, 15), *missus nisi ad oves perditas domus Israel* (12). Nondum *canibus* jactabat *panem filiorum*, nondum *in viam nationum ire* mandabat (*Matth.*, XXVIII, 19); siquidem in fine præcepit, ut vaderent ad docendas et tinguendas nationes, consecuturi mox Spiritum Sanctum *Paracletum*, qui illos *deducturus esset in omnem veritatem* (*Joan.*, XVI, 13). Et hoc erga illos (14) fecit (15). Quod si nationibus (16) destinati doctores, Apostoli ipsi quoque doctorem consecuturi erant Paracletum, multo magis vacabit (17) erga nos QUÆRITE ET INVENIETIS, quibus ultro erat obventura doctrina per Apostolos, et ipsis Apostolis per Spiritum Sanctum. Omnia quidem dicta Domini omnibus posita sunt, quæ (18) per aures Judæorum ad nos transierunt; (*c*) sed pleraque in personas directa, non proprietatem admonitionis nobis constituerunt, sed exemplum.

CAPUT IX.

Nobis autem, qui jam credidimus, aliud non quærendum.

Cedo nunc sponte de gradu isto : omnibus dictum sit, QUÆRITE ET INVENIETIS; tamen et hic expedit (19) sensu (20) certare (21) (*d*) cum interpretationis gu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Curiositatem *Semler.*
(2) Quæsisset *Heuman.*
(3) Merito ergo tunc dictum est *abest a Seml.*
(4) Qui adhuc agnitus non erat *abest a Seml.*
(5) Hic *Seml.*
(6) Quomodo *Heuman.*
(7) Qua *Seml.*
(8) Annon *Heuman.*
(9) Pulsavit *Venet.*
(10) Ad ostium quod novit *Heuman.*
(11) A quo esset petendum *abest a Seml.*
(12) Israelis *Seml.*
(13) Gentium vel *inserit Semler.*
(14) Ergo illo *Venet. post Rig.*; ergo illos *Semler.*
(15) *Ita Junius*; *alii leg.* facit.
(16) Erga illos si vacat, qui nationibus *Heunum.*
(17) *Ita Heuman.*; *alii volunt* vacabat.
(18) *Ita Paris. post Pam.* quæ *abest a Venet. Rig.*
(19) Expendit *Venet.*
(20) Sensus *Seml. Paris. Fran.*
(21) Certæ *Paris. Fran.*

COMMENTARIUS.

argumentum, Christianis exosas esse debere sophisticas quæstiones et captiunculas logicæ, quibus religionis et theologiæ puritas conspurcatur. Quorsum enim a Platone aut Aristotele pendebis ut christianus sis? qui, cum ethnici ambo fuerint, et a veritate alieni, nihil nisi figmenta et imposturas tradere possunt. Quorsum illorum opiniones aut errores cum christianis dogmatis permiscebis? An nescis infelicem pictoris illius exitum, quem refert Zonaras? Is cum Christum Dominum eodem habitu armisque effingere vellet quibus Jovem suum depinxerat, illius statim manus in tabula exaruit, in qua tantam impietatem adumbrare voluerat. Caveas sedulo ne duas has res omnino contrarias infelici conatu conjungas. LE PR.

CAP. VIII.— (a) *Cum etiam Joannes de illo certus esse desiisset.* Hoc est, etiam post excessum Joannis. RIG.— Recte sic interpretatur Macereus de Joanne Baptista, qui de Christo certus, utpote voce audita de cœlis : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.*, III, 17), jam esse desierat, id est obierat, decollatus ab Herode. Sed magis placet sensus, quem indicat Latinius in Lib. seq. *de Baptismo*, ut sit idem quod ibi (*c.* 10) de Joanne legitur : *Usque adeo spiritum prophetiæ in illo post totius spiritus in Dominum translationem defecisse; ut quem prædicaverat, quem ipse designaverat, postmodum an ipse esset sciscitatum miserit* (*Matth.*, XI, 2). Cui simile est et illud (*Lib.* IV, *Adv. Marc.*) : *Ipso jam Domino virtutum, Sermone et Spiritu Patris, operante in terris et prædicante, necesse erat portionem Sancti Spiritus jam abscedere a Joanne.* PAM.— Revera videtur Tertullianus lib. *de Baptismo*, impegisse in tam absurdum errorem. Cæterum fatendum est tempore *primitiarum doctrinæ* Christi Joannem Baptistam nondum esse desiisse, ut interpretatus est Macereus. EDD. *ex opere* D. DE GOURCY.

(b) *Habent et Moysen et Heliam.* Etiam hic amplius quid legit quam habeatur Lucæ XVI, ubi solum legitur græce et latine : *Habent Moysen et prophetas;* Fortassis cogitans, cum hæc scriberet, super apparitione Mosis et Heliæ in monte Thabor. PAM.

(c) *Sed pleraque in personas directa.* Judæorum, scilicet. RIG.

CAP. IX.— (d) *Cum interpretationis gubernaculo.* Id est, cum ratione, cum disciplina rationis, quæ sane omnem interpretationem gubernare debet, et in ea semper

bernaculo. (a) Nulla vox divina ita dissoluta est et diffusa, ut verba tantum defendantur, et ratio verborum non constituatur. Sed in primis hoc propono: unum utique (1) etcertum aliquid (b) institutum esse a Christo, quod credere omnimodo debeant nationes, et idcirco quærere, ut possint, cum invenerint, credere. Unius porro et certi instituti infinita inquisitio non potest esse, quærendum est donec invenias, et credendum ubi inveneris; et nihil amplius, nisi custodiendum quod credidisti: dum hoc insuper credas, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, cum id inveneris et credideris quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit. De hoc quidem si quis (2) dubitat, constabit penes nos (c) esse id, quod a Christo institutum est. Interim ex fiducia probationis prævenio, (3), admonens quosdam nihil esse quærendum ultra quod (4) crediderunt id esse (5), quod quærere debuerunt; ne (6) QUÆRITE ET INVENIETIS sine (7) disciplina rationis interpretentur.

CAPUT X.

Alioqui si semper quærimus, nunquam inveniemus, nunquam credemus.

Ratio autem dicti hujus in tribus articulis constitit, in re, in tempore, in modo: in re, ut quid sit quærendum consideres; in tempore, ut quando; in modo, ut quousque. Igitur quærendum est quod Christus instituit; utique, quando non invenis (8); utique (9) donec invenias. Invenisti autem, cum credidisti: nam non credidisses, si non invenisses; sicut nec quæsisses, nisi ut invenires. Ad hoc ergo quæris, ut invenias; et ad hoc invenis, ut credas. Omnem prolationem (d) quærendi et inveniendi credendo fixisti: hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi (10); hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque nec quærere. Cæterum, si quia et alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quærere debemus in quantum possumus invenire, semper quæremus, et nunquam omnino credemus. Ubi enim erit finis quærendi? (e) ubi statio credendi? ubi expunctio inveniendi? apud Marcionem? Sed et Valentinus proponit: QUÆRITE ET INVENIETIS. Apud Valentinum? Sed et Apelles hac me pronuntiatione pulsabit; et Ilebion et Simon, et omnes ordines non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi addicant. (11) Erit itaque (f) nusquam, dum ubique convenior (12), QUÆRITE ET INVENIETIS (g), et velut (13) si nusquam et quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit, quod quæri oportet, quod credi necesse est.

CAPUT XI.

Nemo enim quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit.

Impune erratur nisi delinquatur (quamvis errare, de-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Itaque *Seml. Jun.*
(2) Qui *Venet.*
(3) Præverto *Latinius*; prævento, *Semler.*
(4) Quæ *Venet.*
(5) Est *Rhen.*
(6) Ne *rejecerat Rhen. et Wouw.*
(7) In d. r. interprete *legerat Rhen.*
(8) Quamdiu non invenisti *Jun.*
(9) Utique *rej. Semler.*
(10) Credendi *Rig.*
(11) Eritaque *Agobardi liber.* Ero itaque, *Rig. Venet. Pam.* Ergo itaque *Heuman.*
(12) Convenio *Rig.*
(13) Et velint me sic esse nusquam *Pam.* et velint sic nusquam, quasi *Seml. Rhen.* et velim sic nusquam *Jun. Delenda censet W.* et velut si nusquam *Heuman.*

COMMENTARIUS.

regnare. Hunc locum eodem sensu tractaverat Irenæus lib. II, cap. 46 RIG.

(a) *Nulla vox divina.* Similem locum allegat ad marginem Quintinus, qui in Decretis citatur I, q. 1, c. Marc. Non putemus in Scripturarum verbis esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis. PAM.

(b) *Unum utique et certum aliquid.* Recte hoc interpretatur Macereus de una regula seu symbolo fidei, cujus unusquisque articulus unus est, certus et determinatus. Neque enim Ecclesia post Apostolos novum aliquem fidei articulum credendum proposuit. Etsi enim clarius explicuerit quosdam obscuriores, qui ob sui aut obscuritatem, aut ambiguitatem, possent contentionis caussa esse inter fideles, et distinxerit in plures, qui prius in uno generali articulo comprehendebantur: non propterea censendi sunt plures reipsa articuli fidei, sed distinctione et explicatione duntaxat. Quod enim veteres in genere cognoverunt, nos distinctius et particulatim, crescente in dies hominum (hæreticorum nempe qui fidem impugnant) curiositate, et gratia Dei in Scripturis explicandis; juxta illud Apost. (*Ephes.* III, 5) *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et prophetis in spiritu.* PAM.

(c) *Nos.* Id est, Catholicos. SEMLER.

CAP. X.—(d) *Prolationem.* Id est, continuationem, durationem. SEMLER.

(e) *Ubi statio.* Tota periodus allegorica est, a re castrensi sumpta, ac si dicat: fixisti palos tentorii et stationis tuæ; ne ergo ulterius proferantur. Pervenisti ad fructum quærendi, quæ ob hanc determinationem tibi Deus imperavit, nec ultra debes quærere. Est enim statio, ubi solent consistere militares et confabulari. LAC.

(f) *Erit itaque.* Hæc mihi fiducia est sensum hunc esse: Dum tot ac tantis assentior *quærendum esse*, quærendi finem non faciam, quod maxime optant hæretici, uti quæram semper cum eis quasi nondum repererim quod Christus instituit, quod quæri, quod credere necesse est. ALBASP.

(g) *Quærite et invenietis.* In textu objecto nihil est quod faveat *liberi examinis* assertoribus, sed agitur tantum de precibus cum fiducia ad Patrem qui in cœlis est attollendis, quia profecto, *siquidem nos, cum simus mali, novimus bona data dare filiis* nostris, multo *magis Pater noster, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se* (*Matth.*, VII, 11). Neque dissimilem exhibent sensum loca Ev. Luc. ibidem objecta. EDD. *ex opere* D. DE GOURCY.

linquere est) : impune, inquam, vagatur, qui nihil deserit. Atenim si quod debui credere credidi, et aliud denuo puto requirendum, spero utique et aliud esse inveniendum ; nullo modo speratur istud, nisi quia aut non crediderat qui videbar credidisse, aut desii credidisse. Ita fidem meam deserens, *(a)* negator invenior. Semel dixerim : nemo quærit, nisi qui, aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat unam ex decem drachmis anus illa *(Luc.*, XV, 8*)*, et ideo quærebat ; ubi tamen invenit, quærere desiit. Panem vicinus non habebat *(Luc.*, XI, 5*)*, et ideo pulsabat ; ubi tamen apertum est ei, et accepit, pulsare cessavit. Vidua a judice petebat audiri *(Luc.* XVIII, 3*)*, quia non admittebatur ; sed ubi audita est, hactenus institit. Adeo finis est et quærendi, et pulsandi, et petendi. *Petenti enim dabitur*, inquit, *et pulsanti aperietur, et quærenti invenietur (Luc.* XI, 9*)*. Viderit, qui quærit semper, quia non invenit : illic enim quærit, ubi non invenietur. Viderit, qui semper pulsat, quia nunquam aperietur : illuc (1) enim pulsat, ubi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquam audietur (2). Ab eo enim petit, qui non audit.

CAPUT XII.

Si tamen adhuc quærendum sit, non apud hæreticos, ad quos vetamur accedere, sed a nostris, et de nostro quæramus.

Nobis et si quærendum esset adhuc et semper, ubi tamen quæri oportet ? apud hæreticos ? ubi omnia extranea et adversaria nostræ veritati, ad quos vetamur accedere ? Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat ? quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, donativum et stipendium captat, nisi plane desertor, et transfuga, et rebellis ? Etiam anus illa intra tectum suum drachmam requirebat ; etiam pulsator ille vicini (3) januam tundebat ; etiam vidua illa non inimicum, licet durum judicem interpellabat. Nemo inde instrui (4) potest, unde destruitur : nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro, et a nostris, et de nostro ; idque (5) duntaxat, quod, salva regula fidei, potest in quæstionem devenire.

CAPUT XIII.

Regulam enim (seu symbolum) fidei nobis præscriptam, ut jam hinc, quid credamus, profiteamur.

Regula est autem fidei (*b*), ut jam hinc quid defendamus (6) profiteamur, illa scilicet qua creditur, unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem ; qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum primo omnium emissum (7) ; id Verbum, Filium (8) ejus appellatum, in nomine Dei varie visum a Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex Spiritu Patris Dei et virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et ex ea natum (*c*) egisse (9) Jesum Christum ; exinde prædicasse novam legem, et novam promissionem regni cœlorum ; virtutes fecisse ; fixum cruci, tertia die resurrexisse ; in cœlos ereptum (*d*) sedisse ad dexteram Patris ; misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat, venturum cum claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ et promissorum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Illic *Venet. Pam. Rig.*
(2) Auditur *Semler.*
(3) Illi vici *Venet.* illi vicini, *Rig.*
(4) Strui *Semler. et Pam.*
(5) In quo duntaxat *Seml.* in quo ? *Junius.*
(6) Credamus *olim legebatur.*
(7) Demissum *Venet. post Rig.*
(8) Filius *Semler.*
(9) Exstitisse *Wouw.* exisse *Rig., ex libris Ursin.* hominem et esse *Paris. Fran. Nil mutem* ; *ut postea* : qui credentes agat.

COMMENTARIUS.

CAP. XI.— (a) *Negator invenior.* Negator est qui tritam veritatis viam semel inventam, Christique fidem cum Catholicis acceptam, postea deserit coram hominibus, innovat aut immutat. Hunc etiam Christus desertorus ac negaturus est coram Angelis. Propterea negatores ab Ecclesiæ communicatione depellebantur, quia non sustinuissent in finem, sed ad gentes aut hæreticos defecissent ; quod ipse Tertullianus adstruit in lib. de Monog. ; vixque recipiebantur, dum pœnitentes postea redirent : quæ res in Ecclesia prisca fecit olim controversiam maximam. Quamobrem Tertullianus hic tanquam probrum grande, non tantum deficientibus ad hæreticos plene, sed ab hæreticis aliquid addiscere volentibus objicit, quod sint negatores. PAM.

CAP. XIII.— (b) *Regula fidei.* Fides, Κανὼν τῆς ἀληθείας, Corpusculum veritatis, Σωμάτιον τῆς ἀληθείας, Irenæo. Quia scilicet in symbolum digesti sunt velut in unum corpus articuli, ex quibus constat Christianus. Hic autem sequitur regula, in qua notandum mentionem non fieri sepulturæ neque descensus ad inferos, uti nec in ea quam edidit initio libri *de Velandis virginibus*, neque item apud Iræneum ; quasi mentio crucis, hoc est, mortis, et sepulturam et descensum ad inferos includat. Cæterum, lib. *adversus Praxeam*, inter ejusdem regulæ articulos legitur : *Hunc passum, hunc mortuum et sepultum*. Augustinus, lib. imperf. de Genesi ad litteram, c. 1 : *Crucifigi, sepeliri et resurgere.* RIG. — *Regula est autem fidei.* Regulam hic vocat quod vulgo Apostolorum symbolum vocamus. Dubitarunt nonnulli eruditi an symbolum istud esset Apostolorum. Verum non satis caute ; nam certissimum est, *Sanctos Apostolos certam regulam fidei tradidisse, quam secundum numerum Apostolicum duodecim sententiis comprehensam, symbolum vocarunt*, ait B. Aug. serm. 181, de Tempore ; quodque aliis in locis testatur, et cum eo multi veteres. At certum quoque ab iis temporibus jugi traditione derivatum illud quod bodie recitamus symbolum, quodque credendum præcipit Ecclesia. PAM.

(c) *Egisse Jesum Christum.* Hoc est, eam hominis personam induisse, omniaque egisse quæ de Jesu Christo fuerant prædicta. RIG.

(d) *Sedisse ad dexteram Patris.* « Nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat ; aut idipsum quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, in quo exsecratur Apostolus eos qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Deo nefas est christiano in templo collocare, multo magis in corde nefarium est. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem. Ad dexteram vero, hoc est, in summa

cœlestium fructum, (*a*) et ad profanos adjudicandos (1) igni perpetuo, facta (*b*) utriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione (2).

CAPUT XIV.

Hanc regulam a Christo institutam nullas apud nos habere quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, et quæ hæreticos faciunt.

Hæc regula a Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, et quæ hæreticos faciunt. Cæterum, manente forma ejus in suo ordine, quantum libet quæras et tractes, et omnem libidinem curiositatis effundas; si quid tibi videtur, vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, est utique frater aliquis (3) doctor gratia scientiæ donatus, est aliquis inter exercitatos conversatus, aliquis (4) tecum, curiosius (5) tamen, quærens; novissime, ignorare melius est, ne quod non debeas noris, quia quod debeas nosti (6) *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit* (*Luc.*, XVIII, 42); non exercitatio Scripturarum. Fides in regula posita est: habes legem, et salutem de observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei; cedat gloria saluti. Certe aut non obstrepant, aut quiescant. Adversus regulam nihil scire, omnia scire est. Ut non inimici essent veritatis hæretici, ut de refugiendis eis non prænoneremur, quale est conferre cum hominibus qui et ipsi adhuc se quærere profiteantur? Si enim adhuc vere quærunt, nihil adhuc certi repererunt (7); et ideo, quæcumque videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt. quamdiu quærunt. Itaque tu qui perinde quæris, spectans ad eos qui et ipsi quærunt, dubius a dubiis, incertus ab incertis, cæcus a cæcis in foream deducaris necesse est (*Matth.*, XV, 14). Sed, cum decipiendi gratia prætendunt se adhuc (8) quærere, ut nobis per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent; denique, ubi adierint (9) ad nos, statim, quæ dicebant quærenda esse, defendunt: jam illos sic debemus refutare (10), ut sciant nos (11) non Christo, sed sibi negatores esse. Cum enim quærunt adhuc, nondum tenent; cum autem non (12) tenent, nondum crediderunt, non sunt christiani. At, cum tenent quidem et credunt, quærendum tamen dicunt, ut defendant. Antequam defendant, negant, quod confitentur se nondum credidisse, dum quærunt. Qui ergo nec sibi sunt christiani, quanto magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam a mendacio inducunt (13)?

CAPUT XV.

Porro ad propositum veniens Tertullianus, præscribit non admittendos hæreticos ad ullam de Scripturis disputationem.

Sed ipsi de Scripturis agunt, et de Scripturis suadent. (*c*) Aliunde scilicet loqui (14) possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei? (*d*) Venimus igitur ad propositum: huc (15) enim dirigebamus, et hoc (16) præstruebamus allocutionis (17) præfatione (18), ut jam hinc de eo congrediamur, de quo adversarii provocant. Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Judicandos *Semler. Pam.*
(2) Resurrectione *al.*
(3) Aliqui d. g. s. d. e. aliqui in. e. c. aliqui *Venet. Rig. Paris.*
(4) Aliquid *La Cerd. Seml.*
(5) Curiosus *Venet. Rig. Paris. Pam. et iterum statim addunt* tecum.
(6) Quia quod debeas nosti *delevit Seml.* quia quod debes nosti *legebat La Cerd.*
(7) Deprehenderunt *Paris. pro* certe *Jun.* certi vere *conjic. legendum. Fran. inserit adhuc* ultra.
(8) Ad hoc *Paris.*
(9) Adierunt *Seml.*
(10) Reputare *Venet. Rig.*
(11) Vos *Venet.*
(12) Non *delendum cens. Seml. et post* tenent *legendum* et nondum credunt.
(13) Indicunt *Seml.*
(14) Suadere non *Seml.*
(15) Hoc *Seml. Rig.*
(16) Hoc *delevit Seml.*
(17) Ad locutionis *al.*
(18) Præfationem *Seml.*

COMMENTARIUS.

beatitudine, ubi justitia et pax et gaudium est.» Verba sunt Augustini, lib. de Fide et Symb. cap. VII, 14. Rig. *emendantibus* Edd.

(a) *Et ad profanos adjudicandos*, etc. Meminit ignis Tertullianus, qui hic creberrime in inferno statuitur. Beza et Calvinus volunt, non esse ignem in inferno; sed per illum designatum esse miserum statum damnatorum. Sed certe ita frequens mentio est in Scriptura hujus ignis, ut necessario debeamus fateri ignem esse in inferno. Lac.

(b) *Utriusque partis resuscitatione.* Piorum et impiorum. Rig.

CAP. XV.—(c) *Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei.* Omnes hæc verba ita accipiunt, quasi neget ex aliis literis hæreticos fidem suam probare posse, quam ex utroque Testamento: mihi vero alia subjicit cogitatio, nempe hæc eadem negative posita non esse, neque aliud quidquam his Auctorem intendere, quam hæreticos nonnunquam etiam argumenta ex Scripturis arcessere, quamvis in probationem suæ opinionis philosophorum scripta ducere possint, ex quibus commenta sua hauserunt, uti probavit cap. 8. Ad confirmationem hujusce explicationis, quam tuemur, referri potest, nulla hæc interrogationis nota scribi, quam qui ex diverso interpretantur, coguntur affingere; fateri tamen cogor legentium animos longe facilius occupare contrariam, sed si quis Auctoris in dicendo acumen et solertiam repetat, et sibi proponat, eam adulteram esse deprehendet. Albasp.

(d) *Venimus igitur ad propositum.* Tertullianus, inquit Quintinus, hoc unum toto suo libro docendum proposuit, non esse de Scripturis cum Gnosticis altercandum, sed neque loquendum. Nam disputationes hujuscemodi vexant in fide infirmos, conturbant, et vacillare faciunt, et alio sæpe transferunt medios, in hæresin vero deturbant infirmos. Hæc veris veriora si non sunt, adversus hæreticos altercari, scribere non cessemus, neque jejunemus et oremus in eos, interim tamen et ubique memores, quod hoc genus dæmoniorum non ejicietur, nisi in oratione et jejunio. Pam.

scrupulo dimittunt. (a) Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos (1) eos ad ullam de Scripturis disputationem. *(b)* Si hæ sunt illæ vires (2) eorum, uti eas habere possint (3), dispici debet cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.

CAPUT XVI.

Primum, quod fides nostra obsequium Apostolo debeat, disputationem prohibenti, dum post unam correptionem convenire hæreticum interdixit.

Hoc de consilio diffidentiæ, aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim *(c)*, nisi ratio constiterit, in primis illa, (4) quod fides nostra obsequium Apostolo debeat, prohibenti quæstiones inire, novis vocibus aures accommodare (I *Tim.*, VI, 4), hæreticum post unam correptionem convenire *(Tit.*, III, 10), non post disputationem. Adeo interdixit disputationem, correptionem designans caussam hæretici conveniendi; et hoc unam *(d)*, scilicet, quia non est christianus; ne more christiani, semel et iterum, et sub duobus aut tribus testibus *(Matth.*, XVIII, 15, 16) castigandus videretur; cum ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum.

CAPUT XVII.

Deinde quod nihil proficiat congressio Scripturarum; cum hæreses quasdam non recipiant, et si quas recipiant, adjectionibus et detractionibus intervertant, aut non recipiant integras, et si aliquatenus integras, diversas expositiones comminiscantur.

Deinde, quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane ut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: et si quas recipit, non recipit *(e)* integras: adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati *(f)* obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus. Variæ *(5)* præsumptiones necessario nolunt (6) agnoscere ea, per quæ revincuntur *(g)*; his nituntur quæ ex falso composuerunt, et quæ de ambiguitate ceperunt (7). Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione; nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione (8).

CAPUT XVIII.

Ille etiam, cujus caussa in congressum Scripturarum descendis, incertior discedet, de pari altercatione negandi et defendendi.

Ille vero, si quis est, cujus caussa in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deverget? Hoc ipso motus, quod te videat nihil promovisse, æquo gradu negandi et defendendi diversa (9) parte statuto (10), certe pari, altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresin judicet. *(h)* Hæc utique et ipsi

LECTIONES VARIANTES.

(1) Admittendi *Seml.*
(2) Sintne illæ juris *Latin. pro* illæ, ullæ *proponit Seml.*
(3) Uti eas habere possent *del. Heuman.*
(4) Qua *Venet. ex lib. Agobardi.*
(5) Vanæ *Jun.*
(6) Volunt *Semler ex Agobard. et divin. exempl.*
(7) Coeperunt *Seml. Pam.*
(8) Vilem d. b. laudem *Seml.*
(9) Adversa *Venet. Rigalt.*
(10) Statutum *Seml. Pam.* statu, *Rigalt. Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Hunc igitur potissimum gradum.* Dissuadet, ne cum hæreticis certamen ineamus: non, quod ecclesiasticæ caussæ ut dubiæ diffidat, absit; sed quod hæretici procaciter in suas blasphemias sancta Scriptura, et ejus legitimo sensu abutantur; ex quo victoria sit dubia, audientium vero, qui eos meras Scripturas crepare audiunt, discrimen certissimum. Tantum ergo abest, ut in his frequens sanctarum Scripturarum jactatio sit veræ religionis indicium, ut potius sit ab eis magnopere timendum, ne quod ipsi habent, id est, blasphemiarum spurcitias Scripturarum divinarum contextas involucris, nobis intorqueant. Vide Clementem Alex. lib. contra Hæreticos. Lac.

(b) *Si hæ sunt illæ vires eorum.* Sensus est, an his armis uti possint, sive an Scripturæ sint arma eorum. Aldasp.

CAP. XVI.— (c) *Induxerim.* Id est, *videri potuerim inducere.* Seml.

(d) *Hoc unam.* At contra, non jubet Apostolus devitari *hæreticum hominem*, nisi *post unam et secundam correptionem* (*Tit.* III, 10). Originalis etiam vocula, νουθεσίαν, meram monitionem, vel consilium aut suasionem, si bene observes, significat. Græco textui consonant, tum syriacæ, tum arabicæ versiones; Vulgatæ autem et arabica. Verum enimvero omnes lectiones in eo concordant, ut non vitetur persona hæretici, nisi post plures monitiones. V. *Polyglot., tom.* V, *Londini*, 1657. Charitas enim, atque etiam prudentia, dictant adhortationibus, suasionibus, obtestationibus minime parcendum, quicumque sit ille, et quocumque in errore versetur. Hoc fuit Evangelii, hoc divini ejus auctoris consilium, utpote qui suis pressius nihil intimaverit, quam ut mites, ut longanimes, ut misericordes forent. Tertullianum vero longe alio animo fuisse, nimis certo constat. Edd. *ex notis* de Gourcy.

CAP. XVII.—(e) *Et si quas recipit non recipit integras.* Non potuit elegantius adumbrari hæreticorum nostrorum protervia, qui Scripturam admittunt, et statim rejiciunt si quid eis obstet. Atque etiam explicationes suas addunt, ut in suos sensus detorqueant, nihilque aliud passim asserunt quam ægrorum somnia, aut somniorum interpretamenta. Le Pr.

(f) *Obstrepit adulter sensus*, etc. Hoc est perversa interpretatio. Adulterare hoc in significatu est corrumpere et καπηλεύειν λόγον τοῦ Θεοῦ. Sic B. Paulus, II ad Corinth. V. Le Pr.

(g) *Necessario nolunt agnoscere ea per quæ revincuntur.* Sic infra: *Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinæ.* Ric.

CAP. XVIII.—(h) *Hæc utique et ipsi habent.* Quod Catholici, inquit Quintinus, vere dicunt in hæreticos, scilicet, ipsos non intelligere, sed corrumpere Scripturas, idipsum Catholicis objiciunt hæretici. Quæ potest igitur disputationis cum talibus utilitas esse? cum (quod ab Hieronymo verissime dictum fuit in fine libri contra Luciferianos) hæretici quidem facile vinci possint, persuaderi non possint. Itaque disputans verba certe perdes, et auditoris animam fortasse, audiesque demum hæreticus. Res autem nova non est Christi

habent In nos retorquere. Necesse est enim et illos dicere a nobis potius adulteria Scripturarum et expositionum (1) mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem.

CAPUT XIX.

Illud itaque solum disputandum, quibus competat fides, cujus sint Scripturæ, a quo, per quos, et quibus sit tradita disciplina qua christiani fiunt.

Ergo non ad Scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ (2). Nam etsi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cujus sint Scripturæ? A quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina qua fiunt christiani? *(a)* Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum (3).

CAPUT XX.

Atqui a Christo unam ejusdem fidei doctrinam Apostolis traditam, qui eam nationibus promulgaverunt, et Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus cæteræ Ecclesiæ quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant; ita ut tot ac tantæ Ecclesiæ, una sit illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.

Christus Jesus Dominus noster permittat dicere interim, quisquis est, cujuscumque Dei Filius, cujuscumque materiæ homo et Deus, cujuscumque fidei præceptor, cujuscumque mercedis repromissor, quid esset, quid fuisset, quam Patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat, sive populo palam, sive discentibus seorsum; ex quibus duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus magistros *(b)*. Itaque, uno eorum decusso, reliquos undecim, digrediens (4) ad Patrem post resurrectionem, jussit ire et docere nationes, intinguendas (5) in Patrem et in Filium et in Spiritum Sanctum. Statim igitur Apostoli (quos hæc appellatio *missos* interpretatur), assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Judæ, ex auctoritate prophetiæ quæ est in psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium primo per Judæam *(c)* contestata fide in Jesum Christum et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, *(d)* a quibus traducem fidei et semina doctrinæ, cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiæ fiant: ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputantur (6), ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima (7), et apostolicæ, dum una omnes probant unitatem; dum est illis (8) communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et *(e)* contesseratio hospitalitatis: quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio *(f)*.

CAPUT XXI.

Hanc itaque dirigit alteram præscriptionem: non alios recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit; et proinde eam doctrinam recipiendam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis tam viva voce quam per Epistolas, Apostoli a Christo, Christus a

LECTIONES VARIANTES.

(1) Eorum *addit Seml.*
(2) Parum incèrta, *ex antiquæ script. vestigiis*, parum certa, *Seml. Pam.*
(3) Christianorum *Seml. Gourcy.*
(4) Regrediens *Semler. Pam.*
(5) Tingendas *Seml.* tinguendas *Pam.*
(6) Deputabuntur *Seml.*
(7) Primæ *Seml. Pam.*
(8) Dum est illis *delet Pam. Seml.*

COMMENTARIUS.

fidem et religionem ab adversariis hæresin vocari per ignominiam: quod Hieronymus attestatur, in cap. III, ad Tit. Pam.

CAP. XIX. — *(a) Ubi enim apparuerit esse veritatem.* Locus insignis pro Catholicis, quod apud eos sit veritas Scripturarum et expositionum, et omnium traditionum christianarum. Pam.

CAP. XX. — (b) *Destinatos nationib. magistros.* Nulla etenim terrarum orbis pars fuit, vel locorum spatio tam remota, vel morum feritate tam barbara, quo non gloriosissime pervaserit gloria Christi: qua de re satis egerunt Irenæus, Justinus, Clemens, Origenes. Huc pertinet quod Isaias admirabundus exclamavit, cap. LXVI: *Quis audivit talia*, etc., et Vates regius: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Lac.

(c) Primo per Judæam. Nemo refragatur Ecclesiam conditam prius Hierosolymis ex Judæis, unde apud profanos nullum fere discrimen Judæos inter et Christianos. Le Pr.

(d) A quibus traducem fidei. Qui de re rustica, inquit Quintinus, scripsere, *traduces* appellant in vitibus maxime, quando ramusculi plures ex uno trunco, vel uno vitis brachio diffunduntur, et in alium locum deducuntur invicem connexi: non videntur a propaginibus admodum differre. Per metaphoram elegantem sane, Tertullianus hic vocat traducem fidei, translationem fidei de una ecclesia in aliam. Ecclesiæ nempe mutuo, quasique per manus, apostolicam doctrinam sibi tradidere. Pam.

(e) *Et contesseratio hospitalitatis.* Eleganter a tessera novator vocabulorum Tertullianus verbum finxit *contesserare*, unde *contesseratio*. Id significat conjunctionem familiariorem, quæ per signum fiat. Nam tessera apud veteres erat signum hospitale, cujus ostensionem si quem obiisse contigisset, statim agnoscebatur. Rhen.

(f) *Ejusdem sacramenti una traditio.* Hoc est, ejusdem symboli, seu regulæ, ejusdem fidei. Rig.— Plurimum interest observare non eum hanc vocem in Tertulliano referre intellectum, qui exprimitur ab interpretibus; pro regula enim fidei, atque pro Christi mandatis, et omnibus christianæ religionis ritibus et disciplina, non autem pro juramento ponitur: itaque ait omnes ecclesias inter se communicare, et eodem jure uti, quia scilicet in ea fide durarunt, quæ ab Apostolis est tradita, quamque fideliter conservatam posteris tradiderunt. Albasp.

Deo suscepit; hoc itaque testimonium veritatis doctrinæ nostræ quod cum ecclesiis apostolicis communicemus.

Hinc igitur dirigimus præscriptionem: si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem (1) doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei. Superest ergo uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus. de Apostolorum traditione censeatur, et (2) hoc ipso, an cæteræ de mendacio veniant. Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli (3) doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis.

CAPUT XXII.

Apostolos autem (quidquid in contrarium soleat dicere diversa pars) omnia et scisse et tradidisse; quibus et omnes Scripturas edisserere Christus dignatus est, et Spiritum Sanctum misit, qui eos deduceret in omnem veritatem.

Sed quoniam tam (4) expedita probatio est, ut si statim proferatur, nihil jam sit retractandum; (*a*) ac si prolata non sit a nobis, locum interim demus diversæ parti, si quid putant ad infirmandam hanc præscriptionem movere se posse. Solent dicere, non omnia Apostolos scisse (*b*), eadem agitati dementia qua susum jusum (5) convertunt (*c*), omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse; in utroque Christum reprehensioni subjicientes (6), qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. Quis (7) igitur integræ mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habens (8) in comitatu, in discipulatu, in convictu; quibus obscura quæque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum (*d*), ædificandæ Ecclesiæ petram dictum (*Matth.*, XVI, 18, 19), claves regni cœlorum consecutum, et solvendi et alligandi in cœlis et in terris potestatem? Latuit et Joannem (*e*) aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem præmonstravit, quem loco suo filium Mariæ demandavit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, et Moysen et Heliam, et insuper de cœlo Patris vocem? non quasi cæteros reprobans, sed quoniam in tribus testibus stabit omne verbum (*Matth.*, XVIII, 16). Ignoraverunt itaque et illi, quibus post resurrectionem quoque in itinere omnes Scripturas edisserere dignatus est? Dixerat plane aliquando: *Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere* (*Jean*, XVI, 12, 13): tamen adjiciens: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem*, ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat; et utique implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus Sancti. (*f*) Quam Scripturam qui non reci-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Omnem vero, *pro* reliquam vero omnem, *Venet. Rig.*
(2) Ex hoc ipso *Pam. Seml.*
(3) Nulla *Pam. Seml.*
(4) Tum *Seml.*
(5) Rursus *pro* susum jusum *Seml. Pam.*
(6) Injicientes *Seml.*
(7) Qui *Venet.* quis enim *Pam. Seml.*
(8) Habitos *Seml. Pam.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXII.— (a) *Ac si prolata.* Id est, *perinde ac si prolata.* EDD.

(b) *Non omnia Apostolos scisse:* De Patribus hoc ipsum hæretici nostri temporis affirmant. Hyp. enim (in *Methodo*) *multa eos necessario ignorasse.* Wittacherus ait, eos *in multis insigniter errasse.* De Apostolis nemo, quod sciam, diserte asseveravit. Quin potius Catholicis id impingit Kimedon *(de verbo Dei)*, quo jure, viderit, sed tamen haud absimilia istæ larvæ, ut eum ait Bullengerus in decad. Germ. *Non habuisse Apostolos plenariam potestatem.* LAC.

(c) *Qua rursus convertunt.* In exemplari Agob. legitur, *Qua susum rursus.* Et confirmatur cod. Divionensi. Augustinus in Epist. Joannis, Tract. 8: *Quod susum, facias jusum; quod deorsum, facias sursum. Jusum vis facere Deum, et te susum? Præcipitaris, non elevaris, ille enim semper sursum est*, et Tract. 10: *Susum me honoras, jusum calcas.* Itaque hic legendum, *Eadem agitati dementia qua susum jusum convertunt.* RIG.

(d) *Latuit aliquid Petrum.* Simon Bar-jona dictus est a Domino Petrus, quod primus agnito Christo pronuntiavit: *Tu es Christus Filius Dei viventis.* Quæ vox professio fuit veræ fidei; unde Petrus meruit audire, sive petra super quam ædificaret Ecclesiam Christus: hic enim idem est Petrus et petra. RIG. *emendantibus* EDD.

(e) *Latuit et Joannem.* Hieronymus, præf. in Math.: «Ultimus Joannes Apostolus et Evangelista, quem Jesus amavit plurimum; qui supra pectus Domini recumbens, purissima doctrinarum fluenta potavit, et qui solus de cruce meruit audire: *Ecce mater tua.* RIG.

(f) *Quam Scripturam qui non recipiunt.* Manichæi, inquit Quintinus, prorsus eum Novi Testamenti librum, qui Actus Apostolorum inscribitur, non recipiebant. In suum nempe Archimanichæum, non in Apostolos Christi, asserebant venisse de cœlo Spiritum Sanctum veritatis doctorem, quem Dominus missurum se suis Apostolis promiserat; indeque mundo fuisse communicatum per illum suum Manem, qui sub Aureliano, veniens e Perside, primum cœpit insanire, hoc est, annis pene trecentis, certe an. plusquam ducentis sexaginta post illam stupendam, et admirandam missionem, de qua in cap. II dictorum Act. Apostolic. Dumque Scriptura manifesto coargue-

piunt, nec Spiritus Sancti esse possunt, qui necdum (1) Spiritum (2) possint agnoscere discentibus missum, sed nec Ecclesiam defendere, qui, quando et quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent. (*a*) Tanti est enim illis non habere probationes eorum quæ defendunt, (*b*) ne pariter admittantur traductiones eorum quæ mentiuntur.

CAPUT XXIII.

In Petro enim non reprehensam ignorantiam aliquam a Paulo, sed conversationem.

Proponunt ergo ad suggillandam ignorantiam aliquam Apostolorum, quod Petrus, et qui cum eo, reprehensi sint a Paulo. Adeo, inquiunt, aliquid eis defuit; ut ex hoc etiam illud struant, potuisse postea pleniorem scientiam supervenire, qualis obvenerit Paulo reprehendendi antecessores. Possumus et hic Acta Apostolorum repudiantibus dicere: prius est uti ostendatis quis iste Paulus, et quid ante Apostolum, et quomodo Apostolus: quatenus et alias ad quæstiones plurimum eo utuntur. Neque enim, si ipse se apostolum de persecutore profitetur, sufficit unicuique examinate (3) credenti; quando nec Dominus ipse de se testimonium dixerit. (*c*) Sed credant (4) sine Scripturis, ut credant adversus Scripturas; tamen doceant, ex eo quod allegant Petrum a Paulo reprehensum, aliam Evan elii formam a Paulo superductam, citra eam quam præmiserat Petrus et cæteri. Quin (5), demutatus in prædicatorem de persecutore, deducitur ad fratres a fratibus, ut unus ex fratribus, et ad illos ab illis qui ab Apostolis fidem induerant. Dehinc, sicut ipse enarrat, ascendit in Hierosolyma cognoscendi Petri caussa, ex officio et jure scilicet ejusdem fidei et prædicationis. Nam et illi non essent mirati de persecutore factum prædicatorem, si aliquid contrarium prædicaret; nec Dominum præterea magnificassent, quia adversarius ejusPaulus obvenerat. Itaque et dexteramei dederunt, signum concordiæ et convenientiæ; et inter se distributionem officii ordinaverunt, non separationem Evangelii; nec ut aliud alter, sed ut aliis alter prædicarent, Petrus in Circumcisionem, Paulus in Nationes (*d*). Cæterum, si (*e*) reprehensus est Petrus, quod cum convixisset ethnicis, postea se a convictu eorum se parabat personarum respectu; utique conversationis fuit vitium, non prædicationis. Non enim ex hoc alius Deus, quam Creator; et alius Christus, quam ex Maria, et alia spes quam resurrectio annuntiabatur.

CAPUT XXIV.

Idque reprehensionis usurpatum fuisse pro temporibus, personis, et caussis.

Non mihi tam bene est, imo non mihi tam male est, ut Apostolos committam. Sed quoniam perversissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, ut suspectam faciant doctrinam superiorem, respondebo quasi pro Petro: ipsum Paulum dixisse, factum se esse omnibus omnia, Judæis judæum, non judæis non judæum, ut omnes lucrificaret (6). Adeo pro temporibus et personis et caussis quædam reprehendebant, in quæ et ipsi æque pro temporibus et personis et caussis committebant: quemadmodum si et Petrus reprehenderet Paulum, quod prohibens circumcisionem, circumciderit ipse Timotheum. Viderint qui de Apostolis judicant. (*f*) Bene quod Petrus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritus Sancti esse possunt, qui necdum *desunt in Pamelio.*
(2) Sanctum *add. Pam. Seml.*
(3) Examinare *Venet.* Sufficit nil absque examine *Heuman.*
(4) Credent *al.* sane *pro* sine *Jun.*
(5) Atquin *Pam.* Atqui *Seml.*
(6) Lucrifaceret *Semler.*

COMMENTARIUS.

ret impudens istorum mendacium, negabant illud unquam scriptum fuisse, librumque damnabant. Augustinum lege, cap. 3. lib. *de Utilitate credendi contra Manichæos.* Montanus idem prius fecerat, imo se Paracletum nominabat. Ebion, Cerinthus, Marcion, et alii Tertulliano priores non recipiebant. PAM.

(a) *Tanti est enim illis*, etc. Explicanda verba quæ tam involuta sunt, ut eorum sententiam interpretes expiscati non sint. Ait igitur multa ab hæreticis doceri defendique, quæ tametsi veræ fidei consentanea sint, ad ea tamen stabilienda, Scripturæ auctoritate et præsidio eos uti nolle, ne scilicet ex iisdem Scripturæ locis aut libellis eorum mendacia convellantur, et in lucem exponantur: ita fieri ut libellum quo Acta Apostolorum continentur, maximo cum commodo recusent (illud enim *tanti* hoc istic significat), quia hoc uno Ecclesiæ origo et formatio, quam fatentur, demonstrari potest. Per traductiones enim cave depravationes intelligas cum Rhenano, sed traductio apud Tertullianum, id est illustratio, demonstratio, detectio. Nam apud eumdem *traducere* est in lucem exponere, aperire, detegere. ALBASP.

(b) *Ne pariter admittantur traductiones eorum quæ mentiuntur.* Hoc est ne pariter admittere cogantur, quod mendacia sua traducant in vulgus. RIG.

CAP. XXIII.—(c) *Sed credant sine Scripturis.* Qui non recipiunt Acta Apostolorum, credunt tamen Paulum de persecutore factum apostolum; quod, Actis repudiatis, nulla jam Scriptura authentica contestatum habent. Nam si fidem habere se dicant Paulo ita scribenti, non erit Paulus ipse sibi testis, quando nec Dominus ipse de se testimonium dixerit. Sed fidei sint adeo perversæ, et quædam sine Scripturis credant, ut alia credant adversus Scripturas: tamen doceant, ex eo quod allegant Petrum a Paulo reprehensum, aliam Evangelii formam a Paulo superductam, etc. RIG.

(d) *Petrus in Circumcisionem, Paulus in Nationes.* Sane apostolus Circumcisionis et alter ille Gentium ad utrumvis populum singulari modo missi erant, non ita tamen ut unus alterum finibus propriis excluderet. Beatus enim Petrus etiam universalis Ecclesiæ pastor et apostolus erat, beatusque Paulus omnibus omnia factus est, Judæis pariter et Gentibus, ut omnes Christo lucrifaceret. EDD. *ex op.* D. DE GOURCY.

(e) *Reprehensus est Petrus.* Romanæ sedis hostes reprehensionem illam B. Petri mirifice extollunt; inde enim confectum putant, Summum Pontificem reprehensioni esse vere obnoxium. Quod in rebus saltem fidei falsissimum. In iis enim illa χρησις Ecclesiæ errare nullo modo potest. Hoc vero in casu, error, si quis tamen fuit, de facto erat, non de fide. LE PR.

CAP. XXIV.—(f) *Bene quod Petrus Paulo et in mar-ty-*

Paulo et in martyrio adæquatur. Sed etsi (*a*) in tertium usque cœlum ereptus Paulus, et in paradisum delatus audiit quædam illic, non possunt videri fuisse quæ illum in aliam doctrinam instructiorem præstarent, cum ita fuerit conditio eorum, ut nulli hominum proderentur. Quod si ad alicujus conscientiam manavit nescio quid illud, et hoc se aliqua hæresis sequi affirmat, aut Paulus secreti prodiii reus est, aut et alius postea in paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui, quæ Paulo mutire non liquit.

CAPUT XXV.

Neque vero occultum aliquod evangelium prædicasse Apostolos.

Sed ut diximus, eadem dementia est, cum confitentur quidem, nihil Apostolos ignorasse, nec diversa inter se prædicasse; non tamen (1) omnia voluit illos omnibus revelasse: quædam enim (2) palam, et universis; quædam secreto, et paucis demandasse: quia et hoc verbo usus est Paulus ad Timotheum: *O Timothee, depositum custodi* (3). Et rursum: *Bonum depositum serva.* Quod hoc depositum est tacitum (4), ut alteri doctrinæ deputetur? An illius denuntiationis, de qua ait: *Hanc denuntiationem commendo apud te, fili* (5) *Timothee.* Item illius præcepti, de quo ait: *Denuntio tibi ante Deum, (b) qui vivificat* (6) *omnia, et Jesum Christum, qui testatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, custodias præceptum* (1 *Tim.*, VI, 13) Quod autem præceptum, et (7) quæ denuntiatio? Ex supra et infra scriptis intelligetur (8) non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrina (9), sed potius inculcari de non admittenda alia præter eam, quam audierat ab ipso, et, puto, palam (10). *Coram multis*, inquit, *testibus* (II Tim., II, 2). Quos multos testes si nolunt (11) Ecclesiam intelligi, nihil interest, quando nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur. Sed nec quia voluit illum *hæc fidelibus hominibus demandare, qui idonei sint et alios docere* (II Tim., II, 2) id quoque ad (12) argumentum occulti alicujus Evangelii interpretandum est. Nam cum dicit, *hæc*, de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat; de occultis autem, ut de absentibus apud conscientiam, non *hæc*, sed *illa* dixisset.

CAPUT XXVI.

Quanquam non passim, nec inconsiderate omnibus prædicaverint Apostoli.

Porro consequens erat, ut cui demandabat Evangelii administrationem, non passim, nec inconsiderate administrandam, adjiceret secundum dominicam vocem, ne *margaritam porcis, et sanctum canibus jactaret* (*Matth.*, VII, 6). Dominus palam edixit, sine ulla significatione alicujus tecti (13) sacramenti. Ipse præceperat, *si quid in tenebris et in abscondito audiret, in luce et in tectis prædicarent* (*Matth.*, X, 27). Ipse per similitudinem præfiguraverat, (*c*) ne unam *mnam*, id est unum verbum ejus, sine fructu *in abdito* (*Luc.*, XIX, 20) reservarent. Ipse docebat, *lucernam non sub modio* (14) *abstrudi* (15) *solere, sed in candelabrum constitui, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.*, V, 15). Hæc Apostoli, aut neglexerunt, aut minime intellexerunt (16), si non adimpleverunt abscondentes aliquid de lumine, id est, de Dei verbo et (17) Christi sacramento. Neminem quod scio verebantur, non Judæorum vim, non ethnicorum; quo magis utique in Ecclesia libere prædicabant, qui in synagogis et in locis publicis non tacebant. Imo neque Judæos convertere, neque ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis volebant ordine (18) exponerent: multo magis jam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsum demandarent. Quanquam, etsi quædam inter domesticos, ut ita dixerim, disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diversam et contrariam illi, quam Catholicæ (*d*) in medium proferebant; ut alium Deum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sed non *Pam. Seml.*
(2) Enim *delev. Semler.*
(3) Serva *Rigalt.*
(4) Tam tacitum *Fran. Paris.* tam idoneum *Seml.*
(5) Filiole *Semler.*
(6) Qui justificat *al.*
(7) Et *abest Fran. Paris.*
(8) Intellegerat *Seml.* intelligere erat *conjic. Rhenan.* intelligi erat *Jun.*
(9) Remotioris doctrinæ *Rhen.*
(10) Palam *delev. Seml. post Pam.*
(11) Volunt *Paris.* monet *Pam. Seml.*
(12) Ad *delev. Pam. Semler.*
(13) Taciti *Pam. Seml.*
(14) Modium *Rig. Venet.*
(15) Obstrui *Seml.* abstrui *Pam. Fran. Rhen. Jun.*
(16) *Illa pars*, aut minime intellexerunt, *in Rhen. edit. deficit.*
(17) De *Semler.*
(18) Ordinari *Seml.* ordinarie *Rhen.*

COMMENTARIUS.

rio adæquatur. Ne putes hæc directe proferri ab erudito viro; id enim quasi per concessionem dicere videtur, quod solus evincit contextus, quasi diceret: concedatur (quod tamen concedendum non est) Petrum et Paulum pares non fuisse, sive dispari extitisse sententia; tamen æquales omnino fuisse fatendum in martyrio, quod pro Christo fortiter passi sunt. LE PR.

(*a*) *In tertium usque cœlum ereptus Paulus.* Hoc etiam innotuerat Lucianico Triephonti. Nam haud dubie Paulum describit his verbis: ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐντύχοι ἀναβαλλόμενος, ἐπιβρίνων, εἰς τρίτον οὐρανὸν, ἁρπασθέντος. καὶ τὰ κάλλιστα ἐκμεμαθηκὼς, etc. RIG.

CAP. XXV. — (*b*) *Qui vivificat omnia.* Ex usu græco: ζωοποιοῦντος. Alii codices habent, *qui justificat*, veluti ac si haberetur δικαιοῦντος. LE PR.

CAP. XXVI. — (*c*) *Ne unam mnam.* Annotat hic Macereus mnam, sive minam, valuisse decem coronatos, quod ex Buddæo sumpsit. Plin. lib. XXI, c. 27, mna, inquit, quam nostri minam dicunt, pendet drachmas aticas centum. Videtur vero uterque evangelista, et Lucas, qui μνᾶν legit, et Matthæus, qui talentum, non pro certo aliquo genere nummorum intellexisse, sed in genere; cum talentum, eodem Buddæo teste, 60 mnas valuerit, quæ 60 coronatos valent. PAM. — Mna, ut legimus in notis ad versionem gallicam optimi viri de Gourcy, valuit tribus et nonaginta fere francis. EDD.

(*d*) *Diversam et contrariam illi, quam catholicæ in medium proferebant.* Ita scribitur in antiquis exemplaribus. Sed arbitror verius scribi adverbialiter,

in ecclesia dicerent, alium in hospitio; aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto; aliam spem resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos : cum ipsi obsecrarent (1) in Epistolis suis, ut *idipsum et unum loquerentur omnes, et non essent schismata et dissensiones in Ecclesia* (I *Cor.*, I, 10), quia sive Paulus, sive alii, eadem prædicarent. Alioquin meminerant : (*a*) *Sit sermo vester, est, est; non, non; quod amplius, hoc a malo est* (*Matth.*, V, 37); ne scilicet (2) Evangelium in diversitate tractarent.

CAPUT XXVII.

Unam etiam regulam fidei eos instituisse, tam ad ecclesias correptas postea emendatas, quam ad eas quas commendarunt.

(*b*) Si ergo incredibile est, vel ignorasse Apostolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidisse, videamus ne forte (3) Apostoli quidem simpliciter et plene (4), Ecclesiæ autem suo vitio aliter acceperint quam Apostoli proferebant. Omnia ista scrupulositatis incitamenta invenias prætendi ab hæreticis. Tenent correptas ab Apostolo Ecclesias : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?* et : *Tam bene* (5) *currebatis, quis vos impediit?* ipsumque principium : *Miror quod sic tam cito transferemini ab eo qui vos* (6) *vocavit in gratia, ad* A *aliud evangelium.* Item ad Corinthios scriptum, quod essent adhuc *carnales*, qui *lacte educarentur, nondum idonei ad pabulum;* qui *putarent se scire aliquid*, quando *nondum scirent quemadmodum scire oporteret.* Cum correptas ecclesias opponunt, credant emendatas. Sed et illas recognoscant, (*c*) de quarum fide et scientia et conversatione Apostolus gaudet, et Deo gratias agit : quæ tamen hodie cum illis correptis unius institutionis jura miscent.

CAPUT XXVIII.

Quod autem apud multos unum invenitur, non censeri erratum, sed traditum.

Age nunc, omnes erraverint; deceptus sit Apostolus de testimonio reddendo quibusdam (7); nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti *eam in veritatem deduceret* (*Joan.*, XIV, 26), ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset *doctor veritatis* (*Joan.*, XV, 26); neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam (8) ipse per Apostolos prædicabat : ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? (*d*) Nullus inter multos eventus unus est exitus : variasse debuerat error (9) doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum (10). Audeat ergo aliquis dicere illos errasse qui tradiderunt?

B

C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Observarent *Jun. Seml.*
(2) Scilicet *del. Semler.*
(3) Forte *deleo. Semler.*
(4) Plane *alii.*
(5) Item *Jun.*
(6) Suos *Venet. Rig.*
(7) Quibusdam *del. Rig. Venet.*
(8) Quod *Venet. Jun.*
(9) Ordinem *Rhen. Jun. Seml.*
(10) Sed traditum *suppr. Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

Catholice hoc est, in Ecclesia. Ait enim, Apostolos non aliam regulam domestice, sive in hospitio tradidisse, aliam catholice, sive in Ecclesia; neque aliam in secreto, aliam in aperto. Sic libro de Fuga, *Persecutionem catholice fieri, quum Ecclesia non ex parte, sed omnis et universim concutitur, vexatur.* Sic lib. II, adversus Marcionem; *Catholicam bonitatem, toto orbe diffusam.* Et lib. IV : *Catholicam Hierusalem*, pro universa Ecclesia christiana. Sic etiam profani scriptores catholica dixere, universalia, ut Plinius, catholica siderum errantium, et catholica fulgurum. Rig.

(*a*) *Sit sermo vester, Est, est, Non non.* Christi verba sunt, Matth. V, vetantis jurare, atque omni quidem modo, sive per cœlum, sive per terram, sive per caput. *Sit autem sermo vester*, inquit, *Est est, Non non.* Quæ verba etsi generaliter ad Judæorum turbam, non specialiter ad illos duodecim dicta sint; nihilominus tamen etiam discipulos, sive apostolos, iisdem verbis admonitos fuisse ait Septimius noster, ne scilicet Evangelium in diversitate tractarent. Sed quid ad Evangelii tractationem formula affirmandi; *Est, est*, aut negandi; *Non, non?* sane hoc sensisse videtur Septimius, Christum non simplicem affirmandi negandive formulam præscripsisse, verum hoc etiam significasse, omnium quidem Christianorum sermones, multo autem magis Apostolorum, præcipua veritatis sinceritate commendari, si nihil in se habeant quæsita subtilitate dubium, nihil in ancipitem defensionem retortum : Neque ille dicat : Est, ille, Non : sed omnes pariter, Est, est; Non, non. Neque vero permisceant unquam Est et Non; sed liquido dicant, Esse quod est, et non esse quod non est. Nam quod amplius est, quod præterea artificiose adtexitur, a malo esse, dolum esse, aut proximum dolo. Hoc sensu locus iste tractatur etiam lib. de Carne Christi, et adversus Praxean. Rig.

D

CAP. XXVII.—(b) *Si ergo incredibile est.* Attingit notam veræ et apostolicæ doctrinæ, quæ est antiquissima nota Ecclesiæ; ideo ait, *incredibile est ignorasse Apostolos*, quasi dicat : Illa est antiquissima doctrina, quam Apostoli scierunt; reliquæ novellæ sunt omnes et adulteræ, ut quas Apostoli ignorarunt; ideo infra, cap. 3 : *Tamen in eadem fide conspirantes*, etc. Quia videlicet doctrinam retinent, qui in eadem fide conspirant, quam Apostoli retinuerunt, quasi consanguinei sint Apostolis. Unde Sozomenus, lib. VII, laudat Theodosium, qui principes sectarum jussit conveniri, deinde petiit, an existimarent antiquos Patres, qui Ecclesiam rexerant, ante dissidium illud quod de religione ortum fuerat, recte consensisse, et vere sanctos et apostolicos fuisse : quod cum illi concessissent, subjunxit rationem, qua compesceret hæreticos, hanc scilicet : *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta; et si cum illis consenserit, retineatur; sin minus, abjiciatur.* Lac.

(c) *De quarum fide et scientia, et convers.* De fide quidem et dilectione, quam hic conversationem vocat, commendat Apostolus Romanos, Ephesios, Philippenses, suarum Epistolarum initio. De scientia vero peculiariter Romanos, ad quos ait cap. XV : *Quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia.* Pam.

CAP. XXVIII.—(d) *Nullus inter multos eventus unus est.* Casus in multos dispersus non uno eodemque modo ab omnibus excipitur. Rig.

CAPUT XXIX.

Hæreses potius errasse, quæ vera doctrina sunt posteriores.

(*a*) Quoquo modo sit erratum; tamdiu utique regnavit (1) error, quamdiu hæreses non erant (2). Aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas expectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur (3), tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata (4), tot virtutes, tot charismata (*b*) perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria (5) perperam functa, tot denique martyria in vacuum coronata (6). Aut si nec perperam, nec in vacuum (7), quale est ut ante res Dei currerent (8), quam cujus Dei notum esset; ante Christiani, quam Christus inventus, ante hæresis, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit; post rem similitudo succedit. Cæterum satis ineptum, ut prior in doctrina (9) hæresis habeatur; vel quoniam ipsa est quæ futuras hæreses et cavendas prænuntiavit (10). Ad ejus doctrinæ Ecclesiam scriptum est, imo ipsa doctrina ad Ecclesiam suam (11) scribit: *Etsi Angelus de cœlo aliter evangelizaverit citra quam nos, anathema sit* (*Gal.*, I, 8).

CAPUT XXX.

Marcionem enim et Valentinum, in catholicam primo doctrinam apud Ecclesiam romanensem sub episcopatu Eleutheri credidisse; donec ob inquietam curiositatem semel et iterum ejecti, novissime in perpetuum dissidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminarunt. Atque idem de aliis judicium, qui virtutibus et miraculis novos se apostolos esse probare nequeunt.

Ubi tunc Marcion, ponticus nauclerus, stoicæ studiosus? Ubi Valentinus platonicæ sectator? Nam constat illos, neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et (*c*) in catholicæ primo (12) doctrinam credidisse apud Ecclesiam romanensem, sub episcopatu (*d*) Eleutherii benedicti (*e*), donec (13) ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitabant (14) (*f*) semel et iterum ejecti (*g*), Marcion quidem cum ducentis sestertiis quæ Ecclesiæ intulerat, novissime in perpetuum discidium (15) relegati (16), venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum idem Marcion, pœnitentiam confessus (*h*) cum conditioni (17) datæ sibi occurrit (*i*), ita pacem recepturus, (*j*) si cæteros quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est. *Oportebat enim hæreses esse* (I *Cor.*, II, 19). Nec tamen ideo bonum hæreses, quia eas oportebat, quasi non et malum oportuerit esse. Nam et Dominum tradi oportebat; sed væ traditori (*Marc.*, XIV, 21)? ne quis (18) etiam hinc hæreses defendat (19). Si (20) et Apellis stemma retractandum est, tam non vetus et ipse quam Marcion institutor et præformator ejus: sed lapsus in fœminam (21) desertor (*k*) continentiæ

LECTIONES VARIANTES.

(1) Erravit *Jun. Seml.*
(2) Errant *Junius.*
(3) Perperam credebatur, *neglig. Seml.*
(4) Ministrata, *Semler unus contra omnes.*
(5) Mysteria, *Rig., ex lib. Agobardi.*
(6) Perperam et in vacuum (*omisso* coronata), *Semler.* perperam coronata *Pam. Rig.*
(7) Aut si nec perperam, nec in vacuum, *omis. Seml.* non perperam, *Venet. Gourcy.*
(8) Curent *Semler.*
(9) Prior illius doctrinæ *Jun.* | rior doctrina *Wouw. e vet. cod.*
(10) Prænuntiabat *Venet.*
(11) Suam *abest. Rig. Venet.*
(12) In catholicam pene *Seml.*
(13) Donec *abest Franeq.*
(14) Quam fratres quoque vitabant *Rig.*
(15) Dissidium *Wouw.*
(16) Relegatus *Seml. itemque* disseminavit.
(17) Conditione *subaud.* pœnitentiæ, *Seml.*
(18) Quid *Semler.*
(19) Defendant *Venet.*
(20) Si *Semler.*
(21) Fœmina, *id.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXIX.—(a) *Quoquo modo sit erratum.* Possum autem optima ratione idipsum nostri temporis aristarchis respondere, qui hactenus errasse Ecclesiam non verentur dicere: Si aliquos Lutheranos aut Calvinistas aut Anabaptistas, *liberanda veritas expectabat*, etc. Pam.

(b) *Tot virtutes, tot charismata.* Nulla hic de virtute aut charitate mentio, sed de potestate edendi miracula, et Spiritus Sancti donis. Albasp.

CAP. XXX.—(c) *In catholicæ primo doctrinam credidisse.* Hæc scriptura est codicis antiquissimi. Doctrinam catholicæ, nempe Ecclesiæ; doctrinam toto orbe christiano, id est, universa Ecclesia christiana receptam, catholicæ nomine ab hæreticorum doctrina distinctam. Etenim apud Christianos hæresis vocatur, quod est alicui libitum credere adversus conscientiam fidemve publicam, seu communem gentium christianarum sententiam. Albasp

(d) *Apud Ecclesiam romanensem sub episcopatu Eleutherii.* Sic habet vetus exemplar, et veterum auctorum, atque in primis istius scripta etiam cum hallucinationibus suis repræsentari interest, neque solet Septimius exactissime reddere quæ ab auctoribus sumit. Albasp.

(e) *Eleutherii benedicti.* Etiam dum viverent, benedicti vocabantur. De Pudic.: *Benedictus Papa concionaris.* Albasp

(f) *Quam fratres quoque vitabant.* Sic omnino est in exemplari, ut sit sensus, eorum curiositatem etiam plebi christianæ odiosam fuisse, ut jam communi fratrum voto pellerentur, cum ab episcopo sunt ejecti. Rig.

(g) *Semel et iterum ejecti.* Qui scilicet accepta pœnitentia perfide et inconstanter uterentur; cujusmodi aliquid significare videtur etiam Irenæus, ubi de Cerdone hæretico. Rig.

(h) *Pœnitentiam confessus.* Id est, cum publice testatus esset se pœnitere. Albasp.

(i) *Cum conditioni datæ sibi occurrit.* Cum in eo esset, ut datæ sibi conditioni satisfaceret. Cum aggreditur satisfacere conditioni. Rig.

(j) *Si cæteros quos perditioni.* Facilius in Ecclesiam hæretici quam cæteri peccatores revocabantur, verum hæresiarchæ non aliter pace donabantur, quam si cæteros quos corruperant Ecclesiæ reddere niterentur. D. Cypr. ep. ad Ant. de Troph. Euseb., lib. VI, cap. 35. Albasp.

(k) *Continentiæ Marcionensis.* Non quod continenter vixerit Marcio, profligatis enim erat moribus, sed quod nuptias prohiberet. Le Pr.

marcionensis, ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit; inde post annos (1) regressus non melior, nisi tantum qua jam non marcionites, in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenen, quam supra edidimus, postea vero immane prostibulum et ipsam, cujus energemate circumventus, quas (2) ab ea didicit *phaneroseis* scripsit. Adhuc in sæculo supersunt qui meminerint eorum, etiam proprii discentes et successores ipsorum, ne se (3) posteriores negare possint. Quanquam et *de operibus suis*, ut dixit Dominus, *revincuntur* (*Matth.*, VII, 16). Si enim Marcion Novum Testamentum a Vetere separavit, posterior est eo quod separavit; quia separare non posset, nisi quod unitum fuit. Unitum ergo ante quam separaretur, postea separatum, posteriorem ostendit separatorem. Item Valentinus, aliter exponens, et sine dubio emendans, hoc omnino quicquid emendat, ut mendosum retro, anterius fuisse demonstrat (4). Hos ut (5) insigniores et frequentiores adulteros veritatis nominamus. Cæterum et Nigidius nescio quis (6), et Hermogenes, et multi alii qui (7) adhuc ambulant pervertentes vias Dei (8), ostendant mihi ex qua auctoritate prodierunt. Si alium Deum prædicant, quomodo ejus Dei rebus et litteris et nominibus utuntur adversus quem prædicant? si eumdem, quomodo aliter? (*a*) Probent se novos apostolos esse: dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum: sic enim Apostolos solet facere (9), dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ et (10) ipse. (*b*) Volo igitur (11) et virtutes eorum proferri; nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum æmulantur: illi enim (*c*) de mortuis vivos faciebant (12), isti (*d*) de vivis mortuos faciunt.

CAPUT XXXI.

Id itaque esse verum et dominicum, quod prius sit traditum; falsum, quod posterius.

Sed ab excessu (*e*) revertar ad principalitatem veritatis (13), et posteritatem mendacitatis (14) disputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ *bonum semen frumenti* a Domino *seminatum* in primore constituit (15), *avenarum autem sterilis fœni* adulterium (16) *ab inimico diabolo* (*Matt.*, XIII, 37, 39) postea superducit. Proprie (17) enim doctrinarum distinctionem figurat, quia et alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit (18) ad defendendam sibi veritatem.

CAPUT XXXII.

Si interim quædam sint hæreses etiam inde ab ætate apostolica; præscribendum uti evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis aut apostolicis viris habent antecessorem, quemadmodum Smyrnæorum et Romanorum Ecclesiæ; quod cum probare non possint, in communicationem non recipiantur.

Cæterum, si quæ audent interserere se ætati apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, ita (*f*) per successiones ab initio decurrentem (19), ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit (20), habuerit auctorem et antecessorem. (*g*) Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ (*h*) cen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliquos, *add. Wouw.*
(2) Quæ *Seml.*
(3) Se *delet idem.*
(4) Alterius fuisse demonstret *Seml.*
(5) Utique *Seml.*
(6) Qui *Fran. Seml.*
(7) Qui, *del. Seml.*
(8) Cupis, *inserit Semler.*
(9) Sic enim apostolus descripsit. Solet facere, daret præterea virtutem eodem signa edendi, quæ et ipse; *hæc fert in hoc loco Agobardi liber juxta Rigaltium.*
(10) Ipsi *Seml.*
(11) Et *del. Seml.*
(12) Suscitabant *Seml.*
(13) Veritati *Franeq.*
(14) Mendacitati deputandam, *Seml.*
(15) Primo constituit, *Paris. Fran.* in primo reconstituit, *Semler.*
(16) Adulterum *Venet.*
(17) Pro parte *Seml.*
(18) Et conscientia concedit *Seml.* constantiæ conscientia concedit *Jun.*
(19) Decurrente *Seml.*
(20) Perseveraverint *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Probent se novos apostolos esse, dicant Christum iterum descendisse.* Optatus lib. III: *At numquid est alter redemptor? Qui prophetæ nuntiaverunt alterum esse venturum? Quis Gabriel iterum ad alteram Mariam locutus est? Quæ virgo iterum peperit? Quis virtutes novas aut alteras fecit?* Rig.

(b) *Volo igitur et virtutes eorum proferri.* Virtutes, hoc est, miracula. Fdd.

(c) *De mortuis vivos faciebant, isti de vivis*, etc. Id Calvino contigisse Genevæ testatur in ejus Vita Bolsecus, ut scilicet de vivo mortuum redderet. Illud enarrat multis Bellarminus, de Notis Eccl. cap. 14, lib. IV, controv. t. II. Le Pr.

(d) *De vivis mortuos faciunt.* Fidelium infirmiores evertunt. Sic lib. de Scorpiace: *Atque ita semel infirmitas quæ percussa est, sauciatam fidem vel in hæresim, vel in sæculum exspirat.* Rig.

CAP. XXXI. —(e) *Revertar ad principalitatem veritatis, et posteritatem mendacitatis.* Principalitatem dicit, quod statim a principio fuit; posteritatem, quod postea subrepsit. Rig.

CAP. XXXII. — (f) *Per successiones.* Nihil clarius in tota veterum doctrina, successione rom. pontificum; cujus rei rationem disces a S. Epiphanio, hær. 27, quæst. Carpocratianorum. Le Pr.

(g) *Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt.* Census suos, hoc est, origines suas. Sic lib. I adversus Marcionem, apostolici census Ecclesiam dixit; et libro de Monogamia, *Census noster transfertur in Christum.* Rig.

(h) *Census suos deferunt.* Interpretes hic per census, auctoritatem atque dignitatem intelligendam esse censent; ego vero originem significari, ut ex variis locis et hisce verbis, *omne genus ad originem suam censea-*

sus suos deferunt : (*a*) sicut Smyrnæorum Ecclesia (1) Polycarpum ab Joanne conlocatum refert : (*b*) sicut Romanorum, (*c*) Clementem a Petro ordinatum edit (2) ; proinde (3) utique et cæteræ exhibent quos ab Apostolis (4) in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant (5). Conflugant tale aliquid Hæretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata, ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit, neque apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici ; quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis didicerunt (6) aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur (7) ab illis ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel apostolicis, auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur ; tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicæ deputantur, (*d*) pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad utramque formam nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaqua putant apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec probare possunt quod non sunt, nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet (*e*) ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicæ.

CAPUT XXXIII.

Quid quod jam tum ab Apostolis et demonstratæ et ejeratæ fuerint, ex quibus et reliquas hæreses omnes sua semina sumpsisse.

Adhibeo super hæc ipsarum doctrinarum recognitionem, quæ tunc sub Apostolis fuerunt, ab iisdem Apostolis et demonstratæ et (8) dejeratæ. Nam et sic facilius traducentur, dum, aut jam tunc fuisse deprehendentur, aut ex illis quæ jam tunc fuerunt, semina sumpsisse. Paulus, in prima ad Corinthios (XV, 12), notat negatores et dubitatores resurrectionis. Hæc opinio propria (9) Sadducæorum ; partem ejus usurpat Marcion, et Apelles, et Valentinus, et si qui alii resurrectionem carnis infringunt. Et ad Galatas scribens (V, 2), invehitur in observatores et defensores circumcisionis et legis : Hebionis hæresis (10) est. Timotheum instruens (I Tim., IV, 3.), nuptiarum quoque interdictores suggillat : ita instituunt Marcion et Apelles ejus secutor. Æque tangit eos, qui dicerent *factam jam resurrectionem* (II Tim. II, 3) : id de se (11) Valentiniani asseverant. Sed et cum *genealogias indeterminatas* nominat (I Tim. I, 4), Valentinus agnoscitur ; apud quem Æon ille nescio qui novi, et non unius nominis, generat e sua Charite (12) Sensum et Veritatem ; et hi æque procreant duos, Sermonem et Vitam ; dehinc et isti generant Hominem et Ecclesiam : estque hæc prima ogdoas (13) æonum. Exinde decem alii, et duodecim reliqui æones miris nominibus oriuntur, in meram (14) fabulam triginta æonum. Idem apostolus, cum improbat elementis servientes, aliquid Hermogenis (15) ostendit, qui, materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, et ita matrem elementorum deam faciens, potest ei servire quam Deo comparat. Joannes vero, in Apocalypsi, *idolothyta edentes et stupra committentes* jubet (16) castigare : sunt et nunc alii nicolaitæ, Caiana (17) hæresis dicitur. At in epistola eos maxime antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, et qui non putarent Jesum esse Filium Dei : illud Marcion, hoc Hebion vindicavit. Simonianæ autem magiæ disciplina, angelis serviens, utique et ipsa inter idololatrias deputabatur, et a Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.

CAPUT XXXIV.

Atque adeo cum habeant cum illis consortium suæ præ-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habens, *add. Frân. Paris.*
(2) Ibidem *Venet.* id et *Seml.*
(3) Perinde *Venet.*
(4) Apostoli *Seml.*
(5) Habent *Latin. Jun.*
(6) Desciverunt et *Seml. Gourcy.*
(7) Provocabuntur *Seml.*
(8) Ejeratæ *Frân.*
(9) Prima *Semler. Pam.*
(10) Sic, *add. Semler.*
(11) Sic se *Semler.*
(12) Et sua charitate *Semler.*
(13) Prima hæc ideo decas *Seml.* prima ogdoade *Paris. Frân.* de qua prima hanc est ogdoas, *adhuc Seml.*
(14) Miram, *alii.*
(15) Aliquem Hermogenem *Seml.*
(16) Jubetur *Paris. Venet. Frân. Big.*
(17) Gaiana *Semler.*

COMMENTARIUS.

tur, licet colligere. *Adv. Marc.*, lib. IV, c. 5 : *Quarum si censum requiras.* ALBASP.

(a) *Sicut Smyrnæorum*, etc. Irenæus lib. III Polycarpum ab Apostolis in ea quæ est Smyrnæorum ecclesia constitutum fuisse tradit. RIG.

(b) *Sicut Romanorum Clementem.* Hieronymus Catal. script. eccles. : *Clemens quartus post Petrum Romæ episcopus. Siquidem secundus Linus fuit, et tertius Cletus : tametsi plerique latinorum secundum post Petrum apostolum putent fuisse Clementem.* Irenæus sic tradiderat, beatos Apostolos Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ commendasse ; successisse autem Lino Anacletum, post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum Clementi delatum. RIG.

(c) *Clementem a Petro ordinatum.* Quasi etiam vivente Petro episcopatum Romæ gesserit Clemens, et Apostolis apostolatu suo fungentibus, viri apostolici passim in varios episcopatus fuerint tributi. Et tamen post passionem Domini statim Jacobum apostolum fratrem Domini ab ipsis Apostolis Hierosolymorum episcopum fuisse constitutum legimus, Petro jam apostolatum principaliter exercente. Hoc vero sic evenisse ait Chrysostomus, propterea quod Petrum Christus ordinasset διάκονον τῆς οἰκουμένης (hom. in Joan., cap. XXI). Hic Tertulliani locus aperte indicat non esse Tertulliani versus, unde nonnulli successiones episcoporum romanorum constitui certo posse arbitrantur. RIG.

(d) *Pro consanguinitate doctrinæ.* Consanguineæ sunt doctrinæ quæ ab uno eodemque auctore sunt traditæ, quasi ab uno parente. Sic ipse, lib. I de Cultu Fœm., *consanguineas materias* dixit. Sic Chalcidius, *domesticas et consanguineas rationes.* RIG.

(e) *Ob diversitatem sacramenti.* Similiter ab inter-

dicationis, habere etiam damnationis consortium, maxime cum ab Apostolis prænuntiatæ fuerint.

Hæc sunt, ut arbitror, genera doctrinarum adulterinarum, quæ sub Apostolis fuisse ab ipsis Apostolis discimus; et tamen nullam invenimus institutionem, inter tot diversitates (1) perversitatum, quæ de Deo creatore universorum controversiam moverit. (*a*) Nemo alterum Deum ausus est suspicari. Facilius de Filio quam de Patre hæsitabatur, donec Marcion præter Creatorem alium Deum solius bonitatis induceret; Apelles creatorem angelorum (2) nescio quem gloriosum superioris Dei, faceret Deum legis et Israelis, illum ignem affirmans; Valentinus æonas suos spargeret, et unius æonis vitium in originem deduceret Dei creatoris. His solis, et his primis revelata est veritas Divinitatis, majorem scilicet dignationem et pleniorem gratiam a diabolo consecutis, qui Deum sic quoque voluerit æmulari, ut de doctrinis venenorum, quod Dominus negavit, ipse faceret discipulos super magistrum. Eligant igitur sibi tempora universæ hæreses, quæ quando fuerint, dummodo (3) intersit quæ quando, dum (4) de veritate non sint. Utique quæ ab Apostolis nominatæ non (5) fuerunt, sub Apostolis (6) fuisse non possunt: si enim fuissent, nominarentur et ipsæ, ut et ipsæ coercendæ. Quæ vero sub Apostolis fuerunt, in sua nominatione damnantur (7). Sive ergo eædem nunc (*b*) sunt aliquanto expolitiores, quæ sub Apostolis rudes, habent suam exinde damnationem; sive aliæ quidem fuerunt, aliæ autem postea obortæ (8), quidam ex illis (9) usurpaverunt, (*c*) habendo cum eis consortium prædicationis, habeant necesse est etiam consortium damnationis; præcedente illo fine (10) supradicto posteritatis, quo, etsi nihil de damnatitiis participarent (11), de ætate sola præjudicarentur; tanto magis adulteræ, quanto nec ab (12) Apostolis nominatæ. Unde firmius constat, has esse, quæ adhuc tunc nuntiabantur futuræ.

CAPUT XXXV.

Nullam autem e contrario dictarum præscriptionum competere adversus nostram disciplinam.

His definitionibus provocatæ a nobis et revictæ hæreses omnes, sive quæ (13) posteræ, sive quæ coætaneæ Apostolorum, dummodo diversæ; sive generaliter, sive specialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ; audeant respondere et ipsæ aliquas ejusmodi præscriptiones adversus nostram disciplinam. Si enim negant veritatem ejus, debent probare illam quoque hæresin esse (14), eadem forma revictam, qua ipsæ revincuntur; et ostendere simul ubinam quærenda sit veritas, quam apud illas non esse jam constat. Posterior nostra res non est, imo omnibus prior est: hoc erit testimonium veritatis, ubique occupantis principatum. (15) Ab Apostolis utique non damnatur, imo defenditur: hoc erit indicium proprietatis. Quam enim non damnant (16), qui (17) extraneam quamque damnaverunt (18), suam ostendunt, ideoque et defendunt.

CAPUT XXXVI.

Percurrenti enim Ecclesias apostolicas, apud quas adhuc ipsæ cathedræ apostolorum suis locis præsidentur, et inter eas Romanam, unde nobis quoque auctoritas præsto est (ubi Petrus et Paulus coronati) constabit eamdem ab Apostolis suam potasse fi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ut diversitates *Seml.*
(2) Angelum *Semler.*
(3) Dum non *Rhen.* tum non *Jun.* non *Wouw.*
(4) Dum *abest Rhen.*
(5) Sub apostolis non *Rhen.*
(6) Eas dicere *add. Fran.* sub Apostolis *desunt Rhen.*
(7) Dignantur *Rhen.*
(8) *Add.* sunt et *Fran. Paris.*
(9) Quasdam ex illis *Rhen.*
(10) Fune *Jun.*
(11) Participarentur *Rhenan.*
(12) Ab *deest Paris.*
(13) Qua *Rhen.*
(14) Esse *deest Rhen.*
(15) *Præfigitur* quod *Fran. Paris.*
(16) Enim damnant *Seml.*
(17) Quasi *Wouwer.*
(18) Extranea quamque non damnaverunt *Fran. Paris.*

COMMENTARIUS.

pretum sententia recedam, cum aiunt per sacramentum intelligi juramentum, quod fideles, paulo antequam lavarentur, in limine Ecclesiæ dicerent. Nam sacramentum sexcentis pene locis pro fide ac religione christiana accipitur. ALBASP.

CAP. XXXIV.— (a) *Nemo alterum Deum*, etc. Hæreticorum provectum, inquit Quintinus, sive progressum vides, de quibus illud e philosophica schola dicitur quam verissime: Parvus error in principio, maximus est in fine. Bis in synodo Gangrensi declarare conabamur, vulpes istas invicem caudis colligari, scilicet, unius alicujus hæreseos reum, paulatim fieri reum cæterarum, totumque demum comburi; sunt enim concatenatæ. PAM.

(b) *Sunt aliquando expolitiores. Audis*, inquit Quintinus, *hæreses rudes primum, deinde factas expolitiores.* Ab annis quadraginta sic etiam novari cœperunt hæreses, ut quanto quis in græcitate et latinitate nescio qua peritior extiterit hæreticus, tanto plausibilior atque receptior fuerit: pure, et torse, et munde loquitur. Inde sectatores istius eloquentiæ colligunt. Ergo pura, tersa, munda est hæresis. Admodum reprehensibile est graves etiam theologos istis facundiæ humanæ verbis, et elegantiolis efferri. Num bona sit dictio, quæruut. Atqui meminisse nos oportet, quod nulla est in aliquo christiano bona dictio, quæ pariter non sit in Christo Jesu benedictio. Bonas istas dictiones, et rhetoricationes relinquamus Cresconiis grammaticis, ut fecit Augustinus. Sacra sincere tractantibus non conveniunt, ut neque matronæ cerussa, neque bovi ceroma. PAM.

(c) *Habendo cum eis consortium.* Gelasius primus, inquit idem Quintinus, afer, etiam simile cum Tertulliano scribit, inquiens: Quicumque in hæresim semel damnatam labitur, ejus damnatione scipsum involvit, 24, q. 1 c. 1. Eodem pertinent definitiones concilii Chalcedonensis et aliorum, ubi expresse cavetur, de semel definitis amplius dubitare non licere, sed cum illis quorum sectantur hæresin esse condemnandos, et *participationem*, uti loquitur auctor, *cum damnatitiis hæresibus*, id est, uti interpretatur Quintinus, jam damnatis, ut fictitium, quod fictum est, donatitium, dedititicium, conductitium. PAM.

dem, per quam aqua signat, Spiritus Sanctus vestit, Eucharistia pascit.

Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, (*a*) percurre Ecclesias apostolicas, apud quas (*b*) ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident (1); apud quas (*c*) ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem et (*d*) repræsentantes faciem uniuscujusque (2). Proxima (3) est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses (4). Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces (5), habes Romam (6), (*e*) unde nobis quoque auctoritas præsto est (7). Ista quam felix (8) Ecclesia! (*f*) cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; (*g*) ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis (*h*) exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes, posteaquam, in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur; videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit (9). Unum Deum novit, creatorem universitatis, et Christum Jesum ex virgine Maria Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem; Legem et Prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, et inde potat (10) fidem; eam (11) (*i*) aqua signat, (*j*) Sancto Spiritu vestit, eucharistia pascit, ad martyrium (12) exhortatur, et ita adversus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio, non dico jam quæ futuras hæreses prænuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa (13), ex quo factæ sunt adversus illam. Etiam de olivæ nucleo mitis et optimæ (14) et necessariæ (15) asper oleaster oritur; (*k*) etiam de papavere ficus gratissimæ et suavissimæ ventosa et vana caprificus exsurgit (16). Ita et hæreses de nostro frutice, non nostro genere; veritatis grano, sed mendacio sylvestres (17).

CAPUT XXXVII.

Cum igitur iis veritas adjudicetur quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis accepit; constare propositum suum non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, cum christiani non sint, et proinde exhæredati a possessione christianarum litterarum.

Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit (18), constat ratio propositi nostri, definientis non es-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præsidentur *Rhen.*
(2) Et... uniuscujusque *delev. Seml. post Rhen.*
(3) Proxime *Franeq.*
(4) Habes Thessalonicenses *delev. Seml. post Rhen.*
(5) Adjiceris *Rhen.*
(6) Romanam *Rhen.*
(7) Statuta *add. Rhen.* ista quam *desunt apud eumd.*
(8) Statu felix *Fran.* statu tam felix *Seml.*
(9) Contestatur *Rhen.* contesseratur *Pithœus.*
(10) Importat *Wouw.* plantat *Seml.* portat *Rhen.*
(11) Fidem eam *Paris. Fran.* eam *negl. Rhen.*
(12) Martyrio *Fran. Paris. Pam.* martyrium *Rig. Venet. Rhen. Seml.*
(13) Non omnes ex illa *Rhen.*
(14) Opimæ *Rhen.*
(15) Suavissimæ *Rhen.*
(16) Suavissimæ, ventosa et vana caprificus exsurgit *Rhen. nec amplius aliud.*
(17) De nostro fructificaverunt, non nostræ: degeneres varietatis grano, et mendacio sylvestres *Rhen.* degeneres vanitatis grano *Jun.*
(18) Accepit *Pam.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXVI. — (a) *Percurre Ecclesias apostolicas.* Hoc etiam præcipit Augustinus (*lib.* II *de Doctrina christ.* 8): *In canonicis*, inquit, *Scripturis Ecclesiarum catholicarum quamplurium auctoritatem sequamur; inter quas sane illæ sunt, quæ apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt.* Rig.

(b) *Ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident.* Et est sane venerationis argumentum, ipsas adhuc cathedras Apostolorum suis locis in memoriam et honorem Apostolorum præsedisse, successoribus infra sedentibus. Sed verius, mea quidem sententia, fuerit, cathedras Apostolorum dici principales ecclesias, ab ipsis videlicet Apostolis constitutas, quæ adhuc ætate Tertulliani suis locis præsidebant, tanquam aliarum matrices; qualis in Achaia Corinthus; in Macedonia Philippi, Thessalonica; in Asia, Ephesus: in Italia, Roma. Rig.

(c) *Ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur.* Lingua scilicet eadem qua fuerant ab Apostolis conscriptæ, sonantes vocem uniuscujusque. Sic ipse, lib. de Monog., ad græcum authenticum Pauli provocat. Rig.

(d) *Repræsentantes faciem uniuscujusque.* Quantum scilicet imaginari fas est cogitantibus. Rig.

(e) *Unde nobis auctoritas præsto est.* Sic lib. IV ad Marcionem: *Quid etiam Romani de proximo sonent.* Rig. — *Unde nobis quoque auctoritas.* Convinceret hic locus hæreticos, qui universalem Pontifici rom. auctoritatem adimunt, ut intra præfecti urbici jurisdictionem quæ intra C. L. claudebatur, adstringant. Dicam hac de re alio loco: moneo tantum infinitis in locis a SS. Patribus dictum, B. Petrum ordinatum fuisse τῆς οἰκουμένης διδάσκαλον; ita Chrysost., hom. in cap. XXI Joan. Deinde synodus Chalcedon., act. 16: ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἴσχε τὰ πρωτεῖα. *Ecclesia romana primas semper tenuit.* Le Pr.

(f) *Cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Totam doctrinam dicit, summam totius doctrinæ christianæ, quam in martyrio pro Christi nomine fortiter obeundo consistere toties prædicat, ut videlicet animam illi tam bene merenti nostram reponamus, qui suam pro nobis, non immerentibus tantum, verum et male meritis posuit ac prodegit. Le Pr.

(g) *Ubi Petrus passionis Dominicæ.* Hæc sane Petrum Romam vidisse testantur, ut Paulum et Joannem, quorum hic etiam fit mentio. Omnes autem invicem adæquantur martyrii constantia. Tertull. hoc libro de Præscrip. hær.: *Bene quod Petrus Paulo et in martyrio adæquatur.* Irenæus (*lib.* III, *cap.* 1) Petrum et Paulum Romæ evangelizasse et fundasse Ecclesiam asserit; et cap. 3, magnificum Ecclesiæ rom. adscribit elogium: *maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ.* Le Pr.

(h) *Joannis.* Scilicet, Baptistæ, capite abscisso. Semler.

(i) *Aqua signat.* Baptismo, fidei signaculo. Le Pr.

(j) *Sancto Spiritu vestit.* Ipse, libro de Monog.: *Nos autem Jesus summus sacerdos et magnus Patris de suo vestiens (quia qui in Christo tinguntur, Christum induerunt) sacerdotes Deo Patri suo fecit;* et lib. de Baptismo: *Obsignatio baptismi, vestimentum fidei.* Le Pr.

(k) *Et jam de papavere ficus.* Ficus pomum dicere, etiam in senatu Cato non dubitavit. Postea tamen

se admittendos hæreticos ad ineundam (1) de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, christiani esse non possunt; non a Christo habendo quod de sua electione sectati hæreticorum nomine (2) admittunt. Ita non christiani, nullum jus capiunt christianarum litterarum. Ad quos merito dicendum est: Qui estis? quando, et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, jure sylvam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves (3)? Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio; olim possideo (4): habeo origines firmas, ab ipsis (5) auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt (6), sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exhæredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei et inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos, aut protulit, aut recepit?

CAPUT XXXVIII.

Maxime cum illis non possit succedere corruptela doctrinæ sine corruptela instrumentorum, usurpata in Scripturis detractione, vel adjectione, vel transmutatione, et interpolatione, qua alius manu Scripturas, alius sensus expositione intervertit.

Illic igitur et Scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinæ invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit (7) aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Alius enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quæ docerent (8). Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ sine corruptela instrumentorum (9) ejus; ita et nobis (10) integritas doctrinæ non competisset sine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei quod esset (11) in Scripturis deprehensum, detractione, vel adjectione, vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt (12) Scripturæ ab initio suo; ex illis sumus, antequam aliter fuit (13), antequam a vobis interpolarentur. Cum autem omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens utique ex caussa æmulationis, quæ neque prior, neque domestica unquam est ejus quod æmulatur, tam incredibile est sapienti cuique, ut nos adulterum stylum intulisse videamur Scripturis, qui sumus et primi et ex ipsis (14), quam illos non intulisse, qui sunt et posteri et adversi. Alius manu Scripturas, alius sensus expositione intervertit. Neque enim si Valentinus (*a*) integro instrumento uti videtur, non callidiore ingenio, quam Marcion, manus intulit veritati (15). Marcion enim exerte et palam (*b*) machæra, non stylo usus est; quoniam (*c*) ad materiam suam cædem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit; quoniam non ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit: et tamen plus abstulit, et plus adjecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, et adjiciens dispositiones non comparentium rerum.

CAPUT XXXIX.

In eo comparandi illis qui Virgiliocentonas et Homerocentonas composuisse leguntur.

Hæc sunt (16) ingenia de spiritalibus nequitiæ, cum quibus luctatio est nobis, fratres, merito contemplanda, fidei (17) necessaria, ut electi manifestentur, ut reprobi deteganter. Et ideo habent vim, et (18) excogitandis instruendisque erroribus facilitatem (19), non adeo mirandam, quasi difficilem et inexplicabilem, cum de sæcularibus quoque scripturis exemplum præsto sit ejusmodi facilitatis. Vides hodie (20)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ad eamdem *Paris.* adeundam *Rhen.*
(2) Nomina *Rig.* nomen *Jun.*
(3) Mea est possessio, *add. Rig. Fran. Paris. Venet.*
(4) Prior possideo, *add. in iisdem.*
(5) Et ipsis *Rhen.*
(6) Fideicommiserunt, *una voce mavult Jun. ex jureconsult. usu.*
(7) Instituit *Rhen.*
(8) Hæresin, *add. Fran. Paris.*
(9) Sine corruptela instrumentorum *non leg. in Rhen. edit.*
(10) Et a nobis *add. Rig. Venet.*
(11) Ei et in Scripturis *Rhen.*
(12) Hæc sunt. Inde scriptura *Rhen.* hoc sunt. Unde scripturæ; *Jun.* hoc sunt Scripturæ jam inde ab initio suo, ex illis *Wouw.*
(13) Antequam nihil aliter fuit *Rhen.* antiquum nihil aliter fuit *Jun.*
(14) Sumus a principio et primi, quam *Rig. Venet.*
(15) Manus intulit veritati *non leg. in Rhen. edit.*
(16) Erant *Rig. Venet.*
(17) Contemplandæ fidei *Rhen.*
(18) In *add. Rig. Venet.*
(19) Felicitatem, *Rig. Venet.*
(20) Quo jus hodie *Rhen.* vis hodie *Fran. Par.* qui vis hodie *Jun.* cujus hodie *antiq. manus.*

COMMENTARIUS.

inter auctores juris hæsitatum fuit, an pomorum appellatione venirent ficus. Grossos dici et litteris quidem sacris, minime ignoravit Septimius; sed Plinianæ descriptionis historiæ nonnihil a fructu differentes. Itaque maluit usurpare nomen papaveris, cui sane et forma et colore, et seminalibus granis, et facie persimilis est nondum matura ficus. RIGALTIUS.

CAP. XXXVIII. — (a) *Neque enim si Valentinus.* Diversæ sunt, inquit Quintinus, istorum duorum hæresiarcharum sententiæ circa biblicas et sanctas Scripturas admittendas. Marcion de Veteri Testamento nihil recipiebat, et de Novo quædam decerpserat, ac in duos libros descripserat, ex Evangelio Lucæ, rejectis aliis, et ex aliquibus epistolis Pauli apostoli, resecans ex ipsis quidquid suæ non conveniebat. Hoc est omnia sine dubio negare. PAM.

(b) *Machæra non stylo usus est.* Machæra, cultrum Græcis significat. Nam de instrumento sacro, Acta Apostolorum, Apocalypsin, Evangelii Lucæ partem, et partem Paulinarum Epistolarum resecavit. RHEN.

(c) *Ad materiam suam cædem Scripturarum confecit.* Convenientius quidquam dici non potuit adversus recentiores hæreticos, quam hæc in Marcionem; cædem enim Scripturarum in illis videas, sed variam atque pro libitu oscitantis aut imperiti homuncionis discrepantem. Quamvis enim Ecclesia totics canoni-

ex Virgilio (*a*) fabulam in totum aliam componi (1), materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. (*b*) Denique Osidius (2) Geta Medeam tragœdiam (*c*) ex Virgilio pleni sime exsuxit (3). Mens quidem propinquus ex eodem poeta inter cætera styli sui otia (*d*) Pinacem Cebetis explicuit. (*e*) Homerocentones etiam vocari solent, qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus. Et utique fœcundior divina litteratura ad facultatem cujuscumque (4) materiæ. Nec periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut hæreticis materias subministrarent, cum legam *oportere hæreses esse*, quæ sine Scripturis esse non possunt.

A

CAPUT XL.

Fieri hæc autem eodem diaboli instinctu, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis æmulatur; exempli gratia, qui quosdam tinguit, expiationem delictorum de lavacro repromittit, signat in frontibus, celebrat et panis oblationem.

Sequetur (5), a quo intellectus intervertatur (6) eorum quæ ad hæreses faciant? A diabolo scilicet, cujus sunt partes (7) interverlendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, (8) idolorum mysteriis æmulatur. Tingit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos; (*f*) expositionem (9) delictorum de lavacro repromittit; et si adhuc (10) memini (11), (*g*) Mithra (12)(*h*) signat illic in

LECTIONES VARIANTES.

B

(1) Componit *Jun.*
(2) Ovidius Geta *Fran.* Osidius Geta *Paris.* Ovidius ita *Jun.* Hosidius Geta *Rig. Venet.*
(3) Expressit *Rhen.*
(4) Cujusque *Rig. Venet.*
(5) Sed quæritur *Rhen.*
(6) Interpretetur *Rig. Venet.*
(7) Pares *Rhen.*
(8) In *præfig. Rhen. Pam.*
(9) Expiationem *Rhen. Pam.*
(10) Sic adhuc *Fran. Paris.*
(11) Memini *deest Fran. Paris.*
(12) Mithræ, *Rhen. Fran. Paris.*

COMMENTARIUS.

eos libros numeraverit, ii tamen omnino surdi fiunt. Imo Calvinus (*lib.* I *Instit. cap.* 7, § 1, 2, 4) scribit Ecclesiæ non esse judicare qui libri divinæ sint auctoritatis; sed hoc pertinere ad arcanum spiritus testimonium. Impias voces! Le Pr.

CAP. XXXIX. — (a) *Fabulam in totum.* Est figura græca, cum dicit, totum aliam, id est, secundum totum, vel in toto aliam. Rhen.

(b) *Denique Hosidius Geta.* Liber Agobardi, *Vosidius*: Ursini, *Osidius.* Apud Dionem scribitur Γναῖος ὁ Σόσσιος Γέτας legendum Γν. Ὀσίδιος. Fertur senatus-consultum sub Claudio Cæs. factum Cn. Hosidio Geta L. Vagellio Coss. ertum Neapoli anno Chr. MDC.III. adversus eos qui negotiandi causa emissent quod ædificium, ut diruendo plus adquirerent quam quanti emissent, et cruentissimo genere negotiationis inimicissimam in pace faciem inducerent ruinis domuum villarumque. Ric.—*Hosidius Geta.* Hujus poetæ stolidum opus ad nostra usque pervenit tempora; constat porro 461 versibus in manuscriptis a Salmasio repertis, partimque editis a p. Scriverio, in *Collectaneis vet. Tragic., post Senecam*, p. 187, 190, universim vero a Burmanno in *Anthologia lat.*, t. I, p. 148, 186. Nonnulli autem perperam putaverunt tragœdiam istam eamdem esse cui titulum similem inscripsit Ovidius, unde Quintilianus, Inst. Orat. VIII, 5, desumpsit versiculum hunc:

C

Servare potui: perdere an possim rogas!

Atque propterea commentiti sunt legendum esse in Tertulliano nostro *Ovidium*, potiusquam *Hosidium* aut *Osidium*. Sed in ejusmodi errorem non impegissent, si modo advertere voluissent, ex citato a Quintiliano versu Medeam Ovidii iambis præsertim concinnatam fuisse, hanc vero quæ exstat hexametris constare. Alii etiam finxerunt Hosidium Getam de quo nobis poeta sermo est, consulem subrogatum fuisse sub Claudio principe, anno 48 post Christum natum, eumdem scilicet de quo nonnulla conscripsit Dio, l. IV, et quem memorat Reinesius ex inscriptione quadam (*Inscrip.*, pp. 475, 477), nominat quoque Doni (Marmi, p. 84); sed verba quibus Tertulliianus usus est unum ex ejus coævis potius designant. Præterea vix crediderim sub Claudio jam principe, quo tempore adhuc florebant romanæ litteræ, centones fuisse usurpatos (*Burmann, loc. cit.*). Ludus enim iste puerilis, quem æque ut cætera notasse scholica nugalia videtur censura sua auctor vetus in hunc modum:

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum,

non alias viguit profecto quam cum depravatæ jam essent litteræ.

Et vero exemplis a Tertulliano adhibitis complura alia postmodum addi potuerunt. Ducentis fere post ipsum annis, matrona quædam Proba Falconia nomine, Adelphii proconsulis uxor, Hortæ nata in antiquo Italiæ oppido, poema edidit latinum ad nos utique transmissum, in universum, Medeæ Osidianæ instar, Virgilii versibus constans aut saltem hemistichiis. Versatur autem circa Veteris Testamenti historiam (*Fabricius, Biblioth., med. et inf. lat, tom.* II, *p.* 142 *et seq. ed. Mansii*). Ausonius, circa eadem tempora, epithalamium lascivia refertum confecerat cui titulum dederat, *Cento nuptialis*, eadem omnino ratione. Permulti poetæ modernæ latinitatis *Centones virgilianos* et ipsi composuerunt. Sed quoniam omnes eos referre nimis longum esset, adeat Fabricium lector, si velit, *Biliot. lat.*, t. I, pp. 384, 386, edit. Ernesti, quanquam et ille silentio omiserit Stephanum Plurreum domus S. Victoris canonicum regularem, auctorem poematis de Vita Jesu Christi, cujus fragmentum reperias in art. *Centon. Dictionarii de Trévoux.*

Edd. *ex opere* de Gourcy.

(c) *Medeam tragœdiam ex Virgilio plenissime exsuxit.* Ea tragœdia exstat penes Cl. Salmasium, unde aliquot versus editi a P. Scriverio in Collectaneis veterum Tragic. Ric.

D

(d) *Pinacem Cebetis.* Cebes Thebanus secta pythagoricus, si Pamelio fidem adhibeas, scripsit dialogos tres, e quibus primus *Pinax vitæ humanæ* seu Tabula inscriptus, jam olim in Italia, Gallia et Germania excusus, et in pictura etiam expressus, in quo depingitur iter ad virtutem et voluptatem, et domus utriusque: opus, ait clarissimus abb. de Gourcy, stoica sapientia plenum. Edd.

(e) *Homero-centones qui de carminibus Homeri propria opera.* Hujusce artis centonariæ vetus exemplum exstat apud Irenæum (*lib.* I *adversus hæres.*). Ric.

CAP. XL.—(f) *Expositionem delictorum.* Sic habet liber Agobardi. Expositionem dixit pro depositione. Atque ita etiam Cyprianus, epist. ad Jubaianum: *Peccata antiqua non exposuerit*, hoc est, non deposuerit. Ric.

(g) *Mithra signat illic in frontibus.* Illic, in castris scilicet tenebrarum, seu Satanæ. Ric.

(h) *Signat in frontibus milites suos.* Æmulatione scilicet signaculi jam ævo Tertulliani inter Christianos usitatissimi. Sic enim lib. de Corona: *Quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Itaque adeo perfusorie adhiberi cœpit, ut etiam ii qui Circo non abstinebant, hujusce tamen

frontibus milites suos ; celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis inducit, et (*a*) sub gladio redimit coronam. Quid ? quod et summum Pontificem unius nuptiis (1) statuit, habet et virgines, habet et continentes. (*b*) Cæterum, si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia, insignia, et privilegia, si sacrificalia (2) ministeria, et instrumenta, et vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum et votorum, curiositates consideremus, nonne manifeste diabolus (*c*) morositatem illam judaicæ legis imitatus est ? Qui ergo ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectavit exprimere in negotiis idololatriæ, utique et idem et eodem ingenio gestiit et potuit instrumenta quoque divinarum rerum (*d*) et sanctorum christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis profanæ et æmulæ fidei attentare (3). Et ideo, neque a diabolo immissa esse spiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet, neque ab idololatria distare hæreses, cum et auctoris et operis ejusdem sint, cujus et idololatria. Deum, aut fingunt alium adversus Creatorem, aut, si unicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quam in vero est. Itaque omne mendacium quod de Deo dicunt, quoddammodo genus est idololatriæ (4).

CAPUT XLI.

Non omittendam denique, qua contra eos præscribamus, ipsius etiam hæreticæ conversationis descriptionem ; ubi quis catechumenus, quis fidelis, incertum ; pariter enim adeunt, pariter audiunt, pariter orant ; qui pacem cum omnibus miscent ; quorum mulieres audeant exorcismos agere, forsitan et tinguere ; quorum ordinationes temerariæ, et alius hodie episcopus, cras alius, hodie diaconus, qui cras lector, hodie presbyter qui cras laicus, nam et laicis sacerdotalia munera injungere.

Non omittam ipsius etiam conversationis hæreticæ descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est ; pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant ; etiam ethnici si supervenerint, (*e*) sanctum canibus, et porcis margaritas, licet non veras, jactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocant. Pacem quoque passim cum omnibus miscent : nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti (5). Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces ! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan (6) et tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, (*f*) inconstantes : nunc (7)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pontificem nuptiis *Rhen.* in unius nuptiis *Hirsaug. ex vetere exempl. teste Rhenano.* in unis nuptiis *Fran.*
(2) Sacrificantia *Rhen.* sacrificantium et vasa ipsorum si sacrificiorum *ex libro Ursini Rig.*
(3) Attemperare, *Rig. Venet. Fran. Paris.*
(4) Ita omne mendacium de Deo, vel natio quodammodo sexus, est idololatriæ *Rhen.*
(5) Educati *Paris.*
(6) Fortasse an *Rhen.*
(7) Tunc *Rhen.*

COMMENTARIUS.

signaculi religione teneri viderentur. *Quam multos enim*, inquit Augustinus, *hodie fratres nostros cogitamus et plangimus ire in vanitates et insanias mendaces, negligere quo vocati sunt : qui, si forte in ipso Circo aliqua ex caussa expavescant, continuo se signant, et stant illic portantes in fronte, unde abscederent, si hoc in corde portarent*, etc., Enar. in Psalm. I. Cæterum opinari etiam liceat Mithram sive Satanam signasse in frontibus milites suos, æmulatione unctionis christianæ. Rig.

(a) *Sub gladio redimit coronam.* Martyrii mimo. Quod pluribus explicavit sub finem operis *De Corona.* Rig.— *Et sub gladio redimit coronam.* Ad intellectum hujus quod habet lib. de *Corona mil.* (versus finem) in hunc modum : *Mithræ miles... eum initiatur in spilæo... in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obvia manu a capite pellere et in humerum, si forte, transferri, dicens Mithram esse coronam suam ; atque exinde nunquam coronatur. Idque in signum habet ad probationem suam, sicuti tentatus fuerit de sacramento, statimque creditur Mithræ miles, si dejecerit coronam, si eum in Deo suo esse dixerit.* Edd.

(b) *Cæterum si Numæ Pompilii.* Pulchra est hic annotatio Andeberti Macerei, quam adeo ex gallico idiomate transferendam duximus. Quidam, inquit, libro quodam non ita nuper excuso, cujus titulus : *Brevis commentarius de signis sacris, sacrificiis et sacramentis a Deo institutis, a creatione mundi*, nobis objicit, nostras cæremonias majori ex parte desumptas a Numa Pompilio, et proinde rejiciendas et subsannandas. Fefellit eum, inquit idem, quod non considerarit astutiam sui patris et magistri. Diabolus enim eas mutavit ex Veteri Testamento, et Numæ tradidit, ut per eas ab illo et suis honoraretur et adoraretur. Quod ad nos attinet, quibus ad manum est Vetus illud Testamentum, etiamsi omittamus traditionem Patrum, magis credibile est desumpsisse nos inde, quam e libris Pompilii. Interim etiam illud considerandum, quod talium cæremoniarum observatio Deo grata sit, quandoquidem eas tam studiose affectet et æmuletur diabolus. Pam.

(c) *Morositatem illam judaicæ legis.* Morositatem dicit, morum et rituum judaicorum scrupulositatem. Pam.

(d) *Et sanctorum christianorum.* Horum sensus ex iis quæ in cap. 44 sequuntur hauriendus est. Apostolorum autem Acta et Epistolas vocat instrumenta sanctorum christianorum. Albasp.

CAP. XLI.—(e) *Sanctum canibus.* Nec ista quidem a nobis negligenter transibuntur, quibus eucharistiam existimamus intelligi, de qua libro de Spectaculis ita loquitur, cap. 25, *Ex ore quo Amen in sanctum proferis.* Albasp.

(f) *Inconstantes.* Omnes ecclesiastici, cujuscumque tandem essent ordinis, certis locis erant addicti, neque fiebant episcopi, aut sacerdotes, honoris aut vivendi gratia ; sed pro loci aut populi necessitate, et usu ordinabantur. Quibus uti non licebat alio convolare, et sedes mutare ; ita neque ab officio ex eo loco, ubi ordinati et addicti erant, sine caussa amoveri poterant : sed apud hæreticos pro arbitrio sedes mutabantur, et ut dicit, *alius hodie episcopus, cras alius.* Albasp.

neophytos conlocant, nunc (a) sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laicis (1) sacerdotalia munera injungunt.

CAPUT XLII.

In verbi quoque administratione negotium illis esse non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi; nec suis præsidibus reverentiam præstent: et hinc apud eos schismata non parere, quantumvis tamen a regulis suis inter se varient et etiam ab auctoribus suis.

(b) De verbi autem administratione quid dicam, cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi (2); sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur; quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent. (c) Adime illis legem (3) Moysi, et Prophetas, et creatorem Deum, accusationem eloqui non habent. Ita fit ut ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quam exstructiones jacentium ruinarum. Ad hæc solummodo opera humiles, et blandi, et summissi agunt. Cæterum, nec suis præsidibus reverentiam noverunt. Et hoc est quod schismata apud hæreticos fere non sunt; quia, cum sint, non parent. (d) Schisma est unitas ipsis (4). Mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus dissentientes deprehenduntur. Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, siue sede, orbi fide, extorres, sine lare (5) vagantur.

CAPUT XLIII.

Notata etiam fuisse eorum commercia cum magis, circulatoribus, astrologis, philosophis; adeo ut doctrinæ ipsorum non veræ index sit disciplina non bona.

Notata (6) sunt etiam commercia hæreticorum cum magis quampluribus: cum circulatoribus, cum astrologis (e), cum philosophis, curiositati scilicet deditis: QUÆRITE ET INVENIETIS, ubique meminerunt. Adeo et de genere conversationis qualitas fidei æstimari potest: (f) doctrinæ index (7) disciplina est. Negant Deum timendum; itaque libera sunt illis omnia et soluta. Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est; ubi veritas nulla est (8), merito et talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta (9), et (g) diligentia attonita, et cura sollicita, et (h) allectio (10) explorata, et (i) communicatio deliberata, et (j) promotio emerita,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Laici *Rhen.*
(2) Evertendis *Jun.* convertendis *al.*
(3) In lege *Paris.*
(4) Ipsa *Seml.*
(5) Quasi sibi late *Fran. Jun.* sibi late *Paris.* sibilatæ, *Rhen.*
(6) Nota *forsan legendum foret. Edd.*
(7) Judex *Rig. Venet.* inde *Rhen.* doctrina index disciplinæ *Paris.*
(8) *V.* ubi veritas nulla est *desunt in Rhen. edit.*
(9) Honestas *Rhen.*
(10) Adjectio *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sæculo obstrictos.* Eos intelligit qui præfectura aliqua inter gentiles fungebantur; plerique enim Christianorum dignitatem aliquam aut militiæ gradum adepti, eorum honorum munia nihilominus obibant, quos Ecclesiæ honoribus ordinare æquum non videbatur. ALBASP.

CAP. XLII.—(b) *De verbi autem administratione.* De ea quæ in Ecclesiis fiebat non existimarim eum loqui, cum ab ea gentiles arcerentur; verum de ea quæ domi aut alibi familiariter habebatur: nihil enim Christianis majori erat curæ quam gentilibus Christi præcepta sensim obtrudere, ut eos ad fidem traherent. ALBASP.

(c) *Adime illis legem Moysi, et Prophetas, et Creatorem Deum, accusationem eloqui non habent.* Notat Cerdonem, et Marcionem, et Apellem, ausos etiam ista christianæ religionis fundamenta convellere. Nam in Catalogo hæreticor, ubi de Cerdone, *Hic Prophetias*, inquit, *et Legem repudiat; Deo Creatori renuntiat.* Cerdonis autem discipulus fuit Marcio, Marcionis Apelles. Ait igitur hæreticorum ingenia sic instituta esse, ut diruant, non ut ædificent. Adime illis legem Mosis, et Prophetas, et Creatorem Deum, nullo jure caussam tibi propterea dicent; non erit quod possint conqueri. Etenim jam pridem hæc ad se minime pertinere testati sunt. RIG.

(d) *Schisma est unitas ipsis.* Sic habet liber Ursini. Verissime. Sunt quidem apud hæreticos schismata; sed ea minus advertimus ob communem et concordissimam ipsis nobiscum discordiam. RIG.

CAP. XLIII.—(e) *Cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis.* Nemini ignotum in historia ecclesiastica tantisper versato, priores hæreticos magis infames fuisse aut cum Magis commercium habuisse. Tales fuerunt Gnostici, Carpocratiani, et alii. Ab Ecclesiæ communione semotos eosdem magos indubitatum quoque, ut mimos, ludiones, circulatores, agyrtas, comœdos: contra quos Augustinus et Cyprianus multis in locis, et concilia. LE PR.

(f) *Doctrinæ index disciplina est.* Disciplina in hoc auctore, semper pro rebus fidei, sacramentis aut eorum usu, ritibus et cæremoniis, cæterisque quæ ex præceptis Christi observamus, nonnunquam etiam pro ipsamet fide usurpatur. ALBASP.

(g) *Diligentia attonita.* Diligentiam attonitam dicit quæ semper est in metu ne peccet. RIG.

(h) *Allectio explorata.* Allegendorum scilicet in ordinem ecclesiasticum. Hos enim ante ordinationem prædicari mos erat. Prædicatio autem fiebat nominibus eorum propositis, admonito populo, ut si quis adversus eos quid haberet criminis, probaret manifestis rebus. Quod ut fieret in provinciarum rectoribus ordinandis, exemplo Christianorum suasisse Alexandrum Severum narrat Lampridius. Talis igitur apud Ecclesiam fuit allectio explorata: ut contra, apud hæreticos ordinationes temerariæ notantur supra. RIG.

(i) *Communicatio deliberata.* Communicationem intelligit quam ipse in Apologetico describit, nempe orationis et conventus et omnis sancti commercii. Ad eam vero non admittebantur nisi deliberatione prius habita probatissimi. RIG.

(j) *Promotio emerita.* Ipse sui interpres eodem

et (*a*) subjectio religiosa, et (*b*) apparitio devota, et (*c*) processio modesta (1), et Ecclesia unita, et Dei omnia.

CAPUT XLIV.

Postremo si forte præscriptionibus his non moveantur, ad futuri judicii metum, et hæreticos provocat, et eos qui aures hæreticis accommodant.

Proinde hæc (*d*) pressioris (2) apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt; a qua divertere nemini expedit, qui meminerit futuri judicii quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare reddentes rationem in primis ipsius fidei. Quid ergo dicent qui illam stupraverint adulterio hæretico, virginem traditam a Christo? Credo, allegabunt, nihil unquam sibi ab illo vel ab apostolis ejus, (*e*) de seris (3) et perversis doctrinis futuris prænuntiatum, et de cavendis abominandisque (4) præceptum. Agnoscant (5) suam potius culpam quam illorum, qui nos tanto ante (6) præstruxerunt. Adjicient præterea multa de auctoritate cujusque doctoris hæretici; illos maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, (7) mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito apostoli crederentur (*f*). Quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos qui etiam virtutes maximas ederent (8), ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis. Itaque veniam merebuntur? Qui (9) vero memores dominicarum et apostolicarum denuntiationum in fide integri (10) steterint, credo de venia periclitabuntur, respondente Domino : « Præ- A nuntiaveram plane futuros fallaciæ magistros in meo nomine et Prophetarum et Apostolorum etiam; et discentibus meis eadem ad vos prædicare mandaveram; semel evangelium et ejusdem regulæ doctrinam apostolis meis delegaveram; sed cum vos non crederetis, (11) libuit mihi postea aliqua inde mutare (*g*) : resurrectionem promiseram etiam carnis; sed recogitavi ne implere non possem : natum me ostenderam ex virgine; sed postea turpe mihi visum est : patrem dixeram qui solem et pluvias fecit, sed alius me pater melior adoptavit : prohibueram vos aurem accommodare hæreticis, sed erravi...? » Talia (12) capit opinari eos qui exorbitant, et fidei (13) veritatis periculum non cavent.

CAPUT XLV.

Porro hoc institutum simul aggressus etiam specialiter, initio facto a judaismo, hæreticos omnes ad sua usque tempora recenset, et imprimis Dositheum, Sadducæos, Pharisæos.

(*h*) Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus hæreses omnes, certis et justis, (*i*) et necessariis præscriptionibus repellendas a conlatione Scripturarum. De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus (*j*). Hæc in fide veritatis ci.... legentibus pax et gratia Domini nostri Jesu Christi in æternum.

(*a*) CONTRA HÆRETICOS EXPLICIT.

LECTIONES VARIANTES.

(1) moderata *Paris.*
(2) Pressiora *Rhen. utrumvis abest Fran. Paris.*
(3) Sævis *Rhen.* scævis *Jun.*
(4) Quid *Rhen.*
(5) Agnoscunt *Rhen* agnoscent *Semler.*
(6) *Verb.* tanto *deest in Rhen. ed.* non ante *leg. Paris. Fran.* suos ante *Jun.*
(7) Maxima doctrinæ suæ confirmasse *Rhen.*
(8) Ediderunt *Rhen.*
(9) Si *Rhen.*
(10) Integra *Rhen.*
(11) *V.* Sed cum vos non crederetur, *in Rhen. ed. præfiguntur vocibus* semel Evangelium, *etc.*
(12) Alia *Rhen.*
(13) Fide *conj. Jun. sed pessime nostra sententia.*

COMMENTARIUS.

Apologetico : *Præsident probati quique seniores; honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Ric.

(a) *Subjectio religiosa.* Propter Ecclesiæ honorem, inquit (lib. de Bapt.), quo salvo, salva pax est. Subjectus dicitur qui morem alteri gerit, ut filius patri. Sic in Apolog.: *Filium jam subjectum pater retro patiens abdicavit.* Ric.

(b) *Apparitio devota.* Apparent episcopis presbyteri, diaconi. Apparent magistratibus scribæ, præcones, accensi. Glossæ Philoxeni, Apparitores, Ἐκδεκται. Εἰσὶν δὲ ὑπηρέται τοῖς ἄρχουσιν προσδρεύοντες. Apparitio, Ἐκδεκμός. Eo sensu dicit Septimius noster (libro de Spectaculis), aures et oculos apparere spiritui. *Cum spiritui appareant aures et oculi; nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur.* Ric.

(c) *Processio modesta.* Procedebant in publicum Christiani modesto habitu vultuque. Sic (lib. II de Cultu fœminar.) : *Vobis autem nulla procedendi caussa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur*, etc. Ric.

CAP. XLIV. — (d) *Pressioris disciplinæ.* Hoc est quod in Apologetico dixit : *Disciplinam præceptorum inculcationibus densamus.* Hinc etiam illa quæ sæpe occurrunt, disciplina timenda, disciplina custodita, disciplinæ terror, disciplinæ tenor. Sic contra, disciplina mollissima, laxissima. Ric.

(e) *De seris et perversis doctrinis.* Sic optime liber Ursini. Antea *sævis* nullo sensu. Seras doctrinas dicit Antichristi, cujus tempora excipiet consummatio sæculi. Tria tempora in Tertulliani scriptis cunctas hominum ætates dividunt, Naturæ, Legis et Evangelii. Itaque ultimum est Evangelii tempus, subrepente Antichristo et sæculi fine. Ric.

(f) *Uti merito apostoli crederentur.* Illic nonnisi commentitia miracula, sive præstigias dæmonum insectatur Tertullianus; agnoscit enim hoc in eodem opere, c. præsertim 30, vera miracula argumentum certum efficere divinæ missionis, tum cum provocat hæreticos hac victrici interpellatione : *Probent se novos apostolos esse; dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum : sic enim apostolos solet facere.* Edd. *ex opere* DE GOURCY.

(g) *Mutare.* Ironice dictum intelligas. Edd.

CAP. XLV.—(h) *Sed nunc generaliter actum est adversus omnes hæreses.* Ipse libro de Carne Christi. *Sed plenius hujusmodi præscriptionibus adversus omnes hæreses alibi jam usi sumus.* Edd.

(i) *Et necessariis præscriptionibus.* Necessarias præscriptiones dicit, quia secundum eas necesse est judici quoscumque agere volentes repellere. Ric.

(j) *Etiam specialiter quibusdam respondebimus.* Hoc vero præstitit libris adversus Marcionem, adversus Valentinianos, adversus Praxeam, etc.; minime autem sequenti opusculo, nam eo tantum indicantur hæreses, non confutantur. Ric.

(a) *Contra hæreticos explicit.* In codice Agobardi

Sequentia non leguntur in vetustissimo codice Agobardi.

Quorum hæreticorum, ut plura prætéream, pauca perstringam. (*b*) Taceo enim judaismi hæreticos, Dositheum inquam Samaritanum, qui primus ausus est prophetas, quasi non in Spiritu Sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresim etiam resurrectionem carnis negare. Prætermitto Pharisæos, qui additamenta quædam legi adstruendo a Judæis divisi sunt: unde etiam hoc accipere ipsum quod habent nomen, digni fuerunt: cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.

CAPUT XLVI.

Deinde eos recenset, qui ex Evangelio hæretici esse voluerunt, Simonem magum, Menandrum, Saturninum, Basilidem, Nicolaum.

(*c*) Ad eos me converto qui ex Evangelio hæretici esse voluerunt: (*d*) ex quibus est primus omnium Simon Magus, qui in Actis Apostolorum condignam meruit ab apostolo Petro justamque sententiam. Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum, mundum autem ab angelis suis institutum, (*e*) a dæmone se oberrante (1), quid esset sapientia, descendisse quærendum apud Judæos, se in phantasmate Dei non passum, sed esse quasi passum. Post hunc Menander discipulus ipsius, similiter magus, eadem dicens quæ Simon ipse: quicquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. Secutus est post hæc et Saturninus, et hic similiter dicens, innascibilem (2) virtutem id est Deum, in summis et illis (3) infinitis partibus et in superioribus manere, longe autem distantes ab hoc angelos inferiorem (4) mundum fecisse: et quia splendor quidam luminis desursum in inferioribus refulsisset, ad similitudinem illam superiorem propter illius luminis (5) angelos hominem instituere, angelos curasse: hunc super terram jacuisse reptantem: cujus lumen illud et virtutem misericordiam (6), scintillam salvam esse, cætera (7) hominis perire. Christum in substantia corporis non fuisse, et phantasmate tantum quasi passum fuisse; resurrectionem carnis nullo modo futuram esse. Postea Basilides hæreticus erupit: hic esse dicit summum Deum nomine Abraxan, ex quo mentem creatam, quam græce νοῦν appellat. Inde Verbum. Ex illo providentiam, ex providentia virtutem, et sapientiam: ex ipsis inde principatus, et potestates, et angelos factos, deinde infinitas angelorum editiones et probolas: ab istis angelis trecentos sexaginta quinque cœlos institutos, et mundum in honore Abraxæ, cujus nomen hunc in se habebat numerum computatum. In ultimis quidem angelis, et qui nunc fecerunt mundum, novissimum ponit Judæorum Deum, id est, Deum legis et prophetarum; quem Deum negat, sed angelum dicit. Huic sortito obtigisse semen Abrahæ, atque ideo hunc de terra Ægypti filios Israel in terram Chanaam transtulisse. (*f*) Hunc turbulentiorem præ cæteris angelis, atque ideo et seditiones frequenter (8) et bella concutere, sed et humanum sanguinem fundere. Christum autem, non ab hoc qui fecerit mundum, sed ab illo Abraxa missum venisse in phantasmate: sine substantia carnis fuisse: hunc passum a Judæis non esse, sed vice ipsius Simonem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aberrante *Paris.* ad dæmonem suum erranteam *Jun.* ad Enneam se aberrantem, quæ (*pro* quid) *Seml.* ex Irenæi I, 23.
(2) Immobilem, *Jun.* in summis illis et, *Jun.*
(3) Illis et *Jun.*
(4) Inferiores *Seml.*
(5) Similitudinem illius luminis, *et nihil intermedium, Seml.*
(6) *Verba modo neglecta hic inserit Semler eo modo:* virtutem illam superiorem propter miser. *Junius vero sic habet:* cui lumen illud et virtutem illam superiorem propter misericordiam vitæ scintillam inmisisse; hanc scintillam salvam esse; cæterum hominis perire.
(7) Cæteram *Rhen.*
(8) Frequentare *suspicatur Semler.*

COMMENTARIUS.

non ultra pergit liber de Præscriptione hæreticor. neque ulla fit mentio sequentis opusculi quod incipit, *Quorum hæreticorum ut plura prætéream*, etc. Et jacebit ἀνέφαλον, nisi dicimus sic a Tertulliano adnexum fuisse operi de Præscriptione hæreticorum, ut eo absoluto, cum aliquis adscripsisset, *Explicit de Præscriptione hæreticorum*, idem, quisquis ille fuerit, ejus ævi scriptor pro titulo sequentis opusculi subjecerit, *Quorum hæreticorum*: daturus scilicet catalogum eorum, quos generali præscriptione subinovendos censeret, ac deinde incipiat opusculum, *Taceo enim judaismi hæreticos*: quod idcireo portio ac sequela præcedentis habeatur, propterea que nullibi citatum ab auctore separatim reperiatur. Stylus certe non absimilis videtur Septimiano. In quibusdam vero exemplaribus præcedit librum de Præs. hæreticorum. Rig.

(*b*) *Taceo enim judaismi hæreticos.* Hæc legerat Hieronymus, cum adversus Luciferianos agens, *Taceo*, inquit, *de judaismi hæreticis, qui ante adventum Christi legem traditam dissiparant, quod Dositheus Samaritanorum princeps prophetas repudiavit*, etc. Rig.

CAP. XLVI.—(*c*) *Ad eos me converto.* Hieronymus, eod.: *Ad eos venio hæreticos, qui Evangelia laniaverunt.* Rig. — *Adeos me converto*, etc. Aggreditur jam ad dicendum de hæreticis, qui a Christo nato extiterunt, quique insaniæ suæ argumenta posterioribus hæreticis reliquerunt. Le Pr.

(*d*) *Ex quibus est primus omnium Simon magus.* Primum omnium numerat Simonem magum cum Irenæo, Epiphanio, etc.

(*e*) *A dæmone se oberrante quid esset sapientia descendisse quærendum apud Judæos.* Hæc sunt corruptissima, nec juvant manuscripti. Legendum tamen videtur: *Ad oves aberrantes se, qui esset sapientia, descendisse quærendum. Apud Judæos se in phantasmate*, etc. Hieronymus, Indiculo hæres.: *Ideoque se descendisse*, inquit, *ut ovem salvaret perditam. Christum apud Judæos non esse passum.* Rig.

(*f*) *Hunc turbulentiorem præ cæteris.* Indiculus Hieronymi: *Hic angelus protervitate sua exaltavit se supra cæteros angelos.* Rig.

crucifixum esse ; unde nec in eum credendum esse qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem credidisse. Martyria negat esse facienda. Carnis resurrectionem graviter impugnat, negans salutem corporibus repromissam. Alter (1) hæreticus Nicolaus emersit ; (*a*) hic de septem diaconis, qui in Actis Apostolorum allecti sunt, fuit. Hic dicit tenebras in concupiscentia luminis, et quidem fœda et obscena, fuisse : ex hac permixtione pudor est dicere quæ fœtida et immunda sunt.

Æones enim refert (*b*) quosdam turpitudinis natos (2), et complexus, et permixtiones execrabiles, (*c*) obscenasque conjunctas, et quædam ex ipsis adhuc turpiora : natos præterea dæmones, et deos, et spiritus septem, et alia satis (3) sacrilega pariter et fœda : quæ referre erubescimus, et jam præterimus. Satis (4) est nobis quod totam istam hæresim Nicolaitarum, Apocalypsis Domini gravissima sententiæ auctoritate damnavit, dicendo : (*d*) Quia hoc tenes, odisti doctrinam Nicolaitarum, quam et ego odi.

CAPUT XLVII.

Quibus adjungit Ophitas, Cainæos, Sethoitas.

Accesserunt his hæretici etiam illi, qui Ophitæ nuncupantur. Nam serpentem magnificant in tantum, utillum etiam ipsi Christo præferant. Ipse enim, inquiunt, scientiæ nobis boni et mali originem dedit. Hujus animadvertens potentiam et majestatem Moyses, inquiunt, æreum posuit serpentem : et quicunque ipsum aspexerunt, sanitatem consecuti sunt. Ipse, aiunt præterea, Christus in Evangelio suo imitatur serpentis ipsius sacram potestatem, dicendo (5) : Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis : (*e*) ipsum introducunt ad benedicenda Eucharistia sua (6). Sed tota istius erroris et scena et doctrina inde fluxit. Dicunt enim de illo summo primario æone complures alios æones extitisse inferiores ; omnibus tamen istis æonem antistare, (*f*) cujus sit nomen Jaldabaoth. Hunc autem conceptum esse ex altero æone æonibus inferioribus permixto : seque postea, cum in superiora voluisset eniti, gravitate materiæ permixta sibi, non potuisse ad superiora (7) pervenire, in medietate relictum, extendisse (8) totum, effecisse sic cœlum. Jaldabaoth tamen inferius descendisse, et fecisse sibi filios septem : quem occlusisse superiora dilatatione ; ut quia angeli quæ superiora essent, scire non possent, ipsum solum Deum putarent. Virtutes igitur illas et angelos inferiores hominem fecisse : et quia ab infirmioribus et mediocribus virtutibus institutus esset, quasi vermem jacuisse reptantem. Illum vero æonem ex quo Jaldabaoth processisset, invidia commotum, (*g*) scintillam quamdam jacenti homini immisisse qua excitatus per prudentiam saperet, et intelligere posset superiora. Sic rursum Jaldabaoth istum in indignationem conversum ex semetipso edidisse virtutem, et similitudinem serpentis : et hanc fuisse virtu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliter *Jun.*
(2) Sunt et cætera obscœna. Omnes enim refert quosdam turpitudinis notas *Seml.* Pro æones *vel* omnes *Latin. legit* communes.
(3) Satis *tollit Jun.*
(4) Si etiam præterimus, satis *proponit Semler.*
(5) Docendo *Semler.*
(6) Eucharistica *Fran.*
(7) Superna *Seml.* atque occlusisse superiora *Jun.*
(8) Se *addendum dicit Semler.*

COMMENTARIUS.

(a) *Hic de septem diaconis.* Nicolaitarum hæresis hic attingitur cujus præcipuum dogma erat, quod matrimonium institutum esset mere humanum, nec conscientias obligaret, atque etiam quod vesci liceret immolatitiis sine ullo discrimine. Illi autem hæretici significantur Act. XX, his verbis, λαλοῦντες διεστραμμένα. Auctorem hujus dogmatis faciunt Nicolaum, unum e septem diaconis, Tertullianus hoc in loco, sanctus Epiph., hær. 25, Clemens Alex., str. 2 et 3, sanctus Hieronymus, epist. de Fabiano, et ad Ctesiphontem, Eusebius, lib. III, Philastrius Brixiensis, lib. de Hær. Theodoretus, hæret. Fab. lib. III, August., hær. 5, et alii innumeri. Post tantam vero sanctorum Patrum consensionem hac in materia, nescio an dubitandi locus superesse possit ; facit tamen sanctus Ignatius ut hic dubius hæream, credamque auctorem illius sectæ fortasse non fuisse Nicolaum diaconum. Ignatius enim, epist. ad Trallianos : φεύγετε καὶ τοὺς ἀκαθάρτους νικολαΐτας, τοὺς ψευδωνύμους, *fugite quoque impuros Nicolaitas falsum nomen usurpantes.* Adde plerosque illorum Patrum dubitanter loqui de Nicolao illo, in quem facile fuit illud rejicere, propter vitæ sordes et mores corruptissimos. Le Pr.

(b) *Æones enim refert quosdam turpitudinis.* Epiphanius, Καὶ ἐκ τούτου τοῦ αἰῶνος τοῦ αἰσχροῦ καὶ τῆς μητρὸς γεγενῆσθαί τινας, καὶ τοὺς ἀγγέλους, καὶ δαίμονας : *et ex hujus æonis pudendis ortos esse deos et angelos et dæmonas.* Unde nuper monuit vir eruditiss. legendum, *Æones enim refert quosdam turpitudinis natos*, etc. Rig.

(c) *Obscœnasque conjunctas.* Hoc est, conjunctiones. Hieronymus adversus Lucif. de hoc ipso hæretico : *Die noctuque nuptias faciens, obscœnos et auditu quoque erubescendos coitus somniavit.* Rig.

(d) *Quia hoc tenes, odisti doctrinam Nicol.* Indiculus Hieronymi : *Spiritus autem Sanctus hæresim appellans, dicit ad Ecclesiam : Sed hoc habes, quia odisti factam Nicolaitarum.* Rig.

CAP. XLVII. — (e) *Ipsum introducunt ad benedicenda Eucharistia sua.* Atque ita etiam Indiculus Hieronymi : *Et ipse illis Eucharistia sanctificat.* Rig.

(f) *Cujus sit nomen Jaldabaoth.* Vocabulum istud e Nicolaitarum penudepromptum est de quo sic sanctus Epiphanius, hær. 25 : Ἕτεροι δὲ τῶν προειρημένων ἰαλδαβαὼθ διξάζουσι, ῥᾴκινητες, αὐτὸν εἶναι πρῶτον υἱὸν τῆς βαρβηλὼ καὶ διὰ τοῦτό φασι δεῖν ἄρχειν αὐτῷ τὴν τιμήν, ὅτι πολλὰ ἀπεκάλυψεν. ὅθεν καὶ βιβλία τινὰ ἐξ ὀνόματος τοῦ ἰαλδαβαὼθ ποιητεύονται ἐκτυπεῦντες : *Alii a prædictis Jaldabaoth potissimum venerantur, asserentes esse primogenitum Barbelonis, adeoque tribuendum ipsi honorem, ut aiunt, quoniam multa detexit; unde libros quosdam sub Jaldabaoth nomine circumferunt.* Plurima sunt ejusmodi spurcitiæ vocabula a Nicolaitis conficta, quorum nonnulla apud sanctum Epiphanium referuntur. Sed violo te, pudor, cum in his diutius immoror. Le Pr.

(g) *Scintillam quamdam jacenti homini immisisse.* Indiculus Hier. : *Itaque superna mater volens evacuare virtutem Jaldabaoth, operata est scintillam virtutis descendere in hominem, et continuo erexit eum, ut staret pedibus suis.* Rig.

tem in paradiso, id est, istum fuisse serpentem, cui Eva quasi Filio Dei crediderat. Decerpsit, inquiunt, de fructu arboris, atque ideo generi humano scientiam bonorum et malorum contribuit. Christum autem non in substantia carnis fuisse, salutem carnis sperandam omnino non esse. Necnon etiam erupit alia quoque hæresis, (*a*) quæ dicitur Cainæorum. (*b*) Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum, (*c*) et ideo inferiorem repertum. Illi qui hoc adserunt, etiam Judam proditorem defendunt, (*d*) admirabilem illum et magnum esse memorantes, propter utilitates quas humano generi contulisse jactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Judæ propter hanc causam reddendam putant. Animadvertens enim, inquiunt, Judas, quod Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset. Et alii sic contra disputant et dicunt: Quia potestates hujus mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani, tradidit Christum, ut salus, quæ impediebatur per virtutes, quæ obsistebant ne pateretur Christus, impediri omnino non posset: et ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari. Sed et illa hæresis processit, (*e*) quæ dicitur Sethoitarum (1). Hujus perversitatis doctrina hæc est: duos homines ab angelis constitutos, Cain et Abel; propter hos magnas inter angelos contentiones et discordias extitisse; ob hanc causam illam (*f*) A virtutem quæ super omnes virtutes esset; quam matrem pronuntiant, dum Abel interfectum dicerent, voluisse concipi et nasci hunc Seth loco Abelis, ut evacuarentur angeli illi, qui duos priores illos homines condidissent, dum hoc semen mundum moritur et nascitur. Permixtiones enim dicunt angelorum et hominum iniquas fuisse: ob quam caussam illam virtutem, quam (sicut diximus) pronuntiant matrem, ad vindictam etiam cataclysmum inducere, ut et illud permixtionis semen tolleretur: et hoc solum semen, quod esset purum, integrum custodiretur. Sed enim illos qui seminis illos prioris (2) instituissent, occulte et latenter, et ignorante illa matre Virtute, cum illis octo animabus in arcam misisse etiam semen Cham (3), quo semen malitiæ non periret, sed cum B cæteris conservatum, et post cataclysmum terris redditum, exemplo cæterorum excresceret, et effunderetur, et totum orbem et impleret et occuparet. De Christo autem sic sentiunt, ut dicant illum tantummodo Seth, et pro ipso Seth ipsum fuisse (4).

CAPUT XLVIII.

Præterea Carpocratem, Cerinthum, Hebionem.

(*g*) Corpocrates præterea hanc tulit sectam. Unam esse dicit Virtutem in superioribus principalem, ex hac prolatos angelos, atque virtutes: quos distantes longe a superioribus virtutibus (5), mundum istum in inferioribus partibus condidisse; Christum non ex virgine Maria natum, sed ex semine Joseph, hominem tantummodo genitum, (*h*) sane præ cæteris ju-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Setthitarum *mavult Jun.*

(2) Quo seminis illos priores *Seml.* Quo seminio illos priores *Jun.*

(3) Cain *Fran. Paris.*

C (4) Non pro nobis tantummodo, sed et pro ipso se ipsum fuisse *Rhen.* Sed et pro ipso, se ipsum fuisse *Seml.*

(5) Virtutum *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quæ dicitur Cainæorum.* Certe etiam istos *Caianos* vocant Philastrius, Epiphanius, Augustinus ac Damascenus. Denique Hieronymus, adv. Lucif., dum conjungit Ophitas, *Caianos*, Carpocratem, Cerinthum, Hebionem, Auctorem, quantum apparet, imitatus; Clemens vero Alex., Strom. 7, *Caianitas;* Irenæus magis proprie, uti et Theodoretus, *Cainos*, quia nomen uno consensu inde omnes derivant. Pam.— *Cainæorum.* Sunt ita appellati, quod Cain fratricidam primogenitum patris nostri ac beati Adæ protoplasti, colant et venerentur, eum dicentes fuisse virtutis fortissimæ: et ex altera quidem virtute, nempe diaboli, Cain factum; ex altera autem, id est, Dei, Abel beatissimum natum: et virtutem majorem, quæ erat in ipso Cain, ita invaluisse, ut suum interficeret fratrem. Adorant similiter Judam proditorem, eum arbitrantes aliquid divinum esse, adeo quidem, ut ejus detestandum scelus ingens beneficium reputent, eum asserentes præscivisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, ideoque illum Judæis ad occidendum tradidisse. Perhibentur quoque et Sodomitas colere. Item Core, Dathan et Abiron, propterea quod cum schisma in primo Dei populo fecissent, terra dehiscente perierint. Adeo quidem, ut quantumlibet aliqui fuerint aliquando scelesti aut flagitiosi, nunquam illis defuerint a quibus laudarentur, et eorum scelus commendaretur. Blasphemant denique ii legem, et Deum legis auctorem, carnisque resurrectionem negant. Omnes denique Marcionis errores illis tribuunt Irenæus et Augustinus: ex quo facile creditu est, Caianos hæreticos a Marcione ortum habuisse. Lac.

(b) *Et ipsi magnificant Cain.* Indiculus Hier., *Sanctificant.* Rig.

(c) *Et ideo inferiorem repertum.* Indiculus Hier. : *Et ideo illum esse occisum.* Rig.

(d) *Admirabilem illum et magnum esse memorantes.* Indiculus Hier.: *Omnium apostolorum fuisse doctiorem.* Rig.

(e) *Quæ dicitur Sethoitarum.* Sethiani, vel, ut Tertull. placet, Sethoitæ, a *Seth*, Adæ filio natu tertio dicti sunt, quem Judæi quidam venerari dicebantur, quemadmodum est auctor Augustinus (*lib. de Hær. cap.* 19). Dicebant enim illi, Seth de suprema matre natum fuisse, eam asserentes cum superno patre convenisse, unde divinum illud semen nasceretur tanquam filiorum Dei. Apud eos enim masculi et fœminæ dii deæque esse putantur. Lac.

(f) *Virtutem quæ super omnes virtutes esset.* In Indiculo Hier. vocatur Trivirtus. Rig.

CAP. XLVIII.—(g) *Carpocrates præterea*, etc. Gnosticorum parentem fuisse Carpocratem, manifestum est. Ejus autem errores in cunis exstincti sunt. Is inter cætera commenta Testamentum Vetus rejiciebat. An idem fuerit auctor Gnosticorum et Carpocratianorum non expendo. Constat sociam aut inventricem tot scelerum fuisse quamdam mulierculam Marcellinam, quæ Christi, Pauli, Homeri, et Pythagoræ imagines promiscue colebat; quem etiam cultum ridicule profanis numinibus cum sacris adhibuisse fertur imp. Alex. Severus, qui in sacrario Abrahami et Orphei, Christi et Apollinis statuas asservabat. Le Pr.

(h) *Sane præ cæteris justitiæ cultu.* Indiculus Hier.: *Habuisse autem illum spiritum prophetalem.* Rig.

stitiæ cultu, vitæ (1) integritate meliorem: hunc apud Judæos passum: solam animam ipsius cœlo receptam, eo quod et firmior et robustior cæteris fuerit: ex quo colligeret, tentata (2) animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones. Post hunc Cerinthus hæreticus erupit, similia docens. Nam et ipse mundum institutum esse ab illis dicit: Christum ex semine Joseph natum proponit, hominem illum tantummodo sine divinitate contendens, ipsam quoque legem ab angelis datam perhibens: Judæorum Deum non Dominum, sed angelum promens. (*b*) Hujus successor Hebion fuit, Cerintho non in omni parte consentiens, quod a Deo dicat mundum, non ab angelis factum: (*c*) et quia scriptum sit, Nemo discipulus super magistrum, nec servus super dominum. Legem etiam (3) proponit, scilicet ad excludendum Evangelium, et vindicandum Judaismum.

CAPUT XLIX.

Valentinum deinceps, ac ejus sequaces Ptolomæum, Secundum, Heracleonem.

Valentinus autem hæreticus multas introducit fabulas, has ego circumducens (4) breviter expediam. Introducit enim Pleroma et Æones triginta: exponit autem hos per syzygias, id est, conjugationes quasdam. Nam dicit in primis, esse Bython et Silentium; ex his processisse semen (5), Mentem et Veritatem: ex quibus erupisse Verbum et Vitam: de quibus rursum creatum hominem et Ecclesiam. Sed enim ex his quoque processisse duodecim æonas; de Sermone autem et Vita, æonas alios decem: hanc (6) esse æonum triacontada, quæ fit (7) in Pleromate ex ogdoade et decade, ac dyodecade. (*d*) Tricesimum autem æonem, Bython illum videre voluisse, et ad videndum illum ausum esse in superiora Pleromatis conscendere. Et quoniam ad magnitudinem ipsius videndam capax non fuit, in defectione fuisse, et pene dissolutum esse, nisi quia missus (8) ad constabiliendum illum, ille quem appellant Horon, confirmasset illum dicto Iao (9). (*e*) Hoc pronuntiat Io Apelles (10). Istum autem Æonem in defectionem factum Achamoth dicit in passionibus desiderii quibusdam fuisse, et ex passionibus materias edidisse. Expavit enim, inquit, et extimuit, et contristata (11)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vitæ *tollit Seml.*
(2) Colligere est retenta *Jun.*
(3) Esse *Seml.*
(4) Circumdicens *Seml.* circumducens *Latin.* circumcidens *Rhen.*
(5) Semen *tollit Ciacconius.*
(6) Hæc *Seml.*
(7) Sit *Seml.* fiat *Jun.*
(8) Misisset *Seml.*
(9) Iao *tollit Seml.*
(10) Hoc pronuntiatio appellat *Rig. quæ omnia Semlero tollenda videntur.*
(11) Contristatus, *Seml. subaud. est.*

COMMENTARIUS.

(b) *Hujus successor Ebion fuit.* Is fuit impius qui B. Virginem hominem non Deum peperisse dixit, qui Evangelium tantum Hebr. recipiebat; contra quem S. Joannes, apostolus idem et evangelista, suum Evangelium novissimus scripsit. B. Pauli Epistolas non admittebat, Apostolum enim apostatam vocabat. Quoniam vero de Christo primum humiliter sentiebant et loquebantur Ebionæi, sive quo ingeniis egestatem sua hæresi proderent, eorum auctor nescio quo casu *mendicus* dictus est. Nam Hebræis *Ebion* idem ac *mendicus*. LE PR.

(c) *Et quia scriptum sit, Nemo discipulus super magistrum.* Indiculus Hieron., *Carpocras, Cerinthus et Hebion, hi tres sibi successerunt, docentes omnia secundum legem, circumcidi, observare sabbata et dies festos judaicos, Christus enim hæc omnia observavit. Sufficere dicentes ita esse doctorem ut magistrum.* Unde manifestum est hæc ita esse distinguenda. *Et quia scriptum sit, Nemo discipulus super magistrum, nec servus super dominum, legem etiam proponit*, etc. RIG.

CAP. XLIX.—(d): *Tricesimum autem Æonem.* Indiculus Hier. *Tricesimum itaque rotulum, quod est sapientia, concupivit Patrem videre.* LE PR.

(e) *Hoc pronuntiatio appellat.* Videtur aliquid deesse, quod suppleri possit ex iis quæ leguntur lib. adversus Valentinianos: *Tam importune filiæ occurrisset, ut etiam inclamarit in eam: Jao, quasi: Porro Quirites! aut, Fidem Cæsaris! Inde invenitur Iuo in scripturis.* RIG. — *Hoc pronuntiat Io Apelles.* Perobscurum hunc locum ita restituimus, rationibus partim ducti quas P. Harduinus, e soc. Jesu, in *Collectaneis* (*Mémoires de Trévoux, avril*, 1724, *p.* 842 *et suiv.*) explicuit, quamquam non *Apelles*, sed *Apella*, potius putaverit legendum. Verum memoria, si minus judicio, lapsus videtur famosus auctor: contendit enim ad Valentinum utpote natione judæum alludendi consilium fuisse Tertulliano Apellam appellativo sensu nominanti, id est, circumcisum, juxta illud Horatii (I, sat. 5, v. 100):

Credat Judæus Apella,
Non ego.

At vero Valentinus ne judæus quidem, sed ægyptius fuit, secundum quod S. Irenæus enarrat l. I, c. 1 (*Cf. Max. Biblioth. SS. Patrum anct. Margarino de la Bigne, t.* XXV. *f.* 110), et referunt omnes historici lexicographi. Apelles autem, Marcionis discipulus et ipse hæresiarcha, cœvus Tertulliano erat, ut hoc ipso ex libro, c. 41, patet, et sane potuit IO pro IAO pronuntiare, ut, perinde atque Heracleon, de quo infra hoc capite XLIX, *novitate pronuntiationis videretur alia sentire.* Alterum in errorem impegit plane similem eruditus jesuita, inducendo (*p.* 845 *cit. operis*) Tertullianum de Heracleone tanquam de judæo homine verba facientem: neque enim *alterum judæum*, sed *alterum hæreticum* Heracleonem Noster dixit. Præterea, parum verisimile videtur Judæorum e gente Heracleonem fuisse, cum *in partibus Siciliæ docere inchoaverit* (*Consule Max. Biblioth. SS. Patrum, t.* XXVII, *fol.* 547).

His igitur positis exceptionibus, equidem cum Harduino censeo vocem IO, perinde atque IA, nomen Dei Hebræis fuisse, diverso tamen modo pronuntiatum. Nomen enim Dei non tantum sub ea forma IE, ut in *alleluia*, sed etiam per IO, ut in *Johannes, Josedec*, invocari apud ipsos semper licitum fuit. Nemo autem ignorat, quamvis id quoque P. Harduinum fefellerit, vetitum fuisse Judæis Dei nomen in propria forma usurpare, idque nominis non fuisse simpliciter יה, ut volebat Harduinus (nam si res ita se habuisset, pronuntiandum fuisset IE potius, quam IO aut IAO vel IA), sed totis litteris יהוה, id est, JEHOVAH: quapropter usu fuisse inter illos ad abbreviatam formam IA vel IO recurrere, quo magis religio nominis servaretur (*Cf. Buxtorf, v.* יהוה). Sed Valentinus quidem IAO dicere maluit, forsan quia ea forma ægyptiaca esset; Apelles autem IO, ex hebraico nimirum

est, et ex his passionibus concepit et edidit. Hinc fecit cœlum et terram et mare, et omnia quæcumque sunt in eis, ob quam caussam omnia infirma esse et fragilia, et caduca, et mortalia quæcumque sunt ab ipso facta : quoniam quidem ipse fuerit (*a*) de aporiatione conceptus atque prolatus : hunc tamen instituisse istum mundum ex his materiis, quas Achamoth, vel pavendo, vel timendo, vel contristando, vel sudando præstiterat. Nam ex pavore, inquit, tenebræ factæ sunt : ex timore et ignorantia, spiritus nequitiæ et malignitatis: ex tristitia et lacrymis, humida fontium, fluminum materia, marisque. Christum autem missum ab illo propatore qui est Bythos. Hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam (1) per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. Resurrectionem hujus carnis negat, sed alterius (2). Legis et prophetarum quædam probat, quædam improbat : id est, omnia improbat, dum quædam reprobat. Evangelium habet etiam suum, præter hæc nostra. Post hunc extiterunt (*b*) Ptolomæus et Secundus hæretici, qui cum Valentino per omnia consentiunt. In illo solo differunt. Nam cum Valentinus Æonas tantum triginta finxisset, isti addiderunt alios complures. Quatuor enim primum, deinde alios quatuor aggregaverunt. Et quod dicit Valentinus Æonem trigesimum (3) excessisse de pleromate, ut in defectionem, negant isti. Non enim ex illa triacontade fuisse hunc, qui fuerit in defectionem, propter desiderium videndi propatoris. Extitit præterea Heracleon alter hæreticus, qui cum Valentino paria sentit, sed novitate quadam pronuntiationis vult videri alia sentire. Introducit enim in primis (*c*) illud fuisse quod pronuntiat, et deinde ex illa monade duo, ac deinde reliquos Æonas, deinde introducit totum Valentinum.

CAPUT L.

Marcum item et Colarbasum.

Non defuerunt post hos Marcus quidam et Colarbasus, novam hæresin ex Græcorum alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse litteris inveniri; imo totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis litteris esse dispositam. Propter hanc enim caussam Christum dixisse : Ego sum A et Ω. Denique (4) Jesum Christum descendisse, id est, (*d*) columbam in Jesum venisse, quæ græco nomine cum περιστερὰ pronuntietur, habeat (5) secundum numerum, DCCCI. (*e*) Percurrunt isti ω, ψ, χ, φ, υ, τ, totum usque ad Alpha Beta (6), et computant ogdoadas et decadas, ita ut adferre (7) illorum omnes vanitates ineptum sit et otiosum, quod tamen non tantum jam vanum, sed etiam periculosum sit. Alterum Deum fingunt præter creatorem. Christum in substantia negant carnis fuisse. Negant carnis resurrectionem futuram.

CAPUT LI.

Post hæc Cerdonem, Marcionem, ejusque discipulos Lucanum et Apellem.

Accedit his Cerdon quidam; hic introducit initia duo, id est duos deos, unum bonum, et alterum sævum; bonum superiorem, sævum hunc mundi creatorem. Hic prophetias et legem repudiat, Deo creatori renuntiat, superioris Dei Filium Christum venisse tractat, hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronuntiat, nec omnino passum, sed quasi passum : nec ex virgine natum, sed omnino nec natum. Resurrectionem animæ tantummodo probat, corporis negat. Solum Evangelium Lucæ, nec tamen totum recipit. Apostoli Pauli neque omnes, neque totas Epistolas sumit. Acta Apostolorum et Apocalypsin quasi falsa rejicit. (*f*) Post hunc

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aqua *Seml.*
(2) Sed non alterius *Latin.* hujus carnis, sed alterius legis *Jun.* alterius partis, *scilicet animæ*, *mavult Seml.*
(3) Tricesimum *al.* triginta *Seml.*
(4) *Addendum* in *censet Seml.*
(5) Habere, *Seml.*
(6) Alphabetum *Seml.*
(7) Ita ad ferre *Seml.*

COMMENTARIUS.

more ; Heracleon vero demum, alio forte etiam ignoto vocis sono, scilicet, ut *videretur alia sentire*. At P. Harduinus (p. 846) conflixit per ADONAI nomen יהוה (Jehovah) pronuntiatum esse ; sed quo fundamento innixus istud asseruerit, ipsum, puto, quoque latet, quanquam neminem ex eruditis prætereat Deum *Adonai*, loco *Jehovah*, religionis gratia sæpe sæpius fuisse dictum.

Deinde (p. 847) affirmavit vir quamvis eruditissimus nominis IAO (JEHOVAH, credo, voluit dicere) genuinam originem esse היה הוא, hoc est, DEUS IPSE. Imo vero quis nescit, modo sit in hebraicis litteris tantisper versatus, vocem יהוה formam esse 3. personæ singularis numeri futuri temporis verbi היה (*havah*) τὸ *esse* significantis, neque usquam literam ה huic nomini adjunctam esse? Reliqua scriptoris ejusdem in hunc locum, et circa vocem IAOTH præsertim deliramenta (*p.* 848 *et* 849) refutare, vel prætermittimus omnino, vel ad eo usque, dum S. Irenæi (Deus utinam velit) edamus opera, lectorem remittimus. (Cf. *Tertull. l. adv. Valent. c.* 14; *Origen. l.* IX *contra Celsum*; *Diodor. Sicul. l.* I, *p.*84 ; *Euseb., l.* I. *Præpar. Evang., versus finem* ; *S. Iren.*, l. I, c. 4 et 18 ; *Clem. Alex.*, etc.). EDD.

(a) *De aporiatione conceptus atque prolatus.* Aporiatio, hæsitatio, metus, confusio : Irenæus, *Dehinc expavisse et aporiatam*, id est, *confusam*. LE PR.

(b) *Ptolomæus et Secundus.* Illi Valentini successores fuerunt, ut et Heracleon, de quorum fabulis et anilibus commentis pauca seu potius nihil dicemus, cum eorum dogmata plenissime excutiantur apud S. Epiphanium. LE PR.

(c) *Illud fuisse quod pronuntiat.* Hic etiam deesse videtur aliquid vocabuli. RIG.

CAP. L.—(d) *Columbam in Jesum venisse.* An hisce nugis immorari liceat, adhuc dubito ; ne tamen hoc sine monito prætereamus, α et ω. apud Græcos eumdem numerum conficiunt ac vox περιστερά : numerus autem est 801, ut hic apponitur. Unde grammaticales nugæ Marcosiorum et Colarbasiorum. LE PR.

(e) *Percurrunt isti.* Hæc aliter referuntur apud Epiphanium hær. 34 ex Irenæo, sed vanus labor est ineptiarum. RIG.

CAP. LI.—(f) *Post hunc discipulus ejus emersit Marcion.* Is a patre proprio ob stuprum Ecclesia pulsus est. Pater enim episcopus fuit, cumque multis supplicationibus in Ecclesiam admitti ab eodem non potuisset, Ro-

discipulus ipsius emersit (*a*) Marcion quidam nomine, ponticus genere, episcopi filius, propter stuprum cujusdam virginis ab Ecclesiæ communicatione abjectus. Hic ex occasione qua dictum sit, Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos, hæresin Cerdonis approbare conatus est, eadem dicere, quæ ille superior hæreticus ante dixerat. Extitit post hunc (*b*) Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus : et hic per eadem vadens blasphemiæ genera, eadem docet quæ Marcion et Cerdon docuerant. Post hos subsequitur Apelles, discipulus Marcionis, qui posteaquam in carnem suam lapsus est, a Marcione segregatus est. Hic introducit unum Deum infinitis superioribus partibus. Hunc potestates multas, angelosque fecisse : propterea et aliam virtutem quam dicit, Dominum dicit, sed angelum ponit. Hoc vult videri mundum institutum ad imitationem mundi superioris, cui mundo permiscuisse pœnitentiam ; quia non illum tam perfecte fecisset, quam ille superior mundus institutus fuisset. Legem et prophetas repudiat. Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet ; sed eo quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem et æream contexuisse : hunc in resurrectione singulis quibusque clementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, et sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in cœlo spiritum tantum reddidisse. Hic carnis resurrectionem negat ; solo utitur et Apostolo, sed Marcionis, id est non toto. Animarum solarum dicit salutem. Habet præterea privatas, sed extraordinarias lectiones suas, quas appellat phaneroseis Philumenes cujusdam puellæ, quam quasi prophetissam sequitur. Habet præterea suos libros, quos inscripsit Syllogismorum, in quibus probare vult, quod omnia quæcumque Moyses de Deo scripserit, vera non sint, sed falsa sint.

CAPUT LII.

Tatianum inde, et eos qui secundum Phrygas dicebantur, κατὰ Proclum, ad secundum Æschinem, Montanistas.

His hæreticis omnibus (*c*) accedit Tatianus quidam alter hæreticus. Hic Justini martyris discipulus fuit, post hunc diversa sentire cœpit. Totus enim secundum Valentinum sapit, adjiciens illud, Adam nec salutem consequi posse : quasi non, si rami salvi fiant, et radix salva sit. Accesserunt alii hæretici, qui dicuntur (*d*) secundum Phrygas ; sed horum non una doctrina est. Sunt enim qui κατὰ Proclum dicuntur, sunt qui secundum Æschinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem suam : et communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse : et qua dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse, nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora.

CAPUT LIII.

Denique Blastum, Theodotum utrumque, Praxeam et Victorinum.

Privatam autem blasphemiam illi qui sunt κατὰ Æschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium et Patrem. Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, XIV. mensis. Quis autem nesciat, quoniam evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum rediget ? (*e*) Accedit his Theodotus hæreticus byzantius : qui posteaquam Christi pro nomine comprehensus negavit, in Christum blasphemare non destitit. Doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret ; ex Spiritu quidem Sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium, atque nudum, nulla alia præ cæteris, nisi sola justitiæ auctoritate. Alter post hunc Theodotus hæreticus erupit, qui et ipse introduxit alteram sectam, et ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu Sancto, ex virgine Maria conceptum pariter et natum ; sed hunc inferiorem esse

COMMENTARIUS.

mam petiit, ubi ab apostolicis viris pari ratione ejectus. Quæ cum animadverteret, in Cerdonis deliramenta jurare cœpit, et illius imposturas amplecti. De eodem ferunt, cum, sub Aniceto pontifice Romæ B. Polycarpo occurreret, ab eo petiisse, an cum nosset, respondisse B. Polycarpum, *Novi primogenitum Satanæ*. LE P.

(a) *Marcion episcopi filius propter stuprum cujusdam virg.* Hæc etiam narrat Epiphanius. Septimius tamen libro de Præscript. hæreticorum, et libris adversus ipsum Marcionem, ubi de ejecto Marcione, aç de ejus flagitiis plurima disserit stupratæ virginis non meminit. Unde opinari liceat, hunccc Catalogum hæreticorum non esse Tertulliani. Nam et lib. de Præscript. hæreticorum, Marcionensem continentiam laudat, et Marcionem castratorem carnis nuncupat in principio librorum adversus ipsum. Irenæus quoque notat Marcionis discipulos continentium nomen usurpasse, nuptias damnasse. RIG.

(b) *Lucanus quidam*, etc. Hic de suo nomine Lucanistas habuit. Est autem alter Lucianus nomine Marcionis discipulus, a quo Lucianistæ hæretici. LE P.

CAP. LII. — (c) *Accedit Tatianus quidam.* Fuit hic Justini martyris discipulus, ac quandiu magister ipsius vixit, de religione ac fide optime sentire visus est ; eodem autem mortuo, æonas et Valentini impia dogmata secutus est. LE P.

(d) *Secundum Phrygas.* Unico vocabulo Cataphrygæ dicuntur hæretici, quoniam in Phrygia (inferiori, *Edd.*) potissimum grassati sunt. Illius hæreseos auctores ex ea fuerunt provincia, Apelles, Montanus, et ipsius prophetissa Prisca, seu Priscilla, et Maximilla. Imperante Commodo, et pontifice Sotere floruerunt. LE P.

CAP. LIII.—(e) *Accedit his Theodotus, hæreticus byzantius.* Coriarius hic fuit byzantius. Differt autem ab alio Theodoto de quo mox loquitur Tertullianus, qui Melchisedecianorum auctor fuit. Dicebant autem hi hæretici Christum ipso Melchisedech inferiorem fuisse, quoniam Melchisedech sine patre et matre fuisse dicitur. Christum vero matrem habuisse evangelistæ omnes et universa Scriptura ac traditio testantur. LE P.

quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX; 4). Nam illum Melchisedech præcipuæ gratiæ cœlestem esse virtutem : eo quod a Patri Christus pro hominibus, deprecator et advocatu ipsorum factus. Melchisedech facere pro cœlestibus angelis atque virtutibus, nam esse illum usque adeo Christo meliorem, ut apator sit, ametor sit, agenealogetus sit, A cujus neque initium, neque finis comprehensus sit aut comprehendi possit. Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam hæresim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum passumque contendit et mortuum : præterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam, cum prophana et sacrilega temeritate proponit (*a*).

COMMENTARIUS.

(a) Cum in hujusce editionis decursu firmus ratusque nobis sit animus, fragmenta quotquot et ubicumque exstant, dummodo vera vetustatis nota commendentur, in lucem ne pereant, servare iterumque colligere, hæc igitur ultima libri Præscriptionum capita, seu hæreticorum catalogum, quidquid viri summi clarissimique de ejus ἀυθεντίᾳ secus senserint, eo loci omittere periculo duximus. De hujus fragmenti auctoritate consulendi sunt Tillemont, in notis ad Tertullian. ad calcem, t. III, p. 659, operis notissimi (Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique); P. Tournemine, in Ephemerid. Trivultian., an. 1705, jub., aug., p. 311. Edd.

SERIES PRIMA.

LIBRI POLEMICI,

AB AUCTORE MONTANISTA SCRIPTI.

DE CORONA MILITIS.
DE FUGA IN PERSECUTIONE.
ADVERSUS GNOSTICOS SCORPIACE.
ADVERSUS PRAXEAM.
ADVERSUS HERMOGENEM.
ADVERSUS MARCIONEM, lib. quinque.
ADVERSUS VALENTINIANOS.
ADVERSUS JUDÆOS.
DE ANIMA.
DE CARNE CHRISTI.
DE RESURRECTIONE CARNIS.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE CORONA (*b*).

Argumentum. — *Inter eos quos in Montanismo exaravit Tertullianus libros, primum locum obtinet liber de Corona, anno Christi CCI editus, quemadmodum, perdoctum secutus Noesseltum, in sua proœmiali dissertatione Lumper luculenter demonstravit. Occasionem scribendi hujus tractatus auctori præbuit militis factum infra in exordio eleganter enarratum, quod cum christianorum nonnulli reprehenderent, militique Ecclesiam longa pace fruentem temere periculo exponendam improperarent, de cætero asserentes hanc* B *coronam gestare, esse ornamentum sua natura nec bonum, nec malum, solus Tertullianus, pro aspero suo ingenio, libro de Corona scripto militis causam propugnavit; acriterque pastores in pace leones, in prælio cervos insectatus, quia sic coronari idololatriæ signum esset, interrogantibus quonam scripturæ loco tales coronas gestare prohiberetur, ait sufficere traditionem. In hoc itaque libro traditionem et consuetudinem non mediocriter extollit, pluraque profert de cæremoniis exempla notatu digna, quæ ex traditione*

COMMENTARIUS.

(b) *De corona.* Sic inscribitur hic liber in cod. Agobardi; non ut vulgo, *De corona militis.* Et veterem

discipulus ipsius emersit (*a*) Marcion quidam nomine, ponticus genere, episcopi filius, propter stuprum cujusdam virginis ab Ecclesiæ communione abjectus. Hic ex occasione qua dictum sit, Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos, hæresin Cerdonis approbare conatus est, eadem dicere, quæ ille superior hæreticus ante dixerat. Extitit post hunc (*b*) Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus : et hic per eadem vadens blasphemiæ genera, eadem docet quæ Marcion et Cerdon docuerant. Post hos subsequitur Apelles, discipulus Marcionis, qui posteaquam in carnem suam lapsus est, a Marcione segregatus est. Hic introducit unum Deum infinitis superioribus partibus. Hunc potestates multas, angelosque fecisse : propterea et aliam virtutem quam dicit, Dominum dicit, sed angelum ponit. Hoc vult videri mundum institutum ad imitationem mundi superioris, cui mundo permiscuisse pœnitentiam ; quia non illum tam perfecte fecisset, quam ille superior mundus institutus fuisset. Legem et prophetas repudiat. Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet ; sed eo quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem et æream contexuisse : hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, et sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in cœlo spiritum tantum reddidisse. Hic carnis resurrectionem negat ; solo utitur et Apostolo, sed Marcionis, id est non toto. Animarum solarum dicit salutem. Habet præterea privatas, sed extraordinarias lectiones suas, quas appellat phaneroseis Philumenes cujusdam puellæ, quam quasi prophetissam sequitur. Habet præterea suos libros, quos inscripsit Syllogismorum, in quibus probare vult, quod omnia quæcumque Moyses de Deo scripserit, vera non sint, sed falsa sint.

CAPUT LII.

Tatianum inde, et eos qui secundum Phrygas dicebantur, κατὰ Proclum, ad secundum Æschinem, Montanistas.

His hæreticis omnibus (*c*) accedit Tatianus quidam alter hæreticus. Hic Justini martyris discipulus fuit, post hunc diversa sentire cœpit. Totus enim secundum Valentinum sapit, adjiciens illud, Adam nec salutem consequi posse : quasi non, si rami salvi fiant, et radix salva sit. Accesserunt alii hæretici, qui dicuntur (*d*) secundum Phrygas ; sed horum non una doctrina est. Sunt enim qui κατὰ Proclum dicuntur, sunt qui secundum Æschinem pronuntiantur. Illi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem suam : et communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse : et qua dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse, nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora.

CAPUT LIII.

Denique Blastum, Theodotum utrumque, Praxean et Victorinum.

Privatam autem blasphemiam illi qui sunt κατὰ Æschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium et Patrem. Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, XIV. mensis. Quis autem nesciat, quoniam evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum rediget ? (*e*) Accedit his Theodotus hæreticus byzantius : qui posteaquam Christi pro nomine comprehensus negavit, in Christum blasphemare non destitit. Doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret ; ex Spiritu quidem Sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium, atque nudum, nulla alia præ cæteris, nisi sola justitiæ auctoritate. Alter post hunc Theodotus hæreticus erupit, qui et ipse introduxit alteram sectam, et ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu Sancto, ex virgine Maria conceptum pariter et natum ; sed hunc inferiorem esse

COMMENTARIUS.

mam petiit, ubi ab apostolicis viris pari ratione ejectus. Quæ cum animadverteret, in Cerdonis deliramenta jurare cœpit, et illius imposturas amplecti. De eodem ferunt, cum, sub Aniceto pontifice Romæ B. Polycarpo occurreret, ab eo petiisse, an eum nosset, respondisse B. Polycarpum, *Novi primogenitum Satanæ*. Le P.

(a) *Marcion episcopi filius propter stuprum cujusdam virg.* Hæc etiam narrat Epiphanius. Septimius tamen libro de Præscript. hæreticorum, et libris adversus ipsum Marcionem, ubi de ejecto Marcione, ac de ejus flagitiis plurima disserit stupratæ virginis non meminit. Unde opinari liceat, huncce Catalogum hæreticorum non esse Tertulliani. Nam et lib. de Præscript. hæreticorum, Marcionensem continentiam laudat, et Marcionem castratorem carnis nuncupat in principio librorum adversus ipsum. Irenæus quoque notat Marcionis discipulos continentium nomen usurpasse, nuptias damnasse. Rig.

(b) *Lucanus quidam*, etc. Hic de suo nomine Lucanistas habuit. Est autem alter Lucianus nomine Marcionis discipulus, a quo Lucianistæ hæretici. Le Pr.

CAP. LII. — (c) *Accedit Tatianus quidam.* Fuit hic Justini martyris discipulus, ac quandiu magister ipsius vixit, de religione ac fide optime sentire visus est ; eodem autem mortuo, æonas et Valentini impia dogmata secutus est. Le Pr.

(d) *Secundum Phrygas.* Unico vocabulo Cataphrygæ dicuntur hæretici, quoniam in Phrygia (inferiori, *Edd.*) potissimum grassati sunt. Illius hæreseos auctores ex ea fuerunt provincia, Apelles, Montanus, et ipsius prophetissa Prisca, seu Priscilla, et Maximilla, imperante Commodo, et pontifice Sotere floruerunt. Le Pr.

CAP. LIII. —(e) *Accedit his Theodotus, hæreticus byzantius.* Coriarius hic fuit byzantius. Differt autem ab alio Theodoto de quo mox loquitur Tertullianus, qui Melchisedecianorum auctor fuit. Dicebant autem hi hæretici Christum ipso Melchisedech inferiorem fuisse, quoniam Melchisedech sine patre et matre fuisse dicitur, Christum vero matrem habuisse evangelistæ omnes et universa Scriptura ac traditio testantur. Le Pr.

quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX; 4). Nam illum Melchisedech præcipuæ gratiæ cœlestem esse virtutem : eo quod a Christus pro hominibus, deprecator et advocatu ipsorum factus. Melchisedech facere pro cœlestibus angelis atque virtutibus, nam esse illum usque adeo Christo meliorem, ut apator sit, ametor sit, agenealogetus sit, A cujus neque initium, neque finis comprehensus sit aut comprehendi possit. Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam hæresim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum passumque contendit et mortuum : præterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam, cum prophana et sacrilega temeritate proponit (*a*).

COMMENTARIUS.

(a) Cum in hujusce editionis decursu firmus ratusque nobis sit animus, fragmenta quotquot et ubicumque exstant, dummodo vera vetustatis nota commendentur, in lucem ne pereant, servare iterumque colligere, hæc igitur ultima libri Præscriptionum capita, seu hæreticorum catalogum, quidquid viri summi clarissimique de ejus αὐθεντίᾳ secus senserint, eo loci omittere periculo duximus. De hujus fragmenti auctoritate consulendi sunt Tillemont, in notis ad Tertullian. ad calcem, t. III, p. 659, operis notissimi (Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique); P. Tournemine, in Ephemerid. Trivultian., an. 1705, jub., aug., p. 311. Edd.

SERIES PRIMA.

LIBRI POLEMICI,

AB AUCTORE MONTANISTA SCRIPTI.

DE CORONA MILITIS.
DE FUGA IN PERSECUTIONE.
ADVERSUS GNOSTICOS SCORPIACE.
ADVERSUS PRAXEAM.
ADVERSUS HERMOGENEM.
ADVERSUS MARCIONEM, lib. quinque.
ADVERSUS VALENTINIANOS.
ADVERSUS JUDÆOS.
DE ANIMA.
DE CARNE CHRISTI.
DE RESURRECTIONE CARNIS.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE CORONA (*b*).

Argumentum. — *Inter eos quos in Montanismo exaravit Tertullianus libros, primum locum obtinet liber de Corona, anno Christi CCI editus, quemadmodum, perdoctum secutus Noesseltum, in sua prœmiali dissertatione Lumper luculenter demonstravit. Occasionem scribendi hujus tractatus auctori præbuit militis factum infra in exordio eleganter enarratum, quod cum christianorum nonnulli reprehenderent, militique Ecclesiam longa pace fruentem temere periculo exponendam improperarent, de cætero asserentes hanc* B *coronam gestare, esse ornamentum sua natura nec bonum, nec malum, solus Tertullianus, pro aspero suo ingenio, libro de Corona scripto militis causam propugnavit; acriterque pastores in pace leones, in prœlio cervos insectatus, quia sic coronari idololatriæ signum esset, interrogantibus quonam scripturæ loco tales coronas gestare prohiberetur, ait sufficere traditionem. In hoc itaque libro traditionem et consuetudinem non mediocriter extollit, pluraque profert de cæremoniis exempla notatu digna, quæ ex traditione*

COMMENTARIUS.

(b) *De corona.* Sic inscribitur hic liber in cod. Agobardi; non ut vulgo, *De corona militis.* Et veterem

recepta esse contendit. Quam opima sit in eo libro rerum memorabilium, vetustarumque consuetudinum copia, pateat ex ipsomet totius libri synoptico conspectu.

Cum igitur præfracte sanxit coronam gestare contra morem esse et traditionem christianorum, obiter describit baptismi cæremonias, SS. Eucharistiæ sacramenta, oblationem pro defunctis, pro natalitiis martyrum, dominicam diem, jejunium, crucis in fronte signum.

Tum, ad suum scopum rediens, totus in coronæ usum invehitur, quem vult vel natura prohiberi, imo originem redolere superstitiosam, saltem insuetum esse patriarchis, prophetis, levitis, nec non et templo Dei, arcæ testamenti, tabernaculis martyriis; demum nulla utendum esse corona, sive militari, sive triumphali, sive castrensi, sive laurea, aureave magistratibus concessa, sive corona lætitiæ, aut nuptiarum, libertorumve vel agonisticæ palæstræ, quippe cum sertum spinarum subiit Christus, Christianisque sit in cœlis reposita corona. EDD.

CAPUT PRIMUM.

Proxime facta est liberalitas præstantissimorum imperatorum (1) (*a*); expungebantur (*b*) in castris milites laureati. Adhibetur quidam illic magis Dei miles, cæteris constantior fratribus, qui se duobus dominis (*c*) servire posse præsumpserant, solus libero capite, coronamento in manu otioso (*d*). Vulgata jam et ista disciplina Christianorum relucebat (2). Denique singuli designare, et eludere eminus, infrendere cominus. Murmur tribuno defertur (*e*), et persona jam ex ordine accesserat. Statim tribunus : Cur, inquit, tam diversus habitu? Negavit ille cum cæteris sibi licere; caussas expostulatus, Christianus sum, respondit. O militem in Deo gloriosum! Suffragia exinde, et res ampliata, (*f*) et reus ad præfectos. Ibidem gravissimas penulas (*g*) posuit, relevari auspicatus, speculatoriam morosissimam (*h*) de pedibus absolvit, terræ sanctæ insistere incipiens, gladium nec dominicæ defensioni necessarium (*i*) reddidit (*Math.* XXVI, 52) : (*j*) laurea et de manu (3)

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita Rhen. et Gelen. ex auctoritate cod. Gorgiensis. Junius e ms.* facta liberalitate etc. *Miram scripturam protulit Rig.* : proxime factum est... liberalitas — expungebatur in castris — milites laureati adibant.

(2) Quidam illic magis Dei miles.

(3) In manu otios), vulgata jam et ista disciplina christiano relucebat. Denique singuli designare et ludere.

COMMENTARIUS.

manum eo libentius sequimur, quod etsi ab militis cujusdam facinore Septimius occasionem scribendi sumpserit; tamen haud solos milites, sed omnem omnino Christianum ab coronæ gestamine depellit. RIG.

CAP. I. — (a) *Præstantissimor. impp.* Videlicet L. Septimii Severi patris, et M. Aurelii Antonini Caracallæ filii, sub quibus Tertullianum floruisse D. Hieronymus auctor est in illustrib. Ecclesiæ viris. RHEN.

(b) *Expungebantur.* Subaudi, *donativo.* Nam liberalitatis facta est mentio: hoc est donativum promissum militib. solemniter exsolvebatur, sive præstabatur. RIG.

(c) *Duobus dominis servire posse præsumpserant.* Deo et Cæsari. RIG.

(d) *Coronamento in manu otioso.* Otiosum dicit inutile et ineptum. Sic ad uxorem: *Nobis otiosum est liberos serere*, hoc est, Christianis inutile est et ineptum liberos serere, dum sævit in Christianum nomen tyrannus. RIG.

(e) *Murmur Tribuno defertur.* Sic habet exemplar Agobardi. In codice Divionensi, et vulgatis editionibus legitur: *Continuo murmur Tribuno defertur.* Sunt qui malint distinguere: *Continuo murmur Tribuno deferetur.* Sed bis idem dici videbitur; nam *infrendere cominus* est *murmur.* RIG.

(f) *Et res ampliata, et reus ad præf.* Vetus exemplar sic omnino habet: *Et res am..... ta et reus ad præf.* Unde opinari liceat Tertullianum scripsisse: *Et res ampliata et reus ad præf.* Res ampliari dicitur, cujus cognitio in aliud tempus, vel ad aliud tribunal rejicitur aut remittitur. Itaque rei in judiciis damnantur, absolvuntur, ampliantur, amburuntur. Damnati vel absoluti occurrunt passim. Ampliatorum exempla sunt apud Livium in lib. XIII, ubi de M. Titinnio: *Bis ampliatus, tertio absolutus est reus.* Et paulo post, de P. Furio, Phillo et M. Martieno: *Gravissimis criminibus accusati ambo ampliatique.* Ambustorum, hoc est eorum qui in discrimen capitis adducti, neque damnati, neque absoluti sunt, exempla quoque reperiuntur; ut L. Æmilii Pauli, apud eumdem Livium in lib. XXII : *Æmilium Paulum, qui cum M. Livio Cos. fuerat, et damnatione collegæ et sua prope ambustus evaserat, infestum plebi, diis ac multum recusantem, ad petitionem compellit.* Et apud Valer. Maximum, ambustæ duæ memorantur, inexplicabili cunctatione, questionibus modo translatis, modo dilatis. RIG.

(g) *Gravissimas penulas posuit relevari auspicatus.* Notavimus in Apologeticum, pag. 7, penulas gravitate sua fuisse odiosas. Hinc igitur Septimius occasione sumpta, ait militem illum in Deo gloriosum, gravissimo militiæ gentilis onere deposito, jam exinde relevari cœpisse, simul atque onus Christi subiit, quod esse leve Christus ipse docuit. RIG.

(h) *Speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit.* Hæc pertinent ad caligam militarem, præsertimque militis illius qui inter speculatores militaverat, quæ militia erat valde, inquies, morosa et aspera, cum huc illuc cursitando, explorando, nuntiandoque vagaretur. Is igitur de caligato speculatore factus Christianus, absolvit de pedibus suis morosissimam illam et molestissimam caligam speculatoriam, et simul cœpit terræ sancte insistere, hoc est, in ipso vestigio mortem pro Christi nomine fortiter oppetere, vitam agere sanctam et innocentem, longe absimilem speculatoriæ, quæ et carnificinam ad tribuni nutum plerumque agebat. RIG.

(i) *Gladium nec Dominicæ defensioni necessarium.* Alludit ad illud Christi ad Petrum : *Mitte gladium tuum in vaginam.* De quo etiam Augustinus, Epist. ad Vincentium : *Petri gladius in vaginam revocatur a Christo, et ostenditur non debuisse de vagina eximi, nec pro Christo.* Nempe, ut ait Tertullianus lib. de Patientia, pag. 160 : *Patientia Domini in Malcho vulnerata est.* Itaque Dominus et gladii opera maledixit in posterum. Exarmato Petro, omnem Christianum discinxit. RIG.

(j) *Laurea et de manu claruit.* Nam coronam in manu gerebat, idcirco laurea de manu claruit, id est, clare visa est, et non de capite, quod liberum erat. RHEN.

corruit (1). Et nunc (*a*) russatus sanguinis sui spe, calceatus (*b*) de Evangelii paratura, succinctus acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus (*Eph.* VI, 11) et de martyrii candida melius coronandus, donativum Christi in carcere exspectat. Exinde sententiæ super illo, nescio an Christianorum, non enim aliæ ethnicorum, ut de abrupto, et præcipiti, et mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit: solus scilicet fortis, inter tot fratres commilitones solus Christianus. Plane superest ut etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias ejusdem Spiritus sancti respuerunt. Mussitant denique (*c*), tam bonam et longam sibi pacem periclitari. Nec dubito quosdam Scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem; nullam enim aliam Evangelii memoriam curant. Novi et pastores (*d*) eorum, in pace leones, in prælio cervos. Sed de quæstionibus confessionum alibi docebimus. At nunc quatenus et illud opponunt: Ubi autem prohibemur coronari? Hanc magis localem substantiam caussæ præsentis aggrediar, ut et qui ex sollicitudine ignorantiæ quærunt, instruantur; et qui in defensionem (2) delicti contendunt, revincantur; ipsi vel maxime Christiani laureati, quibus id solum quæstio est; quasi aut nullum aut incertum saltem haberi possit delictum quod patiatur quæstionem. Nec nullum autem nec incertum, hinc interim ostendam.

CAPUT II.

Neminem dico fidelium coronam capite (3) nosse alias extra tempus tentationis ejusmodi. Omnes ita observant, a catechumenis usque ad confessores et martyras, vel negatores. Videris unde auctoritas moris, de qua nunc maxime quæritur. Porro cum quæritur cur quid observetur, observari interim constat. Ergo nec nullum nec incertum videri potest delictum, quod committitur in observationem suo jam vindicandam nomine, et satis auctoratam consensus patrocinio; planc, ut ratio quærenda sit; sed salva observatione, nec in destructionem ejus, sed in ædificationem (*II Cor.*, XIII, 10) potius, quo magis observes, cum fueris etiam de ratione securus. Quale est autem, ut tunc quis in quæstionem provocet observationem, cum ab ea excidit? et tunc requirat unde habuerit observationem, cum ab ea desiit? quando et si ideo velit videri ad quæstionem vocare, ut ostendat se non deliquisse in observationis destitutione, nihilominus deliquisse in observationis præsumptione. Si enim non deliquit hodie suscepta corona, deliquit aliquando recusata. Et ideo non ad eos erit iste tractatus, quibus non competit quæstio, sed ad illos qui studio discendi, non quæstionem deferunt, sed consultationem. Nam et semper quæritur de isto, et laudo fidem quæ ante credidit (4) observandum esse quam didicit (*Isa.* VII, 9). Et facile est statim exigere, ubi scriptum sit, ne coronemur. At enim ubi scriptum est (*e*), ut coronemur? Expostulantes enim Scripturæ patrocinium in parte diversa, præjudicant suæ quoque parti (5) Scripturæ patrocinium adesse debere. Nam si ideo dicetur coronari licere, quia non prohibeat Scriptura, æque retorquebitur ideo coronari non licere, quia Scriptura non jubeat. Quid faciet disciplina? utrumque recipiet, quasi neutrum prohibitum sit? an utrumque rejiciet, quasi neutrum præceptum sit? Sed quod non prohibetur, ultro permissum est. Imo prohibetur quod non ultro est permissum.

CAPUT III.

Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus habentes observationem inveteratam, quæ prævenïendo statum fecit? Hanc si nulla Scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus an et traditio, nisi (6) scripta, non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Corruit *Wouw.* claruit *Jun.*
(2) Defensione *Semi.*
(3) Capiti, *MS. Wouw.*
(4) Credit *Fran. Paris.*
(5) Partis *Semi.*
(6) Non *Fran. Paris.*

COMMENTARIUS.

(a) *Russatus sanguinis sui spe.* Hæc scriptura est antiquissimorum exemplarium. Tunicæ militares erant russatæ, φοινικοῖ χιτῶνες. Hic miles factus Christianus, pro tunica russata, sanguinis sui spe, hoc est sperata martyrii purpura, russatus dicitur. *Russatæ militares*, apud Trebell. et apud Juvenalem, *russatus: Lacerta.* RIG.

(b) *De Evangelii paratura.* Natura substantive, ceu supra multis in locis: hoc est, gladium qualem solet Evangelium apparare, nempe spiritalem. RHEN.

(c) *Mussitant denique... nec dubito quosdam Scripturas.* Fortissimi hujusce militis facinus ab commilitonibus etiam Christianis, tamquam imprudentis ac præcipitis et intempestivæ fortitudinis exemplum, vituperabatur, deque eo sermones ferebantur, *ut de abrupto et præcipiti, et mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini* christiano invidiam fecisset ac periculum creasset, pacemque tam bonam et longam qua tum Christiani fruebantur, temeritate sua prope evertisset. Has voces graviter increpat Septimius. *Mussitant*, inquit, *tam bonam et longam sibi pacem periclitari: nec dubito quosdam etiam mussitare Scripturas sacras jam emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem.* Vulgo legitur: *Nec dubito quasdam Scripturas emigrare, sarcinas colligere.* At in cod. vetustissimo: *Nec dubito quosdam Scripturas emigrare, sarc. colliq.*, unde procul dubio legendum: *Nec dubito quosdam Scripturas emigrare, sarcinas colligère.* Verbum de præcedentibus repetendum est: *Nec dubito quosdam Scripturas mussitare.* RIG.

(d) *Novi et pastores*, etc. Notat episcopos orthodoxi populi, qui damnationi pseudoprophetæ Montani subscripserant, ceu molliculos, et qui persecutionis tempore primi fugiant, cum plebem ad martyrium animare deberent. Pseudoprophetia Montani videtur præcepisse atque exegisse martyrium. RHEN.

CAP. II. — (e) *At enim ubi scriptum est.* Pro traditionibus hic mire facit Tertull. contra Calvinistas et Magdeburgenses, qui audacter nimis asseruerunt hoc Montani dogma esse, quod falsum et mera calumnia. Nam Montanus, auctore Eusebio, lib. V Hist., contraria quædam traditioni primus proposuisse fertur, LE PR.

debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento (*a*), solius traditionis titulo, et exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique, ut a baptismate ingrediar (*b*), aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur (*c*) nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus : dehinc ter mergitamur (*d*), amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam prægustamus : exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiæ sacramentum (*e*), et in tempore victus, et omnibus mandatum (*f*) a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus : oblationes pro defunctis(*g*), pro natalitiis annua die (*h*) facimus : die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare (1). Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri (*i*) aliquid decuti in terram anxie patimur (*j*). Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis (2) signaculo terimus.

CAPUT IV.

Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies : traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides (3) observatrix. Rationem traditioni (*k*), et consuetudini (4), et fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces; interim nonnullam esse credes, cui debeatur (5) obsequium. Adjicio unum adhuc exemplum, quatenus et de veteribus docere conveniet. (*l*) Apud Judæos tam solemne est fœminis eorum velamen capitis, ut inde noscantur. Quæro

LECTIONES VARIANTES.

(1) De *tollit Seml.*
(2) Crucis *abjicit Seml.*
(3) Fidei *Rhen.*
(4) Traditio consuetudini *Fran. Paris.*
(5) Præbeatur *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. III. — (a) *Sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo.* Totum hunc sermonem exsuxi Hieronymus adversus Luciferianos : *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset*, inquit, *totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam et multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scripturæ et legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis et mellis prægustare concordiam*, etc. Rig.

(b) *Denique ut a baptismate ingrediar.* In codice Agobardi tantum legitur : *Denique ut baptisma ter ingrediar aquam, aditur ibidem.* Rig.

(c) *Aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur.* Auctor Quæst. Veteris et Novi Testamenti, quæst. 102 : *Qui volunt Christiani fieri, accedunt antistitem, dicunt ei vota sua. Ille facit verba juris ecclesiastici. Si vera vota sunt, suscipiuntur a judice.* Rig.

(d) *Ter mergitamur.* Ipse adversus Praxeam, pag. 659 : *Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Quem ritum in usu fuisse etiam ætate sua Chrysostomus indicat, ad ea verba Lucæ, Act. Apost. X, 16, ubi visio narratur oblata Petro, τοῦτο δὲ ἐγένετο τρίς. Chrysost.: τὸ δὲ τρίτον τοῦτο γενέσθαι, τὸ βάπτισμα δηλοῖ. Ammonius ad Joan. cap. 21, ubi ter Christus interrogat Petrum : Simon Jona, amas me? τίνος δὲ χάριν ἦν τοῦτο, inquit, τριῶν ὁμολογίας ἀναπεπλῆσθαι τοὺς μέλλοντας βαπτισθήναι. Inde illa formula, quam Stephanus II. PP. rusticam vocat, resp. 14 : *In nomine Patris mergo, et Filii mergo, et Spiritus sancti mergo.* To. II Concilior. Gall. sic unius ejusdemque ritus originem alii ad personas sanctissimæ Trinitatis, alii ad trinam visionem, alii ad trinam interrogationem referunt. Sic incertæ sunt hominum mentes, postquam a principii simplicitate deflexere. Rig.

(e) *Eucharistiæ sacramentum*, etc. Hæc innuunt Eucharistiæ sumendæ tempus ævo Tertulliani, tantum abfuisse a tempore victus, quo tempore a Domino fuerat instituta, ut etiam antelucanis horis sumeretur. Non pugnabo tamen adversus eos qui sumptum fuisse dicent horis etiam extra antelucanas, modo ante omnem cibum. Hoc enim significare videtur lib. ad uxorem II : *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes?* nisi magis videatur etiam ante sæculum Tertulliani, indefensum hoc fuisse, et pro cujusque religione varie factitatum. Exigua certe est et obscura mentio cœnæ Dominicæ inter Apostolos celebratæ, etsi celebratam quidem et sæpissime fuisse nemo sobrius negaverit, sed ut ait Tertullianus, in tempore victus, adeoque fractione illa panis, quæ sæpenumero occurrit, includi. Hanc in sententiam ducimur gravissima illa Pauli increpatione ad Corinth. I, II. Rig.

(f) *Omnibus mandatum a Domino*, etc. *nec de aliorum manu quam Præsidentium sumimus.* Consimilis est locus de Præsidentium honore, lib. de Bapt. p. 265. Proinde et baptismus æque Dei census, ab omnibus exerceri potest, etc. Operæ pretium erit contulisse, nam et lucem sibi mutuo afferunt præclaram. Rig.

(g) *Oblationes pro defunctis.* Magdeburgensium quoque commentum doctrinam hanc Tertulliani desumptam ex Montano. Pro hujus autem ritus fundamento afferre possem contra hæreticos quæ vulgo afferuntur, tot nimirum orationes SS. Patrum in funerib. tum amicorum, cum consanguineorum, tum etiam summorum in Ecclesia Dei virorum : Non tamen locum prætermittam ex epist. 66. Cypriani, qui suo et Carthaginensis concilii nomine, in Episcoporum memoriam revocat, decretum quo, si quis frater clericum tutorem nominasset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Novum itaque non est oblationes fieri, et sacrificia pro mortuis in Ecclesia Dei. Le Pr.

(h) *Pro natalitiis annua* etc. Per natalitia intelligit solemnitates fieri solitas in honorem martyrum, quo scilicet die mundo mortui, cœlo nati sunt. Unde *annua die* id est quotannis facimus. Le Pr.

(i) *Aut panis etiam nostri.* Etiam non eucharistici, etiam profani. Rig.

(j) *Aliquid decuti in terram*, etc. Augustinus : Quanta sollicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat, etc. citatur apud Gratianum, I, q. 1. *Interrogo.* Rig.

CAP. IV. — (k) *Rationem traditioni patrocinaturam.* Etenim absque ratione vana esset traditio. Sic etiam Hieronymus, loco supradicto : *Multaque alia quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit. Nec Apostolus obsequium exigit, nisi rationabile.* Rig.

(l) *Apud Judæos tam solemne est.* De velandis fœminis omnibus cujuscumque generis, ordinis, conditionis, ætatis, dignitatis, ex Apostolo, extat liber integer Auctoris quem suspicor hoc posteriorem, eo quod hic subdat, *Quæro legem, Apostolum differo.* Nam illic id

legem. Apostolum differo (I *Cor.*, XI, 5). Si Rebecca conspecto procul sponso velamen invasit (*Gen.*, XXIV, 65), privatus pudor legem facere non potuit, aut caussæ suæ fecerit. Tegantur virgines solæ, et hoc nuptum venientes, nec antequam cognoverint sponsos. Si et Susanna in judicio revelata argumentum velandi (*Dan.*, XIII, 18) (1) præstat, possum dicere : Et hic velamen arbitrii fuit, rea venerat, erubescens de infamia sua, merito abscondens decorem vel quia timens jam placere. Cæterum (*a*) in stadio (2) mariti, non putem velatam deambulasse quæ placuit. Fuerit nunc velata semper, in ipsa quoque lege habitus (3) requiro, vel in quacumque alia. Si legem nusquam reperio, sequitur ut traditio consuetudini morem hunc dederit, habiturum quandoque Apostoli auctoritatem ex interpretatione rationis. Ilis igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis, ex perseverantia observationis. (*b*) Consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex : nec differt scriptura an ratione consistat, quando et legem ratio commendet. Porro, si ratione lex constat, lex erit omne jam quod ratione constituerit, a quocumque productum. An non putas omni fideli licere concipere et constituere, dumtaxat quod Deo congruat, quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat, dicente Domino : Cur autem non et a vobis ipsis quod justum judicatis (*Luc.* XII, 57) ? et non de judicio tantum, sed de omni sententia rerum examinandarum. Dicit et Apostolus : Si quid ignoratis, Deus vobis revelabit (*Philip.* III, 15) : solitus et ipse consilium subministrare, cum præceptum Domini non habebat, et quædam edicere a semetipso, (*c*) sed et ipse (4) spiritum Dei habens deductorem omnis veritatis. Itaque consilium et edictum (5) ejus divini jam præcepti instar obtinuit de rationis divinæ patrocinio. Hanc nunc expostula, salvo traditionis respectu, quocumque traditore censetur ; nec auctorem respicias, sed auctoritatem, et imprimis consuetudinis ipsius : quæ propterea colenda est, ne non sit rationis interpres, ut, si et hanc Deus dederit, tunc discas an non observanda sit tibi consuetudo.

CAPUT V.

Sed (6) cur major efficitur (7) ratio christianarum observationum, cum (*d*) illas etiam natura defendit (8), quæ prima omnium disciplina est? Ideoque hæc prima scribit coronam capiti non convenire. Puto autem naturæ dominus Deus noster est, qui figuravit hominem, et fructibus rerum appetendis, judicandis, consequendis, certos in eo sensus ordinavit per propria membrorum quodammodo organa. Auditum in auribus fodit, visum in oculis accendit, gustum in ore conclusit, odoratum in naribus ventilavit, contactum in manibus extimavit (9) (*e*). Per hæc exterioris hominis (*f*) ministeria, interiori homini ministrantis, fructus munerum divinorum ad animam deducuntur ab sensibus (10). Quis igitur fructus ex floribus? substantia enim propria, certe præcipua coronarum, flores agri. Aut odor, inquis, aut color, aut pariter utrumque. Qui erunt sensus coloris et odoris? visus, opinor, et odoratus. Istos sensus quæ membra sortita sunt? oculi, nisi fallor, et nares. Utere itaque floribus visu et odoratu, quorum sensuum fructus est ; utere per oculos et nares, quorum sensuum membra sunt. Substantia tibi a Deo tradita est, habitus a sæculo, quanquam nec habitus extraordinarius ordinario usui obstrepit. Hoc sint tibi flores, et inserti, et innexi, et in filo, et in scirpo, quod liberi, quod soluti : spectaculi scilicet et spiraculi res. Coronam si forte fascem existimas florum per seriem comprehensorum,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Velatæ *Seml.*
(2) In pomario *alii.*
(3) Habitu *Seml.*
(4) Ipsum *Rhen.*
(5) Dictum *Seml.*
(6) Consuetudo sed, *Venet.*
(7) Exigitur *Fran.*
(8) Defendat *Wouw.*
(9) Æstimavit *Seml.* existimavit *Rig.*
(10) Hominis administrantia, munerum divinorum ab anima deducuntur ad sensus *Venet.*

COMMENTARIUS.

potissimum probat auctoritate Apostoli (I *Cor.* II). PAM.

(a) *In stadio mariti.* Intelligit stadii nomine hypætram, hoc est subdivalem ambulationem, quam et xystum appellamus, quæ etiam arboribus consita esse solebat, umbræ gratia. RIG. — *In stadio*, etc. Legi posset *stibadio*. Nam ita vocantur in hortis sedilia herbacea, et ex floribus; sed nihil muto, nam omnia loca amœna, et ex arboribus consita, dici quennt stadia. LAC.

(b) *Consuetudo autem etiam*, etc. Monuit jam Heraldus (*lib.* II *Digress.*, *c.* 3) esse idem cum Ulpiani illo, *Diuturnam consuetudinem pro jure et lege in his quæ non ex scripto descenduni, observari solere*; et rationem adducit ex Juliano, l. 1. qui *Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis.* Adjungo Gregorium Nyss. (*lib.* de Virg., *cap.* 9, non abhorrentem a verbis Ulpiani. LAC.

(c) *Sed et ipse spiritum Dei habens.* Etiam hinc colligere est, scriptum hunc librum ante illum *de velandis Virgin.* Nam ibi in solo Montano agnoscit completum illud (Joan. 16) : *Cum venerit ille spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Hic vero in apostolo Paulo eumdem spiritum Dei agnoscit. Ita miser paulatim ex uno errore in alium, ac demum in hæresim prolapsus est. PAM.

CAP. V.— (d) *Illas etiam natura* etc. Et sane leges omnes antecedit natura; unde qui peccant, contra naturam peccant; sic Tarquinium contra legem naturæ sempiternam peccavit in Lucretiam, licet nulla adhuc lex Julia exstaret, nulla de stupro, ex Tull. lib. II *de Leg.* LE PR.

(e) *Contactum in manibus extimavit.* Hoc est, contactum, extremum sive extimum sensum, in manibus collocavit, et quidem extimis : nam extrema digitorum tactuum differentias maxime percipiunt ac sentiunt. Hic autem extimum dicit pro extremo, ut lib. II de *Cultu fœm.*, pag. 179, extimationem pro extremitate. RIG.

(f) *Per hæc exterioris hominis administrantia, munerum divinorum ab anima deducuntur ad sensus.*

ut plures simul portes, ut omnibus pariter utaris, jam vero et in sinum conde, si tanta munditia est: in lectulum sparge, si tanta mollitia est: et in poculum crede, si tanta innocentia est, tot modis fruere, quot et sentis. Cæterum in capite quis sapor floris (*a*)? quis coronæ sensus? nisi vinculi tantum: quo neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam est florem capite sectari, quam sonum nare. Omne autem quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes (*b*), penes nos vero etiam elogium sacrilegii in Deum (*c*), naturæ dominum et auctorem.

CAPUT VI.

Quæris (1) igitur Dei legem? habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas et Apostolus solet provocare, ut cum in velamine fœminæ, *Nec natura vos*, inquit, *docet* (I *Cor.*, XI, 14)? ut cum ad Romanos (II, 14), natura facere dicens nationes ea quæ sunt legis, et legem naturalem suggerit, et naturam legalem. Sed et in priore epistola (*d*), naturalem usum conditionis in non naturalem masculos et fœminas inter se demutasse affirmans ex retributione erroris in vicem pœnæ, utique naturali usui patrocinatur (2) (*e*). Ipsum Deum secundum naturam prius novimus, et Deum appellantes deorum, et bonum præsumentes, et judicem invocantes: quæris an conditioni ejus fruendæ natura nobis debeat præire (*f*), ne illa rapiamur qua Dei æmulus universam conditionem certis usibus homini mancipatam, cum ipso homine corrupit, unde cam et apostulus invitam ait (*g*) vanitati succidisse (*Rom.*, VIII, 20), vanis primum usibus, tum turpibus, et injustis, et impiis, subversam? Sic itaque et circa voluptates spectaculorum infamata conditio est ab eis qui natura quidem, Dei omnia sentiunt, ex quibus spectacula instruuntur; scientia autem deficiunt illud quoque intelligere (*h*), omnia esse a diabolo mutata. Sed et huic materiæ (*i*) propter suaviludios nostros (*j*) græco quoque stylo satisfecimus.

CAPUT VII.

Proinde coronarii isti agnoscant interim (*k*) naturæ auctoritatem, communis sapientiæ (3) nomine, qua homines, sed propriæ religionis pignora (*l*) (4), qua Deum naturæ de proximo (5) colentes: atque ita, velut ex abundanti cæteras quoque rationes dispiciant, quæ nostro privatim capiti coronamentis, et quidem, omnibus interdicunt. Nam et urgemur a communione naturalis disciplinæ, converti ad proprietatem christianæ totam jam defendendam, per cæteras quoque species coronarum, quæ aliis usibus prospectæ videntur, ut (6) aliis substantiis structæ; ne, quia non ex floribus constant, quorum usum natura signavit (ut ipsa hæc laurea militaris) non credantur admittere sectæ interdictionem, quia evaserint naturæ præscriptionem. Video igitur et curiosius et planius agendum ab originibus usque ad profectus et excessus rei. Literæ ad hoc sæculares necessariæ; de suis enim instrumentis sæcularia probari necesse est. Quantulas attigi, credo sufficient. Si fuit aliqua Pandora, quam primam fœminarum memorat Hesio-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quæres *Fran. Paris.*
(2) Naturalibus patrocinatur *vet. cod. Rig.*
(3) Patientiæ *Rhen.* parentis *Fran. Paris.*
(4) Pignore *Jun.*
(5) Proxime *Lat.*
(6) Ex *add. Rhen. Fran.*

COMMENTARIUS.

Tertulliani sententia est: per hæc organa, aurium scilicet, oris, oculorum, narium, ac denique manuum, quæ omnia exteriori homini, id est corpori, adfamulantur et administrant, rerum naturalium, quæ sunt a Deo hominum gratia conditæ, adsensum sive adprobationem ab anima deduci. Nempe anima est quæ audit, anima est quæ videt, anima est quæ sentit. Ab anima sentienti, recte adsentire dicuntur aures, oculi, manus, per quæ anima audit, videt, tangit. Rig.

(a) *In capite qui sapor floris?* Ideoque Diogenes unguento sibi pedes ungens, dictitabat, odorem a capite in aerem evanescere, a pedibus autem ad nares pervenire. Rig.

(b) *Monstri meretur notam penes omnes.* Hæc verba, *penes omnes*, non habentur in exemplari, et omitti quidem possunt eleganter. Rig.

(c) *Elogium sacrilegii.* Cum adspectu ad elogia et titulos reorum, de quibus capite 1. *de Idol.* Itaque notat Tertull. crimen sacrilegii: Sæpe enim vox ista in malam partem: conc. Hispalen. secundum. cap. 5: *Etiam cum adspectu ad vos, non consecrationis titulum, sed ignominiæ elogium.* Lac.

C. P. VI. — (d) *Sed et in propria epistola.* Liber Ursini, *in primore.* Sic lib. *de Præscr. hæreticor.* pag. 515: *Semen frumenti a Domino seminatum in primore constituit.* Rig.

(e) *Utique naturali usui patrocinatur.* Vetus exemplar: *Naturalibus patrocinatur.* Quod verum esse arbitror. Rig.

(f) *An conditioni ejus fruendæ natura nobis debeat præire.* Hoc est, An rebus quas Deus condidit, frui sic debeamus, ut naturam ducem sequamur. Conditionem dicit quod alii creaturam. Sic lib. I *de Cultu fœm.* pag. 173: *Dei conditio est thus*, hoc est, Thus a Deo conditum creatumque est Rig.

(g) *Vanitati succidisse.* Id usurpat, inquit Rhen., ut aliis libris sæpenumero, pro *succubuisse*, vel *subjectum esse*, uti transtulit noster interpres, Rom. VIII. Legimus autem paulo post iterum ex ms. Vat., cod. Paterniacensi et Hirsaugiensi, *qui natura quidem, Dei omnia sentiunt.* Nam *Dei* sustulerat Rhenanus. Pam.

(h) *Scientia autem deficiunt illud quoque intelligere.* Deficiunt intelligere, hoc est non intelligunt. Deficiunt scientia qua intelligant. Rig.

(i) *Sed et huic materiæ.* Alludit haud dubie ad librum *Spectaculorum*, non modo latino, sed et græco stylo a se scriptum. Pam.

(j) *Suaviludios nostros.* Sic vocat qui ex christianis adhuc spectaculorum oblectamentis tenerentur: intelligit autem duos libros *de Spectaculis.* Rhen.

CAP. VII. — (k) *Agnoscant interim.* Hæc vocula in Tertulliano non accipienda est vulgari sensu, ut notet aliquid supponi non probatum; errabis enim sæpissime hoc putans: nam hic nihil *interim* supponit, jam enim luculenter probavit auctoritatem naturæ: sed *interim* idem est quod *jam nunc.* Lac.

(l) *Propriæ religionis pignora.* Rescribit Junius *pignore*, et alienissime explicat, fortasse quia noluit

dus, hoc primum caput coronatum est a Charitibus, cum ab omnibus muneraretur unde Pandora. Nobis vero (*a*) Moyses propheticus, non poeticus pastor (*b*), principem fœminam Evam facilius pudenda foliis, quam tempora floribus, incinctam describit. Nulla ergo Pandora. Sed et de mendacio erubescenda est coronæ origo. Jam nunc et de veritatibus suis Certe enim Græcos (*c*) (1) fuisse constat auctores rei vel illuminatores. Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Jovem Diodorus (2) post devictos Titanas (*d*); dat et Priapo tænias (*e*) idem, et (*f*) Ariadnæ sertum ex auro et Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, ac postea sidus. Junoni vitem Callimachus induxit. Ita et Agis signum ejus palmite redimitum, subjecto pedibus ejus corio leonino, in sultantem (3) ostentat (4) novercam de exuviis utriusque privigni. Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleastrum, nunc apium. Habes tragœdiam Cerberi, habes Pindarum, atque Callimachum, qui et Apollinem memorat, interfecto Delphyne dracone (5) (*g*), lauream induisse (*h*): Liberum, eumdem apud Ægyptios Osirin, Harpocration industria hederatum argumentatur (*i*), quod hederæ natura sit cerebrum ab heluco defen-

A sare (*j*). Sed et alias Liberum principem coronæ plane laureæ, in qua ex Indicis triumphavit, etiam vulgus agnoscit, cum dies in illum solemnes *magnam* appellat *coronam*. Si et Leonis Ægyptii scripta evolvas (*k*), prima Isis repertas spicas capite circumtulit, rem magis ventris. Plura quærentibus omnia exhibebit præstantissimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus (*l*). Nam est illius de Coronis liber, et origines, et caussas, et species, et solemnitates earum ita edisserens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem, non alicujus capiti invenias consecratum. Quo satis instruamur, quam alienum judicare debeamus coronati capitis institutionem ab eis prolatam, et in co-

B rum deinceps honorem dispensatam, quos sæculum deos credidit. Si enim mendacium divinitatis diabolus operatur in hac etiam specie, a primordio mendax, sine dubio et eos ipse prospexerat, in quibus in mendacium divinitatis ageretur. Quale igitur habendum est apud homines veri Dei, quod a candidatis diaboli introductum, et ipsis a primordio dicatum est, quodque jam tunc idololatriæ initiabatur ab idolis, et idolis adhuc vivis? non quasi aliquid (*m*) sit

LECTIONES VARIANTES.

(1) Certos *cod. Wouw.* cæcos *Latin.* cæteros *Fran.*
(2) Hoc munere a cæteris honoratum *inserit Seml.*
(3) Exultantem *Jun.*
(4) Ostentans *Rhen.*
(5) Qua supplium erant enim supplicis coronarii apud veteres *inserit Semler.*

COMMENTARIUS.

sanctos agnoscere, neque illos coli sparsione florum, sed videat consimilem periodum initio seq. cap. *jam enim audio dici*, etc. Lac.

(a) *Nobis vero Moyses*, etc. Mosen pastorem fuisse C indicant Exodi verba cap. 4: *Moyses autem pascebat oves soceri, etc.* Porro per poeticum pastorem intelligit Hesiodum, qui ad Heliconem paternarum ovium custodem agens, cum Musas conspexisset, et ab eis ad Hippocrenen, id est caballinum fontem deductus fuisset, statim excellentissimus poeta factus est. unde illud Ovid.:

Non mihi sunt visæ Clio, Cliusve sorores
Servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis. Rhen.

(b) *Moyses propheticus, non poeticus pastor.* Moses et Hesiodus ambo fuere pastores: ille propheticus, hic poeticus. Rig.

(c) *Certe græcos.* Sic legendum arbitramur: etsi in antiquissimo exemplari legatur, *cæteris*, in Ursini cod. *certos.* Ait Tertullianus Græcos fuisse auctores vel illuminatores rei coronariæ; quod ita esse sequentia demonstrant. Rig.

(d) *Post dictos Titanas.* In libris editis, atque etiam in exemplaribus antiquis additur, *hoc munere a cæteris honoratum.* Quod ab Tertulliano esse non videtur. Rig.

(e) *Dat et Priapo tænias.* In cod. Agobardi legitur, *temianias.* Rig.

(f) *Ariadnæ sertum ex auro et indicis gemmis.* Hyginus, ubi de Corona: *Hæc existimatur Ariadnes fuisse, a Libero patre inter sidera collocata* Idem paulo post. *Dicitur etiam a Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis.* Germanicus: *Coronam Vulcani opere factam ex auro et gemmis pretiosis.* Rig.

(g) *Delphyne dracone.* Hujus scripturæ vestigia apparent in codice Agobardi. Helychius: Δελφις, ὁ ἐν δελφοῖς δράκων. Rig.

(h) *Lauream induisse.* In editionibus et libris etiam mss. sequitur, *qua supplicem. Erant enim supplices coronati apud veteres.* Verum hæc Tertulliani esse non puto. Reddo tamen, si quis ablata repetitum veniat. Rig.

(i) *Hæredatum argumentatur.* Plinius lib. XVI, c. 5: *Fuerunt primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera.* Item *cap.* 24: *Alexandrum vero ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse exemplo Liberi patris*, etc. Rhen.

(j) *Ab heluco defensare.* Significat *helucus*, auctore Sexto Pompeio, languidum et semisomnum, et hesterno vino languentem, sic dictum ab hiatu oris et oscitatione. Quamquam Tertullianus pro ipsa potius affectione capitis videtur usurpare, qua proclives in somnum reddimur, quam Græci καρηβαρίαν appellant. De hederæ vi frigorifa multa sunt apud auctores. Rhen.

(k) *Si et Isonis Ægyptii scripta revolvas.* Hunc Leonem Augustinus ex Alexandro magnum antistitem vocat sacrorum Ægyptiorum, lib. VIII, *de Civ. Dei*, cap. 5 et 27. Hyginus *in Ariete*, res ægyptias conscripsisse ait. Idem Hyginus passim fabulis suis, et Callimachi, et Pherecidis, et aliorum qui hic a D a Septimio citantur, commeminit.

(l) *Claudius Saturninus.* Hujus opera nulla exstant, sed credo librum Tertulliani hunc *de Corona mil.* esse plane epitomen illius libri. Lac.

(m) *Non quasi aliquid sit idolum.* Ait Tertullianus idololatriam esse mendacium divinitatis, quod jam a primordio mendax diabolus operatus est, ita ut proviserit sibi ac prospexerit homines in quibus id mendacium ageretur. Etenim dii gentium ex hominibus fuere, quos gentes vita functos, vel adulandi studio, posteris eorum forte petentibus, vel beneficiorum memoria, pro diis habuere. Hic fuit vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscriberentur. Neque aliter de diis ævi sui Plinius opinabatur. Hosce igitur homines, quos sibi prospexit diabolus, ex quibus idola, seu divinitatis furta atque mendacia fierent, diaboli candidatos vocat Tertullianus, qui cum adviverent, jam idola esse, et sibi statuas poni et coli ambitiose affectaverint. At-

ut plures simul portes, ut omnibus pariter utaris, jam vero et in sinum conde, si tanta munditia est: in lectulum sparge, si tanta mollitia est: et in poculum crede, si tanta innocentia est, tot modis frucre, quot et sentis. Cæterum in capite quis sapor floris (*a*)? quis coronæ sensus? nisi vinculi tantum: quo neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam est florem capite sectari, quam sonum nare. Omne autem quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes (*b*), penes nos vero etiam elogium sacrilegii in Deum (*c*), naturæ dominum et auctorem.

CAPUT VI.

Quæris (1) igitur Dei legem? habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas et Apostolus solet provocare, ut cum in velamine fœminæ, *Nec natura vos*, inquit, *docet* (I *Cor.*, XI, 14)? ut cum ad Romanos (II, 14), natura facere dicens nationes ea quæ sunt legis, et legem naturalem suggerit, et naturam legalem. Sed et in priore epistola (*d*), naturalem usum conditionis in non naturalem masculos et fœminas inter se demutasse affirmans ex retributione erroris in vicem pœnæ, utique naturali usui patrocinatur (2) (*e*). Ipsum Deum secundum naturam prius novimus, et Deum appellantes deorum, et bonum præsumentes, et judicem invocantes: quæris an conditioni ejus fruendæ natura nobis debeat præire (*f*), ne illa rapiamur qua Dei æmulus universam conditionem certis usibus homini mancipatam, cum ipso homine corrupit, unde cum Pandora, quam primam fœminarum memorat Hesio-

A et apostulus invitam ait (*g*) vanitati succidisse (*Rom.*, VIII, 20), vanis primum usibus, tum turpibus, et injustis, et impiis, subversam? Sic itaque et circa voluptates spectaculorum infamata conditio est ab eis qui natura quidem, Dei omnia sentiunt, ex quibus spectacula instruuntur; scientia autem deficiunt illud quoque intelligere (*h*), omnia esse a diabolo mutata. Sed et huic materiæ (*i*) propter suaviludios nostros (*j*) græco quoque stylo satisfecimus.

CAPUT VII.

Proinde coronarii isti agnoscant interim (*k*) naturæ auctoritatem, communis sapientiæ (3) nomine, qua homines, sed propriæ religionis pignora (*l*) (4), qua Deum naturæ de proximo (5) colentes: atque ita, B velut ex abundanti cæteras quoque rationes dispiciant, quæ nostro privatim capiti coronamentis, et quidem, omnibus interdicunt. Nam et urgemur a communione naturalis disciplinæ, converti ad proprietatem christianæ totam jam defendendam, per cæteras quoque species coronarum, quæ aliis usibus prospectæ videntur, ut (6) aliis substantiis structæ; ne, quia non ex floribus constant, quorum usum natura signavit (ut ipsa hæc laurea militaris) non credantur admittere sectæ interdictionem, quia evaserint naturæ præscriptionem. Video igitur et curiosius et planius agendum ab originibus usque ad profectus et excessus rei. Literæ ad hoc sæculares necessariæ; de suis enim instrumentis sæcularia probari necesse est. Quantulas attigi, credo sufficient. Si fuit aliqua C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quæres *Fran. Paris.*
(2) Naturalibus patrocinatur *vet. cod. Rig.*
(3) Patientiæ *Rhen.* parentis *Fran. Paris.*
(4) Pignore *Jun.*
(5) Proxime *Lat.*
(6) Ex *add. Rhen. Fran.*

COMMENTARIUS.

Tertulliani sententia est: per hæc organa, aurium scilicet, oris, oculorum, narium, ac denique manuum, quæ omnia exteriori homini, id est corpori, adfamulantur et administrant, rerum naturalium, quæ sunt a Deo hominum gratia conditæ, adsensum sive adprobationem ab anima deduci. Nempe anima est quæ audit, anima est quæ videt, anima est quæ sentit. Ab anima sentienti, recte adsentire dicuntur aures, oculi, manus, per quæ anima audit, videt, tangit. Rig.

(a) *In capite qui sapor floris?* Ideoque Diogenes unguento sibi pedes ungens, dictitabat, odorem a capite in aerem evanescere, a pedibus autem ad nares D pervenire. Rig.

(b) *Monstri meretur notam penes omnes.* Hæc verba, *penes omnes*, non habentur in exemplari, et omitti quidem possunt eleganter. Rig.

(c) *Elogium sacrilegii.* Cum adspectu ad elogia et titulos eorum, de quibus capite 1. *de Idol.* Itaque notat Tertull. crimen sacrilegii: Sæpe enim vox ista in malam partem: conc. Hispalen. secundum. cap. 5: *Etiam cum adspectu ad vos, non consecrationis titulum, sed ignominiæ elogium.* Lac.

C. P. VI. — (d) *Sed et in propria epistola.* Liber Ursini, *in primore.* Sic lib. *de Præscr. hæreticor.* pag. 545: *Semen frumenti a Domino seminatum in primore constituit.* Rig.

(e) *Utique naturali usui patrocinatur.* Vetus exemplar: *Naturalibus patrocinatur.* Quod verum esse arbitror. Rig.

(f) *An conditioni ejus fruendæ natura nobis debeat præire.* Hoc est, An rebus quas Deus condidit, frui sic debeamus, ut naturam ducem sequamur. Conditionem dicit quod alii creaturam. Sic lib. I *de Cultu fœm.* pag. 173: *Dei conditio est thus*, hoc est, Thus a Deo conditum creatumque est Rig.

(g) *Vanitati succidisse.* Id usurpat, inquit Rhen., ut aliis libris sæpenumero, pro *succubuisse*, vel *subjectum esse*, uti transtulit noster interpres, Rom. VIII. Legimus autem paulo post iterum ex ms. Vat., cod. Paterniacensi et Hirsaugiensi, *qui natura quidem, Dei omnia sentiunt.* Nam *Dei* sustulerat Rhenanus. Pam.

(h) *Scientia autem deficiunt illud quoque intelligere.* Deficiunt intelligere, hoc est non intelligunt. Deficiunt scientia qua intelligant. Rig.

(i) *Sed et huic materiæ.* Alludit haud dubie ad librum *Spectaculorum*, non modo latino, sed et græco stylo a se scriptum. Pam.

(j) *Suaviludios nostros.* Sic vocat qui ex christianis adhuc spectaculorum oblectamentis tenerentur: intelligit autem duos libros *de Spectaculis.* Rhen.

CAP. VII. — (k) *Agnoscant interim.* Hæc vocula in Tertulliano non accipienda est vulgari sensu, ut notet aliquid supponi non probatum; errabis enim sæpissime hoc putans: nam hic nihil *interim* supponit, jam enim luculenter probavit auctoritatem naturæ: sed *interim* idem est quod *jam nunc.* Lac.

(l) *Propriæ religionis pignora.* Rescribit Junius *pignore*, et alienissime explicat, fortasse quia noluit

dus, hoc primum caput coronatum est a Charitibus, cum ab omnibus muneraretur unde Pandora. Nobis vero (*a*) Moyses propheticus, non poeticus pastor (*b*), principem fœminam Evam facilius pudenda foliis, quam tempora floribus, incinctam describit. Nulla ergo Pandora. Sed et de mendacio erubescenda est coronæ origo. Jam nunc et de veritatibus suis Certe enim Græcos (*c*) (1) fuisse constat auctores rei vel illuminatores. Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Jovem Diodorus (2) post devictos Titanas (*d*); dat et Priapo tænias (*e*) idem, et (*f*) Ariadnæ sertum ex auro et Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, ac postea sidus. Junoni vitem Callimachus induxit. Ita et Agis signum ejus palmite redimitum, subjecto pedibus ejus corio leonino, in sultantem (3) ostentat (4) novercam de exuviis utriusque privigni. Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleastrum, nunc apium. Habes tragœdiam Cerberi, habes Pindarum, atque Callimachum, qui et Apollinem memorat, interfecto Delphyne dracone (5) (*g*), lauream induisse (*h*): Liberum, eumdem apud Ægyptios Osirin, Harpocration industria hederatum argumentatur (*i*), quod hederæ natura sit cerebrum ab heluco defen-

A sare (*j*). Sed et alias Liberum principem coronæ plane laureæ, in qua ex Indicis triumphavit, etiam vulgus agnoscit, cum dies in illum solemnes *magnam* appellat *coronam*. Si et Leonis Ægyptii scripta evolvas (*k*), prima Isis repertas spicas capite circumtulit, rem magis ventris. Plura quærentibus omnia exhibebit præstantissimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus (*l*). Nam est illius de Coronis liber, et origines, et caussas, et species, et solemnitates earum ita edisserens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem, non alicujus capiti invenias consecratum. Quo satis instruamur, quam alienum judicare debeamus coronati capitis institutionem ab eis prolatam, et in co-

B rum deinceps honorem dispensatam, quos sæculum deos credidit. Si enim mendacium divinitatis diabolus operatur in hac etiam specie, a primordio mendax, sine dubio et eos ipse prospexerat, in quibus in mendacium divinitatis ageretur. Quale igitur habendum est apud homines veri Dei, quod a candidatis diaboli introductum, et ipsis a primordio dicatum est, quodque jam tunc idololatriæ initiabatur ab idolis, et idolis adhuc vivis? non quasi aliquid (*m*) sit

LECTIONES VARIANTES.

(1) Certos *cod. Wouw.* cæcos *Latin.* cæteros *Fran.*
(2) Hoc munere a cæteris honoratum *inserit Semler.*
(3) Exultantem *Jun.*
(4) Ostentans *Rhen.*
(5) Qua supplium erant enim supplicis coronarii apud veteres *inserit Semler.*

COMMENTARIUS.

sanctos agnoscere, neque illos coli sparsione florum, sed videat consimilem periodum initio seq. cap. *jam enim audio dici*, etc. Lac.

(a) *Nobis vero Moyses*, etc. Mosen pastorem fuisse C indicant Exodi verba cap. 4: *Moyses autem pascebat oves soceri, etc.* Porro per poeticum pastorem intelligit Hesiodum, qui ad Heliconem paternarum ovium custodem agens, cum Musas conspexisset, et ab eis ad Hippocrenen, id est caballinum fontem deductus fuisset, statim excellentissimus poeta factus est. unde illud Ovid.:

Non mihi sunt visæ Clio, Cliusve sorores
Servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis. Rhen.

(b) *Moyses propheticus, non poeticus pastor.* Moses et Hesiodus ambo fuere pastores: ille propheticus, hic poeticus. Rig.

(c) *Certe græcos.* Sic legendum arbitramur: etsi in antiquissimo exemplari legatur, *cæteris*, in Ursini cod. *certos*. Ait Tertullianus Græcos fuisse auctores vel illuminatores rei coronariæ; quod ita esse sequentia demonstrant. Rig.

(d) *Post dictos Titanas.* In libris editis, atque etiam in exemplaribus antiquis additur, *hoc munere a cæteris honoratum*. Quod ab Tertulliano esse non videtur. Rig.

(e) *Dat et Priapo tænias.* In cod. Agobardi legitur, *temianias*. Rig.

(f) *Ariadnæ sertum ex auro et indicis gemmis.* Hyginus, ubi de Corona: *Hæc existimatur Ariadnes fuisse, a Libero patre inter sidera collocata* Idem paulo post. *Dicitur etiam a Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis.* Germanicus: *Coronam Vulcani opere factam ex auro et gemmis pretiosis.* Rig.

(g) *Delphyne dracone.* Hujus scripturæ vestigia apparent in codice Agobardi. Helychius: Δελφις, ὁ ἐν ὀλροῖς ὀράκων. Rig.

(h) *Lauream induisse.* In editionibus et libris etiam mss. sequitur, *qua supplicem. Erant enim supplices coronat. apud veteres.* Verum hæc Tertulliani esse non puto. Reddo tamen, si quis ablata repetitum veniat. Rig.

(i) *Hæredatum argumentatur.* Plinius lib. XVI, D *c. 5: Fuerunt primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera.* Item *cap.* 24: *Alexandrum vero ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse exemplo Liberi patris*, etc. Rhen.

(j) *Ab heluco defensare.* Significat *helucus*, auctore Sexto Pompeio, languidum et semisomnum, et hesterno vino languentem, sic dictum ab hiatu oris et oscitatione. Quamquam Tertullianus pro ipsa potius affectione capitis videtur usurpare, qua proclives in somnum reddimur, quam Græci καρηβαρίαν appellant. De hederæ vi frigorifa multa sunt apud auctores. Rhen.

(k) *Si et leonis Ægyptii scripta revolvas.* Hunc Leonem Augustinus ex Alexandro magnum antistitem vocat sacrorum Ægyptiorum, lib. VIII, *de Civ. Dei*, cap. 5 et 27. Hyginus *in Ariete*, res ægyptias conscripsisse ait. Idem Hyginus passim fabulis suis, et Callimachi, et Pherecidis, et aliorum qui hic a a Septimio citantur, commeminit.

(l) *Claudius Saturninus.* Hujus opera nulla exstant, sed credo librum Tertulliani hunc *de Corona mil.* esse plane epitomen illius libri. Lac.

(m) *Non quasi aliquid sit idolum.* Ait Tertullianus idololatriam esse mendacium divinitatis, quod jam a primordio mendax diabolus operatus est, ita ut proviserit sibi ac prospexerit homines in quibus id mendacium ageretur. Etenim dii gentium ex hominibus fuere, quos gentes vita functos, vel adulandi studio, posteris eorum forte potentibus, vel beneficiorum memoria, pro diis habuere. Hic fuit vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscriberentur. Neque aliter de diis ævi sui Plinius opinabatur. Hosce igitur homines, quos sibi prospexit diabolus, ex quibus idola, seu divinitatis furta atque mendacia fierent, diaboli candidatos vocat Tertullianus, qui cum adviverent, jam idola esse, et sibi statuas poni et coli ambitiose affectaverint. At-

idolum, sed quoniam quæ idolis alii faciunt, ad dæmones pertinent. Porro, si quæ alii (*a*) idolis faciunt, ad dæmones pertinent (I *Cor.*, X, 20), quanto magis quod ipsa sibi idola fecerunt cum adviverent ? Ipsi scilicet sibi procuraverunt dæmones, per eos in quibus esurierunt (1) ante quod procuraverunt (*b*) (2).

CAPUT VIII.

Tene interim hanc fidem, dum incursum quæstionis(*c*) excutio. Jam enim audio dici : Et alia multa ab eis prolata, quos sæculum deos credidit; tamen in nostris hodie usibus, et in pristinorum sanctorum, et in Dei rebus, et in ipso Christo deprehendi, non alias scilicet hominem functo, quam per communia ista instrumenta exhibitionis humanæ (*d*). Plane ita sit, nec antiquius adhuc in origines disceptabo. Primus literas Mercurius enarraverit; necessarias confitebor et commerciis rerum et nostris erga Deum studiis. Sed et si nervos idem in sonum strinxit, non negabo et hoc ingenium cum sanctis fecisse, et Deo ministrasse, audiens David. Primus medelas Æsculapius exploraverit ; memini et Isaiam Ezechiæ languenti aliquid medicinale mandasse (*Is.*, XXXVIII, 21). Scit et Paulus stomacho vinum modicum prodesse (I *Tim*, V, 23). Sed et Minerva prima molita sit navem; videbo navigantem Jonam (3) (*Jon.*, I, 3) et apostolos (*Luc.*, VIII, 2). Plus est (*Act.*, XIII, 4), quod et Christus vestietur : habebit etiam penulam Paulus (II *Tim.*, IV, 13). Si et uniuscujusque supellectilis et singulorum vasculorum aliquem ex diis sæculi auctorem nominant, agnoscant necesse est et recumbentem in lectulo Christum (*e*), et cum pelvim discipulorum pedibus offert (*Joan.*, XIII, 5), et cum aquam ex urceo ingerit, et cum linteo circumstringitur, propria Osiridis veste (*f*). Hujusmodi quæstioni sic ubique respondeo, admittens quidem utensilium communionem, sed provocans eam ad rationalium et irrationalium distinctionem, quia passivitas (4) fallit (*g*), obumbrans corruptelam conditionis, qua subjecta est vanitati (*Rom.*, VIII, 28). Dicimus enim ea demum et nostris, et superiorum usibus, et Dei rebus, et ipsi Christo competisse, quæ meras utilitates, et certa subsidia, et honesta solatia necessariis vitæ humanæ (*h*) procurant : ut ab ipso Deo inspirata credantur priore prospectore, et instructore, et oblectatore, si forte, hominis sui. Quæ vero hunc ordinem excesserint, ea non convenire usibus nostris, præsertim quæ propterea scilicet, nec apud sæculum, nec in Dei rebus, nec in conversationibus Christi recognosci est.

CAPUT IX.

Quis denique patriarches, quis prophetes, quis levites, aut sacerdos, aut archon, quis vel postea apostolus, aut evangelizator, aut episcopus invenitur coronatus? Puto nec ipsum Dei templum, nec arca testamenti, nec tabernaculum martyrii (*i*), nec altare, nec candelabrum (III *Reg.*, VI et VIII) : quibus uti-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Esurierant *Fran. Paris.*
(2) Antequam procuraverant *Pam.*
(3) Jonam *cæteri omnes.*
(4) Passibilitas *Rhen.*

COMMENTARIUS.

que hæc omnia Christianis, veri Dei cultoribus, abhorrenda esse ait, non quasi aliquid sint idola vel statuæ ; sed quoniam cultus ille quem homines idolis statuisve tribuunt, ad dæmones, æmulos Dei, pertinet. Deinde adjicit : Quod si ea quæ homines idolis faciunt, ad dæmones pertinent, quanto magis quod ipsa sibi idola fecerunt, cum adhuc essent in vivis? Rig.

(a) *Porro si quæ alii*, etc. Videtur esse sensus : Porro si ea quæ gentiles faciunt, in idolis suis, alii, puta Mercurio vel Jovis. Loquitur autem de sacrificiis et immolatione. Rhen.

(b) *Ipsi scilicet sibi procuraverunt dæmones, per eos in quibus esurierunt ante quod procuraverunt.* Ait dæmonas procurasse sibi idola, et statuas, et thura, et nidorem sacrificiorum, per eos homines quorum adhuc inter mortales agentium animis ita insederant, ut iis et per eos ipsi vivere, atque inter homines esse viderentur. Itaque jam ante ipsi dæmones in iis hominibus esurierant, et appetierant omnem illum idololatriæ apparatum. Esuriendi verbum hic usurpatur pro vehementis desiderii ardore : quemadmodum et in Scorpiaco, ubi de sanctis qui jam in carcere tormenta quædam erant passi : *Degustata*, inquit, *in carcere martyria esuriunt.* Rig. — *Ipsi scilicet sibi procuraverunt dæm.* Sic ipse lib. *de Spectaculis*, pag. 95, ait : *Dæmonas ab initio prospicientes sibi, inter cætera idololatriæ, etiam spectaculorum inquinamenta, quibus hominem a Deo avocarent, et suo honori obligarent, prospexisse.* Rig. — *Ipsi scilicet sibi procuraverunt dæmones.* Procurare cum dativo, ut lib. I *adv. Marcionem.* Æmulatio autem liberando homini procurat, et multis aliis in locis. Rhen.

CAP. VIII.—(c) *Incursum quæstionis.* Impetum. Rig.

(d) *Exhibitionis humanæ.* Hoc est vitæ humanæ. Quemadmodum et juris auctores dicunt, *Onera exhibendæ uxoris*, et *parentes a filiis exhibendos.* Rig.

(e) *Recumbentem in lectulo Christum.* Tractat hunc locum Sirmondus noster in ep. 2, lib. I Sidonii, aitque ideo, quia Christus recubuit, Joannem qui per ætatem fortasse ultimus erat, Christi proximum in ejus sinu accubuisse. Etenim sic disposita erat res in stibadio, ut Christo primus locus daretur, deinde cæteri accumberent, et ultimo loco esset Joannes, ac propterea in sinu Christi acquiesceret, ita videlicet erat cœna Christi, non ut nunc volunt pictores, in medio Christus, stipantibus Apostolis hinc inde latera; sed vere in dextro cornu, et circumdabant reliqui, et claudebat agmen illud sacrum Joannes, qui propterea recubuit ad latus Christi. Lac.

(f) *Propria Osiridis veste.* Auctor est Herodotus nefas apud Ægyptios fuisse laneas vestes in ædes sacras inferre, proinde lineis utebantur. Rhen.

(g) *Quia passivitas fallit.* Passivitas, id est, vulgus. Rig.

(h) *Necessariis vitæ hum.* Hoc est, necessitatibus. Rig.

CAP. IX.—(i) *Tabernaculum martyrii.* Ut in Veteri Testamento testimonii tabernaculum, ita et in Novo; testimonium quippe est μαρτύριον (septuaginta int.). Pro martyrum basilicis ea quoque vox usurpatur, sic coacta fuit synodus Chalcedonensis ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας καὶ πολυύμνου μάρτυρος Εὐφημίας, *in basilica sanctæ et invictæ martyris Euphemiæ*, ut habetur act. 4 ejusdem syn. Le Pr.

que et in prima dedicationis solemnitate, et in secunda restitutionis (1) gratulatione competisset coronari, si dignum Deo esset (I *Esdr.*, V, 11 ; I *Cor.*, X). Atquin, si figuræ nostræ fuerunt (nos enim sumus et templa Dei, et altaria, et luminaria, et vasa), hoc quoque figurate portendebant, homines Dei coronari non oportere. Imagini veritas respondere debebit. Si forsitan opponis ipsum Christum coronatum, ad hoc breviter interim audies : Sic et tu coronare, licitum est. Tamen nec illam impietatis contumeliosæ coronam populus conscivit (*a*). Romanorum militum commentum fuit, ex usu rei sæcularis, quem populus Dei nec publicæ umquam lætitiæ, nec ingenitæ luxuriæ nomine admisit; facilius cum tympanis et tibiis et psalteriis revertens de captivitate Babyloniæ, quam cum coronis (I *Esdr.*, II et III) : et post cibum et potum exsurgens ad ludendum sine coronis (*Exod.*, XXIII). Nam neque lætitiæ descriptio, neque luxuriæ denotatio de coronæ decore aut dedecore tacuisset. Adeo et Isaias (XXIV. 9) : *Quoniam*, inquit, *cum tympanis et tibiis et psalteriis bibunt vinum :* dicturus esset etiam *cum coronis*, si umquam hic usus fuisset in Dei rebus.

CAPUT X.

Ita cum idcirco proponis deorum sæcularium ornamenta etiam apud Deum deprehendi, ut inter hæc coronam quoque capitis communi usui vindices; ipse tibi jam præscribis non habendum in communionem usus (2), quod non inveniatur in Dei rebus. Quid enim tam indignum Deo (*b*), quam quod dignum idolo? quid autem tam dignum idolo, quam quod et mortuo? Nam et mortuorum est ita coronari (*c*) : quoniam et ipsi idola statim fiunt et habitu et cultu consecrationis, quæ apud nos secunda idololatria est. Igitur qui sensu carent, illorum erit perinde uti ea re cujus careant sensu, atque si abuti ea vellent, si sensu non carerent. Nulla vero distantia est abutendi, cum veritas cessat utendi, cessante natura sentiendi; qua vult quis abutatur, cum non habeat qua utatur? Nobis autem abuti apud apostolum non licet, facilius non uti docentem, nisi quod nec abutuntur qui nihil sentiunt. Sed vacat totum, et est ipsum quoque opus mortuum, quantum in idolis; vivum plane quantum in dæmoniis, ad quæ pertinet superstitio. *Idola nationum*, inquit David (*Ps.* CXIII, 4), *argentum et aurum : oculos habent, nec vident, nares, nec odorantur, manus, nec contrectant.* Per hæc enim floribus frui est. Quod si tales edicit futuros qui idola fabricantur, tales jam sunt qui secundum idolorum ornatum quid utuntur. Omnia munda mundis (*Tit.* I, 15), ita et immunda omnia immundis : nihil autem immundius idolis. Cæterum substantiæ mundæ, ut Dei res, et hac sua conditione communes usui : sed ipsius usus administratio interest. Nam et ego mihi gallinaceum macto, non minus quam Æsculapio Socrates (*d*) : et si me odor alicujus loci offenderit, Arabiæ aliquid incendo (*e*) ; sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola. Si enim verbo nudo (*f*) conditio polluitur, ut apostolus docet : Si quis autem dixerit : Hoc idolothytum est, ne contigeris (*g*) ; multo magis cum saltitaveris (3) habitu, et ritu et apparatu idolothytorum, contaminatur. Ita et corona idolothytum efficitur. Hoc enim ritu, et habitu, et apparatu idolo immolatur auctoribus suis : quorum eo vel maxime proprius est usus, ne in communionem possit admitti, quod in Dei rebus non invenitur. Propterea apostolus inclamat : *Fugite idololatriam* (I *Cor.* X, 14); omnem utique et totam. Recog ita silvam, et quantæ latitant spinæ. Nihil d andum idolo, sic nec sumendum ab idolo. Si in idolio recumbere alienum est a fide, quid in idoli habitu videri? quæ communio Christo et Beliæ (*h*)? et ideo fugite. Longum enim divortium mandat ab idololatria; in nullo proxime agendum. Draco etiam terrenus (*i*) de longinquo homines spiritu absorbet. Altius

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præstitutionis *Paris.*
(2) Apud nos *inserit Seml.*
(3) Saltitaveris *abest a Pam. Leop.*

COMMENTARIUS.

(a) *Tamen nec illam impietatis contumeliosæ coronam populus conscivit.* Populus, hoc est, Judæi. Ric.

CAP. X. — (b) *Quid enim tam indignum Deo? Hujus argumenti forma collectior est in exemplari : Quid enim tam indignum Deo, quam quod dignum idolo? quam quod et mortuo?* Ric.

(c) *Mortuorum est ita coronari.* Scribit enim Plinius coronas sepulcrorum et manium honorem fuisse. Rhen.

(d) *Quam Æsculapio Socrates.* Hoc jussit quum in carcere esset, paulo post bibiturus venenum. Rhen.

(e) *Arabiæ aliquid incendo.* Cum de se loquitur, etiam vocabulo *thuris* uti reformidat. Dixit autem, *Arabiæ aliquid incendo;* hoc est, aliquid thuris vel odoris arabici. Et libro adversus Judæos, *spolia Arabiæ* interpretatur, aurum et odores. Vetus auctor apud Festum : *Arabice olet*, id est, ex odoribus arabicis. Ric.

(f) *Verbo nudo.* Credo virum peritissimum in jure, allusisse ad formulas quæ in jure sunt, ubi frequentur leges : *nuda possessio, nuda proprietas, nuda ratio, nuda traditio :* videlicet possessio cui non proprietas admixta : proprietas a qua abest usus fructus : ratio, ubi aliquod debitum in rationes refertur, cum tamen nulla caussa præcesserit debiti : traditio quæ non habet justam et idoneam caussam transferendi dominii. Sic ergo nudum verbum erit, quo quis admonetur ab homine in quo nulla auctoritas admonendi, quasi tale sit nudum omni auctoritate et fulcro. Lac.

(g) *Hoc idolothytum est, ne contigeris.* Istud ex Apost., I Cor., X, 28, ubi retinuit vocem græcam εἰδωλόθυτον, pro eo quod interpres noster vertit *immolatum idolis.* Mirum est autem quomodo legat : *Non contigeris*, cum græce sit μὴ ἐφάψῃ, quod non aliter transferri potest quam sicuti noster interpres, *ne manducaris.* Pam.

(h) *Quæ communio Christo*, etc. Dilatat cognatis aliis Drogon episcop. Hostien. Allis Cassianus, *Collat.* XII, cap. 16. Lac.

(i) *Draco etiam terrenus de longinquo homines spiritu absorbet.* Pamelius edidit : *Draco etiam terrenus de longinquo non minus spiritu absorbet alites.* Quæ sumpta videntur ex iis quæ de basilisco refert Isidorus, draconi minime convenientia. Longe aliter edi-

Joannes: *Filioli*, inquit, *custodite vos ab idolis* (I *Joan.* V, 21); non jam ab idololatria quasi ab officio, sed ab ipsa effigie eorum. Indignum enim ut imago Dei vivi, imago idoli et mortui fias (1). Usque adhuc proprietatem istius habitus et ex originis censu, et ex superstitionis usu idolis vindicamus, ex eo præterea quod, dum in rebus Dei non refertur, magis magisque imago illorum deputatur, in quorum et antiquitatibus, et solemnitatibus, et officiis convenitur. Ipsæ denique fores, et ipsæ hostiæ et aræ, ipsi ministri et sacerdotes (*a*) eorum coronantur (*Baruch*, VI, 9). Habes omnium collegiorum sacerdotalium coronas apud Claudium. Sed et illam interstruximus distinctionem differentiæ rationalium et irrationalium, eis occurrentem qui communionem in omnibus de quorumdam exemplorum occasione defendunt. Ad hanc itaque partem caussas jam ipsas coronarias inspici superest, ut dum ostendimus extraneas, imo et contrarias disciplinæ, nullam earum rationis patrocinio fultam probemus, quo possit habitus hujusmodi, usus quoque communioni vindicari : etsi sunt quidam quorum exempla nobis objectantur.

CAPUT XI.

Etenim, ut ipsam caussam coronæ militaris aggrediar, puto prius conquirendum (*b*) an in totum Christianis militia conveniat. Quale est alioquin de accidentibus retractare, cum a præcedentibus culpa sit? Credimusne humanum sacramentum (*c*) divino superduci licere, et in alium dominum respondere post Christum? et ejerare (*d*) patrem ac matrem, et omnem proximum, quos et lex honorari et post Deum diligi (*Exod.* XX; *Levit.* XIX) præcipit (*e*), quos et Evangelium (*Matth.* XXVI, 11) solo Christo pluris non faciens, sic quoque honoravit (*f*) (I *Cor.* VI; *Matth.* V; I *Cor.* VIII)? Licebit in gladio conversari, Domino pronuntiante, gladio periturum qui gladio fuerit usus? Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniet (*g*)? Et vincula et carcerem et tormenta et supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum? Jam stationes, aut alii magis faciet quam Christo? aut et Dominico die, quando nec Christo? et exculabit pro templis, quibus renuntiavit? et cœnabit illic ubi apostolo non placet? et quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit, incumbens et (*h*) requiescens super pilum (2) quo perfossum est latus Christi (*Joann.* XIX, 34)? vexillum quoque portabit æmulum Christi? et signum postulabit a principe, qui jam a Deo accepit? mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari a tuba angeli exspectat? et cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit (*i*), cui Christus merita ignis indulsit? Quanta alia in delictis circumspici possunt castrensium munium, transgression interpretanda? Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est (*j*). Plane, si quos militia præventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut illorum quos Joannes admittebat ad lavacrum (*Luc* III, 3), ut centurionum fidelissimorum, quem Christus probat (*Matth.* VIII), et quem Petrus catechizat (*Act.* X): dum tamen, suscepta fide atque signata, aut deserendum statim sit (*k*), ut a multis actum, aut omnibus modis cavillandum, ne

LECTIONES VARIANTES.

(1) Fiat *Seml.*

(2) Luncho *Fran. Paris.*

COMMENTARIUS.

derat Rhenanus : *Draco etiam terrenus de longinquo hominis spiritus absorbet.* Quod proxime accedit ad veram lectionem quam restituimus e codice Agobardi : *Draco etiam terrenus de longinquo, homines spiritus absorbet.* Nam hic agit Tertullianus de fugienda idololatria, ex Pauli ad Corinthios præcepto, et fugiendam esse ait quam longissime; quia Draco terrenus, nempe Satanas infernus, spiritu et afflatu suo homines absorbet, etiam de longinquo. deinde adjicit ex prima Joannis : *Altius Joannes : Filioli, custodite vos ab idolis.* Hoc est, Joannes rem altius repetit, et non solum fugiendam esse idololatriam pronuntiat, verum etiam fugienda idola ipsa. Rig.

(a) *Ipsi ministri et sacerdotes.* Tradit Plinius coronas primum inter sacra tantum et bellicos honores suum nomen vindicasse. Rhen.

CAP. XI.—(b) *Conquirendum an in totum Christi.* Qui non permittit ut Christianus ethnico belligeranti navet operam, an permissurus est ut Christianus Christiano, hoc est fratres persecuturo se militem adjungat? haud dubie numquam credidit futurum Tertullianus ut Christiani mutuis armis concurrerent Rhen.

(c) *Credimus ne humanum sacramentum.* Alludit ad sacramentum et responsionem sive contestationem fidei in baptismo factam. Pam.

(d) *Et ejerare patrem ac matrem*, etc. Vox illa *ejerare* idem est atque *abdicare* seu *renuntiare*. Sensus autem auctoris est, baptismi sacramento non aliud esse superinducendum sacramentum militare. Cum enim castrensi sacramento se obstringit Christianus, ejerare videtur Dei legem qua secundum Deum parentes diligere jubentur. Le Pr.

(e) *Quos et Evangelium solo Christo pluris non faciens sic quoque honoravit.* Vetus exemplar : *Quos et Evangelium solo Christum pluris. . . . . quoque honoravit.* Unde, sive legamus, *Solum Christum pluris faciens*; sive, *Solo Christo pluris non faciens*, idem erit sensus. Rig.

(f) *Sic quod honoravit.* Hoc est : Evangelium non minus parentes et omnem proximum honorari præcepit quam lege Mosaica præscriptum fuerat. Etenim lex eos proxime post Deum, Evangelium, proxime post Christum honorare jussit. Rig.

(g) *Cui nec litigare conveniet?* Alludit ad illud I Cor. VI, 7 : *Jam quidem omnino delictum est quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis?* Atque adeo non male Rhen. *litigare*, vocem jurisconsultorum, interpretatur actionem vel in personam vel in rem apud judicem suscipere. Verum advertendum quod continuo subjungit ibidem Apostolus : Sed vos *injuriam facitis*, etc. Pam.

(h) *Requiescens super pilum.* Libri hactenus editi, *super luncho.* T. Livius, l. XLIV : *Sculo præ se erecto stare galeatos : deinde ubi fessi sunt, innixos pilo, capite super marginem scuti posito sopitos stare.* Rig.

(i) *Cui cremare non licuit.* Thura, videlicet, idolo. Glossæ Isidori, *Crematium*, *Holocaustum*. Rig.

(j) *Transgressio est.* Cod. Agobardi. *Transgressionis est.* Rig.

(k) *Suscepta fide atque signata aut deserendum statim sit.* Hoc est, deserenda militia. Rig.

quid adversus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur (*a*); aut novissime perpetiendum pro Deo, quod æque fides pagana condixit (*b*). Nec enim delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem militia promittet. Nusquam Christianus aliud est. Unum Evangelium, et idem Jesus, negaturus omnem negatorem, et confessurus omnem confessorem Dei, et salvam facturus animam pro nomine ejus amissam, perditurus autem de contrario adversus nomen ejus lucri habitam (*Matth.* X, 39). Apud hunc tam miles est paganus fidelis, quam paganus est miles infidelis. Non admittit status fidei necessitates (*c*). Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi. Nam et ad sacrificandum et directo negandum necessitate quis premitur tormentorum sive pœnarum : tamen nec illi necessitati disciplina connivet, quia potior est necessitas timendæ negationis et obeundi martyrii, quam evadendæ passionis et implendi officii. Cæterum subvertit totam substantiam sacramenti causatio ejusmodi, ut etiam voluntariis delictis fibulam laxet. Nam et voluntas poterit (1) necessitas contendi, habens scilicet unde cogatur. Vel ipsam præstruxerim et ad cæteras officialium coronarum caussas, quibus familiarissima est advocatio necessitatis : cum idcirco aut officia fugienda sint, ne in delictis incidamus; aut et martyria toleranda sint, ut officia rumpamus. De prima specie quæstionis etiam militiæ ipsius illicitæ, plura non faciam (*d*), ut secunda reddatur, ne si omni ope expulero militiam, frustra jam de corona militari provocarim.

CAPUT XII.

Puta denique licere militiam usque ad caussam coronæ. Sed et de corona prius dicamus. Laurea ista Apollini vel Libero sacra est : illi, ut deo telorum (*e*); huic, ut deo triumphorum. Sic docet Claudius cum et myrto (*f*) ait milites redimiri solere. Veneris enim myrtum, matris Æneæ, non laurum, etiam amiculæ Martis, per Iliam et Romulos Romani. Sed ego Venerem non credo ex hac parte cum Marte Romanam (*g*), qua pellicis dolor est. Quum et olea militia coronatur, ad Minervam (2) est idololatria, armorum æque deam, sed et (*h*) paci cum Neptuno initæ ex hac arbore coronatam (3). In his erit serti militaris superstitio polluta et polluens, omniaque jam polluentur et caussis. Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? prima in principiis, secunda in capitoliis. Accipe post loca et verba : TUNC TIBI, JUPITER, BOVE CORNIBUS AURO DECORATIS VOVIMUS ESSE FUTURUM (*i*). Cujus sententiæ vox est? utique negationis. Etiamsi tacet illic Christianus ore, coronatus capite respondit. Eadem laurea in donativi dispensatione denuntiatur plane non gratuita idololatria, aliquibus aureis venditans Christum, ut argenteis Judas (*Matth.* XXVI). Hoc erit, *Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Matth.* XVI, 24) : mammonæ manum tradere, (4) et a Deo absistere? Hoc erit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ Dei Deo* (*Matth.* XXII, 21) : nec hominem Deo reddere (*j*), et denarium Cæsari auferre? Triumphi laurea foliis struitur, an cadaveribus? lamnis ornatur (*k*), an bustis? unguentis delibui-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Poterat *Seml.*

(2) Minerva *Fran.*

(3) Quin et olea militiam coronari a Minerva non solum artium, sed armorum quoque dea : et pacem cum Neptuno inisse ex hac arbore, etc. *Fran. Paris.* Sed et pace cum Neptuno inita ex hac arbore coronatam. *Jun.*

(4) Est *Leop.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quæ nec ex militia permittuntur.* Quod in exemplari legitur, *Extra militiam*, minus esse videtur ad mentem Tertulliani. Nam hoc sibi vult : Christiano quem fides in militia deprehendit, aut statim suscepta fide desercendam esse militiam, quod ex militia, id est per militiæ leges non licet; aut modis omnibus cavendum ne quid adversus christianam fidem committat, quod item ex militiæ romanæ legibus vix liceat; aut extrema quæque perpetienda pro Deo, quod omnis Christianus Christo fide dicta condixit. RIG.

(b) *Quod æque fides pagana condixit.* Mortem, scilicet. Nam hoc Christianus paganus, id est non miles, æque Christo condixit ac miles. Hanc interpretationem suggerunt sequentia. RIG.

(c) *Non admittit status fidei necessitates.* At extra statum fidei admittuntur (*Apolog.* XLV, *de Exhort. cast.* VI). Necessitas ad excusationem deputatur (*De Idolol.* X). Opponitur necessitas quasi deprecatrix (*Apolog.* IV, VII), et hic paulo post : *Familiarissima est advocatio necessitatis.* RIG.

(d) *Plura non faciam.* Liber Agobardi, *Plura non faciunt.* Ursini, *Plura non faciant.* RIG.

CAP. XII. — (e) *Illi ut Deo telorum.* Huc pertinet quod a Platone Apollo dicatur ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est a jaculando, unde etiam factum ut cum arcu et sagittis ejus simulacra formari soleant. PAM.

(f) *Cum et myrto.* Myrtus bellicis quoque rebus inservit, triumphansque de Sabinis Posthumius Tubertus in consulatu, qui primus omnium ovans urbem ingressus est, quoniam rem leviter sine cruore gesserat, myrto veneris victricis coronatus incedit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Hæc postea ovantium fuit corona. RHEN.

(g) *Sed ergo Venerem non credo ex hac parte cum Marte Romanam.* Martem, inquit, Romanum crediderim ex ea parte qua Romulos ex Ilia suscepit. At Venerem ex ea parte qua Iliam sibi pellicem sensit et indoluit, romanam esse non arbitror. RIG.

(h) *Paci cum Neptuno.* Quoniam Minerva cum oleaginea corona pacem iniit cum Neptuno, ideo pacis nota est olea. LE PR.

(i) *Tunc tibi, Jupiter, bove cornibus auro decoratis vovimus esse futurum.* Hæc est veteris codicis scriptura, quæ firmari etiam possit inscriptione antiqua Fratrum Arvalium, quæ sic habet : BOVE. AURATO. VOVIMUS. ESSE. FUTURUM. RIG.

(j) *Nec hominem Deo reddere.* Qui tamen est numisma et imago Dei. Ait igitur Christianum, cum sit et miles et coronatus, non reddere hominem Deo quia cum ornatu incedit idolis dicato, et denarium auferre Cæsari, quia refert ab Cæsare donativum; itaque non reddere quæ sunt Dei Deo, neque etiam quæ sunt Cæsaris Cæsari. Significat militiæ præliorumque negotia non convenire Christiano. Prælia relinquenda Cæsari, coronam sæculo et Satanæ : hominem ipsum, imaginem Dei, reddendum Deo, sed purum, sed liberum, nullius servum, nullius militem, præter Dei. RIG.

(k) *Lamvis ornatur.* Vetus exemplar, *Lemnis.* Lemniscis. RIG.

tur (1) an lacrymis conjugum et matrum? Fortasse quorumdam et Christianorum : (*a*) et apud barbaros enim Christus. (*b*) Qui hanc portaverit in capite caussam, nonne et ipse oppugnavit? Est et alia militia regiarum familiarum. Nam et castrenses appellantur munificiæ (*c*), et ipsæ solemnium Cæsarcanorum. Sed et tu proinde miles ac servus alterius es : et si duorum, Dei et Cæsaris, certe tunc non Cæsaris, cum te Deo debes, etiam in communibus, credo, potiori.

CAPUT XIII.

Coronant et publicos ordines laureis publicæ caussæ, magistratus vero insuper aureis (2). (*d*) Superferuntur etiam illis Hetruscæ. Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis et foliis ex auro quercinis ob Jovem insignis (*e*) ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt. Sunt et provinciales aureæ, imaginum jam, non virorum, capita majora quærentes. Sed tui ordines et tui magistratus, et ipsum curiæ nomen Ecclesia est Christi. Illius es (*f*) conscriptus in libris vitæ (*Phil.* IV ; *Apoc.* XIII). Illic purpuræ tuæ sanguis Domini et clavus latus in cruce ipsius (*Matth.*, XXVII); illic securis ad caudicem (3) arboris posita (*Matth.*, III, 10), (*g*) illic (*Is.*, XI, 1) virgæ ex Jesse. Viderint et publici equi cum coronis suis. Dominus tuus, ubi secundum Scripturam (*Matth.*, XXI) Jerusalem ingredi voluit, nec asinum habuit privatum. *Isti in curribus et isti in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus* (*Ps.* XIX). A Ab ipso incolatu Babylonis illius in Apocalypsi Joannis submovemur (*Apol.*, XVIII), nedum a suggestu (4). Coronatur et vulgus nunc ex principalium prosperitatum exultatione, nunc ex municipalium solemnitatum proprietate : et est omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus mundi hujus, civis supernæ Jerusalem. *Noster*, inquit (*Phil.*, III, 20), *municipatus in cœlis*. Habes tuos sensus (*h*), tuos fastos : nihil tibi cum gaudiis sæculi ; imo contrarium debes : *Sæculum* enim *gaudebit, vos vero lugebitis* (*Joan.* XVI, 20). Et puto, *felices* ait *lugentes* (*Matth.*, V, 5), non coronatos. (*i*) Coronant et nuptiæ sponsos, ideo non nubamus ethnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt ; B habes legem a Patriarchis quidem (*Gen.*, XXIV. 3; *Gal.*, III), habes apostolum *in Domino nubere* jubentem (I *Cor.*, VII). Coronat et libertas sæcularis. Sed tu jam redemptus es a Christo, et quidem magno. Servum alienum quomodo sæculum manumittet? Etsi libertas videtur (5), sed et servitus videbatur. Omnia imaginaria in sæculo, et nihil veri. Nam et tunc liber hominis eras redemptus a Christo : et nunc servus es Christi, licet manumissus ab homine. Si veram putes sæculi libertatem, ut et corona (6) consignes, rediisti in servitutem hominis, quam putes libertatem ; amisisti libertatem Christi, quam putas servitutem. (*j*) Numquid et agonisticæ caussæ disputabuntur, quas statim tituli sui damnant? et sacras et funebres scilicet, hoc enim superest ut C Olympius Jupiter, et Nemæus Hercules, (*k*) et mi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hinc adversis lemniscis, inauratur lamnulis, unguentis, *Paris.* foliis struitur, adornatur lemniscis, *C. Wouw.* Triumphi laurea foliis instruitur hinc adversis lemniscis, hinc auratur lamnulis ; unguentis delibuitur. *Jun. ex MS.*

(2) Ut Athenis, ut Romæ *inserit Semler., et forte, inquit, ab interprete quodam adjecta sunt.*

(3) Ad radices *Jun.*

(4) Ad suggestum *Jun.*

(5) Videatur *cod. Wouw.*

(6) Coronam *Latin. Rhen. Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et apud Barbaros enim Christus.* Idem respondit Triephon Lucianicus interroganti Critiæ an Scytharum res curæ essent Deo? Omnino, inquit, *εἰ τύχοι γε Χριστὸς καὶ ἐν Σκύθαις*. Rig.

(b) *Qui hanc portaverit in capite caussam.* Coronam triumphalem, caussam cadaverum, bustorum, lacrymarum. Rig.

(c) *Munificiæ et ipsæ solemnium Cæsarianorum.* Apud Festum legimus munifices vocatos milites, qui non vacabant, sed munus principi faciebant : qui vacabant appellabantur beneficiarii. Sed et Vegetio mumunifices sunt milites, qui munus faciunt a quo liberi sunt immunes qui dicuntur. Expone ergo *munificæ*, id est ad munus solemnium Cæsarianorum adstrictæ et obligatæ. Posterior ætas *munificum* pro *munifice* usurpavit. Nam et Paulus Jurec. in cap. *Munus* de verb. signif., etiam officium significare docet, unde munera militaria, et quosdam milites munifices vocari. Rhen.

CAP. XIII.—(d) *Superferuntur etiam illis Hetruscæ.* Sic habet vetus exemplar, *superferuntur illis*, hoc est, etiam aureis nobiliores habentur. Rig.

(e) *Ad deducendas thensas.* Tensam Festus docet esse vehiculum argenteum, quo exuviæ deorum ludis circensibus in circum ad pulvinar vehebantur. Rhen.

(f) *Conscriptus in libris vitæ.* De istis quoque libris inaudierat aliquid Tryphon Luciani. Ait enim ad Critiam : *Ὥστε ἴσως ἄπαντα ὡς καὶ σὺ ἐν ταῖς ἐκουρικίοις βίβλοις τῶν ἀγαθῶν ἀνεγράφησαι*. Rig.

(g) *Illic virgæ ex radice Jesse.* Virgas dicit, alludens ad fasces Romanorum magistratuum, et sic legitur in cod. Agobardi. Rig.

(h) *Tuos fastos.* Fasti erant libri continentes totius anni rationem et celebritates : cum respectu ad hos loquitur Tertullianus. In Ecclesia quoque sunt fasti, ne tu municipiorum fastos et solemnitates cura. Notandus sane locus ad morem Ecclesiæ, quæ conferebat natalitia, id est obitus martyrum, in fastos; D quos fastos ecclesiastico nomine vocamus *martyrologia*. Hujus rei est locus elegans Cypriani epist. 83. Lac.

(i) *Coronant et nuptiæ sponsos.* Huc pertinet quod sponsa ad virum iter parans, ex verbena quæ Veneri dicata est, et floribus herbisque a se lectis corollam texere soleat, eamque secum deferre : nam empta gestare serta vitio dabatur. Item quod sponsus domi illam operiens, paratu magno januam coronare, multaque lauro exornare soleat, quemadmodum auctor est Alexander ab Alex. Pam.

(j) *Numquid et agnosticæ caussæ disputabuntur.* Id est agones. Numquid etiam agones in controversiam venient, inquit, ut de iis etiam quæratur, vitandi sint christiano, necne? Rig.

(k) *Et misellus Archemorus.* Archemorus Lycurgi filius a serpente læsus adhuc infans periit, ex incuria nutricis suæ Hypsipyles, quæ illum in graminibus reliquerat, ostensura Græcis laborantibus siti Langiam

sellus Archemorus, et Antinous infelix (*a*) in Christiano coronentur, ut ipse spectaculum fiat, quod spectare debet (1). Universas, ut arbitror, caussas enumeravimus. Nec ulla nobiscum est : omnes alienæ, profanæ, illicitæ, semel jam in sacramenti testatione ejeratæ. Hæc enim erant pompæ diaboli et angelorum ejus officia, sæculi honores, solemnitates, popularitates, falsa vota, humana servitia, laudes vanæ, gloriæ turpes : et in omnibus istis idololatria, in solo quoque sensu coronarum quibus omnia ista redimita sunt. Præfabitur quidem Claudius etiam cœlum sideribus apud Homeri carmina coronatum ; certe a Deo, certe homini, igitur et homo ipse a Deo coronandus est. Cæterum a sæculo coronantur et lupanaria (*b*), et latrinæ, et pistrina, et carcer, et ludus, et ipsa amphitheatra, et ipsa spoliaria, ipsæque libitinæ. Quam sacer sanctus, quamque honestus (*c*) ac mundus sit habitus iste, noli de uno poetico cœlo, sed de totius mundi commerciis æstimare. At enim Christianus nec januam suam laureis infamabit, si norit quantos deos etiam ostiis diabolus affinxerit, Janum a *janua*, Limentinum a *limine*, Forculum(*d*) et Cardam a *foribus* et *cardinibus* et apud Græcos Thyreum Apollinem et Antelios dæmonas.

CAPUT XIV.

Tanto abest ut capiti suo munus inferat idololatriæ, imo jam dixerim Christo, siquidem caput viri Christus est (I *Cor.* XI, 3), tam liberum quam et Christus : ne velamento quidem obnoxium, nedum obligamento. Porro et quod obnoxium est velamento, caput fœminæ, hoc ipso jam occupatum, non vacat etiam obligamento; habet humilitatis suæ sarcinam. Si nudo capite videri non debet propter angelos, multo magis coronatos (*e*) fortasse tunc illos coronatos scandalizaverit (I *Cor.*, XI, 10). Quid enim est incapite fœminæ corona, quam formæ lena, quam summa lasciviæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ? Propterea nec ornabitur operosius mulier ex Apostoli prospectu, ut nec crinium artificio coronetur. Qui tamen et viri caput est, et fœminæ facies (I *Tim.*, II, 5), vir Ecclesiæ Christus Jesus, quale oro te, sertum pro utroque sexu subiit (*Matth.*, XXVII, 29)? Ex spinis opinor et tribulis, in figuram delictorum quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis, omnem aculeum mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens (*Isa.*, LIII, 5). Certe præter figuram, contumelia in promptu est, et turpitudo et dedecoratio, et his implexa sævitia, quæ tunc Domini tempora et fœdaverunt et lancinaverunt; uti tu nunc laurea, et myrtho, et olea, et illustri aliqua fronde, et quod magis usui est (*f*), centenariis quoque rosis de horto Midæ lectis, et (*g*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spectari non debeat *Rhen.*

COMMENTARIUS.

fontem. In ejus pueri memoriam annuus agon institutus est : et quia periit adhuc infans, misellum vocat, non miserum. Rhen.

(a) *Antinous infelix.* Hunc Adrianus Cæsar habuit in deliciis, et tam tenere dilexit, ut ab illo civitatem Ægypti cognominarit, ubi et agonem illi quotannis instituit. Quam rem in litteras pulchre retulit Hegesippus, referente B. Hieronymo. Rhen.

(b) *Coronantur et lupanaria.* Videtur intelligere coronas quibus lares publici vel privati in singulis domibus coronabantur, atque adeo et in lupanaribus, etc. Pam.

(c) *Quam sacer sanctus, quamque honestus.* Placet codicis Divionensis scriptura : *Quam sacer sanctusque, quam honestus*, etc. Rig.

(d) *Forculam.* Alii, *Foreculum.* Rig.

CAP. XIV. —(e) *Multo magis coronatos fortasse tunc illos coronatos scandalizaverit.* Alludit ad vigintiquatuor illos seniores coronis aureis coronatos, Apoc., IV, 4. Si nudo capite mulier scandalizat angelos, multo magis capite coronato scandalizaverit illos seniores coronatos. Rig.

(f) *Et quod magis usui est centenariis quoque rosis de horto Midæ lectis.* Prima editio Rhenani scripturam codicis Divionensis repræsentavit : *Centauriis quoque roris et hortomi delectis ;* quam esse mendosam nemo ambigit. Codex Agobardi hac parte erosus tantum servavit, *et quod magis v..... narint quoq. rosis de horto lectis.* Cui quidem scripturæ fidem potius adhiberi par est, cum sit membranarum longe Divionensibus illis vetustiorum. Itaque Rhenani conjecturam sequimur, legendumque arbitramur : *Centenariis quoque rosis de horro Midæ lectis* : quod ad veterem illam scripturam propius accedit. Centenarias autem rosas dixit Tertullianus, a centum foliis, quemadmodum in Apologetico, p. 7. *centenarias* cœnas a *centenis* sestertiis, et lib. de Pallio, pag. 138, *Centenarii* ponderis lances. Convenientissime autem dixit *coronam ex rosis*, quæ spectaculi et spiraculi res est, hoc est, oculos colore et nares odore delectat, magis usui esse, quam de laurea, myrto, olea, aut quavis alia illustri fronde, quæ oculos tantum pascit. Rig.

(g) *Et utrisque liliis.* Albis et purpureis. De quibus sunt apud Ovidium versus præclari, Metam. X, ubi de Hyacintho :

Tyrioque nitentior ostro
Flos oritur, formamque capit quam lilia, si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.

Itaque lilia purpurea poetæ nata de cruore Hyacinthi fabulantur : præterea vero luctus et querelarum inscripta syllabis AI, AI. Quod autem vulgo traditur, ea lilia significari notissimo illo Virgilii versu, *Dic quibus in terris, etc.* hoc falsum esse, si tantulum digredi liceat, demonstrabimus. Quidni autem liceat coronario Tertulliani opusculo lemniscos intexere? Sane rideo grammaticos hærentes cruci, quam ipsis olim abs se positam fuisse Virgilius Asconio Pediano inter jocandum prodidit. Et quis non rideat Servium .istud ex Asconio tradentem, semetipsum nugis exquisitissimis perperam cruciare? Sunt autem pastoritii lusus Ecloga III, ubi Damœtas et Menalcas inter sese quid carmine uterque valeat vicissim experiuntur, ac tandem certando fessi, litem Palæmonis arbitrio diriment dam jocosa altercatione concludunt. Quærit ex Menalca Damœtas :

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas?

Damœtam Menalcas consimili quæstione repercutit :

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores ; et Phyllida solus habeto.

Quæsierat Damœtas ubinam terrarum cœlum tres tantum ulnas pateret, quod certe nusquam datur, neque per mundi naturam fieri potest, ut alicubi terrarum cœli supra terras amplitudo trium ulnarum spatio contineatur. Itaque Menalcas propositam quæstionem non solvit, sed quæstione alia refellit. Dic,

utrisque liliis, et omnibus violis coroneris, etiam gemmis forsitan et auro, ut et illam Christi coronam

A æmuleris, quæ postea ei obvenit, quia et favos post fella gustavit (*Luc.* XXIV, 42); nec ante rex gloriæ a

COMMENTARIUS.

inquit, ubinam terrarum nascantur flores inscripti nominibus regum? Romuli scilicet, Numæ, Tulli, Tarquinii et aliorum. Cujusmodi flores nullibi sane nascuntur. Hoc Tuscum jurgium dici ait Augustinus, *contra Academicos* tertio, cum quæstioni intentatæ non ejus solutio, sed alterius objectio videtur mederi. Prior jocus, ἐκ τῶν ἀδυνάτων, posteriore ἐκ τῶν οὐκ ὄντων, lepide confutatur. Eademque fortasse opera Virgilius reipublicæ romanæ nuper ereptæ, cujus etiam reddendæ consilia agitasse Augustum, Tranquillus auctor est, desiderium, simplicibus rusticorum jocis celatum protulerit, sub hoc videlicet colore: flores inscriptos nomine regum, quos populus romanus odio tyrannicæ libidinis execrabatur, haud verius nasci, quam terræ plagam reperiri, ubi cœli spatium tres tantum ulnas pateret. Non est quod hic aliquid studiosius occultari suspicemur; nec sum credulus grammaticorum commentis, quasi Virgilius ipse Cornificio Asconiove mentem suam aperuerit hanc fuisse, ut eo versu,

Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas,

Cœlium quemdam Mantuanum perstringeret; non puto venisse umquam in Virgilii mentem tam frigidum scomma; et quos adducunt historiæ de Cœlio suæ testes, eorum de Virgilio scripta intercidere, nimirum Asconii Cornificiique. At citantur a Philargyrio; citantur a Servio. De Philargyrio mox disputabimus: certe in Servianis quæ exstant, hæc omnino in hunc modum leguntur: *Asconius Pedianus dicit se Virgilium dicentem audisse, in hoc loco se grammaticis crucem fixisse, volens experiri quis eorum studiosior inveniretur; volens intelligi de Cœlio Mantuano.* Primum igitur, quæ fides grammatico hasce nugas una cum solœcismis obtrudenti? Deinde, quam absurdum? *Volens experiri quis eorum studiosior inveniretur.* Quis credat sic locutum umquam fuisse Asconium? Imo ex Phylargyrianis legendum: *Pedianus ait se audisse Virgilium dicentem in hoc loco se grammaticis crucem fixisse, quæsituris eos si quid studiosius occultaretur.* Hæc sane quidem Asconius; nec præterea quidquam. Sed aliquis statim grammaticaster addidit de suo: *Dicit autem poeta Cœlium Mantuanum.* In Servianis quoque ab eadem manu additum, *volens intelligi de Cœlio Mantuano.* Jam, Philargyriana quæ habemus, puriora quidem plerumque sunt Servianis, sed hic certe nihilo fuere prudentius interpolata. Nam ad hunc versum, *tres pateat cœli spatium*, etc., nota sic habet: *Apud antiquos fuit altissimus puteus, in quem descendebant ad sacra celebranda: cujus putei orbis, id est summus circulus quo cognoscerent anni proventus, non amplius quam trium ulnarum habebat.* Quæ sunt mera deliria et somnia ægroti; nec saniora sequuntur *de specu apud Ætnam*; vel, *cœlum* pro *toto mundo*; vel, *cœli spatium* pro *clypeo Achillis.* Post hujuscemodi nugas, quis sibi meliora deinceps promittat? Subjungitur: *Dicit Cornificius ab ipso Virgilio audisse, quod Cœlium Mantuanum quemdam tetigit, qui consumptis omnibus facultatibus nihil sibi reliquit, nisi locum trium ulnarum ad sepulturam. Item Ovidius Naso torificum tantum cœlum patere videtur, quantum torificium patet.* Non video quid boni ex istis ineptiarum quisquiliis concinnari possit. Quin potius amplector sententiam existimantium nihil hic esse Cornificii, verum id nominis irrepsisse ex consonantia vocabuli paulo post sequentis, *torificii*, vel *orificii.* Et jam demonstravimus ex Servianis et Philargyrianis, qualiacumque illa sint, non recte colligi Asconium aliquid de Cœlio Mantuano tradidisse ab Virgilio acceptum. Quid? an hoc Cornificio innotuit, non etiam Asconio, qui fuit inter eximii poetæ familiares, qui librum adversus ejus obtrectatores edidit? Explodamus igitur rancidam illam de Cœlio Mantuano fabulam, admissa tantum postrema illa Philargyrii nota: *Asconius Pedianus ait se audisse Virgilium dicentem, in hoc loco se grammaticis crucem fixisse, quæsituris si quid studiosius occultaretur.* Quæ sequuntur, *Dicit autem poeta Cœlium Mantuanum*, jam non sunt Asconii, sed inepti alicujus glossographi. Hæc de cœli spatio. Quod attinet ad *flores inscriptos nomina regum*, grammatici quoque allucinantur, etsi multo simplicius; nam in eo consentiunt omnes, ut existiment florem hyacinthum intelligi, natum ex cruore primum Hyacinthi illius quem adamavit Apollo, deinde Ajacis. Hos accipiunt pro regibus, etsi neuter ad regum nomenclaturam respondeat. Hoc primum. Deinde, nemo umquam poeta eo venit audaciæ fabularis, ut diceret in flore illo scriptum fuisse nomen Hyacinthi, Ἀναγνῶθι τὸν Ὑάκινθον, inquit Philostratus, γέγραπται γάρ. Quid vero in eo legitur? nomen regis? nomen hyacinthi? minime. Sed proœmium luctus et querelæ, AI, AI. Sic Ovidius, ubi de Apolline puerum lugente.

B

Ipse suos gemitus foliis inscribit, et AI AI
Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est.

Moschus in Epitaphio Bionis:

Νῦν, Ὑάκινθε, λάλει τὰ σαυτέμματα, καὶ τὸν ἐμὸν AI, AI
Ἀείδασε τοῖς πετάλοισιν.

Constat igitur in hyacintho flore non legi nomen Hyacinthi, sed lugubris initium carminis, προοίμιον τῆς κασιγνήτης ut ait Palæphatus, τὰ ἐπὶ τῷ θρήνῳ γράμματα, ut Pausanias. Unde hoc Virgiliano versu,

Dic quibus in terris inscripti nomina regum,
Nascantur flores,

C qui nomina Hyacinthi et Ajacis significari volunt, jam unius sibi de suis regibus nomen expungi patiantur necesse est, ita ut deinceps Ajace solo se tueantur, dicantque Virgilium *nomina regum* posuisse, pro *nomine regio*, et regem nuncupasse, qui rex numquam fuerit; quod Virgilianum esse, parum mihi videtur probabile: quid si autem et Ajacis istius nomen de flore expungimus? Obstare videtur Ovidius, cum ait, mediis foliis inscriptam esse literam communem Hyacintho et Ajaci, puero viroque, literam scilicet funestam, seu lugubre epigramma, AI, AI, ut Hyacintho quidem sit nota seu litera querelæ, Ajaci, nominis. Sed objectionem hanc amovere haud difficile fuerit cogitantibus eas literas luctum querelamve denotasse prius quam Ajacem; imo, nec pro Ajace quidem in floribus istis usurpari, nisi per luctum; nomine ipso Ajacis luctum significante, atque inde Ovidio natam occasionem vaticinandi, fore tempus quo fortissimus heros lugubre suum nomen addat in hunc florem jam lugubrem. Sic autem fieri, ut in Hyacintho nihil lugubre legatur, certe nihil D regium. Plinius cap. 11, lib. XXI: *Hyacinthum comitatur fabula luctuum ejus quem Apollo dilexerat, et Ajacis: ita discurrentibus venis, ut græcarum litterarum figura, AI, AI, legatur inscriptum.* De nomine Ajacis lugubri, ipse Ajax apud Sophoclen:

AI AI, τίς ἂν ποτ' ἀεὶ' ὀδ' ἐκύρησεν
Τοῦ μὲν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
Νῦν γὰρ τάφοισι καὶ δὶς οἰάζειν ἐμοὶ
Καὶ τρὶς

Sic apud Theocriti interpretem, *Idyll.* X, Euphorion in luctu Æacidæ purpuream hyacinthum alloquitur γεγραμμένα κωκύουσαν: nempe in hyacintho legebat non regium nomen Æacidæ, sed lugubre carmen, AI AI. Nec alio sensu accipiendas puto easdem literas, AI, in gemma veteri, quæ humanæ figuræ in florem transeuntis imaginem exhibet, servaturque penes virum præstantissimum Nic. Fabrum Peirescium. Atque ex his, opinor, manifestum fiet satis vanam eorum esse conjecturam,

cœlestibus salutatus est, quam rex Judæorum proscriptus cruci; minoratus primo a patre modicum quid citra angelos, et ita gloria et honore coronatus (*Ps.* VIII, 6; *Heb.* II, 7). Si ob hæc caput ei tuum debes, tale si potes ei repende, quale suum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, si spinis non potes, quia non floribus potes.

CAPUT XV.

Serva Deo rem suam intaminatam. Ille eam, si volet, coronabit; imo et vult; denique invitat: *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei coronam vitæ. Esto* et tu *fidelis ad mortem* (*Apoc.* II, 10). Decerta et tu bonum agonem, cujus coronam et Apostolus repositam sibi merito confidit (II *Tim.* IV, 7, 8). Accipit et angelus victoriæ coronam procedens in candido equo, ut vinceret (*Apoc.* VI, 2). Et alius iridis ambitu ornatur (*Apoc.* X, 1), cœlesti prato (*a*). Sedent et presbyteri coronati (*Apoc.* IV, 4): eodemque auro et ipse Filius hominis supra nubem micat (*Apoc.* XIV, 14). Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione? illas aspice, illas odora. Quid caput strophiolo aut dracontario (*b*) damnas, diademati destinatum? Nam et reges nos Deo et Patri suo fecit (*c*) Christus Jesus (*Apoc.* I, 6; V, 10). Quid tibi cum flore morituro? Habes florem ex virga Jesse, super quem tota divini spiritus gratia requievit (*Is.* XI, 1), florem incorruptum, immarcescibilem, sempiternum: quem et bonus miles (*d*) eligendo, in cœlesti ordinatione, dignatione profecit. Erubescite, commilitones ejus, jam non ab ipso judicandi, sed ab aliquo Mithræ milite, qui cum initiatur in spelæo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obvia manu a capite pellere, et in humerum, si forte, transferre, dicens Mithram esse coronam suam, atque exinde numquam coronatur, idque in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento: statimque creditur Mithræ miles, si dejecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia diaboli, idcirco quædam de divinis affectantis, ut nos de suorum fide confundat et judicet.

COMMENTARIUS.

qui quod in lilio purpureo, poetarum hyacintho, græcis literis legitur inscriptum AI AI, nomina regum esse arbitrantur, pastoris Virgiliani versiculo subintellecta. Rig. — *Utrisque liliis et omnibus violis.* Sic in fine libri *de Spectac.*, spectacula dixit utraque cavea et omni stadio gratiora. Alba lilia sunt confessorum, purpurea martyrum. Rig.

CAP. XV.—(a) *Et alius iridis ambitu ornatus cœlesti prato.* Sic habet vetus exemplar. Eleganter autem et apposite Septimius iridem nuncupavit cœleste pratum, ob speciem smaragdi instar viridantem. Sic enim in Apocal. describuntur: καὶ ἶρις κυκλόθεν τοῦ θρόνου ὅμοια ἐράσει σμαραγδινῷ. Rig.

(b) *Caput in strophiolo aut dracontario.* Tenuioribus scilicet coronis utebantur antiqui, inquit Plinius, strophia appellantes, unde strophiola. Porro dracontarium videtur ejus sæculi vocabulum fuisse pro *corolla.* Rhen. — Ego vero puto dracontarium coronam intelligi confectam, aut ex dracontia herba antidoto adversus venena, cujus meminit Plinius lib. XXIV, cap. 19, aut ex gemmis draconilibus de quibus idem Pl. lib. XXXVII, c. 10. Pam. — *Aut dracontario.* Catenulæ sunt dracontaria ex auro argentove aut etiam alia materia in modum draconis effictæ. Monilia vocat dracones Lucianus, τοὺς περὶ κηρικοῦς ἢ βράχησι, δράκοντας. Le Pr.

(c) *Nam et reges nos Deo et Patri suo fecit.* Hoc sæpissime ingerit Septimius, sublimem christianæ familiæ dignitatem, quam et præclare extulit Justinus adversus Tryphonem Jud. ἀρχιτερατικὸν τὸ ἀληθινὸν γένος ἔσμεν τοῦ Θεοῦ.

(d) *Quem et bonus miles.* Loquitur de milite isto qui coronam in manu, non in capite, gestaverat, ob eam rem in carcerem raptus. Rhen.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER DE FUGA IN PERSECUTIONE.

Argumentum. — Liber *de Fuga in persecutione*, hac jam fervente anno 202 scriptus, Tertulliani ingenii valde præfracti etiamnum signum est, in quo Paracletum Montani palam adstruit: nondum tamen in Catholicos velut Psychicos insultat. Non inepte recentiores critici arbitrantur hunc tractatum eumdem esse quem in lib. *de Corona*, cap. 1, se editurum promisit *de Quæstionibus Confessionum*, utique contra pastores tempore persecutionum gregem suum deserentes. Orta inter Christianos contentione an persecutionis tempore fugere, aut auro argentove vexationem redimere sit licitum, *Tertullianus*, cum de hac quæstione ore tenus non nihil dissereret, interrogatus a *Fabio* quodam familiari, demum hunc tractatum exaravit, in quo late contra orthodoxos probare conatur, ministris Dei in persecutione nec fugiendum esse, nec persecutionem numerata pecunia redimendam, inter cætera ita disserens: *Si constat a quo persecutio eveniat, possumus jam consultationem tuam inducere, et determinare ex hoc ipso pertractatu fugiendum in persecutione non esse. Si enim persecutio a Deo evenit. Sicut duplex ratio offendit, quia neque debeat devitari neque evadi possit, quod a Deo evenit. Non debet devitari, quia bonus; necesse est enim bonum esse omne quod Deo visum est.* — Cætera, quæ in suæ sententiæ confirmationem addit pluribus persequi piget; quisque enim facile intelligit, insanire ibidem *Tertullianum* tam inepta argumentatione, cui Christi exemplum, atque Evangelium quo persecutionis tempore fuga præcipitur et sanctorum virorum auctoritas apertissime adversantur. Lump.

CAPUT PRIMUM.

Quæsisti proxime, Fabi frater (*a*), fugiendum necne sit in persecutione, quod nescio quid annuntiaretur. Ibidem ego oblocutus aliquid pro loco ac tempore, et quarumdam personarum importunitate, semitractatam materiam abstuli mecum, plenius eam de stylo nunc renuntiaturus, utpote quam mihi (1) et tua consultatio commendarat, et conditio temporum suo jam nomine injunxerat. Quanto enim frequentiores imminent persecutiones, tanto examinatio procuranda est, quomodo eas excipere fides debeat. Procuranda autem examinatio penes vos, qui (2), si forte, Paracletum non recipiendo deductorem omnis veritatis, merito adhuc etiam aliis quæstionibus obnoxii estis. Igitur consultationi tuæ ordinem quoque induimus, animadvertentes ante determinari oportere de statu ipsius persecutionis, utrum a Deo obveniat (3), an a diabolo, quo facilius de obitu ejus constare possit. Omnis enim rei inspectio, auctore cognito, planior. Satis est quidem præscribere (4) nihil fieri sine Dei voluntate. Sed non statim hac sententia cæteris retractatibus (5) locum dabimus, ne a præsenti articulo avocemur, si quis responderit: Ergo et malum a Deo, et delictum a Deo; nihil jam in diabolo, nihil etiam in nobis ipsis. De persecutione nunc quæritur. Circa hanc interim dixerim nihil fieri sine Dei voluntate, respiciens eam in primis dignam Deo esse, et, ut ita dixerim, necessariam, ad probationem scilicet servorum ejus sive reprobationem. Quis est enim exitus persecutionis, quis effectus alius, nisi probatio et reprobatio fidei, qua suos utique Dominus examinavit? Hoc omne (6) judicium est persecutio per quam quis aut probatus aut reprobatus judicatur. Porro judicium soli Deo competit. Ilæc pala illa (*b*), quæ et nunc Dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum acervum fidelium eventilans, frumentum martyrum (7) et paleas negatorum. Ilæc enim (8), scalæ quas somniat Jacob, aliis ascensum in superiora, aliis descensum ad inferiora demonstrantes. Sic et agonem intelligi capit persecutionem. A quo certamen edicitur, nisi a quo corona et præmia proponuntur? Legis edictum agonis istius in Apocalypsi, quibus præmiis ad victoriam invitet, vel maxime illos qui proprie vicerint in persecutione, vincendo luctati, revera non adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritalia (*Ephes.*, VI, 12) nequitiæ. Ita agnosces ad eumdem agonothetam pertinere certaminis arbitrium, qui invitat ad præmium. Totum quod agitur in persecutione, gloria Dei est probantis et reprobantis, imponentis et deponentis. Quod autem ad gloriam Dei pertinet, utique ex voluntate illius eveniet. Sed quando Deus magis creditur, nisi cum magis timetur, nisi (9) in tempore persecutionis? Tunc Ecclesia in attonito est; tunc et fides in expeditione sollicitior et disciplinatior in jejuniis et stationibus, et orationibus, et humilitate, in alterutra diligentia et dilectione (*c*), in sanctitate et sobrietate. Non enim vacatur nisi timori et spei. Adeo et ex hoc ipso ostenditur nobis non posse diabolo deputari eam, quæ meliores efficit Dei servos.

CAPUT II.

Si quod (10) iniquitas a Deo non est, sed a diabolo, persecutio autem ex iniquitate consistit (quid enim iniquius quam veri Dei antistites, omnis (11) sectatores veritatis, nocentissimorum more tractari?), ideo videtur persecutio a diabolo evenire, a quo iniquitas agitur, ex qua constat persecutio: scire debemus, quatenus nec persecutio est sine iniquitate diaboli, nec probatio fidei sine persecutione, propter probationem fidei necessariam iniquitatem, non patrocinium præstare persecutioni, sed ministerium; præcedere enim Dei voluntatem circa fidei probationem, quæ est ratio persecutionis, sequi autem diaboli iniquitatem ad instrumentum persecutionis, quæ ratio est probationis. Nam et alias, in quantum justitiæ iniquitas æmula est, in tantum materia est ad testimonia ejus, cujus est æmula; ut sic justitia in iniquitate perficiatur, quomodo virtus in infirmitate perficitur (II *Cor.*, XII, 9). *Nam infirma mundi electa sunt a Deo, ut confundantur fortia; et stulta ejus, ut confundantur sapientia* (I *Cor.*, I, 27). Ita et iniquitas adhibetur ut justitia probetur, confundens iniquitatem. Igitur quod ministerium non est arbitrii, sed servitii (arbitrium enim Domini, persecutio, propter fidei probationem, ministerium (12) autem iniquitas diaboli, propter persecutionis instructionem); ita eam per diabolum, si forte, non a diabolo evenire credimus Nihil Satanæ in servos Dei vivi licebit, nisi permise-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quam ei *Seml. Oberth.* quam mihi et *Rhen.*; quam et *Jun.*
(2) Qui *deest Seml. Oberth.*
(3) Obvenit *Fran.*
(4) Perscribere *Seml. Oberth.*
(5) Retractavimus *Seml. Oberth.* Retractaverimus, *Fran.*
(6) Domini *Seml. Oberth. Leop.* Nomen *Rhen.*
(7) Maturum *Rhen.*
(8) Hæ etiam *Seml. Oberth. Leop.*
(9) Nisi cum — persecutionis Ecclesia *Latin.*
(10) Quoniam *Latin.*
(11) Omnes *Semler. Oberth. Leop.*
(12) *Verba* ministerium — instructionem *nescio qua de caussa omisit Seml. ejusque sequax Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) *Fabi frater.* Communi Christianorum nomine fratrem hic vocat. Quis autem fuerit, incertum. LE PR.

(b) *Ilæc pala illa.* Recte Rhenanus interpretatur *palam* instrumentum rusticum: alludit enim ad illud *Matth.* III, juxta similem B. Cypriani versionem; quia veniet dominus ferens palam in manu sua, et mundabit aream suam. PAM.

(c) *In alterutra diligentia et dilectione.* His verbis significat: quæcumque sunt christianæ pietatis erga Deum et proximum officia, quales fidelium inter se, diligentium et dilectorum affectus, etiam ethnici laudabant, et mirabantur, in Apologet. RIG.

rit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem (1) : (*a*) aut homines ejus fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Job, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi a Deo accepisset potestatem, nec in substantiam quidem ejus, nisi Dominus, *Ecce*, dixisset, *omnia quæ sunt ei, in manu tua do, in ipsum autem ne extenderis manum* (*Job*, I, 12). Denique nec extendit, nisi posteaquam et hoc postulanti Dominus, *Ecce*, dixisset, *trado tibi illum, tantum animam ejus custodi* (*Job*, II, 6). Sic et in Apostolos facultatem tentationis postulavit, non habens eam nisi ex permissu. Siquidem Dominus in Evangelio ad Petrum : *Ecce*, inquit, (*b*) *postulavit Satanas uti cerneret vos velut frumentum : verum ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua* (*Luc*, XXII, 31) : id est, ne tantum diabolo permitteretur, ut fides periclitaretur. Quo ostenditur, utrumque apud Deum esse, et concussionem fidei, et protectionem, cum utrumque ab eo petitur, concussio a diabolo, protectio a Filio. Et utique cum Filius Dei protectionem fidei habet in sua potestate quam a Patre postulat, *a quo omnem accipit potestatem in cœlis et in terris* (*Matth.* XXVIII, 18), quale est ut concussionem fidei diabolus in manu sua habeat? (*c*) Sed in legitima Oratione cum dicimus ad Patrem : *Ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI, 13) (quæ aut major tentatio quam persecutio?); ab eo illam profitemur accidere, a quo veniam ejus deprecamur : hoc est enim quod sequitur : *Sed erue nos a maligno* (*ibid.*); id est, ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, cum illi non tradimur in tentationem. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset, tantum abest ut in oves Dei habeat. Possum dicere, porcorum quoque setas tunc numeratas apud Deum fuisse; nedum capillos sanctorum. Habere videtur diabolus propriam jam potestatem, si forte in eos qui ad Deum non pertinent, semel in *stillam situtæ* (*Is.* XL, 15), et in *pulverem areæ* (*d*), et *in salivam* nationibus deputatis a Deo, ac per hoc diabolo expositis in vacuam quodammodo possessionem. Cæterum, in domesticos Dei nihil illi licet ex propria potestate; quia quando liceat, id est, ex quibus caussis, exempla in Scripturis signata demonstrant. Aut enim ex caussa probationis conceditur ei jus tentationis provocato vel provocanti, ut in superioribus : aut ex caussa reprobationis traditur ei peccator quasi carnifici in pœnam, ut Saul : *Et obsessit*, inquit, *spiritus Domini a Saule, et concutiebat eum spiritus nequam a Domino, et suffocabat* (II *Reg.* XVI, 2). Aut ex caussa cohibitionis (2), ut Apostolus refert (II *Cor.* 17, 7) (*e*) datum sibi sudem angelum Satanæ ut colaphizetur : nec hanc speciem permitti diabolo in sanctos humiliandos per carnis vexationem, nisi simul ut et virtus tolerantiæ scilicet in infirmitate perfici possit; nam et ipse Apostolus Phigellum et Hermogenem tradidit Satanæ, *uti emendentur, ne blasphement* (II *Tim.* I, 15). Vides jam et a servis Dei facilius diabolum accipere potestatem, tanto abest ut eam ex proprietate possideat.

CAPUT III.

Cum ergo et hæc exempla magis in persecutionibus eveniant, siquidem magis tunc probamur vel reprobamur, et magis tunc humiliamur vel emendamur, ab eo permittatur vel imperetur necesse est catholice fieri hæc, a quo et ex parte, scilicet ab illo qui dicit : *Ego sum qui facio pacem, et condo mala* (*Is.* XLV, 7), id est bellum. Hoc est enim contrarium paci. Nostræ autem paci quid (3) est bellum, quam persecutio? Si persecutionis vel maxime exitus aut vitam afferunt aut mortem, aut plagam aut sanationem, habes auctorem ejusdem : *Ego percutiam, et sanabo; ego vivificabo, et mortificabo* (*Deut.* XXXII, 39). *Uram*, inquit, *illos, sicut uritur argentum* (4); *et probabo*, inquid, *illos, sicut probatur aurum* (*Zach.* XIII, 9). Cum enim exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Hæc erunt *ignea jacula* (*Eph.* III) diaboli, per quæ fidei ustio et conflatio administratur; ex Dei tamen voluntate. De isto quis dubitare possit ignoro, nisi plane frivola et frigida fides, deprehendens eos qui timide conveniunt in Ecclesiam. Dicitis enim (5), Quoniam incondite convenimus, (6) simul convenimus, et complures concurrimus in Ecclesiam, quærimur a nationibus, et timemus ne turbentur nationes. Annon (7) scitis quod Deus omnium sit Dominus? Et si velit Deus, tunc persecutionem patieris; si vero noluerit, silebunt nationes. Credas utique; si tamen in eum Deum credis, sine cujus voluntate nec passer unius assis cadit in terram (*Matth.* X, 29). Nos autem, puto, multis passeribus antistamus.

CAPUT IV.

Igitur si constat a quo persecutio eveniat, possu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) In tentationem victricem. *Seml. Oberth.*
(2) Cohabitationis *Seml. Oberth.*
(3) Quod *Pam. Seml. Oberth.*
(4) Argentum aur. *Franeq.*
(5) Inquit *addit Rigalt.*
(6) Et *add. seml. Oberth.*
(7) Non *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Aut homines ejus fuisse traducat.* Ostendat, demonstret homines fuisse diaboli, qui deserto Deo defecerint ad diabolum. Rig.

(b) *Postulavit Satanas, uti cerneret vos.* Cernere pro cribrare, quod vox græca σινιάσαι, Luc, XXII, significat, etiam Plinio usitatum est lib. XVIII, cap. 11. Pam.

(c) *Sed in legitima oratione.* Orationem legitimam dicit, quam nobis dictavit Christus cœlestis juris peritus. Sic *precem legitimam* dixit Augustinus, Serm. 125, de Temp. Rig.

(d) *Et in salivam nationibus deputatis.* Despectim conspuendis. Rig.

(e) *Datum sibi sudem.* Palum, Σκόλοπα τῇ σαρκί. Sic lib. V adv. Marc. *Creatorem* dicit *angelum Satanæ colaphizando apostolo suo applicuisse.* Rig. — *Datum sibi sudem.* Stimulum, σκόλοπα. Le Pr.

mus jam (*a*) consultationem tuam inducere, et determinare ex hoc ipso prætractatu, fugiendum in persecutione non esse. Si enim persecutio a Deo evenit, nullo modo fugiendum erit quod a Deo evenit. Sicut duplex ratio defendit (1), quia neque debeat devitari, neque evadi possit quod a Deo evenit. Non debet devitari, quia bonum. Necesse est enim bonum esse omne quod Deo visum est. Et numquid ideo in Genesi sic positum est : *Et vidit Deus quia bonum est* (*Gen.* I, *pass.*); non quod ignoraret bonum esse, nisi vidisset; sed ut hoc sono portenderet bonum esse, quod Deo visum est? Multa quidem sunt, quæ a Deo eveniant, et alicujus malo eveniant. Imo bonum est ideo, quia a Deo evenit, ut divinum et rationale. Quid enim divinum non rationale, non bonum? Quid bonum non divinum? Si autem sensui cujusque videtur, non sensus hominis præjudicat (2) statui, sed status sensui. Status enim uniuscujusque(3) certum quid est, et dat (4) sensui legem, ita sentiendi statum, sicuti est. Si autem statu quidem bonum quod a Deo venit (nihil enim a Deo non bonum, quia divinum, quia rationale), sensui vero malum videtur, erit status in tuto (5), sensus in vitio. Statu optima res pudicitia, et veritas, et justitia, quæ a multorum sensu displicent. Numquid ideo status sensui addicitur? Ita et persecutio statu bona est, quia divina et rationalis dispositio; sensui eorum vero quorum malo venit, displicet. Vides etiam illud malum rationem (6) apud Deum habere, cum quis in persecutione evertitur de salute, sicut et illud bonum ratione contingere, cum quis ex persecutione proficit in salute? Nisi si irrationaliter quis aut perit apud Dominum, aut salvus est : is non poterit persecutionem malum dicere, quæ etiam in mali (7) parte bonum est (8), dum ratione administratur. Ita si bonum persecutio quoquo modo, quia de statu constat, merito definimus, quod bonum est, vitari non oportere : quia delictum sit, quod bonum est recusare; eo amplius, quod Deo visum est : jam vero nec posse vitari, quia a Deo evenit, cujus voluntas non poterit evadi. (*b*) Igitur qui putant fugiendum, aut malum exprobrant Deo, si persecutionem uti malum fugiant; bonum enim nemo devitat; aut fortiores se Deo existimant, qui putant se evadere posse, si Deus tale aliquid voluerit evenire.

A B C

CAPUT V.

Sed, Quod meum est, inquit, fugio, ne peream si negavero; illius est, si voluerit, etiam fugientem me reducere in medium. Hoc mihi prius responde : Certus es te negaturum si non fugeris, an incertus? Si enim certus, jam negasti; quia præsumendo (9) te negaturum, id despopondisti, de quo præsumpsisti; et vane jam fugis ne neges, qui si negaturus es, jam negasti. Si vero incertus es, cur non ex æqualitate incerti metus inter utrumque eventum, etiam confiteri te posse præsumis, et salvum magis fieri quominus fugias, sicut (10) negaturum te præsumis, ut fugias? Jam nunc aut in nobis est utrumque, aut totum in Deo. Si in nobis est confiteri aut negare, cur non id præsumimus quod est melius, id est, confessuros nos? nisi, si vis confiteri, pati non vis. Nolle autem confiteri, negare est. Si vero in Deo totum est, cur non totum relinquimus arbitrio ejus? agnoscentes virtutem et potestatem, quod possit nos sicut fugientes reducere (11) in medium; ita et non fugientes, imo et in medio populo conversantes obumbrare. Quale est, ut ad fugiendum Deo honorem reddas, qui possit te etiam fugientem producere in medium, ad contestandum (12) autem inhonores illum, desperans potentiam protectionis ab illo? Quare (13) non magis, ex hac parte constantiæ et fiduciæ in Deum, dicis : Ego, quod meum est, facio, non discedo : Deus si voluerit, ipse me proteget : hoc potius nostrum est, stare sub Dei arbitrio, quam fugere sub nostro? (*c*) Rutilius sanctissimus martyr, cum totiens fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum (ut putabat) nummis redemisset, post totam securitatem quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, et præsidi oblatus, tormentis dissipatus, credo pro fugæ castigatione, dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ (14) Dei retulit. Quid aliud voluit Dominus nobis demonstrare hoc documento, quam fugiendum non esse, quia nihil fuga prosit si Deus nolit?

CAPUT VI.

Imo, inquit, quia præceptum adimplevit, fugiens de civitate in civitatem. Sic enim voluit quidam, sed et ipse fugitivus, argumentari, et qui proinde nolunt intelligere sensum Domini illius pronuntiationis, ut eam (15) ad velamentum timiditatis suæ utantur, cum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dependit *Pam. Seml. Oberth.*
(2) Præjudicavit *Fran.*
(3) Unusquisque *Rhen.*
(4) Sed dat *Seml. Oberth.*
(5) In toto *Rhen. Rig. Venet.*
(6) Rationale *Seml. Oberth.*
(7) Et jam in malis *Pam.*
(8) In malis par bonum est *Rhen. Seml. Oberth.*

D

(9) Præsumendo *Rigalt.*
(10) Si cum *Rhen.*
(11) Educere *Pam. Seml.*
(12) Ad constandum *Rhen.*
(13) Quanto *Rhen.*
(14) Misericordia, *Rhen.*
(15) Ea *Cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

CAP. IV.— (a) *Consultationem tuam inducere*, etc. Inducitur, inquit Rhen., proprie quod deletur, hic consultationem inducere, est tollere dubium consultationis : exponit autem seipsum, cum addit. *et determinare*. In sequentibus est egregia ejusdem recognitio. PAM.

(b) *Igitur qui putant fugiendum*. In codice Divionensi, *Eo ad igitur*. Ibidemque in margine, *Eo ad, id est, adeo*. RIG.

CAP. V.— (c) *Rutilius sanctissimus martyr*. Passus est in Africa cum Silvano et Maximo, ut ex martyrologio patet, in quo male, *Rutilus*. LE PR.

et personas suas habuerit et tempora et causas: *Cum cæperint*, inquit, *persequi vos, fugite de civitate in civitatem* (*Matth.* X, 23). Hoc in personas (1) proprie Apostolorum, et in tempora, et in causas eorum pertinere defendimus, sicut (præcedentes (2) et) subsequentes sensus probabunt, qui nonnisi in Apostolos competunt: *In viam nationum ne ieritis, et in civitatem Samaritanorum ne introieritis; sed ite potius ad oves perditas domus Israelis* (*Matth.* X, 5, 6). Nobis autem et via nationum patet, in qua et inventi sumus, et usque in finem incedimus; et nulla civitas excepta est, qua per totum orbem prædicamus; sed nec cura nobis Israelis injuncta est extra ordinem, nisi qua et omnibus gentibus prædicare debemus. Etiamsi apprehendamur, non in concilia eorum perducemur, nec in synagogis illorum flagellabimur, sed Romanis utique potestatibus et tribunalibus objiciemur. Sic (3) igitur et fugæ præceptum Apostolorum conditio desiderabat, quoniam primo prædicandum erat *ad oves perditas domus Israelis*. Ut ergo perficeretur prædicatio, apud quos (4) priores perfici oportebat, uti panem ante filii quam canes sumerent, ideo illis fugere tunc ad tempus præcipit: non propter eludendum (5) periculum proprio (6) nomine persecutionis (atquin persecutiones eos passuros prædicabat, et tolerandas docebat); sed propter profectum annuntiationis, ne, statim (7) oppressis, Evangelii quoque disseminatio perimeretur. Neque enim quasi tacite in aliquam civitatem transfugiendum erat, sed quasi ubique annuntiaturis, et ex hoc ubique persecutiones subituris, donec replerent doctrina sua (8). Denique (*Matth.* X, 33) : *Non consummabitis*, inquit, *civitates Israelis*. Adeo intra terminos Judææ præceptum fugæ continebatur. Nobis autem nulla Judææ præfinitio competit prædicationis, in omnem jam carnem effuso Spiritu Sancto. Itaque Paulus, et Apostoli ipsi, memores præcepti dominici, contestantur illud apud Israel, quem jam doctrina sua impleverant: *Vobis oportuit imprimis sermonem Dei tradi. Sed quoniam repulistis eum, nec dignos vos æterna vita existimastis, ecce convertimus nos ad nationes* (*Act.* XIII, 46). Atque exinde conversi et ipsi, sicut antecessores instituerant, in viam nationum abierunt, et in civitates Samaritanorum introierunt; *ut in totam scilicet terram exiret sonus eorum, et in terminos orbis voces eorum* (*Ps.* XVIII, 1). Si ergo cessavit exceptio viæ nationum, et introitus in civitates Samaritanorum, cur non cessaverit et fugæ præceptum pariter emissum? Denique ex quo saturato Israele Apostoli in nationes transierunt, nec fugerunt de civitate in civitatem, nec pati dubitaverunt. Atquin et Paulus, qui se per murum concesserat expediri de persecutione, qua ad hoc tempus erat præcepti; idem jam in clausula officii, et in consummatione præcepti, discipulis magnopere deprecantibus, ne se Hierosolyma committeret, passurus illic quæ Agabus prophetaverat, sollicitudini eorum non subscripsit; sed e contrario : *Quid*, inquit, *facitis lacrymantes et conturbantes cor meum? Ego enim non modo vincula pati optaverim, sed etiam mori Hierosolymis pro nomine Domini mei Jesu Christi*. Atque ita omnes aierunt : *Fiat voluntas Domini* (*Act.* XXI, 17). Quæ erat voluntas Domini? utique non fugiendi jam persecutionem. Cæterum, poterant et priorem Domini voluntatem proposuisse qua fugere mandaverat, qui illum persecutionem vitasse maluerant. Igitur, cum etiam sub Apostolis ipsis temporale fuit fugæ præceptum, sicut et reliquorum præscriptorum, non potest apud nos perseverare quod apud doctores nostros concessavit, etsi non proprie ad illos fuisset emissum : aut si perseverare illud Dominus voluit, deliquerunt (9) Apostoli qui non usque in finem fugere curaverunt.

CAPUT VII.

Videamus nunc an et cætera Domini edicta congruant perpetuo fugæ præcepto. Primo quidem, si a Deo persecutio est, quale est ut idem fugiendam eam mandet, qui et infert? quam si evadi vellet, melius non immitteret, ne voluntate prævaricari videretur. Aut pati enim nos voluit persecutionem, aut fugere. Si fugere, quomodo pati? si pati, quomodo fugere? Jam vero quanta inæqualitas sententiarum jubentis fugere, et invitantis ad passionem, contrariam fugæ? *Qui confessus fuerit in me, et ego confitebor in illo coram Patre meo* (*Matth.* X, 31). Quomodo confitebitur fugiens? quomodo fugiet confitens? *Qui me confusus fuerit, et ego confundar eum coram Patre.* (*Marc.* VIII, 38; *Luc.* XIX, 26). Si devito passionem, confundo confessionem. *Felices qui persecutionem passi fuerint causa nominis mei* (*Matth.* V, 11). Infelices ergo qui fugiendo ex præcepto non erunt passi. *Qui sustinuerit in finem, iste salvabitur* (*Matth.* X, 22). Quid ergo, me jubens fugere, vis in finem sustinere? Tanta diversitas sententiarum si non congruit divinæ gravitati, apparet ex his quoque præceptum fugæ suam tunc habuisse rationem quam ostendimus. Sed infirmitatem, inquit, quorumdam prospiciens Dominus, pro sua humanitate nihilominus et portum fugæ demonstravit : non enim idoneus erat etiam sine fuga tam turpi et indigno, et servili præsidio salvos facere in persecutione, quos sciret infirmos. Atquin non fovet, sed recusat semper infirmos; primum docens non fugiendos esse persecutores, sed potius non timendos. *Nolite timere eos qui corpus occidere possunt, animæ autem nihil valent facere. Sed timete eum qui et corpus et animam perdere potest in gehennam* (*Matth.* X, 28). Atque exinde quæ timidis præfinit? *Qui pluris fecerit animam suam quam me, non est me dignus;* et : *Qui*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Persona *Pam. Rhen.*
(2) *Verba uncis inclusa Pamel. addidit recepitque Rig.*
(3) Si *Rhen.*
(4) Apud nos *Venet.*
(5) Elidendum. *Rhen. Seml. etc.*
(6) Pro nomine *Jun.*
(7) Statum *Rhen. Jun.*
(8) Doctrinam suam *Pam.*
(9) Dereliquerunt *quidam male.*

non tollit crucem suam et sequitur me, non potest esse meus discipulus (*Luc.* XIV, 26). Postremo, in Apocalypsi non fugam timidis offert, sed inter cæteros reprobos particulam in stagno sulphuris et ignis, quod est mors secunda (*Cap.* XXI, 8).

CAPUT VIII.

(*a*) Refugit et ipse vim interdum, sed eadem ratione qua Apostolis fugere præceperat; donec scilicet doctrinam suam impleret; qua consummata, non dico stetit, sed nec auxilium a Patre angelorum exercitum desideravit, increpito etiam Petri gladio, professus quidem et ipse est animam anxiam usque ad mortem et carnem infirmam; ut tibi ostenderet, primo, in se utramque substantiam humanam fuisse, ex proprietate anxietatis animæ, et imbecillitatis carnis; ne aliam (ut quidam nunc induxerunt) aut carnem aut animam Christi interpretareris; dehinc, ut demonstratis conditionibus earum, scires illas nihil valere per semetipsas sine spiritu. Et ideo præponit, *Spiritus promptus* (*Matth.* XXVI, 41), ut utramque conditionem substantiæ utriusque respiciens, intelligas in te esse etiam fortitudinem spiritus, quomodo et infirmitatem carnis; ac jam hinc scias quid unde facias, et quid cui subjicias; infirmum scilicet fortine, ut nunc facis, de carnis quidem infirmitate causeris, de spiritus autem firmitate dissimules. Postulavit et ipse a Patre: *Si fieri posset, transiret ab illo calix passionis.* Postula et tu, sed stans ut ille, sed postulans tantum, sed subjungens et reliqua: *Verum non quod ego volo, sed quod tu* (*Matth.* XXVI, 29). Fugiens autem quomodo hoc postulabis, ipse tibi præstans calicis translationem, nec quod Pater vult faciens, sed quod tu?

CAPUT IX.

Omnia Apostoli secundum Deum utique docuerunt, omnia evangelizare (1) voluerunt. Ubi illos ostendis præceptum fugiendi de civitate in civitatem restaurasse? quia nec potuissent tale quid constituere tam contrarium exemplis suis, ut fugam mandarent; qui cum maxime de vinculis vel insulis, quibus ob confessionem, non ob fugam nominis, continebantur, ad Ecclesias scribebant. Infirmos sustinere jubet Paulus; utique enim non fugientes (quomodo enim sustinebantur absentes?). An patientia dicit sustinendos, sicubi per infirmitatem fidei suæ offenderint? Sic et pusillanimes consolari, non tamen in fugam mitti. Sed cum admonet: *Ne locum malo demus* (*Ephes.* IV, 27), non fugæ suggerit consilium, sed iracundiæ docet temperamentum. *Et si redimendum tempus* dicit (*Ephes.* V, 16), *quia dies nequam sunt;* non per fugam, sed per sapientiam conversationis, (*b*) lucrari nos vult commeatum. Cæterum, qui lucere nos jubet velut filios lucis, non jubet fuga abscondi ut filios tenebrarum. Stare immobiles præcipit, utique nec fuga mobiles, et accinctos, in fugam an in occursum Evangelii? Arma quoque demonstrat, quæ fugituris non essent necessaria, inter quæ et clypeum, *quo possitis tela diaboli extinguere* (*Eph.* VI, 16), resistentes sine dubio, et excipientes omnem vim illius. Proinde et Joannes pro fratribus quoque animas ponendas docet (1 *Joan.* III, 16), nedum pro Domino. Iloc a fugientibus non potest adimpleri. Denique memor Apocalypsis suæ, in qua timidorum exitum audierat, de sensu admonet et ipse timorem rejiciendum. *Timor*, inquit, *non est in dilectione. Sedenim perfecta dilectio foras mittit timorem*; quia timor suppliciamentum habet, utique ignem stagni. Qui autem timet, non est perfectus, in dilectione Dei scilicet. Porro, quis fugiet persecutionem, nisi qui timebit? Quis timebit, nisi qui non amavit? Spiritum vero si consulas, quid magis sermone illo Spiritus probat? Namque omnes pene ad martyrium exhortatur, non ad fugam, ut et illius commemoremur: Publicaris, inquit, bonum tibi est. Qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in Domino. Ne confundaris, Justitia te producit in medium. Quid confunderis, laudem serens? Potestas fit, cum conspiceris ab hominibus. Sic et alibi: Nolite in lectulis, nec in aborsibus et febribus mollibus optare exire, sed in martyriis; ut glorificetur qui est passus pro vobis.

CAPUT X.

Sed omissis quidam divinis exhortationibus, illum magis Græcum versiculum sæcularis sententiæ sibi adhibent: *Qui fugiebat, rursus prœliabitur* (*c*); ut et rursus forsitan fugiat. Et quando vincet, qui, cum fugerit, victus est? Bonum militem Christo imperatori suo præstat, qui tam plene ab Apostolo armatus, tuba persecutionis audita, diem deserit persecutionis? Respondebo et ego de sæculo aliquid:

Usque adeone mori miserum est?
(*Virg. Æn.* XII, 646.)

Moriatur quoquo modo, aut victus, aut victor. Nam etsi negando ceciderit, cum tormentis tamen prœliatus. Malo miserandum quam erubescendum. Pulchrior est miles in prœlio amissus, quam in fuga salvus. Times hominem, christiane, quem timeri oportet ab angelis, siquidem angelos judicaturus es; quem timeri oportet a dæmoniis, siquidem et in dæmonas accepisti potestatem; quem timeri oportet ab universo mundo, siquidem et in te mundus judicatur. Christum indutus es, siquidem in Christum tinctus es. Qui fugis diabolum, depreciasti Christum, qui in te est. Fugitivum cum diabolo te reddidisti. Sed Dominum fugiens, exprobras omnibus fugitivis sui vanitatem consilii. Fugerat et quidam animosus pro-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Evangelii revolverunt *Ed.* 1. *Rhen. prob. Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. VIII.—(a) *Refugit et ipse vim interdum.* Variis rationibus et exemplis, etiam Christi Domini fuga, quam eleganter explicat, fugiendum non esse probat. LE PR.

CAP. IX.—(b) *Lucrari nos vult commeatum?* Commeatum sæculi dicit, moram in sæculo nostram. Lucrari autem nos vult commeatum, hoc est, pro lucro nobis poni diem, quemcumque innocenter, sive, ut ait, sapienti conversatione, transigimus. RIG.

(c) Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται;

phetes Dominum, trajecerat ab Joppe Tarsum, quasi a Deo transfretaret; sed illum non dico in mari et in terra, verum in utero etiam bestiæ invenio, in quo nec mori per triduum potuit, nec vel sic Deum evadere. Quanto melius Dei servus? qui sive inimicus Dei imminet, non fugit eum; sed potius contemnit, confidens scilicet de tutela Domini; sive Deum reformidat, quanto magis sub oculis ejus astitit, dicens: Dominus est, potens est: omnia illius sunt: ubi ubi fuero, in manu ejus sum; faciat quod vult, non discedo; et si perire me volet, ipse me perdat, dum me ego servo illi. Malo invidiam ei facere per voluntatem ipsius pereundo, quam bilem, per meam evadendo.

CAPUT XI.

Hoc sentire et facere omnem servum Dei oportet, etiam minoris loci, ut (*a*) majoris fieri possit, si quem gradum ex persecutionis tolerantia ascenderit. (*b*) Sed cum ipsi auctores, id est, (*c*) ipsi diaconi, presbyteri et episcopi fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit, qua ratione dictum (*Matth.* X, 23), *Fugite de civitate in civitatem?* Itaque (*d*) cum duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradum in acie figendum suadentes (1)? Certe quidem bonus pastor animam pro pecoribus ponit; ut Moyses, non Domino adhuc Christo revelato, etiam in se figurato, ait (*Exod.* XXXII, 32): *Si perdis hunc populum*, inquit, *et me pariter cum eo disperde.* Cæterum, Christo confirmante figuras suas, *malus pastor est*, qui *viso lupo fugit, et pecora diripienda derelinquit* (*Joan.* X, 12): projicietur de villa pastor hujusmodi: (*e*) detinebuntur illi missionis (2) suæ mercedes (3) in compensationem (4); imo et de priore peculio ejus exigetur detrimenti dominici restitutio. Etenim *qui habet, dabitur ei; ab eo autem qui non habet, etiam quod videtur habere auferetur* (*Matth.* XIII, 12). Sic Zacharias (XIII, 7) comminatur: *Exsurge romphæa in pastores, et evellite oves, superducam manum meam in pastores.* In quos et Ezechiel (*Ezech.* XXXIV, 2) et Hieremias iisdem minis perorant, quod *non tantum de pecoribus improbe vescantur, pascentes potius semetipsos, verum quod* (5) *dispersum gregem faciant in prædam esse omnibus bestiis agri, dum non est pastor illis.* Quod nunquam magis fit, quam cum in persecutione destituitur Ecclesia a Clero. Si et Spiritum quis agnoverit, audiet et fugitivos denotantem. Porro, si eos qui gregi præsunt, fugere, cum lupi irruunt, nec decet, imo nec licet (qui enim talem pastorem malum pronuntiavit, utique damnavit, omne autem quod damnatur, illicitum factum est sine dubio), ideo præpositos Ecclesiæ in persecutione fugere non oportebit. Cæterum, si grex fugere deberet, non deberet præpositus gregis stare, sine caussa staturus (6) ad tutelam gregis, quam grex non desideraret, ex licentia fugæ scilicet.

CAPUT XII.

Quod pertineat, frater, ad tuum problema, habes sententiæ nostræ responsionem et exhortationem. Porro, qui quærit, an persecutio fugienda sit, sequentem quoque quæstionem jam prospiciat necesse est, an, si fugienda non est, redimenda certe sit. Ultro igitur et de hoc tibi suggeram, definiens persecutionem, quam constat non esse fugiendam, proinde nec redimendam. Pretium interest. Cæterum, sicut fuga redemptio gratuita est, ita redemptio nummaria fuga est. Certe et hujus timiditatis (7) consilium est. Quod times, redimis; ergo fugis. (*f*) Pedibus stetisti, cucurristi nummis. Hoc ipsum quod stetisti ex redemptione, fugisti. Ut autem redimas hominem tuum nummis, quem sanguine suo redemit Christus, quam indignum Deo et dispositione ejus, qui *Filio suo non pepercit pro te*, ut fieret maledictum pro nobis; quia *maledictus qui pependerit in ligno;* qui *tanquam ovis ad victimam ductus est, et tanquam agnus ante tondentem, sic non aperuit os; sed posuit dorsum suum in flagella, maxillas autem in palmas, et faciem non avertit a sputaminibus, et inter iniquos deputatus est* (*Is.* LIII), *et traditus est in mortem, mortem autem crucis:* totum hoc, ut nos a peccatis lucraretur! (*g*) Sol cessit diem emptionis nostræ. Apud inferos emancipatio nostra est, et stipulatio nostra in cœlis. *Sublevatæ sunt*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Suadere *Rhen. Semler.* figendam suadere *Pam.*
(2) Messionis *Latin.*
(3) Vel *inser. Lat.*
(4) Suæ in compensatione *Pam.*
(5) Et *Seml. Rhen.*
(6) Debere præpositos g. s. s. c. staturos *Rhen.*
(7) Timiditas *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

CAP. XI. — (a) *Ut majoris loci fieri possit.* Sic libro de Baptismo, *majores* dicit eos, qui in ordinem ecclesiasticum sunt adlecti. Rig.

(b) *Sed cum ipsi auctores.* Auctores dicit Ecclesiæ præpositos et magistros, quos penes est Ecclesiæ habendæ auctoritas. Et in Glossis Philoxeni, *Auctor*, ἀρχηγός, αὐθέντης, et in Agrimensorum libris auctores absolute ponuntur pro doctoribus et magistris. Rig.

(c) *Ipsi diaconi, presbyteri et episcopi fugiunt.* Hoc dedecus exprobrat lib. de Corona: *Novi et pastores eorum, in pace leones, in prælio cervos.* Rig.

(d) *Cum duces fugiunt.* Hoc est *auctores*, ut modo dixit, et pastores, qui in pace leones, in prælio cervi esse solent, ut exprobrat de Cor. mil. c. I. Ad quos adduco illud Aristophanis: Οἵνοι μὲν λέοντες, ἐν μάχῃ δὲ ἀλώπεκες. *Domi quidem leones, in pugna vulpes.* Le Pr.

(e) *Detinebuntur illi missionis suæ mercedes in compensationem.* Pecoris scilicet a lupo direpti per negligentiam aut perfidiam pastoris, cujus fidei vigilantiæque commissum fuerat pacta commissionis mercede. Rig.

CAP. XII. — (f) *Pedibus stetisti, cucurristi nummis.* Hæc propter Libellaticos qui judicibus libellum offerebant, quo se christianos esse profitebantur, adeoque sibi non licere profanorum sacris contaminari; pœnam vero numerata pecunia redimebant. Iis autem non multo mitior fuit Ecclesia quam lapsis, sive ἐκκεθύκοσι εἰδωλοῖς. Le Pr.

(g) *Sol cessit diem emptionis nostræ. Apud inferos emancipatio nostra, et stipulatio nostra in cœlis.* Solem dicit repræsentasse emptionis nostræ diem, quo die Christus Dominus surrexit a mortuis. Itaque cessit dies Solis in diem redemptionis nostræ. Christi

portæ sempiternæ, ut introiret rex gloriæ, Dominus virtutum (*Ps.* XXIII, 9), hominem de terris, imo ab inferis, mercatus in cœlos. Quis est nunc qui adversus illum reluctatur, (*a*) imo depretiat (1), et mercedem ejus tam magno comparatam, pretiosissimo scilicet sanguine, commaculat? Jam ergo melius fugere quam fieri viliorem, si non tanto sibi constabit homo, quanti constitit Domino. Et Dominus quidem illum redemit, ab angelis munditenentibus potestatibus, a spiritalibus nequitiæ, a tenebris hujus ævi, a judicio æterno, a morte perpetua. Tu autem pro eo paciscéris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo præside, sub tunica et sinu (quod aiunt) ut furtivo, quem coram toto mundo Christus emit, imo et manu misit! Hunc ergo liberum pretio æstimabis, et pretio possidebis, nisi eodem, quanto (ut diximus) Domino constitit, sanguine suo scilicet? (*b*) Ut quid ergo de homine Christum redimis in homine, in quo Christus est? Non aliter et Simon facere tentavit, cum pecuniam Apostolis obtulit pro spiritu Christi. Audiet ergo et iste, qui se redimens, Christi spiritum redemit: *Pecunia tua tecum sit in interitum, quoniam gratiam Dei pretio consequendam putasti* (*Act. ap.* VIII, 20). Quis talem abnegatorem spernat (2)? Quid enim dicit ille concussor? Da mihi pecuniam. Certe ne eum tradat; siquidem non aliud venditat, quam quod præstaturus est præmio tuo. Cum das, utique ne tradaris voluisti. Non traditus autem (3), traduci habebas. Ergo dum nolendo tradi non vis traduci, nolendo negasti, quod te esse traduci noluisti. Imo, inquis, dum nolo traduci quod sum, sum confessus id esse quod nolo traduci, id est, christianum. Potes itaque te martyrem vindicare? constanter ostendisse Christum? Redimens, non ostendisti. Apud unum si forte confessus es, ergo et apud plures nolendo confiteri, negasti. Ipsa salus judicabit hominem excidisse, dum evadit. Excidit ergo qui maluit evasisse. Negatio est etiam martyrii recusatio. Christianus pecunia salvus est; et in hoc nummos habet ne patiatur, dum adversus Deum erit dives. Atenim Christus sanguine fuit dives pro illo: *Felices* itaque *pauperes, quia illorum est*, in- A quit (*Matth.* V), *regnum cœlorum*, qui (*c*) animam solam in confiscato habent. Si non possumus Deo servire et mammonæ, possumus a Deo redimi et a mammona? Quis enim magis serviet mammonæ, quam quem mammonas redemit? Postremo, quo exemplo uteris in redemptionem traditionis? Apostoli (4) persecutionibus agitati (*d*), quando se pecunia tractantes (5) liberaverunt? quæ illis utique non deerat, ex prædiorum pretiis ad pedes eorum depositis; certe multis locupletibus credentibus viris ac fœminis, qui his etiam refrigeria subministrabant. Quando Onesiphorus, aut Aquila, aut Stephanus, hoc modo eis in persecutione succurrerunt? Paulus quidem, cum Felix præses pecunias accepturum se pro eo a discipulis sperasset, de quo B et ipse in secreto tractavit cum ipso, neque ipse pro se, neque discipuli pro eo numerarunt. Illi utique discipuli, qui flentes quod (6) Hierosolymam tendere perseveraret, et persecutiones prædicatas illic non præcaveret, postremo inquiunt: (*e*) *Fiat voluntas Dei* (*Act.* XXI, 14). Quæ ista voluntas? Utique ut pateretur pro nomine Domini, non ut redimeretur. Oportet enim, *quomodo Christus animam suam posuit pro nobis* (I *Joann.* III, 16), *ita fieri pro eo et a nobis*; nec tantum pro ipso, imo etiam *pro fratribus* propter ipsum. Quod Joannes docens, non et fratribus numerandum, sed moriendum potius pronuntiavit. Nihil interest, si quem christianum redimere non debeas, aut emere. Et adeo voluntas Dei sic est. Aspice (7) regnorum et imperiorum utique a Deo C dispositum statum (8), *in cujus manu cor regis* (*Prov.*, XXI, 1): tanta quotidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum: (*f*) nec unquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemptionem (9) capitis et sectæ redigendis, cum tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingens meti posset. Sanguine empti, sanguine munerati (10), nullum nummum pro capite debemus; quia caput nostrum Christus est. Non decet Christum pecunia constare. Quomodo et martyria fieri possent in glo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) De pretio *Seml.*
(2) Tamen abnegatorem *Rhen. Pam. Seml.* ab negatore rem *Lat.* spernatur *Seml.*
(3) Ne *addit. Latin.*
(4) Tractantes *add. Rhen. Seml.*
(5) Tractantes *hic abest Rhen. Seml.*
(6) Neque *add. Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Ab apice *Pam. Paris. Fram.*
(8) Disposito statu *Pam. Fram. Paris.*
(9) Aliqua redemptione *Rhen. Seml. Oberth.*
(10) Numerati *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

morte emancipatio nostra celebrata est. Emptor familiæ Christus moriens. Emptor ipse et pretium. Merx et familia homo. Stipulator in cœlis Deus. Emptionis nostræ sponsor et pretium Christus ad Patrem regrediens, summæ totius arrhabonem intulit cœlo. Rig.

(a) *Imo depretiat mercem.* Cupiens redemptam vilibus numinis. Mercedem vocat hominem Christi sanguine redemptum. Rig.

(b) *Ut quid ergo de homine Christum redimis in homine in quo Christus est?* Hoc sibi vult Septimius: Quid ab homine ethnico, delatore scilicet vel milite, vel furunculo præside christianæ sectæ licentiam tibi redimis, tibi, inquam, christiano, qui si christianus es, Christum in te habes, quid pecunia redimis spiritum Christi, hoc est, ut tibi vivere liceat christiano? Itaque mox dicet Septimius: Non decet Christum pecunia constare. Rig.

(c) *Animam solam in confiscato habent.* Verbo *confiscatum* usus est Suetonius, ubi pecuniam dicens confiscatam intelligit asservatam in fiscis. Le Pr.

(d) *Apostoli tractantes, persecutionibus agitati quando se pecunia liberaverunt?* Hæc ita restituebat Pithœus, *Apostoli persecutionibus agitati, quando se pecunia tractantes liberaverunt?* Rig.

(e) *Fiat voluntas Dei*, Justinus, Apologia II, pro Christ.: Ὁ φίλον τῷ Θεῷ, τοῦτο γινέσθω. Rig.

(f) *Nec unquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum*, etc. Sed paulo post factum fuisse colligitur ex iis, quæ apud Cyprianum leguntur de libellaticis. Rig.

riam Domini, si tributo licentiam sectæ compensaremus? Itaque qui eam præmio paciscitur, dispositioni divinæ adversatur. Cum igitur nihil nobis Cæsar indixerit in hunc modum stipendiariæ sectæ, sed nec indici unquam tale quid possit, (*a*) Antichristo jam instante, et in sanguinem, non in pecunias hiante Christianorum, quomodo mihi proponere potest (1) Scripturam esse : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari?* Miles me, vel delator, vel inimicus concutit, nihil Cæsari exigens, imo contra faciens, cum christianum, legibus humanis reum, mercede dimittit. Alius est denarius, quem Cæsari debeo, qui ad eum pertinet, de quo tunc agebatur, tributarius; a tributariis scilicet, non a liberis debitus. Aut quomodo reddam quæ sunt Dei Deo? Utique proinde (*b*) imaginem et monetam ipsius, inscriptam nomine ejus, id est, hominem christianum. Quid autem Deo debeo, sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me Filius fudit ipsius? Quod si Deo quidem hominem, et sanguinem meum debeo; nunc (2) vero in eo sum tempore, ut quod Deo debeo expostuler; utique fraudem Deo facio, id agens, ne quod debeo solvam. Bene observavi præceptum, Cæsari reddens quæ sunt Cæsaris, Deo vero quæ sunt Dei abnegans?

CAPUT XIII.

Sed et *omni petenti* me *dabo* (*Matth.*, V, 42). In caussa eleemosynæ, non in concussuræ. *Petenti*, inquit. Porro, qui concutit (3), non petit. Qui comminatur, si non acceperit, non postulat, sed extorquet. Non eleemosynam exspectat, qui non miserandus, sed timendus venit. Dabo igitur misericordiæ (4), non timiditatis meæ nomine; ubi qui accepit, Deum honorat, et benedictionem mihi reddit; non ubi amplius se benefactum præstitisse credit, et (*c*) prædam suam aspiciens dicit : « De reatu est. » (*d*) *Pascam et inimicum* (5). Sed inimicitiæ alios habent titulos. Non tamen dixit traditorem, aut persecutorem, aut concussorem. Nam huic quanto magis carbones acervabo super caput, si non me redemero? Proinde, inquit, *qui tibi tunicam sustulerit, vel etiam pallium concede*, ad eum pertinet, qui rem, non qui fidem meam eripere quæsierit. Concedam et pallium non minanti traditionem. Si minatus fuerit, etiam tunicam reposcam. Omnium jam nunc dominicarum pronuntiationum (6) sui (7) sunt et caussæ et regulæ termini, non in infinitum, nec ad omnia spectant. Atque adeo qui omni petenti dari jubet, ipse signum petentibus non dat. Alioquin si omnibus passim petentibus dandum putas, tu mihi videris, non dico vinum febricitanti, sed etiam venenum, aut gladium mortem desiderant daturus. *Facite autem vobis amicos de mammona* (*Luc.* XVI), quomodo intelligendum sit, parabola præmissa doceat, ad populum judaicum dicta, qui commissam sibi rationem Domini cum male administrasset, deberet de mammonæ hominibus, quod nos eramus, amicos sibi potius prospicere, quam inimicos; et revelare nos a debitis peccatorum, quibus Deo detinebamur, si nobis de dominica ratione conferrent; ut cum cœpisset ab hujus deficere gratia, ad nostram fidem refugientes, reciperentur in tabernacula æterna. Quamvis nunc puta aliam interpretationem parabolæ et sententiæ istius, dum scias verisimile non esse ut concussores nostri in amicitiam redacti per mammonam, recipiant tunc nos in tabernacula æterna. Sed quid non timiditas persuadebit? quasi et fugere Scriptura permittat, et redimere præcipiat. Parum deniqùe est, si unus aut alius ita eruitur. (*e*) Massaliter totæ ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt. Nescio dolendum an erubescendum sit, cum in matricibus (*f*) beneficiariorum et curioso-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Potes *Jun.*
(2) Cum *Oberth. Seml. Rhen.*
(3) Incutit *Oberth. Seml. Pam. Rhen.*
(4) Misericordiam *Rhen.*
(5) Ita *Rig.* de reatu irascar et inimicum. *Pamel.*
(6) V. pronuntiationum *inseruit Rigalt.*; *abest a Pam. Rhen. cogitando suppleri jubet :* sententiarum.
(7) Suæ *Pam.*

COMMENTARIUS.

(a) *Antichristo jam instante.* Haud aliter Judas opus suum in hebdomadas Danielis usque ad decimum Severi annum producens, adventum Antichristi eo tempore prædixisse videtur. Refert. B. Hieronymus in Catal. script. et Niceph., lib. V, c. 35. In quo (inquit ibid. B. Hieron.), erroris arguitur; sed hoc ideo scripsit, quia magnitudo persecutionis præsentem mundi minabatur occasum. Pam.

(b) *Imaginem et monetam ipsius, id est, hominem christianum.* Ignatius epist. ad Magnesianos : Ὁ θεοσεβὴς ἄνθρωπος, νόμισμα ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαραχθὲν Rig.

CAP. XIII. — (c) *Prædam suam aspiciens dicit, De reatu est.* Concussor scilicet aspiciens nummos, quibus acceptis christianum jam comprehensum dimisit: Hoc de reatu est, inquit. Hæc merces, inquit, dimissi a me scelerati. Hoc pretium meæ prævaricationis perfidiæque.

(d) *Pascam et inimicum.* Verba sunt christiani tractaturi super redemptione persecutionis, et oblaturi nummos militi, vel delatori, vel inimico concutienti. Hæc autem antea erant corruptissima. Restituimus ex lib. Ursini. Rig.

(e) *Massaliter totæ ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt.* Serie capitum juncta massam fecere vectigalium christianorum. Sic Optatus, lib. II, sub finem : *Et tamen has plebes coegistis flectere et inclinare cervices, et serie capitum juncta massam pœnitentium facere.* Rig.

(f) *Beneficiariorum et curiosorum.* Beneficiarii dicebantur milites beneficio Principis assumpti ad officia seu ministeria certa. Itaque apparebant Principi, mandatis exsequendis. Ex eorum schola seu corpore erant curiosi, cursus publici curæ præpositi, qui et stationarii dicebantur, per stationes dispositi. His autem inter cætera hoc numeris injungit lex prima, C. de Curiosis, *ut crimina judicibus nuntianda meminerint.* Ergo reorum nomina requirebant, ac deferebant, ipsos reos sistebant tribunalibus et judicio. Vetus historia passionis Fructuosi episcopi : *Direxerunt beneficiarii in domum ejus*; et paulo post : *Cui milites dixerunt : Veni, Præses te accersit*, etc. Scriptor anonymus vitæ Chrysostomi apud Suidam : ἀλκόμενος ὑπὸ τῶν Κουριόνων τῆς πόλεως; et apud Euseb. Histor. ecclesiast. lib. IX, c. 9 : Βενεφικιαρίων ὄβρεις καὶ σεισμοί; hujusmodi autem officia tandem in prævaricationes et rapinas et concussiones degeneravere, conniven-

rum, (*a*) inter tabernarios, et lanios, et (*b*) fures balnearum, et aleones, et lenones, Christiani quoque vectigales continentur. Hanc episcopatui formam Apostoli providentius condiderunt (*c*) ut regno suo securi frui possent sub obtentu procurandi (1). Scilicet enim (*d*) talem pacem Christus ad Patrem regrediens, mandavit a militibus per saturnalitia redimendam.

CAPUT XIV.

(*e*) Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo dominica solemnia celebrabimus? Utique quomodo et Apostoli; fide, non pecunia tuti; quæ fides si montem transferre potest, multo magis militem. Esto sapientia, non præmio cautus. (*f*) Neque enim statim et a populo eris tutus, si officia militaria redemeris. Una ergo tibi et fide, et sapientia, ad tutelam opus est: quibus non adhibitis, et redemptionem tuam potes perdere; adhibitis, haud redemptionem desiderare. Postremo si colligere interdiu non potes, (*g*) habes noctem, luce Christi luminosa (2) adversus eam. Non potes discurrere per singulos: sit tibi et in tribus Ecclesia. (*h*) Melius est turbas tuas aliquando non videas, quam addicas. Serva Christo virginem sponsam. Nemo quæstum de ea faciat. Hæc tibi, frater, dura forsitan et intolerabilia videntur. Sed recita Deum dixisse: *Qui capit, capiat* (*Matth.* XXIX, 12); id est, qui non capit, discedat. Non potest qui pati timet, ejus esse qui passus est. At qui pati non timet, iste perfectus erit in dilectione, utique Dei. *Perfecta enim dilectio foras mittit timorem* (*Joan.* IV, 18). *Et ideo multi vocati, pauci electi* (*Matth.* XXII, 14). *Non quæritur qui latam viam sequi paratus sit, sed qui angustam* (*Matth.* VII, 13; *Luc.*, XIII, 24). Et ideo Paracletus necessarius deductor omnium veritatum, exhortator omnium tolerantiarum: quem qui receperunt, neque fugere persecutionem, neque redimere noverunt, habentes ipsum qui pro nobis erit, sicut locuturus in interrogatione, ita juvaturus in passione.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *A. Neander conj. v.* pacem *hic excidisse ac restituendam esse.*

(2) Luce Christi luminosi *Rhen.* —Noctem luce Christi luminosam *cod. Urs. et Wouw.*

COMMENTARIUS.

tibus plerumque hominum pessimorum improbitati beneficiariis et curiosis. Nam et ipsi pensionibus annuis aut menstruis corrupti, tabernariorum, ganeonum, furum, lenonum scelera dissimulabant; ita ut domi servarent matriculas turpium hujusmodi pactionum. Cum igitur et in Christianos mandata principum sive proconsulum aut præsidum tanquam in facinorosos atrocia exsequerentur, tandem et istis Christiani quoque pecunias pactis pensionibus numerare cœperunt. Hoc Septimius nomini christiano turpe ac pudendum esse ait, in matricibus beneficiariorum et curiosorum, inter ganeones et fures, et tabernarios, et lenones, Christianos quoque vectigales censeri. Rig.

(a) *Inter tabernarios, et lanios.* Laniorum tabernæ in scriptorum monimentis reperiuntur. Et lanios in matricula tabernariorum censitos nemo ambigit. Itaque mendosum esse videatur, quod hic separatim notantur. Certe in exemplaribus antiquis scriptum fuisse *janeos* et *juneos*, testatur Rhenanus; quasi ganeos dixerit Septimius pro ganeonibus. Sic enim lib. II ad Uxorem, tabernæ adjunxit ganeam: *Audiat sane*, inquit, *audiat aliquid de scena, de taberna, de ganea*, quod in vulgatis editionibus depravatum antea legebatur, de *geenna*. Et Ammiani Marcellini lib. XXVIII, ubi legitur, *per Janos et fora clamitant*, legendum, *per ganeas et fora*. Verumtamen, cum illius ævi Christianos tantum ab sanguine et cruore abhorruisse sciamus, ut etiam botulis et cæteris hujusmodi eduliis studiosissime abstinerent, facile mihi persuaderi patiar, Tertullianum hoc loco lanios ab generali tabernariorum appellatione exemisse, quo magis negotii, de quo agitur, fœditatem extolleret. Rig.

(b) *Fures balnearum*: Apol. 44, dicuntur *lavantium prædones*. Infamis habebatur miles in furto balneario deprehensus, l. fin. D. de fur. noct. vel baln. Contra illas injurias adhibebantur servi qui *Capsarii* sive ἱματιοφύλακες dicuntur, quique aliis etiam usibus serviebant. Paull., l. III, de off. præf. vig. Unde Lucianus Hippia, Τί ἂν σοι ἐπὶ τούτῳ λέγοιμι, παλαίστρας, καὶ τὰς κοινὰς τῶν ἱματιοφυλαττόντων καταχύσας, *quid referam præterea palæstras, et communes capsariorum apparatus?* Legunt hic nonnulli *balneariorum*, quod idem est, quam visit Gloss. fur balnearius, βαλανειακλέπτης. Le Pr.

(c) *Ut regno suo securi frui possent sub obtentu procurandi.* Jam episcopatus in regnum surgebat, si credimus Septimio, adversus Ecclesiam romanam sive catholicam scribenti. Sane Ammianum Marcellinum minime audirem, talibus orta principiis libro XXVII narrantem, nisi Sulpicii Severi supremis Historiæ sacræ verbis etiam atrociora traderentur. Rig.

(d) *Talem pacem Christus mandavit a militibus per saturnalitia redimendam.* Aut scribendum saturnalia, aut dicendum saturnalitia munera significari, quæ saturnalitiæ celebritatis occasione militibus sive officia lib. proconsulis aut præsidis Christiani mittebant, ut eos haberent æquiores et clementiores.... Saturnalia munerum et strenarum dies fuere. Unde illud Martialis, IV:

> Saturnalia fructuosiora
> Annis non habuit decem Sabellus.

CAP. XIII.—(e) *Sed quomodo colligemus?* Πῶς συνάξομεν; Irinæus, lib. III, cap. 3: *Confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet colligunt.* Optatus lib. II: *Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta et quod excurrit basilicas, locum ubi colligerent non habebant.* Rig.

(f) *Neque enim statim et a populo tutus eris, si officia militaria redemeris.* Etsi nummis oblatis concussores illos, beneficiarios et curiosos placaveris, pacemque ab iis redemeris, non statim et a populi furentis rabie tutus eris. Rig.

(g) *Habes noctem luce Christi luminosam.* Sic liber Ursini. Quod sequitur, *adversus eam*, prave insertum detrahi velim. Rig.

(h) *Melius est turbas tuas aliquando non videas, quam addicas.* Nempe tributariæ servituti. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

ADVERSUS GNOSTICOS SCORPIACE (a)

ARGUMENTUM.

Gnosticos adoritur, qui martyrium tollebant: illius utilitatem necessitatemque probat. Scorpiace sive Scorpiacum liber hic vocatur, quoniam Scorpiorum in morem latenter simplicioribus imponerent, dicebantque Deum sanguinem Christianorum non sitire, nec Christum de morte nostra salutem exspectare.

EDIT. VENET.

CAPUT PRIMUM.

Magnum de modico malum (*b*) scorpios (1) terra suppurat: tot venena, quot genera (2); tot pernicies, quot et species; tot dolores, quot et colores (*c*), Nicander scribit et pingit: et tamen (*d*) unus omnium violentiæ gestus nocere de cauda; quæ cauda erit, quodcumque de postumo corporis propagatur, et verberat. Proinde (3) scorpii series illa nodorum, venenata intrinsecus venula subtilis, arcuato impetu surgens (*e*), hamatile spiculum in summo tormenti ratione (*f*) stringit; unde et bellicam machinam, retractu tela vegetantem (*g*), de scorpio nominant. Id spiculum (*h*), et fistula est, patula tenuitate in (4) vulnus et virus, qua figit effundit (*i*). Familiare periculi tempus æstas (5); Austro et Africo sævitia velificat (6). In remediis naturalia plurima (7); aliquid et magia circumligat, medicina cum ferro et poculo occurrit. Nam et (8) præbibunt quidam (9), festinando tutelam; sed concubitus exhaurit (*j*), et denuo sitiunt. Nobis fides præsidium, si non et ipsa percutitur diffidentia signandi statim et adjurandi (*k*), et urgendi (*l*) (10) bestiæ calcem: hoc denique modo (*m*) etiam ethnicis sæpe subvenimus; donati a Deo ea potestate (*n*), quam Apostolus dedicavit (*Act.*, XXVIII), cum morsum viperæ sprevit. Quid ergo promittit stylo

LECTIONES VARIANTES.

(1) Scorpium *Pam. Rhen. Seml.*
(2) Ingenia, *Pam. Rhen. Seml.* et genera, *Petr. Ciaconius ex Isidoro.*
(3) Perinde ut *Rhen. Seml.* proinde scorpiis *Jun.*
(4) Id *Rhen. Seml.*
(5) Æstus *Pam. Franeq.*
(6) Velificabat *Fran.*
(7) Naturalia plurimum *Pam. Fran.* naturalium plurimum *Seml.*
(8) Jam et *Jun.*
(9) Quædam *Wouw.*
(10) Ungendi *Seml.* Signando statim et adjurando et ungendo *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

(a) *Scorpiace.* In codice illo Agobardi, librum de Præscriptione hæreticorum proxime sequitur Scorpiace, qui liber in vulgatis editionibus inscribitur, Adversus Gnosticos Scorpiacum, de bono Martyrii. Nos veteres membranas secuti appellavimus Scorpiacen, sive de Scorpiace. Nam et ita inscribitur, ut, De præscriptione hæreticorum: et, De exhortatione castitatis; cum reipsa sit et Scorpiace, et Præscriptio hæreticorum, et Exhortatio castitatis. Tertullianus huic opusculo, sane eleganti, titulum fecit Scorpiacen, Græcorum more, qui et σκορπιακὴν ἀντίδοτον dicunt. Apud Hieronymum, in vulgatis quidem editionibus, legitur *Scorpiacum* lib. adversus Vigilantium: *Scribit adversum hæresim tuam, quæ olim erupit contra Ecclesiam, Tertullianus, vir eruditissimus, insigne volumen, quod Scorpiacum vocat rectissimo nomine, quia arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffudit.* RIG.

CAP. I.—(b) *Scorpios terra suppurat.* Hæc de alimento scorpiorum e terra eductorum intelligenda mihi non videntur. Verum ex eo explicanda sunt, quod scorpii non modo ex sese generentur, sed etiam procreentur e putredine, lignis putrefactis et terra etiam; unde Nicandri scholiastes in Ther.: Γίνονται δὲ οἱ σκόρπιοι οὐ μόνον ἐξ ἀλλήλων, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ σεσηπυιῶν ξύλων καὶ παγέων: Nascuntur scorpiones non tantum alii ex aliis, verum etiam putrefactis lignis et cancris. LE PR. et EDD.

(c) *Quot colores.* Plures sunt scorpiorum species, quæ a colore potissimum denominantur; has Nicander in Theriacis octo enumerat. LE PR.

(d) *Unus omnium violentiæ gestus nocere de cauda.* Plinius, *Semper cauda in ictu est: nulloque momento meditari cessat, ne quando occasioni desit.* RIG.

(e) *Arcuato impetu surgens.* Hoc imitatus est Hieronymus prœmio in Joelem: *Insurgat licet scorpio, et arcuato vulnere ferire conetur.* RIG.

(f) *Tormenti ratione.* Hoc est, in modum tormenti. RIG.

(g) *Unde et bellicam machinam retractu tela vegetantem.* Ea describitur ab Ammiano, lib. XXIII. RIG.

(h) *Id spiculum et fistula est.* Sic de Culice, *tubam pariter et lanceam*, lib. de Anima, et lib. I. advers. Marc. RIG.

(i) *Quæ figit, effundit.* Hæc attigit Isidorus more suo negligenter: *Scorpio est sagitta venenata, arcu vel tormentis excussa, quæ dum ad hominem venerit, virus quod figit, infundit.* Ita ad sagittam transtulit, quæ de machina et animali Septimius dixerat. RIG.

(j) *Sed concubitus exhaurit.* Quod scilicet præbiberunt remedii, veneris ardore exhauritur. Perstringere videtur Psychicos suos prurigas, de quibus initio lib. de Monog. RIG.

(k) *Diffidentia signandi statim et adjurandi.* Expressimus scripturam codicis Agobardini. Etsi minime displiceat quod in Ursino legitur: *Nobis fides præsidium, si non et ipsa percutitur diffidentia, signando statim et adjurando*, etc. RIG.

(l) *Urgendi bestiæ calcem.* In Agobardino legitur, *ungnendi.* Manum Tertulliani scripsisse puto, *urgendi.* Urgere bestiæ calcem, idem est atque urgere bestiam calce. Ipse mox dicet: *At tu, fides si vigilat, ibidem scorpio pro solea anathema illidito.* Illidere scorpio soleam, est urgere bestiæ calcem. Ait autem Christus, Lucæ X: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones.* RIG.

(m) *Hoc denique modo etiam ethnicis subvenimus.* Signando statim et adjurando. RIG.

(n) *Donati a Deo ea potestate.* Calcandi scorpiones, urgendi bestias calce. RIG.

lus iste, si fides de suo tuta est? Ut et (1) alias de suo tuta sit, (*a*) cum suos scorpios (2) patitur. Acerba mediocritas et istis (*b*), et genus varium, et uno modo armantur, (*c*) et certo tempore subornantur, nec alio quam ardoris. Hoc apud Christianos persecutio est. Cum igitur fides æstuat, et Ecclesia exuritur de figura rubi, tunc Gnostici erumpunt, tunc Valentiniani proserpunt, tunc (*d*) omnes martyriorum refragatores ebulliunt, (*e*) calentes (3) et ipsi offendere, figere, occidere. Nam quod sciant multos simplices ac rudes, tum infirmos, (*f*) plerosque vero in ventum, et (4) si placuerit, christianos, nunquam magis adeundos sapiunt (*g*), quam cum aditus animæ formido laxavit; præsertim cum aliqua atrocitas fidem martyrum coronavit. Itaque primo (*h*) trahentes adhuc caudam de affectibus applicant (*i*), aut quasi in vacuum flagellant. (*j*) Hæccine pati homines innocentes? ut putes (5) fratrem, aut de melioribus ethnicum? Siccine tractari sectam nemini molestam? Dehinc adigunt, perire homines sine caussa. Perire enim, et sine caussa (*k*), prima fixura. Exinde jam cædunt. Sed nesciunt simplices animæ, quid, quomodo scriptum sit, ubi, et quando, et coram quibus confitendum, nisi quod nec simplicitas ista, sed vanitas, imo dementia, pro Deo mori. Et: Quis me salvum faciat (*l*), si is occidet, qui (6) salvum facere debebit? Semel Christus pro nobis obiit, semel occisus est ne occideremur. Si vicem repetit, nunc et ille salutem de mea nece exspectat? An Deus hominum mundi sanguinem flagitat maxime si *taurorum et hircorum* (*Ps.*, LIX, 13) recusat? Certe *peccatoris pœnitentiam mavult quam mortem* (*Ezech.* XVIII 23). Et quomodo non peccatorum (7) desiderat mortem? Hæc, et si qua alia (*m*) admenta (8) hæreticorum venenorum, quem non vel in scrupulum figant, si non in exitium (9)? vel in hilem, si non in mortem? At tu, fides si vigilat, ibidem scorpio pro solea anathema illidito, et relinquito in suo sopore (10) morientem. Cæterum, (*n*) si plagam satiaverit, intimat virus, et properat in viscera: statim omnes pristini sensus retorpescunt, sanguis animi gelascit, (*o*) carne (11) spiritus exolescit, nausea nominis (*p*) inaccrescit (12). Jam et ipsa mens sibi quo vomat quærit. Atque ita semel infirmitas quæ percussa est (13), sauciatam fidem vel in hæresim (*q*), vel in sæculum exspirat. Et nunc præsentia rerum est medius ardor ipsa canicula persecutionis: (*r*) ab ipso scilicet cynocephalo. Alios ignis, alios gladius, alios

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sit, ut et *Rhen. Seml.* sit, et *Pam. Fran.*
(2) Cum suo scorpio mediatur acerba, mediocritas et isti *cod. Wouw.*
(3) Callentes *Pam. Fran.*
(4) Et *abest Pam. Fran.*
(5) Puta *Pam. Fran.*
(6) Ut qui me s. f., si is occidit, quis *Rhen. Semler*, et quis m. s. f. si is occidit, qui salvum *cod. Wouw.*
(7) Peccatorum non *Pam. Fran.*
(8) Adinventio, *Rhen. Seml.*
(9) Exitum *Pam. Fran.*
(10) Pure *Jun.*
(11) Caro *Rhen. Seml.*
(12) Ingrescit, *cod. Agob.*
(13) Infirmitate quoque percussa, *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Cum suos scorpios patitur.* Hæreticos significat, quales mox describet. Rig

(b) *Acerba mediocritas et istis.* Jam incipit hæreticos cum scorpiis comparare: et quemadmodum de scorpiis dixit, *Magnum de modico malum*, ita hic de hæreticis, *Acerba mediocritas et istis.* Rig.

(c) *Et certo tempore subornantur, nec alio quam ardoris.* Plinius: *Venenum omnibus medio die, dum incanduere solis ardoribus.* Rig.

(d) *Omnes martyriorum refragatores.* Gnosticos et alios hæreticos asseclas notat, qui martyria tollere conabantur, atque adversus ea dimicabant. Le Pr.

(e) *Calentes et ipsi offendere.* Verissima scriptura. Etenim scorpiis incalescentibus venenum inardescit. Rig.

(f) *Plerosque vero in ventum, et si placuerit christianos.* In ventum, hoc est, vento ferente, vento secundo, prout ventus tulerit; prout temporis occasio dederit, suaserit, *Et, si placuerit*, nimirum Cæsari, Proconsuli, Præsidi, etc. Rig.

(g) *Nunquam magis adeundos sapiunt, quam cum aditus animæ formido laxavit.* Alludit ad illud Juvenalis:

> Et trepidum solvunt tibi cornua ventrem
> Cum lituis audita.

Ita ut formido non solum ventrem, sed et animum solvat. Rig.

(h) *Trahentes adhuc caudam.* Nondum arcuato impetu surgentes; nondum figentes spicula; nondum fundentes virus. Rig.

(i) *Applicant.* Blande ac molliter accedunt. Rig.

(j) *Hæccine pati homines innocentes.* Hæc dicuntur sub persona gnosticorum, accedentium ad fideles simplices et formidantes; ac deinceps tales personæ sunt a Septimii persona diligenter distinguendæ. Rig.

(k) *Perire enim, et sine caussa.* Verba sunt Tertulliani Gnosticorum dicta cum indignatione examinantis. Etenim dicebant perire qui martyria subirent, et, perire sine caussa. Quasi perirent qui Deo impendebantur! Aut quasi sine caussa, qui pro Christi nomine! Rig.

(l) *Et quis me salvum faciat, si is occidet qui salvum facere debebit?* Hujusce commatis principium in codice Agobardi vetustatis injuria delevit. Scriptum fuisse videtur, *Et quis me salvum faciat, si is occidet qui salvum facere debebit?* Rig.

(m) *Admenta hæreticorum venenorum.* Admentum in veteribus Glossis, Ammentum, ἀμμαλόγχης, λῶρόν ἐστιν δι' οὗ κοντίζεται ἡ λόγχη. Hinc illud, quod supra notavimus: *Admentavit hanc sententiam.* Rig.

(n) *Si plagam satiaverit.* Si jaculum penetravit adactum in vulnus. Rig.

(o) *Carne spiritus exolescit.* Carne, hoc est, vitæ mortalis amore pravo. Rig.

(p) *Nausea nominis inaccrescit.* Cod. Agob. inagrescit: ἀγριάζει. Hesychius διατρίεται. Horatius dixit: *inamarescunt epulæ.* Hoc est, inacessit. Sic in Apolog. *Acescit aer ructantibus decuriis*; et lib. I. adver. Marc. totam fidei massam hæretico acore decepit. Et Plinius dixit, *aceti perfidiam, nequitiam.* Eo acore provocari nauseam nominis christiani ait Septimius. Rig.

(q) *Sauciatam fidem vel in hæresim, vel in sæculum exspirat.* Hoc est, de christianis fratribus nostris fiunt hæretici vel ethnici. Rig.

(r) *Ab ipso scilicet cynocephalo.* Diabolo, canina invidia genus humanum vexante. Rig.

bestiæ Christianos probaverunt. Alii fustibus interim et ungulis insuper (1) degustata martyria in carcere esuriunt (*a*). Nos ipsi ut (2) lepores, destinata venatio, de longinquo obsidemur, et hæretici ex more grassantur. Itaque tempus admonuit adversus nostrates bestiolas (3) (promptam) mederi theriacam (*b*) stylo temperare; qui legeris, biberis. Non amarum potio (4). Si *eloquia Domini dulcia super mella et favos* (*Ps.* XVIII, 7), inde pigmenta sunt; si *lacte et melle* promissio Dei manat, hoc sapiunt quæ illuc faciunt. *Væ autem qui dulce in amarum, et lumen in tenebras convertunt* (*Is.* V, 20). Perinde enim et qui martyriis refragantur, salutem perditionem interpretantes, tam dulce in amarum, quam lucem in tenebras reformant, atque ita miserrimam hanc vitam illi beatissimæ prævertendo, tam amarum pro dulci, quam tenebras pro luce supponunt.

CAPUT II.

Sed nondum de bono Martyrii, nisi debito (5) primum; nec ante de utilitate ejus, quam de necessitate discendum (6). Auctoritas divina præcedit, an tale quid voluerit atque mandaverit Deus, (*c*) ut qui negant bonum, non suadeantur accommodum (7), nisi cum subacti fuerint. (*d*) Ad officium (8) hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda. Et utique satis optimum præjudicabitur, quod probabitur a Deo constitutum atque præceptum. Sustineant Evangelia paulisper, dum radicem eorum ex primo Legem; dum inde elicio Dei voluntatem, unde et ipsum recognosco. *Ego sum*, inquit (*Exod.* XX), *Deus tuus* (9) *qui te eduxi de terra Ægypti. Non erunt tibi dii* (10) *alii præter me. Non facies tibi simulacrum eorum quæ in cœlo, et quæ in terra deorsum, et quæ in mari infra terram. Non adorabis ea, neque famulaberis eis. Ego enim sum* (11) *Dominus Deus tuus.* Item in eadem Exodo: *Ipsi vidistis quod de cœlo locutus ad vos sim. Non facietis vobis* (12) *deos argenteos, et deos aureos non facietis vobis.* Secundum hæc (13) et in Deuteronomio (VI): *Audi, Israel, Dominus Deus tuus* (14) *unus est*, et: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis*; et rursus: *Ne obliviscaris Domini Dei tui, qui te eduxit de terra Ægypti et* (15) *domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et illi famulaberis soli, et illi adglutinaberis; et in nomine ejus dejerabis. Non ibitis post deos alienos ex diis* (16) *nationum quæ circum vos, quia æmulatur Deus* (17) *tuus in te: ne* (18) *iratus indignetur, et exterminet te a facie terræ.* Sed et proponens benedictiones et maledictiones: *Benedictiones*, (19) inquit (*Deut.* XI, 27), *si audieritis præcepta Domini Dei vestri, quæcumque ego præcipio vobis hodie*, (20) *et non* (21) *erraveritis de via, quam mandavi vobis, ut abeuntes serviatis diis* (22) *aliis, quos non scitis.* De quibus omnifariam extirpandis: *Perditione perdetis*, inquit, *omnia loca, in quibus servierunt nationes diis suis*, (23) *quas vos possidebitis hæreditate: subter* (24) *montes et colles, et sub arbores*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Degustato martyrio *Rh n. Seml.*
(2) Ipsius *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Bestiolas nostrate scorpiacum *Seml.*
(4) Nec amarum potio *Rhen. Seml.* nec amara enim potio *Latin.*
(5) De debito *Ciaccon. Jun.*
(6) Dicendum *Lat.*
(7) Ad commodum *Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Fuerint ad officium Hæreticos *Jun.*
(9) Dominus Deus tuus *Pam. Fran.*
(10) Dii *abest Rhen. Seml.*
(11) Sum *omitt. Oberth.*
(12) Inibi *Rhen. Seml.*
(13) Vobis secundum hæc *Rhen. Seml. Oberth.*
(14) Dominus *add. Jun.*
(15) E *Jun.*
(16) Deos aliorum et deos *Rhen. Seml. Oberth.*
(17) Et Deus æmulator Dominus *Rhen. Seml. Oberth.*
(18) Et ne *Seml.* Ut ne *Jun.*
(19) Benedictionem et maledictionem : benedictionem *Pam. Fran.*
(20) Maledictionem si err. *Pam. Fran.*
(21) Hodie : et maledictionem si non audieritis præcepta Domini Dei nostri, quæcumque ego præcipio vobis hodie, et erraveritis de via *Jun.*
(22) Deis *Venet.*
(23) Suis *abest Pam. Fran.*
(24) Super *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Degustata martyria in carcere esuriunt.* Hoc est, exoptant martyria consummare, quæ tantum degustaverint, fustibus vel ungulis verberati laceratique; quasi extrema tantum cute perstricta. Rig.

(b) *Adversus nostrates bestiolas promptam mederi theriacam.* Sic restituimus, secuti exemplaris vestigia hujusmodi: *Adversus nostrates bestiolas..... in mederi theriacam stilo temperare.* Nostrates bestiolas dicit scorpiunculos hæreticos perniciosissimos de non veris christianis proguatos, de quibus supra dixit, *Magnum de modico malum, et Acerbam mediocritatem.* Et in serpentium genere, scorpii sunt modici et mediocres. Et rem parvam Tertullianus mediocrem dicere amat. Rig.

CAP. II — (c) *Ut qui negant bonum, non suadeantur accommodum, nisi cum subacti fuerint.* Hæc omnino est scriptura cod. Agod. Ait Tertullianus, eos qui negant bonum esse martyrium, non prius suaderi debere bonum esse et commodum, quam divinarum Scripturarum auctoritate subacti fuerint credere, necessarium esse ad salutem martyrium. Nam hoc evicto, facile obtineri ut credant, non modo bonum esse, sed et commodum atque utile. Rig.

(d) *Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum est.* Gnostici, martyria nec bona nec utilia apud Deum esse dicebant, adeoque non appetenda Christianis. Septimius adversus id genus hæreticos sic agendum sibi non esse ait, ut blandis, at subtilibus rationum illecibris suadeantur utilia esse martyria, sed in ipso jam limine disputationis vim adhibendam, qua compulsi coactique, sentiant necessaria esse : etenim ea fortiter obiri Deum velle; Deum jubere : itaque verbi divini auctoritatem, vires et copias divinas, arma cœlestia intentat : aciem Scripturarum instruit. His gladiis compellit hæreticos ad officium : his crucibus atque tormentis duritiam eorum frangit ac subigit. Et consentanea loquitur iis quæ ad Scapulam dixit, *Religionis non esse cogere religionem*; quæ sponte suscipi debeat, non vi. Nimirum eo sermone vim abdicandam esse contendit, quæ corpus hominis vexat, aut necat; eamque vim, in hujusmodi negotiis absurdam atque inutilem, ideo damnat, quod hypocritas quidem faciat, minime autem religiosos, nedum christianos. Rig.

densas quasque (1) *effodietis aras earum, evertetis et comminuetis staticula earum, et excidetis lucos earum, et scalptilia ipsorum deorum* (2) *concremabitis igni, et disperdetis nomen eorum de loco illo.* Adhuc ingerit cum introissent terram promissionis, et exterminassent nationes ejus: *Cave tibi ne sequaris eas posteaquam exterminatæ fuerint a facie tua, ne requisieris deos illarum, dicens: quemadmodum faciunt nationes deis suis,* (3) *et ego ita faciam.* Sed et id (4): *Si prophetes,* inquit (*Deut.* XIII), *exsurrexerit in te, aut somnium somnians, et dederit tibi signum vel ostentum, et evenerit* (5), *et dixerit: eamus, et serviamus deis aliis, quos non scitis: ne audiatis sermonem prophetæ, aut somniatoris illius; quia tentat vos Dominus Deus vester, an* (6) *ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra timeatis* (7) *eum. Post Dominum Deum vestrum* (8) *abibitis, et hunc timebitis, et præcepta ejus custodietis, et vocem ejus audietis, et illi servietis, et illi adjiciemini. Prophetes autem et somniator ille morietur: locutus est enim ad seducendum te a Domino Deo tuo.* (a) Sed et alio capitulo (9): *Si autem rogaverit te frater tuus ex patre vel matre, aut filius tuus, aut filia tua, aut mulier quæ in gremio tuo est, aut amicus qui animæ tuæ pars est, clam dicens: eamus, et serviamus deis aliis, quos non scis, nec patres tui, ex deis nationum quæ circum te proxime sunt, aut longe; ne velis ire cum illo, et ne audieris eum. Non parcet* (10) *oculus tuus super eum,* (b) *nec misereberis, nec celabis* (11) *eum: annuntians annuntiabis de eo; manus tuæ erunt in eum in primis ad occidendum, et manus omnis populi* (12) *in novissimis, et lapidabitis illum, et morietur, quoniam quæsivit avertere te a Domino Deo tuo.* Subjicit etiam de civitatibus, si quam ex his constitisset suasu iniquorum hominum transiisse ad deos alios, ut interficerentur omnes incolentes eam, et devotamenta fierent universa ejus, et colligerentur omnia spolia ejus in omnes exitus ejus, et igni cremarentur cum omnibus vasis suis, et cum omni populo in conspectu Domini Dei. *Et non erit habitabilis,* inquit, *in æternum, non reædificabitur amplius, nec adhærebit quidquam manibus tuis ex devotamento ejus, uti avertatur Dominus ab indignatione iræ suæ.* Maledictionum quoque ordinem ab idolorum exsecratione commisit: *Maledictus homo qui fecerit sculptile aut fusile, aspernamentum Domino, opus* (13) *manuum artificis, et collocaverit illud in abscondito* (*Deut.* XXVII, 15). In Levitico vero (XIX, 4): *Non sequemini* (14), inquit, *idola, et deos fusiles non facietis vobis. Ego Dominus Deus vester.* Et alibi: *Filii Israel famuli pueri mei, hi sunt quos eduxi de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis manu facta, nec scalptile* (15) *staticulum statuetis vobis, nec lapidem scopum ponetis in terra vestra. Ego Dominus Deus vester.* Et hæc quidem prima per Moysen dicta (16) sunt a Domino, utique pertinentia quoscumque Dominus Deus Israelis perinde de Ægypto superstitiosissimi sæculi, et de domo humanæ servitutis eduxerit. Sed et deinceps omne os Prophetarum ejusdem Dei vocibus sonat, eamdem legem suam eorumdem præceptorum instauratione cumulantis, nec aliud primum tam principaliter denuntiantis, quam ab omni factura atque cultura idolorum cavere; ut per David: *Dei nationum argentum et aurum; oculos habent, nec* (17) *vident; aures habent, nec audiunt; nares habent, nec odorantur; os, nec loquuntur; manus, nec contrectant; pedes, nec ingrediuntur. Similes erunt illis qui faciunt ea* (18), *et qui fidunt in illis.*

CAPUT III.

Nec putem disceptandum, an digne Deus prohibeat nomen et honorem suum mendacio addici, an digne quos ab errore superstitionis avulserit, rursus in Ægyptum regredi nolit; an digne a se non patitur absistere quos sibi allegit. Itaque (19) nec illud exspectabit (20) retractari a nobis, an observari voluerit disciplinam quam voluit instituere, et an merito ulciscatur desertam, quam voluit observatam: quando frustra instituisset, si observari eam noluisset; et frustra observari voluisset, si vindicare noluisset. Sequitur enim ut has definitiones Dei adversus superstitiones, (c) tam evictas (21) quam etiam vindicatas probem, quoniam ex his tota martyriorum ratio constabit. Aberat apud Deum in monte Moyses, cum populus tam necessariam absentiam ejus impatiens, deos sibi producere quærit, quos potius (22) ipse per-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et sub arbore densa quaque *Jun.*
(2) Deorum ipsorum *Fran.* Deorum ipsarum *Pam.*
(3) Ut *add. Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Id *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Venerit *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Ut sciat si *add. Pam. Fran.*
(7) Ametis *Jun.*
(8) Dominum *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Titulo *Rig.*
(10) Pascet *Rhen. Seml. Oberth.*
(11) Nec desiderabis, nec salvabis eum *Rhen. Seml. Oberth.*
(12) Manus populi tui *Rhen. Seml. Oberth.*
(13) Aspernatum opus *Seml. Oberth.*
(14) Sequimini *Rhen. Seml. Oberth.*
(15) Nec *add. Pam. Fran.*
(16) Dei scita sunt ad omnes *Seml. Oberth.*
(17) Et non *Seml. Oberth.*
(18) Ea *Abjicit Seml. post Rhenan.*
(19) Ita, *Seml. Oberth.*
(20) Exspectabitur, *cod. Wouw.*
(21) Edictas *cod. Wouw.*
(22) Quo se potius *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sed et alio capitulo.* Quod semel annotasse sufficiat, vel hinc patet longe aliam fuisse capitum distinctionem in bibliorum editionibus ætate Tertulliani, atque nunc, cum istud eodem cap. hodie reperiatur; neque id novum videbitur, qui commentarios veterum Patrum et maxime Rhabani Mauri in Scripturas pene universas, quæ apud me MSS. exstant, inspexerit. Nata est vero haud dubie varia distinctio, eo quod in capita initio distinctæ Scripturæ non fuerint, sed in libros duntaxat. PAM.

(b) *Nec misereberis, nec celabis eum.* Diversæ alicujus scripturæ vestigia exhibent membranæ, *Ne desidera... vabis eam.* RIG.

CAP. III.— (c) *Tam evictas, quam etiam vindicatas.* Sic legitur in codice Agobardi; in lib. Ursini, *edictas.* RIG.

diderit. Urgetur Aaron, et jubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in judicium sibi vera ornamenta auriuni, Dei voces. Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis (1), suggillans illic cor habentes, ubi et thesaurum, apud Ægyptum scilicet inter cætera animalia bovis etiam cujusdam consecratricem; itaque tria millia hominum a parentibus (2) proximis cæsa, quia tam proximum parentem Deum offenderant, transgressionis et primordia et merita dedicaverunt. (*a*) In Arithmis (*Num.* XXV), cum divertisset Israel apud Sethim, abeunt libidinatum ad filias Moab, invitantur ad idola, ut et spiritu fornicarentur; edunt denique de pollutis eorum: dehinc et adorant deos gentis, et Beelphegor initiantur. Ob hanc quoque idololatriam, mœchiæ sororem, viginti tria millia domesticis obtruncata gladiis divinæ B iræ litaverunt. Defuncto Jesu Nave (*Jud.* II), derelinquunt Deum patrum suorum, et serviunt (*b*) idolis Baalim et Astartis; et iratus Dominus tradidit eos in manibus diripientium; et diripiebantur ab illis, et venundabantur inimicis, nec poterant omnino subsistere a facie inimicorum suorum; quocumque processerant, manus erat super illos in mala, et compressati sunt valde. Post quæ (3) instituit super illos Deus Critas, quos *censores* intelligimus, sed nec istis obaudire perseverarunt: ut quis Critarum obierat, illi ad delinquendum supra quam patres eorum, abeundo post deos alienorum et serviendo et adorando eos (4). Itaque Dominus iratus: Quoniam quidem, ait, (*c*) transgressa est (5) gens ista pactum meum, quod disposui patribus eorum, et non audierunt (6) vocem meam, et C ego non advertam ad auferendum virum a facie eorum ex nationibus quas relinquit decedens Jesu. Atque ita per omnes pene annales critarum et deinceps regum, reservatis gentium circumcolarum viribus, bello et captivitate et jugo allophylorum iram dispensavit Israel, quotienscumque ab illo maxime in idololatriam (7) exorbitaverunt.

CAPUT IV.

Hanc igitur (*d*) si a primordio constat et prohibitam de tot tantisque præceptis, et nunquam impune commissam, de tot tantisque documentis, nec ullum tam superbum crimen apud Deum deputari, quam hujusmodi transgressionem, ultro intelligere debemus divinarum et denuntiationum et executionum intentionem, jam tunc martyriis patrocinatam, non modo non dubitandis, verum etiam sustinendis, quibus scilicet locum fecerat prohibendo idololatriam: aliter enim martyria non evenirent; et utique auctoritatem suam præstruxerat, volens ea evenire quibus locum fecerat. Nunc enim de Dei voluntate compungimur, et (8) ingeminat scorpius plagam, hanc negans, hanc accusans voluntatem, ut aut alium Deum insinuet, cujus hæc non sit voluntas; aut nostrum nihilominus destruat, cujus talis sit voluntas; aut omnino neget voluntatem Dei, si ipsum negare non poterit. Nos autem de Deo alibi dimicantes, et de reliquo corpore hæreticæ cujusque doctrinæ, nunc in unam speciem congressionis certas præducimus lineas, non alterius Dei, quam Israelis, eam defendentes voluntatem, quæ martyriis locum fecerit, tam ex præceptis prohibitæ semper, quam ex judiciis punitæ idololatriæ. Si enim præceptum observatum (9) vim patitur, hoc erit quodammodo observandi præceptum, ut id patiar per quod potero observare præceptum: vim scilicet quæcumque mihi imminet caventi ab idololatria. Et utique qui imponit præceptum, extorquet obsequium. Non potuit ergo noluisse ea evenire, per quæ constabit obsequium. Præscribitur mihi ne quem alium Deum dicam; ne, vel dicendo, non minus lingua quam manu Deum fingam; ne quem alium adorem, aut quoquo modo (10) venerer, præter unicum illum qui ita mandat; quem et jubeor timere, ne ab eo deserar; et de omni substantia diligere, ut pro eo moriar. Huic sacramento militans ab hostibus provocor, par sum illis si (11) manus dedero; hoc defendendo depugno in acie, vulneror, concidor, occidor. Quis hunc militi suo exitum voluit, nisi qui tali cum sacramento consignavit?

CAPUT V.

Habes igitur Dei mei voluntatem: occursum est

LECTIONES VARIANTES.

(1) Diffundit illos *cod. Wouw.*
(2) Et *deest Venet.*
(3) Postquam *Rhen. Seml.*
(4) Orando *Rhen. Seml.*
(5) Transgressi sunt *cod. Agobardi.*
(6) Obaudierunt *Rhen. Seml.*
(7) Idololatria *Seml.*
(8) Et *abjicit Seml. post Rhenan.*
(9) Observando *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*
(10) Quomodo *Rhen. Seml. Oberth. Pam.* quo modo, *Jun.*
(11) Si illis *Rhen. Pam. Seml. Oberth.* nisi illis *Latin.*

COMMENTARIUS.

(a) *In Arithmis.* Vocem græcam retinuit, pro *in Numeris*, ut paulo post *Critas* habet, pro *Judices*. Le Pr.

(b) *Idolis Baalim et Astartis.* Baalim sunt hic dii gentium seu idola; aliquando Baal pro loco sumitur. Astarte de qua plurima fit mentio in libris Reg. dea erat Sidoniorum. Id testatur Cedrenus, ubi narrat Salomonem exstruxisse Moabitarum idolo et Astartæ Sidoniorum templa; et Achilles Tatius initio Amorum Clitoph. et Leucip.: θύουσι τῇ τῶν φοινίκων. καλοῦσι αὐτὴν Ἀστάρτην οἱ Σιδόνιοι: *Deæ Phœnicum sacra faciunt: Astarten hanc vocant Sidonii.* Abominandum vero illud idolum Venerem Græcorum fuisse ait Suidas. Ἀστάρτη ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λιγομένη θεὸς Σιδονίων. Idem apud Cedrenum reperies. Le Pr.

(c) *Transgressa est gens ista pactum meum.* In Agobardino legitur, *Transgressi sunt gens ista pactum meum*, et paulo post, *et non audierunt voci meæ*: quo modo scriptum a Tertulliano fuisse non dubito. Sed mutavere qui magistellorum sceptra metuebant. Ric.

CAP. IV.—(d) *Si a primordio constat et prohibitam.* Vetitam fuisse tanquam summum scelerum idololatriam certo certius est. Unde Tertullianus in eo crimine cuncta comprehendi probat lib. de Idolol., quem his vocibus orditur: *Principale crimen generis humani*, etc. A cujus sententia non discedit Gregor. Nazianz. Orat. 38 de Idolol. ἰσχατοι τῶν κακῶν καὶ πρῶτοι. Le Pr.

huic plagæ. In (1) alium ictum consideremus, de voluntatis qualitate. Longum est ut Deum meum bonum ostendam, quod jam a nobis didicerunt Marcionitæ. Deum interim sufficit dici, ut necesse sit bonum credi. Malum enim Deum qui (2) præsumpserit, constare in utroque non poterit : aut Deum negaro debebit, quem malum existimarit ; aut bonum dicere, quem Deum pronuntiarit. Bona igitur erit et voluntas ejus, qui nisi bonus, non erit Deus. Probabit hoc etiam ipsius rei bonitas, quam Deus voluit ; martyrii dico : quia bonum nonnisi bonus voluit (3). Bonum contendo martyrium apud eumdem Deum, a quo et (4) prohibetur et punitur idololatria. Obnititur enim et adversatur idololatriæ martyrium. Malo autem obniti et adversari (5) nisi bonum non potest. Non quasi negemus esse æmulationem, tam malorum inter se, quam et bonorum. Sed alia conditio est hujus tituli. (*a*) Martyrium enim non de communi aliqua malitia (6) certat cum idololatria, sed de (7) sua gratia ; liberat enim ab idololatria. Quod a malo liberat, quis non bonum pronuntiabit ? quid aliud est adversatio (8) idololatriæ atque martyrii, quam mortis et vitæ ? In tantum vita martyrio deputabitur, quantum (9) mors (*b*) idololatriæ (10). Vitam qui malum dixerit, habet mortem quam bonum dicat. Est et hæc perversitas hominum, salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quærere (11), medica male vitare ; mori denique citius, quam curari desiderare. Nam et medicinæ præsidium plures (12) refugiunt : plures enim (13) stulti, plures timidi, et male verecundi. Et est plane quasi sævitia medicinæ (14), de scalpello, deque cauterio, (*c*) de sinapis incendio ; non tamen secari, et (15) inuri, et extendi (16), id- A circo malum, quia dolores utiles affert : nec quia tantummodo contristat, recusabitur ; sed quia necessario contristat, adhibebitur. Horrorem operis fructus excusat. Ululans denique ille, et gemens, et mugiens inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit, artifices optimas prædicabit, et sævas jam negabit. Sic et (17) martyria desæviunt, sed in salutem ; licebit et Deo in vitam æternam per ignes et gladios et acerba quæque curare. Sed medicum quidem (18) miraberis etiam in illo, quod ferme pares adhibet qualitates medelarum adversus qualitates querelarum : cum quasi de perverso auxiliatur, per ea subvenieus per quæ laboratur. Nam et calores caloribus amplius onerando compescit, et ardores siti potius macerando restinguit (19), et B fellis excessus amaris quibusque potiunculis (20) colligit (21), et sanguinis fluxus defusa insuper venula revocat. Deum vero, et quidem zelotem, culpandum existimabis, si voluit certasse cum caussa, et injuriæ æmulando prodesse, mortem morte dissolvere, occisionem occisione dispargere, tormentis tormenta discutere, supplicia suppliciis evaporare, vitam auferendo conferre, carnem lædendo juvare, animam eripiendo servare. Perversitas quam putas, ratio est ; quod sævitiam existimas, gratia est : ita (*d*) Deo de momentaneis æterna medicante (22). Magnifica bono tuo Deum tetrum : incidisti in manus ejus, sed feliciter incidisti ; incidit et ille in ægritudines tuas. Homo semper medico prior negotium facit : denique sibimetipse periculum mortis attraxit. C Acceperat a Domino suo, ut a medico, satis utilem disciplinam secundum legem vivendi, ut omnia quidem ederet, ab una solummodo arbuscula tempera-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nec *Latin.*
(2) Quis *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Bonum non nisi bonus voluit, *alii.*
(4) Et *abj. Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Observari *Fran.*
(6) Militia *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Cum *Venet. Seml.*
(8) Adversario *Rhen. Seml. Venet.*
(9) In quantum *Latin.*
(10) Quantum morti idololatria *Rhen. Pam. Venet. Seml. Oberth.*
(11) Quæque *Seml.*
(12) Qui *inserit Seml.*
(13) Enim *abj. Seml.*
(14) Medicina *Seml.*
(15) Et *abjic. Seml.*
(16) Morderique *add. Rhen. Pam. Seml. Oberth.*
(17) Et si *Seml.*
(18) Quoque *Seml.*
(19) Restringit *Rhen. Pam. Seml. Oberth.*
(20) Potionibus *Rhen. Pam. Seml. Oberth.*
(21) Corrigit *Latin.*
(22) Meditante *Rhen. Pam. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. V.— (a) *Martyrium enim non de communi aliqua militia certat cum idololatria, sed cum sua gratia.* In exemplari legitur, *malitia*, dein vero in vulgatis editionibus, *sed de sua gratia ;* itaque emendationis partem debebimus antiquis illis Agobardi membranis, partem libris vulgatis. Sic enim existet vera lectio si legimus, *Martyrium enim non de communi aliqua malitia certat cum idololatria, sed de sua gratia : liberat enim ab idololatria.* Ait Tertullianus, martyrium esse bonum, quia malo, quod est idololatria, adversatur, nec adversari malo possit, nisi bonum. Non quasi neget adversationem seu pugnam æmulationemque esse vitiorum seu malorum inter se ; quippe interdum experimur, rapacitatem certare cum crudelitate, gulam cum libidine, nam tunc utrimque sunt mala et vitia. Sed aliam esse ait conditionem sermonis quem instituit de certamine martyrii cum idololatria. Etenim martyrium non certare cum idololatria de communi aliqua malitia, quasi esset certamen inter duo mala, utrum sit potentius, imo certare de sua gratia, de suo bono, quod ab idololatria liberat. Rig.

D (b) *Quantum morti idololatriæ*, sic est in libro Agobardi ; at in libro Ursini, *quantum mors idololatriæ*. Rig.

(c) *De sinapis incendio.* Describitur a Plinio sinapis ignei effectus, saluberrimum corpori. Eidem tribuitur vis caustica et urigo Rig.

(d) *Deo de momentaneis æterna medicante.* Sic vetus exemplar. Ait Tertullianus, Deum, bono nostro crudelem atque tetrum, qui homines etiam per martyriorum eruciatus ad felicitatis æternæ gloriam evadere velit, nobis esse colendum amandumque, multo magis quam medicum, qui corporis nostri valetudinem nonnisi urendo secandoque restituit. Deum explicat et emollit, quod alias durum ac tetrum videbatur. Hunc locum imitari voluit Lucifer Calaritanus lib. de Contem. morte pro Christo : *Quod enim licet medicus secet, cauterio urat, sinapis incendio ad omnem dolorem ægrum deducat : tamen nec secari, inuri, exedi, morderique esse inimicum*, etc. Sed longa est inter artifices differentia. Rig.

ret, quam ipse medicus importunam interim noverat: audiit ille quem maluit, et abstinentiam rupit, edit illicitum, et transgressione saturatus, (*a*) in mortem cruditavit (1), dignissimus bona fide in totum perire (2), qui voluit. Sed Dominus sustentata fervura (3) delicti, donec tempore medicina temperaretur (4), paulatim remedia composuit, omnes fidei disciplinas, et ipsas æmulas vitio, verbum mortis verbo vitæ rescindentes, auditum transgressionis auditu devotionis limantes, ita et cum mori præcipit medicus ille, veternum mortis excludit. Quid gravatur pati nunc homo ex remedio, quod non est tunc gravatus pati ex vitio? displicet occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem? nauseabit ad antidotum, qui hiavit ad venenum?

CAPUT VI.

Sed si (5) certaminis nomine Deus nobis martyria proposuisset (6), per quæ cum adversario experiremur, ut a quo libenter homo elisus est, cum jam constanter elidat, hic quoque liberalitas magis, quam acerbitas Dei præest. Evulsum enim hominem (*b*) de diaboli gula per fidem, jam et inculcatorem ejus voluit efficere per virtutem; ne solummodo evasisset, verum etiam evicisset (7) inimicum. Amavit, qui (8) vocaverat in salutem, invitare et ad gloriam; ut gaudeamus (9) liberati, exultemus etiam coronati. Agonas istos, contentiosa solemnia et superstitiosa certamina græcarum et religionum et voluptatum, quanta gratia sæculum celebret, etiam Africæ liquit (10). (*c*) Adhuc Carthaginem singulæ civitates gratulando inquietant, donatam pythico agone post stadii senectutem. Ita ab ævo dignissimum creditum est stadiorum (11) experimentum, committere artes, corporum et vocum præstantiam exprimere (12), præmio indice, spectaculo judice, sententia voluptate: (*d*) qua nulla sunt prælia, non nulla (13) vulnera (*e*), pugni quassant, (*f*) calces arietant, cestus dilaniant, flagella dilacerant: nemo tamen agonis præsidem suggillaverit, quod homines violentiæ objectat, injuriarum actiones extra stadium, sed quantum livores (14) illi et cruores et vibices negotiantur intendet (15): coronas scilicet, et gloriam, et dotem, privilegia publica, stipendia civica (16), imagines, statuas, et qualem potest præstare sæculum de fama æternitatem, de memoria resurrectionem. Pyctes ipse non queritur dolere se, nam (17) vult, corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat; (*g*) plus victoria tumet quam injuria (18). Hunc tu læsum existimabis, quem vides lætum? Sed nec victus ipse de agonotheta casum suum exprobrabit. Deum dedecebit artes et disciplinas suas educere in medium, in hoc sæculi spatium, in spectaculum hominibus et angelis et universis potestatibus? carnem atque animam probare de constantia atque tolerantia? dare huic palmam, huic honorem, illi civitatem, illi stipendia? etiam quosdam reprobare, et castigatos cum ignominia summovere? Nimirum præscribes Deo, quibus temporibus, aut modis, aut locis de familia sua judicet, quasi non et præjudicare judici congruat. Quid nunc, si non (19) certaminis nomine in martyria fidem exposuisset, sed et (20) proprii profectus; nonne oportebat illam habere aliquem spei cumulum, cui studium suum cogeret, votumque suspenderet, quo enitteretur ascendere, cum (*h*) terrena quoque officia in gradus æstuent? aut quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo et stella a stella distabit in gloria (I *Cor.* XV), nisi pro

LECTIONES VARIANTES.

(1) Eructavit *Rhen. Pam. Seml.*
(2) Perisse *Pam. Seml.*
(3) Sustentato fervore *Seml.*
(4) Temperatur *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Et *Pam. Seml.*
(6) Proponit *Pam. Seml.*
(7) Devicisset *Pam. Seml.*
(8) Quæ *Pam. seml.* quos *Latin.*
(9) Ut qui gaudeamus *Pam. Seml.* gaudemus *Jun.*
(10) Licuit *seml.*
(11) Studiorum *Rhen. Pam. Seml.*
(12) Expendere *Rhen. Pam. Seml. Oberth.*
(13) Sunt *inserit Seml.*
(14) Livoris *Seml.*
(15) Intendis *Rhen. Pam. Seml. Oberth.*
(16) Stipendia, civitatem *Latin.*
(17) Non *Rhen. Seml.*
(18) Plus victoriarum est quam injuriarum *Lat. Jun.* plus victoriatum est quam injuriatum *Rhen. Pam. Seml.*
(19) Qui si non *Rhen. Seml. Oberth.*
(20) Et *abj. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *In mortem cruditavit.* Post pabulum illicitum laboravit mortifera cruditate. Eodem verbo utitur lib. de jejuniis, *usque ad choleram orrygometras cruditando.* Rig.

CAP. VI.—(b) *De diaboli gula.* Sic lib. de Spectac.: *Diaboli ex alto præcipitati gula*, et libro de Pudicitia: *Cui etiam conditio gratior quæque de gula erepta est.* Rig.

(c) *Adhuc Carthaginem*, etc., *donatam pythico agone*, etc. Hinc occasionem accepisse videtur Auctor scribendi libri de Spect. quod indictus esset Carthagini *pythicus agon*, idque *post stadii senectutem*, id est, postquam stadium, id est, locus ad agones deputatus, jam senectutem quamdam passus esset, utpote a multis annis minime frequentatus. Atqui pythicum agonem vocat eum qui in ludis pythicis, id est Apollini Pythio dedicatis celebratur. Pyctes enim, pro pugile, notior vox est quam ut pluribus sit opus. Pam.

(d) *Qua nulla sunt prælia.* Etenim agones celebrantur etiam in alta pace. Sic libro de Spectaculis, athletas dixit homines altiles propter otium Græciæ. Rig.

(e) *Nonnulla vulnera.* Hæc ita sunt distinguenda: nam hoc ait: Nulla sunt prælia, quia nullus hostis; sed tamen non sunt nulla vulnera, quia strenue ac fortiter decertant et vulnerantur. Rig.

(f) *Calces arietant.* Faber, *Agonist.* lib. II, c. 9, legi vult, *calvæ*. Nihil mutandum censeo. Vox vero, arietant, aliis etiam usitata. Plinius lib. II, cap. 82, de ædificiis terræ motu sese collidentibus: *Innoxium, et cum concurrentia tecta contrario ictu arietant, quoniam alter motus alteri renititur.* Etsi vero de arietibus, ex vocis etymo, id intelligi tantum videatur, de tauris tamen Virgilius lib. XII:

> Cum quo conversis inimica in prælia tauri
> Frontibus incurrunt.

De damis etiam Martialis, lib. IV, epigr. 35. Le Pr.

(g) *Plus victoria tumet, quam injuria.* Sic legendum suasit liber Agobardi. Nec dubito, quin Tertullianus ipsissima scripserit. Rig.

(h) *Terrena quoque officia in gradus æstuent.* Hoc est, contendant pro dignitate gradus, ut primum obtineant locum. Rig.

diversitate radiorum ? Porro, et si fidei propterea congruebat sublimitatis et claritatis (1) aliqua prolatio, tale quid esse oportuerat illud emolumenti, quod magno constaret (2) labore, cruciatu, tormento, morte. Sed respice compensationem : cum caro et anima dependitur, quibus in homine carius nihil est ; alterum manus Dei, alterum flatus (3) ; ipsa dependi in profectu (4), quorum est profectus ; ipsa erogari, quæ lucrifiant (5) ; eadem pretia, quæ et merces. Prospexerat et has Deus imbecillitates conditionis humanæ, adversarii insidias, rerum fallacias, sæculi retia, etiam post lavacrum periclitaturam fidem, perituros plerosque rursum post salutem, qui vestitum obsoletassent (6) nuptialem, qui faculis oleum non præparassent, qui requirendi per montes et saltus, et humeris essent reportandi. Posuit igitur secunda solatia, extrema præsidia, dimicationem martyrii, et lavacrum sanguinis exinde securum. De cujus felicitate David : *Beati quorum dimissæ sunt delicta, et quorum opertæ sunt iniquitates* (*Ps.* XXXII, 1). *Beatus vir cui non imputaverit Deus delictum.* (*a*) Proprie enim martyribus nihil jam reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur. *Sic dilectio operit multitudinem delictorum* (1 *Petr.* IV, 8), quæ *Deum scilicet diligens ex totis viribus suis*, quibus in martyrio decertat, *ex tota anima sua* (*Matth.* XXII, 37), quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit. Hæc tu remedia, consilia, judicia, spectacula (*b*) etiam Dei atrocitatem judicabis (7) ? sanguinem hominis Deus concupiscit ? Et tamen ausim dicere, si et homo regnum Dei, si homo certam salutem, si et (8) homo secundam regenerationem. Nulli (9) compensatio invidiosa est, in qua aut gratiæ, aut injuriæ communis est ratio.

CAPUT VII.

Incutiat adhuc scorpius, homicidam Deum ventilans : horrebo plane spurcum blasphemiæ statum de hæretico ore fœtentem ; sed et talem Deum de fiducia rationis amplectar, qua ratione etiam ipse se plus quam homicidam pronuntiavit ex Sophiæ suæ persona, voce Salomonis : *Sophia*, inquit (*Proverb.*, IX, 2), *jugulavit filios suos.* Sophia, sapientia est. Sapienter utique jugulavit, dum in vitam ; et rationaliter, dum in gloriam. O parricidii ingenium ! o sceleris artificium ! o argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne moriatur quem occiderit ! Et ideo quid sequitur ? *Sophia in exitibus cantatur* (10) *hymnis*, (*Prov.*, I, 20) ; cantatur enim et exitus martyrum. *Sophia in plateis de constantia* (11) *agit*, bene enim filios suos jugulat. Super summos autem muros confisa dicit, cum quidem secundum Isaiam hic exclamat : *Ego Dei sum ;* et hic vociferatur : *In nomine Jacob ;* et alius scribit (12), *In nomine Israelis* (*Is.*, XLIV, 5). O bonam matrem ! Opto et ipse in filios ejus redigi, ut ab ea occidar. Opto occidi, ut filius fiam. Solum autem jugulat filios suos ; an et torquet ? Audio enim et alibi dicentem Deum : *Uram illos sicuti uritur argentum* (13), *et probabo illos sicuti probatur aurum* (14) (*Zach.*, XIII, 19). Utique per tormenta ignium et suppliciorum, per martyria fidei examinatoria. Scit et Apostolus qualem Deum adscripserit, cum scribit : *Si Deus Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non et cum illo omnia condonavit nobis ?* Vides quomodo etiam proprium suum Filium primogenitum et unigenitum Sophia divina jugulaverit ; utique victurum, imo et cæteros in vitam redacturum. Possum dicere cum Sophia Dei : Christus est qui se tradidit pro delictis nostris. Jam et semetipsam Sophia trucidavit. Verba (15) non sono solo sapiunt, sed et sensu : nec auribus tantummodo audienda sunt, sed et mentibus. Crudelem Deum, qui non intelligit, credit. Quamquam et non intelligenti posita sententia est, quæ temeritatem cohibeat aliter intelligendi. *Quis enim*, inquit (*Rom.*, XI, 32), *cognovit sensum Dei ? aut quis illi consiliarius fuit, qui eum instruat ? aut viam intelligentiæ quis demonstravit illi ?* Sed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari apud sæculum licuit (16). Et Latio ad (17) hodiernum Jovi media in urbe humanus sanguis ingustatur ; nec quisquam retractat, aut non rationem præsumit aliquam, aut inæstimabilem Dei sui voluntatem. Si noster quoque Deus propriæ hostiæ nomine martyria sibi depostulasset, quis illi exprobrasset funestam religionem, et lugubres ritus, et aram rogum, et pollinctorem sacerdotem ? et non beatum amplius reputasset, quem Deus comedisset ?

CAPUT VIII.

Unum igitur gradum insistimus, et in hoc solum provocamus, an præcepta sint a Deo martyria, ut credas ratione (18) præcepta, si præcepta cognoveris, quia nihil Deus non ratione præceperit. Siquidem *honorata est apud illum mors religiosorum ipsius*, ut canit

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sublimitati et claritati *Rhen. Pam. Seml. Oberth.*
(2) Constare *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Adflatus *Rhen. Pam. Seml.*
(4) Præfectum *Jun.*
(5) Lucrificant *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Oboleta, *Jun.*
(7) Judicabis, *Jun.* vocabis *Vet. exempl.*
(8) Et *abj. Seml.*
(9) Nulla *cod. wow.*
(10) Canitur *Rhen. Pam. Seml.*
(11) Constantiam *Pam. Fran.*
(12) Inscribit *Rhen. Pam. Seml.*
(13) Aurum *Rhen. Seml. Oberth.*
(14) Argentum *Rhen. Seml. Oberth.*
(15) Verbo, *Rhen. Seml. Oberth.*
(16) Liquit, *Pam. Fran.*
(17) In *Pam.*
(18) Natione *Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Proprie enim martyribus nihil reputari potest.* Iste etiam locus pertinet ad purgatorii assertionem, et eam differentiam (de qua supra etiam apud hunc auctorem lib. de Anima cap. 35), quam apertiorem ponit B. Cyprianus epist. 52 ad Antonian. Aliud, inquit, missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, et pro peccatis longo dolore cruciatum emundari et purgari diu igne, et pendere in die judicii ad sententiam judicis ; aliud statim ad gloriam pervenire, fidei et virtutis accipere mercedem, peccata omnia passione purgasse, et Domino coronari. PAM.

(b) *Etiam Dei atrocitatem judicabis ?* Vetus exemplar, vocabis. RIG.

David (*Ps.* CXV); non opinor ista communis et omnium debitum : (*a*) atqui justa, etiam ignominiosa est ex elogio (1) transgressionis et merito damnationis ; sed illa quæ in ipso aditur (2) ex testimonio religionis, et prælio confessionis, pro justitia et sacramento; sicut Esaia (LVII, 1) : *Videte* (3), inquit, *quomodo perit justus, et nemo excipit corde; et viri justi auferuntur, et nemo animadvertit : a facie enim injustitiæ perit justus, et erit honor sepultura* (4) *ejus.* Habes hic quoque et prædicationem et remunerationem martyriorum. A primordio enim justitia vim patitur. Statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est : qui Deo placuerat, occiditur, et quidem a fratre ; quo proclivius impietas alienum sanguinem sectaretur (5), a suo (6) auspicata est. Denique, non modo justorum ; verum etiam et prophetarum. David exagitatur, Elias fugatur, Jeremias lapidatur, Esaias secatur, Zacharias inter altare et ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans. Ipse clausula Legis et Prophetarum ; nec prophetes, sed angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur (*b*) in puellæ psalticæ (7) lucar. Et utique qui spiritu Dei agebantur, ab ipso in martyria dirigebantur, ut et jam (8) patiendo quæ et prædicassent. Proinde et trina fraternitas, cum dedicatio imaginis regiæ urbem (9) urgeret officio, non ignoraverunt quid fides, quæ sola in illis captiva non fuerat, exigeret ; moriendum scilicet adversus idololatriam. (*c*) Meminerant enim et Jeremiæ scribentis ad eos (*Baruch*, VI), quibus illa captivitas imminebat : *Et nunc videbitis deos Babyloniorum aureos et argenteos et ligneos portari super humeros, ostentantes nationibus timorem. Cavete igitur ne et vos consimiles sitis Allophylis, et timore capiamini, dum aspicitis turbas adorantes retro eos et ante ; sed dicite in animo vestro : Te, Domine, adorare debemus.* Itaque dixerunt a Deo concepta fiducia, quando vigore animi conditionales minas regis excutiunt (*Dan.*, III, 16) : *Non habemus necessitatem respondendi huic tuo imperio. Est enim Deus noster quem colimus, potens eruere nos de fornace ignis, et ex manibus tuis ; et tunc manifestum fiet tibi, quod neque idolo tuo famulabimur, nec imaginem tuam aurcam, quam statuisti, adorabimus.* O martyrium et sine passione perfectum ! Satis passi, satis exusti sunt, quos propterea Deus texit, ne potestatem ejus mentiri viderentur. Nam et (*d*) Danielem nullius præter Dei supplicem, et idcirco a Chaldæis delatum ac depostulatum, statim utique conclusa et usitata feritas leonum devorasset, si Darii digna præsumptio de Deo falli debuisset. Cæterum, pati oportebat omnem Dei prædicatorem atque cultorem qui ad idololatriam provocatus negasset obsequium, secundum illius quoque rationis statum, qua (10) et præsentibus tunc et posteris deinceps commendari veritatem oportebat, pro qua fidem diceret passio ipsorum defensorum ejus ; quia nemo voluisset occidi, nisi compos veritatis. Talia a primordio et præcepta et exempla debitricem martyrii fidem ostendunt.

CAPUT IX.

Superest, (*e*) ne antiquitas (*f*) suum quoque habuerit sacramentum, novitatem christianam recensere, quasi et de Deo aliam, ac proinde disciplina quoque æmulam, cujus sophia filios suos jugulare non norit. Plane alia in Christo et (11) divinitas et voluntas et schola, (12) martyria aut nulla in totum, aut aliter intelligenda mandarit, qui neminem ad hujusmodi discrimen hortetur, qui pro eo passis nihil repromittat, quia pati eos nolit. Et ideo præceptorum principia deducens : *Beati*, inquit (*Matth.*, V, 10), *qui persecutionem patiuntur ob justitiam, quoniam illorum est regnum cœlorum.* Hoc quidem absolute ad omnes, dehinc proprie ad Apostolos ipsos : *Beati eritis cum vos dedecoraverint, et persecuti fuerint, et dixerint adversus vos omnia mala propter me ; gaudete et exultate, quoniam merces vestra plurima in cœlo : sic enim faciebant et prophetis patres eorum* (*ibid.*, V, 11). Ut

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ellogio *Jun.*
(2) Auditur *Seml.*
(3) Vide *Seml.*
(4) Sepulturæ *Pam. Rhen. Seml.*
(5) Iusectaretur *Seml.*
(6) Insectata *inserit Seml.*
(7) Salticæ *Seml.*
(8) Etiam *Seml.*
(9) Turbam *Jun.*
(10) Quia *Seml.*
(11) Et *demit Seml.*
(12) Et *addit Seml.* qui *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

(a) *Atquin ista etiam ignominiosa est ex elogio transgressionis.* Hoc dicit ex sententia Catholicorum omnium, ex perpetua traditione et Scripturæ testimonio existimantium ideo mori homines, quia adversus vetitum de arbore gustaverant, quam in medio paradisi positam Deus exceperat. Rig, *emendant.* Edd.

(b) *In puellæ psalticæ lucar.* Mittit Dn. Latinius ad Festum. Ubi Josephus Scaliger hunc Tertulliani locum citans, *lucar* appellari dicit mercedem saltatorum quam θεάτριχον appellant Charisius et Glossographi ; qua significatione etiam Tacitus, Annal. l. I, dixerit *Lucar* histrionum coercitum temporibus Tiberianis, et Livius, lib. III. *Lucaris* meriti donum, quod Pythio Apollini mitti jubebatur. Idque eleganter, utpote cum caput B. Joannis Bapt. datum sit in puellæ saltatricis (quam salticam sua voce nuncupat) præmium. Pam.

(c) *Meminerant enim et Jeremiæ*, etc. Jeremiæ olim adscriptum a Patribus quidquid hodie libro Baruch continetur, atque adeo etiam de ejus scripturæ auctoritate canonica, quibus consentit hic auctor, citans Jeremiæ nomine, quod invenitur Baruch. VI. Pam.

(d) *Danielem nullius præter Dei supplicem.* Historiam hanc attigit cap. 5 de Idololatria, qui locus non adeo cum hoc consonat. Nam hic dicitur Daniel nullius nisi Dei supplex, ibi vero *cætera Dario subnixus*, hoc est, morigerus. Quod tamen obtemperandi genus sæculare fuit, cum hic de religione et veri Dei cultu agatur. Le Pr.

CAP. IX.— (e) *Ne antiquitas suum quoque habuerit sacramentum.* Hoc est, Ne quis putet Veteri Testamento ordinata fuisse martyria, non Novo, Lege, non Evangelio. Itaque sacramentum martyrii dicit. Rig.

(f) *Suum sacramentum.* Hoc est proprium et peculiare antiquitati, nimirum Judæis, non etiam communicandum novitati christianæ. Rig.

etiam prophetaret quod et ipsi occidi haberent ad exemplum prophetarum. Quanquam et si omnem hanc persecutionem conditionalem in solos tunc Apostolos destinasset, utique per illos cum toto sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus Sancti in nos quoque spectasset etiam persecutionis obeundæ disciplina, ut in hæreditarios discipulos, et apostolici seminis frutices. Nam et rursus ad Apostolos dirigit (*Matth.*, X, 16): *Ecce ego mitto vos tanquam oves in medio luporum;* et (*v.* 17) : *Cavete ab hominibus; tradent enim vos in consessus, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides et reges perducemini, mei caussa, in testimonium illis et nationibus*, etc. Cum autem subjicit (*v.* 21) : *Tradet autem frater fratrem, et pater filium in mortem, et insurgent filii in parentes, et mortificabunt eos;* manifeste iniquitatem istam in cæteros pronuntiavit, quam in Apostolis non invenimus. Nemo enim eorum aut fratrem aut patrem passus est traditorem, quod plerique jam nostri. Dehinc ad Apostolos revocat (*v* 22), *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Quanto magis nos, quos a parentibus quoque tradi oportet? Ita, ipsa hac permistione nunc ad Apostolos, nunc ad omnes disponendo, eumdem in universos nominis exitum effudit, in quibus consederit nomen cum odii sui lege. *Qui autem sustinuerit usque in finem, iste salvus fiet* (*ibid*). Quid sustinendo, nisi persecutionem, nisi traditionem, nisi occisionem? Nec enim aliud est sustinere in finem, quam pati finem. Et ideo : *Non est discipulus super magistrum* (*ib.*, *v.* 25). Statim sequitur: *Nec servus super dominum suum;* quia cum magister et dominus ipse perpessus sit persecutionem et traditionem et occisionem, multo magis servi et discipuli eamdem expendere debebunt, ne quasi superiores exempti de iniquitate videantur; quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini et Magistri; ad quarum tolerantiam ædificans monet (*ibid.*, *v.* 28), *non eos timendos, qui solum corpus occidant, animam autem interficere non valeant: sed illi potius metum consecrandum, qui et corpus et animam occidere et perdere possit in gehenna.* Quinam hi solius corporis interemptores, nisi præsides et reges supradicti? homines opinor. Quis etiam animæ dominator, nisi Deus solus? Quis iste ignium comminator, nisi is, sine cujus voluntate nec passerum alter in terram cadit; id est, nec altera ex duabus substantiis hominis, caro aut anima? Quia et *capillorum* apud eum *regestus est numerus* (*ibid.*, *v.* 31). *Nolite ergo metuere* cum super dicit, *multis passeribus antistatis;* non frustra, id est, non sine emolumento casuros in terram repromittit; si magis ab hominibus quam a Deo occidi eligamus. *Omnis igitur qui in me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor in illo coram Patre meo qui in cœlis est. Et omnis qui negaverit me coram hominibus, et ego negabo illum coram Patre meo qui in cœlis est* (*ibid.*, *v.* 33). Manifesta, ut opinor, definitio et ratio est (1) tam confessionis quam negationis, etsi dispositio diversa est. Qui se christianum confitetur, Christi esse testatur. Qui Christi est, in Christo sit necesse est. Si in Christo est, in Christo utique confitetur, cum se christianum confitetur. Hoc enim non potest esse, nisi sit in Christo. Porro, in Christo confitendo, Christum quoque confitetur qui sit in Christo, dum et ipse in illo est, utpote christianus. Nam et si (2) diem dixeris, lucis rem ostendis (3) quæ diem præstat, licet non dixeris lucem, ita, etsi non directo pronuntiavit, « qui me confessus fuerit » ; non est diversus actus quotidianæ confessionis, a sensu Dominicæ pronuntiationis. Quod enim est qui (4) se confitetur, id est christianum, etiam id per quod est confitetur, id est Christum. Proinde qui se negavit christianum, in Christo negavit, negando se in Christo esse, dum negat se christianum, et Christum autem in se negando, dum se in Christo negat, Christum quoque negabit. Ita et qui in Christo negaverit, Christum negabit. Et qui in Christo confessus fuerit, Christum confitebitur. Suffecisset igitur et si de confitendo tantummodo Dominus pronuntiasset. Ex forma enim confessionis, contrario quoque ejus præjudicaretur, id est negationi; perinde negationi (5) negationem rependi a Domino, quemadmodum confessioni (6) confessionem. Et ideo cum in forma confessionis, etiam negationis conditio intelligatur, apparet ad alium modum negationis pertinere, quod de ea aliter Dominus pronuntiavit, quam de confessione, dicendo : *Qui me negaverit;* non, « Qui in me ». Prospexerat enim et hanc vim plerumque in expugnatione nominis subsecuturam; (*a*) ut qui se christianum negasset ipsum quoque Christum compelleretur blasphemando negare. (*b*) Sicut non olim pro... spice (7) cum (8) tota fide quorumdam colluctatum hoc modo horruimus. Itaque frustra erit dicere, « Etsi me negavero christianum, non negabor a Christo; non enim ipsum negavi. » Ex illa enim negatione tantumdem tene-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Est et definitio et ratio *Seml.*
(2) Ut si *cod. Wouw.*
(3) Ostendisti *Seml.*
(4) Cum *Seml.*
(5) Negatione *Seml.*
(6) Confessione *Seml.*
(7) Auspice *Pam. at vero desunt quædam literæ in cod. Agobardi.*
(8) In *add. Pam.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ut qui se christianum negasset, ipsum quoque Christum compelleretur blasphemando negare.* Tale quiddam narratur a Plinio, nominatos ab indice qui se christianos dicerent, comprehensos negasse, tandem et Christo maledixisse. Rig.

(b) *Sicut non olim pro.... spice cum tota fide quorumdam colluctatum hoc modo horruimus.* In codice Agobardino litteræ aliquot intercidere. Non placet quod in vulgatis editionibus legitur, *pro auspice cum in tota fide quorumdam.* Certe nihil hic deesse videtur nisi nomen loci. Rig.

bitur, qua se christianum negando, Christum in se negans, etiam ipsum negavit. Plus est autem, quod et confusioni confusionem comminatur : *Qui me confusus fuerit coram hominibus, et ego confundar eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Sciebat enim a confusione vel maxime formari negationem : mentis statum in fronte consistere; priorem esse pudoris, quam corporis plagam.

CAPUT X.

Qui vero non hic, id est, non intra hunc ambitum terræ, nec per hunc commeatum vitæ, nec apud homines hujus naturæ communis confessionem putant constitutam, quanta præsumptio est adversus omnem ordinem rerum in terris istis, et in vita ista, et sub humanis potestatibus experiundarum? Nimirum cum animæ de corporibus excesserint, et per singula tabulata cœlorum (*a*) de præcepto (1) dispici cœperint, et interrogari arcana illa hæreticorum sacramenta, tunc confitendum apud veras potestates et (*b*) veros homines, Theletos scilicet et Abascantos et Acinetos (2) Valentini. Nostrates enim, inquiunt, nec ipse Demiurgus constanter homines probabat veros esse (3), quos *stillicidium situlæ et pulverem areæ et sputamen et locustas* deputavit; etiam irrationalibus jumentis adæquavit. Plane ita scriptum. Non tamen idcirco aliud hominis genus intelligendum præter nos : quos (4) quia constat esse, et comparatione (*c*) (5) potuit induere, salva et proprietate generis, et singularitate. Neque enim si vita vitiata est, ut despectui judicata despectis compararetur, statim natura sublata est, ut alia in nomine ejus deputaretur. Atquin servatur natura, etsi suffunditur vita, nec alios novit Christus homines, quam de quibus dicit : *Quem me aiunt esse homines?* et : *Quomodo vultis ut faciant vobis homines, et ita vos facite illis.* Vide an servaverit genus, a quibus et testimonium sui exspectet, et in quos justitiæ vicem mandat. Illos autem cœlestes homines si expostulem mihi ostendi, facilius (*d*) Aratus Persea, et Cephea, et Erigonam, et Ariadnam inter sidera deliniabit. Quis autem prohibuit Dominum illic etiam confessionem hominum faciendam manifeste (6) determinare, ubi suam futuram aperte pronuntiavit? ut ita (7) esset positum : « Qui in me confessus fuerit coram hominibus in cœlis, et ego in illo confitebor coram Patre meo qui in cœlis est? » Eripere me debuit ex isto terrenæ confessionis errore, quam suscipi noluit (8), si cœlestem præcepisset, quia nullos alios homines noveram præter incolas terræ; ne ipso quidem adhuc tunc in cœlis homine conspecto. Quæ porro fides rerum, ut post excessum ad superna sublevatus (9), illic probarer (10), quo non nisi jam probatus imponerer? (*e*) illic de præcepto (11) examinarer, quo nisi admittendus pervenire non possem? Christiano cœlum ante patet quam via; quia nulla via in cœlum, nisi cui patet cœlum; quod qui attigerit, intrabit. Quas mihi potestates janitrices affirmas juxta romanam superstitionem (*f*) Janum quemdam (12) et Forculum et Limentinum? quas a cancellis ordinas potestates? Si unquam legisti apud David (*Ps.* XXIV, 7), *auferte portas principes vestras* (13), *et subleventur portæ æternæ, et introibit rex gloriæ.* Si item audisti apud Amos (IX, 6) : *Qui ædificat in cœlos, et profusionem suam fundat in terras;* scito et ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini, et introitum exinde reseratum viribus Christi, nec ullam moram aut quæstionem in limine Christianis occursuram, qui non dignosci habeant illic, sed agnosci; nec interrogari, sed admitti. Nam et si adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus hic Dominum Petro, et per eum, Ecclesiæ reliquisse, quas hic unusquisque interrogatus atque confessus feret secum. Sed asseverat diabolus illic confitendum, ut suadeat hic negandum. (*g*) Pulchra videlicet documenta præmittam, (*h*) bonas mecum claves feram, timorem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Recepto *Rig.* respecto *vet. exempl.* recepta *Latin.*
(2) Aginetos *Seml.* Ægratos *cod. wouwer. Rig.*
(3) Ipsi eadem jurgiis constantes homines probabit *Seml.*
(4) Quod *Seml.*
(5) Esse e comparatione *Seml.*
(6) Manifeste *demit seml.*
(7) At ita *Jun.*
(8) Noluisset *Seml.*
(9) Sublatus *Seml.*
(10) Prober *Seml.*
(11) Recepto *Venet.* recepta *Seml.*
(12) Cardum quemdam *Seml.* Cardeam quamdam *Fran.*
(13) Vestri *Rig. Venet.*

COMMENTARIUS.

CAP. X.—(a) *De præcepto dispici cœperint.* De præcepto dispici, est inquiri et examinari an præcepto Christi paruerimus, an fuerimus constantes in confessione nominis Christi coram potestatibus. Rig.

(b) *Veros homines, Teletos scilicet et Abascantos et Acinetos Valentini.* In Agobardino hæc ita se habent : *Veros homines... letos scilicet et aginetos et abascantos Valentini.* In Ursini libro legitur, *ageratos*, ejusmodi autem vocabula reperiuntur inter nugas Valentinianorum, quibus significabant homines veros, perfectos, infascinabiles, constantes, τελείους, ἀβασκάντους, ἀκινήτους. Rig.

(c) *Comparatione potuit induere.* Sic liber Agobardi. Liber Ursini, *innuere.* Rig.

(d) *Aratus Persea, et Cephea, et Erigonem*, etc. Videantur Arati *Phænomena*, quem sequitur etiam Cicero, lib. II *de Nat. Deor.*, ubi Cepheum et Perseum post minorem Septentrionem collocat. De Erigone sic Arnobius lib. VII : *Erigone suspensa de laqueo est, ut virgo inter astra ignita sit.* De Perseo et Ariadne denique (quem imitari solet Auctor), Justinus martyr, Apolog. I, ubi postquam illum inter Jovis liberos recensuit : *Quid dicamus*, inquit, *Ariadnen, et quos itidem atque illum inter sidera receptos esse aiunt.* Pam.

(e) *Illic de præcepto examinarer.* Sic habet vetus exemplar : quæ scriptura confirmat quod supra notavimus, *de præcepto dispici.* Rig.

(f) *Janum quemdam et Forculum et Limentinum.* In exemplari legitur, *Barnum quemdam.* Rig.

(g) *Pulchra documenta.* Quasi caussæ nostræ instrumenta. Sic, lib. XXIX, c. de Donationibus, *Documenta idonea.* Rig.

(h) *Bonas claves mecum feram.* Fidei christianæ constantiam. Nam quod sequitur de timore, per deri-

etiam prophetaret quod et ipsi occidi haberent ad exemplum prophetarum. Quanquam et si omnem hanc persecutionem conditionalem in solos tunc Apostolos destinasset, utique per illos cum toto sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus Sancti in nos quoque spectasset etiam persecutionis obeundæ disciplina, ut in hæreditarios discipulos, et apostolici seminis frutices. Nam et rursus ad Apostolos dirigit (*Matth.*, X, 16): *Ecce ego mitto vos tanquam oves in medio luporum*; et (*v.* 17) : *Cavete ab hominibus; tradent enim vos in consessus, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides et reges perducemini, mei caussa, in testimonium illis et nationibus*, etc. Cum autem subjicit (*v.* 21) : *Tradet autem frater fratrem, et pater filium in mortem, et insurgent filii in parentes, et mortificabunt eos*; manifeste iniquitatem istam in cæteros pronuntiavit, quam in Apostolis non invenimus. Nemo enim eorum aut fratrem aut patrem passus est traditorem, quod plerique jam nostri. Dehinc ad Apostolos revocat (*v* 22), *Et eritis odio omnibus propter nomen meum*. Quanto magis nos, quos a parentibus quoque tradi oportet? Ita, ipsa hac permistione nunc ad Apostolos, nunc ad omnes disponendo, eumdem in universos nominis exitum effudit, in quibus consederit nomen cum odii sui lege. *Qui autem sustinuerit usque in finem, iste salvus fiet* (*ibid*). Quid sustinendo, nisi persecutionem, nisi traditionem, nisi occisionem? Nec enim aliud est sustinere in finem, quam pati finem. Et ideo : *Non est discipulus super magistrum* (*ib.*, *v.* 25). Statim sequitur : *Nec servus super dominum suum*; quia cum magister et dominus ipse perpessus sit persecutionem et traditionem et occisionem, multo magis servi et discipuli eamdem expendere debebunt, ne quasi superiores exempti de iniquitate videantur; quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini et Magistri; ad quarum tolerantiam ædificans monet (*ibid.*, *v.* 28), *non eos timendos, qui solum corpus occidant, animam autem interficere non valeant: sed illi potius metum consecrandum, qui et corpus et animam occidere et perdere possit in gehenna*. Quinam hi solius corporis interemptores, nisi præsides et reges supradicti? homines opinor. Quis etiam animæ dominator, nisi Deus solus? Quis iste ignium comminator, nisi is, sine cujus voluntate nec passerum alter in terram cadit; id est, nec altera ex duabus substantiis hominis, caro aut anima? Quia et *capillorum* apud eum *regestus est numerus* (*ibid.*, *v.* 31). *Nolite ergo metuere* cum super dicit, *multis passeribus antistatis*; non frustra, id est, non sine emolumento casuros in terram repromittit; si magis ab hominibus quam a Deo occidi eligamus. *Omnis igitur qui in me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor in illo coram Patre meo qui in cœlis est. Et omnis qui negaverit me coram hominibus, et ego negabo illum coram Patre meo qui in cœlis est* (*ibid.*, *v.* 33). Manifesta, ut opinor, definitio et ratio est (1) tam confessionis quam negationis, etsi dispositio diversa est. Qui se christianum confitetur, Christi esse testatur. Qui Christi est, in Christo sit necesse est. Si in Christo est, in Christo utique confitetur, cum se christianum confitetur. Hoc enim non potest esse, nisi sit in Christo. Porro, in Christo confitendo, Christum quoque confitetur qui sit in Christo, dum et ipse in illo est, utpote christianus. Nam et si (2) diem dixeris, lucis rem ostendis (3) quæ diem præstat, licet non dixeris lucem, ita, etsi non directo pronuntiavit, « qui me confessus fuerit » ; non est diversus actus quotidianæ confessionis, a sensu Dominicæ pronuntiationis. Quod enim est qui (4) se confitetur, id est christianum, etiam id per quod est confitetur, id est Christum. Proinde qui se negavit christianum, in Christo negavit, negando se in Christo esse, dum negat se christianum, et Christum autem in se negando, dum se in Christo negat, Christum quoque negabit. Ita et qui in Christo negaverit, Christum negabit. Et qui in Christo confessus fuerit, Christum confitebitur. Sufficisset igitur et si de confitendo tantummodo Dominus pronuntiasset. Ex forma enim confessionis, contrario quoque ejus præjudicaretur, id est negationi; perinde negationi (5) negationem rependi a Domino, quemadmodum confessioni (6) confessionem. Et ideo cum in forma confessionis, etiam negationis conditio intelligatur, apparet ad alium modum negationis pertinere, quod de ea aliter Dominus pronuntiavit, quam de confessione, dicendo : *Qui me negaverit*; non, « Qui in me ». Prospexerat enim et hanc vim plerumque in expugnatione nominis subsecuturam; (*a*) ut qui se christianum negasset ipsum quoque Christum compelleretur blasphemando negare. (*b*) Sicut non olim pro... spice (7) cum (8) tota fide quorumdam colluctatum hoc modo horruimus. Itaque frustra erit dicere, « Etsi me negavero christianum, non negabor a Christo; non enim ipsum negavi. » Ex illa enim negatione tantumdem tene-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Est et definitio et ratio *Seml.*
(2) Ut si *cod. Wouw.*
(3) Ostendisti *Seml.*
(4) Cum *Seml.*
(5) Negatione *Seml.*
(6) Confessione *Seml.*
(7) Auspice *Pam. at vero desunt quædam litteræ in cod. Agobardi.*
(8) In *add. Pam.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ut qui se christianum negasset, ipsum quoque Christum compelleretur blasphemando negare.* Tale quiddam narratur a Plinio, nominatos ab indice qui se ebristianos dicerent, comprehensos negasse, tandem et Christo maledixisse. Rig.

(b) *Sicut non olim pro.... spice cum tota fide quorumdam colluctatum hoc modo horruimus.* In codice Agobardino litteræ aliquot intercidere. Non placet quod in vulgatis editionibus legitur, *pro auspice cum in tota fide quorumdam*. Certe nihil hic deesse videtur nisi nomen loci. Rig.

bitur, qua se christianum negando, Christum in se negans, etiam ipsum negavit. Plus est autem, quod et confusioni confusionem comminatur : *Qui me confusus fuerit coram hominibus, et ego confundar eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Sciebat enim a confusione vel maxime formari negationem : mentis statum in fronte consistere; priorem esse pudoris, quam corporis plagam.

CAPUT X.

Qui vero non hic, id est, non intra hunc ambitum terræ, nec per hunc commeatum vitæ, nec apud homines hujus naturæ communis confessionem putant constitutam, quanta præsumptio est adversus omnem ordinem rerum in terris istis, et in vita ista, et sub humanis potestatibus experiundarum? Nimirum cum animæ de corporibus excesserint, et per singula tabulata cœlorum (*a*) de præcepto (1) dispici cœperint, et interrogari arcana illa hæreticorum sacramenta, tunc confitendum apud veras potestates et (*b*) veros homines, Theletos scilicet et Abascantos et Acinetos (2) Valentini. Nostrates enim, inquiunt, nec ipse Demiurgus constanter homines probabat veros esse (3), quos *stillicidium situlæ et pulverem areæ et sputamen et locustas* deputavit; etiam irrationalibus jumentis adæquavit. Plane ita scriptum. Non tamen idcirco aliud hominis genus intelligendum præter nos : quos (4) quia constat esse, et comparatione (*c*) (5) potuit induere, salva et proprietate generis, et singularitate. Neque enim si vita vitiata est, ut despectui judicata despectis compararetur, statim natura sublata est, ut alia in nomine ejus deputaretur. Atquin servatur natura, etsi suffunditur vita, nec alios novit Christus homines, quam de quibus dicit : *Quem me aiunt esse homines?* et : *Quomodo vultis ut faciant vobis homines, et ita vos facite illis.* Vide an servaverit genus, a quibus et testimonium sui exspectet, et in quos justitiæ vicem mandat. Illos autem cœlestes homines si expostulem mihi ostendi, facilius (*d*) Aratus Persea, et Cephea, et Erigonam, et Ariadnem inter sidera deliniabit. Quis autem prohibuit Dominum illic etiam confessionem hominum faciendam manifeste (6) determinare, ubi suam futuram aperte pronuntiavit? ut ita (7) esset positum : « Qui in me confessus fuerit coram hominibus in cœlis, et ego in illo confitebor coram Patre meo qui in cœlis est? » Eripere me debuit ex isto terrenæ confessionis errore, quam suscipi noluit (8), si cœlestem præcepisset, quia nullos alios homines noveram præter incolas terræ; ne ipso quidem adhuc tunc in cœlis homine conspecto. Quæ porro fides rerum, ut post excessum ad superna sublevatus (9), illic probarer (10), quo non nisi jam probatus imponerer? (*e*) illic de præcepto (11) examinarer, quo nisi admittendus pervenire non possem? Christiano cœlum ante patet quam via; quia nulla via in cœlum, nisi cui patet cœlum; quod qui attigerit, intrabit. Quas mihi potestates janitrices affirmas juxta romanam superstitionem (*f*) Janum quemdam (12) et Forculum et Limentinum? quas a cancellis ordinas potestates? Si unquam legisti apud David (*Ps.* XXIV, 7), *auferte portas principes vestras* (13), *et subleventur portæ æternæ, et introibit rex gloriæ.* Si item audisti apud Amos (IX, 6) : *Qui assensum illum suum ædificat in cœlos, et profusionem suam fundat in terras;* scito et ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini, et introitum exinde reseratum viribus Christi, nec ullam moram aut quæstionem in limine Christianis occursuram, qui non dignosci habeant illic, sed agnosci; nec interrogari, sed admitti. Nam et si adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus hic Dominum Petro, et per eum, Ecclesiæ reliquisse, quas hic unusquisque interrogatus atque confessus feret secum. Sed asseverat diabolus illic confitendum, ut suadeat hic negandum. (*g*) Pulchra videlicet documenta præmittam, (*h*) bonas mecum claves feram, timorem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Recepto *Rig.* respecto *vet. exempl.* recepta *Latin.*
(2) Aginetos *Seml.* Ægratos *cod. Wouwer. Rig.*
(3) Ipsi eadem jurgiis constantes homines probabit *Seml.*
(4) Quod *Seml.*
(5) Esse e comparatione *Seml.*
(6) Manifeste *demit seml.*
(7) At ita *Jun.*
(8) Noluisset *Seml.*
(9) Sublatus *Seml.*
(10) Prober *Seml.*
(11) Recepto *Venet.* recepta *Seml.*
(12) Cardum quemdam *Seml.* Cardeam quamdam *Fran.*
(13) Vestri *Rig. Venet.*

COMMENTARIUS.

CAP. X.—(a) *De præcepto dispici cœperint.* De præcepto dispici, est inquiri et examinari an præcepto Christi paruerimus, an fuerimus constantes in confessione nominis Christi coram potestatibus. Rig.

(b) *Veros homines, Teletos scilicet et Abascantos et Acinetos Valentini.* In Agobardino hæc ita se habent : *Veros homines... letos scilicet et aginetos et abascantos Valentini.* In Ursini libro legitur, *ageratos*, ejusmodi autem vocabula reperiuntur inter nugas Valentinianorum, quibus significabant homines veros, perfectos, infascinabiles, constantes, τελείους, ἀβασκάντους, ἀκινήτους. Rig.

(c) *Comparatione potuit induere.* Sic liber Agobardi. Liber Ursini, *innuere.* Rig.

(d) *Aratus Persea, et Cephea, et Erigonem*, etc. Videantur Arati *Phænomena*, quem sequitur etiam Cicero, lib. II *de Nat. Deor.*, ubi Cepheum et Perseum post minorem Septentrionem collocat. De Erigone sic Arnobius lib. VII : *Erigone suspensa de laqueo est, ut virgo inter astra ignita sit.* De Perseo et Ariadne denique (quem imitari solet Auctor), Justinus martyr, Apolog. I, ubi postquam illum inter Jovis liberos recensuit : *Quid dicamus*, inquit, *Ariadnen, et quos itidem atque illum inter sidera receptos esse aiunt.* Pam.

(e) *Illic de præcepto examinarer.* Sic habet vetus exemplar : quæ scriptura confirmat quod supra notavimus, *de præcepto dispici.* Rig.

(f) *Janum quemdam et Forculum et Limentinum.* In exemplari legitur, *Barnum quemdam.* Rig.

(g) *Pulchra documenta.* Quasi caussæ nostræ instrumenta. Sic, lib. XXIX, c. de Donationibus, *Documenta idonea.* Rig.

(h) *Bonas claves mecum feram.* Fidei christianæ constantiam. Nam quod sequitur de timore, per deri-

eorum, qui solum corpus occidunt, (a) animæ autem nihil faciunt: commendatus ero hujus præcepti desertione; honeste in cœlestibus stabo, (b) qui in terrenis stare non potui; sustinebo majores potestates, qui minoribus cessi; merebor denique admitti, jam exclusus. Suppetit adhuc dicere: si in cœlestibus confitendum, et hic (1) negandum est; nam (2) ubi alterum, ibi (3) utrumque; æmula enim quæque concurrunt. Etiam persecutionem in cœlis agitari oportebit, quæ confessionis negationisve materia est. Quid itaque cessas, audacissime hæretice, totum ordinem christianæ concussionis in superna transferre, et in primis, ipsum nominis odium illic collocare, ubi ad Patris dexteram præsidet Christus? Illic constitues (4) et synagogas Judæorum, fontes persecutionum, apud quas Apostoli flagella perpessi sunt, et populos nationum cum suo quidem circo, ubi facile conclamant, (c) « Usquequo genus tertium? » Sed et fratres nostros et patres et filios et socrus et nurus et domesticos nostros ibidem exhibere debebis (5), per quos traditio disposita est: item reges et præsides et armatas potestates, apud quos caussa purganda (6) est. Erit certe etiam carcer in cœlo, carens sole, aut ingratis luminosus, et vincula fortasse de zonis, et equuleus axis ipse qui torquet: tum si lapidandus christianus, grandines aderunt; si urendus, fulmina præ manu sunt; si trucidandus, Orionis armati manus (7) operabitur; si (d) bestiis finiendus, (e) ursas septemtrio emittet, zodiacus tauros et leones. Hæc qui sustinuerit in finem, iste erit salvus. Ergone et finis in cœlis, et passio, et occisio, et prima confessio? Et ubi caro, omnibus istis necessaria? ubi corpus? quod solum ab hominibus habet occidi. Hæc nobis etiam ludicrum in modum certa ratio mandavit, nec ullus obicem præscriptionis istius extrudet, ut non omnem ordinem persecutionis, omnem ejus caussæ firmam paraturam illuc transferre cogatur, ubi confessioni forum dederit. Siquidem confessio a persecutione deducitur, et persecutio in confessione finitur. Nec possunt non una sequi, quæ et aditum et exitum (8), id est, initium finemque disponunt. Porro et odium nominis hic erit, et persecutio hic erumpit, et traditio hic producit, et interrogatio hic compellit, et carnificina hic desævit, et totum hunc ordinem in terris confessio vel negatio expungit. Igitur si cætera hic, nec confessio alibi; si confessio alibi, nec cætera hic. Enimvero non alibi cætera; itaque nec confessio in cœlo. Aut si aliam volunt esse rationem interrogationis et confessionis cœlestis, utique et ordinem suum illi struere debebunt alium longe, et ab ista dispositione diversum, quæ Scripturis notatur, et possumus (9) dicere, Viderint, dum hic ordo terrenæ interrogationis et confessionis, ex materia decurrens persecutionis et discordiæ publicæ in nomen, salvus sit suæ fidei; ut ita credendum sit sicut et scribitur (10), ita intelligendum sit sicuti auditur. Hic omnem ordinem sustineo, ipso Domino non aliam regionem mundi destinante. Quid enim post confessionis et negationis terminum subjungit? *Ne putaveritis* (11) *venisse me uti pacem mittam in terram; non veni, sed ut macheram, certe in terram. Veni enim dividere hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et socrum adversus nurum suam: et inimici homini domestici sui. Sic enim efficitur, ut tradat frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgant filii in parentes, et mori eos faciant. Et qui sustinuerit in finem, hic salvus erit* (*Matt.*, X, 34 *et seq.*). Adeo totus hic ordo dominicæ machæræ, non in cœlum missæ, sed in terram, illic constituit etiam confessionem, quæ in finem sustinendo passura est mortem.

CAPUT XI.

Eadem igitur forma, cætera quoque ad martyrii pertinere defendimus. *Qui pluris*, inquit (*Luc.* XIV), *fecerit etiam animam suam quam me, non est me dignus;* id est, qui maluerit vivere me negando, quam mori confitendo. *Qui animam suam invenerit, perdet illam; qui vero perdiderit mei caussa, inveniet illam.* Proinde enim invenit (12) eam (13), qui negarit lucri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vel *Seml.*
(2) Næ *Seml.*
(3) Ibidem *cod. Wouw. Jun.*
(4) Constituas *Seml.*
(5) Debetis *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Pugnanda *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Munus *Seml. Jun.*
(8) Quæ *denit Seml. post Rhen.*
(9) Possimus *Rig.*
(10) Ut *denit Seml. ex Rhen.*
(11) Putaverit *Seml. post Rhen.*
(12) Inveniet *Fran.*
(13) Illo *Seml.* illam *Fran.*

COMMENTARIUS.

sum adjicitur. Ipse Tertullianus lib. de Anima: *Tota paradisi clavis tuus sanguis est.* Rig.

(a) *Animæ autem nihil faciunt.* Sic loqui solet Tertullianus, ut jam observavimus libro adversus Valentin. Rig.

(b) *Qui in terrenis stare non potui.* Dejectus scilicet de fide. Rig.

(c) *Usquequo genus tertium.* Liber Ursini, *tetrum.* At exemplar Agobardi, *tertium.* Quod rectissimum esse docet ipse Tertullianus, lib. I ad Nat. *Plane,* inquit, *tertium genus dicimur. Si qua apud vos saltem ratio est, edatis velim primum et secundum genus, ut ita de tertio constet.* Rig.

(d) *Bestiis finiendus.* Cui scilicet ad bestias damnato, mors obeunda, vita finienda. Dies finitionis, inscriptione quadam inter collectanea Gruteri, ex Apiano. *Si permanserit usque in diem finitionis suæ,* quod de vidua dicitur. Finiendus, consumendus. Fabius, declamat. 19: *Filium verberibus ignibusque consumpsi.* Ulpianus, lib. VI, § scd et si quis: Non tunc cum consumptus est, sed cum sententiam passus est. Et lib. III De pœnis: Prægnantis mulieris consumendæ pœna differtur; quod vulgo adjicitur, *damnatæ,* interpretamentum est. Rig.

(e) *Ursas Septemtrio emittet.* Expendit diligenter signa illa quæ mathematici tantopere observant. Ursas hic vocat quæ Septemtriones dicuntur. Duæ sunt, major et minor, quæ ob dispositionem stellarum triones et Septemtriones appellantur, Græcis *plaustra* ἅμαξαι. Sic Aratus *in Phænom.*

Ἄρκτοι ἅμα τροχόωσι, τὸ δὴ καλέουσι Ἁμάξας. Le Pr.

faciendo vitam; sed (1) perdet in gehennam, qui se putat negando lucrifacere (2) eam. Perdet autem eam ad præsens, qui confessus occiditur; sed inventurus eam in vitam æternam. Ipsi denique præsides, cum hortantur (3) negationi, (*a*) *serva animam tuam*, dicunt, et *noli animam tuam perdere*. Quo modo (4) loqueretur Christus, nisi quo modo (5) tractaretur (6) christianus? Sed cum prohibet meditari responsionem ad tribunal, famulos suos instruit, Spiritum Sanctum responsurum repromittit (*Matth.* X, 20); et cum in carcere fratrem vult visitari (*Matth.*, XXV), confessoris imperat curam; et cum Deum vindictam facturum electorum suorum affirmat (*Matth.*, XV), passiones consolatur illorum : etiam (*b*) in parabola seminis (7) post cespitem arefacti, persecutionum (8) figurat ardorem. Hæc si non ita accipiuntur quemadmodum pronuntiantur, sine dubio præterquam sonant sapiunt; et aliud in vocibus erit, aliud in sensibus; ut allegoriæ, ut parabolæ, ut ænigmata. Quemcumque igitur conceperint ventum (9) argumentationis scorpii isti, quocumque se acumine impegerint, una jam linea est : ad ipsas res provocabuntur, an secundum Scripturas transigantur. Siquidem tunc aliud significabitur in Scripturis, si non idipsum reperiatur in rebus. Quod enim scriptum est, hoc evenire oportebit. Porro, tunc eveniet quod est (10) scriptum, si non aliud (11) eveniet. *Ecce autem et odio habemur ab omnibus hominibus*, (*c*) *nominis caussa*, quomodo et scriptum est; *et tradimur etiam a proximis*, quomodo et scriptum est; *et perducimur ad potestates, et interrogamur, et torquemur, et confitemur, et trucidamur*, quomodo et scriptum est (*Matth.*, X). Sic Dominus edixit. Si aliter edixit hæc, cur non aliter eveniunt, quam (12) edixit, id est, quemadmodum edixit? Atquin non aliter eveniunt quam edixit: ergo sicut eveniunt, ita (13) edixit, ita eveniunt. Nam nec licuisset aliter evenire, quam edixit; nec ipse aliter edixisset, quam evenire voluisset. Ita, non aliud significabunt Scripturæ (14), quam in rebus recognoscimus. Aut (15) si nondum aguntur illa quæ prædicantur, quomodo hæc aguntur (16) quæ prædicata non sunt? Non sunt enim hæc prædicata quæ aguntur, si alia sunt quæ prædicantur, et non hæc quæ aguntur. At nunc, quia (17) ipsa sunt in rebus, quæ (18) in vocibus, aliter dicta creduntur; quid fieret si aliter facta (19) invenirentur? Sed hæc est (20) perversitas fidei, probata non credere, non probata præsumere. Cui perversitati illud quoque opponam, ut si hæc quæ sic aguntur quemadmodum scripta sunt, non erunt ipsa quæ prædicantur, illa quæ non debeant sic agi quemadmodum scripta sunt, ne et ipsa horum exemplo periclitentur, excludi siquidem aliud in vocibus, aliud in rebus est; et (21) relinquitur nec prædicata videri cum evenerint, si aliter prædicantur quam evenire habent. Et quomodo credentur quæ non erunt prædicata, quia non ita erunt prædicata quomodo eveniunt? Ita hæretici quæ prædicantur non ut probata sunt credendo, ea quæ nec prædicata sunt, credunt.

A

B

CAPUT XII.

Quis nunc medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola? quos et sibi discipulos Dominus adoptavit, omnia utique edocendos; et nobis magistros adornavit, omnia utique docturos. (*d*) Cui potius figuram vocis suæ declarasset, quam cui effigiem gloriæ suæ revelavit, Petro, Jacobo, Joanni, et postea Paulo, quem (*e*) paradisi quoque compotem fecit ante martyrium? An et illi aliter quam sentiunt scribunt, fallaciæ magistri, non veritatis? Petrus quidem ad Pontios : *Quanta enim*, inquit (I *Petr.* II), *gloria, si non ut delinquentes puniamini, sustinetis! Hæc enim gratia est, in hoc et vocati estis, quoniam et Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum semetipsum, ut assequamini vestigia ipsius.* Et rursus (I *Pet.* IV) : *Dilecti, ne expavescatis ustionem, quæ agitur in vobis in tentationem, quasi novum accidat vobis : etenim secundum quod communicatis passionibus Christi, gaudete, uti et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si dedecoramini in* (22) *nomine Christi, beati estis, quoniam gloria et Dei spiritus requiescit* (23) *in vobis, dum ne quis vestrum patiatur, ut homicida, aut fur,*

C

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ut *Jun.*
(2) Lucrifacere *Seml.*
(3) Cohortantur *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Quomodo *alii.*
(5) Quomodo *Rig. Seml.*
(6) Tractatur *alii.*
(7) Sermonis *Rig.*
(8) In persecutione *Rig. e libro veteri.*
(9) Quodcumque igitur conceperint venenum *Jun.*
(10) Et *Seml.*
(11) Aliter *Seml.*
(12) Quæ *Jun.*
(13) Ergo sicut eveniunt, ita *demit. Venet. substituit vero* et sicut.
(14) Istæ *add. Seml.*
(15) At *Seml.*
(16) Aguntur *demit Seml. post Rhen.*
(17) Cum *Ciacc.*
(18) Et *add. Seml.*
(19) Acta *Seml.*
(20) Erit *Seml.*
(21) Ita *Jun.*
(22) In *demit Seml.*
(23) Requiescet *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. XI.—(a) *Serva animam tuam.* Consimiles Paterni proconsulis ad Cyprianum voces occurrunt in historia passionis fortissimi martyris, quas et Augustinus exagitat serm. de eodem Cypr. Rig.

(b) *In parabola seminis post cespitem arefacti.* In exemplari legitur, *In parabola sermonis post cespitem arefacti in persecutionum figurat ardorem.* Rig.

(c) *Nominis caussa.* Istud satis excussum est in Apolog, ubi ostendimus ex antiquis responsum esse, e nomine neque laudem, neque vituperium sperari debere. Le Pr.

CAP. XII.—(d) *Cui potius figuram vocis suæ declarasset.* Sermonis sui mysteria, sacramenta, cum scilicet recedunta litteris suis sensus, ut ipse loquitur hoc ipso opere, cap. 15. Rig.

(e) *Paradisi quoque compotem facit ante martyrium.* Dum scilicet raptus ad usque tertium cœlum, ea vidit

aut maleficus, aut (a) *alieni speculator. Si autem ut christianus, ne erubescat; glorificet autem Dominum in nomine isto.* Joannes vero, ut etiam pro fratribus nostris animas ponamus, hortatur, negans timorem esse in dilectione (I *Joan.* IV, 18) : *Perfecta enim dilectio foras abjicit timorem : quoniam timor pœnam habet; et qui timet, non est perfectus in dilectione.* Quem timorem intelligi præstat, nisi negationis auctorem? Quam dilectionem perfectam affirmat, nisi fugatricem timoris, et animatricem confessionis? Quam pœnam timore puniat, nisi quam negator relaturus est, cum corpore et anima occidendus in gehenna (1)? Quod si pro fratribus, quanto magis pro Domino moriendum docet, satis de Apocalypsi quoque sua instructus hæc suadere! Mandaverat etenim spiritus ad angelum ecclesiæ Smyrnæorum (*Apocal.* II, 10) : *Ecce diabolus ex numero tuo conjiciet* (2) *in carcerem, ut tentemini diebus decem. Esto fidelis ad mortem usque, et dabo tibi vitæ coronam.* Item ad Pergamenorum de Antipa fidelissimo martyre interfecto in habitatione Satanæ. Item ad Philadelphenorum, quod a tentatione ultima liberaretur, qui Domini nomen non negarat (*b*). Exinde victori cuique promittit nunc arborem vitæ, et mortis veniam secundæ : nunc latens manna cum calculo candido, et nomine ignoto : nunc ferreæ virgæ potestatem, et stellæ matutinæ claritatem : nunc albam vestiri, nec deleri de libro vitæ, et columnam fieri in Dei templo, in nomine Dei et Domini, et Jerusalem cœlestis inscripta, nunc residere cum Domino in throno ejus, quod aliquando Zebedæi filiis negabatur. Quinam isti tam beati victores, nisi proprie martyres? Illorum etenim victoriæ, quorum et pugnæ; eorum vero pugnæ, quorum et sanguis. Sed et interim (*c*) sub altari martyrum animæ placidum quiescunt, (*d*) et fiducia ultionis patientiam pascunt, et indutæ stolis, candidam (3) claritatis usurpant, donec et alii consortium illarum gloriæ impleant. Nam et rursus innumera multitudo albati et palmis victoriæ insignes revelantur; scilicet de Antichristo triumphantes (4), sicut unus ex presbyteris : *Hi sunt,* ait (*Apoc.* VII, 14), *qui veniunt ex illa pressura magna, et laverunt vestimentum suum, et candidaverunt ipsum in sanguine agni :* vestitus enim animæ, caro. Sordes quidem baptismate abluuntur, maculæ vero martyrio candidantur. Quia et Esaias (*Is.* I, 18) ex russeo (5) et coccino niveum et laneum repromittit. Magna etiam Babylon cum describitur ebria sanctorum cruore, sine dubio ebrietas ejus martyriorum poculis ministratur, quorum formido quid relatura sit, æque ostenditur. Inter omnes enim reprobos; imo ante omnes. Timidis autem, inquit, dehinc cæteris, particula in stagno ignis et sulphuris. Sic timor ejus in Epistola ejus (I *Joan.* IV, 18), quem dilectio foras abjicit, habet pœnam.

CAPUT XIII.

Paulus vero Apostolus de persecutore (*Act.* IX), qui primus Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, et convertens machæram in aratrum; lupus rapax Benjamin, dehinc ipse afferens (6) escam secundum Jacob, qualiter martyria, jam et sibi optabilia, commendat! cum de (7) Thessalonicensibus gaudens : *Uti,* inquit (II *Thessal.* I, 3, 4), *gloriemur in vobis in Ecclesiis Dei pro tolerantia vestra et fide, in omnibus persecutionibus et pressuris, quibus* (*e*) *sustinetis ostentamen justi judicii Dei, ut digni habeamini regno ejus, pro quo et patimini.* Sicut et ad Romanos (*Rom.* V, 11) : *Non solum autem, verum etiam exultantes in pressuris; certi* (8) *quod pressura tolerantiam perficit, tolerantia vero probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit.* Et rursus (*Rom.* VIII, 17) : *Quod si filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes vero Christi : siquidem compatimur* (9), *uti et cum illo glorificemur. Reputo enim passiones hujus temporis non esse dignas ad gloriam, quæ in nobis revelabitur* (10). Et ideo postmodum : *Quis,* inquit (*Rom.* VIII, 35), *separabit nos a dilectione Christi? pressura, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an machæra, secundum quod scriptum est : tui* (11) *causa mortificamur tota die, deputati sumus ut pecora jugulationis; sed in omnibus istis supervincimus propter eum qui nos dilexit. Persuasum enim habemus, quod neque mors, neque vita, neque virtus, neque sublimitas, neque profundum, neque alia conditio poterit nos a dilectione Dei separare, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Sed et Corinthiis passiones suas enumerans (II *Cor.* XI, 33), patiendum utique præfinivit : *In laboribus abundantius, in carceribus plurimum, in mortibus sæpius; a Judæis quinquies quadragenas citra*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Gehennam *Seml.*
(2) Conjicit *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Animæ patientiam pascunt, et indutæ stolis candidæ *alii.* fiducia ultionis candidam *Seml. pluribus demptis.*
(4) Triumphales *Seml.*
(5) Rufo *Seml.*
(6) Ipse etiam escam *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) De *abest Venet.*
(8) Arte *Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Compatiamur *alii.*
(10) Habeat revelari *Rhen. Seml. Oberth.*
(11) Tua *cod. Agobardi.*

COMMENTARIUS.

quæ nullus narrare potest aut exprimere, aut etiam cogitatione comprehendere. Le Pr.

(a) *Alieni speculator.* Alienas scilicet agens curas. Le Pr.

(b) *Domini nomen non negarat.* Ex Apoc. (III, 10) et I Cor. (X, 13) conferendum; et alibi, *tempus diaboli breve.* Seml.

(c) *Sub altari martyrum animæ placidum quiescunt.* Altaris vocabulo significari videtur terra, quæ fuit instar altaris martyrum immolationi. Rig.

(d) *Et fiducia ultionis patientiam pascunt et indutæ stolis.* Hæc supplevimus ex membranis Agobardi. Eleganter ait, martyrum animas sub altari depositas in spem resurrectionis placidum quiescere, ac velut in refrigerii prato fiducia ultionis patientiam pascere. Rig.

CAP. XIII.— (e) *Sustinetis ostentamen justi judicii.* Expectatis adventum, exhibitionem judicii. Rig.

unam accepi, ter virgis cæsus, semel lapidatus, et reliqua. Quæ si magis incommoda quam martyria videbuntur, tamen rursus : *Propter quod*, inquit (II *Cor.* XII, 10), *boni duco in infirmitatibus, in injuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Etiam in superioribus (II *Cor.* IV, 8) : *Qui in omnibus tribulemur, sed non coangustemur ; et indigeamus , sed non perindigeamus ; quoniam* (1) *persecutionibus agitemur, sed non derelinquamur ; qui dejiciamur, sed non pereamus : semper mortificationem Christi Jesu in corpore nostro circumferentes. Sed etsi*, inquit, *exterior homo noster vitiatur*, caro scilicet, vi persecutionum ; *sed interior renovatur die et die ;* anima scilicet, spe promissionum. Nam quod ad præsens, *temporale et leve pressuræ nostræ per supergressum in supergressum* (2) *æternum pondus gloriæ perficit* (3) *nobis, non intuentibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia*, de incommodis dicens ; *quæ vero non videntur, æterna*, de præmiis (4) spondens. Thessalonicensibus (5) vero de vinculis scribens (*a*), utique beatos affirmavit, (*Phil.* I, 29), quibus donatum esset *non tantum credere in Christum, sed etiam pro ipso pati : Eumdem*, inquit, *agonem habentes quem in me vidistis, et nunc audistis* (6). *Nam et si libor super sacrificium, gaudeo et congaudeo omnibus vobis, perinde et vos gaudete et congaudete mihi* (*ibid.*, II, 17). Vides quam martyrii definiat felicitatem, cui de gaudio mutuo acquirit solemnitatem. Ut proximus denique voti sui factus est, qualiter de prospectu ejus exsultans Timotheo scribit (7) (II *Tim.* IV, 6, 7) ? *Ego enim jam libor, et tempus dijunctionis instat* (8). *Agonem bonum decertavi, cursum consummavi, fidem custodivi ; superest corona, quam mihi Dominus illa die reddet*, scilicet passionis. Satis et ipse supra allocutus (II *Tim.* II, 11; II *Tim.* 1, 8) : *Fidelis sermo : si enim commortui sumus Christo, et convivemus ; si sufferimus, et conregnabimus ; si negaverimus, et ille nos negabit ; si non credimus, ille fidelis est, negare se non potest. Ne ergo confundaris martyrio Domini nostri, neque me vinctum ejus ;* quia prædixerat : *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sanæ mentis.* Virtute enim patimur ex dilectione in Deum, et sana mente, cum ob innocentiam patimur. Sed et sicubi tolerantiam præcipit, quibus magis eam quam passionibus prospicit ? sicubi ab idololatria divellit, (*b*) quid ei magis quam martyria prævellit ?

CAPUT XIV.

Plane monet Romanos (*Rom.* XIII, 4-7) omnibus potestatibus subjici, quia *non sit potestas nisi a Deo*, quia *non sine caussa gladium gestet*, et quia *ministerium* (9) *sit Dei ; sed et ultrix*, inquit, *in iram ei qui malum fecerit.* Nam et præmiserat : *Principes enim non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem ? fac bonum, et laudem ab ea referes.* (*c*) *Dei ergo minister est tibi in bonum. Si vero malum facias, time.* Ita, non in occasione frustrandi martyrii jubet te subjici potestatibus, sed in provocatione bene vivendi, etiam sub illarum respectu, quasi adjutricum justitiæ, quasi ministrarum divini judicii, hic etiam de nocentibus præjudicantis. Debinc et exequitur quomodo velit te subjici potestatibus, reddere jubens, *cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ;* id est (*Matt.* XXII, 21) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari , et quæ Dei, Deo ;* solius (10) autem Dei homo. (*d*) Condixerat scilicet Petrus, regem quidem honorandum ; ut tamen tunc rex honoretur, cum suis rebus insistit, cum a divinis honoribus longe est ; quia et pater et mater diligentur (11), cum Deo non comparabuntur. Cæterum, super Deum diligi nec animam licebit.

CAPUT XV.

Num ergo et (*e*) Apostolorum litteræ mobiles (12) ?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qui etiam *Jun.*
(2) Insuper per *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Perficiet *alii.*
(4) Promissis *cod. Agobard.*
(5) Philippensibus *Fran.*
(6) Auditis *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Exsultat dicens Timotheo *Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Deversionis insistit *Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Ministra *Rhen. Seml. Oberth.*
(10) Solus *Rhen. Seml. Oberth.*
(11) Diligenter *Fran. Pam.*
(12) Nobiles *Pam.* nubilæ *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Thessalonicensibus vero de vinculis scribens.* Castigandus hic locus et leg. *Philippensibus*, tum quia additur *de vinculis* e quibus scripta est prior illa, neutra vero ad Thessalonicenses ; tum quod inveniantur Philipp. I, 7, et quæ sequuntur Scripturæ testimonia : in quorum priori ex græco retinuit vocem *agonem ;* in posteriori confirmat lectionem latinorum emendatiorum codicum, qui legunt *immolor supra sacrificium*, pro eo quod alii *æmulor.* PAM.

(b) *Quid ei magis quam martyria prævellit ?* Ait Tertullianus : Sicubi homines Deus ab idololatria divellit, quid magis idololatriæ prævellit, quod prævulsum statim ipsi opponat, quam martyria fortium christianorum ? RIG.

CAP. XIV.—(c) *Dei ergo ministra est.* In Agobardino, *Dei ergo minister*... Ex quibus vestigiis apparet scriptum fuisse, *Dei ergo ministerium est*, ut supra. RIG.

(d) *Condixerat scilicet Petrus.* Condixerat, hoc est, cum Paulo dixerat, consentanea Paulo dixerat Petrus, Sic lib. de Corona. *Quod æque fides pagana condixit.* RIG.

CAP. XV.—(e) *Apostolorum litteræ mobiles.* Hæc scriptura ex exemplaris Ursini, quam secuti sumus editione prima quasi litteras mobiles Septimius dixisset, quæ saperent præterquam sonarent, et aliud esset in vocibus, aliud in sensibus. Nunc mutare sententiam nobiscum liceat, quibus non aliud erit studium quam veri. In Agobardi libro Septimius ait, *Num ergo et Apostolorum litteræ nobiles ?* Quæ lectio retinenda est. Etenim posteaquam probavit auctoritate prophetarum et Evangelii, martyria fortiter obeunda esse Christianis, atque hoc esse præceptum sive mandatum a Domino, id etiam probat citatis Apostolorum litteris, et subjungit, *Num ergo et Apostolorum litteræ nobiles ?*

(*a*) et nos usquequaque simplices animæ, (*b*) et solummodo columbæ, (*c*) libenter errantes ? credo vivendi cupiditate. Ita vero sit, ut recedant a litteris suis sensus. Quæ tamen passos Apostolos scimus, manifesta doctrina est; hanc intelligo solam Acta decurrens; nihil quæro; carceres illic, et vincula, et flagella, et saxa, et gladii, et impetus Judæorum, et cœtus nationum, et tribunorum elogia (1), et regum auditoria, et proconsulum tribunalia, et Cæsaris nomen interpretem non habent. Quod (*d*) Petrus cæditur (2), quod (*e*) Stephanus opprimitur, quod (*f*) Jacobus immolatur, quod (*g*) Paulus distrahitur (*h*), ipsorum sanguine scripta sunt. (*i*) Et si fidem Commentarii (3) voluerit hæreticus, instrumenta imperii loquentur, ut lapides Jerusalem. Vitas Cæsarum legimus; orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur. Tunc Paulus civitatis romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate. Hæc ubicumque jam legero, pati disco; nec mea interest quos sequar martyrii magistros, sensusne an exitus Apostolorum; nisi quod et sensus in exitibus recognosco. Nihil enim passi fuissent, quod non prius patiendum esse sensissent. (4) Cum vincula Paulo Agabus gestu quoque prophetasset, discipuli flentes et orantes ne se Jerosolyma committeret, frustra oraverunt. Ille enim, quod semper docuerat animatus : *Quid fletis*, inquit, *et contristatis cor meum ? At ego non modo vincula Jerosolymis pati optaverim, verum etiam mori pro nomine Domini mei Jesu Christi. Atque ita cesserunt, dicendo : Fiat voluntas Domini* (*Act.* XXI, 13, 14) ; fidentes scilicet, passiones ad voluntatem Dei pertinere. Non enim dehortationis consilio, sed dilectionis retinere tantaverant (5), ut Apostolum desiderantes, non ut martyrium dissuadentes. Quod si jam tunc Prodicus aut Valentinus assisteret, suggerens, (*j*) non in terris esse confitendum (6) apud homines; minus vero, ne (7) Deus humanum sanguinem sitiat, nec Christus vicem passionis, quasi et ipse de ea salutem consecuturus exposcat; statim audisset a servo Dei, (*k*) quod audierat a Domino diabolus : *Recede, Satana, scandalum*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ellogia *Jun.*
(2) Editur (ὑψοῦται) *Rig.*
(3) Commentari *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Scissent *cod. Agobard.*
(5) Tentaverunt *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Conandum *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Homines, quod nec *Seml.*

COMMENTARIUS.

Hoc est : Nonne sunt omnibus notæ, claræ, manifestæ ? Et sane sunt. Mox ingerit : Ita vero sit, ut recedant a litteris suis sensus ? nec tam claræ illæ sint et manifestæ, quin admittant interpretationis alicujus benignitatem. Veniamus ad res ipsas. Videamus quid ipsimet Apostoli, suarum litterarum interpretes, fecerint. Vitam certe ipsi suam martyrio impendere non dubitaverunt, de Dominico scilicet præcepto nihil ambigentes. Rig.

(a) *Et nos usquequaque simplices animæ.* Hæc sunt dicta, vel potius aculei scorpiorum, cujusmodi supra. Rig.

(b) *Et solummodo columbæ.* Non etiam prudentia serpentes, alluditad illud Christi apud Matth. : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Rig.

(c) *Libenter errantes.* Incauta simplicitate aberrantes, et avolantes ab dominicis ædibus. Rig.

(d) *Petrus cæditur.* Sic habet vetus exemplar Agobardi. Verumtamen cum hoc loco mortes Apostolorum per suppliciorum genera designentur, Petri passionem significantiore verbo descriptam fuisse arbitramur, et mendosum esse quod hic legimus, *cæditur*. Itaque legendum *editur*, quod est, sustollitur et suspenditur, edita et erecta cruce, ὑψοῦται. quod vulgata versio dixit, exaltatur. Joan. c. XII : ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς ; verba sunt Christi significantis qua morte esset moriturus : *Si exaltatus fuero a terra.* Sulpitius Severus : *Petrus in crucem sublatus est.* Rig.

(e) *Sthephanus opprimitur.* Impetu saxorum, lapidatione. Rig.

(f) *Jacobus immolatur.* Frater Domini, an frater Joannis ? Fratrem Joannis Herodes interemit gladio; Lucas, Act. XII : Ἀνεῖλε δὲ Ἰάκωβον, τὸν ἀδελφὸν Κυρίου, μαχαίρᾳ : quod in martyrologiis accipitur pro decollatione, et minime convenit immolationi. Itaque dicendum hic designari Jacobum fratrem Domini, quem Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, fuste fullonis in cerebro percussum interiisse tradunt; sed ex Hegesippi narratione, satis inepta et futili, quæ tamen, quantum ad genus mortis, firmari videatur, hisce Septimii nostri verbis : ut Jacobum fratrem Domini immolatum fuisse dixerit, fuste fullonis, tanquam popæ malleo seu clava, mactatum. Rig.

(g) *Paulus distrahitur.* Capite separato et ab cervice reciso. Separationem opus esse machæræ ait Septimius, lib. IV adver. Marc. et Lucas διαμερισμὸν dixit quod Matth. μαχαίρᾳ. Itaque distrahitur Paulus decollatione, principalem corporis partem auferente. Nam hoc accidit iis qui tali supplicio plectuntur, ut non cadant integri, nec jaceant cadavere toto. Etenim decollatorum capita pilo fere aut hastæ præfixa. Rig.

(h) *Cæditur, opprimitur, immolatur, distrahitur.* Ludit Septimius in antithetis. Petro Stephanum opponit. Etenim Petrus in cruce editus et sublimis, at Stephanus acervo saxorum obrutus. Jacobum vero opponit Paulo. Etenim Paulus truncato capite duas in partes distractus est ; at Jacobus immolatus, ictu fustis afflictus terræ, concidit integer. Victimariorum disciplina erat, hostias ita cædere et exanimare, ut non reluctarent, sed quasi spente procumberent. Rig.

(i) *Et si fidem commentarii voluerit hæreticus.* Hoc est, Si ex publicorum etiam archivorum fide doceri voluerit. Sic lib. de Idololatria : *Volunt scilicet tempus persecutionis, et locum tribunalis*, etc. Rig.

(j) *Non in terris esse confitendum apud homines.* Illi quoque sunt aculei scorpiorum, ut supra.

(k) *Quod audierat a Domino diabolus.* Imo, ipse Petrus, Matth., XVI, 23. Sed aliquis erga Petrum affectu Matthæi narrationem sic accipi voluit, quasi ea verba, propter quæ Petrum Christus increpat, non tam ipse Petrus protulisset, quam per os Petri diabolus. Enimvero Chrysostomus, ut in manifesta re, aperte contradicit : οὐκ εἶπεν, ὁ Σατανᾶς ἐρρήξατο διὰ σοῦ, ἀλλ' ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, καὶ γὰρ ἐτεθυμώμην τῷ ἀντιτιμήσῃ, τὸ μὴ παθεῖν τὸν Χριστόν. Rig.

mihi es; (a) scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (Matt. XXVI, 23; IV, 10). Sed et nunc audire debebit, quatenus multo post, venena ista (1) suffudit; (*b*) nulli infirmorum facile nisi (2) nocitura, si qui non hanc nostram ex (3) fide præbiberit, vel etiam superbiberit potionem.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Illa *Fran.*
(2) Nisi *inser. Rig.*
(3) Ea *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis*, etc. Hæc ita se habent in exemplari, quæ tamen haud faciunt quicquam ad Tertulliani propositum, et opinamur insita fuisse eadem manu, qua præcedens increpatio detorta in diabolum, ablato nomine Petri. Rig.

(b) *Nulli infirmorum facile nisi nocitura.* Nulli facile nisi, pro, Nulli non facile nocitura. Sic loqui placuit Septimio. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER ADVERSUS PRAXEAM.

ARGUMENTUM. — Praxeas Phryx ex Asia oriundus, fidei caussa in carcerem conjectus olim, ob cujus ærumnas, non admodum memorandas, animo multum intumuerat; de Ecclesia tamen egregie meritus erat; cum enim Pontifex (Eleutherius aliis, aliis Victor dicitur) Montanistas, qui in transmissa fidei professione catholicos se ferebant, jamjam communionis litteris donare vellet, Praxeas ex Asia tum adventans vulgatos ea in provincia Montanistarum errores aperuit, effecitque, ne homines illi pontifici optimo illuderent, suus demum fastus miserum perdidit : dum enim martyris titulis nunquam non gloriatur, communem eum superbis omnibus sortitus est exitum, novæ sectæ infelix conditor; unum enim Deum ita agnovit, ut omnem personarum distinctionem tolleret, asseverare ausus, ipsum Patrem carnem sumpsisse, in crucem actum, et ad suam hodie dexteram considere. Sectatores illius *Patropassiani* aut *Monarchici* dicti, quod unam duntaxat sanctissimæ Trinitatis personam statuerent.

Præstantissimum, quod certe post lapsum suum scripsit, est illud contra Praxeam, quo fidem Trinitatis suscipit defendendam, de hac etenim Montanistæ ab Ecclesia catholica non dissidebant. Vocabulo Trinitatis hoc in opere *Septimius* expresse utitur, et fraudem patefacit hæreticorum monarchiæ nomen usurpantium ut *unicum omnipotentem mundi creatorem se vindicare* rudioribus suadeant, dum interim *de unico hæresin faciunt.* Ut Patris et Filii personarum distinctionem evincat, *oportet*, inquit, *totum de Filio examinari, an sit, et qui sit, et quomodo sit... Ante omnia Deus erat solus.... quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum rationem suam, verbum, sapientiam; quam postea ad extra emisit, et factus est sermo exterior.* Sermonem appellandum censet Verbum Dei *Tertullianus*, solum post extrinsecam ejus prolationem, seu manifestationem in universi creatione factam juxta antiquissimorum theologorum loquendi phrasin et modum; fatetur tamen *Sermonem in primordio apud Deum fuisse. Nam etsi Deus nondum Sermonem suum miserat, proinde cum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando et disponendo secum, quæ Sermonem mox erat dicturus.* Ex quo patescit quo in sensu alibi dixerit : *Fuit autem tempus, cum et delictum et Filius non fuit*, videlicet quantum ad externam per creationem rerum manifestationem, præsertim cum dixit : *Fiat lux :* nam quantum ad generationem ad intra semper fuit cum Deo Patre Filius ejus verbum et sapientia. Ostendit insuper *Tertullianus*, Filium ex Patris esse substantia et Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere; Verbum, quod ab omni æternitate erat apud Deum, quodque quasi ex eo ad creandum et regendum mundum exiit, personam esse subsistentem, quæ tamen et varia a Patris substantia non est; inde non sequi duos esse Deos et duos Dominos; Filium, non Patrem, factum hominem, nec desiisse Deum esse, adeo ut naturæ humanæ idiomata in Christo inventa fuerint. Uno verbo, perspicue in hoc tractatu Ecclesiæ fidem de Trinitatis necnon Incarnationis mysteriis explanat. Lump.

CAPUT PRIMUM.

Varie diabolus æmulatus est veritatem. Affectavit illam aliquando defendendo concutere. Unicum Dominum vindicat omnipotentem mundi conditorem, ut et de unico hæresim faciat. Ipsum dicit Patrem descendisse in Virginem (1), ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Jesum Christum. Excidit sibi coluber, quia Jesum Christum post baptismo Joannis tentans, ut Filium Dei aggressus est;

LECTIONES VARIANTES.

(1) Virgine *Seml.*

(*a*) et nos usquequaque simplices animæ, (*b*) et solummodo columbæ, (*c*) libenter errantes ? credo vivendi cupiditate. Ita vero sit, ut recedant a litteris suis sensus. Quæ tamen passos Apostolos scimus, manifesta doctrina est; hanc intelligo solam Acta decurrens; nihil quæro; carceres illic, et vincula, et flagella, et saxa, et gladii, et impetus Judæorum, et cœtus nationum, et tribunorum elogia (1), et regum auditoria, et proconsulum tribunalia, et Cæsaris nomen interpretem non habent. Quod (*d*) Petrus cæditur (2), quod (*e*) Stephanus opprimitur, quod (*f*) Jacobus immolatur, quod (*g*) Paulus distrahitur (*h*), ipsorum sanguine scripta sunt. (*i*) Et si fidem Commentarii (3) voluerit hæreticus, instrumenta imperii loquentur, ut lapides Jerusalem. Vitas Cæsarum legimus; orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur. Tunc Paulus civitatis romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate. Hæc ubicumque jam legero, pati disco; nec mea interest quos sequar martyrii magistros, sensusne an exitus Apostolorum; nisi quod et sensus in exitibus recognosco. Nihil enim passi fuissent, quod non prius patiendum esse sensissent. (4) Cum vincula Paulo Agabus gestu quoque prophetasset, discipuli flentes et orantes ne se Jerosolyma committeret, frustra oraverunt. Ille enim, quod semper docuerat animatus : *Quid fletis*, inquit, *et contristatis cor meum ? At ego non modo vincula Jerosolymis pati optaverim, verum etiam mori pro nomine Domini mei Jesu Christi. Atque ita cesserunt, dicendo : Fiat voluntas Domini* (*Act.* XXI, 13, 14) ; fidentes scilicet, passiones ad voluntatem Dei pertinere. Non enim dehortationis consilio, sed dilectionis retinere tantaverant (5), ut Apostolum desiderantes, non ut martyrium dissuadentes. Quod si jam tunc Prodicus aut Valentinus assisteret, suggerens, (*j*) non in terris esse confitendum (6) apud homines; minus vero, ne (7) Deus humanum sanguinem sitiat, nec Christus vicem passionis, quasi et ipse de ea salutem consecuturus exposcat; statim audisset a servo Dei, (*k*) quod audierat a Domino diabolus : *Recede, Satana, scandalum*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ellogia *Jun.*
(2) Editur (ὑφοῦται) *Rig.*
(3) Commentari *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Scissent *cod. Agobard.*
(5) Tentaverunt *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Conandum *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Homines, quod nec *Seml.*

COMMENTARIUS.

Hoc est : Nonne sunt omnibus notæ, claræ, manifestæ ? Et sane sunt. Mox ingerit : Ita vero sit, ut recedant a litteris suis sensus ? nec tam claræ illæ sint et manifestæ, quin admittant interpretationis alicujus benignitatem. Veniamus ad res ipsas. Videamus quid ipsimet Apostoli, suarum litterarum interpretes, fecerint. Vitam certe ipsi suam martyrio impendere non dubitaverunt, de Dominico scilicet præcepto nihil ambigentes. Rig.

(a) *Et nos usquequaque simplices animæ.* Hæc sunt dicta, vel potius aculei scorpiorum, cujusmodi supra. Rig.

(b) *Et solummodo columbæ.* Non etiam prudentia serpentes, alludit ad illud Christi apud Matth.: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Rig.

(c) *Libenter errantes.* Incauta simplicitate aberrantes, et avolantes ab dominicis ædibus. Rig.

(d) *Petrus cæditur.* Sic habet vetus exemplar Agobardi. Veruntamen cum hoc loco mortes Apostolorum per suppliciorum genera designentur, Petri passionem significantiore verbo descriptam fuisse arbitramur, et mendosum esse quod hic legimus, *cæditur*. Itaque legendum *editur*, quod est, sustollitur et suspenditur, edita et erecta cruce, ὑφοῦται. quod vulgata versio dixit, exaltatur. Joan. c. XII : ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς ; verba sunt Christi significantis qua morte esset moriturus : *Si exaltatus fuero a terra.* Sulpitius Severus : *Petrus in crucem sublatus est.* Rig.

(e) *Sthephanus opprimitur.* Impetu saxorum, lapidatione. Rig.

(f) *Jacobus immolatur.* Frater Domini, an frater Joannis ? Fratrem Joannis Herodes interemit gladio; Lucas, Act. XII : Ἀνεῖλε δὲ Ἰάκωβον, τὸν ἀδελφὸν Κυρίου, μαχαίρᾳ : quod in martyrologiis accipitur pro decollatione, et minime convenit immolationi. Itaque dicendum hic designari Jacobum fratrem Domini, quem Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, fuste fullonis in cerebro percussum interiisse tradunt; sed ex Hegesippi narratione, satis inepta et futili, quæ tamen, quantum ad genus mortis, firmari videatur, hisce Septimii nostri verbis : ut Jacobum fratrem Domini immolatum fuisse dixerit, fuste fullonis, tanquam popæ malleo seu clava, mactatum. Rig.

(g) *Paulus distrahitur.* Capite separato et ab cervice reciso. Separationem opus esse machæræ ait Septimius, lib. IV adver. Marc. et Lucas διαμερισμὸν dixit quod Matth. μαχαίρᾳ. Itaque distrahitur Paulus decollatione, principalem corporis partem auferente. Nam hoc accidit iis qui tali supplicio plectuntur, ut non cadant integri, nec jaceant cadavere toto. Etenim decollatorum capita pilo fere aut hastæ præfixa. Rig.

(h) *Cæditur, opprimitur, immolatur, distrahitur.* Ludit Septimius in antithetis. Petro Stephanum opponit. Etenim Petrus in cruce editus et sublimis, at Stephanus acervo saxorum obrutus. Jacobum vero opponit Paulo. Etenim Paulus truncato capite duas in partes distractus est ; at Jacobus immolatus, ictu fustis afflictus terræ, concidit integer. Victimariorum disciplina erat, hostias ita cædere et examinare, ut non reluctarent, sed quasi sponte procumberent. Rig.

(i) *Et si fidem commentarii voluerit hæreticus.* Hoc est, Si ex publicorum etiam archivorum fide doceri voluerit. Sic lib. de Idololatria : *Volunt scilicet tempus persecutionis, et locum tribunalis*, etc. Rig.

(j) *Non in terris esse confitendum apud homines.* Illi quoque sunt aculei scorpiorum, ut supra.

(k) *Quod audierat a Domino diabolus.* Imo, ipse Petrus, Matth., XVI, 23. Sed aliquis erga Petrum affectu Matthæi narrationem sic accipi voluit, quasi ea verba, propter quæ Petrum Christus increpat, non tam ipse Petrus protulisset, quam per os Petri diabolus. Enimvero Chrysostomus, ut in manifesta re, aperte contradicit : οὐκ εἶπεν, ὁ Σατανᾶς ἐφθέγξατο διὰ σοῦ, ἀλλ' ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, καὶ γὰρ ἐτύφλωτο ἦν τοῦ ἀντικειμένου, τὰ μὴ παθεῖν τὸν Χριστόν. Rig.

mihi es; (a) scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (Matt. XXVI, 23; IV, 10). Sed et nunc audire debebit, quatenus multo post, venena A ista (1) suffudit; (*b*) nulli infirmorum facile nisi (2) nocitura, si qui non hanc nostram ex (3) fide præbiberit, vel etiam superbiberit potionem.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Illa *Fran.*
(2) Nisi *inser. Rig.*
(3) Ea *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis*, etc. Hæc ita se habent in exemplari, quæ tamen haud faciunt quicquam ad Tertulliani propositum, et opinamur insita fuisse eadem manu, qua præcedens increpatio detorta in diabolum, ablato nomine Petri. Rig.

(b) *Nulli infirmorum facile nisi nocitura.* Nulli facile nisi, pro, Nulli non facile nocitura. Sic loqui placuit Septimio. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER ADVERSUS PRAXEAM.

ARGUMENTUM. — Praxeas Phryx ex Asia oriundus, B fidei caussa in carcerem conjectus olim, ob cujus ærumnas, non admodum memorandas, animo multum intumuerat; de Ecclesia tamen egregie meritus erat; cum enim Pontifex (Eleutherius aliis, aliis Victor dicitur) Montanistas, qui in transmissa fidei professione catholicos se ferebant, jamjam communionis litteris donare vellet, Praxeas ex Asia tum adventans vulgatos ea in provincia Montanistarum errores aperuit, effecitque, ne homines illi pontifici optimo illuderent, suus demum fastus miserum perdidit : dum enim martyris titulis nunC quam non gloriatur, communem eum superbis omnibus sortitus est exitum, novæ sectæ infelix conditor; unum enim Deum ita agnovit, ut omnem personarum distinctionem tolleret, asseverare ausus, ipsum Patrem carnem sumpsisse, in crucem actum, et ad suam hodie dexteram considere. Sectatores illius *Patropassiani* aut *Monarchici* dicti, quod unam duntaxat sanctissimæ Trinitatis personam statuerent.

Præstantissimum, quod certe post lapsum suum scripsit, est illud contra Praxeam, quo fidem TriD nitatis suscipit defendendam, de hac etenim Montanistæ ab Ecclesia catholica non dissidebant. Vocabulo Trinitatis hoc in opere *Septimius* expresse utitur, et fraudem patefacit hæreticorum monarchiæ nomen usurpantium ut *unicum omnipotentem mundi creatorem se vindicare* rudioribus suadeant, dum interim *de unico hæresin faciunt.* Ut Patris et Filii personarum distinctionem evincat, *oportet*, inquit, *totum de Filio examinari, an sit, et qui sit, et quomodo sit... Ante omnia Deus erat solus.... quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum rationem suam, verbum, sapientiam; quam postea ad extra emisit, et factus est sermo exterior.* Sermonem appellandum censet Verbum Dei *Tertullianus*, solum post extrinsecam ejus prolationem, seu manifestationem in universi creatione factam juxta antiquissimorum theologorum loquendi phrasin et modum; fatetur tamen *Sermonem in primordio apud Deum fuisse. Nam etsi Deus nondum Sermonem suum miserat, proinde cum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando et disponendo secum, quæ Sermonem mox erat dicturus.* Ex quo patescit quo in sensu alibi dixerit : *Fuit autem tempus, cum et delictum et Filius non fuit*, videlicet quantum ad externam per creationem rerum manifestationem, præsertim cum dixit : *Fiat lux :* nam quantum ad generationem ad intra semper fuit cum Deo Patre Filius ejus verbum et sapientia. Ostendit insuper *Tertullianus*, Filium ex Patris esse substantia et Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere; Verbum, quod ab omni æternitate erat apud Deum, quodque quasi ex eo ad creandum et regendum mundum exiit, personam esse subsistentem, quæ tamen et varia a Patris substantia non est; inde non sequi duos esse Deos et duos Dominos; Filium, non Patrem, factum hominem, nec desiisse Deum esse, adeo ut naturæ humanæ idiomata in Christo inventa fuerint. Uno verbo, perspicue in hoc tractatu Ecclesiæ fidem de Trinitatis necnon Incarnationis mysteriis explanat. Lump.

CAPUT PRIMUM.

Varie diabolus æmulatus est veritatem. Affectavit illam aliquando defendendo concutere. Unicum Dominum vindicat omnipotentem mundi conditorem, ut et de unico hæresim faciat. Ipsum dicit Patrem descendisse in Virginem (1), ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Jesum Christum. Excidit sibi coluber, quia Jesum Christum post baptisma Joannis tentans, ut Filium Dei aggressus est;

LECTIONES VARIANTES.

(1) Virgine *Seml.*

certus filium Deum habere, vel ex ipsis Scripturis de quibus tunc tentationem struebat : *Si tu es filius Dei, dic ut lapides isti panes fiant;* item : *Si tu es filius Dei, dejice te hinc : scriptum est enim, quod mandavit* (1) *angelis suis super te* (utique Pater) *ut te manibus suis tollant, necubi ad lapidem pedem tuum offendas.* (*Matth.* IV, 3-6 ; *Ps.* XC, 11). Aut numquid mendacium Evangeliis exprobravit (2), dicens : « Viderit Matthæus et Lucas : cæterum, ego ad ipsum Deum accessi, ipsum omnipotentem cominus tentavi. Ideo et accessi, ideo et tentavi. Cæterum, si filius Dei esset, nunquam illum fortasse (3) dignarer? » Sed enim ipse potius *a primordio mendax est* (I *Joan.* III, 8) ; et si quem hominem de suo subornaverit (4), ut Praxean. Nam iste primus ex Asia hoc genus perversitatis (*a*) intulit Romæ; homo et (5) alias inquietus, insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum et simplex et breve carceris tædium ; quando *et si corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens* (I *Cor.*, XIII, 3), cujus charismata quoque expugnavit. Nam idem tunc (*b*) episcopum romanum, agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, et ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando, et præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit et litteras pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia (*c*) diaboli Praxeas Romæ procuravit, prophetiam expulit, et hæresim intulit; Paracletum fugavit, et Patrem crucifixit. *Fructicaverant* (6) *avenæ* praxeanæ, hic quoque *superseminatæ, dormientibus multis* (*Matth.*, XIII, 26) in simplicitate doctrinæ ; traductæ dehinc per quem Deus voluit, etiam evulsæ videbantur. (*d*) Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua ; et manet chirographum apud Psychicos (7), apud quos tunc gesta res est, exinde silentium. Et nos quidem postea agnitio Paracleti, atque defensio, disjunxit a Psychicis. Avenæ vero illæ utique (8) tunc semen excusserant. Ita aliquamdiu per hypocrisin subdola vivacitate latitavit, et nunc denuo erupit. Sed et denuo eradicabitur, si voluerit Dominus, in isto commeatu; si quo (9) minus, die suo *colligentur omnes adulteræ* (10) *fruges, et cum cæteris scandalis igni inextinguibili cremabuntur* (*ibid.*).

CAPUT II.

Itaque post tempus Pater natus, et Pater passus : ipse Deus, Dominus omnipotens, Jesus Christus prædicatur. Nos vero et semper, et nunc magis, ut (*e*) instructiores per Paracletum deductorem scilicet omnis veritatis, unicum quidem Deum credimus : sub hac tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, (*f*) ut unici Dei sit et filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, *per quem omnia facta sunt, et*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Mandabit *alii.*
(2) Exprobrabit *Frm. Paris.*
(3) Tentasse *Wouw.*
(4) Subornavit *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Intulit homo. Et *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Frutificaverant *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Physicos, *item infra* physicis *alii, sed vitiose.*
(8) Ubique *Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Quo si *Jun.*
(10) Adultæ *Petr. Ciaccon.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.— (a) *Intulit Romæ. homo*, etc. Intelligit provincias urbi Romanæ viciniores. Alioqui ipsa Asia partim romanum agnoscebat imperium. RHEN.

(b) *Episcopum romanum agnoscentem jam prophetias Montani.* Hæreses Tertulliani quæ dicuntur, eæ vix aliud præcipiebant quam martyria fortiora, jejunia sicciora, castimoniam sanctiorem, nuptias scilicet unas, aut nullas. In quibus quicquid peccavit, id omne virtutis amore vehementiore peccasse videatur. Illud certe gravius, quod Montani Paracletum agnovit atque defendit. Sed Montani schola, sicut et Baronius observat, aliquandiu stetit innoxia, discipulos habuit adeo morum sanctitate commendabiles, beneficia miraculorum potentia reverendos, martyriorum constantia fortes, ut nemo præsentiores alibi numinis vires agnosceret. Et vero recte doctissimus cardinalis censuit Anicetum tunc pontificem romanum in hominibus nihil adhuc a fidei regula dissentientibus hæc divini Spiritus charismata agnovisse, eorum ecclesiis pacem intulisse, atque, ut ait Tertullianus, pacis litteras misisse, neque est quod suspicemur Tertullianum, virum gravem, etsi tunc Montani partibus addictum, in historia tam recenti tamque manifesta, inque opere quod adversus Praxean hæreticum pro fidei catholicæ articulo inter præcipuos nobili, componebat, mentiri voluisse; cum præsertim mendacio splendido, ac statim facile confutando, pretium nullum. Ergo Praxeas ille, qualis a Tertulliano depingitur, fictis apud pontificem caussis, adeoque imminutæ auctoritatis pontificiæ criminationibus, Montani discipulos onerare non destitit, donec pacis seu communicationis litteræ jam, uti diximus, emissæ revocarentur. Quare nonnulli forte an plus æquo offensi indignatique, Montanum suum in tantum extollere ac prædicare cœperunt, ut dicerent, in Apostolis quidem Spiritum Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse ; et Paracletum illum suum plura in Montano dixisse, quam in Evangelio Christi; nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora. Hæc nimirum de iis legimus, qui secundum Phrygas dicuntur in Catalago hæreticorum, qui Tertulliani libro de Præscriptione vulgo annecti solet. Quæ satis arguunt, Phrygas istos Montano suo multa, quæ ipse sibi nunquam arrogaverit, tribuisse. Unde verosimile fiat, Montani dogma, quale extitit, primordio quidem sui christianis austerioribus probabili, Tertullianum tenuisse; non quale postea, cum sequacium quorumdam imposturis et fraudibus, acu phrygia interpolatum, ab Ecclesiis passim catholicis despui cœpit. Denique Tertullianum secundum Phrygas desipuisse unquam, scripta ejus quæ extant non persuadent ; quæ autem intercidere, ea cum extarent, neque Cypriano, neque Hieronymo persuasisse videntur. RIG.

(c) Negotia. Ludit circa nomen *Praxeas*, quod a græco πράσσειν derivari potuit : ita Semler. EDD.

(d) *Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua.* Praxeas mutata sententia pristinam doctrinam, hoc est, veterem et veram colebat, adeoque docebat; imo et per chirographum de emendatione sua caverat. *Pristinum doctor*, ut *cætera Graius.* RIG.

CAP. II. — (e) *Instructiores per Paracletum.* Recte annotat Rhenanus loqui illum de Paracleto Montani, cui etiam perperam applicat illud. Joan. XVI, 13 : *Deductorem omnis veritatis.* PAM.

(f) *Ut unici Dei sit et filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit.* Procedendi verbum Filio tribuit, quod

sine quo factum est nihil (*Joan.*, I, 3): hunc missum a Patre in virginem, et ex ea natum hominem et Deum, filium hominis et filium Dei, et cognominatum Jesum Christum : hunc passum, hunc mortuum et sepultum secundum Scripturas, et resuscitatum a Patre, et in cœlos (1) resumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos, qui exinde miserit, secundum promissionem suam, a Patre Spiritum Sanctum Paracletum, sanctificatorem fidei eorum qui credunt in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum (*a*) ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxeæ hesterni. Quo perœque adversus universas hæreses jam hinc præjudicatum sit, (*b*) id esse verum, quodcumque primum; id esse adulterum, quodcumque posterius. Sed salva ista præscriptione, utique tamen propter instructionem et munitionem quorumdam, dandus est etiam retractatibus locus: vel ne videatur unaquæque perversitas, non examinata, sed præjudicata damnari, maxime hæc, quæ se existimat merum veritatem possidere, dum unicum Deum non alias putat credendum, quam si ipsum eumdemque et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicat: quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem; et nihilominus custodiatur œconomiæ sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formæ et species, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti deputantur. Quomodo autem (2) numerum sine divisione patiuntur, procedentes retractatus (3) demonstrabunt.

CAPUT III.

Simplices enim quique, ne dixerim imprudentes et idiotæ, quæ major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus diis sæculi ad unicum et Deum verum transfert; non intelligentes unicum quidem, sed cum sua œconomia esse credendum, expavescunt ad œconomiam. Numerum et dispositionem trinitatis, divisionem præsumunt unitatis; quando unitas ex semetipsa derivans trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos et tres jam jactitant a nobis prædicari, se vero unius Dei cultores præsumunt, quasi non et unitas irrationaliter collecta, hæresim faciat; et trinitas rationaliter expensa, veritatem constituat. (*c*) Monarchiam, inquiunt, tenemus. Et ita sonum (4) vocaliter exprimunt etiam Latini, (*d*) etiam Opici (5), ut putes illos tam bene intelligere monarchiam, quam enuntiant. Sed monarchiam sonare student Latini, œconomiam intelligere nolunt etiam Græci. At ego, si utriusque linguæ præcerpsi, monarchiam nihil aliud significare scio, quam singulare et unicum imperium : non tamen præscribere monarchiam, ideo, quia unius sit, eum (6) cujus sit, aut filium non habere, aut ipsum se sibi filium fecisse, aut monarchiam suam non per quos velit administrare. Atquin nullam dico dominationem ita unius sui esse, ita singularem, ita monarchiam (7), ut non etiam per alias proximas personas administretur, quas ipsa prospexerit officiales sibi Si vero et filius fuerit ei, cujus monarchia sit, non statim dividi eam, et monarchiam esse desinere, si particeps ejus assumatur et filius; sed (8) proinde illius esse principaliter a quo communicatur in filium; et dum illius est, proinde monarchiam esse, quæ a duobus tam unicis continetur. Igitur si et monarchia divina per tot legiones et exercitus angelorum administratur, sicut scriptum est: *Millies millia* (9) *assistebant ei, et millies centena millia apparebant ei :* nec ideo unius esse desiit, ut desinat monarchia esse, quia per tanta millia virtutum procuratur: quale est ut Deus divisionem et dispersionem pati videatur in Filio et in Spiritu Sancto, secundum et tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris, quas (10) non patitur in tot angelorum numero, et quidem tam a substantia alienis (11). Membra, et pignora, et instrumenta, et ipsam vim,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cœlo *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Autem *demit Seml. post Rhen.*
(3) Tractatus *Seml.*
(4) Solum *Seml. Rhen. Jun.*
(5) Et tam opifice *Seml.* etiam opifices *Rig.*
(6) Ejus *Rhen.*
(7) Monarchicam *Jun.*
(8) Se *Fran. Paris.*
(9) Millies centies centena millia *Seml.* millies millia centena millia *Latin.*
(10) Quod *Latin.*
(11) Substantia patris *Seml. add.* alienorum *Fran.*

COMMENTARIUS.

Ecclesia Spiritui Sancto proprium fecit. Rig.

(a) *Ante Praxeam hesternum.* Sic Persius dixit, *Hesternos Quiritas*, hoc est, novos, nuperos. Rig.

(b) *Id esse verum quodcumque primum.* Nempe principio sumpto unde cœpit veritas. Sic, libro *de Præscr. hæreticor.: Ita ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum.* Rig.

CAP. III.—(c) *Monarchiam, inquiunt, tenemus.* Μοναρχίαν, hoc est, Deum unicum afferimus, jure id quidem, nam alias, incidimus εἰς τὸν ἄθεον πολυθεότητα. Hier., l. *de Scr. Eccles.* auctor est librum ab Irenæo fuisse compositum hoc titulo, *de Monarchia*, sive, *Quod Deus non sit auctor malorum.* Ipse Tertullianus Monarchiæ vocabulo Deum significavit, lib. II de Cultu fœminarum: *Hanc incorruptibilitatem habemus induere ad novam domum, quam monarchia pollicetur.* Rig.

(d) *Etiam opici.* Id est barbari, quod opice, id est barbare, loquerentur, non latine, juxta Plin., l. XXIX, c. 1. Pam.—Scio Juvenalem, satira 6, dixisse:

> Nec curanda viris opicæ castigata micæ
> Verba.

Sed hic in exemplari legitur, *Et ita sonum ipsum vocaliter exprimunt etiam Latini, etiam opificis*, quod videatur convenientissimum sequentibus istis, *ut putes illos tam bene intelligere monarchiam, quam enuntiant* Sic vero loquitur Septimius in Apologetico: *Deum*

ac totum censum monarchiæ, eversionem deputas ejus: non recte. Malo te ad sensum rei, quam ad sonum vocabuli exerceas. Eversio enim monarchiæ illa est tibi intelligenda, cum alia dominatio suæ conditionis et proprii status, ac per hoc æmula, superducitur; eum alius Deus infertur adversus Creatorem. Tunc male, cum plures, secundum (*a*) Valentinos et Prodicos: (1) tunc in monarchiæ eversionem, cum in Creatoris destructionem.

CAPUT IV.

Cæterum, qui filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris, nihil facientem sine Patris voluntate, omnem a Patre consecutum potestatem, quomodo possum de fide destruere monarchiam, quam, a Patre Filio traditam, in Filio servo? Hoc mihi et in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium. Vide ergo ne tu potius monarchiam destruas, qui dispositionem et dispensationem ejus evertis in tot nominibus constitutam, in quot Deus voluit. Adeo autem manet in suo statu, licet trinitas inferatur, ut etiam restitui habeat Patri a Filio. Siquidem Apostolus scribit de ultimo fine: *cum tradiderit regnum Deo et Patri. Oportet enim eum regnare usque dum ponat inimicos ejus Deus sub pedes ipsius:* scilicet secundum Psalmum: *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Cum autem subjecta erunt illi omnia, utique* (2) *absque eo qui ei subjecit omnia, tunc et ipse subjicietur illi, qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Videmus (3) igitur non obesse monarchiæ Filium, etsi hodie apud Filium est; quia et in suo statu est apud Filium, et cum suo statu restituetur Patri a Filio. Ita eam nemo hoc nomine destruet, si Filium (4) admittat, cui et traditam eam a Patre, et a quo quandoque restituendam Patri constat. Hoc uno capitulo (*b*) Epistolæ apostolicæ potuimus jam et Patrem et Filium ostendisse duos esse, præterquam ex nominibus Patris et Filii, etiam ex eo quod qui tradidit regnum, et cui tradidit, item qui subjecit, et cui subjecit (5), duo sint necesse est.

CAPUT V.

Sed quia duos unum volunt esse, ut idem Pater et Filius habeatur, oportet et totum de Filio examinari, an sit, et qui sit, et quomodo sit; et ita res ipsa formam suam Scripturis et interpretationibus earum patrocinantibus vindicabit. Aiunt quidem (6) et Genesim in hebraico ita incipere: (*c*) *In principio Deus fecit sibi filium.* Hoc ut firmum non sit, alia me argumenta deducunt ab ipsa Dei dispositione, qua fuit (*d*) ante mundi constitutionem, adusque Filii generationem. Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia. Solus autem, quia nihil aliud (7) extrinsecus præter illum. Cæterum, ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis etiam Deus, et ratio in ipso prius; et ita, ab ipso omnia. Quæ ratio, sensus ipsius est. Hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum, per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse; cum magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium; et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam ut substantiam suam ostendat. Tamen et sic, nihil interest. Nam etsi Deus nondum sermonem suum miserat, proinde cum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus Cum ratione enim sua cogitans atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat. Idque quo facilius intelligas, ex te ipso ante (8) recognosce, ut *ex imagine et similitudine Dei*, (*Gen.*, I, 26) quam (9) habeas et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, a rationali scilicet artifice non tantum factus, sed etiam ex substantia ipsius animatus. Vide cum tacitus tecum ipse congrederis, ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, et ad omnem sensus tui pulsum. Quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est; et dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, et per quem cogitas loquendo. Ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeat in se etiam tacendo rationem, et in ratione sermonem? Possum itaque non temere præstruxisse, et tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habuit me beatus Hieronymus statim ab exordio *quæst. hebr. in Gen.* hunc locum, quem ibidem citat, magis secundum sensum quam secundum verbi translationem, de Christo accipi posse. Nam. LXX interpretes, et Symmachus, et Theodotion transtulerunt *in Principio*, et in hebr. est בראשית, quod Aquila interpretatur, in Capitulo; et non בבן, quod interpretatur *in filio*. Le Pn.

(d) *Qua fuit.* Scilicet, Deus. Seml.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prodigos *Seml.* Proclos *Paris.*
(2) Utique *demit Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Videtur *Venet.*
(4) Destruet. Filium *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Et cui subjecit *deerat in Rhenan.*
(6) Quidam *Petr. Ciaccon.*
(7) Aliud *abest Rhen. Seml. Oberth.*
(8) A me *Seml.*
(9) Quo *Seml.*

COMMENTARIUS.

quilibet opifex christianus et invenit et ostendit. Rig.

(a) *Valentinos et Prodicos.* Melius quam *Proclos*, ut habet Rhenanus, quamvis Proclianitas ex Philastrio et Augustino adducat, creatores animarum angelos dicentes ex igne et spiritu, quod etiam Seleucianorum fuit dogma. Le Pn.

CAP. IV. — (b) *Capitulo.* Hoc est, dicto, juxta Semler. Edd.

CAP. V.—(c) *In principio Deus fecit sibi filium.* Do-

tem in semetipso proinde rationem, et in ratione sermonem, quem secundum a se faceret agitando se.

CAPUT VI.

Hæc vis et hæc divini sensus dispositio, apud Scripturas etiam in Sophiæ nomine ostenditur. Quid enim sapientius ratione Dei, sive sermone? Itaque Sophiam quoque exaudi, ut secundam personam conditam. Primo, *Dominus* (*Prov.* VIII, 22) *creavit me initium viarum in opera sua, priusquam terram faceret, priusquam montes collocarentur: ante omnes autem colles generavit me;* in sensu suo scilicet condens et generans. Dehinc assistentem eam ipsa separatione cognosce; *Cum pararet*, inquit, *cælum, aderam illi simul* (1); *et cum fortia faciebat super ventos quæ sursum nubila; et cum tutos ponebat fontes ejus quæ sub cælo, ego eram cum illo compingens; ego eram ad quam* (2) *gaudebat: quotidie autem oblectabar in persona ipsius.* Nam ut primum Deus voluit ea quæ cum sophiæ ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit sermonem, habentem in se (*a*) individuas suas, Rationem et Sophiam (3); ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita; imo et facta jam, quantum in Dei sensu. Hoc enim eis deerat, ut coram quoque in suis speciebus atque substantiis cognoscerentur et tenerentur.

CAPUT VII.

Tunc igitur etiam ipse sermo speciem et ornatum suum sumit, sonum et vocem, cum dicit Deus: *Fiat lux.* Hæc est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ab cogitatum in nomine Sophiæ: *Dominus condidit me initium viarum.* Dehinc generatus ad effectum: *Cum pararet cælum, aderam illi simul.* Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est, *primogenitus* (*Col.* I, 15), ut ante omnia genitus; et *unigenitus* (1 *Joan.*, IV, 9), ut solus ex Deo genitus: proprie de vulva cordis ipsius, secundum quod et Pater ipse testatur: *Eructavit cor meum sermonem optimum* (*Ps.* XLIV, 1). Ad quem deinceps gaudens proinde gaudentem (4) in persona illius (*Ps.* II, 7): *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et: *Ante luciferum genui te.* Sic et Filius ex sua persona profitetur Patrem in nomine Sophiæ: *Dominus condidit me initium viarum in opera sua. Ante omnes autem colles generavit me.* Nam si hic quidem Sophia videtur dicere conditam se a Domino in opera et vias ejus; alibi autem *per sermonem* ostenditur *omnia facta esse, et sine illo nihil factum;* sicut et rursum (*Ps.* XXXIII, 6): *Sermone ejus cœli confirmati sunt, et spiritu ejus omnes vires eorum;* utique eo spiritu qui sermoni inerat: apparet unam eamdemque vim esse nunc in nomine Sophiæ, nunc in appellatione Sermonis; quæ *initium accepit viarum in Dei opera;* et quæ *cælum confirmavit; per* quam (5) *omnia facta sunt*, et *sine* qua (6) *nihil factum est* (*Joan.* I, 3). Nec diutius de isto, quasi non de ipso sit sermo, et in sophiæ, et in rationis, et in omnis divini animi et spiritus nomine, qui filius factus est Dei, de quo prodeundo generatus est. Ergo inquis, das aliquam substantiam esse Sermonem, spiritu et Sophiæ traditione constructam? Plane. Non vis enim eum substantivum habere in re per substantiæ proprietatem, ut res et persona quædam videri possit, et ita capiat secundus a Deo constitutus duos efficere, Patrem et Filium, Deum et Sermonem. (*b*) Quid est enim, dices, sermo, nisi vox et sonus oris, et (sicut Grammatici tradunt) aer offensus, intelligibilis auditu; cæterum, vacuum nescio quid, et inane, et incorporale? At ego nihil dico de Deo inane et vacuum prodire potuisse, ut non de inani et vacuo prolatum; nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit, fecit enim et ipse quæ facta sunt per illum. Quale est ut nihil sit ipse, sine quo nihil factum est? ut inanis solida, et vacuus plena, et incorporalis corporalia sit operatus? Nam etsi potest aliquando quid fieri diversum ejus per quod fit, nihil tamen potest fieri per id quod vacuum et inane est. Vacua et inanis res est Sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est, *Et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo* (*Joan.* I, 1)? Scriptum est (*Exod.* XX, 7): *Non sumes nomen Dei in vanum.* Hic certe est, *qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit esse se æqualem Deo* (*Philip*, II, 6). In qua effigie Dei? utique in alia, non tamen in nulla. (*c*) Quis enim negabit (7) Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed et (8) invisibilia illa quæcumque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt; quanto magis quod ex ipsius substantia (9) missum est, sine substantia non erit! Quæcumque ergo substantia Sermonis fuit, illam dico personam, et illi nomen Filii vindico; et dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo.

CAPUT VIII.

Hoc (10) si qui (*d*) putaverit me προβολὴν aliquam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Simul *abest al.*
(2) Quem *Rhen.*
(3) Rationes sophiam *Rhen.*
(4) Gaudenti *Seml.*
(5) Quem *Franeq.*
(6) Quo *Franeq.*
(7) Negavit *Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Si *add. Seml. Oberth.*
(9) Substantiæ *Rhen.*
(10) Hic *Lat.*

COMMENTARIUS.

CAP. VI.—(a) *Individuas suas.* Comites scilicet. Ut lib. de Patientia sub finem: *Cum ergo spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum.* Ric.

CAP. VII.—(b) *Quid est enim dices sermo, nisi vox et sonus oris, et aer offensus?* Sic libro de Resurrectione carnis, ubi de dentibus, quos accepisse hominem ait, *ad vocis articulos offensione signandos.* Ric.

(c) *Quis enim negabit Deum corpus?* V. in hunc locum D. Le Nourry in Tertulliani Apologet. Dissert., c. VII, art. 3, t. I, hujusce edit., p. 811 seqq. Edd.

CAP. VIII.—(d) *Putaverit me προβολὴν aliquam.* Per hanc vocem seu prolationem id explicat quod SS. Patres generationem vocant, ubi de Filio seu Verbo loquuntur, qui γεννητός, cum Spiritus Sanctus sit ἐκπο-

introducere, id est, prolationem rei alterius ex altera, quod facit Valentinus, alium atque alium Æonem de Æone producens; primo quidem dicam tibi, non ideo non utitur (1) et veritas vocabulo isto, et re ac censu ejus, quia et hæresis potius ex veritate accepit, quod ad mendacium suum strueret. Prolatus est sermo Dei, annon? Hic mecum gradum fige. Si prolatus est, cognosce probolam veritatis, et viderit hæresis si quid de veritate imitata est. Jam nunc quæritur, quis quomodo utatur aliqua re, et vocabulo ejus. Valentinus probolas suas discernit et separat ab auctore : et ita longe ab eo ponit, ut Æon patrem nesciat. Denique, desiderat nosse, nec potest; imo et pene devoratur, et dissolvitur in reliquam substantiam. Apud nos autem *solus Filius Patrem novit* (*Matt.* XI, 27), et *sinum Patris ipse exposuit* (*Joan.* I, 18), et omnia apud Patrem *audivit et vidit, et* (2) *quæ mandatus est a Patre, ea et loquitur* (*Joan.* VIII, 26). *Nec suam, sed Patris perfecit voluntatem* (*Joan.* VI, 38), quam *de proximo*, imo *de initio noverat. Quis enim scit quæ sint in Deo, nisi spiritus qui in ipso est* (I *Cor.* II, 11). *Sermo autem spiritu structus est*, et ut ita dixerim, sermonis corpus est spiritus. Sermo ergo et in Patre semper, sicut dicit : *Ego in Patre* (*Joan.* XIV, 11). Et apud Deum semper, sicut scriptum est : *Et Sermo erat apud Deum* (*Joan.* I, 1). Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Hæc erit probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus Filium a Patre, (*a*) sed non separatum (3), Prôtulit enim Deus Sermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium. Nam et istæ species prololæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere, et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium; quia omnis origo patens est; et omne quod ex origine profertur, progenies est, multo magis Sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit : nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem ejus, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons et flumen duæ species sunt, sed indivisæ. Et sol et radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice. Et tertius a fonte, rivus ex flumine. Et tertius a sole, apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiæ nihil obstrepit, et œconomiæ statum protegit.

CAPUT IX.

Hanc me regulam professum, qua inseparatos ab alterutro Patrem et Filium et Spiritum testor, tene ubique; et ita, quid quomodo dicatur, agnosces. Ecce enim dico alium esse Patrem, et alium Filium, et alium Spiritum. Male accipit idiotes quisque aut perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, et ex diversitate separationem protendat (4), Patris et Filii et Spiritus. Necessitate autem hoc dico, cum eumdem Patrem et Filium et Spiritum contendunt, adversus œconomiam monarchiæ adulantes, non tamen diversitate alium Filium a Patre, sed distributione; nec divisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater et Filius, vel modulo alius ab alio. Pater enim tota substantia est : (*b*) Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur, *Quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). A quo et minoratus (5) canitur in Psalmo (VIII, 6), *Modicum* (6) *quid citra angelos*. Sic et Pater alius a Filio, dum Filio major; dum alius qui generat, alius qui generatur; dum alius qui mittit, alius qui mittitur; dum alius qui facit, alius per quem fit. Bene quod et Dominus usus hoc verbo in persona Paracleti, non divisionem significavit, sed dispositionem : *Rogabo enim*, inquit (*Joan.* XIV, 16), *Patrem, et alium advocatum mittet vobis, Spiritum veritatis*. Sic alium a se Paracletum, quomodo et nos a Patre alium Filium, ut tertium gradum ostenderet in Paracleto, sicut nos secundum in Filio, propter œconomiæ observationem. Ipsum quod Pater et Filius dicuntur, nonne aliud ab alio est? Utique enim omnia quod vocantur, hoc erunt : et quod erunt, hoc vocabuntur : et permiscere se diversitas vocabulorum non potest omnino, quia nec rerum, quarum erunt vocabula. *Est est, non non*: *nam quod amplius est, hoc a malo est* (*Matth.* V, 37).

CAPUT X.

Ita aut Pater aut Filius est, et neque dies eadem et nox, neque Pater idem et Filius, ut sint ambo unus et utrumque alter : quod (*c*) vanissimi isti monarchiani volunt. Ipse se, inquiunt, Filium sibi fecit. Atquin Pater Filium facit, et Patrem Filius. Et qui ex alterutro fiunt, a semetipsis sibi fieri nullo

LECTIONES VARIANTES.

(1) Utatur *Fran. Paris.* utetur *Lat.*
(2) Ad *inser. Latin.*
(3) Paratum *Seml.*
(4) Pertendat *Jun.*
(5) Minor natu *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Modico *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

ρεθεος. Rig.

(a) *Sed non separatum*. Unde tot quæstiones utrum sit aliud a Patre; quod non conceditur, quamvis sit alius. Rig.

CAP. IX. — (b) *Filius vero derivatio*. Recte annotavit ad marginem Rhenanus caute hic legi debere Tertullianum, utpote qui, cum jam dudum ante hæresim Arii scripserit, non usque adeo verba sua trutinaverit. Sententia vero ejus, quod ejusdem sint substantiæ Pater et Filius et Spiritus manifesta fit, tum ex præcedentibus, tum ex sequentibus hujus libri cap. Pam.

CAP. X. — (c) *Vanissimi isti monarchiani*. Nonnulli praxeani Trinitatem negare videbantur : contendebant

modo possunt, ut Pater se sibi Filium faciat, et Filius se sibi Patrem præstet. Quæ instituit Deus, etiam ipse custodit. Habeat necesse est Pater Filium, ut Pater sit; et Filius Patrem, ut Filius sit; aliud est autem habere, aliud esse. Verbi gratia, ut maritus sim, habeam oportet uxorem, non ipse mihi ero uxor. Sic etiam, ut pater sim, filium habeo; non ipse mihi ero filius. Et ut filius sim, patrem habeo, non ipse mihi ero pater. Quæ enim me faciunt si habuero, tunc ero pater, si filium habeam; filius ero, si patrem. Porro si ipse ero quid eorum, jam non habeo quod ipse ero: nec patrem, quia ipse ero pater; nec filium, quia ipse ero filius. In quantum autem alterum ex his habere me oportet, alterum esse; in tantum si utrumque fuero, alterum non ero, dum alterum non habeo. Si enim ipse ero filius qui et pater, jam non habeo filium, sed ipse sum filius. Non habendo autem filium, dum ipse sum filius, quomodo pater ero? Habere enim filium debeo, ut pater sim. Non sum ergo filius, quia patrem non habeo, qui facit filium. Æque si ipse sum pater qui et filius, jam non habeo patrem, sed ipse sum pater; non habendo autem patrem, dum ipse sum pater, quomodo filius ero? Habere enim patrem debeo, ut filius im. Non ergo ero pater, quia filium non habeo, qui facit patrem. Hoc erit totum ingenium diaboli, alterum ex altero excludere, dum utrumque in unum sub monarchiæ favore concludens, neutrum haberi facit. Ut et pater non sit, qui scilicet filium non habet; et filius non sit, qui æque patrem non habet. Dum enim pater est, filius non erit. Sic monarchiam tenent, qui nec patrem nec filium continent. Sed nihil Deo difficile. Quis hoc nesciat? et *impossibilia apud sæculum, possibilia apud Deum* (*Matth.* XIX, 26) quis ignoret? Et *stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam* (I *Cor.* I, 27) (1): legimus omnia. Ergo, inquiunt, difficile non fuit Deo, ipsum se et patrem et filium facere, adversus traditam formam rebus humanis, nam et sterilem parere, contra naturam, difficile Deo non fuit, sicut nec virginem. Plane nihil Deo difficile. Sed si tam (2) abrupte in præsumptionibus nostris hac sententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideo utique(3) credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit; sed an fecerit, requirendum. Potuit (4), ita salvus sim, Deus pennis hominem ad volandum instruxisse, quod et milvis præstitit; non tamen, quia potuit, statim et fecit. Potuit et Praxeam, et omnes pariter hæreticos statim extinxisse; non tamen, quia potuit, extinxit. Oportebat enim et milvos esse, et hæreticos: oportebat et Patrem crucifigi. Hac ratione erit aliquid et difficile Deo; id scilicet quocumque non fecerit, non quia non potuerit, sed quia noluerit. Dei enim posse, velle est; et non posse, nolle; quod autem voluit, et potuit, et ostendit. Ergo quia si voluit semetipsum sibi Filium facere, potuit; et quia si potuit, fecit: tunc probabis illum et potuisse et voluisse, si probaveris illum fecisse.

CAPUT XI.

Probare autem tam aperte debebis ex Scripturis, quam nos probamus illum sibi Filium fecisse Sermonem suum. Si enim Filium nominat, Filius autem non alius erit quam qui ex ipso prodiit; Sermo autem prodiit ex ipso, hic erit Filius, non ipse de quo prodiit. Non enim ipse prodiit ex semetipso. Porro, qui eumdem Patrem dicis et Filium, eumdem et protulisse ex semetipso facis, et prodisse quod Deus est. Si potuit fecisse, non tamen fecit. Aut exhibe probationem quam expostulo meæ similem; id est, sic Scripturas eumdem Filium et Patrem ostendere, quemadmodum apud nos distincte Pater et Filius demonstrantur; distincte, inquam, non diviso, sicut ego profero dictum a Deo: *Eructavit cor meum Sermonem optimum* (*Ps.* XLIV, 1). Sic tu contra opponas, alicubi dixisse Deum, *Eructavit cor meum sermonem optimum*, ut ipse sit qui et eructavit, et quod eructavit; et ipse qui protulerit, et qui prolatus sit, si ipse est et Sermo et Deus. Ecce ego propono Patrem Filio dixisse: *Filius meus es tu, ego hodie generavi te* (*Ps.* II, 7). Si velis ut credam ipsum esse Patrem et Filium, ostende sic pronuntiatum alibi, « Dominus dixit ad se, Filius meus sum ego, ego hodie generavi me », proinde et: « Ante luciferum generavi me (*Ps.* CIX, 3), et « Dominus condidit me initium viarum in opera mea; ante omnes autem colles generavi me (*Sap.* VIII, 22); » et si qua alia in hunc modum sunt. Quem autem verebatur Deus Dominus universitatis ita pronuntiare, si ita res erat; an verebatur ne non crederetur, si simpliciter se et Patrem et Filium pronuntiasset? Unum tamen veritus est, mentiri. Veritus autem semetipsum et suam veritatem. Et ideo veracem Deum credens, scio illum non aliter quam disposuit pronuntiasse, nec aliter disposuisse quam pronuntiavit. Tu porro eum mendacem efficias et fallacem et deceptorem fidei hujus, si cum ipse esset sibi Filius, alii dabat Filii personam, quando Scripturæ omnes et demonstrationem et distinctionem trinitatis ostendant. A quibus et præscriptio nostra deducitur, non posse unum atque eumdem videri qui loquitur, et de quo loquitur, et ad quem loquitur: quia neque perversitas, neque fallacia Deo congruat: ut cum ipse esset ad quem loquebatur, ad alium potius, et non ad semetipsum loquatur (5). Accipe igitur et alias voces Patris de

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sapientia *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Difficile sensi. Tam *Seml.*
(3) Ideoque *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Si voluisset *add. Rhen.*
(5) Loquebatur *Rhen. Seml. Oberth.* loqueretur *Jun.*

COMMENTARIUS.

quippe Deum Patrem Filium se fecisse, quod Dei μονάρχιαν appellabant, unde nomen sortiti sunt. Le Pr.

Filio per Isaiam (*Is.* XLII, 1) : *Ecce filius meus quem elegi ; dilectus meus in quem bene sensi. Ponam spiritum meum super ipsum, et judicium nationibus annuntiabit.* Accipe et ad ipsum (*Is.* XLIX, 16) : *Magnum tibi est ut voceris filius meus ad statuendas tribus Jacob, et ad convertendam dispersionem Israelis. Posui te in lucem nationum, ut sis salus in extremum terræ.* Accipe nunc et Filii voces de Patre (*Is.*, LXI, 1) : *Spiritus Domini super me, quapropter unxit me, ad evangelizandum hominibus.* Item ad Patrem in Psalmo, de eodem : *Ne dereliqueris me, donec annuntiem brachium tuum nativitati universæ venturæ* (*Ps.* LXXI, 8). Item in alio (*Ps.* III) : *Domine, quid multiplicati sunt qui co nprimunt me?* Sed et omnes pene Psalmi Christi personam sustinent ; Filium ad Patrem, id est, Christum ad Deum verba facientem repræsentant. Animadverte etiam Spiritum loquentem ex tertia persona de Patre et Filio : *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* (*Ps.* CX, 1). Item per Isaiam : *Hæc dicit Dominus Domino meo Christo* (XLV, 1). Item per eumdem ad Patrem de Filio : *Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Annuntiavimus de illo, sicut puerulus, sicut radix in terra sitienti, et non erat forma ejus, nec gloria* (*Is.* LIII, 1, 2). Hæc pauca de multis. Nec enim affectamus universas Scripturas evolvere, cum et in singulis capitulis plenam majestatem et auctoritatem contestantes, majorem congressum in retractatibus habeamus (1). His itaque paucis, tamen manifeste distinctio Trinitatis exponitur. Est enim ipse qui pronuntiat, Spiritus, et Pater ad quem pronuntiat, et Filius de quo pronuntiat. Sic et cætera quæ nunc ad Patrem de Filio, vel ad Filium, nunc ad Filium de Patre, vel ad Patrem, nunc ad Spiritum pronuntiantur ; unamquamque personam in sua proprietate constituunt.

CAPUT XII.

Si te adhuc numerus scandalizat Trinitatis, quasi non connexæ in unitate simplici, interrogo quomodo unicus et singularis pluraliter loquitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26); cum debuerit dixisse, *Faciam hominem ad imaginem et similitudinem meam :* utpote unicus et singularis? Sed et in sequentibus : *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis*, fallit aut ludit ; ut cum unus, et solus, et singularis esset, numerose loqueretur : aut numquid angelis loquebatur, ut Judæi interpretantur, quia nec ipsi Filium agnoscunt? An quia ipse erat Pater, Filius, Spiritus, ideo pluralem se præstans (2), pluraliter sibi loquebatur? Imo quia jam adhærebat illi Filius, secunda persona, A Sermo ipsius ; et tertia, Spiritus in Sermone, ideo pluraliter pronuntiavit, *faciamus*, et, *nostram*, et, *nobis*. Cum quibus enim faciebat hominem, et quibus faciebat similem? Cum Filio (3) quidem, qui erat induturus hominem ; Spiritu vero, qui erat sanctificaturus hominem, quasi cum ministris (4) et arbitris, ex unitate Trinitatis loquebatur. Denique, sequens Scriptura distinguit inter personas : *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum* (*Gen.* I, 27). Cur non, suam, si unus qui faciebat, et non erat ad cujus faciebat? Erat autem ad cujus imaginem faciebat : ad Filii scilicet, qui homo futurus certior et verior, imaginem suam fecerat dici hominem qui tunc de limo formari habebat, imago veri (5) et similitudo. Sed et in antecedentibus operibus mundi quomodo scriptum est? Primum quidem, B nondum Filio apparente, *Et dixit Deus: Fiat lux, et facta est* : ipse statim Sermo *lux vera, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum*, et per illum mundialis quoque lux. Exinde autem in Sermone Christo assistente et administrante Deus voluit (6) fieri, et Deus fecit. Et dixit Deus : *Fiat firmamentum, et fecit Deus firmamentum* (*Gen.* I, 7 - 16) ; *et dixit Deus : Fiant luminaria, et fecit Deus luminare majus et minus ;* sed et cætera utique idem fecit qui et priora, id est Sermo Dei, *per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil.* Qui ipse Deus est, secundum Joannem (I, 1), *Deus erat Sermo.* Habes duos, alium dicentem ut fiat, alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum ; personæ, non substantiæ nomine ; ad distinctionem, C non ad divisionem. Cæterum, etsi ubique tenco unam substantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus, eum qui jubet, et eum qui facit. Nam nec juberet, si ipse faceret, dum juberet fieri (7) per eum. Tamen jubebat, haud sibi jussurus si unus esset ; aut sine jussu facturus, quia non exspectasset ut sibi juberet.

CAPUT XIII.

Ergo, inquit, si Deus dixit, et Deus fecit; si alius deus dixit, et alius fecit, duo dii prædicantur. Si tam durus es, puta interim : et ut adhuc amplius hoc putes, accipe in Psalmo (XLIV, 7, 8) duos deos dictos : *Thronus tuus, Deus, in ævum, virga regni tui : dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus.* D Si ad Deum loquitur, et unctum Deum a Deo affirmat, scilicet hic duos deos proponit (8). Inde et Esaias (*Is.* XLV, 14) ad personam Christi : *Et sabain* (9), inquit, *viri elati ad te transibunt, et post te sequentur vincti manibus, et te adorabunt, quia in te Deus est. Tu enim es Deus noster, et nesciebamus, Deus Israelis.* Et hic enim dicendo, *Deus in te*, et, *tu Deus*, duos proponit : qui erat, et in quo erat; (10) Christum, et Spi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habemus *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Præferens *ii omn.*
(3) Similem? Filio *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Comministris *Jun.*
(5) Vero *Rhen. Pam. Seml. Oberth.*
(6) Voluerit *Rig. Venet.*
(7) Dum juberet enim, fieri *Lat. Rig.* dum juberet. Fieri per eum tamen jub. *Jun.*
(8) Sed hic duos deos pro virga regni tui *Seml. Pam.* affirmat et hic duos Deos *Lat.*
(9) Sabaim *Fran.* Seboim *Seml.*
(10) Qui erant in Chr. *Rhen. Seml. Oberth.*

ritum. (1) Ipsum plus est, quod in Evangelio totidem invenies ; *In principio erat Sermo, et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo* (*Joan.* I, 1). Unus qui erat, et alius penes quem erat. Sed et nomen Domini in duobus lego ; *Dixit Dominus Domino meo. Sede ad dexteram meam* (*Ps.* CIX, 1). Et Esaias hæc dicit: *Domine, quis credidit auditui nostro ? et brachium Domini cui revelatum est ?* (*Is.* LIII, 1.) *Brachium* enim *tuum* (2), non *Domini* dixisset, si non Dominum Patrem et Dominum Filium intelligi vellet. Etiam adhuc antiquior Genesis : *Et pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem de cœlo a Domino* (*Gen.* XIX, 24). Hæc aut nega scripta, aut quis es, ut non putes accipienda quemadmodum scripta sunt, maxime quæ non in allegoriis et parabolis, sed in definitionibus et (3) certis et simplicibus habent sensum ? Quod si ex illis es qui tunc Dominum non sustinebant Dei se Filium ostendentem, nec eum Dominum crederent, recordare tu cum illis scriptum esse : *Ego dixi, Vos dii estis, et filii Altissimi* (*Ps.* LXXXII, 6). Et : *Stetit Deus in ecclesia deorum ;* ut si homines, per fidem filios Dei factos, deos Scriptura pronuntiare non timuit, scias illam multo magis vero et unico Dei Filio Dei nomen jure contulisse. « Ergo, inquis, provocabo te, ut hodie quoque ex auctoritate istarum Scripturarum constanter duos deos et duos dominos prædices. » Absit. Nos enim qui et tempora et causas Scripturarum per Dei gratiam inspicimus, (*a*) maxime Paracleti, non hominum discipuli, duos quidem definimus, Patrem et Filium, et jam tres cum Spiritu sancto, secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum : ne, ut vestra perversitas infert, Pater ipse credatur natus et passus ; quod non licet credi, quoniam non ita traditum est. Duos tamen Deos et duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus : non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et Deus unusquisque ; sed quoniam retro et duo dii et duo domini prædicabantur ; ut, ubi venisset Christus, et Deus agnosceretur, et Dominus vocaretur, quia Filius Dei et Domini. Si enim una persona et Dei et Domini in Scripturis inveniretur, merito Christus non esset admissus ad nomen Dei et (4) Domini. Nemo enim alius præter unus Deus et unus Dominus prædicabatur, et futurum erat ut ipse Pater descendisse videretur, quia unus Deus et unus Dominus legebatur ; et tota œconomia ejus obumbraretur, quæ in materiam fidei prospecta atque dispensata est. At ubi venit Christus, et cognitus est a nobis, quod ipse sit (5) qui numerum retro fecerat, factus secundus a Patre, et cum Spiritu tertius, et jam Pater per ipsum plenius manifestatus, redactum est jam nomen Dei et Domini in unionem ; ut, (6) quia nationes a multitudine idolorum transirent ad unicum Deum, et (7) differentia constitueretur inter cultores unius, et plurimæ divinitatis. Nam et lucere in mundo Christianos oportebat ut filios lucis, lumen mundi unum et Deum et Dominum colentes, et nominantes. Cæterum, si ex conscientia qua scimus Dei nomen et Domini et Patri et Filio et Spiritui convenire, deos et dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque (8) pateret (9) occasio jurantibus statim per deos et dominos, ut quidam hæretici, (*b*) quorum dii plures. Itaque deos omnino non dicam, nec dominos ; sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem appellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus : *Ex quibus Christus, qui est,* inquit, *Deus super omnia benedictus in ævum omne* (*Rom.* I, 7). Nam et radium solis seorsum solem vocabo ; solem autem nominans cujus est radius, non statim et radium solem appellabo. Nam etsi soles duos non faciam, (10) tamen et solem et radium ejus tam duas res, et duas species unius indivisæ substantiæ numerabo, quam (11) Deum et Sermonem ejus, quam Patrem et Filium.

CAPUT XIV.

Adhuc et illa nobis regula adsistit duos vindicantibus Patrem et Filium, quæ (12) invisibilem Deum determinavit. Cum enim Moyses (*Exod.* XXXIII, 13, 29) (*c*) in Ægypto desiderasset Domini conspectum, dicens : *Si ergo inveni gratiam coram te, manifesta mihi te, ut cognoscenter videam te : Non potes videre,* inquit, *faciem meam ; non enim videbit homo faciem meam, et vivet ;* id est, morietur qui viderit. Invenimus enim et a multis Deum visum, et neminem tamen eorum, qui eum viderant, mortuum. Visum quidem Deum secundum hominum capacitatem, non secundum plenitudinem divinitatis : nam patriarchæ Deum vidisse referuntur, ut Abraham et Jacob, et prophetæ, ut Isaias, ut Ezechiel ; et tamen mortui non sunt.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritum s. Plus *Latin.* in Christo ex S. Plus *Jun.*
(2) Enim suum non dixisset, si *Seml.*
(3) Et *abest Seml.*
(4) Ad *add. Seml.*
(5) Sit *abest Seml.*
(6) Et *Seml.*
(7) Ut *Seml.*
(8) Quaque *Seml.*.
(9) Patet *Seml.*
(10) Duos faciam *Seml.*
(11) Qua *Seml.*
(12) Quem *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIII. — (a) *Maxime Paracleti, non hominum discipuli.* Sentit, ni fallor, de Paracleto novæ prophetiæ. Jactabant vero Montani sectatores, se non hominum discipulos, sed Paracleti. Ruen.

(b) *Quorum Dii plures.* Propter Æonum deorum immensam farraginem Valentinianos subindicat, qui Gnosticorum velut surculi, et rami ex corrupta radice. Le Pr.

(c) *Moyses in Ægypto desiderasset Domini conspectum.* At neque in Ægypto, sed in Sina Arabiæ monte Moyses ipse refert ejusmodi se colloquium cum Deo habuisse. Mirandum idcirco nobis videtur, quod ne ullus quidem interpres sive commentator hunc Tertulliani errorem, quantumvis obvium, ad nostra usque tempora observaverit. Edd.

Igitur aut mori debuerant, si eum viderant; *Deum* enim *nemo videbit, et vivet;* aut si Deum viderunt, et mortui non sunt, Scriptura mentitur, Deum dixisse, *Faciem meam homo si viderit, non vivet;* aut Scriptura mentitur, cum invisum, aut cum visum Deum profert. Jam ergo alius erit qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri, qui videbatur; et consequens erit, ut invisibilem Patrem intelligamus, pro plenitudine majestatis; visibilem vero Filium agnoscamus, pro modulo derivationis: sicut nec solem nobis contemplari licet, quantum ad ipsam substantiæ summam quæ est in cœlis; radium autem ejus toleramus oculis pro temperatura portionis quæ in terram inde porrigitur. Hic ex diverso volet aliquis etiam Filium invisibilem contendere, ut sermonem, ut spiritum; et dum unicam (1) conditionem Patris et Filii vindicat, unum potius atque eumdem confirmare Patrem et Filium. Sed diximus Scripturam differentiæ patrocinari, per visibilis et invisibilis distinctionem. Nam et illud adjiciunt ad argumentationem: Quod si Filius tunc ad Moysen loquebatur, ipse faciem suam nemini visibilem pronuntiaret, quia scilicet ipse invisibilis Pater fuerit in Filii nomine. Ac per hoc, sic eumdem volunt accipi visibilem et invisibilem, quomodo eumdem Patrem et Filium: quoniam et paulo supra, antequam faciem Moysi negasset, (2) scriptum sit, Dominum ad Moysen locutum coram, velut si quis loquatur ad amicum suum, non minus quam et Jacob: *Ego vidi*, inquit (*Gen.* XXXII, 30), *Dominum facie ad faciem.* Ergo visibilis et (3) invisibilis idem. Et quia idem utrumque, ideo et ipse, qua Pater, invisibilis; et qua Filius, (4) visibilis. Quasi non expositio Scripturæ quæ fit a nobis, Filio competat, Patre seposito in sua invisibilitate. (5) Dicimus enim et Filium suo nomine eatenus invisibilem, qua sermo et spiritus Dei ex substantiæ conditione jam nunc, et qua (6) Deus, et sermo, et spiritus: visibilem autem fuisse ante carnem eo modo quo dicit (*Num.* XII, 2.) ad Aaron et Mariam; *Et si fuerit Prophetes in vobis, in visione cognoscar illi, et in somnio loquar illi, non quomodo Moysi. Os ad os loquar illi in specie*, id est in veritate; *et non in ænigmate*, id est, non in imagine. Sicut et Apostolus: *Nunc videmus tanquam per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12). Igitur cum Moysi servat conspectum suum et colloquium facie ad faciem in futurum (nam hoc postea adimpletum est in montis secessu, sicut legimus in Evangelio (*Luc.* IX, 30.) visum cum illo Moysen colloquentem); A apparet retro semper in speculo, et ænigmate, et visione, et somnio Deum, id est, Filium Dei, visum tam Prophetis et Patriarchis, quam et ipsi adhuc Moysi. Et ipse quidem Dominus si forte coram ad faciem loquebatur, non tamen ut est, homo faciem ejus videret, nisi forte in speculo et in ænigmate. Denique, si sic Moysi locutus est Dominus, ut et Moyse faciem ejus cominus sciret, quomodo statim atque ibidem desiderat faciem ejus videre quam, quia viderat, non desideraret. Quomodo æque et Dominus negat videri faciem suam posse, quam ostenderat, si tamen ostenderat? Aut quæ est facies Dei, cujus conspectus negatur, si erat quæ visa est? *Vidi*, inquit Jacob, *Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII, 30). Alia debet esse facies, B quæ si videatur, occidit. Aut numquid Filius quidem videbatur, et sic facies, sed ipsum hoc in visione, et somnio, et speculo, et ænigmate, quia sermo, et spiritus, nisi imaginaria forma videri non potest. (*a*) Faciem autem suam dicit invisibilem Patri em. Quis enim Pater? non facies erit Filii, nomine auctoritatis, quam genitus a Patre consequitur? Non enim et de aliqua majore persona congruit dicere: facies mea est ille homo; et: faciem mihi præstat. *Pater*, inquit, *major me est* (*Joan.* XIV, 28). Ergo facies erit Filii Pater. Nam et Scriptura quid dicit? *Spiritus personæ ejus, Christus Dominus* (*Thren.* IV, 20). Ergo si Christus personæ paternæ spiritus est, merito cujus spiritus persona erat, id est Patris, eum faciem suam, ex unitate scilicet, pronuntiavit. Mirarer plane, an facies C Filii Pater accipi possit, qui est caput ejus: *Caput* enim *Christi Deus* (I *Cor.* II, 3).

CAPUT XV.

Si hunc articulum quæstionibus Scripturæ veteris non expediam, de Novo Testamento summam confirmationem nostræ interpretationis; ne quodcumque in Filium reputo, in Patrem proinde defendas. Ecce enim et in Evangeliis et in Apostolis visibilem et invisibilem Deum deprehendo, sub manifesta et personali distinctione conditionis utrinsque. Exclamat quodammodo Joannes; *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.*, I, 18). Utique nec retro. Ademit enim temporis quæstionem, dicendo Deum nunquam visum. Confirmat et Apostolus de Deo: *Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest* (I *Tim.* VI, 18); scilicet, quia morietur qui viderit (*b*). Iidem ipsi Apostoli et vidisse se Christum, et contrectasse testantur. Porro si ipse est Christus et Pater et Filius, quomodo visus est, et in-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Unam *Seml.*
(2) Et *inserit Seml.*
(3) Et *abest Fran. Paris.*
(4) Quia et filius *Seml.* pater visibilis *antehac Jun.*
(5) Visibilitatis *Seml.*
(6) Quia *Seml.* quæ Deus ut *Jun.* qua etiam *Rig.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIV.—(a) *Faciem autem suam*, etc. Istud adfert auctor tanquam argumentum Praxeanorum; nam et refutat verbis illis, *Quis enim pater?* etc. ostendens *filium* potius *faciem patris* dici debere, idque ex Scrip., Thren. IV. PAM.

CAP. XV. — (b) *Iidem ipsi Apostoli*, etc. Apostolis plurali numero adtribuit, quod solus Joannes scribit, Epist. I, c. 1, et mox citatur; ea de caussa, quantum apparet, quod pluraliter ille dixerit: *Quod vidimus, quod audivimus, oculis nostris vidimus, et manus nostræ contrectaverunt, de Sermone vitæ.* Ubi et rursum paulo post verborum ordinem immutat, cum legatur hodie et græce et latine: *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod prospeximus, et manus nostræ contrectaverunt.* PAM.

visus? Ad hanc diversitatem visi et invisi in unum conferendam, quis ex diverso non argumentabitur, recte utrumque dictum : visibilem quidem in carne, invisibilem vero ante carnem; ut idem sit Pater invisibilis ante carnem, qui et Filius visibilis in carne? Atquin, si idem ante carnem invisibilis, quomodo visus etiam retro invenitur ante carnem? Æque si idem post quem et retro visum in ænigmate, plenius visibilem caro effecit; sermo scilicet, qui et caro factus, est alius, quem nunquam quisquam vidit, nisi Pater, scilicet cujus est sermo. Denique, inspiciamus quem Apostoli viderint. *Quod vidimus*, inquit Joannes (I *Joan.* I, 1), *quod audivimus, oculis nostris vidimus, et manus nostræ contrectaverunt de Sermone vitæ.* Sermo enim vitæ factus, et auditus, et contrectatus, quia caro, qui ante carnem Sermo tantum in primordio apud Deum Patrem, non Pater apud Sermonem. Nam etsi Deus Sermo, sed apud Deum, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem. *Et vidimus gloriam ejus, tanquam unigeniti a Patre* (*Joan.* I, 14); utique Filii, scilicet visibilis, glorificati a Patre invisibili. Et ideo quoniam (1) Sermonem Dei Deum dixerat, ne (2) adjuvaret adversariorum præsumptionem, quasi Patrem ipsum vidisset, ad distinguendum inter invisibilem Patrem, et Filium visibilem, superdicit ex abundanti, *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.*, I, 18). Quem Deum? Sermonem? Atquin, *Vidimus, et audivimus, et contrectavimus*, de Sermone vitæ prædictum est. Sed quem Deum? Scilicet Patrem, apud quem Deum (3) erat Sermo, *unigenitus* scilicet (4) *Filius, qui in sinum* (5) *Patris ipse disseruit.* Ipse et auditus, et visus, et ne phantasma crederetur, etiam contrectatus. Hunc et Paulus conspexit, nec tamen Patrem vidit. *Nonne*, inquit, *vidi Jesum* (I *Cor.* IX, 1)? Christum autem et ipse Deum (6) cognominavit : *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super* (7) *omnia Deus benedictus in ævum* (*Rom.* IX, 5). Ostendit et ipse (8) visibilem Dei Filium, id est Sermonem Dei, *quia caro factus est*, Christus dictus est. De Patre autem ad Timotheum : *Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest* (I *Tim.*, VI, 16). Exaggerans amplius (*ibid.*) : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem.* De quo et supra dixerat (a) : *Regi autem sæculorum, immortali, invisibili, soli Deo* : ut et contraria ipsi Filio adscriberemus, mortalitatem (9), accessibilitatem; quem *mortuum* contestatur *secundum Scripturas* (I *Cor.* XV, 3); et a se novissime visum, per accessibilem utique lucem : quanquam et illam neque (10) ipse sine periculo luminis expertus est, (*b*) neque Petrus et Joannes et Jacobus sine rationis (11) et amentia; qui si non passuri Filii gloriam, sed Patrem vidissent, credo, morituri ibidem. *Deum* enim *nemo videbit, et vivet.* Si hæc ita sunt, constat eum semper visum ab initio, qui visus fuerit in fine; et eum nec in fine visum, qui nec ab initio fuit visus; et ita duos esse, visum et invisum. Filius ergo visus est semper, et Filius conversatus est semper, et Filius operatus est semper, ex auctoritate Patris et voluntate; quia *Filius nihil a semetipso potest facere, nisi viderit Patrem facientem*; in sensu scilicet facientem (12). Pater enim sensu (13) agit. Filius vero quod (14) in Patris sensu est videns perficit. Sic *omnia per Filium facta sunt, et sine illo factum est nihil.*

CAPUT XVI.

Nec putes sola opera mundi per Filium facta, sed et quæ a Deo exinde gesta sunt. *Pater* enim qui *diligit Filium, et omnia tradidit in manu* (15) *ejus*; utique a primordio diligit, et a primordio tradidit. Ex quo, *a primordio Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo* (*Joan.*, I, 1), cui *data est omnis potestas a Patre in cœlis et in terra* (*Matth.*, XXVIII, 8). *Non judicat Pater quemquam; sed omne judicium tradidit Filio* (*Joan.*, V, 22); a primordio tamen. Omnem enim dicens potestatem, et omne judicium, et omnia per eum facta, et omnia tradita in manu ejus, nullam exceptionem temporis permittit : quia omnia non erunt, si non omnis temporis fuerint. Filius itaque est qui (16) ab initio judicavit, turrim superbissimam elidens, linguasque dispertiens (17), orbem totum aquarum violentia puniens, pluens super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphurem (18); *Dominus* (19) *a Domino* (*Gen.*, XIX, 24). Ipse enim et ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usque ad Patriarchas et Prophetas, in visione, in somnio (20), in

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quomodo *Seml.*
(2) Ut *Seml.*
(3) Deus *Seml.*
(4) Scilicet *abest Seml.*
(5) Est in sinu *Seml.*
(6) Ipsum Dominum *Seml.*
(7) Per *Seml.*
(8) Ipse *abest Seml.*
(9) Et *inser. Jun.*
(10) Et *add. Seml.*
(11) Rationes *Seml.* irratione *Fran.* erratione *Rhen.* et *Jun.* rationis ex amentia *Wouw.*
(12) Sentientem *Seml.*
(13) In sensu *Jun.*
(14) Qui *Venet. Rhen.*
(15) Sinu *Rhen.*
(16) Et *add. Seml.*
(17) Disperdens *Seml.*
(18) Sulphur *Jun.*
(19) Deus a Deo *Seml.*
(20) Somno *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Regi autem sæculorum immortali, invisibili*, etc. Hic annotatu dignum, quod non modo BB. Ambr. Hieron. et Augusti. hunc locum Apost. I *Tim.* I, citantes, sed et hic Auctor, non aliud legant quam *soli Deo*, ex quo colligitur, quod quidam ex græcis hodiernis exemplaribus interponunt *sapienti*, adjectum esse ex calce Epist. ad Rom. Quare etiam in illo nimis libera Clarii castigatio. PAM.

(b) *Neque Petrus et Joannes et Jacobus sine rationis et amentia.* Hoc est, neque sine periculo rationis, neque sine amentia. Periculum rationis dicit, ut supra *Periculum luminis*, hoc est, damnum. Liber Ursini. *sine rationis examentia*; Pithœi, *sine ratione et amentia.* RIG.

speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper, quem erat persecuturus in finem (1). Ita semper ediscebat (*a*), et Deus in terris cum hominibus conversari non alius potuit (2) quam Sermo, qui caro erat futurus. Ediscebat autem, ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus Filium Dei descendisse in sæculum, si (3) et retro tale quid gestum cognosceremus. Propter nos enim sicut scripta sunt, ita et gesta sunt, in quos ævorum fines decucurrerunt. Sic etiam affectus humanos sciebat jam tunc, suscepturus etiam ipsas substantias hominis, carnem et animam; interrogans Adam quasi nesciens, *Ubi es Adam? pœnitens quod hominem fecisset*, quasi non præsciens; *tentans* Abraham, quasi ignorans quid sit in homine; offensus, reconciliatus eisdem. Et si qua hæretici apprehendunt quasi Deo indigna, ad destructionem Creatoris, ignorantes hæc in Filium competisse, qui etiam passiones humanas, et sitim, et esuriem, et lacrymas, et ipsam nativitatem, ipsamque mortem erat subiturus: *Propter hoc minoratus a Patre modicum quid* (4) *citra angelos* (*Ps.* VIII, 6). Sed hæretici quidem nec Filio Dei deputabunt convenire, quæ tu ipsi (5) Patri inducis, quasi ipse se denominaverit propter nos; cum Scriptura alium dicat ab alio minoratum, non ipsum a semetipso. Quid si et alius qui *coronabatur gloria et honore* (6), alius qui coronabat, utique Filium Pater? Cæterum, quale est, ut Deus omnipotens ille invisibilis, *quem nemo vidit hominum, nec videre potest*: ille qui *inaccessibilem lucem habitat*: ille qui *non habitat in manufactis; a* cujus *conspectu terra contremiscit, montes liquescunt ut cera*; qui *totum orbem manu apprehendit velut nidum*; cui *cœlum thronus, et terra scabellum*; in quo omnis locus, non ipse in loco; qui universitatis extrema linea est; ille Altissimus, in paradiso ad vesperam deambulaverit, quærens Adam; et arcam post introitum Noe clauserit; et apud Abraham sub quercu refrigeraverit; et Moysen de rubo ardenti vocarit; et in fornace Babylonii regis quartus apparuerit (quanquam Filius hominis est dictus), ni hæc in imagine (7), et speculo, et ænimate fuissent? Scilicet et hæc nec de Filio Dei credenda fuisse (8), si scripta non essent; fortasse non credenda de Patre, licet scripta, quem isti in vulvam Mariæ deducunt, et in Pilati tribunal imponunt, et in monumento (9) Joseph concludunt. Hinc igitur apparet error illorum. Ignorantes enim, a primordio omnem ordinem divinæ dispositionis per Filium decucurrisse, ipsum credunt Patrem et visum, et congressum, et operatum, et sitim et esuriem passum, adversus Prophetam dicentem: *Deus æternus non sitiet, nec esuriet omnino* (quanto magis nec morietur, nec sepelietur!); et ita unum Deum semper egisse, id est Patrem, quæ per Filium gesta sunt.

CAPUT XVII.

Facilius existimaverunt Patrem in Filii nomine egisse, quam Filium in Patris; dicente ipso Domino: *Ego veni in Patris mei nomine* (*Joan.* V, 43). Item ad ipsum Patrem: *Nomen tuum manifestavi hominibus* (*Joan.* XVII, 6). (*b*) Condicente etiam Scriptura: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matt.* XXI, 6), utique Filius in Patris nomine. Sed et nomina (10) Patris, Deus omnipotens, Altissimus (11), Dominus virtutum, Rex Israelis, Qui est. Quatenus ita scripturæ docent, hæc dicimus et in Filium competisse, et in his Filium venisse, et in his semper egisse, et sic ea in se hominibus manifestasse. *Omnia*, inquit, *Patris mea sunt.* Cur non et nomina? Cum (12) ergo legis Deum omnipotentem, et Altissimum, et Deum virtutum, et Regem Israelis, et (*c*) Qui est; vide ne per hæc Filius etiam demonstretur, suo jure Deus omnipotens (13), qua Sermo Dei omnipotentis, quaque omnium accepit potestatem; Altissimus, qua *dextera Dei exaltatus*, sicut Petrus in Actis (II, 22) concionatur; Dominus virtutum, quia omnia subjecta sunt illi a patre; Rex Israelis, quia ille proprie excidit (14) sors gentis istius; item, Qui est, quoniam multi filii (15) dicuntur, et non sunt. Si autem volunt et Christi nomen Patris esse, audient (16) suo loco. Interim, hic mihi promotum sit responsum adversus id quod et de Apocalypsi Joannis proferunt: *Ego* (17) *Dominus qui est* (18), *et qui fuit, et venit omnipotens*; et sicubi alibi Dei omnipotentis appellationem non putant etiam Filio convenire: quasi qui venturus est, non sit (19)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quæ erat persecuturus infinita *Seml.*
(2) Potuit *abest Seml.*
(3) Si *abest Seml.*
(4) Quid *abest Seml.*
(5) Ipse *Seml.*
(6) Gloriam et honorem *Seml.*
(7) Dictus, et in imagine *Seml.*
(8) Fuissent *Jun.*
(9) Monumentis *Seml.*
(10) Nomini: et nomen patris *Seml.*
(11) Altissimus *abest Seml.*
(12) Cur *Fran. Paris.*
(13) Omnipotens *abest Seml.*
(14) Accidit *Jun.* propria exivit *Latin.*
(15) Dii *conjic. Ciuccon.*
(16) Audiunt *Seml.*
(17) Ergo *Seml.*
(18) Et qui erat *add. Seml.* et qui erat et qui venit *Jun.*
(19) Est, non *abest Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI.—(a) *Ita semper ediscebat.* Sic in libro *de Carne Christi*: « Et liberare, inquit, et judicare humanum genus ediscebat in carnis habitu non natæ adhuc. » Rursum. *de Resurr. car.* « Immunitatem carnis ediscunt. » Et hic mox: « Ediscebat autem. » In libello *ad Martyres*: « Etiam in pace, inquit, labore et incommodis bellum pati jam ediscunt. » RHEN.

CAP. XVII.—(b) *Condicente etiam scriptura.* Condicere nove usurpat pro similiter dicere, sive assentiri. RHEN.

(c) *Qui est.* ὁ ὢν εἰμὶ, dicit Dominus Deus; et alio loco: *Qui est me misit*, etc.; ad cujus vocis interpretationem subjicitur statim, qui *est*, *quoniam multi filii dicuntur, et non sunt.* Quæ explicatio an vera sit non ausim dicere. Ibi enim significari quis crederet nomen tetragrammaton Jehova, in quo tot mysteria latent ut tradunt rabbini et Cabalistæ. LE PA.

omnipotens, cum et Filius omnipotentis tam omnipotens sit (1), quam Deus Dei Filius.

CAPUT XVIII.

Sed hanc societatem nominum paternorum in Filio ne facile perspiciant, perturbat illos Scriptura, si quando unicum Deum statuit; quasi non eadem et deos et dominos duos proposuerit, ut supra ostendimus. Ergo quia duos et cum, inquiunt, invenimus, ideo ambo unus atque idem, et Filius et Pater. Porro, non periclitatur Scriptura, ut illi de tua argumentatione succurras, ne sibi contraria videatur. Habet rationem, et cum unicum Deum statuit, et cum duos Patrem et Filium ostendit; et sufficit sibi. Filium nominari ab ea constat. Salvo enim Filio recte unicum Deum potest determinasse, cujus est Filius. Non enim desinit esse qui habet Filium ipse unicus, suo scilicet nomine, quotiens sine Filio nominatur; sine Filio autem nominatur, cum principaliter determinatur ut prima persona, quæ ante Filii nomen erat proponenda; quia Pater ante cognoscitur, et post Patrem Filius nominatur. Igitur unus Deus Pater, et alius absque eo (2) non est. Quod ipse inferens (3), non Filium negat, sed alium Deum : cæterum alius a Patre Filius non est (4). Denique, inspice sequentia hujusmodi pronuntiationum, et invenies fere ad idolorum factitatores atque cultores definitionem earum pertinere; ut multitudinem falsorum deorum unio divinitatis expellat, habens tamen Filium quanto individuum et inseparatum a Patre, tanto in Patre reputandum, etsi non nominatum. Atquin si nominasset illum, separasset, ita dicens, « Alius præter me non est, nisi Filius meus. » Alium enim etiam Filium fecisset, quem de aliis excepisset. Puta solem dicere : « Ego sol, et alius præter me non est, nisi radius meus, » nonne denotasses (5) vanitatem (6), quasi non et radius in sole deputetur? Itaque præter (7) semetipsum non esse alium Deum, hoc propter idololatriam tam nationum quam Israelis, etiam propter hæreticos, qui, sicut nationes manibus, ita et ipsi verbis idola fabricantur, id est, alium Deum, et alium Christum. Igitur et cum se unum pronuntiabat, Filio Pater procurabat, ne ab alio Deo Christus venisse credatur, sed ab illo qui prædixerat : *Ego Deus, et alius absque me non est;* qui se unicum, sed cum Filio ostendit, cum quo cœlum solus extendit.

CAPUT XIX.

Quin (8) et hoc dictum ejus, in argumentum singularitatis arripient : *Extendi*, inquit, *cœlum solus*. Quantum ad cæteras virtutes, solus, præstruens adversus conjecturas hæreticorum, qui mundum ab angelis (*a*) et potestatibus diversis volunt structum; qui et ipsum Creatorem aut angelum faciunt, aut ad alia (9) quæ extrinsecus, ut opera mundi, ignorantem quoque subornatum. Aut si sic solus cœlum extendit, quomodo isti præsumunt in perversum hæretici, quasi singularis non admittatur Sophia illa dicens : *Cum pararet cœlos* (10) *ego aderam illi simul* (11). Et si dixit Apostolus : *Quis cognovit sensum Domini, et quis illi consilio fuit* (I *Cor.* II, 15)? (*b*) utique præter Sophiam ait (12), quæ illi aderat. In ipso tamen et cum illo universa compingebat, non ignorante quid faceret. Præter Sophiam autem, præter Filium dicit, qui est Christus, Sophia et Virtus Dei secundum Apostolum, solus sciens sensum patris : *Quis* enim *scit quæ sunt in Deo nisi spiritus qui in ipso est?* Non qui extra ipsum (13). Erat ergo qui non solum Deum faceret, nisi a cæteris solum. Sed et (14) Evangelium recusetur, quod dicat *omnia per Sermonem a Deo facta esse, et sine eo nihil factum.* Nisi enim fallor, et alibi scriptum est : *Sermone ejus cœli firmati sunt, et spiritu oris* (15) *ejus omnes virtutes eorum.* Et Sermo autem, Virtus et Sophia, ipse erit Dei Filius. Ita si per Filium omnia, cœlum quoque per Filium extendens, non solus extendit, nisi illa ratione qua a (16) cæteris solus. Atque adeo statim de Filio loquitur : *Quis alius dejecit signa ventriloquorum, et divinationes a corde, avertens sapientes retrorsum, et consilium eorum infatuans?* Sistens verba Filii sui, discendo scilicet : *Hic est Filius meus dilectus; hunc audite.* Ita Filium subjungens ipse interpretator est, quomodo cœlum solus extenderit, scilicet cum Filio solus, sicut cum Filio unum. Proinde et filii erit vox, *Extendi cœlum solus;* quia *Sermone cœli confirmati sunt.* Quia Sophia, id est (17), Sermone assistente, paratum est cœlum, et *omnia per Sermonem sunt facta*, competit et Filium (18) solum extendisse cœlum, quia solus operationi Patris ministravit. Idem erit dicens : *Ego primus, et insuper ventura* (19) *ego sum.* Primum scilicet omnium, Sermo : *In principio erat Sermo;* in quo principio prolatus a Patre est. Cæterum Pater non habens initium, ut a nullo prolatus, ut innatus, non potest videri. Qui solus fuit semper, ordinem habere non potuit. Igitur si propterea eumdem et Patrem et Filium credendum putaverunt, ut unum Deum vindicent, salva (20)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dei filius *add. Seml.*
(2) Absque eo alius *Seml.*
(3) Inserens *Seml.*
(4) Deus *add. Jun.*
(5) Denotasset *Seml.*
(6) Unitatem *alii.*
(7) Per *Seml.*
(8) Qui *Seml.*
(9) Adilla *Jun.*
(10) Cœlum *Seml.*
(11) Simul *abest Seml.*
(12) Fuit *Seml.*
(13) Ipsum erat. Ergo *Seml.*
(14) Et *abest Seml.*
(15) Oris *abest Seml.*
(16) A *abest Seml.*
(17) Sophia in sermone *Seml.*
(18) Filio *Wouw.*
(19) In superventura *Seml.* In *abest Fran.*
(20) Salvus *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIX. — (a) *Qui mundum ab angelis*, etc. Notat Valentinianos et similes alios, et Procli sectatores ac Seleucianos. RHEN.

(b) *Utique præter Sophiam.* Sensus est : cum Paulus dicit, « *quis illi consilio fuit?* » intelligit : quis præter Sophiam consilio fuit, quæ Sophia illi aderat? RHEN.

est unio ejus, qui cum sit unus, habet (1) et Filium, æque et ipsum eisdem Scripturis comprehensum. Si Filium nolunt secundum a Patre reputari, ne secundus duos faciat deos dici, ostendimus etiam duos deos in Scriptura relatos, et duos dominos; et tamen ne de isto scandalizentur (2), rationem reddidimus, qua Dei non duo dicantur, nec Domini (3), sed qua Pater et Filius duo; et hoc non ex separatione substantiæ, sed ex dispositione, cum individuum et inseparatum Filium a Patre pronuntiamus; nec statu, sed gradu alium; qui etsi Deus dicatur, quando nominatur singularis, non ideo duos deos faciat, sed unum, hoc ipso quod et Deus ex unitate Patris vocari habeat.

CAPUT XX.

Sed argumentationibus eorum adhuc retundendis opera præbenda est, si quid de Scripturis ad sententiam suam excerpent, cætera nolentes intueri, quæ et ipsa regulam servant, et quidem salva unione divinitatis, et monarchiæ sonitu. Nam sicut in veteribus nihil aliud tenent quam, *Ego Deus, et alius præter me non est* (*Ps.* XLV, 5); ita in Evangelio, responsionem Domini ad Philippum tuentur, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* XIV); et, *Qui me viderit, videt* (4) *et Patrem*; et, *Ego in Patre, et Pater in me.* Iis tribus capitulis totum instrumentum utriusque Testamenti volunt cedere (5), cum oporteat secundum plura intelligi pauciora, sed proprium hoc est omnium hæreticorum. Nam quia pauca sunt quæ in sylva inveniri (6) possunt, pauca adversus plura defendunt, et posteriora adversus priora suscipiunt. Regula autem omni rei semper (7) ab initio constituta ex prioribus et ex pluribus in posteriora præscribit, utique et in pauciora (8).

CAPUT XXI.

Adspice itaque (*a*) quanta præscribat (9) tibi etiam in Evangelio, ante Philippi consultationem, et ante omnem argumentationem tuam. Et in primis, ipsa statim præfatio Joannis Evangelizatoris demonstrat, quod retro fuerit, qui caro fieri habebat : *In principio erat Sermo* (*Joan.* I, 1), *et Sermo erat apud Deum, et Deus erat sermo. Hic erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Nam si hæc non aliter accipi licet, quam quomodo scripta sunt, indubitanter alius ostenditur, qui fuerit a principio, alius apud quem fuit : alium Sermonem esse, alium Deum (10) (licet et Deus Sermo, sed qua Dei Filius, non qua Pater); alium per quem omnia, alium a quo omnia. Alium autem quomodo dicamus, sæpe jam edidimus; quo alium dicamus necesse est, ne eumdem; alium autem, non quasi separatum, sed dispositione (11) alium, non divisione. Hic ergo *factus est caro*, non ipse cujus erat Sermo. Hujus *gloria visa est* (*b*) tanquam unici a Patre, non tanquam Patris. Hic unus (12) sinum Patris disseruit, non sinum suum Pater. Præcedit enim : *Deum nemo vidit unquam.* Idem et (13) agnus Dei ab Joanne designatur, non ipse cujus est dilectus. Certe Filius Dei semper, sed non ipse cujus est Filius. Hoc eum Nathanael statim sensit, sicut et alibi Petrus : *Tu es Filius Dei.* (*Joan.* I, 50; *Matt.* XVI, 16). Hoc et ipse recte sensisse illos confirmat, Nathanaeli (14) quidem respondens : *Quia dixi* (15), *Vidi te sub ficu, ideo credis* (*Joan.* II, 50); Petrum vero *beatum* affirmans, *cui non caro, neque sanguis revelasset* (quod et Patrem senserat), *sed Pater qui in cœlis est* (*Matt.* XVI, 17). Quo dicto utriusque personæ constituit distinctionem, et Filii in terris, quem Petrus agnoverat Dei Filium, et Patris qui (16) in cœlis, qui Petro revelaverat quod Petrus agnoverat Dei Filium Christum. Cum in templum (17) introiit, *ædem Patris* appellat, ut Filius. Cum ad Nicodemum dicit : *Ita dilexit Deus mundum, ut Filium suum unicum dederit, in quem omnis qui crediderit, non pereat, sed habeat vitam sempiternam* (*Joan.* III, 16). Et rursus (*Ibid.* 17) : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvus sit mundus per eum. Qui crediderit in illum, non judicatur; qui non crediderit in illum, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unici Filii Dei.* (18) Joannes autem cum interrogaretur quidde (*c*) Jesu contingeret : *Pater*, inquit, *diligit* (19) *Filium, et omnia tradidit in manu ejus. Qui credit* (20) *in Filium, habet vitam æternam; qui non credit in Filium* (21) *Dei, non videbit Deum, sed ira Dei manebit super eum* (*Joan.* III, 35, 36). Quem vero Samaritidi ostendit? Si Messiam qui dicitur Christus, Filium uti-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habeat *Seml.*
(2) Scandalizarentur *alii.*
(3) In qua Domini *cod. Wouw.*
(4) Vidit *Fran., Paris., Rig.*
(5) Credere *Seml.*
(6) Invenire *Jun.*
(7) Semper *abest Seml.*
(8) In prioribus, et in posteriora præscribit utique et in paucioribus *Rhen.*
(9) Præscribant *Seml.*
(10) Dei, alium Dominum *Seml.*
(11) Necesse est non eumdem autem, non quasi separatum, dispositione *Seml.* Necesse est non eumdem, non autem quasi *Jun.*
(12) Unius *Seml.*
(13) Inde etsi *Seml.*
(14) Nathanael *Rhen.*
(15) Dixit *Rhen.*
(16) Qui *omitt. Jun.*
(17) Templo *Seml.*
(18) De *omitt. Ciaccon.*
(19) Dilexit *Seml.*
(20) Credidit *Seml.*
(21) Credidit in filio *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXI.—(a) *Quanta præscribant tibi.* Quanta pro quam multa, ut ante in superioribus plus semel.

(b) *Tanquam unici a patre*, μονογενοῦς ἀπὸ πατρός. Per vocem unici quippe reddidit quod habetur. Joan. I.

(c) *Joannes autem cum interrogaretur.* Joannem Baptistam intelligit, cujus sunt verba etiam Joan. 3, quæ sequuntur, *Pater diligit Filium, etc.*; sic enim castigavimus, pro, *dilexit.* PAM.

LE PR.

que se, non Patrem demonstravit, qui et alibi Christus Dei Filius, non Pater dictus est. Exinde discipulis : *Meum est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui me misit, ut consummem opus ejus.* Et ad Judæos, de paralytici sanitate : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17). *Pater et ego*, Filius dicit. Denique, *propter hoc magis Judæi illum interficere volebant, non tantum* (1) *quod solveret sabbatum, sed quod patrem suum Deum diceret, æquans se Deo.* Tunc ergo dicebat ad eos : *Nihil Filius facere potest a semetipso, nisi viderit* (2) *Patrem facientem* (*Joan.* V, 19). *Quæ enim ille facit, eadem et Filius facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstravit illi quæ ille fecit, et majora istis* (3) *opera demonstravit illi, ut vos miremini. Quomodo enim suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat* (4). *Neque enim Pater judicat, sed omne judicium dedit Filio, uti omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui Filium misit. Amen, amen dico vobis, quod qui audit* (5) *sermones meos* (6), *et credit ei qui me misit, habet vitam æternam ; et in judicium non venit* (7), *sed transit* (8) *de morte in vitam. Amen dico vobis, quod veniet hora, qua mortui audient vocem Filii Dei ; et cum audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam æternam* (9) *a semetipso, ita et Filio dedit vitam æternam habere in semetipso, et* (a) *judicium dedit illi facere in potestate, qua filius hominis est ;* per carnem scilicet, sicut et Filius Dei per spiritum ejus. Adhuc adjicit : *Ego autem habeo majus quam Joannis testimonium* (*Joan.* V, 36 37). *Opera enim quæ Pater mihi dedit consummare, illa ipsa de me testimonium perhibent, quod me Pater miserit. Et qui me misit Pater, ipse testimonium dixit de me.* Subjungens autem : *Neque vocem ejus audistis unquam, neque formam ejus vidistis ;* confirmat retro non Patrem, sed Filium fuisse, qui videbatur et audiebatur. Denique dicit : *Ego veni in Patris mei nomine, et non me recepistis* (*Joan.* V, 45). Adeo semper Filius erat in Dei et Regis et Domini, et (10) Omnipotentis, et Altissimi nomine. Interrogantibus autem quid facere debeant, respondit : *Ut credatis in eum quem Deus misit* (*Joan.* VI, 29). Panem quoque se affirmat, quem Pater præstaret de cœlo (*Joan.* VI, 32). Ergo *omne quod ei daret Pater ad se venire, nec rejecturum se, quia de cœlo descendisset, non ut suam, sed ut Patris faceret voluntatem : voluntatem autem Patris esse, uti qui viderit Filium, et crediderit in eum, vitam et resurrectionem consequatur* (*Joan.* VI, 35) *: neminem porro ad se venire posse, nisi quem Pater adducat* (*b*) *: omnem qui a Patre audisset et didicisset, venire ad se* (*Joan.* VI, 14). *Non quasi Patrem aliquis viderit*, adjiciens et hic, ut ostenderet Patris esse Sermonem per quem docti fiant. At cum discedunt ab eo multi (*Joan.* VI, 66), et Apostolis suis offert, si velint discedere et ipsi, quid respondit Simon Petrus? *Quo discedimus* (11) ? *verba vitæ habes, et nos credimus quod tu sis Christus.* Patrem illum esse, an Patris Christum?

CAPUT XXII.

Cujus autem doctrinam dicit ad quam mirabantur? suam, an Patris? Æque ambigentibus inter se, ne ipse esset Christus, utique non Pater, sed Filius : *Neque* (12) *me scitis*, inquit (*Joan.* VII, 28), *unde sim, et non veni a meipso ; sed est verus qui me misit, quem vos non nostis. Ego novi illum, qui ab illo sum* (13), *et ille me misit* : Non dixit, *quia ipse sum, et ipse me misi ;* sed : *ille misit.* Item, cum misissent ad invadendum eum Pharisæi : *Modicum adhuc temporis*, ait, *vobiscum sum ; et vado ad eum qui me misit.* At ubi se negat esse solum? *Sed ego*, inquit, *et qui me misit* Pater ; nonne duos demonstrat, tam duos quam inseparatos? imo totum erat hoc quod docebat, inseparatos duos esse. Siquidem et legem proponens duorum hominum testimonium confirmantem, subjungit : *Ego testimonium dico de me, et testimonium dicit de me, qui me misit Pater.* Quod si unus esset, dum idem est et Filius et Pater, non uteretur legis patrocinio fidem imponentis, non unius testimonio, sed duorum. Item, interrogatus ubi esset Pater, *neque se, neque Patrem notum esse illis* respondens, duos dixit ignotos ; quod *si ipsum nossent, Patrem nossent*, non quidem quasi ipse esset Pater et Filius, sed quia per individuitatem neque agnosci, neque ignorari alter sine altero potest. *Qui me*, ait, *misit, verax est ; et ego quæ ab eo audivi, ea et loquor in mundum.* Interpretante extrinsecus Scriptura, non cognovisse illos quod de Patre dixisset, cum scilicet cognoscere debuissent sermones Patris in Filio esse, legendo apud Hieremiam (*Jerem.* I, 9) : *Et dixit mihi Dominus*, « *Ecce dedi sermones meos in os tuum ;* » Et apud Isaiam (*Is.* I, 4) *: Dominus dat mihi linguam disciplinæ ad cognoscendum quando oporteat dicere sermonem.* Sicut ipse rursus : *Tunc*, inquit (*Joan.* VIII, 28), *cognoscetis quod ego sim, et a memetipso nihil loquar : sed sicut me docuit, ita et loquor ; quia et qui me misit, mecum est.* Et hoc ad testimonium individuorum duorum. Item, in altercatione Judæorum, exprobrans quod occidere eum vellent : *Ego*,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tamen *Seml.*
(2) Videat *Sem.*
(3) Ista *Seml.*
(4) Vivificabit *alii.*
(5) Quod et qui audierit *Latin.*
(6) Meos *abest Seml.*
(7) Veniet *Seml.*
(8) Transiit *al.* Transiit, *al.* venit *cod. Wouw.*
(9) Æternam *abest Rhen.*
(10) Et *abest Seml.* et domini *abest cod. Wouw.*
(11) Discedemus *Fran.*
(12) Atque *Jun.*
(13) Quia apud illum sum *Seml.* Quia ab illo sum *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Judicium dedit illi facere in potestate qua Filius hominis est.* Fere omnes codices et interpretes proponunt *quia*, quod intellectu facilius est. Nam S. Chrysostomus illam non adhibuit distinctionem ; eo quod ea uteretur Paulus Samosatenus. Le Pr.

(b) *Nisi quem Pater adducat.* Septem hisce capitibus a vigesimo Monarchianos impetit, probatque e Scriptura Filium alium esse a Patre, ideoque Patrem non se filium fecisse. Le Pr.

inquit, *quæ vidi penes Patrem meum, loquor; et vos quod vidistis penes patrem vestrum, id facitis : et nunc vultis occidere hominem veritatem vobis locutum, quam audivit a Deo;* et : *Si Deus esset pater vester, diligeretis me. Ego enim ex Deo exivi et veni* (et tamen non separantur (1), licet exiisse dixerit, ut quidam arripiunt hujus dicti occasionem ; exivit autem a Patre, ut radius ex sole, ut rivus ex fonte, ut frutex ex semine). *Ego dæmonium non habeo, sed honoro Patrem meum ;* et : *Si ego me ipse glorificem, nihil est gloria mea. Est qui me glorificet Pater, quem vos dicitis Deum esse vestrum, nec nostis illum, at ego novi eum. Et si dicam, « Non novi, » ero similis vestri mendax ; sed novi illum, et sermonem ejus servo.* Ac cum subjungit : *Abraham diem meum vidit, et lætatus est ;* nempe demonstrat Filium Abrahæ retro visum, non Patrem. Item, super cæcum illum *Patris opera* dicit *se facere oportere.* Cui post restitutionem luminum : *Tu*, inquit (*Joan.* IX, 35), *credis in Filium Dei* ? et interroganti quis esset iste, ipse se demonstrans, utique Filium demonstravit, quem credendum esse dixerat. Dehinc, cognosci se profitetur a Patre, et Patrem a se. Et ideo se diligi a Patre, quod animam suam ponat ; quia hoc præceptum accepisset a Patre. Et interrogatus a Judæis, si ipse esset Christus (utique Dei (2), nam usque in hodiernum Judæi Christum Dei, non ipsum Patrem sperant, quia nunquam Christus Pater scriptus est venturus) : *Loquor*, inquit, *vobis, et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris, ipsa de me testimonium dicunt.* Quid testimonium ? ipsum scilicet esse, de quo interrogabant, id est Christum Dei. De ovibus etiam suis, quod nemo illas de manu ejus eriperet : *Pater enim quod mihi dedit, majus est omnibus* (3) ; et (*a*) : *Ego et Pater unum sumus.* Hic ergo jam gradum volunt figere stulti, imo cæci, qui non videant, primo, *Ego et Pater*, duorum esse significationem ; dehinc in novissimo. *sumus*, non ex unius esse persona, quod pluraliter dictum est ; tum quod, *unum sumus*, non, « unus sumus. » Si enim dixisset, « unus sumus, » potuisset adjuvare sententiam illorum. Unus etiam singularis numeri significatio videtur. Adhuc cum duo, masculini generis. Unum dicit, neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, ad similitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris, qui Filium diligit ; et ad obsequium Filii, qui voluntati Patris obsequitur. *Unum sumus*, dicens, *ego et Pater*, ostendit duos esse, quos æquat et jungit. Adeo addit etiam multa se opera a Patre ostendisse, quorum nihil lapidari meretur. Et ne putarent ideo se illum lapidare debere, quasi se Deum ipsum, id est Patrem voluisset intelligi ; quia dixerat, *Ego et Pater unum sumus*, qua Filium Dei Deum ostendens, non qua ipsum Deum. *Si in lege*, inquit, *scriptum est, « Ego dixi, vos dii estis, » et non potest solvi Scriptura ; quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos eum blasphemare dicitis, quia dixi* (4), *Filius Dei sum ? Si non facio opera Patris mei, nolite credere ; si vero facio, et mihi credere non vultis, vel propter opera credite. Et scitote quod ego in Patre sim, et Pater in me.* Per opera ergo erat Pater in Filio, et Filius in Patre ; et ita per opera intelligimus unum esse Patrem et Filium (5). Adeo totum hoc perseverabat inducere, ut duo tamen crederentur in una virtute ; quia aliter Filius credi non posset, nisi duo crederentur.

CAPUT XXIII.

Post hæc autem Martha Filium Dei eum confessa, non magis erravit, quam Petrus (*Matth.* XVI, 16) et Nathanael ; quanquam etsi errasset, statim didicisset. Ecce enim, ad suscitandum fratrem ejus a mortuis, ad cœlum et ad Patrem Dominus suspiciens : *Pater*, inquit (*Joan.* XI, 42) [utique Filius], *gratias ago tibi, quod me semper exaudias.* (6) *Propter istas turbas circumstantes dixi, ut credant quod tu me miseris.* Sed et in conturbatione animæ : *Et quid dicam ? Pater, salvum me fac de ista hora. Atquin propter hoc veni in istam horam. Verum, Pater, glorifica nomen tuum* (*Joan.* XII, 27). In quo erat et (7) Filius. *Ego*, inquit, (*Joan.* V, 43), *veni in Patris nomine.* Inde scilicet sufficerat Filii ad Patrem vox. Ecce ex abundantia (8) respondet (9) de cœlo Pater, Filio contestatur (*Matth.* XVII, 5) : *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene sensi, audite illum.* Ita et in isto, *Glorificavi, et glorificabo rursus* (10), quot personæ tibi videntur, perversissime Praxea, nisi quot et voces ? habes Filium in terris, habes Patrem in cœlis. Non est separatio ista, sed dispositio divina. Cæterum, scimus Deum etiam intra abyssos esse, et ubique consistere, sed vi et potestate. Filium quoque, ut individuum, cum ipso ubique. Tamen in ipsa œconomia, Pater voluit Filium in terris haberi, se vero in cœlis ; quo (11) et ipse Filius suspiciens, et orabat et postulabat a Patre, quo et nos erectos docebat orare : *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 19), et cum (12) sit et ubique, hanc (13) sedem suam voluit Pater ; *minora-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Separamus *Seml.*
(2) Deus *Seml.*
(3) Pater enim qui major est omnibus dedit mihi *alii ;* pater enim qui dedit mihi, major est omn. *Jun.*
(4) Dixerat *Seml.*
(5) Et Filium *abest Seml.*
(6) Sed *add. Lat.*
(7) Et *omitt. Seml.*
(8) Ex abundanti *Latin.*
(9) Respondit *Fran.*
(10) Glorificabo, rursus *Seml. Venet.*
(11) Quod *Seml.*
(12) Cœlis : cum *Seml.*
(13) Utique, hanc *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXII. — (a) *Ego et pater unum sumus.* Hæc eadem verba quæ ex Joan. 10, assumpsit, retulit cap. 20, superius. Illa autem detorquebant hæretici monarchiani, qui inde factum putabant ut constaret alium non esse Filium a Patre ; cum tamen unitatem essentiæ dicant, non personæ. Le Pr.

vit (1) *Filium modico citra angelos* (*Ps.* VIII, 6), ad terram demittendo; *gloria tamen et honore coronaturus illum*, in cœlos resumendo. Hæc jam præstabat illi, dicens, *Et glorificavi, et glorificabo.* Postulat Filius de terris, Pater promittit a cœlis. Quid mendacem facis et Patrem et Filium, si aut (2) Pater de cœlis loquebatur ad Filium, cum ipse esset Filius apud terras; aut Filius ad Patrem precabatur, cum ipse esset Pater apud cœlos? Quale est ut Filius item postularet (3) a semetipso, postulando a Patre, si (4) Filius erat Pater; aut iterum Pater sibi ipsi promitteret, promittendo Filio, si Pater erat? ut sic duos divisos diceremus, quomodo jactitatis, tolerabilius erat duos divisos, quam unum Deum versipellem prædicare. Itaque ad istos tunc (5) Dominus pronuntiavit (*Joan.* XII, 30): *Non propter me ista vox venit, sed propter vos; ut credant hi*, et Patrem et Filium, in suis quemque nominibus, et personis, et locis. Sed adhuc exclamat Jesus et dicit: *Qui credit in me, non in me credit; sed in eum credit qui me misit* (quia per Filium in Patrem creditur, et auctoritas credendi Filio, Pater est); *et qui conspicit me* (6), *conspicit eum qui me misit.* Quomodo? *Quoniam scilicet a memetipso non sum locutus; sed qui me misit Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar, Dominus* enim *dat mihi linguam disciplinæ, ad cognoscendum quando oporteat dicere sermonem quem ego loquor* (*Is.* IV, 4). *Sicut mihi Pater dixit, ita et loquor* (*Joan.* XII, 50). Hæc quomodo dicta sint, Evangelizator et utique tam clarus discipulus Joannes magis, quam Praxeas, noverat (7); ideoque ipse de suo sensu: *Ante autem solemnitatem Paschæ* (*a*), inquit (*Joan.* XIII, 1), *sciens Jesus omnia sibi tradita a Patre esse, et se ex Deo exiisse* (8), *ad Deum vadere.* Sed Praxeas ipsum vult Patrem de semetipso exiisse, et ad semetipsum abiisse, ut diabolus in cor Judæ, non Filii traditionem, sed Patris ipsius immiserit. Nec diabolo bene, nec hæretico; quia nec in Filio bono suo diabolus operatus est traditionem. Filius enim traditus est Dei, qui erat in filio hominis, sicut Scriptura subjungit: *Nunc glorificatus est filius hominis, et Deus glorificatus est in illo.* Quid Deus? utique non Pater, sed Sermo Patris, qui erat in filio hominis, id est in carne, in qua et glorificatus jam; virtute vero et sermone, et ante Jesum (9): *Et Deus*, inquit, *glorificavit* (10) *illum in semetipso*, id est, Pater Filium (11) in semetipso habens, etsi porrectum ad terram, mox per resurrectionem glorificavit (12), morte devicta.

CAPUT XXIV.

Erant (13) plane qui et tunc non intelligerent. Quoniam et Thomas aliquandiu incredulus: *Domine* enim, inquit (*Joan.* XVI, 5), *non scimus quo eas, et quomodo viam novimus?* Et Jesus: *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovissetis me, cognovissetis et Patrem: sed* (14) *abhinc nostis illum, et vidistis illum.* Et pervenimus jam ad Philippum, qui spe excitatus videndi Patris, nec intelligens quomodo visum Patrem audisset: *Ostende*, inquit, *nobis Patrem, et sufficit nobis.* Et Dominus: *Philippe, tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* Quem dicit cognosci ab illis debuisse (hoc enim solum discuti oportet), quasi Patrem, an quasi Filium? Si quasi Patrem, doceat Praxeas, tanto tempore Christum cum eis conversatum, Patrem aliquando, non dico intelligi, verum vel æstimari potuisse. (*b*) Nobis omnes Scripturæ, et veteres Christum Dei, et novæ Filium Dei præfiniunt (*c*). Hoc et retro prædicabatur, hoc et ab ipso Christo pronuntiabatur; imo jam et ab ipso Patre coram de cœlis Filium profitente, et Filium glorificante: *Hic est Filius meus*, et: *Glorificavi et glorificabo.* Hoc et a discipulis credebatur, hoc et a Judæis non credebatur, hoc se volens credi ab illis, omni hora Patrem nominabat, et Patrem præferebat, et Patrem honorabat. Si ita est, ergo non Patrem tanto tempore secum conversatum ignoraverant, sed Filium. Et Dominus eum se ignoranti exprobrans, quem ignoraverant, eum utique agnosci volebat, quem tanto tempore non agnosci exprobraverat, id est Filium. Et apparere jam post quomodo dictum sit, *Qui me videt, videt* (15) *et Patrem.* Scilicet quo et supra, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* XIV, 6). Quare? quia, *Ego ex Deo exivi et veni*; et, *Ego sum*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Voluit. Pater minoravit *Seml.*
(2) Autem *Seml.*
(3) Postulet *Seml.*
(4) Si *omitt. Seml.*
(5) Nunc *Seml.*
(6) Me *abest Rhen.*
(7) Nominat *Seml.*
(8) Esse *Seml.*
(9) Jesus *Seml.*
(10) Glorificabit *Jun.*
(11) Quem *add. Seml.*
(12) Glorificabit *omitt. Seml.*
(13) Devicta erant *Paris.*
(14) Et *add. Seml.*
(15) Vidit *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXIII. — (a) *Ante autem solemnitatem Paschæ.* Hæc verba Joan. 13, transposito citat ordine; alioqui cum reliquis consentit, legens etiam cum vulgato interprete, quantumvis græce sit ἐν αὐτῷ, *in semetipso.* PAM. Hæc vox, ἐν αὐτῷ, non reperitur in nostro certe exemplari, Parisiis edito, an. 1549, sed multo rectius, ἐν ἑαυτῷ, id est, *in semetipso.* ut in Vulgata (καιν. Διαθ., p. 177, l. 11). Potuit igitur Tertullianus lectionem nostræ similem habuisse præ oculis etiam græcam, cui Vulgata in posterum accommodata fuerit. EDD.

CAP. XXIV. — (b) *Nobis omnes Scripturæ et veteres, etc.* Alludit ad omnes Scripturas eas veteres, in quibus *Christus Dei* appellatur, utpote Psal. II, Isai. XLV, Threnor. IV, et Dan. IX. PAM.

(c) *Et novæ filium Dei præfiniunt.* Scripturas ejusmodi novi Testamenti habes initio Evangeliorum Marci, Lucæ ac Joan. et alibi apud eosdem. Matth. IV. Act. II et IX, et Epist. ad Roman., Galat, Ephes. et Hebr.; denique et Apocal. II. PAM.

via (*Joan.* X, 30) : *nemo ad Patrem venit, nisi per me;* et, *Nemo ad me venit, nisi Pater eum adduxerit ;* et, *Omnia mihi Pater tradidit ;* et, *Sicut Pater vivificat, ita et Filius :* et, *Si me cognovistis, et Patrem cognovistis* (*Joan.* VI, 40). Secundum hæc enim, vicarium se Patris ostenderat, per quem Pater et videretur in factis, et audiretur in verbis, et cognosceretur in Filio, facta et verba Patris administrante ; quia invisibilis pater, quod et Philippus didicerat in lege, et meminisse debuerat: *Deum nemo videbit et vivet.* Et ideo suggillatur Patrem videre desiderans quasi visibilem, et instruitur visibilem eum in Filio fieri ex virtutibus, non ex personæ repræsentatione. Denique, si Patrem eumdem Filium vellet intellligi, dicendo, *Qui me videt, Patrem videt :* quomodo subjicit, *Non creditis* (1) *quia ego in Patre, et Pater in me est?* Debuerat enim subjunxisse, Non creditis (2) quia ego sum Pater? Aut quo exaggeravit, si non illud manifestavit quod voluerat intelligi, se scilicet Filium esse? Porro dicendo, Non creditis (3) quia ego in Patre, et Pater in me : propterea potius exaggeravit, ne quia dixerat, *Qui me videt, et Patrem videt* (4), Pater existimaretur : quod nunquam existimari se voluit, qui semper se Filium, et a Patre venisse profitebatur. Igitur et manifestam fecit duarum personarum conjunctionem, ne Pater seorsum quasi visibilis in conspectu desideraretur, et ut Filius repræsentator Patris haberetur. Et nihilominus hoc quoque interpretatus est, quomodo Pater esset in Filio, et Filius in Patre : *Verba,* inquit, *quæ ego loquor vobis, non sunt mea ;* utique quia Patris. *Pater autem manens in me, facit opera.* Per opera ergo virtutum, et verba doctrinæ manens in Filio Pater per ea videtur, per quæ manet, et per eum in quo manet : ex hoc ipso apparente proprietate utriusque personæ, dum dicit : *Ego sum in Patre, et Pater in me.* Atque adeo : *Credite,* ait. Quid? Me patrem esse? Non puto scriptum esse ; sed : *Quia ego in Patre, et Pater in me. Si quominus, vel propter opera credite.* Ea utique opera, per quæ Pater in Filio, non visu, sed sensu videbatur.

CAPUT XXV.

Post Philippum, et totam substantiam quæstionis istius, quem (5) in finem Evangelii perseverant (6) in eodem genere sermonis, quo Pater et Filius in sua proprietate distinguuntur (7), Paracletum quoque a Patre se postulaturum, cum ascendisset ad Patrem, et missurum repromittit, et quidem alium, sed jam præmisimus quomodo alium. Cæterum : *De meo sumet* (*Joan.* XVI, 4), inquit : sicut ipse de Patris (*a*). Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres unum sint, non unus. Quo modo dictum est (*Joan.* X, 30) : *Ego et Pater unum sumus ;* ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem. Percurre adhuc, et invenies quem Patrem credis, vice Patris dictum. Et Patrem agricolam, utique (8) in terra tu putas fuisse. Hunc rursus in cœlis a Filio agnosci, cum illuc respiciens, discipulos suos Patri tradit (9). Sed et si in isto Evangelio non esset (10) revelatum : *Deus meus, ad quid me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? et, *Pater, in tuis manibus depono spiritum meum ;* tamen post resurrectionem et devictæ gloriam (11) mortis, exposita necessitate (12) omnis humilitatis, cum jam Patrem se posset ostendere tam fideli fœminæ, ex dilectione, non ex curiositate, nec ex incredulitate Thomæ, tangere eum aggressæ : *Ne,* inquit, (*Joan.* XX, 17), *contigeris me, nondum ascendi ad Patrem meum ; vade autem ad fratres meos* (quin et in hoc se Filium (13) ostendit ; filios enim appellasset illos, si Pater fuisset), *et dices eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Pater ad Patrem et Deus ad Deum ; an Filius ad Patrem, et Sermo ad Deum? Ipsa quoque clausula Evangelii propter quid consignat hæc scripta, nisi : *ut credatis,* inquit, *Jesum Christum Filium Dei?* Igitur quæcumque ex his putaveris ad demonstrationem ejusdem Patris et Filii proficere tibi posse, adversus definitivam Evangelii sententiam niteris. Non ideo enim scripta sunt, ut Patrem credas (14) Jesum Christum, sed ut Filium.

CAPUT XXVI.

Propter unum Philippi sermonem, et Domini responsionem ad eum, videmus (15) Joannis Evangelium decucurrisse, ne tot manifeste pronuntiata, et ante et postea unus sermo subvertat secundum omnia potius, quam adversus omnia, etiam adversus suos sensus interpretandus. Cæterum ut alia Evangelia non interponam, quæ de nativitate Dominica idem (16) confirmant, sufficit eum (17) qui nasci habebat ex virgine, ab ipso annuntiari angelo, Filium Dei determinatum : *Spiritus Dei superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te : propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* 1,3-5). Volent quidem et hic argumentari, sed veritas prævalebit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Credis *Seml.*
(2) *Id.*
(3) *Id.*
(4) Vidit *Seml.*
(5) Quæ *Seml.*
(6) Evangelia perseverant *Seml.*
(7) Distinguitur *Seml.*
(8) Et quem *Jun.*
(9) Tradidit *Seml.*
(10) Est *Seml.*
(11) Gloria *Scml.*
(12) Necessitatem *Seml.*
(13) Quia et in hoc filium *Seml.*
(14) In *inserit Rhen.*
(15) Videmur *Rhen.*
(16) Fidem *Rhen.*
(17) Enim *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXV. — (a) *Sicut ipse de Patris.* Defectiva oratio, qualiter in superioribus sæpe locutus est, subauditur *de eo, quod est Patris.* Sic infra : *Non scitis,* inquit, *quod in Patris mei me esse oportet?* ubi subauditur *rebus.* RHEN.

Nempe, inquiunt, Filius Dei Deus est, et virtus Altissimi Altissimus est. Nec pudet illos injicere, quod, si esset, scriptum fuisset. Quem enim verebatur, ut non aperte pronuntiaret, « Deus superveniet, et Altissimus obumbrabit te? » Dicens autem *Spiritus Dei*, etsi Spiritus (1) Dei Deus, tamen non directo Deum nominans, portionem totius intelligi voluit, quæ cessura erat in Filii nomen. Hic spiritus Dei, idem erit Sermo. Sicut enim Joanne dicente, *Sermo caro factus est*, spiritum quoque intelligimus in mentione Sermonis; ita et hic Sermonem quoque agnoscimus in nomine spiritus. Nam et spiritus substantia est sermonis, et sermo operatio spiritus, et duo unum sunt. Cæterum, alium Joannes profitebitur carnem factum, alium angelus carnem futurum, si non et spiritus sermo est, et sermo spiritus. Sicut ergo Sermo Dei non est ipse cujus est, ita nec Spiritus; et si Deus dictus est, non tamen ipse est cujus est dictus. Nulla res alicujus, ipsa est cujus est. Plane cum quid ex ipso est, et sic ejus est dum ex ipso sit, potest tale quid esse, quale et ipse ex quo est, et cujus est. Et ideo spiritus Dei (2) Deus, et sermo Dei (3) Deus, quia ex Deo, non tamen ipse ex quo est. Quod si (4) Deus Dei tanquam substantiva res, non erit ipse Deus, sed hactenus Deus, quia (5) ex ipsius Dei substantia, qua (6) et substantiva res est, et ut portio aliqua totius. Multo magis virtus Altissimi, non erit ipse Altissimus, quia (7) nec substantiva res est quod est spiritus, sicut nec sapientia, nec providentia: et hæc enim substantiæ non sunt, sed accidentia uniuscujusque substantiæ. Virtus spiritui accidit, nec ipsa erit spiritus. His itaque rebus quodcumque sunt, spiritu Dei et sermone et virtute collatis in virginem, quod de ea nascitur, Filius Dei est. (8) Hoc se et in istis Evangeliis ipse testatur statim a puero: *Non scitis*, inquit (*Luc.* 11, 49), *quod in Patris mei me esse oportet?* Hoc et Satanas eum in tentationibus novit: *Si Filius Dei es.* Hoc et exinde dæmonia confitentur: *Scimus qui sis, Filius Dei.* Patrem et ipse adorat. Christum se Dei a Petro agnitum non negat. Exsultans (9) in spiritu ad Patrem: *Confiteor*, inquid, *tibi, Pater, quod absconderis hæc a sapientibus* (*Matth.* XI, 25). Hic quoque Patrem nemini notum nisi Filio affirmat. Et Patris Filium confessurum confessores, et negaturum negatores suos apud Patrem; inducens parabolam filii, non patris, in vineam missi post aliquot servos, et occisi a malis rusticis, et a Patre defensi; ignorans et ipse diem et horam ultimam soli Patri notam; disponens regnum discipulis, quomodo et sibi dispositum dicit a Patre; habens potestatem legiones angelorum postulandi ad auxilium a Patre si vellet; exclamans quod se Deus reliquisset, in Patris manibus spiritum ponens; et post resurrectionem spondens missurum se discipulis promissionem Patris; et novissime mandans ut tinguerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur.

CAPUT XXVII.

Et quid ego in tam manifestis moror (10), cum ea aggredi deheam, de quibus manifesta obumbrare quærunt? Undique enim obducti distinctione Patris et Filii, quam manente conjunctione disponimus, ut solis et radii, et fontis et fluvii, per individuum tamen numerum duorum et trium, aliter eam ad suam nihilominus sententiam interpretari conantur, ut æque in una persona utrumque distinguant, Patrem et Filium, dicentes Filium carnem esse, id est hominem, id est Jesum; Patrem autem spiritum, id est Deum, id est Christum. Et qui unum eumdemque contendunt Patrem et Filium, jam incipiunt (*a*) dividere illos potius quam unare. Si enim alius est Jesus, alius Christus; alius erit Filius, alius (11) Pater; quia Filius Jesus, et Pater Christus. Talem monarchiam apud Valentinum fortasse didicerunt, duos facere, Jesum et Christum. Sed hæc injectio eorum ex prætractatis (12) jam retusa est, quod Sermo Dei, vel spiritus Dei et virtus Altissimi dictus sit, quem Patrem faciunt. Non enim ipsæ sunt cujus dicuntur, sed ex ipso, et ipsius. Et aliter tamen in isto capitulo revincentur. « Ecce, inquiunt, ab angelo prædicatum est: *Propterea quod nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei;* caro itaque nata est, caro utique (13) erit Filius Dei. Imo de spiritu Dei dictum est. Certe enim de Spiritu Sancto virgo concepit; et quod concepit, id peperit; id ergo nasci habebat, quod erat conceptum, et pariendum; id est spiritus, cujus et vocabitur nomen Emmanuel, quod est interpretatum, *nobiscum Deus.* Caro autem Deus non est, ut de illa dictum sit, quod nascetur sanctum, vocabitur (14) Filius Dei; sed ille qui in ea natus est, Deus de quo et psalmus (LXXXVI, 5): *Quoniam Deus homo natus est in illa, et ædificavit eam voluntate patris.* Quis Deus in ea natus? Sermo et spiritus, qui cum sermone de Patris voluntate natus est. Igitur Sermo in carne, dum et de hoc (15) quærendum, quomodo Sermo caro sit factus; utrumne quasi transfiguratus in carne, an indutus carnem? Imo indutus. Cæterum, Deum immutabilem et informabilem credi ne-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritum *Fran.*
(2) Dei *omitt. Rhen.*
(3) *Id.*
(4) Si *omitt. Semi.*
(5) Qua *Lat.*
(6) Quæ *Rhen.*
(7) Qui *Semi.*
(8) Si *add. Rhen.*
(9) Insultans *Venet.*
(10) Morabor *Rhen.*
(11) Alius *deest in Rhen.*
(12) Retractatis *Rhen.*
(13) Itaque *Rhen.*
(14) Vocabitur sanctum *Rhen.*
(15) Denique hoc *Latin.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXVII. — (a) *Dividere illos potius quam unare.* Unare, inquit Rhenanus, simplex verbum usurpat, unde nos adunare dicimus et coadunare. Quanquam vero tres Mss. Vaticani cod. legant *unire*, tamen retinuimus *unare*, quod Africanam magis phrasin redoleat. PAM.

cesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini (*a*). Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse. Sermo autem Deus; et sermo Domini manet in ævum, perseverando scilicet in sua forma. Quem si non capit transfigurari (1), consequens est, ut sic caro factus intelligatur dum fit (2) in carne, et manifestatur, et videtur, et contrectatur per carnem : quia et cætera sic accipi exigunt. Si enim Sermo ex transfiguratione et demutatione substantiæ caro factus est, una jam erit (3) substantia Jesus ex duabus, ex carne et spiritu mixtura quædam, ut electrum ex auro et argento; et incipit nec aurum esse, id est spiritus, neque argentum, id est, caro, dum alterum altero mutatur, et tertium quid efficitur. Neque ergo Deus erit Jesus. Sermo enim desiit esse, qui caro factus est; neque caro, id est homo (4), caro enim non proprie est, qui (5) Sermo fuit. Ita ex utroque neutrum est; aliud longe tertium est, quam utrumque. Sed enim invenimus illum directo et Deum et hominem expositum, ipso hoc psalmo suggerente, *quoniam Deus homo natus est in illa*, (6) *ædificavit eam voluntate Patris;* certe usquequaque Filium Dei et filium hominis, cum Deum et hominem sine dubio secundum utramque substantiam in sua proprietate distantem : quia neque Sermo aliud quam Deus, neque caro aliud quam homo. Sic et Apostolus (*Rom.* I, 37) de utraque ejus substantia docet : *Qui factus est*, inquit, *ex semine David.* Hic erit homo et filius hominis, qui definitus est Filius Dei secundum spiritum. Hic erit Deus, et Sermo Dei filius. Videmus duplicem statum non confusum (*b*), sed conjunctum in una persona, Deum et hominem Jesum. De Christo autem differo (7). Et adeo salva est utriusque proprietas substantiæ, ut et spiritus res suas egerit in illo, id est virtutes et opera et signa, et caro passiones suas functa sit, esuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia usque ad mortem; denique et mortua est. Quod si tertium quid esset ex utroque confusum ut electrum, non tam distincta documenta paterent utriusque substantiæ. Sed et spiritus carnalia, et caro spiritalia egissent (8) ex translatione; aut (9) neque carnalia, neque spiritalia, sed tertiæ alicujus formæ, ex (10) confusione : imo aut sermo mortuus esset, aut caro mortua non esset, si sermo conversus esset in carnem; aut caro enim immortalis fuisset, aut sermo mortalis. Sed quia substantiæ ambæ in statu suo quæque distincte (11) agebant, ideo illis et operæ et exitus sui occurrerunt. Disce igitur cum Nicodemo, (*Joan.*, III, 6) *Quia quod in* (12) *carne natum est, caro est; et quod de spiritu spiritus est.* Neque caro spiritus fit, neque spiritus caro. In uno plane esse possunt. Ex his Jesus constitit, ex carne homo, ex spiritu Deus, quem tunc angelus ex ea parte qua spiritus erat, Dei Filium pronuntiavit, servans carni filium hominis dici. Sic et Apostolus etiam Dei et hominum appellans sequestrem (1 *Tim.*, II, 5), utriusque substantiæ confirmavit. Novissime qui Filium Dei carnem interpretaris, exhibe qui sit filius hominis. Aut nunquid spiritus erit? sed spiritus Patrem ipsum vis haberi; quia Deus spiritus, quasi non et Dei spiritus : sicut et sermo Deus, et Dei sermo.

CAPUT XXVIII.

Itaque Christum facis Patrem, stultissime, qui nec ipsam vim inspicias nominis hujus, si tamen nomen est Christus, et non appellatio potius; *unctus* (13) enim significatur. *Unctus* autem non magis nomen est, quam *vestitus*, quam *calceatus*, accidens nomini res. An tu (14), si ex aliquo argumento *vestitus* quoque vocaretur Jesus, quomodo *Christus* ab unctionis sacramento, æque Jesum Filium Dei diceres, *vestitum* vero Patrem crederes? Nunc de Christo. Si Pater Christus est, Pater unctus est, et utique ab alio. Aut si a semetipso, proba. Sed non ita docent Acta Apostolorum, in illa exclamatione Ecclesiæ (15) ad Deum : *Convenerunt enim* (*Act.* IV, 27) *universi in ista civitate adversus sanctum Filium tuum Jesum* (16), *quem unxisti*, Herodes et Pilatus cum Nationibus; ita et Filium Dei Jesum contestati sunt, et Filium a Patre unctum. Ergo Jesus (17) idem erit Christus, qui a Patre unctus est, non Pater, qui Filium unxit. Sic et Petrus (*Act.* II, 36) : *Firmissime itaque cognoscat omnis domus Israel, quod et Dominum et Christum, id est unctum, fecerit eum Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Joannes autem (1 *Joan.*, II, 22) etiam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Configurari *Rhen.*
(2) Sit *Fran.*
(3) Erat *Rhen.*
(4) Neque homo caro *Rhen.*
(5) Quia *Rhen.*
(6) Et *inser. Rhen.*
(7) Dissero *Seml.*
(8) Egisset *Seml.*
(9) Ut *Rhen.*
(10) Ex *deest Venet., Fran., Paris., Rig.*
(11) Distinctæ *Paris.*
(12) De *Latin.*
(13) Potius enim unctus *Rhen.*
(14) At tu *Rhen.*
(15) Ecclesiæ *deest Rhen.*
(16) Jesum *deest Rhen.*
(17) Dominus *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Transfiguratio autem interemptio est pristini.* Facit hic locus pro *transsubstantiatione*, quam catholici in sacramento Eucharistiæ asserunt, in assumptione vero humanitatis Christi negant : utpote qui juxta symbolum B. Athanasii, unus non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. PAM.

(b) *Non confusum, sed conjunctum in una persona*, etc. Conjunctus nimirum Deus et homo, salva utriusque substantiæ proprietate, οὐχὶ ἐκ συγχύσεως τῆς οὐσίας. Quæ a symbolo B. Athanasii non adeo videntur recedere. LE PR.

mendacem notat eum, *qui negaverit Jesum esse Christum*: contra, *de Deo natum, omnem qui crediderit Jesum esse Christum*. Propter quod et hortatur ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, ut scilicet communio sit nobis cum Patre, et Filio ejus Jesu Christo. Sic et Paulus ubique *Deum Patrem ponit*, et *Dominum nostrum Jesum Christum*. Cum ad Romanos (I, 8) scribit, *gratias agit Deo per Dominum nostrum Jesum Christum*. Cum ad Galatas (I, 1), *non ab hominibus se apostolum præferi, nec per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem*. Et habes tota instrumenta (1) ejus, quæ in hunc modum pronuntiant, et duos proponunt, Deum Patrem, et Dominum nostrum Jesum Christum Filium Patris, et Jesum ipsum esse Christum, in altero quoque nomine Dei Filium. Nam exinde eo jure quo utrumque nomen unius est, id est Dei Filii (2), etiam alterum sine altero ejusdem est. Et sive Jesus tantummodo positum est, intelligitur et Christus ; quia Jesus (3) unctus est. Sive solummodo Christus idem est Jesus, (4) quia unctus est Jesus. Quorum nominum alterum est proprium, quod ab angelo impositum est; alterum accidens, quod ab unctione convenit; dum tamen Christus Filius sit, non Pater. Postremo, quam cæcus est, qui nec in Christi nomine intelligit alium Deum portendi, si Christo nomen Patris (5) adscribat? Si enim Christus Pater Deus est, qui dicit (*Joan.*, XX, 17): *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum;* utique alium Patrem super se et Deum ostendit. Si item Pater Christus est, alius est qui *solidat tonitruum, et condit spiritum, et annuntiat in homines Christum suum* (*Amos*, IV, 13); et si *adstiterunt reges terræ, et archontes congregati sunt in unum adversus Christum ipsius* (*Ps.* II, 2); alius erit Dominus, contra cujus Christum congregati sunt reges et archontes. Et si: *Hæc dicit Dominus Domino meo Christo* (*Is.*, XLV, 1); alius erit Dominus qui loquitur ad Patrem Christi. Et cum Apostolus scribit (*Eph.*, I, 17): *Uti Deus Domini nostri Jesu Christi det vobis spiritum sapientiæ et agnitionis;* alius erit Deus Christi Jesu charismatum spiritualium largitor (*Rom.*, VIII, 11). Certe, ne per omnia evagemur; *qui suscitavit Christum, suscitaturus est et mortalia corpora nostra*; jamque alius (6) erit suscitator quam Pater mortuus, et Pater suscitatus, si Christus qui est mortuus, Pater est.

CAPUT XXIX.

Obmutescat, obmutescat ista blasphemia, sufficiat Christum Filium Dei mortuum dici; et hoc quia ita scriptum est. Nam et Apostolus, non sine onere pronuntians Christum mortuum, adjecit, (7) *secundum Scripturas;* ut duritiam pronuntiationis Scripturarum auctoritate molliret, et scandalum auditori everteret Quanquam cum duæ substantiæ censeantur in Christo Jesu, divina et humana, constet autem immortalem esse divinam, sicut mortalem (8) quæ humana sit, apparet, quatenus eum mortuum dicat, id est, qua carnem et hominem et filium hominis, non qua spiritum et Sermonem et Dei Filium. Dicendo denique, Christus mortuus est, id est unctus, id quod unctum est, mortuum ostendit, id est carnem. Ergo, inquis, et nos eadem ratione Patrem mortuum (9) dicentes qua vos (10) Filium, non blasphemamus in Dominum Deum : non enim ex divina, sed ex humana substantia mortuum dicimus. Atquin (11) blasphematis non tantum quia mortuum dicitis Patrem, sed et quia crucifixum. Maledictione enim crucifixi, quæ ex lege in Filium competit (quia Christus pro nobis maledictio (12) factus est, non Pater), Christum in Patrem convertentes, in Patrem blasphematis. Nos autem dicentes Christum crucifixum, non maledicimus illum, sed maledictum legis referimus; quia nec Apostolus hoc dicens blasphemavit. Sicut autem, de quo quid capit dici, sine blasphemia dicitur; ita quod non capit, blasphemia est si dicatur. Ergo nec compassus est Pater Filio; sic enim (13) directam blasphemiam in Patrem veriti, diminui eam hoc modo sperant, concedentes jam Patrem et Filium duos esse; si Filius quidem (14) patitur, Pater vero compatitur. Stulti et in hoc. Quid est enim compati, quam cum alio pati? Porro, si impassibilis Pater, utique et incompassibilis. Aut si compassibilis, utique passibilis. Nihil ei vel hoc timore tuo (15) præstas. Times dicere passibilem, quem dicis compassibilem. Tam autem incompassibilis (16) Pater est, quam impassibilis etiam Filius ex ea conditione qua Deus est. Sed quomodo (17) Filius passus est, si non compassus est et Pater? Separabatur (18) a Filio, non a Deo. Nam et fluvius si aliqua turbulentia contaminatur, quanquam una substantia de fonte decurrat, nec secernatur a fonte, tamen fluvii injuria non pertinebit ad fontem. Et licet aqua fontis sit quæ (19) patiatur in fluvio; dum non in fonte patitur, sed in fluvio, non fons patitur, sed fluvius qui ex fonte est. Ita, et si (20) spiritus Dei quid pati posset (21) in Filio, quia tamen non in Patre paterctur, sed in Filio, Pater passus non videretur. Sed sufficit nihil spiritum Dei passum suo nomine; quia si quid passus est, in Filio quidem passus est,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Totum instrumentum *Rhen.*
(2) Filius *Rhen.*
(3) Christus *add. Rhen.*
(4) Solummodo deest et Jesus *Rhen.*
(5) Christi nomen patri *Seml.*
(6) Tanquam alius *Rhen.* Utique alius *cod. Wouw.*
(7) Adjicit *alii.*
(8) Eam mortalem *Jun.* Cum mortalem *Rhen.*
(9) Patrem mortuum *omitt. Seml.*
(10) Nos *Rhen.*
(11) At cum *Seml.*
(12) Maledictione *Fran., Paris., Rig.*
(13) Sicut *Rhen.*
(14) Siquidem *Rhen.*
(15) Veluti mortuo *Seml.*
(16) Compassibilis *Seml.*
(17) Quando *cod. Wouw., lib. Ursin.*
(18) Separatur *Rhen.*
(19) Utique *vel* æque *Latin.*
(20) Et, *Seml.*
(21) Possit *Seml.* Ita et qui patitur *Paris.*

in quo erat et (1) Pater, cum Filius (2) pateretur in carne; quia hoc retractatum (3). Nec quisquam negabit, quando et nos pati pro Deo non (4) possumus, nisi (5) spiritus Dei sit in nobis qui et loquitur de nobis quæ sunt confessionis; non ipse tamen patiens, sed pati posse præstans.

CAPUT XXX.

Alioquin si ultra pergas (6), potero tibi durius respondere, et te cum ipsius Domini pronuntiatione committere, uti dicam : Quid de isto quæris? Habes (7) ipsum exclamantem in passione : *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Ergo aut Filius patiebatur a Patre derelictus, et Pater passus non est, qui Filium dereliquit; aut si Pater erat qui patiebatur, ad quem Deum exclamabat? Sed hæc vox carnis et animæ, id est hominis, non Sermonis, nec spiritus, B id est non Dei, propterea emissa est, ut impassibilem Deum ostenderet, qui sic Filium dereliquit, dum hominem ejus tradidit in mortem. Hoc et Apostolus sensit, scribens (*Rom.*, VIII, 32) : *Si Pater Filio non pepercit.* Hoc et Esaias (*Is.*, LIII, 6) prior pronuntiavit : *Et Dominus eum tradidit pro delictis nostris.* Sic reliquit, dum non parcit; sic reliquit, dum tradit (8). Cæterum, non reliquit Pater Filium, in cujus manibus Filius spiritum suum posuit. Denique posuit, et statim obiit : Spiritu enim manente in carne, caro omnino mori non potest. Ita, relinqui a Patre, mori fuit Filio. Filius igitur et *moritur* (I *Cor.*, XV, 3 *et seq.*) *et resuscitatur* a Patre, *secundum Scripturas.* Filius *ascendit* in superiora cœlorum, qui et *descendit in interiora* (9) *terræ* : hic *sedet ad dexteram Patris,* C non Pater ad suam. Hunc videt (10) Stephanus cum lapidatur (11), adhuc stantem ad dexteram Dei, ut A exinde sessurum, *donec* (*Ps.* CIX, 2) *ponat illi Pater omnes inimicos sub pedibus suis.* Hic et venturus est rursus *super nubes* (I *Cor.*, XV) *cæli*, talis qualis et ascendit. Hic interim acceptum a Patre munus effudit, Spiritum Sanctum, tertium nomen (12) divinitatis, et tertium gradum majestatis (13), unius prædicatorem monarchiæ, sed et œconomiæ interpretatorem, si quis (*a*) sermones novæ prophetiæ ejus admiserit, et deductorem (14) omnis veritatis, quæ est in Patre et Filio et Spiritu Sancto, secundum christianum sacramentum.

CAPUT XXXI.

Cæterum judaicæ fidei ista res (15), sic unum Deum credere, ut Filium adnumerare ei nolis, et post Filium, Spiritum. Quid enim erit inter nos et illos, B nisi differentia ista? Quod opus Evangelii, quæ est substantia Novi Testamenti, statuens Legem et Prophetas usque ad Joannem, si non exinde Pater et Filius et Spiritus, tres credidi, unum Deum sistunt? Sic Deus voluit novare sacramentum, ut nove unus crederetur per Filium et Spiritum, ut coram jam Deus in suis propriis nominibus et personis cognosceretur, qui et retro per Filium et Spiritum prædicatus non intelligebatur. Viderint igitur antichristi, qui negant Patrem et Filium. Negant enim Patrem, dum eumdem Filium dicunt; et negant Filium, dum eumdem Patrem credunt, dando illis quæ non sunt, auferendo quæ sunt. Qui vero confessus fuerit Christum Filium Dei non Patrem, Deus in illo manet, et ipse in Deo. Nos credimus testimonio (16) Dei, quo testatus est de Filio C suo : *Qui filium non habet, nec vitam habet* (I *Joan.*, V, 12). Non habet autem Filium, qui eum alium quam Filium credit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quidem erat ut Pater *Semler.*
(2) Filio *Id.*
(3) Retractatus *Id.*
(4) Non *deest Seml.*
(5) Si *Seml.*
(6) Pergens *Seml.*
(7) Habet *Seml.*
(8) Tradet *Seml.*
(9) Inferiora *alii.*
(10) Vidit *Fran.*
(11) Lapidaretur *Rhen.*
(12) Numen *Paris.*
(13) Et tertium gradum majestatis *omitt. Seml.*
(14) Deductoris *Rhen.*
(15) Instares *confic. Seml.*
(16) Testimonium *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXX.— (a) *Sermones novæ prophetiæ.* Montani vaticinia, quibus occæcatus Tertullianus, hic ab eodem innuuntur. LE PR.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER ADVERSUS HERMOGENEM.

Argumentum.

Hermogenes iste natione fuit afer, professione pictor, alius omnino ab eo de quo, cum Phygello seu Phileto, loquitur Apostolus, II ad Timoth. 1. Christianum se primum professus, vafritiem et subdolum nationis animum testatus est, cum in gentilium philosophiam degener incurrit, et Stoicorum deliria se-

cutus est. Hermogenes adhuc vivens docebat dari materiam æternam, hoc innixus principio, *bonum et optimum esse Deum, qui bona atque optima tam velit facere, quam scit, imo nihil non bonum, atque optimum et velle eum, et sapere.... inveniri autem et mala ab eo facta utique non ex arbitrio et voluntate; oportere igitur ex vitio alicujus rei factum ex materia esse sine dubio.* Cui reponebat Tertullianus *Hermogenem duos Deos inferre, dum materiam parem Deo infert. Deum autem unum esse oportet, unicum autem esse non poterit, cui aliquid adæquabitur, adæquabitur autem Deo materia, cum æterna censetur.* Similiter *nec omnipotens Deus*, qui *materiæ indiguit, et materia egenti Deo se præstitit minori, et invalido, et minus idoneo de nihilo facere, quæ velit.* Præterea si materia mala, et æterna, profecto malum inevitabile, et necessarium; si mutabilis in bonum, ergo non æterna, *et hic auctor mali Deus, qui cum debuisset omnia ex materia protulisse, aut tantum bona, protulisset etiam mala, utique aut volens esse mala, si poterat efficere ne essent, aut non volens efficere omnia bona, si voluit, et non fecit.* Lump.

CAPUT PRIMUM.

Solemus hæreticis compendii gratia de posteritate præscribere. In quantum enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreses prænuntiavit (1), in tantum posteriores quæque doctrinæ hæreses præjudicabuntur, quia sunt quæ futuræ veritatis antiquiore regula prænuntiabantur. Hermogenis autem doctrina tam novella est, denique ad hodiernum homo in sæculo, et natura quoque hæreticus etiam turbulentus, qui (*a*) loquacitatem facundiam existimet, et impudentiam constantiam deputet, et maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ judicet. Præterea pingit illicite (*b*) (2), nubit assidue (*c*); legem Dei in libidinem defendit (*d*), in artem contemnit (*e*); bis falsarius (*f*), et cauterio (*g*) et stylo; totus adulter, et prædicationis et carnis (*h*) siquidem etnubentium contagio fœtet (*i*), nec ipse apostolicus Hermogenes (*j*) in regula perseveraverit. Sed viderit persona, cum doctrina mihi quæstio est. Christum Dominum non alium (3) videtur aliter cognoscere, alium tamen facit quem aliter cognoscit: imo totum quod est Deus aufert, nolens illum ex nihilo universa fecisse. A Christianis enim conversus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam et Porticum, inde sumpsit a Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ ipsa semper fuerit neque nata, neque facta, nec initium habens omnino nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit.

CAPUT II.

Hanc primam umbram plane sine lumine pessimus pictor illis argumentationibus coloravit, præstruens aut (4) Dominum de semetipso fecisse cuncta, aut de nihilo aut de aliquo: ut cum ostenderit neque ex semetipso fecisse potuisse, neque ex nihilo (*k*), quod superest exinde confirmet, ex aliquo eum fecisse, atque ita aliquid illud materiam fuisse. Negat illum ex semetipso facere potuisse: quia partes ipsius fuissent, quæcumque ex semetipso fecisset Dominus. Porro in partes non devenire, ut indivisibilem et indemutabilem, et eumdem semper qua Dominus. Cæterum, si de semetipso fecisset aliquid, ipsius fuisset aliquid Omne autem et quod fieret, et quod faceret, imperfectum habendum; quia ex parte fieret, et ex parte faceret: aut si totus totum fecisset, oportuisset

LECTIONES VARIANTES.

(1) Renuntiavit *Seml.*

(2) Licite *Rhen. Jun. Seml. Jun. interpretatur* licenter s. licentiose.

(3) Christum Dominum non alium videtur, sed aliter cognoscere *cod. Vatican.* Christum Dominum, non alium, videtur aliter cognoscere, alium tamen *Fran. Jun.*

(4) Ait *Jun. male.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Loquacitatem facundiam existimet.* Errantium vulgare vitium est, ut sua loquacitate enecent auditores, dum facundi haberi volunt. *Natura rerum est*, inquit Symmachus, lib. I, epist. 76, *ut qui balbutiunt plus loquantur*; *affectant enim copiam pudore defectus.* Le Pr.

(b) *Pingit illicite.* Hermogenes erat pictor. Pingebat autem illicite, quia post susceptum christiani nomen, nihilominus pingebat simulacra deorum, utique falsorum. Rig.

(c) *Nubit assidue.* Mutatis subinde conjugiis, etenim polygamiæ favebat. Rig.

(d) *Legem Dei in libidinem defendit.* Libidini suæ prætendit legem Dei, *Crescite et multiplicamini.* Rig. — *Legem Dei in libidinem defendit, etc.* Is polygamiam, quam exosam habebat Septimius, tuebatur, ut inde criminibus suis patrocinaretur; atque in hanc rem Dei legem adhibebat, quam turpissimarum rerum pictura contaminabat, seque prævaricationis hoc pacto ut falsarium convincebat. Le Pr.

(e) *In artem contemnit.* Eamdem scilicet legem arte sua contemnit, pingens simulacra, quod lex vetabat, *Non facies idolum.* Rig.

(f) *Bis falsarius, cauterio et stylo.* Falsarius, cauterio suo pictorio, discolores ceras inurens expr.mendis falsorum numinum simulacris. Falsarius etiam, scripturis stylo hæretico depravatis. Rig.

(g) *Cauterio.* Quia ceris pingebat, et picturam inurebat cauterio. Quod genus picturæ, encaustica, sive encaustum, dicebatur. Plinius XXXV, 2. Vitruvius VII, 9; Marcianus lib. XVII. *De instr. vel instrum. leg.* Rig.

(h) *Totus adulter, et prædicationis et carnis.* Adultera Hermogenis caro, quæ assidue nubebat. *Quæ toties nubit, non nubit, adultera lege est.* Adultera quoque Hermogenis prædicatio, quia hæresi sua fidem pacemque Ecclesiæ corruperat. Rig.

(i) *Siquidem et nubentium contagio fœtet.* Explicat quod supra dixit, Hermogenem esse carnis adulterum, siquidem et ipse inter frequentium nuptiarum contagia subando fœteret. Rig.

(j) *Nec ipse apostolicus Hermogenes.* Fuit e comitibus Pauli Hermogenes Septimiano cognominis, postea desertor Pauli, atque inde Christi. Ideoque Septimius Hermogeni hæretico apostolici Hermogenis nomen incutit ut apostatam significet, quia nec ipse in fidei regula perseveravit, sicuti nec ille Paulinus in fide. Rig.

CAP. II. — (k) *Neque ex nihilo, etc.* Gentilium sapientia, summa fatuitas est; e Stoicorum enim schola hauserat Hermogenes materiam æternam fuisse, Deumque proinde cuncta non fecisse e nihilo. Quod non miraberis in gentili philosopho, nam ut infra habetur *hæreticorum patriarchæ philosophi*, ubi loquitur de iis, qui ethnicorum placitis mordicus adhærent.

Le Pr.

illum simul et totum esse, et non totum ; quia oporteret et totum esse, ut faceret semetipsum ; et totum non esse, ut fieret de semetipso. (1) Porro difficillimum. Si enim esset, non fieret, esset enim : si vero non esset, non faceret, quia nihil esset. Eum autem qui semper sit, non fieri, sed esse illum in ævum ævorum. Igitur non de semetipso fecisse illum qui non ejus fuerit (2) conditionis, ut de semetipso facere potuisset. Proinde ex nihilo non potuisse eum facere, sic contendit, bonum et optimum definiens Dominum, qui bona atque optima tam velit facere quam sit; imo nihil non bonum atque optimum et velle eum et facere. Igitur omnia bona, omnia ab eo bona et optima oportuisse fieri secundum conditionem ipsius. Inveniri autem et mala ab eo facta; utique non ex arbitrio, nec ex voluntate : quia si ex arbitrio et voluntate, nihil incongruens et indignum sibi faceret. Quod ergo non arbitrio suo fecerit, intelligi oportere ex vitio alicujus rei factum, ex materia esse sine dubio.

CAPUT III.

Adjicit et aliud : Deum semper Deum (3) etiam Dominum fuisse, nunquam non Deum. Nullo porro modo potuisse illum semper Dominum haberi, sicut et semper Deum, si non fuisset aliquid retro semper, cujus semper Dominus haberetur, fuisse itaque materiam semper Deo Domino. Hanc conjecturam ejus jam hinc destruere properabo, quam hactenus propter non intelligentes adjecisse duxi, ut sciant, cætera quoque argumenta tam intelligi quam revinci. Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, et in semetipso, Dominum vero non semper : diversa enim utriusque conditio. Deus (4) substantiæ ipsius nomen, id est divinitatis; Dominus vero non substantiæ, sed potestatis substantiam semper fuisse cum suo nomine, quod est Deus, postea Dominus, accedentis scilicet rei mentio (5). Nam ex quo esse cœperunt in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis et factus et dictus est Dominus : quia et pater Deus est, et judex Deus est ; non tamen ideo pater et judex semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus (*a*), cum et (6) delictum et filius non fuit, quod judicem, et qui patrem Dominum (7) faceret. Sic et Dominus non ante ea (8) quorum Dominus existeret, sed Dominus tantum futurus quandoque, sicut Pater per Filium, sicut judex per delictum ; ita et Dominus per ea, quæ sibi servitura fecisset. Argumentari tibi videor, Hermogenes (9). Naviter Scriptura nobis patrocinatur, quæ utrumque nomen ei distinxit, et suo tempore ostendit. Nam Deus (10) quidem quod erat semper, statim nominat : *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Ac deinceps quamdiu faciebat quorum dominus futurus erat, Deus solummodo ponit : *Et dixit Deus, et fecit Deus, et vidit Deus*, et nusquam adhuc Dominus. At ubi universa perfecit, ipsumque vel maxime hominem, qui proprie Dominum (11) intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur (12). Tunc etiam Dominus nomen adjunxit : *Et accepit Deus* (*b*) *Dominus hominem quem finxit. Et præcipit* (13) *Dominus* Deus. Ac exinde Dominus qui retro Deus tantum, ex quo habuit cujus esset. Nam Deus sibi erat ; rebus autem tunc Deus, cum et Dominus. Igitur in quantum putabit ideo materiam semper fuisse, quia (14) Dominus semper esset, in tantum constabit nihil fuisse, quia constat Dominum non semper fuisse. Adjiciam et ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes (*c*) extrema linea est, et quidem (*d*) epinoemata (15) illius retorquebo adversus illum. Cum enim neget materiam natam aut factam, sic qnoque invenio Domini nomen Deo non competisse in materiam ; quia libera fuerit necesse est, quæ originem non habendo, non habuit aucto-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Id porro *Jun.*
(2) Fieret *Seml. Oberth. prob. a Jun.*
(3) Deum semper Deum et jam semper Dominum fuisse; nunquam non Dominum *Jun.*
(4) Sed Deus *Seml.*
(5) Accidentis scil. rei mentione *Jun.* merito *Lat.*
(6) Et *Seml. Oberth.*
(7) Deum *Latin. alii.*
(8) Antea *Seml.*
(9) Argutari tibi videor hermogenes, naviter. Scriptura au *Jun.*
(10) Dominus *Seml.*
(11) Dominus et intellecturus erat *Seml.*
(12) Cognominaturus *Seml. Oberth.*
(13) Præcepit *Seml.*
(14) Qua *Venet.*
(15) Ex pœnitentia illius retorquebo advers. ill. *Seml. oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. III. — (a) *Fuit autem tempus cum, etc.* Hoc in loco errorem cavendum omnes facile agnoscent, nimirum Arianismum. Notum quippe est eorum verbum ἦν ὅτε οὐκ ἦν, quæ voces idem sonant omnino. LE PR.

(b) *Et accepit Deus.* Verum quidem est, quod adnotat Auctor, Dominum non vocari Deum, nisi ubi universa perfecit, ipsumque vel maxime hominem ; sed etiam ante scripturam hic citatam, statim initio II cap. *Non enim pluerat Dominus Deus*, et *plantavit Dominus Deus paradisum* ; tum vero demum istud, *Et accepit Dominus Deus hominem.* PAM.

(c) *Quorum Hermogenes extrema linea est.* Quam esse finem omni rei dicit hoc ipso opere. Ait insipientiam Hermogenis finem esse omnium insipientiarum, hoc est, supremam, supra quam nulla. RIG. — *Quorum Hermogenes extrema linea est.* In spatiis olim in quibus cursus publice fiebat, initium et finis lineis notabantur. Hinc quidquid postremum est, extrema linea proverbialiter dici cœpit. Ergo cum Tertullianus Hermogenem hic vocat, *non intelligentium extremam lineam*, imperitissimum accipe. Horatius epistolam ad Quintium sic claudit :

Mors ultima linea rerum est.

Simul tacite alludit ad artem Hermogenis penicillo lineas ducere soliti, nam pictor erat. Sic infra de materia loquens : *Si in loco*, inquit, *ergo intra locum ; si intra locum, ergo determinatur a loco intra quem est ; si determinatur, habet lineam extremam, quam quantum proprie pictor agnoscit finem esse omni rei, cujus linea extrema est*, etc. In lib. adv. Praxeam, vocat Deum *extremam lineam universitatis.* RHEN.

(d) *Epinoemata.* Sic emendavimus ex libro Ursini. RIG.

rem, quod erat, nemini serviens (1). Itaque ex quo Deus potestatem suam exercuit in eam, faciendo ex materia, ex illo materiam Dominum Deum passa, demonstrat hoc illum tamdiu non fuisse, quamdiu fuit (2). Hinc denique incipiam de materia retractare, quod eam Deus sibi comparet proinde non natam, proinde non factam, proinde æternam, sine initio, sine fine propositam (3). Quis enim alius Dei census, quam æternitas? quis alius æternitatis status, quam semper fuisse et futurum esse, ex prærogativa nullius initii et nullius finis? Hoc si Dei est proprium, quia etsi alii (4) adscribatur, jam non erit Dei proprium, sed commune cum eo cui et adscribitur. Nam, etsi sunt qui dicuntur dei sive in cœlo, sive in terra, nomine; caterum, unus Deus pater, ex quo omnia (I *Cor.* VIII, 5) : quo magis apud nos solius Dei esse debeat, quod Dei proprium est : et, ut dixi, jam non proprium esset, quia alterius esset. Quod si Deus est, unicum sit necesse est, ut unius sit (5) : aut quid erit unicum et singulare, nisi cui nihil adæquabitur? quid principale, nisi quod super omnia, nisi quod ante omnia, et ex quo omnia? (*a*) Hæc Deus solus habendo est, et solus habendo, unus est (6). Si alius habuerit, tot jam erunt dei, quot habuerint quæ dei sunt. Ita Hermogenes duos deos infert. Materiam parem Deo infert (7). Deum autem unum esse oportet, quia quod summum sit, Deus est : summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit : unicum autem esse non poterit, cui aliquid adæquabitur; adæquabitur autem Deo materia, cum æterna censetur (8).

CAPUT V.

Sed Deus, Deus est; materia, materia est : quasi diversitas nominum comparationi resistat, si status idem vindicetur. Sit et natura diversa, sit et forma non eadem, dummodo (9) ipsius status una sit ratio. Innatus Deus, an non et innata materia? semper Deus, annon semper et materia? Ambo sine initio, ambo sine fine, ambo etiam auctores universitatis tam qui fecit, quam de qua fecit. Neque enim potest non et materia auctrix omnium deputari, de qua universitas consistit. Quomodo respondebit (10)? Non statim materiam comparari Deo, si quid Dei habeat, quia non totum habendo non concurrat in plenitudinem comparationis? Quid Deo reliquit amplius, ut non totum Dei, materiæ dedisse videatur? Vel qua, inquit, et sic habente materia, salva sit Deo et auctoritas (11) et substantia, qua solus et primus auctor est, et Dominus omnium censeatur. Veritas autem sic unum Deum exigit defendendo, ut solius sit quidquid ipsius est. Ita enim ipsius erit, si fuerit solius : et ex hoc alius deus non possit admitti, dum nemini licet habere de Deo aliquid. Ergo, inquis, nec nos habemus Dei aliquid. Imo habemus, et habebimus, sed ab ipso, non a nobis. Nam et dei (12) erimus, si meruimus illi esse de quibus prædicavit : *Ego dixi : Vos Dei estis;* et, *stetit Deus in ecclesia deorum* (*Ps.* LXXXI, 1) : sed ex gratia ipsius, non ex nostra proprietate, quia ipse est solus qui deos faciat. Materiæ (13) autem proprium facit quod cum Deo habet : aut si a Deo accepit, quod est Dei, ordinem dico æternitatis, potest credi et habere illam cum Deo aliquid, et deum illam non esse. Quale est autem, cum confitetur ille aliquid cum Deo habere, et vult solius Dei esse quod materiam non negat habere?

CAPUT VI.

Dicit salvum Deo esse (*b*), ut et solus sit, et primus, et omnium auctor, et omnium dominus, et nemini comparandus; quæ mox materiæ quoque adscribit (14). Ego quidem Deus (15), contestabitur Deus, et juravit nonnumquam per semetipsum, quod alius non sit qualis ipse (*Deut.* XXXII, 39, 40) : sed mendacem eum faciet Hermogenes. Erit enim et materia qualis Deus, infecta, innata, initium non habens, nec finem. (*c*) Dicet Deus : Ego primus (*Is.* XLI, XLIV, XLVIII)? et quomodo primus, cui materia coætanea est? Inter coætaneos autem et contemporales ordo non est, aut

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non habuit rem quod erat, nemini serviens *Rhenan. Fran. Paris.* non habuit auctorem, quod erat *Wouw. Ven.* non habuit rem quod erat, ideoque nemini serviens. *cod. Vat.* non auctorem quod erat ideoque, nemini serviens *Jun.*

(2) Hæc *Jun. Latin.* fuit. *Rigalt. Ven. rectius.*

(3) Proposita *Jun. c. rel.*

(4) Sed quia si et alii *Rhen. Seml. Oberth.* quia si et alii *Wouw. Rig.*

(5) Etenim, ut dixi, jam non proprium esset, quia alterius esset quod, si Deus unus est, unicum sit necesse est, ut unius sit *Jun.* quod si deus, unicum *cod. Wouwer.*

(6) Hæc Deus solus habendo unus est. *Seml. Oberth.*

(7) Infert dum materiam *Jun.*

(8) Quam æterna censebitur *Jun. conj. forte pro* cum.

(9) Dum nomini ipsius *Seml.*

(10) *Signum interrog. abest in ed. Rhen. Seml. et rectius.*

(11) *Rhen. conjiciebat* salva sit ratio; *alii* (*teste et comprobatore Jun.*) salva sit deo et auctoritas et substantia, qua solus et primus auctor est, et dominus omnium censetur

(12) Dii *alii.*

(13) Materia *Seml.*

(14) Comparandus, per quæ nec est. Materiæ quoque adscribit *Rhen. Seml. Oberth.*

(15) Ille quidem Deus *apud eosd.*

COMMENTARIUS.

(a) *Hæc Deus solus habendo est.* Horum Deus solus compos est, hæc solus habet. Rig.

CAP. VI. — (b) *Dicit salvum Deo esse, ut et solus sit,* etc. Contrarium suo dogmati sensum et ἐναντιοφανὲς in Hermogene ostendit, qui Deum solum et primum esse affirmet; cum tamen materiam illi coævam et coæternam dicere non vereatur. Quod impium et e philosophiæ ethnicæ penu depromptum. Duo quippe rerum principia, Deum et materiam, Platonem admisisse, me docuit Laertius. Id autem in eo miror, licet in cæteris insolens mihi non videatur. Le Pr.

(c) *Dicet Deus : Ego primus.* Ter istud habetur apud Isaiam, c. XLI, XLIV et XLVIII, in hæc verba, *ego primus et novissimus.* Illud autem, *extendi cœlum solus,* secundum LXX, reperitur Isaiæ XLIV, ubi editio ex hebræo habet *extendens,* cui præmittitur, *ego Dominus complens aut faciens omnia.* Ad quod etiam hic alludit Auctor, cum *Deum omnium auctorem* facit. Pam.

et materia prima est. (a) *Extendi*, inquit, *cœlum solus* (*Is.* XLIV) : atquin non solus, cum ea enim extendit de qua et extendit. Cum proponit salvo Dei statu fuisse materiam (1); vide ne ei reddatur (2) a nobis, proinde salvo statu materiæ fuisse Deum, communi tamen statu amborum. Salvum ergo erit et materiæ, ut et ipsa fuerit, sed cum Deo, quia et Deus solus, sed cum illa. Et ipsa prima cum Deo, quia et Deus primus cum illa : sed et illa incomparabilis cum Deo, quia et Deus incomparabilis cum illa, et auctrix cum Deo, et domina cum Deo. Sic aliquid et non totum materiæ habere, ita illi nihil reliquit Hermogenes, quod non et materiæ contulisset : ut non materia Deo, sed Deus potius materiæ comparetur. Atque adeo, cum ea quæ (3) propria Dei vindicamus, semper fuisse, sine initio, sine fine, et primum fuisse, et solum, et omnium auctorem, materiæ quoque competant; quæro quid diversum et alienum a Deo, ac per hoc privatum materia possederit, per quod Deo non comparetur? In qua omnia Dei propria recensentur, satis præjudicant de reliqua comparatione.

CAPUT VII.

Si minorem et inferiorem materiam Deo, et idcirco incomparabilem illi, contendit, ut majori, ut superiori, præscribo non capere ullam diminutionem et humiliationem, quod sit æternum et innatum : quia hoc et Deum faciat tantum, quantus est, nullo minorem, neque subjectiorem, imo omnibus majorem et sublimiorem. Sicut enim cætera quæ nascuntur, aut finiunt, et idcirco æterna non sunt, semel opposita fini, quæ et initio admittunt ea quæ Deus non capit, diminutionem dico interim et subjectionem, quia nata et facta sunt : ita et Deus ideo ea non capit, quia nec natus omnino, nec factus est. Materiæ autem (4) status talis est. Igitur et duobus æternis, ut innatis, ut infectis, Deo atque materia (5), ob eamdem rationem communis status, ex æquo habentibus id quod neque diminui, nec subjici admittit, id est æternitatem : neutrum dicimus altero esse minorem, sive majorem, neutrum altero humiliorem, sive superiorem, sed stare ambo ex pari magna, ex pari sublimia, ex pari solidæ et perfectæ felicitatis, quæ censetur æternitas. Neque enim proximi erimus opinionibus nationum, quæ si quando coguntur Deum confiteri, tamen et alios infra illum volunt. Divinitas autem gradum non habet, utpote unica; quæ si et in materia erit, ut proinde innata et infecta et æterna, aderit utrobique, quia minor se nusquam poterit esse. Quomodo ergo discernere audebit Hermogenes, atque ita subjicere Deo materiam, æternam æterno, innatam innato, auctricem auctori? dicere audentem, et, Ego prima, et, Ego ante omnia, et, Ego a quo omnia : pares fuimus, simul fuimus, ambo sine initio, sine fine : ambo sine auctore, sine Deo? Quis me Deus (6) subjicit contemporali, coætaneo? Si quia Deus dicitur, habeo et ego meum nomen. Aut ego sum Deus, aut ille materia (7) : quia ambo sumus quod alter est nostrum. Putas itaque materiam Deo non comparasse, quam scilicet subjiciat illi?

CAPUT VIII.

Atquin etiam præponit illam Deo, et Deum potius subjicit materiæ, cum vult eum de materia cuncta fecisse. Si enim ex illa usus est ad opera mundi, jam et materia superior invenitur, quæ illi copiam operandi subministravit, et Deus subjectus materiæ videtur, cujus substantiæ eguit. Nemo enim non eget eo (*b*) de cujus utitur : nemo non subjicitur ei cujus eget, ut possit uti : sic et nemo de alieno utendo non minor est eo de cujus utitur. Et nemo qui præstat de suo uti, non in hoc superior est eo cui præstat uti. Itaque materia ipsa quidem Deo non eguit, sed egenti se Deo præstitit (8), divitem et locupletem et liberalem minori, opinor, et invalido et minus idoneo de nihilo facere quæ velit. Grande revera beneficium Deo contulit, ut haberet hodie per quem Deus cognosceretur, et omnipotens vocaretur : nisi quod jam non omnipotens, si non et hoc potens, ex nihilo omnia proferre. Sane et sibi præstitit aliquid materia, ut et ipsa cum Deo possit agnosci coæqualis Deo, imo et adjutrix : nisi quod solus eam Hermogenes cognovit, et (*c*) hæreticorum patriarchæ philosophi. Prophetis enim et apostolis usque adhuc latuit, puto et Christo (9).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Salvo statu materiæ fuisse Deus *Rhen. Seml.* ; salvo statu materiæ fuisse Deum *habet cod. Wouw. approbante Jun.*
(2) Vide ne irrideatur a nobis *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Cum ea propria Dei *apud eosd.*
(4) Et materiæ autem *Rhen.* etc.
(5) Deo atque materiæ *Rhen. et üdem al., ut solet.*
(6) *Forte* Deo *Jun.*
(7) Et ille materia *Jun.*
(8) Sed eguisse se deo pr. *Lat.* sed egenti se deo pr. *Jun.* Sed egenti se deo p. divitem et locupletem et liberalem *Cod. Wouw. forte* sed egeno se d. p. divite (*scil.* se).
(9) Puto et Christo. *Fran. Paris. Rig. Al Jun.* prophetas, apostolos, Christum.

COMMENTARIUS.

(a) *Extendi, inquit, cœlum solus.* Sic apud Isaiam, c. XLIV : Ἐξέτεινα τὸν οὐρανὸν μόνος. Et Psal. CIV : Ὁ ἐκτείνων τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ δέρριν. Quæ sunt etiam ab externis citata. Sic enim ad Critiam Triphon : Εἰ οὐρανὸν ὡς δέρριν ἔξεπλωσε, γὴν δὲ ἐφ' ὕδατος ἔπηξεν, ἀστέρας ἐμόρφωσεν

CAP. VIII. — (b) *De cujus utitur.* Defectiva locutio : subauditur *rebus*, aut aliquid simile. Hujusmodi formula sermonis etiam in superioribus libris usus est. *Adversus Marcionem* lib. V : *Si in creatoris*, inquit, *accipitur.* Eodem libro : *Et a nostræ*, inquit, *partis possit opponi.* Rursum mox sequitur, *non minor est eo de cujus utitur.* Græcorum est imitatio. RHEN.

(c) *Hæreticorum patriarchæ philosophi.* Ex professo istud tractatum habetur, supra ab auctore lib. *de Præscript. adv. hær.* cap. 7. PAM. — *Hæreticorum patriarchæ.* In epistola ad Ctesiphontem hunc Tertulliani locum citat divus Hieronymus. Idem in Nahum prophetam exponens illud, *exilivit quasi attelabus*, « Omnia enim, inquit, dogmata eorum (loquitur de hæreticis) cum frigeant, et volare non possint, sedem sibi et requiem inter Aristotelis et Chrysippi spineta reperiunt. » RHEN.

CAPUT IX.

Non potest dicere Deum ut Dominum materia usum ad opera mundi : Dominus (1) enim non potuit esse substantiæ coæqualis. Sed precario forsitan usus est. (*a*) Et ideo precario, non dominio, ut cum ea mala esset (2), de mala tamen sustinuerit uti, scilicet ex necessitate mediocritatis suæ, qua non valebat ex nihilo uti ; non ex potestate, quam si habuisset omnino ut Deus in materiam, quam malam norat, ante eam in bonum (3) convertisset ut dominus et bonus, ut ita de bono, non de malo uteretur. Sed quia bonus quidem, Dominus autem non, ideo, qualem habuit, tali usus, necessitatem suam ostendit cedentem conditioni materiæ : quam si Dominus fuisset, emendasset. Sic enim Hermogeni respondendum est, cum ex dominio defendit Deum materia usum, et de re non sua, scilicet non facta ab ipso. Jam ergo malum ab ipso, qui est mali, si non auctor, quia non effector, certe permissor, quia dominator. Si vero materia non et ipsius, qua malum Dei non est (4) : de alieno ergo usus, aut precario usus est, qua egens ejus ; aut et injuria, qua prævalens ejus. Iis enim tribus modis aliena sumuntur, jure, beneficio, impetu ; id est, dominio, precario, vi. Dominio non suppetente (5) eligat Hermogenes, quid Deo congruat, (*b*) precario an vi de materia cuncta fecisse (6). Non ergo melius censuisset Deus nihil omnino faciendum, quam precario aut vi faciendum, et quidem de malo?

CAPUT X.

Nonne, etiamsi materia optima fuisset, æque indecorum sibi existimasset, de alieno, licet bono? Fatue satis, si ita (7) gloriæ suæ caussa molitus est mundum, ut debitorem se alienæ substantiæ ostenderet, et quidem non bonæ. Ergo, inquit, ex nihilo faceret, ut mala quoque arbitrio ejus imputarentur? Magna, bona fide (*c*), cæcitas hæreticorum pro hujusmodi argumentatione, cum ideo aut alium Deum bonum et optimum volunt credi, quia mali auctorem existiment Creatorem ; aut materiam cum Creatore proponunt, ut malum a materia, non a Creatore deducant : quando nullus omnino deus liberetur ista quæstione, ut non auctor mali videri proinde possit, quisquis ille est qui malum etsi non ipse fecit, tamen a quocumque et unde unde passus est fieri. Audiat igitur et Hermogenes, dum alibi de mali ratione distinguimus, interim se quoque nihil egisse hac (*d*) sua injectione. Ecce enim, etsi non auctor (*e*) sed assentator (8) mali invenitur Deus, qui malum materiæ tanto sustinuit de bono ante mundi constitutionem, quam ut bonus et mali æmulus emendasse debuerat. Aut enim potuit emendare, sed noluit : aut voluit quidem, verum non potuit infirmus Deus. Si potuit et noluit, malus et ipse, quia malo favit ; et sic jam habetur (9) auctor ejus, quod licet non instituerit, quia (10) tamen si noluisset illud esse, non esset, ipse jam fecit esse, quod noluit non esse : quo quid est turpius? Si id voluerit esse, quod ipse noluit fecisse, adversum semetipsum egit, cum et voluit esse quod noluit fecisse, et noluit fecisse quod voluit esse. Quasi bonum voluit esse, et quasi malum noluit fecisse. Quod non faciendo, malum judicavit, id sustinendo, bonum pronuntiavit (11), malum pro bono sustinendo et non potius eradicando, assertor ejus inventus est (12) : male, si per voluntatem, turpiter, si per necessitatem. Aut famulus erit mali Deus, aut amicus ; cum materiæ malo conversatur (13), nedum etiam de malo ejus operatus.

CAPUT XI.

Et tamen unde nobis (14) persuadet Hermogenes (*f*) malam esse materiam? Non enim poterit non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deus *Seml. Oberth.*
(2) Non esset *Seml. Oberth.* Non *abest Fran. Paris. Rig. rectius.*
(3) In bono *Seml. Oberth.*
(4) Qua malum, Dei non est *Seml. Oberth.*
(5) *Disjungit Rhen. nec approb. Seml.*
(6) Fecisset *Fran.*
(7) Fatue satis. Itaque *Rhen. Sem.. Oberth.*; fatue satis itaque *Jun.*
(8) Assectator *conjicit Jun.*
(9) Auctor ejus : *hæc vv. ab aliis omissa, addita sunt in Venet et mss. Wowv.*
(10) Qui *solus hab. Rhen. et post eum Seml. Oberth.*
(11) Pronuntiavit *omnes. Junius evidentius esse dicit* : prænuntiavit.
(12) *Comma pingitur in Seml.*
(13) Conversatus *Seml.*
(14) Unde nobis? *omnes rectius quam Seml. qui habet* : non de nobis.

COMMENTARIUS.

CAP. IX. — (a) *Et ideo precario, non dominio.* Precario, dominio, vi, sumere aliena, verba sunt jurisconsultis. Legum autem civilium peritiam in Tertulliano permagnam fuisse, non hic tantum locus ostendit RIGEN.

(b) *Precario an vi.* Precario aliquid fieri dicitur, cum precibus extorquetur, interdum enim flagitationi et importunæ assiduitati conceditur, quod alias negaretur. LE PR.

CAP. X. — (c) *Bona fide.* Id est, serio : sic Petronius in Satyr. : *Sed nihil jam queror, nihil jam memini, si bona fide pœnitentiam emendas* Et alio loco, antea nimirum, *osculisque bona fide exactis.* Aliquando idem est ac *juste* et *cum æquitate*, et in hunc sensum *optima fide* dicitur etiam : idem Petr. : *Non repugnavi: ille, sed postquam optima fide partiti manubias sumus.* LE PR.

(d) *Sua injectione.* Objectione seu argumento in contrarium contorto. LE PR.

(e) *Sed assentator mali.* Quasi assertor, seu mavis, dissimulator, Deus scilicet malam esse materiam cum agnoscat, ea tamen utitur (quod erat Hermogenis dogma) illiusque pravitatem vel adstruit, vel saltem dissimulat. LE PR.

CAP. XI. — (f) *Malam esse materiam?* Respondebat modo objectis ab Hermogene, tamquam si vera esse concederet ; hic vero in eum insurgit, postulatque demonstret malam esse materiam, et a quo id sumpserit, ostendat. LE PR.

malum dicere cui malum adscribit. Nam definimus diminutionem (1) et subjectionem capere non posse quod sit æternum (2), ut alii coæterno inferius deputetur. Ita et nunc nec malum dicimus competere illi, quia nec subjici ex hoc possit, quod nullo modo potest subjici, quia æternum est. Sed cum alias summum bonum constet esse quod sit æternum ut Deus, per quod solus est Deus, dum æternus est, et ita bonus, dum Deus; quomodo materiæ inerit malum, quam ut æternam, summum bonum credi necesse est? Aut, si quod æternum est poterit et mali capax esse, poterit hoc et in Deum credi: et sine caussa gestivit malum a Deo transferre si competit et æterno, competendo materiæ. Jam vero, si quod æternum est, malum potest credi invincibile, et insuperabile erit malum ut æternum: et ita (3) nos frustra laboramus de auferendo malo ex nobis ipsis, tum et Deus (4) hoc frustra mandat et præcipit: imo et judicium frustra constituit Deus (*a*), injustitia (5) utique puniturus. Quod si tunc erit mali finis (6), cum præses ejus diabolus *abierit in ignem, quem præparavit illi Deus et angelis ejus* (*Matth.*, XXV), (*b*) prius in *puteum abyssi relegatus* (*Apocal.*, XX), (*c*) *cum revelatio filiorum Dei* (*d*) *redemerit conditionem a malo, utique* (*e*) *vanitati subjectam* (7) (*Rom.* VIII); cum restituta innocentia et integritate conditionis, (*f*) pecora condixerint (8) bestiis (*g*) et (9) parvuli de serpentibus luserint (*Is.* XI, 6, 7); cum *Pater Filio posuerit inimicos sub pedes* (*Ps.* CIX), utique (10) operarios mali. Utique si finis malo competit, necesse est competierit initium, erituque (11) materia habens initium, habendo et finem mali. Quæ enim malo deputantur, secundum mali statum computantur.

CAPUT XII.

Age nunc, malam ac pessimam credamus esse materiam, utique natura; sicut Deum bonum et optimum credimus, proinde natura: porro naturam certam et fixam haberi oportebit tam in malo perseverantem apud materiam, quam in bono apud Deum inconvertibilem et indemutabilem. (12) Scilicet quia, si demutabitur natura in materia de malo in bonum, demutari poterit et in Deo de bono in malum. Hoc loco dicet aliquis: *Ergo de lapidibus filii Abrahæ non suscitabuntur, et genimina viperarum non facient pœnitentiæ fructum* (*Luc.* III, 7, 8), et filii iræ non fient filii pacis (*Ephes.* II, 3), si natura mutabilis non erit. Temere ad ista exempla respicies, o homo; non enim competunt ad caussam materiæ, quæ innata est, ea quæ nata sunt, lapides, et viperæ, et homines: horum enim natura habendo institutionem, habere poterit et cessationem. Materiam vero tene semel æternam determinatam, ut infectam, ut innatam; et ideo indemutabilis et incorruptibilis naturæ credendam, ex ipsius etiam sententia Hermogenis, quam opponit (13), cum Deum negat ex semetipso facere potuisse; quia non demutetur quod sit æternum, amissurum scilicet quod fuerat, dum fit ex demutatione quod non erat, si non esset æternum: Dominum vero æternum aliud esse non posse, quam quod est semper. Hac et ego definitione merito illum repercutiam: Materiam æque reprehendo, cum ex illa mala pessima, etiam bona atque optima a Deo fiunt: *Et vidit Deus quia bona, et benedixit ea Deus* (*Gen.* I,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Definimus deminutionem *Jun.*
(2) Posse, quod sit æternum *omnes præter Seml. et Oberth. qui legunt:* quod si ita erit.
(3) Et ita *Rig.*; *Jun.* et tantum non frustra. *At cod. Wouw. sic:* et tum nos frustra... ipsis, tum et deus... puniturus. Quod si, etc.; *Rhen. Seml. Oberth.:* et tamen nos frustra.
(4) Cum *Seml.* quin et Deus hoc frustra *Lat.*
(5) Injustitia *Rig. rectius quam Rhen.* in *qui habet* injustitia.
(6) *Ita Rig. cod. Wouw.* quibus contra malum finis *Pam. Seml. Oberth.*
(7) A malo, utique vanitati subjectam *Fran. ex Rom.* VIII.
(8) Convixerint *Lat.*
(9) Nec *Seml.*
(10) Itaque *Seml. Oberth.*
(11) Erit *Rhen. Seml. Oberth.*
(12) Scilicet qui si demutabitur natura in materia, de malo in bonum demutari poterit, et in Deo de bono non in malum *Seml. Oberth.*
(13) Apponit *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Imo et judicium frustra constituit Deus.* Cum frequentissime Scriptura meminerit *judicii Dei*, videtur tamen proprie alludere ad *Matth.* cap. XXV, cum sequantur illa verba, *quæ præparavit illi Deus et angelis ejus* Sunt autem verba illa obscurissima *quibus contra malum finis*, quibus mederi non licuit, quod hic adhuc decsset ternio variarum lectionum Vaticani codicis. Pam. — *Cf. textum Pamelii cum nostro.* Edd.

(b) *Prius in puteum abyssi*, etc. Alludit ad illud Apoc. XX, *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum*, sive relegavit, ut hic auctor loquitur, *in abyssum;* sive, secundum auctorem, *in puteum abyssi* Nisi malit quis referre ad illud ejusdem capitis, *Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis.* Pam.

(c) *Cum revelatio filiorum Dei*, etc. Hic illum locum respicit Rom., VIII: *Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat; vanitati enim creatura subjecta est non volens.* Quam enim interpres latinus *creaturam*, Tertullianus *conditionem* vocat more suo, non aliter atque dixit cap. 6 *de Cor. mil.*: *Universam conditionem* invitam vanitati successisse. Pam.

(d) *Redemerit conditionem a malo.* Conditionem dicit condita et creata quæque. Paulus, *ad Rom.* VIII, 19: Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ' ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα. Ἐπ' ἐλπίδι ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. *Conditionem* dicit Tertullianus, creaturam, hominem creatum; Paulus, κτίσιν. Primasius Uticensis: « In ipsa carne vicit peccatum Christus, ut naturam quæ fuerat bona per conditionem, et per transgressionem est vitiata, per suam gratiam reformaret. » Rig.

(e) *Vanitati subjectam*, ματαιότητι. Præclare hunc Pauli, adeoque Tertulliani locum explicavit Grotius annotationibus ad Epistolam Pauli. Rig.

(f) *Pecora condixerint bestiis.* Ut communis umbra seu commune tectum claudat oves et lupos, ut eodem quasi ad condictum amice conveniant. Rig.

(g) *Et parvuli de serpentibus luserint.* Pertinet hoc ad illud cap. XI Isaiæ: *Et puer parvulus in caverna*

3,31), utique qua optima, non certe qua mala ac pessima. Demutationem igitur admisit materia, et si ita est, statum æternitatis amisit : mortua est denique sine sua forma. Sed æternitas amitti non potest : quia, nisi amitti non possit, æternitas non est. Ergo nec demutationem potuit admisisse : quia, si æternitas est, demutari nullo modo potest.

CAPUT XIII.

Et quæretur : Quomodo ex ea bona facta sint, quæ ex demutatione nullo modo facta sunt? Unde in mala ac pessima boni atque optimi semen? Certe nec bona arbor fructus malos edit, quia nec Deus nisi bonus : nec mala arbor, bonos, quia nec materia est nisi pessima. Aut si dabimus illi aliquid etiam boni germinis, jam non erit uniformis naturæ, id est malæ in totum, sed et tantum duplex, id est (1) bonæ et malæ naturæ. Et quæretur iterum, an in bono et malo poterit convenire luci et tenebris, dulci et amaro. Aut si potuit utriusque diversitas boni et mali concurrisse, et duplex natura fuisse materiæ, amborum ferax fructuum, jam nec bona ipsa Deo deputabuntur, ut nec mala illi imputentur : sed utraque species de materiæ proprietate sumpta, ad materiam pertinebit. Quo pacto, neque gratiam bonorum Deo debebimus, nec invidiam malorum, quia nihil de suo operatus ingenio.

CAPUT XIV.

Per quod probabitur manifeste materiæ deservisse. Nam etsi dicatur, licet ex occasione materiæ, suo tamen arbitrio bona protulisse, quasi nactus bonum materiæ, quamquam et hoc turpe sit, certe cum ex eadem etiam mala profert, vel hæc utique non de suo arbitrio proferendo, servit materiæ, aliud non habens facere quam ex malo proferre; invitus utique qua bonus, ex necessitate ut invitus, et ex servitute ut ex necessitate. Quid ergo dignius, ex necessitate eum condidisse mala, an ex voluntate? Si quidem, ex necessitate condidit, si ex materia : ex voluntate, si ex nihilo. Jam enim sine caussa laboras, ne malorum auctor constituatur Deus : quia, etsi de materia fecit, ipsi deputabuntur qui fecit, proinde quatenus fecit. Plane sic interest unde fecerit, ac si de nihilo fecisset : nec interest unde fecerit, ut inde fecerit, unde eum magis decuit. Magis autem eum decuit ex voluntate fecisse, quam ex necessitate, id est, ex nihilo potius quam ex materia. Dignius est Deum etiam malorum auctorem liberum credere, quam servum. Quæcumque potestas ei, quam pusillitas competit. Si et sic concedimus materiam quidem nihil boni habuisse, Dominum vero, si quid boni edidit, sua virtute edidisse, aliæ æque oborientur quæstiones. Primo, (a) si bonum in materia omnino non fuit, non ex materia bonum factum est, quod materia scilicet non habuit. Deinde, si non ex materia, jam ergo ex Deo factum. Si nec ex Deo, jam ergo ex nihilo factum. Hoc enim superest secundum Hermogenis dispositionem.

CAPUT XV.

Porro si bonum, neque ex materia factum est, quia non erat in illa, ut in mala; neque ex Deo, quia nihil potuit ex Deo fieri, sicut definit Hermogenes : invenitur bonum jam ex nihilo factum, ut ex nullo factum, ut neque ex materia, neque ex Deo. Et si bonum ex nihilo, cur non et malum? imo cur non omnia ex nihilo, si aliquid ex nihilo? nisi si insufficiens fuit divina virtus omnibus producendis, quæ aliquid protulerit ex nihilo. Aut si ex materia mala bonum processit, quia neque ex nihilo, neque ex Deo, sequetur ut ex conversione (2) processerit materiæ, contra denegatam (3) æterni conversionem. Ita unde bonum constitit, jam negabit Hermogenes inde illud constare potuisse. Necesse est autem ex aliquo eorum processerit, ex quibus negavit procedere potuisse. Cæterum, si ideo malum non ex nihilo, ne Dei fiat, de cujus arbitrio videbitur, sed ex materia, ut ipsius sit, de cujus substantia erit factum : et hic, ut dixi, auctor mali habebitur Deus, qui cum eadem virtute et voluntate debuisset omnia bona (4) ex materia protulisse, aut tantum bona, non omnia tamen bona (5), protulisset etiam mala; utique aut volens esse mala, si poterat efficere ne essent; aut non valens efficere omnia bona, si voluit et non fecit : dum nihil intersit per infirmitatem Dominus auctor mali extiterit, an per voluntatem. Aut quæ fuit ratio, ut cum bona fecisset quasi (6) bonus, etiam mala protulisset quasi non bonus, cum non congruentia sibi solummodo edidit. Quid necesse erat, suo opere prolato, etiam materiæ negotium curare, proinde et malum proferendo, solus ut cognoscerotur bonus de bono (7), materia autem ne (8) cognosceretur mala de malo? Plus bonum floruisset sine mali adflatu. Nam et Hermogenes expugnat quorumdam argumentationes, dicentium mala necessaria fuisse ad illuminationem bonorum, ex contrariis intelligendorum.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *In Venet. abeunt, haud dubio errore typographiæ, verba :* malæ in totum, sed et tantum duplex, id est.
(2) Confessione *Venet. male.*
(3) Contra denegatam *omnes, præter Seml. Oberth.*
(4) *Rig. et Venet. inserit* bona *e cod. Wouw.*
(5) Aut tantum bona (non omnia tamen bona) protulisset; aut etiam mala *Jun.*; *sed non opus est.*
(6) Qua bonus, qua non b. *Lat.*
(7) *Hoc signum interrog. in rel. ponitur demum post malo.*
(8) Ut cognoscerctur *Jun.*

COMMENTARIUS.

aspidum, etc., *manum immittet*. Ubi tamen videtur legisse aliquid amplius, quam hodie græce legatur, et magis consentire cum hebræa B. Hieronymi ac chaldaica interpretatione, quæ legit, *et delectabitur parvulus super foramine aspidum*. Pam.

CAP. XIV.—(a) *Si bonum in materia omnino non fuit*. Quoniam arbor bona malos fructus non facit, et vice versa, qua ratione e materia quam facis malam, hæretice, bonum aliquid factum esse probabis? Le Pa.

Ergo aut nec propterea locus mali proferendi fuit, aut si qua alia ratio exigit illud induci, cur non et ex nihilo potuerit induci, ipsa ratione excusatura Dominum ne malli auctor existimaretur, quæ nunc cum (1) de materia operatur mala (2), excusat : si excusat, adeo ubique et undique illuc compellitur quæstio quo nolunt, qui, ipsam mali rationem non examinando, nec dignoscendo quomodo illud aut Deo adtribuant, aut a Deo separent, pluribus et indignioribus destructionibus Deum objiciunt.

CAPUT XVI.

Igitur in præstructione hujus articuli, et alibi forsitan retractandi, equidem diffinio, aut Deo adscribendum et bonum et malum quæ ex materia fecit, aut materiæ ipsi, ex qua fecit ; aut utrumque utrique, quia ambo sibi obligantur qui fecit et de qua fecit : aut alterum alteri ; tertius enim, præter materiam et Deum, non est. Porro si Dei (3) erit utrumque, videbitur Deus etiam mali auctor : Deus autem ut bonus, auctor mali non erit ; si materiæ (4) utrumque, videbitur materia etiam boni matrix ; mala autem in totum materia boni non erit matrix ; si utriusque erit, utrumque ; in hoc quoque comparabitur Deo materia, et partes erunt ambo, ex æquo mali ac boni adfines ; æquari autem Deo materia non debet, ne duos deos efficiat ; si alterum alterius, utique Dei bonum (5), et materiæ malum ; neque malum Deo, neque materiæ bonum adscribitur : et bona autem et mala Deus, de materia faciendo, cum ea facit. Hæc si ita sunt, nescio qua possit evadere sententia Hermogenis (6), qui Deum (7), quoquo modo de materia malum condidit, sive voluntate, sive necessitate, sive ratione, non putet mali auctorem. Porro, si mali auctor est ipse qui fecit (*a*), plane socia materia per substantiæ suggestum, excludis (8) jam caussam materiæ introducendæ. Nihilominus enim, et per materiam Deus auctor mali ostenditur, si ideo materia præsumpta est, ne Deus mali auctor videretur. Exclusa itaque materia, dum excluditur caussa ejus, superest uti Deum omnia ex nihilo fecisse constet. Videbimus an et mala, cum apparuerit quæ mala, et an mala (9) interim ea quæ putas. Dignius enim de suo arbitrio produxit, hæc quoque producendo de nihilo, quam de præjudicio alieno, si de materia produxisset. Libertas, non necessitas, Deo competit : malo voluerit mala a semetipso condidisse, quam (10) non potuerit non condidisse.

CAPUT XVII.

Unici Dei status hanc regulam vindicat : (*b*) non aliter unici, nisi quia solius : non aliter solius, nisi quia nihil cum illo : sic et primus erit, quia omnia post illum : sic omnia post illum, quia omnia ab illo : sic ab illo, quia ex nihilo, ut illi quoque Scripturæ ratio constet : *Quis cognovit sensum Domini ? Aut quis illi consiliarius fuit ? aut quem consultatus est ? aut viam intelligentiæ et scientiæ quis demonstravit illi ? quis tradidit, et retribuetur ei* (*Rom.* XI, 34, 35) ? Nemo utique : quia nulla vis, nulla materia, nulla natura substantiæ alterius aderat illi (11). Porro, si de aliquo (12) operatus est, necesse est ab ea ipsa acceperit et consilium et tractatum dispositionis, ut (13) viam intelligentiæ et scientiæ. Pro qualitate enim rei operari habuit et secundum ingenium materiæ, non secundum suum arbitrium : adeo ut et mala pro natura, non sua, sed substantiæ, fecerit.

CAPUT XVIII.

Si necessaria est Deo materia ad opera mundi, ut Hermogenes existimavit, habuit Deus materiam longe digniorem et idoneiorem, non apud philosophos æstimandam, sed apud prophetas intelligendam, (*c*) Sophiam suam scilicet : hæc denique sola cognovit sensum Domini. Quis enim scit quæ sunt Dei, et quæ in ipso, nisi spiritus qui in ipso (*I Cor.* II, 11) ? Sophia autem spiritus, hæc illi (14) consiliarius fuit, via intelligentiæ et scientiæ ipsa est (*Prov.* VIII). Ex hac fecit, faciendo per illam, et faciendo cum illa. *Cum pararet cælum*, inquit, *aderam illi ; et cum fortia faciebat* (*super ventos*) *quæ sursum nubila, et cum firmos ponebat fontes* (15) *ejus quæ sub cælo est, ego eram compingens cum ipso. Ego eram ad quam gaudebat, quotidie autem*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cum *inseritur in cæteris ; melius, ait Seml. qui et mittit.*
(2) Cum *abest hic ab omnibus.*
(3) Deus *Seml. Oberth. Rig. Wouw.* Dei fuerit *Jun.*
(4) Materia *Seml. Oberth.*
(5) Utique Dei, *ita Wouw. recte.* Utique Deus *Seml.* Utique Dei *Rig.*
(6) Hermogenes *Seml.*
(7) Qui, Deus *Rhen.*
(8) Excusas. *Rhen.*
(9) Interim et quæ putas *Rhen. cum punct. sign. ante* interim.
(10) *Inserit Lat.* quia.
(11) Aderit. *Seml.*
(12) De aliqua *Jun.*
(13) Et viam *Jun.*
(14) Illis *Paris. Fran.* illi *prob. a Jun.*
(15) Montes *Rhen. Seml. Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI.— (a) *Plane socia materia per substantiæ contextum.* Utitur non raro hac voce, aliquando pro ornamento seu decoris additione, ut hoc in loco, et *de Cultu fœmin.*, cap. II, *jam non tantum confictæ et elaboratæ libidinis suggestum recusandum a vobis sciatis, sed etiam*, etc. Aliquando pro compagine seu contextu, de Pallio, cap. 1, ubi *sacer suggestus.* Glossæ non abludunt ab hoc significatu, suggestum enim redditur σῆμα, ὕφος. Et alio loco ὕφος *textura.* Et *Apolog.*, cap. 16, *imaginum suggestus.* LE PR.

CAP. XVII.— (b) *Non aliter unici.* Regulam hanc a Tertulliano suisque aliis communem : Deus aut unus est, aut nullus. Impium enim et damnabile aliquid Deo æquale cogitare : solus ipse Creator ac servator, solus Dominus et arbiter rerum omnium, et si liceat profanum illud in re omnium gravissima usurpare, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. LE PR.

CAP. XVIII. — (c) *Sophiam suam scilicet.* Dei sapientiam intelligit, quæ adeo hominum mentes et cogitationem superat, ut universa mundi sapientia stultitia summa sit apud Deum. Unde Sophiam illam non apud philosophos, sed Prophetas quærendam docet. De Deo enim recte loqui non potest, qui Deum non novit, ut philosophi, qui gloriæ animalia Septimio sunt ; verum prophetæ et sancti ejusdem summi Dei Spiritu afflati. LE PR.

oblectabar in persona ejus (*Ibid.*) : quando oblectabatur cum perfecisset orbem, et inoblectabatur in filiis hominum. Quis non hanc potius omnium fontem et originem commendet, materiam vero materiarum (1), non sibi subditam, non statu diversam, non motu inquietam, non habitu informem, sed insitam et propriam et compositam et decoram, quali Deus (2) potuit eguisse, sui magis quam alieni egens? Denique, ut necessariam sensit ad opera mundi, statim eam (3) condit et generat in semetipso : *Dominus*, inquit, *condidit me initium viarum suarum in opera sua : ante sæcula fundavit me, prius quam faceret terram, prius quam montes collocarentur; ante omnes autem colles generavit me; prior autem* (4) *abyssо genita sum* (*Ibid.*) (5). Agnoscat ergo Hermogenes idcirco etiam Sophiam Dei natam et conditam prædicari, ne quid innatum et inconditum præter solum Deum crederemus. Si enim intra Dominum quod ex ipso et in ipso fuit, sine initio non fuit : Sophia scilicet ipsius ex indenata et condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari : multo magis (*a*) non capit sine initio quicquam fuisse quod extra Dominum fuerit. Si vero Sophia eadem Dei sermo est sensu sophia (6), et sine quod factum est nihil (*Joan.* I, 3), sicut et dispositum sine sophia, quale est ut filio Dei sermone unigenito et primogenito aliquid fuerit præter Patrem antiquius : et hoc modo utique generosius, nedum quod innatum (7) nato fortius, et quod infectum facto (8) validius? quia quod ut esset nullius eguit auctoris, multo sublimius erit eo quod, ut esset, aliquem habuit auctorem : proinde, si malum quidem innatum est, natus autem (9) sermo Dei : *Eructavit enim*, inquit, *sermonem optimum* (*Ps.* XLIV, 1), non scio an bono malum possit adduci, validius ab infirmo, ut innatum a nato. Ita et hoc nomine materiam Deo præponit Hermogenes, præponendo eam Filio. *Filius enim sermo, et Deus sermo* (*Joan.*, I, 1); et : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.*, X, 10) : nisi quod sustinebit æquo animo filius eam præponi sibi, quæ Patri adæquatur.

CAPUT XIX.

Sed et ad originale instrumentum Moysi provocabo, unde et diversa pars suspiciones suas ingratis (10) fulcire conatur, ne scilicet non inde instrui videretur unde oportet. Itaque occasiones sibi (11) sumpsit quorumdam verborum, ut hæreticis fere mos est simplicia quæque torquere. (*b*) Nam et ipsum principium, in quo Deus fecit cœlum et terram, aliquid volunt fuisse quasi substantivum et corpulentum, quod in materiam interpretari possit. Nos autem unicuique vocabulo proprietatem suam (12) vindicamus, principium initium esse, et competisse ita poni rebus incipientibus fieri. Nihil enim, quod fieri habet, sine initio esse, quin initium sit illi ipsum dum incipit fieri. (*c*) Ita principium sive initium, inceptionis esse verbum, non alicujus substantiæ nomen. Jam nunc, si principalia Dei opera cœlum et terra sunt, quæ ante omnia Deus fecit suorum (13) esse proprie principium, quæ priora sunt facta, merito sic præfatur Scriptura (14) : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1); quemadmodum dixisset : In finem Deus fecit cœlum et terram : si post universa fecisset. Aut si principium aliqua substantia est, erit et finis aliqua materia. Plane licebit etiam substantivum aliquid principium esse alii rei, quæ ex ipso sit futura, ut argilla principium testæ, ut semen principium herbæ. Sed cum ita utimur vocabulo principii quasi originis, non quasi ordinis nomine, adjicimus et mentionem ipsius rei specialiter, quam volumus principium alterius rei. De cætero si sic ponamus, verbi gratia : In principio fecit figulus pelvim vel urnam; jam non materiam significabit (15) principium : non enim argillam nominavi principium, sed ordinem operis; quia figulus ante cætera primum pelvim et urnam fecit, exinde facturus et cætera; ad ordinationem operum principii vocabulum pertinebit, non ad originem substantia-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Materiarum *abest in lib. Pithœi. Rig. Jun. legit* : materiam vero materiarum non sic subditam ex *Hirsaug. cod. Rhen.* lide.
(2) Quali Deo potuit eguisse? sui magis quam alieni *Semi. Oberth.* Alienis genus *cod. Hirsaug.; unde Rhen. voluit* : Suis magis quam alienigenis.
(3) Ea *Venet.*
(4) Prior item abysso *Jun.*
(5) Genita sum. Cum agnoscat. *Rhen. Oberth. Semler invitus et improbans.*
(6) Sermo est, sensus Sophia *Jun.* Sensus et Sophia *lib. Pithœi.*
(7) Nato *inseritur Fran.*
(8) Factum *Semi. Oberth.*
(9) Innatum est, id est Sermo Dei *Semi. Oberth.*
(10) Ingratis *Jun.*
(11) Occasiones ibi *Jun.*
(12) Proprietatem cum vindicamus *Semi.*
(13) Universum *Lat. In impressa Correct. habet* universorum *C. Macrus. Jun.*
(14) Merito sic præfatur Scriptura *alii.* Esse proprie principium, quo priora sunt facta, meritoque sic præfatam Scripturam : *In principio Jun.*
(15) Significabit *edd. omnes et Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Non capit sine initio quicquam fuisse.* Usum hujus impersonalis verbi, *capit*, quod græcis est ἐνδέχεται, apud Tertullianum in libris præcedentibus disces ubique et sæpe. Hic tantum valet, *non capit quicquam fuisse*, ac si dicas : Fieri non potest. Rhen.

CAP. XIX. —(b) *Nam et ipsum principium, in quo Deus fecit cœlum et terram.* Omnes istas tricas facile expedire videtur qui verba Mosis, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, sic interpretatur : *Quo exstiterunt initio cœlum et terra, eo Deus illa creavit.* Hoc enim voluit Moses; cœli ac terræ nominibus mundum universum significavit a Deo creatum. Deinde explicat quo ordine et modo præcipua quæque sint creata. Ric. — Quidquid dixerint Tertullianus et ejus adnotatores, nihilominus multi inveniuntur Ecclesiæ doctores qui illud Genes. I. 1, *In principio*, de Verbo Dei accipiunt; sic Basilius, Ambrosius, etc. Alii alium sensum his verbis tribuunt, ut videre est apud Corn. a Lapide, vel in *Curs. compl. Script. sacræ.* Edd.

(c) *Ita principium sive initium*, etc. Verisimile est, ut hanc significationem *principii* indicaret auctor, propterea alibi ab eo verti solere, cum dictam scripturam citat, *in primordio fecit Deus cœlum et terram*, sicuti supra, lib. *de Baptismo*, cap. 3, 5. Pam.

rum. Possum et aliter (1) principium interpretari, non ab re tamen : (*a*) nam et in græco *principii* vocabulum, quod est ΑΡΧΗ, non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum. (*b*) Unde et ΑΡΧΟΝΤΑΣ (*c*) dicunt principes et magistratus. Ergo secundum hanc quoque significationem, principium pro principatu et potestate sumetur. In principatu enim et in potestate Deus fecit cœlum et terram.

CAPUT XX.

Sed ut nihil aliud significet græca vox, quam principium, et principium nihil aliud capiat, quam initium, habemus etiam illam initium agnoscere, quæ dicit : *Dominus condidit me* (2) *initium viarum suarum in opera sua.* Si enim per Sophiam Dei omnia facta sunt ; et cœlum ergo et terram Deus faciens in principio, id est initio, in Sophia sua fecit. Denique si principium materiam significaret, non ita Scriptura inscripsisset (3) : *In principio Deus fecit*, sed *ex principio.* Non enim in materia, sed ex materia fecisset. De Sophia autem potuit dici, *in principio.* In Sophia enim primo fecit, in qua cogitando et disponendo jam fecerat ; quoniam etsi ex materia facturus fuisset, ante in Sophia cogitando et disponendo jam fecerat. Quoniam etsi erat initium viarum (4), quia cogitatio et dispositio prima Sophiæ fit operatio de cogitatu viam operibus instituens, hanc et inde auctoritatem Scripturæ mihi vindico, quod et Deus qui fecit, et ea quæ fecit ostendens, unde fecerit non proinde testatur. Nam cum in omni operatione tria sint principalia : qui facit, et quod fit, et ex quo fit ; tria nomina sunt edenda in legitima operis enarratione : persona factoris, species facti, forma materiæ. Si materia non edetur, ubi et opera et operator edentur, apparet ex nihilo eum operatum. Proinde enim ederetur ex quo, si ex aliquo fuisset operatus. Denique Evangelium ut supplementum instrumenti veteris adhibendo (5), in quo vel eo magis debuerat ostendi Deus ex aliqua materia universa fecisse, quod illic etiam per quem omnia fecerit revelatur : (*d*) *In principio erat sermo, in* quo *principio scilicet Deus fecit cœlum et terram. Et sermo erat apud Deum, et Deus erat sermo. Omnia per ipsum facta sunt, et sine illo factum est nihil* (*Joan.* I, 1). Cum igitur et hic manifestetur et factor, id est Deus : et facta, id est omnia : et per quem, id est sermo ; nonne et unde omnia facta essent a Deo per sermonem, exegisset ordo profiteri, si ex aliquo facta essent ? Ita quod non fuit, non potuit Scriptura profiteri, Et non profitendo satis probavit non fuisse, quia profiteretur si fuisset.

CAPUT XXI.

Ergo, inquis, si tu ideo præjudicas ex nihilo facta omnia, quia non sit manifeste relatum de materia præcedenti factum quid, vide (*e*) ne diversa pars ideo contendat ex materia omnia facta, quia proinde non aperte significatum sit, ex nihilo quid factum. Plane retorqueri quædam facile possunt : non statim et ex æquo admitti, ubi diversitas caussæ est. Dico enim, etsi non aperte Scriptura pronuntiavit ex nihilo facta omnia, sicut nec ex materia, non tantam fuisse necessitatem aperte significandi de nihilo facta omnia, quanta esset, si ex materia facta fuissent. Quoniam quod fit ex nihilo, eo ipso dum non ostenditur ex aliquo factum, manifestatur ex nihilo factum : (*f*) et non periclitatur ne ex aliquo factum existimetur, quando non demonstretur ex quo sit factum. Quod autem ex aliquo fit, nisi hoc ipsum aperte declaratur ex aliquo factum, dum illud ex quo factum sit non ostenditur (6), periclitabitur primo videri ex nihilo factum, quia non editur ex quo sit factum. Dehinc, etsi ea sit conditione, ut non possit videri non ex aliquo (7), proinde periclitabitur, ex alio longe factum videri, quam ex quo factum est, dum non proponitur unde

LECTIONES VARIANTES.

(1) Possunt et aliter *Seml. Oberth.*
(2) Initium viarum suarum *abest a Seml. Oberth. Mss. non habent, inquit Junius, et abesse potest*, etc.
(3) Instruxisset, *Seml. Obert.*
(4) Disponendo jam fecerat ; et sic erat initium viarum, quia cogitatio et dispositio prima Sophiæ sit operatio, de cogitatu viam operibus instituens. Hanc exinde auctoritatem, etc. *Ita legit Junius et lectionem suam pluribus verbis defendit.*
(5) Adhibebo *Seml. Oberth.*
(6) Non *deest Rhen. Seml. Obert.*
(7) Videri ex aliquo *Seml. Obert. Jun. leg.* ut nunc possit videri ex aliquo.

COMMENTARIUS.

(a) *Nam et in græco principii vocabulum, quod est* ἀρχὴ. Consentiunt etiam Tertulliano in significatione ἀρχὴ pro principatu. Xenophon. lib. I *de Imperio*, Aristoteles, *Politic.* I, et Plato, *de Republica.* PAM.

(b) *Unde et* ἄρχοντες *dicunt principes et magistratus.* Hoc adnotatu dignum, quod ubi græce est ἄρχοντες, eam vocem in translatione scripturarum retinere soleat auctor; sicuti supra *adv. Judæos*, cap. 9, et infra, lib. III, *adv. Marc. Nam et* ἄρχοντας (inquit, Isaiam citans, cap. I) *Sodomorum appellat archontas vestros.* Item lib. *de Resurrectione carnis*, cap. 20, alium locum Isaiæ III, sic vertit, *Venturum in judicium cum presbyteris et archontibus populi.* PAM.

(c) *Archontas dicunt principes et magistr.* Non potuit vir antiquitatis peritus non emittere hoc verbum de Atheniensium regimine ; apud hos enim moriente Codro extincta est regum successio, resque publica commissa fuit prætoribus primum perpetuis seu magistratibus qui archontes appellati sunt numero 13. Creati postea decennales septem, ac demum annui constituti sunt. Primus archon fuit Medon, ut narrat Pausanias in *Achaicis*, qui cum pede altero esset debilis, frater ejus Neleus principem illum creari Athenis non posse sustinuit. Quod cum ad Apollinem delatum esset, secundum Medontem pronuntiavit. LE PA.

CAP. XX.— (d) *In principio erat sermo*, etc. Non solum auctori istud et B. Cypriano usitatum fuit, ut *sermo Dei* potius quam verbum Dei appellaretur filius. Hinc illud hujus lib. II Testimon. *adversus Jud.*, c. 3 : *Quod Christus idem sit sermo Dei*, ubi id probat ex variis scripturis. PAM.

CAP. XXI. — (e) *Ne diversa pars.* Supra, *Unde et diversa pars suspiciones suas fideire conatur.* RIG.

(f) *Et non periclitatur ne ex aliquo*, etc. Hanc locutionem per verbum *periclitor* etiam alibi usurpat, imitatione Græcorum, qui verbo κινδυνεύω sic utuntur.

sit factum. Ita, si ex nihilo Deus cuncta fecisse non potuit etsi (1) Scriptura non adjecisset illum ex nihilo fecisse (II *Mach.* VII, 28); ex materia eum fecisse omni modo debuit edixisse, si et ex (2) materia fecisset, quia illud in totum habebat intelligi, etsi non significaretur : at istud in dubio, nisi significaretur.

CAPUT XXII.

Atque adeo Spiritus Sanctus hanc Scripturæ suæ rationem constituit, ut cum quid ex aliquo sit, et unde sit referat. (a) *Fruticet* (3), inquit, *terra herbam fœni, seminantem semen secundum genus, et secundum similitudinem, et lignum fructuosum faciens fructum, cujus semen in ipso in similitudinem. Et factum est sic. Et produxit terra herbam fœni seminantem semen secundum genus, et lignum fructuosum faciens fructum, cujus semen in ipso in similitudinem.* Et rursus : *Et dixit Deus :* (b) *Producant aquæ repentia animarum viventium, et volatilia volantia super terram per firmamentum cœli. Et factum est sic. Et fecit Deus cetos magnos, et omnem animam animalium repentium, quæ produxerunt aquæ secundum genus ipsorum.* Item post hæc : *Et dixit Deus : Producat terra animam viventem secundum genus, quadrupedia et repentia, et bestias terræ, secundum genus ipsorum* (*Genes.*, *cap.* I, *v.* 11 *et seqq.*). Si ergo ex jam factis rebus, alias res Deus proferens, ostendit per prophetam, et dicit quid unde protulerit (quamquam possimus unde (4) illas prolatas æstimare (5), dum ne ex nihilo; jam enim facta erant quædam, ex quibus prolatæ videri possent) : si tantam curam instructionis nostræ insumpsit Spiritus sanctus, ut sciremus quid unde processerit, nonne proinde nos et (c) de cœlo et de terra compotes reddidisset, significando unde ea esset operatus, si de aliqua materia origo constaret illorum? ut tanto magis ex nihilo ea videretur operatus, quanto nihil ad huc erat factum, ex quo operatus videretur. Itaque sicut ea quæ de aliquo prolata sunt, ostendit unde prolata sint : ita quæ non ostendit unde prolata sint, ex nihilo prolata confirmat. Igitur *in principio Deus fecit cœlum et terram* (d) Adoro Scripturæ plenitudinem, qua (6) mihi et factorem manifestat et facta. In Evangelio vero amplius et ministrum atque (e) arbitrum rectoris invenio sermonem. An autem de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat (f) væ illud, adjicientibus aut detrahentibus destinatum (*Apoc.* XXII, 18, 19).

CAPUT XXIII.

Sed ex sequentibus argumentatur, quia scriptum sit : *Terra autem erat invisibilis et incomposita.* (g) Nam et *terræ* (7) nomen redigit in materiam (8), quia terra sit quæ facta est ex illa. Et *erat* in hoc dirigit, quasi quæ semper retro fuerit innata et infecta. (h) Invisibilis autem et rudis, quia informem et confusam et inconditam vult fuisse materiam. Has quidem opiniones ejus singillatim (9) revincam, sed interim volo sic ei respondere. Putamus (10) his articulis materiam demonstrari. Numquid tamen, quia erat ante omnia, et tale aliquid esse ex ea factum Scriptura significat? Atquin nihil tale significat. Fuerit licet materia, quantum sibi licet, vel potius Hermogeni : potuit et fuisse, et tamen nihil Deus ex illa fecisse, vel quia non decebat Deum alicujus eguisse, certe quia nec ostenditur quicquam ex materia fecisse. Sine caussa ergo esset, inquis. Non plane adeo sine caussa. Nam etsi mundus non est factus ex illa, sed hæresis facta est, et quidem hoc impudentior, quod non ex materia facta est hæresis, sed materiam ipsam potius hæresis fecit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Etsi *deest Seml. Oberth.*
(2) Licet ex *Seml. Oberth.*
(3) Fructificet *Seml. Oberth.*
(4) Unde unde *Rig. Flouw. Lat.*
(5) Existimare *Rig. e cod. Divion.*
(6) Quæ *omnes alii, teste Jun.*
(7) Et in terræ *Rhen. conjicit.*
(8) In *deest Fran. Paris, Rig.*
(9) Sigillatim *alii.*
(10) Putemus *conjicit Jun.*

COMMENTARIUS.

Non periclitatur, hoc est, abest, non est periculum. RHEN.

CAP. XXII. —(a) *Fruticet, inquit, terra herbam, etc.* Sic iterum legimus tum hic, tum infra c. 29, ex admonitione Latinii, pro eo quod Rhenanus substituerat, *fructificet*, idque eo magis, quod vox græca βλαστησάτω germinare et fructicare significet, non fructificare, quomodo etiam voces hebræa et chaldæa. Rectius autem vertit auctor *lignum fructuosum*, pro eo quod græce est κάρπιμον, quam latinus LXX interpres *pomiferum*. PAM.

(b) *Producant aquæ repentia.* Putavit sine dubio melius reddi repentia ἑρπετά quam reptilia, ut codex vulgatus, quamquam melius putarem reptilia. LE PR.

(c) *De cœlo et de terra*, etc. Id est Spiritus sanctus qui cœli arcana nos docebat, monuisset *de cœlo* a quo res creatæ fuissent. Idem quoque Spiritus docuisset *de terra* ex qua crearentur : sicque nos de cœlo et de terra compotes reddidisset. LE PR.

(d) *Adoro Scripturæ plenitudinem.* Venerationem aliquam tribuisse sacro textui auctorem hunc, nullum puto fore qui neget, quædam tamen principia de suo in explicanda Scriptura jacit a quibus cavendum. LE PR.

(e) *Arbitrum rectoris invenio sermonem.* Scribendum, ut est in codice Divionensi, *Arbitrum factoris invenio sermonem.* RIG.

(f) *Væ illud adjicientibus*, etc. Sacræ scripturæ addere vel detrahere summa esset audacia. Verum illius interpretatio, non ex homuncionum cerebro, sed ex Ecclesiæ placitis et SS. Patrum lucubrationibus tantum eruenda est. Quod adjicio, ut hæreticorum protervie obvius occurram, qui ex hoc loco aliquid eruere posse crederent ad fatuitatum subsidium. LE PR.

CAP. XXIII.—(g) *Nam et terræ nomen.* Propius hic Hermogenis errorem tangit, cujus originem ex eo fuisse docet, quod per *terræ* nomen materiam designari crederet. LE PR.

(h) *Invisibilis autem et rudis.* Dixerat modo, *incomposita*, pro eo quod est in græco ἀκατασκεύαστος, hic rudis dicitur, ut Ovidio I *Metamorph.* — *Rudis indigestaque moles.* LE PR.

CAPUT XXIV.

Revertor nunc ad singulos articulos, per quos putavit significatam essè materiam. Et primo de nominibus expostulabo. Horum enim alterum legimus, quod est terræ : alterum non invenimus, quod est materiæ. Quæro ergo, cum materiæ nominatio non exstet in Scriptura, quomodo ei etiam terræ appellatio accommodetur in alio jam genere substantiæ nota? Quo magis materiæ quoque nominatio extitisse debuerat, consecuta etiam terræ appellationem, ut scirem terram commune cum materia esse nomen, ne illud ei soli substantiæ vindicarem, cujus et proprium, in qua magis notum est (1), vel ne illud in quamcumque aliam speciem, nec utique omni materiæ communicare possem, si vellem. Cum enim non exstat proprium vocabulum ejus rei cui commune vocabulum adscribitur, quanto non comparet cui adscribatur, cuicumque alii poterit adscribi. Ita Hermogenes, etsi materiam ostenderet nominatam, deberet eamdem probare terram quoque cognominatam, ut ita utrumque illi vocabulum vindicaret.

CAPUT XXV.

Vult igitur duas proponi terras in ista scriptura : unam, quam in principio Deus fecit ; aliam, materiam, ex qua fecit, de qua dictum sit : *Terra autem erat invisibilis et rudis.* Utique si quæram ex duabus quæ, cui nomen terræ accommodare debeat (2), dicetur, hanc quæ facta sit ex illa ex qua facta est, vocabulum derivasse, quia verisimilius sit ab origine sobolem potius, quam originem a sobole vocitari. Hoc si ita est, alia nobis obvolvitur quæstio, an competat terram hanc quam Deus fecit, ex illa ex qua fecit, cognomentum derivasse. Audio enim apud Hermogenem cæterosque *materiarios* hæreticos, terram quidem illam informem et invisibilem et rudem fuisse : hanc vero nostram proinde et formam, et conspectum, et cultum, a Deo consecutam. Aliud ergo factam quam erat ea ex qua facta est. Porro aliud facta, non potuit cum ea denominatione (3) sociari, a cujus conditione desciverat. Si nomen proprium materiæ illius fuit terra, hæc quæ non est materia, aliud scilicet facta, terræ quoque non capit nomen alienum, et statu suo (4) extraneum. Sed materia facta, id est terra (5), habuit cum sua origine consortium nominis, sicut et generis. Non adeo (6). Nam et testam, licet ex argilla confectam (*a*), jam non argillam vocabo, sed testam : (*b*) et electrum, licet ex auro et argento fœderatum, (*c*) nec argentum tamen nec aurum appellabo, (*d*) sed electrum : a cujus habitu quid (7) divertit, pariter et a vocatu ejus recedit, appellationis, sicut et conditionis proprietate. Quam autem transierit de statu terræ illius, id est materiæ, ista terra, vel eo palam est, quod hæc apud Genesim testimonium boni accipit : *Et vidit Deus quia bonum :* illa autem apud Hermogenem in originem et caussam malorum deputatur. Postremo, si ideo hæc terra, quia et illa, cur non et materia hæc quoque, quia illa? Imo jam et cœlum et omnia, si ex materia constant, et terræ et materiæ vocari debuerunt. Satis ista de terræ nomine (in quo materia (8) intelligi voluit) quod nomen unius elementi omnes sciunt, natura primum, deinde (9) Scriptura docente, (*e*) nisi et (10) Sileno illi apud Midam regem adseveranti de alio orbe, credendum est, (*f*) auctore Theopompo. Sed et deos multos idem refert.

CAPUT XXVI.

Nobis autem unus Deus et una est terra, quam in principio Deus fecit, cujus ordinem incipiens Scriptura decurrere, primo factam eam edicit, dehinc qualitatem ipsius edisserit, sicut et cœlum primo

LECTIONES VARIANTES.

(1) Notum est *Oberth. Seml. post Rhen. sane suspicantem legendum esse :* notum est.
(2) *Omittitur* debeat *apud Seml. et Oberth., qui addunt* id. *Junius legit :* ex duobus, quæ cui nomen terræ accommodari debeat.
(3) Ea de nomine *Seml. Oberth.*
(4) Et status sui *Lat.*
(5) Ex terra *Seml. Oberth.*
(6) Non audio *Pamel. Parisin. Franeq.* non a Deo *Rigalt. Semler, Oberth.*
(7) Quid *Par. Fræm. Rig. At Jun.* qui. *Seml.* quod.
(8) Materiam *Seml.*
(9) De hinc *Rhen. Seml.*
(10) Nisi si *addit. Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXV. — (a) *Jam non argillam vocabo, sed testam.* Etenim ignis argillæ nomen excussit. Rig.

(b) *Et electrum licet ex auro et argento fœderatum.* Conflati utriusque metalli confusione. Plinius, lib. IX, 40 : *Nec habent finem vitia, juvatque ludere impendio, et luxus geminare miscendo, iterumque et ipsa adulterare adulteria naturæ ; sicut argentum auro confundere, ut electra fiant ; addere his æra, ut Corinthia.* Idem ait, ubicumque quinta argenti portio est, electrum vocari. Rig.

(c) *Nec argentum tamen nec aurum appellabo, sed electrum.* Etenim fit species novi corporis, ut ait Caius, liv. VII *de Adquit. rer. dom.* Fit tertium quid, ex utroque confusum. Sic lib. *adversus Praxeam.* Rig.

(d) *Sed electrum.* Plinius, lib. XXXIII *Hist. nat.*, 4 : « Omni auro inest argentum : ubicumque quinta argenti portio est, *electrum* vocatur, fit et cura *electrum* argento addito, quod si quintam portionem excessit, incudibus non resistit. » Pam.

(e) *Nisi et Sileno illi apud Midam, etc.* Simile est illud supra cap. 2, lib. *de Pallio : Viderit si quis uspiam alius* (orbis nempe), *ad Meropas, ut Silenus penes aures Midæ blattit, aptas sane grandioribus fabulis;* et quod habet Maximus Tyrius serm. 30 (si modo recte citatur a Gyraldo *de diis gentium*), *Silenum ebrium laqueis et vinculis constrictum Midæ prædixisse varia et diversa.* Unde etiam facile colligere est poetam Virgilium Eclogæ *Sileni* argumentum sumpsisse, et in proverbium quoque abiisse, Silenis Alcibiadeis magis ridiculum, quali nomine, ob *grandiores fabulas*, Rhenanus alicubi Valentinianorum somnia appellat. Pam.

(f) *Auctore Theopompo.* Non unus fuit Theopompus : alter fuit historicus, alter poeta comicus qui fabulæ cuipiam nomen *Sileni* dedit. An idem fuerit poeta et historicus incertum habeo. Tota autem illa Midæ fabula ex Theopompo eruitur. Quamquam revera Silenus a Mida captus fuit in hortis amœnis quos in Macedonia habebat. Le Pa.

factum professa : *In principio fecit Deus cœlum*, dehinc dispositionem ejus superinducit : (*a*) *Et separavit inter aquam quæ erat infra firmamentum* (*Gen.* I, 7), *et quæ super firmamentum, et vocavit Deus firmamentum cœlum*, ipsum quod in primordio fecerat. Proinde et de homine : *Et fecit Deus hominem : ad imaginem Dei fecit illum* (*Ibid.* 27). Dehinc qualiter fecerit reddit : *Et finxit Deus hominem de limo terræ, et adflavit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam vivam* (*Gen.* II, 7). Et utique sic decet narrationem inire, primo præfari, postea prosequi, nominare, deinde describere. Alioquin vanum, si ejus rei cujus nullam præmiserat mentionem, id est materiæ, ne ipsum quidem nomen, subito formam et habitum promulgavit (1) : ante enarrat qualis esset, quam an esset ; ostendit figuram deformati ; nomen abscondit. At quanto credibilius secundum nos ejus rei dispositionem Scriptura subjunxit, cujus institutionem simulque nominationem præmisit. Quam denique integer sensus est : *In principio Deus fecit cœlum et terram, terra autem erat invisibilis et rudis* (*Gen.* I, 1, 2), quam Deus scilicet fecit, de qua Scriptura cum maxime ediderat (2). Nam et *autem* ipsum, velut fibula conjunctivæ particulæ ad connexum narrationi oppositum est (3), *terra autem*. Hoc enim verbo revertitur ad eam de qua supra dixerat, et alligat sensum. (*b*) Adeo aufer hinc *autem*, et soluta compago est, ut tunc possit de alia terra dictum videri, *Terra erat invisibilis et rudis*.

CAPUT XXVII.

(*c*) Sed tu supercilia (4) capitis, nutu (5) digiti accommodato, altius tollens, et quasi retro jactans : *Erat*, inquis (6), quasi semper fuerit, scilicet innata et infecta, et idcirco materia credenda. At ego sine ullo lenocinio pronuntiationis simpliciter respondebo, de omni re posse dici *erat*, etiam de ea quæ facta, quæ nata sit, quæ aliquando non fuerit, et quæ materia non sit. Omne enim quod habet esse, unde habeat (7), sive per initium, sive sine initio (8), hoc ipso quod est, etiam *erat* dicetur. Cui competit prima verbi positio in definitionem, ejusdem etiam declinatio verbi decurret in relationem. *Est*, definitionis caput ; *erat*, relationi facit (9). Hæ sunt argutiæ et subtilitates hæreticorum, simplicitatem communium verborum torquentes in quæstionem (10). Magna scilicet quæstio est, si erat terra, quæ facta est. Sane discutiendum an ei competat invisibilem et rudem fuisse quæ facta est, an ei ex qua facta est, ut ejusdem sit *erat*, cujus et quod erat (11).

CAPUT XXVIII.

Atquin non tantum probabimus istum habitum huic terræ competisse, sed et illi alii non competisse. Nam si nuda materia (12) Deo subjacebat, nullo scilicet elemento obstruente, si quidem nondum quicquam erat præter ipsam et Deum ; utique invisibilis esse non poterat. Quia etsi tenebras volet in substantia fuisse materiæ (cui articulo respondere debebimus suo ordine), etiam homini tenebræ visibiles sunt. Hoc enim ipsum quod sunt tenebræ, videtur, nedum Deo. Et utique si invisibilis esset, nullo modo cognosceretur qualitas ejus. Unde ergo compertus est Hermogenes informem et confusam et inconditam (13) illam fuisse, quæ ut invisibilis latebat : (*d*) aut si hoc a Deo revelatum est, probare debet. Sic et an rudis dici potuerit, expostulo. Certe enim rude illud est quod imperfectum est. Certe imperfectum non potest esse, nisi quod factum est. Quod enim minus factum est, imperfectum est. Certe, inquis. Ergo materia quæ facta non erat in totum imperfecta esse non potuit. Quæ imperfecta non fuit, etiam rudis non fuit. Initium non habens quia facta non fuit, cernit et rudimento. Initii enim accidens est rudimentum. Terra vero quæ facta est, meruit et rudis dici. Statim enim ut facta est, habuit imperfectæ locum, ante perfectionem.

CAPUT XXIX.

Si quidem omnia opera sua Deus ordine consummavit, incultis (14) primo elementis (*e*), depalans

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habitum promulgavit ante : enarrat qualia esset, antequam an esset, ostendit : figuram deformat, nomen abscondit : *Jun. ita legend. censet.*
(2) Edixerat *Semler, Oberth.*
(3) Adpositum *Seml. Oberth.*
(4) Supercilio *Seml. Oberth.* Supercilio et capitis nutu digitis accommodato *Jun.*
(5) Et nutu *Seml. Oberth. Pamel.*
(6) Inquit *Jun.*
(7) Habet *Seml.* Habeat *Fran.*
(8) Sine *abest Seml.*
(9) Relationis *Jun.*
(10) In quæstionem magnam *Seml.*
(11) *Ita omnes. Suspicatur Hallensis legendum* cujus ex quo erat.
(12) Si nuda sit materia, Deo *Seml. Oberth.* Si nuda sic *Jun.*
(13) Inquietam *Seml. Obert.* Incultam *suspic. Jun.*
(14) Incultum *scil.* mundum *Jun. minus bene.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXVI. — (a) *Et separavit inter aquam, quæ erat infra firmamentum. Infra* omnino hic accipit auctor, *pro subter*, aut *sub*, neque enim aliter accipi potest; quod græce est, ὁ ἦν ὑπεκάτω τοῦ στερεώματος, maxime cum illud *Hebr.* II, transferatur : *sub pedibus ejus*, sicut hic ab aliis interpretibus, *sub firmamento*. PAM.

(b) *Adeo aufer hinc* autem, *etc.* Pulchra interpretatio, quid particula *autem* in Scripturis sacris addita significet. Adnotatur autem a Rhenano similis locus, ex lib. *de Resurrect. carnis*, infra, cap. 40 : *Ita vocabulum, homo, conserlarum substantiarum duarum quodammodo fibula est.* PAM.

CAP. XXVII.—(c) *Sed tu supercilia capitis nutu digiti accommodato.* In editionibus Rhenani et codice Divionensi legitur : *Sed tu supercilio capitis et nutu digiti accommodato, etc.* RIG.

CAP. XXVIII.—(d) *Aut si hoc a Deo revelatum est.* Locus adnotandus adversus hæreticos, quos spirituales quidam nuncupant, aut exstaticos, qui etiam, Scriptura contempta, solis revelationibus nitendum docent : in quo non credendum illis docet hic auctor, nisi probent id a Deo revelatum. PAM.

(e) *Depalans quodammodo mundum.* Depalans, hoc est, *manifestans*, palam ostendens. *Adversus Marcionem*, lib. V, Apostolum vocat depalatorem disciplinæ divinæ, id est enarratorem, promulgatorem-

quodammodo mundum ; (*a*) dehinc exornatis velut dedicans. Nam et lumen non statim splendore solis implevit, et tenebras non statim solatio lunæ temperavit, et cœlum non statim sideribus stellisque signavit, et maria (1) non statim belluis frequentavit, et ipsam terram non statim varia fœcunditate dotavit : sed primo esse ei contulit ; dehinc non in vacuum esse supplevit. Sic enim et Isaias ; *Non in vacuum*, ait, *fecit illam*, (*b*) *sed inhabitari* (*Is.* XLV, 18). Postea ergo quam facta est, futura etiam perfecta, interim erat invisibilis et rudis. Rudis quidem, hoc quoque ipso quod invisibilis, ut nec visui perfecta, simul et ut de reliquo nondum instructa. Invisibilis vero, ut adhuc aquis, tamquam munimento (2) genitalis humoris, obducta : qua forma, etiam adfinis ejus caro nostra producitur. Nam et David ita canit : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terræ* (*c*), *et omnes qui habitant in illa. Ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit eam* (*Ps.* XXIII, 1, 2). Segregatis enim aquis in cavationem (3) sinuum, (*d*) emicantior facta est arida, quæ antehac aquis tegebatur. Exinde itaque et visibilis efficitur, dicente Deo : *Congregetur aqua in congregationem* (4) *unam, et videatur arida. Videatur* inquit, non, *fiat*. Jam enim facta erat, (*e*) sed invisibilis usque tunc videri sustinebat. *Arida* autem, quod erat futura ex divortio (5) humoris, tamen terra. *Et vocavit Deus aridam terram*, non materiam. Sic et perfectionem postea consecuta, desinit rudis haberi, cum pronuntiat Deus : (6) *Fruticet terra herbam fœni seminantem semen secundum genus, et secundum similitudinem, et lignum fructuosum faciens fructum, cujus semen in ipso in similitudinem.* Item : *Producat terra animam vivam secundum genus, et quadrupedia, et repentia, et bestias terræ secundum genus.* Implevit igitur ordinem suum Scriptura divina. Quam enim A prædixit invisibilem et rudem, ei et visionem reddidit et perfectionem. Non alia autem materia erat invisibilis et rudis. Ergo (7) materia erit postea visibilis et perfecta. Volo itaque videre materiam ; visibilis enim facta est. Volo et perfectam eam recognoscere, ut ex illa etiam fœni herbam, et ex illa decerpam lignum fructuosum (8) ; et ex illa animalia usui meo famulentur. Sed materia quidem nusquam : terra vero, hæc (9), id est coram. Hanc video, hac perfruor, ex quo invisibilis et rudis esse desiit, de qua manifestissime Isaias : *Hæc dicit Dominus qui fecit cœlum* (*Is.* XLV, 18). Iste Deus qui demonstravit terram, et fecit illam. Certe eamdem demonstravit, quam et fecit. Quomodo demonstravit ? Utique dicendo : *Videatur arida.* Quare videri jubet, nisi quia B retro non videbatur ? ut si quoque eam *non in vacuum* fecisset faciendo visibilem, et *ita habilem* (10). Et sic per omnia probatur nobis hanc quam incolimus, eamdem et factam esse a Deo et ostensam, nec aliam fuisse rudem et invisibilem, quam quæ et facta et ostensa est ; atque ita, *terra autem erat invisibilis et rudis*, ad eam pertinet quam Deus cum cœlo separavit.

CAPUT XXX.

Sic et sequentia conjecturam Hermogenis instruere videbuntur : *Et tenebræ super abyssum, et spiritus Dei super aquas ferebatur* (*Gen.* I, 2) ; quasi et hæ confusæ substantiæ, massalis illius molis argumenta portendant. Atquin singillatim definiens tenebras, abyssum, spiritum Dei, aquas, nihil confusum, nec in confusione incertum æstimari facit tam divisa (11) relatio C certorum et distinctorum elementorum. Hoc quidem amplius, cum situs proprios eis adscribit, tenebras super abyssum, spiritum super aquas, negavit confusionem substantiarum, quarum demonstrando dispositionem, demonstravit etiam distinctionem. Vanissimum (12) denique (*f*), ut materia quæ informis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Materiam *Rhen. male edidit.*
(2) Monimento *Rhen.*
(3) Cavatiorem sinum *Rhen.*
(4) In congregatione *Rhen.*
(5) *Jun. legit* : ex devortio.
(6) Fructificet *Paris.*
(7) *Vet. cod. Wonw. inserit* nec.
(8) *Rhen. Seml.* lignum fructum, et ex illa. *Rhen. conficiebat* ligni fructum : *at Fran. et Paris. legunt* lignum fructuosum faciens fructum ; *Rig. vero* lignum fructuosum et ex alia.
(9) Hic *Fran. Paris. Pamel.*
(10) Et habitabilem *Latin.*
(11) Diversa *Jun. ex cod. Vatic.*
(12) Vanitimum *Rhen. Jun. Seml. qui quid græcum latere suspicatur.*

COMMENTARIUS.

que. Nam depalare Tertulliano est propalare. Rhen. D

CAP. XXIX. —(a) *Dehinc exornatis velut dedicans.* Sic in lib. *de Carnis resurr.* : « De materia potius subjacent, quit, voluntabillo universitatem dedicatam ; » et in *de Carne Christi.* Iterum *de Carnis resurr.* et lib. I *adv. Marcionem.* Pam.

(b) *Sed inhabitari.* Ad verbum vertit illud Isaiæ XLV, ἀλλὰ κατοικεῖσθαι pro *ut inhabitaretur.* Pam.

(c) *Orbis terræ et omnes qui habitant in ea.* Veterem Psalmorum editionem veram esse, quam edidit Faber in Psalterio quintuplici, vel hinc patet, eamque ad verbum ex græca LXX ubi legitur ἐν αὐτῇ, et mox utrobique αὐτὸν pro eo quod B. Hieronymus, in utraque edit. ex hebræa et chaldaica, *in eo*, et mox bis *in eum.* Sive autem legatur cum Tertulliano, *orbis terræ*, sive cum aliis, *orbis terrarum*, perinde est, nam unica vox græca οἰκουμένη ad utramque est indifferens. Pam.

(d) *Emicantior facta est arida.* Sic libro de Anima, *ut probabiles cuique emicarent.* Ovidius,

Emicuit summoque locum sibi legit in arce. Rig.

(e) *Sed invisibilis usque tunc videri sustinebat.* Hoc est, exspectabat. Rig.

CAP. XXX.—(f) *Vanissimum denique*, etc. Vatic. Mss. cod. et Editio legunt, *vanitimum*, sed quia nusquam eam vocem reperi, placet vulgata lectio. Quas autem mox vocat *species*, paulo post *formas* dicit, quare non arridet Vatic. cod. varia lectio, *formam*, et legendum cum Latinio interrogative, *Si non habebat, agnoscitur.* Pam. — Hallensis editor, sub Rhenani lectione quam ipse Juniusque tuentur, latere quid græcum suspicatur : index latinitatis Tertullianeæ ad hanc vocem eam esse antiquam monet, *a vano* dictam, ac designare quod magnopere ad vanitatem idolorum debet referri. Edd.

inducitur, de tot formarum vocabulis informis adseveretur, non edito quid sit illud corpus confusionis, quod unicum utique credendum est, si informe est: uniforme etenim quod informe est. Informe autem, quod ex varietate confusum est, unam habeat necesse est speciem; quod non habet (1) speciem, dum ex multis unam habet speciem. Cæterum, aut habebat in se species istas materia, de quarum vocabulis intelligenda esset (2), tenebras dico, et abyssum, et spiritum, et aquas, aut non habebat. Si enim (3) habebat, quomodo inducitur non habens formas? Si non habebat quomodo agnoscitur (4).

A

CAPUT XXXI.

Sed et illud utique captabitur: de cœlo solo et de terra ista Scripturam (5) significasse, quod eam in principio Deus fecerit, de speciebus autem supradictis nihil tale: et ideo eas quæ factæ non significentur, ad infectam materiam pertinere. Respondebimus huic quoque scrupulo. Scriptura divina satis dissereret (6), si summas ipsas rerum a Deo factas commendasset cœlum et terram, habentes utique suggestus suos proprios, qui in ipsis summis intelligi possent. Suggestus autem cœli et terræ primo tunc fuerint tenebræ, et abyssus, et spiritus, et aquæ. Nam terræ quidem superat abyssus et tenebræ. Si enim abyssus infra terram, tenebræ autem super abyssum, sine dubio et tenebræ et abyssus infra terram. Cœlo vero spiritus et aquæ subjacebant: nam si aquæ super terram, quæ eam texerant, spiritus autem super aquas, pariter et spiritus et aquæ super terram. Quæ vero super terram, ea utique infra cœlum. Et sicut terra abysso et tenebris, ita et cœlum spiritui et aquis incubabat, et complectebantur (7). Et ita novum non est, ut id solum quod continet nominetur, qua summale: in isto autem intelligatur et quod continetur, qua portionale. Ecce, si dicam, Civitas exstruxit theatrum et circum: scena autem erat talis et talis, (*a*) et statuæ super Euripum (*b*), et obeliscus super omnia (*c*) forebatur: quia non et has species edixerim factas a civitate, non erunt ab ea cum circo et theatro? an ideo non adjeci factas has quoque species, quia inerant eis quæ facta prædixeram, et inesse quibus inerant, intelligi poterant? Sed vacet hoc exemplum, ut humanum: aliud de auctoritate Scripturæ ipsius arripiam. *Fecit*, inquit, *Deus hominem de terra, et adflavit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam vivam.* Faciem quidem ejus hic nominat, sed nec ipsam factam a Deo dixit: *costam* vero (8) et *ossa*, et *carnem*, et *oculos*, et *sudorem*, et *sanguinem* (*Gen.* II, 21, 23; III, 5, 29; IV, 10) postea loquitur, quæ nec tunc facta a Deo significavit. Quid respondebit Hermogenes? Numquid et membra hominis ad materiam pertinebunt, quia non nominatim facta referuntur? An et hæc in hominis factitatione (*d*) censentur? Proinde membra erunt (9) cœli et terræ abyssus et tenebræ, spiritus et aquæ. In corporibus enim membra sunt facta: in corporibus et membra sunt nominata. Nullum elementum non membrum est ejus elementi quo continetur: omnia autem elementa cœlo aut terra continentur.

B

CAPUT XXXII.

Hæc responderim pro scriptura præsenti, quatenus hic solorum corporum factitationem commendare (10) videtur cœli et terræ. Scivit (11) esse qui ultro in corporibus et membra cognoscerent, et ideo compendio usa est. Providit tamen et hebetes et insidiosos, qui dissimulato tacito intellectu, ipsis quoque membris verbum factitationis significatorium (12) exigerent. Itaque et propter istos singulas species factas docet aliis in locis (13). Habes Sophiam, *Prior autem abysso*

C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habet *Jun.*
(2) Intelligendas esse tenebras dico *Rhen. Seml.*; *Rig. melius ex cod Wouw.*
(3) Si autem *Jun.*
(4) Agnoscitur *Rhen. Seml. Pamel.*
(5) Ita *Rhen. Seml. Oberth.* Scripturarum *Rigalt. Venet.*
(6) *Rhen. conjiciebat legend. esse* : disserit, *et mox* : commendans et cœlum. *Melius alii ad Jun.* si summas.
(7) Contempta dantur *alii, teste Junio, e cod. Vat.*
(8) *Rhen.* cui tam vero; *conjiciebat* enim vero et ossa. *Sed Paris.* cutem vero; *et Fran. Rig. Jun. Pamel.* costam vero.
(9) Erant *alii.*
(10) *Rhen. suspicabatur* commentari; e mumendare *legunt Fran. Paris. Rig.* commentari *Seml.*
(11) Scilt *Fran. Pamel.* scivit *Rig. Lat.* Scit *Seml. Oberth.*
(12) Significatorum *Seml. Oberth.*
(13) Aliis in locis habere Sophiam *Seml. Oberth. absque* D *ullo sensu legit* : aliis in locis. Habere Sophiam.

COMMENTARIUS.

CAP. XXXI.—(a) *Et statuæ super Euripum.* Euripus, fretum quod est ad Chalcidem, nomen dedit ob similitudinem fossæ erant quibus ludi circumdabantur septorum loco. Factum deinde est, ut pro qualibet fossa aut canali cœperit Euripus usurpari. Plinius nepos in epist. ad Caninium Rufum: *Quid Euripus viridis et gemmeus?* Vitruvius lib. VII: *Pinguntur enim portus promontoria, littora, flumina, fontes, euripi, fana, luci, montes, pecora, pastores.* Rhen.

(b) *Super Euripum.* Euripus in ludis Circensibus stagnum erat aut fretum. Hesychius enim auctor est his verbis aquarum esse receptaculum: Εὐρίπους vocat εἶδος ὕδατος. Cassiodorus lib. III, Epist. 51: *Euripus maris vitrei reddit imaginem, unde illud: Delphini æquoris aquas interfluunt.* Nova littora, et ficta flumina Euripi dicuntur Manilio lib. IV *Astronom.* vide Suetonium in Julio, cap. 39. Le Pr.

(c) *Et obeliscus super omnia.* In circo fuisse columnam illam quæ obeliscus dicitur nemo dubitat. Augustus obeliscum erexit in circo a Semneserte rege excisum, 125 ped. altum et dodrante, præter basim illius lapidis. Alter fuit in campo Martio, novem pedibus minor a Sesostride exsculptus. Insignis hodie est obeliscus ille vaticanus Romæ, ex lapide ophite, cujus altitudo est pedum 170, præter basim quæ pedes continet 57. Is opera Dominici Fontanæ Comensis e sinistro Vaticani templi latere in mediam plateam translatus est an. 1586. Porro lib. *de Spectac.* cap. VIII, *Obelisci enormitas* dicitur. De hoc Plin. lib. XXXVI, c. 9. Le Pr.

(d) *In hominis factitatione.* Factitationis vocabulum a verbo frequentativo deductum neminem moveat. Nam et in præced. lib. non solum in hoc opere factitationem pro *creatione* sive *conditione*

genita sum, dicentem : ut credas abyssum quoque genitam, id est factam, quia et filios facimus, licet generemus. Nihil interest facta an nata sit abyssus, dum initium detur illi, quod non daretur si materiæ subjecta esset (1). De tenebris vero ipse Dominus per Isaiam : *Ego qui struxi lucem et feci tenebras* (*Is.* XLV, 7). De spiritu æque Amos : *Qui solidat tonitruum et condit spiritum, et annuntiat in homines Christum suum* (*Amos*, IV, 13) : cum spiritum conditum ostendens, qui in terras conditas deputabatur, qui super aquas ferebatur, librator, et adflator, et animator universitatis : non, ut quidam putant, ipsum Deum significari spiritum, quia Deus spiritus. (a) Neque enim aquæ Dominum sustinere sufficerent ; sed eum spiritum dicit de quo etiam venti constiterunt, ut ait per Isaiam : *Quia spiritus a me exivit et flatum omnem ego feci* (*Is.* LVII, 26). Item de aquis eadem Sophia : *Et cum firmos ponebat fontes* (2) *ejus quæ sub cœlo est, ego eram modulans cum ipso* (*Prov.* VIII, 28, 29). Cum ergo et eas species probamus a Deo factas, etsi in Genesi tantummodo nominantur sine factitationis mentione, respondebitur fortasse ex diverso : Plane factas eas, sed ex materia : ut stylus quidem Moysi, *Et tenebræ super abyssum, et spiritus Dei super aquas ferebatur*, materiam sonet : cæteræ vero Scripturæ, quæ ex materia factæ sint (3) species, in disperso demonstrent. Ergo sicut terra de terra, ita et abyssus ex abysso, et tenebræ ex tenebris, et spiritus et aquæ ex spiritu et aquis (4) constiterunt. Et sicut supra diximus, non potuit informis fuisse materia, si species habebat, ut et aliæ ex ea sint confectæ ; nisi quod non aliæ, sed ipsæ ex semetipsis : siquidem non capit diversas fuisse quæ iisdem nominibus eduntur, quo jam operatio divina otiosa videri possit, si quæ (5) erant fecit : cum generosior esset (6), quæ non erant facta, si fierent. Igitur ut concludam, aut materiam tunc significavit Moyses (7) cum scribit : *Et tenebræ super abyssum, et spiritus Dei super aquas ferebatur* : aut cum hæ species alibi postea demonstrantur factæ a Deo, debuerunt æque demonstrari ex materia, quam Moyses præmiserat, factæ : aut si species istas, et non materiam significavit Moyses, ubi materia demonstrata sit quæro.

CAPUT XXXIII.

Sed dum illam Hermogenes inter colores suos invenit (inter Scripturas enim Dei invenire non potuit (8), satis est quod omnia et facta a Deo constat, et ex materia non constat : quæ etiam si fuisset, ipsam quoque a Deo factam credidissemus, quia nihil innatum præter Deum præscribentes, obtineremus. In hunc usque articulum locus est retractatui, donec ad Scripturas provocata deficiat exhibitio materiæ. Expedita summa est : nihil invenio factum nihil ex nihilo, quia quod factum invenio, non fuisse cognosco. Etiamsi quid ex aliquo factum est, ex facto habet censum, ut ex terra herba, et fructus, et pecudes, et figuratio hominis ipsius, ut ex aquis natatiles et volatiles animæ. Hujusmodi origines rerum ex his prolatarum, potero materias appellare ; sed factas a Deo et ipsas.

CAPUT XXXIV.

Cæterum, omne ex nihilo constitisse, illa postremo divina (9) dispositio suadebit, quæ omnia in nihilum redactura est. Si quidem et *cælum convolvetur ut liber* (*Is.* XXXIV, 4), imo *nusquam fiet cum ipsa terra, cum qua primordio factum est* (*Matth.* XXIV, 21, 35). *Cælum et terra præteribunt*, inquit. (b) *Cælum primum, et terra prima abierunt, et locus non est inventus illis* (*Apocal.* XXI, 1), quia scilicet quod et finit, locum amittit. Sic et David, *Opera manuum tuarum*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Si materiæ subjiciatur, esset de tenebris *Seml. qui proponit legere* : subjiciatur esse.
(2) *Rhenanus legi volebat* : fontes aqua reum quæ sub. *Pamel. Fran.* fontes quæ sub cœlo est : *alii, teste Junio*, qui sub cœlo.
(3) Sunt *Rhen. Seml.*
(4) Ex aquis *Seml. Oberth.*
(5) Si qua ferant *Seml. ex Rhen. cujus conjecturam* : Si quæ erant *receperunt omnes.*
(6) Generosiora essent *scrib. Fran. Paris. post Rhen. conjecturam.*
(7) Moyses scribit. *Rhen. Seml.* dum scribit *Paris.*
(8) Non potuerit. *Rhen. Pamel. Seml.* Non potuerat Paris. non potuerit satis Fran.
(9) Divina abest *Venet.*

COMMENTARIUS.

accipit. Adversum valet, ergo et factum, inquit, intelligebat, et factitatorem facti esse quemcumque.
RHEN.

CAP. XXXII. — (a) *Neque enim aquæ Dominum sustinere sufficerent.* Probat hoc loco sententiam existimantium Dei spiritu ipsum Dominum significari. Quasi vero, inquit, Dei spiritum super aquas ferri convenerit, ob fluxam et instabilem aquarum naturam : nec potuerit Deus aquas ipsius figere, ut starent ; quod præstitit Israeli transducendo, aut solidare, ut calcarentur, quod fidei discipulorum erudiendæ confecit. Et tamen vulgatæ illi sententiæ favet impensius, lib. *de Baptismo*, cum ait : *Solus liquor, semper materiæ perfecta, lata, simplex, de suo puro dignum vectaculum Deo subjiciebat.* Sic autem solet Septimius : arripit omnem Scripturam ædificationi habilem, tamquam divinitus inspiratam. Adeoque hunc colorem dicit lib. de *Cultu fœminar.* primo, ubi excusat citatum abs se librum Enoch. et libro *de Spectaculis*, late semper Scripturam divinam dividi ait, ubicumque secundum præsentis rei sensum etiam disciplina munitur. Cæterum, verissima omnium interpretatio videatur, his verbis, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, significari, aquis tum primum creatis adfuisse vim quamdam vitalem, non fuisse simpliciter aquam, sed aquam vivam ; quæ non torpesceret iners stupore pigro : sed quæ perenni spiritu vegetata semper trepidaret ne quando quiescere diceretur. Hoc certe innuit Noster pagina libri *de Baptismo* supra citata. Chrysostomus autem apertissime Homil. in Genes. CXI Τί βούλεται τοῦτο τὸ εἰρημένον, Πνεῦμα, φησί, θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος; Ἔμοι δοκεῖ τοῦτο σημαίνειν, ὅτι ἀδρᾳότης τις ζωτικὴ προσῆν τοῖς ὕδασι, καὶ οὐκ ἦν ἀτελῶς ὕδωρ ἁπλῶς καὶ ἀκίνητον. ἀλλὰ κινούμενον, καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἔχον. RIG.

CAP. XXXIV. — (b) *Cælum primum et terra prima abierunt.* Transtulit hoc latine magis quam ad verbum, quia Apoc. XXI, legitur παρῆλθεν, id est, *abiit*, deinde legit, *et locum non est inventus illis*, pro eo quod græce et latine : *Et mare jam non est.* RHEN.

cæli et ipsi peribunt (*Ps.* CI, 26, 27). Nam etsi *mutabit* (1) *illos velut opertorium, et mutabuntur*; sed mutari, perire est pristino statui, quem (2) dum mutantur, amittunt. (*a*) Et *stellæ quidem de cœlo ruent, sicut* (*b*) *fici arbor, cum valido commota vento, acerba sua amittit* (*Apoc.* VI, 13). *Montes vero tamquam cera liquescent a conspectu Domini* (*Ps.* XCVII, 5): cum *surrexerit* scilicet *confringere terram* (*Is.* II, 19). Sed et *paludes*, inquit, *arefaciam; et quærent aquam, nec invenient* (*Is.* XCI, 17; XCII, 15): *etiam mare hactenus* (3) (*c*). Quæ omnia etsi alter putaverit spiritaliter interpretanda, non tamen poterit auferre veritatem ita futurorum, quomodo scripta sunt. Si quæ enim figuræ sunt, ex rebus consistentibus fiant necesse est, non ex vacantibus: quia nihil potest alii similitudinem de suo præstare (4), nisi sit ipsum quod tali similitudine præstet. Revertor igitur ad caussam, definientem omnia ex nihilo edita, in nihilum perventura. Ex æterno enim, id est ex materia, nihil Deus interibile fecisset, nec ex majoribus minora condidisset, cui magis congruat ex minoribus majora producere, id est ex interibili æternum, quod et carni nostræ pollicetur, cujus virtutis et potestatis sunt (5) hunc jam arrhabonem voluit in nobis collocasse, ut credamus etiam illum universitatem ex nihilo velut emortuam, quæ scilicet non erat (6), in hoc ut esset, suscitasse.

CAPUT XXXV.

De cætero vero statu materiæ, etsi non est retractandum, prius enim erat ut eam esse constaret, tamen ac si constiterit, persequendus est ordo: quo magis eam non esse constet, cujus nec reliquus status consistat, simul ut contrarietates suas agnoscat Hermogenes. Prima, inquit, facie videtur nobis incorporalis esse materia: exquisita autem ratione recta, invenitur neque corporalis, neque incorporalis. Quæ est ista ratio recta, quæ nihil recti renuntiat, id est nihil certi? Nisi fallor enim, omnis res aut corporalis aut incorporalis (7) sit necesse est (ut concedam interim esse aliquid incorporale de substantiis duntaxat, cum ipsa substantia corpus sit rei cujusque) certe post corporale et incorporale nihil tertium. Age nunc sit et tertium, quod illa recta ratio Hermogeniana compererit, quæ neque corporalem neque incorporalem materiam facit: ubi est? quale est? quid vocatur? quid describitur? quid intelligitur? Tantum hoc ratio renuntiavit, nec corporalem materiam nec incorporalem.

CAPUT XXXVI.

Sed ecce contrarium subjicit, aut alia fortasse ratio ei occurrit, ex parte corporalem renuntians materiam, et ex parte incorporalem. Jam ergo ne neutrum sit, utrumque materia censenda est? Erit enim corporalis et incorporalis adversus renuntiationem rectæ rationis (8) illius, plane rationem non reddentis sententiæ suæ, sicut nec alia reddit. Corporale enim materiæ vult esse, de quo corpora edantur: incorporale vero, inconditum motum ejus. Si enim, ait, corpus tantummodo esset, nihil ei incorporale appareret, id est motus. Si vero in totum incorporalis fuisset, nullum corpus ex ea fieret. (*d*) Quanto hæc rectior ratio! nisi quod si tam rectas lineas ducis, Hermogenes, quam ratio ista (9), pictor te bardior non est. Quis enim tibi concedit motum in secundam partem substantiæ deputare? cum substantiva res non sit, quia nec corporalis; sed accidens si forte, substantiæ et corporis, ut actus, et pulsus, ut lapsus, ut casus, ita et motus. Nam sive a semetipso quid movetur, actus ejus est motus, certe pars substantiæ non est sicut tu motum substantiam facis materiæ incorporalem. Omnia denique moventur, aut a semetipsis, ut animalia; aut ab aliis, (*e*) ut inanimalia (10): tamen nec hominem, nec lapidem et corporalem et incorporalem dicemus, quia et corpus habeat et motum, sed unam omnibus formam solius corporalitatis, quæ substantiæ res est: si qua incorporalia (11) eis ad-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et sic mutabit. *Jun.*
(2) Quæ dum *Seml. Oberth.*
(3) Mare Oceanus *Fran. Pamel. Paris. Post vero Rhenanum, Rigalt. servat* hactenus: *ita omnes* deinceps.
(4) Nihil potest adsimilitudinem de suo præstare *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Virtutes et potestates suas *Rhen. Pamel. Oberth.* Virtute et potestate sua *Jun.*
(6) Erit *Rhen. Seml.*
(7) *Duo verba ultima desunt Rhen. et sequacibus ejus.*
(8) *Pamel. Fran. Paris. Rigalt. sic legunt; alii male,* reciprocationis, reparationis.
(9) Rationi satis *Rhen. Seml.* et *Oberth. vel mendorum sequax; alii* ratiocinariæ *Jun.* Ratio ista est *alii.*
(10) Inanimata *Pamel. e cod. Vatic.*
(11) Incorpora *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et stellæ quidem de cœlo ruent, sicut fici arbor.* Verba hæc ex Apocalypsi desumpta sunt, ubi sic legitur: καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσαν εἰς τὴν γῆν, ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη, hoc est, *et stellæ de cœlo ceciderunt, sicut ficus abjicit grossos suos cum a magno vento movetur.* Porro ὀλύνθοι græcis sunt quos Latini grossos vocant, hoc est fici nondum maturæ. Tertullianus pro grossis vertit, *acerba sua*: editio Vulgata habet *grossos suos*, est autem eadem propemodum interpretatio, quod vertit Tertullianus. Nam nihil aliud est ὄλυνθον sive grossus, quam ficus dura adhuc atque acerba. Theodorus Gaza in opere de plantis ὄλυνθον vocat caprificum. Rhen.

(b) *Fici arbor acerba sua amittit.* Grossos suos. Rig.

(c) *Et jam mare hactenus.* Hoc est, Non erit amplius. Sic supra, de cœlo, *Nusquam fiet.* Sic lib. *de Pallio*, *Hactenus Sodoma.* Rig. — *Etiam mare hactenus.* Alii pro *hactenus* habent *Oceanus*, sensus tunc esset, etiam Oceanus iis deerit, sed non insolens ea vox est *hactenus* Tertulliano, qua utitur pro, *jam non est*, aut *erit.* Le Pr.

CAP. XXXVI. — (d) *Quanto hæc rectior ratio? nisi quod si tam rectas lineas ducis, Hermogenes.* Ubi est annotanda proverbialis formula, a pictorum arte, qualis erat Hermogenes mutuata, *rectas lineas ducere*, qualis est etiam illa, *ultra lineam.* Pam.

(e) *Ut inanimalia.* Vatic. cod. Mss. *inanimata*, sed illud nolui immutare, quod eadem reperiantur infra cap. XCIV, et ejusmodi obsoletis vocibus uti soleat auctor, qualis est etiam illa, *corporalitatis*, et *incorpora.* Pam.

genita sum, dicentem : ut credas abyssum quoque genitam, id est factam, quia et filios facimus, licet generemus. Nihil interest facta an nata sit abyssus, dum initium detur illi, quod non daretur si materiæ subjecta esset (1). De tenebris vero ipse Dominus per Isaiam : *Ego* qui *struxi lucem et feci tenebras* (*Is.* XLV, 7). De spiritu æque Amos : *Qui solidat tonitruum et condit spiritum, et annuntiat in homines Christum suum* (*Amos*, IV, 13) : cum spiritum conditum ostendens, qui in terras conditas deputabatur, qui super aquas ferebatur, librator, et adflator, et animator universitatis : non, ut quidam putant, ipsum Deum significari spiritum, quia Deus spiritus. (*a*) Neque enim aquæ Dominum sustinere sufficerent ; sed eum spiritum dicit de quo etiam venti constiterunt, ut ait per Isaiam : *Quia spiritus a me exivit et flatum omnem ego feci* (*Is.* LVII, 26). Item de aquis eadem Sophia : *Et cum firmos ponebat fontes* (2) *ejus quæ sub cœlo est, ego eram modulans cum ipso* (*Prov.* VIII, 28, 29). Cum ergo et eas species probamus a Deo factas, etsi in Genesi tantummodo nominantur sine factitationis mentione, respondebitur fortasse ex diverso : Plane factas eas, sed ex materia : ut stylus quidem Moysi, *Et tenebræ super abyssum, et spiritus Dei super aquas ferebatur*, materiam sonet : cæteræ vero Scripturæ, quæ ex materia factæ sint (3) species, in disperso demonstrent. Ergo sicut terra de terra, ita et abyssus ex abysso, et tenebræ ex tenebris, et spiritus et aquæ ex spiritu et aquis (4) constiterunt. Et sicut supra diximus, non potuit informis fuisse materia, si species habebat, ut et aliæ ex ea sint confectæ ; nisi quod non aliæ, sed ipsæ ex semetipsis : siquidem non capit diversas fuisse quæ iisdem nominibus eduntur, quo jam operatio divina otiosa videri possit, si quæ (5) erant fecit : cum generosior esset (6), quæ non erant facta, si fierent. Igitur ut concludam, aut materiam tunc significavit Moyses (7) cum scribit : *Et tenebræ super abyssum, et spiritus Dei super aquas ferebatur* : aut cum hæ species alibi postea demonstrantur factæ a Deo, debuerunt æque demonstrari ex materia, quam Moyses præmiserat, factæ : aut si species istas, et non materiam significavit Moyses, ubi materia demonstrata sit quæro.

CAPUT XXXIII.

Sed dum illam Hermogenes inter colores suos invenit (inter Scripturas enim Dei invenire non potuit (8), satis est quod omnia et facta a Deo constat, et ex materia non constat : quæ etiam si fuisset, ipsam quoque a Deo factam credidissemus, quia nihil innatum præter Deum præscribentes, obtineremus. In hunc usque articulum locus est retractatui, donec ad Scripturas provocata deficiat exhibitio materiæ. Expedita summa est : nihil invenio factum nihil ex nihilo, quia quod factum invenio, non fuisse cognosco. Etiamsi quid ex aliquo factum est, ex facto habet censum, ut ex terra herba, et fructus, et pecudes, et figuratio hominis ipsius, ut ex aquis natatiles et volatiles animæ. Hujusmodi origines rerum ex his prolatarum, potero materias appellare ; sed factas a Deo et ipsas.

CAPUT XXXIV.

Cæterum, omne ex nihilo constitisse, illa postremo divina (9) dispositio suadebit, quæ omnia in nihilum redactura est. Si quidem et *cœlum convolvetur ut liber* (*Is.* XXXIV, 4), imo *nusquam fiet cum ipsa terra, cum qua primordio factum est* (*Matth.* XXIV, 21, 35). *Cœlum et terra præteribunt*, inquit. (*b*) *Cœlum primum, et terra prima abierunt, et locus non est inventus illis* (*Apocal.* XXI, 1), quia scilicet quod et finit, locum amittit. Sic et David, *Opera manuum tuarum*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Si materiæ subjiciatur, esset de tenebris *Seml. qui proponit legere :* subjiciatur esse.
(2) *Rhenanus legi volebat* : fontes aqua reum quæ sub. *Pamel. Fran.* fontes quæ sub cœlo est : *alii, teste Junio*, qui sub cœlo.
(3) Sunt *Rhen. Seml.*
(4) Ex aquis *Seml. Oberth.*
(5) Si qua ferant *Seml. ex Rhen. cujus conjecturam :* Si quæ erant *receperunt omnes.*
(6) Generosiora essent *scrib. Fran. Paris. post Rhen. conjecturam.*
(7) Moyses scribit. *Rhen. Seml.* dum scribit *Paris.*
(8) Non potuerit. *Rhen. Pamel. Seml.* Non potuerat Paris. non potuerit satis Fran.
(9) Divina abest *Venet.*

COMMENTARIUS.

accipit. Adversum valet, ergo et factum, inquit, intelligebat, et factitatorem facti esse quemcumque.
RHEN.

CAP. XXXII. — (a) *Neque enim aquæ Dominum sustinere sufficerent.* Probat hoc loco sententiam existimantium Dei spiritu ipsum Dominum significari. Quasi vero, inquit, Dei spiritus super aquas ferri convenerit, ob fluxam et instabilem aquarum naturam : nec potuerit Deus aquas ipsius ligere, ut starent ; quod præstitit Israeli transducendo, aut solidare, ut calcarentur, quod fidei discipulorum erudiendæ confecit. Et tamen vulgatæ illi sententiæ favet impensius, lib. *de Baptismo*, cum ait : *Solus liquor, semper materiæ perfecta, lata, simplex, de suo pura dignum vectaculum Deo subjiciebat.* Sic autem solet Septimius : arripit omnem Scripturam ædificationi habilem, tamquam divinitus inspiratam. Adeoque hunc colorem dicit lib. de *Cultu fœminar.* primo, ubi excusat citatum abs se librum Enoch. et libro *de Spectaculis*, late semper Scripturam divinam dividi ait, ubicumque secundum præsentis rei sensum etiam disciplina munitur. Cæterum, verissima omnium interpretatio videatur, his verbis, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, significari, aquis tum primum creatis adfuisse vim quamdam vitalem, non fuisse simpliciter aquam, sed aquam vivam ; quæ non torpesceret iners stupore pigro : sed quæ perenni spiritu vegetata semper trepidaret ne quando quiescere diceretur. Hoc certe innuit Noster pagina libri *de Baptismo* supra citata. Chrysostomus autem apertissime Homil. in Genes. CXI. Τί βούλεται τοῦτο τὸ εἰρημένον, Πνεῦμα, φησὶ, θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος; Ἐμοὶ δοκεῖ τοῦτο σημαίνειν, ὅτι ἐλέγετο τις ζωτικὴ προσὼν τοῖς ὕδασι, καὶ οὐκ ἦν ἀτελῶς ὕδωρ ἐστὸς καὶ ἀκίνητον. ἀλλὰ κινούμενον, καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἔχον. RIG.

CAP. XXXIV. — (b) *Cœlum primum et terra prima abierunt.* Transtulit hoc latine magis quam ad verbum, quia Apoc. XXI, legitur παρῆλθεν, id est, *abiit*, deinde legit, *et locum non est inventus illis*, pro eo quod græce et latine : *Et mare jam non est.* RHEN.

cœli et ipsi peribunt (*Ps.* CI, 26, 27). Nam etsi *mutabit* (1) *illos velut opertorium, et mutabuntur*; sed mutari, perire est pristino statui, quem (2) dum mutantur, amittunt. (*a*) Et *stellæ quidem de cœlo ruent, sicut* (*b*) *fici arbor, cum valido commota vento, acerba sua amittit* (*Apoc.* VI, 13). *Montes vero tamquam cera liquescent a conspectu Domini* (*Ps.* XCVII, 5) : cum *surrexerit* scilicet *confringere terram* (*Is.* II, 19). Sed et *paludes*, inquit, *arefaciam; et quærent aquam, nec invenient* (*Is.* XCI, 17; XCII, 15) : *etiam mare hactenus* (3) (*c*). Quæ omnia etsi alter putaverit spiritaliter interpretanda, non tamen poterit auferre veritatem ita futurorum, quomodo scripta sunt. Si quæ enim figuræ sunt, ex rebus consistentibus fiant necesse est, non ex vacantibus : quia nihil potest alii similitudinem de suo præstare (4), nisi sit ipsum quod tali similitudine præstet. Revertor igitur ad caussam, definientem omnia ex nihilo edita, in nihilum perventura. Ex æterno enim, id est ex materia, nihil Deus interibile fecisset, nec ex majoribus minora condidisset, cui magis congruat ex minoribus majora producere, id est ex interibili æternum, quod et carni nostræ pollicetur, cujus virtutis et potestatis suæ (5) hunc jam arrhabonem voluit in nobis collocasse, ut credamus etiam illum universitatem ex nihilo velut emortuam, quæ scilicet non erat (6), in hoc ut esset, suscitasse.

CAPUT XXXV.

De cætero vero statu materiæ, etsi non est retractandum, prius enim erat ut eam esse constaret, tamen ac si constiterit, persequendus est ordo : quo magis eam non esse constet, cujus nec reliquus status consistat, simul ut contrarietates suas agnoscat Hermogenes. Prima, inquit, facie videtur nobis incorporalis esse materia : exquisita autem ratione recta, invenitur neque corporalis, neque incorporalis. Quæ est ista ratio recta, quæ nihil recti renuntiat, id est nihil certi? Nisi fallor enim, omnis res aut corporalis aut incorporalis (7) sit necesse est (ut concedam interim esse aliquid incorporale de substantiis duntaxat, cum ipsa substantia corpus sit rei cujusque) certe post corporale et incorporale nihil tertium. Age nunc sit et tertium, quod illa recta ratio Hermogeniana compererit, quæ neque corporalem neque incorporalem materiam facit : ubi est? quale est? quid vocatur? quid describitur? quid intelligitur? Tantum hoc ratio renuntiavit, nec corporalem materiam nec incorporalem.

CAPUT XXXVI.

Sed ecce contrarium subjicit, aut alia fortasse ratio ei occurrit, ex parte corporalem renuntians materiam, et ex parte incorporalem. Jam ergo ne neutrum sit, utrumque materia censenda est? Erit enim corporalis et incorporalis adversus renuntiationem rectæ rationis (8) illius, plane rationem non reddentis sententiæ suæ, sicut nec alia reddit. Corporale enim materiæ vult esse, de quo corpora edantur : incorporale vero, inconditum motum ejus. Si enim, ait, corpus tantummodo esset, nihil ei incorporale appareret, id est motus. Si vero in totum incorporalis fuisset, nullum corpus ex ea fieret. (*d*) Quanto hæc rectior ratio! nisi quod si tam rectas lineas ducis, Hermogenes, quam ratio ista (9), pictor te bardior non est. Quis enim tibi concedit motum in secundam partem substantiæ deputare? cum substantiva res non sit, quia nec corporalis; sed accidens si forte, substantiæ et corporis, ut actus, et pulsus, ut lapsus, ut casus, ita et motus. Nam sive a semetipso quid movetur, actus ejus est motus, certe pars substantiæ non est sicut tu motum substantiam facis materiæ incorporalem. Omnia denique moventur, aut a semetipsis, ut animalia; aut ab aliis, (*e*) ut inanimalia (10) : tamen nec hominem, nec lapidem et corporalem et incorporalem dicemus, quia et corpus habeat et motum, sed unam omnibus formam solius corporalitatis, quæ substantiæ res est : si qua incorporalia (11) eis ad-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et sic mutabit. *Jun.*
(2) Quæ dum *Seml. Oberth.*
(3) Mare Oceanus *Fran. Pamel. Paris. Post vero Rhenanum, Rigalt. servat* hactenus : *ita omnes* deinceps.
(4) Nihil potest adsimilitudinem de suo præstare *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Virtutes et potestates suas *Rhen. Pamel. Oberth.* Virtute et potestate sua *Jun.*
(6) Erit *Rhen. Seml.*
(7) *Duo verba ultima desunt Rhen. et sequacibus ejus.*
(8) *Pamel. Fran. Paris. Rigalt. sic legunt; alii male,* reciprocationis, reparationis.
(9) Rationi satis *Rhen. Seml.* et *Oberth. vel mendorum sequax; alii* ratiocinariæ *Jun.* Ratio ista est *alii.*
(10) Inanimata *Pamel. e cod. Vatic.*
(11) Incorpora *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et stellæ quidem de cœlo ruent, sicut fici arbor.* Verba hæc ex Apocalypsi desumpta sunt, ubi sic legitur : καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσαν εἰς τὴν γῆν, ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη, hoc est, *et stellæ de cœlo ceciderunt, sicut ficus abjicit grossos suos cum a magno vento movetur.* Porro ὄλυνθοι græcis sunt quos Latini grossos vocant, hoc est fici nondum maturæ. Tertullianus pro grossis vertit, *acerba sua* : editio Vulgata habet *grossos suos*, est autem eadem propemodum interpretatio, quod vertit Tertullianus. Nam nihil aliud est ὄλυνθον sive grossus, quam ficus dura adhuc atque acerba. Theodorus Gaza in opere de plantis ὄλυνθον vocat caprificum. Rhen.

(b) *Fici arbor acerba sua amittit.* Grossos suos. Rig.

(c) *Et jam mare hactenus.* Hoc est, Non erit amplius. Sic supra, de cœlo, *Nusquam fiet.* Sic lib. *de Pallio*, *Hactenus Sodoma.* Rig. — *Etiam mare hactenus.* Alii pro *hactenus* habent *Oceanus*, sensus tunc esset, etiam Oceanus iis deerit, sed non insolens ea vox est *hactenus* Tertulliano, qua utitur pro, *jam non est*, aut *erit.* Le Pr.

CAP. XXXVI. — (d) *Quanto hæc rectior ratio? nisi quod si tam rectas lineas ducis, Hermogenes.* Ubi est annotanda proverbialis formula, a pictorum arte, qualis erat Hermogenes mutuata, *rectas lineas ducere*, qualis est etiam illa, *ultra lineam.* Pam.

(e) *Ut inanimalia.* Vatic. cod. Mss. *inanimata*, sed illud nolui immutare, quod eadem reperiantur infra cap. XCIV, et ejusmodi obsoletis vocibus uti soleat auctor, qualis est etiam illa, *corporalitatis*, et *incorpora.* Pam.

sunt, aut actus, aut passiones, aut officia, (a) aut libidines eorum, non portiones deputamus. Quo ergo facit, portionem materiæ in motum disponere, qui non ad substantiam pertinet, sed ad substantiæ habitum? Quid enim si immobilem placuisset tibi inducere materiam, numquid immobilitas secunda pars formæ videretur? Sic itaque nec motus : (b) sed de motu et alibi licebit (1).

CAPUT XXXVII.

Nunc enim video te ad aliam (2) rursus rationem reverti, quæ tibi nihil certi renuntiare consuevit. Nam sicut (3) nec corporalem nec incorporalem infers (4) materiam, ita nec bonam nec malam allegas (5) : et proinde superargumentans (6) : « Si enim, inquis, esset bona quæ semper hoc fuerat, non desideraret compositionem Dei : si esset natura mala, non accepisset translationem in melius : nec quicquam compositionis suæ applicuisset illi Deus tali natura : in vacuum (7) enim laborasset. » Verba hæc tua sunt : quorum te et alibi meminisse oportuerat, ne quid his contrarium inferres. Sed quoniam de mali et boni ambiguitate super materiam in præteritis aliquid tractavimus (8), nunc ad præsentem et solam propositionem et argumentationem tuam respondebo. Nec dicam, et hic te certum aliquid debuisse pronuntiasse aut bonam, aut malam (9), aut tertium aliquid : sed de his (10) quod tibi libuit pronuntiasse, custodisse. Rescindis enim quod pronuntiasti nec bonam nec malam : quia cum dicis : *Si esset bona, non desideraret componi a Deo*, malam portendis : et cum apponis : *Si esset mala natura, non admitteret in melius translationem*, bonam subostendis (11) : atque ita et boni et mali affinem constituisti (12), quam nec bonam nec malam pronuntiasti. Ut autem (13) argumentationem, qua putasti te propositionem tuam confirmaturum, retundam, oppono etiam illud : Si bona fuisset materia semper, quare non desiderasset in melius reformari? Quod bonum, non desiderat, aut non optat, aut non capit (14) profectum? ut fiat de bono melius. Æque, si mala natura fuisset, quare non potuerit a Deo converti, ut a potentiore, ut ab eo qui *lapidum quoque naturam convertere valeat in filios Abrahæ* (*Matth.*, IV)? Nempe ergo non tantum comparas Deum (15) materiæ, sed et subjicis, a quo natura materiæ devinci et edomari (16) in melius non potuisset. Sed et quam hic non vis natura malam, alibi te confessum negabis.

CAPUT XXXVIII.

De situ materiæ id tracto, quod et de motu (17), ut perversitatem tuam traducat. Subjacentem facis Deo materiam, et utique locum illi qui sit infra Deum. In loco ergo materia. Si in loco, ergo intra locum : si intra locum, ergo determinatur a loco, intra quem est : si determinatur, habet lineam extremam, quam (c), quantum proprie pictor, agnoscis finem esse omni rei, cujus linea extrema est. Non ergo erit infinita materia, quæ dum in loco est (18), a loco (19) determinatur, et dum determinatur ab illo, extrema eum linea patitur. At tu infinitam facis, dicens : Infinita est autem, eo quod semper est. Et si quis discipulorum tuorum voluerit argumentari, quasi infinitatem (20) ævo, non modo (21) corporis intelligi velis : atquin corporaliter infinitam, corporaliter (22) immensam et incircumscriptam, sequentia ostendunt. Unde, inquis, nec tota fabricatur, sed partes ejus. Adeo corpore infinita, non tempore est. Et obduceris (d), corpore eam infinitam faciens, cum locum ei adscribens, intra locum et extremam loci lineam includis. Sed tamen, cur non totam eam formaverit Deus, non scio nisi qua aut invalidus, aut invidus. Itaque (23) dimidium ejus quæ non tota formata sit quæro, ut qualis tota fuerit agnoscam. Debuerat enim Deus ut exemplarium (e) antiquitatis ad gloriam operis palam fecisse.

CAPUT XXXIX.

Sit nunc definitiva, sicut rectius tibi videtur, per de-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Liquebit *Rhen.*
(2) Illam *Rhen.*
(3) Sicut *Fran. Par.*
(4) Infert *Seml.*
(5) Adlegasset.
(6) Superargumentasset *Seml. Oberth.* Superargumentas. Sed enim si *Rhen.*
(7) In vanum *Fran.*
(8) Retractavimus *Rhen. Seml.*
(9) Aut bona, aut mala *iidem.*
(10) Nec hic *Rhen. et sequaces.*
(11) Apponens ostendit *edit Rhen. eodem sensu.*
(12) Et *additur Rhen. Seml. et aliis.*
(13) Si autem *Rhen. Seml. Oberth.*
(14) Capit *male cod. Womo.*
(15) Dominum *Rhen. Seml. Pamel.*
(16) Melius potuisset *Rhen. Seml.*
(17) De moto *Rhen. Seml. Oberl.*
(18) In loco quo *Rhen. et alii seqq.*
(19) In quo est *addit Jun.*
(20) Infinitam *Rhen Pamel.*
(21) Ævo, non motu *Fran.*
(22) Ut corporaliter *Rhen. Fran.*
(23) Ut *additur a nonnullis.*

COMMENTARIUS.

(a) *Aut libidines eorum.* Libidines vocat appetitus et inclinationes. Sic in lib. *de Patientia, ut cum*, inquit, *intersese variis sectarum libidinibus et sententiarum æmulationibus discordent.* Libidinibus, id est, studiis. RHEN.

(b) *Sed de motu et alibi licebit.* Subauditur *disputare*, nisi est *licebit*, pro *liquebit*, ut in præcedentibus lib. *licuit*, pro, *liquit*, id est, liquidum evasit. RHEN.

CAP. XXXVIII.—(c) *Quam quantum proprie pictor.* Sic omnino hic locus; nam *quantum* capitur pro *in quantum*, ut nihil sit opus eam vocem prætermittere. PAM.

(d) *Et obduceris.* Monuimus ante non semel, obducere et obduci Tertulliano esse refellere et refelli, sive contraria, ac inter se pugnantia asserentem captum teneri vel tenere. RHEN. — *Et obduceris.* Ita ut evadere non possis. RIG.

(e) *Exemplarium antiquitatis.* Intelligit exemplar. Sic paulo post : *Et vis meliora deteriorum exemplarium ferre.* Non aliter *adversus Valentinianos* usurpat sigillarium pro sigillari. RIG.

mutationes suas et translationes : sit et comprehensibilis, ut quæ fabricatur, inquis, a Deo, quia et convertibilis, et demutabilis, et dispartibilis. Demutationes enim ejus, inquis, dispartibilem eam ostendunt (a). Et hic a lineis tuis excidisti (b), quibus circa personam Dei usus es, præscribens Deum (1) illam non ex semetipso fecisse, quia in partes venire non posset qui sit æternus et manens in ævum, ac per hoc immutabilis et indivisibilis. Si et materia eadem æternitate censetur, neque initium habens neque finem, eadem ratione non poterit pati dispertitionem et demutationem, qua (2) nec Deus. In æternitatis consortio posita, participet cum illo (3) necesse est et vires, et leges et conditiones æternitatis. Æque (4) cum dicis : Partes autem ejus omnia simul ex omnibus habent, ut ex partibus totum dignoscatur : utique eas partes intelligi vis, quæ ex illa prolatæ sunt, quæ hodie videntur a nobis. Quomodo ergo omnia ex omnibus habent, utique ex pristinis, quando quæ hodie videntur, aliter habeant quam pristina fuerunt?

CAPUT XL.

Dicis in melius reformatam materiam, utique (5) de deterioribus : et vis meliora deteriorum exemplarium ferre. Confusa res erat, nunc vero composita est : et vis ex compositis incomposita præberi. Nulla res speculum alterius rei (6), id est non coæqualis. Nemo se apud tonsorem (c) pro homine mulum inspexit, nisi si qui putat in hac exstructione mundi, dispositæ jam et comptæ (7), informem et incultam materiam respondere. Quid hodie informe in mundo, quid retro (8) speciatum in materia, ut speculum sit mundus materiæ? Cum ornamenti nomine sit penes Græcos *mundus* (9), quomodo ornatæ materiæ imaginem refert (10), ut dicas totum ejus partibus cognosci? Certe ex illo toto erit etiam hoc, quod non venit in deformationem. Et supra edidisti non totam eam fabricatum (11). Igitur vel hoc rude et confusum et incompositum (12) non potest in expolitis et distinctis et compositis recognosci, quæ nec partes materiæ appellari convenit, cum a forma ejus ex mutatione divisa recesserunt.

CAPUT XLI.

Revertor ad motum, ut ubique te lubricum ostendam. Inconditus, et confusus, et turbulentus fuit materiæ motus. Sic enim et ollæ undique ebullientis similitudinem apponis (13). Et quomodo alibi alius a te affirmatur? cum enim vis materiam nec bonam nec malam inducere. Igitur, subjacens materia æqualis momenti habens motum, neque ad bonum, neque ad malum plurimum vergit. Si æqualis momenti, jam non turbulentus, nec cacabacius (14), sed compositus et temperatus (15); scilicet, qui inter bonum et malum suo arbitrio agitatus, in neutram tamen partem pronus et præceps, mediæ, quod aiunt, aginæ (*d*) (16) æquilibrato impetu ferebatur. Hæc, inquies, non est, hæc turbulentia (17) et passivitas (*e*) non est; sed moderatio, et modestia, et justitia motationis (*f*) (18) neutram in partem inclinantis (19). Plane, si huc et illuc, aut in alterum magis proclinaret (20), tunc inconcinnitatis, et inæqualitatis, et turbulentiæ denotari mereretur. Porro, si neque ad bonum, neque ad malum pronior erat motus, utique inter bonum et malum agebatur : ut ex hoc quoque materiam determinabilem adpareat, cujus motus nec malo nec bono pronus (*g*), eo quod in neutrum vergebat (21), intra utrumque ab utroque pendebat (22),

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deum illum *Rhen Seml.*
(2) Quam *volebat Rhen.*
(3) Eum illi *Rhen. Seml.*
(4) Atque *Rhen. seml. Pamel.*
(5) Utique deterioribus *Rhen. Jun.*
(6) Est alterius, i. e. *Rhen. Seml.*
(7) Disposita jam et contempta *Rhen. qui legendum putabat* concepta.
(8) Tetrum *Rhen. Seml. Oberth.*
(9) κόσμος *annotavit. Seml.*
(10) Præfert *Rhen. solus cum seqq.*
(11) Fabricatam *ibid.*
(12) Et confugi et mihi computum *Rhenanus, qui mendum agnovit ac proposuit lectionem quam omnes suam fecerunt.*
(13) Oppones *Rhen. Seml. Obert.*
(14) Cacabatius *Paris.*; cacabaceus *Fran.*
(15) Temporatur *mss. Jun.*
(16) Præceps mediat quod aiunt ginoten *Rhen. Seml. Oberth. contra omnes.*
(17) Turbulenta *Rhen. contra omnes Semler conjicit delenda esse verba.*
(18) Nutationis *Jun.* mutationis *Rhen.*
(19) Judicantis *Seml. Oberth.*
(20) Proclivarunt *Seml. contra omnes.*
(21) Vertebat *Rhen. Seml.*
(22) Censebat *Rhen. et ejus seqq. contra omnes.*

COMMENTARIUS.

(a) *Dispartibilem eam ostendunt.* Hoc est divisibilem, quod tamen cum superioribus Hermogenis verbis non congruit. Dicebat enim Deum materiam ex seipso fuisse, qui tamen æternus erat et indivisibilis; nunc vero materiam illam divisibilem putat, atque secum ita pugnat. Le Pr.

(b) *A lineis tuis excidisti.* A scopo aberrasti. Neque puto allusisse hic ad artem pictoris illius; cum enim id intelligi queat satis commode non recurrendo ad illam allusionem, crederem id Tertulliano indignum in eo semper immorari. Le Pr.

CAP. XL.—(c) *Nemo se apud tonsorem*, etc. Ad morem respicit, quo speculo uti solent tonsores; nam et addit, ut speculum sit *mundus materiæ*, a quo etiam novam vocem, *speciatum* derivavit auctor, pro eo quod in speculo speciosum apparet; *Nam et speculum*, inquit Varro de ling. lat. lib. IV. *a speciendo, quod ibi spectent.* Pam.

CAP. XLI.—(d) *Mediæ, quod aiunt, aginæ.* Is motus scilicet qui adeo temperatus ut nullam in partem vergat, parsque nulla præponderet. Est enim, ut docet Festus, agina foramen cui inseritur et in quo vertitur scapus trutinæ. Le Pr.

(e) *Hæc turbulentia et passivitas.* In vetustis exemplaribus legitur *turbulenta.* Verum magis placet *turbulentia.* Quid *passivum* vocet Tertullianus, multis in locis, prout res tulit, annotavimus. Hic *passivitatem* vocat dissolutionem, sive inordinationem atque confusionem. Rhen.

(f) *Justitia motationis.* Sic initio libri de Pallio, *Justitiam pallii* dixit. Rig.

(g) *Nec malo nec bono pronus.* Hoc est, neque ad malum, neque ad bonum pronus. Pronus cum dativo. Rhen.

et hoc nomine ab utroque determinabatur. Sed et bonum et malum in loco facis, cum dicis motum materiæ in neutrum eorum fuisse propensum : materia enim quæ in loco erat, neque huc neque illuc devergens, in loca non devergebat in quibus erat bonum et malum. Dans autem locum bono et malo, corporalia ea facis, faciendo localia ; quia quæ locum habent, prius est ut corporalia sint. Denique incorporalia proprium locum non haberent, nisi in corpore, cum corpori accidunt. Ad bonum autem et malum non devergente materia, ut aut corporalia aut localia non devergebat. Bonum ergo et malum, erras, si substantias esse vis. Substantias enim facis quibus loca assignas. Loca autem assignas, cum materiæ motum ab utraque regione suspendis.

CAPUT XLII.

Dispersisti omnia, ne de proximo quam contraria sibi sint relucerent. At ego colligam singula, et conferam. Inconditum adseveras motum materiæ, eamque adjicis sectari informitatem : dehinc alibi, desiderare componi a Deo. Desiderat formationem quæ sectatur informitatem, aut sectatur informitatem quæ desiderat formationem ? Non vis videri Deum æquari materiæ, et subjicis habere illam cum Deo communionem. Impossibile enim, inquis, non habentem illam commune aliquid cum Deo, ornari eam ab ipso. Atquin, si commune aliquid habebat cum Deo, non desiderabat exornari ab ipso, pars scilicet Dei per communionem. Aut et Deus poterat ornari a materia, habendo cum illa aliquid et ipse commune; et jam in hoc necessitati subjicis Deum, si fuit aliquid in materia propter quod eam formaret. Commune autem inter illos facis, quod a semetipsis (1) et semper moventur. Quid minus materiæ quam Deo adscribis ? Totum consortium divinitatis hoc erit, libertas et æternitas motus. Sed Deus composite, materia incondite moventur. Tamen divinum proinde, motu proinde libero et æterno. Atquin plus materiæ das, cui licuit sic moveri quomodo Deo non licuit.

CAPUT XLIII.

De motu et illud notaverim. Nam, secundum ollæ similitudinem, sic erat (2), inquis, materiæ motus, antequam disponeretur, concretus, inquietus, inapprehensibilis, præ nimietate certaminis. Dehinc subjicis : Stetit autem in Dei compositionem, et inapprehensibilem habuit conditum (3) motum, præ tarditate inconditi motus. Supra certamen motui (4) adscribis, hic tarditatem. Nam de natura materiæ quoties cadas, accipe (5). Supra dicis : Si autem esset materia natura mala, non accepisset translationem in melius, nec Deus aliquid compositionis accommodasset illi ; in vacuum enim laborasset. Finisti igitur duas sententias, nec materiam natura malam, nec naturam ejus a Deo potuisse converti. Horum immemor, postea infers (6) : At ubi accepit compositionem a Deo et ornata est, cessavit a natura. Si in bonum reformata est, utique de malo reformata est ; Et si per compositionem Dei cessavit a natura mali, natura cessavit ergo, et mala fuit natura ante compositionem, et desinere potuit a natura post reformationem.

CAPUT XLIV.

Sed et qualiter operatum facias Deum, sequitur ut ostendam. Plane a philosophis recedis, sed tamen et a prophetis. Stoici enim volunt Deum sic per materiam decucurrisse, quomodo mel per favos. At tu : Non, inquis, pertransiens illam facit mundum, sed solummodo apparens et appropinquans ei, sicut facit qui decor (*a*) solummodo apparens, et magnes lapis solum modo appropinquans. Quid simile Deus fabricans mundum, et decor vulnerans animum, aut magnes adtrahens ferrum ? Nam etsi apparuit Deus materiæ, sed non vulneravit illam, quod decor animam : et si adpropinquavit, sed non cohæsit illi, quod magnes ferro. Puta nunc exempla tua competere. Certe, si apparendo et appropinquando materiæ, fecit ex illa Deus mundum, utique ex quo apparuit fecit, et ex quo appropinquavit. Ergo quando non fecerat retro, nec apparuerat illi, nec adpropinquaverat. Et cui credibile est, Deum non apparuisse materiæ ? vel qua consubstantiali suæ per æternitatem ? ab ea longe fuisse quem credimus ubique esse, et ubique apparere (7) ? cui etiam (*b*) inanimalia et incorporalia laudes canunt apud Danielem (*Dan.*, III). Quantus hic locus, in

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rhen. adjicit bisque legit* moventur.
(2) Erit *Rhen. Seml.*
(3) Inconditum *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Motus *Rhen. et duo sequaces.*
(5) Accipis supra judices *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Inserens *Rhen., contra omnes.*
(7) Undique *Lat.*

COMMENTARIUS.

CAP. XLIV.—(a) *Sicut facit qui decor.* Id est, aliquis decor. Sed hoc ab Rhenano est. Nam antea legebatur, *Facit quid decor solummodo apparens.* Quod rectum est. Decor solummodo apparens facit aliquid, hoc est, vulnerat animum, ut ipse mox dicet. Lucretius, IV:

Sed tamen esto jam quantovis oris honore,
Cui veneris membris vis omnibus exhortatur, etc.
(RIG.)

(b) *Inanimalia et incorporalia.* Alludit ad hymnum trium puerorum Dan. 3, juxta editionem Theodotionis ; nam in hebræo non haberi recte annotavit B. Hieronymus. Eumdem etiam citat exomologesis titulo B. Cyprianus libris *de Lapsis* et *de Oratione Dominica.* Qui loci annotandi pro dicti hymni canonica auctoritate, quam etiam Ecclesia illi tribuit, in qua non modo nunc in sabbatis quatuor temporum, sed ab initio nascentis Ecclesiæ, semper in omni solemnitate in sacris fidelium decantatum fuisse trium puerorum hymnum, testantur Augustinus serm. 47, *de Tempore* (qui eumdem etiam nominatim citat ep. 186, *de Jejunio sabbati*), et Ruffinus, lib. 2, adv. Hieronymum. Cui idem Hieronymus respondet, quidquid de eo scripserat sua in Danielem præfatione, ex sententia Hebræorum dixisse. Quid ? quod idem Hieronymus epist. ad Demetriadem de Virgini-

quo Deus a materia tantum distabat, ut neque adpareret neque adpropinquaret ante mundi molitionem? Credo, peregrinatus est ad illam de longinquo, cum primum ei voluit adparere et adpropinquare.

CAPUT XLV.

At enim prophetæ et apostoli non ita tradunt mundum a Deo factum, apparente solummodo et appropinquante materiæ, qui nec materiam ullam nominaverunt, sed primo Sophiam conditam *initium* (1) *viarum in opera ipsius* (*Prov.*, VIII, 22) : debinc et *sermonem* prolatum, *per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil* (*Joan.*, I, 3). Denique *sermone ejus cœli confirmati sunt, et spiritu ipsius universæ virtutes eorum* (*Ps.* XXXIII, 6). Hic est *Dei dextera et manus ambæ per quas operatus est ea quæ* (2) *molitus est* (*Is.*, XLVIII, 13). *Opera* enim *manuum tuarum*, inquit, *cœli* (*Ps.* CII, 26); *per quas et mensus est terram, et palmo cœlum* (3) (*Is.* XL, 12). Noli ita (4) Deo adulari, ut velis illum solo visu et solo accessu tot ac tantas substantias protulisse, et non propriis viribus instituisse. Sic enim et Jeremias commendat; *Deus faciens terram in valentia sua, parans orbem intelligentia sua, et suo sensu extendit cœlum* (5) (*Jerem.*, LI, 15, *Ps.* LXIV, 7). Hæ sunt vires ejus, quibus enixus, totum hoc condidit. Major est gloria ejus, si laboravit. Denique *septima die requievit ab operibus* (*Gen.* II, 2). Utrumque suo more. Aut si adparens solummodo et adpropinquans fecit hunc mundum, numquid cum facere desiit, rursus adparere et adpropinquare cessavit? Atquin magis apparere cœpit, et ubique conveniri Deus, ex quo factus est mundus. Vides ergo quemadmodum operatione Dei universa consistunt (6), (*a*) *valentia* facientis terram, *intelligentia* parantis orbem, et *sensu* extendentis cœlum : non adparentis solummodo, nec adpropinquantis, sed adhibentis tantos animi sui nisus, sophiam, valentiam, sensum, sermonem, spiritum, virtutem : quæ illi non erant (7) necessaria, si (8) adparendo tantummodo et adpropinquando profectus fuisset (9). Hæc autem sunt (*b*) *invisibilia ejus*, quæ secundum apostolum *ab institutione mundi* (10) de factis ejus *conspiciuntur* (*Rom.*, II, 20), non materiæ nescio quæ, sed sensualia ipsius. *Quis enim cognovit sensum Domini?* De quo exclamat (11) : *O profundum divitiarum et sophiæ, ut* (*c*) *inventibilia judicia ejus, et ininvestigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33). Quid hæc magis sapiunt, quam ut ex nihilo omnia facta sint? quæ nec invenire nec investigari nisi a solo Deo possent; alioqui investigabilia, si ex materia sunt investigata et inventa. Igitur in quantum constitit materiam nullam fuisse, ex hoc etiam quod nec talem competat fuisse qualis inducitur, in tantum probatur (12) omnia a Deo ex nihilo facta, nisi quod Hermogenes eumdem statum describendo materiæ, quo (13) est ipse, inconditum, confusum, turbulentum, ancipitis et præcipitis et fervidi motus, documentum (14) artis suæ dum ostendit, ipse se pinxit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Initia *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Atque molitus *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) *Rhenan. et post eum, ut solent, Seml. Oberth. inversione legunt :* cœlum et palmo terram.
(4) Non ita *Rhen. Seml.*
(5) Cœlos *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Universa constituit *Rhen. Seml.*
(7) Erunt *Rhen. Seml.*
(8) Ut apparendo *Oberth. cum iisd.*
(9) *Abesse* fuisset *vult. Lat.*
(10) De *non inser. Rhen. nec Seml., nec Oberth.*
(11) Et clamat : profundum ; *iidem pariter leg.*
(12) Probaretur *iidem contra omnes.*
(13) *Al.* quod est ipse.
(14) Documentis *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

tate servanda, citet ex ipsius hymni præmissis, quæ similiter in hebræo non habentur, illud quod succensus sit ignis 49 : cubitorum. Quomodo etiam B. Augustinus, illud ex ejusdem proœmio. Quoniam justus es in omnibus quæ fecisti nobis, epist. 122. PAM.

CAP. XLV. — (a) *Valentia facientis terram*, etc. Hieremiæ 51, voces græcæ sunt τῇ ἰσχύι, τῇ σοφίᾳ, τῇ συνέσει. Pro quibus transtulit et hic et paulo post auctor, *valentiam*, id est, fortitudinem, intelligentiam, sensum. PAM.

(b) *Invisibilia ejus*, etc. Pro, invisibilia Dei a mundi creatione creaturis intellecta videntur. Rom. 1. LE PR.

(c) *Ininventibilia judicia ejus, et ininvestigabiles*, etc. Quando pertinaciter consentiunt exemplaria quæ vidimus omnia, arbitror ininventibilia dictum perinde ac si dicas incompetibilia, nempe quæ inveniri nequeant, et cognosci quamlibet annitamur : quemadmodum et investigabile hic significat, quod investigari non potest. Meminisse autem debemus Tertullianum in reddendis græcis duriusculum esse. Id quod in superioribus libris indicavimus. Erat autem hæc vox vulgo fortassis usitatior. Nos vim græci vocabuli, quod est ἀνεξερεύνητα attendentes, *inervibilia* aliquando legendum putavimus. RHEN.— *Ininventibilia judicia ejus*, etc. In græco est ἀνεξερεύνητα hoc est impervia et incomprehensibilia, ut vulgus legit. Porro parum interest si legas investigabiles aut ininvestigabiles, utrumque enim reddi potest ex græco ἀνεξιχνίαστοι. LE PR.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
ADVERSUS MARCIONEM
LIBRI QUINQUE.

Prooemium.

SYNOPSIS HISTORICA.

Marcio Synope in Ponto natus est circa annum CXLVIII, imperante Antonino. Hic initio vitæ castitatem præ se ferens monachorum instituta professus est, parente natus catholicæ communionis episcopo. Postea, cum virginem adamasset, ea abusus est. Ob hunc igitur incestum Ecclesia ab ipso parente pulsus est, viro cum primis religioso, ac veritatis amore flagrantissimo, et in episcopalis muneris administratione præstantissimo. Cui cum Marcio diu, multumque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, a patre precibus nullis obtinuit. Romam itaque se contulit, et seniores adiens, qui ab apostolorum discipulis edocti, adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, frustra petiit. Quamobrem exstimulatus invidia, ac ira percitus, illis dixit: Ecclesiam vestram ego dissociabo, in eamque schisma sempiternum immittam; *et discedens, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit* (S. Epiphanius, hæres. 42). *Cerdonis hæc erant dogmata: Deum legis conditorem alium esse a Patre Domini nostri Jesu Christi; hunc bonum fuisse, illum malum; Jesum Christum veram nostræque consubstantialem carnem non assumpsisse, nec de virgine Maria natum fuisse.* Dupin.

Opus *adversus Marcionem* conscripsit Tertullianus, postquam in Montanistarum errorem lapsus est, ut apparet ex illis verbis (*cap.* XXIX, *lib.* 1): *Nubendi jam modus ponitur, Paracleto auctore, unum in fide matrimonium præscribitur*, et dum *novas prophetias* commemorat, et de quibusdam revelationibus loquens scribit (*lib.* IV, *cap.* 22): *De quo inter nos, et psychicos quæstio est;* quæ profecto distinctio, communionis designat diversitatem. Hæc tamen minime impediunt quin opus istud Tertulliani optimum dici queat, et veluti thesaurus antiquioris theologiæ. Primum opusculum hoc eodem de argumento exaraverat, sed currenti, ut aiunt, calamo, quod postea (*lib.* IV, *cap.* 1) *pleniore positione resciderat*, sed et istud *fraude fratris apostatæ* sibi subreptum dicit; quam jacturam ut repararet, hocce tertium elucubravit anno XV Severi imperatoris, a Christi natali CCVII. Lumper.

TOTIUS OPERIS CONSPECTUS.

Primo itaque loco Dei unitatem et singularitatem ostendit, cum impossibile evincat duo dari suprema entia: *qui enim duo potuit admittere, idem et plura; post duo enim multitudo, unione jam excussa, numerus autem divinitatis summa ratione constare debet.* Porro Marcion, ut bina sua adstrueret principia, dicebat Creatorem esse culpandum, quippe qui malorum auctor dicendus foret, inquiente Scriptura (*Is.* XLV, 7): *Ego formans pacem, et creans malum.* At Tertullianus ostendit impium esse, blasphemum et temerarium de Deo dicere (*cap.* III, 4): *Sic non debuit Deus, et sic magis debuit.* Deinde Creatoris bonitatem patefacit in omnibus ejus operibus elucescentem, ac præsertim in primi hominis efformatione ac creatione. Deinde divinæ justitiæ in malorum punitione necessitatem ostendit, ad malos coercendos et ad avertenda peccata, quæ contra Dei mandatum et voluntatem admittuntur (*lib.* II, *cap.* 15): *Non enim sufficiebat bonum per semetipsum commendari, nisi vis aliqua præesset timendi, quæ bonum etiam nolentes appeteret, et custodire impelleret.* Effrænis igitur peccandi libertas panditur peccatoribus, dum illis Deus proponitur, qui igne et tartaro punire nequit, et qui timeri non potest, et nolit (*cap.* 16). *Quanto malum injustitia, tanto bonum justitia; bona igitur severitas, quia justa, si bonus judex, id est justus. Item cætera bona, per quæ opus bonum currit bonæ severitatis, sive ira, sive æmulatio, sive sævitia,* Dei videlicet volitiones, quas nos hisce vocibus significamus, omnes tamen humanas a Deo passiones procul ablegantes. Cum tamen philosophi, eorumque sectatores hæretici, ne Deum inducerent sive passionibus obnoxium, sive mutabilem, et ex consequente corruptibilem et mortalem, omnino insensibilem fingebant (*cap.* 16). *Bene*, reponebat Tertullianus, *quod Christianorum est, etiam mortuum Deum credere, et tamen vivere in ævo ævorum. Stultissimi, qui de humanis divina prædicant, ut, quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcirco et in Deo ejusdem status existimentur.* In quibus verbis apparet Tertulliani ævo constantem fuisse et ratam de Christi divinitate, ac trium Personarum unitate doctrinam. Dein, suum prosequens sermonem, subdit: *Discerne substantiam, et suos ei distribue sensus tam diversos, quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam et dexteram, et oculos, et pedes Dei legimus; non ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur... Prior bonitas Dei secundum naturam, severitas posterior secundum causam* (*cap.* 13, 14). Primum igitur malum peccatum, quod pœna subsecuta est, quæ

malum est; at alterius generis *mala*, scilicet *quibus rependuntur, cæterum suo nomine bona, quia justa, et bonorum defensoria, et delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna.*

Ut vero mali originem detegat, humani libertatem arbitrii constituit Tertullianus, dicens : *In quo hoc ipsum imago et similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas et potestas.* At imago semper est originali inferior, *et opus inferius artifice*, propterea natura sua defectibile (*cap.* 10); *et sicut Deus homini vitæ statum induxit, ita homo mortis statum adtraxit*, et idem de angelo dicendum; Deus enim angelum fecit, qui seipsum in dæmonem commutavit. Et hoc pacto objectionem solvit, ad accusandum Creatorem ex hominis et angelorum lapsu desumptam; nimirum vel inscitiæ et ignorantiæ, si peccatum utriusque non prænovit; vel malitiæ, qui, cum præviderit, non impedivit. Nam Deus et *fidem* et *gravitatem* suam in omni opere servare debebat; conservavit igitur opus, quale condiderat, id est libero præditum arbitrio (*cap.* 7). *Si enim semel homini permiserat arbitrii libertatem et potestatem, utique fruendas eas* ex ipsa institutione permiserat: posse autem peccare est hujus libertatis consectarium, quod Deus permisit cum adjunctis suis, peccatis scilicet et suppliciis, quæ omnia postea in suæ gloriæ ostensionem convertit.

Postea ad Messiæ missionem et incarnationem progrediens, dicit (*lib.* III, *cap.* 3) *Christum non ex solis virtutibus credendum fuisse*, sed ex prævviis prophetarum de illo vaticiniis; siquidem dictum erat, *multos venturos, et signa facturos, et virtutes magnas edituros, nec ideo tamen admittendos.* Ubi et illud animadvertit a prophetis (*cap.* 5) ideo *futura interdum pro jam transactis enuntiari*, quia apud Deum *non sit differentia temporis, apud quem uniformem statum temporum dirigit æternitas, et divinationi propheticæ familiare est quod prospicit, dum prospicit jam visum, atque ita jam expunctum, id est omni modo futurum demonstrare.* Ut vero ostenderet Deum verum hominem fuisse, non umbratilem et phantasticum, dicit, si in Christo non fuisset vera humanitas, nec credendam in eo veram divinitatem (*cap.* 8) : *Nam, si in Christo non erat quod videbatur, et quod erat mentiebatur, caro nec caro, homo nec homo, proinde Deus Christus, nec Deus. Cur enim non etiam Dei phantasma portavit? An credam ei de interiore substantia, qui sit de exteriore frustratus?* Verum autem hominem fuisse, omnia ostendunt quæ de eo in Evangeliis scripta leguntur, videlicet et tetigisse, et tactum ab aliis fuisse; scriptum est enim tangendo infirmos eos liberasse, a peccatrice tactos ejus pedes ac perfuso unguento delibutos, nec non passum, mortuum, et spiritum ab eo emissum, et post resurrectionem se carnem et ossa habere demonstrasse, jubendo ut eum tangerent et palparent; alioquin, si veram non habuisset carnem, nec passus, nec mortuus fuisset, propterea nec resurrexisset; proinde inanis est fides nostra, inanis et prædicatio apostolorum, qui falsi Dei testes invenirentur.

Marcionistæ objiciebant carnem assumere indignum fuisse Christo eam enim *terrenam substantiam, stercoribus infertam, cloacam uterum virginis appellabant, et partus immunda et pudenda tormenta, et puerperii spurcos, noxios, ludicros exitus late persequebantur* (*cap.* 11). At hæc omnia dicit Tertullianus *sanctissima ac reverenda esse opera naturæ*, quæ tamen cum Marcio indigna Deo ostenderet, nihil tamen proficiet; *nam non erit indignior morte nativitas, et cruce infantia, et natura pœna, et carne damnatio. Si vere ista passus est Christus, minus fuisset nasci* (*cap.* 10). Cæterum, *si ad certum spectemus, nulla substantia digna est quam Deus induat. Quodcumque induerit ipse, dignum facit, absque mendacio tamen; et ideo quale est ut dedecus existimaverit veritatem potius quam mendacium carnis?* Verum, cum prænuntiatum foret de Christo, eum opprobriis saturandum et confusione operiendum, adeo ut vermis appareret et non homo, erubescere oportebat (*lib.* IV, *cap.* 21), *ut dedecore ejus salus nostra constaret; et quoniam homo non erubuerat lapidem et lignum adorans, eadem constantia non confusus de Christo pro impudentia idololatriæ satis Deo fuerat per impudentiam fidei.* Addit notum omnibus compertumque fuisse, Christum natum ex familia David, cum adhuc apud Judæos tribuum et familiarum distinctio custodiretur (*lib.* IV, *cap.* 7), *et in censu* reperiretur *Augusti, quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana archiva custodiunt.* Se Filium hominis appellavit, dum sibi potestatem tribuit peccata dimittendi, ut pateseeret verum Deum simul esse, et hominem verum : *neque enim mentiri posset Christus, ut se Filium hominis pronuntiaret, si non vere erat;* nec peccata dimittere, si verus Deus non fuisset, hominem proinde fuisse *illum* quem Danielis prophetia *consecutum prænuntiabat judicandi potestatem.* Verum de Christi regno loquens Tertullianus, apertissime ostendit se chiliastarum opinioni adhæsisse, quod mirum non esse debet perpendenti et Montanistarum visionibus fidem adhibuisse.

Ut rerum Creatorem accusarent Marcionistæ, eo præsertim utebantur artificio et dolo, quo Novum Testamentum Veteri opponebant; et si quæ sive in lege, sive in prophetis vel dura vel abjectiora occurrebant, parvi penderent et ceu contemptibilia exaggerarent. At Tertullianus illa duo Testamenta non a diverso prodiisse auctore patefaciebat, sed ab uno eodemque, qui tamen diverso se gessit modo juxta humani generis statum et conditionem. Primo enim Deus nonnisi tenuiora pollicitus est præmia, veluti arrhabones sublimium divitiarum, quas illis reservavit. *Divitias præstare Deo non incongruens* dicit, *per quas multa inde opera justitiæ et dilectionis administrantur*, sicut et alia terrena bona data et promissa in Veteri Testamento; quæ non minus quam cœlestia ad Creatorem cœli et terræ distribuere et elargiri pertinet (1). Objecta quoque diluit desumpta ex Israelitarum furto, quod in Ægyptios Deo jubente commisisse videntur Hebræi, et alia ex præceptorum contradictione deprompta, uti quando illis (2) *vetui*

facere similitudinem omnium quæ sunt in cœlo, et in terra, et in aquis, et simul jussit ut *serpentis ænei effigiem efformarent, et Cherubim et Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum* (3), ubi dicit imagines solius idololatriæ caussa prohiberi. Sic et *talionis legem* ideo datam dicit, *ut commissio injuriæ metu vicis statim occursuræ repastinaretur, et licentia retributionis prohibitio esset provocationis.*

Ridebant hæretici et aspernabantur quæ in Veteri Testamento abjectiora videbantur, cujusmodi sunt cruenta sacrificia (4), *ablutionum negotiosæ scrupulositates* et ciborum delectus. Hæc autem omnia a Deo fuerunt præstituta, *ut istis legalibus disciplinis occurrentibus ubique, ne ulli momento vacarent a Dei respectu...: ut nihil de arcanis attingam significantiis, legis spiritualis scilicet et propheticæ, et in omnibus pene argumentis figuratæ* (5). « Si lex, scribit, aliquid cibis detrahit, et immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige, et frænos impositos illi gulæ agnosce, quæ, cum panem ederet angelorum cucumeres, et pepones Ægyptiorum desiderabat. Agnosce simul et comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum...: proinde ut et pecuniæ ardor restingueretur ex parte, de qua victus necessitate caussatur, pretiosorum ciborum ambitio detracta est; postremo, ut facilius homo ad jejunandum Deo formaretur..., sacrificiorum quoque onera, et operationum, et ablutionum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat...; sed illam Dei industriam sentiat qua populum pronum in idololatriam et transgressionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos (6). Sed in ipsis commerciis vitæ et conversationis humanæ domi ac foris, ad usque curam vasculorum omnifariam distinxit, ut istis legalibus disciplinis occurrentibus ubique, ne ulli momento vacarent a Dei respectu... Ad hoc beneficium, non onus legis adjuvandum prophetas ordinavit, docentes Deo digna, auferre nequitias de anima, exquirere judicium, et cætera, quæ religionis essentiam et perfectionem in virtute et bonis operibus locatam evincunt. Longius progreditur in hac exponenda doctrina, et in lege præceptam probat caritatem, et injuriarum veniam, reservata Deo vindicta, quæ necessaria est, ut scelesti homines in ordine contineantur (7). Addit Christum *conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat.* Denique hanc circa fidem regulam tradit (8), *nihil temere credendum, temere porro credi, quodcumque sine originis agnitione creditur.*

LUMPER.

LIBER PRIMUS.

Argumentum.

Cum prius opusculum suum ADVERSUS MARCIONEM *pleniore postea compositione rescidisset Tertullianus, et eam frater quidam deinde apostata mendosissimum exhibuisset, necessitas illi facta est emendationis, et innovationis occasio aliquid adjicere persuasit; unde in quinque libros opus istud excrevit, quorum primi libri argumentum hic damus.*

I. *In primis itaque post invectivam in Marcionem Ponticum, quod nuptias abstulerit, Evangelia corroserit, et Deum quem invenerat, extincto lumine fidei amiserit; jam destinandum hæreticum docet; quia, deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit quod retro non erat; sicuti latius libro* DE PRÆSCRIPTIONIBUS ADVERSUS HÆRETICOS *sustinuerit.*

II. *Deinde, duos deos illum adtulisse; Creatorem, id est nostrum; et suum ac cerdonis informatoris sui; illum malum, hujus vero bonum.*

III. *Verum, Christianam veritatem districte pronuntiasse: Deum, si unus non sit, non esse, eo quod summus magnus sit, cui nihil adæquari possit.*

IV. *Non posse etiam duo summa magna, etiam distincta suis finibus consistere.*

V. *Si enim duo summa magna, etiam plura admitti debere, cum Valentino, qui usque ad triginta æonum fœtus, examen divinitatis effudit.*

VI. *Atque adeo, non modo duo pares, sed nec dispares deos posse constitui.*

VII. *Neque vero illi patrocinari nomen Dei, etiam aliis permissum in Scripturis; quia idcirco eis non competit possessio summi magni.*

VIII. *Porro hæresin Marcionistarum vel inde probari, quod novum Deum faciant, cum verus Deus æternus sit.*

IX. *Idque, etiamsi solum agnitione novum dicant, quod Deus ignotus esse non potuerit, neque incertus.*

X. *Sed a primordio semper agnitus; quippe quem anima et conscientia, etiam ethnica, noverit.*

XI. *Proinde, cum Dei sint omnia, si nihil creavit, deum non esse quem Marcion statuit.*

XII. *Ut autem illum deum esse confiteri possemus, sine caussa tamen esse eum deberemus argumentari, qui rem non haberet, cum res caussa sit ut sit aliquid.*

XIII. *Neque vero opus esse parum dignum Deo mundum; ipsis testimoniis philosophorum probat.*

XIV. *Imo etiam minutiora animalia aut juvare aut lædere; et nec aquam Dei creatoris reprobari a deo Marcionis, qua suos abluit: nec oleum, quo suos unguit: nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat (hoc est præsens ostendit) in sacramentis.*

XV. *Deinde addit, deo Marcionis non esse suum*

cœlum et mundum (de quo latius infra lib. V), tum quod ad quindecimum usque Severi imperatoris annum (quo hæc scripsisse se auctor indicat) nulla talis substantia comperta sit, tum quod alioqui novem deos assignare censebitur Marcion.

XVI. *Neque illum esse invisibilia sola operatum (sicuti latius etiam dicto lib. V, infra), sed ejusdem esse auctoris visibilia et invisibilia.*

XVII. *Et vero non sufficere illi deo unum opus liberationis hominis, cum etiam per alia opera severus Deus protulerit in notitiam.*

XVIII. *Revelatum item illum non recte dici, qui neque natura ex operibus, neque doctrina ex prædicationibus revelatus sit.*

XIX. *Neque etiam in Christo Jesu, tum quod is revelatus sit plus centum quindecim annis ante Deum Marcionis, qui sub Antonino; tum, quod præcesserit separationem illam Legis et Evangelii, quam in antithesibus Marcion primus commentus est.*

XX. *Frustra autem obstrepi ab diversa parte, quod Marcion regulam non innovarit, sed retro adulteratam recurarit, exemplo Pauli, qui Petrum reprehenderit, quia in illo solum conversationem reprehenderit, non fidem Creatoris.*

XXI. *Stetisse itaque semper fidem in Creatorem et in Christum ejus, non modo sub apostolis, sed et in apostolicis Ecclesiis : apud quas Christus, non alterius dei quam Creatoris ostenditur.*

XXII. *Jam vero naturaliter bonum dici non posse deum Marcionis, qui ab initio homini lapso non succurrerit.*

XXIII. *Neque rationabiliter bonum, eo quod homini (juxta Marcionem a se alieno) succurrere voluerit.*

XXIV. *Neque perfecte bonum, quod, juxta Marcionem, animam solam salvet, non carnem, quæ tamen apud illum tinguitur, de nuptiis tollitur, et in confessione nominis sævitiam patitur.*

XXV. *Proinde, Deum non sola bonitate censendum.*

XXVI. *Verum de judicio quoque, qui vindicet peccata, et damnet.*

XXVII. *Alioqui peccatoribus nullum timorem fore.*

XXVIII. *Et sic etiam stare non posse fidei sacramentum baptisma, quod remissio est delictorum, absolutio mortis, regeneratio, consecutio Spiritus sancti, signat denique et lavat : quæ conferre non potest, nisi qui a primordio creavit hominem, et animam ei contulit, et pro peccato ad mortem damnavit.*

XXIX. *Postremo Marcionis hæresin impugnat, qua tingui nolebat nisi virgines et cœlibes, tum quod conjugium benedixerit Deus, tum quod, si nuptiæ non sint, sanctitas erit nulla : imo hoc erit sementem totum generis humani compescere.*

XXX. *Denique, epilogo brevi lectorem ad sequentes libros præparat.* PAM.

CAPUT PRIMUM.

Si quid retro gestum est nobis adversus Marcionem, jam hinc viderit (*a*). Novam rem adgredimur ex vetere. (*b*) Primum opusculum quasi properatum pleniore postea compositione rescideram. Hanc quoque nondum exemplariis suffectam, fraude (*c*) tunc fratris, dehinc apostatæ, amisi; qui forte descripserat quædam mendosissime, et (*d*) exhibuit frequentiæ. Emendationis necessitas facta est. Innovationis ejus occasio aliquid adjicere persuasit. Ita stylus iste nunc de secundo tertius, et de tertio jam hinc primus, hunc opusculi sui exitum necessario præfatur, (*e*) ne quem (1) varietas ejus in disperso reperta confundat. (*f*) Pontus qui dicitur (*g*) Euxinus (2), natura (3) negatur, nomine illuditur. Cæterum, hospitalem Pontum nec de situ æstimes : ita ab humanioribus fretis nostris, quasi quodam barbariæ suæ pudore secessit. Gentes ferocissimæ inhabitant (*h*), si tamen habitatur in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quemquam *Rhen.*
(2) Pontus igitur, qui Euxinus *Rhen.*
(3) Natura *omitt. Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) *Si quid retro gestum est nobis adversus Marcionem, jam hinc viderit.* Dissertissime abdicat quicquid adversus Marcionem ante hosce libros composuerat. Id vero fuisse versuum aliquid, minime esse putandum ostendimus, præfatione ad poemata quæ vulgo Tertulliani nomine adversus Marcionem inscripta pro Septimianis obtrudi solent. RIG.

(b) *Primum opusculum quasi properatum.* Inchoatum et rude, qualia Origeni et Quintiliano, atque etiam Tullio quædam excidisse in lib. *ad Herennium*, refert Hieronymus, comm. in Abdiam : *Si hoc ille, tam de libris ad Herennium, quam de rhetoricis, quos ego vel perfectissimos puto, ad comparationem senilis peritiæ dicere potuit, quanto magis ego libere profitebor et illud fuisse puerilis ingenii, et hoc maturæ senectutis. In libris quoque contra Marcionem Septimius Tertullianus hoc idem passus est; et Origenes in Cantic. canticorum, et Quintilianus in duodecim libris Institutionis Oratoriæ.* RIG.

(c) *Tunc fratris, dein apostatæ.* Marcionis, qui frater fuit quamdiu vere Christianus. Liquet ex verbis antecedentibus Tertullianum adversus Marcionem scripsisse. LE PR.

(d) *Exhibuit frequentiæ.* Hoc est, emisit in vulgus. Sic in Apologetico, *frequentias* montium dixit feras montium incolas. RIG.

(e) *Ne quem varietas ejus in disperso reperta confundat.* Hoc frustra metueret de versibus, si quos adversus Marcionem scripsisset. Nam illi satis sese ab hoc styli genere secernunt procul. RIG.

(f) *Pontus qui dicitur Euxinus, natura negatur.* Sic emendavimus, suadente veterum exemplarium scriptura hujusmodi, *Pontus qui igitur Euxinus.* Voluerat Pithæus, *Pontus qui a Græcis Euxinus.* Nihilominus tamen probari potest vulgata lectio, *Pontus igitur qui Euxinus natura negatur, nomine illuditur.* RIG.

(g) *Euxinus, natura negatur.* Etenim fallit mendacio cognominis, cum ob ingenium loci ac feritatem naturæ, ἄξενος dici debeat. RIG. — Cum dici debuerit inhospitalis, unde Ovid.:

Quem tenet Euxini mendax cognomine pontus.
LE PR.

(h) *Gentes ferocissimæ inhabitant.* Gentes illæ fuere Sarmatæ, Geloni, Massagetæ et genus universum po-

facere similitudinem omnium quæ sunt in cœlo, et in terra, et in aquis, et simul jussit ut *serpentis ænei effigiem efformarent, et Cherubim et Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum* (3), ubi dicit imagines solius idololatriæ caussa prohiberi. Sic et *talionis legem* ideo datam dicit, *ut commissio injuriæ metu vicis statim occurseræ repastinaretur, et licentia retributionis prohibitio esset provocationis.*

Ridebant hæretici et aspernabantur quæ in Veteri Testamento abjectiora videbantur, cujusmodi sunt cruenta sacrificia (4), *ablutionum negotiosæ scrupulositates* et ciborum delectus. Hæc autem omnia a Deo fuerunt præstituta, *ut istis legalibus disciplinis occurrentibus ubique, ne ulli momento vacarent a Dei respectu...: ut nihil de arcanis attingam significantiis, legis spiritualis scilicet et propheticæ, et in omnibus pene argumentis figuratæ* (5). « Si lex, scribit, aliquid cibis detrahit, et immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige, et frænos impositos illi gulæ agnosce, quæ, cum panem ederet angelorum cucumeres, et pepones Ægyptiorum desiderabat. Agnosce simul et comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum...: proinde ut et pecuniæ ardor restingueretur ex parte, de qua victus necessitate caussatur, pretiosorum ciborum ambitio detracta est; postremo, ut facilius homo ad jejunandum Deo formaretur..., sacrificiorum quoque onera, et operationum, et ablutionum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat...; sed illam Dei industriam sentiat qua populum pronum in idololatriam et transgressionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos (6). Sed in ipsis commerciis vitæ et conversationis humanæ domi ac foris, ad usque curam vasculorum omnifariam distinxit, ut istis legalibus disciplinis occurrentibus ubique, ne ulli momento vacarent a Dei respectu... Ad hoc beneficium, non onus legis adjuvandum prophetas ordinavit, docentes Deo digna, auferre nequitias de anima, exquirere judicium, et cætera, quæ religionis essentiam et perfectionem in virtute et bonis operibus locatam evincunt. Longius progreditur in hac exponenda doctrina, et in lege præceptam probat caritatem, et injuriarum veniam, reservata Deo vindicta, quæ necessaria est, ut scelesti homines in ordine contineantur (7). Addit Christum *conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat.* Denique hanc circa fidem regulam tradit (8), *nihil temere credendum, temere porro credi, quodcumque sine originis agnitione creditur.*

LUMPER.

LIBER PRIMUS.

Argumentum.

Cum prius opusculum suum ADVERSUS MARCIONEM *pleniore postea compositione rescidisset Tertullianus, et eam frater quidam deinde apostata mendosissimum exhibuisset, necessitas illi facta est emendationis, et innovationis occasio aliquid adjicere persuasit; unde in quinque libros opus istud excrevit, quorum primi libri argumentum hic damus.*

I. *In primis itaque post invectivam in Marcionem Ponticum, quod nuptias abstulerit, Evangelia corroserit, et Deum quem invenerat, extincto lumine fidei amiserit; jam destinandum hæreticum docet; quia, deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit quod retro non erat; sicuti latius libro* DE PRÆSCRIPTIONIBUS ADVERSUS HÆRETICOS *sustinuerit.*

II. *Deinde, duos deos illum adtulisse; Creatorem, id est nostrum; et suum ac cerdonis informatoris sui; illum malum, hujus vero bonum.*

III. *Verum, Christianam veritatem districte pronuntiasse: Deum, si unus non sit, non esse, eo quod summus magnus sit, cui nihil adæquari possit.*

IV. *Non posse etiam duo summa magna, etiam distincta suis finibus consistere.*

V. *Si enim duo summa magna, etiam plura admitti debere, cum Valentino, qui usque ad triginta æonum fœtus, examen divinitatis effudit.*

VI. *Atque adeo, non modo duo pares, sed nec dispares deos posse constitui.*

VII. *Neque vero illi patrocinari nomen Dei, etiam aliis permissum in Scripturis; quia idcirco eis non competit possessio summi magni.*

VIII. *Porro hæresin Marcionistarum vel inde probari, quod novum Deum faciant, cum verus Deus æternus sit.*

IX. *Idque, etiamsi solum agnitione novum dicant, quod Deus ignotus esse non potuerit, neque incertus.*

X. *Sed a primordio semper agnitus; quippe quem anima et conscientia, etiam ethnica, noverit.*

XI. *Proinde, cum Dei sint omnia, si nihil creavit, deum non esse quem Marcion statuit.*

XII. *Ut autem illum deum esse confiteri possemus, sine caussa tamen esse eum deberemus argumentari, qui rem non haberet, cum res caussa sit ut sit aliquid.*

XIII. *Neque vero opus esse parum dignum Deo mundum; ipsis testimoniis philosophorum probat.*

XIV. *Imo etiam minutiora animalia aut juvare aut lædere; et nec aquam Dei creatoris reprobari a deo Marcionis, qua suos abluit: nec oleum, quo suos unguit: nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat (hoc est præsens ostendit) in sacramentis.*

XV. *Deinde addit, deo Marcionis non esse suum*

cœlum et mundum (de quo latius infra lib. V), tum quod ad quindecimum usque Severi imperatoris annum (quo hæc scripsisse se auctor indicat) nulla talis substantia comperta sit, tum quod alioqui novem deos assignare censebitur Marcion.

XVI. *Neque illum esse invisibilia sola operatum (sicuti latius etiam dicto lib. V, infra), sed ejusdem esse auctoris visibilia et invisibilia.*

XVII. *Et vero non sufficere illi deo unum opus liberationis hominis, cum etiam per alia opera severus Deus protulerit in notitiam.*

XVIII. *Revelatum item illum non recte dici, qui neque natura ex operibus, neque doctrina ex prædicationibus revelatus sit.*

XIX. *Neque etiam in Christo Jesu, tum quod is revelatus sit plus centum quindecim annis ante Deum Marcionis, qui sub Antonino; tum, quod præcesserit separationem illam Legis et Evangelii, quam in antithesibus Marcion primus commentus est.*

XX. *Frustra autem obstrepi ab diversa parte, quod Marcion regulam non innovarit, sed retro adulteratam recurarit, exemplo Pauli, qui Petrum reprehenderit, quia in illo solum conversationem reprehenderit, non fidem Creatoris.*

XXI. *Stetisse itaque semper fidem in Creatorem et in Christum ejus, non modo sub apostolis, sed et in apostolicis Ecclesiis : apud quas Christus, non alterius dei quam Creatoris ostenditur.*

XXII. *Jam vero naturaliter bonum dici non posse deum Marcionis, qui ab initio homini lapso non succurrerit.*

XXIII. *Neque rationabiliter bonum, eo quod homini (juxta Marcionem a se alieno) succurrere voluerit.*

XXIV. *Neque perfecte bonum, quod, juxta Marcionem, animam solam salvet, non carnem, quæ tamen apud illum tinguitur, de nuptiis tollitur, et in confessione nominis sævitiam patitur.*

XXV. *Proinde, Deum non sola bonitate censendum.*

XXVI. *Verum de judicio quoque, qui vindicet peccata, et damnet.*

XXVII. *Alioqui peccatoribus nullum timorem fore.*

XXVIII. *Et sic etiam stare non posse fidei sacramentum baptisma, quod remissio est delictorum, absolutio mortis, regeneratio, consecutio Spiritus sancti, signat denique et lavat : quæ conferre non potest, nisi qui a primordio creavit hominem, et animam ei contulit, et pro peccato ad mortem damnavit.*

XXIX. *Postremo Marcionis hæresin impugnat, qua tingui nolebat nisi virgines et cælibes, tum quod conjugium benedixerit Deus, tum quod, si nuptiæ non sint, sanctitas erit nulla : imo hoc erit sementem totum generis humani compescere.*

XXX. *Denique, epilogo brevi lectorem ad sequentes libros præparat.* PAM.

CAPUT PRIMUM.

Si quid retro gestum est nobis adversus Marcionem, jam hinc viderit (*a*). Novam rem adgredimur ex vetere. (*b*) Primum opusculum quasi properatum pleniore postea compositione rescideram. Hanc quoque nondum exemplariis suffectam, fraude (*c*) tunc fratris, dehinc apostatæ, amisi; qui forte descripserat quædam mendosissime, et (*d*) exhibuit frequentiæ. Emendationis necessitas facta est. Innovationis ejus occasio aliquid adjicere persuasit. Ita stylus iste nunc de secundo tertius, et de tertio jam hinc primus, hunc opusculi sui exitum necessario præfatur, (*e*) ne quem (1) varietas ejus in disperso reperta confundat. (*f*) Pontus qui dicitur (*g*) Euxinus (2), natura (3) negatur, nomine illuditur. Cæterum, hospitalem Pontum nec de situ æstimes : ita ab humanioribus fretis nostris, quasi quodam barbariæ suæ pudore secessit. Gentes ferocissimæ inhabitant (*h*), si tamen habitatur in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quemquam *Rhen.*
(2) Pontus igitur, qui Euxinus *Rhen.*
(3) Natura *omitt. Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) *Si quid retro gestum est nobis adversus Marcionem, jam hinc viderit.* Dissertissime abdicat quicquid adversus Marcionem ante hosce libros composuerat. Id vero fuisse versuum aliquid, minime esse putandum ostendimus, præfatione ad poemata quæ vulgo Tertulliani nomine adversus Marcionem inscripta pro Septimianis obtrudi solent. RIG.

(b) *Primum opusculum quasi properatum.* Inchoatum et rude, qualia Origeni et Quintiliano, atque etiam Tullio quædam excidisse in lib. *ad Herennium*, refert Hieronymus, comm. in Abdiam : *Si hoc ille, tam de libris ad Herennium, quam de rhetoricis, quos ego vel perfectissimos puto, ad comparationem senilis peritiæ dicere potuit, quanto magis ego libere profitebor et illud fuisse puerilis ingenii, et hoc maturæ senectutis. In libris quoque contra Marcionem Septimius Tertullianus hoc idem passus est; et Origenes in Cantic. canticorum, et Quintilianus in duodecim libris Institutionis Oratoriæ.* RIG.

(c) *Tunc fratris, dein apostatæ.* Marcionis, qui frater fuit quamdiu vere Christianus. Liquet ex verbis antecedentibus Tertullianum adversus Marcionem scripsisse. LE PR.

(d) *Exhibuit frequentiæ.* Hoc est, emisit in vulgus. Sic in Apologetico, *frequentias* montium dixit feras montium incolas. RIG.

(e) *Ne quem varietas ejus in disperso reperta confundat.* Hoc frustra metueret de versibus, si quos adversus Marcionem scripsisset. Nam illi satis sese ab hoc styli genere secernunt procul. RIG.

(f) *Pontus qui dicitur Euxinus, natura negatur.* Sic emendavimus, suadente veterum exemplarium scriptura hujusmodi, *Pontus qui igitur Euxinus.* Voluerat Pithœus, *Pontus qui a Græcis Euxinus.* Nihilominus tamen probari potest vulgata lectio, *Pontus igitur qui Euxinus natura negatur, nomine illuditur.* RIG.

(g) *Euxinus, natura negatur.* Etenim fallit mendacio cognominis, cum ob ingenium loci ac feritatem naturæ, ἄξενος dici debeat. RIG. — Cum dici debuerit inhospitalis, unde Ovid.:

Quem tenet Euxini mendax cognomine pontus.
LE PR.

(h) *Gentes ferocissimæ inhabitant.* Gentes illæ fuere Sarmatæ, Geloni, Massagetæ et genus universum po-

et plurimum nuda, etiam cum abscondunt, suspensis de jugo pharetris indicibus, ne temere quis (1) intercedat. (*a*) Ita nec armis suis erubescunt. Parentum cadavera, cum pecudibus cæsa, convivio convorant. Qui non ita decesserint, ut escatiles fuerint, maledicta mors est. Nec fœminæ sexu mitigantur secundum pudorem : ubera excludunt, pensum securibus faciunt; malunt militare, quam nubere. Duritia de cœlo quoque. Dies numquam patens : (*b*) sol numquam libens (2), unus aer, nebula; totus annus, hibernum; omne quod flaverit, Aquilo est, (*c*) liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent : nihil illic nisi feritas calet, illa scilicet quæ fabulas scenis dedit, de sacrificiis Taurorum, et amoribus Colchorum, et crucibus Caucasorum. Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum, (*d*) quam quod illic Marcion natus est, Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, Massageta inhumanior, (*e*) Amazone audacior; nubilo obscurior, hyeme frigidior, gelu fragilior; Istro fallacior, Caucaso abruptior. Quidni? penes quem verus Prometheus Deus omnipotens blasphemiis lancinatur (3). Jam et bestiis illius barbariæ importunior Marcion. Quis enim tam castrator carnis castor, quam qui nuptias abstulit? quis tam comesor mus ponticus, quam qui Evangelia corrosit? Næ tu, Euxine, probabiliorem feram philosophis edidisti, quam Christianis. (*f*) Nam illa (4) canicula Diogenes hominem invenire cupiebat, lucernam meridie circumferens : Marcion Deum quem invenerat, extincto lumine fidei suæ amisit. Non negabunt discipuli ejus primam illius (5) fidem nobiscum fuisse, ipsius liteA ris testibus : ut hinc jam destinari possit hæreticus, qui, deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit quod retro non erat. In tantum enim hæresis deputabitur quod postea inducitur, in quantum veritas habebitur quod retro et a primordio traditum est. Sed alius libellus (*g*) hunc gradum sustinebit adversus hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptione novitatis. Nunc quatenus admittenda congressio est, interdum, ne compendium præscriptionis, ubique advocatum, diffidentiæ deputetur. Regulam adversarii prius prætexam, ne cui lateat in qua principalis quæstio diunicatura est.

CAPUT II.

Duos Ponticus deos affert (*h*), tamquam duas sympB plegadas naufragii sui (*i*) : quem negare non potuit, id est (6) Creatorem, id est nostrum, et quem probare non poterit, id est suum : passus infelix hujus præsumptionis instinctum (*j*), de simplici capitulo Dominicæ pronuntiationis (7), in homines non in deos disponentis exempla illa bonæ et malæ arboris, quod neque bona malos, neque mala bonos proferat fructus (*Matth.* VIII, 18) : id est, neque mens vel fides bona, malas edat operas, neque mala bonas. Languens enim (quod et nunc multi, et maxime hæretici) circa mali quæstionem, « unde malum (*k*)? » et obtusis sensibus ipsa enormitate curiositatis, inveniens Creatorem pronuntiantem (*Is.*, LXV, 7) (8) : *Ego sum qui condo mala* (*l*); quanto ipsum præsumpserat mali auctorem, et ex aliis argumentis, quæ ita persuadent perverso C cuique, tanto in Creatorem interpretatus malam arborem malos fructus condentem, scilicet mala; alium

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ne quis temere *Jun.* ut indicibus notentur, ne quis *Rhen.*
(2) Liquens *Wouwer.* liber *Fran.*
(3) Laciniatur *alii.*
(4) Ille *Semler.*
(5) Illis *vel* illi *alii.*
(6) Id est *omitt. Latin.*
(7) Prænuntiationis *alii.*
(8) Prænuntiantem *alii.*

COMMENTARIUS.

pulorum hamaxobiorum, de quibus eorumque feritate horrescunt historiæ. Le Pr.

(a) *Ita nec armis suis erubescunt.* Hæc enim turpis et propatulæ Veneris suæ signa prostituunt. Rig.

(b) *Sol numquam libens.* Sic habet vetus exemplar. Dicas hanc regionem a sole haud libenter adspici, tam male illic lucet. Rig.

(c) *Liquores ignibus redeunt.* In Pontica illa feritate, D inquit, *omne quod flaverit Aquilo est.* Itaque liquores omnes gelu concrescunt, nec nisi suppositis ignibus redeunt, hoc est, resolvuntur in liquores. Rig.

(d) *Quam quod illic Marcion natus est.* Tetra licet et horribilia sint quæ de Ponto Euxino adjacentibusque populis feruntur, nihil tamen tetrius aut horribilius cogitari potest quam quod ibi natus fuerit Marcion. Le Pr.

(e) *Amazone audacior.* Vulgo *Amazonia.* Scribendum ut est in exemplari, *Amazona.* Amazonam dicit, ut Sirenarum pro Sirenum, et Synopæ pro Cynopes, Vide Apologeticum. Rig.

(f) *Nam illa canicula Biogenes*, etc. Cynicus ille Diogenes dictus ob libertatem quam in carpendis tum hominibus, tum etiam diis adsumebat. Pariter Apolog., cap. 14, *Romanus Cynicus Varro trecentos Joves*, etc. Ut scilicet Græco Diogeni Romanum obponeret. Le Pr.

(g) *Sed alius libellus hunc gradum sustinebit*, etc. Citat hic haud dubie modo dictum librum *de Præscriptionibus adversus hæreticos*; quippe quo docuit revincendos hæreticos, sine tractatu doctrinarum, de præscriptione novitatis. Pam.

CAP. II.—(h) *Duos Ponticus deos affert.* Argumentum hujus capitis his verbis indicat auctor : *De duobus diis Marcionis*, quod præcipue tractatur his primo et secundo libris *adversus Marcionem*. De quo etiam B. Justinus apolog., II. Pam.

(i) *Tamquam duas symplegadas naufragii sui.* Symplegades sunt duo scopuli, seu mavis rupes in mari ad Bosphorum Thracium. Dicuntur petræ Cyneæ ab Apollonio Rhod., lib. I. *Argon.* et Cyaneæ symplegades ab Euripide in *Medea*. Le Pr.

(j) *Passus hujus præsumptionis instinctum.* Sic principio libri de Virginibus velandis : *Proprium tam negotium passus meæ opinionis.* Rig.

(k) *Circa mali quæstionem, unde malum.* Hoc est, languentes circa mali quæstionem. Quæstio autem illa est : Unde malum? Rig.

(l) *Ego sum qui condo mala.* Vatic. II Ms. cod. *creo*, et paulo post *creantem*, pro *condentem*. Sed illud legitur alibi ab auctore, non solum lib. *de Fuga in persecut.*, sed etiam lib. II *adv. Marc.* Pam.

deum præsumpsit esse debere in partem bonæ arboris bonos fructus. Et ita in Christo quasi aliam inveniens dispositionem, solius et puræ benignitatis, ut diversæ a Creatore, facile novam et hospitam argumentatus est divinitatem in Christo suo revelatam, modicoque exinde fermento totam fidei massam hæretico acore (1) decepit (*a*). Habuit et Cerdonem quemdam (*b*) informatorem scandali hujus; quo facilius duos deos cæci perspexisse se existimaverunt. Unum enim non integre viderant. Lippientibus etiam singularis lucerna numerosa est. Alterum igitur deum, quem confiteri cogebatur, de malo infamando destruxit: alterum, quem commentari connitebatur, de bono proferendo construxit. Has naturas quibus disposuerit articulis, per ipsas responsiones nostras ostendimus.

CAPUT III.

Principalis itaque, et (2) exinde tota congressio, de numero; an duos deos liceat induci, si forte poetica et pictoria licentia (*c*), et tertia jam hæretica. Sed veritas christiana destricte pronuntiavit: Deus, si non unus est, non est: quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, et non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio quod et omnium conscientia agnoscet: (*d*) Deum, summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Hunc enim statum æternitati censendum, quæ summum magnum Deum efficiat, dum hoc est in Deo ipsa, atque ita et cætera; ut sit Deus summum magnum, et forma, et ratione, et vi, et potestate. Cum de isto conveniat apud omnes (nemo enim negabit Deum summum magnum quid esse, nisi qui poterit Deum imum, modicum quid, e contrario pronuntiare, ut Deum neget auferendo quod Dei est), quæ erit jam conditio ipsius summi magni? nempe ut nihil illi adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum: quia, si fuerit, adæquabitur, et si adæquabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, et, ut ita dixerim, lege quæ summo magno nihil sinit adæquari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum. Ergo non aliter erit quam per quod habet esse, id est (3) unicum omnino. Proinde Deus cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronuntiavit: Deus, si non unus est, non est. Non quasi dubitemus esse Deum, dicendo: Si non unus, non est; sed quia quem confidimus esse, id eum (4) definiamus esse quod si non est, Deus non est, (5) summum scilicet magnum. Porro, summum magnum unicum sit necesse est. Ergo et Deus unicus erit. Non aliter Deus, nisi summum magnum; nec aliter summum magnum, nisi parem non habens; nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit. Certe quemcumque alium Deum induxeris, non alia poteris eum forma tueri Deum, quam ut et illi proprium divinitatis adscripseris, sicut æternum, ita et summum magnum. Duo ergo summa magna quomodo consistent, cum hoc sit summum magnum, par non habere? par autem non (6) habere, cum (7) uni competat, in duobus esse nullo modo possit.

CAPUT IV.

Sed argumentabitur quilibet, posse et duo summa magna consistere distincta atque disjuncta in suis finibus, et utique advocabit exemplum: Regna terrarum tanta numero, et tamen summa magna in suis quibusque regionibus, et putabit utique (8) humana divinis conferenda. Jam ergo, si huic argumentationi locus dabitur, quid prohibet, non dico et tertium et quartum deum inducere, verum tot jam numero quot et gentium reges? De Deo agitur, cujus hoc principaliter proprium est, nullius exempli capere comparationem. Hoc natura ipsa, si non aliquis Isaias, vel ipse per Isaiam Deus concionabitur: (*e*) *Cui me similabitis* (*Is.* XL, 25)? Divinis forsitan comparabuntur humana? Deo non ita (9): aliud enim Deus, aliud quæ Dei. Denique, qui exemplo uteris regis, quasi summi magni, vide ne jam non possis eo uti. Rex enim, etsi sum-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Acrore *Semler, cod. Pithœi.*
(2) Est *Jun.*
(3) Id et *Jun. Venet. Rig.*
(4) Iidem *Semler.* idem *Fran.*
(5) Et *inser. Semler.*
(6) Cum non *Wouw.*
(7) Cum *neglig. Semler.*
(8) Ubique *Seml.*
(9) Nostra *Rhen.* Dei nostro *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Totam fidei massam hæretico acore decepit.* Proprie, *decepit.* Est enim perfidia quædam in aceti nequitia.

(b) *Habuit et Cerdonem quemdam.* Cerdonis discipulus Marcion magistri doctrinam adhuc adauxit, sicque pessimi magistri optimus fuit discipulus et imitator. LE PR.

CAP. III.—(c) *Si forte poetica et pictoria licentia.* Quoniam concessa omnia videntur pictoribus atque poetis, eadem licentia Marcion uti velle se significat, ut impietatem in Deum adstruat. Neque de nihilo hic picturæ facit mentionem; nam, ut alio loco monuimus, Apelles et Hermogenes professione pictores fuerunt, antequam ad turbandam Ecclesiam animum appellerent. LE PR.

(d) *Deum summum esse magnum.* Pulchra Dei definitio, *quantum*, ut verbis auctoris præcedentibus utar, *humana conditio de Deo definire potest.* Similiter autem dixit infra cap. 7: *Hanc* nempe Dei substantiam *invenies solam innatam, infectam, solam æternam, et universitatis conditricem.* Et supra lib. *ad Hermogenem* cap. 7: *Deum æternum, sine innatum, omnibus majorem et sublimiorem, nec natum nec factum, sine initio, sine fine.* PAM.

CAP. IV.—(e) *Cui me similabitis?* Paulo aliter legitur Isaiæ 40, *Cui assimilastis Dominum*, juxta LXX, aut *Deum*, juxta versionem B. Hieronymi? Et certe ex hoc loco didicisse Sibyllam Deum dicere immensum et infinitum, tradit Clemens Alexandr., lib. III *Strom.*, et post eum Eusebius, lib. XIII *de Præpar. Evang.* græce, ubi docet, quæ pulchre dicta sunt a philosophis, ex prophetarum ea libris mutuasse. PAM.

mum magnum est in suo solio usque ad Deum, tamen infra Deum : comparatus autem ad Deum, excidet jam de summo magno translato (1) in Deum. Hoc si ita, quomodo uteris ejus rei exemplo ad Dei comparationem, quæ, dum ad comparationem accedit, amittitur ? Quid nunc, si nec inter reges plurifarium videri potest summum magnum, sed unicum et singulare ; apud eum scilicet qui rex regum ob summitatem magnitudinis et subjectionem cæterorum graduum, quasi culmen dominationis excipitur ? Sed etiam alterius formæ reges, qui singulares in unione imperii præsunt, si (2) minutalibus, ut ita dixerim, regnis undique conferantur in examinationem, qua constet quis eorum præcellat in substantiis et viribus regni, in unum necesse est summitas magnitudinis eliquetur, omnibus gradatim per comparationis exitum de magnitudinis summa expressis et exclusis. Adeo etsi in disperso multifariam videtur summum magnum, suis viribus et sua natura et suo statu unicum est. Proinde, cum duo dii conferantur, ut duo reges et duo summa magna, in alterum concedat necesse est unio summi magni, ex sententia comparationis, qua (3) summum ex (4) victoria sua constat, superato æmulo alio magno, non tamen summo ; atque ex defectione æmuli, solitudinem quamdam de singularitate præstantiæ suæ possidens, unicum est. Ineluctabilis iste complexus in hoc sententiam constringit, aut negandum Deum esse summum magnum, quod nemo patietur sapiens, aut nulli alii communicandum.

CAPUT V.

Aut quæ ratio duo summa magna composuit? Primo enim exigam cur non plura, si duo? quando locupletiorem oporteret credi substantiam divinitatis, si competeret et numeris. (*a*) Honestior et liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere, Bython (5) et Sigen : cum (6) usque ad triginta æonum fœtus, (*b*) tamquam Æneiæ (7) scrophæ, examen divinitatis effudit. Quæcumque ratio plura summa magna non patitur admitti, eadem nec duo, ut ipsa plura post unum ; post unum enim, numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit et plura ; post (8) duo enim, multitudo, unione jam excessa. Denique, apud nos vis rationis istius ipso termino plures deos credi non sinit, quod nec duos, illa regula unum Deum sistens, qua Deum id esse oporteat cui nihil adæquetur, ut summo magno; unicum autem sit, cui nihil adæquetur. Jam nunc, duo summa magna, duo paria, cui operæ pretio, cui emolumento deputarentur ? quid interfuit numeri, cum duo paria non differant uno ? Una enim res est quæ eadem in duobus est. Etiamsi plura essent paria, tandumdem omnia unum fuissent, nullo (9) inter se (10) differendo, qua paria. Porro, si neutrum ex duobus altero distat, jam ut ambo summa magna, qua (11) dei ambo, neutrum plus altero præstat', nullam rationem numeri sui ostendunt, præstantiam non habentes. Numerus autem divinitatis summa ratione constare deberet, vel quoniam et cultura ejus in anceps deduceretur. Ecce enim, duos intuens deos tam pares quam duo summa magna, quid facerem ? Si ambos colerem, vererer ne, abundantia officii, superstitio potius quam religio existimaretur ; quia duos tam pares, et in altero ambos, possem in uno demereri : hoc ipsum testimonio (12) præstans parilitati et unitati eorum, dum alterum in altero venerarer, dum in uno mihi duo sunt. Si alterum colerem, æque recogitarem ne suffundere viderer numeri vanitatem, sine differentia supervacui ; hoc est, tutius censerem neutrum colendum, quam alterum cum scrupulo colendum, aut ambos vane.

CAPUT VI.

Sic adhuc videmur disputare, quasi Marcion duos pares constituat. Nam, dum defendimus Deum summum magnum unicum credi oportere, excludentes ab eo parilitatem, tamquam de duobus paribus de his retractavimus : nihilominus tamen, docendo pares esse non posse secundum summi magni formam, satis confirmavimus duos esse non posse. Alioquin certi Marcionem dispares deos constituere, alterum judi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Translatio *cæt. omn.*
(2) In *inser. Seml.*
(3) Quia *Seml.*
(4) Ex *abest Venet. Rig.*
(5) Bythin *Seml.* Bythun *Fran.*
(6) Tum *Latin. Semler.*
(7) Æoniæ *Fran. Paris.* Æoneiæ *Seml.*
(8) Potest *Rhen.*
(9) Nulla *conjic. Seml.*
(10) A se *Paris.*
(11) Quæ *alii.*
(12) *Forte* testimonium *Edd.*

COMMENTARIUS.

CAP. V.—(a) *Honestior et liberalior Valentinus.* Alludit ad 30 divinitatis æones Valentini, de quibus latissime lib. *adv. Valentin.*; quibus derivat Auctor novam vocem, cum subjungit, *tamquam Æoniæ scrophæ*, alludens ad scrophæ fœcunditatem, quæ nonnumquam ad trecenos usque peperisse legitur porcos. Illud enim antiquissimum fuisse scribitur a M. Varrone lib. II *de Re rustica*, cap. 4, quod sus Æneæ Lavinii 30 porcos pepererit albos. Atqui recte dicit : *Post unum enim numerus* ; et mox : *Duo enim multitudo, unione jam excessa ;* quia unitas non numerus, sed principium est numerorum. PAM.

(b) *Usque ad triginta æonum fœtus, tamquam Æneiæ scrophæ.* Sic emendavimus quod vulgo legebatur, *tamquam Æoniæ scrophæ*. In codice Pithœano scribitur, *Æoneiæ*. Omnino legendum, *Æneiæ* ; alludit enim ad illam Æneæ scrophan, quæ, ut est apud Virgilium :

> Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus
> Triginta capitum fœtus enixa jacebat.

Eadem menda in illo Hieronymi, in Epistolam ad Galatas : *Quos Æneia fœtus scropha generavit ?* Nam vulgo legitur, *Æonia*. In Mss. scriptum reperi, *Enegia*, quod est, *Æneia*. Juvenalis, in VI. *Sat.* :

> Atque eadem scropha Niobe fœcundior alba. RIG.

cem, ferum, belli potentem; alterum mitem, placidum, et tantummodo bonum atque optimum; dispiciamus æque et hanc partem, an diversitas saltem (1) duos capiat, si parilitas capere non potuit. Porro et hic eadem regula summi magni patrocinabitur nobis, utpote quæ totum statum vindicet divinitatis. Conveniens enim et quodammodo injecta manu detinens adversarii sensum non negantis Creatorem Deum, justissime præscribo illi diversitati locum non esse inter eos qui ex æquo deos confessus, non potest facere diversos: non quia non et homines licet sub eadem appellatione diversissimos esse, sed quia deus non erit dicendus, quia nec credendus, nisi summum magnum. Cum ergo summum magnum cogatur agnoscere quem Deum non negat, non potest admitti ut summo magno aliquam adscribat diminutionem, qua subjiciatur alii summo magno: desinit enim, si subjiciatur. Non est autem Dei desinere de statu suo, id est: de summo magno. Nam et in illo deo potiore periclitari poterit summum magnum, si depretiari capit in Creatore (*a*). Ita, cum duo dii pronuntiantur duo summa magna, necesse est neutrum altero aut majus sit aut minus, neutrum altero aut sublimius aut dejectius. Nega deum, quem dicis deteriorem: nega summum magnum, quem credis minorem. Deum vero confessus, utrumque duo summa magna confessus es. Nihil alteri adimes, aut alteri adscribes. Agnoscens divinitatem, negasti diversitatem.

CAPUT VII.

Tentabis ad hæc de nomine Dei concutere (2) retractatum, (*b*) ut passivo, et in alios quoque permisso, quia scriptum sit (*Ps.* LXXXII, 1): *Deus deorum stetit in ecclesia deorum; in medio autem deos dijudicabit* (3). Et (*ib. v.* 6): *Ego dixi: Vos dii estis;* nec tamen idcirco eis competat possessio summi magni, quia dei cognominentur, ita nec Creatori. Respondebo et stulto, qui nec hoc recogitaverit, ne tantumdem et in deum Marcionis possit retorqueri ut et illum deum, nec ideo tamen summum magnum probatum, sicut nec angeli aut homines Creatoris. Si communio nominum conditionibus præjudicat, quanti nequam servi regum nominibus insultant, (*c*) Alexandri, et Darii, et Holofernis? nec tamen ideo regibus, id quod sunt detrahetur. Nam et ipsa idola gentium dei vulgo; sed deus nemo ea re qua deus dicitur. Ita ego non nomini Dei, nec sono, nec notæ nominis hujus, summum magnum in Creatore defendo, sed ipsi substantiæ, cui nomen hoc contingit. Hanc inveniens solam innatam, infectam, solam æternam et universitatis conditricem: non nomini, sed statui, nec appellationi, sed conditioni ejus summum magnum et adscribo et vindico. Et ideo quia deus jam vocari obtinuit substantia cui adscribo, nomini me adscribere putas; quia necesse est per nomen ostendam cui adscribam substantiæ; scilicet qua constat qui Deus dicitur, et summum magnum ex substantia, non ex nomine deputatur. Denique hoc et Marcion suo deo vindicans secundum statum, non secundum vocabulum vindicat. Id ergo summum magnum quod Deo adscribimus ex substantiæ lege, non ex nominis sorte, contendimus ex pari esse debere in duobus, qui ea substantia constant qua Deus dicitur: quia in quantum dii vocantur, id est summa magna, substantiæ scilicet merito innatæ et æternæ, ac per hoc magnæ (4) et summæ, in tantum non possit summum magnum minus et deterius alio summo magno haberi. Si summi magni felicitas et sublimitas et integritas stabit in deo Marcionis, stabit æque et in nostro: si non et in nostro, æque nec in Marcionis. Ergo nec paria erunt duo summa magna, quia prohibet (*d*) disposita jam regula summi magni, comparationem non sustinentis; nec disparia, quia et alia summi magni regula occurrit, diminutionem non admittens. Hæsisti, Marcion, in medio Ponti tui æstu: utrinque te fluctus veritatis involvunt. Nec pares, nec dispares deos sistere potes. Duo enim non sunt, quod pertineat proprie ad nomen retractatum. Quamquam tota materia de duobus diis dimicetur, his interim lineis eam clusimus, intra quas de singularibus jam proprietatibus congrediemur.

CAPUT VIII.

Primo, supercilio stuporem suum ædificant Marcionistæ, quod novum deum proferant, quasi nos veteris Dei pudeat. Inflantur et pueri novis calceis; sed a vetere pædagogo (*e*) calceati mox vanam gloriam vapulabunt. Novum igitur audiens deum in

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Leg.* saltem.
(2) Convertere *Franeq.*
(3) Dijudicavit *Rhen.*
(4) Et *omitt. Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. VI.—(a) *Si depretiari capit creatore.* Sic verbum, *capit*, usurpat sæpius, sicut Græci ἐνδέχεται. Hic tantum valet, ac si dicas: Si conceditur, si datur, ut Creator depretietur. Sic lib. II: *quia si caperet hoc jure.* RHEN.

CAP. VII.—(b) *Ut passivo et in alios quoque permisso.* Hic aperte seipsum interpretatur, ostendens quid intelligat per *passivum*, cum dicit, *et* (pro *id est*) *in alios quoque permisso.* Nam passivum illi commune significat et promiscuum, ab adverbio *passim.* Supra dixit in fine *de carne Christi:* Alium cæteris passivum, ignobilem, hoc est vulgarem, obscurum. RHEN. — In conciliis africanis *passiva* corpora martyrum dicebantur, id est, promiscua, τύχόντα. SEML.

(c) *Alexandri et Darii et Holofernis.* In cod. Pithœi legitur, *et Olofernæ*, ut hæc sint in secundo casu nomina servorum *Alexandri*, *Darii*, *Olofernæ*: quæ scriptura Tertulliani esse videtur. Dixit *Olofernæ*, quemadmodum *Cynopæ* et *Syrenarum*, in Apolog. RIG.

(d) *Disposita jam regula*, etc. Posita illa regula seu jacto fundamento de quo tribus sup. cap., duo dii esse non poterunt, quod Ponticus Marcion statuebat. LE PR.

CAP. VIII.—(e) *Calceati vanam gloriam.* Sic lib. III adversus Marcionem, *Calceatos præparationem Evangelii pacis.* et lib. de Corona, *Calceatus de Evangelii paratura.* RIG.

vetere mundo et in vetere ævo, et sub vetere Deo ignotum, inauditum, quem tantis retro sæculis neminem, et ipsa (1) ignorantia antiquum, quidam Jesus Christus (2), et ille in veteribus nominibus novus revelaverit, nec alius antehac; gratias ago huic gloriæ eorum, maximo adjutorio ejus hinc jam hæresim probaturus, novæ scilicet divinitatis professionem. Hæc erit novitas, quæ etiam ethnicis deos peperit, novo semper ac novo titulo consecrationis cujusque. Quis deus novus, nisi falsus? (*a*) Ne Saturnum quidem tanta hodie antiquitas deum probabit, quia et illum novitas aliquando produxerit, cum primum consecravit. At enim viva et germana divinitas, nec de novitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur. Non habet tempus æternitas; omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret ætate, quod non licet nasci. Deus, si est vetus, non erit: si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio et fine est, quam a tempore, arbitro et metatore initii et finis.

CAPUT IX.

Scio quidem quo sensu novum deum jactitent, agnitione utique; sed et ipsam novitatis cognitionem (3), percutientem rudes animas, ipsamque naturalem novitatis gratiositatem volui repercutere, et hinc jam de ignoto deo provocare. Utique enim quem agnitione novum opponunt, ignotum ante agnitionem demonstrant. Age igitur, ad lineas rursum et in gradum; persuade deum ignotum esse potuisse. (*b*) Invenio plane ignotis diis aras prostitutas; sed attica idololatria est: (*c*) item, incertis diis; sed superstitio romana est. Porro, incerti dii minus noti, ut minus certi; et proinde ignoti, qua minus certi. Quem titulum incidemus ex duobus deo Marcionis? Utrumque, opinor, et nunc incerto, et retro ignoto. Sicut enim ignotum eum fecit Deus notus Creator, ita et incertum Deus certus. Sed non evagabor uti dicam. Deus si (4) ignotus fuit latuitque, illum regio latebrarum obumbravit, nova utique et ipsa, et (5) ignota, et similiter nunc quoque incerta; certe immensa aliqua, et major indubitate eo quem abscondit. Sed breviter proponam, et (*d*) plenissime exsequar præscribens deum ignorari nec potuisse, nomine magnitudinis, nec debuisse, nomine benignitatis, præsertim in utroque prælatiorem nostro Creatore. Sed quoniam animadverto in quibusdam ad formam Creatoris provocari oportere omnis Dei novi et retro ignoti probationem, hoc ipsum ratione fieri a nobis prius commendare debebo, quo constantius utar rationis editæ patrocinio. Ante omnia quidem, quale est, ut qui Deum agnoscis Creatorem, et priorem de notitia confiteris, non eisdem modis et alium scias tibi examinandum, quibus jam in alio didicisti (6) Deum nosse? Omnis res anterior posteriori normam præministravit. Duo nunc dii proponuntur, ignotus et notus. De noto vacat quæstio: esse eum constat, quia notus non fuisset, nisi esset. De ignoto instat altercatio: potest enim et non esse; quia si esset, notus fuisset. Quod ergo quæritur quamdiu ignoratur, incertum (7) est quamdiu quæritur: et potest non esse, quamdiu incertum (8) est. Habes Deum certum, qua notum; et incertum, qua ignotum. Si ita est, ecquid tibi videtur justa ratione defendi, ut ad normam et formam et regulam certorum probentur incerta? Cæterum, si ad hanc caussam, et ipsam adhuc incertam, etiam argumenta de incertis adhibeantur, series implicabitur quæstionum, ex ipsorum quoque argumentorum æque incertorum retractatu, periclitantium de fide per incertum; et ibitur in illas jam indeterminabiles quæstiones, quas Apostolus (1 *Tim.* I, 4) non amat. Sin de certis, et indubitatis, et absolutis regulæ, partibus incertis, et dubiis et inexpeditis præjudicabunt plane, in quibus diversitas status

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ipsum *Semler*.
(2) Jesum Christum *alii*.
(3) *Forte* novitatem cognitionis.
(4) Si *abest Fran. Paris.*
(5) Et *abest Fran. Paris.*
(6) Didicistis *Rhen.*
(7) In incerto *Rhen.*
(8) *Id.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ne Saturnum quidem*, etc. Ex novitate deorum falsitatem demonstrat, id vero *Apolog.* 10 cap. tractavit. *Proinde Saturnum*, inquit, *repentino adventu utique cœlitem contigit dici. Nam et terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est. Taceo quod ita rudes adhuc homines agebant, ut cujuslibet novi viri adspectu, quasi divino, commoverentur.* Nullius rei parabilior erat annona quam deorum apud ethnicos. Nullus autem Saturno superior iis ferebatur. Virg. VIII Æneid.

Primus ab æthereo venit Saturnus olympo,
Arma Jovis fugiens et regnis exul ademptis. Le Pa.

CAP. IX.—(b) *Invenio plane*, etc. Alludit ad illud Apostoli, Act. XVII: *Inveni et aram, in qua scriptum erat: ignoto Deo.* Quod cum Athenis contigerit, recte atticam idololatriam vocat; atque græcam inscriptionem fuisse scribit in eum locum Œcumenius ἀγνώστῳ θεῷ, ejus duas causas afferens: alteram quod, cum Atheniensibus missis ad Lacedæmonios auxilii gratia adv. Persas, apparuisset spectrum Panis juxta Partheniam eos accusans quod, se neglecto, alios deos colerent, victoria potiti, ne quid postea simile contingeret, non solum Pani templum erexerint, sed etiam *aram ignoto Deo*; alteram, quod cum peste laborantibus reliqui dii invocati nihil adjumenti afferrent, intelligentes quemdam esse Deum qui pestem immitteret, *Ignoto deo aram* inscripserint; quo facto pestis cessaverit. Pam. Inscriptionem aræ ita conceptam fuisse notavit Hieronymus *in cap.* II *Epist. ad Titum*: *Diis Asiæ, et Europæ, et Africæ, diis ignotis et peregrinis.* Le Pr.

(c) *Item incertis diis; sed superstitio romana est. Ubi terram movisse senserant, nuntiatumve erat, ferias ejus rei caussa edicto imperabant; sed Dei nomen edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando, falsa religione populum alligarent: eas ferias si quis pollusisset, piaculoque ad hanc rem opus esset, hostiam* si Deo, si Deæ *immolabat.* Agellius, II, cap. 28. Ipse Tertullianus ex Varrone, lib. II, *ad Nat.* Rig.

(d) *Plenissime exæquare præscribens.* Cuinam unum Deum esse præscribens, id est, ex usu forensi respondendo ad objecta adversariorum, eademque diluendo. Le Pa.

inveniatur, fortasse an non provocentur incerta ad formam certorum, ut liberata a reliqua comparationis provocatione per diversitatem status principalis. Cum vero duo dii proponuntur, communis est illis status principalis. Quod enim Deus est (1) ambo sunt; innati, infecti, æterni. Hic erit status principalis. Cætera viderit Marcion, si in diversitate disposuit; posteriora enim sunt in retractatu: imo nec admittentur, si de principali statu constet. Porro constat quia dii ambo, et ita de quorum statu constat communem esse, cum sub eo ad probationem devocantur; si incerta sunt, ad eorum certorum formam provocanda erunt, cum quibus de communione status principalis censentur, ut proinde et de probatione communicent. Hinc (*a*) itaque constantissime dirigam deum non esse qui fit hodie incertus, quia retro ignotus: quando quem constat esse, ex hoc ipso constat quod numquam fuerit ignotus, ideo nec incertus.

CAPUT X.

Siquidem a primordio rerum, conditor earum cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis, ut Deus cognosceretur. Nec enim si aliquando posterior Moses primus videtur in templo literarum suarum Deum mundi dedicasse, idcirco a Pentateucho natales agnitionis supputabuntur; cum totus Mosis stylus notitiam Creatoris non instituat, sed a primordio enarret a paradiso et Adam, non ab Ægypto et Mose recensendam. Denique, major (*b*) popularitas generis humani, ne nominis quidem Mosis compotes, nedum instrumenti, Deum Mosis tamen norunt, etiam tantam (2) idololatria (3) dominationem obumbrante; seorsum tamen illum quasi proprio nomine Deum perhibent, et Deum deorum, et, *Si Deus dederit*, et, *Quod Deo placet*, et, *Deo commendo*. Vide an noverint, quem omnia posse testantur. Nec hoc ullis Mosis libris debent. Ante anima, quam prophetia. Animæ enim a primordio conscientia Dei dos est; eadem nec alia et in Ægyptiis, et in Syris et in Ponticis. Judæorum enim Deum, dicunt (4) animæ Deum. Noli, barbare hæretice, priorem Abraham constituere quam mundum. Etsi unius familiæ Deus fuisset Creator, tamen posterior tuo non erat, etiam Ponticis ante eum notus. Accipe igitur ab antecessore formam, a certo incertus, a cognito incognitus. Numquam Deus latebit, numquam Deus deerit: semper intelligetur, semper audietur; etiam videbitur quomodo volet. Habet Deus testimonia, totum hoc quod sumus et in quo sumus. Sic probatur et Deus et unus, dum non ignoratur, alio adhuc probari laborante.

CAPUT XI.

Et merito, inquiunt; quis enim non tam suis notus est, quam extraneis? Nemo. Teneo et hanc vocem. Quale est enim, ut aliquid extraneum Deo sit, cui nihil extraneum esset, si quis esset? quia Dei hoc est, omnia illius esse et omnia ad illum pertinere: vel ne statim audiret a nobis: Quid ergo illi cum extraneis? quod plenius suo loco audiet. At nunc satis est nullum probari cujus nihil probatur. Sicut enim Creator, ex hoc et Deus, et indubitatus Deus, quia omnia ipsius et nihil extraneum illi; ita et alius idcirco non deus, quia omnia non ejus, ideoque et extranea. Denique, si universitas Creatoris est, jam nec locum video dei alterius. Plena et occupata sunt omnia suo auctore. Si vacat aliquid spatii alicujus divinitati in creaturis, plane falsæ (5) vacabit. Patet mendacio veritas. Tanta vis idolorum, cur non recipiat alicubi deum Marcionis? Igitur et hoc ex forma Creatoris expostulo, Deum ex operibus cognosci debuisse, alicujus proprii sui mundi, et hominis, et sæculi: (*c*) quando etiam error orbis propterea deos præsumpserit, quos homines interdum confitetur, quoniam aliquid ab unoquoque prospectum videtur utilitatibus et commodis vitæ: ita et hoc ex forma Dei creditum est, divinum esse instituere vel demonstrare quid aptum et necessarium sit rebus humanis. Adeo inde auctoritas accommodata (6) falsæ divinitati, unde præcesserat veræ. (*d*) Unam saltem cicerculam deus Marcionis propriam protulisse debuerat, ut novus aliquis Triptolemus prædicaretur. Aut exhibe rationem Deo dignam, cur nihil condiderit, si est; quia condidisset, si fuisset: illo scilicet præjudicio, quo et nostrum Deum non alias manifestum est esse, quam quia totum condidit hoc. Semel enim præscriptio stabit, non posse illos et Deum confiteri creatorem, et eum quem volunt æque deum credi, non ad ejus formam probare, quem et ipsi et omnes Deum: ut quando hoc ipso nemo creatorem Deum dubitet, quia totum hoc condidit, hoc ipso nemo debeat credere Deum et illum qui nihil condidit, nisi ratio forte proferatur. Duplex ista videatur necesse est, ut aut noluerit condere quid, aut non potuerit: tertium cessat. Sed non potuisse, indignum Deo est; Noluisse, an dignum volo inquirere. Dic mihi,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quid enim Deus est? *Seml.*
(2) Tanta *Semler.*
(3) Idololatriæ *Rhen.*
(4) Et *inser. Seml.*
(5) False *Rhen. Junius.*
(6) Si *inserit Seml.* si false *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Itaque constantissime dirigam.* Quas in nos rationes contorserunt, retorquebo. Dirigere, est lege agere, sive convenire, et actionem intendere: sic l. 1. §. *si ego* D. si pars hæred. petatur: *Et ille quoque dirigat actionem adversus exterum possessorem.* LE PR.

CAP. X. — (b) *Major popularitas generis humani.* Hoc est, gentium consensus, conscientia publica. RIG.

CAP. XI. — (c) *Quando error etiam orbis*, etc. Hoc latissime tractavit auctor supra, *Apolog.* c. 2, etiam vanas illas esse caussas comprobans, ob quas *Deos orbis terræ præsumpserit, quod aliquid prospexerint humanis utilitatibus.* PAM.

(d) *Unam saltem cicerculam*, etc. Legunt Ms. Vatic. 2 *saltim*, more veteri, sed nolui immutare. Apte autem metaphora circerculæ utitur, eo quod Triptolemus primus serendi modum tradiderit. Hinc illud auctoris lib. *ad Herennium: Si Triptolemus, cum omnibus semen largiretur.* PAM.

Marcion, voluit Deus tuus cognosci se quocumque in tempore? anne (1) alio proposito et descendit, et prædicavit, et passus resurrexit, quam uti cognosceretur? Et sine dubio, si cognitus est, voluit : nihil enim circa eum fieret, nisi voluisset. Quid ergo tantopere notitiam sui procuravit, ut in dedecore carnis exhiberetur, et quidem majore, si falsæ? (2) Nam hoc turpius, si et mentitus est substantiam corporis, qui et maledictum in se Creatoris admisit, ligno suspensus. Quanto honestius per aliqua propriæ molitionis indicia cognitionem sui præstruxisset? Maxime adversus eum cognosci habens, apud quem ex operibus ab initio cognitus non erat. Nam et quale est, ut Creator quidem ignorans esse alium super se deum, ut volunt Marcionistæ, qui solum se etiam jurans (*Is.* XL, 8) adseverabat, tantis operibus notitiam sui armaverit, quam potuerat non ita curasse secundum singularitatis suæ præsumptionem : ille autem sublimior, sciens inferiorem deum tam instructum, nullam sibi (*a*) prospexerit agnoscendo paraturam? Quando etiam insigniora et superbiora (3) opera debuisset condidisse, ut Deus ex operibus cognosceretur secundum Creatorem; et ex honestioribus, potior et generosior Creatore.

CAPUT XII.

Cæterum, etsi esse eum possemus confiteri, sine caussa esse eum deberemus argumentari. Sine caussa enim esset, qui rem non haberet ; quia res omnis caussa est, ut sit aliquis cujus res sit. Porro, in quantum nihil oportet esse sine caussa, id est sine re : quia si sine caussa sit, perinde est atque si non sit, non habens rei caussam, rem ipsam (4) ; in tantum Deum dignius credam non esse, quam esse sine caussa. Sine caussa enim est, qui rem non habendo, non habet caussam. Deus autem sine caussa, id est sine re, esse non debet. Ita, quoties ostendo eum sine caussa esse, tamquam sit, hoc constituo non esse illum, quia, si fuisset, omnino sine caussa non fuisset. Sic et ipsam fidem dico illum sine caussa ab homine captare, aliter solito Deum credere ex operum auctoritate formatum (5), quia nihil tale prospexit, per quod homo Deum didicit. Nam, etsi credunt plerique in illum, non statim ratione credunt, non habentes Dei pignus, opera ejus, Deo digna. Itaque, hoc nomine cessationis et defectionis operum, et impudentiæ (6) (*b*) et malignitatis adfinis est : impudentiæ (7), qua fidem non debitam sibi captat, cui præstruendæ nihil prospexit ; malignitatis, qua plures incredulitatis reos fecit, nihil fidei procurando.

CAPUT XIII.

Cum deum hoc gradu expellimus, cui nulla conditio tam propria et Deo digna, quam Creatoris, testimonium præsignarit, (*c*) narem contrahentes impudentissimi Marcionistæ, convertuntur ad destructionem operum Creatoris. Nimirum, inquiunt, grande opus et dignum Deo, mundus. Numquid ergo Creator minime Deus? Plane Deus. Ergo nec mundus Deo indignus : nihil etenim Deus indignum se fecit; etsi mundum homini, non sibi fecit, etsi omne opus inferius est suo artifice. Et tamen, si quale quid fecisse indignum est Deo, quanto indignius Deo est, nihil eum omnino fecisse vel indignum, quo posset etiam digniorum auctor sperari ! Ut ergo aliquid et de isto hujus mundi indigno loquar, cui et apud Græcos (*d*) ornamenti et cultus, non sordium nomen est, indignas videlicet substantias ipsi illi sapientiæ professores, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur, deos pronuntiaverunt, ut Thales aquam, ut Heraclitus ignem, ut Anaximenes aerem, ut Anaximander universa cœlestia, ut Strato cœlum et terram, ut Zeno aerem et ætherem, ut Plato sidera; quæ genus deorum igneum appellat, cum de mundo. Considerando scilicet et magnitudinem, et vim, et potestatem, et honorem, et decorem, opem, fidem, legem singulorum elementorum, quæ omnibus gignendis, alendis, conficiendis reficiendisque conspirant, ut plerique physicorum, formidaverunt initium ac finem mundo dare, (8) ne substantiæ ejus, tantæ scilicet, minus dii haberentur; quas (9) colunt et Persarum Magi, (*e*) et Ægyptiorum Hierophantæ, (*f*) Indorum Gymnosophistæ. Ipsa quoque vulgaris superstitio communis idololatriæ, cum in simulacris de nominibus et fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, et dedecus suum ingenio obum-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Annon? *Seml.* an *Fran.*
(2) False *Rhen.*
(3) Superiora *Ciacon.*
(4) Res ipsa *Seml.*
(5) Formatam *Jun.*
(6) *Forte* imprudentiæ *Edd.*
(7) *Id.*
(8) Constare *Seml.*
(9) Quos *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Prospexerit agnoscendo paraturam.* Hoc est ornamentum seu creationis prærogativam, qua velut proprio apparatu, propriaque gloria cognosceretur. LE PR.

CAP. XII.—(b) *Et malignitatis adfinis est.* Particeps malignitatis. Eo enim vocabulo in eo sensu utitur Tullius pro Sylla : *Hujus adfines suspicionis.* LE PR.

CAP. XIII.—(c) *Narem contrahentes impudentissimi Marcionitæ.* Valre deridentes et *naso suspendentes adunco.* LE PR.

(d) Notum Pythagoræ dictum. Hinc etiam istud Aristotelis in lib. *de Mundo* : *Universum ipsum commode κόσμον nominaveris, id est, compagem rerum compositam, concinnateque ordine digestam.* EDD. *post* PAM.

(e) *Et Ægyptiorum Hierophantæ.* ἱεροφάντας dicti, quod sacra ostenderent aut peragerent, genus sacerdotum apud Ægyptios. PAM.

(f) *Indorum Gymnosophistæ.* Apolog. 32, Gymnosophistas Indorum pariter dixerat. Hos vero Æthiopum philosophos fuisse, Brachmanas vero Indorum statuere videtur Sidonius Apoll. Ep. 3, l. VIII : *Nunc ad Æthiopum Gymnosophistas, Indorumque Brachmanas, totus lectioni vacans, et ipse quodammodo peregrinare.* Nec abit ab ea sententia Clemens Alex. *Strom.* I : παρ' ἰνδοῖς ἀπὸ τῶν βραχμάνων, *a Brachmanis apud Indos.* LE PR.

brat, figurans Jovem in substantiam fervidam, et Junonem ejus in aeriam, secundum sonum græcorum vocabulorum; item Vestam in ignem et Camenas in aquam, et Magnam Matrem in terram seminalia demessam, lacertis aratam, lavacris rigatam. Sic et Osiris (1) quod semper sepelitur, et in vivido quæritur, et cum gaudio invenitur, reciprocarum frugum et vividorum elementorum, et recidivi anni fidem argumentantur : (*a*) sicut aridæ et ardentis naturæ sacramenta leones (*b*) Mithræ philosophantur. Et superiores quidem situ aut statu substantias sufficit facilius deos habitas, quam Deo indignas. Ad humilia deficiam. Unus, opinor, de sepibus flosculus, non dico de pratis; una cujuslibet maris conchula, non dico de Rubro; una tetraonis pinnula, taceo de pavo, sordidum artificem pronuntiabit tibi Creatorem?

CAPUT XIV.

At cum et animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de industria ingeniis aut viribus ampliavit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens quemadmodum virtutem in infirmitate, secundum Apostolum (II *Cor.*, XII, 9); imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, aranei retia, bombycis stamina : sustine, si potes, illas ipsas lectuli et tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis et tubam et lanceam. Qualia erunt majora, cum tam modicis aut juvaris aut læderis, ut nec in modicis despicias Creatorem? Postremo, te tibi circumfer, intus ac foris considera hominem. Placebit tibi vel hoc opus Dei nostri, quod tuus dominus ille Deus melior adamavit; propter quem in hæc paupertina elementa de tertio cœlo descendere laboravit; cujus caussa in hac cellula Creatoris etiam crucifixus est. Sed ille quidem usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos unguit; nec mellis et lactis societatem, qua suos infantat; nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat (*c*); etiam in sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris. At tu super magistrum discipulus, et servus super dominum, sublimius illo sapis, destruens quæ ille desiderat. Volo inspicere si ex fide saltem, ut non et ipse quæ destruis, appetas. Adversaris cœlum, et libertatem cœli in habitationibus captas. Despicis terram, plane inimicæ (2) jam tuæ carnis matricem; et omnes medullas ejus victui extorques. Reprobas et mare; sed usque ad copias ejus, quas sanctiorem cibum deputas. Rosam tibi si obtulero, non fastidies Creatorem. Hypocrita, ut (3) apocarteresi probes te marcionistam (*d*), id est repudiatorem Creatoris (nam hæc apud vos pro martyrio affectari debuisset, si vobis mundus displiceret), in quamcumque materiam resolveris, substantiam (4) Creatoris uteris. Quanta obstinatio duritiæ tuæ! deprecias in quibus et vivis et moreris.

CAPUT XV.

Post hæc, vel ante hæc, cum dixeris esse et illi conditionem suam, et suum mundum, et suum cœlum;

LECTIONES VARIANTES.

(1) Osirin *Paris. Fran.*
(2) Inimice *Seml.*
(3) Hypocritam! ut *Seml.* hypocrita, muta *Rhen.*
(4) Substantia *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sicut aridæ et ardentis naturæ sacramenta leones Mithræ philosophantur.* In sacris Mithræ sive Solis adhibebantur leonum simulacra. Erant autem sacramenta, hoc est signa seu mysteria solaris naturæ, aridæ et ardentis. Tunc enim æstus intenditur, fontes et fluvii siccantur, cum ingredi Leonem Sol dicitur, tunc denique Cereris raptus celebratur, hoc est, messis agitur. Arati Scholiastes, Κόρην γὰρ εἶναι τοὺς καρποὺς λέγουσι, καὶ μητέρα τὴν γῆν· καὶ γὰρ παρ' Αἰγυπτίοις κατὰ τὸν Ἔμφι μῆνα, ὅτε ἐν λέοντι γίνεται ὁ ἥλιος, ἡ τῆς Κόρης ἁρπαγὴ τελεῖται. *Proserpinam enim esse fructus dicunt, et Matrem terram. Etenim apud Ægyptios mense Emphi, cum in Leone versatur sol, Proserpinæ raptus peragitur.* Germanicus in Leone :

> Hunc ubi contigerit Phœbi violentior axis,
> Accensa in Cancro jam tum geminabitur æstas;
> Tunc lymphæ tenues, tunc est tristissima tellus,
> Et densas lætus segetes bene condit arator. EDD. EX RIC.

(b) *Mithræ philosophantur.* Nemo fere est qui nesciat Mithram deum esse Persarum et quidem primum. Hesychius, μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός, ubi et Solem esse ait. Pingebatur autem Leonis vultu, animalium ferventissimi, quoniam, ut docet lib. I, *adv. Jovin.* B. Hieronymus, ex æstu libidinis, ad eum modum, quo Erichthonius, genitus est. Unde et hic *ardentis naturæ* voces usurpantur. LE PR.

CAP. XIV.—(c) *Panem, quo ipsum corpus suum repræsentat.* Has voces, quibus abutuntur Calvinistæ, sic explicat adversus eos Bellarminus : « Verbum *repræsentandi* ambiguum est : significat enim præsentem rem aliquam facere, sive reipsa, sive in signo aliquo, vel imagine. Ac, ut omittam testimonia Ciceronis, et etiam sanctorum patrum, qui frequenter utuntur hac voce ad significandum rem aliquam vere et proprie præsentem exhiberi; Tertullianus ipse utriusque significationis exempla præbere potest, lib. IV, *in Marcionem*, circa medium : *Itaque*, inquit, *jam repræsentans eum : Hic est Filius meus*, etc., ubi dicit Deum Patrem, qui aliquando promiserat Filium, eumdem repræsentasse, cum ait in monte Thabor : *Hic est Filius meus*; ubi apertissime vocat *repræsentare*, exhibere reipsa : et in libro *contra Praxeam* vocat Filium Patris repræsentatorem, quia revera Pater est in Filio. Sed ipse idem in lib. *de Pœnitentia* distinguit adulterium reipsa commissum, ab adulterio per concupiscentiam in mente repræsentato; ubi *repræsentare* est exhibere non reipsa, sed in imagine. Cum ergo vox ambigua sit, non potest recte ullo modo colligi Tertullianum loqui de repræsentatione in signo, et non in re; imo contra potius, quia magis proprie dicitur repræsentari quod reipsa exhibetur, quam quod solum in signo, probabilius colligetur Tertullianum loqui de repræsentatione, qua reipsa corpus homini exhibetur. Quare Petrus Martyr, lib. *contra Gardin.*, obj. 160, tractans hunc locum Tertulliani, fatetur non posse ex hoc solo loco aliquid certi concludi; sed oportere ex aliis locis venari mentem Tertulliani (*De sacr. Euch.*, *lib.* II, *c.* 7). » At enim doctissimus cardinalis plura Auctoris nostri referet testimonia, quibus dogma de reali præsentia mirum in modum comprobatur. Vid. præsertim lib. *de Resurr. Carn.*, *c.* 8. EDD.

CAP. XV. — (d) *Ut apocarteresi probes te marcionis-*

de cœlo quidem illo tertio videbimus, si et ad apostolum vestrum discutiendum pervenerimus; interim, quæcumque substantia est, cum suo utique deo apparuisse debuerat. At nunc quale est (a) ut Dominus anno XII Tiberii Cæsaris revelatus sit, substantia vero ad decimum quintum jam Severi imperatoris nulla omnino comperta sit, quæ frivolis Creatoris præcellens utique latere desisset, non latente jam Domino suo et auctore? Et ideo, si ipsa non potuit manifestari in hoc mundo, quomodo Dominus paruit ejus in hoc mundo? Si Dominum cepit hic mundus, cur substantiam capere non potuit, nisi Domino fortasse majorem? Jam nunc de loco quæstio est, pertinens et ad mundum illum superiorem, et ad ipsum Deum ejus. Ecce enim, si et ille habet mundum suum infra se supra Creatorem, in loco utique fecit eum, cujus spatium vacabat inter pedes suos, et caput Creatoris. Ergo et Deus ipse in loco erat, et mundum in loco faciebat; et erit jam locus ille major et Deo et mundo. Nihil enim non majus est id quod capit, eo quod capitur; et videndum (b) ne qua adhuc illic vacent subsiciva (1), in quibus et tertius aliqui (2) stipare Deus se cum mundo suo possit. Ergo jam incipe deos computare. Erit enim et locus deus, non tantum qua Deo major, sed et qua innatus et infectus; ac per hoc, æternus, et Deo par; in quo semper Deus fuerit. Dehinc, si et ille mundum ex aliqua materia subjacente molitus est, innata, et infecta, et contemporali Deo, quemadmodum et (3) de Creatore Marcion sentit, redigis et hoc ad majestatem loci, qui et deum et materiam, duos deos, clusit. Et materia enim Deus, secundum formam divinitatis, innata scilicet, et infecta, et æterna. Aut si de nihilo molitus est mundum, hoc et de Creatore sentire cogetur, cui materiam subjicit in substantia mundi. Sed ex materia et ille fecisse debebit; eadem ratione occurrente illi quoque Deo, quæ oppone retur Creatori, ut æque Deo. Atque ita tres interim mihi deos numera Marcionis, Factorem, et Locum, et Materiam. Proinde Creatorem in loco facit, utique eadem conditione censendo; et materiam ei subjicit, utique innatam et infectam, et hoc nomine æternam, ut Domino. Amplius, et malum materiæ deputans, innatum innatæ, infectum infectæ, et æternum æternæ, quartum jam hinc deum fecit. Habes igitur in superioribus tres substantias divinitatis, in inferioribus quatuor. His cum accedunt et sui Christi, alter qui apparuit sub Tiberio, alter qui a Creatore repromittitur, manifestam jam fraudem Marcion patitur ab eis qui duos illum deos inferre præsumunt, cum novem assignet, licet nesciens.

CAPUT XVI.

Non comparente igitur mundo alio, sicut nec Deo ejus, consequens est ut duas species rerum, visibilia et invisibilia, duobus auctoribus deis dividant, et ista suo Deo invisibilia defendant. Quis autem poterit inducere in animum, nisi spiritus hæreticus, ejus esse invisibilia qui nihil visibile præmiserit, quam ejus qui visibilia operatus, invisibilium quoque fidem fecerit, cum justius multo sit aliquibus exemplariis annuere, quam nullis? Videbimus et Apostolus (*Col.*, I, 16) cui auctori invisibilia deputet, cum et illum exploraverimus. Nunc enim communibus plurimum sensibus et argumentationibus justis, secuturæ (c) Scripturarum quoque advocationi fidem sternimus, confirmantes diversitatem hanc visibilium et invisibilium adeo (4) Creatori deputandam, sicuti tota operatio ejus ex diversitatibus constat; ex corporalibus et incorporalibus, et animalibus et inanimalibus, ex vocalibus et mutis, ex mobilibus et stativis, ex genitalibus et sterilibus, ex aridis et succidis (5), ex calidis et frigidis. Sic et hominem ipsum diversitas temperavit, tam in corpore, quam in sensu. Alia membra fortia, alia infirma: alia honesta, alia inhonesta: alia gemina, alia unica: alia comparia, alia disparia. Proinde et in sensu nunc lætitia, nunc anxietas; nunc amor, nunc odium; nunc ira, nunc lenitas. Quod si ita est, ut æmula inter se conditionis universitas ista modulata sit, jam igitur et visibilibus invisibilia debentur, non alteri auctori deputanda, quam cui et æmula eorum, ipsum Creatorem diversum notantia (6), jubentem quæ prohibuit, et prohibentem, quæ jussit percutientem et sanantem. Cur in hac sola specie uniformem eum capiunt,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Subcisiva *Fran.* subscidiva, subsciva *Rhen.*
(2) Aliquis *Paris.*
(3) Et *omitt. Seml.*
(4) Deo *cod. Wouw.* a Deo creatori *Rhen.*
(5) Siccis *Rhen.*
(6) Notant *Pamel.*

COMMENTARIUS.

tam. Etsi odio Creatoris omnibus creatis abstineas, et abdicatis omnibus vitæ subsidiis intabescas, tamen in quamcunque materiam membra tua dissolvantur, in aliquam ex substantiis a Deo Creatore conditis resolventur. Ric. — Est autem ἀποκαρτέρειν Græcis, auctore Suida, cum quis vel inedia, vel laqueo vitam finit, unde ἀποκαρτέρησις. Quod vocabulum in *Apolog.* quoque usurpat, sic scribens: *Lycurgus* ἀποκαρτέρησιν optavit, quod leges ejus Lacones emendassent. Cæterum hypocritam hic appellat Marcionem, ut non bona fide, nec ex animo, sed simulate tantum res Creatoris destruentem contemnentemque. Rhen.

(a) *Ut Dominus a.* 12 *Tiberii Cæsaris.* Inter errores Tertulliani hic locus recensetur. De hoc ante disseruimus. Putabat nimirum anno 12 Tiberii Christum prædicandi initium fecisse, et mortem subiisse tricennio. Le Pr.

(b) *Ne qua adhuc illic vacent subsiciva.* Subsiciva vel subseciva sæpe occurrunt apud auctores finium regundorum. Aggenus Urbicus, *Cum autem assignatio in agro assignato fieret, non potuit omnis modus intra quatuor limites veteranis assignari: in ea remansit aliquid, quod a subsecante linea nomen accepit, subsecivum.* Ric.

CAP. XVI.—(c) *Scripturarum quoque advocationi.* Advocatio proprie est turba patronorum et amicorum, qui alicui in judicio adsunt. Hic accipit pro defensione. Sic in lib. *de patientia: Itaque talibus et advocatio, et risus promittitur pro consolatione.* Rhen.

visibilium solummodo et vitam et mortem, et mala et pacem (*Eccli.*, XI, 14; *Is.*, XLV, 7)? Et utique, si illa invisibilia majora sunt visibilibus creaturis suo loco magnis, sic quoque congruit ejus esse majora cujus et magna; quia nec magna, nedum majora, ei competant cujus nec modica comparent.

CAPUT XVII.

His compressi (*a*), erumpunt dicere: « Sufficit unicum hoc opus Deo nostro, quod hominem liberavit summa et præcipua bonitate sua, et omnibus locustis anteponenda. » O Deum majorem, cujus tam magnum opus non potuit inveniri, quam in homine dei minoris! Enimvero, prius est ut eum probes esse, per quæ Deum probari oportet: per opera; tunc deinde per beneficia. Primo enim quæritur an sit; et ita, qualis sit. Alterum de operibus, alterum de beneficiis dignoscetur (1). Cæterum, non quia liberasse dicitur hominem, ideo esse eum constat; sed si esse constiterit, tunc et liberasse dicetur; ut et an liberaverit constet; quia potuerit et esse, et non liberasse. Quomodo ergo, quia liberasse dicetur, etiam esse credetur, cum potuerit et esse, et non liberasse? Nunc in isto articulo ab ignoti Dei quæstione deducto (2), satis constitit tam nihil illum condidisse, quam debuisse condidisse, uti cognosceretur ex operibus; quia, si fuisset, cognosci debuisset, et (3) utique a primordio rerum: Deum enim non decuisset latuis e. Regrediar necesse est ad originem quæstionis Dei ignoti, ut cæteros quoque ramulos ejus excutiam. Primo enim quæri oportebit, qui postea se protulerit in notitiam; cur postea, et non a primordio rerum? quibus utique necessarius, qua Deus, et quidem melior quo (4) necessarior, latere non debuit. Non enim potest dici non fuisse aut materiam, aut caussam cognoscendi Deum, cum et homo a primordio esset in sæculo, cui nunc subvenit, et malitia Creatoris, adversus quam ut (5) bonus subvenit. Igitur aut ignoravit et caussam et materiam suæ revelationis necessariæ, aut dubitavit, aut non potuit, aut noluit. Omnia hæc Deo indigna, maxime optimo. Sed et hunc locum alibi implebimus, exprobratione seræ revelationis, sicut nunc sola demonstratione.

CAPUT XVIII.

Processerit, age, jam in notitiam quando voluit, quando potuit, quando hora fatalis advenit. (*b*) Fortasse enim anabibazon ei obstabat, aut aliquæ maleficæ, aut Saturnus quadratus, aut Mars trigonus. Nam et mathematici plurimum Marcionitæ (*c*), nec hoc erubescentes, de ipsis etiam stellis vivere Creatoris. Tractandum et hic de revelationis qualitate, an digne cognitus sit, ut constet an vere; et ita credatur esse, quem digne constiterit revelatum. Digna enim Deo probabunt Deum. Nos definimus Deum primo natura cognoscendum, dehinc (6) doctrina recognoscendum: natura ex operibus, doctrina ex prædicationibus. Sed cui nulla natura est, naturalia instrumenta non suppetunt. Ergo vel prædicationibus revelationem sui debuerat operari; maxime adversus eum revelandus qui et conditionis et prædicationis operibus tot ac tantis, vix tamen (*d*) hominum fidem (7) impleverat. Quomodo itaque revelatus est? Si per humanam conjecturam, nega Deum (8) alias cognosci posse quam per semetipsum: nec tantum ad formam provocans Creatoris, verum et ad conditionem tam divinæ magnitudinis, quam humanæ mediocritatis: ne major Deo homo videri possit, qui (9), eum non ultro volentem cognosci, suis viribus quodammodo in publicum agnitionis extraxerit: cum humana mediocritas facilius deos fingere sibi norit secundum totius ævi experimenta, quam verum sectari quem natura jam intelligunt. Alioquin, si sic homo Deum commentabitur, quomodo Romulus Consum, et Tatius Cloacinam, et Hostilius Pavorem, et Metellus Alburnum, et quidam ante hoc tempus Antinoum; hoc aliis licebit: nos Marcionem nauclerum novimus, non regem, nec imperatorem.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dei dignoscitur *Pamel.*
(2) Deducta *Seml.* deductis *Venet.* deductus *Corziensis.*
(3) Et *neglig. Jun.*
(4) Qua *Jun.*
(5) Et *Pamel.*
(6) Deinde *Pamel.*
(7) Hominem fide *Pamel.*
(8) Est, si per humanam conjecturam negat Deum *Pam.* negas, Deum *Seml. forte* nego *Edd.*
(9) Modo *inserit Latin.* qui non eum non *Pamel.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVII.—(a) *His compressi erumpunt dicere.* Marcionitæ nimirum, qui Deum Creatorem sugillabant, ut vermium, locustarum, cimicum, etc. creatorem. Arnobius lib. II *contra Gentes: Non enim si negemus muscas, scarabæos, et cimices, mitedulas, curculiones et tineas omnipotentis esse opus Regis.* Sed majori adhuc perspicuitate B. Hieronymus in Prœemio comm. ad Epist. ad Philem.: *Quod si non putant eorum esse parva quorum et magna sunt, alterum mihi conditorem, juxta Valentinum, Marcionem et Apellem, formicæ, verminum, culicum, locustarum; alterum cœli, terræ, maris et angelorum debent introducere. An potius ejusdem potentiæ est, ingenium quod in majoribus exercueris, etiam in minoribus non negare.* Le Pr.

CAP. XVIII.—(b) *Fortasse enim anabibazon ei obstabat.* Chronocratorem planetam seu signum ascendens in horoscopo horaque natali, ut tradunt genethliaci, impiissimum hominum genus, qui populo phaleras et simplicibus imponunt suis figmentis et falsitatibus. Le Pr.

(c) *Nam et mathematici plurimum Marcionitæ.* Prædicabant ii se *vivere de stellis*, hoc est stellarum motu vitam suam pendere, cum tamen stellarum illarum Creatorem nollent admittere. Hic mathematicorum nomine non tota mathesis damnatur, sed illa tantum superstitio quæ, cum non sit pars matheseos (judiciariam dico) inter mathematum partes adoptari vult, quod fieri nequit; cum enim nihil admittant mathematicæ disciplinæ sine demonstratione, judiciariam rejiciunt, de qua (error enim est pessimus) nulla sit demonstratio. Aliis in locis judiciariam aggressus est; vide *de Idololatr.* Le Pr.

(d) *Hominum fidem impleverat.* Sic habet exemplar Ursini. Ferri tamen potest vulgata lectio, quæ est etiam codicis Pithœani, *Hominem fide impleverat.* Rig.

CAPUT XIX.

« Imo, inquiunt Marcionitæ, Deus noster, etsi non ab initio, etsi non per conditionem, sed per semetipsum revelatus est in Christo Jesu. » Dabitur et in Christum liber, de omni statu ejus; distingui enim materias oportet, quo plenius et ordinatius retractentur. Interim satis erit ad præsentem gradum ita occurrere, ut ostendam Christum Jesum non alterius Dei circumlatorem, quam Creatoris; et quidem paucis. Anno quinto decimo Tiberii, Christus Jesus de cœlo manare dignatus est, spiritus salutaris : Marcionis salutem (1), qui ita voluit (2), (*a*) quoto quidem anno Antonini majoris de Ponto suo exhalaverit aura (3) canicularis, non curavi investigare. De quo tamen constat, Antoninianus hæreticus est, sub Pio impius. (*b*) A Tiberio autem usque ad Antoninum, anni fere centum et quindecim et dimidium anni, cum dimidio mensis : tantumdem temporis ponunt inter Christum et Marcionem. Cum igitur sub Antonino primus Marcion hunc deum induxerit, sicut probavimus, statim, qui sapis, plana res est. Præjudicant tempora, quod sub Antonino primum processit, sub Tiberio non processisse ; id est deum Antoniniani (4) imperii, Tiberiani non fuisse ; atque ita non a Christo revelatum, quem constat a Marcione primum (5) prædicatum. Hoc nunc ut probem constare, quod superest, ab ipsis adversariis sumam. Separatio Legis et Evangelii, proprium et principale opus est Marcionis : nec poterunt negare discipuli ejus, quod in summo instrumento habent, quo denique initiantur, et indurantur (6) in hanc hæresin. Nam hæ sunt antitheses Marcionis, id est contrariæ oppositiones ; quæ conantur discordiam Evangelii (7) cum Lege committere, ut ex diversitate sententiarum utriusque instrumenti, diversitatem quoque argumententur deorum. Igitur, cum ea separatio Legis et Evangelii ipsa sit quæ alium Deum Evangelii insinuaverit adversus Deum Legis, apparet ante eam separationem Deum in notitia non fuisse, qui ab argumento separationis innotuit ; atque ita non a Christo revelatum, qui fuit ante separationem, sed a Marcione commentatum, qui instituit separationem adversus Evangelii Legisque pacem, quam retro illæsam et inconcussam, ab apparentia Christi usque ad audaciam Marcionis, illa utique ratio servavit, quæ non alium Deum et (8) Legis et Evangelii tuebatur, præter Creatorem, adversus quem tanto post tempore separatio a Pontico immissa est.

CAPUT XX.

Huic expeditissimæ probationi defensio quoque a nobis necessaria est adversus obstrepitacula diversæ partis. Aiunt enim Marcionem non tam innovasse regulam separatione Legis et Evangelii, quam retro adulteratam recurasse. O Christe patientissime Domine! qui tot annis interversionem prædicationis tuæ sustinuisti, donec tibi scilicet (9) Marcion subveniret. Nam et ipsum Petrum, cæterosque, columnas Apostolatus, a Paulo reprehensos (*Gal.*, II) opponunt, quod non recto pede incederent ad Evangelii veritatem; ab illo certe Paulo, qui adhuc in gratia rudis, trepidans denique ne in vacuum cucurrisset aut curreret (*Ibid.*), tunc primum cum antecessoribus apostolis conferebat. Igitur, si ferventer, ut adhuc (10) neophytus, adversus Judaismum aliquid in conversatione reprehendendum existimavit, passivum (*c*) scilicet convictum, postmodum et ipse usu omnibus omnia futurus, ut omnes lucraretur, Judæis quasi Judæus, et eis qui sub lege, tamquam sub (11) lege (I *Cor.*, IX); tu illam solius conversationis, placituræ postea accusatori suo, reprehensionem suspectam (12) vis haberi etiam de prædicationis erga Deum prævaricatione. Atquin de prædicationis unitate, quod supra legimus, dexteras junxerant, et ipsa officii distributione, (*d*) de Evangelii societate condixerant; sicut et alibi (I *Cor.*, XV, 11) : (*e*) *Sive ego*, inquit, *sive illi, sic prædicamus.*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Salutis *Pamel.* salutis *conjic. Seml.*
(2) Voluit *conjic. Semler.*
(3) Aula *Jun.*
(4) Antonini, imperii *Pamel.*
(5) Primo *Seml. Oberth.*
(6) Indicantur *Semler, Oberth.*
(7) Evangelii *omitt. Semler.*
(8) Et Deum *Paris.*
(9) Scilicet tibi *Pamel.* scilicet *abest Seml.*
(10) Adhuc ut *Pamel.* adhuc *omitt. Semler.*
(11) In *Semler, Oberth.*
(12) Susceptam *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIX.— (a) *Quoto quidem anno Antonini majoris.* Quod supra lib. *de Præscript. adv. hær.* simpliciter dixit, cap. 30, *Antonini fere principatu*, hic explicatur, cum legitur, *quoto anno* ejus Marcionis Christus incœperit revelari ; de quo aliquid ibi diximus, quasi primum sub Antonino philosopho prodierit Marcion hæreticus, quia sub Aniceto. Verum, quia postea comperi Anicetum sedisse Romæ annis fere sex ante obitum Antonini Pii, auctori hic assentiri cœpisse Marcionem sub Antonino majore, id est Pio, uti mox sequitur, a quo omnes alii aut nomen aut prænomen Antonini mutuati sunt : maxime cum etiam initio Pontificatus Aniceti Romam venisse scribat Polycarpum Eusebius *in Chron.*, et *Hist. Eccl.*, lib. IV, cap. 13, idem scribat occurrisse ibi Polycarpo Marcionem. PAM.

(b) *A Tiberio autem usque ad Antoninum anni*, etc. Si legeretur *anni centum quinque*, magis accederet ad veritatem historiæ ea lectio, cum tot reperiantur ab anno 15 Tiberii, cujus paulo ante meminit, et a quo haud dubie computum suum incipere statuit, enumerans annos intermedios *inter Christum*, sicuti subjungit *et Marcionem.* PAM.

CAP. XX.— (c) *Passivum scilicet convictum.* Id est promiscuum v c. 7. SEML.

(d) *De Evangelii societate condixerant.* Condixerant, pro *convenerant.* Condicere enim etiam denuntiare est, atque constituere. Paulo post restituimus, *Olim de hoc ipso prædicantis.* RHEN.

(e) *Sive ergo*, inquit, *sive illi, sic prædicamus.* Ad verbum transtulit auctor *prædicamus*, id quod græce est κηρύσσομεν, quemadmodum et Ambrosius in *Comment.* et B. August. lib. II, *contra Faustum Manich.* cap. 2, et ipsa quoque syriaca editio ac emendatiores

Sed et si quosdam *falsos fratres irrepsisse* descripsit, qui vellent Galatas *ad aliud Evangelium transferre* (*Gal.*, I, 7), ipse demonstrat adulterium illud Evangelii, non ad alterius Dei et Christi fidem transferendam, sed ad disciplinam Legis conservandam (1), habuisse intentionem ; reprehendens (2) scilicet illos circumcisionem vindicantes, et observantes tempora, et dies et menses et annos judaicarum cæremoniarum (*Gal.*, IV, 10), quas jam exclusas agnovisse debuerant, secundum innovatam dispositionem Creatoris, olim de hoc ipso (3) prædicantis per prophetas suos, ut per Isaiam (*Is.*, XLIII, 19) : *Vetera transierunt*, inquit; *ecce nova quæ ego nunc facio;* et alibi (*Jerem.* XXXI, 32) : *Et disponam testamentum, non quale disposui ad patres vestros, cum illos eduxissem de terra Ægypti;* sic et per Hieremiam (*Jerem.* IV, 4) : *Renovate vobis novamen novum, et circumcidimini Deo vestro, et circumcidimini præputia cordis vestri.* Hanc ergo circumcisionem jam sistens Apostolus et hoc novamen, illas quoque vetustates cæremoniarum dissuadebat, de quibus idem Conditor earum quandoque cessaturis professebatur per Osee (*Os.* II, 11) : *Et avertam omnes jocunditates ejus, et dies festos ejus, et neomenias, et sabbata, et omnes cæremonias ejus.* Sic enim et per Isaiam (*Is.* I, 14) : *Neomenias vestras, et sabbata, et diem magnum non sustineo : ferias et jejunium, et dies festos vestros odit anima mea.* Quod si et Creator omnia hæc jampridem recusaverat, et Apostolus ea jam recusanda pronuntiabat, ipsa sententia Apostoli, consentanea decretis Creatoris, probat non alium Deum ab Apostolo prædicatum, quam cujus decreta cupiebat jam agnosci ; falsos et apostolos et fratres notans in hac caussa, qui Evangelium Christi Creatoris transferrent a novitate prænuntiata a Creatore, ad vetustatem recusatam a Creatore (*Gal.*, I, 6, *seqq.*).

CAPUT XXI.

Cæterum, si quasi (4) novum Deum prædicans, veteris Dei legem cupiebat excludere, quare de deo quidem novo nihil præscribit, sed de vetere lege solummodo, nisi quoniam, fide manente in Creatorem, sola lex ejus concessare debebat? ut et Psalmus ille (*Ps.* II, 5) præcecinerat (5) : *Disrumpamus a nobis vincula* (6) *eorum, et abjiciamus eorum jugum a nobis* : ex quo scilicet *tumultuatæ sunt gentes, et populi meditati sunt inania : adstiterunt reges terræ, et magistratus convenerunt* (7) *in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Ibid.*, 1, 2). Et utique, si alius deus prædicaretur a Paulo, nulla disceptatio esset servandæ legis, necne, non pertinentis scilicet ad dominum novum et æmulum legis. Ipsa enim dei novitas atque diversitas abstulisset non modo quæstionem veteris et alienæ legis, verum omnem ejus mentionem. Sed hic erat totus status quæstionis, quod, cum idem Deus legis in Christo prædicaretur, legi ejus derogaretur. Stabat igitur fides semper in Creatore et Christo ejus, sed conversatio et disciplina nutabat. (*a*) Nam et alii de idolothyto edendo, alii de mulierum velamento, alii de nuptiis vel repudiis, nonnulli et de spe resurrectionis, disceptabant; de Deo, nemo. Nam, si (8) fuisset hæc quoque quæstio disceptata, et ipsa apud Apostolum inveniretur, vel quanto principalis. Quod si post apostolorum tempora, adulterium veritas passa est circa Dei regulam, ergo jam apostolica traditio nihil passa est in tempore suo circa Dei regulam, et non alia agnoscenda erit traditio apostolorum, quam quæ hodie apud ipsorum Ecclesias editur. Nullam autem apostolici census Ecclesiam invenias, quæ non in Creatore christianizet. Aut si hæ erunt a primordio corruptæ, quæ erunt integræ? nimirum adversariæ Creatoris. Exhibe ergo aliquam ex tuis apostolici sensus, et obduxeris (*b*). Igitur, cum omnibus modis constet alium deum in regula sacramenti istius non fuisse a Christo usque ad Marcionem, quam Creatorem, satis jam et probatio nostra munita est, qua ostendimus notitiam dei hæretici ex Evangelii et Legis separatione cœpisse, et definitio superior instructa est : non esse credendum deum quem homo de suis sensibus composuerit, nisi plane prophetes, id est non de suis sensibus. Quod si Marcion poterit dici, debebit etiam probari. Nihil retractare oportebat, (*c*) hoc enim cuneo veritatis omnis extruditur hæresis, cum Christus non alterius dei quam Creatoris circumlator ostenditur.

CAPUT XXII.

Sed quomodo funditus evertetur (9) Antichristus, nisi cæteris quoque injectionibus ejus elidendis locus detur, relaxata præscriptionum defensione? Accedamus igitur jam hinc ad ipsam Dei personam, vel potius umbram et phantasma (*d*), secundum Christum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Observandam *alii*.
(2) Deprehendens *Pamel.*
(3) Ipso *omitt. Semler, Oberth.*
(4) Qua *Pamel.*
(5) Præcinuerat *Pamel.*
(6) Vincula a nobis *Pamel.*
(7) Circumvenerunt *Semler, Oberth.*
(8) Si *omitt. Semler.*
(9) Eventetur *Rhen.*

COMMENTARIUS.

latini Ms. codices, pro eo quod alii *prædicavimus*. Quibus etiam consensit auctor infra lib. IV, cap. 4, *adversus Marc.* PAM.

CAP XXI. — (a) *Nam et alii de idolothyto edendo*, etc. Alludit ad Epist. I Apostoli ad Corinthios, in qua contra ejuscemodi disceptationes late disputat, de idolothyto, cap. X, de mulierum velamento, cap. XI, de nuptiis vel repudiis cap. VII, et de spe resurrectionis, cap. XV. PAM.

(b) *Et obduxeris*. Hoc est, *evinceris*. RHEN. PAM.

(c) *Hoc enim cuneo veritatis*. Hoc argumento ad veritatis defensionem cuneata veluti acie. Desumpta hac disciplina militari metaphora usus est cap. 2 *de Resurrect. carnis : Quo cuneo occurrendum sit nobis*. Illud aciei genus a Philippo Macedone inventum est, ad perrumpendos hostium ordines quamvis confertissimos. Alio nomine cuneus dicitur phalanx et græcis ἔμβολος ἐκτικὴ et στῖφος. LE PR.

CAP. XXII. — (d) *Vel potius umbram et phantasma*, etc. Alludit ad errorem Marcionis, quod Christus in phantasmate homo sit factus, contra quem supra egit libro *de Carne Christi*, cap. 5. PAM.

ipsius, per idque examinetur per quod Creatori præfertur. Et utique erunt regulæ certæ ad examinandam Dei bonitatem. Sed prius est ut inveniam illam, et adprehendam, et ita ad regulas perducam. Cum enim circumspicio tempora, nusquam est a primordio materiarum, et (1) introitu caussarum, cum quibus debuerat inveniri exinde agens quod (2) agi habuit. Erat enim jam et mors, et aculeus mortis delictum, et ipsa malitia Creatoris; adversus quam subvenire deberet alterius dei bonitas, primæ huic regulæ divinæ bonitatis occurrens, si se naturalem probaret, statim succurrens, ut caussa cœpit. Omnia enim in Deo naturalia et ingenita esse debebunt, ut sint æterna, secundum statum ipsius, ne obvenientia et extranea reputentur, ac per hoc, temporalia et æternitatis aliena. Ita et bonitas perennis et jugis (3) exigetur in Deo, quæ, in thesauris naturalium proprietatum reposita et parata, antecederet caussas et materias suas; et primam quamque susciperet, non despiceret et destitueret, si antecedebat. Deniqne, non minus et hic (4) quæram cur non a primordio operata sit bonitas ejus, quam de ipso quæsivimus, cur non a primordio sit revelatus? Quidni? qui per bonitatem revelari haberet, si qui fuisset. (a) Non posse quid Deo non licet, nedum naturalibus suis fungi : quæ si continentur, quo minus currant, naturalia non erunt. Et otium enim sua natura non novit : hinc censetur, si agat (5), si nec noluisse videbitur exercere bonitatem interim naturæ nomine. Natura enim se (6) non potest nolle, quæ se ita dirigit, ut si cessaverit, non sit. Sed cessavit aliquando in deo Marcionis de opere bonitas (7). Ergo non fuit naturalis bonitas, quæ potuit aliquando cessasse, quod naturalibus non licet. Et si non erit naturalis, jam nec æterna credenda, nec Deo par, quia non æterna, dum non naturalis : quæ denique nullam sui perpetuitatem, aut de præterito constituat, aut de futuro repromittat. Nam et a primordio non fuit, et in finem sine dubio non erit. Potest enim et non esse quandoque, sicut non fuit aliquando. Igitur, cum constet in primordio cessasse bonitatem Dei illius (non enim a primordio liberavit hominem), et voluntate potius eam quam infirmitate cessasse, jam voluntas suppressæ bonitatis finis invenietur malignitatis. Quid enim tam malignum, quam nolle prodesse cum possis? quam utilitate cruciari (8)? quam injuriam sinere? (b) Totum denique Creatoris elogium in illum rescribetur, qui sævitias ejus bonitatis suæ mora juvit. Nam in cujus manu est quid ne fiat, ejus jam deputatur cum (9) fit. Homo damnatur in mortem (c), ob unius arbusculæ delibationem, et exinde proficiunt delicta cum pœnis, et pereunt jam omnes qui paradisi nullum cespitem norunt. Et hoc melior aliqui Deus aut nescit, aut sustinet? Si (d), ut ex hoc melior inveniretur quanto Creator deterior haberetur, satis et in isto consilio malitiosus, qui et illum voluit oneratum operationibus ejus admissis (10), et sæculum in vexatione detinuit. Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum mora præsidii, et periculum extendat dilatione remedii, quo pretiosius aut famosius curet? Talis et in deum Marcionis dicenda sententia est, mali permissorem, injuriæ fautorem, gratiæ lenocinatorem, benignitatis prævaricatorem, quam non statim caussæ suæ exhibuit, plane, si natura bonus, exhibiturus, et non accessione, si ingenio optimus, et non disciplina, si ab ævo Deus, et non a Tiberio; imo, quod verius, (e) a Cerdone et Marcione. Tiberio nunc deus ille præstiterit, ut imperio ejus divina bonitas in terris dedicaretur.

CAPUT XXIII.

(f) Aliam illi regulam prætendo; sicut naturalis, ita rationalia esse debere (11) in Deo omnia. Exigo rationem bonitatis, quia nec aliud quid bonum haberi liceat, quod non rationaliter bonum sit, nedum ut ipsa bonitas irrationalis deprehendatur. Facilius malum, cui rationis aliquid adfuerit, pro bono habebitur, quam ut bonum ratione desertum non pro malo judicetur. Nego rationalem bonitatem dei Marcionis, jam hoc primo, quod in salutem processerit hominis alieni. Scio dicturos : Atquin hanc esse principalem et perfectam bonitatem, cum sine ullo debito familiaritatis, in extraneos voluntaria et libera effunditur, secundum quam inimicos quoque nostros, et hoc nomine jam extraneos, diligere jubeamur. Cum ergo non a primordio hominem respexit, a primordio extraneum, cessando præjudicavit cum extraneo nihil sibi esse. Cæterum, disciplinam diligendi extraneum

LECTIONES VARIANTES.

(1) In *inserit Semler.*
(2) Quo *Seml. Pam. Oberth.*
(3) Et jugis *abest in Paris.*
(4) Et hic non minus *Pamel.*
(5) Agatur. Sic *Pamel.*
(6) Sic *alii.*
(7) Bonitatis *Paris. Rhen.*
(8) Utilitatem cruciare *Rig.*
(9) Jam *inser. Pamel.*
(10) Honoratum operationibus ejus admisisse *Rhen.*
(11) Debere *omitt. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Non posse quid Deo non licet.* Sensus est : Non licet Deo ut aliquid non possit, nedum ut non possit naturalibus suis fungi. RHEN.

(b) *Totum denique Creatoris elogium in illum rescribetur.* Elogium dicit nomen, titulum; et *rescribere*, quod sequenti libro dicet *transcribere. Sed et si ab homine in diabolum transcripseris mali elogium.* RIG.

(c) *Homo damnatur in mortem*, etc. Pulchra peccati originalis descriptio, quamquam ipse in plurali numero efferat, *et exinde, prosiliunt* (sive *proficiunt*, uti habent Vatic. 2. Ms. cod.) *dicta cum pœnis*, eo quod ex ipso etiam alia multa peccata oriantur. Eleganter autem dixit, *qui paradisi nullum cespitem norunt*, hoc est qui paradisi terram numquam ingressi sunt. PAM.

(d) Si. *Subaudi*, sustinuit. EDD.

(e) *A Cerdone et Marcione.* Conjungit hos duos, eo quod Cerdonis discipulus fuerit Marcion. PAM.

CAP. XXIII. — (f) *Aliam illi regulam prætendo.* Alio argumento in ipsam utor, et regulam veritatis illi explico. LE PR.

vel inimicum, antecessit præceptum diligendi proximum tamquam teipsum (a). Quod etsi ex lege Creatoris, et tu quoque illud excipere debebis, ut a Christo non destructum, sed potius exstructum. Nam, quo magis proximum diliges, diligere juberis inimicum et extraneum. Exaggeratio est debitæ bonitatis, exactio indebitæ. Antecedit autem debita indebitam, ut principalis, ut dignior ministra et comite sua, id est indebita. Prior igitur cum prima bonitatis ratio sit in rem suam exhiberi ex justitia, secunda autem in alienam, ex redundantia justitiæ super Scribarum (b) et Pharisæorum, quale est secundam ei rationem referri, cui deficit prima? non habenti (1) proprium hominem, ac per hoc quoque exiguæ (2)? Porro, exigua quæ suum non habuit, quomodo in alienum redundavit? Exhibe (3) principalem rationem, et tunc vindica sequentem. Nulla res sine ordine rationalis potest vindicari, tanto abest ut ratio ipsa in aliquo ordinem amittat. Sit nunc et a secundo gradu incipiens ratio bonitatis, in extraneum scilicet, nec secundus illi gradus ratione constabit, alio modo destructus. Tunc enim rationalis habebitur vel secunda in extraneum bonitas, si sine injuria ejus operetur, cujus est res, quamcumque bonitatem, justitia prima efficit rationalem, sic et in principali gradu rationalis erit, cum in rem suam exhibetur, si justa sit. Sic et in extraneum rationalis videri poterit, si non sit injusta. Cæterum, qualis bonitas, quæ per injuriam constat, et quidem pro extraneo? Fortasse enim pro domestico aliquatenus rationalis habeatur bonitas injuriosa: pro extraneo vero, cui nec proba legitime deberetur, qua ratione tam injusta rationalis defendetur? Quid enim injustius, quid iniquius et improbius, quam ita alieno benefacere servo, ut domino eripiatur, ut alii vindicetur, ut adversus caput domini subornetur, et quidem, quo indignius, in ipsa adhuc domo domini, de ipsius adhuc horreis vivens, sub ipsius adhuc plagis tremens? Talis assertor etiam damnaretur in sæculo (c), nedum plagiator (d). Non aliter deus Marcionis inrumpens in alienum mundum, eripiens Deo hominem, patri filium, educatori alumnum, domino famulum; ut eum efficiat Deo impium, patri irreligiosum, educatori ingratum, domino nequam. Oro te, si rationalis bonitas talem facit, qualem faceret inrationalis? Non (4) putem impudentiorem, quam qui in aliena aqua alii deo tinguitur, ad alienum cœlum alii deo expanditur (e), in aliena terra alii Deo sternitur (f), super alienum panem alii Deo gratiarum actionibus fungitur (g), de alienis bonis ob alium deum nomine eleemosynæ et dilectionis operatur. Quis iste deus tam bonus, ut homo ab illo malus fiat? tam propitius, ut alium illi deum, et dominum quidem ipsius (5) faciat iratum?

CAPUT XXIV.

Sed Deus, sicut æternus et rationalis, ita opinor, et perfectus in omnibus: *Eritis enim perfecti, quemadmodum Pater vester qui in cœlis est* (*Matth.*, V, 48). Exhibe perfectam quoque bonitatem ejus. Etsi de imperfecta satis constat, quæ neque naturalis invenitur, neque rationalis, nunc et alio ordine traducetur: nec jam imperfecta, imo et defecta, exigua et exhausta, minor numero materiarum suarum, quæ in omnibus exhibetur. Non enim omnes salvi fiunt, sed pauciores omnibus et Judæis et Christianis creatoris. Pluribus vero pereuntibus, quomodo perfecta defenditur bonitas ex majore parte cessatrix? paucis aliqua, pluribus nulla, cedens perditioni, partiaria exitii? Quod si plures salvi non erunt, erit jam non bonitas, sed malitia perfectior. Sicut enim bonitatis operatio est, quæ facit salvos, ita malignitatis, quæ non facit salvos. Magis autem non faciens salvos dum paucos facit, perfectior erit, non juvando, quam juvando. Non poteris et in Creatorem referre bonitatem, in omnes defectionem. Quem enim judicem tenes, dispensatorem si forte bonitatis ostendis intelligendum, non profusorem; quod deo (6) tuo vindicas. Usque adeo hac sola eum præfers bonitate Creatori; quam si solam profitetur et totam, nulli deesse debuerat. Sed nolo jam de parte majore pereuntium, imperfectum bonitatis arguere deum Marcionis: sufficit ipsos, quos salvos facit, imperfectæ salutis inventos, imperfectam bonitatem ejus ostendere: scilicet anima tenus salvos (h), carne deperditos, quæ apud illum non resurgit. Unde hæc dimi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habentis *Pamel.*
(2) Exigua *conjic. Seml.*
(3) Re *add. Seml.* exhibere *Pamel.*
(4) Irrationalis. An *Paris.* at *Rhen. Oberth.*
(5) Ipsius *omitt. Seml. Oberth.*
(6) Deo *abest Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Antecessit præceptum diligendi prox.* etc. Istud partim desumit ex illo loco Matth. V: *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum*, partim et proprie ex Levit. XIX, ad quod ibi alludebat Christus. Pam.

(b) *Ex redundantia justitiæ super Scribarum. Super* pro *plusquam* hic usurpari video, quod fecit Suetonius in *August.* Quamvis id adeo elegans non sit, est enim novitatis genus. Le Pr.

(c) *Talis assertor etiam damnaretur in sæculo.* Assertor est vindex alienæ libertatis. Le Pr.

(d) *Nedum plagiator.* Opponit plagiatorem assertori. Est autem plagium, a quo plagiator, suppressio liberi hominis aut servi, sive quod, auctore Suida, fiat πλαγίᾳ seu δόλῳ, sive ut ait Isidorus, ἀπὸ τοῦ πλαγίου. Le Pr.

(e) *Ad alienum cœlum alii deo expanditur*, etc. Ergo precantes Christiani ad cœlum brachia extendebant. Rhen.

(f) *Alii Deo sternitur.* Hoc pœnitentium erat. Rhen.

(g) *Super alienum panem alii deo gratiarum actionibus fungitur.* In eumdem sensum dixerat Irenæus: *Quomodo autem constabit eis, cum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est, Verbum ejus?* Ric. — *Super alienum panem, alii Deo*, etc. Istud ad sacramentum Eucharistiæ, in quo panem non remanere, sed mutari in corpus Christi certum est. Pam.

CAP. XXIV.— (h) *Scilicet anima tenus salvos. carne*

diatio salutis, nisi ex defectione bonitatis? Quid enim tam (1) perfectæ bonitatis, quam totum hominem redigere in salutem, totum damnatum a Creatore, totum a Deo optimo allectum? Quod sciam (2), et caro tinguitur apud illum (*a*), et caro de nuptiis tollitur, et caro in confessione nominis desævitur. Sed et si carni delicta reputantur, præcedit animæ reatus, et culpæ principatus animæ potius adscribendus, cui caro ministri nomine occurrit. Carens denique anima caro, hactenus peccat. Ita et in hoc injusta bonitas, et sic quoque imperfecta; innocentiorem substantiam relinquens in exitium, obsequio, non arbitrio delinquentem: cujus Christus etsi non induit veritatem, ut tuæ hæresi visum est, imaginem tamen ejus subire dignatus est. Ipsum quod mentitus est illam, aliquid ei debuit (3) debuisse. Quid est autem homo aliud quam caro? Si quidem nomen hominis, materia corporalis, non animalis, ab auctore sortita est: *Et fecit hominem Deus*, inquit (*Gen.*, II), *limum de terra*, non animam; anima enim de adflatu (*b*): *Et factus est homo in animam vivam*. Quis? utique qui de limo. *Et posuit Deus hominem in paradiso*, quod finxit, non quod flavit; qui caro nunc, non qui anima. Itaque, si ita est, quo ore contendes perfectum bonitatis titulum, quæ non jam a partitione speciali hominis liberandi defecit, sed a proprietate generali? Si plena est gratia et solida misericordia quæ soli animæ salutaris est, plus præstat hæc vita, qua toti et integri fruimur. Cæterum, ex parte resurgere, mulctari erit, non liberari. Erat et illud perfectæ bonitatis, ut homo liberatus in fidem Dei optimi, statim eximeretur de domicilio atque dominatu dei sævi. At nunc et febricitas, o Marcionita, et cæteros tribulos et spinas dolor carnis tuæ tibi edit; nec fulminibus tantum, aut bellis, et pestibus, aliisque plagis Creatoris, sed et scorpiis ejus objectus; in quo te putas liberatum de regno ejus, cujus te muscæ adhuc calcant? si de futuro erutus es, cur non et de præsenti, ut perfecte (4)? Alia est nostra conditio, apud auctorem, apud judicem, apud offensum principem generis. Tu tantummodo bonum deum (5) præfers. Non potes autem perfecte bonum (6) ostendere, a quo non perfecte liberaris.

CAPUT XXV.

Quod attinet ad bonitatis quæstionem, his lineis deduximus eam minime Deo adæquari, ut neque ingenitam, neque rationalem, neque perfectam; sed et improbam, et injustam, et ipso jam bonitatis nomine indignam: quod scilicet in quantum Deo congruat, in tantum Deum non esse conveniat, qui de tali bonitate etiam perferatur, nec de tali modo, verum et sola. Jam enim et hoc discuti par est, an Deus de sola bonitate censendus sit, negatis cæteris appendicibus (*c*), sensibus et affectibus, quos Marcionitæ quidem a deo suo abigunt in Creatorem, nos vero et agnoscimus in Creatore, ut Deo dignos. Et ex hoc quoque negabimus (7) Deum, in quo non omnia quæ Deo digna sunt, constent. Si aliquem de Epicuri schola Deum (*d*) affectavit Christi nomine titulare, ut quod beatum et incorruptibile sit, neque sibi, neque alii molestias præstet (hanc enim sententiam ruminans Marcion, removit ab illo severitates et judiciarias vires) aut in totum immobilem et stupentem Deum concepisse debuerat; et quid illi cum Christo, molesto et Judæis per doctrinam, et sibi per sensum (8)? aut et de cæteris motibus eum agnovisse (9), et quid illi cum Epicuro, nec sibi nec Christianis necessario? Ecce enim hoc ipso quod retro quietus, qui nec notitiam sui aliquo interim opere curaverit, post tantum ævi senserit in hominis salutem, utique per voluntatem, nonne concussibilis tunc fuit novæ voluntati, ut et cæteris motibus videatur obnoxius? Quæ autem voluntas sine concupiscentiæ stimulo est? Sed et cura accedet voluntati. Quis volet (*e*) quod non concupiscet? Quis enim volet quid, et concupiscet, et non curabit? Igitur cum et voluit et concupiit in hominis salutem, jam et sibi et aliis negotium fecit,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quid erat perfectæ *Seml. Oberth.* quid enim tam perfectæ charitatis *Latin.*
(2) Quod si jam *Pam. Seml. Oberth.*
(3) Habuit *Jun.* debui *alii.*
(4) Sis *add. Seml.*
(5) Deum *abest Fran.*
(6) Deum *addit Rhen.*
(7) Negamus *Jun.*
(8) Jesum *Rhen.*
(9) Agnovisset *Wouw.*

COMMENTARIUS.

deperditos, etc. Hoc est quod supra dixit auctor, lib. *de Præscr. adv. hæret.*, *c.* 51: *Resurrectionem animæ tantummodo probat, corporis negat.* Contra quam hæresin late disputat lib. *de Resurr. carnis.* Sicut autem hic legitur, *dimidiatio salutis*, sic supra lib. *de carne Christi*, c. 1: *Quid Christum dimidias?* eodem pertinet illud infra, *ex parte resurgere.* Pam.

(a) *Et caro tinguitur apud illum.* Sic legimus more Tertullianico, pro *tingitur*, similiter autem supra lib. *de Resurr. car.*, c. 8: *Sed et caro abluitur*, etc. *Virginitas quoque et viduitas*, etc. *de bonis carnis Deo adolentur;* hoc est enim quod hic addit, *et caro de nuptiis tollitur.* Quibus locis et aliis quibusdam confirmari a nuptiis continentiam, quam hodie impugnare quidam non verentur, ibid. annotavimus. et lib *de velandis Virgin.* et *de Cultu fœmin.*, c. 9. Pam.

(b) *Anima enim de adflatu.* Vulgare est etymum animam esse dictam quasi ἀνεμον. Quod forte Tertullianus in mente habebat. Le Pr.

CAP. XXV.— (c) *Negatis cæteris appendicibus, sensus*, etc. Premit hic Marcionem, adhibetque appellationes illas quas adsciscebant Marcionis discipuli, ut Deum creatorem sævum dicerent. Le Pr.

(d) *Si aliquem de Epicuri schola Deum.* Nempe, uti sequitur, *immobilem et stupentem*, ac sicuti, cap. 26, *stupidissimum.* Quo pertinet etiam illud de Deo, quod sequitur, *negotium et sibi et aliis fecit, Epicuro nolente.* Pam.

(e) *Quis volet, quod non concupiscet*, etc. Istud deletum a Rhenano, quia non habebatur in Gorziensi codice, iterum adjicimus ex Vatic. II Ms. eo quod ad explicationem pertineat. Sive autem cum iisdem bis legas. *concupivit*, sive cum exeusis, *concupiit*, perinde est. Suat autem Tertullianea *officiules suæ*, ac *nolentia*, quam, inquit Rhenanus, opponit voluntati ac *homini procurat.* Pam.

Epicuro nolente, consiliario Marcione (1). Nam et adversarium sibi constituit ipsum illud adversus quod et voluit, et concupiit et curavit, sive delictum, sive mortem ; imprimis ipsum arbitrum eorum, et dominum hominis Creatorem. Porro, nihil sine æmulatione decurret, quod sine adversario non erit. Denique volens, et concupiscens, et curans hominem liberare, hoc ipso jam æmulatur et eum a (2) quo liberat; adversus eum scilicet sibi liberaturus ; et ea de quibus liberat, in alia liberaturus. Proinde enim æmulationi concurrant (3) necesse est officiales suæ in ea quæ æmulatur, ira, discordia, odium, dedignatio, indignatio, bilis (4), nolentia, offensa. Hæc omnia, si æmulationi adsistunt, æmulatio autem liberando homini procurat; liberatio autem hominis operatio bonitatis est, non poterit ea bonitas sine suis dotibus, id est sine sensibus et affectibus, per quos administratur adversus Creatorem; ne sic quoque irrationalis proscribatur, si careat et sensibus et affectibus debitis. Hæc multo plenius defendemus in caussa Creatoris, in qua et exprobrantur.

CAPUT XXVI.

At hic sufficit perversissimum deum ostendi in ipso præconio solitariæ bonitatis, qua nolunt ei adscribere ejusmodi motus animi, quos in Creatore reprehendunt. Si enim neque æmulatur, neque irascitur, neque damnat, neque vexat, utpote qui nec judicem præstat, non invenio quomodo illi disciplinarum ratio consistat, et quidem plenior. Quale est enim, ut præcepta constituat non exsecuturus ? ut delicta prohibeat non vindicaturus, quia non judicaturus ? extraneus scilicet ab omnibus sensibus severitatis et animadversionis. Cur enim prohibet admitti, quod non defendit admissum ? cum multo rectius non prohibuisset quod defensurus non esset, quam ut non defenderet quod prohibuisset : imo et permisisse directo debuit, sine caussa prohibiturus, ut non (5) defensurus. Nam et tunc tacite permissum est, quod sine ultione prohibetur. Et utique non aliud prohibet admitti, quam quod non amat fieri. Stupidissimus ergo qui non offenditur facto quod non amat fieri, quando offensa comes sit frustratæ voluntatis. Aut si offenditur ; debet irasci, si irascitur, debet ulcisci. Nam et ultio fructus est iræ, et ira debitum offensæ, et offensa, ut dixi, comes frustratæ voluntatis. Sed non ulciscitur ; ergo nec offenditur. Sed non offenditur ; ergo nec læditur voluntas ejus, cum fit quod fieri noluit : et fit jam delictum secundum voluntatem ejus, quia non fit adversus voluntatem, quod non lædit voluntatem. Aut si hoc erit divinæ virtutis, sive bonitatis, nolle quidem fieri, et prohibere fieri ; non moveri tamen, si fiat ; dicimus jam motum esse illum qui noluit : et vane non moveri ad factum, qui motus sit ad non faciendum, quando noluit fieri : nolendo enim prohibuit. Non enim et judicavit ? Nolendo fieri, et idcirco prohibendo ; non faciendum enim judicavit, et prohibendum pronuntiavit. Ergo et ille jam judicat. Si indignum est Deum judicare, aut si ea tenus dignum est Deum judicare, qua tantummodo nolit et prohibeat ; non etiam (6) defendat admissum. Atquin nihil Deo tam indignum, quam non exequi quod noluit et prohibuit admitti. Primo, quod qualicumque sententiæ suæ et legi, debeat vindictam in auctoritatem et obsequii necessitatem. Secundo, quia æmulum sit necesse est quod noluit admitti, et nolendo prohibuit. Malo autem parcere Deum, indignius sit, quam animadvertere : et quidem Deo optimo, qui non alias plene bonus sit, nisi mali æmulus, uti boni amorem odio mali exerceat, et (7) boni tutelam expugnatione mali impleat.

CAPUT XXVII.

Sed judicat plane malum nolendo, et damnat prohibendo : dimittit autem non vindicando, et absolvit non puniendo. O Deum veritatis prævaricatorem, sententiæ suæ circumscriptorem (*a*) : timet damnare quod damnat, timet odisse quod non amat, factum sinit quod fieri non sinit, mavult ostendere qui nolit ; quam probare. Hoc (8) erit bonitas (9) imaginaria, disciplina, phantasma ; (*b*) et ipsa transfunctoria præcepta, secura delicta : audite, peccatores, quique nondum hoc estis, ut esse possitis : Deus melior inventus est, qui nec offenditur, nec irascitur, nec ulciscitur, cui nullus ignis coquitur in gehenna, cui nullus dentium frendor horret in exterioribus tenebris ; bonus tantum est, denique prohibet delinquere, sed literis solis. In vobis est, si velitis, illi obsequium subsignare, ut honorem Deo habuisse videamini : timorem enim non vult. Atque adeo præ se ferunt Marcionitæ, quod Deum suum omnino non timeant. Malus autem, inquiunt, timebitur, bonus autem diligetur. Stulte, quem Dominum appellas, negas timendum ; cum hoc nomen potestatis sit, etiam timendæ. At quomodo diliges, nisi timeas non diligere ? Plane nec pater tuus est, in quem competat et amor propter pietatem, et timor propter potestatem ? nec legitimus dominus, ut diligas propter humanitatem, et timeas propter disciplinam ? Sic denique plagiarii diliguntur, non etiam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Marcionis *alii*.
(2) Cum de *Rhen. Oberth.*
(3) Occurrant *Semler*, *Oberth*
(4) Indigna bilis *Rhen.*
(5) Non ut *Seml.* non et *Jun*
(6) Enim *Paris.*
(7) Ut *Semler. Oberth.*
(8) Hæc *alii.*
(9) Bonitatis *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXVII.—(a) *Sententiæ suæ circumscriptorem.* Circumscriptorem, id est, abrogatorem, circumscribere pro *circumducere* et *obliterare*, frequens jureconsultis et auctoribus idoneis verbum. Cicero in *Finibus* ; *Circumscriptis igitur iis sententiis quas modo posui.* Rhen.

(b) *Et ipsa transfunctoria præcepta.* Transfunctoria vocat perfunctoria. Est autem jureconsultis perfunctorium quod levi cura fit, et aliud agendo, dum videlicet non curamus ut aliquid bene fiat, sed tantum ut fiat : inde *perfunctorie* adverbium in crebro usu apud illos. Rhen.

timentur. Non enim timebitur, nisi justa et ordinaria dominatio. Diligi autem potest etiam adultera. Sollicitatione enim constat, non auctoritate; et adulatione, non potestate. Quid denique adulantius, quam delicta non exsequi? Age itaque, qui Deum non times quasi bonum, quid non in omnem libidinem ebullis? summum, quod sciam, fructum vitæ omnibus qui Deum non timent; quid non frequentas tam solemnes (*a*) voluptates circi furentis (1), caveæ sævientis (*b*), et scenæ lascivientis (*c*)? quid non et in persecutionibus statim oblata acerra animam negatione lucraris? Absit, inquis, absit. Ergo jam times delictum, et timendo probasti illum timeri, qui prohibet delictum. Aliud est, si eadem dei tui perversitate, quem non times, observas, qua et ille quod non vindicat, prohibet. Multo adhuc vanius, cum interrogati, quid fiet peccatori cuique die illo? respondent (2) abjici illum quasi ab oculis. Nonne et hoc judicio agitur? judicatur enim abjiciendus, et utique judicio damnationis: nisi si in (3) salutem abjiciatur peccator, ut et hoc Deo optimo competat. Et quid erit abjici, nisi amittere id quod erat consecuturus, si non abjiceretur? id est salutem. Ergo salutis in detrimentum abjicietur: et hoc decerni non poterit nisi ab irato, et offenso, et exsecutore delicti, id est judice.

CAPUT XXVIII.

Exitus autem illi abjecto quis? Ab igne, inquiunt Creatoris deprehendetur. Adeone nullum habet elementum, vel in hanc causam provisum, quo peccatores suos vel sine sævitia releget, ne illos dedat Creatori? Quid tunc Creator? Credo, sulphuratiorem eis gehennam præparabit (4), ut blasphemis suis scilicet: nisi quod Deus zelotes fortassean desertoribus adversarii sui parcat (5). O Deum usquequaque perversum, ubique inrationalem, in omnibus vanum, atque ita neminem! cujus non statum, non conditionem, non naturam, non ullum ordinem video consistere; jam nec ipsum fidei ejus sacramentum. Cui enim rei baptisma quoque apud eum exigitur? Si remissio delictorum est, quomodo videbitur delicta dimittere, qui non videbitur retinere? quia retineret, si judicaret. Si absolutio mortis est, quomodo absolveret a morte, qui non devinxit ad mortem? devinxisset enim, si a primordio damnasset. Si regeneratio est hominis, quomodo regenerat qui non regeneravit? Iteratio enim non competit ei a quo quid nec semel factum est. Si consecutio est Spiritus sancti, quomodo spiritum adtribuet, qui animam non prius contulit? quia (*d*) suffectura est quodammodo spiritus anima. Signat igitur hominem, numquam apud se resignatum; lavat hominem, numquam apud se resignatum; lavat hominem, numquam apud se coinquinatum; (*e*) et in hoc totum salutis sacramentum carnem mergit exsortem salutis. Nec rusticus terram rigabit, fructum non relaturam, nisi tam vanus, quam deus Marcionis. Proinde, cur (6) tantam, sive sarcinam, sive gloriam, infirmissimæ aut indignissimæ carni imponit sanctitatem? Quid dicam autem de disciplinæ vanitate, qua sanctificat substantiam sanctam? Quid aut (7) onerat infirmam, aut exornat indignam? Quid non salute remunerat, quam onerat vel exornat? Quid fraudat mercedem operis, non rependens (8) carni salutem? Quid et honorem sanctitatis in illa mori patitur?

CAPUT XXIX.

Non tinguitur apud illum caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi cælebs, nisi divortio (9) baptisma mercata, quasi non etiam spadonibus ex nuptiis nata. Sine dubio ex damnatione conjugii institutio ista constabit. Videamus an justa: non quasi destructuri felicitatem sanctitatis, ut aliqui Nicolaitæ, assertores libidinis atque luxuriæ; sed qui sanctitatem sine nuptiarum damnatione noverimus, et sectemur, et præferamus; non ut malo bonum, sed ut bono melius. Non enim projicimus, (*f*) sed deponimus nu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Circum furentes *Rhen. Oberth.*
(2) Respondebunt *Latin* illorum, respondent *Semler.* Dei ollorum *Rhen.*
(3) Nisi in *Rhen. Oberth.*
(4) Præparavit *Seml. Jun.*
(5) Adversarii parcit? *Paris. Fran.*
(6) Ut deus Marcionis proinde cum *Seml. Oberth.*
(7) Autem *Semler.*
(8) Reprehendens *Rhen.*
(9) Devortio *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Voluptates circi furentis.* Furorem et insaniam tribui circo veteres ferme omnes docent. Augustinus lib. II *de Symbolo ad catechumenos: Quid delectat in circo? aurigas videre certantes: populos insania, furia anhelantes?* B. Hieronymus ad Marcellum: *Circus insaniat.* B. Gregorius Nazianz. *Orat.* 27: περὶ τοὺς ἱππικοὺς καὶ τὰ θέατρα, καὶ τὰ στάδια, καὶ τὰ κυνηγέσια τοσοῦτον μαίνεσθαι, ὥστε ταῦτα ποιεῖσθαι βίον: *In circensibus et spectaculis, cursu et venationibus adeo insaniebat, ut in iis vitam ageret.* Idem adhuc Theologus Carm. 3 iambico. Le Pr.

(b) *Caveæ sævientis.* Cavea sæpe pro theatro et amphitheatro ut hic sumitur. Sed hunc locum in vita S. Hilarionis expressit optime B. Hieronym: *Non circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuria delectabatur.* Vides *arenam* dici pro *cavea*, unde *Apolog.* 38, *arenæ atrocitas* dicitur. Le Pr.

(c) *Scenæ lascivientis.* Prohibita erant Christianis spectacula propter turpitudinem et impudicitiam; id undique clamant canones. Ipse Tertull. *Apol.* 38: *Spectaculis vestris in tantum renuntiamus:* in baptismo nimirum, unde S. Chrysostomus, *Orat.* 19, *ad Pop.* testatur non videri debere Christianos in scena et ludionum gesticulationibus, ἐν σκηνῇ καὶ μίμων παιδευταῖς. Le Pr.

CAP. XXVIII.—(d) *Suffectura est quodammodo spiritus anima.* Tamquam supposita spiritui sustinendo. *suffecturam* dicit, quemadmodum contrario significatu dicimus *præfecturam.* Itaque suffecturam tribuit animæ, ut intelligamus datam spiritui præfecturam. Sic libro *de Anima*, animum dixit *suggestum* esse animæ. Ric.

(e) *Et in hoc totum salutis sacramentum carnem mergit.* Augustinus, libro I *de peccatorum meritis*, contra Pelag., cap. 24: *Optime*, inquit, *Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam salutem vocant.* Ric.

CAP. XXIX. — (f) *Sed deponimus nuptias*, etc. Nuptias equidem non damnabat, imo in iis sanctita-

ptias : nec præscribimus, sed suademus sanctitatem; servantes et bonum, et melius pro viribus cujusque sectando; tunc denique conjugium exerte defendentes cum inimice accusatur spurcitiæ nomine in destructionem Creatoris, qui proinde conjugium pro rei honestate benedixit, in crementum generis humani, quemadmodum et universum conditionis in integros et bonos usus. Non ideo autem et cibi damnabuntur, quia operosius exquisiti in gulam committunt : ut (1) nec vestitus ideo accusabuntur, quia pretiosius comparati in ambitionem tumescunt. Sic nec matrimonii res ideo despuentur, quia intemperantius diffusæ in luxuriam inardescunt. Multum differt inter caussam et culpam, inter statum et excessum. Ita hujusmodi non institutio, sed exorbitatio reprobanda est, secundum censuram institutoris ipsius; cujus est tam, *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I, 28), quam et, *Non adulterabis* (*Exod.*, XX, 14), et, *Uxorem proximi tui non concupisces* (*Levit.* XX, 10) : morte punientis et incestam (2), sacrilegam, atque monstruosam in masculos et in pecudes libidinum insaniam. Sed et si nubendi jam motus ponitur, quem quidem apud nos spiritalis ratio, Paracleto auctore, defendit, unum in fide matrimonium præscribens; ejusdem erit modum figere, qui modum aliquando diffuderat : is colliget, qui sparsit : is cædet sylvam qui plantavit; is metet segetem, qui seminavit : is dicet, *Superest ut et qui uxores habent, sic sint quasi non habeant* (I *Cor.* VII, 29), cujus et retro fuit, *Crescite et multiplicamini* : ejusdem finis, cujus et initium. (*a*) Non tamen ut (3) accusanda cæditur sylva, nec ut damnanda secatur seges, sed ut tempori suo parens. Sic et connubii res, non ut mala, securem et falcem admittit sanctitatis, sed ut matura defungi, ut ipsi sanctitati reservata, cui cædendo præstat et esse (4). Unde jam dicam deum Marcionis, cum matrimonium ut malum et impudicitiæ negotium reprobat, adversus ipsam facere sanctitatem, cui videtur studere : materiam enim ejus eradit : quia si nuptiæ non erunt, sanctitas nulla est. Vacat enim abstinentiæ testimonium, cum licentia eripitur; quoniam ita quædam in diversis probantur. Sicut et *virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9), sic et abstinentia nubendi in facultate dinoscitur (5). Quis denique abstinens dicetur, sublato eo a quo abstinendum est? Quæ temperantia gulæ in fame? quæ ambitionis repudiatio in egestate? quæ libidinis infrænatio in castratione? Jam vero sementem (6) generis humani compescere in totum (7), nescio an hoc quoque optimo Deo congruat. Quomodo enim salvum hominem volet, quem vetat nasci, de quo nascitur auferendo? quomodo habebit in quo bonitatem suam signet, quem esse non patitur? quomodo diligit, cujus originem non amat? Timet forsitan redundantiam soboli, ne laboret plures liberando, ne multos faciat hæreticos, ne generosiores habeat Marcionitas ex Marcionitis. Non erit immanior (8) duritia Pharaonis, nascentium enecatrix. Nam ille animas adimit, hic non dat; ille aufert de (9) vita, hic non admittit in vitam. Nihil apud ambos de homicidio differt : sub utroque homo interficitur; sub altero, jam editus, sub altero, edendus. Gratus esses, o dee hereticе, si esses in dispositionem Creatoris, quod marem et fœminam miscuit : utique enim et Marcion tuus ex nuptiis natus est. Satis hæc de deo Marcionis, quem, et definitiones unicæ divinitatis, et conditiones statuum (10) ejus omnino non esse confirmant (11). Sed et totius opusculi series in hoc utique succedit. Proinde, si cui minus quid videmur (12) egisse, speret reservatum suo tempori, sicut et ipsarum Scripturarum examinationem, quibus Marcion utitur.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tunc *Rhen. Oberth.*
(2) Incestam et *Jun.*
(3) Ut *neglig. Seml. Oberth.*
(4) Præstet esse *Seml.* præstaret *Rhen.*
(5) Dignoscitur *Rig. Fran.*
(6) Semen *Jun.*
(7) In *delet Seml.*
(8) Humanior *Seml. Oberth.* inhumanior *alii.*
(9) A *Seml. Pamel.*
(10) Statum *Rhen. Oberth.*
(11) Confirmantes *Rhen.*
(12) Videbimur *Fran.*

COMMENTARIUS.

tem commendabat auctor, sed nuptiarum obtentu turpitudinem jam invalescentem rejiciebat. Le Pr.

(*a*) *Non tamen ut accusanda cæditur sylva.* A simili nuptias damnandas non esse docet, utque juris romani peritus erat, de sylva cædua, loquitur de qua frequens in jure mentio, dividiturque sylva omnis in cæduam, et non cæduam. Prior ideo servatur ut cædatur, posterior pastioni pecorum destinata est, et vulgo pascua dicitur. Le Pr.

LIBER SECUNDUS.

Argumentum. — I. *Cum libro præcedenti definierit Tertullianus deum Marcionis Deum non esse, regulis certis præscribentibus unicam esse divinitatem; hoc libro Deum Creatorem digne Deum esse, utpote bonum, non malum, defendit,*

II. *Præmissa invectiva in Marcionitas, qui sua curiositate Deo negotium faciunt, de arbitrio sensus sui Deum pensitantes.*

III. *In primis autem docet bonitatem Dei Creatoris æternam esse,*

IV. *Præsertim ex hominis et mundi factura ac ea quam homini præscripsit lege;*

V. *Neque enim lapsum hominis Deo, sed libero arbitrio hominis imputandum :*

VI. *Et vero Dei bonitatem ac rationem hominis hoc requisivisse, ut constitueretur homo liberi arbitrii; utpote cum nec boni nec mali merces jure ei penseretur, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate :*

VII. *Id ipsum etiam exigere Dei gravitatem, fidem et patientiam :*

VIII. *Prorsus itaque homini delictum imputandum quem ad recte vivendum creaverat Deus :*

IX. *Neque propterea Deo id imputandum, quod afflatus Dei sit anima quæ delinquit ; quia habet quidem anima illas lineas Dei qua immortalis, qua libera sui arbitrii, qua præscia plerumque, qua rationalis ; tamen et in his imago dumtaxat Dei, non usque ad ipsam vim divinitatis.*

X. *Neque etiamsi in diabolum transcriberetur culpa, ut instinctorem delicti, propterea in Creatorem dirigendam, ut in auctorem diaboli, utpote qui angelus a Deo et bonus factus sit, non diabolus, id est delator.*

XI. *Porro, si post delictum hominis judex et severus fuerit Deus, non ad malitiam, sed ad justitiam pertinere ;*

XII. *Quæ justitia cum perpetuo in Deo cum bonitate conspirarit, non recte seorsum deputari Deum bonum, et seorsum Deum justum ;*

XIII. *Imo vero omne justitiæ opus bonitati Dei procurare, quippe cum timor judicii ad bonum, non ad malum, conferat :*

XIV. *Si quando itaque Deus legatur condens mala, de malis pœnæ, non culpæ, intelligi :*

XV. *Justitiam proinde esse, atque adeo bonitatem Dei, quæ severitas videatur ;*

XVI. *Et judici non exprobranda quæ justitiæ accidunt, non magis quam medico ferramenta quæ secant, inurunt, amputant et constrictant :*

XVII. *Denique totum ordinem Dei bonitatis ex ejus misericordia in errantes, patientia in non resipiscentes, et præstantia in merentes.*

XVIII. *Deinde ad antitheses veniens Marcionis, etiam ad bonitatem Dei pertinere probat talionis pœnam, ciborum immundorum prohibitionem, et sacrificiorum onera ;*

XIX. *Nec minus etiam legales quasque disciplinas, ne illi momento vacarent a Dei respectu ;*

XX. *Imo vero etiam rapinam argenti mandatam a Deo Hebræis in Ægyptios ; pluris enim valuisse sexcentorum millium per tot annos, et filiorum jacturam quos merserant :*

XXI. *Nullam vero etiam contrarietatem esse in Deo prohibente sabbatis operari, et jubenti arcam circumferri etiam in sabbato :*

XXII. *Neque etiam similitudinum prohibitarum legi refragari ænei serpentis, aut Cherubin et Seraphin aureas effigies, quæ longe diversas habebant caussas ab idololatria, de qua, vetans similitudinem fieri, subjicit :* Non adorabitis, neque servietis eis ; *fuisse enim etiam rationalem Dei institutionem sacrificiorum (avocantis ab idolis), quæ tamen rursus rejecerit.*

XXIII. *Non recte etiam levem Deum dici, cum reprobat aliquando probatos, aut probat quandoque reprobandos ; nihil enim magis bono etiam judici convenire, quam pro præsentibus meritis, et rejicere, et allegere :*

XXIV. *Proinde pœnitentiam apud Deum prave interpretari Marcionem, nam et in græco sono (utpote μετάνοια) pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.*

XXV. *Nec absimiliter prave ab illo intelligi illud :* Adam, ubi es ? *et illud ad Cain,* Ubi est frater tuus ? *Item illud de Sodoma et Gomorrha,* Descendens videbo, *etc. ;*

XXVI. *Item etiam juramentum Dei per semetipsum, et verba illa ad Moysen,* Sine me, et indignatus ira disperdam illos.

XXVII. *Denique reliquas puisillitates quas Deo objiciebant Marcionitæ non tantas esse quantas etiam ipsi in Christo fatentur, cui apparitiones illæ Veteris Testamenti adscribendæ sint.*

XXVIII. *Postremo adversus Marcionem alias suas antitheses æmulas facit ad finem usque libri.* PAM.

ARGUMENTUM. — *Quidquid a Deo Patre et Creatore factum est, id sapientissime factum docet, ideoque Creatorem Deum bonum esse, non malum.*

CAPUT PRIMUM.

Occasio reformandi opusculi hujus, cui quid acciderit primo libellulo (1) præfati sumus, hoc quoque contulit nobis, uti duobus diis adversus Marcionem retractandis, sui cuique titulum et volumen distingueremus pro materiæ divisione, alterum deum definientes omnino non esse, alterum defendentes digne Deum esse : quatenus ita Pontico placuit, alterum inducere, alterum excludere. Non enim poterat ædificare mendacium sine demolitione veritatis. Aliud subruere necesse habuit, ut quod vellet, exstrueret. Sic ædificat (a) qui propria paratura caret. Oportuerat autem in hoc solum disceptasse, quod nemo sit deus ille qui Creatori superducitur ; ut falso deo depulso, regulis certis et unicam et perfectam præscribentibus divinitatem, nihil jam quæreretur in Deum verum : quem (2) quanto constaret esse, sic quoque dum alium esse non constat, tanto qualemcumque sine controversia haberi deceret, adorandum potius quam judicandum ; et demerendum magis quam retractandum, vel quam timendum ob severitatem.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Libello *Pamel. Seml. Oberth.*

(2) Quem *omitt. Fran.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Qui propria paratura caret.* Paraturam, inquit Rhenanus, et hic vocat materiam. Sic lib. *de Carne Christi*, c. 8 : *Debeo*, inquit, *illos de sua paratura repercutere ;* item lib. præced. c. 11 : *nullam sibi prospexit agnoscendo paraturam.* Adnotat præterea Latinius similes locos ex lib. IV *adv. Marcion.* sub initium, *et omnem paraturam impii atque sacrilegi Marcionis ;* et rursum eodem lib. c. 2 : *habuit utique authenticam paraturam.* PAM.

Quid enim amplius homini necessarium, quam cura in Deum verum, in quem, ut ita dixerim, inciderat, quia alius Deus non erat.

CAPUT II.

(a) At nunc negotium patitur Deus omnipotens, dominus et conditor universitatis; ideo tantum opinor, quia a primordio notus est, quia numquam latuit, quia semper illuxit, etiam ante Romulum ipsum, nedum ante Tiberium : nisi quod solis hæreticis cognitus non est, qui ei negotium faciunt : propterea alium Deum existimantes præsumendum, quia quem constat esse, reprehendere magis possunt, quam negare de arbitrio sensus sui pensitantes (1) Deum aliqui : proinde atque si cæcus vel (b) fluitantibus oculis, ideo alium solem præsumere velit mitiorem et salubriorem; quia quem videat, non videt. Unicus sol est, o homo, qui mundum hunc temperat; et quando non putas, optimus et utilis; et cum tibi acrior et infestior, vel etiam sordidior atque corruptior, rationi tamen suæ par est. Eam tu si perspicere non vales (2), jam nec ullius (3) alterius solis, si qui fuisset, radios sustinere potuisses, utique majoris (4). Nam qui in (5) inferiorem deum cæcutis, quid in sublimiorem? Quin potius infirmitati tuæ parcis, nec in periculum extenderis, habens deum certum et indubitatum, et hoc ipso satis visum, cum id primum conspexeris eum esse, quem non scias, nisi ex parte qua voluit ipse. Sed Deum quidem ut sciens non negas, ut nesciens retractas; imo et accusas quasi sciens; quem si scires, non accusares, imo nec retractares. Reddens nomen illi, negas substantiam nominis, id est magnitudinem, qua (6) Deus dicitur, non tantam eam agnoscens, quantam si homo omnifariam nosse potuisset, magnitudo non esset. Isaias jam tum (7) apostolus, prospiciens hæretica corda : *Quis*, inquit (*Is.* XL, 13, 14), *cognovit sensum Domini, aut quis illi consiliarius* (8) *fuit? aut ad quem consultavit? aut viam intellectus et scientiæ quis demonstravit ei?* Cui et (c) Apostolus condicet : *O profundum divitiarum et sophiæ Dei! ut ininvestigabilia judicia ejus*, utique Dei judicis, *et ininvestigabiles viæ ejus!* utique intellectus et scientiæ, quas ei nemo monstravit : nisi forte isti censores divinitatis, dicente : Sic non debuit Deus; et sic magis debuit : quasi cognoscat aliquis quæ sint in Deo, nisi spiritus Dei. *Mundi autem habentes spiritum, non agnoscentes in sapientia Dei per sapientiam Deum* (I *Cor.*, I, 21), consultiores sibimet videntur Deo. Quoniam, sicut sapientia mundi stultitia est penes Deum, ita et sapientia Dei stultitia est penes mundum. Sed nos scimus *stultum Dei sapientius hominibus, et invalidum Dei validius hominibus* (I *Cor.*, I, 25). Et ita Deus tunc maxime magnus, cum homini pusillus; et tunc maxime optimus, cum homini non bonus; et tunc maxime unus, cum homini duo aut plures. Quod si a primordio (d) *homo animalis non recipiens quæ sunt spiritus* (I *Cor.*, II, 14), stultitiam existimavit Dei legem, ut quam observare neglexit : (e) ideoque *non habendo* fidem, *etiam quod videbatur habere ademptum est illi* (*Matth.*, XIII, 12; *Luc.*, VIII, 18), paradisi gratia et familiaritas Dei, per quam omnia Dei cognovisset, si obedisset : quid mirum si redhibitus materiæ suæ, et in ergastulum terræ laborandæ relegatus, (f) in ipso opere prono et devexo ad terram, usurpatum ex illa spiritum mundi universo generi suo tradidit, (g) dumtaxat animali et hæretico, non recipienti quæ sunt Dei? (h) Aut quis dubitabit ipsum illud Adæ delictum hæresin pronuntiare, quod per electionem suæ potius quam divinæ sententiæ admisit? nisi quod Adam numquam figulo suo dixit : « Non prudenter definxisti me. » Confessus est seductionem; non occultavit seductricem : rudis admodum (9) hæreticus fuit. Non obaudiit; non tamen blasphemavit Creatorem, nec repre-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pensitant *Latin. Jun.*
(2) Valeas *alii.*
(3) Illius *Seml. Oberth.*
(4) Majores *alii.*
(5) In *abest Rig. Venet.*
(6) Magnitudinis, quæ *Rhen. Venet. Pamel.*
(7) Ipse jam tunc *Pam. Fran.* ipse jam *Rhen.*
(8) Quis consiliarius ejus *Pamel. Seml. Oberth.*
(9) Adhuc *olim legeb. Edd.*

COMMENTARIUS.

CAP. II.—(a) *At nunc negotium patitur Deus omnipotens*, etc. Quasi dicere vellet Deo negotium facere Marcionitarum temeritatem et audaciam, qui Deum alium ab omnipotente sibi confinxerunt. Le Pr.

(b) *Fluitantibus oculis alium solem præsumere* Sic lib. I : *Lippientibus, etiam singularis lucarna numerosa est.* Rig.

(c) *Apostolus condicet : O profundum*, etc. B. Apostolus Esaiæ consentit, dum (*Rom.* II) ait : *O profundum!* etc.; in græcis est, ὦ βάθος. Le Pr.

(d) *Homo animalis.* Ψυχικός. Et statim explicat, *non recipiens quæ sunt spiritus.* Rig.

(e) *Ideoque non habendo fidem, etiam*, etc. Pulchre explicat illud Luc. VIII : *Qui enim habet, dabitur ei, et qui non habet, etiam quod putat se habere auferetur ab eo.* Id in simili ad Adamum referens, cui, *non habendo fidem, etiam quod videbatur habere ademptum est*, nempe *paradisi gratia, et familiaritas Dei, per quam omnia Dei cognovisset, si obedisset.* Ubi ad verbum transtulit, *quod videtur habere*, pro eo quod est græce, ὃ δοκεῖ ἔχειν. Pam.

(f) *In ipso opere prono et devexo ad terram.* Dixerat Persius :

O pronæ in terras animæ, et cœlestium inanes! Rig.

(g) *Dumtaxat animali et hæretico.* Itaque alios psychicos facit, alios hæreticos, ut et principio libri *De Monogamia.* Et tamen Adamum ipsum, quem psychicum vocat, mox appellabit hæreticum. Pam.

(h) *Aut quis dubitabit ipsum illud Adæ delictum*, etc. Etiam notatu dignus est hic locus, quod initium omnis hæreseos ab Adami delicto deducat, utpote, sicuti sequitur, *quod per electionem suæ potius quam divinæ sententiæ admisit;* in quo adludit ad definitionem hæreseos, de qua late supra lib. *de Præscript.*, cap. 6. Placeret proinde magis illud primæ editionis, *rudis adhuc hæreticus fuit*, pro eo quod ex Gorziensi codice substituit Rhenanus, *rudis admodum*, nisi hoc reperiretur in Vatic. 2 Ms. codd. Pam.

hendit auctorem, quem a primordio sui bonum et optimum inveneral, et ipse si forte judicem fecerat a primordio.

CAPUT III.

Igitur oportebit ineuntes examinationem in Deum notum, si quæritur in qua conditione sit notus, ab operibus ejus incipere quæ priora sunt homine, ut statim cum ipso comperta bonitas ejus, et exinde constituta atque præscripta, aliquem sensum suggerat nobis intelligendi, qualiter sequens rerum ordinatio evaserit. Possunt autem discipuli Marcionis recognoscentes bonitatem Dei nostri, dignam quoque Deo agnoscere per eosdem titulos, per quos indignam ostendimus in deo illorum. Jam hoc ipsum (2) quod materia est agnitionis suæ, non apud alium invenit, sed de suo sibi fecit. Prima denique bonitas Creatoris, qua se Deus noluit in æternum latere, id est non esse aliquid, cui Deus cognosceretur. Quid enim tam bonum, quam notitia et fructus Dei? Nam, etsi nondum apparebat, hoc bonum esse, quia nondum erat quicquam cui appareret; sed Deus præsciebat quid boni appariturum esset : et ideo (*a*) in suam summam commisit bonitatem, appariturі boni negotiatricem, non utique repentinam, nec obventitiæ bonitatis, nec provocatitiæ animationis, quasi exinde censendam, quo cœpit operari. Si enim ipsa constituit initium, exinde quo cœpit operari, non habuit initium ipsa cum fecit. Initio autem facto, ab ea etiam ratio temporum nata est, utpote quibus distinguendis et notandis, sidera et luminaria cœlestia dis- C posita sunt : *Erunt* enim, inquit (*Gen.*, I, 14), *in tempora, et menses, et annos*. Ergo nec tempus habuit ante tempus, quæ fecit tempus; sicut nec initium ante initium, quæ constituit initium. Atque ita carens et ordine initii et modo temporis, de immensa et indeterminabili ætate censebitur, nec poterit repentina vel obventitia et provocatitia reputari, non habens unde reputetur, id est aliquam temporis speciem; sed et (3) æterna, et Deo ingenita, et perpetua præsumenda, ac per hoc Deo digna, suffundens jam hinc bonitatem dei Marcionis, non dico initiis et temporibus, sed ipsa malitia creatoris posteriorem, si tamen malitia potuit a bonitate committi (4).

CAPUT IV.

Igitur, cum cognoscendo Deo hominem prospexisset bonitas Dei ipsius, etiam hoc præconio suo addidit, quod prius domicilium homini commentata est, aliquam postmodum molem maximam, postmodum et majorem, ut in magna tamquam in minore proluderet atque perficeret : et ita de bono Dei, id est de magno, ad optimum quoque ejus, id est ad majus habitaculum promoveretur. Adhibet operi bono optimum etiam ministrum, sermonem suum : (*b*) *Eructavit*, inquit, (*Ps.* XLIV, 1) *cor meum* (5) *sermonem optimum*. Agnoscat hinc primum fructum optimum, utique optimæ arboris, Marcion : imperitissimus rusticus quidem in malam, bonam inseruit; sed non valebit blasphemiæ surculus (*c*), arescet cum suo artifice, et ita se bonæ arboris natura testabitur. Adspice ad summam, qualis sermo fructificaverit : *Et dixit Deus : Fiat; et factum est, et vidit Deus quia bonum* (*Gen.*, I) : non quasi nesciens bonum, nisi videret, sed quia bonum, ideo videns, honorans et consignans, et dispungens bonitatem operum dignatione conspectus. Sic et benedicebat quæ bene faciebat, ut tibi totus Deus commendaretur, bonus, et dicere et facere. Maledicere adhuc sermo non norat, quia nec male facere. Videbimus causas, quæ hoc quoque a Deo exegerunt. Interim mundus ex bonis omnibus constitit, satis præmonstrans quantum boni pararetur illi, cui (6) præparabatur hoc totum. Quis denique dignus incolere Dei opera, quam ipsius imago et similitudo? Eam quoque bonitas et quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.*, I, 26). Bonitas dixit, bonitas finxit hominem (7) de limo, in tantam substantiam carnis ex una materia tot qualitatibus exstructam. Bonitas inflavit (8) animam, non mortuam, sed vivam. Bonitas præfecit universis fruendis atque regnandis, etiam cognominandis (*Gen.*, II, 7). Bonitas amplius delicias adjecit homini, ut quamquam totius orbis possidens, in amenioribus moraretur, (*d*) translatus in paradisum, jam tunc de mundo in Ecclesiam. Eadem bonitas et adjutorium prospexit, ne quid non boni : *Non est* enim, inquit

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *abest Rig. venet.*
(2) Ipso *olim legeb.*
(3) Et *negl. Seml. Oberth.*
(4) Committere *alii.*
D (5) Verbum *add. alii.*
(6) Illi *addit fran.*
(7) Hominem *abest Seml. Oberth.*
(8) In *add. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. III.— (a) *In suam summam commisit bonitatem.* Commisit, hoc est reposuit, tempore suo scilicet promendum. Rig.

C P. IV.— (b) *Eructavit*, inquit, *cor meum verbum optimum.* Eodem modo initium Ps. XLIV supra citavit lib. *adv. Hermogenem*, cap. 18, pro eo quod editiones hebr., gr. et chaldaica, et latinæ omnes *bonum*. Pam.

(c) *Blasphemiæ surculus*, etc. Sic recte Rhenanus, pro eo quod antea erat, *sarculus*; accipitur enim pro palmite, de quo scribitur *Joan.* IV, 2, quo adludere videtur auctor : *Mittetur foras sicut palmes, et arescet.* Est vero illud Tertullianicum, *adspice ad summam*, pro eo quod vulgo dicitur, *in summa*. Retineri autem potest *fructificaverit*, aut lege cum Vatic. 1, *fructificavit*. Pam.

(d) *Translatus in paradisum, jam tunc de mundo in Ecclesiam.* Libro *de Pœnitentia*, dixit *Ecclesiam esse in uno et altero.* Hic igitur Adamum et Evam translatos fuisse ait in paradisum, de mundo in Ecclesiam, addictum a Deo paradisum Ecclesiæ significans; Ecclesiam vero jam tunc fuisse in uno et altero. Rig.

(*Gen.*, II, 18), *bonum solum esse hominem*. (*a*) Sciebat illi sexum Mariæ, et deinceps Ecclesiæ profuturum. Sed et quam arguis legem, quam in controversias torques, bonitas erogavit, (*b*) consulens homini quo Deo adhæreret, ne non tam liber, quam adjectus videretur, æquandus famulis suis cæteris animalibus, solutis a Deo et ex fastidio (1) liberis; sed ut solus homo gloriaretur, quod solus dignus fuisset qui legem a Deo sumeret, utique animal rationale, intellectus et scientiæ capax, ipsa quoque libertate rationali contineretur, ei subjectus, qui subjecerat illi omnia (I *Cor.*, XV, 28). Cujus legis observandæ consilium, bonitas pariter adscripsit: *Quæ die autem ederitis, morte moriemini* (*Gen.*, II, 17). Benignissime enim demonstravit exitum transgressionis, ne ignorantia periculi negligentiam juvaret obsequii. Porro, si legis imponendæ ratio præcessit, sequebatur etiam observandæ, ut pœna transgressioni adscriberetur; quam tamen evenire noluit, qui ante prædixit. Agnosce igitur bonitatem Dei nostri interim, vel hucusque ex operibus bonis, ex benedictionibus bonis, ex indulgentiis, ex providentiis, ex legibus et præmonitionibus (2) bonis et benignis.

CAPUT V.

Jam hinc ad quæstiones omnes. (*c*) O (3) canes, quos foras Apostolus expellit (*Apoc.*, XXII, 15), latrantes in (4) Deum veritatis! hæc sunt argumentationum ossa quæ obroditis. Si Deus bonus et præscius futuri, et avertendi mali potens, cur hominem, et quidem imaginem et similitudinem suam, imo et substantiam suam, per animæ scilicet censum, passus est labi de obsequio legis in mortem, circumventum a diabolo? Si enim et bonus qui evenire tale quid nollet, et præscius qui eventurum non ignoraret, et potens qui depellere valeret, nullo modo evenisset, quod sub his tribus conditionibus divinæ majestatis evenire non posset. Quod si evenit, absolutum est e contrario Deum neque bonum credendum, neque præscium, neque potentem: siquidem in quantum nihil tale evenisset, si talis Deus, id est bonus, et præscius, et potens, in tantum ideo evenit, quia non talis Deus. Ad hæc, prius est istas species in Creatore defendere, quæ in dubium vocantur; bonitatem dico, et præscientiam, et potentiam. Nec immorabor huic articulo, præeunte definitione etiam ipsius Christi (*Joan.*, X, 25): ex operibus (*d*) ineundæ probationes (5). Opera Creatoris utrumque testantur et bonitatem ejus, qua bona, sicut ostendimus; et potentiam qua tanta; et quidem ex nihilo. Nam, etsi ex aliqua materia, ut quidam volunt, hoc ipso tamen ex nihilo, dum non id fuerunt quod sunt. Postremo, vel sic magna, dum bona: vel sic Deus potens, dum omnia ipsius, unde et omnipotens. De præscientia vero quid dicam? quæ tantos habet testes, quantos fecit prophetas. Quamquam quis præscientiæ titulus in omnium auctore, qua universa utique disponendo præsciit, et præsciendo disposuit, certe ipsam transgressionem; quam nisi præscisset, nec cautionem ejus delegasset sub metu mortis. Igitur si et fuerunt in Deo istæ facultates, præ quibus nihil mali evenire homini aut potuisset aut debuisset, et nihilominus evenit; videamus et hominis conditionem, ne per illam potius evenerit, quod per Deum evenire non potuit. Liberum et (*e*) sui arbitrii et suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem et similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam. Neque enim facie et corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est; sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est animæ (6), ad formam Dei respondentis (7), et arbitrii sui libertate et potestate signatus est. Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex, tunc a Deo posita. Non enim poneretur lex ei qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic et in posteris legibus Creatoris invenias, proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem (*Deut.*, XXX, 15): sed nec alias totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum, avocante Deo et minante et exhortante (8), nisi et ad obsequium et ad contemptum libero et voluntario homini (9).

CAPUT VI.

Sed quoniam ex hoc jam intelligimur, eo strenues liberam hominis potestatem arbitrii sui, ut quod ei evenit, non Deo, sed ipsi debeat exprobrari; ne et tu

LECTIONES VARIANTES.

(1) Fastigio *Paris. Fran.*
(2) Prænuntiationibus *Seml. Oberth.*
(3) O *omitt. Seml.*
(4) In *omitt. Fran.*
(5) Probationis *Seml. Oberth.*
(6) Animam *Seml. Oberth.*
(7) Spondentis *Seml. Pamel.*
(8) Et *abest Seml.* exhortantive *Pamel.*
(9) Homine *Pamel. Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sciebat illi sexum Mariæ, et deinceps Ecclesiæ profuturum.* Etenim Maria virgo peperit Christum, hominum salutem. Unde et Ecclesia virgo, sponsa Christi, parit Christianos. RIG.

(b) *Consulens homini quo Deo adhæreret.* Præclara cogitatio, hominem ad Deum pertinere, quatenus mandatis a Deo legibus adhæret religionis observantia cultuque. RIG.

CAP. V.— (c) *O canes, quos foras Apostolus*, etc. Alludit ad illud Apoc. XXII, *foris canes*. Atque adeo facit hic locus contra Erasmum, et alios quosdam qui Apocalypsin audent negare Joannis Apostoli. De quo aliquid supra diximus lib. *de Præscr.*, et infra lib. IV *adv. Marc.* ac in *Scorpiaco*. PAM.

(d) *Ex operibus ineundæ probationes.* Dum hanc definitionem Christo adscribit, alludit ad illud Joan. 10: *Opera quæ ego facio, in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me, et si mihi non vultis credere, operibus credite.* PAM.

(e) *Sui arbitrii et suæ potestatis*, etc. Ea fuit hæreticorum quorumdam vesania, ut liberum hominem creatum fuisse negarint. Tales fuere Marcion et Valentinus. Post peccatum vero adhuc remansisse libertatem mox probabit. LE PR.

hinc jam opponas, non ita illum institui debuisse si libertas et potestas arbitrii exitiosa futura esset; hoc quoque prius defendam ita institui debuisse, quo fortius commendem, et ita institutum, et digne Deo institutum, potiore ostensa ea caussa quæ ita fecit institui. Bonitas Dei et ratio ejus huic quoque instituto patrocinabuntur, in omnibus conspirantes apud Deum nostrum. Nec ratio enim sine bonitate ratio est, nec bonitas sine ratione bonitas, nisi forte (*a*) penes deum Marcionis, inrationaliter bonum, sicut ostendimus. Oportebat Deum cognosci : bonum hoc utique et rationale. Oportebat dignum aliquid esse, quod Deum cognosceret : quid tam dignum prospici posset, quam (*b*) imago Dei et similitudo ? Et hoc bonum, sine dubio, et rationale. Oportebat igitur imaginem et similitudinem Dei, liberi arbitrii et suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum, imago et similitudo Dei deputaretur; arbitrii scilicet libertas et potestas : in quam rem ea substantia homini accommodata est, quæ hujus status esset, adflatus Dei, utique liberi et suæ potestatis. Sed et alias quale erat ut totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum dominus, sui famulus ? Habes igitur et bonitatem Dei agnoscere ex dignatione, et rationem ex dispositione. Sola nunc bonitas deputetur, quæ tantum homini largita sit, id est arbitrii libertatem. Aliud sibi ratio defendat in ejusmodi institutionem. Nam bonus natura Deus solus (*Matth.*, XIX, 17). Qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura. Homo autem qui totus ex institutione est, habens initium, cum initio sortitus est formam qua esset : atque ita non natura in bonum dispositus est, sed institutione ; non suum habens bonus esse, quia non natura in bonum dispositus est, sed institutione, secundum institutorem bonum, scilicet bonorum conditorem. Ut ergo bonum jam suum haberet homo, emancipatum sibi a Deo, et fieret proprietas jam boni in homine, et quodammodo natura, de institutione adscripta est illi quasi libripens (1) emancipati a Deo boni (*c*), libertas et potestas arbitrii, quæ efficeret bonum, ut prius, jam sponte præstari ab homine ; quoniam et hoc ratio bonitatis exigeret voluntarie exercendæ ; ex libertate scilicet arbitrii non favente institutioni (2), non serviente : ut ita demum bonus consisteret homo, si secundum institutionem quidem, sed ex voluntate jam bonus inveniretur, quasi de proprietate naturæ : proinde ut et contra malum (nam et illud utique Deus providebat) (3) fortior homo prætenderet (4), liber scilicet et suæ potestatis : (*d*) quia, si careret hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, usurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitii, proinde et malo sicut bono famulus. Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret, et bono sponte servando, et malo sponte vitando : quoniam et alias positum hominem sub judicio Dei, (*e*) oportebat justum illud efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Cæterum, nec boni nec mali merces jure pensaretur ei qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. In hoc et lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda ; ita in utrumque exitum libertas patuit arbitrii. Igitur, si et bonitas et ratio Dei invenitur circa libertatem arbitrii concessam homini, non oportet, omissa prima definitione bonitatis atque rationis quæ ante omnem tractatum constituenda est, post factis præjudicare non ita Deum instituere debuisse quia aliter quam Deum deceret evasit ; sed dispecte quia ita debuerit instituere, salvo eo quod dispectum est, cætera explorare. Cæterum facile est offendentes statim in hominis ruinam, antequam conditionem ejus inspexerint, in auctorem referre quod accidit, quia nec auctoris examinata sit ratio. Denique, et bonitas Dei a primordio operum perspecta, persuadebit (*f*) nihil a deo mali evenire potuisse, et libertas hominis recogitata se potius ream ostendet (5), quod ipsa commisit.

CAPUT VII.

Hac definitione omnia Deo salva sunt ; et natura bonitatis, et ratio dispositionis, et præscientiæ et po-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Libripense *Rhen. Oberth.*
(2) Institutionis *Pamel.* arbitrii favente institutioni *Wouwer.* arbitrii ; nam favente institutioni *conjic. Seml.*
(3) Ut *add. Seml. Oberth.*
(4) Pertenderet *Jun.*
(5) Ostendit *Pamel. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. VI. — (a) *Penes Deum Marcionis*, etc. Ridiculus videbatur Marcion, qui hæc Deo denegando, de quibus modo egit, Deum faciat bonum rationem ei detrahendo. Le Pr.

(b) *Imago et similitudo Dei*, etc. Longe aliter hic *imaginem et similitudinem Dei*, ad quam factus est homo, interpretatur, quam alibi soleat, et præsertim lib. *de Baptis.* cap. 5, ubi de eo aliquid annotavimus, sicut etiam, quomodo adflatus Dei dicatur anima, *ibidem*. Pam.

(c) *Quasi libripens emancipati a Deo boni.* Abalienatio rerum mancipi, quæ scilicet jure optimo haberi ac possideri potuerant, fiebat per æs et libram. Itaque adhibebatur libripens quasi arbiter mancipationis. Ejus formula exstat apud Boethium in *Topica Cic.* Ric. — *Quasi libripens emancipati a Deo boni.* Translatio hæc, quam adhibet e jure, sumitur ab emancipatione, quæ imaginaria venditio erat, fiebatque per æs et libram, hoc est præsentibus quinque testibus et libripende. Le Pr.

(d) *Quia si careret hoc jure.* Mira correctorum varietas ; *caperet, averet, abiret, obiret, cuperet*, reponunt, et melius legit Rigaltius *careret*. Le Pr.

(e) *Oportebat justum illud efficere.* Facit etiam locus iste pro meritis operum, sicut et illud quod sequitur : *Cæterum nec boni nec mali merces*, etc. Pam.

(f) *Nihil a Deo mali evenire potuisse*, etc. Facit etiam hoc et quidquid capite præcedenti, et duobus capitibus sequentibus tractatur, contra Calvinum et alios qui Deum malorum auctorem facere non verentur. Pam.

tentiæ copia. Exigere tamen a Deo debes (1) et gravitatem summam et fidem præcipuam in omni institutione ejus, ut desinas quærere an Deo nolente potuerit quid evenire. Tenens enim gravitatem et fidem Dei boni, sed rationalibus institutionibus ejus vindicandas, nec illud miraberis, quod Deus non intercesserit adversus ea quæ noluit evenire, ut conservaret ea quæ voluit (2). Si enim semel homini permiserat arbitrii libertatem et potestatem, et digne permiserat, sicut ostendimus, utique fruendas eas ex ipsa institutionis auctoritate permiserat; fruendas autem quantum in ipso, secundum ipsum, id est secundum Deum, id est in bonum: quis enim adversus se permittet aliquid? quantum vero in homine, secundum motus libertatis ipsius Quis enim non hoc præstat ei, cui quid semel frui præstat, ut pro animo et arbitrio suo fruatur? Igitur consequens erat uti Deus secederet a libertate semel concessa homini, id est contineret in semetipso et præscientiam et præpotentiam suam, (a) per quas intercessisse potuisset, quo minus homo male libertate sua frui adgressus, in periculum laberetur. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrii libertatem, quam ratione et bonitate permiserat. Denique, puta intercessisse, puta rescidisse illum arbitrii libertatem dum revocat ab arbore, dum ipsum (b) circumscriptorem colubrum a congressu fœminæ arcet, nonne exclamaret Marcion: (c) O dominum futilem, instabilem, infidelem, rescindentem quæ instituit! Cur permiserat liberum arbitrium, si intercedit? cur intercedit, si permisit? Eligat ubi semetipsum erroris notet, in institutione, an in rescissione. Nonne tunc magis deceptus ex imprescientia futuri videretur, cum obstitisset? et quod quasi ignorans quomodo evasurum esset indulserat, quis non diceret? Sed etsi præscierat male hominem institutione sua usurum, quid tam dignum Deo, quam gravitas, quam fides institutionum qualiumcumque? Vidisset homo si non bene dispunxisset (3) quod bene acceperat; ut ipse (4) legi reus fuisset cui obsequi noluisset, non ut legislator ipse fraudem legi suæ faceret, non sinendo præscriptum ejus impleri. Hæc dignissime peroraturus in Creatorem, si libero arbitrio hominis ex providentia et potentia, quas exigis, A obstitisset, nunc tibi insusurra pro Creatore et gravitatem, et patientiam, et fidem, institutionibus suis functo, ut et rationalibus et bonis.

CAPUT VIII.

Neque enim ad vivendum solummodo produxerat hominem, ut non ad recte vivendum, in respectu scilicet Dei legisque ejus. Igitur vivere quidem illi ipse præstiterat, facto in animam vivam; recte vero vivere demandarat, admonito in legis obsequium. Ita non in mortem institutum hominem probat, qui nunc cupit in vitam restitutum, *nullens peccatoris pœnitentiam, quam mortem* (*Ezech.*, XVIII, 23). Igitur, sicut Deus homini vitæ statum induxit, ita homo sibi mortis statum adtraxit: et hoc non per infirmitatem, sicuti nec per ignorantiam, ne quid auctori imputaretur. Nam etsi angelus qui seduxit, sed liber et suæ potestatis qui seductus est; sed imago et similitudo Dei, fortior angelo; sed adflatus Dei generosior spiritu materiali, quo angeli constituerunt. *Qui facit*, inquit (*Ps.* CIII, 5), *spiritus angelos* (*Hebr.*, I, 7), (d) *et adparitores flammam ignis*. Quia nec universitatem homini subjecisset infirmo dominandi, et non potiori angelis, quibus nihil tale subjecit; sic nec legis pondus imposuisset, si gravis lex invalido sustinendi; nec quem excusabilem sciret nomine imbecillitatis, eum (5) definitione mortis convenisset; postremo, non libertate, nec potestate arbitrii fecisset infirmum, sed potius defectione earum. Atque adeo eumdem hominem, eamdem substantiam animæ, eumdem Adæ statum, eadem arbitrii libertas et potestas, victorem efficit hodie de eodem diabolo, cum secundum obsequium legum ejus administratur.

CAPUT IX.

Quoquo tamen, inquis, modo substantia Creatoris delicti capax invenitur, cum adflatus Dei, id est anima, in homine deliquit. Nec potest non ad originalem (6) summam referri corruptio portionis. Ad hoc interpretanda erit qualitas animæ. In primis tenendum, (e) quod græca Scriptura signavit, adflatum nominans, non spiritum. Quidam enim de græco interpretantes, non recogitata differentia, nec curata proprietate verborum, pro *adflatu*, *spiritum* ponunt, et dant hæreticis occasionem spiritum Dei delicto

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habes *Jun.*
(2) Noluit *Paris.*
(3) Depunxisset *Pamel. Seml. Oberth.*
(4) Ut ipsi *Rig. Latin.* ut *abest Pamel. Seml.*
(5) Cum *Pamel. Seml. Oberth.*
(6) Originem *Venet. Rig.*

COMMENTARIUS.

CAP. VII. — (a) *Per quas intercessisse potuisset.* Intercedebant tribuni senatusconsultis apud Romanos, dum obstabant ne fierent. Sic et mox, *Si enim intercessisset.* Rhen.

(b) *Colubrum circumscriptorem.* Hoc est deceptorem. Juvenalis, *Sat.* XV, *pupillum ad jura vocantem.... circumscriptorem.* Nam circumscribere, etiam circumvenire significat. Rhen.

(c) *O dominum futilem*, etc. Faciebat enim Marcion Deum irrationabiliter bonum, ut videri potest, cap. 6 hujus lib. et aliis in locis. Le Pr.

CAP. VIII.—(d) *Et adparitores flammam ignis.* Parum interest utrum ex Epist. ad Hebræos, cap. 1 (quod adfirmat Pamelius), an ex Psal. CIII. Licet enim vocet Apostolus πυρὸς φλόγα, seu flammam ignis, illud citat e Psalmo CIII, versu 5, ubi habetur, *et ministros tuos ignem urentem.* In græco est πῦρ φλέγον. Mihi videtur hoc in loco Vulgata versio magis congruere textui, quam versio Tertulliani. Sive autem legas, *flammam ignis*, sive *ignem urentem*, perinde est. Varietas illa nata videtur ex hebr. אֵשׁ לֹהֵט, quod *ignem urentem* seu *flammantem* recte vertes. Le l r.

CAP. IX. — (e) *Quod græca Scriptura signavit*, etc. Recte græca vox πνοὴ ad marginem adnotata est a Rhenano, ad quam hic alludit auctor; nam ea legitur, Genes. II, non vero πνεῦμα; quare proinde etiam interpres latinus recte transtulit *spiraculum vitæ*, quod *adflatum* auctor, non vero *spiritum*. Pam.

infuscandi, id est ipsum Deum; et usurpata jam quæstio est. Intellige itaque adflatum minorem spiritu esse (1), etsi de spiritu accidit, ut aurulam ejus, non tamen spiritum. Nam et aura vento rarior, etsi de vento aura, non tamen ventus aura. (a) Capit etiam imaginem spiritus dicere flatum. Nam et ideo homo imago Dei, id est spiritus: Deus enim spiritus. Imago ergo spiritus, flatus (2). Porro, imago veritati non usquequaque adæquabitur. Aliud est enim secundum veritatem esse, aliud ipsam veritatem esse. Sic et adflatus, cum imago sit spiritus, non potest ita imaginem Dei comparare (3), ut quia veritas, id est spiritus, id est Deus, sine delicto est, ideo et adflatus, id est imago, non debuerit admisisse delictum. In hoc erit imago minor veritate, et adflatus spiritu inferior, habens illas utique lineas Dei, qua immortalis anima, qua libera et sui arbitrii, qua præscia plerumque, qua rationalis, capax intellectus et scientiæ: tamen et (4) in his imago, et non usque ad ipsam vim divinitatis; sic nec usque ad integritatem a delicto; quia hoc soli Deo cedit, id est veritati; et hoc solum imagini non licet. Sicut enim imago, cum omnes lineas exprimat veritatis, vi (5) tamen ipsa caret, non habens motum; ita et anima imago spiritus, solam vim ejus exprimere non valuit, id est, non delinquendi fœlicitatem (6). Cæterum non esset anima, sed spiritus; nec homo, qui animam sortitus est, sed Deus. Et alias autem, non omne quod Dei erit, deus habebitur: ut expostules Deum et adflatum, id est vacuum a delicto, quia Dei sit adflatus. Nec tu enim si in tibiam flaveris, hominem tibiam feceris, quamquam de anima tua flaveris, sicut et Deus de spiritu suo. Denique, cum manifeste Scriptura dicat (*Genes.*, II, 7) flasse Deum in faciem hominis, et factum hominem in animam vivam, non in spiritum vivificatorem, separavit eam a conditione factoris. Opus enim aliud sit necesse est ab artifice, id est inferius artifice. Nec urceus enim factus a figulo, ipse erit figulus; ita nec adflatus factus a spiritu, ideo erit spiritus. Ipsum quod anima, vocitatus est flatus. Vide etiam ne de adflata conditione transierit in aliquam diminutiorem qualitatem. Ergo, inquis, dedisti animæ infirmitatem supra negatam. Plane, cum illam exigis Deo parem, id est delicti immunem, dico infirmam. Cum vero ad angelum provocatur, fortiorem defendam necesse est dominum universitatis; cui jam angeli administrant (*Hebr.*, I, 14): qui etiam angelos judicaturus est (I *Cor.*, VI, 2), si in Dei lege constiterit, quod in primordio noluit. Hoc ipsum ergo potuit adflatus Dei admittere. Potuit, sed non debuit. Potuisse enim habuit, per substantiæ exilitatem, qua adflatus, non spiritus: non debuisse autem, per arbitrii potestatem, qua liber, non servus; adsistente amplius demonstratione non delinquendi sub comminatione moriendi, qua substrueretur substantiæ exilitas, et regeretur sententiæ libertas. Itaque non per illud jam videri potest anima deliquisse, quod illi cum Deo adfine est, per adflatum: sed per illud quod substantiæ accessit, id est per liberum arbitrium; a Deo quidem rationaliter adtributum; ab homine vero, qua voluit agitatum. Quod si ita se habent, omnis jam Dei dispositio de mali exprobratione purgatur. Libertas enim arbitrii non ei culpam suam respuet, a quo data est, sed a quo non ut debuit administrata est. Quod denique malum adscribes Creatori (7)? si delictum hominis, non erit Dei, quod est hominis: nec idem habendus est delicti auctor qui invenitur interdictor, imo et condemnator. Si mors malum, nec mors comminatori suo, sed contemptori faciet invidiam, ut auctori. Contemnendo enim eam fecit; non utique futuram, si non contempsisset.

CAPUT X.

Sed, etsi (8) ab homine in diabolum (*b*) transcripseris mali elogium, ut in (9) instinctorem delicti; uti sic quoque in Creatorem dirigas culpam, ut auctorem diaboli, qui facit angelos spiritus: ergo quod factus a Deo est, id est angelus, id erit ejus qui fecit; quod autem factus a Deo non est, id est diabolus, id est delator, superest ut ipse sese fecerit, deferendo de Deo; et quidem falsum: primo, quod Deus illos ex omni ligno edere vetuisset, dehinc quasi morituri non essent, si edissent; tertio, quasi Deus illis invidisset divinitatem. Unde igitur malitia mendacii et fallaciæ in homines, et infamiæ in Deum? a Deo utique non, qui et angelum ex forma operum bonorum instituit bonum. Denique sapientissimus omnium editur, antequam diabolus; nisi malum est sapientia. Et si evolvas Ezechielis prophetiam (*Ezech.*, XXVIII, 12), facile animadvertes tam institutione bonum angelum illum, quam sponte corruptum. In persona (10) enim principis Sor, ad diabolum pronuntiatur: *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, sume planctum super principem Sur; et dices ei* (11): *Hæc dicit Dominus: Tu resignaculum similitudinis* (qui scilicet integritatem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritum *Seml. Oberth.*
(2) *Del.* adflatus *Pamel. Seml.*
(3) Compariare *Ciaccon.*
(4) Ut *Jun.*
(5) Vita *conjic. Seml.*
(6) Facultatem *conjic. Pamel.*
(7) Discribes *Venet. Rig.* describes *Pamel. Seml.*
(8) Non, inserit *Seml.* nunc *Jun.*
(9) In *abest Seml. Pamel.*
(10) Personam *Seml. Oberth.*
(11) Ei *add. Lat.*

COMMENTARIUS.

(a) *Capit etiam imaginem spiritus dicere*, etc. Et hic vides quomodo verbo *capit* utatur. Hoc est, flatus significat etiam imaginem spiritus, sive potest dici *imago spiritus*. RHEN.

CAP. X. — (b) *Transcripseris mali elogium.* Mali proprietates omnes diabolo tribuas: ea est enim hujus vocis notio Tertulliano. Lib. I *adv. Marcionem* ita usus est. LE PR.

imaginis et similitudinis resignaveris), *plenus sapientia* (1), *corona decoris* (hoc ut eminentissimo angelorum, ut archangelo, ut sapientissimo omnium), *in deliciis paradisi Dei tui natus es* (illic enim ubi Deus in secunda animalium figuræ formatione angelos fecerat). *Lapidem optimum indutus es; sardium, topazium, smaragdum, carbunculum, sapphirum, jaspin, lyncurium, achaten, amethystum, chrysolitum, beryllum, onychinum* (2); *et auro replesti horrea tua, et thesauros tuos. Ex qua die conditus es, cum Cherub* (a) *posui te in monte sancto Dei; fuisti in medio lapidum igneorum; fuisti invituperabilis in diebus tuis, ex qua die conditus es, donec inventæ sunt læsuræ tuæ* (a). *De multitudine negotiationis tuæ promas tuas replesti, et deliquisti:* et cætera. Quæ ad sugillationem angeli, non ad illius principis proprie pertinere manifestum est, eo quod nemo hominum in paradiso Dei natus sit; ne ipse quidem Adam, translatus potius illuc: nec cum Cherub positus in monte sancto Dei, id est, in sublimitate cœlesti, de qua Satanam Dominus quoque decidisse testatur; nec inter lapides igneos demoratus, inter gemmantes siderum ardentium radios, unde etiam quasi fulgur dejectus est Satanas. Sed ipse auctor delicti, in persona peccatoris viri denotabatur; retro quidem invituperabilis a die conditionis suæ, a Deo in bonum conditus, ut a bono conditore invituperabilium conditionum, et excultus omni gloria angelica, et apud Deum constitutus, qua bonus apud bonum: postea vero a semetipso translatus in malum. *Ex quo* enim, inquit, *apparuerunt læsuræ tuæ*: illi eas reputans, quibus scilicet læsit hominem ejectum a Dei obsequio (4): et ex illo deliquit, ex quo delictum seminavit; atque ita exinde negotiationis, id est, malitiæ suæ multitudinem exercuit; delictorum scilicet et sensuum, non minus et ipse liberi arbitrii institutus, ut spiritus. Nihil enim Deus proximum sibi non libertate ejusmodi ordinasset. Quem tamen et prædamnando testatus est ab institutionis forma libidine propria conceptæ ultro malitiæ exorbitasse; et commeatum operationibus ejus admetiendo, rationem bonitatis suæ egit; eodem consilio et homo (b) eadem arbitrii libertate clideret inimicum, qua succiderat illi; probans suam, non Dei culpam; et ita salutem digne per victoriam recuperaret, et diabolus amarius puniretur ab eo, quem eliserat ante devictus; et Deus tanto magis bonus inveniretur, sustinens hominem gloriosiorem in paradisum, ad licentiam decerpendæ arboris vitæ jam de vita regressurum.

CAPUT XI.

Igitur usque ad delictum hominis, Deus a primordio tantum bonus, exinde judex, et severus, et quod Marcionitæ volunt, sævus. Statim mulier in doloribus parere, et viro servire damnatur (*Gen.*, III, 16): sed quæ ante sine ulla contristatione (c) per benedictionem in crementum generis audierat, *Crescite tantum et multiplicamini:* sed quæ in *adjutorium* masculo, non in servitium fuerat destinata. Statim et terra maledicitur (*Gen.*, III, 18); sed ante benedicta. Statim tribuli et spinæ; sed ante fœnum, et herbæ, et arborum fructuosa. Statim sudor et labor panis; sed ante ex omni ligno victus immunis, et alimenta secura. Exinde homo ad terram, sed ante de terra. Exinde ad mortem, sed ante ad vitam. Exinde (d) in scorteis vestibus, sed ante sine scrupulo nudus. Ita prior bonitas Dei, secundum naturam; severitas posterior, secundum caussam. Illa ingenita, hæc accidens: illa propria, hæc accommodata: illa edita, hæc adhibita. Nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem, nec caussa dissimulatam evasisse severitatem. Alteram sibi, alteram rei Deus præstitit. Incipe nunc etiam judicis statum ut affinem mali arguere, qui idcirco alium Deum somniasti solummodo bonum, quia non potes judicem: quanquam et illum ut judicem ostendimus. Aut si non judicem, certe perversum ac vanum, disciplinæ non vindicandæ, id est, non judicandæ constitutorem. Non reprobas autem Deum judicem, qui non judicem Deum probas? Ipsam sine dubio justitiam accusare debebis, quæ judicem præstat, aut et eam in species malitiæ deputare, id est, injustitiam in titulos bonitatis adscribere. Nunc enim justitia malum, si injustitia bonum. Porro, cum cogeris injustitiam de pessimis pronuntiare, eodem jugo urgeris justitiam de optimis censere. Nihil enim æmulum mali non bonum, sicut et boni æmulum nihil non malum. Igitur quanto malum injustitia, tanto bonum justitia. Nec species solummodo, sed tutela reputanda bonitatis; quia bonitas nisi justitia regatur, ut justa sit, non erit bonitas, si injusta sit. Nihil enim bonum, quod injustum; bonum autem omne, quod justum.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Plenus sapientia *abest Seml. MSS.* inquit *non habent. At enim in versione LXX nihil simile reperias. Insertum ex Hebræo vel Vulgata putat Jun. Edd.*

(2) Onychium *Paris. Fran.*

(3) Cherubim *Seml. cui contradicunt lectio hebr. necnon versio græca LXX interpretum, cæteri denique editores, ut Pamel. Rig. Venet. Fran.*; *pro* Cherub. *stant omnes, et Vulgata favet.*

(4) Electum ad Dei obsequium *Latin.* electum a Dei, *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Donec inventæ sunt læsuræ tuæ.* Læsuræ sunt peccata quæ animam lædunt, græce enim habetur ἐδοιγήματα. Lib. *de Pat.*, cap. 7, decrescentes opes vocat læsuras, *demonstrans per abjectionem divitiarum, læsuras quoque earum computandas non esse.* Le Pr.

(b) *Eadem arbitrii libertate elideret, etc.* Amissam non omnino fuisse libertatem post peccatum Adami defendit hic locus, contra hæreticos. Le Pr.

CAP. XI. — (c) *Per benedictionem in crementum generis.* Potest esse figura græca; per benedictionem secundum incrementum generis audierat, crescite tantum et multiplicamini. Rhen.

(d) *Exinde in scorteis vestib.* Pelliceas intelligit. Rhen.

CAPUT XII.

Ita (*a*) si societas et conspiratio bonitatis atque justitiæ separationem earum non potest capere, quo ore constitues diversitatem duorum deorum in separatione, seorsum deputans deum bonum, et seorsum deum justum? Illic consistit bonum, ubi et justum. A primordio denique creator tam bonus, quam et justus, pariter et utrumque processit. Bonitas ejus operata est mundum, justitia modulata est (*b*), quæ etiam tum mundum judicavit ex bonis faciendum, quia cum bonitatis consilio judicavit. Justitiæ opus est, quod inter lucem et tenebras separatio pronuntiata est, inter diem et noctem, inter cœlum et terram, inter aquam superiorem et inferiorem, inter maris cœtum et aridæ molem, inter luminaria majora et minora, diurna atque nocturna, inter marem et fœminam; inter arborem agnitionis mortis et vitæ, inter orbem et paradisum, inter aquigena et terrigena (*c*) animalia. Omnia ut bonitas concepit, ita justitia distinxit. Totum hoc judicato dispositum et ordinatum est. Omnis situs, habitus elementorum, effectus, motus, status, ortus, occasus singulorum, judicia sunt Creatoris; ne putes eum exinde judicem definiendum, quo malum cœpit, atque ita justitiam de caussa mali offusces. His enim modis ostendimus eum cum auctrice omnium bonitate prodisse, ut et ipsam ingenitam Deo et naturalem, nec obventitiam deputandam, quæ in Domino inventa sit arbitratrix operum ejus.

CAPUT XIII.

Atenim, ut malum postea erupit, atque inde jam cœpit bonitas Dei cum adversario agere, aliud quoque (*d*) negotium eadem illa justitia Dei nacta est jam secundum adversionem dirigendæ bonitatis, ut seposita libertate ejus (*e*), qua et ultro Deus bonus pro meritis cujusque pensetur, dignis offeratur, indignis denegetur, ingratis auferatur; proinde omnibus æmulis vindicetur. Ita omne hoc justitiæ opus procuratio bonitatis est, quod judicando damnat, quod damnando punit, quod, ut dicitis, sævit; utique bono, non malo proficit. Denique timor judicii ad bonum, non ad malum confert. Non enim sufficiebat bonum A per semetipsum commendari, jam sub adversario laborans. Nam etsi commendabile per semetipsum, non tamen et conservabile, quia expugnabile jam per adversarium, nisi vis aliqua præesset timendi, quæ bonum etiam nolentes appetere, et custodire compelleret. Cæterum, tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret, quod impune contemneret? Quis custodiret, quod sine periculo amitteret? Legis (*Matth.*, VII, 13) *mali viam latam*, et multo frequentiorem: nonne omnes illa laberentur (1), si nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas Creatoris, et vix a malo avellimur: quid, si nihil minaretur? Hanc justitiam malum dices, quæ malo non favet? Hanc bonum negabis, quæ bono (2) prospicit? Non (3) qualem oportet (*f*) Deum velles (4); B qualem malles expediret? sub quo delicta gauderent? cui diabolus illuderet? illum bonum judicares Deum, qui hominem posset magis malum facere securitate delicti? Quis boni auctor, nisi qui et exactor? Proinde, quis mali extraneus, nisi qui et inimicus? Quis inimicus, nisi qui et expugnator? Quis expugnator, nisi qui et punitor? Sic totus Deus bonus est, dum pro bono omnia est. Sic denique omnipotens, quia et juvandi et lædendi potens. Minus est, tantummodo prodesse, quia non aliud quid possit quam prodesse. De ejusmodi qua fiducia bonum sperem, si hoc solum potest? quomodo innocentiæ mercedem secter, si non et nocentiæ spectem (5)? Diffidam necesse est, ne nec alteram partem remuneretur (6), qui utramque non valuit. Usque adeo justitia etiam plenitudo est divinitatis ipC sius exhibens Deum perfectum, et patrem, et dominum: patrem, clementia; dominum, disciplina; patrem, potestate blanda; dominum, severa: patrem, diligendum pie; dominum, timendum necessarie: diligendum, quia malit misericordiam, quam sacrificium (*Ps.* VI, 6; *Ezech.*, XXXIII, 11); et timendum, quia nolit peccatum: diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quam mortem; et timendum, quia nolit peccatores sui jam non pœnitentes. Ideo lex utrumque definit, *Diliges Deum*, et *Timebis Deum*. Aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori (*g*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Omnes illaberentur *Pamel. Seml.*
(2) Non *inserit Rhen. Sed tunc omittendum* negabis.
(3) Non *abest Rhen. Fran. Lat. Jun.*
(4) Vel *pro* velles *Lat. Jun.*
(5) Speciem *Seml. Rhen.: nullo sensu atque etiam contra* D *exemplaria.*
(6) Remuneret *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. XII. — (a) *Ita si societas et conspiratio bonitatis atque justitiæ separationem earum non potest capere.* Sic et emendandum censuit Latinius quod vulgo legitur, *separatione earum non potest carere.* In exemplari Pithœano legitur: *separationem eorum non potest carere.* Liber Ursini, Septimii stylum exhibet. *Ita, si societas et conspiratio bonitatis atque justitiæ separatione eorum non potest currere, quo ore*, etc. Rig.

(b) *Justitia modulata est.* Legendum crederem *moderata est.* Et quamvis nullis codicibus fretus, in conjiciendo tantum affirmarem. Le Pr.

(c) *Inter aquigena et terrigena.* Delectatur iis vocibus quæ Græcorum usu derivantur, quasi diceret ὑδρογενῆ et γηγενῆ, τῶν ζώων. Le Pr.

CAP. XIII. — (d) *Negotium nacta est jam secundum adversionem dirigendæ bonitatis.* Hoc est, dirigendæ bonitatis prout mentem quisque suam ad Dei bonitatem advertit. Rig.

(e) *Ut seposita libertate ejus.* Sic habent exemplaria, nec inconcinne explicabitur in hunc sensum: Ut sepositа divinæ bonitatis liberalitate, qua et ultro Deus bonus est, jam divina illa bonitas pro meritis cujusque pensetur. Rig.

(f) *Non qualem oportet Deum velles.* In Pithœano legitur, *Qualem oportet Deum velles? Quales malles, expediret?* Rig.

(g) *Aliud exorbitatori.* Morigerum et rebellem sive delinquentem his vocibus, *obsecutori*, et *exorbitatori*, notat. Vocabulo *exorbitare* utitur in *Exhort. ad cast.*: *qui de monogamia exorbitat*, et *Apol.* 6: *Si a nullo desciverunt? si in nullo exorbitaverunt?* Sidonius ep. 11, lib. VIII: *Vereor hujusmodi a catholicæ fidei regulis*

CAPUT XIV.

Ad omnia tibi occurrit Deus: idem percutiens, sed et sanans; mortificans, sed et vivificans; humilians, sed et sublimans; condens mala, sed et pacem faciens (*Deuter.*, XXXIII, 39): ut etiam et hinc (1) respondeam hæreticis. Ecce enim, inquiunt, ipse se conditorem profitetur malorum, dicens: *Ego sum qui condo mala* (*Is.*, XLV, 7). Amplexi enim vocabuli communionem, duas malorum species in ambiguitate turbantem; quia mala dicuntur, et delicta, et supplicia; passim volunt eum conditorem intelligi malorum, ut malitiæ (2) auctor renuntietur. Nos autem adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti (3) et malis supplicii, malis culpæ et malis pœnæ, suum cuique parti definimus (4) auctorem; malorum quidem peccati et culpæ, diabolum, malorum vero supplicii et pœnæ, Deum creatorem; ut illa pars malitiæ deputetur, ista justitiæ, mala condentis (5) judicii (6) adversus mala delicti (7). De his ergo creator profitetur malis, quæ congruunt judici. Quæ quidem illis mala sunt, quibus rependuntur, cæterum suo nomine bona, qua justa, et bonorum defensoria, et delictorum inimica, atque in hoc ordine, Deo digna. Aut proba ea injusta, ut probes malitiæ deputanda, id est, injustitiæ mala: quia si justitiæ erunt, jam mala non erunt, sed bona; malis tantummodo mala, quibus etiam directo bona pro malis damnantur. Constitue igitur injuste hominem divinæ legis voluntarium contemptorem id retulisse, quo noluit (8) carnisse; injuste malitiam ævi illius imbribus, dehinc et ignibus cæsam; injuste Ægyptum fœdissimam, superstitiosam, amplius hospitis populi conflictatricem, decemplici castigatione percussam. Indurat cor Pharaonis; sed (9) meruerat in exitium subministrari, qui jam negaverat Deum; qui jam legatos ejus toties superbus excusserat; qui jam populo laborem operis adjecerat: postremo, qua Ægyptius olim Deo reus fuerat gentilis idololatriæ, ibin et crocodilum citius colens (*a*), quam Deum vivum. Impetit (10) et ipsum populum, sed ingratum. Immisit et pueris ursos, sed irreverentibus in Prophetam.

CAPUT XV.

Justitiam ergo primo judicis dispice (11): cujus si ratio constiterit, tunc et severitas; et per quæ severitas decurrit, rationi et justitiæ reputabuntur. Ac ne pluribus immoremur, asserite caussas cæteras quoque, ut sententias condemnetis: excusate delicta, ut judicia reprobetis. Nolite reprehendere judicem, sed revincite malum judicem. Nam et si (12) patrum delicta ex (13) filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis prospicientes legi divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quam suam curet? Sed etsi benedictio patrum semini quoque eorum destinabatur, sine ullo adhuc merito ejus; cur non et reatus patrum in filios quoque redundaret? Sicut gratia, ita et offensa; ut per totum genus et gratia decurreret, et offensa. Salvo eo quod postea decerni habeat: non dicturos acidam uvam patres manducasse, et filiorum dentes obstupuisse (*Jerem.*, XXXI, 29); id est, non sumpturum patrem delictum filii, nec filium delictum patris; sed unumquemque delicti sui reum futurum, ut post duritiam populi, duritia legis edomita, justitia jam non genus, sed personas judicaret. Quanquam si evangelium veritatis accipias, ad quos pertineat sententia reddentis in filios patrum delicta cognosces; ad illos scilicet qui hanc ultro sibi sententiam fuerant irrogaturi: *Sanguis illius super capita nostra et filiorum nostrorum* (*Matth.*, XXVII, 25). Hoc (14) itaque omnis providentia Dei censuit, quod jam audierat.

CAPUT XVI.

Bona igitur et severitas, quia justa, si bonus judex, id est justus. Item cætera bona, per quæ opus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hic *Pamel. Seml.*
(2) Injuste *add. Fran.*
(3) Delictis... suppliciis *Seml.*
(4) Defendimus *Seml. contra omnes.*
(5) Condenti *Paris.*
(6) Judicia *Seml. Venet. Pamel. Rig. sed rationem sequimur magistram. Edd.*
(7) Delicta *alii.*
(8) Voluit *Paris. Rig. Fran. Pamel. Venet.*
(9) Et *Seml.*
(10) Impendit *Venet. Rig.* impedit *Rhen. Seml.*
(11) Despice *Rhen.*
(12) Si *omit. Seml.*
(13) De *Seml.*
(14) Hac *Rhen.*

COMMENTARIUS.

exorbitaturum. Item Julius Firmicus *de errore prof. relig.*: *Nec a salutaribus tuis legibus exorbitat nunc consul noster Posthumius.* Le Pr.

CAP. XIV.—(a) *Ibin et crocodilum citius colens.* Ægyptios superstitioni olim præ cæteris gentibus deditos constat, illudque traditur *Apolog.*, 24; nam adeo fuere superstitiosi, ut variis in locis varios sibi Deos statuerint, τὸν Ἄπιν ἐν Μέμφει, ... τὸν τράγον ἐν Μένδητι, τὸν κροκόδειλον ἐν τῇ Μυρίδος λίμνῃ (*Lucianus de astrol.*), *Apin colunt in urbe Memphi, . . . Hircum in urbe Mendete, et crocodilum in palude Myridis.* Clemens Alex. *pædag* III, c. 2. Ubi collatione facta ornatus mulierbris cum templis Ægyptiorum, describit et amplificat templorum structuram, et ornamenta quibus illustrantur: si vero intraveris, inquit, non Deus, sed risu dignum exhibetur spectaculum, οὐ γὰρ θεὸς ὁ ζητούμενος ἔνδον εὑρεθήσεται, ἐφ' ὃν ἐσπεύσαμεν, αἴλουρος δὲ ἢ κροκόδειλος, ἢ αὐτόχθων θήρ, ἢ τι τοιοῦτον θήριον. *Non enim ibi Deus qui requiritur, apparet, ad quem properabamus, sed felis, aut crocodilus, aut serpens indigena, aut tale quidpiam animal.* Sic Diodorus Siculus, lib. I. *Biblioth.*: οἱ μὲν ναοὶ κάλλιστοι, . . . ἐνδὸν δὲ ἂν ἐντύχῃς τὸν θεὸν, ἢ πίθηκός ἐστιν, ἢ ἶβις, ἢ τράγος. ἢ αἴλουρος. *Templa quidem pulcherrima, . . . si vero Deum intus quæsiveris, aut simia est, aut ibis aut hircus, aut felis.* Idem lib. de *Decal.* tradit Philo Judæus. Mitto Cyrillum Alex. *hom. de festis Pasch.*; Pomponium Melam, lib. I; Juvenalem, Sat. 15. Addo tantum ibin avem esse ciconiæ similem, quæ locustas et angues vorat, unde ab Ægyptiis superstitiose colitur, et numinis loco est. Tales bestias infinitas in annalibus refert Constantinus Manasses, et Nilum ipsum Deum sibi finxisse Ægyptios scribit Heliodorus, lib. IX.

Le Pr.

bonum currit bonæ severitatis, sive ira, sive æmulatio, sive sævitia. Debita enim omnia hæc sunt severitatis (1), sicut severitas debitum est justitiæ. Vindicanda erit (2) procacitas ætatis verecundiam debentis. Atque ita non poterunt (3) judici exprobrari quæ judici accidunt (4), carentia et ipsa culpa, sicut et (5) judex. Quid enim, si medicum quidem dicas esse debere, ferramenta vero ejus accuses, quod secent, et inurant, et amputent, et constrictent? quando sine instrumento artis, medicus esse non possit. Sed accusa male secantem, importune amputantem, temere inurentem, atque ita ferramenta quoque ejus, ut mala ministeria, reprehende. Proinde est enim, cum Deum quidem judicem admittis, eos vero motus et sensus, per quos judicat, destruis. Deum nos a Prophetis et a Christo, non a philosophis, nec ab Epicuro, erudimur. Qui credimus Deum etiam in terris egisse, et humani habitus humilitatem suscepisse ex caussa humanæ salutis, longe sumus a sententia eorum qui nolunt Deum curare quidquam. Inde venit ad hæreticos quoque definitio ejusmodi : Si Deus irascitur, et æmulatur, et extollitur, et exacerbatur; ergo et corrumpetur, ergo et morietur. Bene autem quod Christianorum est, etiam mortuum Deum credere, et tamen viventem in ævo ævorum. Stultissimi, qui de humanis divina præjudicant (6), ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcirco et in Deo ejusdem status existimentur. Discerne substantias, et suos eis distribue sensus, tam diversos, quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam et dexteram, et oculos (*a*), et pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis et humani, sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit et animi divini et humani differentia, sub eisdem licet vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ. Certe Deum confiteris creatorem? Certe, inquis. Quomodo ergo in Deo humanum aliquid existimas, et non divinum omne? Quem Deum non negas, confiteris non humanum. Siquidem Deum confitendo, præjudicasti utique illum ab omni humanarum conditionum qualitate diversum. Porro, cum pariter agnoscas hominem a Deo inflatum in animam vivam, non Deum ab homine, satis perversum est, ut in Deo potius humana constituas, quam in homine divina; in hominis imagine Deum imbuas potius, quam Dei hominem. Et hæc ergo imago censenda est Dei in homine, quod eosdem motus et sensus habeat humanus animus, quos et Deus, licet non tales quales Deus. Pro substantia enim, et status eorum, et exitus distant. Denique, contrarios eorum sensus, lenitatem dico, patientiam, misericordiam, ipsamque matricem earum bonitatem, cur divina præsumitis? Nec tamen perfecte ea obtinemus, quia solus Deus perfectus. Ita et illas species, iræ dico (7) et exasperationis (8), non tam feliciter patimur; quia solus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix. Irascetur enim, sed non exacerbabitur (9), sed non periclitabitur : movebitur, sed non evertetur. Omnia necesse est adhibeat propter omnia; tot sensus, quot et caussas : et iram propter scelestos, et bilem propter ingratos, et æmulationem propter superbos, et quicquid non expedit malis. Sic et misericordiam propter errantes, et patientiam propter non resipiscentes, et præstantiam propter merentes (*b*), et quidquid bonis opus est. Quæ omnia patitur suo more, quo cum pati condecet, propter quem homo eadem patitur, æque suo more.

CAPUT XVII.

Hæc itaque dispecta totum ordinem Dei judicis operarium, et (ut dignius dixerim) protectorem catholicæ et summæ illius bonitatis (*c*) ostendunt : quam semotam a judicariis sensibus, et in suo statu puram nolunt Marcionitæ in eodem Deo agnoscere, pluentem super bonos et malos, et solem suum oriri facientem (10) super justos et injustos (*Matth.*, V, 45) : quod alius Deus omnino non præstat. Nam etsi hoc quoque testimonium Christi in Creatorem Marcion de Evangelio eradere ausus est, sed ipse mundus inscriptus est (*d*), et omni a conscientia legitur; et erit hæc ipsa patientia creatoris in judicium (11) Marcionis : illa patientia, quæ exspectat pœnitentiam potius peccatoris, quam mortem; et mavult misericordiam, quam sacrificium (*Os.*, VI, 6); avertens jam destinatum exitium Ninivitis, et largiens spatium vitæ Ezechiæ lacrymis, et restituens statum regni Babylonis tyranno pœnitentiam (12) functo. Illam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Severitati *Rig.*
(2) Erat *Jun.*
(3) Potuerunt *alii.*
(4) Accedunt *Venet. Seml.*
(5) Et *negl. Seml.*
(6) Prædicant *Paris. Fran.*
(7) Prædico *pro* iræ dico *Seml. mendose.*
(8) Exasperationes *id.*
(9) Æmulabitur *inseri vult Jun.*
(10) Pluenti... facienti *conjic. Sem.*
(11) Indicium *Paris.*
(12) Pœnitentia *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI. — (a) *Nam et dexteram et oculos.* B. Augustinus lib. *de præsentia Dei ad Dardanum*, latissime tractat quomodo Deo attribuuntur *dextra, oculi et pedes.* Scripturas autem, ex quibus id desumptum est, ad marginem annotavimus. Est ejusdem argumenti liber incerti auctoris, fortassis Rhabani inter opera B. Hieronymi tom. IV. PAM.

(b) *Et præstantiam propter merentes.* Qua scilicet præstat præmia vel supplicia. RIG.

CAP. XVII. — (c) *Catholicæ et summæ illius bonitatis.* Catholicam bonitatem proprie accipit, pro ea quæ per totum orbem terrarum diffusa est, de quo nomine latius lib. *de Præscript.* PAM.

(d) *Sed ipse mundus inscriptus est.* Catholica illa et summa Dei bonitas inscripta est in mundi tabulis. RIG.

dico misericordiam, quæ et filium Saulis moriturum (*a*) ex devotione populo concessit : et David, delicta in domum Uriæ confessum, venia liberavit : et ipsum Israel toties restituit, quoties judicavit ; toties refovit, quoties et increpuit. Non solum igitur judicem aspiciens, convertere et ad optimi exempla. Notans (1) cum ulciscitur, considera cum indulget. Repende austeritati lenitatem : cum utrumque conveneris in Creatore, invenies in eo et illud, propter quod alterum Deum credis. Veni denique ad inspectationem doctrinarum, disciplinarum, præceptorum, consiliorumque ejus. Dices forsitan, hæc etiam humanis legibus determinari. Sed ante Lycurgos et Solonas omnes, Moses et Deus. Nulla posteritas non a primordiis accipit. Tamen non a tuo Deo didicit Creator meus præscribere (2) : *Non occides ; non adulterabis ; non furaberis ; non falsum testimonium dices ; alienum non concupisces ; honora patrem et matrem ;* et : *diliges proximum tuum ut temetipsum.* Ad hæc innocentiæ, pudicitiæ, et justitiæ, et pietatis principalia consulta, accedunt etiam humanitatis præscripta : cum septimo quoque anno servitia libertate solvuntur (*Levit.*, XXV) ; cum eodem tempore agro parcitur, egenis cedendo locum ; bovi etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præsentis laboris, quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.

CAPUT XVIII.

Sed quæ potius legis bona defendam, quam quæ hæresis concupiit, ut talionis definitionem, oculum pro oculo, dentem pro dente, et livorem pro livore repetentis (*Exod.*, XXI, 24) ? Non enim injuriæ mutuo exercendæ licentiam sapit, sed in totum cohibendæ violentiæ prospicit, ut quia durissimo et infideli in Deo populo longum, vel etiam incredibile videtur a Deo exspectare defensam (*b*), edicendam postea per Prophetam : *Mihi defensam, et ego defendam, dicit Dominus* (*Deuter.*, XXXII, 35 ; *Rom.*, XII, 19) : interim commissio injuriæ metu vicis statim occursuræ repastinaretur, et licentia retributionis prohibitio esset provocationis ; ut sic improbitas astuta (3) cessaret, dum, secunda permissa, prima terretur, et prima deterrita, nec secunda committitur, qua (4) et alias facilior timor talionis per eumdem saporem passionis. Nihil amarius quam idipsum pati, quod feceris aliis. Et si lex aliquid cibis detrahit, et immunda pronuntiat animalia quæ aliquando benedicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige, et frænos impositos illi gulæ agnosce, quæ cum panem ederet angelorum, cucumeres et pepones Ægyptiorum desiderabat. Agnosce simul et (*c*) comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum, quæ fere ventris castigatione frigescunt. *Manducaverat enim populus et biberat, et surrexerat ludere* (*Exod.* XXXII, 6). Proinde, ut et pecuniæ ardor restingueretur (5) ex parte, qua de victus necessitate caussatur, pretiosorum ciborum ambitio detracta est : postremo, ut facilius homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis et (*d*) non gloriosis escis assuefactus, et nihil de lautioribus esuriturus. Reprehendendus sane Creator, quod cibos potius populo suo abstulit, quam ingratioribus Marcionitis. (*e*) Sacrificiorum quoque onera, et operationum, et oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi proprie desideraverit, qui tam manifeste exclamat : *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum ? Et quis exquisivit ista de manibus vestris* (*Is. I.* II) ? sed illam Dei industriam sentiat, qua populum pronum in idololatriam et transgressionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret.

CAPUT XIX.

Sed et in ipsis commerciis vitæ et conversationis humanæ domi ac foris, adusque curam vasculorum omnifariam distinxit, ut istis legalibus disciplinis occurrentibus ubique, ne ullo (6) momento vacarent a Dei respectu. (*f*) Quid enim faceret beatum hominem, *quam in lege Domini voluntas ejus, et in lege Domini meditabitur die ac nocte* (*Ps.* I, 2) ? Quam legem non duritia promulgavit auctoris, sed ratio summæ benignitatis, populi potius duritiam edomantis, et rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis : ut nihil de arcanis attingam significantiis (7) legis, spiritalis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nota *Paris. Fran.*
(2) Proscribere *Venet. Rig.*
(3) Æstuata *olim legeb.*
(4) Quia *Jun.*
(5) Restringueretur *olim legeb.*
(6) Ulli *Seml.* illi *Pamel. Fran. Rhen.* ulli momenta *Jun.*
(7) Significantis *Rig. Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quæ et filium Saulis moriturum.* Hic loquitur de Jonatha quem populus liberavit e manibus Saulis patris, sicuti habetur I Reg. XIV. Illis autem verbis, *et ipsum Israel toties restituit, quoties judicavit*, alludit ad lib. Judicum cap. III, IV, VI et X. PAM.

CAP. XVIII. — (b) *Defensam.* Id est, ultionem seu vindictam. EDD.

(c) *Comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ.* Ejusdem sensus est inter præcepta Dionysii Catonis, *Indulgere gulæ noli, quæ penis amica est.* RIG.—*Comitibus gulæ libidini scilicet atque luxuriæ.* En etiam ab auctore usitatas *gulam et luxuriam*, sicut hodie accipiuntur a scholasticis doctoribus, cum de peccatis loquuntur capitalibus. Haud aliter autem dixit alicubi B. Hieronymus : *Venter vino æstuans facile despumat in libidinem.* PAM.

(d) *Non gloriosis escis assuefactus.* Gloriosas vocat escas, quibus gloriantur nonnulli, nunc ob raritatem, nunc ob pretium. RHEN.

(e) *Sacrificiorum onera.* Hæc sacrificiorum onera, atque has operationum et oblationum negotiosas scrupulositates in *de Præscrip. hæretic.* apte vocavit *morositatem Judaæ.* RHEN.

CAP. XIX. — (f) *Quid enim faceret beatum hominem.* Usurpat Auctor *hominem*, pro *viro* : nam et græcæ et latinæ, ac hebraicæ, chaldaicæque voces virum significant, initio psal. I : usurpatur similiter a vulgo Gallorum. Pulchra est autem metaphora *rudem fidem operosis officiis dedolantis.* PAM.

scilicet et propheticæ, in omnibus pene argumentis figuratæ. Sufficit enim in præsenti, si simpliciter hominem Deo obligabat, ut nemo eam reprobare debeat, nisi cui non placet Deo servire. Ad hoc beneficium, non onus legis adjuvandum, etiam Prophetas eadem bonitas Dei ordinavit, docentes Deo digna : (a) *Auferre nequitias de anima, discere benefacere,* (b) *exquirere judicium, judicare pupillo, et justificare viduam, dirigere* (1) *quæstiones,* (c) *fugere* (2) *improborum contactum* (3), (d) *dimittere conflictam* (4) *in integram, dissipare scripturam injustam* (*Is.* LVIII, 1), *infringere panem esurienti, et tectum non habentem inducere in domum tuam ; nudum si videris, contegere, et domesticos seminis tui non despicere : compescere linguam a malo, et labia ne loquantur dolum* (*Ps.* XXXIII, 13) ; *declinare a malo, et facere bonum ; quærere pacem, et sectari eam ; irasci et non delinquere* (*Ps.* IV, 5), id est, in ira non perseverare, sive sævire ; *non abire in concilium impiorum, nec stare in via peccatorum, nec in cathedra pestilentiæ sedere* (*Ps.* I, 1). Sed ubi ? Vide : *quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Ps.* CXXXII, 1), *meditantes die ac nocte in lege Domini ;* quia *bonum* scilicet *fidere in Dominum, quam fidere in hominem, et sperare in Dominum, quam sperare in principes* (*Ps.* CXVII, 7—8). Qualis enim apud Deum merces homini ? *Et erit tanquam lignum quod plantatum est juxta exitus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo ; et folium ejus non decidet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur illi* (*Ps.* I, 3). *Innocens autem et purus corde, qui non accepit in vanum nomen Dei, et non juravit* (5) *ad proximum suum in dolo, iste accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutificatore suo* (6) (*Ps.* XXIII, 4). *Oculi enim Domini super timentes eum, sperantes in misericordiam ipsius,* (e) *ad eliberandas* (7) *animas eorum de morte,* utique æterna, *et nutricandos eos in fame* (*Ps.* XXXII, 18), utique vitæ æternæ. *Multæ* enim *pressuræ justorum, et ex omnibus liberabit eos Dominus* (*Ps.* XXXIII, 19). *Honorabilis mors in conspectu Domini sanctorum ejus* (*Ps.* CXV, 15). *Dominus custodit omnia ossa eorum* (8) : *unum ex ipsis non comminuetur. Redimet* (9) *Dominus animas servorum suorum* (*Ps.* XXXIII, 21-23). Pauca ista de tantis scripturis Creatoris intulimus, et nihil puto jam ad testimonium Dei optimi deest (10), quod satis et præcepta bonitatis, et promissa consignant.

CAPUT XX.

Sed enim (f) sepiæ (11) isti, quorum figura illud quo- que pisculentum de cibis Lex recusavit, ut traductionem sui sentiunt, tenebras hinc blasphemiæ intervomunt, atque ita intentionem uniuscujusque jam proximam dispargunt, jactitando (12) et asseverando ea quæ relucentem bonitatem Creatoris infuscent. Sed et per istas caligines sequemur nequitiam, et in lucem extrahemus ingenia tenebrarum, objicientia Creatori vel maxime fraudem illam et rapinam auri et argenti, mandatam (13) ab illo Hebræis in Ægyptios. Age, infelicissime hæretice, teipsum expostulo arbitrum : cognosce in utramque gentem prius, et ita de auctore præcepti judicabis. Reposcunt Ægyptii de Hebræis vasa aurea et argentea ; (g) contra Hebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes sibi quoque eorumdem patrum nomine, ex eodem scripturæ instrumento mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus et villis ædificatis. Quid judicabis, optimi Dei elector ? Hebræos fraudem agnoscere debere, an Ægyptios compensa-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Diligere *Venet.*
(2) *Forte* Frangere.
(3) Contractum *Pam.*
(4) In *abest Pamel. Seml.*
(5) Intravit *alii.*
(6) Salutari *alii.*
(7) Deliberandas *Seml.* liberandas *Latin.*
(8) Ossa eorum, et *Seml.*
(9) Redemit *Seml.*
(10) Deesse *Pamel. Seml.*
(11) Sæpe *olim legale.*
(12) Jactando *Seml.*
(13) Mandata *Pamel. Seml.* mandatas *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Auferre nequitias de anima.* Citat istud secundum LXX ex Isaiæ cap. I, excepto quod omittit (quod tamen etiam habent Hebrææ, chaldaicæ, et latinæ editiones) *liberare injuria oppressum.* Præterquam quod addat, *diligere quæstiones*, sed potius (sicuti castigo ex animadversione Joan. Harrisii angli) *dirigere*, nam hoc frequentissimum est Auctori, forte loco illius : *venite et disceptemus*, pro quo B. Hieronymus ex Hebr. : *et arguite me ;* quod interpretantur Chrysostomus et Procopius in Comment, ut audacter qui bonum opus fecerit cum Deo disceptet, quomodo etiam Auctor intelligere videtur. Si adderetur, *cum Deo*, clarius foret. Pam.

(b) *Exquirere judicium.* Exquisito ac perspecto utriusque partis jure. Rig.

(c) *Fugere improborum contactum.* In Pithœano cod. et Rhenani editionibus legitur *contactum*, quod sane fugiendi verbo magis convenit. Pamelius mutavit ; sic ratus aptasse græcis quæ apud Esaiam leguntur cap. LVIII, συνδεσμον ἀδικιας. Sed illic habetur, λυε παντα σύνδεσμον ἀδικιας. Itaque aliud sibi voluit Septimius. Rig.

(d) *Dimittere conflictam in integram.* Sic habent exemplaria vetera. Apud Esdram, post ea verba, *Viduam justifica, pupillo judica*, statim sequitur, *Confractum et debilem cura.* At Isaias dixit, ἀποστελλα τεθραυσμενους ἐν ἀφεσει. Et hæc omnia sunt a Septimio satis negligenter citata. Rig.

(e) *Ad eliberandas animas eorum.* Sic legitur in Pithœano. Rig.

CAP. XX. — (f) *Sed enim sepiæ isti.* Eleganter et apposite hæreticos Martionitas sepiis comparat. Nam ut Plinius tradit lib. 9, cap. 29, Sepiæ, piscium genus est, ubi sensere se apprehendi, effuso atramento quod pro sanguine iis est, infuscata aqua absconduntur. Eodem modo hæretici Marcionitæ, ubi traductionem sui sentiunt, hoc est, cum erroris arguuntur convincunturque, tenebras huic blasphemiæ intervomunt, ut atramentum sepiæ, atque ita arguentem impediunt et avertunt, allegando quæ bonitatem Creatoris infuscent obnubilentque. Rhen.

(g) *Contra Hebræas mutuas petitiones instituunt.* Sic Alexander Imperator l. 1 c. Rer. amotar. *Non enim prius exsolvi, quod debere te constitcrit, æquum est, quam petitioni mutuæ responsum fuerit.* Rig.

tionem? (a) Nam et aiunt ita actum per legatos utrinque; Ægyptiorum quidem repetentium vasa, Judæorum vero reposcentium operas suas: et tandem vasis istis (b) (1) renuntiaverunt sibi Ægyptii. Hodie adversus Marcionitas amplius allegant. Hebræi, negantes compensationi satis esse quantumvis illud auri et argenti, si sexcentorum millium operæ per tot annos vel singulis nummis diurnis æstimentur. Quæ autem pars major? repetentium vasa, an incolentium villas et urbes? Querela ergo mare Ægyptiorum, (c) an gratia Hebræorum? Ut solo injuriarum judicio Hebræi Ægyptios reperculerent, liberi homines in ergastulum subacti, ut solas scapulas suas scribæ eorum apud subsellia sua ostenderet flagellorum contumeliosa atrocitate laceratas: non paucis lancibus et scyphis, pauciorum utique divitum ubique, sed totis et ipsorum facultatibus, et popularium omnium collationibus satisfaciendum Hebræis pronuntiasses (2)? Igitur si bona Hebræorum causa, bona jam et causa, id est, mandatum Creatoris, qui et Ægyptios gratos fecit nescientes, et suum populum, in tempore expeditionis angusto, aliquo solatio tacitæ compositionis expunxit. Plane minus exigi jussit: Hebræis enim (3) etiam filios Ægyptii restituere debuerant.

CAPUT XXI.

Sic et in cæteris contrarietates præceptorum ei exprobras, ut mobili et instabili; prohibentis sabbatis operari, et jubentis arcam circumferri per dies octo, id est, etiam sabbato, in expugnatione civitatis Hiericho. Nec sabbati enim inspicis legem, opera humana, non divina prohibentem. Siquidem, *Sex*, inquit (*Exod.* XX, 9, 10), *diebus operare, et facies omnia opera tua, septima autem die sabbati* (4) *Domino Deo tuo; non facies in ea omne opus.* Quod? Utique tuum (5). Consequens enim est, ut ea opera sabbato auferret, quæ sex diebus supra induxerat: tua scilicet, id est, humana, et quotidiana. Arcam vero circumferre, neque quotidianum opus videri potest, neque humanum; sed et rarum, et sacrosanctum, et ex ipso tunc Dei præcepto utique divinum. Quod et ipse quid significaret edissererem, nisi (6) longum esset figuras argumentorum omnium Creatoris expandere, quas forsitan nec admittis. Sed plus est, si de absolutis revincamini, simplicitate veritatis, non curiositate: sicut et nunc certa distinctio est sabbati, humana, non divina opera prohibentis. Ideoque qui sabbatis lignatum ierat, morti datus est: suum enim opus fecerat, lege interdictum. Qui vero arcam sabbatis circumtulerant, impune gesserunt: non suum enim opus, sed Dei (7), ex præcepto scilicet ipsius, administraverant.

CAPUT XXII.

Proinde et similitudinem vetans fieri omnium quæ in cœlo et in terra et in aquis, ostendit et caussas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes (8). Subjicit enim: *Non adorabitis, neque servietis illis.* Serpentis autem ænei effigies, postea præcepta Mosi a Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos qui a serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedii Sic et Cherubim et Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum, certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diversas habendo caussas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur. Diximus de sacrificiorum rationali institutione, avocantis (9) scilicet ab idolis ad Deum officia ea, quæ si rursus ejecerat, dicens (*Ps.* I, 11): *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrum?* hoc ipsum voluit intelligi, quod non sibi ea proprie exegisset: (d) *Non enim bibam*, inquit (*Ps.* XLIX, 13), *sanguinem taurorum*; quia et alibi ait (*Is.*, XL, 28): *Deus æternus non esuriet, nec sitiet.* Nam etsi ad oblationes Abel advertit (10), et holocausta Noe odoratus est libenter (11), quæ jucunditas sive viscerum vervecinorum, sive nidoris ardentium victimarum? Sed animus simplex et Deum metuens offerentium ea quæ a Deo habebant, et pabuli et suavis olentiæ gratia (12) apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exigentis, sed illud propter quod fiebant, ob honorem scilicet Dei. Si cliens diviti aut regi nihil desideranti, tamen aliquid vilissimi munusculi obtulerit, quantitas et qualitas muneris infuscabit divitem et regem, an delectabit titulus officii? At si cliens ei munera ultro, vel etiam dicto (13) ordine suo offerat, et solemnia regis observet, non ex fide tamen, nec corde puro, nec pleno circa cætera quoque obsequia, nonne consequens ut rex ille vel

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et tamen has justitia *Seml. Pamel.*
(2) Hebræus pronuntiasset *Paris. Rhen.* hebræos pronuntiasses, *cod. Wouw.* hebræis pronuntiasset *Seml.*
(3) Enim *negl. Seml.*
(4) Sabbatiza *Paris.*
(5) Quod utique tuum *Seml. prave corrig.*
(6) Ni nimis *Seml.*
(7) Enim, sed Dei opus *Rig. Venet.*
(8) Quæ substantiam cohibentes *Seml. Rhen.* substantiam cohibens *cod. Ursini.* quasi *pro* quæ *conjic. Seml.* cohibent *pro* cohibentes *Rhen.*
(9) Avocanti *Seml.* avocante *Pamel.*
(10) Advertis *aliqui.*
(11) Libenter *abest a quibusd.*
(12) Gratiæ *Jun. Seml.*
(13) Edicta *Rig. Venet.* vel ex edicta *Lat. Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nam et aiunt ita actum per legatos.* Ait vero Moses. Rig.

(b) *Renuntiaverunt sibi Ægyptii.* Videtur ironia esse, Ægyptios videlicet juste renuntiasse operas Hebræorum, hoc est, mercedem pro operis debitam denegasse. Rhen.

(c) *An gratia Hebræorum.* Quæ eis debebatur, et quam meruerant, id est merces. Rhen.

CAP. XXII.—(d) *Non enim bibam, inquit, sanguinem taurorum.* Deflectit hic Tertullianus a Vulgata lectione nostra, in qua Psal. XLIX: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Sed nullius id momenti est. Innuebat autem Deus se non cæremoniis seu ritibus quibusdam placari, sed tantum sincero cordis affectu. Le Pa.

dives exclamet: *Quo mihi multitudinem munerum tuorum? plenus sum*; et: *Solemnitates, et dies festos* (a), *et vestra sabbata odit anima mea* (1). *Vestra* dicendo, quæ secundum libidinem suam, non secundum religionem Dei celebrando (2), sua jam, non Dei, fecerant, conditionalem idcirco et rationalem demonstravit recusationem eorum quæ administranda (3) præscripserat.

CAPUT XXIII.

Si vero etiam circa personas levem (4) vultis intelligi, cum reprobat aliquando probatos; aut improvidum, cum probat quandoque reprobandos, quasi judicia sua aut damnet præterita, aut ignoret futura; atquin nihil tam bono et judici convenit, quam pro præsentibus meritis et rejicere et allegere. Allegitur (5) Saul, sed nondum despector prophetæ Samuelis. Rejicitur Salomon, sed jam a mulieribus alienis possessus, et idolis Moabitarum et Sidoniorum mancipatus. Quid faceret Creator, ne a Marcionitis reprehenderetur? (*b*) Bene adhuc agentes prædamnaret jam propter futura delicta? sed Dei boni non erat, nondum merentes prædamnare. Proinde peccantes nunc non recusaret propter pristina benefacta? Sed justi judicis non erat, rescissis (6) jam bonis pristinis scelera donare. Aut quis hominum sine delicto, ut eum Deus semper allegeret (7), quem nunquam posset recusare? vel quis item sine aliquo bono opere, ut eum Deus semper recusare, quem nunquam posset allegere (8)? Exhibe bonum semper, et non recusabitur: exhibe malum semper (9), et nunquam allegetur (10). Cæterum, si idem homo, ut in utroque pro temporibus, (*c*) in utroque dispungetur a Deo, et bono, et judice, qui non levitate aut improvidentia sententias vertit; sed censura gravissima et providentissima, merita temporis cujusque dispensat.

CAPUT XXIV.

Sic (*d*) et pœnitentiam apud illum (11) prave interpretaris, quasi proinde mobilitate vel improvidentia, imo jam ex delicti recordatione pœniteat: quoniam quidem dixerit (I *Reg.* XV, 11): *Pœnituit quod regem fecerim Saul*; præscribens scilicet, pœnitentiam confessionem sapere mali operis alicujus vel erroris. Porro non semper. Evenit enim in bonis factis pœnitentiæ confessio, ad invidiam et exprobrationem ejus qui beneficii ingratus exstiterit, sicut et tunc circa personam Saulis honorandam annuntiatur a Creatore, qui non deliquerat, cum Saulem assumit in regnum, et Sancto Spiritu auget; optimum enim adhuc: qualis, inquit, non erat in filiis Israelis, dignissime allegerat, sed nec ignoraverat ita eventurum, nemo enim te sustinebit improvidentiam adscribentem Deo ei, quem Deum non negans, confiteris et providum. Hæc enim illi propria divinitas constat, sed malum factum Saulis (ut dixi) onerabat pœnitentiæ suæ professione; quam, vacante delicto circa Saulis allectionem, consequens est invidiosam potius intelligi, non criminosam. Ecce, inquis, criminosam eam animadverto circa Ninivitas, dicente scriptura Jonæ (*Joan.* III, 10): *Et pœnituit Dominum de malitia quam dixerat facturum se illis, nec fecit.* Sicut et ipse Jonas ad Dominum (12): *Propterea prævent profugere in Tharsos, quia cognoveram te esse misericordem et miserescentem, patientem, et plurimum* (13) *misericordiæ, pœnitentem malitiarum* (*Joan.* IV, 2). Bene igitur quod præmisit optimi Dei titulum, patientissimi scilicet super malos, et abundantissimi (14) misericordiæ et miserationis super agnocentes et deplangentes delicta sua, quales tunc Ninivitæ. Si enim optimus qui talis, de isto prius cessisse debebis, non competere in talem, id est optimum, etiam malitiæ concursum. Et quia (15) Marcion defendit arborem bonam malos quoque fructus non licere producere (*Matth.* VII, 18), sed malitiam tamen nominavit, quod optimus non capit, numquid aliqua interpretatio subest etiam (16) earum malitiarum intelligendarum, quæ possint et in optimum decucurrisse? Subest autem. Dicimus denique malitiam nunc significari, non quæ ad naturam redigatur Creatoris quasi mali, sed quæ ad potestatem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Odit anima mea. Vestra *omitt. Seml.*
(2) Celebrant Deo *quidam.*
(3) Administrando *Paris.*
(4) Legum *alii mendose.*
(5) Eligitur *Seml.*
(6) Recisis *alii.*
(7) Eligerit *Seml.*
(8) Eligere *Seml.*
(9) Semper *omitt. Seml.*
(10) Eligitur *id.*
(11) Deum *Seml.*
(12) Deum *Seml.*
(13) Plurimæ *Lat.*
(14) Abundantissimæ *alii.*
(15) Et *inser. Seml. Jun.*
(16) Etiam *negl. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et vestra sabbata odit anima mea.* Non soli Judæi in verbis istis comprehenduntur. Omnes fere nationes aliæ diem illum observarunt. Ovidius satis testatur de Romanis I. de *arte*:

Culta Palæstino septima festa viro.

et Macrobius, lib. I Saturnal., cap. 7:

Maxima pars Graium Saturno, et maximæ Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.

Quoniam vero iis diebus genio indulgere solitum erat, Sidonius Apoll., lib. II, ep. 2, luxum sabbatarium vocat, loquens de luxu et conviviis Gothorum. Unde cynicus Antisthenes ἑορτὴν γαστριμαργίας ἀφορμὴν vocat: et apud Isidorum Pelus. σάββατον πᾶσαν ἑορτὴν καλοῦσιν. LE PR.

CAP. XXIII. — (b) *Bene adhuc agentes prædamnaret*, etc. Istud omnino legi debet interrogative, quia ex sententia loquitur Marcionitarum, cui apte respondet: *Sed Dei boni non erat, nondum merentes prædamnare. Proinde peccantes nunc non recusaret propter pristina beneficia.* Neque enim præscientia meritorum caussa est divinæ prædestinationis, sicuti hæretice sentiebat Pelagius; de qua re ne prolixior sim, videat lector Sixtum Senensem, *Biblioth. sanctæ* lib. VI. PAM.

(c) *In utroque dispungetur.* Hoc est, in utroque ei satisfiet, in utroque mercedem accipiet. RHEN.

CAP. XXIV. — (d) *Sic et pœnitentiam*, etc. Supplevimus dictionemquæ decrat magno sensus incommodo, scripsimusque, *apud illum*, hoc est. apud Creatorem. RHEN.

quasi judicis, secundum quam enuntiarit (*Is.* XLV, 7): *Ego sum qui condo mala*, et: (*a*) *Ecce ego emitto in vos mala* (*Jerem.* XVIII, 11), non peccatoria, sed ultoria; quorum satis diluimus infamiam, ut congruentium judici. Sicut autem, licet mala dicantur, non reprehendentur in judice, nec hoc nomine suo malum judicem ostendunt; ita et malitia hæc erit intelligenda nunc, quæ ex illis malis judicariis deputata, cum ipsis competat judici. Nam et apud Græcos interdum malitiæ pro vexationibus et læsuris, non pro malignitatibus ponuntur (1), sicut et in isto articulo; atque adeo, si ejus malitiæ pœnituit Creatorem, quasi creaturæ reprobandæ scilicet, et deletui (2) vindicandæ. Atqui nec (3) ullum admissum criminosum reputabitur Creatori, qui iniquissimam civitatem digne meritoque decreverat abolendam. Ita, quod juste destinaverat, non male destinans, ex justitia non ex malitia destinarat; sed pœnam ipsam malitiam nominavit, ex malo et merito (4) passionis ipsius. Ergo, dices, si malitiam justitiæ nomine excusas, quia juste exitium destinarat in Ninivitas, sic quoque culpandus est, qui justitiæ, utique non pœnitendæ, pœnitentiam gessit. Imo nec justitiæ, inquam (5), pœnitebit Deum, et superest jam agnoscere quid sit pœnitentia Dei. Non enim, si hominem (*b*) ex recordatione plurimum delicti, interdum et ex alicujus boni operis ingratia pœnitet, ideo et Deum proinde. In quantum enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat, in tantum nec pœnitentiæ boni aut mali apud eum locus est. Nam et hoc tibi eadem scriptura determinat, dicente Samuele Sauli (I *Reg.* XV, 28): *Discidit Dominus regnum Israel de manu tua hodie, et dabit illud proximo tuo, optimo super te; et scindetur Israel in duas partes, et non convertetur, neque pœnitentiam aget, quia non sicut homo est ad pœnitendum.* Hæc itaque definitio in omnibus aliam formam divinæ pœnitentiæ statuit, quæ neque ex improvidentia, neque ex ulla boni aut mali operis damnatione reputetur, sicut humana. Quis ergo erit mos pœnitentiæ divinæ? Jam relucet, si non ad humanas conditiones eam referas. Nihil enim aliud intelligetur, quam simplex conversio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti, etiam in homine, A nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa. (*c*) Nam et in græco sono, pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum (6) est, quam apud Deum pro rerum variantium sese occursu fieri (7) ostendimus.

CAPUT XXV.

Jam nunc ut omnia ejusmodi expediam, ad cæteras pusillitates, et infirmitates, et incongruentias (ut putatis) interpretandas purgandasque pertendam. Inclamat Deus (*Gen.* III): *Adam, ubi es?* scilicet ignorans ubi esset? et caussato nuditatis pudore, an de arbore gustasset interrogat, scilicet incertus? Imo nec incertus admissi, nec ignarus loci. Enimvero oportebat conscientia peccati delitescentem, evocatum prodire (8) in conspectum Domini, non sola nominis inclamatione, sed cum aliqua jam tunc admissi suggillationem. Nec enim simplici modo, id est, interrogatorio sono legendum est, *Adam ubi es* (9)? sed impresso et incusso, et imputativo, *Adam, ubi es?* id est, in perditione es; id est, jam hic non es; ut et (10) increpandi et dolendi exitus vox sit. Cæterum, qui totum orbem comprehendit manu velut nidum, cujus cœlum thronus, et terra scabellum, nimirum hujus oculos aliqua paradisi portio evaserat, quo minus illi ubicumque Adam ante evocationem viseretur, tam latens, quam de interdicta fruge sumens? Speculatorem vineæ vel horti tui lupus aut furunculus non latet. Deum puto de sublimioribus oculatiorem aliquid subjecti præterire non posso. Stulte qui tantum argumentum divinæ majestatis, et humanæ instructionis, naso agis. Interrogabat (11) Deus quasi incertus, ut (12) et hinc (13) liberi arbitrii probans (14) hominem, in caussa aut negationis aut confessionis (15) daret ei locum sponte confitendi delictum, et hoc nomine relevandi (16), sicut de Cain sciscitatur, ubinam frater ejus; quasi non jam vociferatum a terra sanguinem Abelis audisset: sed ut et ille haberet potestatem ex eadem arbitrii potestate sponte negandi delicti, et hoc nomine gravandi; atque ita nobis conderentur exempla confitendorum potius delictorum, quam negandorum: ut jam tunc initiaretur evangelica doctrina (*Matth.* XII, 37): *Ex ore tuo justificaberis* (17), *et ex ore tuo damnaberis* (18).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ponunt *olim legeb.*
(2) Ob delictum *Rhen.* delitus *Paris.* deletu *alii.*
(3) Hic *inser. Seml.*
(4) Et *inserit Seml.*
(5) Unquam *Rhen.*
(6) Comparatum *alii.*
(7) Regi *Venet. Rig.* rei *cod. Pithœ.* occursura, ostendimus *Pamel. Fran.*
(8) Prodere *Rig. Venet.*
(9) Ubi es, Adam *alii.*
(10) Et *abest Paris.*
(11) Interrogat *Seml.*
(12) Ut *abest Pamel.*
(13) Hic *Rig. Venet. Seml.*
(14) Improbans *Rhen.*
(15) Ut *inser. Seml. Pamel.*
(16) Revelandi *Par.*
(17) Conjustificaberis *Rhen.*
(18) Condemnaberis *alii ex Vulgata.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ecce ego emitto in vos mala*, etc. Multi sunt ejusmodi loci in Scripturis, quibus legitur: *inducam super eos malum, seu mala*, nempe III Reg., IX, 4; III Reg., II, 21; II Paralip., VII. PAM.

(b) *Ex recordatione plurimum delicti.* Plurimum adverbialiter, pro *ut plurimum.* Terentius in Phormione: *Domum ire pergam, ubi plurimum est.* Sic etiam Noster supra locutus est. Latini *minimum* hoc item modo usurpant. RHEN.

(c) *Nam et in græco sono etc.* Vox μετάνοια, pro quo ex græco *pœnitentia* transfertur, a μετανοεῖν derivatur, quod non delicti confessionem, sed animi demutationem significat, sicut patet ex Xenophonte, initio lib. I. Κύρου παιδείας, et aliis græcis scriptoribus. PAM.

Nam etsi Adam propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salva est, dicente Domino (*Gen.* III, 22): *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis*: de futura scilicet allectione hominis in divinitatem. Denique, quid sequitur? *Et nunc, ne quando extendat manum, et sumat de ligno vitæ, et vivat in ævum.* Interponens enim *et nunc*, præsentis temporis verbum, temporalem et ad præsens dilationem vitæ fecisse se ostendit. Ideoque nec maledixit ipsum Adam, nec Evam, ut (*a*) restitutionis (1) candidatos, ut confessione relevatos. Cain vero et (2) maledixit, et cupidum morte luere delictum, mori interim vetuit, ut præter admissum, etiam negationis ejus (3) oneratum. Hæc erit ignorantia Dei nostri, quæ ideo simulabitur, ne delinquens homo, quid sibi agendum sit, ignoret (4). Sed ad Sodomam et Gomorrham descendens: *Videbo*, ait (*Gen.*, XVIII, 21), *si secundum clamorem pervenientem ad me consummem* (5), *si vero non, ut agnoscam.* Et hic, videlicet, ex ignorantia incertus et scire cupidus? an hic sonus pronuntiationis necessarius, non dubitativum, sed comminativum exprimens sensum sub sciscitationis obtentu? Quod si descensum quoque Dei irrides, quasi aliter non potuerit perficere judicium, nisi descendisset; vide ne tunm æque Deum pulses. Nam et ille descendit, ut quod vellet, efficeret.

CAPUT XXVI.

Sed et jurat Deus. Numquid forte per Deum Marcionis? Imo, inquit, quod multo vanius (6), per semetipsum. Quid velles (7) faceret (8). si alius Deus non erat in conscientia ejus, hoc cum maxime jurantis (9) alium absque se omnino non esse? Igitur pejerantem deprehendis, an vane dejerantem? Sed non potest videri pejerasse, qui alium esse non scivit, ut dicitis. Quod enim scit, hoc dejerans vere, non pejeravit. Sed nec vane dejerat, alium Deum non esse. Tunc enim vane dejeraret, si non fuissent qui alios deos crederent, tunc quidem simulacrorum cultores, nunc vero et hæretici. Jurat igitur per semetipsum, ut vel juranti Deo credas alium Deum omnino non esse. Hoc ut Deus faceret, tu quoque Marcion coegisti: jam tunc enim providebaris. Proinde, si et in promissionibus aut comminationibus jurat, fidem in primordiis arduam extorquens, nihil Deo indignum est, quod efficit Deo credere. Satis et tunc pusillus Deus in ipsa etiam ferocia sua, cum ob vituli consecrationem efferatus in populum, de famulo suo postulat Moyse (*Exod.*, XXXII, 10): *Sine me, et indignatus ira* (10) *disperdam illos, et faciam te in nationem magnam.* Unde meliorem soletis affirmare Moysen Deo suo, deprecatorem, imo et prohibitorem iræ. *Non facies enim*, inquit (11), *istud, aut et me una cum eis impende.* Miserandi (12) vos quoque cum populo, qui Christum non agnoscitis in persona Mosi figuratum, Patris deprecatorem, et oblatorem animæ suæ pro populi salute. Sed sufficit, si et Moysi propric donatus est populus ad præsens. Quod ut famulus postulare posset a Domino, id Dominus a se postulavit. Ad hoc enim famulo dixit: *Sine me, et disperdam illos*, ut ille postulando, et semetipsum offerendo non sineret; atque ita disceres, quantum liceat fideli et prophetæ apud Deum (*b*).

CAPUT XXVII.

Jam nunc ut et cætera compendio absolvam, quæcunque adhuc ut pusilla et infirma et indigna colligitis ad destructionem Creatoris, simplici et certa ratione proponam: Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos et sensus et affectus suscepisset, per quos vim majestatis suæ, intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria; et ita jam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quam salus hominis. De isto pluribus retractarem, si cum ethnicis agerem; quanquam et cum hæreticis non multo diversa (13) congressio stet. Quatenus et ipsi Deum in figura et in reliquo ordine humanæ conditionis deversatum (14) jam credidistis, non exigetis utique diutius persuaderi Deum conformasse semetipsum humanitati, sed de vestra fide revincimini. Si enim Deus, et quidem sublimior, tanta humilitate fastigium majestatis suæ stravit, ut etiam morti subjiceret (15), et morti crucis; cur non putetis nostro

LECTIONES VARIANTES.

(1) Restitutioni *Rhen.*
(2) Et *negl. Rig. Venet.*
(3) Exemplo *Fran.*
(4) Ignoraret *alii.*
(5) Consument *Pam. Venet. Sem.*
(6) Multa vanus, quod *Sem. Pamel.*
(7) Vellet (ut) *Sem.*
(8) Facere *Pam. Par.*
(9) Jurans *Wouw.*
(10) Pro indignatus ira *scrib.* in ira *Rig. Venet.*
(11) Inquit *negl. Sem.*
(12) Miserandos *Jun.* miserando *Rhen.*
(13) Nec cum hæreticis multo *Wouw.* deversa *negl. Sem.*
(14) Diversatum *Rig. Venet.*
(15) Subjiceretur *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXV. — (a) *Restitutionis candidatos.* Primos parentes, quoniam amissam felicitatem recuperaturi erant, vocat restitutionis candidatos: pari loquendi formula alio loco utitur, cum æternitatis candidatos dicit. Candidati supplices erant et ambientes magistratus Romæ; sed et candidati alii fuerunt inter milites, qui veluti prætoriani, seu triarii, aut Principis defensores. Ammianus Marcell., lib. XXV: *Cum Julianus inter belli discrimina versaretur, clamabant hinc inde candidati, quos disjecerat terror, ut fugientem molem, tanquam ruinam male compositi culminis, declinaret.*

Le Pr.

CAP. XXVI.—(b) *Atque ita disceres, quantum licent fideli*, etc. Similiter locum hunc interpretatur, quod nempe multum ponderis habeat oratio sanctorum apud Deum. B. Hieronymus, cap. 28, in Ezech. cap. XIII, et epist. ad Gaudent. Cyrillus Alex., lib. V adv. Julianum. *Atqui si Apostoli et martyres*, inquit B. Hieronymus adv. Vigilantium, ubi hoc ipsum exemplum Moysis adducit, *adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se debent adhuc esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos?* Facit proinde locus iste pro orationibus Sanctorum pro nobis, etiam post hanc vitam; de quibus, uti et de

quoque Deo aliquas pusillitates congruisse, tolerabiliores tamen judaicis contumeliis et patibulis et sepulcris? An hæ sunt pusillitates, quæ jam (1) præjudicare debebunt Christum, humanis passionibus objectum, ejus Dei esse, cui (2) humanitates exprobrantur a vobis? Nam et profitemur Christum semper egisse in Dei Patris nomine; ipsum ab initio conversatum; ipsum congressum cum Patriarchis et Prophetis, Filium Creatoris, Sermonem ejus, quem ex semetipso proferendo filium fecit, et (3) exinde omni dispositioni suæ voluntatique præfecit; diminuens illum modico citra angelos, sicut apud David (4) scriptum est (*Ps.* VIII, 6): qua diminutione in hæc quoque dispositus est a Patre, quæ ut humana reprehenditis, ediscens jam inde a primordio, jam inde hominem, quod erat futurus in fine. Ille est qui descendit; ille, qui interrogat; ille, qui postulat; ille, qui jurat. Cæterum (5), Patrem nemini visum, etiam commune testabitur evangelium, dicente (*Matth.*, XI, 27) Christo: *Nemo cognovit Patrem nisi Filius*; ipse enim et Veteri Testamento pronuntiarat (*Exod.*, XXXIII, 20): *Deum nemo videbit, et vivet;* Patrem invisibilem determinans, in cujus auctoritate et nomine ipse erat Deus, qui videbatur Dei Filius. Sed et penes nos Christus in persona Christi accipitur (*a*), quia et hoc modo noster est. Igitur quæcunque exigitis Deo digna, habebuntur in Patre invisibili incongressibilique (6) et placido, et (ut ita dixerim) philosophorum Deo. Quæcunque autem ut indigna reprehenditis, deputabuntur in Filio, et viso, et audito, et congresso, arbitro Patris et ministro, miscente in semetipso hominem et Deum; in virtutibus, Deum; in pusillitatibus, hominem; ut tantum homini conferat, quantum Deo detrahit: totum denique Dei mei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis. Conversabatur Deus, ut homo divine agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo posset. Deus pusillus inventus est, ut homo maximus fieret. Qui talem Deum dedignaris, nescio an ex fide credas Deum crucifixum. Quanta itaque perversitas vestra erga utrumque ordinem Creatoris? Judicem eum designatis, et severitatem judicis (7) secundum merita causarum congruentem pro sævitia exprobratis. Deum optimum exigitis, et lenitatem ejus benignitati congruentem, pro captu mediocritatis humanæ dejectius conversatam, ut pusillitatem deprætiatis. Nec magnus vobis placet, nec modicus; nec judex, nec amicus. Quid, si nunc (8) eadem et in vestro deprehendantur? Judicem quidem et illum esse jam ostendimus in libello suo; et de judice necessarie severum, et de severo sicut (9) sævum, si tamen sævum.

CAPUT XXVIII.

Nunc et de pusillitatibus, et malignitatibus, cæterisque notis, et ipse adversus Marcionem antitheses æmulas faciam. Si ignoravit Deus meus esse alium super se, etiam tuus omnino non scivit esse alium infra se. Quod enim ait Heraclitus ille tenebrosus (*b*), eadem via sursum et deorsum. Denique si non ignorasset, et ab initio ei occurrisset. Delictum et mortem, et ipsum auctorem delicti diabolum, et omne malum, quod (10) Deus meus passus est esse; hoc et tuus, qui illum pati passus est. Mutavit sententias suas Deus noster. Proinde qua et vester. Qui enim genus humanum tam sero respexit, eam sententiam mutavit, qua tanto ævo non respexit. Pœnitnit in aliquo Deum nostrum. Sed et vestrum. Eo enim quod tandem animadvertit ad hominis salutem, pœnitentiam dissimulationis pristinæ fecit, debitam malo facto. Porro malum factum deputabitur negligentia salutis humanæ, nonnisi per pœnitentiam emendata apud Deum vestrum. Mandavit fraudem Deus noster; sed auri et argenti. Quanto autem homo pretiosior auro et argento, tanto fraudulentior Deus vester, qui hominem Domino et factori suo eripit. Oculum pro oculo reposcit Deus noster; sed et vester vicem prohibens, iterabilem magis injuriam facit. Quis enim non rursus percutiet, non repercussus? Nescit (11) Deus noster quales allegeret? Ergo nec vester Judam traditorem (12) adlegisset, si præscisset. Sic et mentitum alicubi dicis Creatorem: longe majus mendacium est in tuo Christo, cujus corpus non fuit verum. Multos sævitia Dei mei absumpsit? Tuus quoque Deus, quos salvos non facit, utique in exitium disponit. Deus meus (13) aliquem jussit occidi? Tuus semetipsum voluit interfici; non minus homicida in semetipsum,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hinc *inser. Seml.*
(2) Cujus *Pam. Seml.*
(3) Ut *Pam. Seml.*
(4) Eum *Pam. Seml.*
(5) Quia *inser. Seml.* qui *Jun.*
(6) Cognoscibilique *alii.*
(7) Judicii *Wouw.*
(8) Non *Seml. Pamel.* enim *Latin.* quid quod nunc *Wouw.*
(9) Scilicet *Lat.*
(10) Omnem malum quem *Lat. Jun, Seml.*
(11) Nescit *Seml. Pamel.*
(12) Non *inser. Seml. Pamel. et puncto dividunt* vester. Judam.
(13) Meus *abest Fran.*

COMMENTARIUS.

invocatione ipsorum Sanctorum, late tractavimus adnot. nostris in epist. 57, ad Cornelium B. Cypriani. Pam.

CAP. XXVII. — (a) *Sed et penes nos Christus in persona Christi accipitur.* Sic habent exemplaria. Ait autem Septimius: Nemo homo Deum vidit vivens, in persona Patris scilicet. At viderunt homines Patrem in Filio, quia semper egit Filius in Dei Patris nomine. Pater autem et Filius unum sunt, sive unus Deus. Sic Filius ipse erat Deus, quem homines viderunt. Sic Christum nos Christiani, non Marcionitæ, accipimus sive intelligimus Deum in persona Christi; quia et hoc modo noster est Deus. Nam et homo Christus. Rig.

C P. XXVIII. — (b) *Heraclitus ille tenebrosus.* Obscuritatem affectavit adeo philosophus ille, ut inde tenebrosus seu σκοτεινὸς audierit. Atque etiam imminente morte illud loquendi genus retinuit. Cum enim aqua intercute et hydrope laboraret, sci citatus est medicos, an artis suæ industria ex imbre siccitatem facere possent. Hæc refert Laertius, lib. IX. Le Pr.

quam in eum (1) a quo vellet occidi, Multos autem occidisse Deum ejus probabo Marcioni. Nam fecit homicidam, utique periturum, nisi si populus nihil deliquit in Christum. Sed expedita virtus veritatis paucis amat. Multa mendacio erunt necessaria.

CAPUT XXIX.

Cæterum, ipsas quoque antitheses Marcionis cominus cæcidissem, si operosiore destructione earum egeret defensio Creatoris tam boni quam et judicis, secundum utriusque partis et exempla congruentia Deo, ut ostendimus. Quod si utraque pars bonitatis atque justitiæ dignam plenitudinem divinitatis efficiunt omnia potentis, compendio interim possum antitheses retudisse, gestientes ex qualitatibus ingeniorum sive legum sive virtutum discernere, atque ita alienare Christum a Creatore, ut optimum a judice, et mitem a fero, et salutarem ab exitioso. Magis enim eos conjungunt, quos in eis diversitatibus ponunt quæ Deo congruunt. Auser titulum Marcionis (*a*) et intentionem atque propositum operis ipsius, et nihil aliud præstat (2) quam demonstrationem ejusdem Dei optimi et judicis : quia hæc duo in solum Deum competunt. Nam et ipsum studium in eis exemplis opponendi Christum Creatori, ad unitatem magis spectat. Adeo enim ipsa et una erat substantia divinitatibus (3), bona et severa, et eisdem exemplis et in similibus argumentis, ut bonitatem suam voluerit ostendere, in quibus præmiserat severitatem. Quia nec mirum erit (4) diversitas temporalis, si postea Deus mitior pro rebus edomitis, qui retro austerior pro indomitis. Ita per antitheseis facilius ostendi potest ordo Creatoris a Christo reformatus et repercussus, et redditus potius quam exclusus, cum (5) præsertim Deum tuum ab omni motu amariore secernas, utique et ab æmulatione Creatoris scilicet. Nam si ita est, quomodo eum antitheses singulas species Creatoris æmulatum demonstrant, agnoscam igitur et in hoc per illas Deum meum zelotem, qui res suas arbustiores in primordiis (*b*) bona et rationali æmulatione maturitatis præcuraverit suo jure. Cujus antitheses etiam ipse mundus ejus agnoscet, ex contrarietatibus elementorum, summa tamen ratione modulatus. Quamobrem, inconsiderantissime Marcion, alium Deum lucis ostendisse debueras, alium vero tenebrarum, quo facilius alium bonitatis, alium severitatis persuasisses. Cæterum ejus erit antithesis, cujus est et in mundo.

LECTIONES VARIANTES.

(1) In eo *Seml.*
(2) Præstare *Seml. forte* præstaret : præstat *est conjectura Rhenani, quum deinde amplexati sint Pamel. Rigalt Franeq. Paris. Venet.* præstabit, *Jun.*
(3) Divinitatis *conjic. Rhen.*
(4) Erat *Seml. Pamel.*
(5) Cum *omitt. Pamel. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXIX. — (a) *Auser titulum Marcionis.* Scripserat Antitheses seu librum sub hoc titulo ponticus ille : has cum satis impugnasse videtur hic scriptor, ait auferendas esse, dum titulum auferendum scribit. Le Pa.

(b) *Qui res suas arbustiores in primordiis bona et rationali æmulatione maturitatis præcuraverit.* Qui res suas arbustiores præcuraverit, hoc est, robustiores. Qui scilicet non surculos depanxerit, sed jam arbusta, eaque arbustiora, hoc est, jam grandia, quæ fructum proferunt maturius sive celerius multo quam surculi. Rig. — Elegans metaphora; arbustiores enim (sicuti recte adnotavit Rhenanus ad marg., I. edit.) videtur usurpare pro *ferociores*, sumpta metaphora ab arbustis luxuriantibus. Arbustandi enim verbo utitur etiam Plinius. Alioquin putaretur (sed non recte) legendum, *austeriores*. Comparationem autem facit maturitatis Novi Testamenti ad acerbitatem Veteris. Pam.

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

I. *Librum hunc tertium adversus Marcionem scripturus* de Christo, *imprimis Christum non alterius Dei intelligendum, quam Creatoris, præscribit, tum quod præcedentibus libris determinatum sit, alium Deum non credendum quam Creatorem ; tum quod probetur apostolicarum et hæreticarum ecclesiarum recensu, nullam mentionem alterius Dei aut Christi agitatam ante scandalum Marcionis.*

II. *Deinde suspectum esse, quod tam subito venerit Christus Marcionis, antequam Pater de Filio testaretur, mittens de misso.*

III. *Neque vero sufficere, quod se Filium Dei probaturus esset per documenta virtutum ; tum quod temerariam signorum fidem ipse Christus ostendat, etiam apud pseudoprophetas facillimam, tum quod Creator jam ante illum, et per famulos suos virtutes sit operatus.*

IV. *Si autem post Creatorem, illum emendaturus, revelatus sit Christus Marcionis ; debuisse non ante, sed post Christum Creatoris revelari, uti etiam illum emendaret.*

V. *Jam vero Scripturis probaturus Christum Creatoris fuisse, cujus Scripturæ ab eo adimpletæ sint, præfatur, duas causas eloquii prophetici adversariis agnoscendas ; unam, qua futura interdum pro jam transactis annuntiantur ; aliam, qua pleraque figurate portenduntur.*

VI. *Itaque Judaicum errorem pro Marcionitis non facere, qui Christum Creatoris, tanquam extraneum interfecerint ; utpote quos illum ignoraturos, Scripturis*

prædictum sit; idque, quatenus solum hominem arbitrabantur.

VII. *Convinci autem utrosque duobus Christi adventibus, duplici a prophetis habitu demonstratos; quorum priorem, obscuriorem et indigniorem, intelligere et credere non potuerunt.*

VIII. *Posthæc adversus Marcionitas, et alios ipsorum errorum auctores, ab apostolo Joanne antichristos pronuntiatos, Christum defendit vere et in carne venisse, vel ex eo quod alioqui etiam christiani nominis fructus, mors Christi neganda sit, et resurrectio.*

IX. *Neque ipsi suffragari angelos Creatoris, quasi illi in phantasmate putativæ carnis egerint apud Abraham et Lot; et tamen vere sint congressi et pasti; quod ad moriendum pro nobis non essent dispositi.*

X. *Si autem carnem Christus tanquam indignam aspernatus est; dedignandam etiam illi fuisse illius imaginem, eo quod statum sequatur similitudo.*

XI. *Et vero non recte Marcionem putativam in Christo corpulentiam asseruisse, ne nativitatem ejus agnoscere cogeretur; quia poterat etiam putativam illam nativitatem accommodasse; quarum neutrum tamen possit consistere, eo quod Deo magis competat veritas, quam mendacium.*

XII. *Nihil etiam facere contra Christum Creatoris, quod ab Isaia Emmanuel vocandus scribatur; quo nomine non est editus; quia sufficit, quod significatione, non sono, nobiscum Deus fuerit Christus.*

XIII. *Neque etiam per virtutem Damasci, et spolia Samariæ, et regem Assyriorum (quæ Christo accommodat Isaias) bellatorem illum portendi; sed figurari magos Orientales, Christum in infantia auro et thure munerantes.*

XIV. *Nam et abbi (in Psalmis nempe et Apocalypsi Joannis) figurate arma bellica Christo adscribi.*

XV. *Prosequitur deinceps, Christi nomen non competere Christo Marcionis; tum quod proprium sit unius, et tamen etiam Creatoris Christus id nomen habuerit; tum quod ungui non potuerit, qui corpus non habuit, et proinde Christus, id est unctus, vocari nullo modo potuit.*

XVI. *Multo minus nomen Jesu, quem Judæi non expectant, et Christo Creatoris competit, eo quod nihil commune esse debeat Christo alterius Dei cum Christo Creatoris.*

XVII. *Porro iisdem pene verbis, eadem, quæ supra libro adversus Judæos, Scripturarum affert testimonia de contemptibili Christi in passione habitu.*

XVIII. *Item et de exitu ejus per passionem crucis, ex Pentateucho.*

XIX. *Item ex Psalmis et Prophetis.*

XX. *Postremo, probat Christum Creatoris vere Christum fuisse, quod ad illum conversæ sint omnes nationes juxta prædictionem David, quæ tamen neque de illo, neque de filio ejus Salomone possit intelligi.*

XXI. *Etenim non Judæorum modo, sed et nationum vocationem ad Christum Creatoris, pluribus scripturis prædictam esse.*

XXII. *Quippe cum non alterius, sed ejusdem Dei prædicatores Apostolos, et eadem cum Christo passuros tam ipsos, quam omnes fideles, prophetatum sit.*

XXIII. *Verumenimvero, quia cum Judæis negabat Christum venisse Marcion, ostendit exitum (sive exitium) ipsorum, quem ob impietatem in Christum relaturi prædicabantur, jam completum esse. Quod vane fieret, si propter Christum Dei alterius id paterentur, qui ab æmulis illius, nempe potestatibus Creatoris, in crucem actus esset; neque enim potuit Creator ulcisci, nisi suum Christum.*

XXIV. *Denique occasione ejus quod Marcion dicebat, restitutum iri Judæam a Deo suo, remittens lectorem ad* LIBRUM IV. ADVERSUS MARCIONEM *de sinu Abrahæ, et ad* OPUS DE SPE FIDELIUM *de dicta restitutione Judææ, late hic etiam prosequitur millenariorum somnium, de quo latius inter paradoxa Auctoris.*

SCRIPTURUS *Tertullianus adversus opus Marcionis ex contrarietatum oppositionibus antitheses cognominatum, ad separationem Legis et Evangelii coactum, qua duos Deos diversos, alterum Veteris, alterum Novi Testamenti dividebat,*

C. I. *Inprimis diversitatem præceptorum et disciplinarum non negans, in unum et eumdem Deum competere demonstrat; ex eo quod ipse Deus Creator per Prophetas suos aliam legem novam, Evangelii nempe, oriturum prædixerit pro Veteri, ac testamentum æternum pro temporali.*

CAPUT PRIMUM.

Secundum vestigia pristini operis, quod amissum reformare perseveramus, jam hinc ordo de Christo, licet ex abundanti, post decursam defensionem unicæ divinitatis. (*a*) Satis etenim præjudicatum est, Christum non alterius Dei intelligendum, quam Creatoris, cum determinatum est, alium Deum non credendum præter Creatorem, quem adeo Christus prædicaverit, et deinceps Apostoli non alterius Christum annuntiaverint, quam ejus Dei, quem Christus prædicavit, id est Creatoris, ut nulla mentio alterius Dei, atque ita nec alterius Christi agitata sit ante scandalum Marcionis. Facillime hoc probatur apostolicarum et hæreticarum ecclesiarum recensu; illic scilicet pronuntiandam regulæ interversionem, ubi posteritas invenitur, quod etiam primo libello intexui. Sed et nunc congressio ista seorsus (1) Christum examinatura eo utique proficiet, ut dum Christum probamus Creatoris, sic quoque deus excludatur Marcionis. Decet veritatem totis viribus uti suis, (*b*) non ut laborantem.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Seorsum in *Sem. Panel.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Satis enim præjudicatum est.* Libris superioribus satis aperte demonstratum Christum a Deo Creatore missum, non autem alium a Creatore sicuti somniavit Marcion. LE PR.

(b) *Non ut laborantem.* Laborat veritas cum aut falsitate opprimitur, aut veri specie obducitur. Con-

Cæterum, in præscriptionum compendiis vincit. Sed decretum est, ut gestientem ubique adversario occurrere, in tantum furenti, ut facilius præsumpserit cum venisse Christum, qui nunquam sit annuntiatus, quam eum qui semper sit prædicatus.

CAPUT II.

Hinc denique gradum censero (1), an debuerit tam subito venisse. Primo, quia et ipse Dei sui Filius, hoc enim ordinis fuerat (2), ut ante Pater Filium profiteretur, quam Patrem Filius; et ante Pater de Filio testaretur, quam Filius de Patre. Dehinc et quia (3) missus, præter Filii nomen. Proinde enim præcessisse debuerat mittentis patrocinium in testimonium missi, quia nemo veniens ex alterius auctoritate, ipse eam sibi ex sua affirmatione defendit, sed ab ipsa defendi se (4) potius exspectat, præcunte suggestu ejus, qui auctoritatem præstat. Cæterum, nec Filius agnoscetur, quem nunquam Pater nuncupavit : nec missus credetur, quem nunquam (*a*) mandator designavit; nuncupaturus Pater, et designaturus mandator, si fuisset. Suspectum habebitur omne, quod exorbitarit a regula; rerumque principalis gradus non sinit posterius agnosci Patrem post Filium, et mandatorem post mandatum, et Christum post Deum. Nihil origine sua prius est in agnitione, quia nec in dispositione. Subito Filius, et subito missus, et subito Christus? Atquin nihil putem a Deo subitum, quia nihil a Deo non dispositum. Si autem dispositum, cur et non prædicatum, ut probari posset et dispositum ex prædicatione, et divinum ex dispositione? Et utique tantum opus, quod scilicet humanæ saluti parabatur, vel catenus subitum non fuisset, qua per fidem profuturum. In quantum enim credi habebat ut prodesset, in tantum paraturam desiderabat, ut credi posset, substructam fundamentis dispositionis et prædicationis; quo ordine fides informata, merito et homini indiceretur a Deo, et Deo exhiberetur ab homine; ex agnitione debens credere quia posset, quæ scilicet credere didicisset ex prædicatione.

CAPUT III.

Non fuit, inquis, ordo ejusmodi necessarius, quia statim se et Filium, et missum, et Dei Christum rebus ipsis esset probaturus per documenta virtutum. At ego negabo, solam hanc illi speciem ad testimonium competisse, quam et ipse postmodum exauctoravit. Siquidem edicens (*Matth.* XXIV, 24) multos venturos (*b*), et signa facturos, et virtutes magnas edituros, aversionem etiam electorum (*c*), nec ideo tamen admittendos; temerariam signorum et virtutum fidem ostendit, ut etiam apud pseudochristos facillimarum (5). Aut quale est, si inde se voluit probari, et intelligi, et recipi (ex virtutibus dico) unde cæteros noluit, æque et ipsos tam subito venturos, quam a nullo auctore prædicatos? Si (6) quia prior eis venit, et prior virtutum documenta signavit, idcirco, quasi locum in balneis, ita fidem occupavit, posteris quibusque præripuit, vide ne ipse in conditione posteriorum deprehendatur, posterior inventus Creatore, ante jam cognito, et proinde virtutes ante operato, et non aliter (7) præfato non esse aliis credendum, post eum scilicet. Igitur si priorem venisse, et priorem de posteris pronuntiasse, hoc fidem cludet (8); prædamnatus erit et ipse jam ab eo quod (9) posterior est agnitus, et solius erit auctoritas Creatoris, hoc in posteros constituendi, qui nullo posterior esse potuit. Jam nunc cum probaturus sim Creatorem easdem virtutes, quas solas ad fidem Christo tuo vindicas, interdum per famulos suos retro edidisse, interdum per Christum suum edendas destinasse; possum et ex hoc merito præscribere, tanto magis Christum non ex solis virtutibus credendum fuisse, quanto illum non alterius quam Creatoris interpretari potuissent, ut respondentes (10) virtutibus Creatoris, et editis per famulos suos, et in Christum suum repromissis. Quanquam et si alia documenta invenirentur in tuo Christo, nova scilicet, facilius crederemus etiam nova ejusdem esse cujus et vetera, quam cujus tantummodo nova; egentia experimentis fidei victricis vetustatis; ut sic quoque prædicatus venire debuerit, tam prædicationibus propriis exstruentibus ei fidem, quam et virtutibus; præsertim adversus Christum Creatoris venturum, et signis et prophetis (11) propriis munitum; ut æmulus Christi per omnes diversitatum species reluceret. Sed quomodo a Deo nun-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Confero *Paris. Fran. Pamel.*
(2) Fuerit *Seml.*
(3) Qua *Seml. Pamel.*
(4) Defensionem *Seml.* defensione *Pamel.*
(5) Facillimam *Fran. Pamel.*
(6) Sed *Seml. Pamel.*
(7) Et nominatim *Lat.*
(8) Eliciet *Lat.* eludet *alii.*
(9) Quo *Seml.*
(10) Respondentibus *Seml.* respondentem *Pamel.*
(11) Prophetiis *alii.*

COMMENTARIUS.

tingit etiam non raro, ut veritatem dicere periculosum sit propter violentiam et impotentiam quorumdam; quem in sensum Thucydides, lib. I hist., ἀπαλλαπτοὺς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας dixit, id est, *caret labore inquisitio veritatis.* LE PR. et EDD.

CAP. II. — (a) *Mandator designavit.* Mandator est, qui aliquid agendum committit; mandatarius qui suscipit. RHEN.

CAP. III. — (b) *Siquidem edicens multos venturos.* Paraphrasticôs citat illud Matth. XXIV, *multi venient pseudochristi*, etc. Sic etiam B. Augustinus, lib. XIII contra Faustum, cap. 5 : *Miracula non facitis; quanquam si faceretis, caveremus, per instruentem nos Dominum, et dicentem : Exsurgent multi*, etc. Et tract. 14 in Joan. *Pontius fecerit miraculum, et Donatus oraverit, et responderit Deus de cœlo, primo aut falluntur, aut fallunt; postremo fac illos montes transferre, si charitatem non habent, nihil sunt; sed quomodo haberent, qui diviserunt unitatem?* Atqui non propterea sensisse Auctorem veritatum signorum et virtutum apud hæreticos aliquando fuisse aut futuram, patet ex lib. de Anima, cap. 57, et lib. V adv. Marcion, cap. 16. PAM.

(c) *Aversionem etiam electorum.* Etsi non sim superstitiosus in varia lectione, censerem tamen legendum *eversionem.* LE PR.

quam prædicato Christus ejus prædicaretur? Hoc est ergo quod exigit, nec Deum, nec Christum tuum credi, quia et Deus ignotus esse non debuit, et Christus agnosci per Deum debuit.

CAPUT IV.

Dedignatus, opinor, est imitari ordinem Dei nostri, ut displicentis, ut (1) cum maxime revincendi. Novus nove venire voluit; Filius ante Patris professionem, et missus ante mandatoris auctoritatem; ut et ipsam (2) fidem monstrosissimam induceret, qua ante crederetur Christum venisse, quam sciretur fuisse. Competit mihi etiam illud retractare, cur non post Christum venerit. Nam cum intueor dominum ejus, tanto ævo patientissimum acerbissimi Creatoris annuntiantis interca in homines Christum suum, quacumque id ratione fecit, tam revelationem quam intercessionem suam differens, eadem ratione dico illum patientiam debuisse Creatori, in Christo quoque suo dispositiones suas exsecuturo, ut perfecta et expleta omni operatione æmuli Dei, et æmuli Christi, tunc et ipse proprias dispositiones superduceret. Cæterum, pœnitentia tantæ patientiæ fecit, quod non in finem rerum Creatoris perseveraverit. Vane sustinuit prædicari Christum ejus, quem non sustinuit exhiberi? aut sine caussa tamdiu non intercidit? Quid illum detinuit, quidve turbavit? Atquin in utrumque commisit, post Creatorem quidem tam tarde revelatus, ante Christum vero ejus tam propere. Alterum vero jamdudum debuerat traduxisse, alterum nondum; ne illum quidem tamdiu sævientem sustinuisse; istum vero adhuc quiescentem inquietasse, circa ambos excidens ab optimi Dei titulo, certe varius et ipse et incertus; tepidus scilicet in Creatorem, et calidus in Christum, et vanus utrobique (3). Non magis enim compescuit Creatorem, quam obstitit Christo. Manet et Creator, qualis omnino est; veniet et Christus, qualis et scribitur. Quid venit post Creatorem, quem emendare non valuit? Quid ante Christum ejus revelatus est, quem revocare non potuerit? Aut si emendavit Creatorem, post illum revelatus est, ut emendanda præcederent; ergo et Christum ejus æque emendaturus exspectasse debuerat, proinde et illius posterior emendator futurus, sicut Creatoris. Aliud est, si et ipse post illum rursus adveniet; ut primo quidem adventu processerit adversus Creatorem, Legem et Prophetas destruens ejus; secundo vero procedat adversus Christum, regnum redarguens ejus. Tunc ergo conclusurus ordinem suum, tunc si forte credendus est; aut si jam hinc perfecta res est ejus, vane ergo venturus est, nihil scilicet peracturus.

CAPUT V.

Ilis præluserim (4) quasi de gradu primo adhuc, et quasi de longinquo. Sed et hinc jam ad certum et cominus dimicaturus (*a*), video aliquas etiam nunc lineas præducendas, ad quas erit dimicandum, ad Scripturas scilicet Creatoris. Secundum eas enim probaturus Christum Creatoris fuisse, ut postea (5) Christo suo adimpletas, necesse habeo ipsarum quoque scripturam formam (*b*), et (ut ita dixerim) naturam demandare, ne tunc in controversiam deductæ, cum adhibentur ad caussas, et sua et caussarum defensione commixtæ, obtundant lectoris intentionem. Duas itaque caussas prophetici eloquii allego agnoscendas abhinc adversariis nostris: unam, qua futura interdum pro jam transactis enuntiantur. Nam et Divinitati competit, quæcumque decreverit, ut perfecta reputare, quia non sit apud illam differentia temporis, apud quam uniformem statum temporum (6) dirigit æternitas ipsa, et divinationi propheticæ magis familiare est id quod prospiciat, dum prospicit, jam visum, atque ita jam (7) expunctum, id est, omni modo futurum demonstrare, sicut per Isaiam (*Is.* L. 6): *Dorsum meum posui in flagella, maxillas autem meas in palmas; faciem meam vero non averti a sputaminibus.* Sive enim Christus jam tunc in semetipsum secundum nos, sive prophetes de semetipso secundum Judæos pronuntiabat, nondum tamen factum pro jam transacto sonabat. Alia species erit, qua pleraque figurate portenduntur per ænigmata et allegorias et parabolas, aliter intelligenda quam scripta sunt. Nam et montes legimus distillaturos dulcorem (*Joel.* III, 18); non tamen ut sapam de petris (*c*), aut defrutum de rupibus speres: et terram audimus lacte et melle manantem; non tamen ut de glebis credas te unquam placentas et samias (*d*) coacturum: quia nec statim aquilicem et agricolam os Dei repromisit, dicens (*Is.* XLI, 19): *Ponam flumina in regione sitienti, et in solitudine cedrum et buxum.* Sicut et prædicans de Nationum conversione: *Benedicent me bestiæ agri, sirenes et filiæ passerum* (*Is.* XLIII, 20); non utique ab hirundinum pullis et vulpeculis, et illis monstruosis fabulosisque cantricibus fausta omina relaturus est. Et quid ego de isto genere am-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *Lat.*
(2) Ipse *Seml. Pamel.*
(3) In utroque *alii.*
(4) Proluserim *Rig. Jun. Venet.*
(5) Post a *Jun.*
(6) Temporis *Seml. Pamel.*
(7) Ut jam *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. V. — (a) *Ad certum et cominus dimicaturus.* Quasi superiores disputationes velitationis instar factæ essent: hic fortius pugnaturum se pollicetur, ut quavis sponsione adversarium premat. Appellat itaque ad Scripturam, quam in Marcionem contorquet. LE PR.

(b) *Scripturarum formam*, etc. Præmittere explicando, declarando, commendando. RIG.

(c) *Sapam de petris, aut defrutum de rupibus*, etc. Idem hæ duæ voces significant, mustum nempe coctum. Discrimen est quod sapa est mustum ad mediam partem decoctum, defrutum autem ad tertiam: ita M. Varro. LE PR.

(d) *Placentas et samias*, etc. Psomias legunt alii, alii psomia, a græco ψώμιον. Qui samias legunt, puto eos intelligere de placentis samiis quæ in deliciis erant, auctoris vero nomen præferebant, qui Samius dicebatur. LE PR.

plius? cum etiam (I *Cor.* IX, 9), (1) *hæreticorum apostolus* (*a*), ipsam legem indulgentem bobus terentibus os liberum, non de bubus, sed de nobis interpretetur: et petram potui subministrando comitem, Christum alleget (I *Cor.* X, 4) fuisse, docens proinde et Galatas (*Gal.* IV, 22), duo argumenta filiorum Abrahæ allegorice cucurrisse, et suggerens Ephesiis (*Eph.* V, 31), quod in primordio de homine prædicatum est, relicturo patrem et matrem, et futuris duobus in unam carnem, id se in Christum et Ecclesiam agnoscere.

CAPUT VI.

Si satis constat de istis interim duabus proprietatibus judaicæ litteraturæ; memento, lector, constitisse, ut cum tale quid adhibuerimus, non retractetur de forma scripturæ, sed de statu caussæ. Cum igitur hæretica dementia eum Christum venisse præsumeret, qui nunquam fuerat annuntiatus; sequebatur ut eum Christum nondum venisse contenderet, qui semper fuerat prædicatus: atque ita coacta est cum judaico errore sociari, et ab eo argumentationem sibi struere, quasi Judæi certi et ipsi alium fuisse qui venit, non modo respuerint eum ut extraneum, verum et interfecerint eum ut adversarium, agnituri sine dubio et omni officio religionis prosecuturi, si ipsorum fuisset. (*b*) Scilicet nauclero illi non quidem Rhodia lex (*c*), sed Pontica caverat, errare Judæos in Christum suum non licere; quando etsi nihil talo prædicatum in illos inveniretur, vel sola utique humana conditio deceptui obnoxia, persuasisset, Judæos errare potuisse, qua homines; nec statim præjudicium sumendum de sententia eorum, quos credibile fuerit errasse. Porro, cum et prædicatum sit non agnituros eos Christum, ideoque etiam perempturos; jam ergo ipse erit et ignoratus et interemptus ab illis, in quem ita admissuri prænotabantur. Hoc si probari exigis, non eas scripturas evolvam, quæ interemptibilem Christum edicentes, utique et ignorabilem affirmant: nisi enim ignoratus nihil scilicet pati posset: sed reservatis eis ad caussam passionum, eas prædicationes in præsenti sufficiet adhibere, quæ interim ignorabilem probent Christum, et hoc breviter, dum ostendunt omnem vim intellectus ademptam populo a Creatore. *Auferam*, inquit (*Is.* XXIX, 14), *sapientiam sapientium illorum, et prudentiam prudentium eorum abscondam*, et (*Is.* VI, 10), *Aure audietis, et non audietis: et oculis videbitis, et non videbitis: Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos concluserunt; ne quando auribus audiant et oculis videant, et corde conjiciant, et convertantur, et sanem illos.* Hanc enim obtusionem (2) salutarium sensuum meruerant, labiis diligentes Deum, corde autem longe absistentes ab eo. Igitur si Christus quidem annuntiabatur a Creatore *solidante tonitruum*, et (*Amos.* IV, 13) *condente* (3) *spiritum, et annuntiante* (4) *in homines Christum suum*, secundum Amos Prophetam; si omnis spes Judæorum, ne (5) dicam etiam Gentium, in Christi revelationem destinabatur, sine dubio id demonstrabantur non agnituri, et non intellecturi, ablatis agnitionis (6) et intelligentiæ viribus sapientia atque prudentia, quod annuntiabatur, id est Christum, erraturis in eum principalibus sapientibus eorum, id est scribis, et prudentibus eorum (7), id est pharisæis; pariter et populo auribus audituro, et non audituro, utique Christum docentem: et oculis visuro et non visuro, utique Christum signa facientem, secundum quod et alibi (*Is.* XLII, 19): *Et quis cæcus, nisi pueri mei? et quis surdus, nisi qui dominatur eorum?* Sed et cum exprobrat per eumdem Isaiam (*Is.* I, 3): *Filios generavi, et exaltavi: at illi me rejecerunt. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit.* Nos quidem certi, Christum semper in Prophetis locutum, spiritum scilicet Creatoris, sicut propheta testatur, (*d*) Spiritus personæ ejus (*Thren.* IV, 20), Christus Dominus, qui ab initio vicarius Patris in Dei nomine et auditus sit et visus; scimus (8) ipsius voces ejusmodi fuisse jam tunc Israeli exprobrantis, quæ in illum commissuri prædicabantur: *Dereliquistis Dominum, et in iram provocastis Sanctum Israel* (*Is.* I, 4). Si vero non (9) in Christum, sed in ipsum potius Deum volueris referre omnem judaicæ ignorantiæ de pristino reputationem, nolens etiam retro sermonem et spiritum, id est, Christum Creatoris despectum ab eis, et non agnitum, sic quoque revinceris. Non negans enim Filium et spiritum et substantiam Creatoris esse Chri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ethnicorum *Lat.*
(2) Obtunsionem *Seml.*
(3) Concludente *Pamel. Rig. Venet. Seml. sed* condente *præfert Latin. et favent hebr. græc. vulg. lat. Scripturæ lectiones. Edd.*
(4) Annuntiante *Seml.*
(5) Nedum *alii.*
(6) Agnitionis *omitt. Seml.*
(7) Eorum *negl. Seml.*
(8) Et *inser. Seml.*
(9) Israel vero si non *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Hæreticorum apostolus.* Intelligit apostolum Paulum per Marcionem editum et truncatum. PAMEL.

CAP. VI. — (b) *Scilicet nauclero illi non quidem Rhodia lex, sed Pontica caverat.* Barbariem Ponticam exprobrat Marcioni, quasi nihil edocto præter scita quædam nautica, eaque Pontica, hoc est mere barbara, non autem Rhodia. Nam Rhodii quidem ob legum civilium curam justitiamque admirationi fuere cunctis; sed rerum quoque nauticarum peritissimi fuisse videntur, ac de omnibus ad navigationem pertinentibus æquissima jura condidisse; propterea vero maris imperium obtinuisse, atque in Romanorum amicitia floruisse Strabo commemorat. Ex eorum jure nautico non pauca de jactu et fortean de exercitoria quoque actione in Pandectas relata. PAM.

(c) *Non quidem Rhodia lex*, etc. De legibus Rhodiorum qui rei nauticæ peritissimi fuerunt, mentio fit D. ad legem Rhod. de jactu. Per ironiam hic Marcioni hæc dicit Tertullianus. LE PR.

(d) *Spiritus personæ ejus Christus Dominus.* Ita omnino legendum censeo, pro *persona spiritus nostri Christus Dominus.* Nam imprimis nimium variaret Auctor a LXX, Thren. IV, ubi legitur non modo juxta græcos et latinos codices: *Spiritus faciei nostræ*, seu,

stum ejus, concedas necesse est, eos qui Patrem non agnoverint, nec Filium agnoscere potuisse, per ejusdem substantiæ conditionem, cujus si plenitudo intellecta non est, multo magis portio, certe qua plenitudinis consors. His ita dispectis, jam apparet quomodo et (1) respuerint Judæi Christum, et interemerint, non ut extraneum Christum intelligentes, sed ut suum non agnoscentes. Qui enim (2) extraneum intelligere potuissent, de quo nihil unquam fuerat annuntiatum, cum intelligere non potuissent, de quo semper fuerat prædicatum? (a) Id enim intelligi vel non intelligi capit, quod habendo substantiam prædicationis, habebit et materiam vel agnitionis, vel erroris. Quod vero materia caret, non admittit sapientiæ eventum. Et adeo non qua alterius Dei, Christum aversati (3) persecutique sunt; sed qua solummodo hominem, quem planum in signis (*b*), et simulum in doctrinis existimabant, ut et ipsum hominem qua suum, id est judæum, sed judaismi exorbitatorem et destructorem, deduxerint in judicium, et suo jure punierint, alienum scilicet non judicaturi. Tanto abest ut alienum *Christum intellexisse videantur*, qui nec hominem ejus ut alienum judicaverunt.

CAPUT VII.

Discat nunc hæreticus ex abundanti cum ipso licebit Judæo, rationem quoque errorum ejus, a quo ducatum mutuatus, in hac argumentatione, cæcus a cæco in eamdem decidit (4) foveam. Duos dicimus Christi habitus, a Prophetis demonstratos, totidem adventus ejus prænotasse: unum in humilitate, utique primum; cum (*Is.* XLIII, 7 *et seq.*) *tanquam ovis ad victimam deduci habeat, et tanquam agnus ante tondentem sine voce, ita non aperiens os suum;* (c) *nec* (5) *adspectu quidem honestus. Annuntiavimus enim*, inquit, *de illo; sicut puerulus, sicut radix in terra sitienti; et non est species ejus, neque gloria. Et vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem; sed species ejus inhonorata, deficiens citra filios hominum; homo in plaga, et sciens ferre infirmitatem, ut* (*Is.* LIII, 14) *positus a Patre in lapidem offensionis et petram scandali; minoratus* (*Ps.* VIII, 6) *ab eo modicum citra angelos; vermem se* pronuntians (*Ps.* XXI, 6), *et non hominem; ignominiam hominis, et nullificamen populi.* Quæ ignobilitatis argumenta primo adventui competunt, sicut sublimitatis secundo; cum fiet jam non lapis offensionis, nec petra scandali; sed (*d*) lapis summus angularis, post reprobationem assumptus, et sublimatus in consummationem templi, Ecclesiæ scilicet; et petra sane illa, apud Danielem (*c.* II), de monte præcisa, quæ imaginem sæcularium regnorum comminuet et conteret. De quo secundo (6) adventu idem prophetes (*Dan*, VII, 13): *Et ecce cum nubibus cæli tanquam filius hominis veniens, venit usque ad veterem dierum, et aderat in conspectu ejus: et qui assistebant, adduxerunt illum, et data est ei potestas regia, et omnes nationes terræ secundum genera, et omnis gloria famulabundu; et potestas ejus usque in ævum, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non vitabitur.* Tunc scilicet habiturus et speciem honorabilem, et decorem indeficientem supra filios hominum. (*e*) *Tempestivus enim*, inquit (*Ps.* XLIV, 3), *decore citra filios hominum; effusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in ævum. Accingere ensem super femur tuum, potens, tempestivitate tua et pulchritudine tua;* cum et Pater, posteaquam (*Ps.* VIII, 6) *diminuit eum modicum quid citra angelos, gloria et honore coronabit illum, et subjiciet omnia sub* (7) *pedibus ejus.* Tunc et (*Zach.* XII, 10) *cognoscent eum, qui compugerunt;* et cædent pectora sua tribus ad tribum; utique quod retro non agnoverunt cum in humilitate conditionis humanæ constitutum (8). *Et homo est*, inquit Hieremias (*Jerem.* XVII, 9); *et quis cognoscet illum?* quia et, *Nativitatem ejus*, inquit Isaias (*Is.* LIII, 8), *quis enarrabit?* Sic et apud Zachariam (*Zach.* III), in persona Jesu, imo et in ipsius (9) hominis sacramento verus summus sacerdos Patris Christus Jesus, duplici habitu in duos adventus deliniatur. Primo, sordidis indutus, id est, carnis passibilis et mortalis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *negl. Fran.*
(2) Quia nec *Rhen.*
(3) Adversati *alii.*
(4) Deductus *Pam. Fran. Paris.*
(5) Os, ne *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Secundo *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Sub *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Constitutum *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Ipso *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

vultus nostri, sive, *ante faciem nostram Christus Dominus*, sed etiam iisdem citatur verbis in eamdem sententiam a B. Iren., lib. III, cap. 11, B. Just. Mart. Apol. 2, ad Antoninum Pium, et Ruffino *in Symbolum*, a quibus etiam haud multum dissentit editio hebræa, quæ legit, *Spiritus oris nostri*, et chaldæa, *spiraculum spiritus vitæ qui est in naribus nostris.* Pam.

(a) *Id enim intelligi vel non intelligi capit.* Sæpe jam indicavimus usum verbi *capit* apud hunc auctorem. Simillimum est illud lib. proxime superiori: *Capit etiam*, inquit, *imaginem Spiritus dicere statum.* Rhen.

(b) *Planum in signis.* Recte ad marginem annotavit Rhenanus: Hoc est, impostorem. Eadem significatione Plinius, l. XXXV, c. 18, loquitur de *plano regio* qui Ptolomæo in deliciis erat. Nam a græca voce πλάνος in familiam latinam transivit ea vox, quam adeo etiam de impostoribus quibusdam interpretatur Eustachius Homeri interpres in Odysseam. Pam.

CAP. VII. — (c) *Nec adspectu quidem honestus.* De tempore passionis hæc intellige propter deformitatem quam supplicia et dolores corpori sacro impresserant. Lib. I *adv. Judæos* eadem fere, si bene memini, habentur. Le Pr.

(d) *Lapis summus angularis.* Paulus, *Ep. ad Ephesios, c.* II, ἀκρογωνιαῖον lapidem dixit, quem Psalmographus dixerat factum fuisse εἰς κεφαλὴν γωνίας: est autem figura, sive allegoria Christi a Judæis reprobati, et tamen editus est nuper Andegavi, de veteris cujusdam bibliothecæ quisquiliis, liber itinerarius Antonini monachi, affirmantis se vidisse lapidem illum in basilica Sionis. Syrus aliquis imposturam fecit imperitæ simplicitati hominis idiotæ, ac nimium creduli. Rig.

(e) *Tempestivus enim, inquit, decore.* Ex ambigua significatione vocis græcæ ὡραῖος. Nam vulgata melius habet, *speciosus.* Le Pr.

indignitate, cum et diabolus adversabatur ei, auctor scilicet Judæ traditoris, ne dicam etiam post baptisma tentator. Dehinc (*Zach.* III, 5), despoliatus pristinas sordes, et exornatus podere, et mitra, et cidari munda, id est, secundi adventus gloria et honore. Si enim (*Levit.* XVI) et duorum hircorum (*a*) qui jejunio offerebantur faciam interpretationem, nonne et illi utrumque ordinem Christi figurant? Pares quidem atque consimiles propter eumdem Dominum conspectum, quia non in alia venturus est forma, ut qui agnosci habeat, a quibus et læsus est. Alter autem (1) eorum circumdatus coccino, maledictus, et consputatus (2), et convulsus, et compunctus a populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus dominicæ passionis. Alter vero pro delictis oblatus, et sacerdotibus templi in pabulum datus, secundæ repræsentationis argumenta signabat, qua, delictis omnibus expiatis, sacerdotes templi spiritalis, id est Ecclesiæ, dominicæ gratiæ quasi visceratione quadam fruerentur, jejunantibus cæteris a salute. Igitur, quoniam primus adventus, et plurimum figuris obscuratus, et omni inhonestate prostratus canebatur; secundus vero et manifestus, et Deo condignus; idcirco, quem facile et intelligere et credere potuerunt (3), eum solum intuentes, id est secundum, qui est in honore et gloria (4), non immerito decepti sunt circa obscuriorem, certe indigniorem, id est primum. Atque ita in hodiernum negant venisse Christum suum, quia non in sublimitate venerit, dum ignorant etiam in humilitate fuisse venturum.

CAPUT VIII.

Desinat nunc hæreticus a Judæo, aspis (quod aiunt) a vipera mutuari (5) venenum; evomat jam hinc proprii ingenii virus, phantasma vindicans Christum. Nisi quod et ista sententia alios habebit auctores, præcoquos et abortivos (*b*) (6) quodammodo Marcionitas, quos apostolus Joannes (*Joan.* II, 4) antichristos pronuntiavit, negantes Christum in carne venisse; et tamen non ut alterius Dei jus constituerent, quia et de isto (7) notati fuissent; sed quoniam incredibile præsumpserant Deum carnem. Quo magis antichristus Marcion sibi eam rapuit præsumptionem; aptior scilicet ad renuendam corporalem substantiam Christi, qui ipsum Deum ejus nec auctorem carnis induxerat, nec resuscitatorem: optimum videlicet, et in isto (8) diversissimum a mendaciis et fallaciis creatoris. Et ideo Christus ejus ne mentiretur, ne falleret, et hoc modo creatoris forsitan deputaretur, non erat quod videbatur, et quod erat mentiebatur; caro, nec caro; homo, nec homo: proinde Deus Christus, nec Deus. Cur enim non etiam Dei phantasma portaverit? An credam ei de interiore substantia, qui sit de exteriore frustratus? Quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in aperto? Quomodo autem in semetipso veritatem spiritus fallacia carnis confundens, negatam ab Apostolo (II *Cor.* VI, 14) lucis, id est veritatis, et fallaciæ, id est tenebrarum, commisit communicationem? Jam nunc, cum mendacium deprehenditur Christi caro, sequitur ut et omnia quæ per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint, congressus, contactus, convictus, ipsæ quoque virtutes. Si enim tangendo aliquem liberavit a vitio, vel tactus ab aliquo; quod corporaliter actum est, non potest vere actum credi sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum a vacuo perfici licuit. Putativus habitus, putativus actus: imaginarius operator, imaginariæ operæ. Sic nec passiones Christi ejus fidem merebuntur: nihil enim passus est, qui non vere est passus. Vere autem pati, phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus. Totum christiani nominis et pondus et fructus, mors Christi negatur, quam tam impre se Apostolus demandat, utique veram, summum eam fundamentum Evangelii constituens, et salutis nostræ, et prædicationis suæ: *Tradidi enim*, inquit (I *Cor.* XV, 3, 4), *vobis in primis, quod Christus mortuus sit pro peccatis nostris, et quod sepultus sit, et quod resurrexerit* (9) *tertia die*. Porro, si caro ejus negatur, quomodo mors ejus asseveratur, quæ propria carnis est passio per mortem devertentis (10) in terram, de qua est sumpta secundum legem sui auctoris? Negata vero morte, dum caro negatur, nec de resurrectione constabit. Eadem enim ratione non resurrexit, qua mortuus non est, non habendo substantiam scilicet carnis; cujus sicut et mors, ita et resurrectio est (I *Cor.* XV, 13). Proinde resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est. Nec ea enim valebit, propter quam Christus venit, si Christus non resurrexit (11). Nam sicut illi, qui dicebant resurrectionem mortuorum non esse, revincuntur ab Apostolo ex resurrectione Christi; ita, resurrectione Christi non consistente, aufertur et mortuorum resurrectio, atque ita inanis est (12) fides nostra, inanis est prædicatio Apostolorum, inveniuntur autem etiam falsi testes Dei, quod testimonium dixe-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Unus quidem *Seml. Pamel.*
(2) Consputus *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Poterunt *Paris.*
(4) Qui est in honore et gloria, *neglig. Seml. Jun.*
(5) Mutuare *alii.*
(6) Aborsivos *alii.*
(7) Justo *Par.*
(8) Et *add. Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Resurrexit *Rhen. Seml. Oberth.*
(10) Revertentis *Lat.*
(11) Valebit *Rhen. Seml. Oberth.*
(12) Et *add. Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Si enim et duorum hircorum*, etc. Locum hunc desumpsit haud dubie Auctor ex B. Justino mart. adversus Tryphonem. PAM.

CAP. VIII— (b) *Præcoquos et abortivos*, etc. Hæretici nempe alii Marcionitas antecesserunt, qui quasi abortivi fœtus hæresis fuerunt et præcoces fructus. Lib. *de Pallio* Utica civitas dicitur pariter *Romana præcoqua*, quæ scilicet ante tempus Romanorum habitus gestasset, priusquam jus coloniæ obtinuisset. LE PR.

rint quasi resuscitaverit Christum, quem non resuscitavit, et sumus adhuc in delictis, et, qui in Christo dormierunt, pericrunt, sane resurrecturi, sed phantasmate forsitan, sicut et Christus.

CAPUT IX.

In ista quæstione, qui putaveris opponendos esse nobis angelos Creatoris, quasi et illi in phantasmate putativæ utique carnis egerint apud Abraham et Loth, et tamen vere sint et congressi, et pasti, et operati quod mandatum eis fuerat; primo, non admitteris ad ejus Dei exempla, quem destruis : nam et quanto meliorem et perfectiorem Deum inducis, tanto non competunt illi ejus exempla, quo, nisi diversus in totum, non erit omnino melior atque perfectior. Dehinc scito, nec illud concedi tibi, ut putativa fuerit in angelis caro, sed veræ et solidæ substantiæ humanæ. Si enim difficile non fuit illi, putativæ carnis veros et sensus et actus exhibere, multo facilius habuit veris et sensibus et actibus veram dedisse substantiam carnis, vel qua proprius auctor et artifex ejus. Tuus autem Deus, eo quod carnem nullam omnino produxerit, merito fortasse phantasma ejus intulerit, cujus non valuerat veritatem. Meus autem Deus, qui illam de limo sumptam, in hac reformavit qualitate, nondum ex semine conjugali, et tamen carnem æque potuit ex quacumque materia angelis quoque adstruxisse carnem, qui etiam mundum ex nihilo in tot ac talia corpora, et quidem verbo, ædificavit. Et utique si Deus tuus veram quandoque substantiam angelorum hominibus pollicetur : *Erunt enim*, inquit (*Luc.* XX, 36), *sicut angeli*; cur non et Deus meus veram substantiam hominum angelis accommodarit, unde unde (1) sumptam? Quia nec tu mihi respondebis, unde illa apud te angelica sumatur, sufficit mihi hoc definire, quod Deo congruit; veritatem scilicet ejus rei, quam tribus testibus sensibus objecit, visui, tactui, auditui. Difficilius Deo mentiri, quam carnis veritatem unde unde (2) producere, licet non natæ. Cæterum, et aliis hæreticis definientibus (*a*) carnem illam in angelis ex carne nasci debuisse, si vere fuisset humana, certa ratione respondemus, qua et humana vere fuerit, et innata : humana vere, propter Dei veritatem, a mendacio et fallacia extranei, et quia non possent humanitus tractari ab hominibus, nisi in substantia humana; innata autem, quia solus Christus in carnem ex carne nasci habebat, ut nativitatem nostram nativitate sua (3) reformaret, atque ita etiam mortem nostram morte sua dissolveret, resurgendo in carne, in qua natus est, ut et mori posset. Ideoque et ipse cum angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum natæ; quia nondum morituræ; sed et (4) discentis jam inter homines conversari. Quo magis angeli, neque ad moriendum pro nobis dispositi, brevem carnis commeatum non debuerunt nascendo sumpsisse, quia nec moriendo deposituri eam fuerant, sed unde unde (5) sumptam, et quoquo modo omnino dimissam, mentiti eam tamen non sunt. Si Creator *facit angelos spiritus, et apparitores suos ignem flagrantem* (*Ps.* CIII, 4), tam vere spiritus quam et ignem; idem illos vere fecit et carnem : ut nunc recordemur, et hæreticis renuntiemus, ejus esse promissum, homines in angelos reformandi quandoque, qui angelos in homines formarit aliquando.

CAPUT X.

Igitur non admissus ad consortium exemplorum Creatoris, ut alienorum et suas habentium caussas, velim edas et ipse consilium Dei tui (*b*), quo Christum suum non in veritate carnis exhibuit. Si aspernatus est illam, ut terrenam, et, ut dicitis, stercoribus infersam (6), cur non et simulacrum ejus proinde despexit? Nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est : sequitur statum similitudo. Sed quomodo inter homines conversaretur, nisi per imaginem substantiæ humanæ? Cur ergo non potius per veritatem, ut vere conversaretur, si necesse habebat conversari? quanto dignius necessitas fidem, (*c*) quam stropham administrasset? Satis miserum Deum instituis, hoc ipso, quod Christum suum non potuit exhibere, nisi in indignæ rei effigie, et quidem alienæ. Aliquantis enim indignis conveniet uti, si (7) nostris (*d*); sicut alienis non congruet uti, licet dignis. Cur enim non in aliqua alia digniore substantia venit, et in primis sua, ne et indigna et aliena videretur eguisse? Si Creator meus per rubum quoque et ignem, idem postea per nubem et globum cum homine congres-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Unde *non repet. Wouw. Pam. Par. Fran.*
(2) Unde *tantum semel Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Sua *abest Par.*
(4) Et *abest Par.*
(5) Unde *semel Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Infarsam *Jun.*
(7) si *abest Pam. Par. Fran. sicut Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. IX. — (a) *Cæterum et aliis hæreticis definientibus.* Agit de Apelle, qui, sicut indicatur lib. *de Carne Christi*, c. 6, non modo Christi, sed et angelorum carnem ex sideribus factam asseruisse videtur. PAM.

CAP X. — (b) *Velim edas et ipse consilium Dei tui.* Ipse me sensus coegit, ut hic dictionem *uti*, verterem in *tui, quo Christum suum*, etc.: exemplaria vetera consentiunt in errore. RHEN.

(c) *Quam stropham administrasset?* Stropha dolum, versutiam, atque imposturam significat, Græcis στροφή. RHEN.

(d) *Aliquantis enim indignis conveniet uti si nostris.* Sic legitur in exemplari Pithœano. Hæc autem sub Marcionis persona dici videntur, ab iis verbis: *Satis miserum*, usque ad, *et aliena videretur eguisse.* Si nostris, inquit, membris Deus utitur, ut nobiscum possit conversari, multa sunt in corpore nostro indigna Deo, quibus tamen Deum conveniet uti, si nostris uti velit. Sed etsi digna Deo essent nostra, Deum tamen non decet uti alienis. Illa etiam quæ præcessere, *Sed quomodo inter homines conversaretur, nisi per imaginem substantiæ humanæ*, sub eadem persona Marcionis dicuntur. Et similia passim occurrunt, ubi Septimius disputat, quæ nisi perite distinguantur, omnem disputationem conturbant. RHEN.

sus est, et elementorum corporibus in repræsentationibus sui usus est, satis hæc exempla divinæ potestatis ostendunt, Deum non eguisse aut falsæ, aut etiam veræ carnis paratura. Cæterum, si ad certum spectamus, nulla substantia digna est quam Deus inducat. Quodcumque induerit ipse, dignum facit, absque mendacio tamen. Et ideo, quale est, ut dedecus existimarit veritatem potius, quam mendacium carnis? Atquin honoravit illam fingendo. Quanta jam caro est, cujus phantasma necessarium fuit Deo superiori?

CAPUT XI.

Totas istas præstigias putativæ in Christo corpulentiæ (*a*), Marcion illa intentione suscepit, ne ex testimonio substantiæ humanæ, nativitas quoque ejus defenderetur, atque ita Christus Creatoris vindicaretur, ut qui nascibilis, ac per hoc, carneus annuntiaretur. Stultissime et hic (1) Ponticus, quasi non facilius crederetur caro in Deo non nata, quam falsa, præstruentibus vel maxime fidem istam angelis Creatoris, in carne vera conversatis, nec tamen nata. Nam et Philumene illa magis persuasit Apelli, cæterisque desertoribus Marcionis, ex fide quidem Christum circumtulisse carnem; nullius tamen nativitatis, utpote de elementis eam mutuatum. Quod si verebatur Marcion, ne fides carnis nativitatis quoque fidem induceret; sine dubio qui homo videbatur, natus utique credebatur: nam et mulier quædam exclamaverat (*Luc.* XI, 27): *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ hausisti.* Et quomodo *mater et fratres ejus* dicti sunt *foris stare* (*Luc.* VIII)? Et videbimus de his capitulis suo tempore. Certe cum et ipse se filium hominis prædicaret, natum scilicet profitebatur. Nunc ut hæc omnia ad Evangelii distulerim examinationem, tamen quod supra statui, si omni modo natus credi habebat, qui homo videbatur; vane nativitatis fidem consilio imaginariæ carnis expungendam putavit. Quid enim profuit non vere fuisse, quod pro vero haberetur, tam carnem quam nativitatem? Aut si dixeris, viderit opinio humana, jam Deum tuum honoras fallaciæ titulo, si aliud se sciebat esse, quam quod homines fecerat opinari. Jam tunc potuisti etiam (*b*) nativitatem putativam illi accommodasse, ne in hanc quoque impegisses quæstionem. Nam et mulierculæ nonnunquam prægnantes sibi videntur, aut (*c*) sanguinis tributo, aut aliqua valetudine inflatæ. Et utique (*d*) debuerat phantasmatis scenam decucurrisse, ne originem carnis non desaltasset (2), qui personam substantiæ ipsius egisset. Plane nativitatis mendacium recusasti, ipsam enim carnem veram edidisti. Turpissimum scilicet Dei, etiam vera, nativitas. Age jam (*e*), perora in illa sanctissima et reverenda opera naturæ: invehere in totum quod es: carnis atque animæ originem destrue: cloacam voca uterum, tanti animalis, id est, hominis producendi officinam: persequere et partus immunda et pudenda tormenta, et ipsius exinde puerperii spurcos, anxios, ludicros exitus (*f*). Tamen cum omnia ista destruxeris, ut Deo indigna (3) confirmes, non erit indignior morte nativitas, et cruce infantia, et natura pœna, et carne damnatio. Si vera ista passus est Christus, minus fuit (4) nasci. Si mendacio passus est, ut phantasma, potuit et mendacio nasci. Summa ista Marcionis argumenta, per quæ alium efficit Christum, satis opinor, ostendimus non consistere omnino, dum docemus magis utique competere Deo veritatem, quam mendacium ejus habitus, in quo Christum suum exhibuit. Si veritas fuit, caro fuit; si caro fuit, natus est. Ea enim, quæ expugnat hæc hæresis, confirmantur, cum ea, per quæ expugnat, destruuntur. Itaque si carneus habebitur, quia natus, et natus, quia carneus; quia phantasma non fuerit, ipse erit agnoscendus, qui in carne, et ex nativitate venturus annuntiabatur a Creatoris prophetis, utpote Christus Creatoris.

CAPUT XII.

Provoca nunc, ut soles, ad hanc Esaiæ comparationem Christi, contendens illam in nullo convenire. Primo enim, inquis, Christus Esaiæ (*Is.* VII, 14) Emmanuel vocari habebit; dehinc virtutem sumere Damasci, et spolia Samariæ adversum regem Assyriorum. Porro (*Is.* VIII, 4) iste qui venit, neque sub ejusmodi nomine est editus, neque ulla re bellica functus est. At ego te admonebo, uti cohærentia quoque utriusque capituli recognoscas. Subjuncta est enim et interpretatio Emmanuelis, *nobiscum Deus;* uti non solum sonum nominis spectes, sed et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hoc *Jun.*
(2) Desultasset *Seml.* dealtasset *Rhen.*
(3) Digna *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Fuisset *Seml. Pam.*

COMMENTARIUS.

CAP. XI. — (a) *Putativæ in Christo corpulentiæ.* Bœticus lib. de fide: *Hodieque non desunt, qui negent eum nostram gestasse corpulentiam.* Rig.

(b) *Nativitatem putativam illi accommodasse.* Quasi vere natus et reipsa non fuisset. Id enim vult hæc vox *putativam*, sicut modo dicebat *putativæ in Christo corpulentiæ.* Le Pr.

(c) *Sanguinis tributo.* Sic lib. de Velandis virginibus, *et pudor ubique vestitur, et menses tributa dependunt.* Rig.

(d) *Debuerat phantasmatis scenam decucurrisse.* Sic dicit scenam phantasmatis, ut in *de hæresib. scenam erroris*, actum quem vocant intelligens. Sensus est: debuerat ex toto servire scenæ et susceptam fabulam peragere Christus Marcionis, qui si putativam gessit carnem, debebat etiam putativam habere nativitatem, sic enim phantasmatis scenam decucurrisset. Ruen.

(e) *Age jam perora.* Hunc locum habes in *de Carne Christi* iisdem propemodum verbis relatum, non ita longe post initium. Rhen.

(f) *Ludicros exitus.* Videbatur mihi aliquando legendum *lubricos*, sed ipse respicit ad id quod in lib. quem modo citavimus, dicit, de infante recens edito loquens, *blanditiis deridetur;* et mox, *illum per ludibria nutritum*, etc. Rhen.

sensum. Sonus enim hebraicus, quod est Emmanuel, suæ gentis est. Sensus autem ejus, quod est *Deus nobiscum*, ex interpretatione communis est. Quære ergo, an ista vox, *nobiscum Deus*, quod est Emmanuel, exinde quod Christus illuxit, agitetur in Christo. Et puto non negabis, utpote qui et ipse dicas, Deus-nobiscum dicitur, id est Emmanuel. Aut si tam vanus es, ut quia penes te Nobiscum-Deus dicitur, non Emmanuel; idcirco nolis venisse illum, cujus proprium si vocari Emmanuel, quasi non hoc sit et Deus nobiscum, invenies apud Hebræos Christianos, imo et Marcionitas, Emmanuelem nominare, cum volunt dicere, Nobiscum-Deus: sicut et omnis gens, quoquo sono dixerit, Nobiscum-Deus, Emmanuelem pronuntiabit, in sensu sonum expungens. Quod si Emmanuel Nobiscum-Deus, Deus autem nobiscum Christus est, qui etiam in nobis est: *Quotquot* enim *in Christum* (1) *tincti estis, Christum induistis;* tam proprius est Christus in significatione nominis, quod est Nobiscum-Deus, quam in sono nominis, quod est Emmanuel. Atque ita constat venisse jam illum qui prædicabatur Emmanuel; quia quod significat Emmanuel venit, id est, Nobiscum-Deus.

CAPUT XIII.

Æque et sono nominum duceris, cum virtutem Damasci, et spolia Samariæ, et regem Assyriorum, sic accipis, quasi bellatorem portendant Christum Creatoris, non animadvertens quid Scriptura præmittat (*Is.* VII, 4) (2): *Quoniam priusquam cognoscat* (3) *vocare patrem et matrem* (*a*), *accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ, adversus regem Assyriorum.* Ante est enim inspicias ætatis demonstrationem, an hominem jam Christum exhibere possit, nedum imperatorem. Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans; et signa belli, non tuba, sed crepitacillo daturus: nec ex equo, vel de curru, vel de muro; sed de nutricis aut gerulæ suæ collo sive dorso hostem destinaturus, atque ita Damascum et Samariam pro mamillis subacturus. Aliud etsi penes Ponticos, barbaricæ (4) gentis infantes in prælium erumpunt, credo ad solem (5) uncti prius (*b*), dehinc pannis armati, et butyro stipendiati, qui ante norint lanceare, quam lancinare (*c*). Enimvero, si nusquam hoc natura concedit (*d*), ante militare quam vivere; ante virtutem Damasci sumere, quam patris et matris vocabulum nosse; sequitur ut figurata pronuntiatio videatur. Sed et virginem, inquit, parere natura non patitur, et tamen creditur prophetæ (6). Et merito. Præstruxit enim fidem incredibili rei, rationem edendo, quod in signo esset futura. *Propterea*, inquit (*Is.* VII, 14), *dabit vobis Dominus signum: Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium.* Signum autem a Deo (*e*), nisi novitas aliqua monstruosa, tam dignum (7) non fuisset. Denique et Judæi, si quando ad nos dejiciendos mentiri audent, quasi non virginem, sed juvenculam concepturam (*f*) et pariturám Scriptura continet, hinc revincuntur, quod nihil signi videri possit res quotidiana, juvenculæ scilicet prægnatus et partus. In signum ergo disposita virgo et mater merito creditur (8); infans vero bellator non æque. Non enim et hic signi ratio versatur. Sed signo nativitatis novæ adscripto, exinde post signum, alius ordo jam infantis edicitur, mel et butyrum manducaturi. Nec hoc utique in signum est malitiæ non assentaturi; et hoc enim infantia (9) est; sed acceptari virtutem Damasci, et spolia Samariæ, adversus regem Assyriorum. Serva modum ætatis, et quære sensum prædicationis: imo, redde Evangelio veritatis, quæ posterior detraxisti, et tam intelligitur prophetia, quam renuntiatur expuncta. Maneant enim (10) orientales illi magi, in infantia Christum recentem auro et thure munerantes, et acceperit infans virtutem Damasci sine prælio et armis. Nam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Christo *Par. Fran.*
(2) Promittat *Rhen. Semi. Oberth.*
(3) Puer *add. Pam. Rig. Fran. Venet. non fuit in codd.*
(4) Barbariæ *Venet. Pam. Rig.*
(5) Solium *Jun.*
(6) Prophetiæ *Fran.*
(7) Jam signum *Lat.*
(8) Crederetur *Par.*
(9) Infantiæ *Wouw.*
(10) Autem *Semi.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIII. — (a) *Quoniam priusquam cognoscat puer vocare patrem*, etc. Etiam hic suppleta est vox *puer*, quippe quam habent editiones omnes Isaiæ VIII. PAM.

(b) *Credo ad solem uncti prius.* Alludit ad ἡλίωσιν sive insolationem, qua scilicet uncti calefiebant, membris siccandis firmandisque. Persius satira 4:

Aut si unctus cesses et figas in cute solem. RIG.

(c) *Qui ante norint lanceare quam lancinare.* Cum dicto cap. 1, lib. I adversus Marc. reperitur verbum *lancinatur*, pro *pungitur*, videtur prima facie hic ita accipi *lancinare*, sicuti *lanceare* pro *lanceis configere;* sed putamus *lancire* potius hic accipi, eo quod præmittitur, *butyro stipendiari*, pro *manus lancibus admovere;* eligat lector quod volet. Confirmatur interim hæc conjectura ex eo quod sequitur, *ante militare quam vivere*, et talibus vocibus solet Auctor delectari. PAM.

(d) *Si nusquam hoc naturæ concedit, sequitur ut figurata pronuntiatio videatur.* Hoc ipsum verbis iisdem monuit libro *adversus Judæos*, neque aliter Augustinus lib. XI *de Genesi ad lit.: Si in verbis Dei vel cujusquam personæ in officium propheticum assumptæ dicatur aliquid quod ad literam nisi absurde non possit intelligi, procul dubio figurate dictum ob aliquam significationem accipi debet.* Et consimilia lib. III *de Doctrina Christ.* cap. 15. RIG.

(e) *Signum autem a Deo nisi novitas aliqua monstruosa tam dignum non fuisset.* Forte verius, *signum non fuisset.* Sic enim libro adversus Jud.: *Signum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur.* Procopius in Isaiam: τὸ γὰρ σημεῖον, τι ρᾳτόν τινος, καὶ παρηλλαγμένον τῶν ἀνθρώπων συνηθείας ἐστὶν ἐπίδειξις. *Signum enim monstruosi cujusdam, et transcendentis humanam consuetudinem, argumentum est.* RIG. et EDD.

(f) *Sed juvenculam concepturam.* Explosa jam est fabula seu cavillatio Judæorum, qui juvenculam, non virginem scribi debere aiunt. Videatur lib. I in Jovin. B. Hieronymi. LE PR.

præter quod omnibus notum est, Orientis virtutem, id est vim et vires, auro et odoribus pollere solitam; certe est Creatori (1) virtutem cæterarum quoque gentium aurum constituere; sicut per Zachariam (*Zach.* XIV, 14) : *Et Judas pertendet* (2) *apud Hierusalem, et congregabit omnem valentiam populorum per circuitum, aurum et argentum.* De illo autem tunc auri munere etiam David : *Et dabitur illi ex auro Arabiæ;* et rursus : *Reges Arabum et Saba munera afferent* (3) *illi* (a). Nam et magos reges (4) habuit fere Oriens (b), et Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transcripta esset (5) in Syrophœnicen, ex distinctione Syriarum; cujus tunc virtutem Christus accepit, accipiendo insignia ejus, aurum scilicet et odores; spolia autem Samariæ, ipsos magos : qui cum illum cognovissent, et muneribus honorassent, et genu posito adorassent, quasi Deum et regem, sub testimonio indicis et ducis stellæ, spolia sunt facti Samariæ, id est idololatriæ, credentes videlicet in Christum. Idololatriam enim Samariæ nomine notavit, ut ignominiosæ ob idololatriam, qua desciverat tunc a Deo, sub rege Hieroboam. Nec hoc enim novum est Creatori figurate uti translatione nominum, ex comparatione criminum. Nam et archontas Sodomorum, appellat archontas Judæorum; et populum ipsum, populum Gomorrhæ vocat, et idem alibi : *Pater*, inquit (*Ezech.* XVI, 3), *tuus Amorrhæus, et mater tua Gethea*, ob consimilem impietatem, quos aliquando etiam suos filios dixerat : *Filios generavi, et exaltavi.* Sic et Ægyptus, nonnunquam totus orbis intelligitur apud illum, superstitionis et maledictionis elogio. Sic et Babylon etiam, apud Joannem nostrum, romanæ Urbis figura est (c); proinde magnæ, et regno superbæ, et sanctorum Dei debellatricis. Hoc itaque usu, magos quoque Samaritarum appellatione titulavit despoliatos, quod habuerant cum Samaritis, ut diximus, idololatriam. Adversus regem autem Assyriorum, adversus Herodem intellige; cui utique adversati sunt magi tunc, non renuntiando de Christo, quem intercipere quærebat.

CAPUT XIV.

Adjuvabitur hæc nostra interpretatio, dum et alibi bellatorem existimans Christum, ob armorum quorumdam vocabula et ejusmodi verba, ex reliquorum quoque sensuum comparatione convinceris : *Accingere*, inquit David (*Ps.* XLIV, 4), *ense* (6) *super femur.* Sed quid supra legis de Christo? *Tempestivus decore præter filios hominum : effusa est gratia in labiis tuis.* Rideo, si quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestivitate decoris, et labiorum gratia blandiebatur. Sic item subjungens : (7) *Extende, et prosperare, et regna;* adjecit : *Propter veritatem, et lenitatem, et justitiam.* Quis enim hæc (8) ense operabitur, et non contraria potius lenitati et justitiæ (9), dolum et asperitatem et injustitiam, propria scilicet negotia prœliorum? Videamus ergo, an alius sit ensis ille, cujus alius est actus. Nam et apostolus Joannes (*d*) in Apocalypsi (*Apoc.* I, 16), ensem describit ex ore Dei prodeuntem, bis acutum, præacutum; quem intelligi oportet (*Eph.* VI, 17) sermonem divinum, bis acutum duobus Testamentis, Legis et Evangelii; acutum sapientia, infestum diabolo; armantem nos adversus hostes spiritales nequitiæ et concupiscentiæ omnis, amputantem etiam a carissimis ob Dei nomen. Quod si Joannem agnitum non vis, habes communem magistrum Paulum (*e*), præcingentem lumbos nostros veritate et lorica justitiæ, et calciantem nos præparationem Evangelii pacis, non belli : assumere jubentem scutum fidei, in quo possimus omnia diaboli ignita tela extinguere; et galeam salutaris, et gladium spiritus, *quod est*, inquit, *Dei sermo.* Hanc et Dominus ipse machæram venit mittere in terram, non pacem (*Matth.* X, 33). Si tuus Christus est, ergo et ipse bellator est; si bellator non est, machæram intentans allegoricam, licuit ergo et Christo Creatoris in Psalmo, sine bellicis rebus, ensem sermonis Dei (10) præcingi figurato, cui

LECTIONES VARIANTES.

(1) Creatoris *Fran.*
(2) Prætendet *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Offerent *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Reges *abest Par.*
(5) Erat *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Ensem *Fran.*
(7) Et *præmitt. Seml.*
(8) Hæc *negl. Seml.* ea *cod. Wouw.*
(9) Lenitati et justitiæ, *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(10) Dei *omitt. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Munera afferent illi.* Melius illic vulgata legit, *adducent* : nam græce est προσάξουσιν. LE PR.

(b) *Nam et magos reges habuit fere Oriens.* Reges dixit toparchas urbis alicujus aut regionis, qualis ille rex apud quem ex sutore medicus Phædri fabula derisus; quales item in sacris paginis occurrunt sæpenumero. Hujusmodi reges variis per Orientem urbibus magos fere fuisse ait Septimius, hoc est, siderum astrorumve scientiæ peritos. Cæterum magos Persicum esse vocabulum docet Porphyrius lib. περὶ ἀποχῆς, eoque significari, τοὺς περὶ τὸ θεῖον σοφοὺς, καὶ τούτου θεράποντας, μίγα καὶ σεβάσμιον γένος. RIG.

(c) *Sic et Babylon etiam apud Joannem nostrum, Romanæ urbis figura est.* Vulgaris est calumnia Romam dici Babylonem. Id enim vir eximius et alii intelligunt de Roma vetere idolorum cultu incredibili nunquam satis vituperanda. Ex quo enim Christi religio constituta est, de ea dici debet quod S. Prosper carm. *de Ingratis* :

Quidquid non possidet armis
Religione tenet. LE PR.

CAP. XIV. —(d) *Nam et Joannes apostolus in Apoc.* Facit etiam hic locus adversus eos qui Joannem apostolum negant auctorem Apocalypseos, verum de hoc latius lib. IV, cap. 5, ubi etiam Marcionem in eo errore fuisse tradit. PAM.

(e) *Habes communem magistrum Paulum.* B. Joannis Apocalypsin non admittebat Marcion, ideoque sanctum Paulum, quem non repudiabat, adducit, ut communem amborum non modo sed etiam omnium magistrum. Elogium illud S. Apostoli addendum iis

supradicta tempestivitas congruat, et gratia labiorum; quem tunc jam cingebatur super femur apud David, quandoque missurus in terram. Hoc est enim quod ait, *et extende, et prosperare, et regna*. Extendes sermonem in omnem terram ad universarum gentium vocationem; prosperaturus successu fidei, qua est recepturus; et regnans exinde, qua mortem resurrectione devicit. *Et deducet te*, inquit, *mirifice dextera tua;* virtus scilicet gratiæ spiritalis, qua Christi agnitio deducitur. *Sagittæ tuæ acutæ*, pervolantia ubique (1) præcepta, et minæ, et (2) traductiones (3) cordis, compungentes et transfigentes conscientiam quamque. *Populi sub te concident*, utique adorantes. Sic bellipotens et armiger Christus Creatoris, sic et nunc accipiens spolia, non solius Samariæ, verum et omnium gentium. Agnosce et spolia figurata, cujus et arma allegorica didicisti. Figurate itaque et Domino ejusmodi loquente, et Apostolo scribente, non temere interpretationibus ejus utimur, quarum exempla etiam adversarii admittunt: atque ita in tantum Esaiæ erit Christus qui venit, in quantum non fuit bellator, quia non talis ab Esaia prædicatur.

CAPUT XV.

De quæstione carnis, et per eam nativitatis, et unius interim nominis *Emmanuelis* hucusque. De cæteris vero nominibus, et in primis Christi, quid pars diversa respondebit? Si proinde commune est apud vos Christi nomen, quemadmodum et Dei, ut sicut utriusque Dei filium Christum competat dici, sic utrumque patrem Dominum, certe ratio huic argumentationi refragabitur. Dei enim nomen, quasi naturale divinitatis, potest in omnes communicari quibus divinitas vindicatur, sicut et idolis, dicente Apostolo (I *Cor.* VIII, 5). *Nam et sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terris.* Christi vero nomen, non ex natura veniens, sed ex dispositione, proprium ejus efficitur, a quo dispositum invenitur. Nec in communicationem alii deo subjacet, maxime æmulo, et habenti suam dispositionem, cui et nomina privata debebit. Quale est enim quod diversas dispositiones duorum commentati deorum, societatem nominum admittunt in discordiam dispositionum? quando nulla magis probatio assisteret duorum et æmulorum deorum, quam si in dispositione eorum etiam diversitas nominum inveniretur. Nullus enim status differentiarum nonnisi proprietatibus appellationum consignatur: quibus deficientibus si quando, tunc (4) græca catachresis de alieno abutendo succurrit. Apud Deum autem deficere puto nihil debet, nec de alieno instrui dispositiones ejus. Quis hic Deus est, qui filio quoque suo nomina a Creatore vindicat? non dico aliena, sed vetera et vulgata, quæ vel sic non competerent deo novo et incognito. Quomodo denique docet, novam plagulam non assui Veteri Testamento (*a*), nec vinum novum veteribus utribus credi (*b*), adsutus ipse et indutus nominum senio? Quomodo abscidit Evangelium a Lege, tota Lege vestitus? In nomine scilicet Christi. Quis illum prohibuit aliud vocari, aliud prædicantem, aliunde venientem? cum propterea nec corporis susceperit veritatem, ne Christus Creatoris crederetur? Vane autem noluit eum se videri, quem voluit vocari: quando, etsi vere corporeus fuisset, magis Christus Creatoris non videretur, si non vocaretur. At nunc substantiam respuit, cujus nomen (5) accepit, etiam substantiam probaturus ex nomine. Si enim Christus unctus est, ungui utique corporis passio est. Qui corpus non habuit, ungui omnino non potuit: qui ungui omnino non potuit, Christus vocari nullo modo potuit. Aliud est, si et nominis phantasma affectavit. Sed quomodo, inquit, irreperet in Judæorum fidem, nisi per solenne apud eos et familiare nomen? Inconstantem aut subdolum deum narras, aut diffidentiæ, aut malitiositatis consilium, fallendo quid, promovere. Multo liberius atque simplicius egerunt Pseudoprophetæ, adversus Creatorem in sui dei nomine venientes. Sed nec effectum consilii hujus invenio, cum facilius ant suum crediderint Christum, aut planum potius aliquem, quam alterius dei Christum, sicut Evangelium probabit.

CAPUT XVI.

Nunc si nomen Christi, ut sportulam furunculus, captavit, cur etiam Jesus voluit appellari, non tam exspectabili apud Judæos nomine? Nec enim si nos per Dei gratiam intellectum consecuti sacramentorum ejus, hoc quoque nomen agnoscimus Christo destinatum, ideo et Judæis, quibus adempta est sapientia, nota erit res. Denique ad hodiernum Christum sperant, non Jesum; et Heliam potius interpretantur Christum, quam Jesum. Qui ergo et in eo nomine venit, in quo Christus non præsumebatur, potuit in eo solo nomine venisse, quod solum præsu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Utique *alii*.
(2) Et *negl. Seml.*
(3) Præminantes traductionem *Fran. vel forte* trajectionem *Seml.*
(4) Nunc *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Etiam *add. Paris. Fran.*

COMMENTARIUS.

quæ habet cap. 16 *de Præscript.* ubi ait, *quod fides nostra obsequium Apostolo debeat.* Le Pr.

CAP. XV. — (a) *Novam plagulam non assui veteri test.* Lib. *de Orat.*, cap. 1, idem habet: per plagulam lacernas hic intelligit, plagula quippe a Turnebo nostro inter vestimenta recensetur. Innuit autem ne Novo Testamento tanquam vesti plagula assuatur; deformitas enim hoc pacto contrahetur, qualis explicatur a Themistio, orat. 1: συβράττειν πρὸς ἕκαστα λίγει μηδὲ ἐοικέναι τὴν περιαιτοῦντων αἱ ῥιπτρίδες συμπεπλεγμέναι ἐκ ῥακέων πονηρῶν ἅμα καὶ διττερμμένων, *interpolare, ait, minime unquam decere; sicuti mendicantium lacernæ, ex plagulis novis et detritis consuuntur.* Le Pr.

(b) *Nec vinum novum veteribus utribus credi.* Loco citato *de Orat.* idem habetur iisdem verbis, quibus similis est ferme locus Cassiani, cap. 24, coll. 14: *Nemo enim in vas fœtidum atque corruptum unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosi quidquam liquoris infundit.* Le Pr.

mebatur. Cæterum, cum duo miscuit, speratum et insperatum, expugnatur utrumque consilium ejus. Sive enim ideo Christus, ut interim quasi Creatoris irreperet, obstrepit (1) Jesus; quia non sperabatur Jesus in Christo creatoris: sive ideo, Jesus ut alterius haberetur, non sinit Christus; quia non alterius sperabatur Christus, quam Creatoris. Quid horum constare possit, ignoro. Constabit autem utrumque in Christo Creatoris, in quo invenitur etiam Jesus. Quomodo, inquis? Disce et hic cum partiariis erroris tui Judæis. Cum successor Moysi destinaretur Auses filius Nave, transfertur certe de pristino nomine, et (*a*) incipit vocari Jesus. Certe, inquis. Hanc prius dicimus figuram futuri fuisse. Nam quia Jesus Christus secundum populum, quod sumus nos nati in sæculi desertis, introducturus erat in terram promissionis, melle et lacte manantem, id est, vitæ æternæ possessionem, qua nihil dulcius; idque non per Moysen, id est, non per Legis disciplinam; sed per Jesum, id est (2), per Evangelii gratiam provenire habebat, circumcisis nobis petrina acie, id est Christi præceptis (3); *Petra* enim *Christus*: ideo is vir, qui in hujus sacramenti imagines parabatur, etiam nominis dominici inauguratus est figura, Jesus cognominatus. Hoc nomen ipse Christus suum jam tunc esse testatus est, cum ad Moysen loquebatur. Quis enim loquebatur, nisi spiritus Creatoris, qui est Christus? Cum ergo mandato diceret populo (*Exod.*, XXIII, 20): *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui te custodiat in via, et introducat in terram, quam paravi tibi: intende illi, et exaudi eum; ne inobaudieris eum: non enim celavit* (4) *te, quoniam nomen meum super illum est.* Angelum quidem eum dixit, ob magnitudinem virtutum quas erat editurus, et ob officium Prophetæ, nuntiantis scilicet divinam voluntatem; Jesum autem, ob nominis sui futuri sacramentum. Identidem nomen suum confirmavit, quod ipse ei indiderat; quia non angelum, nec Ausen, sed Jesum eum jusserat exinde vocitari. Ergo si utrumque nomen competit in Christum Creatoris, tanto utrumque non competit in Christum non Creatoris, sicut nec (5) reliquus ordo. Facienda est denique jam hinc inter nos certa ista et justa præscriptio, et utrique parti necessaria, quia determinatum sit, nihil omnino commune esse debere alterius dei Christo cum Christo Creatoris. Nam et a vobis proinde diversitas defendenda est, sicut a nobis repugnanda est: quia nec vos probare poteritis, alterius Dei venisse Christum, nisi cum longe alium demonstraveritis a Christo Creatoris; nec nos eum Creatoris vindicare, nisi talem eum ostenderimus, qualis constituitur a Creatore. De nominibus jam obduximus. Mihi vindico Christum, mihi defendo Jesum.

CAPUT XVII.

Reliquum ordinem ejus cum Scripturis conferamus. Quodcumque illud corpusculum sit, quoniam habitum, et quoniam conspectum fuit; si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis (*b*), meus erit Christus: talis enim habitu et aspectu annuntiabatur. Adest rursus Isaias (*Is.* LIII, 1-2): *Annuntiavimus*, inquit, *coram ipso; velut puerulus, velut radix in terra sitienti, et non est species ejus neque gloria; et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem; sed species ejus inhonorata, deficiens citra omnes homines.* Sicut et supra Patris ad Filium vox, (*Is.*, LII, 14): *Quemadmodum expavescent multi super te* (*c*), *sic sine gloria erit ab hominibus forma tua.* Nam etsi *tempestivus decore* (*d*), apud David (*Ps.* XLIV, 3), *supra filios hominum*; sed in allegorico illo statu gratiæ spiritalis, cum accingitur ensem (6) sermonis, qui vere species et decor et gloria ipsius est: cæterum (*e*) habitu incorporabili (7) apud eumdem prophetam (*Ps.* XXI, 7), *vermis* etiam *et non homo, ignominia hominis* (8) *et nullificamen populi.* Neque interiorem qualitatem ejus, ejuscemodi annuntiant (9). Si enim plenitudo in illo spiritus constitit, agnosco virgam de radice Jesse flos ejus: meus erit Christus, *in quo requievit*, secundum Isaiam (*Is.*, XC,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Obrepit *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Id est *omitt. Seml.*
(3) Præceptis *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Celabit *Seml. Jun.*
(5) Non *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Ense *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) In corporali *Jun.* incorporali *alii.*
(8) Hominis *abest Par.*
(9) Cujusmodi annuntias *Seml.* ejusmodi annuntiant *Par. cod. Wouw.* adnuntiat *Rig.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI. — (a) *Incipit vocari Jesus.* Alludit ad illud Matth. ac Lucæ I: *et vocabis nomen ejus Jesum*, addita etiam nominis interpretatione: *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc enim est quod dicit lib. adv. Praxean: *Nomen Jesus proprium esse, quod ab angelo impositum est.* Pam.

CAP. XVII. — (b) *Si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus.* Bona piaque mente sacravit formulam, qua Cypris Cupidinem suum vestigat:

Εἴ τις ἐνὶ τριόδοισι πλανώμενον ἄδον ἴφητε,
Ἀφροδίτιδος ἐκεῖνός ἐστιν. Rig.—Credat judæus Apollo. Edd.

(c) *Quemadmodum expavescent multi*, etc. Locum hunc tandem reperi Is. LII, juxta LXX, seu potius veteres Patres, LIII, qui illud incipiunt eo loco: *Ecce intelliget*, etc. Imitatur vero in hoc B. Justinum Martyrem, *Apol.* 2, quod locum illum de contumeliis Christo factis in passione intelligat. Græce est ἐκστήσονται, quod magis proprie ab aliis vertitur *obstupescent*, quam ab Auctore *expavescent*, et unica vox est ἀδοξήσει, pro eo quod hic est, *sine gloria erit.* Pam.

(d) *Tempestivus decore.* Sic placuit Septimlo græcum illud exprimere ὡραῖος τῷ κάλλει, quod in vulgata versione, *speciosus forma.* Allegoricam formositatem intelligi debere, indicant ea quæ in eodem psalmo leguntur: *Accingere gladio tuo super femur tuum.* Etenim hic gladius est allegoricus, et ad sermonem Christi refertur, allegoricus decor, allegorica arma. Satis ambignus animi fuisse videtur Hieronymus, cum hæc prophetica attigit epist. ad Principiam virginem, 140. Pam.

(e) *Habitu incorporabili.* Forma qua incorporari, sive incarnari habebat Christus. Rig. — Id est multo potius, ut nobis videtur, habitu informi. Edd.

2), *spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et vigoris, spiritus agnitionis et pietatis, spiritus timoris Dei.* Neque enim ulli hominum diversitas spiritalium documentorum competebat, nisi in Christum: flori quidem ob gratiam spiritus adæquatum; ex stirpe autem Jesse depulatum, per Mariam inde censendum (1). Expostulo autem de proposito: si das ei omnis humilitatis et patientiæ et tranquillitatis intentionem, et ex his Isaiæ erit Christus (*Is.*, LIII, 7): *Homo in plaga, et sciens ferre imbecillitatem; qui tanquam ovis ad victimam adductus est, et tanquam agnus ante tondentem non aperuit os; qui* (*Is.*, XLII, 2) *neque contendit, neque clamavit, nec audita est foris vox ejus: qui arundinem contusam*, id est, quassam Judæorum fidem, *non comminuit: qui linum ardens*, id est, momentaneum ardorem gentium, *non extinxit*, sed lucernam magis fecit ortu luminis sui. Non potest (2) alius esse, quam qui prædicebatur. Oportet actum ejus ad Scripturarum regulam recognosci, duplici, nisi fallor, operatione distinctum, prædicationis et virtutis. Sed de utroque titulo sic disponam, ut quoniam ipsum quoque Marcionis Evangelium discuti placuit, de speciebus doctrinarum et signorum illuc differamus quasi in rem præsentem: hic autem generaliter expungamus ordinem cœptum, docentes prædicatorem interim annuntiari Christum per Esaiam (*Is.*, L, 10): *Quis enim*, inquit, *in vobis, qui Deum* (3) *metuit* (*a*), *et exaudiet* (4) *vocem filii ejus?* Item medicatorem (*Is.*, LIII): *Ipse enim*, inquit, *imbecillitates nostras abstulit, et languores portavit.*

CAPUT XVIII.

De exitu plane puto diversitatem tentatis inducere, negantes passionem crucis in Christum Creatoris prædicatam, et argumentantes insuper non esse credendum, ut in id genus mortis exposuerit Creator Filium suum, quod ipse maledixerat: *Maledictus*, inquit (*Deuter.*, XXI), *omnis qui pependerit in ligno.* Sed hujus maledictionis sensum differo, dignæ sola prædicatione crucis, de qua nunc (5) maxime quæritur, quia et alias antecedit rerum probatio rationem. De figuris prius edocebo. Et utique vel maxime sacramentum istud figurari in prædicatione oportebat, quanto incredibile, tanto magis scandalo futurum, si nude prædicaretur; quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quæreret. Itaque in primis Isaac, cum a patre in hostiam deditus, lignum sibi ipse portaret, Christi exitum jam tunc denotabat, in victimam concessi a Patre, et lignum passionis suæ bajulantis. Joseph et ipse in (6) Christum figuratus, nec hoc solo (ne demorer cursum) quod persecutionem a fratribus passus est, et venumdatus in Ægyptum (7), ob Dei gratiam, sicut et Christus a Judæis carnaliter fratribus venumdatus, a Juda (8) cum traditur. Nam et (9) benedicitur (10) in hæc verba (*Deuter.*, XXXIII, 17): *Tauri decor ejus* (*b*), *cornua unicornis cornua ejus, in eis nationes ventilabit pariter ad summum usque terræ:* non utique rhinoceros destinabatur unicornis, nec Minotaurus bicornis; sed Christus in illo significabatur, taurus ob utramque dispositionem; aliis ferus, ut judex; aliis mansuetus, ut salvator; cujus cornua essent crucis extima (11). Nam et in antenna navis (12), quæ crucis pars est, extremitates cornua vocantur (*c*): unicornis autem, media (13) stipitis, palus. Hac denique virtute crucis (*d*), et hoc more cornutus, universas gentes et nunc ventilat per fidem, auferens a terra in cœlum; et tunc per judicium ventilabit, dejiciens de cœlo in terram. Idem erit et alibi taurus apud eanidem scripturam, cum Jacob in Simeonem et Levi exporrigens benedictionem (14), id est (15), in Scribas et Pharisæos (ex illis enim deducitur census istorum) spiritaliter interpretatur. *Simeon et Levi* (*Genes.*, XLIX, 6) *perfecerunt iniquitatem*, ex sua hæresi, qua scilicet Christum sunt persecuti. *In concilium eorum ne venerit anima mea, et in stationem eorum ne incubuerint jecora mea: quia in indignatione sua interfecerunt homines*, id est Prophetas, *et in concupiscentia sua ceciderunt nervos*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Censendam *Rhen. Seml. Jun.*
(2) Extinxit. Non potest, *nihil intermedium, Rhen. Seml. Oberth. Jun.*
(3) Dominum *alii.*
(4) Exaudiat *Fran. Venet. Rig.*
(5) Cum *inser. Lat.*
(6) In *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Et venund. in Ægyptum *omitt. Seml.*
(8) Venund., a Juda *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Traditur. Nam et, *omitt. Seml.*
(10) A patre *inserit Seml.* aperte *alii.*
(11) Externa *Rhen. Seml. Oberth.*
(12) Antemna *Rhen. Seml. Oberth. et omitt.* navis.
(13) Medius *cod. Wouwer.*
(14) Exporr. bened. *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(15) Id est *omitt. Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quis enim in vobis, inquit, qui Deum metuit?* Ita hunc locum Is. L, citat et interpretatur B. Cyrillus Comm. in Is. ex quo etiam suppletur prior hujus scripturæ pars, quæ in exemplari, quo usus est B. Hieronymus, non reperiebatur, et tamen genuinam esse constat, utpote non hic modo citata, sed etiam lib. IV adv. Marc. cap. 22. PAM.

CAP. XVIII. — (b) *Tauri decor ejus, cornua unicornis.* Istud ipsum de Joseph a Moyse prolatum Deuter. XXXIII, non modo Justinus martyr, ex quo fere ad verbum hæc desumpsit Auctor, sed etiam B. August. quæst. in Deuter. cap. LVI, et Rhabanus in comm. de Christo interpretantur. PAM.

(c) *Extremitates cornua vocantur.* Sic apud Virgilium:

> Cornua velatarum obvertimus antennarum. LE PR.

(d) *Hac denique virtute crucis.* Maximam semper fuisse virtutem Crucis testantur cujuslibet temporis historiæ. Julianus quippe imp., licet apostata et Christianorum hostis, crucis signo se munire solebat contra spectra et nocturnos terrores. Id refert Gregorius Nazianz. orat. 1, in Julianum; et Corippus, lib. II, de Justino imp.:

> Egreditur cum lege sua, frontemque serenam
> Armavit, sancti faciens signacula ligni.

Veteres olim Christianos promiscue dictos fuisse Christicolas et crucicolas ob summam crucis venerationem docet Adhelmus lib. de Virg. cap. 17. LE PR.

tauro, id est Christo, quem post necem Prophetarum interfecerunt (1), et suffigendo nervos (2) ejus clavis desævierunt. Cæterum, vanum si, post homicidia, alicujus bovis illis exprobrat carnificinam. Jam vero Moyses, quid utique tunc tantum, cum Jesus adversus Amalech præliabatur, expansis manibus orabat (3) residens; quando in rebus tam attonitis, magis utique genibus depositis (4), et manibus cædentibus pectus, et facie humi volutante, orationem commendare debuisset; nisi quia illic ubi (5) nomen Domini Jesu (6) dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, crucis quoque erat habitus necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus? Idem rursus Moyses (*Num.* XXI) post interdictam omnis rei similitudinem, cur æreum serpentem, ligno impositum, pendentis habitu in spectaculum Israeli (7) salutare proposuit eo tempore quo a serpentibus exterminati sunt, nisi quod (8) et hic dominicæ crucis vim intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, et læso cuique a spiritalibus colubris, intuenti tamen et credenti in eam sanitas morsuum peccatorum, et salus (9) exinde prædicabatur.

CAPUT XIX.

Age nunc, si legisti penes David (*Ps.* XCV, 10), *Dominus regnavit a ligno*, expecto quid intelligas, nisi forte lignarium aliquem regem significari Judæorum, et non Christum, qui exinde a passione ligni superata morte regnavit. Etsi enim mors ab Adam regnavit usque ad Christum, cur Christus non regnasse dicatur a ligno, ex quo crucis ligno mortuus, regnum mortis exclusit? Proinde et Isaias (*Is.*, IX, 6): *Quoniam*, inquit, *puer natus est nobis, et datus est nobis filius* (10). Quid novi, si non de Filio Dei dicit (11)? *Cujus imperium factum est super humerum ipsius.* Qui omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert, et non aut capite diadema, aut manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam; Sed solus novus rex novorum ævorum Christus Jesus, novæ gloriæ et potestatem et sublimitatem suam humero extulit, crucem scilicet, ut, secundum superiorem prophetiam, exinde Dominus regnaret a ligno. Hoc lignum et Hieremias (*Jerem.*, XI, 9) tibi insinuat, dicturis prædicans Judæis: *Venite, mittamus* (12) *lignum in panem ejus*, utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit panem corpus suum appellans (*a*), ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani (13) dedisse, cujus retro corpus in panem Prophetes figuravit, ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo. Si adhuc quæris dominicæ crucis prædicationem, satis jam tibi potest facere vigesimus primus psalmus (*b*), totam Christi continens passionem, canentis jam tunc gloriam suam: *Foderunt*, inquit (*Ps.*, XXI, 17), *manus meas et pedes;* quæ proprie atrocitas (14) crucis. Et rursus, cum auxilium Patris implorat: *Salvum*, inquit (*ibid.* 22), *fac me ex ore leonis*, utique mortis; *et de cornibus unicornis* (15) *humilitatem;* de apicibus scilicet crucis, ut supra ostendimus. Quam crucem nec ipse David passus est, nec ullus rex Judæorum; ne putes alterius alicujus prophetari passionem, quam ejus (16) qui solus a populo tam insigniter crucifixus est. Nunc et si omnes istas interpretationes respuerit et irriserit hæretica duritia, concedam illi nullam Christi crucem significatam (17) a Creatore: quia nec ex hoc probabit alium esse qui crucifixus est, nisi forte ostenderit hunc exitum ejus a suo Deo prædicatum; ut diversitas passionum, ac per hoc etiam personarum, ex diversitate prædicationum vindicetur. Cæterum, nec ipso Christo ejus prædicato, nedum cruce ipsius, sufficit in meum Christum solius mortis prophetia. Ex hoc enim quod non est edita qualitas mortis, potuit et per crucem evenisse, tunc alii deputanda,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Interfecerunt *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(2) In nervos utique *vult Wouw.*
(3) Orat *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Positis *Fran.* dispositis *al.*
(5) Est *add. Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Jesu *omitt. Seml.*
(7) Israeli *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Proposuit? an et hic *cætera omitt. Rhen. Seml.*
(9) Sanitas *Seml.*
(10) Et datus est nobis filius *omitt. Seml. Jun.*
(11) Et datus est nobis *add. Seml.*
(12) Injiciamus *Seml.* conjiciamus *al.*
(13) Panis *Seml.*
(14) Propria atrocia *Seml.* proprie atrocia *Par.*
(15) Unicornlorum *Fran. legitur autem* unicornuorum *in libro adv. Judæos.*
(16) Prophetari passionem, quam ejus *omitt. Seml.*
(17) Significare me *Rhen.* spolia, pro eo, *cætera intermedia omitt. Seml. tanquam desumpta e libro adv. Jud.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIX.—(a) *Panem corpus suum appellans.* Quod his verbis confirmetur veritas corporis Domini in Eucharistia (juxta verba Evangelistarum et B. Pauli, ad quæ alludit Auctor) non nos modo...., sed et ipsi Magdeburgenses annotarunt, hoc loco comprobantes vere et substantialiter corpus Christi in Eucharistia distribui; in hoc duntaxat hallucinati, dum hunc locum citant uti probent panem cum corpore Domini remanere. Verum id... impugnavimus... vel eo ipso quod dicat: *Panem suum corpus appellans*, aut *faciens*, cum alioqui dicere debuisset, *in pane* vel *sub pane*. Neque vero obstat, quod hic additur: *Ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse* (sic enim legimus ex Vatic. 2, pro *pane*, quod magis placet quam conjectura Latinii, *corpori suo figuram pane dedisse*), quia... quodammodo et veritas corporis Christi, et figura est in hoc sacramento.... His adde quod merito quis addubitarit, num dicta verba, *ut et hinc jam*, etc., germana sint Auctoris necne, aut saltem omnia, eo quod supra libro *adv. Jud.*, neque in excusis legantur, neque in MS. codicibus. PAM.

(b) *Vigesimus primus psalmus totam Christi continens pass.* Similiter B. Justinus advers. Tryphonem: Istum, inquit, non in Christum conceptum esse aliis, cæcutientes prorsus, neque intelligentes, neminem in gente vestra, qui unquam Rex sive Christus sit dictus, manus et pedes cum viveret perfossum, neque per mysterium hoc mortuum, hoc est in cruce suspensum esse, extra hunc solum Jesum. Qua occasione proinde, pulcherrime psal. XXI integrum interpretatur et latissime. PAM.

si in alium fuisset prædicatum, nisi si nec mortem volet Christi mei prophetatam; quo magis erubescat, si suum quidem Christum mortuum annuntiat, quem negat natum: meum vero mortalem negat, quem nascibilem confitetur. Et mortem autem et sepulturam et resurrectionem Christi mei, una voce Isaiæ volo ostendere, dicentis (*Is.* LVIII, 2): *Sepultura ejus sublata de medio est.* Nec sepultus enim esset, nisi mortuus; nec sepultura ejus sublata de medio, nisi per resurrectionem. Denique subjecit (*Is.*, LIII, 12): *Propterea ipse multos hæreditati habebit et multorum dividet spolia.* Quis enim alius, nisi qui natus est, ut supra ostendimus? *Pro eo quod tradita est anima ejus in mortem.* Ostensa est enim caussa gratiæ hujus, pro injuria scilicet mortis repensandæ: pariter ostensum est, hæc illum propter mortem consecuturum (1), post mortem utique per resurrectionem consecuturum (2).

CAPUT XX.

Sufficit hucusque de his interim ordinem Christi decucurrisse, quo tali probatus qualiter annuntiabatur, non alius haberi debeat, quam qui talis annuntiabatur; ut jam ex ista consonantia rerum ejus, et Scripturarum Creatoris, illis etiam restituenda sit fides ex præjudicio majoris partis, quæ ad diversas sententias vel in dubium deducuntur, vel negantur. Amplius nunc superstruimus ea quoque paria ex Scripturis Creatoris, quæque post Christum futura præcinebantur. Nec enim dispositio expuncta inveniretur, si non ille venisset, post quem habebat evenire. Adspice universas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Deum Creatorem, et (3) ad Deum Christum; et si audes, nega prophetatum. Sed statim tibi in Psalmis (*Ps.*, II, 7) promissio Patris occurret (4): *Filius meus es tu, ego hodie generavi te. Postula de* (5) *me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Nec poteris magis David filium eum (6) vindicare, quam Christum; aut terminos terræ David potius promissos, qui intra unicam Judæorum gentem regnavit, quam Christo, qui totum jam orbem Evangelii sui fide cepit. Sic et per Esaiam (*Is.*, XLII, 6 7): *Ecce dedi te in dispositionem generis mei* (7), *in lucem nationum aperire oculos cæcorum*; utique errantium; *exsolvere de vinculis vinctos*, id est de delictis liberare; *et de cella carceris*, id est mortis; *sedentes in tenebris*, ignorantiæ scilicet. Quæ si per Christum eveniunt, non in alium erunt prophetata, quam per quem eveniunt. Item alibi (*Is.*, LV, 4): *Ecce testimonium cum nationibus posui, principem et imperantem nationibus. Nationes quæ te non sciunt, invocabunt te, et populi confugient ad te.* Nec enim hæc in David interpretaberis, quia præmisit: *Et disponam vobis dispositionem æternam, religiosa et fidelia David.* Atquin hinc magis Christum intelligere debebis ex David deputatum carnali genere, ob Mariæ virginis censum; de hoc enim promisso juratur in psalmo (*Ps.*, CXXXI, 11) ad David: *Ex fructu ventris tui collocabo super thronum tuum.* Quis iste venter est? ipsius David? Utique non; neque enim pariturus esset David. Sed nec uxoris ejus; non enim dixisset: *Ex fructu ventris tui*; sed potius, « Ex fructu ventris uxoris tuæ. » Ipsius ergo (8) dicendo ventrem, superest ut aliquem de genere ejus ostenderit, cujus ventris futurus esset fructus caro Christi, quæ ex utero Mariæ floruit. Ideoque et fructum ventris tantum nominavit, ut proprie ventris; quasi solius ventris, non etiam viri: et ipsum ventrem ad David redegit, ad principem generis, et familiæ patrem. Nam quia viro deputare non poterat virginis eum ventrem (9), patri deputavit. Ita, quæ in Christo nova dispositio invenitur hodie, hæc erit quam tunc Creator pollicebatur; religiosa et fidelia David, jam sancta religione, et fidelis ex resurrectione. Nam et Nathan propheta in secundo (10) Basiliarum, professionem ad David facit: *Semini ejus quod erit*, inquit, *ex ventre ipsius* (II *Reg.*, VII, 12) (11). Hoc si in Salomonem simpliciter edisseres, risum mihi incuties. Videbitur enim David peperisse Salomonem. An et hic Christus significatur, ex eo ventre semen David, qui esset ex David, id est Mariæ? Quin (12) et ædem Dei magis Christus ædificaturus esset, hominem scilicet sanctum, in quo potiore templo inhabitaret Dei Spiritus et in Dei Filium magis Christus habendus esset, quam Salomon filius David. Denique et thronus in ævum, et regnum in ævum, magis Christo competit quam Salomoni, temporali scilicet regi. Sed et (13) a Christo misericordia Dei non abscessit; Salomoni vero etiam ira Dei accessit post luxuriam et idololatriam. Suscitavit enim illi Satan (14) hostem idumæum. Cum ergo nihil horum competat in Salomonem, sed in Christum, certa erit ratio interpretationum nostrarum, ipso etiam exitu rerum probante, quas in Christum apparet prædicatas; et ita in hoc erunt sancta et fidelia David. Hunc Deus testimonium nationibus posuit, non David: principem et imperantem nationibus, non David, qui soli Israeli imperavit. Christum hodie invocant nationes, quæ eum non sciebant; et populi ad Christum hodie confugiunt, quem retro ignorabant. Non potest futurum dici, quod vides fieri.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Propter mortem consecuturum *rejic. Jun.*
(2) Consecuturus *Seml.*
(3) Et *omitt. Seml.*
(4) Occurrit *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) A *Fran.*
(6) Ejus *Seml.*
(7) Mei *rejic. Seml. Jun.* ex LXX.
(8) Autem *Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Eum ventrem *deerant in Rhen.*
(10) Prima *Seml.* primo *Par.*
(11) Semen tuum... tuo *Fran.*
(12) Quia *Rhen. Seml. Oberth.*
(13) Et *omitt. Seml.*
(14) Id est *add. Fran.*

CAPUT XXI.

Si nec illam injectionem tuam potes sistere ad differentiam duorum Christorum; quasi Judaicus quidem Christus populo soli ex dispersione redigendo destinetur a Creatore, vester vero omni humano generi liberando collatus sit a Deo optimo; cum postremo priores inveniantur Christiani Creatoris, quam Marcionis; exinde vocatis omnibus populis in regno ejus, ex quo Deus regnavit a ligno, nullo adhuc Cerdone, nedum Marcione. Sed et revictus de nationum vocatione, convertere jam in proselytos. Quæris qui de nationibus transeant ad Creatorem, quando et proselyti diversæ et propriæ conditionis seorsum a Propheta nominentur: *Ecce*, inquit Esaias (*Is.*, XVI, 4), *Proselyti per me accedent ad te*; ostendens ipsos quoque proselytos per Christum accessuros ad Deum. Et (1) nationes, quod sumus nos, proinde suam habebant (2) nominationem, sperantes in Christum: *Et in nomine*, inquit (*Is.*, XLII, 4), *ejus nationes sperabunt*. Proselyti autem, quos in nationum prædicatione substituis, non in Christi nomine sperare solent, sed in Moysi ordine, a quo institutio illorum est. Cæterum, allectio nationum a novissimis diebus exorta est. Ii dem verbis Esaias (*Is.*, II, 12): *Et erit*, inquit, *in novissimis diebus manifestus mons Domini*; utique sublimitas Dei; *et ædes Dei super summos montes*; utique Christus, catholicum Dei templum, in quo Deus colitur, constitutum super omnes (3) eminentias virtutum et potestatum: *Et venient ad eum universæ nationes; et ibunt multi, et dicent: Venite, ascendamus in montem Domini, et in ædem Dei Jacob; et annuntiabit nobis viam suam, et incedemus in ea. Ex Sion enim exibit lex, et sermo Domini ex Hierusalem*. Hæc erit via sua, novæ legis Evangelium, et novi sermonis, in Christo jam, non in Moyse. *Et judicabit inter nationes*; de errore scilicet earum. *Et revincent populum amplum*, ipsorum in primis Judæorum et proselytorum. *Et concident machæras suas in aratra, et sibynas in falces* (a), id est, animorum nocentium, et linguarum infestarum, et omnis malitiæ atque blasphemiæ ingenia convertent in studia modestiæ et pacis. *Et non accipiet gens super gentem machæram*: utique discordiæ; *et non discent amplius bellare*, id est, inimicitias perficere; ut et hic discas Christum non belli potentem, sed paciferum repromissum. Hæc aut (4) prophetata nega, cum coram videntur; aut adimpleta, cum leguntur. Aut si non negas utrumque, in eo erunt adimpleta, in quem sunt prophetata. Inspice enim adhuc etiam ipsum introgressum, atque decursum vocationis in nationes, a novissimis diebus adeuntes ad Deum creatorem, non in proselytos, quorum a primis magis diebus est (5) allectio. Etenim fidem istam Apostoli induxerunt.

CAPUT XXII.

Habes et Apostolorum opus prædicatum: *Quam tempestivi pedes evangelizantium bona!* non bellum, nec mala (6). Respondit et Psalmus (*Ps.*, XVIII, 4): *In omnem terram exivit sonus eorum, et in terminos terræ voces eorum*; circumferentium scilicet legem ex Sion profectam et sermonem Domini ex Hierusalem; ut fieret quod scriptum est (*Is.*, XLVI, 12-13): *Longe quique a justitia mea appropinquaverunt justitiæ meæ et veritati*. Cum huic negotio accingerentur Apostoli, renuntiaverunt presbyteris, et archontibus, et sacerdotibus Judæorum. Annon vel maxime, inquit (7), ut alterius Dei prædicatores? Atquin (8) ipsius ejusdem, cujus scripturam cum maxime implebant. *Divertite, divertite*, inclamat Esaias (*Is.*, LII, 11), *excedite illinc, et immundum ne attigeritis*; blasphemiam scilicet in Christum. *Excedite de medio ejus*, utique synagogæ; *separamini* (9) *qui dominica* (10) *vasa portatis*. Jam enim, secundum supra scripta (*Ibid.*, 10), *revelaverat Dominus brachio suo sanctum*, id est, virtute sua Christum, *coram nationibus, ut viderint universæ nationes* et *summa terræ salutem, quæ erat a Deo*. Sic et ab ipso judaismo divertentes, cum Legis obligamenta et onera evangelica jam libertate mutarent, psalmum (*Ps.* II, 3) exsequebantur: *Disrumpamus vincula eorum, et abjiciamus a nobis jugum eorum*: postea certe quam *tumultuatæ sunt gentes, et populi meditati sunt inania: astiterunt reges terræ, et principes congregati sunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus*. Quæ dehinc passi sunt Apostoli? Omnem, inquis, iniquitatem persecutionum, ab hominibus scilicet Creatoris, ut adversarii ejus quem prædicabant. Ecquid (11) Creator, si adversarius erat Christi, non modo prædicat hoc passuros apostolos ejus, verum et exprobrat? Nam neque prædicaret alterius Dei ordinem, quem ignorabat, ut vultis; neque exprobrasset, quod ipse curasset. Videte quomodo (*Is.*, LVII, 1) *perit justus, neque quisquam excipit corde, et viri justi auferuntur, nec quisquam animadvertit. A persona enim injustitiæ* (12) *sublatus est justus*. Quis, nisi Christus? *Venite*, inquiunt (*Sap.*, II, 12), *auferamus justum, quia inutilis est nobis*. Præmittens itaque, et subjungens proinde passum etiam Christum, æque justos ejus eadem passuros, tam apostolos, quam et deinceps omnes fideles prophetavit, signatos

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ut *cod. Wouw.*
(2) Habeant *Seml.*
(3) Enim *add. Seml.*
(4) Autem *al.*
(5) Est *omitt. Seml.* allectio est *al. volunt.*
(6) Malum *Seml.*
(7) Inquis *Jun.*
(8) Inquit *add. Fran.*
(9) Separemini *Fran.*
(10) Domini *Seml.*
(11) Et qui *Par. Fran.* et quæ *Rhen.*
(12) Justitiæ *al.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXI. — (a) *Sibynas in falces.* Apud Esaiam juxta LXX versionem græce legitur, καὶ τὰς ζιβύνας αὐτῶν εἰς ἔρπετα. Est autem ζιβύνη venabuli genus auctore Tertulliano. Suidas ὁλοσίδηρον ἀκόντιον significare scribit, hoc est telum prorsus ferreum, nonnunquam λόγχην sive σκέλην, id est lanceam vel ensem. RHEN.

illa nota scilicet, de qua Ezechiel (*Ezech.*, IX, 4) : *Dicit Dominus ad me : Pertransi* (1) *medio portæ in media* (2) *Hierusalem, et da signum* (3) *Tau in frontibus virorum.* Ipsa est enim littera Græcorum Tau (*a*), nostra autem T, species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram et catholicam Hierusalem, in qua fratres Christi, filios scilicet Dei, gloriam Patri Deo relaturos, psalmus vigesimus primus (*Ps.* XXI, 23) canit ex persona ipsius Christi ad Patrem : *Enarrabo nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ hymnum tibi dicam.* Quod enim in nomine et spiritu ipsius hodie fieri habeat, merito a se futurum prædicabat. Et paulo infra : *A te laus mihi in ecclesia magna.* Et in sexagesimo septimo (*Ps.* LXVII, 28) : *In ecclesiis benedicite Dominum Deum ;* ut pariter concurreret et Malachiæ prophetia (*Malach.*, I, 10) : *Non est voluntas mea, dicit Dominus, et sacrificia vestra non accipiam ; quoniam ab ortu solis usque in occasum nomen meum glorificatum est in nationibus, et in omni loco sacrificium nomini meo offertur, et sacrificium mundum ;* gloriæ scilicet relatio, et benedictio, et laus, et hymni. Quæ omnia cum in te quoque deprehendantur, et signaculum frontium, et ecclesiarum sacramenta, et munditiæ sacrificiorum, debes jam erumpere uti dicas, Spiritum Creatoris tuo Christo prophetasse.

CAPUT XXIII.

Nunc quia cum Judæis negas venisse Christum eorum, recognosce et exitum ipsorum, quem post Christum relaturi prædicabantur, ob impietatem qua eum et (4) despexerunt, et interemerunt. Primum enim ex die, qua secundum Esaiam (*Is.*, II, 20), *Projecit homo aspernamenta sua aurea et argentea, quæ fecerunt adorandis vanis et noctuis* (5) ; id est, ex quo genus hominum, dilucidata per Christum veritate, idola projecit ; vide an quod sequitur expunctum sit : *Abstulit* (*Is.*, III, 1, 2) *enim Dominus sabaoth a Judæa, et ab Hierusalem inter cætera, et prophetam, et sapientem architectum ;* Spiritum scilicet Sanctum, qui ædificat Ecclesiam, templum scilicet et domum et civitatem Dei : nam exinde apud illos destitit Dei gratia. *Et* (*Is.*, V, 6) *mandatum est nubibus, ne pluerent imbrem super vineam Sorech ;* id est, cœlestibus beneficiis, ne provenirent domui Israelis. Fecerat enim *spinas*, ex quibus Dominum coronaverat ; *et non justitiam, sed clamorem* quo in crucem cum extorserat (6). Et ita subtractis charismatum roribus (7), Lex et Prophetæ usque ad Joannem. Dehinc, cum ex (8) perseverantia furoris, et nomen Domini per ipsos blasphemaretur, sicut scriptum est (*Is.* LII, 5) : *Propter vos blasphematur nomen meum in nationibus* (ab illis enim cœpit infamia) et tempus medium a Tiberio usque ad Vespasianum (*b*), non pœnitentiam intellexissent (9), *facta est terra eorum deserta* (*Is.* I, 7), *civitates eorum exustæ igni* (10), *regionem eorum sub ipsorum conspectu extranei devorant ; derelicta est* (11) *filia Sion*, (12) *tanquam specula in vinea, vel in cucumerario casula* (*c*) ; *ex quo scilicet Israel Dominum non cognovit, et populus eum non intellexit, sed dereliquit, et in indignationem provocavit Sanctum Israelis.* Sic et machæræ conditionalis comminatio (*Ps.* I, 20) : *Si nolueritis, nec audieritis me, machæra vos comedet ;* probavit Christum fuisse, quem non audiendo, perierunt. Qui et in psalmo quinquagesimo octavo, dispersionem eis postulat a Patre (*Ps.* LVIII, 12) : *Disperge eos in virtute tua.* Qui et rursus per Esaiam, in exustionem eorum perorans : *Propter me*, inquit, *hæc facta sunt vobis : in anxietate dormietis.* Satis vane, si hæc non propter eum passi sunt, qui propter se passuros promuntiarat, sed propter Christum Dei alterius. Atquin Christum, inquam, alterius Dei dicit, a Creatoris virtutibus et potestatibus, ut ab æmulis in crucem actum. Sed ecce defensus ostenditur a Creatore (*Is.* LIII, 9) : *et dati sunt pessimi pro sepultura ejus ;* qui scilicet subreptum eum asseveraverant : *et locupletes pro morte ejus ;* qui scilicet et a Juda traditionem redemerant, et a militibus falsum testimonium cadaveris subrepti. Igitur, aut non propter illum acciderunt ista Judæis ; sed revinceris conspirante (13) sensu Scripturarum cum exitu rerum et ordine temporum ; aut si propter illum acciderunt, non potuit Creator ulcisci, nisi suum Christum, remuneraturus potius Judam, si adversarium Domini sui peremissent. Certe si nondum venit Christus Creatoris, propter quem hæc passuri prædicantur, cum venerit ergo, patientur. Et ubi tunc filia Sion derelinquenda, quæ nulla hodie est ? ubi civitates exurendæ, quæ jam in tumulis ? ubi dis-

LECTIONES VARIANTES.

(1) In *add. Seml.*
(2) Portæ mediam *Fran.*
(3) Signa *Seml.*
(4) Et *omitt. Seml.*
(5) Nocivis *al.*
(6) Extruserat *conj. Jun.*
(7) Charismatis prioribus *al.* ; charismatum rationibus *alii.*
(8) Ea *Seml.*
(9) Cum pœnitentiam ii neglexissent *Jun.* pœnitentiæ *Lat.*
(10) Igni *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(11) Est *omitt. Seml.*
(12) Et *add. Seml.*
(13) Et *add. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXII. — (a) *Ipsa est enim litera Græcorum Tau, nostra autem*, etc. Hoc ipsum imitati videntur patres nostri, dum in Missalibus antiquis initio canonis in littera T, ubi legitur : *Te igitur, clementissime Pater*, solent pictam exhibere crucem Christi : in cujus hodie locum successit ipsa crucis imago pagina proxime præcedenti. Et vero Tertullianum fere ad verbum imitatus B. Hieronymus in Comment. : *Extrema*, inquit, Tau *litera crucis habet similitudinem quæ in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur.* PAM.

CAP. XXIII. — (b) *Et Tempus medium a Tiberio*, etc. Vespasianum nominat, eo quod sub illo vastata sit Jerusalem, uti ex Josephi et Philonis historiis judaicis notius est, quam ut pluribus sit opus. PAM.

(c) *In cucumerario casula.* Casula diminutivum a *casa* quæ Græcis καλύβη. LE PR.

persio gentis, quæ jam extorris? Redde statum Judææ, quem Christus Creatoris inveniat, et alium contende venisse. Jam vero quale est, ut per cœlum suum admiserit, quem in terra sua esset interempturus, honestiore et gloriosiore regni sui regione violata, ipsa aula sua et arce calcata? An hoc magis affectavit? Plane Deus (1) zelotes, tamen vicit. Erubesce, qui victo Deo credis. Quid sperabis ab eo qui se protegere non valuit? Aut enim per infirmitatem oppressus est a virtutibus et hominibus Creatoris, aut per malitiositatem, ut tantum illis sceleris patientia infigeret.

CAPUT XXIV.

Imo, inquis, spero ab illo quod et ipsum faciat ad testimonium diversitatis regnum Dei æternæ et cœlestis possessionis. Cæterum, vester Christus pristinum statum Judæis pollicetur, ex restitutione terræ, et post decursum vitæ, apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium. Deum optimum! si reddit placatus, quod et abstulerat iratus. O Deum tuum qui et cædit et sanat, condit mala et facit pacem! O Deum etiam ad inferos usque misericordem! (*a*) Sed de sinu Abrahæ suo tempore. De restitutione vero Judææ, quam et ipsi Judæi, ita ut describitur, sperant, locorum et regionum nominibus inducti, quomodo allegorica interpretatio in Christum et in Ecclesiam, et habitum et fructum ejus spiritaliter competat, et longum est persequi, et (*b*) in alio opere digestum, quod inscribimus, *De spe fidelium*; et in præsenti vel eo otiosum, quia non de terrena, sed de cœlesti promissione sit quæstio. Nam et confitemur in terra nobis regnum repromissum; sed ante cœlum, sed alio statu; utpote post resurrectionem in mille annos, (*c*) in civitate divini operis Hierusalem cœlo delata, quam et Apostolus matrem nostram sursum designat, et politeuma nostrum, id est, municipatum in cœlis esse pronuntians, alicui utique cœlesti civitati eum deputat. Hanc et Ezechiel novit (*Ezech.* XLVIII), et apostolus Joannes vidit (*Apoc.* XII), et qui apud fidem nostram est, novæ prophetiæ sermo testatur, ut etiam effigiem civitatis ante repræsentationem ejus conspectu futuram in signum prædicarit. (*d*) Denique proxime (2) expunctum est orientali expeditione. (*e*) Constat enim, ethnicis quoque testibus, in Judæa per dies quadraginta matutinis momentis civitatem de cœlo pependisse, omni mœniorum habitu evanescente de profectu diei, et alias de proximo nullam. Hanc dicimus excipiendis resurrectione sanctis, et refovendis omnium bonorum utique spiritalium copia in compensationem eorum quæ in sæculo vel despeximus, vel amisimus, a Deo prospectam. Siquidem et justum, et Deo dignum, illic quoque exultare famulos ejus, ubi sunt et afflicti in nomine ipsius. Hæc ratio regni terreni, post cujus mille annos, intra quam ætatem concluditur sanctorum resurrectio, pro meritis maturius vel tardius resurgentium, tunc et mundi destructione, et judicii (*f*) conflagratione commissa, demutati in atomo in angelicam substantiam, scilicet per illud incorruptelæ superindumentum, transferemur in cœleste regnum, de quo nunc sic ideo retractatur, quasi non prædicato apud Creatorem, ac per hoc, alterius Dei Christum probante, a quo primo et solo sit revelatum. Disce jam hinc illud et prædicatum a Creatore, et sine prædicatione credendum apud Creatorem. Quid tibi videtur, cum Abrahæ semen, post primam promissionem, qua (3) in multitudinem arenæ repromittitur, ad instar quoque stellarum destinatur; nonne et terrenæ et cœlestis dispositionis auspicia sunt? Cum Isaac benedicens Jacob filium suum: *Det*, ait (*Gen.* XXVII, 28), *tibi Deus de rore cœli, et de opimitate terræ*; nonne utriusque indulgentiæ exempla sunt? Denique animadvertenda est hic etiam structura benedictionis ipsius. Nam circa Jacob, qui quidem posterioris et prælatioris populi figura est, id est nostri,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deus *omitt. Seml.*
(2) Proxime *rejic. Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Quam *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXIV. — (a) *Sed de sinu Abrahæ.* Alludit ad lib. *de Paradiso*, aut potius ad lib. IV. *Adv. Marc.* cap. 4, ubi tractat illud Lucæ XVI quod legitur de sinu Abrahæ, in quo Lazari refrigerium; et de inferis, ubi directe tormenta describuntur, ostendens aliud esse inferos, aliud sinum Abrahæ. Pam.

(b) *In alio opere digestum quod inscribimus. De spe fidelium.* Hoc Tertulliani opus Agobardino codice continebatur, aut eo certe exemplari unde suum describi curavit Agobardus. Nam et hodie comparet titulus inter libros viginti quatuor indice comprehensos. Istius autem operis meminit Hieronymus in Papia Hierapolitano, et cap. 36 Commentarior. in Ezechielem, atque etiam in Præfatione decimi octavi in Isaiam. Rig.

(c) *In civitate divini operis Hierusalem cœlo delata.* Auream atque gemmatam in terris Hierusalem sperabant nimis creduli judaicis fabulis, quas illi δευτερώσεις appellabant, decepti verbis quibusdam Ezechielis et Isaiæ perperam intellectis. Inde Papias primum, mox et Justinus, qui viros ea spe gaudentes ὁρθογνώμονας κατὰ πάντα Χριστιανούς vocat; tum et Irenæus, et Septimius noster, et Victorinus Pictaviensis, et Lactantius, et alii. Hieronymus in illa ad Isaiam præfatione, compositum fuisse ait ab Dionysio Alexandrino librum adversus Irenæum, eoque libro fabulam eleganter derisam. Augustinus lib. XX de Civitate Dei, opinionem fuisse ait utcumque tolerabilem, si aliquæ deliciæ spiritales in illo sabbato, hoc est, septimo millenario annorum affuturæ sanctis per Domini præsentiam crederentur. Quin etiam hujusce opinionis seipsum aliquando fuisse fatetur. Rig.

(d) *Denique proxime expunctum est orientali expeditione* Severi, scilicet, adversus Parthos. Rig. — Prodigium istud hactenus reperire apud ethnicos, imo nec apud ecclesiasticos historiæ scriptores potui, quare lectori diligenti inquirendum relinquo, an in expeditione orientali Severi Imperatoris de qua loqui videtur Auctor aliquid tale contigerit in Judæa. Pam.

(e) *Constat enim Ethnicis quoque testibus.* Atque hoc inter prodigia relato credibile est Chiliastarum sive Milliariorum opinionem valde confirmatam fuisse. Rig.

(f) *Conflagratione commissa.* Igne dato. Nimirum suprema illa ἐκπυρώσει. Rig.

prima promissio cœlestis est roris; secunda, terrenæ opimitatis. Nos enim primo ad cœlestia invitamur, cum a sæculo avellimur, et ita postea invenimur etiam terrena consecuturi. Et (*a*) evangelium vestrum quoque habet: *Quærite primum regnum Dei, et hæc adjicientur vobis* (*Luc.* XII, 31). Cæterum, ad Esau pro mittit benedictionem terrenam, et subjicit cœlestem: *De opimitate terræ*, dicens (*Gen.* XXVII, 39), *erit inhabitatio tua, et a rore cœli.* Judæorum enim dispositio in Esau, priorum natu et posteriorum affectu filiorum, a terrenis bonis imbuta per legem, postea ad cœlestia per Evangelium credendo deducitur. Cum vero Jacob (*Gen.* XXVIII) somniat scalas obfirmatas in terra ad cœlum, et angelos alios ascendentes, et alios descendentes, innixum desuper Dominum, temere si forte interpretabimur, scalis his iter ad cœlum demonstrari, quo alii perveniant, unde alii decidant, Domini constitutum esse judicio (1). Cur autem ut evigilavit, et primum loci horrore concussus est, convertitur ad interpretationem somnii? Cum enim dixisset: *Quam terribilis est locus iste! non est*, inquit, *aliud, sed ædes Dei*, et hæc porta cœli. Christum Dominum enim viderat, templum Dei, et portam eumdem, per quem aditur cœlum. Et utique portam cœli non nominasset, si cœlum non aditur apud Creatorem. Sed est et porta quæ recipit, et quæ perducit, strata jam a (2) Christo; de quo Amos (*Amos*, IX, 6): *Qui ædificat in cœlum ascensum suum*; utique non sibi soli, sed et suis qui cum illo erunt, et, *Circumdabis enim illos tibi*, inquit (*Is.* XLIX, 18), *tanquam ornamentum sponsæ.* Ita per illum ascensum ad cœlestia regna tendentes, miratur Spiritus dicens (*Is.* XXXI, 5; LX, 8): *Volant velut qui sunt milvi. Ut nubes volant et* (3) *velut pulli columbarum ad me*; scilicet simpliciter ut columbæ. Auferemur enim in nubibus (4) obviam Domino, secundum Apostolum (I *Thess.* IV, 17) (illo scilicet *filio hominis veniente in nubibus*, secundum Danielem (*cap.* VII), *et ita semper cum Domino erimus*, eatenus dum et in terra et in cœlo qui ob utriusque promissionis ingratos, ipsa elementa etiam testatur (*Is.* I, 2): *Audi cœlum, et in aures percipe terra.* Et ego quidem, etiamsi nullam spei cœlestis manum mihi toties Scriptura porrigente satis haberem hujus quoque promissionis præjudicium, quod jam terrenam gratiam teneam, exspectarem aliquid et de cœlo, a Deo cœli, sicut et terræ ita crederem Christum sublimiora pollicentem, ejus esse qui et humiliora promiserat, qui (5) experimenta majorum de parvulis fecerat, qui hoc inauditi si forte regni præconium soli Christo reservaverat, ut per famulos quidem terrena gloria, cœlestis vero per ipsum Deum annuntiaretur. At tu hinc quoque alium argumentaris Christum, quod regnum novum annuntiet. Prius est, aliquod exemplum indulgentiæ proferas, ne merito dubitem de fide tantæ promissionis, quam sperandam dicis, imo ante omnia est, ut quem cœlestia prædicas repromittere aliquod, cœlum probes ejus. At nunc vocas ad cœnam, nec domum ostendis: allegas regnum, nec regiam monstras. An quia Christus tuus cœleste regnum repromittit, non habens cœlum (*b*), quomodo et hominem præstitit, non habens carnem? (*c*) O phantasma inane (6), præstigia magna etiam promissionis!

A B C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Judicium *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Strata via a Chr. *Lat.*
(3) Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et *inserit Jun.*
(4) Nubes *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Et *add. Fran.*
(6) Omne *Seml. Pamel. Rhen. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Evangelium vestrum quoque habet.* Evangelium Martionis citat, quod in suos usus corruptum servabat. Fuisse autem Lucæ Evangelium in quod manus temerarias injecerat, conjicio. Vide quæ ad cap. ult. libri sequentis. LE PR.

(b) *Non habens cœlum.* Hæc sunt in hunc modum continuanda: *An quia Christus tuus cœleste regnum repromittit, non habens cœlum, quomodo et hominem præstitit non habens carnem?* RIG.

(c) *O phantasma inane!* Sic ipse, lib. IV: *Solidi corporis veritatem, non phantasma inane tractaverit.* RIG.

LIBER QUARTUS.

Scripturus Tertullianus adversus opus Marcionis ex contrarietatum oppositionibus Antitheses cognominatum, ad separationem Legis et Evangelii coactum, qua duos Deos diversos, alterum Veteris, alterum Novi Testamenti dividebat,

c. 1. *In primis diversitatem præceptorum et disciplinarum non negans, in unum et eumdum Deum competere demonstrat; ex eo quod ipse Deus creator per Prophetas suos aliam legem novam, Evangelii nempe, orituram prædixerit pro Veteri, ac testamentum æternum pro temporali.*

D c. 2. *Deinde, non solum Lucæ Evangelium (quod Marcion adulteratum admittebat, nullo tamen adscripto titulo), sed etiam Joannis et Matthæi apostolorum, et Marci apostolici viri, non minus ac Lucæ, auctoritatem habere præscribit.*

c. 3. *Neque vero obstare quod apostolus Paulus ad Galatas apostolos reprehendat; non enim de Evangelii depravatione aut interpolatione, sed de conversatione tantum fuisse denotatos, imo ipsa eorum Evangelii digesta a pseudo-apostolis fuisse perversa.*

c. 4. *Atqui, dum disputatur de titulo Evangelii, quod*

Marcion suum, Auctor item suum, id est Lucæ, affirmat adulteratum; ei præscribi auctoritatem, quod antiquius reperiatur, et illi vitiationem quod posterius; maxime, cum Marcion aliquanto catholicæ Ecclesiæ crediderit, et postea in hæresim descierit.

c. 5. *Quippe, cum Lucæ Evangelium auctoritatem habeat ab Ecclesiis apostolicis, apud quas quod sacrosanctum est, ab Apostolis traditum constat; et proinde etiam cætera Evangelia, Joannis, Matthæi, et Marci; sed et Apocalypsis, ex ordine episcoporum ad originem recenso.*

c. 6. *Porro ad institutum veniens Auctor, nullam esse Veteris et Novi Testamenti diversitatem, vel inde præscribit, quod Christus noster impleverit prophetias Creatoris, et repræsentaverit promissiones ejus, ac leges adjuverit.*

c. 7. *Quod ipsum primum comprobat ex capite quarto Lucæ sub finem, de dæmonio expulso in synagoga Capharnaum, eo quod tria Lucæ prima capita, et initium quarti, tanquam suæ sententiæ contraria erasisset Marcion.*

c. 8. *Ex eodem capite, partim ante, partim post dictam historiam (nam etiam hoc transposuerat Marcion) de doctrina Christi apud Nazareth in synagoga, et aliis dæmoniis.*

c. 9. *Item ex capite quinto Lucæ, de vocatione apostolorum Simonis et filiorum Zebedæi, ac leproso mundato;*

c. 10. *Ex eodem de paralytico curato, et appellatione Filii hominis.*

c. 11. *De publicano allecto a Domino, et de jejunio, ac Christo sponso, et parabola vini novi ac veteris, ex eodem capite.*

c. 12. *Dein ex capite* VI, *de discipulis colligentibus spicas, ac sanata manu arida in sabbato.*

c. 13. *Ex eodem, de ascensu et oratione nocturna in monte, apostolorum duodecim numero, mutatione nominis Petri, ac conventu gentium ad Christum.*

c. 14. *De beatitudinibus, seu sermone Domini in monte, ex eodem.*

c. 15. *De variis maledictionibus, quibus Væ Pharisæis imprecatus est, ex eodem.*

c. 16. *De præcepto dilectionis tam inimicorum quam proximi, ex eodem.*

c. 17. *De fœnore interdicto, aliisque Domini verbis pene ad finem usque ejusdem capitis.*

c. 18. *Ex capite etiam* VII *Lucæ de fide centurionis, resuscitato filio viduæ, Joanne Baptista et muliere peccatrice.*

c. 19. *Posthæc ex capite* VIII *Lucæ, de divitibus mulieribus adhærentibus Christo, de verbis Domini ad discipulos, et de matre ac fratribus Christi.*

c. 20. *De miraculis Christi, quibus ventis ac mari imperavit, legionem dæmonum ejecit, et fluxum sanguinis curavit in muliere, ex eodem.*

c. 21. *Ex* IX *item capite Lucæ, de discipulis ad prædicandum missis, pasto populo in solitudine, confessione Petri:* Tu es Christus, *et prædicta persecutione fidelium.*

c. 22. *De ostensione Christi cum Moyse et Helia in secessu montis, ex eodem.*

c. 23. *De verbis Domini ad Pharisæos, dilectione parvulorum, et increpatione ejus qui dixerat:* Sequar te quocumque ieris, *ex eodem.*

c. 24. *Porro et ex capite* X *Lucæ, de allectione* LXX *discipulorum, et potestate illis data.*

c. 25. *De oratione Domini ad Patrem, verbis ad discipulos, et responso facto legis doctori, ex eodem.*

c. 26. *Exinde ex capite* XI *Lucæ, de Oratione dominica, aliisque orandi formis et parabolis eo pertinentibus; de surdo dæmonio expulso, ac de exclamatione mulieris de turba.*

c. 27. *De Pharisæis signum petentibus, et aliis eorumdem increpationibus, ex eodem.*

c. 28. *Ex capite* XII *Lucæ, de verbis Domini variis ad discipulos, et parabola divitis blandientis sibi de proventu agrorum suorum.*

c. 29. *De cura non agenda animæ de victu, et corpori de vestitu, succingendis lumbis, ac servis beatis, et igne misso in terram, aliisque verbis Domini; ex eodem capite.*

c. 30. *Rursus ex capite* XIII *Lucæ, de curatione Sabbato facta, parabolis, aliisque verbis Domini.*

c. 31. *Etiam ex capite Lucæ* XIV, *quales ad cœnam vel prandium vocandi sint, ac de cœna ad quam vocavit multos.*

c. 32. *Item ex capite* XV *Lucæ, de ove et dragma perditis et inventis.*

c. 33. *Ex capite etiam* XVI *Lucæ, de duobus dominis, Deo et Mammona, ac dicto Domini: Lex et Prophetæ usque ad Joannem.*

c. 34. *De divortio prohibito, ac proinde conjugio approbato, et inferno ac sinu Abrahæ, ex eodem.*

c. 35. *Deinceps ex cap.* XVII *Lucæ, de verbis Domini diversis, leprosis decem curatis, et interrogatione Pharisæorum de regno Dei.*

c. 36. *Similiter ex cap.* XVIII *Lucæ, de parabolis judicis, ac Pharisæi et Publicani orantium in templo, verbis Domini ad adolescentem divitem, et cæco curato.*

c. 37. *Ex capite etiam* XIX *Lucæ, de Zachæo, et servorum parabola qui secundum rationem fœneratæ pecuniæ dijudicantur.*

c. 38. *Item ex cap.* XX *Lucæ de variis verbis Domini ad Pharisæos, Principes Sacerdotum, Sadducæos, et Scribas.*

c. 39. *Præterea et ex* XXI *Lucæ capite, de venturis in nomine Christi et signis ultimi finis, ac de doctrina Christi in templo et secessu in montem elæonem.*

c. 40. *Idem ex cap.* XXII *Lucæ, de die Paschæ electo ad Passionem, venditione ac proditione Judæ, et de distributione corporis et sanguinis Christi.*

c. 41. *De imprecatione illi facta, per quem traderetur Filius hominis, ac osculo traditoris; et de responso Domini ad interrogationem an ipse esset Christus, ex eodem capite.*

c. 42. *Ex capite quoque* XXIII *Lucæ, de simili responso in domo Pilati, judicio apud eumdem Pilatum et*

Herodem, crucifixione, signis in morte, expiratione, et sepultura Domini.

CAP. XLIII. *Denique ex cap.* XXIV *Luca, de mulieribus ad sepulcrum cum odorum paratura, de resurrectione post biduum, de apparitionibus Christi, quæ mulieribus, discipulis ac Apostolis factæ sunt, et de missione Apostolorum ad prædicandum universis nationibus.*

CAPUT PRIMUM.

Omnem sententiam (*a*) et omnem paraturam impii atque sacrilegi Marcionis ad ipsum jam Evangelium ejus provocamus, quod interpolando suum fecit. Et ut fidem instrueret, dotem quamdam commentatus est illi, opus ex contrarietatum oppositionibus, *Antitheses* cognominatum (*b*), et ad separationem Legis et Evangelii coactum, qua duos Deos dividens, proinde diversos, alterum alterius Instrumenti, vel (quod magis usui (1) est dicere) Testamenti; ut exinde Evangelio quoque secundum antitheses credendo patrocinaretur. Sed et istas proprio congressu cominus, id est, per singulas injectiones Pontici cecidissem, si non multo opportunius in ipso et cum ipso Evangelio, cui procurant, retunderentur. Quamquam tam facile est præscriptive occurrere, et quidem (2) ut accepto eas faciam, ut rato habeam, ut nobiscum facere dicam, quo magis de cæcitate auctoris sui erubescant nostræ jam antitheses adversus Marcionem. Atque confiteor alium ordinem decucurrisse in veteri dispositione apud Creatorem, alium in nova apud Christum. Non nego distare documenta eloquii, præcepta virtutis, legis disciplinas; dum tamen tota diversitas in unum et eumdem Deum competat; illum scilicet a quo constat (3) dispositam, sicut et prædicatam. Olim concionatur Isaias (*Is.* II, 3), *prodituram ex Sion legem, et sermonem Domini ex Hierusalem:* aliam utique legem, aliumque sermonem. Denique: *Judicabit*, inquit, *inter nationes, et traducet populum plurimum;* scilicet non unius gentis Judæorum, sed nationum, quæ per novam legem Evangelii et novum sermonem Apostolorum judicantur et traducuntur apud semetipsas de pristino errore, simul crediderunt, atque exinde concidunt machaeras suas in aratra; et sibynas, quod genus venabulorum est, in falces, id est, feros et sævos quondam animos convertunt in sensus probos, et bonæ frugis operarios. Et rursus (*Is.* LI, 4): *Audite me, audite me,* (4) *populus meus; et reges auribus intendite* A *in me, quoniam lex prodibit a me, et judicium meum in lucem nationum*, quo judicaverat atque decreverat nationes quoque illuminandas per Evangelii legem atque sermonem. Hæc erit lex (5) apud David invituperabilis, qua perfecta, convertens animas, utique ab idolis ad Deum. Hic erit et sermo, de quo idem Isaias (*Is.* X, 23): *Quoniam*, inquit, *decisum sermonem faciet Dominus in terra.* Compendiatum est enim Novum Testamentum, (*c*) et (6) legis laciniosis oneribus expeditum. Sed quid pluribus? cum manifestius, et luce ipsa clarius novatio prædicetur a Creatore per eumdem (*Is.* XLIII, 18): *Ne rememineritis priorum, et antiqua ne cogitaveritis. Vetera transierunt, nova oriuntur. Ecce facio nova, quæ nunc orientur.* Idem per Hieremiam (*Jerem.* IV, 3): *Novate vobis novamen novum, et ne severitis in spinas, et circumcidimini præputia* (7) *cordis vestri;* et alibi (*Jerem.* XXXI, 31): *Ecce veniunt* (8) *dies, dicit Dominus, et perficiam domui Jacob et domui Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die qua arripui dispositionem eorum, ad educendos eos de terra Ægypti.* Adeo pristinum testamentum temporale significat, dum mutabile ostendit, etiam dum æternum de postero pollicetur. Nam per Isaiam (*Is.* LV, 3): *Audite me, et vivetis, et disponam vobis testamentum;* adjiciens: *Sancta et fidelia David;* ut id testamentum in Christo decursurum demonstraret (9). Eumdem ex genere David secundum Mariæ censum, etiam in virga ex radice Jesse processura figurate prædicabat. Igitur si alias leges, aliosque sermones, et novas testamentorum dispositiones a Creatore dixit futuras, ut etiam ipsorum sacrificiorum alia officia potiora, et quidem apud nationes destinarit, dicente Malachia (*Mal.* I, 10—11): *Non est voluntas mea in vobis, inquit Dominus, et sacrificia vestra non excipiam de manibus vestris; quoniam a solis ortu usque ad occasum glorificatum est in nationibus nomen meum, et in omni loco sacrificium nomini meo offertur, et sacrificium mundum*, scilicet simplex oratio de conscientia pura: necesse est, omnis demutatio veniens ex innovatione, diversitatem ineat cum his quorum fit, et contrarietatem ex diversitate. Sicut enim nihil demutatum, quod non diversum; ita nihil diversum, quod non contrarium. Ejusdem ergo deputabitur etiam contrarietas ex diversitate, cujus fuerit demutatio ex innovatione. Qui disposuit demutationem, iste instituit et diversitatem;

B

C

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) In usu *Lat.*
(2) Equidem *Seml.*
(3) Eam *add. Seml.*
(4) Et *add. Seml.*
(5) Et *add. Seml.*
(6) Et a legis *Seml.*
(7) Præputio *Seml.*
(8) Venient *Seml.*
(9) Demonstraretur *Par. Fran.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) *Et omnem paraturam.* Hoc est, omnem materiam, omnem argumentorum apparatum, ut supra. RHEN.

(b) *Antitheses cognominatum.* Liber erat Marcionis, quo Vetus Testamentum a Novo separabat, et sibi invicem opponebat: loquitur etiam hic Tertullianus de interpolatione Evangelii, de quo nos alio loco. Putant nonnulli librum editum esse a Tertulliano *Antithesium* nomine, de quibus eorum judicio explicandus hic locus. Quod a sensu hujus libri et orationis alienum. Nam *Antitheses* liber erat Marcionis. LE PR.

(c) *Et legis laciniosis oneribus expeditum.* Laciniosa opera vocat multiplicia, et quæ homines occupationibus distinebant, sicut impedit gressum vestis laciniosa. RHEN.

qui prædicavit innovationem, iste prænuntiavit (1) et contrarietatem. Quid differentiam rerum ad distantiam interpretaris potestatum? quid antitheses exemplorum distorques adversus Creatorem, quas in ipsis quoque sensibus et affectionibus ejus potes recognoscere? *Ego*, inquit (*Deut.* XXXII, 39), *percutiam, et ego sanabo*: *Ego*, inquit (I *Reg.* II, 6), *occidam, et ego vivificabo; condens* scilicet (*Is.* XLV, 7) *mala*, et *faciens pacem;* qua etiam soles illum mobilitatis quoque et inconstantiæ nomine reprehendere, prohibentem quæ jubet, et jubentem quæ prohibet (2). Cur ergo non et antitheses ad naturalia reputasti contrarii sibi semper Creatoris? nec mundum saltim recogitare potuisti, nisi fallor, etiam apud Ponticos, ex diversitatibus structum (3) æmularum invicem substantiarum? Prius itaque debueras alium Deum luminis, alium tenebrarum determinasse, ut ita posses alium Legis, alium Evangelii adseverasse. Cæterum, præjudicatum est ex manifestis, cujus opera et ingenia per antitheses constant, eadem forma constare etiam sacramenta.

CAPUT II.

Habes nunc ad antitheses (4) expeditam a nobis responsionem. Transeo nunc ad Evangelii, sane non judaici, sed pontici, interim adulterati demonstrationem, præstructuram ordinem quem aggredimur. Constituimus in primis, evangelicum Instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum; si et Apostolicos (*a*), non tamen solos, sed cum Apostolis, et post Apostolos (5). Quoniam prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi auctoritas magistrorum, imo Christi, qui (6) magistros Apostolos fecit. Denique, nobis fidem ex Apostolis Joannes et Matthæus insinuant; ex Apostolicis, Lucas et Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi, quantum ad unicum Deum attinet Creatorem, et Christum ejus, natum ex virgine, supplementum Legis et Prophetarum. Viderit enim si narrationem dispositio variavit, dummodo de capite fidei conveniat, de quo cum Marcione non convenit. Contra Marcion Evangelio, scilicet suo, nullum adscribit auctorem, quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus evertere. Et possem hic jam gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, et professione debita auctoris. Sed per omnia congredi malumus (7), nec dissimulamus quod ex nostro intelligi potest. Nam ex iis (8) commentatoribus quos habemus, (*b*) Lucam videtur Marcion elegisse, quem cæderet. Porro, Lucas non apostolus, sed apostolicus; non magister, sed discipulus; utique magistro minor; certe tanto posterior, quanto posterioris apostoli sectator, Pauli sine dubio: ut, etsi sub ipsius Pauli nomine Evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas Instrumenti, destituta patrocinio antecessorum; exigeretur enim id quoque Evangelium quod Paulus invenit, cui fidem dedit, cui mox suum congruere gestiit. Siquidem (*Gal.* II, 1) propterea *Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos* et consultandos, *ne forte in vacuum cucurrisset*, id est, ne non secundum illos crediisset, et non secundum illos evangelizaret. Denique, ut cum auctoribus contulit et convenit de regula fidei; dexteras miscuere, et exinde officia prædicandi distinxerunt, ut illi in Judæos, Paulus in Judæos et in nationes. Igitur si ipse illuminator Lucæ, auctoritatem antecessorum (9) et fidei et prædicationi suæ optavit, quanto magis cum Evangelio Lucæ expostulem, quæ Evangelio magistri ejus fuit necessaria? Aliud est, si penes Marcionem a discipulatu Lucæ cœpit religionis christianæ sacramentum. Cæterum, si et retro decucurrit, habuit utique authenticam paraturam, per quam ad Lucam usque pervenit, cujus testimonio adsistente, Lucas quoque possit admitti.

CAPUT III.

Sed enim Marcion nactus epistolam Pauli ad Galatas, etiam ipsos apostolos suggillantis (*Gal.* II), ut non recto pedes incedentes ad veritatem Evangelii, simul et accusantis pseudapostolos quosdam pervertentes Evangelium Christi, connititur ad destruendum statum eorum evangeliorum, quæ propria, et sub apostolorum nomine eduntur, vel etiam apostolicorum; ut scilicet fidem, quam illis adimit, suo conferat. Porro, etsi reprehensus est Petrus et Joannes et Jacobus, qui existimabantur columnæ, manifesta causa est. Personarum enim respectu videbantur variare convictum. Et tamen, cum ipse Paulus *omnibus omnia fieret, ut omnes lucraretur* (I *Cor.* IX, 19), potuit et Petro hoc in consilio fuisse, aliquid aliter agendi quam docebat. Proinde si et pseudapostoli irrepserant, horum quoque qualitas edita est, circumcisionem vindicantium et judaicos (*c*) fastos (10). Adeo non de prædicatione, sed de conversatione, a Paulo denotabantur; æque denotaturo, si quid de Deo crea-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pronuntiavit *Par. Jun.*
(2) Jubeat... prohibeat *cod. Wouw.*
(3) Constructum *Seml.*
(4) Antithesis *al.*
(5) Apostolicos *Jun.*
(6) Quæ *Seml.*
(7) Maluimus *Seml.*
(8) His *Seml.*
(9) Antecessorem *Par.*
(10) Fastus *cod. Pithœ. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. II.— (a) *Si et apostolicos non tamen solos*, etc. Ab Apostolis aut viris apostolicis solum verum evangelium conscriptum fuisse ait, ut iis viam occludat quæ ex hæreticorum correptis exemplaribus objici possent, veluti ex Ebionitarum, Encratitarum, Nazaræorum Marcionitarum, etc. LE PR.

(b) *Lucam videtur Marcion elegisse quem cæderet.* Vides manifeste corruptum fuisse B. Lucæ Evangelium, ut in suorum errorum patrocinium detorqueret, ut multa truncaret, adderet, suaque explicatione commacularet, LE PR.

CAP. III.— (c) *Judaicos fastos.* Ut est Gal. IV et dies

tore, aut Christo ejus errassent. Igitur distinguenda erunt singula. Si Apostolos prævaricationis et simulationis suspectos Marcion haberi queritur usque ad Evangelii depravationem, Christum jam accusat, accusando quos Christus elegit. Si vero apostoli quidem integrum Evangelium contulerunt, de sola convictus inæqualitate reprehensi, pseudapostoli autem veritatem eorum interpolaverunt, et inde sunt nostra digesta; quod erit germanum illud apostolorum instrumentum, quod adulteros passum est? Quod Paulum illaniavit, et ab eo Lucam? Aut si tam funditus deletum est, ut cataclysmo quedam, ita inundatione falsariorum obliteratum; jam ergo nec Marcion habet verum. Aut si ipsum erit verum, id est Apostolorum, quod Marcion habet solus; et quomodo nostro consonat, quod non Apostolorum, sed Lucæ refertur, aut si non statim Lucæ deputandum est, quo Marcion utitur, quia nostro consonat, scilicet adulterato etiam circa titulum, cæterum (1) Apostolorum est; jam ergo et nostrum quod illi consonat, æque apostolorum est, sed adulteratum de titulo quoque.

CAPUT IV.

Finis ergo (2) ducendus est contentionis, pari hinc inde nisu fluctuante. Ego meum dico verum, Marcion suum; ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur; et ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur (3)? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum. Prior erit res passione, et materia æmulationis. Alioquin, quam absurdum ut si nostrum antiquius probaverimus, Marcionis vero posterius; et nostrum ante videatur falsum quam habuerit de veritate materiam, et Marcionis ante credatur æmulationem a nostro expertum quam est editum? Et postremo id verius existimetur, quod est serius, post tot ac tanta jam opera atque documenta christianæ religionis sæculo edita, quæ edi usquequaque non potuissent sine Evangelii veritate, id est ante Evangelii veritatem? Quod ergo pertinet ad Evangelium interim Lucæ, quatenus communio ejus inter nos et Marcionem de veritate disceptat, adeo antiquius Marcione est, quod est secundum nos, ut et ipse illi Marcion aliquando crediderit; cum et pecuniam in primo calore fidei catholicæ Ecclesiæ contulit, projectam mox cum ipso postea quam in hæresim suam a nostra veritate descivit. Quid nunc si negaverint Marcionitæ, primam apud nos fidem ejus, adversus epistolam quoque ipsius. Quid, si nec epistolam agnoverint? Certe antitheses non modo fatentur Marcionis, sed et præferunt (4). Ex his mihi probatio sufficit. Si enim id(5) Evangelium quod Lucæ refertur penes nos (viderimus an et penes Marcionem) ipsum est quod Marcion per antitheses suas arguit, ut interpolatum a protectoribus judaismi ad concorporationem Legis et Prophetarum, qua etiam Christum inde confingerent (6), utique non potuisset arguere, nisi quod invenerat. Nemo post futura reprehendit quæ ignorat futura: emendatio culpam non antecedit. Emendator sane Evangelii a Tiberianis usque ad Antoniani tempora eversi, Marcion solus et primus obvenit, exspectatus tamdiu a Christo pœnitentem jam quod apostolos præmisisse properasset sine præsidio Marcionis; nisi quod humanæ temeritatis, non divinæ auctoritatis negotium est hæresis, quæ sic semper emendat Evangelia, dum vitiat: cum et si discipulus Marcion, *non* tamen *super magistrum* (*Matt.* X, 24); et si (7) apostolus Marcion, *Sive ego*, inquit Paulus (I *Cor.* XV, 11), *sive illi, sic prædicamus.* Et si prophetes Marcion: et *spiritus prophetarum prophetis erunt subditi* (I *Cor.*, XIV, 32); *non enim eversionis, sed pacis.* Etiam si (8) angelus Marcion, citius (*Gal.* I, 8) anathema dicendus quam evangelizator, quia aliter evangelizavit. Itaque dum emendat, utrumque confirmat; et nostrum anterius, id emendans quod invenit; et id posterius, quod de nostri emendatione constituens, suum et novum fecit.

CAPUT V.

In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id (9) ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod hic a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galatæ sint recorrecti (10); quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. (*a*) Habemus et Joannis alumnas ecclesias. Nam etsi Apocalypsim ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus, in Joannem stabit auctorem. (*b*) Sic et cæterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec suas jam apostolicas, sed apud universas, quæ illis de societate sacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio editionis suæ stare, quod cum maxime

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cæterorum *Seml. Pamel.*
(2) Ergo *negl. Fran.*
(3) Invenietur *al. utrumque abfuisse conj. Seml.*
(4) Proferunt *Lat. Jun.*
(5) Id *abest in al.*
(6) Confingerent *Seml.*
(7) Si *omitt. Venet.*
(8) Si *omitt. Jun.*
(9) Id *omitt. Seml.*
(10) Correcti *al.*

COMMENTARIUS.

et menses, et tempora et annos observantes. Quæ adeo interpretatio observanda venit contra modernos hæreticos, qui illum locum adducere non verentur adversus Ecclesiæ catholicæ fastos. Cum disertis verbis judaicos auctor interpretetur, idque non hic modo, sed etiam infra, lib. V, cap. 4, ubi hunc locum tractat. PAM.

CAP. V. — (*a*) *Habemus et Joannis alumnas ecclesias.* Ecclesias intelligit quæ traditas a sancto Joanne regulas servaverunt, quemadmodum superius dixit quod hæc Corinthii a Paulo hauserint. LE PR.

(*b*) *Sic et cæterarum generositas recognoscitur.* Hoc est, genus, origo, nobilitas. REG.

tuemur : Marcionis vero plerisque nec notum ; nullis autem (1) notum, ut non eo (2) damnatum. Habet plane et illud ecclesias, sed suas ; tam posteras quam adulteras ; quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenias quam apostolicum ; Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespæ (*a*) : faciunt ecclesias et marcionitæ. Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum cæteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quæ proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthæi, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus : nam et Lucæ Digestum Paulo adscribere solent. Capit (3) magistrorum videri, quæ discipuli promulgarint. Itaque et de his Marcion flagitandus, quid (4) omissis eis, Lucæ potius insisterit ; quasi non et hæc apud ecclesias a primordio fuerint, quemadmodum et Lucæ. Atquin hæc magis primordio fuisse credibile est, ut priora, qua apostolica ; ut cum ipsis Ecclesiis dedicata. Cæterum, quale est, si nihil Apostoli ediderunt, ut discipuli potius ediderint, qui nec discipuli existere potuissent sine ulla doctrina magistrorum ? Igitur dum constet hæc quoque apud Ecclesias fuisse, cur non hæc quoque Marcion attigit, aut emendanda si adulterata, aut agnoscenda si integra ? nam et competit, ut (*b*) si qui Evangelium pervertebant, eorum magis curarent perversionem, quorum sciebant auctoritatem receptiorem, ideo et pseudapostoli, quod per falsum Apostolos imitarentur. In quantum ergo emendasset quæ fuissent emendanda, si fuissent corrupta, in tantum confirmavit non fuisse corrupta, quæ non putavit emendanda. Denique emendavit, quod corruptum existimavit. Sed ne hoc merito, quia non fuit corruptum. Si enim apostolica integra (5) cucurrerunt (6) ; Lucæ autem quod est secundum nos, adeo congruit regulæ eorum, ut cum illis apud Ecclesias maneat, jam et Lucæ constat integrum decucurrisse usque ad sacrilegium Marcionis. Denique, ubi manus illi Marcion intulit, tunc diversum et æmulum factum est (7) apostolicis. Igitur dabo consilium discipulis ejus, ut aut et illa convertant, licet sero, ad formam sui, quo cum apostolicis convenire videantur (nam et quotidie reformant illud, prout a nobis quotidie revincuntur), aut erubescant de magistro ubique traducto, cum Evangelii veritatem nunc ex conscientia tramittit ; nunc ex impudentia evertit. Iis fere compendiis utimur, cum de Evangelii fide (8) adversus hæreticos experimur (9), defendentibus et temporum ordinem posteritati falsariorum præscribentem, et auctoritatem Ecclesiarum traditioni Apostolorum patrocinantem : quia veritas falsum præcedat necesse est ; et ab eis procedat, a quibus tradita est.

CAPUT VI.

Sed alium jam hinc inimus gradum, ipsum (ut professi sumus) evangelium Marcionis provocantes, sic quoque probaturi adulteratum. Certe enim totum quod elaboravit, etiam antitheseis præstruendo, in hoc cogit, ut Veteris et Novi Testamenti diversitatem constituat ; proinde Christum suum a Creatore separatum (10), ut Dei alterius, ut alienum legis et prophetarum. (*c*) Certe propterea contraria quæque sententiæ suæ erasit, conspirantia cum Creatore, quasi ab assertoribus ejus intexta : competentia autem sententiæ suæ reservavit. Hæc conveniemus. Hæc amplectemur, si nobiscum magis fuerint ; si Marcionis præsumptionem percusserint, tunc et illis constabit eodem vitio hæreticæ cæcitatis erasa, quo et hæc reservata. Sic habebit intentio et forma opusculi nostri, sub illa utique conditione, quæ ex utraque parte condicta sit. Constituit Marcion alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus a Deo quondam ignoto revelatus sit in salutem omnium gentium ; alium qui a Deo creatore in restitutionem judaici status sit destinatus, quandoque venturus. Inter hos magnam et omnem (*d*) differentiam scindit, quantam inter justum et bonum, quantam inter Legem et Evangelium, quantam inter judaismum et christianismum. Hinc et nostra præscriptio, qua defigimus, nihil Christo Dei alterius commune esse debere cum Creatore : cæterum, Creatoris pronuntiandum, si administraverit dispositiones ejus, si impleverit prophetias ejus, si adjuverit leges ejus, si repræsentaverit promissiones ejus, si restauraverit virtutes ejus, si sententias reformaverit, si mores, si proprietates expresserit. Hujus pacti et hujus præscripti quæso te, lector, me-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Autem *omitt. Seml.*
(2) Eodem *Seml.*
(3) Autem *add. Jun.*
(4) Quod *Seml.*
(5) Integre *Seml.*
(6) Decurrerunt *Par. Rig. Venet.*
(7) Ab *inser. Par. Fran.*
(8) De evangeliis *Seml.*
(9) Expedimur *Seml.*
(10) Separaturus *Par. Fran.* separaturum. *Jun.*

COMMENTARIUS.

(*a*) *Faciunt et favos vespæ.* Vespas in sublimi e luto nidos facere, et in iis creas, tradit Plinius. Rig.

(*b*) *Si qui Evangelium pervertebant.* Actes vulgares tangit hæreticorum in corrumpendis Scripturæ codicibus, iis potissimum qui ab auctoribus magni ponderis magnæque auctoritatis conscripti sunt. Observanda venit vox græca μετατρέψαι quæ habetur apud Apost. (*Gal.* I), ex quo hæc desumpsit Tertullianus ; significat quippe non solum convertere, sed et corrumpere et in alium sensum trahere. Le Pr.

CAP. VI. — (*c*) *Certe propterea contraria quæque sententiæ suæ erasit.* Omnibus hæreticis id familiare est, ut contraria suæ sententiæ eradant in Scripturis ; atque etiam adeo nostris. Sic libros duos Machabæorum rejiciunt, eo quod sanctorum post hanc vitam orationibus et sacrificiis pro defunctis suffragentur ; Epistolam Jacobi et Apocalypsin, quod faciant pro bonorum operum meritis ; Epistolam denique Petri secundam, quod suas hæreses novissimis hisce temporibus ibi prædictas animadvertant. Pam.

(*d*) *Differentiam inter justum et bonum.* Hoc est inter severum et mitem, inter judicantem et misericordem, inter punientem et parcentem, inter Creatorem et Redemptorem. Rig.

mineris ubique, et incipe recognoscere aut Marcionis Christum, aut Creatoris.

CAPUT VII.

Anno quintodecimo principatus Tiberiani (*Luc.* III, 1), proponit eum (1) *descendisse in civitatem Galilææ, Capharnaum* (*Luc.* IV, 31); utique de cœlo Creatoris, in quod (2) de suo ante descenderat. Ecquid (3) ergo ordinis fuerat, ut prius de suo cœlo in Creatoris descendens describeretur? Cur enim non et ista reprehendam, quæ non implent fidem ordinariæ narrationis, deficientis in mendacio semper? Plane semel dicta sint, per quæ jam alibi retractavimus, an descendens per Creatorem, et quidem adversus ipsum potuerit ab eo admitti, et inde tramitti in terram æque ipsius. Nunc autem et reliquum ordinem descensionis expostulo tenens descendisse illum. Viderit enim sicubi apparuisse positum est. Appārere, subitum (4) ex inopinato sapit conspectum, qui semel impegerit oculos in id quod sine mora apparuit. Descendisse autem, dum sit (5), videtur, et subit oculos; de facto etiam ordinem facit. Atque ita cogit exigere, quali habitu, quali suggestu, quonam impetu vel temperamento, etiam quo in tempore diei noctisve descenderit; præterea quis viderit descendentem, quis retulerit, quis asseveraverit rem utique nec asseveranti facile credendam. Indignum denique ut Romulus quidem ascensus sui in cœlum habuerit Proculum affirmatorem, Christus vero Dei (6) descensus de cœlo suo sui non invenerit annuntiatorem; quasi non sic et ille ascenderit iisdem mendacii scalis, sicut et iste descendit. Quid autem illi cum Galilæa, si non erat Creatoris? cui ista regio destinabatur ingressuro prædicationem, dicente Isaia (*Is.*, IX, 1-2): (*a*) *Hoc primum bibito* (7), *cito facito, regio Zabulon, et terra Nepthalim, et cæteri qui* (8) *maritimam ad Jordanem* (9), *Galilæa nationum, populus qui sedetis in tenebris, videte lumen magnum; qui habitatis terram, sedentes in umbra mortis, lumen ortum est super vos.* Bene autem quod et Deus Marcionis, illuminator vindicatur nationum: quo magis debuerit vel de cœlo descendere, etsi utique (10) in Pontum potius descendere, quam in Galilæam. Cæterum, et loco et illuminationis opere secundum prædicationem occurrentibus Christo, jam eum prophetatum incipimus agnoscere, ostendentem in primo ingressu (*Matth.*, V, 17) *venisse se non ut Legem et Prophetas dissolveret* (*b*), *sed ut potius adimpleret.* Hoc enim Marcion, ut additum, erasit. Sed frustra negabit (11) Christum dixisse, quod statim fecit ex parte. Prophetiam enim interim de loco adimplevit, de cœlo statim ad synagogam, ut dici solet, AD QUOD VENIMUS HOC AGE. Marcion, aufer etiam illud de Evangelio: *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel* (*Matt.*, XV, 24), et: *Non est* (12) *auferre panem filiis, et dare eum canibus* (*Matt.*, VII, 27); ne scilicet Christus Israelis videretur. Sufficiunt mihi facta pro dictis. Detrahe voces (13) Christi mei, res loquentur. Ecce venit in synagogam; certe ad oves perditas domus Israelis. Ecce doctrinæ suæ panem prioribus offert Israelitis; certe ut filios præfert. Ecce aliis eum nondum impertit; certe ut canes præterit. Quibus autem magis impertisset, quam extraneis Creatoris, si ipse in primis non fuisset Creatoris? Et tamen quomodo in synagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus; cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, (*c*) de censu denique Augusti, quem testem fidelissimum dominicæ nativitatis romana archiva custodiunt? Meminerant certe, nisi circumcisum scirent, non admittendum in sancta sanctorum. (*d*) Sed etsi passim synagoga adiretur, non tamen ad docendum, nisi ab optime cognito et explorato et probato, jam pridem in hoc ipsum, vel

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deum *Par. Fran.*
(2) Quo *Seml.*
(3) Et quid *Seml.*
(4) Subito *Fran.*
(5) It *Par. Fran.*
(6) Dei *abest Fran.*
(7) Obito *Par. Rhen.*
(8) Habitatis terram *add. Rhen. ex cod. Gorz.*
(9) Et Jordanis *Seml.*
(10) Et (si utique) *Jun.*
(11) Negavit *Seml.*
(12) Bonum *inser. Lat.*
(13) Vocem *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. VII.—(a) *Hoc primum bibito, cito facito.* Veram esse arbitror præstantissimi Hug. Grotii super hac verborum Isaiæ interpretatione conjecturam, annotationibus in Evang. Matth., cap. IV, v. 14. RIG.

(b) *Non ut Legem et Prophetas dissolveret.* Irenæus (*Lib.* IV, 13) dicit Marcionem legisse contrarium. SEML.

(c) *De censu denique Augusti*, etc. Quis fuerit iste census, et de quo censu id accipiendum, magnopere controversum est. Baronius in Apparatu ad Annales eumdem censet eum ac de quo Evangelista. Quod non alienum mihi a vero videtur. De censuaria ordinatione id explicat Casaubonus in notis ad Spartianum, nescio quo authore. Assentirer libentius Petavio, qui duplicem Quirini censum fuisse scribit, modo id certum esset. Si enim conjecturæ locus aliquis tribuitur, pari jure ac eruditus Petavius conjecturas meas afferrem. Putarem quippe ἀπογραφὴν illam quæ sub Sentio Saturnino facta est, eamdem esse cum descriptione Quirini. Præsidem fuisse Saturninum conjicio, et Quirinum procuratorem. Justinus quippe hoc eum nomine indigitat Apol. II: ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ἡμέτερου ἐπιτρόπου γενομένου ἐκτρόπου; *sub Quirino vestro in Judæa primo procuratore.* Id autem parum honorificum mihi objiciet aliquis, post tot adeptos honores, post dignitates summas quibus functus est. Verum id fieri potuit ex majori quam de ejus virtute conceperat fiducia Augustus, sicque Saturninus, ut imperatoris voluntati quodammodo faveret obsequendo, præses nomine tenus fuit tantum. Sic enim accipiendus est Eusebius lib. I, cap. 5, ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου τῆς Συρίας. Ex quibus nescio an vere dixisse Petavium quis pronuntiare audeat, qui nullos tunc extitisse censet Judææ procuratores. LE PR

(d) *Sed et si passim Synagoga adiretur.* Nempe, etiam a proselytis et gentilibus. Nec improbat Eusebius in Ecclesia christiana etiam laicos ὁμιλεῖν, modo id fiat τῇ τοῦ προεστῶτος ἐποπτείᾳ. RIG.

aliunde commendato cum hoc munere. *Stupebant autem omnes ad doctrinam ejus*; plane : (*a*) *quoniam*, inquit, *in potestate erat sermo ejus* (*Luc.*, IV, 32) : non quoniam adversus Legem et Prophetas docebat. Utique enim eloquium divinum et vim et gratiam præstabat, magis exstruens quam destruens substantiam Legis et Prophetarum. Alioquin non stuperent, sed horrerent; nec mirarentur, sed statim aversarentur (1) destructorem Legis et Prophetarum; et utique in primis alterius Dei prædicatorem : quia nec potuisset adversus Legem et Prophetas docere, et hoc nomine adversus Creatorem, non præmissa diversæ atque æmulæ divinitatis professione. Cum ergo nihil tale Scriptura significet, nisi solam vim et potestatem sermonis admirationi fuisse, facilius ostendit, secundum Creatorem docuisse illum, quia non negavit, quam adversus Creatorem, quia non significavit. Atque ita aut ejus erit agnoscendus, secundum quem docuit; aut prævaricator judicandus, si secundum eum, adversus quem venerat, docuit. Exclamat ibidem spiritus dæmonis (*Luc.* IV, 34) : *Quid nobis et tibi est, Jesu? venisti perdere nos? scio qui scis, sanctus Dei.* Hic ego non retractabo, an et hoc cognomentum competierit ei, quem nec Christum vocari oporteret, si non Creatoris. Alibi jam de nominibus expostulatum est. At nunc discepto, quom ἀὸ hoc eum vocari cognoverit dæmon, nulla unquam retro emissa prædicatione ih illum a Deo ignoto, et in id temporis nouto, cujus nec sanctum eum contestari potuit, ut ignoti etiam (2) ipsi suo Creatori. Quid autem jam tale edidit novæ divinitatis, per quod posset alterius Dei sanctus intelligi? tantum quod synagogam introgressus, et nec sermone operatus aliquid adversus Creatorem? Sicut ergo quem ignorabat, nullo modo poterat Jesum et sanctum Dei agnoscere; ita, quem norat, agnovit. Nam et Prophetam memmerat sanctum Dei prædicasse, et Jesum nomen Dei esse in filio Nave. Hæc et ab angelo exceperat secundum nostrum Evangelium (*Luc.* I, 35) : *Propterea, quod in te nascetur vocabitur sanctum, Filius Dei, et vocabis nomen ejus Jesum.* Sed et habebat utique sensum aliquem dominicæ dispositionis (licet dæmon tamen) magis quam alienæ, et nondum satis cognitæ Nam et præmisit : *Quid nobis et tibi* (3)? non quasi in extraneum Jesu, ad quem (4) pertinent spiritus Creatoris. Nec enim dixit : « *quid tibi et nobis?* » sed : *Quid nobis et tibi?* se deplorans, et sorti suæ exprobrans : quam jam videns, adjicit : *Venisti perdere nos.* Adeo judicis et ultoris, et ut ita dixerim, sævi Dei Filium agnoverat Jesum, non optimi illius et perdere et punire nescientis. Quorum hunc locum præmisimus? ut Jesum et (5) a dæmone non alium dolemus agnitum, et a semetipso non alium conformatum quam Creatoris. Atquin, inquis, increpuit illum Jesus. Plane ut invidiosum, et in ipsa confessione petulantem, et (6) male adulantem; quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem dæmonum venisset, et non potius ad hominum salutem; qui nec discipulos de subactione spirituum, sed (*b*) de candida salutis gloriari volebat. Aut cur eum increpuit? Si quasi mentitum in totum, ergo non fuit Jesus, nec Dei sanctus omnino. Si quasi ex parte mentitum, quod eum Jesum quidem et sanctum Dei, sed Creatoris existimasset, injustissime increpuit hoc sentientem, quod sciebat sentiendum, et hoc non existimantem, quod ignorabat existimandum (7), alium Jesum, et alterius Dei sanctum. Quod si verisimiliorem statum non habet increpatio, nisi quem nos interpretamur, jam ergo et dæmon nihil mentitus est, non ob mendacium increpitus: ipse enim erat Jesus, præter quem alium dæmon agnovisse non poterat; et Jesus eum confirmavit, quem agnoverat dæmon, dum non ob mendacium increpat dæmonem.

CAPUT VIII.

Nazaræus vocari habebat secundum prophetiam Christus Creatoris : unde et ipso nomine nos Judæi Nazaræos (8) appellant per eum. Nam et sumus, de quibus est (*Thren.*, IV, 7) : *Nazaræi exalbati sunt super nivem.* Qui scilicet retro luridati delinquentiæ maculis, et nigrati ignorantiæ tenebris. Christo autem appellatio Nazaræi competitura erat ex infantiæ latebris, ad quas apud Nazareth descendit, vitando Archelaum filium Herodis. Hoc propterea non omisi, quia Christum Marcionis oporteret omne commercium ejerasse etiam locorum familiarium Christi Creatoris, habentem tanta Judææ oppida, non ita Christi Creatoris per Prophetas emancipata (9). Cæterum, Prophetarum erit Christus, ubicumque secundum Prophetas invenitur. Et tamen apud Nazareth quoque nihil novi notatur prædicasse, dum alio merito unius proverbii (*Luc.* IV, 23), ejectus refertur. Hic primum manus ei injectas animadvertens, necesse habeo jam de substantia ejus corporali præfinire, quod non possit phantasma credi, qui contactum, et quidem violentia plenum, detentus et captus, et ad præcipitium usque protractus, admiserit. Nam etsi per medios evasit, sed ante jam vim expertus, et postea dimissus; scilicet soluto, uti adsolet, tumultu; vel etiam irrupto,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adversarentur *al.*
(2) Ignoto jam *al.*
(3) Jesu *add. Jun.*
(4) Extraneum sed ad quem *Jun.*
(5) Et *omitt. al.*
(6) Ut *Seml.*
(7) Æstimandum *Seml.*
(8) Nazarenos *Seml.*
(9) Mancipata *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quoniam in potestate erat sermo ejus.* Hoc est, potens erat sermo ejus. Lucas, ἐν τοῖς λόγοις τῆς χάριτος. RIG.

(b) *De candida salutis.* Vestem intellige, nisi mavis cum Rhenano, candidam substantivæ usurpari. A Romanis illud vulgo petitur, apud quos honorum petitores candida veste inducbantur, unde dicti candidati.

LE P.

non tamen per caliginem eluso, quæ nulli omnino tactui succidisset, si fuisset.

Tangere enim et tangi (*a*), nisi corpus, nulla potest res, etiam sæcularis sapientiæ digna sententia est. Ad summam, et ipse mox tetigit alios, quibus manus imponens, utique sentiendas, beneficia medicinarum conferebat, tam vera, tam non imaginaria, quam erant per quas conferebat. Ipse igitur est Christus et Isaiæ, remediator valetudinum. Hic, inquit (*Is.*, LIII, 4), *imbecillitates nostras aufert, et languores portat.* Portare autem Græci etiam pro eo solent ponere, quod est tollere. Sufficit interim mihi generalis repromissio. Quodcumque curaverit Jesus, meus est. Veniemus tamen et ad species curationum. Cæterum, et a dæmoniis liberare, curatio est valetudinis. Itaque spiritus nequam, quasi ex forma jam prioris exempli cum testimonio excedebant vociferantes: *Tu es Filius Dei.* Cujus Dei, vel hic pareat. Sed proinde increpabantur, et jubebantur tacere. Proinde enim Christus ab hominibus, non a spiritibus immundis, volebat se Filium Dei agnosci. Ille Christus duntaxat, cui hoc congruebat; quia præmiserat per quos posset agnosci, et utique digniores prædicatores. Illius erat, præconium immundi spiritus respuere, cui sancti abundabant. Porro, qui nunquam fuerat annuntiatus, si tamen volebat agnosci (frustra autem venerat, si nolebat), non esset aspernatus testimonium alienæ et cujuscumque substantiæ, qui propriæ non habebat, qui in aliena descenderat. Jam nunc et qua destructor Creatoris, nihil magis gestisset, quam a spiritibus ipsius agnosci, et divulgari præ timore, nisi quod Marcion Deum suum timeri negat, defendens bonum non timeri, sed judicem, apud quem sint materiæ timoris, ira, sævitia, judicia, vindicta, damnatio. Sed et dæmonia timore utique cedebant. Ergo timendi Dei Filium confitebantur, occasionem habitura non cedendi, si non timendi. Et ille jussu et increpitu ea expellens, non suasu qua bonus, timendum se exhibebat. Aut numquid ideo increpabat, quia timebatur nolens timeri? Et quomodo ea volebat excedere, quod nisi timore non facerent? Cecidit ergo in necessitatem, qua disparem se naturæ suæ ageret: cum posset ut bonus semel eis parcere. Cecidit et in aliam prævaricationis notam; cum se a dæmoniis quasi Filium Creatoris sustineret timeri, ut jam non propria potestate expelleret dæmonia, sed per Creatoris auctoritatem. In solitudinem procedit. Solemnis et hujusmodi regio Creatoris. Oportebat sermonem illic quoque videri in corpore, ubi egerat aliquando et in nube. Competebat et Evangelio habitus loci, qui placuerat et Legi. *Capiat* itaque *jucunditatem solitudo*, hoc Isaias (*Is.*, XXXV, 1) promiserat. Detentus a turbis: *Oportet me*, inquit (*Luc.*, IV, 42), *aliis civitatibus annuntiare regnum Dei.* Ostenderat jam alicubi Deum suum? Non puto adhuc usque. Sed de eis loquebatur, qui alium quoque Deum noverant. Nec hoc credo. Ergo si nec ille alium Deum ediderat, nec illi noverant præter Creatorem, ejusdem Dei regnum portendebat, quem solum sciebat notum eis qui audiebant.

CAPUT IX.

De tot generibus operum, quid utique ad piscaturam respexit, ut ab illa in apostolos sumeret Simonem et filios Zebedæi? Non enim simplex factum videri potest, de quo argumentum processurum erat, dicens (*Luc.*, V, 10) Petro trepidanti de copiosa indagine piscium: *Ne time, abhinc enim homines eris capiens.* Hoc enim dicto, intellectum illis suggerebat adimpletæ prophetiæ, se eum esse, qui per Hieremiam pronuntiarat (*Jerem.*, XVI, 16): *Ecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur illos;* homines scilicet. Denique relictis naviculis secuti sunt eum; ipsum intelligentes, qui cœperat facere quod edixerat. Aliud est, si adfectavit de navicularium collegio allegere, habiturus apostolum quandoque nauclerum Marcionem. Præstruximus quidem adversus *Antitheses*, nihil proficere proposito Marcionis, quam putat, diversitatem Legis et Evangelii, ut et hanc a Creatore dispositam, denique prædicatam in repromissione novæ legis et novi sermonis et Novi Testamenti. Sed quoniam attentius argumentatur (*b*) apud illum suum nescio quem συντελεπωρον, id est commiseronem, et συμμισούμενον, id est, coodibilem, in leprosi purgationem, non pigebit ei occurrere, et in primis figuratæ legis vim ostendere; quæ in exemplo leprosi non contingendi, imo ab omni commercio submovendi, communicationem prohibebat hominis delictis commaculati; cum qualibus et Apostolus (I *Cor.*, V, 11) *cibum* quoque vetat *sumere:* participari enim stigmata delictorum, quasi ex contagione, si quis se cum peccatore miscuerit. Itaque Dominus volens altius intelligi Legem, per carnalia spiritalia significantem, et hoc nomine non destruens, sed magis exstruens quam pertinentius volebat agnosci, tetigit leprosum, a quo etsi homo inquinari potuisset, Deus utique non inquinaretur, incontaminabilis scilicet. Ita non præscribetur illi quod debuerit legem observare, et non contingere immundum, quem contactus immundi non erat inquinaturus. Hoc magis meo Christo competere sic doceo, dum tuo non competere demonstro. Si enim ut æmulus legis tetigit leprosum, nihil faciens præceptum legis, per contemptum inquinamenti, quomodo posset inquinari, qui corpus non habebat quod inquinaretur? phantasma enim inqui-

COMMENTARIUS.

CAP. VIII.—(a) *Tangere enim et tangi*, etc. Illud idem, c. 5 de Anima attulit ut corpoream ibi adstrueret. Habetur autem apud Lucretium (*de rerum Nat. lib.* I), adversus cujus deliria disputat Lactantius, *lib.* VII *Instit. Div.* LE PR.

CAP. IX.—(b) *Apud illum suum nescio quem*, etc. E margine in textum irrepserunt interpretationes græcarum vocum. LE PR.

nari non posset. Qui ergo inquinari non poterat ut phantasma, jam non virtute divina incontaminabilis erit, sed phantasmatis inanitate : nec contempsisse videri potest inquinamentum, cujus materiam non habebat : ita nec legem destruxisse, qui inquinamentum ex occasione phantasmatis, non ex ostentatione virtutis evaserat. Si autem Helisæus, prophetes Creatoris, unicum leprosum Naaman syrum ex tot leprosis israelitis emendavit (IV *Reg.*, V, 14), nec hoc ad diversitatem facit Christi, quasi hoc modo melioris, dum israelitem leprosum emundavit (1) extraneus, quem suus dominus emundare non valuerat ; syro facilius emundato, significato (2) per nationes emundationis in Christo lumine earum, quæ (*a*) septem maculis capitalium delictorum inhorrerent, idololatria, blasphemia, homicidio, adulterio, stupro, falso testimonio, fraude. Quapropter septies quasi per singulos titulos in Jordane lavit, simul et ut totius (3) hebdomadis caperet (4) expiationem (5) ; quia unius lavacri vis et plenitudo Christo soli dicabatur, facturo in terris, sicut sermonem compendiatum, ita et lavacrum. Nam et hoc opponit Marcion, Helisæum quidem materia eguisse, aquam adhibuisse, et eam septies ; Christum vero verbo solo, et hoc semel functum (6), curationem statim repræsentasse. Quasi non audeam et verbum ipsum in substantiam Creatoris vindicare. Nullius rei non ille potior auctor, qui prior. Incredibile plane, ut potestas Creatoris verbo remedium vitii unius operata sit, quæ verbo tantam mundi molem semel protulit. Unde magis dignoscitur Christus Creatoris, quam ex verbi potestate? Sed ideo alius Christus, quia aliter quam Helisæus, quia potentior dominus famulo suo. Quid constituis, Marcion, proinde res agi a servis, quemadmodum ab ipsis dominis? Non times ne in dedecus tibi vertat, si ideo Christum negas Creatoris, quia potentior fuerit famulo Creatoris, qui ad Helisæi pusillitatem major agnoscitur, si tamen major? Par enim curatio, licet distet operatio. Quid amplius præstitit tuus Christus, quam meus Helisæus? Imo, quid magnum præstitit tui Christi verbum? cum id præstiterit quod fluvius Creatoris. Secundum hæc, cætera quoque occurrunt. Quantum enim ad gloriæ humanæ aversionem pertinebat, vetuit eum divulgare : quantum autem ad tutelam legis, jussit ordinem impleri : *Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses.* Argumenta enim figurata utpote (7) prophetiæ (8) legis adhuc in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum orationem scilicet et actionem gratiarum apud Ecclesiam, per Christum Jesum catholicum Patris sacerdotem. Itaque adjecit : *Ut sit vobis in testimonium ;* sine dubio, quo testabatur se legem non dissolvere, sed adimplere ; quo testabatur seipsum esse, qui morbos et valetudines eorum susceperus annuntiabatur. Hanc tam (9) congruentem et debitam interpretationem testimonii adulator Christi sui Marcion, sub obtentu mansuetudinis et lenitatis quærit excludere. Nam et bonus, inquit, præterea sciens omnem, qui lepra esset liberatus, solemnia legis executurum, ideo ita præcepit. Quid tum? Perseveravitne in bonitate, id est, permissione legis, an non (10)? Si enim bonus perseveravit, nunquam (11) destructor erit legis, nec Dei alterius habebitur, cessante legis destructione per quam alterius Dei vindicatur. Si non perseveravit bonus destruendo postea legem, falsum ergo testimonium postea collocavit apud illos in curatione leprosi : deservit enim bonitatem, dum destruit legem. Malus jam, quando legis eversor, si bonus, cum legis indultor. Sed et eo quod indulsit legi obsequium, bonam legem confirmavit. Nemo enim malo obsequi patitur. Ergo et sic malus, si obsequium malæ legi indulsit ; et sic deterior, si bonæ legis destructor advenit. Proinde si ut sciens omnem qui lepra liberatus esset ita faciurum, ideo præcepit munus offerre, potuit et non præcepisse quod sciebat ultro futurum. In vanum ergo descendit quasi legem destructurus, cum cedit obsecutoribus legis. Atquin quasi sciens formam eorum, magis ab ea avertendos prævenire debuerat, si in hoc venerat. Cur ergo (12) non tacuit, ut homo solo suo arbitrio legi obediret? tunc enim aliquatenus posset videri patientiæ suæ præstitisse. Sed adjicit etiam auctoritatem suam exaggeratam testimonii pondere. Cujus jam testimonii, nisi legis assertæ? Certe nihil interest quomodo firmaverit legem, sive qua bonus, sive qua supervacuus, sive

LECTIONES VARIANTES.

(1) Emundat *Seml.*
(2) Significat *Seml.*
(3) Tolies *Rig. Venet.*
(4) Caneret *Rig. Venet.*
(5) Et *inser Seml.*
(6) Functo *Seml.*
(7) Uuuta *Seml.*
(8) Propheta *Seml.* prophetæ *Jun.*
(9) Totam *Par.*
(10) Aut non *Seml.*
(11) Nusquam *Seml.*
(12) Enim *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Septem maculis capitalium delictorum.* Longe aliam habes quam quæ communiter traditur septem capitalium delictorum enumerationem, utpote cum hic enumerentur idololatria, blasphemia, homicidium, adulterium, stuprum, falsum testimonium, et fraus. Quorum idololatria et blasphemia possunt ad superbiam referri, homicidium ad iram, adulterium et stuprum ad luxuriam, falsum testimonium et fraus ad avaritiam ; sed restabunt præterea, invidia, gula, et acedia. Tria autem ex his enumeratis adulterium, fraudem, homicidium, Cyprianus etiam inter mortalia crimina ponit, lib. *de Bono Patientiæ.* Auctor denique lib. *de Pudicitia*, eadem ista inter graviora et exitiosa, imo et mortalia numerat, præter falsum testimonium, cujus loco ibi negationem addit, fornicationem illic appellans, quam hic stuprum more suo. PAM.

qua patiens, sive qua inconstans, dum te, Marcion, de gradu pellam (*a*). Ecce præcepit legem impleri. Quocumque modo præcepit (1), eodem potuit etiam illam præmisisse (*Matth.*, V, 17) sententiam : *Non veni legem dissolvere, sed adimplere.* Quid ergo tibi fuit de Evangelio erasisse quod salvum est? confessus es enim præ bonitate fecisse illum, quod negas dixisse. Constat ergo dixisse illum, quia et fecit; et te potius vocem Domini (*b*) de Evangelio erasisse (2), quam nostros injecisse.

CAPUT X.

Curatur et paralyticus (*Luc.*, V), et quidem in cœtu spectante populo. *Videbit* enim, inquit Isaias (*Is.*, XXXV, 2), *populus sublimitatem Domini, et gloriam Dei.* Quam sublimitatem et quam gloriam? *Convalescite manus dimissæ, et genua dissoluta.* Iloc erit paralysis. *Convalescite, nec timete.* Non otiose iterans, *Convalescite;* nec vane subjungens, *Nec timete:* quoniam cum redintegratione membrorum, virium quoque repræsentationem pollicebatur : *Exsurge, et tolle grabatum tuum;* et animi vigorem, ad non timendos qui dicturi erant : *Quis dimittet peccata, nisi solus Deus?* Habes itaque jam et specialis medicinæ dispunctam prophetiam, et eorum quæ medicinam sunt secuta. Pariter et dimissorem delictorum Christum recognosce apud eumdem prophetam : *Quoniam* (3), inquit (*Is.*, LIII), *in plurimis dimittet delicta eorum, et delicta nostra ipse auferl.* Nam et in priore (4) (*Is.*, I, 18), ex ipsius Domini persona : *Etsi fuerint delicta vestra tanquam roseum, velut nivem exalbabo; et si tanquam coccinum, velut lanam exalbabo.* In roseo sanguinem ostendens prophetarum; in coccino Domini, ut clariorem. Etiam Michæas (*Mich.*, VII, 18 et 19) de venia delictorum : *Quis Deus quomodo tu, eximens iniquitates, et præteriens injustitias residuis* (5) *hæreditatis tuæ* (6)? *Non tenuit, in testimonium* (c) *iram suam, quia voluit misericordiam* (7). *Avertet* (8), *et miserebitur nostri. Demerget delicta nostra, et demerget in profunda maris peccata nostra.* Sed etsi nihil tale in Christum fuisset prædicatum, haberem hujus benignitatis exempla in Creatore, promittentia mihi et in Filio Patris affectus. Video Ninivitas scelerum veniam censecutos a Creatore, ne dixerim tunc quoque a Christo, quia a primordio egit in Patris nomine. Lego et Nathan prophetam agnoscenti David delictum suum in Uriam dixisse (II *Reg.*, X, 13) : *Et Dominus circumduxit delictum tuum, et non morieris;* proinde et (I *Reg.*, XXI) Achab regem, maritum Jezabel, reum idololatriæ et sanguinis Nabuthæ, veniam meruisse, pœnitentiæ nomine; (*d*) Jonatham, filium Saulis, resignati jejunii culpam deprecatione delesse (I *Reg.* XIV). Quid de ipso populo retexam, totiens delictorum indulgentia restituto? ab eo scilicet Deo, qui (*Ezech.* XXXIII, 11) mavult misericordiam quam sacrificium, et peccatoris pœnitentiam quam mortem. Prius est igitur, neges Creatorem indulsisse aliquando delicta; consequens (9), ut ostendas nec in Christum suum tale quid eum prædicasse : et ita probabis novam istam Christi novi scilicet benignitatem, si probaveris, nec parem Creatori, nec prædicatam a Creatore. Sed et peccata dimittere an ejus possit esse, qui negetur tenere; et an ejus sit absolvere, cujus non sit etiam damnare; et, an congruat eum ignoscere, in quem nihil sit admissum : alibi (*e*) jam congressi, malumus (10) admonere, quam retractare. De filio hominis duplex est nostra præscriptio, neque mentiri posse Christum, ut se filium hominis pronuntiaret, si non vere erat; neque filium hominis constitui, qui non sit natus ex homine, vel patre vel matre : atque ita discutiendum, cujus hominis filius accipi debeat, patris an matris. Si ex Deo patre est, utique non (11) ex homine : si non et ex homine, superest ut ex homine sit matre : si ex homine, jam apparet quia ex virgine. Cui enim homo (12) pater non datur, nec vir matri ejus deputabitur; porro, cui vir non deputabitur, virgo est. Cæterum, duo jam patres habebuntur, Deus et homo, si non virgo sit mater. Habebit enim virum, ut virgo non sit; et habendo virum, duos patres faciet, Deum et hominem, ei qui et Dei et hominis esset filius. Talem, si forte, Castori aut Herculi (*f*) nativitatem tradunt fabulæ. Si hæc ita distinguuntur, id est, si ex matre filius est hominis, quia ex patre non est; ex matre autem virgine, quia non ex patre homine; hic erit Christus Isaiæ, quem concepturam virginem prædicat. Qua igitur ratione admittas filium hominis, Marcion, circumspicere non possum. Si patris hominis, negas

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præcipit *al.*
(2) Eradicesse *Semi.*
(3) Quomodo *Semi.*
(4) Primore *al.*
(5) Residuas *Par.*
(6) Et *inser. Semi.*
(7) Voluit : et misericordem *Semi. quod nec sensum habet, nec cum LXX convenit.*
(8) Advertet *Jun.* revertetur, *secundum LXX.*
(9) Est *add. Semi. Oberth.*
(10) Maluimus *Venet. Oberth.*
(11) Est *inser. Semi. Oberth.*
(12) Homo *omitt. Semi. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *De gradu pellam.* Objectionem tuam illam dissolvam, qua bonum Deum legem indulsisse dicis, et malum abstulisse; disputat enim acerrime contra has immanitates hic scriptor. Le Pr.

(b) *De Evangelio erasisse*, etc. Ob corruptum B. Lucæ in omnibus fere Evangelium; et inter alia, cap. IV de quo hic quæstio. Le Pr.

CAP. X.—(c) *Non tenuit in testimonium.* Hic, ut aliis in locis, sequitur Tertullianus versionem LXX Interpretum, qui, cum legissent per *laked* vocem hebræam לָעַד quæ per *lehad* legi debuisset, scripserunt hoc loco, εἰς μαρτύριον (*in testimonium*), ubi εἰς αἰῶνα (in æternum) scribere rectius potuissent. Edd.

(d) *Jonathan filium Saulis, resignati jejunii*, etc. Resignatum vocat jejunium infractum; dederat enim Jonathas occasionem violandi jejunii, cum mel ori suo admovit. Le Pr.

(e) *Alibi jam congressi.* Est locus *Lib.* I, *c.* 26.

(f) *Castori aut Herculi :* Uterque Jovis filius : Castor, ex Leda Tyndari conjuge; Hercules, ex Alcmena Amphitryonis. Rhen.

Dei filium ; si et Dei, Herculem de fabula facis Christum ; si matris tantum hominis, meum concedis ; si neque matris (1) hominis, ergo nullius hominis est filius, et necesse est mendacium admiserit, qui se quod non erat dixit. Unum potest angustiis tuis subvenire, si audeas aut Deum tuum patrem Christi hominem quoque cognominare, quod de Æone (2) fecit Valentinus (*a*) ; aut virginem hominem negare, quod ne (3) Valentinus quidem fecit. Quid nunc, si ipso titulo filii hominis censetur Christus apud Danielem ? nonne sufficiet (4) ad probationem prophetici Christi ? Cum enim id se appellat quod in Christum prædicabatur Creatoris, sine dubio ipsum se præstat intelligi, in quem prædicabatur. Nominum communio simplex (5), si forte, videri potest, et tamen nec Christum, nec Jesum vocari debuisse defendimus, diversitatis conditionem tenentes. Appellatio autem quod est filius hominis, in quantum ex accidenti obvenit, in tantum difficile est ut et ipsa concurrat super nominis communionem. Ex accidenti enim proprio (6) est, maxime cum caussa convenit eadem, per quam deveniat in communionem. Atque adeo si et Christus Marcionis natus ex homine diceretur, tunc et ipse caperet appellationis communionem, et essent duo filii hominis, sicut et duo Christi, et duo Jesus. Ergo cum appellatio propria est ejus, in quo habet caussam, si (7) alii vindicetur, in quo est communio nominis, non etiam appellationis, suspecta jam fit communio nominis quoque in eo, cui vindicatur sine caussa communio appellationis ; et sequitur ut unus idemque credatur, qui et nominis appellationis capacior invenitur, dum alter excluditur, qui non habet appellationis communionem, carens caussa ; nec alius erit capacior utriusque, quam qui prior, et nomen sortitus est Christi, et appellationem filii hominis ; Jesus scilicet Creatoris. Hic erat visus Babylonio regi (*Dan.* III) in fornace cum martyribus suis quartus, tanquam filius hominis ; idem ipsi (8) Danieli (*Dan.* VII) revelatus directo *filius hominis, veniens cum cœli nubibus judex*, sicut et Scriptura demonstrat. Hoc dixi sufficere potuisse de nominatione prophetica circa filium hominis. Sed plus mihi Scriptura confert, ipsius scilicet Domini interpretatione. Nam cum Judæi solummodo hominem ejus intuentes, necdum et Deum certi, qua Dei quoque Filium, merito retractarent non posse hominem delicta dimittere, sed Deum solum, cur non secundum intentionem eorum de homine eis respondit (*Luc.* V, 24) (9), *Habere eum potestatem dimittendi delicta*, quando et *filium hominis* nominans, hominem nominaret ? nisi quia ideo ipsa voluit eos appellatione filii hominis ex instrumento Danielis repercutere, ut ostenderet Deum (10) et hominem qui delicta dimitteret ; illum scilicet solum filium hominis, apud Danielis prophetiam consecutum judicandi potestatem, ac per eam utique et dimittendi delicta : qui enim judicat, et absolvit : ut, scandalo isto discusso per Scripturæ recordationem, facilius eum agnoscerent ipsum esse filium hominis, ex ipsa peccatorum remissione (*b*). Denique, nusquam adhuc professus est se filium hominis, quam in isto loco primum, in quo primum peccata dimisit, id est, in quo primum judicavit, dum absolvit. Ad hæc quodcumque diversa pars fuerit argumentata, quale sit, dispice (11). Nam in illam necesse est amentiam tendat, ut et filium hominis defendat, nec mendacem cum faciat ; et ex homine neget natum, ne filium virginis concedat. Quod si et auctoritas divina, et rerum natura, et communis sapientia non admittunt (12) insaniam hæreticam, occasio est et hic interpellandi quam brevissime de substantia corporis adversus phantasmata Marcionis. Si natus ex homine est, ut filius hominis, corpus ex corpore est. Plane facilius invenias hominem natum cor non habere vel cerebrum, sicut ipsum Marcionem, quam corpus, ut Christum Marcionis. Atque adeo inspice cor Pontici aut cerebrum.

CAPUT XI.

Publicanum allectum a Domino in argumentum deducit, quasi ab adversario legis allectum, (*c*) extraneum Legis, et judaismi prophanum. Excidit ei vel de Petro, Legis homine, et tamen non tantum allecto, sed etiam testimonium consecuto agnitionis præstitæ a Patre (*Matth.* XVI, 17). Nusquam legerat lumen, et spem, et expectationem nationum prædicari Christum. Atquin probavit potius Judæos, di-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Patris *Venet. Seml. Obert.*
(2) De eo nec *al.*
(3) Nec *Seml. Ober.*
(4) Sufficit *Seml. Ober.*
(5) Duplex *Jun.*
(6) Proprie *Jun.*
(7) Et *inser. Seml.*
(8) Item ipse *Seml. Obert.*
(9) Respondebit *Venet. Rig.*
(10) Eum *al.*
(11) Inspice *Seml. Obert.*
(12) In *inser. Seml. Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quod de Æone fecit Valentinus.* In angustias summas redactum Marcionem sublevare videtur, subterfugiumque illi suppeditat, quasi idem ac Valentinus sentiret, qui Jesum quem et Christum vocabat ex æonibus compositum aiebat. At ex illo loco illum postea acriter dejicit. LE PR.

(b) *Denique nusquam adhuc professus est*, etc. Loquitur Auctor de Evangelio Lucæ solummodo, secundum quod in isto loco primum professus est se filium hominis. Nam si de Evangeliis omnibus loquamur, ante hoc miraculum recenset D. Matthæus illud Christi : *Filius autem hominis non habet ubi reclinet*, quod primum repetitur Lucæ IX. Utrum autem prius contigerint verba illa Christi ante istud miraculum, sicuti contendunt qui Concordiam scripserunt evangelicam, an posterius, quod indicare videtur Auctor, aliis disputandum relinquo. PAM.

CAP. XI.—(c) *Extraneum Legis et judaismi*, etc. Extraneum ut supra cum genitivo plus semel conjunxit. Hic etiam dixit, judaismi profanum, intelligens a Judæis rejectum velut execrabilem. RHEN.

cendo (*Luc.* V, 31), *medicum sanis non esse necessarium, sed male habentibus*. Si enim male valentes voluit intelligi ethnicos et publicanos quos allegebat, sanos judæos confirmabat, quibus medicum necessarium negabat. Hoc si ita est, male descendit ad Legem destruendam, quasi ad malam valetudinem remediandam, in qua qui agebant, bene valebant, quibus medicus necessarius non erat. Quale est autem, ut similitudinem medici proposuerit, nec impleverit? Nam sicut sanis medicum nemo adhibet; ita nec in tantum (1) extraneis, quantum est homo a Deo Marcionis, suum habens et auctorem et protectorem, et ab illo potius medicum Christum. Hoc similitudo præjudicat, ab eo magis præstari medicum, ad quem pertineat qui laborant. Unde autem et Joannes venit in medium? Subito Christus, subito et Joannes. Sic sunt omnia apud Marcionem, quæ suum et plenum habent ordinem apud Creatorem. Sed de Joanne cætera alibi; ad præsentes enim (2) quosque articulos respondendum est. Nunc illud tuebor, ut demonstrem et Joannem Christo, et Christum Joanni convenire, utique prophetæ Creatoris, qua Christum Creatoris; atque ita erubescat hæreticus, Joannis ordinem frustra frustratus. Si enim nihil omnino administrasset Joannes, secundum Esaiam (*Is.* XL, 3) vociferator in solitudinem, et præparator viarum dominicarum, per denunciationem et laudationem pœnitentiæ; si non etiam ipsum inter cæteros tinxisset, nemo discipulos Christi, manducantes et bibentes, ad formam discipulorum Joannis assidue jejunantium et orantium provocasset: quia si qua diversitas staret inter Christum et Joannem, et gregem utriusque, nulla esset comparationis exactio, vacaret provocationis intentio. Nemo enim miraretur, et nemo torqueretur, si diversæ divinitatis æmulæ prædicationes, de disciplinis quoque inter se non convenirent, non convenientes prius de auctoritatibus disciplinarum: adeo Joannis erat Christus, et Joannes Christi; ambo Creatoris, et ambo de Lege et Prophetis, prædicatores et magistri. Sed et Christus rejecisset Joannis disciplinam, ut Dei alterius; et discipulos defendisset, ut merito aliter incedentes, aliam scilicet et contrariam initiatos divinitatem. At nunc humiliter reddens rationem, quod non possent jejunare filii sponsi, quamdiu cum eis esset sponsus; postea vero jejunaturos promittens, cum ablatus ab eis sponsus esset; nec discipulos defendit, sed potius excusavit, quasi non sine ratione re- A prehensos; nec Joannis rejecit disciplinam, sed magis concessit, tempori Joannis eam præstans, ut (3) tempori (4) suo eam destinans; rejecturus alioquin eam, et defensurus æmulos ejus (5), si non ipsius fuisset jam quæ erat. Teneo (6) meum Christum, etiam in nomine sponsi, de quo Psalmus (*Ps.* XVIII, 5): *Ipse tanquam sponsus egrediens de thalamo suo: a summo cœli profectio ejus, (a) et deversio ejus ad summum usque ejus.* Qui etiam per Isaiam gaudens ad Patrem: *Exultet*, inquit (*Is.* LXI, 10), *anima mea in Domino; induit enim me indumentum salutaris, et tunicam jucunditatis velut sponso: circumposuit mihi mitram velut sponsæ* (7). In se enim (8) et Ecclesiam deputat, de qua idem Spiritus ad ipsum (*Is.* XLIX, 18): *Et circumpones tibi omnes eos, velut ornamentum sponsæ* (9). Hanc sponsam Christus sibi etiam (10) per B Salomonem ex vocatione gentium accersit. Siquidem legisti (*Cant.* IV, 8): *Veni, sponsa, de Libano.* Eleganter Libani utique montis mentione injecta, qui thuris vocabulum est penes Græcos (*b*), de idololatria enim sibi sponsabit Ecclesiam. Nega te nunc dementissimum, Marcion. Ecce legem tui quoque Dei impugnas: Nuptias non conjungit, conjunctas non admittit, neminem tinguit (11) nisi cœlibem aut spadonem, morti aut repudio baptisma servat. Quid itaque Christum ejus sponsum facis? Illius hoc nomen est, qui masculum et fœminam conjunxit, non qui separavit. Errasti in illa etiam Domini pronuntiatione, qua videtur nova et vetera discernere. Inflatus es utribus veteribus, et excerebratus es C novo vino; atque ita veteri, id est, priori Evangelio pannum hæreticæ novitatis assuisti. In quo, (12) alter (13) creator (velim discere) cum per Hieremiam (*Jerem.* IV, 4) præcepit: *Novate vobis novamen norum*; nonne a veteribus avertit? cum per Isaiam (*Is.* XLIII, 18) edicit: *Vetera transierunt; ecce nova quæ ego facio*; nonne ad nova convertit? Olim hanc statuimus destinationem pristinorum a Creatore potius repromissam, a Christo exhiberi, sub unius et ejusdem Dei auctoritate, cujus sint et vetera et nova. Nam et vinum novum is non committit in veteres utres, qui et veteres utres non habuerit; et novum additamentum nemo injicit veteri vestimento, nisi cui non defuerit et vetus vestimentum. Ille non facit quid, si faciendum non est, qui non habeat unde faciat, si D faciendum esset. Itaque (14) si in hoc dirigebat similitudinem, ut ostenderet se Evangelii novitatem separare a Legis vetustate, suam demonstrabat, et illam a qua

LECTIONES VARIANTES.

(1) In quantum *Jun.*
(2) Enim *abest Rig. Fran.*
(3) Et *Jun.*
(4) Temporis *Rhen.*
(5) Destinans si non, *cæteris voc. omissis, Seml. Obert.*
(6) Jamque teneo *Paris. Fran.*
(7) Et velut sponsam ornavit me ornatu *Fran. sec. LXX.*
(8) Enim *omitt. Seml. Obert.*
(9) Sponsa *Fran.*
(10) Etiam *omitt. Seml. Obert.*
(11) Tingit *Seml. Obert.*
(12) Inquo *venet.*
(13) Aliter *nonnulli.*
(14) Et *inser. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et deversio ejus*, etc. Devertere et deversari, supra quoque legimus. Paulo post scripsimus: *Hanc sponsam Christus sibi etiam per Salomonem.* Ruen.

(b) *Qui thuris vocabulum est penes Græcos.* Apud Theophrastum et Dioscoridem pro thure et arbore thurifera. Apud Diosc., lib. I, c. 38: φλοιὸς λιβάνου, *cortex thuriferæ arboris.* Sed et apud Hebræos thus a candore dicitur לבנה, et mons Libanus לבנון a cedris altissimis insignis est. Le Pr.

separabat, alienorum separatione non fuisse notandam, quia nemo alienis sua adjungit, ut ab alienis separare possit. Separatio per conjunctionem capit, de qua fit. Ita, quæ (1) separabat, et in uno ostendebat fuisse, sicut et fuissent, si non separaret. Et tamen sic concedimus separationem istam per reformationem, per amplitudinem, per profectum, sicut fructus separatur a semine, cum sit fructus ex semine: sic et Evangelium separatur a Lege, dum provehitur ex Lege: aliud ab illa, sed non alienum; diversum, sed non contrarium. Nec forma sermonis in Christo nova: cum similitudines objicit, cum quæstiones refutat, de septuagesimo septimo venit psalmo: (a) *Aperiam*, inquit, *in parabolam os meum*, id est similitudinem: *eloquar problemata*, id est, edisseram quæstiones. Si hominem alterius gentis probare voluisses, utique de proprietate loquelæ probares.

CAPUT XII.

De sabbato quoque illud præmitto, nec (2) hanc quæstionem consistere potuisse, (b) si non Dominum (3) sabbati circumferret Christus. Nec enim disceptaretur cur destrueret sabbatum, si destruere deberet. Porro, destruere deberet, si alterius Dei esset, nec quisquam miraretur facientem quod illi congruebat. Mirabantur ergo, quia non congruebat illi Deum creatorem circumferre, et sabbatum ejus impugnare. Et ut prima quæque decidamus, ne eadem ubique novemus ad omnem argumentationem adversarii, ex aliqua nova Christi institutione nitentem; hæc jam definitio stabit, ideo de novitate institutionis cujusque disceptatum; quia de novitate divinitatis nihil erat usque adhuc editum, sicuti nec disceptatum: nec posse retorqueri ex ipsa novitate institutionis cujusque satis aliam a Christo demonstratam divinitatem, quando et ipsam novitatem pronuntiatam a Creatore constiterit, in Christo non esse mirandam. Et oportuerit utique prius alium Deum exponi postea disciplinam ejus induci; quia Deus auctoritatem præstat disciplinæ, non Deo disciplina: nisi si et Marcion plane tam perversas non per magistrum litteras didicit, sed per litteras magistrum. Cætera de sabbato ita dirigo: Si sabbatum Christus intervertit, secundum exemplum fecit Creatoris. Siquidem in obsidione civitatis Hiericbuntis, circumlata per muros arca Testamenti septem (4) diebus, etiam sabbato, ex præcepto Creatoris sabbatum operatione destruxit, ut putant qui hoc et de Christo existimant, ignorantes neque Christum sabbatum destruxisse, neque Creatorem, ut mox docebimus. Et tamen per Jesum tunc quoque concussum est sabbatum, ut et hoc in Christum renuntiaretur, etiamsi odio insecutus est solemnissimum Judæorum diem, ut Christus non Judæorum. De odio quoque sabbati professus, Creatorem, ut Christus ipsius, sequebatur exclamantem ore Esaiæ (*Is.* 1, 14): *Neomenias et sabbata vestra odit anima mea.* Sed et hæc quoquo modo dicta sint, scimus adhibendam tamen in hac specie etiam abruptam provocationem. Nunc et ad ipsam materiam disceptabo, in qua visa est destruere sabbatum Christi disciplina. Esurierant discipuli; ea die spicas decerptas manibus effrixerant (5): cibum operati, ferias ruperant. Excusat illos Christus, et reus est sabbati læsi: accusant Pharisæi. Marcion captat status controversiæ (ut aliquid cludam cum mei Domini veritate) scripti et voluntatis (c). De Scriptura enim sumitur Creatoris, et de Christi voluntate color, quasi de exemplo David introgressi sabbatis templum, et operati cibum, audenter fractis panibus propositionis. Meminerat enim et ille hoc privilegium donatum sabbato a primordio, quo dies ipse compertus est; veniam jejunii dico. Cum enim prohibuisset Creator in biduum legi manna, solummodo permisit in parasceve, ut sabbati sequentis ferias pridiana paburi paratura jejunio liberaret. Bene igitur, quod et caussam eamdem secutus est Dominus in sabbati, si ita volunt dici (6), destructione: bene, quod et affectum Creatoris expressit in sabbato non jejunandi honore. Denique, tunc demum sabbatum destruxisset, etiam ipsum Creatorem, si discipulos sabbato jejunare mandasset, adversus statum scripti et voluntatis Creatoris. Sed quoniam (d) discipulos non constanter tuebatur, sed excusat, quoniam (e) humanam opponit

LECTIONES VARIANTES.

(1) Itaque et *Jun.*
(2) Ne *Rig. Venet.*
(3) Déum *Seml. Oberth.*
(4) Octo *Seml. oberth.*
(5) Effixerant *Rig. Seml. Venet. Oberth.* effixerant, *Paris.*
(6) Diei *al.*

COMMENTARIUS.

(a) *Aperiam in parabolam os meum.* Hoc est, ad captum imbecillitatis humanæ verba faciam. De parabolis veterum scriptorum, Seneca, epist. 59: *Illi qui simpliciter et demonstrandæ rei caussa eloquebantur, parabolis referti sunt, quas existimo necessarias, non ex eadem caussa qua poetis, sed ut imbecillitatis nostræ admiscula sint, et ut discentem et audientem in rem præsentem adducant.* Parabolam Cicero collationem vocat. Quintilianus, lib. VIII: *In omni autem parabola aut præcedit similitudo, et res sequitur; aut præcedit res, et similitudo sequitur.* Rig.

CAP. XII. — (b) *Si non dominum sabbati circumferret Christus*, etc. Hic adludit ad illud Christi, *Dominus est filius hominis etiam sabbati;* de quo sic Epiphanius: « Duo statim, inquit, simul, et filium hominis, et dominum sabbati, seipsum Salvator confitetur; docens ut ne sabbatum alienum a sua creatione putetur. » Pam.

(c) *Scripti et voluntatis.* Γραμμάτων καὶ διανοίας. Rig.

(d) *Discipulos non constanter tuebatur.* Non fortiter, quemadmodum Fabius Quintil., Instit. l. V, dixit: *Jam ne balare quidem, aut hinnire fortiter diceremus, nisi judicio vetustatis niteremur.* Rig.

(e) *Humanam opponit necessitatem, quasi deprecatricem.* Excusatio quam populis ostendit Christus sabbatum non destruebat; præsentior erat cibi necessitas, quam ut colligendi tempus in aliud tempus differretur; permisit itaque, nec tamen sabbatum abrogavit. Le Pa.

necessitatem quasi deprecatricem ; quoniam potiorem honorem sabbati servat non contristandi, quam vacandi ; quoniam David, comitesque ejus, cum discipulis suis æquat in culpa et in venia ; quoniam placet illi, quia Creator indulsit ; quoniam de exemplo ejus, (1) ipse tam bonus est ; ideo alienus est a Creatore. *Exinde* (*Luc.* VI, 7) *observant pharisæi, si medicinas sabbatis ageret, ut accusarent eum :* certe qua sabbati destructorem, non qua novi Dei professorem ; fortasse enim hunc solum articulum ubique ingeram, alium Christum nusquam prædicatum. In totum autem errabant (2) pharisæi circa sabbati legem, non animadvertentes conditionaliter eam indicentem operum sub certa specie eorum. Nam cum de die sabbati dicit (*Exod* XX, 10) : (*a*) *Omne opus tuum non facies in ea ;* dicendo, *tuum*, de humano opere definiit, quod quisque ex artificio, vel negotio suo exequitur, non de divino. Opus autem salutis et incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium. Sicut et rursus in lege : *Non facies*, inquit (*Exod.* XII,16), *omne opus in ea, nisi quod fiet omni animæ* (*b*) id est in caussa animæ liberandæ ; quia opus Dei etiam per hominem fieri potest in salutem (3) animæ, a Deo tamen, quod facturus fuerat et Christus homo, quia et Deus. In hunc ergo sensum legis inducere volens illos per manus arefactæ restitutionem, interrogat : *Licetne sabbatis benefacere, annon ? animam liberare, an perdere ?* Ut id operis promittens, (4) quod pro anima facturus esset, admoneret eos, quæ opera sabbati lex prohiberet, humana scilicet ; et quæ præciperet, divina scilicet, quæ fierent animæ omni ; dominus sabbati dictus, quia sabbatum, ut rem suam, tuebatur. Quod etiam si destruxisset, merito, qua dominus magis ille qui instituit. Sed non omnino destruxit, qua dominus ; ut hinc jam apparere possit, ne tum quidem in arcæ circumlatione apud Hierichuntem, sabbatum a Creatore destructum. Nam et illud opus Dei erat, quod ipse præceperat, et quod propter animas disposuerat hominum suorum, in discrimine belli constitutas. Sed et si odium alicubi sabbatorum professus est, *vestra sabbata* dicendo (*Is.* I, 13), hominum (5) ea deputans, non sua, quæ sine Dei timore celebrat populus plenus delictis, labiis Deum diligens non corde ; suis sabbatis, id est, quæcumque disciplina ejus agerentur, alium statum fecit, quæ per eumdem postea prophetem (*Is.* LVIII, 13) vera, et delicata, et non profananda pronuntiat. Ita nec Christus omnino sabbatum rescindit, cujus legem tenuit et supra in caussa discipulorum pro anima operatus ; esurientibus enim solatium cibi indulsit ; et nunc manum aridam curans, factis ubique ingerens (*Matt.* V, 17) : *Non veni dissolvere legem, sed adimplere ;* nec (6) Marcion hac voce os ei obstruxit. Adimplevit enim et hic legem, dum conditionem interpretatur ejus, dum operum differentiam illuminat, dum facit quæ lex de sabbati feriis excipit, dum ipsum sabbati diem benedictione Patris a primordio sanctum, benefactione sua efficit sanctiorem ; in quo scilicet divina præsidia ministrabat, quod adversarius (7) aliis diebus præstitisset, ne sabbatum Creatoris ornaret, ne opera debita sabbato redderet. In quo die, si et Hælisæus prophetes Sunamitidis filium mortuum restituit in vitam (IV *Reg.* IV, 23), vides, pharisæe, tuque Marcion, olim Creatoris esse sabbatis benefacere, animam liberare, non perdere ; nihil Christum novi intulisse, quod non sit ex forma, ex lenitate, ex misericordia, ex (8) prædicatione quoque Creatoris. Nam et hic specialis medicinæ prophetiam repræsentat. Invalescunt manus dissolutæ, sicut et genua dissoluta in paralytico.

CAPUT XIII.

Certe Evangelizat Sion et Hierusalem pacem et bona omnia : certe ascendit in montem, et illic pernoctat in oratione ; et utique auditur a Patre. Evolve igitur prophetas, et ordinem totum recognosce. *In montem excelsum* (*c*), inquit Esaias (*Is.* XL, 9), *ascende, qui evangelizas Sion ; extolle cum vigore vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem.* Adhuc *in vigore. Obstupescebant in doctrina ejus ; erat enim docens, tanquam virtutem habens* (*Luc.* IV, 32). Et rursus (*Is.* LII, 6) : *Propterea cognoscet populus nomen meum in illa die.* Quod nomen, nisi Christi ? Quod *ego sum ipse qui loquebar* (9). Tunc enim ipse erat qui in Prophetis loquebatur, Sermo, Filius Creatoris : « Adsum, dum hora est, in montibus, ut evangelizans auditionem pacis, evangelizans bona. » (*d*) Item Naum (*Nah.* I, 15)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *inser. Seml.*
(2) Errabant *Seml.*
(3) Salute *Par. Fran.*
(4) Permittens *cod. Wemo.*
(5) Hominem *Venet.*
(6) Si *Seml.*
(7) Adversariis *Fran.*
(8) Et *Fran.*
(9) Loquor *Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Omne opus tuum non facies in ea.* Cum nusquam istud reperire potuerimus in lege Moysis, quam hic allegat, suspicor olim id lectum fuisse Exodi XXXI, ubi hodie legitur : *Omnis qui faciet in eo opus, peribit anima illa de medio populi sui ;* aut potius Lev. XXIII, ubi frequentissime reperitur : *Opus servile non facietis in eo ;* et, *Omnis qui faciet in eo opus, peribit anima illa de medio populi sui ;* maxime cum eumdem hunc locum citet etiam supra, lib. *adv. Judæos*, cap. 4. Pam Forsan *tuum* pro *tu*, et in græco σοῦ pro σὺ, legerat Tertullianus ad v. 10 c. XX Exod. in hunc modum : *Non facies omne opus in eo* TUUM ; σὺ ποιήσεις ἐν αὐτῇ πᾶν ἔργον ΣΟΥ (pro σὺ ut in LXX). Edd.

(b) *Nisi quod fiet omni animæ.* Legitur quidem apud LXX : πλὴν ὅσα ποιηθήσεται πάσῃ ψυχῇ ; sed præterquam optime verti posset : *exceptis iis quæcumque fiant ab omni anima ;* lectio hebraica diserte significat, *ea tantum quæ manducantur ab omni vivente*, ferme ut vertit Vulgatus noster. Edd.

CAP. XIII.—(c) *In montem excelsum, inquit Esaias*, etc. Hanc prophetiam Isaiæ XL eodem modo de Christo in monte orante interpretatur B. Ambrosius, l. V in Lucam, cap. VI. Pam.

(d) *Item Naum ex duodecim*, etc. Nempe prophe-

ex duodecim : *Quoniam ecce veloces pedes in monte evangelizantis pacem.* De voce autem nocturnæ orationis ad Patrem, manifeste Psalmus (*Ps.* XXI, 2) : *Deus meus, clamabo per diem, et exaudies; et nocte, et non in vanitatem mihi;* et alibi, de loco et voce eadem, Psalmus (*Ps.* III, 4) : *Voce mea ad Dominum exclamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.* Habes nominis repræsentationem, habes actum (1) evangelizantis, habes locum montis, et tempus noctis, et sonum vocis, et auditum Patris (2); habes Christum Prophetarum. Cur autem duodecim Apostolos elegit, et non alium quemlibet numerum? Næ et ex hoc meum Christum interpretari possem, non tantum vocibus Prophetarum, sed et argumentis rerum prædicatum? Hujus enim numeri figuras apud Creatorem deprehendo : *Duodecim fontes Elim* (*Num.*, XXXIII); et, *Duodecim gemmas in tunica sacerdotali Aaronis* (*Exod.*, XXVIII); et, *Duodecim lapides ab Jesu de Jordane electos* (*Jos.*, IV) et in arcam testamenti conditos. Totidem enim Apostoli portendebantur; proinde ut fontes et amnes, rigaturi aridum retro et desertum a (3) notitia orbem Nationum; sicut et per Esaiam (*Is.*, XLIII, 20) : *Ponam in terra inaquosa flumina;* proinde ut gemmæ, illuminaturi sacram Ecclesiæ vestem, quam induit Christus pontifex Patris; proinde ut et lapides, solidi fide, quos de lavacro Jordanis Jesus verus elegit, et in sacrarium testamenti sui recepit. Quid tale de numeri defensione competit Christo Marcionis? Non potest simpliciter factum ab illo quid videri, quod potest videri non simpliciter factum a meo. Ejus erit res, apud quem invenitur rei præparatura. Mutat et Petro nomen de Simone; quia et Creator Abrahæ, et Sarræ, et Auseæ nomina reformavit, hunc vocando Jesum (*a*), illis syllabas adjiciendo. Sed et cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ materiæ solidæque nomen de suo accommodarent. An quia et petra et lapis Christus? Siquidem et legimus (*Is.*, VIII, 14; I *Petr.*, II, 8) positum eum *in lapidem offendiculi, et in petram scandali.* Omitto cætera. Itaque affectavit carissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare, puto proprius (4) quam de non suis. *Conveniunt a Tyro, et ex aliis regionibus multitudo etiam transmarina.* Hoc (5) spectabat Psalmus (*Ps.* LXXXVI, 4) : *Et ecce Allophyli et Tyrus, et populus Æthiopum, isti fuerunt illic. Mater Sion dicet homo; et homo factus est in illa* (quoniam Deus homo natus est), *et ædificavit eam voluntate Patris* : ut scias ad eum tunc gentiles convenisse, quia Deus homo erat natus, ædificaturus Ecclesiam ex voluntate Patris, ex allophylis quoque. Sic et Esaias (*Is.* XLIX, 12) : *Ecce isti veniunt de longinquo; isti autem veniunt ab aquilone et mari; alii autem de terra Persarum.* De quibus et rursus (*ibid.* 18) : *Attolle per circuitum oculos tuos, et vide, omnes congregati sunt.* De quibus et infra (*ibid.* 21) : *Vides* (6) *ignotos et extraneos : et dices cordi tuo : Quis istos genuit mihi? Porro, hos quis mihi educavit? At hi mihi ubi fuerunt?* Hic Christus non Prophetarum? Et quis erit Christus Marcionitarum, si perversitas placet, qui non fuerit Prophetarum?

CAPUT XIV.

Venio nunc ad ordinarias sententias ejus, per quas proprietatem doctrinæ suæ inducit ad edictum (ut ita dixerim) Christi : (*b*) *Beati mendici* (sic enim exigit interpretatio vocabuli quod in græco est), *quoniam illorum est regnum cœlorum* (7). Jam hoc ipsum quod a benedictionibus cœpit, Creatoris est, qui universa prout edidit, nulla alia voce quam benedictionis (8) dedicavit. *Eructavit enim,* inquit (*Ps.*, XLIV, 1) *cor meum sermonem optimum.* Hic erit sermo optimus, benedictionis scilicet, qui et novi quoque Testamenti initiator agnoscitur de veteri (9) exemplo. Quid ergo mirum est (10), si et ab affectibus Creatoris ingressus est per hujusmodi dictionem, semper mendicos, et pauperes, et humiles ac viduas, et pupillos usque diligentis, consolantis, asserentis, vindicantis? ut hanc Christi quasi privatam benignitatem, rivulum credas de fontibus Salvatoris. Revera quo dirigam nescio, in tanta frequentia ejusmodi vocum, tanquam in silva, vel in prato, vel in nemore pomorum, passim prout incidit, res petenda est. (*c*) Inclamat Psalmus (*Ps.* LXXXI, 3) : *Judicate pupillo et mendico, et humilem et pauperem juste tractate. Liberate pauperem, et mendicum de manu peccatoris eruite.* Item Psalmus septuagesimus primus : *Justitia judicabit mendicos populi, et faciet salvos filios pauperum.* Et in sequentibus de Christo : *Omnes nationes servient ei.* David autem uni genti judaicæ præfuit, ne quis in David putet dictum, quia et ille susceperat humiles et necessitatibus laborantes. *Quod liberaverit* (11), inquit, *a dynasta mendicum, parcet*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Factum *Ciaccon.*
(2) Pacis *Rig. Venet.*
(3) *V.* Dei *præterm. conjic. Edd.*
(4) Propius *Rig. Venet. Seml.*
(5) Hos *Ciaccon.*
(6) Videns *Lat. Jun.*
(7) Dei *Seml. Oberth.*
(8) Benedictionibus *Rig. Venet.*
(9) Veteris *Jun.*
(10) Est *omitt. Seml.*
(11) Liberavit *al.*

COMMENTARIUS.

tis. Reperitur enim Naum I quod citat, *Quoniam ecce veloces pedes in monte evangelizantium pacem,* præterquam quod apud LXX legatur ἐπὶ τὰ ὄρη, id est *super montes.* Sed non mirum, cum ipse B. Hieronymus propterea scribat a se hic LXX interpretes differre, quod et ipsa capitula apud eos interpretationis varietate confusa sint. PAM.

(a) *Hunc vocando Jesum.* Idem est ac Josue. EDD.

CAP. XIV. — (b) *Beati mendici, sic enim exigit interpretatio,* etc. Græce est Lucæ VI πτωχοί, quod proprie mendicos significat, juxta illud Aristophanis in Pluto πτωχοῦ vita vivere, est nihil habentem. πένητες autem, id est, pauperis, parce uti laboribus intendere; supra tamen, l. de Idol. c. 12, *Felices egenos* transtulit. PAM.

(c) *Inclamat Psalmus, Judicate,* etc. Istud ex psal. LXXXI in hoc variat a Vulgata ed.t. quod legat *juste tractate*, pro quo alii omnes ex græco δικαιώσατε, *justificate.* PAM.

mendico et pauperi, et animas pauperum salvas faciet. Ex usura et injustitia redimet eorum animas, et honoratum nomen eorum in conspectu ipsius (1). Item (*Ps.* IX, 18): *Avertantur peccatores in inferos, omnes nationes quæ Dei obliviscuntur, quoniam non in finem oblivioni habebitur mendicus: tolerantia pauperum non peribit in finem.* Item (*Ps.* CXII, 5): *Quis sicut Deus noster, qui habitat in excelsis, et humilia prospectat in cœlo et in terra? Qui suscitat mendicum de terra, et de stercore exaltat pauperem, uti sedere eum faciat cum principibus populi;* utique in regno suo. Sic et retro in Basiliis (*a*), Anna mater Samuelis, spiritu gloriam Deo reddens: *Qui*, inquit (1 *Reg.*, II, 8), *excitat pauperem de terra, et mendicum, uti sedere eum faciat cum dynastis populi;* utique in regno suo (2): *et in thronis gloriæ;* utique regalibus. Per Esaiam vero (*Is.*, III, 13), quomodo invehitur in vexatores egenorum? *Vos autem ad quid incenditis vineam meam, et rapina mendici in domibus vestris? Cur vos lœditis populum meum, et faciem mendicorum confunditis?* et rursus (*Is.*, X, 1): *Væ qui scribunt nequitiam; scribentes enim scribunt nequam, vitantes judicia mendicorum, et diripientes judicata pauperum populi mei.* Quæ judicia pupillis quoque et viduis exigit, ut et ipsis egenis solatia (3). *Judicate pupillo, et juste tractate viduam* (*Is.*, I, 17), (*b*) *et venite conciliemur, dicit Dominus.* Cui tantus affectus in omnem conditionem humilitatis Creatoris est, ejus erit et regnum quod a Christo repromittitur; ad cujus affectum jam dudum pertinent ii, quibus repromittitur. Nam etsi putas Creatoris quidem terrenas promissiones fuisse, Christi vero cœlestes; bene quod cœlum nullius alterius usque adhuc Dei apparet, nisi cujus et terra: bene quod Creator vel minora promisit, ut facilius illi et de majoribus credam, quam qui nunquam de minoribus prius fidem liberalitatis suæ struxit. *Beati esurientes, quoniam ipsi* (4) *saturabuntur.* Possem hunc titulum in superiorem transmisisse, quod non alii sunt esurientes, quam pauperes et mendici, si non et hanc promissionem Creator specialiter in Evangelii scilicet sui præstructionem destinasset. Siquidem per Esaiam, de eis quos vocaturus esset a summo terræ, utique nationes: *Ecce*, inquit (*Is.*, V, 26), *velociter, et* (5) *leviter advenient*, Velociter, qua (6) properantes sub finibus temporum; leviter, qua (7) sine oneribus pristinæ legis. *Non esurient, neque sitient:* ergo saturabuntur; quod utique nisi esurientibus et sitientibus non promittitur. Et rursus (*Is.*, LXV, 15): *Ecce*, inquit, *qui serviunt mihi, saturabuntur; vos autem esurietis; ecce qui serviunt mihi, bibent; vos autem sitietis.* Videbimus et contraria ista, an Christo præministrentur: interim quod esurientibus saturitatem repromittit, Dei creatoris est. *Beati plorantes, quia* (8) *ridebunt.* Decurre sententiam Esaiæ (*Is.*, LXV, 13): *Ecce qui serviunt mihi, exultabunt in jucunditate* (9); *vos autem confundemini. Ecce qui serviunt mihi oblectabuntur* (10); *vos autem clamabitis præ dolore cordis.* Et hæc contraria apud Christum recognosce. Certe oblectatio et exultatio in jucunditate illis promittitur, qui in diversa conditione sunt, mœstis, et tristibus, et anxiis, scilicet etiam Psal. CXXV: *Qui seminant*, inquit, *in lacrymis, in exultatione* (11) *metent.* Porro tam exultantibus et jucunditatem capientibus risus accedit, quam mœrentibus et dolentibus fletus. Ita Creator, materias risus et fletus prædicans, risuros plorantes prior dixit. Igitur qui a (12) consolatione pauperum, et humilium, et esurientium, et flentium exorsus est, statim se illum repræsentare gestivit, quem demonstraverat per Esaiam (*Is.*, LXI, 1): *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me ad evangelizandum pauperibus. Beati* (*Luc.*, VI) *mendici, quoniam illorum est regnum cœlorum. Misit* (*Is.*, LXI) *me curare obtritos corde. Beati* (*Luc.*) *qui esuriunt, quoniam ipsi* (13) *saturabuntur.* (*c*) *Advocare* (*Is.*) *languentes. Beati* (*Luc.*) *qui plorant, quoniam ridebunt. Dare* (*Is.*) *lugentibus Sionis gloriam, et* (14) *pro cinere unguenti jucunditatem, et gloriæ habitum pro spiritu tædii.* Hæc si statim admissus Christus administravit, aut ipse est, qui se ad hæc venturum prædicavit; aut si nondum venit qui prædicavit, ridicule, sed necessarie dixerim, fortasse mandaverit Christo Marcionis: *Beati critis, cum vos odio habebunt homines, et exprobrabunt, et ejicient nomen vestrum, velut nequam* (15), *propter filium hominis.* Hac pronuntiatione sine dubio ad tolerantiam exhortatur. Quid minus Creator per Esaiam (*Is.*, LI, 7): *Ne metueritis ignominiam ab hominibus, et nullificationem eorum ne minuamini.* Quæ ignominia? quæ nullificatio? Quæ futura erat propter filium hominis. Quem istum? Qui est secundum Creatorem. Unde probabimus? Excidio in ipsum quo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Coram ipso *Fran.*
(2) Utique in regno suo *omitt. Seml.*
(3) Solatii *Rig. Pamel. Venet.*
(4) Ipsi *omitt. Seml.*
(5) Et *omitt. Seml.*
(6) Quia *Seml.*
(7) Quia *Seml.*
(8) Qui *Venet.*
(9) Oblectabuntur *Oberth.*
(10) Exultabunt in jucunditate *Oberth.*
(11) Gaudio *al.*
(12) Quia *Rhen.*
(13) Ipsi *omitt. Seml.*
(14) Et *omitt. Fran.*
(15) Malum *Pamel.*

COMMENTARIUS.

(a) *Basiliis.* Id est, libris Regum, quibus adnumerat Noster etiam duos primos, Samuelis dictos ab Hebræis, atque inde a Protestantibus. Edd.

(b) *Et venite conciliemur, dicit Dominus.* Videtur legisse, διαλέχθωμεν; nam alii vertunt, *disceptemus*, legentes διαλεχθῶμεν. Le Pr.

(c) *Advocare languentes.* Advocare pro consolari, et advocatum agere languentium, quem ipse vocat infra, advocatorem. Rhen.

ex duodecim : *Quoniam ecce veloces pedes in monte evangelizantis pacem.* De voce autem nocturnæ orationis ad Patrem, manifeste Psalmus (*Ps.* XXI, 2) : *Deus meus, clamabo per diem, et exaudies; et nocte, et non in vanitatem mihi;* et alibi, de loco et voce eadem, Psalmus (*Ps.* III, 4) : *Voce mea ad Dominum exclamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.* Habes nominis repræsentationem, habes actum (1) evangelizantis, habes locum montis, et tempus noctis, et sonum vocis, et auditum Patris (2); habes Christum Prophetarum. Cur autem duodecim Apostolos elegit, et non alium quemlibet numerum? Næ et ex hoc meum Christum interpretari possem, non tantum vocibus Prophetarum, sed et argumentis rerum prædicatum? Hujus enim numeri figuras apud Creatorem deprehendo : *Duodecim fontes Elim* (*Num.*, XXXIII); et, *Duodecim gemmas in tunica sacerdotali Aaronis* (*Exod.*, XXVIII); et, *Duodecim lapides ab Jesu de Jordane electos* (*Jos.*, IV) et in arcam testamenti conditos. Totidem enim Apostoli portendebantur; proinde ut fontes et amnes, rigaturi aridum retro et desertum a (3) notitia orbem Nationum; sicut et per Esaiam (*Is.*, XLIII, 20) : *Ponam in terra inaquosa flumina;* proinde ut gemmæ, illuminaturi sacram Ecclesiæ vestem, quam induit Christus pontifex Patris; proinde ut et lapides, solidi fide, quos de lavacro Jordanis Jesus verus elegit, et in sacrarium testamenti sui recepit. Quid tale de numeri defensione competit Christo Marcionis? Non potest simpliciter factum ab illo quid videri, quod potest videri non simpliciter factum a meo. Ejus erit res, apud quem invenitur rei præparatura. Mutat et Petro nomen de Simone; quia et Creator Abrahæ, et Saræ, et Ausee nomina reformavit, hunc vocando Jesum (*a*), illis syllabas adjiciendo. Sed et cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ materiæ solidæque nomen de suo accommodarent. An quia et petra et lapis Christus? Siquidem et legimus (*Is.*, VIII, 14; I *Petr.*, II, 8) positum eum *in lapidem offendiculi, et in petram scandali.* Omitto cætera. Itaque affectavit carissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare, puto proprius (4) quam de non suis. *Conveniunt a Tyro, et ex aliis regionibus multitudo etiam transmarina.* Hoc (5) spectabat Psalmus (*Ps.* LXXXVI, 4) : *Et ecce Allophyli et Tyrus, et populus Æthiopum, isti fuerunt illic. Mater Sion* A *dicet homo; et homo factus est in illa* (quoniam Deus homo natus est), *et ædificavit eam voluntate Patris* : ut scias ad eum tunc gentiles convenisse, quia Deus homo erat natus, ædificaturus Ecclesiam ex voluntate Patris, ex allophylis quoque. Sic et Esaias (*Is.* XLIX, 12) : *Ecce isti veniunt de longinquo; isti autem veniunt ab aquilone et mari; alii autem de terra Persarum.* De quibus et rursus (*ibid.* 18) : *Attolle per circuitum oculos tuos, et vide, omnes congregati sunt.* De quibus et infra (*ibid.* 21) : *Vides* (6) *ignotos et extraneos : et dices cordi tuo : Quis istos genuit mihi? Porro, hos quis mihi educavit? At hi mihi ubi fuerunt?* Hic Christus non Prophetarum? Et quis erit Christus Marcionitarum, si perversitas placet, qui non fuerit Prophetarum?

CAPUT XIV.

B Venio nunc ad ordinarias sententias ejus, per quas proprietatem doctrinæ suæ inducit ad edictum (ut ita dixerim) Christi : (*b*) *Beati mendici* (sic enim exigit interpretatio vocabuli quod in græco est), *quoniam illorum est regnum cœlorum* (7). Jam hoc ipsum quod a benedictionibus cœpit, Creatoris est, qui universa prout edidit, nulla alia voce quam benedictionis (8) dedicavit. *Eructavit enim,* inquit (*Ps.*, XLIV, 1) *cor meum sermonem optimum.* Hic erit sermo optimus, benedictionis scilicet, qui et novi quoque Testamenti initiator agnoscitur de veteri (9) exemplo. Quid ergo mirum est (10), si et ab affectibus Creatoris ingressus est per hujusmodi dictionem, semper mendicos, et pauperes, et humiles ac viduas, C et pupillos usque diligentis, consolantis, asserentis, vindicantis? ut hanc Christi quasi privatam benignitatem, rivulum credas de fontibus Salvatoris. Revera quo dirigam nescio, in tanta frequentia ejusmodi vocum, tanquam in silva, vel in prato, vel in ne more pomorum, passim prout incidit, res petenda est. (*c*) Inclamat Psalmus (*Ps.* LXXXI, 3) : *Judicate pupillo et mendico, et humilem et pauperem juste tractate. Liberate pauperem, et mendicum de manu peccatoris eruite.* Item Psalmus septuagesimus primus : *Justitia judicabit mendicos populi, et faciet salvos filios pauperum.* Et in sequentibus de Christo : *Omnes nationes servient ei.* David autem uni genti judaicæ præfuit, ne quis in David putet dictum, quia et ille susceperat humiles et necessitatibus laborantes. *Quod* D *liberaverit* (11), inquit, *a dynasta mendicum, parcet*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Factum *Ciaccon.*
(2) Pacis *Rig. Venet.*
(3) *V.* Dei *præterm. conjic. Edd.*
(4) Propius *Rig. Venet. Seml.*
(5) Hos *Ciaccon.*
(6) Videns *Lat. Jun.*
(7) Dei *Seml. Oberth.*
(8) Benedictionibus *Rig. Venet.*
(9) Veteris *Jun.*
(10) Est *omitt. Seml.*
(11) Liberavit *al.*

COMMENTARIUS.

tis. Reperitur enim Naum I quod citat, *Quoniam ecce veloces pedes in monte evangelizantium pacem,* præterquam quod apud LXX legatur ἐπὶ τὰ ὄρη, id est *super montes.* Sed non mirum, cum ipse B. Hieronymus propterea scribat a se hic LXX interpretes differre, quod et ipsa capitula apud eos interpretationis varietate confusa sint. PAM.

(*a*) *Hunc vocando Jesum.* Idem est ac Josue. EDD.

CAP. XIV. — (b) *Beati mendici, sic enim exigit interpretatio,* etc. Græce est Lucæ VI πτωχοί, quod proprie mendicos significat, juxta illud Aristophanis in Pluto πτωχοῦ vita vivere, est nihil habentem. πένητος autem, id est, pauperis, parce uti laboribus intendere; supra tamen, l. de Idol. c. 12, *Felices egenos* transtulit. PAM.

(*c*) *Inclamat Psalmus, Judicate,* etc. Istud ex psal. LXXXI in hoc variat a Vulgata edit. quod legat *juste tractate,* pro quo alii omnes ex græco δικαιώσατε, *justificate.* PAM.

mendico et pauperi, et animas pauperum salvas facit. Ex usura et injustitia redimet eorum animas, et honoratum nomen eorum in conspectu ipsius (1). Item (*Ps.* IX, 18): *Avertantur peccatores in inferos, omnes nationes quæ Dei obliviscuntur, quoniam non in finem oblivioni habebitur mendicus: tolerantia pauperum non peribit in finem.* Item (*Ps.* CXII, 5): *Quis sicut Deus noster, qui habitat in excelsis, et humilia prospectat in cœlo et in terra? Qui suscitat mendicum de terra, et de stercore exaltat pauperem, uti sedere eum faciat cum principibus populi;* utique in regno suo. Sic et retro in Basiliis (*a*), Anna mater Samuelis, spiritu gloriam Deo reddens: *Qui*, inquit (I *Reg.*, II, 8), *excitat pauperem de terra, et mendicum, uti sedere eum faciat cum dynastis populi;* utique in regno suo (2): *et in thronis gloriæ;* utique regalibus. Per Esaiam vero (*Is.*, III, 13), quomodo invehitur in vexatores egenorum? *Vos autem ad quid incenditis vineam meam, et rapina mendici in domibus vestris? Cur vos lœditis populum meum, et faciem mendicorum confunditis?* et rursus (*Is.*, X, 1): *Væ qui scribunt nequitiam; scribentes enim scribunt nequam, vitantes judicia mendicorum, et diripientes judicata pauperum populi mei.* Quæ judicia pupillis quoque et viduis exigit, ut et ipsis egenis solatia (3). *Judicate pupillo, et juste tractate viduam* (*Is.*, I, 17), (*b*) *et venite conciliemur, dicit Dominus.* Cui tantus affectus in omnem conditionem humilitatis Creatoris est, ejus erit et regnum quod a Christo repromittitur; ad cujus affectum jam dudum pertinent ii, quibus repromittitur. Nam etsi putas Creatoris quidem terrenas promissiones fuisse, Christi vero cœlestes; bene quod cœlum nullius alterius usque adhuc Dei apparet, nisi cujus et terra: bene quod Creator vel minora promisit, ut facilius illi et de majoribus credam, quam qui nunquam de minoribus prius fidem liberalitatis suæ struxit. *Beati esurientes, quoniam ipsi* (4) *saturabuntur.* Possem hunc titulum in superiorem transmisisse, quod non alii sunt esurientes, quam pauperes et mendici, si non et hanc promissionem Creator specialiter in Evangelii scilicet sui præstructionem destinasset. Siquidem per Esaiam, de eis quos vocaturus esset a summo terræ, utique nationes: *Ecce*, inquit (*Is.*, V, 26), *velociter, et* (5) *leviter advenient*, Velociter, qua (6) properantes sub finibus temporum; leviter, qua (7) sine oneribus pristinæ legis. *Non esurient, neque sitient:* ergo saturabuntur; quod utique nisi esurientibus et sitientibus non promittitur. Et rursus (*Is.*, LXV, 15): *Ecce*, inquit, *qui serviunt mihi, saturabuntur; vos autem esurietis; ecce qui serviunt mihi, bibent; vos autem sitietis.* Videbimus et contraria ista, an Christo præministrentur: interim quod esurientibus saturitatem repromittit, Dei creatoris est. *Beati plorantes, quia* (8) *ridebunt.* Decurre sententiam Esaiæ (*Is.*, LXV, 13): *Ecce qui serviunt mihi, exultabunt in jucunditate* (9); *vos autem confundemini. Ecce qui serviunt mihi oblectabuntur* (10); *vos autem clamabitis præ dolore cordis.* Et hæc contraria apud Christum recognosce. Certe oblectatio et exultatio in jucunditate illis promittitur, qui in diversa conditione sunt, mœstis, et tristibus, et anxiis, scilicet etiam Psal. CXXV: *Qui seminant*, inquit, *in lacrymis, in exultatione* (11) *metent.* Porro tam exultantibus et jucunditatem capientibus risus accedit, quam mœrentibus et dolentibus fletus. Ita Creator, materias risus et fletus prædicans, risuros plorantes prior dixit. Igitur qui a (12) consolatione pauperum, et humilium, et esurientium, et flentium exorsus est, statim se illum repræsentare gestivit, quem demonstraverat per Esaiam (*Is.*, LXI, 1): *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me ad evangelizandum pauperibus. Beati* (*Luc.*, VI) *mendici, quoniam illorum est regnum cœlorum. Misit* (*Is.*, LXI) *me curare obtritos corde. Beati* (*Luc.*) *qui esuriunt, quoniam ipsi* (13) *saturabuntur.* (*c*) *Advocare* (*Is.*) *languentes. Beati* (*Luc.*) *qui plorant, quoniam ridebunt. Dare* (*Is.*) *lugentibus Sionis gloriam, et* (14) *pro cinere unguenti jucunditatem, et gloriæ habitum pro spiritu tædii.* Hæc si statim admissus Christus administravit, aut ipse est, qui se ad hæc venturum prædicavit; aut si nondum venit qui prædicavit, ridicule, sed necessarie dixerim, fortasse mandaverit Christo Marcionis: *Beati critis, cum vos odio habebunt homines, et exprobrabunt, et ejicient nomen vestrum, velut nequam* (15), *propter filium hominis.* Hac pronuntiatione sine dubio ad tolerantiam exhortatur. Quid minus Creator per Esaiam (*Is.*, LI, 7): *Ne metueritis ignominiam ab hominibus, et nullificationem eorum ne minuamini.* Quæ ignominia? quæ nullificatio? Quæ futura erat propter filium hominis. Quem istum? Qui est secundum Creatorem. Unde probabimus? Excidio in ipsum quo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Coram ipso *Fran.*
(2) Utique in regno suo *omitt. Seml.*
(3) Solatii *Rig. Pamel. Venet.*
(4) Ipsi *omitt. Seml.*
(5) Et *omitt. Seml.*
(6) Quia *Seml.*
(7) Quia *Seml.*
(8) Qui *Venet.*
(9) Oblectabuntur *Oberth.*
(10) Exultabunt in jucunditate *Oberth.*
(11) Gaudio *al.*
(12) Quia *Rhen.*
(13) Ipsi *omitt. Seml.*
(14) Et *omitt. Fran.*
(15) Malum *Pamel.*

COMMENTARIUS.

(a) *Basiliis.* Id est, libris Regum, quibus adnumerat Noster etiam duos primos, Samuelis dictos ab Hebræis, atque inde a Protestantibus. Edd.

(b) *Et venite conciliemur, dicit Dominus.* Videtur legisse, διαλάχθωμεν; nam alii vertunt, *disceptemus*, legentes διαλεχθῶμεν. Le Pr.

(c) *Advocare languentes.* Advocare pro consolari, et advocatum agere languentium, quem ipse vocat infra, advocatorem. Rhen.

que prædicato ; sicut per Esaiam (*Is.* , LII , 7) ad auctores odii (1) Judæos : *Propter vos blasphematur nomen meum in nationibus.* Et alibi : *Sancite* (2) *eum qui circumscribit animam suam , qui aspernamento habetur a nationibus , famulis , et magistratibus.* Si enim odium in illum filium hominis prædicabatur qui secundum Creatorem est , Evangelium autem nomen Christianorum , utique a Christo deductum , odio futurum contestatur propter filium hominis, quod est Christus , cum filium hominis in caussa odii constituit , qui erat secundum Creatorem , in quem odium prædicabatur. Et utique, si nondum venissent , non potuisset nominis odium , quod agitur hodie , personam nominis antecessisse. Nam et sancitur (3) penes nos , et animam suam circumscribit , propter nos eam ponens ; et aspernamento habetur a Nationibus. Et qui natus est , ipse erit filius hominis , propter quem et nomen nostrum recusatur.

CAPUT XV.

Secundum hæc, inquit (*Luc* , VI), *faciebant Prophetis patres eorum.* O Christum versipellem , nunc destructorem , nunc assertorem Prophetarum ! Destruebat ut æmulus , convertens discipulos eorum ; sibi asserebat ut amicus , sugillans insectatores eorum. Porro , in quantum non (4) congruisset Christo Marcionis assertio Prophetarum , ad quorum venerat destructionem ; in tantum congruit Christo Creatoris sugillatio in insectatores Prophetarum , quos in omnibus adimplebat ; vel quia magis Creatoris est delicta patrum filiis exprobare , quam ejus Dei , qui nec propria cujusque castigat. Sed non statim, inquis, Prophetas tuebatur si iniquitatem Judæorum affirmatam volebat, quod nec cum Prophetis suis pie egissent. Atquin nulla hic iniquitas exprobanda erat Judæis, laudandis potius et probandis, si eos figuraverunt , ad quorum destructionem post tantum ævi Deus optimus motus est. Sed puto jam et non optimus (*a*) jam aliquid et cum Creatore moratus, nec in totum Epicuri deus (*b*). Ecce enim demutat in maledictionem, et ostendit eum se esse qui novit offendi et irasci : *Væ* enim dicit. Sed fit nobis quæstio de verbi istius qualitate , quasi non tam maledictionis sit, quam admonitionis. Et quid caussæ interest, quando et admonitio non sit sine aculeo comminatio- A nis, maxime per *Væ* amarior facta ? Et admonitio autem et comminatio, ejus erunt qui norit irasci. Nemo enim admonebit, et nemo comminabitur ne quid faciat, nisi quid factum vindicabit : nemo vindicarit, nisi qui norit irasci. Alii agnoscunt quidem verbum maledictionis, sed volunt Christum sic *Væ* pronuntiasse, non quasi ex sententia sua proprie, sed quod *Væ* a Creatore sit, et voluerit illis asperitatem Creatoris opponere, quo suam supra in benedictionibus (*c*) sufferentiam commendaret : quasi non Creatori competat, qua utrumque præstanti, et bonum Deum et judicem ; ut quia præmiserat in benedictionibus benignitatem, subjiceret etiam in maledictionibus severitatem, amplitudinem disciplinæ utriusque instruendæ, tam ad benedictionem sectandam, B quam ad maledictionem præcavendam. Nam et ita præmiserat (*Deuter.* XXX, 19) : *Ecce posui ante vos benedictionem et maledictionem.* Quod etiam in hanc Evangelii dispositionem portendebat. Alioquin , qualis est ille, qui, ut suam insinuaret bonitatem , Creatoris opposuit asperitatem (5)? Infirma commendatio (*d*) est, quæ de alterius (6) destructione fulcitur. Atqui (7) opponens asperitatem Creatoris, timendum eum confirmavit : si timendum, magis utique obaudiendum quam negligendum ; et incipit jam Christus Marcionis Creatori docere. Tunc, si *Væ* Creatoris est, quod in divites spectat, ergo Christus non est divitibus offensus, sed Creator; et ratas habet Christus divitum caussas, superbiam dico, et gloriam, et sæculi studia, et Dei incuriam, per quæ *Væ* merentur a C Creatore. Sed quomodo non ejusdem sit divites reprobare, qui supra mendicos probarit ? Nemo non contrarium ejus quod probaverit reprobat. Itaque si Creatori deputabitur maledictio in divites, ejusdem defendetur benedictio in mendicos; et totum jam opus Christi, Creatoris est. Si Deo Marcionis adscribetur benedictio in mendicos, ejusdem imponetur et maledictio in divites ; et erit par jam Creatoris, tam bonus quam et judex ; nec erit jam discrimini locus, quo duo Dei fiunt ; sublatoque discrimine, supererit unum Deum renuntiari Creatorem. Igitur *Væ*, si et vox maledictionis est, vel alicujus austerioris inclamationis, et a Christo dirigitur in divites, debeo Creatorem divitum quoque asperuatorem probare, sicut

LECTIONES VARIANTES.

(1) Odii *omitt. Seml.*
(2) Sanctificate *cod. Lat.*
(3) Sanctificatur *cod. Lat.*
(4) Non *deest in al.*

D (5) Dei *præmitt. Seml.* Dei alterius *Rhen.*
(6) De alterius *omitt. alii.*
(7) Atquin *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XV. —(a) *Jam aliquid et cum Creatore moratus.* Aliquid moratum dicit moribus quibusdam præditum, qualibus Creator, nempe odio, benevolentia , ira , misericordia, justitia, clementia. Rig.

(b) *Nec in totum Epicuri Deus.* Stupens, iners, ἀλειτούργητος. Rig.— Deum secure vivere, et sine ullo negotio curaque rerum humanarum, statuebant Epicurei, et somnia ideo rejiciebant, ne Deo negotium facesserent. *Vana in totum somnia*, inquit Tertull., lib. de Anima, cap. 46, *Epicureus judicavit, liberans a negotiis divinitatem.* Tantisper moderatiores ait Stoicos Plutarchus de animi tranquill. ἀπράγμονας εἶναι τοὺς σοφούς, ἐσχόλιον γὰρ τὸ καλλιστον. *Sapientes a negotiis vacare, nam officium etiam declinant.* De ambobus meminit Seneca, de Vita beata. Le Pr.

(c) *Sufferentiam commendaret.* Sufferentia substantivum nomen , pro patientia , quam et benignitatem mox interpretatur. Rhen.

(d) *Infirma commendatio est.* Huic loco ob transpositionem dictionum depravato mederi licuit ex Gorzienzi collatione, *infirma commendatio*, etc. Rhen.

probavi mendicorum advocatorem, ut Christum in hac quoque sententia Creatoris ostendam, locupletantis quidem (1) Salomonem (III *Reg.* III), sed quia (2), permissa sibi optione, maluit ea postulare quæ sciebat Deo grata, sapientiam, et meruerat etiam divitias consequi, quas non magis voluit : quamquam et divitias præstare, non incongruens Deo sit, per quas et divites solatio juvantur, et multa inde opera justitiæ et dilectionis administrantur. Sed accidentia vitia divitiis, illa in Evangelio quoque, *Væ divitibus*, adscribunt : (*a*) *Quoniam*, inquit, *recepistis advocationem vestram;* utique ex divitiis, de gloria earum, et sæcularibus fructibus. Itaque in Deuteronomio (*Deut.* VIII, 12) Moyses : *Ne*, inquit, *cum manducaveris, et repletus fueris, et* (*b*) *domos magnas ædificaveris, pecoribus et bubus tuis multificatis* (3), *et pecunia et auro, exaltetur cor tuum, et obliviscaris Domini Dei tui.* Quemadmodum et Ezechiam regem thesauris inflatum, et de eis potius quam de Deo gloriatum apud illos qui ex Perside advenerant, insilit per Esaiam (*Is.* XXXIX, 6) : *Ecce dies veniunt, et auferentur omnia quæ in domo tua sunt; et quæ patres tui congesserunt, in Babylonem transferentur.* Sic et per Hieremiam (*Jerem.* IX, 22) quoque edicit (4) : *Ne glorietur dives in divitiis suis; et qui gloriatur, scilicet in Deo glorietur.* Sic et in filias Sionis invehitur per Esaiam (*Is.* III, 13), cultu et divitiarum abundantia inflatas; comminabundus et alibi (*Is.* V, 14) nubilibus et superbis : *Dilatavit orcus animam suam, et aperuit os suum, et descendent inclyti et magni et divites* (hoc erit Christi *væ* super divites) : *et humiliabitur homo;* utique exaltatus divitiis : *et inhonorabitur* (5) *vir;* utique ob substantiam honorabilis. De quibus et rursus (*Is.* X, 23) : *Ecce Dominus virtutum conturbabit gloriosos cum valentia, et elati comminuentur, et ruent gladio sublimes :* qui magis quam divites? Quia (*c*) receperunt (6) scilicet advocationem suam, gloriam et honorem, sublimitatem ex divitiis (7). A quibus avertens nos et in Psalmo quadragesimo octavo : *Ne timueris*, inquit, *cum dives factus fuerit homo, et cum abundabit gloria ejus; quoniam cum morietur, non tollet omnia, nec descendet cum illo gloria sua.* Item in sexagesimo primo : *Ne desideraveritis divitias; et si relucent, ne adjeceritis* (8) *cor.* Idipsum postremo verbum *væ*, olim per Amos in divites affluentes deliciis destinatur : *Væ* (9), inquit (*Amos.* VI, 4), *qui dormiunt in lectis eburneis, et deliciis fluunt in thoris suis; qui edunt hædos de gregibus caprarum, et vitulos de gregibus boum lactantes, complodentes ad sonum organorum. Tamquam perseverantia deputaverunt, et non tamquam fugientia : qui bibunt vinum liquatum, et unguentis primariis unguntur.* Igitur, etsi tantummodo dehortantem a divitiis ostenderem Creatorem, non etiam prædamnantem divites etiam verbo ipso quo et Christus, nemo dubitaret ab eodem adjectam in divites comminationem (10) per *væ* Christi, a quo ipsarum materiarum, id est, divitiarum dehortatio præcucurrisset : comminatio enim dehortationis accessio est. Ingerit : *Væ etiam saturatis, quia esurient; etiam ridentibus nunc, quia lugebunt.* His respondebunt illa, quæ supra benedictionibus opposita sunt apud Creatorem : *Ecce qui mihi serviunt, saturabuntur; vos autem esurietis* (*Is.* LXV, 12); utique quia *saturati estis.* Et : *Ecce qui mihi serviunt, oblectabuntur; vos autem confundemini;* utique ploraturi qui *nunc ridetis.* Sicut enim in Psalmo (*Ps.* CXXV, 6), *qui seminant in lacrymis, in lætitia metent* : ita in Evangelio, qui in risu seminant, scilicet lætitia (11), in lacrymis metent. Hæc olim Creator simul posuit, Christus solummodo distinguendo, non mutando, renovavit : *Væ, quum vobis benedixerint homines : secundum hæc faciebant et pseudoprophetis patres illorum.* Æque Creator benedictionis et laudis humanæ sectatores incusat per Esaiam (*Is.* III, 12) : *Populus meus, qui vos beatos dicunt, seducunt vos, et vias pedum vestrorum disturbant.* Prohibet et alias fidere omnino in hominem, sic et in laudem hominis, ut per Hieremiam (*Jerem.* XVII, 5) : *Maledictus homo, qui spem habet in homine.* Nam et in Psalmo centesimo decimo septimo (8, 9) : *Bonum est fidere in Dominum, quam fidere in hominem.* Et : *Bonum est sperare in Dominum, quam sperare in principes.* Ita, totum quod ab homine captatur, abdixit Creator, nedum benedictionem. Pseudoprophetas autem laudatos sive benedictos a patribus eorum, tam ejus est exprobrare, quam prophetas vexatos et recusatos : sicut injuriæ prophetarum non pertinuis-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quidem *omitt. Pamel.*
(2) Qui *Jun.*
(3) Multiplicatis *Pamel.*
(4) Edidit *Seml.*
(5) Honorabitur *quidam.*
(6) Receperiut *Pamel.*
(7) Et divitias *Jun.*
(8) Desideraveris... adjeceris *Seml.*
(9) Enim *add. Oberth.*
(10) Adlectam in div. communicationem *Venet. mendose.*
(11) Ex lætitia *Rig. Venet.* et lætitia *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quoniam, inquit, recepistis advocationem vestram.* Id est consolationem. Prosequitur vero verba Lucæ VI, in hoc differens, quod vocem græcam ἀπέχετε vertit *recepistis*, tum hic tum paulo post, pro eo quod alii, *habuistis*, quasi volens explicare significationem illam, qua significat aliunde *accipere*, velut censum et reditum ex arvis, quod optime hic convenit, et eodem modo vertitur a Vulgato interprete, (*Matth.* VI), *mercedem suam receperunt.* Sic etiam vertit Syriacus interpres. Haud multo aliter, sed magis convenienter voci græcæ, vertit interpres Irenæi lib. III, cap. 14, *percipitis.* Pam.

(b) *Domos magnas ædificaveris, etc.* Græcus codex requirit *pulchras. Pecoribus* hic pro *ovibus* usurpavit, etsi in græco προβάτων scribatur, id est oves transferre debuisset, ut boves multificatos seu fissilipedes postea adjungeret. Le Pr.

(c) *Receperunt scilicet advocationem suam.* Non aliud puto hic spectare quam verba Evangelii, divites et potentes increpantis : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Le Pr.

sent ad Deum ipsorum; ita nec gratiæ pseudoprophetarum displicuissent, nisi Deo prophetarum.

CAPUT XVI.

Sed vobis dico, inquit (*Luc.* VI), *qui auditis;* ostendens hoc olim mandatum (IV *Esdr.* XV, 1) a Creatore : *Loquere in aures audientium. Diligite inimicos vestros,* (*a*) *et benedicite eos qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos calumniantur.* Hæc Creator una pronuntiatione clusit per Esaiam (*Is.* LXVI, 5): *Dicite, Fratres nostri estis, eis qui vos oderunt.* Si enim qui inimici sunt et oderunt, et maledicunt, et calumniantur, fratres appellandi sunt; utique et benedici odientes, orari pro calumniatoribus jussit, qui eos fratres (1) deputari præcepit. (*b*) Novam plane patientiam docet Christus, etiam vicem injuriæ cohibens, permissam a Creatore (*Exod.* XXI, 24) (*c*) oculum exigente pro oculo, et dentem pro dente : contra, ipse alteram amplius maxillam offerri jubens, et super tunicam pallio quoque cedi. Plane hæc Christus adjecerit, ut supplementa consentanea disciplinæ Creatoris. Atque adeo hoc statim renuntiandum est, an disciplina patientiæ prædicatur (2) penes Creatorem. Si per Zachariam præcepit (*Zach.* VII, 10), ne unusquisque malitiæ fratris sui meminerit; sed nec proximi : nam et rursus : *Malitiam*, inquit (*Ibid.* VIII, 17), *proximi sui unusquisque* (3) *ne recogitet.* Multo magis patientiam indixit injuriæ, qui indixit oblivionem. Sed et cum dicit (*Deut.* XXXII, 35) : *Mihi vindictam, et ego vindicabo;* proinde patientiam docet vindictæ exspectatricem. In quantum ergo (4) non capit, ut idem videatur et dentem pro dente, oculum pro oculo, in vicem injuriæ exigere, qui non modo vicem, sed etiam ultionem, etiam recordationem et recogitationem injuriæ prohibet : in tantum aperitur nobis, quomodo oculum pro oculo, et dentem pro dente censuerit, non ad secundam injuriam talionis permittendam, quam prohibuerat interdicta ultione, sed ad primam coercendam, quam prohibuerat opposito talione (5), ut unusquisque respiciens licentiam secundæ injuriæ, a prima semetipsum contineret. Facilius enim vim comprimi scit repræsentatione talionis, quam repromissione ultionis. Utrumque autem constituendum fuit pro natura et fide hominum; ut qui Deo crederet ultionem a Deo exspectaret, qui minus fideret (6), leges talionis timeret. Hanc legis voluntatem de intellectu laborantem, Dominus et sabbati et legis et omnium paternarum dispositionum Christus et revelavit, et compotem fecit, mandans alterius quoque maxillæ oblationem; ut tanto magis vicem injuriæ extingueret, quam et lex per talionem voluerat impedisse, certe quam prophetia manifeste coercuerat, et memoriam injuriæ prohibens, et ultionem ad Deum redigens. Ita si quid Christus intulit, non adversario, sed adjutore præcepto, non destruxit disciplinas Creatoris. Denique, si in ipsam rationem patientiæ præcipiendæ, et quidem tam plenæ atque perfectæ, consideremus (7), non consistet, si non est Creatoris, qui vindictam repromittit, qui judicem præstat. Alioquin, si tantum patientiæ pondus, non modo non repercutiendi, sed et aliam maxillam præbendi; et non modo non remaledicendi, sed etiam benedicendi, et non modo non retinendi tunicam, sed amplius et pallium concedendi, is mihi imponit, qui non sit me defensurus; in vacuum patientiam præcepit, non exhibens mihi mercedem præcepti: patientiæ dico fructum, quod est ultio; quam mihi permisisse debuerat, si ipse non præstat; aut si mihi non permittebat, ipse præstare (8); quoniam et disciplinæ interest, injuriam vindicari : metu enim ultionis, omnis iniquitas refrenatur. Cæterum, passim emissa libertate dominabitur; utrumque oculum effossura, et (*d*) omnem dentem excitatura (9) præ impunitatis securitate. Sed hoc est Dei optimi, et tantum boni, patientiæ injuriam facere, violentiæ januam pandere, probos non defendere, improbos non coercere, *Omni petenti te, dato;* utique indigenti : vel tanto magis indigenti, si etiam et abundanti. Ne quis ergo indigeat, datori paratam (10) habes Deuteronomio formam Creatoris : *Non erit*, inquit (*Deut.* XV, 4) *in te indigens; uti benedicens benedicat te Dominus Deus tuus;* datorem scilicet, qui fecerit non esse indigentem. Et plus hic, non enim petenti jubet dari. Sed, *Non sit*, inquit, *indigens in te;* id est, cura ultro (11) ne sit : quo magis petenti præjudicat dandum, etiam in sequentibus : *Si autem fuerit indigens e fratribus tuis, non avertes cor tuum, nec constringes manum tuam a fratre tuo* (12) *indigente. Aperiens aperies illi manum, fœnus fœnerabis illi quantum desiderarit* (13). Fœnus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tres *Venet. mendose.*
(2) Prædicat *Jun.*
(3) Quisque *Seml.*
(4) Fidem *inser. Oberth. post Seml.*
(5) Talione opposito *Seml.* opposita *Pamel.*
(6) Contideret *al.*
(7) Considerem *Pamel.*
(8) Præstaret *Pamel.*
(9) Excussura *Lat.*
(10) Datori imperatam *Rig. Venet.* in datorem paratam *Pam.* datorem imperatum *Seml.*
(11) Ultra *Latin.*
(12) Tuo *omitt. Seml.*
(13) Desiderat *Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI. — (a) *Et Benedicite eos qui vos oderunt*, etc. Evangelii verba sensu videtur conjungere (habentur autem apud Lucam VI cap.): *Qui inimici sunt et oderunt, at maledicunt, et calumniantur.* Le Pr.

(b) *Novam plane patientiam*, etc. Hæc ad mentem Marcionis, neque enim ipsius verba esse existimo. Le Pr.

(c) *Oculum pro oculo*, etc. Eadem habentur l. *de Pal.*, c. 6. Le Pr.

(d) *Et omnem dentem excitatura.* Qui excitatur, loco fere movetur. Itaque eleganter ait, pugno in maxillam incusso dentem omnem excitari. Nec inane est votum miseri illius in rixa pugnati, *ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.* Lucilius Sat. 9 :

Arripio rostrum labiasque hujus Zephiri atque im-
Percutio, dentesque adversas excutio omnes.

Rig.

enim nisi petenti dari non solet. Sed de fœnore postmodum. Nunc si quid voluerit argumentari, Creatorem quidem fratribus dari jussisse, Christum vero omnibus petentibus; ut hoc sit novum atque diversum : imo unum erit ex his, per quæ lex Creatoris erit in Christo. Non enim aliud Christus in omnes præcepit (1), quam quod Creator in fratres. Nam etsi major est bonitas quæ operatur in extraneos, sed non prior ea quæ ante debetur (2) in proximos. Quis enim non diligens proximos (3), poterit diligere extraneos? Quod si secundus gradus bonitatis est in extraneos, qui in proximos primus est; ejusdem erit secundus gradus, cujus et primus; facilius quam ut ejus sit secundus, cujus non extitit (4) primus. Ita, Creator et secundum naturæ ordinem primum (5) in proximos docuit benignitatem, emissurus eam postea et (6) in extraneos; et secundum rationem dispositionis suæ, primo in Judæos, postea et in omne hominum genus. Ideoque, quamdiu intra Israelem erat sacramentum, merito in solos fratres misericordiam mandabat. At ubi Christo dedit (*Ps.* II, 8) *gentes* (7) *hæreditatem, et possessionem terminos terræ*, et cœpit expungi quod dictum est per Osee (*Os.* I *et* II): *Non populus meus, populus meus; et non misericordiam consecuta, misericordiam consecuta*, natio scilicet; exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit neminem excipiens in miseratione sicut in vocatione. Ita et si quid amplius docuit, hoc quoque in hæreditatem gentium accepit. *Et sicut vobis fieri vultis ab hominibus, ita et vos facite illis* (*Luc.* VI). In isto præcepto utique alia pars ejus subauditur : *Et sicut vobis non vultis fieri ab hominibus, ita et vos ne faciatis illis.* Hoc si novus Deus et ignotus retro, et nondum plane editus præcepit, qui me nulla antehac institutione formaverit, qua prius scirem quid deberem mihi velle vel nolle, atque ita et aliis facere, quæ (8) mihi vellem; non facere, quæ et mihi nollem, passivitatem sententiæ meæ permisit, nec adstrinxit me ad convenientiam voluntatis et facti, ut id aliis faciam quod mihi velim et id nec aliis faciam quod mihi nolim. Non enim diffiniit quid mihi atque aliis debeam velle nolle, ut ad A legem voluntatis parem factum, et (9) possim alii non præstare, quod ab alio mihi velim præstitum, amorem, obsequium, solatium, præsidium, et ejusmodi bona : proinde nec (10) alii facere, quod ab alio mihi fieri nolim, vim, injuriam, contumeliam, fraudem, et ejusmodi mala. Denique, hac inconvenientia voluntatis et facti, agunt ethnici nondum a Deo (11) instructi. Nam etsi natura bonum et malum notum est, non tamen Dei disciplina : qua cognita, tunc demum convenientia voluntatis et facti ex fide, ut sub metu Dei agitur. Itaque deus Marcionis (12) cum maxime revelatus sit, tamen revelatus non potuit hujus præcepti de quo agitur, tam strictum, et obscurum, et cæcum adhuc, et facilius pro meo potius arbitrio interpretandum, compendium emittere, B cujus nullam præstruxerat (13) distinctionem. At enim creator meus et (14) olim et ubique præcepit indigentes, pauperes et pupillos et viduas protegi, juvari, refrigerari : sicut et per Isaiam (*Is.* LVIII, 7) : *Infringito esurienti* (15) *panem tuum* (16); *et mendicos* (17) *qui sine tecto sunt in domum tuam inducito; et nudum si videris, tegito.* Item per Ezechielem (*Ezech.*, XVIII, 7), de viro justo : *Panem suum dabit esurienti, et nudum conteget.* Satis ergo jam tunc (18) me docuit ea facere aliis, quæ mihi velim fieri. Proinde denuntians : *Non occides, non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices;* docuit ne faciam aliis quæ fieri mihi nolim : et ideo ipsius erit præceptum in Evangelio, qui illud retro et præstruxit et distinxit, et ad arbitrium disciplinæ C suæ disposuit : et merito jam compendio substrinxit, quoniam et alias recisum sermonem facturus in terris (*Is.*, X, 23) Dominus, id est Christus, prædicabatur.

CAPUT XVII.

Illic nunc de fœnore cum interponit (*Luc.* VI) : *Et si fœneraveritis a quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis?* percurre sequentia Ezechielis, de eodem viro justo : *Pecuniam*, inquit (*Ezech.* XVIII, 8), *suam fœnori* (19) *non dedit, et quod abundaverit, non sumet;* (*a*) fœnoris scilicet redundantiam, quod est usura. Prius igitur fuit, ut fructum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præcipit *Fran.*
(2) Deberet *Seml.*
(3) Non diligens proximos *omitt. Seml. et Oberth.*
(4) Existit *Pamel.*
(5) Primum *abest Paris.*
(6) Et *omitt. Pamel.*
(7) In *add. Paris. Rhen.*
(8) Et *inser. Seml. Oberth.*
(9) Ut *Jun.*
(10) Et *Seml.*

D (11) Ab eo *Oberth. post Seml.*
(12) Etsi *inser. Latin.*
(13) Præstrinxerat *Seml. Oberth.*
(14) Et *omitt. Oberth.*
(15) Esurienti *omitt. Seml.*
(16) Mendicis *add. Seml.*
(17) Mendicos *omitt. Seml.*
(18) Nunc *Paris.*
(19) Fœnore *al.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVII.—(*a*) *Fœnoris scilicet redundantiam, quod est usura.* Cave ne cum quibusdam damnatam putes tantum τόκον τόκου sive usuram usuræ; nam omnis usura hic prohibetur, tum in locis Script. quæ adducuntur, tum ex mente Tertulliani. Tanta vero hodie usuræ cupiditas incessit, ut fœnus legibus quondam Romanis permissum etiam excedant. Etsi enim usuræ centesimæ essent legitimæ, et unicuique liberum esset centesimam stipulari (l. si pro mutua. C. si cert. pet. et l. lecta D. de reb. cred.); si tamen aliquid supra centesimam solutum erat, id in sortem imputabatur, Canone 17 Nicæno ἡμιολίων clericis prohibentur, hoc est usuræ dimidio majores quam sors principalis. Nunc vero his finibus non coercetur avaritia. Carolus Molineus tantum crimen suis figmentis adumbrare non est veritus. S. Ambrosius

fœnoris eradicaret, quo facilius assuefaceret hominem ipsi quoque fœnori, si forte, perdendo, cujus fructum didicisset amittere. Hanc enim dicimus operam Legis fuisse procurantis Evangelio. Quorumdam tunc fidem paulatim ad perfectum disciplinæ Christianæ nitorem, primis quibusque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat. Nam et supra : *Et pignus*, inquit (*Ezech.*, XVIII, 7), *reddet* (1); utique si non sit solvendo : quia soluturo (2) utique pignus restituendum esse, utrum homo scriberet? Multo manifestius in Deuteronomio (*Deut.*, XXIV, 12) : *Non dormies super pignus ejus : redditione reddes illi pallium circa solis occasum, et dormiet in pallio suo.* Adhuc clarius supra (*Deut.* XV, 2) : *Dimittes omne debitum quod tibi proximus debet, et fratrem tuum non reposces : quoniam remissio Domini Dei tui invocata est.* Porro, cum debitum dimitti jubet, utique non exsoluturo, plus etiam (3) est; et, si exsoluturo, cum reposci vetat, quid aliud docet quam non exsoluturo fœneremus, qui jam (4) detrimentum fœnori indixit? (*a*) *Et eritis filii Dei.* Nihil impudentius, si ille non sibi filios faciet, (*b*) qui nobis filios facere non permisit, auferendo connubium. Quomodo in id nomen allecturus est suos, quod jam erasit? Filius spadonis esse non possum, maxime cum patrem habeam eumdem quem et omnia. Nam tam pater omnium qui conditor universitatis, quam spado qui nullius substantiæ conditor. Et si marem ac fœminam non miscuisset Creator, et si non universis quoque animalibus filios concessisset, hoc eram ejus ante paradisum, ante delictum, ante exilium, (*c*) ante duos, unum; denuo factus filius fui statim, cum me manibus eruxus est, cum de suo halitu movit. Ille me nunc rursus filium nuncupat, jam non in animam, sed in spiritum pariens. Quia *ipse*, inquit, *suavis est adversus ingratos et malos.* Eugo, Marcion, satis ingeniose detraxisti illi pluvias et soles, ne Creator videretur. Sed quis iste suavis, qui ne cognitus quidem usque adhuc? quomodo suavis, a quo nulla beneficia præcesserunt (5)? Hoc genus suavitatis, qua soles et imbres qui fœneraverat, non recepturus ab humano genere ut Creator; qui pro tanta elementorum liberalitate facilius idolis quam sibi debitum gratiæ referentes

A homines usque adhuc sustinet. Vere suavis etiam spiritalibus commodis. *Eloquia* enim *Domini dulciora super mel et favos* (*Ps.* XVIII, 11). Ille igitur et ingratos sugillavit, qui gratos experiri merebatur; cujus soles (6) et imbres tu quoque, Marcion, ingratus habuisti. Cæterum, tuus non poterat jam queri ingratos, qui non paraverat gratos. Misericordiam quoque præcipiens : *Estote*, inquit, *misericordes, sicut Pater vester* (7) *misertus est vestri.* Hoc erit : *Panem* (*Is.* LVIII, 7) *infringito esurienti, et mendicos* (8) *sine tecto in domum tuam inducito, et nudum si videris tegito;* et : *Judicate* (*Is.* I, 17) *pupillo, et justificate viduam.* Agnosco doctrinam ejus veterem, qui *mavult* (*Os.*, VI, 6) *misericordiam, quam sacrificium.* Aut si alius nunc misericordiam præcepit, quia et ipse misericors sit, cur tanto ævo misericors mihi non fuit? *Nolite judicare, ne judicemini. Nolite condemnare, ne condemnemini. Dimittite et dimittemini. Date et dabitur vobis. Mensuram bonam, pressam ac fluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem qua mensi eritis mensura, remetietur vobis* (*Luc.* VI). Ut opinor, hæc retributionem pro meritis (9) provocatam sonant (10). A quo ergo retributio? Si ab hominibus tantum, ergo humanam docet disciplinam et mercedem, et in totum hominibus obediemus. Si a Creatore, ut a judice et dispunctore meritorum; ergo illi nostrum impellit obsequium, apud quem constituit retributionem captandam, vel timendam, prout quisque judicaverit, aut condemnaverit, aut dimiserit, aut mensus fuerit. Si ab ipso, ergo et ille jam judicat, quod Marcion negat. Eligant itaque Marcionitæ, ne tanti sit de magistri regula excidere, quanti (11) Christum aut hominibus aut Creatori docentem habere. Sed *cæcus cæcum ducit in foveam.* Credunt aliqui Marcioni. Sed *non est discipulus super magistrum.* Hoc et (12) meminisse debuerat Apelles, Marcionis de discipulo emendator. (*d*) *Eximat et de oculo suo trabem* hæreticus, *tunc in oculo* Christiani, si quam putat, *stipulam revincat.* Proinde et *arbor bona non proferat malum fructum*, quia nec veritas hæresim : nec *mala bonum*, quia nec hæresis veritatem: Sic nec Marcion aliquid boni de thesauro Cerdonis malo protulit, nec Apelles de Marcionis : multo enim hæc congruentius

LECTIONES VARIANTES.

(1) Reddes *Seml. Oberth.*
(2) Solutori *Pamel.*
(3) Enim *Pamel.*
(4) Tam *Pam. Venet. Seml.*
(5) Præcesserant *Pam.*
(6) Solem *Pam.*
(7) Vester *omitt. Seml.*
(8) Mendicos *omitt. Oberth.*
(9) Promeritis *al.*
(10) Sonat *Seml. Oberth.*
(11) Quam *Pamel.*
(12) Et *omitt. Oberth.*

COMMENTARIUS.

lib. *de Tobia*, et alibi, S. Basilius passim, et S. Cyprianus lib. *de Lapsis*, invehuntur in ejusmodi tocullones. Le Pr.

(a) *Et eritis filii Dei.* In græco B. Lucæ est ὑψίστου Altissimi, hic *Dei* vertit. Non est autem insolens in Scripturis, ut pro *Deo*, *altissimus* vertatur. Le Pr.

(b) *Qui nobis filios facere non permisit, auferendo connubium.* Quod faciebat scilicet Marcionis deus. Sic enim supra : *Ecce legem tui quoque dei impugnas : nuptias non conjungit; conjunctus non admittit.* Rig.

(c) *Ante duos unum.* Antequam dixisset Deus, *Et erunt duo in carne una.* Rig.

(d) *Eximat et de oculo suo trabem.* Apud S. Lucam est κάρφος, hoc est stipulam, quod vulgo redditur *festucam.* Hæreticorum vafritiem notat, qui veluti Aristarchi de aliis ferunt judicium, cum ipsi sint nocentissimi. Illi scilicet veluti lippientes et inunctis oculis mala sua perspiciunt, cum tamen in aliorum vel levioribus erroribus notandis sint perspicacissimi. Adversus tales homines aliosque sibi valde placentes torqueri potest quod apud Plutarchum *de Tranquil animi :*

in ipsos interpretabimur, quæ Christus in homines allegorisavit, non in duos deos secundum scandalum Marcionis. Puto me non temere huic usque adhuc lineæ insistere, qua definio, nusquam omnino alium Deum a Christo revelatum. In hoc solo adulterium (1) Marcionis manus stupuisse miror (*a*) nisi quod etiam latrones timent. Nullum maleficium sine formidine est (*b*), quia nec sine conscientia sui. Tamdiu ergo et Judæi non alium Deum norant, quam præter quem neminem adhuc norant; nec alium Deum appellabant, quam quem solum norant. Si ita est, quis videbitur dixisse : *Quid vocatis* (2), *Domine, Domine?* Utrumne qui numquam hoc fuerat vocatus, ut nusquam adhuc editus? An ille qui semper Dominus habebatur, ut a primordio cognitus? Deus scilicet Judæorum. Quis item adjecisse potuisset, *Et non facitis* (3) *quæ dico*? Utrumne qui cum maxime edocere tentabat, an qui a primordio ad illos et legis et Prophetarum eloquia mandaverat : qui et inobedientiam illis exprobrare posset, etiam si numquam alias exprobrasset! Porro, qui ante Christum, *populus iste me labiis diligit, cor autem eorum longe abstitit a me*, concionatus est (*Is.*, XXIX, 13), veterem utique illis contumaciam imputabat. Alioquin quam absurdum, ut novus Deus, novus Christus, novæ tantæque religionis illuminator, contumaces et inobsequentes pronuntiaret, quos non potuisset experiri!

CAPUT XVIII.

Proinde *extollenda fide Centurionis* (*Luc.* VII), incredibile si is professus est *talem se fidem nec in Israele invenisse*, ad quem non pertinebat fides Israelis. Sed nec exinde pertinere poterat adhuc cruda ut probaretur vel compararetur, ne dixerim adhuc nulla. Sed cur non licuerit illi alienæ fidei exemplo uti? Quoniam si ita esset, dixisset talem fidem nec in Israele umquam fuisse; cæterum, dicens talem fidem debuisse inveniri (4) in Israele ; quique ad hoc venisset, ut eam inveniret, Deus scilicet et Christus Israelis, quam non sugillasset, nisi exactor et sectator ejus. Æmulus vero etiam maluisset eam talem inventam, ad quam infirmandam et destruendam magis venerat, non ad comprobandam. Resuscitavit et mortuum filium viduæ, non novum documentum Hoc et prophetæ Creatoris ediderant, quanto magis Filius? Adeo autem in illud usque momenti, nullum alium Dominus Christus intulerat, ut omnes illic A Creatori gloriam retulerint dicentes : *Magnus prophetes prodiit in nobis, et respexit Deus populum suum.* Quis Deus? Utique cujus populus, et a quo prophetæ. Quod si illi quidem Creatorem glorificabant, Christus vero et audiens et sciens non corrigebat, et quidem in tanto documento mortui resuscitati Creatorem adhuc orantes, sine dubio aut non alium circumferebat Deum, quam quem in suis beneficiis atque virtutibus honorari sustinebat : aut quale est ut illos tam diu errantes sustineret, ad hoc veniens, ut errori eorum mederetur! Sed *scandalizatur Joannes* (*c*) *auditis virtutibus Christi*, ut alterius. At ego rationem scandali prius expediam, quo facilius hæretici scandalum explodam. Ipso jam Domino virtutum Sermone et Spiritu Patris operante in terris, et prædicante, B necesse erat portionem Spiritus Sancti, quæ ex forma prophetici moduli in Joanne egerat præparaturam viarum Dominicarum (*d*), abscedere jam ab Joanne redactam scilicet in Dominum, ut in massalem suam summam. Itaque Joannes communis jam homo, et unus jam (5) de turba, scandalizabatur quidem qua homo, sed non qua alium Christum sperans vel intelligens, qui neque eumdem (6) speraret, ut nihil novi docentem vel operantem. Nemo hæsitabit de aliquo, quem dum scit non esse, nec sperat, nec intelligit. Joannes autem certus erat neminem Deum præter Creatorem, vel qua judæus, etiam prophetes plane facilius quasi hæsitavit de eo quem quum sciat esse, an ipse sit, nesciat. Hoc igitur metu et Joannes : *Tu es*, inquit, *qui venis, an alium expectamus* (7)? simpliciter inquirens, an ipse venisset quem C exspectabat. *Tu es qui venis;* id est (8), qui venturus es, *an alium expectamus?* id est, an alius est quem exspectamus, si non tu es quem venturum exspectamus? Sperabat enim, sicut omnes opinabantur ex similitudine documentorum, potuisse et prophetam interim missum esse, a quo alius esset, id est major, ipse scilicet Dominus, qui venturus exspectabatur. Atque adeo hoc erat Joannis scandalum, quod dubitabat ipsum venisse quem exspectabant, quem et prædicatis operationibus agnovisse debuerant, ut Dominus, per easdem operationes agnoscendum se nuntiaverit Joanni. Quæ cum constet prædicata in Christum Creatoris, sicut ad singula ostendimus, satis perversum, ut Christus (9) non Creatoris per ea (10) se renuntiarit intelligendum, per quæ magis Christum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adulterio *Jun.*
(2) Vocas *Seml.*
(3) Facis *Jun.*
(4) Invenire *Seml.*
(5) Jam *omitt. Oberth.*

D (6) Unde *Pamel.*
(7) Speramus *Seml. Oberth.*
(8) Vel qui venturus est *Oberth.*
(9) Christum *Pamel.*
(10) Per eas renuntiarit *Seml.* per ea renunt. *Pamel.*

COMMENTARIUS.

Τί τὸ ἄλλόφυλον, ἄνδρωπε, βασανίζεις,
Καπὸν ἐξέλεγχε τὸ δ' ἔσω παραλλάττει. LE PR.

Nil conscire tibi.
(*Horat., Epist. lib.* V, *ep.* 1). LE PR.

(a) *Adulterium Marcionis manus stupuisse miror.* Facinus intelligit inauditum, quo B. Lucæ Evangelium corrupit, ut ante diximus. LE PR.

(b) *Nullum maleficium sine formid ne est.* Qui timet criminis se conscium, ferme convincitur; nam culpa premit comes, et :

..... Murus aheneus esto

CAP. XVIII.—(c) *Sed scandalizatur Joannes*, etc. Id dictum est ex absurda Marcionis sententia, quod discere potes ab Epiphanio *adv. Marc.* LE PR.

(d) *Præparaturam viarum dominicarum. Præparatum*, inquit Rhen., dixit, pro *præparatione*, ut *paraturam* sæpe. Est vero etiam phrasis Tertullianica, *massalem summam*, id est integram, voce derivata a *massa*. PAM.

Creatoris agnosci compellebat. Multo perversius, si et testimonium Joanni perhibet non Joannis Christus, propheten cum confirmans, imo et supra, ut angelum, ingerens etiam scriptum super illo : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ;* eleganter ad superiorem sensum scandalizati Joannis commemorans prophetiam, ut, confirmans præcursorem Joannem jam advenisse, extingueret scrupulum interrogationis illius, *Tu es qui venis, an alium exspectamus ?* Præcursore enim jam functo officio, præparata via Domini, ipse erat intelligendus, cui præcursor ministraverat, *Major* (1) quidem *omnibus natis mulierum*, sed non ideo subjecto ei, *qui minor fuerit in regno Dei ;* quasi alterius sit Dei regnum, in quo modicus quis major erit Joanne ; alterius Joannes, qui omnibus natis mulierum major sit. Sive enim de quocumque dicit modico per humilitatem, sive de semetipso, quia minor Joanne habebatur, omnibus scilicet in solitudinem concurrentibus ad Joannem potius quam ad Christum, *Quid existis videre in solitudinem ?* tantumdem et Creatori competit, et Joannem ipsius esse majorem natis mulierum, et Christum vel quemque modicum, qui major Joanne futurus sit in regno æque Creatoris, et qui sit major tanto propheta, qui non fuerit scandalizatus in Christum, quod tunc Joannem minuit. Diximus de remissa peccatorum (*a*). Illius autem peccatricis fœminæ argumentum eo pertinebit, ut cum pedes Domini oculis figeret, lacrymis inundaret, crinibus detergeret, unguento perduceret, solidi corporis veritatem, non phantasma inane tractaverit. Et ut peccatricis pœnitentia, secundum Creatorem meruerit, veniam præponere solitum sacrificio. Sed et si pœnitentiæ stimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide justificatam, ab eo audiit : *Fides tua te salvam fecit :* qui per Habacuc (*Habac.*, II, 4) pronuntiarat : *Justus ex fide sua vivet* (2).

CAPUT XIX.

Quod *divites Christo mulieres adhærebant, quæ et de facultatibus suis ministrabant ei, inter quas et uxor regis procuratoris* (*Luc.* VIII), de prophetia est. Has enim vocabat per Esaiam (*Is.*, XXXII, 9) : *Mulieres divites exsurgite, et audite vocem meam ;* ut discipulas primo, dehinc ut operarias et ministras ostenderet : *Filiæ, in spe audite sermones meos.* Dies anni mementote cum labore in spe. Cum labore enim quo sequebantur, et ob spem, ministrabant. Æque de parabolis semel sufficiat probatum, hoc genus eloquii a Creatore promissum. At nunc illa quoque pronuntiatio ejus ad populum (*Is.*, VI, 10) : *Aure audietis, et non audietis ;* dedit Christo frequenter inculcare : *Qui habet aures, audiat.* Non quasi ex diversitate auditum permitteret Christus, quem ademisset Creator : sed quia comminationem exhortatio sequebatur : primo, *aure audietis ;* dehinc, *qui habet aures, audiat.* Non enim audiebant ultro, qui aures habebant ; sed ostendebat aures cordis necessarias, quibus illos audituros negarat Creator. Et ideo per Christum adjicit : *Videte quomodo audiatis, et non audiatis ;* non corde scilicet audientes, sed aure. Si dignum sensum pronuntiationi accommodes pro sensu ejus qui auditui suscitabat, etiam dicendo, *Videte quomodo audiatis*, non audituris minabatur. Sane nominatur mitissimus Deus, quia nec judicat, nec irascitur. Hoc probat etiam subjacens sensus : *Ei qui habet, dabitur ; ab eo autem qui non habet, etiam quod habere se putat auferetur ei.* Quid dabitur ? Adjectio fidei, vel intellectus, vel salus ipsa. Quid auferetur ? Utique quod dabitur. A quo dabitur, et auferetur ? Si a Creatore auferetur, ab eo et (3) dabitur : si a deo Marcionis dabitur, ab eo et auferetur. Quoquo tamen nomine comminatur ablationem, non erit ejus Dei qui nescit comminari, quia non novit irasci. Miror autem cum lucernam negat abscondi solere, qui se tanto sæculo absconderat majus et necessarius lumen, cum omnia de occulto in apertum repromittit, qui Deum suum usque adhuc obumbrat, exspectans, opinor, nasci Marcionem. Venimus ad constantissimum argumentum omnium qui Domini nativitatem in controversiam deferunt. Ipse, inquiunt, contestatur se non esse natum, dicendo : *Quæ mihi mater, et qui mihi fratres ?* Ita semper hæretici, aut nudas et simplices voces conjecturis quo volunt rapiunt ; aut rursus conditionales et rationales, simplicitatis conditione dissolvunt, ut hoc in loco. Nos contrario dicimus : primo, non potuisse illi annuntiari, quod mater et fratres ejus foris starent quærentes videre eum, si nulla illi mater et fratres nulli fuissent ; quos utique norat qui adnuntiaret, vel retro notos, vel tunc ibidem compertos, dum eum videre desiderant, vel dum ipsi nuntium mandant. Ad hanc primam propositionem nostram solet ex diverso responderi : Quid enim si tentandi gratia nuntiatum est ei ? Sed hoc Scriptura non dicit, quæ quanto significare solet ex tentatione quid factum : *Ecce* (*Luc.* X) *legis doctor assurrexit tentans eum ;* et de tributi consultatione : *Et* (*Luc.* XX) *accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum ;* tanto ubi non facit tentationis mentionem non admittit tentationis interpretationem. Et tamen ex abundanti caussas tentationis ex postulo, cui rei tentaverint illum, per nomina-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Majore *Pamel. Fran.* majori *Rig. Venet.*
(2) Vivit *Seml. Oberth.*
(3) Et *abest Paris.*

COMMENTARIUS.

(*a*) *Diximus de remissa peccatorum.* Remissam pro remissione, ut S. Cyprianus lib. *de Bono pat.* et *Epist.* XIV. Unde Missa pro sanctissimo altaris sacrificio, a duplici missione dicta est ; duo scilicet, explicato Evangelio, levita dicebat : *Si quis catechumenus remansit, exeat,* vel *Catechumeni exeunto ;* et etiam in fine, *Ite missa est.* Ex illa duplici missione seu dimissione populi et catechumenorum Missa dicta est. Vocabulum istud veluti portentosum execrantur Calvinianorum mystæ, licet apud S. Ambrosium reperiatur. Hac de re vide quæ fuse Durantus *de Ritib.*

LE PR.

tionem matris et fratrum. Si ut scirent natusne esset, an non; quando de hoc fuit quæstio, quam ex ista tentatione discuterent. Quis autem dubitaret natum, quem videret hominem, quem audisset filium se hominis professum, quem de conspectu omnis humanæ qualitatis dubitarent Deum, aut filium Dei credere? propheten facilius existimantes, licet magnum aliquem, utique tamen natum. Etiamsi in exploratione nativitatis tentandus fuisset, quodcumque aliud argumentum tentationi competisset, quam per earum personarum mentionem, quas potuit etiam natus non habere. Dic mihi: Omnibus natis mater advivit? omnibus natis adgenerantur et fratres? non licet patres magis et sorores habere, vel et neminem? (*a*) Sed et census constat actos (*Luc.* II) sub Augusto nunc (1) in Judæa (2) per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuissent. Adeo nullo modo constitit ratio tentationis istius. At vere mater et fratres ejus foris stabant. Superest et (3) dispicere sensum non simpliciter pronuntiantis, *Quæ mihi mater aut fratres?* quasi ad generis et nativitatis negationem; sed et ex caussæ necessitate et conditione rationali. Tam proximas enim personas foris stare extrancis intus defixis ad sermones ejus, amplius et avocare eum a solemni opere quærentes, merito indignatus est. (*b*) Non tam abnegavit (4) quam abdicavit. Atque adeo cum præmisisset, *Quæ* (5) *mihi mater, et qui mihi fratres?* subjungens, *nisi qui audiunt verba mea, et faciunt ea?* (*c*) transtulit sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide judicaret. Nemo autem transfert quid, nisi ab eo qui habet id quod transfert. Si ergo matrem et (*d*) fratres eos fecit qui non erant, quomodo negavit eos qui erant? (6) meritorum scilicet conditione, non ex primorum negatione; in semetipso docens, qui patrem aut matrem aut fratres præponeret verbo Dei, non esse (*Matt.*, X, 27) dignum discipulum. Cæterum, ex hoc magis matrem et fratres confitebatur, quod illos nolebat agnoscere; quod alios adoptabat, confirmabat quos ex offensa negavit, quibus non ut veriores substituit, sed ut digniores. Denique nihil magnum, si fidem sanguini præposuit, quem non habebat.

CAPUT XX.

Quis autem *iste est, qui et ventis et mari imperat* (*Luc*, VIII)? Nimirum novus dominator atque possessor elementorum subacti jam et exclusi Creatoris. Non ita est. Sed agnorant substantiæ auctorem suum, quæ famulis quoque ejus obaudire consueverant. Inspice Exodum (*Exod.*, XIV), Marcion, adspice Mari Rubro, vastiori super omnia stagna Judææ, virgam Moysi imperantem, ut funditus proscissum, et pari utrimque stupore discriminis fixum, sicco populum pede, intestino itinere transmitteret, rursusque sub ejusdem virgæ nutu, redeunte natura, Ægyptium exercitum undarum concordia obrueret: in quod opus et austri servierunt. (*e*) Lege et (*Jos.*, III, 4) sortes familiæ dirimendæ, in transitum ejus (*f*) Jordanis machæram fuisse, cujus impetum atque decursum plane et Jesus docuerat prophetis transmeantibus stare. Quid ad hæc? Si tuus Christus est, non erit potentior famulis Creatoris. Sed his solis exemplis usus essem, si non etiam prædicatio marinæ istius expeditionis Christum antecessisset. Nam cum transfretat, Psalmus (*Ps.* XXVIII, 3) expungitur: *Dominus*, inquit, *super aquas multas*: cum undas freti discutit, Habacuc adimpletur: *Dispargens* (7), inquit, (*Habac.*, III, 9) *aquas itinere*: cum ad minas ejus elidit mare, Nahum quoque absolvitur: *Comminans*, inquit (*Nah.*, I, 4), *mari, et arefaciens illud;* utique cum ventis, quibus inquietabatur. Unde vis meum vindicem Christum? de exemplis, an de prophetis Creatoris? Age nunc, qui militarem et armatum bellatorem prædicari putas, non figurale, nec allegorice, qui bellum spiritale adversus spiritales

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tunc *Jun.*
(2) Judæam *Pam.*
(3) Et *omitt. Seml. Oberth.*
(4) Negavit *cod. Pithœi.*
(5) Quis *Seml.*
(6) Ex *inser. Wouw.*
(7) Disperges *Pam.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIX.—(a) *Sed et census constat actos sub Augusto nunc in Judæam per Sentium Saturninum.* Sic legitur in exemplari. Et veterem scripturam P. Pithœi manus ad Rhenani marginem sic explicat: *Nunc, hoc est, cum illa Christus diceret nuntiantibus adesse matrem et fratres.* Ut Septimius innuat census alios ab iis quos ab Cyrenio actos didicerat ex cap. II Lucæ. Rig. — De censu diximus ad cap VII. Census autem is factus est sine ulla pecuniæ indictione seu capitatione; sed tantum ut recenseretur orbis, et nomina civium seu subditorum imperio describerentur. Le Pr.

(b) *Non tam negavit, quam abdicavit.* Quis ita loquentem hodie ferat? Nam et moriens Christus adstantem Mariam nihilominus consolatur, et post mulieris appellationem, statim honorificentissima filii relatione matrem profitetur, et Joanni delegat. Rig.

(c) *Transtulit sanguinis nomina in alios.* Hoc est, metaphorice vocavit fratres et matrem eos qui verba sua audirent et facerent. Rig.

(d) *Fratres eos fecit, qui non erant.* Sanguinem suum fecit eos qui non erant: hoc est, usus figura sanguinis seu fraternitatis, demonstravit affectus suos erga verborum suorum auditores et factores. *Fratres eos fecit*, hoc est, nominavit, figurate scilicet, et allegorice. Rig.

CAP. XX.—(e) *Lege et sortes familiæ dirimendæ.* Sic habet exemplar. Quod explicari potest: Lege, inquit, historiam Jordanis, scies ejus machæram fuisse in transitum familiæ sorte dirimendæ; obstitisse transitui filiorum Israel tamquam aciem ingentis gladii, obstitisse transeunti familiæ sorte dirimendæ, et tamen ejus impetum atque decursum prophetis transmeantibus stetisse; prophetas arcam fœderis ferentes, cum iisque filios Israel, sicco pede transmeasse. Nimirum verbum illud, *lege*, respondet præcedenti, *inspice*. Itaque, ut supra dixit, *Inspice Exodum*, ita hic etiam dixisse videtur, *Lege et sortes familiæ dirimendæ;* quarum scilicet historia habetur *Josue* III et IV. Rig.

(f) *Jordanis machæram.* Sic Tibris arcano sacrorum vocabulo dicebatur *Serra*, auctore Servio ad illa Virgilii:

..... Ego sum, pleno quem flumine cernis

hostes, spiritali militia et spiritalibus armis, spiritaliter debellaturus esset : cum invenis in uno homine multitudinem dæmonum, legionem se professam, tique spiritalem, disce et Christum expugnatorem spiritalium hostium, spiritaliter armatum, et spiritaiter bellicosum intelligendum ; atque ita ipsum esse, ui cum legione quoque dæmonum erat dimicaturus ; at et de hoc bello Psalmus possit videri pronuntiasse (*Ps.* XXIII, 8) : *Dominus validus, Dominus potens in bello* (1). Nam cum ultimo hoste morte prœliatus, per tropæum crucis triumphavit. (*a*) Cujus autem *Dei Filium Jesum legio* testata (2) est? Sine dubio cujus ormenta et abyssum noverant, et timebant, nec enim videntur posse ignorasse adhuc quod novi et gnoti Dei virtus operaretur in terris ; quia verisimile non est Creatorem ignorasse. Si enim alium supra se Deum ignoraverat aliquando, tamen jam infra cœlum suum agentem, utique compererat. Quod autem Dominus comperisset, jam et universæ familiæ innotuisset in eodem mundo, et intra eumdem ambitum cœli, quo peregrina Divinitas conversaretur. In quantum ergo et Creator scisset eam, et substantiæ ejus, si fuisset ; in tantum quia nulla fuit, non alium dæmones sciebant, quam Dei sui Christum. Non depe·unt (3) ab alio, quod meminissent petendum sibi a Creatore, veniam scilicet abyssi Creatoris. Denique impetraverunt. Quo merito? Quia mentiti erant? quia sævi Dei filium eum fecerant? Et qualis erit, qui mentitos juvabat, qui infamantes sustinebat? Sed enim, quia mentiti non erant, quia Deum abyssi et suum cognoverant, ita eum se et ipse confirmavit quem adcognoverunt (4) dæmones, Jesum judicem et ultoris Dei Filium. Ecce aliquid et de illis pusillitatibus et infirmitatibus Creatoris in Christo. Ignorantiam enim et ego adscribere ei volo. Permittite mihi adversus hæreticum. Tangitur (*b*) a fœmina quæ sanguine fluitabat, et nescivit a qua. *Quis me*, inquit *tetigit?* Etiam excusantibus discipulis, perseverat in ignorantiæ voce, *Tetigit me aliquis ;* idque de argumento affirmat : *Sensi enim virtutem ex me profectam.* Quid dicit hæreticus? sciebatne personam? Et cur quasi ignorans loquebatur? Ut confessionem certe provocaret, ut timorem probaret. Sic et Adam aliquando quæsierat, quasi ignorans : *Adam, ubi es?* Habes et Creatorem cum Christo excusatum, et Christum Creatori adæquatum. Sed et hoc, qui (5) adversarius legis ; ut quia lex (*c*) a contactu fœminæ sanguinantis submovet, idcirco gestierit non tantum contactum ejus admittere, sed etiam sanitatem donare. O Deum non naturæ beneficum, sed æmulatione! At enim si fidem mulieris invenimus ita meruisse, cum dicit : *Fides tua te salvam fecit,* qui es ut æmulationem legis (*d*) interpreteris in isto facto, quod ipse Dominus ex fidei remuneratione editum ostendit? Sed hanc vis mulieris fidem constituet, qua contempserat legem. Et cui credibile, ut mulier nullius adhuc Dei conscia, nullius adhuc novæ legis (6) initiata, legem inrumperet eam cui adhuc tenebatur? Qua denique fide inrupit? in quem Deum credens? quem sperneus? Creatorem? Certe enim ex fide tetigit. Si ex fide Creatoris, quæ alium Deum ignorabat, et quomodo legem ejus irrupit? Tam enim inrupit, si inrupit, quam ex fide Creatoris. Quomodo enim utrumque conveniet, ut et inrüperit, et ex fide eam inruperit, propter quam inrupisse non debuit? Dicam. Fides hæc fuit primo, qua Deum suum confidebat misericordiam malle quam ipsum sacrificium, qua eum Deum certa erat operari in Christo, qua sic eum tetigit, non ut hominem sanctum, nec ut prophetam, quem contaminabilem pro humana substantia sciret ; sed ut ipsum Deum, quem nulla spurcitia pollui posse præsumpserat. Itaque non temere interpretata est sibi legem, ea contaminari significantem, quæ essent contaminabilia, non Deum, quem in Christo confidebat. Sed et illud recogitavit, ordinarium et solemnem menstrui vel partualis sanguinis fluxum in lege taxari, qui veniat ex officio naturæ, non ex vitio valetudinis. Illa autem ex vitio valetudinis redundabat, cui non modum temporis, sed divinæ misericordiæ auxilium necessarium sciebat. Atque ita potest videri (7) legem non irrupisse, sed distinxisse. Hæc erit fides, quæ contulerat etiam intellectum. *Nisi credideritis,* inquit (*Is.* VII), *non intelligetis.* Hanc fidem probans Christus ejus fœminæ, quæ solum credebat

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prælio *alii.*
(2) Testatus *Sem. Oberth.*
(3) Enim peterent *Wouw.*
(4) Cognoverunt *Pam.*
(5) Qua *Jun.*
(6) Nulli ... legi *cod. Wouw.*
(7) Videri *omitt. Sem.*

COMMENTARIUS.

Stringentem ripas et pinguia culta secantem,
Cæruleus Tibris. RIG.

(a) *Cujus autem Dei filium Jesum legio testata est?* Quasi aliud agens prosequitur illud : *Quid mihi et tibi est, Jesu fili Dei altissimi,* et ibi veniam scilicet abyssi, id est ab abysso, sicuti supra cap. XII, *veniam jejunii.* PAM.

(b) *A fœmina quæ sanguine fluitabat.* Sic Hieronymus *Epist.* 131, *ad Rafinum* dixit *mulierem fluentem sanguine,* et *Epist. ad Fabiolam* 128 : *Si quis e sacerdotibus semine fluxerit.* RIG.

(c) *A contactu fœminæ sanguinantis submovet,* etc. Alludit ad illud Levit. 15, sub finem cap. *Hæc est lex,* etc. *sanguinantis,* id est, uti B. Hieronymus, quæ jugiter fluit sanguine, *mulieris,* pro quo hodie perperam legitur apud LXX : καὶ ὁ γονορρυὴς, id est, seminifluus ; sed repetendum καὶ τῇ αἱμορροούσῃ, id est sanguinifluæ, neque enim egit dicto cap. de fœmina seminiflua, sed viro seminifluo, et muliere *sanguinante* dies plures, non in tempore menstrui sui. PAM.

(d) *Æmulationem legis,* etc. Æmulationem accipit hic pro adversatione legis ; nam paulo prius habetur *adversarius legis,* et sub finem hujus capitis *æmulus legis,* eodem modo quo Plinius dixit, *æmula Romæ Carthago,* lib. XV, cap. 18. PAM.

Creatorem, ejus fidei se Deum respondit, quam probavit. Nec illud omittam, quod dum tangitur vestimentum ejus, utique corpori, non phantasmati, inditum corpus quoque demonstrabatur; non quasi jam de hoc retractemus, sed quia ad præsentem conspirat quæstionem. Si enim non erat veritas corporis, phantasma utique contaminari, qua res vacua, non posset. Qui ergo non potest contaminari præ inanitate substantiæ, quomodo voluisset? Ut æmulus legis mentiebatur, qui non vere polluebatur.

CAPUT XXI.

Dimittit discipulos ad prædicandum Dei regnum (*Luc.* IX). Numquid vel hic edidit, cujus? Prohibet eos victui aut vestitui quid in viam ferre? Quis hoc mandasset? nisi qui et corvos alit (1), et flores agri vestit, qui bovi quoque terenti libertatem oris (*Deut.* XXV, 4) (*a*) ad veniam pabuli ex opere submovendi (2) ante præcedit: quia *dignus operarius mercede sua*. Hæc Marcion deleat, dum sensui salva sint. At cum jubet pulverem excutere de pedibus in eos a quibus excepti non fuissent, et hoc in testimonium mandat fieri; nemo testatur, quod non judicio destinatur; inhumanitatem qui in testationem redigi jubet, judicem comminatur. Nullum deum novum a Christo probatum illa etiam opinio omnium declaravit, quia Christum Jesum, alii Joannem, alii Heliam, alii unum aliquem ex veteribus prophetis Herodi asseverabant. Ex quibus quicumque fuisset, non utique ob hoc esi suscitatus, ut alium deum post resurrectionem prædicaret. Pascit populum in solitudine, (*b*) de pristino scilicet more. Aut si non eadem et (3) majestas, ergo jam minor est Creatore, qui non uno die, sed annis quadraginta, nec de inferioribus materiis panis et piscis, sed de manna cœlesti, nec quinque circiter, (*c*) sed sexcenta millia hominum protelavit. Adeo autem ea fuit majestas, ut et pabuli exiguitatem non tantum sufficere, verum etiam exuberare, de pristino voluerit exemplo. Sic enim et in tempore famis sub Helia viduæ Sareptensi modica et suprema alimenta ex prophetæ benedictione, per totum famis tempus redundaverant (III *Reg.* XVII). Habes tertiam (4) Basiliarum. Si et quartam (5) resolvas (6), invenies (IV *Reg.*, IV, 42 *et seqq.*) totum hunc ordinem Christi circa illum Dei hominem, qui oblatos sibi viginti (7) hordeaceos panes cum populo distribui jussisset, et minister ejus proinde comparata multitudine et pabuli mediocritate, respondisset: (*d*) *Quid ergo* (8) *hoc dem in conspectu* (9) *centum* (10) *hominum? Da*, inquit, *et manducabunt*, quoniam hæc (11) dicit Dominus: *Et manducaverunt, et reliquerunt* (12) *reliquias*, secundum dictum Domini. O Christum et in novis veterem! Hæc itaque quæ (13) viderat Petrus, et cum pristinis compararat, et non tantum retro facta, sed et in futurum jam tunc prophetantia recognoverat, interroganti Domino quisnam illis videretur, cum pro omnibus responderet: (*e*) *Tu es Christus*, non potest non eum (14) sensisse Christum, nisi quem noverat in Scripturis, quem jam rescensebat in factis. Hoc et ipse confirmat usque adhuc patiens, imo et silentium indicens. Si enim Petrus quidem non poterat alium cum confiteri, quam Creatoris: illo autem præcepit, ne cui hoc diceret; utique id noluit provulgari (15), quod Petrus senserat. Imo, inquis, quia non recte senserat, noluit mendacium disseminari. Sed aliam silentii caussam edixit: *Quia oporteret filium hominis multa pati, et reprobari a* (*f*) *presbyteris et scribis et sacerdotibus, et interfici, et post tertium diem resurgere*. Quæ cum prædicata sint et ipsa in Christum Creatoris, sicut suis locis implebimus, sic quoque ipsum se ostendit esse, in quem prædicabantur. Certe etsi non essent prædicata, eam caussam indicti silentii protulit quæ non Petri errorem demonstraret, (16) obeundarum passionum necessitatem. *Qui voluerit*, inquit, *animam suam salvam facere, perdet illam; et qui perdiderit eam propter me, salvam faciet eam*. Certe Filius hominis hanc sententiam emisit. Perspice igitur et tu cum rege Babylonio, fornacem ejus ardentem (*Dan.*, III), et invenies illic tamquam Filium hominis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pavit *Oberth.*
(2) Sumendi *cod. Wouw.*
(3) Ei *Rhen.*
(4) Tertium *Fran. Jun.*
(5) Quartum *Fran. Jun.*
(6) Et si tertiam revolvas *Wouw.*
(7) Decem *Seml. ex græcis quibusdam exemplis et ex Ambros. l.* VI *Hexaem.*
(8) Ego *Paris. Fran.*
(9) In spectum *Seml.*
(10) Millibus *add. Pam.*
(11) Hoc *Oberth.*
(12) Manducabunt et relinquent *Seml.* manducabunt et relinquent, et manducaverunt et reliquerunt *Jun. sic* LXX.
(13) Qui *Fran. Paris.*
(14) Non potest novum *Latin.*
(15) Promulgari *al.*
(16) Sed *add. Paris. Fran.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXI.—(a) *Ad veniam pabuli ex opere submovendi.* Submotum dicit ex opere bovi terenti, eadem honoris formula, qua Juris auctores dixere res amotas ex bonis mariti. Rig.

(b) *De pristino scilicet more.* Nimirum veteris Instrumenti seu Testamenti. Sic libro de Baptismo: *Perunguimur benedicta unctione de pristina disciplina*, hoc est judaica. Rig.

(c) *Sed sexcenta millia hominum protelavit.* Hoc est, sexcentis hominum millibus vitæ et virium tenorem continuavit, produxit, protraxit. Rig.

(d) *Quid ergo hoc dem in conspectu centum hominum?* In exemplari legitur, *Quid ergo hoc dem inspectu centum hominum.* Scribendum arbitror, *Quid ergo hoc idem inspectu centum hominum?* Rig.

(e) *Tu es Christus*, etc. Propter confessionem illam, B. Petrus fundamentum est et Petra supra quam stat Ecclesia Dei: ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ τῆς ἀσφαλοῦς πίστεως οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, ut habet S. Epiphanius *Hær.* 59. Le Pr.

(f) *Presbyteris et scribis et sacerdotibus.* Maluit *presbyteris* retinere quam ejus vocis interpretationem vulgarem *senioribus*. Porro *sacerdotibus* non adeo mirifice cum sit ἀρχιερεῦσι, quod Vulgatus *principes sacerdotum* reddit. Le Pr.

(nondum enim vere erat, nondum scilicet natus ex homine), jam tunc istos exitus constituentem. Salvas facit animas trium fratrum, qui eas pro Deo perdere conspiraverant; Chaldæorum vero perdidit, quas illi per idololatriam salvas facere maluerant. Quæ est ista nova doctrina, cujus vetera documenta sunt? Quamquam et prædicationes martyriorum, tam futurorum, quam a Deo mercedem relaturorum decucurrerunt. *Vide*, inquit Isaias (*Is.*, LVIII, 1), *quomodo perit justus, et nemo excipit corde; et viri justi auferuntur, et nemo considerat.* Quando magis hoc fit, quam in persecutione sanctorum ejus? (*a*) Utique non simplex, nec de naturæ lege communis, sed illa insignis et pro fide militaris; in qua qui animam suam propter Deum perdit, servat illam: ut et hic tamen judicem adcognoscas (1), qui malum animæ lucrum perditione ejus, et bonum animæ detrimentum, salute ejus remuneraturus (2). Sed et zelotem Deum mihi (3) exhibet, malum malo reddentem: *Qui confusus*, inquit, *mei* (4) *fuerit, et ego confundar ejus* (5). Quando nec confusionis materia conveniat, nisi meo Christo: (*b*) cujus ordo magis pudendus, ut etiam hæreticorum convitiis pateat, omnem nativitatis et educationis fœditatem, (*c*) ipsius (6) etiam carnis indignitatem, quanta amaritudine possunt perorantibus (7). Cæterum, quomodo ille erit obnoxius confusioni, qui eam non capit? non vulva, licet virginis, tamen fœminæ, coagulatus; et si non semine, tamen ex lege substantiæ corporalis, (*d*) ex fœminæ humore: non caro habitus ante formam: (*e*) non pecus dictus post figuram: (*f*) non decem (8) mensium cruciatu deliberatus (9): non subita dolorum concussione (*g*) cum tanti temporis cœno per corporis cloacam effusus ad terram: nec statim (*h*) lucem lacrymis auspicatus, et primo retinaculi sui vulnere: nec multum ablutus: nec sale et melle medicatus: nec pannis jam sepulturæ involucrum (10) initiatus: nec exinde per immunditias inter sinus volutatus, molestus uberibus, diu infans, vix puer, tarde (11) homo: sed de cœlo expositus, semel grandis, semel totus, statim Christus, spiritus et virtus, et Deus tantum. Cæterum, ut non verus, qui non videbatur, ita nec de crucis maledicto erubescendus, cujus carebat veritate, carens corpore. Non poterat itaque dixisse: *Qui mei* (12) *confusus fuerit.* Noster hoc debuit pronuntiasse: *Minoratus* (*Ps.* VIII, 6) *a Patre modico citra angelos; vermis* (*Ps.* XXI, 6), *et non homo; ignominia hominis, et nullificamen populi;* quatenus ita voluit, *ut* (*Is.*, LIII, 5) *livore ejus sanaremur*, ut dedecore ejus salus nostra constaret. Et merito se pro suo homine deposuit, pro imagine et similitudine sua, non aliena (13); ut, quoniam homo non erubuerat lapidem et lignum adorans, eadem constantia non confusus de Christo, (*i*) pro impudentia idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei. Quid horum christo tuo competit, Marcion, ad meritum confusionis? Plane pudere te debet, quod illum ipse finxisti.

CAPUT XXII.

Nam et hoc vel maxime erubescere debuisti, quod illum cum Moyse et Helia in secessu montis conspici pateris, quorum destructor advenerat. Hoc scilicet intelligi voluit vox illa de cœlo: *Hic est filius meus*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cognoscas *Pam.*
(2) Remuneratur *Paris. Fran.*
(3) Mihi *abest Paris.*
(4) Me *Seml. Oberth.*
(5) Eum *Franeq.*
(6) Ipsis *conjic. Seml.*
(7) Perorantium *codd. Wouw.*
(8) Novem *Fran.*
(9) Delibratus *Fran.*
(10) Involucro *cod. Wouw.*
(11) Tardius *Seml. Oberth.*
(12) Me *Pam. Fran.*
(13) Tunc *add. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Utique non simplex, nec de naturæ lege communis.* Hæc non alio referri possunt quam ad ea, *Quæ est ista nova doctrina:* utique non simplex, doctrina scilicet, nec de naturæ communis lege, etc. Rig.

(b) *Cujus ordo magis pudendus.* Ordinem dicit nativitatis et educationis. Rig.

(c) *Ipsius etiam carnis indignitatem.* Carnis videlicet passibilis et mortalis, quæ sane indigna Deo videbatur. Sic *adver. Jud.*: *Primo sordidis indutus est, id est, carnis passibilis et mortalis indignitate.* Vel indignitatem intellige, εἰδὸς οὐκ ἄξιον τυράννιδος. Rig.

(d) *Ex fœminæ humore.* Lib. *de Car. Christi* dixit, *humoris et sanguinis fœda coagula.* Rig.

(e) *Non pecus dictus post figuram.* Eodem vocabulo utitur Julius Firmicus lib. VII, cap. 1: *Pecus intra viscera matris artuatim conscisum a medicis proferetur.* Rig.

(f) *Non decem mensium cruciatu deliberatus.* Sic habent exemplaria; quæ si nobis integram auctoris scripturam servavere, dixerit Septimius partum deliberari, quamdiu fœtus in utero perficitur, ordine nativitatis humanæ, decem mensium spatio currente, quemadmodum in *Apologetico* dixit, conceptum deliberari, *dum adhuc sanguis in hominem deliberatur.* Alias, minime spernenda videretur Latinii conjectura, *decem mensium cruciatu deliberatus.* Nam ejusmodi est infantis in utero situs, ut cruciari videatur, incurvus totus ac contractus. Rig.

(g) *Cum tanti temporis cœno*, etc. Lib. *de Carne Christi*, cap. 4, eadem ferme habet: *Ab ipsa quidem exorsus odio habita nativitate, perora; age jam spurcitias genitalium in utero, elementorum, humorum et sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendæ per novem menses.* Per cœnum intelligit id quod Hippocrates lib. *de nat. puer.* n. 136: Τὰ γὰρ καταμήνια οὐ χωρίει, ὁκόταν γυνὴ λάβῃ πρὸς ἑωυτὴν, ἢν μέλλῃ τὸ παιδίον ὑγιαίνειν, *Menses non profluunt mulieri utero gestanti, si sanus puer futurus est.* Hoc in loco admirabilis humanæ originis descriptio et infirmitatis imago, quam memini me legisse fere eamdem apud Plinium, qui statim exclamat: *His principiis oritur carnifex animus*, etc. Si liber esset ad manum, locum totum exscriberem. Le Pa.

(h) *Lucem lacrymis auspicatus*, etc. A miseriis, vagitu scilicet, vitam auspicatur, eamdem in laboribus agit, atque ad malorum complementum mors est subeunda. Le Pa.

(i) *Pro impudentia idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei.* Idololatriæ impudentia fuit, cum non puduit adorare lapides et ligna; impudentia fidei, cum minime pudet Deum credere natum et crucifixum. Rig.

dilectus, hunc audite: id est, non Moysen jam et Heliam. Ergo sufficiebat vox sola sine ostentatione Moysi et Heliæ. Definiendo (1) enim quem audirent, quoscumque alios vetuisset audiri. Aut numquid Esaiam et Hieremiam, cæterosque quos non ostendit, permisit audiri, si vetuit quos ostendit? Nunc et si præsentia illorum fuit necessaria, non utique in colloquio ostenderentur, quod familiaritatis indicium est: nec in consortio claritatis, quod dignationis et gratiæ exemplum est : sed in sordibus aliquibus, quod destructionis argumentum est, imo in tenebris Creatoris, quibus discutiendis erat missus. Longe etiam discreti a claritate Christi, qui voces et literas ipsas eorum ab Evangelio suo erat separaturus. Siccin (2) alienos demonstrat illos, dum secum habet? sic relinquendos docet, quos sibi jungit? sic destruit, quos de radiis suis exstruit? Quid faceret christus ipsorum? Credo secundum perversitatem, tales eos revelasset, quales christus Marcionis debuisset; aut quoscumque alios secum, quam prophetas suos. Sed quid tam Christus Creatoris, quam secum ostendere prædicatores suos? cum illis videri, quibus in revelationibus erat visus: cum illis loqui, qui cum fuerant locuti: cum eis gloriam suam communicare, a quibus Dominus gloriæ nuncupabantur: (*a*) cum principalibus suis, quorum alter populi informator aliquando, alter reformator quandoque; alter initiator Veteris Testamenti, alter consummator Novi? Igitur et Petrus merito (3) contuberninm Christi sui agnoscens individuitate ejus, suggerit consilium : *Bonum est nos hic esse.* Bonum plane, ubi Moyses scilicet et Helias. Et : *Faciamus hic tria tabernacula, unum tibi, et Moysi unum, et Heliæ unum* : sed *nesciens quid diceret.* Quomodo nesciens? utrumne simplici errore, an ratione (*b*) quam (4) defendimus in caussa novæ prophetiæ, gratiæ ecstasin, id est, amentiam convenire? In spiritu enim homo constitutus, præsertim cum gloriam Dei conspicit; vel cum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat censu, obumbratus scilicet virtute divina; (*c*) de quo inter nos et psychicos quæstio est. Interim facile est amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysen et Heliam cognovisset, nisi in spiritu? Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset et similitudines, lege prohibente, nisi quia in spiritu viderat; et ita quod dixisset, in spiritu, non in sensu constitutus, scire non poterat. Cæterum, si sic nescit quasi errans, eo quod putaret illorum esse Christum : ergo jam constat et supra Petrum interrogatum a Christo, quem se existimarent ut de Creatoris dixisse, *Tu es Christus;* quia si tunc alterius Dei illum cognovisset, hic quoque non errasset. Quod si ideo et hic erravit, quia et supra; ergo certus est in illum diem quoque nullam novam divinitatem a Christo revelatam, et usque adhuc non errasse Petrum, Christo usque adhuc nihil ejusmodi revelante; et tamdiu non alterius deputandum Christum, quam Creatoris, cujus omnem et hic ordinem expressit. Tres de discentibus arbitros futuræ visionis et vocis assumit; et hoc Creatoris est, *In tribus*, inquit (*Deut.*, XIX, 15), *testibus stabit omne* verbum. *In montem secedit;* agnosco formam loci. Nam et pristinum populum apud montem et visione et voce sua Creator initiarat. Oportebat in eo suggestu consignari Novum Testamentum, in quo conscriptum Vetus fuerat; sub eodem etiam ambitu nubis, quam nemo dubitavit de aere Creatoris conglobatam, nisi et nubes suas illo deduxerat, quia et ipse per cœlum Creatoris viam ruperat, aut proinde et nubilo Creatoris precario usus est. Itaque nec nunc nuta nubes fuit, sed vox salita de cælo, et Patris novum testimonium super Filio : atque in secundo (5) Psalmo, *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* De quo et per Isaiam (*Is.*, L, 10): *Quis Deum metuens, audiat vocem filii ejus?* Itaque jam repræsentans cum : *Hic est filius meus;* utique subauditur, quem repromisi (6). Si enim repromisit aliquando, et postea dicit, *Hic est* ; ejus est exhibentis voce uti in demonstratione promissi, qui aliquando promisit ; non ejus cui possit responderi, « Ipse enim tu quis es qui dicas, *Hic est filius meus*, de quo non magis præmisisti, quam teipsum quod prius eras (7) revelasti? » *Hunc* igitur *audite*, quem ab initio edixerat audiendum in nomine prophetæ, quoniam et prophetes existimari habebat a populo. (*d*) *Prophetam*, inquit Moyses (*Deut.* XVIII, 15), *suscitabit vobis Deus ex filiis vestris* (secundum carnalem scilicet censum) (8) *tanquam me : audietis* (9) *illum. Omnis autem qui illum non audierit, exterminabitur anima ejus de populo suo.* Sic

LECTIONES VARIANTES.

(1) Diffiniendo *al.*
(2) Sic in *Rig. Vcnet.*
(3) Meritum *Semd. Oberth.*
(4) Qua *Jun.*
(5) Primo *Semd.*
(6) Repromisit *Oberth.*
(7) Erat *Pam.*
(8) Sensum *Paris. Fran.*
(9) Audieritis *Pam.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXII. — (a) *Cum principalibus suis.* Vatic. I ms. cod. *cum principibus suis.* Sed illud magis Tertullianicum et Africanum stylum redolet, quos ita vocat auctor, quod Moyses et Helias præcipui fuerint prophetarum veterum, jamdudum ante illos, quos majores vocamus. PAM.

(b) *Quam defendimus in caussa novæ prophetiæ, gratiæ ecstasin, id est amentiam convenire.* Hoc fecisse videtur libris *de Ecstasi*, quorum meminit Hieronymus. RIG.

(c) *De quo inter nos et psychicos quæstio est.* Psychicorum hic primum omnium facta est ab auctore mentio; quare patet initio hæreseos ab auctore hunc librum conscriptum. RIG.

(d) *Prophetam, inquit Moyses.* Multo aliter hanc Scripturam citat quam hodie habetur apud LXX, sed potius secundum quod citat., *Act.* III et VIII, nec mirum cum bis idipsum aliis verbis repetatur *Deuter.*, XVIII, quorum priori loco magis accedit, quod habet cum apostolo Petro auctor, *suscitabit vobis :* præterquam quod ibi est : *tibi* ex posteriori vero loco desumpsit illud. PAM.

et Isaias (*Is.*, L, 10) : *Quis in vobis metuens, exaudiat vocem filii ejus?* Quam et ipse Pater commendaturus erat. (*a*) *Sistens* enim (1) *verba filii sui*, dicendo scilicet : *Hic est filius meus dilectus; hunc audite*, inquit (2). Itaque etsi facta translatio sit auditionis a Moyse et Helia in Christo (3), sed non ut ab alio deo, nec ad alium christum, sed a Creatore in Christum ejus, secundum decessionem Veteris, et successionem Novi Testamenti. Non legatus, inquit Isaias (*Is.*, LXIII, 9), nec nuntius, sed *ipse* Dominus (4) *salvos eos fecit* (5); ipse jam prædicans et implens Legem et prophetas. Tradidit igitur Pater Filio discipulos novos, ostensis prius cum illo Moyse et Helia in claritatis prærogativa, atque ita dimissis, quasi jam et officio et honore dispunctis; ut hoc ipsum confirmaretur propter Marcionem, societatem esse etiam claritatis Christi cum Moyse et Helia. Totum autem habitum visionis istius habemus etiam apud Habacuc, ubi Spiritus ex persona interdum apostolorum (*Habac.*, III, 2) *Domine, audivi auditum tuum, et extimui.* Quem magis quam vocis cœlestis illius, *Hic est filius meus dilectus, hunc audite? Consideravi opera tua* (6), *et excidi mente.* Quando (7) magis, quam cum visa claritate ejus, nescit quid diceret Petrus? *In medio duorum animalium cognosceris*, Moysi et Heliæ. De quibus et Zacharias (*Zach.*, IV, 3 et 14) vidit in figura duarum olearum, et duorum ramulorum oleæ. Nam hi sunt, de quibus dictum est illi : *Duo filii opimitatis adsistunt Domino universæ terræ.* Et rursum idem Habacuc (*Habac.*, III, 3) : *Operuit cœlos virtus;* utique nubilo illo. *Et splendor ejus ut lux erit;* utique qua etiam vestitus ejus refulsit. Et si commemoremur promissionis Moysi, hic invenietur expuncta. Cum enim desiderasset conspectum Domini Moyses dicens : *Si ergo inveni gratiam coram te, manifesta te mihi, ut cognoscenter videam te;* eum conspectum desiderans, in quo hominem esset acturus, quod propheta sciebat. Cæterum, *Dei faciem* (jam audierat) *nemo homo videbit me* (8), *et vivet* (*Exod.*, XXXIII). Et *hunc*, inquit, *sermonem quem dixisti, faciam tibi.* Et rursus Moyses : *Ostende mihi gloriam tuam.* Et Dominus similiter de futuro : *Ego præcedam in gloria mea*; et reliqua. Et in novissimo : *Et tunc videbis posteriora mea.* Non lumbos, nec suras; sed quam desideraverat gloriam in posterioribus temporibus revelandam. In qua, facie ad faciem visibilem se ei repromittit (9), etiam ad Aaronem dicens (*Num.*, XII, 6) : (10) *Si fuerit prophetes in vobis, in visione cognoscar illi, et in visione loquar ad eum, non quomodo ad Moysen : os ad os loquar ad eum* (11) *in specie* (utique hominis, quam erat gestaturus), *non in ænigmate.* Nam etsi (*b*) Marcion noluit eum colloquentem Domino ostensum, sed stantem; (12) tamen et stans os ad os stabat, et faciem ad faciem cum illo, inquit, non extra illum, in gloriam ipsius, nedum in conspectum (13). De qua gloria non aliter illustratus discessit a Christo, quam solebat a Creatore : proinde tunc oculos percutiens (14) filiorum Israelis, quemadmodum et nunc excæcati Marcionis, qui hoc quoque argumentum adversus se facere non vidit. Suscipio in me personam Israelis.

CAPUT XXIII.

Stet christus Marcionis, et exclamet : *O genitura incredula, quousque ero apud vos? quousque sustinebo vos* (15)? Statim a me audire debebit, Quisquis es (ἐπερχόμενε) eperchomene, prius ede qui sis, et a quo venias, et quod in nobis tibi jus. Usque adhuc Creatoris est (16) totum apud te. Plane si ab illo venis, et illi agis, admittimus increpationem. Si vero ab alio, dicas velim quid nobis umquam de tuo commisisti, quod credere debuissemus, ut exprobres incredulitatem, qui nec ipsum aliquando nobis revelasti. Quam olim apud nos agere cœpisti, ut tempus quæraris? In quibus nos sustinuisti, ut patientiam imputes? Asinus de Æsopi puteo modo venis, et jam exclamas. Suscipio adhuc et personam discipulorum in quos insiliit : *O natio incredula, quamdiu ero vobiscum? quamdiu vos sustinebo?* Hanc eruptionem ejus utique hoc modo justissime repercuterem : Quisquis es (ἐπερχόμενε) eperchomene, prius edè qui sis, a quo venias, quod tibi jus sit in nobis? Usque adhuc, puto, Creatoris es, et ideo secuti sumus recognoscentes omnia illius in te. Quod si ab illo venis, admittimus increpationem. Si vero alii agis, oro te, dicas quid nobis aliquando commisisti dumtaxat de tuo, quod jam credidisse debuissemus, ut exprobres incredulitatem, qui nec auctorem tuum usque adhuc edis? Quam olim autem apud nos agere cœpisti, ut tempus quoque opponas? In quibus autem nos sustinuisti, ut et patientiam jactes? Asinus de Æsopi puteo modo huc apparuit, et jam exclamat. Quis non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Inquit *add. Pam.*
(2) Iuquit *omitt. Pam.*
(3) Christum *cod. Wouw.*
(4) Deus *Seml. Oberth.*
(5) Faciet *Oberth.*
(6) Operam tuam *al.*
(7) Quanto *Paris.* quo *Fran.*
(8) Me *abest Rig. Venet.*
(9) Repromiserat *Seml.*
(10) Et *inser. Oberth.*
(11) Ad eum *omitt. Seml.*
(12) Et *add. Rig. Venet.*
(13) Conspectu *Oberth.*
(14) Percutere *Pam.*
(15) Quousque sustinebo vos *omitt. Seml.*
(16) Es *Oberth.*

COMMENTARIUS.

(*a*) *Sistens enim, inquit, verba filii sui*, etc. Rursum vertit auctor verba Isa. XLIV, *filii sui*, pro eo quod græco παιδός σου; pro quo alii, *pueri sui*; quo factum ut difficillime locus hic inveniri potuerit, maxime cum B. Hieronymus ex hebræo vertat, *suscitans verbum.* Pam.

(*b*) *Marcion noluit eum colloquentem Domino ostensum.* Ex Evangelio B. Lucæ deleverat *colloquentes cum illo*, verum premitur hic Marcion ex cap. XXXIV Exodi, in quo idem refertur. Le Pr.

ita injustitiam increpationis retudisset, si ejus eum credidisset, qui nondum queri debuisset? nisi quod nec ille eos insilisset, si non olim apud illos in Lege, in prophetis, in virtutibus et beneficiis deversatus, incredulos semper fuisset expertus. Sed ecce Christus diligit parvulos, tales esse docens debere, qui semper majores velint esse. Creator autem ursos pueris immisit, ulciscens Helisæum propheten, convicia ab eis passum (IV *Reg.*, II). Satis impudens antithesis, cum tam diversa committit, parvulos et pueros: innocentem adhuc ætatem, et judicii jam capacem, quæ conviciari poterat, ne dicam blasphemare. Qua (1) ergo justus Deus, nec pueris impiis pepercit, exigens majori ætati honorem, et utique magis a minore. Qua vero bonus, adeo diligit parvulos, ut apud Ægyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos periclitantes edicto Pharaonis. Ita et hæc affectatio Christi cum Creatore est. Jam nunc Deus Marcionis, qui connubium aversatur (2), quomodo videri potest parvulorum dilector, (*a*) quorum tota caussa connubium est? Qui semen odit, fructum quoque execretur necesse est. Nec ille sævior habendus Ægyptio rege: nam Pharao educari non sinebat infantes; iste nec nasci, auferens vitam illis etiam decem mensium in utero. At enim quanto credibilius, ut ejus deputetur affectio in parvulos, qui benedicendo connubium in propagationem generis humani, ipsum quoque fructum connubii benedicendo promisit, qui de infantia primus est. Repræsentat Creator ignium plagam Helia postulante in illo pseudopropheta (IV *Reg.*, I). Agnosco judicis severitatem; e contrario, Christi lenitatem increpantis (3) eamdem animadversionem destinantes discipulos, super illum vicinum Samaritarum. Agnoscat et hæreticus ab eodem severissimo judice promitti hanc Christi lenitatem. *Non contendet*, inquit (*Is.*, XLII, 2), *nec vox ejus in platea audietur. Arundinem quassatam non comminuet, et linum fumigans non extinguet.* Talis utique multo magis homines non erat crematurus. (*b*) Nam et tunc ad Heliam (III *Reg.*, XIX, 12), *Non in igni* (inquit Dominus), *sed in spiritu miti.* At enim humanissimus Deus, cur recusat eum, qui se tam individuum illi comitem offert? Si quia superbe, vel ex hypocrisi dixerat: *Sequar te quocumque ieris;* ergo aut superbiam, aut hypocrisin recusandam judicando, judicem gessit. Et utique damnavit, quem recusavit, non consecuturum (4) scilicet salutem. Nam sicut ad salutem vocat, quem non recusat, vel etiam quem ultro vocat; ita in perditionem damnat quem recusat: illi autem caussato patris sepulturam, cum respondet: *Sine, mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, et annuntia regnum Dei;* utramque legem Creatoris manifeste confirmavit, et de sacerdotio in Levitico prohibentem sacerdotes supremis etiam parentum interesse: *Super omnem*, inquit (*Levit.*, XXI, 1), *animam defunctam sacerdos non introibit, et super parentem* (5) *suum non contaminabitur.* Et de devotione in Arithmis (*Num.*, VI, 6 et 7); nam et illic, qui se Deo voverit, inter cætera jubet, ne super ullam animam introeat defunctam, ne super patris quidem, aut matris, aut fratris. Puto autem et devotioni et sacerdotio destinabat, quem prædicando regno Dei imbuerat. Aut si non ita est, satis impius pronuntiandus, qui nulla ratione legis intercedente, sepulturas parentum despici a filiis imperabat. Cum vero et tertium illum, prius suis valedicere parantem, prohibet retro respectare, sectam Creatoris exequitur. Hoc et ille noluerat fecisse quos ex Sodomis liberarat.

CAPUT XXIV.

Allegit et alios septuaginta apostolos super duodecim (*Luc.* X). Quo enim duodecim secundum totidem fontes in Elim, si non et septuaginta, secundum totidem arbusta palmarum? Antitheses plurimum caussarum diversitas fecit, non potestatum. Sed qui diversitatem caussarum non respexit, facile eam potestatem existimavit. Profectionem filiorum Israelis, Creator, etiam illis spoliis aureorum et argenteorum vasculorum, et vestium, (*c*) præter oneribus consparsionum (*d*) offarcinatam eduxit de (6) Ægypto: (*e*) Chri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quia *Paris. Fram.*
(2) Adversatur *Rig. venet.*
(3) Reprehendentis *cod. Wonw.*
(4) Secuturum *Seml.*
(5) Patrem *Oberth.*
(6) Ex *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXIII.—(a) *Quorum tota caussa connubium est. Totam caussam* accipit auctor pro *pleraque*; nam tria bona connubii adnotavit non uno in loco B. Augustinus, fidem, sacramentum, et prolem, cum interim plerique fere prolium caussa matrimonium contrahant. Nam totum, inquit Nonius, quod plus putatur, non pro cuncto alicubi accipi potest. Id enim disertis verbis indicat auctor, cum paulo post subjungit: *Ipsum quoque fructum connubii benedicendo promisit, qui de infantia primus est.* PAM.

(b) *Nam et tunc ad Heliam non in igni.* Alludit ad historiam Eliæ, III Reg., XIX. Quod autem ait, *Nam et tunc ad Eliam*, hoc est, etiam in Veteri Testamento Deum esse mitem et misericordem et placabilem. Procopius: ὅτι δὲ οὐ πῦρ πῦρ ὁ τῖς παλαίας θεὸς, ἤλίας διδάσκουσι, καὶ δι' αὐτοῦ πάντες ἡμεῖς· ἀλλ' οὐδὲ αὖρᾳ λεπτῇ, δι' αὔρας δὲ λέγεται παραῖναι λεπτῆς. Vide quæ ad lib. *de Pat.* RIG.

CAP. XXIV.—(c) *Præter oneribus consparsionum.* Sic legitur in exemplari. Itaque hic *præter* adverbiascit, et significat *præterea*. Onera autem consparsionum dicit farinæ massam aquæ consparsine coactam. Exodi XII, 34: ἀνέλαβε δὲ ὁ λαὸς τὰ στατὶς αὐτῶν. Hesychius: Στατὶς, φύραμα ἀλεύρου πυρίνου. Glossarium vetus, στατὶς, adeps. Item, φύρμα, *massa*, *conspersio*, sic adversus Valentinianos, *in conspersionis alvearia absconderit, donec totum confermentetur.* Versio vulgata Epistolarum Pauli ad Corinth. I, 5, *Ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* RIG.

(d) *Offarcinatam.* Exod. τὰ φυράματα αὐτῶν ἐνδεδεμένα ἐν τοῖς ἱματίοις αὐτῶν. RIG.

(e) *Christus autem nec virgam discipulis*, etc. Legerem cum Pamelio, *nec parum;* congruit enim plane lectio hæc cum Evang. B. Lucæ. LE PR.

stus autem nec virgam (1) discipulis in viam ferre præscripsit. Illi enim in solitudinem promovebantur; hi autem in civitates mittebantur. Considera causarum offerentiam, et intelliges unam et eamdem potestatem, quæ secundum penuriam et copiam expeditionem suorum disposuit; proinde per civitates abundaturam circumcidens, sicut et egituram per solitudinem struxerat (2). (a) Etiam calciamenta portare vetuit illos. Ipse enim erat, sub quo nec in solitudine per tot annos populus calciamenta detriverat. *Neminem*, inquit, *per viam* (3) *salutaveris*. O Christum destructorem Prophetarum, a quibus hoc quoque accepit! Helisæus, cum Giezin puerum suum mitteret in viam ad filium Sunamitidis resuscitandum de morte, puto, sic ei præcepit (IV *Reg.*, IV, 29): *Accinge lumbos tuos, et sume bacillum meum in manum, et vade: quemcumque conveneris in via, ne benedixeris eum*; id est, ne salutaveris: *et qui te benedixerit, ne respondeas ei*, id est, ne resalutaveris. Quæ est enim inter vias benedictio, nisi ex occursu mutua salutatio? Sic et Dominus, *in quam introissent domum, pacem ei dicere* (4), exemplo eodem est. Mandavit enim et hoc Helisæus, cum introisset ad Sunamitin, diceret ei: *Pax viro tuo, pax filio tuo* (5). Hæc erunt potius nostræ antitheses, quæ comparant, non quæ separant Christum. *Dignus est* (6) autem *operarius mercede sua*, quis magis pronuntiarit quam Deus judex? Quia et hoc ipsum judicare est, dignum facere mercede operarium. Nulla retributio non ex judicatione constitit. Jam nunc et hic lex consignatur Creatoris, etiam boves operantes dignos operarios mercede judicantis; *Bovi*, inquit (*Deuter.*, XXV, 4), *terenti os non colligabis*. Quis tam præstans in homines, nisi qui et in pecudes? Quod si et Christus dignos mercede pronuntiat operarios, excusavit præceptum illud Creatoris, de vasis aureis et argenteis Ægyptiorum auferendis. Qui enim villas et urbes operati fuerant Ægyptiis, digni utique operarii mercede, non ad fraudem sunt instructi (7), sed ad mercedis compensationem, quam alias a dominatoribus exigere non poterant. Regnum Dei, neque novum neque inauditum, sic quoque confirmavit, dum illud jubet adnuntiari appropinquasse. Quod enim longe fuerit aliquando, id potest dici appropinquasse. Si autem numquam retro fuisset, antequam appropinquasset, nec dici potuisset appropinquasse, quod numquam longe fuisset. Omne quod novum et incognitum est, subitum est. Omne quod subitum est, cum annuntiatur, tunc primum speciem inducens, tunc primum accipit tempus. Cæterum, nec retrotardasse poterit, quamdiu non annuntiabatur; nec ex quo annuntiari cœperit, appropinquasse. Etiam adjicit (8), ut eis qui illos non recepissent, dicerent: *Scitote tamen appropinquasse regnum Dei*. Si hoc non et comminationis gratia mandat, vanissime mandat. Quid enim ad illos si appropinquaret regnum, nisi quia cum judicio appropinquat? in salutem scilicet eorum, qui annuntiationem ejus recepissent. Quomodo? si comminatio non potest sine executione, habes Deum executorem in comminatore, et judicem in utroque? Sic et pulverem jubet excuti in illos, in testificationem, (*b*) et hærentiam (9) terræ eorum, nedum communicationis reliquæ. Si enim inhumanitas et inhospitalitas nullam ab eo relaturæ sunt ultionem, cui rei præmittit testificationem, minas utique portendentem? Porro, cum etiam Creator in Deuteronomio (*Deut.*, XXIII, 3), (*c*) Ammonitas et Moabitas prohibeat recipi in Ecclesiam, quod populum Ægypto profectum inhumane et inhospitaliter copiis defraudassent: ergo in Christum inde manasse constabit (*d*) communicationis interdictum; ubi habet formam: *Qui vos spernit, me spernit*. Hoc et Moysi Creator (*Num.*, XIV, 27): *Non te contempserunt, sed me*. Tam enim apostolus Moyses, quam et Apostoli prophetæ. Æquanda erit auctoritas utriusque officii, ab uno eodemque domino Apostolorum et Prophetarum. Quis nunc dabit *potestatem calcandi super colubros et scorpios?* Utrumne omnium animalium Dominus, an nec unius lacertæ (10) Deus? Sed bene quod Creator hanc potestatem parvulis pueris (11) per Isaiam (*Is.*, XI, 8) repromisit, conjicere manum in cavernam aspidum, et in cubile natorum aspidum, nec

LECTIONES VARIANTES.

(1) Peram *Fran.*
(2) Strinxerat *notat Rhen.*
(3) In via *Oberth.*
(4) Ut in q... dicerent *alii.*
(5) Tuo *omitt. Seml.*
(6) Est *omitt. Oberth.*
(7) Instincti *Pam.*
(8) Dicit *alii*; edicit *al.*
(9) Adhærentiam *Paris.* adhorrentiam *Fran.*; horrentiam *Jun.*
(10) Lacertæ *omitt. Seml.*
(11) Puerulis *Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Etiam calciamenta portare vetuit illos.* Non ita hæc accipe, ut discipulos albis pedibus incedere voluerit Christus Dominus; sed tantum ne de calceamentis sibi providerent quibus uti possent, ubi ea quæ in pedibus hebebant, attrita essent. Ut enim cum Veteri Testamento illud congruat, qui Israelitas adeo salvos et incolumes per an. 40, præstitit, ut neque vestes neque calcei contererentur, idem in Novo suis eamdem fiduciam præstare poterit et securitatem. Id enim contextus ipse exigit. LE PR.

(b) *Et hærentiam terræ eorum.* In exemplari scribitur: *Sic et pulverem jubet et excuti in illos in testificationem ei; her et etiam terræ cor.* Hærentiam terræ dixisse videtur, ut explicaret quod pulveris nomine Lucas intelligi voluerat. RIG.

(c) *Ammonitas et Moabitas prohibeat recipi in Ecclesiam. Ecclesiæ* vocabulum Septimius accommodat Judaicis temporibus. RIG.

(d) *Communicationis interdictum.* Sic lib. de Monogamia: *Sed illam quidem a communicatione depellunt.* RIG. — *Communicationis interdictum.* De interdictis Ecclesiæ id explicari potest. Diligens etenim formularum forensium observator et juris Tertullianus id opposuit. Apud Jureconsultos interdictum est quod ad tempus a judice dicitur, et glossæ, διαλεγόμενον τὸν ἀμφισβητούντων περὶ νομῆς; sic interdictum Ecclesiæ est separatio a communi cœtu fidelium ad tempus, donec qui ἀκοινώνητος est pro delictis satisfecerit. Interdictum, quasi *interim dictum*, ut apud Tull. lib. VII Epist. famil ep. 32: *Urbanitatis possessionem*,

omnino lædi. Et utique scimus (salva simplicitate Scripturæ; nam nec et ipsæ bestiæ nocere poterunt, ubi fides fuerit) figurate scorpios et colubros portendi spiritalia malitiæ, quorum ipse quoque princeps in serpentis, et draconis, et immanissimæ (1) cujusque bestiæ nomine deputetur penes Creatorem, largitum hanc potestatem priori Christo suo; sicut nonagesimus Psalmus ad eum (*Ps.* XC, 13): *Super aspidem et basiliscum incedes, et conculcabis leonem et draconem;* sicut etiam Isaias (*Is.*, XXVII, 1): *Illa die superducet Dominus Deus machæram sanctam, magnam et fortem,* Christum scilicet suum, *in draconem illum colubrum magnum et tortuosum, et interficiet eum illa die.* Sed cum idem (*Is.*, XXXV, 8): *Via munda et via sancta vocabitur, et non transibit illic immundum, nec erit illic via immunda: qui autem dispersi erunt, vadent in ea, et non errabunt; et non erit jam illic leo, nec ex bestiis pessimis quicquam ascendet in eam, nec invenietur illic.* Cum via fidem demonstret, per quam ad Deum perveniemus, jam tunc eidem viæ, id est fidei, hanc erogationem (2) et subjectionem bestiarum pollicetur. Denique et tempora promissionis congruere invenias, si quæ antecedunt, legas (*Is.*, XXXV, 5): *Invalescite, manus dimissæ, et genua resoluta. Tunc patefient oculi cæcorum, et aures exaudient surdorum. Tunc saliet claudus ut cervus, et clara erit lingua mutorum.* Igitur ubi medicinarum edidit beneficia, tunc et scorpios et serpentes sanctis suis subdidit, ille scilicet qui hanc potestatem, ut et allis præstaret, prior acceperat a Patre, et secundum ordinem prædicationis exhibuit.

CAPUT XXV.

Quis Dominus cœli invocabitur, qui non prius factor ostenditur? *Gratias* enim, inquit, *ago et confiteor, Domine cœli, quod ea quæ erant abscondita sapientibus et prudentibus, revelaveris parvulis.* Quæ ista? et cujus? et a quo abscondita? et a quo revelata? Si a Deo Marcionis abscondita et revelata, qui omnino nihil præmiserat, in quo aliquid absconditum esset potuisset, non prophetias, non parabolas, non visiones, non ulla rerum, aut verborum, aut nominum argumenta, per allegorias et figuras, vel ænigmatum nebulas obumbrata; sed ipsam magnitudinem sui absconderat, quam cum maxime per Christum revelabat, satis inique. Quid enim deliquerant sapientes et prudentes, ut absconderetur illis Deus? ad quem cognoscendum non sufficerat sapientia atque prudentia illorum, nulla via data ab ipso per aliquam operum prædicationem; vel vestigia, per quæ sapientes atque prudentes deducerentur. Quanquam et si in aliquo deliquissent erga Deum ignotum, pone tunc (3) notum; non tamen zelotem eum experiri debuissent, qui dissimilis Creatoris inducitur. Igitur si nec materias præmiserat, a quibus aliquid occultasset; nec reos habuerat, a quibus occultasset; nec debuerat occultasse, etiam si habuisset: jam nec revelator ipse erit, qui absconditor non fuit: ita nec Dominus cœli, nec Pater Christi; sed ille, in quem competunt omnia. Nam et abscondit præmisso obscuritatis propheticæ instrumento, cujus intellectum fides mereretur: *Nisi* enim (*Is.*, VII, 9) *credideritis, non intelligetis;* et reos habuit (*Rom.* I) sapientes atque prudentes, ex ipsius operibus tot ac tantis intelligibilem Deum non requirentes, vel perperam in illum philosophantes, et ingenia hæreticis subministrantes; et novissime, zelotes est. Denique olim hoc per Isaiam concionabatur, quod Christus gratulatur (*Is.*, XXXIX, 14): *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium celabo.* Sicut et alibi (*Is.*, XLV, 3) tam abscondisse, quam revelatum esse significat: *Et dabo illis thesauros absconditos, invisibiles aperiam illis.* Et rursus (*Is.*, XLIV, 20): *Quis alius dissipiet* (*a*) *signa ventriloquorum, et divinationes ex corde; avertens in posteriora sapientes, et cogitationes eorum infatuans?* Si autem et Christum suum illuminatorem nationum designavit (*Is.*, XLII, 6): *Posuit te in lucem nationum;* quas interpretamur in nomine parvulorum, sensu scilicet retro parvas, et imprudentia infantes; jam vero et humilitate fidei pusillas: facilius utique credemus eumdem etiam parvulis revelasse per Christum, qui et retro absconderit, et per Christum revelata Creatore abscondita retrofuerant, patefecit; ergo jam Creatori negotium gessit, res ejus edisserens. Sed in destructionem, inquis, uti traduceret eas: ergo illis traduxisse debuerat, quibus Creator abscondidit, tionem repromiserit. Aut si Deus Marcionis, ea quæ sapientibus et prudentibus. Si enim benignitate faciebat, illis erat agnitio præstanda, quibus fuerat negata; non parvulis, quibus nihil Creator inviderat. Et tamen usque adhuc, puto, probamus extructionem potius Legis et Prophetarum inveniri in Christo, quam destructionem. (*b*) *Omnia sibi tradita* dicit *a Patre.* Credas si Creatoris est Christus, cujus omnia; qui non minori se tradidit omnia Filio Creator, quæ per eum condidit, per sermonem suum scilicet. Cæterum, si eperchomenos ἐπερχόμενος ille, quæ sunt omnia quæ illi a Patre sunt tradita? quæ sunt Creatoris? Ergo bona sunt quæ Pater Filio tradidit; et bonus jam Creator,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Eminentissimæ *Pam.*
(2) Evacuationem *Pam.* evocationem *Paris.*
(3) Nunc *Seml.*

COMMENTARIUS.

amabo, quibusvis interdictis defendamus. Justinianus tamen Aug. dictum esse vult, quasi *inter duos dictum.* LE PR.

CAP. XXV.—(a) *Signa ventriloquorum.* Vertit auctor ex græco ἐγγαστριμύθων, idque non hic modo, sed ubicumque B. Hieronymus vertit *Pythones*, ita dictos, juxta Cyrilli et Isichii lexica, quod fingerent se Deos habere in ventre atque ideo ex ventre loquerentur, quo fit ut mulieres pythonicæ frequentiores viris fuerint. PAM.

(b) *Omnia sibi tradita dicit a Patre.* Pergit iterum in verbis evangelicis. Atqui contra arianos facit, et quosdam arianizantes hodiernos, quod addit hic auctor, *quia non minori se tradidit omnia Filio Creator.* Eodem modo etiam istum locum interpretantur BB. Hilarius et Augustinus alicubi. PAM.

cujus omnia bona sunt; et ille jam non bonus, qui in aliena bona invasit, ut Filio traderet, docens alieno abstinere. Certe mendicissimus, qui nec filium unde ditaret habuit, nisi de alieno. Aut si nihil de Creatoris traditum est ei a Patre, et quomodo hominem Creatoris sibi vindicat? Aut si solus homo ei traditus est; omnia homo non est. Scriptura autem omnium edicit traditionem Filio factam. Sed etsi *omnia* ad hominum genera, id est, ad omnes nationes interpretaberis, et has Filio tradidisse Creatoris est: (*Ps.* II, 8) *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Aut si habet et ipse aliqua sua, quæ omnia Filio traderet, pariter cum homine Creatoris, ostende unum aliquod (1) ex omnibus, in fidem, in exemplum; ne tam merito non credam ejus esse omnia cujus nihil video, quam merito credam, etiam quæ non video ejus esse, cujus sunt universa quæ video. Sed (*Matt.* XI, 27): *Nemo scit qui sit Pater nisi Filius; et qui sit Filius, nisi Pater, et cuicumque Filius revelaverit* (2). Atque ita Christus ignotum Deum prædicavit. (*a*) Hinc enim et alii hæretici fulciuntur, opponentes Creatorem omnibus notum, et Israeli, secundum familiaritatem, et nationibus secundum naturam. Et quomodo ipse testatur nec Israeli cognitum se (*Is.* I, 3): *Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit*? nec nationibus (*Is.* LXV, 5): *Ecce enim nec de nationibus*, inquit, *nemo*? Propter quod et illas stillicidium situlæ deputavit, et Sionem tanquam speculam in vinea dereliquit (*Is.* LVXI, 15): Vide ergo an confirmatio sit propheticæ vocis, exprobrantis ignorantiam in Deum humanam, quæ fuerit ad Filium usque. Nam et ideo subtexuit, ab eo cognosci Patrem, cui Filius revelaverit (*Is.* XLII): quoniam ipse erat, qui *positus* a Patre *illuminatio Nationum* annuntiabatur, utique Deo illuminandarum etiam Israelis, utique per agnitionem Dei pleniorem. Ita non proficient argumenta in fidem Dei alterius, quæ Creatori competere possunt; quia quæ non competent (3) Creatori, hæc poterunt in fidem proficere Dei alterius. Si et sequentia inspicias: *Beati oculi qui vident quæ videtis: dico enim vobis, quia prophetæ non viderunt quæ vos* (4) *videtis*; de superiori sensu descendunt; adeo neminem, ut decuit, Deum cognovisse: quando nec prophetæ vidissent quæ sub Christo videbantur. Nam si non meus esset Christus, nec prophetarum hoc in loco mentionem collocasset. Quid enim mirum si non viderant res Dei ignoti, et tanto post ævo revelati? Quæ autem fuisset felicitas eorum qui tunc videbant, quæ alii merito vidisse non poterant, si non erant consecuti repræsentationem eorum quæ nunquam prædicarant, nisi quoniam (5) poterant vidisse, qui (6) Dei sui res quas etiam prædicaverant, non tamen viderant? Hæc autem felicitas erit aliorum, qui videbant, quæ alii tantum prædicaverant. Denique ostendemus, et jam ostendimus, ea visa in Christo, quæ fuerant prædicata; abscondita tamen et ab ipsis prophetis, ut absconderentur et a sapientibus et a prudentibus sæculi. In Evangelio veritatis, legis doctor Dominum aggressus: *Quid faciens*, inquit, *vitam æternam consequar?* In hæretico vita solummodo posita est, sine æternæ mentione, ut doctor de ea vita videatur consuluisse, quæ in lege promittitur a Creatore longæva (7); et Dominus ideo illi secundum legem responsum dedisse (8): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et totis viribus tuis;* quoniam de lege vitæ sciscitabatur. Sed sciebat utique legis doctor, quo pacto vitam legalem consequi posset, ut non de ea interrogasset, cujus regulas etiam docebat. Sed quia et mortui jam suscitabantur a Christo, exsuscitatus ad spem æternæ vitæ per exempla recidivæ, ne plus aliquid observationis exigeret sublimior spes (9), idcirco consuluit de æternæ vitæ consecutione. Itaque Dominus ut nec ipse alius, nec aliud novum inferens præceptum, quam quod principaliter ad omnem salutem, et utramque vitam facit, ipsum caput ei legis opponit omnifariam diligendi Dominum Deum suum. Denique, si de vita longæva et ille consuluit, et Christus respondit, quæ sit penes Creatorem; non de æterna, quæ sit penes Marcionis Deum, quomodo consequitur æternam? Non utique eodem modo quo et longævam. Pro differentia enim mercedum, operarum quoque credenda distantia est. Ergo non ex dilectione Dei tui consequetur vitam æternam Marcionites, sicut longævam dilector Creatoris. Sed quale est, ut non magis diligendus sit, qui æternam pollicetur, si diligendus est qui longævam repromittit? Ergo ejusdem erit utraque vita, cum eadem est utrique vitæ captanda disciplina. Quod Creator docet, id et Christo opus est diligi (10), ut præstet, interveniente et hic illa præscriptione, qua facilius apud eum debeant credi majora apud quem minora præcedunt; quam apud eum cui nullam de majoribus fidem aliqua minora præparaverunt. Viderit nunc si æternam nostri addiderunt. Hoc mihi satis est, quod Christus ille æternæ, non longæ vitæ invitator, de longæva consultus quam destruebat, non ad æternam potius exhortatus est hominem, quam inferebat.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliquem *Pam.*
(2) Et cuicumque filius revelaverit *omitt. Sem. tum iterando scribit*: Nemo enim scit Patrem, nisi filius, et filium nisi pater, et cuicumque filius revelaverit.
(3) Competunt *Pam.*
(4) Vos *abest Fam.*
(5) Qui *add. Pam.*
(6) Hi *vult Jun.*
(7) Æternæ *add. Oberth.*
(8) Dedit *Sem.*
(9) Spei *Rhen.*
(10) Diligendi Dei præceptum *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

(a) *Hinc enim alii hæretici fulciuntur.* Quales nempe fuerunt ii, qui propter frequentes revelationes in Scriptura expressas Patrem eum Filio confundebant, eumdemque esse asserebant: in ejusmodi impia deliria impegit Praxeas. Le Pr.

Quid, oro te, fecisset Christus Creatoris, si qui Creatori diligendo ædificaverat hominem, non erat Creatoris? Credo negasset diligendum Creatorem.

CAPUT XXVI.

Cum in quodam loco (*Luc.* XI) orasset ad Patrem illum superiorem, satis impudentibus et temerariis oculis suspiciens ad cœlum Creatoris, a quo tam aspero et sævo, et grandine et fulmine potuisset elidi, sicut et Hierusalem suffugi (1) ab eo potuit; aggressus eum ex discipulis quidam: *Domine*, inquit, *doce nos orare, sicut et* (2) *Joannes discipulos suos docuit*; scilicet quia alium Deum aliter existimaret orandum. Hoc qui præsumpserat (3), prius est probet alium Deum editum a Christo. Nemo enim ante voluisset orare nosse, quam didicisset quem oraret. Igitur si didicerat, proba. Si nusquam usque adhuc probas, scito illum in Creatorem formam orationis postulasse, in quem etiam discipuli Joannis orabant. Sed quia et Joannes novum aliquem ordinem orationis induxerat, ideo hoc et a Christo discipulus ejus postulandum (4) non immerito præsumpserat, ut et illi de proprio magistri sui instituto, non alium, sed aliter Deum orarent. Proinde nec Christus ante orationis notitiam discipulo contulisset, quam Dei ipsius. Ita et ipse in eum docuit orationem, quem discipulus usque adhuc noverat. Denique sensus orationis quem Deum sapiant recognosce. (*a*) Cui dicam, *Pater?* Ei qui me omnino non fecit? a quo originem non traho? An ei qui me faciendo et instruendo generavit? A quo *Spiritum sanctum* (*b*) postulem? A quo nec mundialis spiritus præstatur? An a quo fiunt etiam angeli spiritus? cujus et in primordio spiritus super aquas ferebatur? Ejus *regnum* optabo venire, quem nunquam regem gloriæ audivi? an in cujus manu etiam corda sunt regum? (*c*) Quis *dabit* mihi *panem quotidianum;* qui nec milium mihi condit, an qui etiam de cœlo panem angelorum quotidianum populo suo præstitit? Quis mihi *delicta dimittet;* qui ea non judicando non retinet, an qui si non dimiserit, retinebit ut judicet? (*d*) quis *non sinet nos deduci in tentationem;* quem poterit tentator non timere, an qui a primordio tentatorem angelum prædamnavit? Hoc ordine, qui alii Deo supplicat et non Creatori, non orat illum, sed infamat. Proinde a quo *petam*, ut *accipiam?* apud quem *quæram*, ut *inveniam?* ad quem *pulsabo*, ut *aperiatur* mihi? Quis habet petenti dare, nisi cujus omnia, cujus sum etiam ipse qui peto? Quid autem perdidi apud Deum illum, ut apud eum quæram et inveniam? Si sapientiam atque prudentiam, has Creator abscondit; apud eum ergo quæram. Si salutem et vitam, et has apud Creatorem. Nihil alibi quæretur ut inveniatur, quam ubi latuit ut appareat. Sic nec aliorsum pulsabo, quam unde sum functus (5). Denique, si accipere et invenire et admitti, laboris et instantiæ fructus est illi qui petiit, et quæsivit, et pulsavit; intellige hæc a Creatore mandari et repromitti. Ille enim Deus optimus, ultro veniens ad præstandum non suo homini, nullum illi laborem, nec instantiam indixisset. Jam enim non optimus, si non ultro daret non petenti, et invenire præstaret non quærenti, et aperiret non pulsanti. Creator autem potuit indicere ista per Christum, ut quia delinquendo homo offenderat Deum suum, laboraret, et instantia petendi acciperet, et quærendi inveniret, et pulsandi introiret. Sic et præmissa similitudo, *nocturnum panis petitorem amicum* facit, non alienum; et *ad amicum pulsantem*, non ad ignotum. Amicus autem etiamsi offendit, magis Creatoris est homo, quam Dei Marcionis. Itaque ad eum pulsat, ad quem jus illi erat, cujus januam norat, quem habere panes sciebat, cubantem jam cum infantibus quos nasci voluerat. Etiam quod sero pulsatur, Creatoris est tempus. Illius et serum, cujus sæculum et sæculi occasus. Ad Deum autem novum, nemo sero pulsasset, tantum quod luscescentem Creator est, qui et januam olim Nationibus clauserat (6), quæ olim pulsabatur Judæis; is et exurgit et dat, et si jam non quasi amico, non tamen quasi extraneo homini, sed quasi molesto, inquit. Molestum autem tam cito Deus recens neminem pati potuit. Agnosce igitur et Patrem, quem etiam appellas Creatorem. Ipse est qui scit quid filii postulent. Nam et panem petentibus de cœlo dedit manna, et carnem desiderantibus emisit ortygometram, *non serpentem pro pisce*, *nec scorpium pro ovo*. Illius autem erit *non dare malum pro bono*, cujus utrumque sit. Cæterum, Deus Marcionis non habens scorpium, non poterat id se dicere non daturum, quod non habebat; sed ille qui habens et scorpium, non dat. Itaque et *Spiritum sanctum* is dabit, apud quem est et non sanctus. Cum surdum dæmonium expulisset (ut et in ista specie curationis Esaiæ (*Is.* XXIX, 3) occurrisset in Beelzebule dictus ejicere dæmonia: *Si ego*, inquit, *in Beelzebule ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Hac quid magis portendit, quam in eo ejicere se, in quo

LECTIONES VARIANTES.

(1) Suffigi *Paris.*
(2) Et *abest Paris.*
(3) Præsumpserit *cod. Wouw.*
(4) Expostulandum *Seml.*
(5) Fugatus *Paris.*
(6) Cluserit *venet.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXVI. — (a) *Cui dicam Pater.* Recte hoc unum Auctor, quia etsi græce hodie legatur, πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, et similiter syriace, tamen in latinis codicibus non legitur amplius, *Lucæ* II, quam *Pater*; suspicor illud græce adjectum ex Evangelio Matthæi VI, secundum quem legitur lib. de orat. cap. II *Pater noster qui in cœlis es.* PAM.

(b) *Spiritum sanctum.* Pro eo: sanctificetur *nomen tuum*, istud Gregor. Nyssenus habet. SEML.

(c) *Quis dabit mihi panem quotidianum.* Prohibet nimirum Christus, ne de crastino solliciti simus; vita quippe nostra instabilis est. Ita explicat Conc. IV Tolet. cap. 9. Is autem panis est Christus, ut ipsemet ait. Cum autem dixit *panem quotidianum*, significavit necessitatem quam habent homines ejus auxilii, atque etiam submonuit vitam esse diariam, ζωὴν εἶναι ἐφημέρου. LE PR.

(d) *Quis non sinet nos in tentationem deduci?* Scn-

et filii eorum? In virtute scilicet Creatoris. Nam si putas sic accipiendum, *Si ego in Beelzebule ejicio* (a) *dæmonia* (1), *filii vestri in quo ?* quasi illos sugillaret in Beelzebule ejicientes, resistet tibi prior sensus, non posse Satanam dividi adversus semetipsum. Adeo nec illi in Beelzebule ejiciebant; sed, ut diximus, in virtute Creatoris : quam ut intelligi faceret, subjungit : *Quod si ego in digito Dei expello dæmonia, ergone appropinquavit in vos regnum Dei ?* Apud Pharaonem enim venefici illi adhibiti adversus Moysen, virtutem Creatoris digitum Dei appellaverunt (*Exod.* VIII) : *Digitus Dei est hoc;* quod (2) significaret (3) etiam modicum, validissimum tamen. Hoc et Christus ostendens, commemorator, non obliterator vetustatum, scilicet suarum, virtutem Dei digitum Dei dixit non alterius intelligendam, quam ejus apud quem hoc erat appellata. Ergo et regnum ipsius appropinquaverat, cujus et virtus digitus (*b*) vocabatur. Merito igitur applicuit ad parabolam fortis illius armati, quem validior alius oppressit, principem dæmoniorum, quem Beelzebulem et Satanam supra dixerat, significans digito Dei oppressum, non Creatorem ab alio Deo subactum. Cæterum, quomodo adhuc staret regnum ejus in suis terminis, et legibus, et officiis, quem licet integro mundo vel sic potuisset videri superasse validior ille Deus Marcionis, si non secundum legem ejus etiam Marcionitæ morerentur, in terram defluendo, sæpe et a scorpio docti non esse superatum Creatorem. *Exclamabat* (4) *mulier de turba, Beatum uterum qui illum portasset, et ubera quæ illum educassent.* Et Dominus : *Imo, beati qui sermonem Dei audiunt, et faciunt.* Quia et retro sic rejecerat matrem aut fratres, dum auditores et obsecutores Dei præfert. Nam nec hic mater assistebat illi. Adeo nec retro negaverat, ut ne (5) tum cum id rursus audit; rursus proinde felicitatem ab utero et uberibus matris suæ transtulit in discipulos; a qua non transtulisset, si eam non haberet.

CAPUT XXVII.

Alibi malo purgare quæ reprehendunt Marcionitæ in Creatore. Hic enim sufficit, si ea in Christo repe- A riuntur. Ecce inæqualis, et ipse inconstans, levis, aliud docens, aliud faciens : jubet omni petenti dare, et ipse signum petentibus non dat. Tanto ævo lucem suam ab hominibus abscondit, et negat lucernam abstruendam; sed confirmat super candelabrum proponendam, ut omnibus luceat. Vetat remaledicere, multo magis utique maledicere : et *væ* ingerit Pharisæis et doctoribus legis. Quis est tam similis Dei mei Christus, nisi ipsius? Sæpe jam fiximus (6), nullo modo potuisse illum destructorem legis denotari, si alium Deum promulgasset. Ideo et tunc Pharisæus, qui illum vocarat (7) ad prandium, retractabat penes se, cur non prius tinctus esset quam recubuisset secundum legem, qui Deum legis circumferret? Jesus autem etiam interpretatus est ei legem, dicens, *illos calicis et catini exteriora emundare; interiora autem ipsorum plena esse rapina et iniquitate :* B ut significaret vasculorum munditias hominum esse intelligendas apud Deum : quia et Pharisæus de homine, non de calice illoto, apud se tractaverat. Ideo *exteriora*, inquit, *calicis lavatis*, id est carnem, *interiora autem vestra non emundatis*, id est animam, adjiciens : *Nonne qui exteriora fecit*, id est carnem, *et interiora fecit*, id est animam? quo dicto aperte demonstravit, ad eumdem Deum pertinere munditias hominis exterioris et interioris, cujus uterque sit, præponentis misericordiam non modo lavacro hominis, sed etiam sacrificio (*Os.* VI, 6). Subjungit enim : (*c*) *Date quæ habetis eleemosynam, et omnia munda erunt vobis.* Quod si et alius potest Deus misericordiam mandasse, non tamen antequam cognitus. Porro et hic apparet, illos C non de Deo increpitos; sed de ejus disciplina, a quo illis et figurate vasculorum munditiæ, et manifeste misericordiarum opera imperabantur. Sic et oluscula decimantes, vocationem (*d*) autem et dilectionem Dei prætereuntes objurgat. Cujus Dei vocationem et dilectionem, nisi cujus et rutam et mentam, ex forma Legis de decimis offerebant? Totum enim exprobrationis hoc erat, quod modica curabant; ei utique, cui majora non exhibebant, dicenti (*Deut.*, VI, 5) : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (8) *et ex*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ejicio dæmonia *omitt. Oberth.*
(2) Quo *Latin.*
(3) Significarent *Paris. Fran.*
(4) Exclamat *Pam.*
(5) Nec *Jun.*
(6) Finximus *Pam.*
(7) Vocaret *Paris. Rig. Venet.*
D (8) Tuo *omitt. Semi.*

COMMENTARIUS.

sus est, Deum nos orare ne nos tentationi succumbere permittat. Le Pr.

(a) *Si ego in Beelzebul ejicio dæmonia.* Etsi apud sanctos Marcum et Lucam legatur Beelbebul, vocis tamen etymon Beelzebul postulat בעלזבוב (*Beelzebub*) id est princeps muscarum. Si enim Beelzebul legis, aut nomen erit, nullius significationis, aut melioris quam par esset. זבול (*Zebul*) Enim habitationem significat, et aliquando cœlum. Le Pr.

(b) *Cujus et virtus digitus.* Elegans illa interpretatio digiti Dei, de virtute et potentia Dei, ab omnibus usurpatur. Magi autem Pharaonis, cum cimices producere nequirent, in Dei digitum seu virtutem, quæ sibi erat impedimento, id rejiciebant. Le Pr.

CAP. XXVII.—(c) *Date quæ habetis, eleemosynam*, etc. Vertit Auctor recte *quæ habetis*. et Syrus interpres : id quod est, quod græce τὰ ἐόντα, ac si dicat, sicuti Theophylactus, *non quæ rapuistis, sed quæ vestra sunt;* quo adeo respexit Vulgatus interpres, transferens, *quod superest*, nempe ultra rapinam et iniquitatem. Quo sensu explicato, nihil opus est legere cum Erasmo et Cajetano, *datis* pro *date*. B. Cyprianus interim, lib. III. adv. Quirinum cap. 1, neutrum legit, neque etiam B. Ambrosius in *Comment.* aut B. Augustinus *Enchirid.* cap. 75. Cum autem etiam eumdem sensum recipiat, ut diximus, vulgata versio, repetendum est hic, quod non semel diximus, nimis liberam esse castigationem Isidori Clarii, *de iis quæ vobis supputant*, ac si altera lectio minime tolerari posset. Pam.

(d) *Vocationem.* Videtur κλῆσιν (*vocationem*) legisse pro κρίσιν (*judicium*), vel potius ex *evangelio* Marcionis (qui *judicium* negabat Dei boni esse) usurpasse, tanquam rem confessam. Junius.

tota anima tua, et ex totis viribus tuis, qui te vocavit ex Ægypto. Cæterum, nec tempus admisisset, ut Christus tam præcoquam, imo tam acerbam adhuc dilectionem expostularet novo et recenti Deo, ne dixerim nondum palam facto. *Primatum quoque captantes locorum, et honorem salutationum*, cum incusat, sectam Creatoris administrat, ejusmodi principes Sodomorum archontas appellantis (*Is.*, I, 23), prohibentis etiam confidere in præpositos, imo et in totum miserrimum hominem pronuntiantis, qui spem habet in homine (*Ps.* CXVII, 8, 9). Quod si propterea quis affectat principatum, ut de officiis aliorum glorietur, quia officia vetuit ejusmodi sperandi et confidendi in hominem (*Jerem.*, XVII, 5), idem et (1) affectatores principatuum increpuit. Invehitur et in *doctores ipsos legis*, quod *onerarent alios importabilibus oneribus, quæ ipsi ne digito quidem aggredi auderent* : non Legis onera sugillans quasi detestator ejus; quomodo enim detestator, qui cum maxime potiora legis prætereuntes incusabat, eleemosynam et vocationem et dilectionem Dei, ne hæc quidem gravia, nedum decimas rutarum, et (2) munditias catinorum? Cæterum, excusandos potius censuisset, si importabilia portare non possent. Sed quæ onera taxat? Quæ ipsi de suo exaggerabant, docentes præcepta, doctrinas hominum, commodorum suorum caussa (*Is.*, V, 23), jungentes domum ad domum, ut quæ proximi sunt auferrent, clamantes populum, amantes munera, sectantes retributionem, diripientes judicata pauperum; uti esset illis vidua in rapinam, et pupillus in prædam. De quibus idem Esaias (*Is.*, XXVIII, 14): *Væ qui valent in Hierusalem* (3), et rursus (*Is.*, III, 3): *Qui vos postulant, dominantur vestri.* Qui magis, quam legis doctores? Hi si et Christo displicebant, ut sui displicebant. (*a*) Alienæ enim legis doctores non omnino pulsasset. Cur autem *væ* audiunt etiam, quod ædificarent prophetis monumenta interemptis a patribus eorum, laude potius digni, qui ex isto opere pietatis testabantur se non consentire factis patrum; si non erat zelotes, qualem arguunt Marcionitæ, delicta patrum de filiis exigentem usque in quartam nativitatem? Quam vero clavem habebant legis doctores, nisi interpretationem legis? ad cujus intellectum neque ipsi adibant, non credentes scilicet: *Nisi enim credideritis, non intelligetis*; neque alios admittebant, utique docentes (4) præcepta potius et doctrinas hominum. Qui ergo nec ipsos introeuntes, nec aliis aditum præstantes, increpabat, obtrectator habendus est legis, an fautor? Si obtrectator, placere debebant et præclusores legis: si fautor, jam non et æmulus legis. Sed hæc omnia ad infuscandum Creatorem ingerebat ut sævum, erga quem delinquentes, *væ* habituri essent. Et quis sævum non potius timeret provocare, deficiendo (5) ab eo? Tanto magis ergo demerendum docebat, quem timendum ingerebat. Sic oportebat Christum Creatoris.

CAPUT XXVIII.

Merito itaque non placebat illi hypocrisis Pharisæorum, (*b*) labiis scilicet amantium Deum, non corde: *Cavete*, inquit (*Luc*, XII) discipulis, *a fermento Pharisæorum*, quod est hypocrisis, non prædicatio Creatoris. Odit contumaces Patris Filius; non vult suos tales existere in illum: non in alium, in quem hypocrisis fuisset admissa, cujus exemplum a discipulis cavere- tur. Ita Pharisæorum prohibet (6) exemplum: in eum prohibebat illud admitti, in quem admittebant Pharisæi. Igitur quoniam hypocrisim eorum taxarat, utique celantem occulta cordis, et incredulitatis secreta superficialibus officiis obumbrantem; quæ clavem agnitionis habens, nec (7) ipsa introiret, nec alios sineret; ideo adjicit: *Nihil autem opertum, quod non patefiet; et nihil absconditum, quod non dignoscetur*; ne quis existimet illum Dei ignoti retro et occulti, revelationem et adagnitionem intentare, cum subjiciat etiam quæ inter se mussitarent vel tractarent, scilicet super ipso dicentes: *Hic non expellit dæmonia nisi in Beelzebule*, in apertum processura, et in ore hominum futura, ex Evangelii promulgatione. Deinde (8) conversus ad discipulos: *Dico autem*, inquit, *vobis amicis meis* (9), *nolite terreri ab eis qui vos solummodo occidere possunt, nec post hoc ullam in vobis habent potestatem.* Sed iis erit Esaias prædicens (*Is.*, LVII, 1): *Vide quomodo justus aufertur, et nemo advertit. Demonstrabo autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, potestatem habet mittendi in gehennam*; Creatorem utique significans (10). *Itaque dico vobis, hunc timete.* Et hoc in loco sufficeret mihi, si, quem timeri jubet, offendi vetat; et quem offendi vetat, demereri jubet; et qui hæc mandat, ipsius est, cui timendo, et non offendendo, et demerendo procurat. Sed habeo et de sequentibus sumere: *Dico enim vobis, Omnis qui confitebitur in me coram hominibus, confitebor in illo coram Deo.* Qui confitebuntur autem in Christo, occidi habebunt coram hominibus, nihil utique amplius passuri post occisionem ab illis. Hi (11) ergo erunt quos supra præmonet, ne timeant tantummodo occidi; ideo præmittens non timendam occisionem, ut subjungeret substruen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *abest Pœris.*
(2) Et *abest Paris.*
(3) Israele *Oberth.*
(4) Docebant *Seml.*
(5) Despiciendo *quidam.*
(6) Perhibet *al.*
(7) In *inser. Pam.*
(8) Dehinc *Pam.*
(9) Meis *in aliis abest.*
(10) Significans *omitt. Seml.*
(11) Hic *Rigalt. Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Alienæ enim legis doctores.* Sæpius hic et alibi Legis doctores legisperiti et pharisæi dicuntur (græce οἱ νομικοί). LE PR.

CAP. XXVIII. — (b) *Labiis scilicet amantium Deum*, etc. Literam occidentem, non autem spiritum legis vivificantem sequebantur: clavem scilicet,

et filii eorum? In virtute scilicet Creatoris. Nam si putas sic accipiendum, *Si ego in Beelzebule ejicio* (a) *dæmonia* (1), *filii vestri in quo ?* quasi illos sugillaret in Beelzebule ejicientes, resistet tibi prior sensus, non posse Satanam dividi adversus semetipsum. Adeo nec illi in Beelzebule ejiciebant; sed, ut diximus, in virtute Creatoris : quam ut intelligi faceret, subjungit : *Quod si ego in digito Dei expello dæmonia, ergone appropinquavit in vos regnum Dei ?* Apud Pharaonem enim venefici illi adhibiti adversus Moysen, virtutem Creatoris digitum Dei appellaverunt (*Exod.* VIII) : *Digitus Dei est hoc;* quod (2) significaret (3) etiam modicum, validissimum tamen. Hoc et Christus ostendens, commemorator, non obliterator vetustatum, scilicet suarum, virtutem Dei digitum Dei dixit non alterius intelligendam, quam ejus apud quem hoc erat appellata. Ergo et regnum ipsius appropinquaverat, cujus et virtus digitus (*b*) vocabatur. Merito igitur applicuit ad parabolam fortis illius armati, quem validior alius oppressit, principem dæmoniorum, quem Beelzebulem et Satanam supra dixerat, significans digito Dei oppressum, non Creatorem ab alio Deo subactum. Cæterum, quomodo adhuc staret regnum ejus in suis terminis, et legibus, et officiis, quem licet integro mundo vel sic potuisset videri superasse validior ille Deus Marcionis, si non secundum legem ejus etiam Marcionitæ morerentur, in terram defluendo, sæpe et a scorpio docti non esse superatum Creatorem. *Exclamabat* (4) *mulier de turba, Beatum uterum qui illum portasset, et ubera quæ illum educassent.* Et Dominus : *Imo, beati qui sermonem Dei audiunt, et faciunt.* Quia et retro sic rejecerat matrem aut fratres, dum auditores et obsecutores Dei præfert. Nam nec hic mater assistebat illi. Adeo nec retro negaverat, ut ne (5) tum cum id rursus audit; rursus proinde felicitatem ab utero et uberibus matris suæ transtulit in discipulos; a qua non transtulisset, si eam non haberet.

CAPUT XXVII.

Alibi malo purgare quæ reprehendunt Marcionitæ in Creatore. Hic enim sufficit, si ea in Christo repe-

A riuntur. Ecce inæqualis, et ipse inconstans, levis, aliud docens, aliud faciens : jubet omni petenti dare, et ipse signum petentibus non dat. Tanto ævo lucem suam ab hominibus abscondit, et negat lucernam abstruendam; sed confirmat super candelabrum proponendam, ut omnibus luceat. Vetat remaledicere, multo magis utique maledicere : et *væ* ingerit Pharisæis et doctoribus legis. Quis est tam similis Dei mei Christus, nisi ipsius? Sæpe jam fiximus (6), nullo modo potuisse illum destructorem legis denotari, si alium Deum promulgasset. Ideo et tunc Pharisæns, qui illum vocarat (7) ad prandium, retractabat penes se, cur non prius tinctus esset quam recubuisset secundum legem, qui Deum legis circumferret? Jesus autem etiam interpretatus est ei legem, dicens, *illos calicis et catini exte-*
B *riora emundare; interiora autem ipsorum plena esse rapina et iniquitate :* ut significaret vasculorum munditias hominum esse intelligendas apud Deum : quia et Pharisæus de homine, non de calice illoto, apud se tractaverat. Ideo *exteriora*, inquit, *calicis lavatis*, id est carnem, *interiora autem vestra non emundatis*, id est animam, adjiciens : *Nonne qui exteriora fecit*, id est carnem, *et interiora fecit*, id est animam? quo dicto aperte demonstravit, ad eumdem Deum pertinere munditias hominis exterioris et interioris, cujus uterque sit, præponentis misericordiam non modo lavacro hominis, sed etiam sacrificio (*Os.* VI, 6). Subjungit enim : (*c*) *Date quæ*
C *habetis eleemosynam, et omnia munda erunt vobis.* Quod si et alius potest Deus misericordiam mandasse, non tamen antequam cognitus. Porro et hic apparet, illos non de Deo increpitos; sed de ejus disciplina, a quo illis et figurate vasculorum munditiæ, et manifeste misericordiarum opera imperabantur. Sic et oluscula decimantes, vocationem (*d*) autem et dilectionem Dei prætereuntes objurgat. Cujus Dei vocationem et dilectionem, nisi cujus et rutam et mentam, ex forma Legis de decimis offerebant? Totum enim exprobrationis hoc erat, quod modica curabant; ei utique, cui majora non exhibebant, dicenti (*Deut.*, VI, 5) : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (8) *et ex*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ejicio dæmonia *omitt. Oberth.*
(2) Quo *Latin.*
(3) Significarent *Paris. Pram.*
(4) Exclamat *Pam.*
(5) Nec *Jun.*
(6) Finximus *Pam.*
(7) Vocaret *Paris. Rig. Venet.*
D (8) Tuo *omitt. Seml.*

COMMENTARIUS.

sus est, Deum nos orare ne nos tentationi succumbere permittat. Le Pa.

(a) *Si ego in Beelzebul ejicio dæmonia.* Etsi apud sanctos Marcum et Lucam legatur Beelbebul, vocis tamen etymon Beelzebul postulat בעלזבוב (*Beelzebub*) id est princeps muscarum. Si enim Beelzebul legis, aut nomen erit, nullius significationis, aut melioris quam par esset. זבל (*Zebul*) Enim habitationem significat, et aliquando cœlum. Le Pa.

(b) *Cujus et virtus digitus.* Elegans illa interpretatio digiti Dei, de virtute et potentia Dei, ab omnibus usurpatur. Magi autem Pharaonis, cum cimices producere nequirent, in Dei digitum seu virtutem, quæ sibi erat impedimento, id rejiciebant. Le Pa.

CAP. XXVII.—(c) *Date quæ habetis, eleemosynam*, etc. Vertit Auctor recte *quæ habetis*. et Syrus interpres : id quod est, quod græce τὰ ἐνόντα, ac si dicat, sicuti Theophylactus, *non quæ rapuistis, sed quæ vestra sunt;* quo adeo respexit Vulgatus interpres, transferens, *quod superest*, nempe ultra rapinam et iniquitatem. Quo sensu explicato, nihil opus est legere cum Erasmo et Cajetano, *datis* pro *date*. B. Cyprianus interim, lib. III. adv. Quirinum cap. 1, neutrum legit, neque etiam B. Ambrosius in *Comment.* aut B. Augustinus *Enchirid.* cap. 75. Cum autem etiam eumdem sensum recipiat, ut diximus, vulgata versio, repetendum est hic, quod non semel diximus, nimis liberam esse castigationem Isidori Clarii, *de iis quæ vobis suppetunt*, ac si altera lectio minime tolerari posset. Pam.

(d) *Vocationem.* Videtur κλῆσιν (*vocationem*) legisse pro κρίσιν (*judicium*), vel potius ex *evangelio* Marcionis (qui *judicium* negabat Dei boni esse) usurpasse, tanquam rem confessam. Junius.

tota anima tua, et ex totis viribus tuis, qui te vocavit ex Ægypto. Cæterum, nec tempus admisisset, ut Christus tam præcoquam, imo tam acerbam adhuc dilectionem expostularet novo et recenti Deo, ne dixerim nondum palam facto. *Primatum quoque captantes locorum, et honorem salutationum*, cum incusat, sectam Creatoris administrat, ejusmodi principes Sodomorum archontas appellantis (*Is.*, I, 23), prohibentis etiam confidere in præpositos, imo et in totum miserrimum hominem pronuntiantis, qui spem habet in homine (*Ps.* CXVII, 8, 9). Quod si propterea quis affectat principatum, ut de officiis aliorum glorietur, quia officia vetuit ejusmodi sperandi et confidendi in hominem (*Jerem.*, XVII, 5), idem et (1) affectatores principatuum increpuit. Invehitur et in *doctores ipsos legis*, quod *onerarent alios importabilibus oneribus, quæ ipsi ne digito quidem aggredi auderent* : non Legis onera sugillans quasi detestator ejus; quomodo enim detestator, qui cum maxime potiora legis prætereuntes incusabat, eleemosynam et vocationem et dilectionem Dei, ne hæc quidem gravia, nedum decimas rutarum, et (2) mundities catinorum? Cæterum, excusandos potius censuisset, si importabilia portare non possent. Sed quæ onera taxat? Quæ ipsi de suo exaggerabant, docentes præcepta, doctrinas hominum, commodorum suorum caussa (*Is.*, V, 23), jungentes domum ad domum, ut quæ proximi sunt auferrent, clamantes populum, amantes munera, sectantes retributionem, diripientes judicata pauperum; uti esset illis vidua in rapinam, et pupillus in prædam. De quibus idem Esaias (*Is.*, XXVIII, 14): *Væ qui valent in Hierusalem* (3), et rursus (*Is.*, III, 3): *Qui vos postulant, dominantur vestri.* Qui magis, quam legis doctores? Illi si et Christo displicebant, ut sui displicebant. (*a*) Alienæ enim legis doctores non omnino pulsasset. Cur autem *væ* audiunt etiam, quod ædificarent prophetis monumenta interemptis a patribus eorum, laude potius digni, qui ex isto opere pietatis testabantur se non consentire factis patrum; si non erat zelotes, qualem arguunt Marcionitæ, delicta patrum de filiis exigentem usque in quartam nativitatem? Quam vero clavem habebant legis doctores, nisi interpretationem legis? ad cujus intellectum neque ipsi adibant, non credentes scilicet: *Nisi enim credideritis, non intelligetis*; neque alios admittebant, utique docentes (4) præcepta potius et doctrinas hominum. Qui ergo nec ipsos introeuntes, nec aliis aditum præstantes, increpabat, obtrectator habendus est legis, an fautor? Si obtrectator, placere debebant et præclusores legis: si fautor, jam non et æmulus legis. Sed hæc omnia ad infuscandum Creatorem ingerebat ut sævum, erga quem delinquentes, *væ* habituri essent. Et quis sævum non potius timeret provocare, deficiendo (5) ab eo? Tanto magis ergo demerendum docebat, quem timendum ingerebat. Sic oportebat Christum Creatoris.

CAPUT XXVIII.

Merito itaque non placebat illi hypocrisis Pharisæorum, (*b*) labiis scilicet amantium Deum, non corde: *Cavete*, inquit (*Luc*, XII) discipulis, *a fermento Pharisæorum*, quod est hypocrisis, non prædicatio Creatoris. Odit contumaces Patris Filius; non vult suos tales existere in illum: non in alium, in quem hypocrisis fuisset admissa, cujus exemplum a discipulis cavere- tur. Ita Pharisæorum prohibet (6) exemplum: in eum prohibebat illud admitti, in quem admittebant Pharisæi. Igitur quoniam hypocrisim eorum taxarat, utique celantem occulta cordis, et incredulitatis secreta superficialibus officiis obumbrantem; quæ clavem agnitionis habens, nec (7) ipsa introiret, nec alios sineret; ideo adjicit: *Nihil autem opertum, quod non patefiet; et nihil absconditum, quod non dignoscetur*; ne quis existimet illum Dei ignoti retro et occulti, revelationem et adagnitionem intentare, cum subjiciat etiam quæ inter se mussitarent vel tractarent, scilicet super ipso dicentes: *Hic non expellit dæmonia nisi in Beelzebule*, in apertum processura, et in ore hominum futura, ex Evangelii promulgatione. Deinde (8) conversus ad discipulos: *Dico autem*, inquit, *vobis amicis meis* (9), *nolite terreri ab eis qui vos solummodo occidere possunt, nec post hoc ullam in vobis habent potestatem.* Sed iis erit Esaias prædicens (*Is.*, LVII, 1): *Vide quomodo justus aufertur, et nemo advertit. Demonstrabo autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, potestatem habet mittendi in gehennam*; Creatorem utique significans (10). *Itaque dico vobis, hunc timete.* Et hoc in loco sufficeret mihi, si, quem timeri jubet, offendi vetat; et quem offendi vetat, demereri jubet; et qui hæc mandat, ipsius est, cui timendo, et non offendendo, et demerendo procurat. Sed habeo et de sequentibus sumere: *Dico enim vobis, Omnis qui confitebitur in me coram hominibus, confitebor in illo coram Deo.* Qui confitebuntur autem in Christo, occidi habebunt coram hominibus, nihil utique amplius passuri post occisionem ab illis. Hi (11) ergo erunt quos supra præmonet, ne timeant tantummodo occidi; ideo præmittens non timendam occisionem, ut subjungeret substruen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *abest Paris.*
(2) Et *abest Paris.*
(3) Israele *Oberth.*
(4) Docebant *Seml.*
(5) Despiciendo *quidam.*
(6) Perhibet *al.*
(7) In *inser. Pam.*
(8) Dehinc *Pam.*
(9) Meis *in aliis abest.*
(10) Significans *omitt. Seml.*
(11) Hic *Rigalt. Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Alienæ enim legis doctores.* Sæpius hic et alibi Legis doctores legisperiti et pharisæi dicuntur (græce οἱ νομικοί). LE PR.

CAP. XXVIII. — (b) *Labiis scilicet amantium Deum*, etc. Literam occidentem, non autem spiritum legis vivificantem sequebantur: clavem scilicet,

dam (1) confessionem : *Et omnis qui negaverit me coram hominibus, denegabitur coram Deo ;* ab eo utique qui illum confitentem confessurus fuisset. Si enim confessorem confitebitur, ipse est qui et negatorem negabit. Porro, si confessor est, cui nihil timendum est post occisionem, negator erit cui timendum est etiam post mortem. Itaque cum Creatoris sit quod timendum est post mortem, gehennæ scilicet pœna, et negator ergo Creatoris est. Si autem et negator, et confessor, qui post occisionem nihil ab homine passurus est, a Deo plane passurus si negaret, atque ita Christus Creatoris est, qui ostendit negatores suos Creatoris gehennam timere debere. Post deterritam itaque negationem, sequitur et blasphemiæ formidandæ admonitio : (*a*) *Qui dixerit in filium hominis, remittetur illi ; qui autem* (2) *dixerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei.* Quod si jam remissio et retentio delicti judicem Deum sapiunt, hujus (3) erit Spiritus Sanctus non blasphemandus, non remissuri scilicet blasphemiam ; sicut et supra non negandus, occisuri scilicet etiam in gehennam. Quod si et blasphemiam Christus a Creatore avertit, quomodo adversarius ei venerit, non scio. Aut si et per hæc severitatem ejus infuscat, non remissuri blasphemiam, et occisuri etiam in gehennam, superest ut et illius diversi Dei impune et Spiritus blasphemetur, et Christus negetur, et nihil intersit de cultu ejus, deve contemptu ; et sicut de contemptu nulla pœna, ita et de cultu nulla speranda sit merces. Perductos (4) ad potestates, prohibet ad interrogationem cogitare de responsione : *Sanctus enim*, inquit, *Spiritus docebit vos ipsa hora quid eloqui debeatis* (5). Si ejusmodi documentum Creatoris est, ejus erit et præceptum, cujus præcessit exemplum. Balaam prophetes in Arithmis (*Num.* XXII) arcessitus a rege Balach ad maledicendum Israelem, cum quo prælium inibat, simul Spiritu implebatur ; non ad quam venerat maledictionem, sed quam illi ipsa hora Spiritus suggerebat, benedictionem pronuntiabat, ante professus apud nuntios regios (6), mox etiam apud ipsum, id se pronuntiaturum quod Deus ori ejus indidisset. Hæ sunt novæ doctrinæ novi Christi, quas olim famuli Creatoris initiaverunt. Ecce plane diversum exemplum Moysi et Christi (*b*). Moyses rixantibus fratribus ultro intercedit (7), injuriosum increpat : *Quid proximum tuum percutis ?* Et rejicitur ab illo : *Quis te constituit magistrum aut judicem super nos?* Christus vero postulatus a quodam, ut inter illum et fratrem ipsius de (8) dividunda hæreditate componeret, operam suam, et quidem tam probæ caussæ, denegavit. Jam ergo melior Moyses meus Christo tuo, fratrum paci studens, injuriæ occurrens. Sed enim optimi et non judicis Dei Christus : *Quis me*, inquit, *judicem constituit super vos ?* Aliam vocem excusationis invenire non potuit, ne ea uteretur qua improbus vir, et impius frater assertorem probitatis atque pietatis excusserat. Denique probavit malam vocem, utendo ea, et malum factum, pacis inter fratres componendæ declinatione. Aut numquid indigne tulerit, hoc dicto fugatum Moysen? ideoque in caussa pari disceptantium fratrum, voluit illos commemoratione ejusdem dicti confudisse? Plane ita. Ipse enim tunc fuerat in Moyse, qui talia audierat, spiritus scilicet Creatoris. Puto jam alibi satis commendasse nos divitiarum gloriam damnari a Deo nostro, ipsos dynastas detrahente de solio, et pauperes allevante de sterquilinio (*Ps.* CXII, 15). Ab eo ergo erit et parabola divitis blandientis sibi de proventu agrorum suorum, cui Deus dicit : *Stulte, hac nocte animam tuam reposcent : quæ autem parasti, cujus* (9) *erunt ?* Sic denique rex de gazis et apothecis deliciarum suarum apud Persas gloriatus, per Esaiam male audivit (*Is.* XXXIX).

CAPUT XXIX.

Quis nollet curam nos agere animæ de victu, et corporis de vestitu, nisi qui ista homini ante prospexit, et exinde præstans, merito curam eorum, tanquam æmulam liberalitatis suæ, prohibet ; qui et substantiam ipsius *animæ* accommodavit *potiorem escæ*, et materiam ipsius *corporis* figuravit *potiorem tunica ;* cujus et *corvi non serunt, nec metunt, nec in apothecas condunt, et tamen aluntur ab ipso ;* cujus et *lilia et fœnum non texunt, nec nent, et tamen vestiuntur ab ipso ;* cujus et *Salomon gloriosissimus nec ullo tamen flosculo cultior ?* Cæterum nihil tam abruptum, quam ut alius præstet, alius de præstantia (*c*) ejus secure (10) agere mandet, et quidem derogator ipsius. Denique, si, quasi derogator Creatoris, non vult de ejusmodi frivolis cogitari, de quibus nec corvi nec lilia laborent, ultro scilicet pro sua vilitate subjectis, paulo post patebit. Interim cur illos modicæ fidei incusat,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sustinendam *Oberth.*
(2) Illi autem qui *Pam.*
(3) Cujus *Seml.*
(4) Productos *al.*
(5) Eloquamini *al.*
(6) Regis *Seml.*
(7) Et *præmitt. Rhen.*
(8) De *omitt. Venet.*
(9) Cui *Lat.*
(10) Securos *Oberth.*

COMMENTARIUS.

hoc est, interpretationem legis, ut modo dixit, non habebant. Dum enim exteriora quædam superstitiose observabant, negligebant quod erat præcipuum. Le Pr.

(a) *Qui dixerit in filium hominis*, etc. Etsi non exprimat, tamen subintelligitur ab Auctore, *qui dixerit blasphemiam*, pro eo quod alii : *qui blasphemaverit*, tam ex Græco quam Syriaco, sicuti patet ex verbis sequentibus, *hujus erit spiritus sanctus non blasphemandus.* Pam.

(b) *Moyses rixantibus fratribus ultro intercedit.* Fratres vocat, qui ex eodem essent genere Israel, paulo post proprie accipit, et *injuriosum* transtulit una voce quod græce est Exod. II, ἀδικοῦντι pro eo, qui injuriam faciebat ; et quod mirum est, *magistrum* transtulit, quod græce est ἄρχοντα pro quo ubique alibi, et proprie, *principem.* Pam.

CAP. XXIX.—(c) *De præstantia.* Præstantia idem hic significat ac præstatio, exhibitio. Seml.

id est cujus fidei? ejusne quam nondum poterant perfectam exhibere Deo, tantum quod velato (1) cum maxime discentes eum, an quam hoc ipso titulo debebant Creatori, uti crederent hæc illum ultro generi humano sumministrare, nec (2) de eis cogitarent? Nam et cum subjicit, *hæc enim nationes mundi quærunt*, non credendo scilicet in Deum conditorem omnium et præbitorem (3), quos pares gentium nolebat, in eumdem Deum modicos fidei increpabat, in quem gentes incredulas (4) notabat. Porro cum et adjicit, *scit autem Pater opus esse hæc vobis*; prius quæram quem patrem intelligi velit Christus. Si ipsorum Creatorem demonstrat, et bonum confirmat, qui scit (5) quid filiis opus sit. Sin alium Deum: quomodo scit necessarium esse homini victum atque vestitum, quorum nihil præstitit? Si enim scisset, præstitisset. Cæterum, si scit quæ sunt homini necessaria, nec tamen præstitit, aut malignitate aut infirmitate non præstitit. Professus autem necessaria hæc homini, utique bona confirmavit. Nihil enim mali necessarium. Et non erit jam depretiator operum et indulgentiarum Creatoris, ut quod supra distuli, expunxerim. Porro, si quæ necessaria scit homini, alius et prospexit et præstat, quomodo hæc ipse repromittit (6)? An de alieno bonus est? *Quærite* enim, inquit, *regnum Dei, et hæc vobis adjicientur*. Utique ab ipso. Quod si ab ipso, qualis est qui aliena præstabit? Si a Creatore cujus et sunt, quis est qui aliena promittat? Ea si regno accedent (7), secundo gradu restituenda; ejus est secundus gradus, cujus et primus; ejus victus atque vestitus, cujus et regnum. Ita tota promissio Creatoris est parabolarum status, similitudinum peræquatio, si nec in (8) alium spectant, quam cui per omnia pariaverint (9). Id (10) sumus servi, Dominum enim habemus Deum. Succingere debemus lumbos, id est, expediti esse ab impedimentis laciniosæ vitæ et implicitæ; item, lucernas ardentes habere, id est, mentes a fide accensas, et operibus veritatis relucentes; atque ita exspectare Dominum, id est Christum. Unde redeuntem? Si a nuptiis: Creatoris est, cujus nuptiæ. Si non Creatoris: nec ipse Marcion invitatus ad nuptias isset, Deum suum intuens (11) detestatorem nuptiarum. Defecit itaque parabola in persona Domini, si non esset cui nuptiæ competunt. In sequenti quoque parabola satis errat, qui *furem illum, cujus horam si pater familias sciret, non sineret suffodi* (12) *domum suam*, in personam disponit Creatoris. Fur enim Creator quomodo videri potest Dominus totius hominis? Nemo sua furatur aut suffodit, sed ille potius qui in aliena descendit, et hominem a Domino ejus alienat. Porro, cum furem nobis diabolum demonstret (13), cujus horam etiam in primordio si homo scisset, nunquam ab eo suffossus esset; propterea jubet *ut parati sumus, quia qua non putamus hora, Filius hominis adveniet*; non quasi ipse sit fur, sed judex, scilicet eorum qui se non paraverint, nec caverint furem. Ergo si ipse est Filius hominis, judicem teneo, et in judice Creatorem defendo. Si vero Christum Creatoris in nomine *Filii hominis* hoc loco ostendit, ut eum furem portendat, qui quando venturus sit, ignoremus, habes supra scriptum, neminem rei suæ furem esse: salvo et illo, quod in quantum timendum Creatorem ingerit, in tantum illi negotium agens, Creatoris est. Itaque interroganti Petro in illos, an et in omnes parabolam dixisset; ad ipsos et ad universos qui Ecclesiis præfuturi essent, proponit actorum (*a*) similitudinem, quorum *qui bene tractaverit conservos absentia Domini* (*b*), *reverso eo omnibus bonis præponetur; qui vero secus egerit, reverso Domino qua die non putaverit, hora qua non scierit*, illo scilicet filio hominis Christo Creatoris, non fure, sed judice, *segregabitur, et pars ejus cum infidelibus ponetur*. Proinde igitur aut et hic judicem Dominum opponit, et illi catechizat; aut si Deum optimum, jam et illum judicem affirmat, licet nolit hæreticus. Temperare enim tentant hunc sensum, cum Deo ejus vindicatur: quasi tranquillitatis sit et mansuetudinis, segregare solummodo et partem ejus cum infidelibus ponere, ac si non sit vocatus, ut statui suo redditus, quasi non et hoc ipsum judicato fiat. Stultitia! Quis erit exitus segregatorum? Nonne amissio salutis? Siquidem ab eis segregabuntur, qui salutem consequentur. Quis (14) igitur infidelium status? Nonne damnatio? Aut si nihil patientur segregati et infideles, æque in diverso nihil consequentur retenti et fideles. Si vero consequentur salutem retenti et fideles, hanc amittant necesse est ex diverso segregati et infideles. Hoc erit judicium, quod qui intendit, Creatoris est. Quem alium intelligam, *cædentem servos paucis aut multis plagis, et prout commisit illis, ita et exigentem ab eis*, quam retributorem Deum? Cui me decet (15) obsequi, nisi remuneratori?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Revelata *Lat.*
(2) Ne *Lat.*
(3) Probatorem *Seml.*
(4) Incredulos *Seml.*
(5) Sciat *cod. Wouw.*
(6) Promittit *Pam.*
(7) Accedunt *Oberth.*
(8) In *abest Rig. Venet.*
(9) Paria venerint, *al.*
(10) Id *abest Rig. Venet.*
(11) Metuens *Lat.*
(12) Effodi *Par.*
(13) Demonstrarit *al.*
(14) Quid *Pam.*
(15) Docet *Fran. Pam.*

COMMENTARIUS.

(a) *Actorum similitudinem.* Actor, id est procurator. SEML.

(b) *Quorum qui bene tractaverit conservos absentia Domini*, etc. Generaliter *bene tractaverit*, transtulit hic Auctor, pro eo quod Lucas, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον, hoc est, sicut vulgatus interpres latinus: *ut det illis in tempore tritici mensuram*. Quod etsi ad omnem cibum pertineat, tamen nimis libere etiam hic castigavit Clarius, *demensum*. Oportebat itaque potius suam versionem nuncupasse, quam vulgati interpretis castigationem. PAM.

Proclamat Christus tuus : *Ignem veni mittere in terram* ; ille optimus, nullius gehennæ Dominus ; qui paulo ante discipulos, ne ignem postularent inhumanissimo viculo, coercuerat. Quando iste Sodomam et Gomorrham nimbo igneo exussit ? Quando cantatum est : *Ignis ante ipsum præcedet* (1), *et cremabit inimicos ejus* (*Ps.* XCIII, 3)? Quando et per Osee comminatus est : *Ignem emittam in civitates Judæ* (*Os.* VIII, 14) (2) ? vel per Esaiam (3) : *Ignis exarsit ex indignatione mea* (*Is.* XXX, 27)? Non mentiatur. Si non est ille qui de rubo quoque ardenti vocem suam emisit, viderit (4) quem ignem intelligendum contendat (5). Etiamsi figura est, hoc ipso quod de meo elemento argumenta sensui suo sumit, meus est, qui de meis utitur. Illius erit similitudo ignis, cujus et veritas. Ipse melius interpretabitur ignis istius qualitatem, adjiciens : *Putatis venisse me pacem mittere in terram? Non, dico vobis, sed separationem.* (*a*) *Machæram* quidem scriptum est; (*b*) sed Marcion emendat, (*c*) quasi non et separatio opus sit machæræ. Igitur et ignem eversionis intendit, qui pacem negavit. Quale prælium, talo et incendium. Qualis machæra, talis et flamma, neutra congruens Domino. Denique : *Dividetur*, inquit, *pater in filium, et filius in patrem ; et mater in filiam, et filia in matrem ; et nurus in socrum, et socrus in nurum.* Hoc prælium inter parentes, si in ipsis verbis tuba cecinit prophetæ, vereor ne Michæas (*Mich.* VII, 6) Christo Marcionis prædicarit. Et ideo *hypocritas* pronuntiabat, *cœli quidem et terræ faciem probantes, tempus vero illud non dinoscentes ;* quo scilicet adimpleus omnia quæ super ipsos fuerunt prædicata, nec aliter docens, debuerat agnosci. Cæterum, quis posset ejus tempora nosse, cujus per quæ probaret non habebat? Merito exprobrat etiam, *quod justum non a semetipsis judicarent.* Olim hoc mandat per Zachariam (*Zach.* VIII, 16) : *Justum judicium et pacatorium judicate.* Per Hieremiam (*Jerem.* XXII, 3) : *Facite judicium et justitiam.* Per Esaiam (*Is.* I, 17; V. 6) : *Judicate pupillo, et justificate viduam ;* imputans etiam vineæ Sorech, quod *non judicium* fecisset, *sed clamorem.* Qui ergo docuerat ut facerent ex præcepto, is exigebat ut facerent et ex arbitrio. Qui seminaverat præceptum, ille et redundantiam ejus urgebat. Jam vero quam absurdum ut ille mandaret juste judicare, qui Deum judicem justum destruebat ! Nam et *judicem qui mittit in carcerem, nec ducit inde, nisi soluto etiam novissimo quadrante*, in persona Creatoris obtrectationis nomine disserunt. Ad quod necesse habeo eodem gradu occurrere. Quotiescumque enim severitas Creatoris opponitur, totiens illius est Christus, cui per timorem cogit obsequium.

CAPUT XXX.

Quæstionem rursus *de curatione sabbato facta*, quomodo discussit : (*d*) *Unusquisque vestrum sabbatis non solvit asinum aut bovem suum a præsepi, et ducit ad potum?* Ergo secundum conditionem Legis operatus, Legem confirmavit, non dissolvit, jubentem nullum opus fieri, nisi quod fieret omni animæ (*e*), quanto potius humanæ? Parabolarum congruentiam ubique recognoscor (6) exigere. *Simile est regnum Dei*, inquit, *grano sinapis, quod accepit homo, et seminavit in horto suo.* Quis in persona hominis intelligendus? Utique Christus : quia licet Marcionis, filius hominis est dictus, qui accepit a Patre semen regni, sermonem scilicet Evangelii, et seminavit in horto suo, utique in mundo, puta nunc in homine. Sed cum in suo horto dixerit, nec mundus autem nec homo illius sit, sed Creatoris ; ergo qui in suum seminarit, nec (7) Creator ostenditur. Aut si, ut hunc laqueum evadant, converterint hominis personam a Christo, in hominem accipientem semen regni, et seminantem in horto cordis sui ; nec ipsa materia alii conveniet quam Creatori. Quale est enim ut lenissimi Dei regnum significet semen (8), quod etiam judicii fervor lacrymosa austeritate subsequitur (9)? De sequenti plane similitudine vereor, ne forte alterius Dei regno portendat. Fermento enim comparavit illud, non azymis, quæ familiariora sunt Creatori. Congruit et hæc conjectura mendicantibus argumenta. Itaque et ego vanitatem vanitate

LECTIONES VARIANTES.

(1) Procedet *Pam.*
(2) Judææ *Seml.*
(3) Hieremiam *leg. Jun., diserta verba exstant Jeremiæ* XV, 14.
(4) Videris *Seml.*
(5) Contendas *Pam.*
(6) Recognoscite *Lat.*
(7) Nec *omitt. Pam.*
(8) Significet semen *non habet Pam. Sed est in cod. Wouw.*
(9) Judicium fervoris lacrymosæ austeritates, subsequuntur *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

(a) *Machæram quidem scriptum est.* In Evangelio scilicet Marcionis, hoc est, Lucæ a Marcione adulterato. Cujusmodi Evangelium provocare se dicit Tertullianus initio hujus libri, ut ex eo ipso Marcionem convincat insaniæ. RIG.

(b) *Sed Marcion emendat.* Etenim Lucas dixit, διαμερισμόν. RIG.

(c) *Quasi non et separatio opus sit machæræ.* Eoque sensu dixerat Matthæus μάχαιραν quod Lucas διαμερισμόν, ut jam vana sit Marcionis in Lucam emendatio. Hujusce autem non meminit Epiphanius. RIG.

CAP. XXX.—(d) *Unusquisque vestrum sabbatis non solvit asinum.* etc. Istud (in quo solum ab aliis Auctor differt, legens *sabbatis* pro *sabbato*) non ursit Epiphanius, sed (confut. 39) illud Christi quod sequitur : *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas ;* ex quo probat, Christum esse ejusdem Dei, cujus Abraham. Idque eo magis, uti (confut. 40) prosequitur, quod etiam resciderat illud sub finem hujus cap. Lucæ, *Cum videritis Abraham, Isaac et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei*, legens duntaxat, *cum omnes justos videritis in regno Dei.* Ita quod Auctor omisit, ille fere urget. adv. Marc. PAM.

(e) *Nullum opus fieri, nisi quod fieret omni animæ.* Jam annotavimus versionem LXX interpretum, quam sequebatur Tertullianus, alio modo posse intelligi, qui cum ingenio græcæ linguæ et significatione hebraicæ lectionis magis conveniat. Vide in cap. 12 hujus libri. EDD.

depellam, fermentationem quoque congruere dicens regno Creatoris, quia post illam clibanus vel furnus gehennæ sequatur. Quoties adhuc se judicem ostendit, et in judice Creatorem! Quoties utique ejecit, et damnat rejiciendo! Sicut hic quoque: *Cum surrexerit*, inquit, *pater familias* (1). Quo, nisi quo dixit Esaias (*Is.*, II, 19): *Cum surrexerit comminuere terram? Et cluserit ostium;* utique excludendis iniquis, quibus *pulsantibus respondebit: Nescio unde sitis?* Et rursus *enumerantibus quod coram illo ederint, et biberint, et in plateis eorum docuerit, adjiciet: Recedite a me omnes operarii iniquitatis: illic erit fletus et frendor dentium.* Ubi? Foris scilicet, ubi erunt exclusi, ostio cluso ab eo: ergo erit pœna, a quo fit exclusio in pœnam, cum videbunt justos introeuntes in regnum Dei, se vero detineri foris. A quo? Si a Creatore, quis erit ergo intus recipiens justos in regnum? Deus bonus. Quid ergo illuc Creatori, ut foris detineat in pœnam, quos adversarius ejus exclusit, suscipiendos a se, utique magis in adversarii bilem? Sed et ille exclusurus iniquos, sciat utique Creatorem illos detenturum in pœnam, aut non sciat oportet. Ergo, aut nolente eo detinebuntur, et minor est illo qui detinet, cedens ei nolens; aut si vult ita fieri, ipse ita faciendum judicavit, et non erit melior Creatore, ipse auctor infamiæ Creatoris. Hæc si nulla ratione consistunt, ut alius punire, alius liberare credatur, unius erit tam judicium quam et regnum; et *dum unius est utrumque, qui et judicat*, Creatoris est.

CAPUT XXXI.

Ad prandium vel ad cœnam quales *vocari jubet?* Quales ostenderat per Esaiam (*Is.*, LVIII, 7): (a) *Confringe panem tuum esurienti, et mendicos, et qui sine tecto sunt, induc in domum tuam;* qui scilicet humanitatis istius vicem retribuere non possint. Hanc si Christus captari vetat, in resurrectione eam repromittens, Creatoris est forma, cui non placent amantes munera, sectantes retributionem. Etiam invitatoris parabola cui magis parti occurrat, expende (2). *Homo quidam fecit cœnam, et vocavit multos.* Utique cœnæ paratura vitæ æternæ saturitatem figurat. Dico primo, extraneos et nullius juris affines invitari ad cœnam non solere; certe facilius solere domesticos et familiares. Ergo Creatoris est invitasse, ad quem pertinebant qui invitabantur, et per Adam qua homines, et per Patres qua Judaici, non ejus ad quem neque natura pertinebant, neque prærogativa. Dehinc, si is mittit ad convivas, qui cœnam paravit; sic quoque Creatoris est cœna, qui misit ad convivas admonendos, ante jam vocatos per Patres, admonendos autem per Prophetas: non qui neminem miserit ad monendum, nec qui nihil prius egerit ad vocandum, sed ipse descenderit subito: tantum quod innotescens, jam invitans; tantum quod invitans, jam in convivium cogens; eamdem faciens horam cœnandi, et ad cœnam invitandi. Excusant se invitanti. Si ab alio Deo, merito, quia subito invitati. Si non merito, ergo nec subito Si autem non subito invitati; ergo a Creatore, a quo olim. Cujus denique declinaverant vocationem tunc primo dicentes ad Aaronem (*Exod.*, XXXII, 1): *Fac nobis deos, qui præeant nobis;* atque exinde (*Is.*, VI, 10): *Aure audientes et non audientes*, vocationem scilicet Dei; qui pertinentissime ad hanc parabolam per Hieremiam (*Jerem.*, XI, 40): *Audite*, inquit, *vocem meam, et ero vobis in Dominum, et vos mihi in populum; et ibitis in omnibus viis meis quascumque mandavero vobis.* Ecce invitatio Dei. *Et non audierunt*, inquit, *et non adverterunt aurem suam.* Ecce recusatio populi. *Sed abierunt in iis quæ concupierunt corde suo malo. Agrum emi, et boves mercatus sum, et uxorem duxi.* Et adhuc ingerit (*Jerem.*, VII, 24): *Et emisi ad vos omnes famulos meos Prophetas.* Hic erit Spiritus Sanctus admonitor convivarum, die et ante lucem. *Et non audiit populus meus, et non intendit auribus suis, et obduravit collum suum. Hoc ut patrifamilias renuntiatum est, motus tunc* (bene quod et motus; negat enim Marcion moveri Deum suum, ita et hoc meus est), *mandat de plateis et vicis civitatis facere sublectionem.* Videamus an eo sensu quo rursus per Hieremiam (*Jerem.*, II, 31): *Numquid solitudo factus sum domui Israelis? aut terra in incultum derelicta?* id est, Numquid non habeo quos allegam, aut unde allegam? *Quoniam dixit populus meus, Non venimus ad te.* Itaque misit ad alios vocandos, ex eadem adhuc civitate. Dehinc loco abundante, præcepit etiam de viis et sepibus colligi, id est, nos jam de extraneis gentibus; illa scilicet æmulatione, qua in Deuteronomio (*Deut.*, XXXII, 20): *Avertam faciem meam ab eis, et monstrabo quid illis in novissimis*, id est alios possessuros locum eorum: *quoniam genitura perversa est, filii in quibus fides non est. Illi obæmulati sunt me in non Deo, et provocaverunt in iram in idolis suis; et ego obæmulabor eos in non nationi, in natione insipienti provocabo eos in iram;* in nobis scilicet, quorum spem (3) Judæi gerunt, (b) de qua illos gustaturos negat Dominus: *derelicta Sione* (*Is.*, I, 8) *tanquam specula in vinea et in cucumerario casula*, posteaquam et novissimam in Christo (4) invitationem recusavit. Quid ex hoc ordine secundum dispositiones et prædicationes Creatoris recensendo competere potest illi, cujus nec ordinem habet, nec dispositionem ad parabolæ conspirationem, qui totum opus semel fecit? Aut quæ erit prima vocatio ejus, et quæ secundo actu admonitio? Ante debent alii excusare, postea alii con-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Familiæ *Pam.*
(2) Expendo *Pam.*
(3) Speciem *Lat.*
(4) Christum *Pam. Fran. Rig. Par.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXI. — (a) *Confringe panem tuum esurienti, et mendicos*, etc. Mendicos, pro quo Vulgatus *egenos*, sive πτωχούς. PAM.

(b) *De qua illos gustaturos negat Dominus.* Docet hæc interpretatio repudiatos ob pervicaciam Judæos, Christianosque ad cœnam, seu ut explicat, ad vitæ cœlestis saturitatem vocatos. LE PR.

venisse. Nunc autem pariter utramque partem invitare venit, de civitate, de sepibus, adversus speculum parabolæ. Nec potest jam fastidiosos judicare, quos nunquam retro invitavit, quos cum maxime aggreditur. Aut si de futuro eos judicat contemptuos vocationem; ergo et sublectionem loco eorum ex gentibus de futuro portendit. Plane ad hoc secundo venturus est ut gentibus prædicet. Et si venturus est autem, puto non quasi vocaturus adhuc convivas, sed jam collocaturus. Interea qui cœnæ istius vocationem in (1) cœleste convivium interpretaris spiritalis saturitatis et jucunditatis, memento et (*a*) terrenas promissiones vini et olei et frumenti, et ipsius civitatis, æque in spiritalia figurari a Creatore.

CAPUT XXXII.

Ovem et drachmam perditam quis requirit? Nonne qui perdidit? Quis autem perdidit? Nonne qui habuit? Quis vero habuit? Nonne cujus fuit? Si igitur homo non alterius est res, quam Creatoris; is eum habuit, cujus fuit. Is perdidit, qui habuit. Is requisivit, qui perdidit. Is invenit, qui quæsivit. Is exultavit, qui invenit. Ita utriusque parabolæ argumentum vacat circa eum, cujus non est ovis neque drachma, id est homo. Non enim perdidit, quia non habuit; nec requisivit, quia non perdidit; nec invenit, quia nec requisivit; nec exultavit, quia non invenit. Atque adeo (*b*) exultare illius est de pœnitentia peccatoris, id est, de perditi recuperatione, qui se professus est olim male peccatoris pœnitentiam quam mortem.

CAPUT XXXIII.

Quibus *duobus dominis* neget posse *serviri, quia alterum offendi sit necesse, alterum defendi*, ipse declarat, *Deum* proponens et *mammonam*. Deinde (*c*) mammonam quem intelligi velit, si interpretem non habes, ab ipso potes discere. Admonens enim nos, de sæcularibus suffragia nobis prospicere amicitiarum, *secundum servi illius exemplum, qui ab actu summotus, dominicos debitores diminutis* (2) *cautionibus revelat in subsidium sibi. Et ego*, inquit, *dico vobis, facite vobis amicos de mammona injustitiæ*; de nummo scilicet, de quo et servus ille. Injustitiæ enim auctorem et dominatorem totius sæculi nummum scimus omnes. Cui famulatam videns Pharisæorum cupiditatem, ammentavit hanc sententiam (*d*): *Non potestis Deo servire et mammonæ*. Irridebant denique Pharisæi pecuniæ cupidi, quod intellexissent scilicet mammonam de nummo dictum, ne quis existimet in mammona Creatorem intelligendum, et Christum a Creatoris illos servitute revocasse. Quid? nunc potius ex hoc disce, unum a Christo Deum ostensum. Duos enim dominos nominavit, Deum et mammonam, Creatorem et nummum. Denique, *non potestis Deo servire*: utique ei, cui servire videbantur; *et mammonæ*, cui magis destinabantur. Quod si ipse alium se ageret, non duos dominos, sed tres demonstrasset. Et Creator enim Dominus, quia Deus. Et utique magis dominus, quam mammonas; magisque observandus, qua magis dominus. Quare est enim, ut qui mammonam dominum dixerat, et cum Deo junxerat, vere ipsorum dominum taceret, id est Creatorem? Aut numquid tacendo eo, concessit serviendum ei esse, si solummodo sibi et mammonæ negavit posse serviri? Ita, cum unum Deum ponit nominaturus et Creatorem, si alius esset ipse, Creatorem nominavit, quem dominum sine alio Deo non posuit. Et illud itaque relucebit, quomodo dictum: *Si in mammona injusto fideles non extitistis, quod verum est quis vobis credet?* In nummo scilicet injusto, non in Creatore, quem et Marcion justum facit. *Et si in alieno fideles inventi non estis, quod meum est quis* (3) *dabit vobis?* Alienum enim debet esse a servis Dei, quod injustum est. Creator autem, quomodo (4) alienus erat Pharisæis, proprius Deus Judaicæ gentis? Si ergo hæc non cadunt in Creatorem, sed in mammonam, quis vobis credet quod verius est? et quis vobis dabit quod meum est? Non potest quasi alius dixisse de alterius Dei gratia. Tunc enim videretur ita dixisse, si eos in Creatorem, non in mammonam infideles notando, per Creatoris mentionem distinctiones fecisset Dei alterius, non commissuri suam veritatem infidelibus Creatoris. Quomodo tunc alterius videri potest, si non ad hoc proponatur, ut a te de qua agitur separetur? Si autem et justificantes se coram hominibus Pharisæi, spem mercedis in homine ponebant, illo eos sensu increpabat, quo et propheta Hieremias (*Jerem.*, XVII, 5): (*e*) *Miser homo, qui spem habet in homine*. Si et adjicit: *Scit autem Deus corda vestra*; illius Dei vim commemorabat, qui lucernam se pronuntiabat, scrutantem renes et corda. Si superbiam tangit: *Quod elatum est apud homines, perosum est Deo*, Esaiam ponit ante oculos (*Is.*, II, 12): *Dies enim Domini sabaoth, in omnem contumeliosum et superbum, in omnem sublimem et elatum; et humiliabuntur*. Pos-

LECTIONES VARIANTES.

(1) In *abest vult Ciaccon.*
(2) Diminuit *Pam.*
(3) Estis meum quis *Seml.*
(4) Autem alio modo *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Terrenas promissiones vini et olei.* Quales habentur sæpissime in Veteri Testamento. LE PR.

CAP. XXXII.—(b) *Exultare illius est de pœnitentia peccatoris.* Non video cur tantopere se torqueat Pamelius ut hunc locum explicet. Cum enim angelorum esse ait ex contextu evangelico, ideoque hic Deo tribuit quod de angelis dictum est, attendat sedulo ne seriem sermonis interturbet, disjungatque; nam ordo et sensus facilis est, de eo qui dixit (Deo scilicet): *Malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* LE PR.

CAP. XXXIII.—(c) *Mammonam quem intelligi velit.* Quod Punici dicunt mammon, Latine lucrum vocatur. August. Serm. XXXV de Verb. Dom. RIG.

(d) *Ammentavit hanc sententiam.* Ut jaculum intorsit. Varie scribitur in MSS. Amentum, Admentum et Ammentum. Græcum est ἄμμα. RIG.—Id est, jaculatus est, emisit: ab amento, quod lorum significat, deductum verbum amentare. RHEN.

(e) *Miser homo qui spem habet.* etc. Debuit dicere maledictus, nam græce est ἐπικατάρατος. LE PR.

sum jam colligere, cur tanto ævo Deus Marcionis A fuerit in occulto. Exspectabat, opinor, donec hæc omnia disceret a Creatore. Didicit ergo usque ad Joannis tempora, atque ita exinde processit annuntiare regnum Dei dicens : (a) *Lex et Prophetæ usque ad Joannem, ex quo regnum Dei annuntiatur.* Quasi non et nos limitem quemdam agnoscamus Joannem constitutum inter vetera et nova, ad quem desineret judaismus, et a quo inciperet christianismus : non tamen ut ab alia virtute facta sit sedatio Legis et Prophetarum, et initiatio Evangelii, in quo est Dei regnum, Christus ipse. Nam etsi probavimus et vetera transitura et nova successura (*Is.*, XLIII, 19) prædicari a Creatore; si et Joannes antecursor et præparator ostenditur viarum Domini, Evangelium superducturi, et regnum Dei promulgaturi ; et ex hoc B jam quod Joannes venit, ipse erit Christus, qui Joannem erat subsecuturus, ut antecursorem; et si desierunt vetera, et cœperunt nova interstite Joanne, non erit mirum quod ex dispositione est Creatoris, ut aliunde (1) magis probetur, quam ex Legis et Prophetarum in Joannem occasu, et exinde ortu, regnum Dei. *Transeat* igitur *cælum et terra citius*, sicut et Lex et Prophetæ, *quam unus apex verborum Domini. Verbum* enim, inquit (*Is.*, XL, 8) Esaias, *Dei* nostri *manet in ævum.* Nam quoniam in Esaia jam tunc Christus, Sermo scilicet et spiritus Creatoris, Joannem prædicarat, *vocem clamantis in deserto, parare viam Domini*, in hoc venturum ut Legis et Prophetarum ordo exinde cessaret, per adimpletionem, non per destructionem, et regnum Dei a Chri- C sto annuntiaretur ; ideo subtexuit, *facilius elementa transitura, quam verba sua ;* confirmans hoc quoque, quod de Joanne dixerat, non præteriisse.

CAPUT XXXIV.

« Sed Christus divortium prohibet, dicens : *Qui « dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium « committit : qui dimissam a viro duxerit, æque adul- « ter est.* Ut sic quoque prohibeat divortium, illici- « tum facit repudiatæ matrimonium. Moyses vero « permittit repudium in Deuteronomio (*Deut.*, XXIV, « 1) : *Si sumpserit quis uxorem, et habitaverit cum « ea, et evenerit non invenire eam apud eum gra- « tiam, eo quod inventum sit in illa impudicum ne- « gotium, scribet libellum repudii, et dabit in manu « ejus, et dimittet illam de domo sua.* Vides diversi- « tatem Legis et Evangelii, Moysi et Christi ? » Plane. Non enim recepisti illud quoque *Evangelium* (*Matth.*, XIX, 8) *ejusdem veritatis*, et ejusdem Christi, in quo prohibens divortium, propriam quæstionem ejus absolvit : *Moyses propter duritiam cordis vestri præcepit libellum repudii dare ; a primordio autem non fuit sic, quia scilicet qui marem et fœminam fecerat, Erunt duo, dixerat, in carne una* (2) ; *quod Deus itaque junxit, homo disjunxerit* (3) ? Hoc enim responso, et Moysi constitutionem protexit, ut sui ; et Creatoris institutionem direxit, ut Christus ipsius. Sed quatenus ex his revincendus es, quæ recepisti, sic tibi occurram, ac si meus Christus. Nonne et ipse prohibens B divortium, et patrem tamen gestans (4) eum qui marem et fœminam junxit, excusaverit potius quam destruxerit Moysi constitutionem ? Sed ecce sic tuus sit iste Christus contrarium docens Moysi et Creatori, ut si non contrarium ostendero, meus sit. Dico enim illum conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat : *Qui dimiserit*, inquit, *uxorem, et aliam duxerit, adulterium commisit, et qui a marito dimissam duxerit, æque adulter est ;* ex eadem utique caussa (5), qua non licet dimitti, ut alia ducatur : illicite enim dimissam pro indimissa ducens, adulter est. Manet enim matrimonium quod non rite diremptum est. Manente matrimonio nubere, adulterium est. Ita si conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit ; (*b*) et quod non prohibuit in totum, permisit alias, ubi caussa cessat ob quam prohibuit. Etiam non contrarium Moysi docet, cujus præceptum alicubi conservat, nondum dico, confirmat. Aut si omnino negas permitti divortium a Christo, quomodo tu nuptias dirimis, nec conjungens marem et fœminam, nec alibi conjunctos ad sacramentum baptismatis et Eucharistiæ admittens, nisi inter se conjuraverint (*c*) adversus fructum nuptiarum, ut adversus ipsum Creatorem ? Certe quid facit (6) apud te maritus, si uxor ejus commiserit adulterium ? habebitne illam ? Sed nec tuum apostolum sinere (7) scis conjungi prostitutæ membra Christi. Habet itaque et Christum assertorem (*d*) justitia divortii. Jam hinc

LECTIONES VARIANTES.

(1) Unde *Pam.* undeunde *Lat.*
(2) In carnem unam *Fran.*
(3) Non disgungit *Fran.*
(4) Testans *Lat.*
D (5) Dimissam *add. Oberth.*
(6) Faciet *cod. Wouver.*
(7) Scis *omitt. Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*, etc. Frequentissime hanc scripturam allegavit Auctor adv. Marcionem hoc ipso libro, eo quod eam citaret pro se Marcion ; sed pulchre deducit, etiam Joannis adventum prædictum a Creatore, tum hic, tum alibi. Quid ? Quod Epiphanius (confut. 43) inde probet, eumdem esse Deum Creatorem, et Deum Christi, quod nominans legem et prophetas, neque iniquitatem illis adscribens, eidem testimonium præbeat. Atqui Epiphanius magis clare vertit, ex eo tempore, nam græce apud Lucam est ἀπὸ τότε et Auctor obscurius, *ex quo.* PAM.

CAP. XXXIV.—(b) *Et quod non prohibuit in totum, permisit. Aliud est ubi caussa cessat.* In exemplari legitur, *in totum permisit. Alia subjici caussa cessat.* Ex cujus scripturæ vestigiis sic emendari debere hunc locum arbitramur : *Et quod non prohibuit in totum, permisit alias, ubi caussa cessat ob quam prohibuit.* RIG.

(c) *Adversus fructum nuptiarum.* Quod nempe cap. 23, *fructum connubii* dixit, hoc est liberorum procreationem. De his nos alibi. LE PA.

(d) *Justitia divortii.* Hic videtur illorum favere

confirmatur ab illo Moyses, ex eodem titulo prohibens repudium, quo et Christus, si inventum fuerit in muliere negotium impudicum. Nam et in Evangelio Matthæi (*Matth.*, V, 32) : *Qui dimiserit*, inquit, *uxorem suam præter causam adulterii, facit eam adulterari ; atque ita* (1) *adulter censetur et ille, qui dimissam a viro duxerit.* Cæterum, præter ex causa adulterii, nec Creator disjungit, quod ipse scilicet conjunxit, eodem alibi Moyse constituente (*Deut.*, XXII, 28) eum qui (*a*) ex compressione matrimonium fecerat, non posse dimittere uxorem in omne tempus. Quod si ex violentia coactum matrimonium stabit, quanto magis ex convenientia voluntarium ? sicut et prophetiæ (2) auctoritate (*Mal.*, II, 15) : *Uxorem juventutis tuæ non dimitte.* Habes itaque Christum ultro vestigia ubique Creatoris ineuntem, tam in permittendo repudio, quam in prohibendo. Habes etiam nuptiarum quoquo velis prospectorem, quas nec separari vult, prohibendo repudium, nec cum macula haberi, tunc permittendo divortium. Erubesce non conjungens, quos tuus quoque Christus conjunxit. Erubesce etiam disjungens sine eo merito, quo disjungi voluit et tuus Christus. Debeo nunc et illud ostendere, unde hanc sententiam deduxerit Dominus, quove direxerit. Ita enim plenius constabit, eum non ad Moysen destruendum spectasse per repudii propositionem subito interpositam ; quia nec subito interposita est, habens radicem ex eadem Joannis mentione. Joannes enim retundens Herodem, quod adversus legem uxorem fratris sui defuncti duxisset, habentis filiam ex illa, (non alias hoc permittente, imo et præcipiente lege (*Deut.*, XXV), (*b*) quam si frater illiberis decesserit, ut a fratre ipsius et ex costa ipsius supparetur (3) semen illi) conjectus in carcerem fuerat, ab eodem Herode (4) postmodum et occisus. Facta igitur mentione Joannis, Dominus, et utique successus exitus ejus, illicitorum matrimoniorum et adulterii figuras (5) jaculatus est in Herodem ; adulterum pronuntians etiam qui dimissam a viro duxerit ; quo magis impietatem Herodis oneraret, qui non minus morte quam repudio dimissam a viro duxerat ; et hoc fratre habente ex illa filiam, et vel eo nomine illicite ; ex libidinis, non ex legis instinctu ; ac propterea propheten quoque assertorem legis occiderat. Hoc mihi disseruisse proficiet, etiam (6) subsequens argumentum divitis apud inferos dolentis, et pauperis in sinu Abrahæ requiescentis. Nam et illud, quantum ad Scripturæ superficiem, subito propositum est, quantum ad intentionem sensus, et ipsum cohæret mentioni Joannis male tractati, et suggillatui (7) Herodis male meritati (8), utriusque exitum deformans, Herodis tormenta, et Joannis refrigeria ; ut jam audiret Herodes : (*c*) *Habent illic Moysen et Prophetas, illos audiant.* Sed Marcion aliorsum cogit, scilicet (9) utramque mercedem Creatoris, sive torquenti, sive refrigerii apud inferos, determinat (10) eis positam qui Legi et Prophetis obedierint, Christi vero et Dei sui cœlestem definit (11) sinum et portum. Respondebimus, et hac ipsa scriptura revincente oculos ejus, quæ *ab inferis* (12) discernit *Abrahæ sinum pauperi.* Aliud enim inferi, ut puto, aliud quoque Abrahæ sinus. (*d*) Nam et *magnum* ait intercedere (13) regiones istas *profundum*, et transitum utrinque prohibere. Sed nec allevasset dives oculos, et quidem de longinquo, nisi in superiora, et de altitudinis longinquo, per immensam illam distantiam sublimitatis et profunditatis. Unde apparet sapienti cuique, qui aliquando Elysios audierit, esse aliquam localem determinationem, quæ sinus dicta sit Abrahæ, ad recipiendas animas filiorum ejus, etiam ex nationibus, patris scilicet multarum nationum in Abrahæ censum deputandarum, et ex eadem fide, qua et Abraham Deo credidit, nullo sub jugo legis, nec in signo circumcisionis. Eam itaque regionem, sinum dico Abrahæ, etsi non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat ; tunc apparitura cœlesti promissione quam Marcion suo (14) vindicat, quasi non a Creatore promulgatam. Ad quam *ascensum suum* Christus *ædificat in cœlum*, secundum Amos (*Amos*, IX, 6) ; uti-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ita *omitt. Seml.* æque ita, *Par. Fran.*
(2) Prophetæ *Lat.*
(3) Suppararetur *Pam.*
(4) Herode *omitt. Oberth.*
(5) Figura *Pam.* fulgara, *Ciaccon.*
(6) Ad *inser. Seml.*
(7) Suggillati *Pam.*
(8) Maritati *Par.* irritati, *Jun.*
(9) Ut *inser. Oberth.*
(10) Determinet *Seml.*
(11) Definiat *Seml.*
(12) Ad inferos *Oberth.*
(13) Inter *Seml.*
(14) Christo *add. Ciaccon.*

COMMENTARIUS.

sententiæ, qui etsi per se mala res esset divortium, tamen ex quo per Moysen permissum fuit, justum atque licitum fuisse volunt. Verum si sequentia diligenter inspiciantur, illud solum intelligitur permissum, *si inventum fuerit in muliere negotium impudicum*, pro quo facit etiam prophetia Malachiæ II, quam mox citat juxta LXX : *uxorem juventutis tuæ non dimittes.* Cui addi potest, quod ibidem subjungit propheta : *Sed si odio habens dimiseris eam, dicit Dominus Deus Israel, operiet impietas cogitationes tuas.*

Pam.

(a) *Qui ex compressione matrimonium fecerat.* Vim illatam aut stuprum innuit, in quibus seu adulter seu impurus homo *βιάζεται τὴν θυλείαν.* Le Pr.

(b) *Quam si frater illiberis.* Quod Græcis est ἄτεκνος. Le Pr.

(c) *Habent illic Moysen et Prophetas.* Addidit auctor, *illic*, ad majorem emphasin, nempe in synagoga Judæorum, nam neque etiam græce, syriace aut latine legitur, neque etiam apud Epiphanium qui (confut. 46) etiam istud adversus Marcionem retorquet, Moysen et Prophetas impugnantem. Pam.

(d) *Nam et magnum ait intercedere regiones istas profundum*, χάσμα ; quod alii dixere chaos. Rig.

que suis, ubi est et *locus æternus*, de quo Isaias (*Is.* XXXIII, 14): Quis annuntiabit vobis *locum æternum*, nisi scilicet Christus incedens in justitia, loquens viam rectam, odio habens injustitiam et iniquitatem? Quod si æternus locus repromittitur, et ascensus in cœlum ædificatur a Creatore, promittente etiam semen Abrahæ velut stellas cœli futurum, utique ob cœlestem promissionem, salva ea promissione, (a) cur non capiat sinum Abrahæ dici temporale aliquod animarum fidelium receptaculum, in quo jam delinietur futuri imago, (b) ac (1) candida quædam utriusque judicii prospiciatur? Admonens quoque vos hæreticos, dum in vita estis, Moysen et prophetas unum Deum prædicantes Creatorem, et unum Christum prædicantes ejus, et utrumque judicium, pœnæ et salutis æternæ, apud unicum Deum positum, qui occidat et vivificet. Imo, inquit, nostri Dei monela de cœlo, non Moysen et prophetas jussit audiri, sed Christum: *Hunc audite*. Merito. Tunc enim apostoli satis jam audierant Moysen et prophetas, qui secuti erant Christum, credendo Moysi et prophetis. Nec enim accepisset (2) Petrus dicere: *Tu es Christus*, antequam audivisset et credidisset Moysi et prophetis, a quibus solis adhuc Christus annuntiabatur. Hæc igitur fides eorum meruerat, ut etiam voce cœlesti confirmaretur, jubente illum audiri, quem ergo agnoverant, *evangelizantem pacem, evangelizantem bona, annuntiantem locum æternum, ædificantem illis ascensum suum in cœlum* (*Is.* LII, 7; XXXIII, 14; *Am.* IX, 6). Apud inferos autem de eis dictum est; *Habent illic Moysen et prophetas, audiant illos* (*Luc.* XVI, 29); qui non credebant, vel qui nec omnino sic credebant esse post mortem superbiæ divitiarum, et gloriæ deliciarum supplicia annuntiata a Moyse et prophetis: decreta autem ab eo Deo, qui (*Ps.* CXII, 6) *de thronis deponit dynastas, et de sterculinis* (3) *elevat inopes*. Ita cum utrinque pronuntiationis diversitas competat Creatori, non erit divinitatum statuenda distantia, sed ipsarum materiarum.

CAPUT XXXV.

Conversus ibidem ad discipulos (*Luc.* XVII), *væ* dicit *auctori scandalorum: expedisse* (4) *ei si natus non fuisset, aut si molino saxo ad collum deligato præcipitatus esset in profundum, quam unum ex illis modicis*, utique discipulis ejus, *scandalizasset*. Æstima quale supplicium comminetur illi (5). Nec enim alius ulciscetur scandalum discipulorum ejus. Agnosce igitur et judicem, et illo affectu pronuntiantem de cura suorum, quo et Creator retro (*Zach.*, II, 8): *Qui tetigerit vos, ac si pupillam oculi mei tangat*. Idem sensus ejusdem est: peccantem fratrem jubet corripi; quod qui non fecerit, utique deliquit, aut ex odio volens fratrem in delicto perseverare, aut ex acceptione personæ, parcens ei; habens Liviticum (*Levit.*, XIX, 17): *Non odies fratrem tuum in animo tuo, traductione traducens* (6) *proximum tuum*; utique et fratrem; *et non sumes propter illum delictum*. Nec mirum si ita docet, qui pecora quoque fratris tui, si errantia in via inveneris, prohibet despicias (*Exod.* XXIII, 4), quo minus ea reducas fratri tuo (7); nedum ipsum sibi. Sed et *veniam des fratri in te delinquenti* jubet, *etiam septies*. Parum plane. Plus est enim apud Creatorem, qui nec modum statuit, in infinitum pronuntians (*Levit.* XIX, 18): *Fratris malitiæ memor ne sis*; Nec (8) petenti eam præstes mandat, sed et non petenti. Non enim dones offensam vult, sed obliviscaris. Lex leprosorum (*Levit.* XIII *et* XIV) quantæ sit interpretationis erga species ipsius vitii, et inspectationis summi sacerdotis, nostrum erit scire; Marcionis, morositatem legis opponere, ut et hic Christum æmulum ejus affirmet prævenientem solemnia legis etiam in curatione *decem leprosorum, quos tantummodo ire* jussos ut *se ostenderent sacerdotibus* (*Luc.* XVII), *in itinere purgavit*, sine tactu jam et sine verbo, tacita potestate, et sola voluntate; quasi necesse sit, semel remediatore languorum et vitiorum annuntiato Christo, et de effectibus probato, de qualitatibus curationum retractari: aut Creatorem in Christo ad legem provocari: si quid aliter quam lege distinxit, ipse perfecit: cum aliter utique Dominus (9) per semetipsum operetur, sive per Filium, aliter per prophetas famulos suos maximæ (10) documenta virtutis et potestatis; quæ ut clariora et validiora, qua propria, distare a vicariis fas est. Sed ejusmodi et alibi jam dicta sunt, in documento superiore. Nunc etsi præfatus est, *multos tunc fuisse leprosos apud Israelem in diebus Helisæi prophetæ, et neminem eorum purgatum nisi Naaman Syrum* (*Luc.* IV, 27): non utique (11) numerus faciet ad differentiam deorum, in destructionem Creatoris, unum remediantis, et prælationem ejus qui decem emundarit. Quis enim dubitabit plures potuisse curari ab eo, qui unum curasset, quam ab illo decem, qui numquam retro unum? Sed hac cum maxime pronuntiatione diffidentiam Israelis vel superbiam pulsat; quod cum multi essent illic leprosi, et prophetes non deesset, etiam edito documento, nemo decucurrisset ad Deum operantem in prophetis. Igi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *Lat.*
(2) Cœpisset *Petrus Ciaccon.*
(3) Sterquilinis *Pam.*
(4) Expedisset *Pur.*
(5) Ille *Lat.*
(6) Non traduces *Sem.* non *abest Pam.*
(7) Tuo *omitt. Oberth.*
(8) Ne *Vencl.*
(9) Alter uti Dominus sive *Lat.*
(10) Maxime *Rig.*
(11) Et *add. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Cur non capiat sinum Abrahæ dici.* Hoc verbum in superioribus sæpe jam nobis occurrit. Sensus hic est: *cur non possit dici sinus Abrahæ, templ.* etc. sic in *de Resurr. carnis: Terram sanctam, paradisum, quam et patrum dici capiat.* Rhen.

(b) *Ac candida quædam utriusque judicii.* Candida pro spe et exspectatione. Vestis erat petitorum, ut supra annotavimus. Rhen.

tur, quoniam ipse erat authenticus pontifex Dei Patris, inspexit illos secundum legis arcanum, significantis Christum esse verum disceptatorem et climatorem humanarum macularum. Sed et quod in manifesto fuit legis, præcepit; *Iste ostendite vos sacerdotibus*. Cur, si illos ante erat emundaturus? An quasi legis illusor, ut in itinere curatis ostenderet, nihil esse legem cum ipsis sacerdotibus? Et utique viderit, si cui tam opiniosus videbitur Christus. Imo digniora sunt interpretanda, et fidei justiora. Ideo illos remediatos, qua secundum legem jussi abire ad sacerdotes, obaudierant: neque enim credibile est, emeruisse medicinam a destructore legis, observatores legis. Sed cur pristino leproso nihil tale præcepit? quia nec Elisæus Syro Naaman; et tamen non idcirco non erat Creatoris. Satis respondi; sed qui credidit, intelligit etiam altius aliquid. Disce igitur et causas. *In Samariæ regionibus* res agebatur, unde erat *et unus interim ex leprosis*. Samaria autem descíverat ab Israele, habens schisma illud ex decem (1) tribubus, quas avulsas per Achiam prophetam, collocaverat apud Samariam Jeroboam (III *Reg.* XI *et* XVI). Sed et alias semper sibi placentes erant Samaritani de montibus et puteis patrum; sicut in Evangelio Joannis (*Joan.* IV) Samaritana illa in colloquio Domini apud puteum: *Næ* (2) *tu major sis*, et cætera. Et rursus: *Patres nostri in isto monte adoraverunt, et vos dicitis quia Hierosolymis oportet adorare*. Itaque, qui et per Amos (3) (*Amos*, VI, 1), *Væ* dixerit *eis*, (*a*) *qui confiderent* (4) *in monte Samariæ;* jam et ipsam restituere dignatus, de industria, jubet ostendere se sacerdotibus, utique qui non erant, nisi ubi et templum; subjiciens Samaritam Judæo, quoniam ex Judæis salus Israelitæ et Samaritæ (5). Tota enim promissio tribui Judæ Christus fuit; ut scirent Hierosolymis esse et sacerdotes et templum, et matricem religionis, et fontem, non puteum, salutis. Et ideo, ut vidit agnovisse illos legem (6) Hierosolymis expungendam, ex fide jam justificandos sine legis ordine remediavit. Unde et unum illum solutum (7) ex decem, memorem divinæ gratiæ Samaritem miratus, non mandat offerre munus ex Lege; quia satis jam obtulerat, gloriam Deo reddens, hoc et Domino volente interpretari legem. Et tamen cui Deo gratiam reddidit Samarites, quando nec Israelites alium Deum usque adhuc didicisset? Cui alii, quam cui omnes remediati retro a Christo? Ideo, *Fides tua te salvum fecit*, audit; quia intellexerat veram se Deo omnipotenti oblationem, gratiarum scilicet actionem, apud verum templum et verum pontificem ejus Christum facere debere. Sed nec Pharisæi possunt videri de alterius Dei regno consuluisse Dominum, quando venturum sit, quamdiu alius a Christo editus Deus non erat, nec ille de alterius regno respondisse, quam de cujus consulebatur. *Non venit*, inquit, *regnum Dei cum observatione; nec dicunt, Ecce hic, ecce illic; Ecce enim regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 20, 21). Quis non ita interpretabitur, *intra vos est*, id est in manu, in potestate vestra, si audiatis, si faciatis Dei præceptum? Quod si in præcepto est Dei regnum, propone igitur contra, (*b*) secundum nostras antitheses, Moysen, et una sententia est. *Præceptum*, inquit (*Deut.* XXX, 11-14), *excelsum non est, nec longe a te. Non est in cœlo, ut dicas: Quis ascendet* (8) *in cœlum, et deponet* (9) *nobis illud, et auditum illud faciemus? nec ultra mare est, ut dicas: Quis transfretabit et sumet illud nobis, et auditum illud faciemus? Prope te est verbum, in ore tuo, et in corde tuo, et in manibus tuis facere illud*. Hoc erit, *Non hic, nec illic; ecce enim intra vos est regnum Dei*. Et ne argumentetur audacia hæretica, de regno Creatoris, de quo consulebatur, non de suo respondisse eis Dominum, sequentia obsistunt. Dicens enim, *Filium hominis ante multa pati, et reprobari oportere, ante adventum suum*, in quo et regnum substantialiter revelabitur, suum ostendit et regnum de quo responderat, quod passiones et reprobationes ipsius exspectabat. Reprobari autem habens et postea agnosci et assumi et extolli, etiam ipsum verbum reprobari, inde decerpsit (10), ubi in lapidis ænigmate utraque revelatio ejus apud David (*Ps.* CXVII, 21) canebatur; prima recusabilis, secunda honorabilis: *Lapis*, inquit, *quem reprobaverunt ædificantes, iste factus est in caput anguli. A Domino factum est hoc*. Vanum enim, si credidimus Deum de contumelia aut gloria scilicet alicujus prædicasse, ut non (11) eum portenderet, quem et in lapidis, et in petræ, et in montis figura (*Is.* VIII, 4) portenderet (12). Sed si de suo loquitur adventu, cur eum diebus Noe et Loth comparat tetris et atrocibus Deus et lenis et mitis? Cur admonet meminisse uxoris Loth, quæ præceptum Creatoris non impune contempsit, si non cum judicio venit vindicandorum præceptorum suorum? Etiam si vindicat ut et ille, si judicat me, non debuit per

LECTIONES VARIANTES.

(1) Novem *Oberth.*
(2) Ne *Seml.*
(3) Isaiam *Rhen.*
(4) Confident *Venet.*
(5) Samaritanæ *Venet.*
(6) Legem illos *Seml.*
(7) Solum *Wouwer.*
(8) Ascendit *Seml.*
(9) Deponit *Oberth.*
(10) Excerpsit *al.*
(11) Non ut *Seml.*
(12) Portenderat *Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXV.—(a) *Qui confiderent in monte Samariæ.* Historiam illius schismatis supra attigit, in quo Hieroboam decem tribus ab aliis avulsas Samariam deduxit, ubi rex creatus est. Reliquæ duæ, nempe Judæ et Benjamin, sub Roboamo permanserunt. Id refertur III Reg. LE PR.

(b) *Secundum nostras antitheses.* Antitheses compegerat Marcion in quibus legem Mosis Evangelio opponebat. Tertullianus alias antitheses iis opposuit, in quibus legem veterem cum nova conciliabat. LE PR.

ejus documenta formare quem destruit, ne ille me formare videatur. Si vero et hic non de suo loquitur adventu, sed de judæi Christi, exspectemus etiam nunc ne quid de suo prædicet, illum interim esse credentes, quem omni loco prædicat.

CAPUT XXXVI.

Nam et *orandi perseverantiam et instantiam* (*Luc.* XVIII) mandans, parabolam *judicis* ponit, *coacti audire viduam*, *instantia et perseverantia interpellationum ejus*. Ergo judicem Deum ostendit orandum, non se, si non ipse est judex. Sed subjunxit, *facturum Deum vindictam electorum suorum*. Si ergo ipse erit judex, qui et vindex. Creatorem ergo meliorem Deum probavit, quem electorum suorum *clamantium ad eum die ac nocte* vindicem ostendit. Et tamen, cum templum Creatoris inducit, et duos adorantes diversa mente describit Pharisæum in superbia, Publicanum in humilitate; ideoque alterum reprobatum, alterum justificatum descendisse (*Luc.* XVIII); utique docendo qua disciplina sit orandum, cum et hic orandum constituit, a quo relaturi essent eam orandi disciplinam, sive reprobatricem superbiæ, sive justificatricem humilitatis. Alterius Dei nec templum, nec oratores, nec judicium invenio penes Christum, nisi Creatoris. (*a*) Illum jubet adorare in humilitate, ut allevatorem humilium; non in superbia, ut destructorem superborum. Quem alium adorandum mihi ostendit? qua disciplina? qua spe? Neminem opinor. Nam et quam docuit orationem, Creatori probavimus convenire. Aliud est si etiam adorari qua Deus optimus et ultro bonus non vult. Sed *quis optimus, nisi unus*, inquit *Deus?* Non quasi ex duobus diis unum optimum ostenderit; sed unum esse optimum Deum solum, qui sic unus sit optimus, qua solus Deus. Et utique optimus, qui pluit super justos et injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos, sustinens et alens et juvans etiam Marcionitas. Denique interrogatus ab illo quodam: *Præceptor optime, quid faciens vitam æternam possidebo?* De præceptis Creatoris an ea sciret, id est faceret, expostulavit, ad contestandum præceptis Creatoris vitam acquiri sempiternam. Cumque ille principaliora quæque affirmasset observasse se ab adolescentia: *Unum*, inquit, *tibi deest. Omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me.* Age Marcion, omnesque jam commilitones et coodibiles ejus hæretici, quid audebitis dicere? Resciditne Christus priora præcepta, non occidendi, non adulterandi, non furandi, non falsum testandi, diligendi patrem et matrem? An (1) et illa servavit, et quod deerat, adjecit? quamquam et hoc præceptum largitionis in egenos ubique diffusum sit in Lege et Prophetis, uti gloriosissimus ille observator præceptorum pecuniam multo chariorem habiturus traduceretur. Salvum est igitur et hoc in Evangelio (*Matth.* V, 17), *Non veni dissolvere Legem et Prophetas, sed potius adimplere.* Simul et cætera dubitatione liberavit, manifestando unius esse et Dei nomen et optimi, et vitam æternam, et thesaurum in cœlo, et semetipsum; cujus præcepta suppleudo et conservavit et auxit: secundum Michæam quoque hoc loco recognoscendus, dicentem (*Mich.* VI, 8): *Si annuntiavit tibi homo quid bonum, aut quid a te Dominus exquirit, quam facere judicium, diligere misericordiam, et paratum esse sequi Dominum Deum tuum?* Et homo enim Christus annuntians quid sit bonum; scientiam legis: *Præcepta*, inquit, *scis?* facere judicium: *Vende*, inquit, *quæ habes;* diligere (2) misericordiam: *Et da*, inquit, *egenis;* paratum esse ire (3) cum Deo (4). *Et veni*, inquit, *sequere me.* Tam distincta fuit a primordio Judæa gens per tribus et populos et familias et domos, ut nemo facile ignorari de genere potuisset, (*b*) vel de recentibus Augustianis censibus adhuc tunc fortasse pendentibus. Jesus autem Marcionis et natus non dubitaretur, qui homo videbatur; utique qua non natus nullam potuerat generis sui in publico habuisse notitiam, (*c*) sed erat unus aliqui deputandus ex iis, qui quoquo modo ignoti habebantur. Cum igitur prætereuntem illum cæcus audisset, cur exclamavit: *Jesu fili David, miserere mei*, nisi quia filius David, id est, ex familia David non temere deputabatur, per matrem et fratres, qui aliquando ex notitia utique annuntiati ei fuerant. Sed *antecedentes increpabant cæcum, uti taceret.* Merito, quoniam quidem vociferabatur, non quia de David filio mentiebatur. Aut doce increpantes illos scisse, quod Jesus non esset filius David, ut idcirco silentium cæco indixisse credantur. Sed etsi doceres, facilius illos ignorasse præsumeretur (5), quam Dominum falsam in se prædicationem sustinere potuisse. Sed patiens Dominus; non tamen confirmator erroris, imo etiam detector Creatoris; ut non prius hanc cæcitatem hominis illius enubilasset, ne ultra Jesum filium David existimaret. Atquin, ne patientiam ejus infamaretis,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Anne *Rhen.*
(2) Dilige *Seml.*
(3) Paratum si, inquit, ire *Oberth.*
(4) Domino *Seml.*
(5) Præsumeret *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXVI. — (a) *Illum jubet adorare in humilitate*, etc. Alludere mihi videtur ad illud Christi: *omnis qui se humiliat allevabitur, et qui se exaltat humiliabitur;* sive ad aliud cantici Mariæ: *Deposuit potentes de sede* (hoc est enim destruere) *et exaltavit* (sive allevavit) *humiles.* PAM.

(b) *Vel de recentibus Augustianis censibus adhuc tunc fortasse pendentibus.* Tunc, id est, cum diceret cæcus, *Jesu fili David.* Pendentibus, scilicet tabulis census: nimirum, sicut supra notavimus, haud semel acti census fuisse videntur sub Augusto. Et Septimius ipse libro *adversus Judæos*, addubitare videtur an Christus adscriptus fuerit censui statim ut natus est. RIG.

(c) *Sed erat unus aliqui deputandus ex iis*, etc. *Unus aliqui* pro *aliquis*, ut in principio lib. seq. *unus aliqui* discipulus. Sensus hic est, erit terræ filius, vel unus quilibet e turba, sive unus de multis, quod Græci dicunt ἐκ τοῦ πολλοῦ ὄχλου, καὶ τῶν πολλῶν εἷς τῶν τυχόντων. RHEN.

nec (1) ullam rationem dissimulationis illi affingeretis, nec filium David negaretis, manifestissime confirmavit cæci prædicationem, et ipsa remuneratione medicinæ, et testimonio fidei. *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit*. Quid vis cæcum credidisse? Ab alio (2) Deo descendisse Jesum ad dejectionem (3) Creatoris? ad destructionem Legis et Prophetarum? non illum esse, qui ex radice Jesse et ex fructu lumborum David destinabatur (*Ps.* CXXXII, 11), cæcorum quoque remunerator? Sed nondum puto ejusmodi tunc cæci erant, qualis Marcion, ut hæc fuerit cæci illius fides, qua crediderit in voce, *Jesu fili David*. Qui hoc se et cognovit, et ab omnibus cognosci (4) voluit, fidem hominis, etsi melius oculatam, etsi veri luminis compotem, exteriore quoque visione donavit, ut et nos regulam simulque mercedem fidei discere- B mus. Qui vult videre Jesum, David filium credat per virginis censum. Qui non ita credet, non audiet ab illo: *Fides tua te salvum fecit*. Atque ita cæcus remanebit, ruens in antithesim, ruentem et ipsam antithesim. Sic enim cæcus cæcum deducere solet. « Nam si aliquando (II *Reg.* V) Davidem in recupe- « ratione Sionis offenderant cæci resistentes, quo- « minus admitteretur » (in figuram populi proinde cæci, non admissuri quandoque Christum filium David), « ideo Christus ex diverso cæco subvenit, ut hinc « se ostenderet non esse filium David, et ex animi « diversitate bonus cæcis, quos ille jusserat cædi. « Et cur fidei, et quidem pravæ, præstitisse se dixit?» Atquin et hoc filius David, antithesim de suo retundendam. Nam et qui David offenderant, cæci: nunc C vero ejusdem carnis (5) homo supplicem se obtulerat filio David, idcirco ei satisfacienti quodammodo placatus filius David, restituit lumina cum testimonio fidei, qua hoc ipsum crediderat, exorandum sibi esse filium David. Et tamen David audacia hominum puto offenderat, non valetudo.

CAPUT XXXVII.

Consequitur (*Luc.* XIX) et *Zachæi domus salutem*. Quo merito? Numquid vel ille crediderat Christum a Marcione venisse? Atquin adhuc in auribus erat omnium vox illa cæci, *Miserere mei, Jesu fili David; et omnis populus laudes referebat Deo*, non Marcionis, sed David. Enimvero Zachæus etsi allophylus fortasse, tamen aliqua notitia Scripturarum ex commercio judaico afflatus; plus est autem (6), et ignoras Isaiam (*Is.* LVIII, 7) præcepta ejus impleverat. D

A *Confringito*, inquit, *panem tuum esurienti; et non habentes tectum, in domum tuam inducito*; hoc cum maxime agebat, exceptum domo sua pascens Dominum. *Et nudum si videris, contegito*; hoc cum maxime promittebat, in omnia misericordiæ opera dimidium substantiæ offerens; (*a*) dissolvens violentiorum contractuum obnexus (7), et dimittens conflictatos in laxamentum, et omnem conscriptionem iniquam dissipans, dicendo: *Et si cui quid per calumniam eripui, quadruplum reddo*. Itaque Dominus: *Hodie*, inquit, *salus huic domui*. Testimonium dixit, salutaria esse quæ præceperat prophetes Creatoris. Cum vero dicit: *Venit enim Filius hominis salvum facere quod periit* (8), jam non contendo eum venisse ut salvum faceret quod perierat, cujus fuerat, et cui perierat quod salvum venerat facere; sed in alterius quæstionis gradum dirigo. De homine agi nulla dubitatio est. Hic cum ex duabus substantiis constet, ex corpore et anima, quærendum est ex qua substantiæ specie periisse videatur. Si ex corpore, ergo corpus perierat, anima non. Quod perierat, salvum facit filius hominis: habet igitur et caro salutem. Si et anima perierat, animæ perditio saluti destinatur: caro quæ non periit, salva est. Si totus homo perierat ex utraque substantia, totus homo salvus fiat necesse est; et elisa est sententia hæreticorum negantium carnis salutem. Jam et Christus Creatoris confirmatur, qui secundum Creatorem totius hominis salutem (9) pollicebatur. *Servorum* quoque parabola, qui secundum rationem fœneratæ pecuniæ dominicæ dijudicantur, judicem ostendit Deum, etiam ex parte severitatis, non tantum honorantem, verum et auferentem quod quis videatur habuisse. Aut si et hic Creatorem finxerit austerum tollentem quod non posuerit, et metentem quod non severit: hic quoque me ille instruit, cujus pecuniam ut fœnerem edocet.

CAPUT XXXVIII.

Sciebat Christus *baptisma Joannis* (*Luc.* XX) *unde esset*, et cur quasi nesciens interrogabat. Sciebat non responsuros sibi Pharisæos, et cur frustra interrogabat. An ut ex ore ipsorum judicaret illos, vel ex corde? Refer ergo et hæc ad excusationem Creatoris, et ad comparationem Christi; et considera jam quid secuturum esset, si quid Pharisæi ad interrogationem renuntiassent. Puta illos renuntiasse humanum Joannis baptisma, statim lapidibus elisi fuissent. Exi- steret aliqui Marcion (*b*) (10) adversus Marcionem, qui

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ne *Ciaccon.*
(2) Illo *Oberth.*
(3) Dilectionem *Seml.*
(4) Cognosci ab omnibus *Oberth.* ab hominibus cognosci *al.*; ab omnibus *abest Par.*
(5) Indecoris *Par. Fran.*
(6) Si *inserit Rhen.*
(7) Obnoxiis *Seml.*
(8) Perierat *al.*
(9) Salutem *abest Rig.*
(10) Aliquis Marcion *Seml.* aliqui Marcionis *Venet.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXVII.—(a) *Dissolvens violentiorum contractuum obnexus.* Illa vox composita est a voce *nexus*, Jureconsultis usitatissima. Hinc illud apud Papinianum l. *si pater fam.* D. familiæ erciscundæ *nexus pignoris*, apud Ulpianum, l. *si non saltem*, § adeo tit. de condict. indeb. *nexus venditi*. Unde et Cicero pro Muræna *nexu obligare*, et apud Tacitum, lib. III, *exsoluti legis nexus*. Eodem pertinent *lex nexus*, et l. pecunia quæ per nexum obligatur, nempe per genus quoddam obligationis civilis, qua, uti Budæus ait, corpus æque atque pignus nexu afficiebatur. PAM.

CAP. XXXVIII. — (b) *Existeret aliqui Marcion*, Id est, si emergeret, exoriretur, exsurgeret. Sic enim hoc verbum apud Ciceronem interpretatur Asconius Pedianus. RHEN.

diceret : O Deum optimum! o Deum diversum a Creatoris exemplis! Sciens præceps ituros homines, ipse illos in præruptum (1) imposuit. Sic enim et de Creatore, in arboris lege, tractatur. Sed de cœlis fuit baptisma Joannis. *Et quare*, inquit Christus, *non credidistis ei?* Ergo qui credi voluerat Joanni, increpaturus quod non credidissent, ejus erat cujus sacramentum Joannes administrabat. Certe nolentibus renuntiare quid saperent, cum et ipse vicem opponit. *Et ego non dico vobis in qua virtute hæc facio;* malum pro malo reddit (2). *Reddite quæ Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Quæ erunt Dei? quæ similia sunt denario Cæsaris, imago scilicet et similitudo ejus. Hominem igitur reddi jubet Creatori, in cujus imagine et similitudine et nomine et materia expressus est. Quærat sibi monetam deus Marcionis. Christus denarium hominis suo Cæsari jubet reddi, non alieno; (*a*) nisi quod necesse est qui suum denarium non habet. Justa et digna præscriptio est in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis. Cæterum, aliud consulenti, aliud respondere dementis est. Quo magis absit a Christo, quod ne homini quidem convenit, Sadducæi *resurrectionis negatores*, de ea habentes interrogationem, proposuerant Domino ex lege materiam mulieris, quæ septem fratribus ex ordine defunctis secundum præceptum legale nupsisset, cujus viri deputanda esset in resurrectione. Hæc fuit materia quæstionis, hæc substantia consultationis. Ad hoc respondisse Christum necesse est. Neminem timuit, ut quæstiones aut declinasse videatur, aut per occasionem earum, quod alias palam non docebat subostendisse. Respondit igitur : *Hujus quidem ævi filios nubere.* Vides quam pertinenter ad causam. Quia de ævo venturo quærebatur, in quo neminem nubere definiturus (3), præstruxit, hic quidem nubi, ubi sit et mori; *quos vero dignatus sit Deus, illius ævi possessione et resurrectione a mortuis, neque nubere, neque nubi; quia nec morituri jam sint, cum similes angelorum sint* (4), *Dei et resurrectionis filii facti.* Cum igitur sensus responsionis non ad aliud sit dirigendus, quam ad propositum interrogationis; si hoc sensu responsionis, A propositum absolvitur interrogationis, non (5) aliud responsio Domini sapit, quam quo quæstio absolvitur. Habes et tempora permissarum et negatarum nuptiarum, non ex sua propria, sed ex resurrectionis quæstione. Habes et ipsius resurrectionis confirmationem, et totum quod (*b*) Sadducæi sciscitabantur, non de alio Deo interrogantes, nec de proprio nuptiarum jure quærentes. Quod si ad ea facis respondere Christum, de quibus non est consultus, negas eum de quibus interrogatus est respondere potuisse, Sadducæorum scilicet sapientia captum. Ex abundanti nunc et post præscriptionem, retractabo adversus argumentationes cohærentes. Nacti enim Scripturæ textum, ita in legendo decucurrerunt : *Quos autem dignatus est Deus, illius ævi, illius ævi* Deo adB jungunt, quo alium Deum faciant illius ævi; cum sic legi oporteat : *Quos autem dignatus est Deus*, ut facta hic distinctione post Deum, ad sequentia pertineat *illius ævi*, id est, quos dignatus sit Deus, illius ævi possessione et resurrectione. Non enim de Deo, sed de statu illius ævi consulebatur, cujus uxor futura esset post resurrectionem in illo ævo. Sic et de ipsis nuptiis responsum subvertunt : *Ut filii hujus ævi nubunt et nubuntur*, de hominibus dictum est Creatoris, nuptias permittentis, se autem quos Deus illius ævi, alter scilicet, dignatus sit resurrectione, jam et hic non nubere, quia non sint filii hujus ævi : quando de nuptiis illius ævi consultus, non de hujus, cas negaverat de quibus consulebatur. Itaque qui ipsam vim et vocis et pronuntiationis et distinctionis C exceperant, nihil aliud senserunt, quam quod ad materiam consultationis pertinebat. Atque adeo scribæ : *Magister*, inquiunt, *bene dixisti.* Confirmaverat enim resurrectionem, formam ejus edendo adversus Sadducæorum opinionem. Denique testimonium eorum qui ita cum respondisse præsumpserant, non recusavit. Si autem Scribæ Christum filium David existimabant, ipse autem David Dominum eum appellat; quid hoc ad Christum? (*c*) Non David errorem Scribarum obtundebat, sed honorem Christo David procurabat, quem Dominum Christum (6) magis quam filium David confirmabat; quod non congrueret destructori Creatoris. At ex nostra parte, quam conve-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prærupium *ms.*
(2) Malum malum reddidit *Pam.*
(3) Diffiniturus *al.*
D (4) Fiant *Seml.*
(5) Ad *add. alii.*
(6) Christum *abest Par. Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nisi quod necesse est, qui suum denarium non habet.* Necesse est, inquit Septimius, quærat sibi monetam deus Marcionis, qui suum denarium non habet. Quærat sibi hominem alienum, qui nullum habet suum qui nullam scilicet creavit. Rig.

(b) *Sadducæi resurrectionis negatores.* Epiphanius (*Hær.* 14) : ἠθετήσαν μὲν γὰρ οὗτοι νεκρῶν τὴν ἀνάστασιν, σῶμα σαμαρείτας φρονοῦντες : *mortuorum enim resurrectionem negarunt, eadem cum Samaritis sentientes.* Neque tantum resurrectionem, sed etiam animæ immortalitatem sustulerunt, ut testatur Josephus, *Antiq. Jud.* lib. XVIII. A Dositheo propagatam fuisse, tum Sadducæorum, tum Samaritanorum hæresin docet B. Hier., dial. contra Lucif.: *Taceo*, inquit, *de Judaismi hæreticis, qui ante adventum Christi legem traditam dissiparunt; quod Dositheus, Samaritanorum princeps, prophetas repudiavit, quod Sadducæi ex illius radice nascentes etiam resurrectionem carnis negaverunt.* Dicti sunt Sadducæi a Sadoko Antigoni discipulo; is autem Antigonus discipulus fuerat Simeonis Justi, ut refertur in Pirke avoth, cap. 1. Le Pr.

(c) *Non David errorem Scribarum.* Ne res confuse tractentur, advertendum est Scribarum duo fuisse genera, alii enim γραμματεῖς τοῦ νόμου extitere, et alii γραμματεῖς λάου. Scribæ populi actuarii sive auctores publici fuerunt, neque tamen hæretici; cum certum sit alios fuisse hæreticos. Videsis Scaligerum in Elencho. Le Pr.

niens interpretatio ! Nam qui olim a cæco illo filius David fuerat invocatus, quod tunc reticuit, non habens in præsentia scribas, nunc ultro coram eis de industria protulit : ut se, quem cæcus secundum scribarum doctrinam filium tantum David prædicarat, Dominum quoque ejus ostenderet ; remunerata quidem fide cæci, qua filium David crediderat illum ; pulsata vero traditione (1) Scribarum, qua non et Dominum eum norant. Quodcumque ad gloriam spectaret Christi (2) Creatoris, sic (3) non alius tueretur, quam Christus Creatoris.

CAPUT XXXIX.

Olim (*Luc.* XXI) constitit de nominum proprietate, ei illam competere (4), qui prior et Christum suum in homines annuntiaret, et Jesum transnominaret. Constabit itaque et de impudentia ejus, qui *multos* dicat *venturos in nomine ipsius ;* quod non sit ipsius, si non Christus et Jesus Creatoris est, ad quem proprietas nominum pertinet ; amplius, et prohibeat eos recipi, quorum et ipse par sit, ut qui proinde in nomine venit alieno, si non ipsius erat a mendacio nominis prævenire discipulos, qui per proprietatem nominis possidebat veritatem ejus, *Venient* denique *illi, dicentes : Ego sum Christus.* Recipies eos, qui consimilem recepisti. Et hic enim in nomine suo venit. Quid nunc quod et ipse veniet nominum Dominus Christus et (5) Jesus Creatoris ? Rejicies illum ? Et quam iniquum, quam injustum, et optimo Deo indignum, ut non recipias eum in nomine suo venientem, qui alium (6) in nomine ejus recepisti ! Videamus et quæ signa temporibus imponat, *Bella*, opinor, *et regnum super regnum, et gentem super gentem, et pestem, et fames, terræque motus, et formidines, et prodigia de cælo :* quæ omnia severo et atroci Deo congruunt (7) : Hæc cum adjicit (8) etiam oportere fieri, quem se præstat, destructorem an probatorem Creatoris ? cujus dispositiones confirmat impleri oportere, quas ut optimus tam tristes quam (9) atroces abstulisset potius quam constituisset, si non ipsius fuissent. Antè hæc autem persecutiones eis prædicat et passiones venturas, in martyrium utique et in salutem. Accipe prædicatum in Zacharia (*Zach.* IX, 15) : *Dominus*, inquit, *omnipotens proteget eos ; et consument illos, et lapidabunt lapidibus fundæ, et bibent sanguinem illorum velut vinum, et replebunt pateras quasi altaris* (10) ; *et salvos eos faciet Dominus illo die, velut oves, populum suum, quia* (11) *lapides sancti volutant.* Et ne putes hæc in passiones prædicari, quæ illos tot bellorum nomine ab allophylis manebant, respice ad species. Nemo in prædicatione bellorum legitimis armis debellandorum, lapidationem enumerat popularibus cœtibus magis et inermi tumultui familiarem. Nemo tanta in bello sanguinis flumina paterarum capacitate metitur, aut unius altaris cruentationi (12) adæquat. Nemo oves appellat eos qui in bello armati, et ipsi et (13) eadem feritate certantes cadunt ; sed qui in sua proprietate atque patientia dedentes, potius semetipsos quam vindicantes trucidantur. Denique, (*a*) *quia* (14) *lapides*, inquit, *sancti volutant*, non quia (15) milites pugnant. Lapides enim sunt et fundamenta, super quæ nos ædificamur : *exstructi*, secundum Paulum (*Eph.* II, 21) *super fundamentum Apostolorum*, qui lapides sancti oppositi omnium offensui volutabant. Et hic igitur ipse vetat cogitari ; quid responderi oporteat apud tribunalia, qui et Balaam (16) quod non cogitaverat, imo contra quam cogitaverat suggessit (*Num.* XXII), et Moysi causato linguæ tarditatem, os repromisit ; et *sapientiam ipsam, cui nemo resisteret*, per Isaiam (*Is.* XLIV, 5) demonstravit : *Hic dicet : Ego Dei sum, et clamabit in nomine Jacob, et alius inscribetur* (17) *in nomine Israelis.* Quid enim sapientius et incontradicibilius confessione simplici et exerta in martyris nomine cum Deo invalescentis ? (*b*) quod est interpretatio Israelis. Nec mirum si is cohibuit (18) præcogitationem, qui et ipse a Patre excepit pronuntiandi tempestive subministrationem : *Dominus mihi* (*Is.* L, 4) *dat linguam disciplinæ, quando debeam proferre sermonem.* Nisi Marcion Christum non subjectum Patri infert. A proximis quoque persecutiones et nomine ex odio utique blasphemiam prædicatam, non debeo rursus ostendere. Sed *per tolerantiam*, inquit, *salvos facietis nosmetipsos ;* de qua scilicet Psalmus (*Ps.* IX, 19) : *Tolerantia*, inquit, *justorum non peribit* (19) *in finem.* Quia et alibi (*Ps.* CXV, 5) : *Honorabilis mors justorum ;* ex tolerantia sine du-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Traductione *al.*
(2) Christi *omitt. Jun.*
(3) Si *Venet.*
(4) Olim c. d. n. p. ei i. c. *inser. Rig. et al. post eum e cod. Wouw.*
(5) Christus et *omitt. Obert.*
(6) Alienum *Paris.*
(7) Congruum *Venet.*
(8) Dicit *al.*
(9) Tam *Jun.*
(10) Quasi pateras altari. *Fran.*
(11) Qui *Seml.*
(12) Cruentatione *Pam.*
(13) Et *Jun.*
(14) Qui *Seml.*
(15) Quin *Paris. Fran.*
(16) Balæ *Oberth.*
(17) Inscribet *al.*
(18) Prohibuit *al.*
(19) Periet *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXIX. — (a) *Quia lapides sancti volutant.* Hæc etiam Zachariæ citantur juxta editionem septuaginta volulant, κυλίονται ἐπὶ τῆς γῆς. Rig.

(b) *Quod est interpretatio Israelis.* De hujus vocis significatu sanctus Hieronymus (in *Quæst. ad Genesim*) multis probat Israel proprie idem esse ac *principem* seu *directum Dei :* « Illud vero, inquit, « quod in libro Nominum interpretatur Israel *vir « videns Deum*, sive *mens videns Deum*, omnium « pene sermone detritum, non tam vere quam vio« lenter mihi interpretatum videtur. » Quærendum igitur manet ultra interpretatio, *princepsne Dei*, an *directus Dei*, admittenda potius sit. Hanc vero quæstionem indirecte solvit Hieronymus ipse, cum ait : « Nos magis Scripturæ et angeli, vel Dei, qui ipsum Israel vo-

bio, quia et Zacharias (*Zach.* VI, 14) : *Corona autem erit eis qui toleraverint.* Sed ne audeas argumentari apostolos, ut alterius Dei præcones, a Judæis vexatos ; memento prophetas quoque eadem a Judæis passos, tamen non alterius Dei apostolos fuisse, quam Creatoris. Sed monstrato dehinc tempore excidii, *cum cœpisset vallari exercitibus Hierusalem*, signa jam ultimi finis enarrat, *solis et lunæ siderumque prodigia, et in terra angustias nationum obstupescentium velut a sonitu maris fluctuantis pro exspectatione imminentium orbi malorum.* Quod et ipsæ *vires cœlorum concuti* habeant, accipe Joelem (*Joel.* II, 30) : *Et dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem et ignem, et fumi vaporem. Sol convertetur in tenebras, et in sanguinem luna, priusquam adveniat* (1) *dies magnus et illustris Domini.* Habes et Habacuc (*Haba.*, III, 9): *Fluminibus disrumpetur terra ; videbunt te, et parturient populi ; disperges* (2) *aquas gressu* (3). *Dedit abyssus sonum suum ; sublimitas timoris ejus elata est ; sol et luna constitit in suo ordine, in lucem coruscationis* (4) *tuæ ibunt in fulgorem ; fulgur scutum tuum, in communicatione tua diminues terram, et in indignatione tua depones nationes.* Conveniunt, opinor, et Domini pronuntiationes et prophetarum, de concussionibus mundi et orbis, elementorum et nationum. Post hæc quid Dominus ? *Et tunc* (a) *videbunt Filium hominis venientem de cœlis cum plurima virtute. Cum autem hæc fieri, erigetis vos, et levabitis capita, quoniam appropinquabit* (5) *redemptio vestra.* In tempore scilicet regni, de quo subjectarit (6) ipsa parabola. *Sic et vos cum videritis omnia hæc fieri, scitote appropinquasse regnum Dei.* Hic erit dies magnus Domini et illustris, venientis de cœlis filii hominis secundum Danielem (*Dan.* VII, 3) : *Ecce cum cœli nubibus tanquam filius hominis adveniens*, etc. *Et data est illi regia potestas*, quam in parabola postulaturus exierat relicta pecunia servis, quæ fœnerarentur (7). Et universæ nationes, quas promiserat ei in psalmo Pater (*Ps.* II, 8) : *Postula de me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Et gloria omnis serviens illi et potestas ejus æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur :* quia *nec morientur in illo, nec nubent, sed erunt sicut angeli.* De eodem adventu filii hominis et fructu (8) ejus apud Habacuc (*Habac.* III, 13) : *Existi in salutem populi ad salvos faciendos christos tuos* ; erecturos scilicet se, et capita levaturos in tempore regni redemptos (9). Igitur cum et hæc, quæ sunt promissionum, proinde conveniant sicut et illa quæ sunt concussionum, ex consonantia propheticarum et dominicarum pronuntiationum, nullam hic poteris interstruere distinctionem, ut concussiones quidem referas ad Creatorem, sævitiæ scilicet Deum, quas nec sinere, nedum exspectare deberet Deus optimus ; promissiones vero Deo optimo deputes, quas Creator ignorans illum non prophetasset. Aut si suas prophetavit, non distantes a promissionibus Christi, par erit in libertate optimo Deo ; nec plus videbitur a Christo tuo repromitti, quam a meo filio hominis. Ipsum decursum Scripturæ evangelicæ, ab interrogatione discipulorum usque ad parabolam fici, ita invenies contextu sensus filio hominis hinc atque illinc adhærere, ut in illum compingat et tristia et læta, et concussiones et promissiones, nec possis separare ab illo alteram partem. Unius enim filii hominis adventu constituto inter duos exitus, concussionum et promissionum, necesse est ad unum pertineant filium hominis, et incommoda nationum, et vota sanctorum : quia (10) ita positus est in medio, ut communis exitibus ambobus, alterum conclusurus adventu suo, id est, incommoda nationum ; alterum incipiens, id est, vota sanctorum ; ut sive mei Christi concesseris adventum filii hominis, quo mala imminentia ei deputes quæ adventum ejus antecedunt, cogaris etiam bona ei adscribere, quæ ab adventu ejus oriuntur ; sive tui malueris, quo bona ei adscribas quæ ab adventu ejus oriuntur (11), cogaris mala quoque ei deputare, quæ adventum ejus antecedunt. Tam enim mala cohærent adventui filii hominis antecedendo, quam et bona subsequendo. Quære igitur quem ex duobus Christis constituas in persona unius filii hominis, in quem (12) utraque dispositio referatur. Aut et Creatorem optimum, aut (13) Deum tuum asperum dedisti natura. In summa ipsius parabolæ considera exemplum : *Adspice ficum, et arbores omnes, cum fructum protulerint, intelligunt homines æstatem appropinquasse. Sic et vos, cum videbitis hæc fieri, scitote in proximo esse regnum Dei.* Si enim fructificationes arbuscularum signum æstivo tempori præstant, antecedendo illud ; proinde et (14) conflictationes orbis, signum prænotant regni, præcedendo illud. Omne autem signum ejus est cujus est (15) res, cujus est signum. Et omni rei

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adveniet *Rig. Venet.*
(2) Dispergens *Rhen. Seml.*
(3) Gressus *Venet.*
(4) Coruscationes *Franeq.* circumstationes *al.*
(5) Appropinquabit *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Subjecta erit *Rhen. Seml. Pam.*
(7) Fœnerarentur *Latin.*
(8) Fructus *Paris. Fran.*
(9) Redemptus *Rhen. Seml. Oberth.*
(10) Qui *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*
(11) Sive tui malueris, quo bona ei adscribas quæ ab adventu ejus oriuntur *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(12) Quam *Pam. Rhen. Seml. oberth.*
(13) Et *add. Rhen. Seml. Obert.*
(14) Et *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(15) Et *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

« cavit, auctoritate ducimur, quam cujuslibet elo- « quentiæ sæcularis. » Atqui Deus ipse, seu angelus, nomen Israel neutro quem dixit Hieronymus, modo, sed, ut optime Tertullianus noster, *invalescentem cum Deo* interpretatus est : » *Nequaquam*, inquit, « *Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel ; quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ?* » Edd.

(a) *Videbunt Filium hominis venientem.* Secundum hic adventum Christi ex infinitis locis probat contra Marcionem. Le Pr.

ab eo imponitur signum, cujus est res. Ita si conflictationes signa sunt regni, sicut fructificationes ætatis; ergo et regnum Creatoris est, cujus (1) conflictationes deputantur, quæ signa sunt regni. Præmiserat oportere hæc fieri tam atrocia, tam dira, Deus optimus, certe a Prophetis et a Lege prædicata; adeo Legem et Prophetas non destruebat, cum quæ prædicaverant, confirmat perfici oportere. Adhuc ingerit, *Non transiturum cœlum ac terram, nisi omnia peragantur.* Quænam ista? Si quæ a Creatore sunt (2), merito sustinebunt elementa Domini sui ordinem expungi. Si quæ a Deo optimo, nescio an sustineat cœlum et terra perfici quæ æmulus statuit. Hoc si patietur Creator, zelotes Deus non est. Transeat age nunc terra et cœlum, sic enim Dominus eorum destinavit, dum *Verbum ejus manet in ævum*: sic enim et Esaias prænuntiavit (*Is.* XL, 8). Admoneantur et discipuli, *ne quando graventur corda eorum crapula et* (*a*) *ebrietate, et sæcularibus curis; et insistat eis repentinus dies ille, velut laqueus*; utique oblitis Deum ex plenitudine et cogitatione mundi; Moysi erit admonitio (*Deut.* XXXII, 15). Adeo is liberabit a laqueo diei illius, qui hanc admonitionem retro intulit. Erant et loca alia apud Hierusalem ad docendum, erant extra Hierusalem secedendum; sedenim per diem in templo docebat, ut qui per Osee prædixerat (*Os.* XII. 4): *In templo meo me invenerunt, et illic disputatum est ad eos. Ad noctem vero in elæonem* (*b*) *secedebat*: sic enim Zacharias demonstrat (*Zach.* XIV. 4): *Et stabunt pedes ejus in monte elæone.* Erant horæ quoque auditorio competentes: diluculo conveniendum erat, quia per Esaiam cum dixisset (*Is.* L, 4): *Dominus dat mihi linguam disciplinæ*; adjecit (5): *Apposuit mihi mane aurem ad audiendum.* Si hoc est prophetias dissolvere, quid erit adimplere?

CAPUT XL.

Proinde (*Luc.* XXII) scit et quando pati oporteret eum, cujus passionem lex figurat. Nam e (4) tot festis Judæorum *Paschæ diem* elegit (5). In hoc enim sacramentum pronuntiarat Moyses (*Levit.* XXIII): *Pascha est Domini.* Ideo et affectum suum ostendit: *Concupiscentia concupivi Pascha edere vobiscum antequam patiar.* O legis destructorem, qui concupierat etiam Pascha servare! Nimirum vervecina illum judaica delectaret? An ipse erat, qui (*Is.* LIII) *tanquam ovis ad victimam adduci* habens, et *tanquam ovis coram tondente sic os non aperturus*, figuram sanguinis sui salutaris implere concupiscebat? Poterat et ab extraneo quolibet tradi; ne dicerem (6) et in hoc Psalmum (*Ps.* XL, 10) expunctum: *Qui mecum panem edit, levabit in me plantam.* Poterat et sine præmio tradi: quanta enim opera traditoris circa eum, qui populum coram offendens, nec tradi magis potuisset quam invadi? Sed hoc alii competisset Christo, non qui prophetias adimplebat. Scriptum est enim (*Am.* II, 6): *Pro eo quod venundedere* (7) *justum.* Nam et quantitatem et exitum pretii postea Juda pœnitente revocati, et in emptionem dati agri figuli, sicut in Evangelio Matthæi (*Matt.* XXVII) continetur, Hieremias (*Jerem.* XXXII) præcanit: *Et acceperunt triginta argentea* (8) *pretium appretiati vel honorati, et dederunt ea* (9) *in agrum figuli.* Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha ut suum [indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus], acceptum panem, et distributum discipulis, corpus illum suum (10) fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo, (*c*) id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterum, vacua

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cui *Latin.*
(2) Fiunt *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Adjecit *abest Par.*
(4) Et *Rhen. Seml. Obert.*
(5) Elegerit *Venet.* egit *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Dicerent non *cod. Wouw.* ni dicerem et in hoc *Jun.*
(7) Vendiderunt *al.*
(8) Argenteos *al.*
(9) Eos *Paris. Fran.*
(10) Suum illum *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ebrietate et sæcularibus curis.* Quæ duo hic in discipulis prohibentur, eadem in clericis, tum presbyteris, tum etiam episcopis prohibentur, posterius can. ap. 6, et 80, can. 6. Conc. Carth. et L. Generaliter 52, C. de Clericis et Ep. Prius vero can. ap. 41, et an. 24, quo cujuslibet ordinis clericis interdicitur εἰς καπηλεῖον εἰσιέναι. Quæ omnia apud veteres contra clericorum intemperantiam et luxum passim habentur: lege epist. B. Bernardi ad Fulconem, qui Lingonensis postea factus est Archidiaconus. LE PR.

(b) *Elæonem.* Id est, olivetum, a voce græca ἔλαιον. EDD.

CAP. XL. — (c) *Id est, figura corporis mei.* Hæc verba non intelligenda sunt ut volunt Calvinistæ, quibus hoc loco, et alias præterea, nimium favit Rigaltius, sed quemadmodum ea intelligi postulat ipsorum contextus, et explicuerunt theologi polemici, inter quos doctissimi cardinales Perronius et Bellarminus primas obtinent. Posteriorem citasse sufficiat: « Sequitur (tertius) locus ex lib. IV contra Marcionem, ubi sic legimus: *Acceptum panem, et distributum discipulis, corpus suum illum fecit*, Hoc est corpus meum *dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* — Respondeo: priora verba hujus testimonii, quod omnes sacramentarii tanquam Achillem quemdam in prima acie constituunt, pro nobis maxime faciunt: posteriora autem nihil obsunt caussæ nostræ. Illud enim: *Acceptum panem corpus suum fecit dicendo, Hoc est corpus meum*, aperte indicat panis realem mutationem in corpus Christi; illud autem: *Id est, figura corporis mei*, non significat (ut Sacramentarii credunt) panem Eucharistiæ esse figuram corporis Domini, sed quod fuit olim figura in Testamento Veteri, nunc in corporis veritatem esse mutatum. Conjungitur enim illud, *figura corporis mei*, non cum voce proxime præcedente, *corpus meum*, sed cum pronomine *Hoc*, ut sit hic sensus: Acceptum panem corpus suum fecit, dicendo: Hoc, id est, panis, est qui olim fuit figura corporis mei, nunc est corpus meum: ubi pronomen *Hoc*, demonstrat panem, non qui manet, sed qui mutatur, ut supra diximus. — Id autem ita esse probatur primo ex illis verbis sequentibus. *figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* Si enim per figuram intelligeret Eucharistiam, non diceret, *non fuisset*, sed *non esset*, loquitur igitur de figura Testamenti Veteris, quæ sine dubio vera figura non fuisset, nisi corpus verum ei responderet. — Secundo idem patet ex verbis paulo infra sequen-

res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem (*a*) panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit? Non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Hieremiam (*Jerem.* XI, 19): *Adversus me cogitaverunt cogitatum dicentes, Venite, conjiciamus lignum in panem ejus;* scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. Sic et in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis. Nam et si qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Itaque consistit probatio corporis de testimonio carnis; probatio carnis, de testimonio sanguinis. Ut autem et sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaias (*Is.* LXIII, 1): *Quis,* inquit, *qui advenit ex Edom? (b) rubor vestimentorum ejus ex Bosor. Sic* (1) *decorus in stola vinolenta cum fortitudine? Quare rubra vestimenta tua? et indumenta sicut de foro torcularis pleno conculcato?* Spiritus enim propheticus velut jam contemplabundus Dominum ad passionem venientem, carne scilicet vestitum, ut in ea passum, cruentum habitum carnis in vestimentorum rubore designat, conculcatæ et expressæ vi passionis, tanquam de (2) foro torcularis; quia exinde quasi cruentati homines de vini rubore descendant. Multo manifestius Genesis in benedictione Judæ, ex cujus tribu carnis census Christi processurus, jam tunc Christum in Juda delineabat (3). *Lavabit,* inquit (*Gen.* XLIX, 11), *in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum;* stolam et amictum carnem demonstrans, et vinum sanguinem. Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.

CAPUT XLI.

Væ, ait, *per quem traditur filius hominis.* Ergo jam *Væ* constat imprecationis et comminationis inclamationem intelligendam, et irato et offenso deputandam: nisi si Judas impune erat tantum sceleris relaturus. Aut si impune, vacat *Væ.* Si non impune, utique ab eo puniendus, in quem scelus traditionis admisit. Porro, si sciens passus est hominem, quem ipse comitatui suo adsciverat, in tantum scelus ruere, noli jam de Creatore circa Adam retractare, quæ in tuum quoque Deum retorquentur, aut ignorasse illum qui non ex providentia obstitit peccaturo, aut obsistere non potuisse, si ignorabat; aut noluisse, si et sciebat et poterat; atque ita malitiosum judicandum, qui passus sit hominem suum ex delicto perire. Suadeo igitur agnoscas potius et in isto Creatorem, quam parem illi Deum optimum adversus sententiam tuam facias. (*c*) Nam et Petrum præsumptorie aliquid elo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sed *Paris.*
(2) In *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Declinabat *Rhen. Seml. Oberth.* delineabat *Frameq.*

COMMENTARIUS.

tibus: *Cur,* inquit, *panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam: Venite conjiciamus lignum in panem ejus, scilicet* crucem *in* corpus *ejus? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem.* Ubi Tertullianus dicit, Christum vocasse corpus suum panem, non peponem, aut aliquem alium cibum, ut impleret figuram Hieremiæ, qui nomine panis significaverat Christi corpus: non ergo Christus instituit in Eucharistia figuram corporis sui, ut adversarii volunt, sed implevit figuram veterem ex pane conficiendo corpus suum. — Tertio ex verbis aliis sequentibus, ubi explicans prophetiam Jacob (*Gen.* XLIX): *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum: Stolam,* inquit, *carnem demonstrans, et vinum sanguinem. Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.* Ubi NOTANDUM, quod sicut apud Hieremiam panis significabat corpus, quia corpus Domini est cibus fidelium, ut supra diximus; ita vinum apud Jacobum patriarcham significat sanguinem Domini, quia sanguis Domini est potus fidelium. Christus autem ut explicaret istas figuras, seu vaticinia, corpus sub specie panis, et sanguinem sub specie vini nobis tradidit: et sane si non verum corpus et sanguinem reipsa dedisset, non recte explicuisset, vel implesset vaticinia. Nam tam Hieremias per panem verum corpus, quam Jacob per vinum verum sanguinem prænuntiavit, ut Tertullianus dicit. Illa autem verba Tertulliani: *Qui tunc vinum in sanguine figuravit,* referuntur ad illa verba Jacobi, *In sanguine uvæ pallium suum.* Vult enim dicere: per sanguinem uvæ intelligi vinum, sed per vinum intelligi sanguinem Domini, ut ipse explicat, cum ait per stolam carnem, par vinum sanguinem demonstrari. — Quarto denique, idem patet ex progressu totius libri. Nam propositum ejus erat ostendere Christum in Evangelio non destruxisse Testamentum Vetus, sed illud implesse. Itaque percurrit Tertullianus plurima Christi opera, ac demonstrat Christum in omnibus illis dedisse operam, ut impleret figuras legis: igitur hoc etiam loco non inducit figuram institutam in Testamento Novo, sed impletionem tantum veterum figurarum. » Hactenus Bellarminus (*de sacramento Eucharistiæ, lib.* II, *c.* 7). EDD.

(a) *Panem corpus suum appellat.* Locus pro veritate corporis Christi insignis, cui adde ex cap. 10 lib. adv. Judæos: *Christus panem corpus suum appellat;* cap. 2 de orat. etc. Justinus Martyr testimonium hac de re habet luculentum (Apol. I). Alios hic non allego. LE PR.

(b) *Rubor vestimentorum ejus ex Bosor.* Aut purpura tyria intelligitur, sive carthaginensis, aut per *Bosor* rubedinem explicare debemus, בצר enim hebr. est omphax sive uva immatura, legendumque esset *Boser* pro *bosor.* LE PR.

CAP. XLI. — (c) *Nam et Petrum præsumptorie aliquid elocutum.* Sic paucissimis expressit Auctor colloquium Christi de negatione S. Petri prædicta, quod latius prosequitur lib. *de Fuga in persec.* omissis iis quæ intermedia sunt apud Lucam. PAM.

cutum, negationi potius destinando, zelotem Deum tibi ostendit. *Debuit etiam osculo tradi* (a) propheticus scilicet Christus, ut ejus scilicet filius, qui *labiis a populo diligebatur* (*Is.* XXIX). Perductus in consessum, an ipse esset Christus interrogatur. De quo Christo Judæi quæsissent, nisi de suo? Cur ergo non vel tunc alium eis prodidit? Ut pati posset, inquis. Id est, ut illo optimus ignorantes adhuc in scelus mergeret. Atquin et si dixisset, passurus esset. *Si dixero enim*, inquit, *vobis, non credetis* (1). Porro non crediturі, perseverassent in necem ejus. Et cur non magis passurus esset, si alterius Dei, ac per hoc, adversarium Creatoris (2) manifestasset? Ergo non pateretur, alium se tunc quoque supersedit ostendere: ut sed quoniam (3) ex ore ejus confessionem extorquere cupiebant, nec confesso tamen crediturі, qui eum ex operibus Scripturas adimplentibus agnovisse debuerant; ita ejus fuit occultasse se, cui ultro debebatur agnitio. Et tamen adhuc eis manum porrigens: *Abhinc*, inquit, *erit Filius hominis sedens ad dexteram virtutis Dei.* Suggerebat enim se ex Danielis (*Dan.*, VII) prophetia Filium hominis, et e psalmo (*Ps.* CIX) David, sedentem ad dexteram Dei. Itaque ex isto dicto et Scripturæ comparatione illuminati quem se vellet intelligi: *Ergo*, inquiunt, *tu Dei Filius es?* Cujus Dei, nisi quem solum noverant? Cujus Dei, nisi quem in psalmo meminerant dixisse filio suo: *Sede ad dextram meam?* Sed respondit: *Vos dicitis quia ego sum* (4). Atquin confirmavit id se esse quod illi dixerant, dum rursus interrogant. Unde autem probabis interrogative, et non ipsos confirmative pronuntiasse: *Ergo tu Filius Dei es?* Ut quia oblique ostenderat se per Scripturas Filium Dei intelligendum, sic senserint (5), *Ergo tu Dei es Filius*, quod te non vis aperte dicere; æque (6) ita et ille, *Vos dicitis*, confirmative respondit; et adeo sic fuit pronuntiatio ejus, ut perseveraverint in eo, quod pronuntiatio sapiebat.

A

B

C

CAPUT XLII.

Perductum (7) (*Luc.*, XXIII) enim illum ad Pilatum onerare cœperunt, quod se regem diceret; Christum sine dubio Dei Filium, sessurum ad Dei dexteram. Cæterum, alio eum titulo gravassent, incerti an Filium Dei se dixisset, nisi (8) *Vos dicitis* sic pronuntiasset, hoc se esse quod dicerent. Pilato quoque interroganti, *Tu es Christus?* proinde, *Tu dicis*; ne metu potestatis viderentur amplius respondisse. Constitutus est igitur Dominus in judicio. *Et statuit in judicio populum suum. Ipse Dominus in judicium venit* (9) *cum presbyteris et archontibus populi*, secundum Esaiam (*Is.*, III, 13). Atque exinde omne scriptum passionis suæ implevit. *Tumultuatæ sunt* ibidem *nationes, et populi meditati sunt inania* (*Ps.* II, 1). *Astiterunt reges terræ, et archontes congregati sunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus*: nationes, Romani qui cum Pilato fuerant; populi, tribus Israelis; reges, in Herode; archontes, in summis sacerdotibus. Nam et Herodi velut munus a Pilato missus, Osee vocibus fidem reddidit; de Christo enim prophetaverat (*Os.*, X, 6): *Et vinctum eum ducent xenium regi.* Delectatus est denique Herodes viso Jesu, nec vocem ullam ab eo audivit. *Tanquam agnus* enim *coram tondente, sic non aperuit os suum* (*Is.*, XIII, 7); quia *Dominus dederat illi linguam disciplinæ, ut sciret quomodo eum oporteret proferre sermonem* (*Is.*, L, 4). Illam scilicet linguam, quam in Psalmo (*Ps.* XLVI) agglutinatam gutturi suo tunc probabat, non loquendo. Et Barrabas quidem nocentissimus, vita ut bonus donatur; Christus vero justissimus, ut homicida morti expostulatur. (*b*) Sed et duo scelesti circumfiguntur illi, ut inter iniquos scilicet deputaretur. Vestitum plane ejus (10) militibus divisum (11), partim sorte concessum, Marcion abstulit, respiciens Psalmi prophetiam (*Ps.* XXI, 19), *Dispertiti sibi sunt vestimenta mea, et in vestitum meum sortem miserunt.* Aufer igitur et crucem ipsam. Idem tamen psalmus de eo non tacet: *Foderunt manus meas et pedes meos* (12). Totus in illo exitus legitur: *Circumdederunt me canes, synagoga malefícorum circumvallavit me. Omnes qui spectabant me, naso irridebant me. Locuti sunt labiis, et capita moverunt. Speravit in Deum, liberet eum.* Quo jam testimonium vestimentorum habe (13) falsi tui prædam, totus psalmus vestimenta sunt Christi. Ecce autem et elementa concutiuntur. Dominus enim patiebatur ipsorum. Cæterum, adversario læso, cœlum luminibus floruisset, magis sol radiis insultasset, magis dies stetisset, libenter spectans pendentem in patibulo Christum Marcionis. Hæc argumenta quoque mihi competissent, etsi non fuis-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Creditis *Rhen. Seml. Ober.*
(2) Se *add. Jun.*
(3) Quomodo *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Quasi non ego *Jun.*
(5) Senserunt *cod. Wouw. Rig. Venet.*
(6) Atque *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Productum *al.*

D

(8) Si *Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Veniet *Fran.*
(10) A *inser. Rhen. Seml. Oberth.*
(11) Partim *add. Lat.*
(12) Meos *omitt. Rhen. Seml. Ober.*
(13) Habes *Rhen. Latin.*

COMMENTARIUS

(a) *Debuit etiam osculo tradi.* Epiph., confut. 66, hanc etiam veritatem corporis Christi probat ex his verbis Lucæ, atque hic auctor alludit: *Et appropinquavit ut oscularetur eum Judas.* Qui confut. 67, addit rescidisse etiam Marcionem in sequentib. quod *fecit Petrus* quando *percussit et abscidit auriculam servi Pontificis*, et quantum apparet, totam historiam negationis Petri; quippe quam hic etiam auctor omisit. PAM.

CAP. XLII. — (b) *Sed et duo scelesti circumfiguntur illi.* Græce est κακοῦργοι apud Lucam, pro quo recte vertit, *scelesti.* Et magis ea versio respondet prophetæ Isaiæ LIII, quam hic affert, quasi repetens quod apud Lucam habetur cap. XXII: *Et inter iniquos deputatus est*, græce apud evangelistam, μετὰ τῶν ἀνόμων. PAM.

sent prædicata. *Cœlum*, inquit (*Is.*, L, 3) Esaias, *vestiam tenebris.* Hic erit dies, de quo et Amos (*Am.*, VIII, 9): *Et erit illa die, dicit Dominus, occidet sol meridie* (habes et horæ sextæ significationem), *et contenebrabit super terram.* Scissum est et templi velum, angeli eruptione, derelinquentis *filiam Sionis* (*Is.*, 1, 8) *tanquam in vinea speculam, et in cucumerario casulam.* O quantum perseveravit etiam trigesimo psalmo Christum ipsum reddere! Vociferatur ad Patrem, ut et moriens ultima voce prophetas adimpleret. Hoc dicto exspiravit. Quis? spiritus semetipsum, an caro spiritum? Sed spiritus semetipsum exspirare non potuit. Alius est qui exspirat, alius qui exspiratus. Si spiritus exspiratur, ab alio exspiretur necesse est. Quod si solus spiritus fuisset, discessisse potius diceretur, quam exspirasse. Quis igitur exspirat spiritum, nisi caro? quæ et spirat, quando illum habet; et ita eum, cum amittit, exspirat. Denique, si caro non fuit (1), sed phantasma carnis, phantasma autem spiritus fuit, spiritus autem semetipsum exspiravit, et exspirando discessit, sine dubio phantasma discessit, cum spiritus, qui erat phantasma, discessit, et nusquam comparuit phantasma cum spiritu. Nihil ergo remansit in ligno? nihil pependit etiam post exspirationem? nihil de Pilato postulatum? nihil de patibulo detractum? nihil sindone involutum? nihil sepulcro novo conditum? Atquin non nihil. Quid igitur illud fuit? Si phantasma, adhuc ergo inerat et Christus. Si discesserat Christus, ergo abstulerat phantasma. Superest impudentiæ hæreticæ dicere, phantasma illic phantasmatis remansisse. Sed sic (2) et Joseph corpus fuisse noverat, quod tota pietate tractavit, ille Joseph, qui non consenserat in scelere Judæis: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestium* (3) *non sedit;* oportuerat etiam sepultorem Domini prophetari, ac jam tunc merito benedici.

CAPUT XLIII.

Sic (4) nec mulierum illarum officium (*Luc.*, XXIV) præterit prophetia, quæ ante lucem convenerunt ad sepulcrum cum odorum paratura. De hoc enim per Osee (*Os.*, VI, 1): *Ut quærant*, inquit, *faciem meam, ante lucem vigilabunt ad me, dicentes, Eamus, et convertamur ad Dominum, quia ipse eripuit, et curabit nos; percussit, et miserebitur nostri; sanabit nos post biduum, in die tertia resurgemus.* Quis enim hæc non credat in recogitatu mulierum illarum volutata, inter dolorem præsentis destitutionis qua percussæ sibi videbantur a Domino, et spem resurrectionis ipsius qua restitui rite arbitrabantur? Corpore autem non invento sublata erat sepultura ejus de medio, secundum Esaiam (*Is.*, LVII, 2). Sed et duo ibidem angeli apparuerunt. (*a*) Tot fere laterensibus uti solebat, in duobus testibus consistens Dei Sermo. (*b*) Revertentes quoque a sepulcro mulieres, et ab illa angelorum visione prospiciebat Esaias (*Is.* XXVII, 11); *Mulieres*, inquit, *venientes a visione, venite ad renuntiandam scilicet Domini* resurrectionem. Bene autem, quod incredulitas discipulorum perseverabat, ut in finem usque defensio nostra consisteret, Christum Jesum non alium se discipulis edidisse, quam prophetatum. Nam cum duo ex illis iter agerent, et Dominus eis adhæsisset, non comparens quod ipse esset, etiam dissimulans de conscientia rei gestæ: *Nos autem putabamus*, inquiunt, *ipsum esse redemptorem Israelis;* utique suum Christum, id est Creatoris. Adeo nec alium se ediderat illis. Cæterum, non existimarent eum Creatoris; et cum Creatoris existimaretur, non sustinuisset hanc de se existimationem, si non is esset qui existimabatur (5): aut ipse erit auctor erroris, et prævaricator veritatis adversus Dei optimi titulum. Sed nec post resurrectionem alium se eis ostendit, quam quem (6) existimatum sibi dixerant. Plane invectus est in illos: *O insensati et tardi corde, in non credendo omnibus quæ locutus est ad vos!* Quæ locutus non alterius se Dei esse probat, sed ejusdem Dei (7). Nam eadem et angeli ad mulieres: *Rememoramini quæ locutus sit vobis in Galilæa, dicens, quod oportet* (8) *tradi filium hominis, et crucifigi, et tertia die resurgere.* Et quare oportebat, nisi quia ita a Deo Creatore scriptum? Igitur increpavit (9) illos, ut de sola passione scandalizatos, et ut dubios de fide resurrectionis annuntiatæ sibi a fœminis, per quæ non crediderant ipsum fuisse quem existimarant. Itaque quod existimaverant, id volens credi se, eum se confirmabat quem existimaverant, Creatoris scilicet Christum redemptorem Israelis. De corporis autem veritate quid potest clarius? cum hæsitantibus eis ne phantasma esset, imo phantasma credentibus: *Quid turbati estis,* inquit, *et quid cogitationes subeunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum; quoniam spiritus ossa non habet, sicut me habentem videtis.*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Fuisset *al.*; *alterutrum omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(2) si *al.*
(3) Pestilentiæ *al.*
(4) Si *al.*; *alterutrum del. Jun.*
(5) Existimatur *Rig. Venet. Seml.*
(6) Quæ *Paris. Fran.*
(7) Et minus de Deo *Seml.* et manus de Deo *Rhen.*
(8) Oporteret *cod. Wouw.*
(9) Increpuit *al. juxta Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XLIII.—(a) *Tot fere laterensibus.* Laterenses, stipatores, quod latus claudant. RHEN.

(b) *Revertentes quoque a sepulcro mulieres.* Etiam hic evangelistam convenire ostendit cum eo quod est Is. XVII: *Mulieres venientes a visione venisse:* ubi omittimus quod priori loco legebatur: *Venite,* quod neque apud LXX hodie aut olim, neque apud B. Hieronymum, Cyrillum, Procopium in Comm. neque apud Origenem in Matth. aut Rufinum in Symbolum inter opera B. Cypriani, amplius quam semel legatur. PAM.

tem videtis (1). Et Marcion quædam contraria sibi, illa credo industria eradere de Evangelio suo noluit, ut ex his quæ eradere potuit, nec erasit, illa quæ erasit, aut (2) negetur erasisse, aut merito erasisse dicatur. Nec parcit nisi eis quæ non aliter interpretando, quam delendo, subvertit. Vult itaque sic dictum, quasi, *Spiritus ossa non habet, sicut me videtis habentem*, ad spiritum referatur, *sicut me videtis habentem;* id est non habentem ossa sicut et spiritus. Et quæ ratio tortuositatis istius? cum simpliciter pronuntiare potuisset: *Quia spiritus ossa non habet, sicut me videtis non habentem.* Cur autem inspectui eorum manus et pedes suos offert, quæ membra ex ossibus constant, si ossa non habebat? Cur adjicit: A *Et scitote quia ego sum*, quem scilicet corporeum retro noverant? Aut si phantasma erat usquequaque, cur illos phantasma credentes increpabat? Atquin adhuc eis non credentibus, propterea cibum desideravit, ut se ostenderet etiam dentes habere. Implevimus, ut opinor, sponsionem. Exhibuimus Jesum Christum Prophetarum doctrinis, sententiis, affectibus, sensibus, virtutibus, passionibus, etiam resurrectione, non alium quam Creatoris. Siquidem et apostolos mittens ad prædicandum universis nationibus, in omnem terram exire sonum eorum, et in terminos terræ voces eorum, Psalmum adimplendo, præcepit. Misereor tui, Marcion, frustra laborasti. Christus enim Jesus in Evangelio tuo, meus est (*a*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Videtis habere *Rhen. Seml. Obert.* (2) Nec *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Christus enim Jesus in evangelio tuo, meus est.* Corruptum et depravatum fuisse Evangelium a Marcione tum hic locus probat, tum cap. ult. libri præcedentis: *Et Evangelium vestrum*, etc., tum etiam lib. hoc cap. 29. Habuisse autem Tertullianum codicem illum Marcionis corruptum testatur S. Epi- B phanius. An Lucæ fuerit corruptum Evangelium, non est dubitandi locus legenti hunccce librum; ubique enim id fit manifestum. Citatur etiam corrupte versus 25 cap. XXIV B. Lucæ, *O insensati Galatæ*, etc. Illud enim non ex recepto Evangelio, sed ex evangelio Marcionis citatur. Le Pr.

LIBER V.

Argumentum. — *Sicuti libro præcedenti ex Evangelio B. Lucæ, quod sibi usurpaverat Marcion, sic nunc ex Epistolis Pauli (quas ille mutilatas in librum Apostolicum suo titulo editum diverso ordine redegerat,* C *exceptis iis quæ sunt ad Timotheum et Titum, et ad Hebræos) probat Tertullianus non alium Deum prædicari ab Apostolo quam Creatoris.*

C. I. *Imprimis autem id vel ex eo manifestum facit, quod nulla auctoritas apostolo Paulo probetur, nisi de Instrumento Veteri Creatoris, et Actis Apostolorum, quæ Marcion rejiciebat.*

C. II. *Deinde tum per argumentum et verba Apostoli, de Epistola ad Galatas, ex cap.* I.

C. III. *Item ex ejusdem Epistolæ cap.* II *et* III.

C. IV. *Ex ejusdem etiam cap.* IV, V, VI.

C. V. *Deinde per verba Apostoli, de Epistola ad Corinthios prima, ex cap.* I.

C. VI. *Etiam ex Epistolæ ejusdem cap.* II *et* III.

C. VII. *Ejusdem quoque ex cap.* IV, V, VI, VII, D VIII, IX *et* X.

C. VIII. *Item cap.* XI, XII, XIII *et* XIV.

C. IX. *Ex cap. etiam* XV *priori parte.*

C. X. *Et ex ejusdem cap.* XV *secunda parte.*

C. XI. *Rursum per verba Apostoli, de Epist.* II *ad Corinth. ex cap.* I, II *et* III.

C. XII. *Item ex cap.* V, VII, XI, XII *et* XIII.

C. XIII. *Porro etiam per verba Apostoli, de Epist. ad Rom. ex cap.* I, II, III, V, VI *et* VII.

C. XIV. *Ex ejusdem etiam Epistolæ cap.* VIII, X, XI, XII, XIII *et* XVI.

C. XV. *Nec minus per verba Apostoli, de Epist. ad Thessalonicenses.*

C. XVI. *Et de Epist. ad Thessalonicenses secunda.*

C. XVII. *Dein per verba Apostoli, de Epist. ad Laodicenos (sive ad Ephesios) ex cap.* I *et* II.

C. XVIII. *Ex ejusdem etiam Epistolæ cap.* III, IV, V *et* VI.

C. XIX. *Denique per verba Apostoli de Epist. ad Colossenses.*

C. XX. *De Epist. ad Philippenses.*

C. XXI. *Postremo de Epist. ad Philemonem.* Panel.

CAPUT PRIMUM.

Nihil sine origine, nisi Deus solus: quæ quantum præcedit in statu omnium rerum, tantum præcedat necesse est etiam in retractatu earum, ut constare de statu possit. Quia nec habeas dispicere quid quale sit, nisi certus an sit, cum (3) cognoveris unde sit. Et ideo ex opusculi ordine ad hanc materiam devolutus, apostoli quoque Pauli originem a Marcione desidero, novus aliqui discipulus, nec ullius alterius auditor, qui nihil interim credam, nisi nihil temerè credendum. Temere porro credi quodcumque sine originis agnitione creditur, quique dignissime ad sollicitudinem redigam istam inquisitionem, cum is mihi affirmatur apostolus, quem (*b*) in albo apo-

LECTIONES VARIANTES.

(3) Cum *omitt. Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (b) *In albo apostolorum.* Album hic est catalogus apostol. nam apud Jureconsultos album

stolorum apud Evangelium non deprehendo. Denique audiens postea eum a Domino allectum jam in cœlis quiescente, quasi improvidentiam existimo, si non ante scivit illum sibi necessarium Christus; sed jam ordinato officio apostolatus, et in sua opera dimisso, ex incursu, non ex prospectu adjiciendum existimavit; necessitate, ut ita dixerim, non voluntate. Quamobrem, Pontice nauclere, si nunquam furtivas merces vel illicitas (*a*) in acatos tuas recepisti; si nullum omnino onus avertisti vel adulterasti, cautior utique et fidelior in Dei rebus, edas velim nobis quo symbolo susceperis apostolum Paulum? quis illum tituli charactere percusserit? quis transmiserit tibi? quis imposuerit, ut possis eum constanter exponere? ne illius probetur, qui omnia apostolatus ejus instrumenta protulerit. Ipse se, inquit, apostolum est professus (*Gal.* I, 1), et quidem *non ab hominibus, nec per hominem, sed per Jesum Christum*. (*b*) Plane profiteri potest semetipsum quivis. Verum professio ejus alterius auctoritate conficitur: alius scribit, alius subscribit, alius obsignat, alius actis refert. Nemo sibi et professor et testis est. Præter hæc utique legisti (*Luc.* XXI, 8), *multos venturos qui dicant: Ego sum Christus*. Si est qui se Christum mentiatur, quanto magis qui se apostolum prædicet Christi? Adhuc ego in persona discipuli et inquisitoris conversor, ut jam hinc et fidem tuam obtundam, qui unde eam probes non habes; et impudentiam suffundam, qui vindicas, et unde possis vindicare non recipis. Sit Christus, sit (1) Apostolus, ut alterius dum non probantur nisi de instrumento Creatoris. Nam (2) mihi Paulum etiam Genesis olim repromisit. Inter illas enim figuras et propheticas super filios suos benedictiones, Jacob cum ad Benjamin direxisset (3), Benjamin, inquit (*Gen.* XLIX, 27), *lupus rapax, ad matutinum comedet adhuc, et ad vesperam dabit escam*. Ex tribu enim Benjamin oriturum Paulum providebat, lupum rapacem, ad matutinum comedentem, id est, prima ætate vastaturum pecora Domini, ut persecutorem Ecclesiarum; dehinc ad vesperam escam daturum, id est, devergente jam ætate oves Christi educaturum, ut doctorem nationum. Nam et Saulis primo asperitas insectationis erga David, dehinc pœnitentia et satisfactio, bona pro malis recipientis, non aliud portendebat quam Paulum in Saule, secundum tribus; et Jesum in David, secundum virginis censum. Hæc figurarum sacramenta si tibi displicent, certe Acta apostolorum (*Act.* IX) hunc mihi ordinem Pauli tradiderunt, a te quoque non negandum. Inde apostolum ostendo persecutorem, non ab hominibus, neque per hominem; inde et ipsi credere inducor; inde te a defensione ejus expello; nec timeo dicentem: Tu ergo negas apostolum Paulum? non blasphemo quem tueor. Nego, ut te probare compellam. Nego, ut meum esse convincam. Aut si ad nostram fidem spectas, recipe quæ eam faciunt. Si ad tuam provocas, ede quæ eam præstruunt. Aut proba esse, quæ credis; aut si non probas, quomodo credis? Aut qualis es adversus eum credens, a quo solo probatur esse quod credis? Habe nunc et apostolum de meo, sicut et Christum; tam meum apostolum, quam et Christum. (*c*) Iisdem et hic dimicabimus lineis, in ipso gradu provocabimus præscriptionis, oportere scilicet et apostolum qui Creatoris negetur, imo et adversus Creatorem proferatur, nihil docere, nihil sapere, nihil velle secundum Creatorem, et in primis tanta constantia alium Deum edicere, quanta a lege Creatoris abrupit. Neque enim versimile est, ut avertens a judaismo, non pariter ostenderet in cujus Dei fidem averteret: quia nemo transire posset a Creatore, nesciens ad quem transeundum sibi esset. Sive enim Christus jam alium Deum revelaverat, sequebatur etiam apostoli testatio; vel ne non ejus Dei apostolus haberetur, quem Christus revelaverat; et quia non licebat abscondi ab apostolo, qui jam revelatus fuisset a Christo. Sive nihil tale de Deo Christus revelaverat, tanto magis ab apostolo debuerat revelari, qui jam non posset ab alio; non credendus sine dubio, si nec ab apostolo revelatus. Quod idcirco præstruximus, ut jam hinc profiteamur nos proinde probaturos, nullum alium Deum ab apostolo circumlatum, sicut probavimus, nec a Christo; ex ipsis utique Epistolis Pauli, quas proinde mutilatas etiam de numero, forma jam hæretici Evangelii præjudicasse debebit.

CAPUT II.

(*d*) Principalem (*Gal.*, I) adversus judaismum epi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sic... sic *al.*
(2) Non *Rhen. Semi. Oberth.*
(3) Dixisset *Rhen. Semi. Ober.*

COMMENTARIUS.

est matricula, seu particula decurionum, unde alibi proscriptio I. Herennius 10, D. de decur. et fil. Ea ferme ratione album Senatorum dixit λεύκωμα τῶν βουλευόντων Dion., lib. LV, et album citharœdorum Suetonius in Nerone cap. 20. Le Pr.

(a) *In acatos tuas.* Acatus sive ἄκατος et ἀκάτιον navigii genus est, quod velis, non autem remis agebatur. Le Pr.

(b) *Plane profiteri potest seipsum quivis.* Loquitur de professione quæ fit apud acta. Nam profitemur, dum publice et apud acta aliquid ultro denuntiamus, veluti cum profitemur merces ne in vectigali pendendo Reipublicæ fraus fiat. Unde merces *improfessas* Marcianus in Pandectis vocat, quarum nomine nullum vectigal solutum est. Item profitebantur filios natos sibi apud acta veteres: quæ res tum certam, tum facilem ætatis faciebat probationem, si quando hujusmodi dubium incidisset. In hunc sensum eleganter dicit Seneca, profiteri æs alienum. Id quod candidati facere cogebantur et rei, de Benef. lib. VI. Livius profiteri frumentum, lib. IV, dec. 1, ubi in pervulgatis exemplaribus mendose legitur confiteri cogendo frumentum. Rhen.

(c) *Iisdem et hic dimicabimus lineis.* Linearum proverbialiter lubens meminit, ut, *rursum ad lineas, præducere lineas*. Rhen.

CAP. II.—(d) *Principalem adversus judaismum*, etc. Quod ex margine in contextum irrepserat, iterum in

stolam nos quoque confitemur, quæ Galatas docet. Amplectimur etenim omnem illam legis veteris abolitionem, ut et ipsam de Creatoris venientem dispositione, sicut sæpe jam in isto ordine tractavimus, de prædicata novatione a prophetis Dei nostri. Quod si Creator quidem vetera cessura promisit, novis scilicet orituris; Christus vero tempus distinctionis istius (*Lex et Prophetæ usque ad Joannem*) terminum in Joanne statuens inter utrumque ordinem, desinentium exinde veterum et incipientium novorum; necessarie et Apostolus in Christo post Joannem revelato vetera infirmat, nova vero confirmat, atque ita non alterius Dei fidem curat quam Creatoris, apud quem et vetera decessura prædicabantur. Igitur et Legis destructio, et Evangelii ædificatio, pro me faciunt in ista quoque Epistola, ad eam Galatarum præsumptionem pertinentes, qua præsumebant Christum utputa Creatoris, salva Creatoris lege credendum: quod adhuc incredibile videretur, legem a suo auctore deponi. Porro, si omnino alium Deum ab Apostolo audissent, ultro utique scissent abscedendum sibi esse a lege ejus Dei quem reliquissent, alium secuti. Quis enim exspectaret diutius discere, quod novam deberet sectari disciplinam, qui novum Deum recepisset? Imo, quia eadem quidem divinitas prædicabatur in Evangelio, quæ semper nota fuerat in Lege, disciplina vero non eadem, hic erat totus quæstionis status, an lex Creatoris ab Evangelio deberet excludi in Christo Creatoris. Denique, aufer hunc statum, et vacat quæstio. Vacante autem quæstione, ultro omnibus agnoscentibus discedendum sibi esse ab ordine Creatoris per fidem Dei alterius, nulla Apostolo materia competisset, id tam presse docendi, quod ultro fides ipsa dictasset. Igitur tota intentio Epistolæ istius nihil aliud docet, quam Legis discessionem (1) venientem de Creatoris dispositione, ut adhuc suggeremus. Si item nullius novi Dei exerit mentionem, quod nusquam magis fecisset, quam in ista materia, ut rationem scilicet ablegandæ Legis unica hac et sufficientissima definitione proponeret novæ divinitatis, apparet quomodo scribat: *Miror vos tam cito transferri, ab eo qui vos vocavit in gratiam, ad aliud evangelium*: ex conversatione aliud, non ex religione; ex disciplina, non ex divinitate. Quoniam quidem Evangelium Christi a Lege evocare deberet ad gratiam, non a Creatore ad alium Deum. Nemo enim illos moverat a Creatore, ut viderentur sic ad aliud Evangelium transferri, quasi dum ad Creatorem transferuntur. Nam et adjiciens, quod aliud Evangelium omnino non esset, Creatoris confirmat id, quod esse defendit. Si enim et Creator Evangelium repromittit, dicens per Esaiam (*Is.*, XL, 9): *Ascende in montem excelsum, qui evangelizas Sioni; extolle vocem in valentia tua, qui evangelizas Hierusalem.* Item (*Is.*, LII, 7) ad apostolorum personam: *Quam tempestivi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona;* utique et nationibus evangelizantium; quoniam et: *In nomine ejus,* inquit (*Is.*, XLII, 4), *nationes sperabunt,* Christi scilicet; cui ait: *Posui te in lumen nationum.* Est (2) autem Evangelium etiam Dei novi, quod vis, tunc ab Apostolo defensum. Jam ergo duo sunt Evangelia apud duos Deos, et mentitus erit Apostolus, dicens quod aliud omnino non est, cum sit et aliud; cum sic suum Evangelium defendere potuisset, ut potius demonstraret, non ut unum determinaret. Sed fortasse ut fugias hinc; et ideo (3), dices, subtexit: *Licet angelus de cœlo aliter evangelizaverit, anathema sit;* quia et Creatorem sciebat evangelizaturum. Rursus ergo te implicas. Hoc est enim quo astringeris. Duo enim Evangelia confirmare, non est ejus qui aliud jam negarit. Tamen lucet sensus ejus qui suam præmisit personam. *Sed et si nos aut angelus de cœlo aliter evangelizaverit;* verbi enim gratia dictum est. Cæterum, si nec ipse aliter evangelizaturus, utique nec angelus. Ita angelum ad hoc nominavit, quo multo magis hominibus non esset credendum, quando nec angelo, nec apostolo; non angelum ad Evangelium referret Creatoris. Exinde, decurrens ordinem conversionis suæ de persecutore in apostolum; scripturam Actorum (4) Apostolicorum confirmat, apud quam ipsa etiam Epistolæ istius materia recognoscitur, intercessisse quosdam (*a*), qui dicerent circumcidi oportere, et observandam esse Moysi legem: tunc apostolos de ista quæstione consultos, ex auctoritate spiritus renuntiasse, non esse imponenda onera hominibus, quæ patres ipsi non potuissent sustinere. Quod si et ex hoc congruunt Paulo apostolorum Acta, cur ea respuatis jam apparet, ut Deum scilicet non alium prædicantia quam Creatorem, nec Christum alterius quam Creatoris, quando nec promissio Spiritus Sancti aliunde probetur exhibita, quam de instrumento Actorum. Quæ utique verisimile non est, ex parte quidem Apostolo convenire, cum ordinem ejus secundum ipsius testimonium ostendunt; ex parte vero dissidere, cum divinitatem in Christo Creatoris annuntiant; ut prædicationem quidem apostolorum omnino sit (5) secutus Paulus, qui formam ab eis dedocendæ legis accepit.

CAPUT III.

Denique (*Gal.*, II *et* III), ad patrocinium Petri cæte-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Decessionem *Rhen. Semi. Oberth.* dicessionem *Pam.*
(2) Esto *fortem legendum esset.*
(3) Hinc video *Lat.*
(4) Actorum *omitt. Jun.*
(5) Apostolorum non sit *Pam.*

COMMENTARIUS.

marginem, tum hoc loco, tum ubique infra, rejecimus. Titulum nempe hujus capitis: *Epistola ad Galatas,* cui adjecimus *ex cap.* Atqui facit adversus hæreticos hodiernos illud *principalem adversus judaismum Epistolam,* qui sensum verborum Apostoli pervertentes, non adversus judaismum, sed adversus ecclesiasticas festorum dierum observationes, hujus Epistolæ verba cap. IV non verentur allegare. PAMEL.

(*a*) *Intercessisse quosdam,* etc. Hoc est intervenisse, opposuisse se quosdam. RHEN.

rorumque apostolorum ascendisse Hierosolymam post annos quatuordecim, scribit, ut conferret cum illis de Evangelii sui regula, ne in vacuum tot annis cucurrisset, aut curreret; si quid scilicet citra formam illorum evangelizaret. Adeo ab illis probari, et constabiliri desiderarat (1). Quod si quando vultis (2) judaismi magis affines subintelligi (3), cum (4) *nec* (5) *Titum* dicit *circumcisum*; jam incipit ostendere solam (6) circumcisionis quæstionem ex defensione adhuc Legis concussam ab eis, quos propterea falsos et superinductitios (7) fratres appellat, non aliud statuere pergentes quam perseverantiam Legis, ex fide sine dubio integra Creatoris; atque ita pervertentes Evangelium, non interpolatione Scripturæ (*a*), qua Christum Creatoris effingerent, sed retentione veteris disciplinæ, ne legem Creatoris excluderent. Ergo, *Propter superinductitios*, inquit, *falsos fratres, qui subintraverant ad speculandam libertatem nostram, quam habemus in Christo, ut nos subigerent servituti, nec ad horam cessimus subjectioni.* Intendamus enim et sensui ipsi, et caussæ ejus, et apparebit vitiatio scripturæ, cum præmittit: *Sed nec Titus, qui mecum erat, cum esset græcus, coactus est circumcidi*: dehinc subjungit: *propter superinductitios falsos fratres*, et reliqua: contrarii utique facti incipit reddere rationem, ostendens propter quid fecerit; quod nec fecisset, nec ostendisset, si illud propter quod fecit, non accidisset. Denique, dicas velim, si subintroissent falsi illi fratres ad speculandam libertatem eorum, cessissent subjectioni? non opinor. Ergo cesserunt, quia fuerunt (8) propter quos cederetur, hoc enim rudi fidei et adhuc de legis observatione suspensæ competebat, ipso quoque apostolo, *ne in vacuum cucurrisset aut curreret*, suspecto. Itaque frustrandi erant falsi fratres, speculantes libertatem christianam, ne ante eam in servi item abducerent judaismi, quam Paulus sciret se non in vacuum cucurrisse, quam dexteras ei darent antecessores, quam ex censu eorum in nationes prædicandi munus subiret (9). Necessario igitur cessit ad tempus. Sic ei ratio constat, Timotheum circumcidendi, et rasos introducendi in templum, quæ in Actis (*Act.* XVI, 21) edicuntur, adeo vera, ut Apostolo consonent profitenti (I *Cor.* IX, 20): *Factum se Judæis judæum, ut Judæos lucrifaceret, et sub Lege agentem, propter eos qui sub Lege agerent*: sic et propter superinductitios (10) illos, et omnibus novissime omnia factum, ut omnes lucraretur. Si hæc quoque intelligi ex hoc postulant, id quoque nemo dubitavit (11), ejus Dei et Christi prædicatorem Paulum, cujus legem, quamvis excludens, interim tamen pro temporibus admiserat, statim amoliendam si novum Deum protulisset. Bene igitur quod et dexteras Paulo dederunt Petrus et Jacobus et Joannes; et de officii distributione pepigerunt, ut Paulus in nationes, illi in circumcisionem; tantum ut meminissent egenorum, et hoc secundum legem Creatoris, pauperes et egenos foventis, sicut in Evangelii vestri retractatu probatum est. Adeo constat de Lege sola fuisse quæstionem, dum ostenditur quid ex Lege custodiri convenerit. (*b*) Sed *reprehendit Petrum, non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem.* Plane reprehendit; non ob aliud tamen, quam *ob inconstantiam victus*, quem pro personarum qualitate variabat, *timens eos qui erant ex circumcisione*; non ob aliquam divinitatis perversitatem, de qua et aliis in faciem restitisset, qui de minore caussa conversationis ambiguæ Petro ipsi non pepercit. Sed quomodo Marcionitæ volunt credi? De cætero pergat Apostolus, negans *ex operibus Legis justificari hominem, sed ex fide*, ejusdem tamen Dei, cujus et Lex. Nec enim laborasset fidem a lege discernere, quam diversitas ultro ipsius divinitatis discrevisset, si fuisset. Merito non reædificabat quæ destruxit. Destrui autem Lex habuit, ex quo vox Joannis clamavit (*Luc.* III) in eremo: *Parate vias Domini*; ut fierent *rivi et colles et montes repleti et humiliati, et tortuosa et aspera in rectitudinem et in campos*, id est, Legis difficultates in Evangelii facilitates. Meminerat jam et Psalmi (*Ps.* II) esse tempus: *Disrumpamus a nobis vincula eorum, et abjiciamus a nobis jugum ipsorum*: Ex quo *tumultuatæ sunt gentes, et populi meditati sunt inania, astiterunt reges terræ, et magistratus congregati sunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ipsius*; ut jam ex fidei libertate justificetur homo, non ex legis servitute: *Quia* (*Hebr.* X,38) *justus ex fide vivit.* Quod si prophetes Habacuc (*Habac.* II,4) prænuntiavit, habes et apostolum Prophetas confirmantem, sicut et Christus. Ejus ergo Dei erit fides in qua vivet justus; cujus et lex, in qua non justificatur operarius. Proinde, si in lege maledictio est, in fide vero benedictio; utrumque habes propositum apud Creatorem: *Ecce posui*, inquit (*Deut.* XI, 26), *ante te maledictionem et benedictionem.* Non potest distantiam vindicare; quæ etsi rerum est, non ideo auc-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Desiderabat *Lat.*
(2) Quos si quando vult *Lat.*
(3) Intelligi *Lat.*
(4) Vero *add. Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Nec *omitt. Lat.*
(6) Et *add. Fran.*
(7) Superductitios *Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Cessissent ne subjectioni? Opinor. Ergo cesserant, quia fuerant *cod. Wouw.*
(9) Obiret *Lat.*
(10) Superinductos *Rhen. Seml. Oberth.*
(11) Dubitabit *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. III.—(*a*) *Interpolatione Scripturæ.* Interpolator seu corruptor est hæreticus qui detorquet, detruncat, imminuit, additve sacræ Scripturæ. LE PR.

(*b*) *Sed reprehendit Petrum non recto pede incedentem.* In græco est ὀρθοποδοῦντα. Notandum tamen in illa reprehensione, id quod habet Eusebius hist. lib. cap. 12, ubi alium fuisse Cepham a B. Petro, ait ex S. Clemente: ἕνά φησι γεγονέναι τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν, ὁμώνυμον Πέτρῳ τυχόντα τῷ ἀποστόλῳ, *Unum fuisse ait ex septuaginta discipulis B. Petro apostolo cognominem.* LE PR.

torum ; quæ ab uno auctore proponitur. Cur autem Christus factus sit pro nobis maledictio, ipso Apostolo edocente manifestum est, quam nobiscum faciat, id est, secundum fidem Creatoris. Neque enim quia Creator pronuntiavit : *Maledictus omnis in ligno suspensus ;* ideo videbitur alterius Dei esse Christus, et idcirco a Creatore jam tunc in lege maledictus. Et quomodo præmaledixisset cum Creator, quem ignorat? Cur autem non magis competat Creatori, Filium suum dedisse maledictioni suæ, quam illi Deo tuo subdidisse maledictioni, et quidem pro homine alieno ? Denique, si atrox videtur hoc in Creatore circa Filium, proinde tuo in Deo. Si vero rationale et in tuo, proinde et in meo, et magis in meo. Facilius enim crederetur, ejus esse per maledictionem Christi benedictionem prospexisse homini, qui et maledictionem aliquando et benedictionem proposuerit ante hominem, quam qui neutrum unquam sit apud te professus. *Accepimus igitur benedictionem spiritalem per fidem*, inquit, ex qua scilicet vivet justus secundum Creatorem. Hoc est ergo quod dico, ejus Dei fidem esse, cujus est forma gratiæ fidei. Sed et cum adjicit : *Omnes enim filii estis fidei*, ostenditur (*a*) quid supra hæretica industria eraserit ; mentionem scilicet Abrahæ, qua nos Apostolus filios Abrahæ per fidem affirmat, secundum quam mentionem hic quoque filios fidei notavit. Cæterum, quomodo filii fidei ? et cujus fidei, si non Abrahæ ! Si enim *Abraham Deo credidit, et deputatum* (1) *est justitiæ*, atque exinde pater multarum nationum meruit nuncupari ; nos autem credendo Deo magis, proinde justificamur, sicut Abraham ; et vitam proinde consequimur, sicut justus ex fide vivit ; sic fit ut et supra, filios nos Abrahæ pronuntiarit, qua patris fidei, et hic filios fidei, per quam Abraham pater nationum fuerat repromissus. Ipsum quod fidem a circumcisione revocabat, nonne Abrahæ filios constituere quærebat, qui in carnis integritate crediderat ? Denique, alterius Dei fides, ad formam Dei alterius non potest admitti, ut credentes justitiæ deputet, ut justos vivere faciat, ut nationes filios fidei dicat : totum hoc ejus (2) est, apud quem ante jam notum est sub eadem Abrahæ mentione, dum ipso sensu revincatur.

CAPUT IV.

Adhuc, inquit (*Gal.*, III, IV, V *et* VI), *secundum hominem dico, dum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus positi, ad deserviendum eis.* Atquin non est hoc humanitus dictum : non enim exemplum est, sed veritas. Quis enim parvulus, utique sensu, quod sunt nationes, non elementis subjectus est mundi, quæ pro Deo suspicit (3) ? Illud autem facit (4), quod cum secundum hominem dixisset, tamen testamentum hominis nemo spernit aut superordinat. Exemplo enim humani testamenti permanentis, divinum tuebatur. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dixit, seminibus, quasi pluribus ; sed semini, tanquam uni, quod Christus est.* Erubescat spongia Marcionis, nisi quod ex abundanti retracto quæ abstulit, cum validius sit illum ex his revinci quæ servavit. *Cum autem evenit impleri tempus, misit Deus Filium suum ;* utique is, qui etiam ipsorum temporum Deus est, quibus sæculum constat ; qui signa quoque temporum ordinavit, soles, et lunas, et sidera, et stellas ; qui Filii denique sui revelationem in extremitatem temporum et disposuit et prædicavit (*Is.*, II, 2) : *In novissimis diebus erit manifestus mons Domini*, et (*Joel*, II, 28) : *In novissimis diebus effundam de spiritu meo in omnem carnem*, secundum Joelem. Ipsius erat sustinuisse tempus impleri, cujus erat etiam finis temporis sicut initium. Cæterum Deus ille otiosus, nec operationis, nec prædicationis ullius, atque ita nec temporis alicujus, quid omnino egit quod efficeret tempus impleri, etiam (5) implendum sustineri ? Si nihil, satis vanum est ut Creatoris tempora sustinuerit serviens Creatori. Cui autem rei *misit Filium suum ? Ut eos qui sub lege erant, redimeret :* hoc est, ut efficeret (*Is.*, XL, 4) *tortuosa* (6) *in viam rectam, et aspera in vias lenes* (7), secundum Esaiam ; ut *vetera transirent, et nova orirentur ; Lex nova ex Sion, et sermo Domini ex Hierusalem* (*Is.* II, 3) : et *ut adoptionem filiorum acciperemus*, utique nationes, quæ filii non eramus. Et ipse enim *lux erit nationum, et* in nomine ejus nationes sperabunt. (*b*) Itaque, ut certum esset nos filios Dei esse, *misit Spiritum suum in corda nostra, clamantem, Abba, Pater. In novissimis* enim, inquit (*Joel*, II, 28), *diebus effundam de meo Spiritu in omnem carnem.* Cujus gratiæ, nisi cujus et promissio gratiæ ? quis Pater, nisi qui et factor ? Post has itaque divitias, non erat revertendum ad *infirma et mendica elementa.* Elementa autem apud Romanos quoque etiam primæ litteræ solent dici. Non ergo per mundialium elementorum derogationem a Deo eorum avertere cupiebat ; etsi dicendo supra : *Si ergo his qui non natura sunt Dei servitis ;* phy-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deputatur *Lat.*
(2) Ejus *abest Par.*
(3) Suscipit *al.*
(4) Fuit *Jun.*
(5) Aut jam *Lat.*
(6) Tortuosam viam *Fran.*
(7) Læves *Jun.*

COMMENTARIUS.

(*a*) *Quid supra hæretica industria eraserit ; mentionem scilicet Abrahæ.* Subindicat erasisse Marcionem tum initio hujus capitis, tum ante dicta jam verba versus aliquot præcedentes ; quod ipsum repetit cap. sequenti, idque non solum de Abrahæ mentione, sed etiam de illo, *tamen testamentum hominis non spernit, aut superordinat.* PAM.

CAP. IV. — (*b*) *Itaque ut certum esset nos filios Dei esse.* Sic explicat illud Apostoli : *Quoniam autem estis filii Dei.* Confirmatur omnium latinorum lectio qui *Dei* addunt, quod juxta constantem græcorum patrum lectionem, apud eos desideratur, at vicissim legit Auctor *corda nostra*, juxta quod græce est ἡμῶν, consentientibus etiam BB. Ambr. et Hieron. in Comm. pro eo quod alii *vestra.* Porro recte ibi subintelligit Rhenanus, *est*, cum dicit Auctor, *cujus gratia.* PAM.

sicæ, id est, naturalis superstitionis elementa pro Deo habentis sugillabat (1) errorem, nec sic tamen elementorum Deum taxans. Sed quæ velit intelligi elementa, primas scilicet litteras legis, ipse declarat: *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos*, et sabbata, ut opinor, et (*a*) cœnas puras, et jejunia et dies magnos. Cessare enim ab his quoque sicut et circumcisione oportebat ex decretis Creatoris, qui et per Esaiam (*Is.* I, 14): *Neomenias vestras et sabbata et diem magnum non sustinebo: jejunium et ferias et cæremonias vestras odit anima mea*; et per Amos (*Am.* V, 21): *Odi, rejeci cæremonias vestras, et non odorabor* (2) *in frequentiis vestris.* Item per Osee (*Os.* II, 11): *Avertam universas jucunditates ejus, et cæremonias ejus, et sabbata, et neomenias ejus, et omnes frequentias ejus.* Quæ ipse constituerat, inquis, erasit? Magis quam alius: aut (3) si alius, ergo ille adjuvit sententiam Creatoris, auferens quæ et ille damnaverat. Sed non hujus loci quæstio, cur leges suas Creator infregerit. Sufficit quod infracturum probavimus, ut confirmetur nihil Apostolum adversus Creatorem determinasse, cum et ipsa amolitio (4) Legis a Creatore sit. Sed ut (5) furibus solet aliquid excidere de præda in indicium, ita credo et Marcionem novissimam Abrahæ mentionem dereliquisse, nullam magis auferendam, etsi ex parte convertit (6). Si enim *Abraham duos liberos habuit, unum ex ancilla, et alium ex libera: sed qui ex ancilla, carnaliter natus est; qui vero ex libera, per repromissionem; quæ sunt allegorica*, id est, aliud portendentia: *hæc sunt enim duo testamenta*, sive duæ ostensiones, sicut invenimus interpretatum: *unum a monte Sina, in synagogam Judæorum, secundum legem, generans in servitutem; aliud* (7) super omnem principatum, *generans* vim, dominationem, et omne nomen quod nominatur, non tantum in hoc ævo, sed in futuro; *quæ est mater nostra*, in quam repromisimus sanctam Ecclesiam; ideoque adjicit: *Propter quod, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.* Utique manifestavit et christianismi generositatem in filio Abrahæ ex libera nato allegoriæ habere sacramentum, sicut et judaismi servitutem legalem in filio ancillæ; atque ita ejus Dei esse utramque dispositionem, apud quem invenimus utriusque dispositionis delineationem (8). Ipsum quod ait, *Qua libertate Christus nos manumisit*, nonne eum constituit manumissorem, qui fuit Dominus? (*b*) Alienos enim servos ne Galba quidem (9) manumisit, facilius liberos soluturus. Ab eo igitur præstabitur libertas, apud quem fuit servitus legis. Et merito. (*c*) Non decebat manumissos rursus jugo servitutis, id est, legis adstringi, jam Psalmo (*Ps.* II) adimpleto: *Dirumpamus vincula eorum, et abjiciamus a nobis jugum ipsorum*; postquam *archontes congregati sunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ipsius.* De servitute igitur exemptos, ipsam servitutis notam eradere perseverabat, circumcisionem; ex prædica-

A B C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Suggillat *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Adorabor *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) At *Par.*
(4) Abolitio *al.*
(5) Et *Par.*
(6) Converrit *Lat.*
(7) Alium *Rhen. Seml. Obert.* alterum *Lat.*
(8) Delineationem *Pam.* declinationem *Jun.*
(9) Nec galba *Jun. sine* quidem.

COMMENTARIUS.

(a) *Cœnas puras.* Parascevas. ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν. Sic interpretatur Irenæus, lib. I, cap. 10, Glossæ, Cœna pura, προσάββατον. RIG.

(b) *Alienos enim servos ne Galba quidem manumisit.* Sic omnino legunt exemplaria, neque mutandum quicquam. In ea fuit hæresi Marcion, ut diceret Christum non esse Filium Dei Creatoris; aliumque esse Deum Veteris Testamenti, sive Legis, alium Novi sive Evangelii. Deum Legis esse Creatorem, trucem et sævum; Evangelii vero Deum, nihil creasse; tantummodo esse bonum et indulgentissimum, qui nos per Christum suum truculenti illius ac tyrannici Dei jugo liberarit. Hanc sententiam Tertullianus multis argumentis refellit, atque hoc inter cætera, quod Christum Paulus, Epistola ad Galatas, manumissorem nostrum esse dicat. Quam Epistolam nec Marcion quidem rejecit. Inde autem necessario sequi, nos aliquando fuisse in servitute apud illum Deum Creatorem, Christumque esse Dei illius Creatoris Filium: cum nec dici nec esse possit manumissor, nisi qui fuit Dominus; nec libertus, nisi qui justam servitutem servivit apud manumissorem. Nos igitur, quod eadem Epistola docet, servos aliquamdiu fuisse sub Lege Veteris Testamenti; postea vero Christi beneficio liberatos ea servitute Legis, nec jam sub Lege esse, verum sub Evangelio. Itaque, sic colligit Tertullianus. Si manumissorem agnoscimus Christum, necessario agnoscere debemus eumdem esse Christum Creatoris illius, cujus fuit ea Lex qua soluti sumus, adepta libertate. Etenim nisi Christus esset Creatoris, non jure nos ea servitute liberasset, quam serviebamus apud Creatorem, sub illius legis duritia. Serviebamus apud Creatorem: oportuit ergo manumissorem a Creatore venisse. Alienos enim servos qui manumittit, nihil agit. Hic vero more suo Tertullianus aliquid salis adspergit. *Alienos enim servos*, inquit, *ne Galba quidem manumisit, facilius liberos soluturus.* Legerat apud Suetonium Tranquillum, auctorem sibi familiarem, nec semel abs se citatum, cædem Neronis tantum gaudium publice præbuisse, ut plebs pileata tota urbe discurreret, quasi liberata tristi servitutis jugo: Galbam vero Neronis successorem hæc sui principatus auspicia sumpsisse, cum quasi manumissioni vacaturus tribunal conscendisset, ac propositis ante se damnatorum occisorumque a Nerone quam plurimis imaginibus temporum statum deplorare cœpisset; in eoque habitu sive actu, ab circumstantibus consalutatum fuisse Imperatorem. Ait igitur Tertullianus, ne Galbam quidem, ea rerum facie, servos alienos manumisisse. Addit, *Facilius liberos soluturum*, reddita videlicet libertate civibus Romanis, qui fœdam sub Nerone servitutem serviebant. RIG.

(c) *Non decebat manumissos rursus jugo servitutis.* Verba hæc ex c. V, ad Galatas juxta editiones omnes desumpta sunt. Atqui recte *adstringi* vertit quod græce est ἐνέχεσθαι. Ibi autem *ipsam servitutis notam eradere perseverabat circumcisionem*, alludit ad id quod sequitur ibidem: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, etc. usque ad vers. 6. Epiphanius, quod est intermedium: *Testor autem rursus, quod homo circumcisus debitor est ut totam legem impleat*, adducit in Marcionem confut. 3, ex Ep. ad Gal. PAMELIUS.

tionis scilicet propheticæ auctoritate ; memor dictum per Hieremiam (*Jerem.* IV, 4): *Et circumcidimini præputia* (1) *cordis vestri.* Quia et Moyses (*Deut.* X, 16) : *Circumcidetis duricordiam vestram*, id est, non carnem. Denique, si circumcisione ab alio Deo veniens excludebat, cur etiam præputiationem negat quidquam valere in Christo, sicut et circumcisionem? præferre enim debebat æmulam ejus, quam expugnabat, si ab æmulo circumcisionis Deo esset. Porro, quia et circumcisio et præputiatio uni Deo deputabantur, ideo utraque in Christo vacabat, propter fidei prælationem ; illius fidei, de qua erat scriptum (*Is.* XLII, 4) : *Et in nomine ejus nationes credent* ; illius fidei, quam dicendo *per dilectionem perfici*, sic quoque Creatoris ostendit. Sive enim dilectionem dicit quæ in Deum, et hoc Creatoris est (*Deut.* VI) : *Diliges Deum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis* ; sive quæ in proximum : *et proximum tuum tanquam te*, Creatoris est. *Qui autem turbat vos, judicium feret.* A quo Deo? Ab optimo ? Sed ille non judicat. A Creatore ? Sed nec ille damnabit assertorem circumcisionis. Quod si non erit alius qui judicet nisi Creator, jam ergo non damnabit Legis defensores, nisi qui ipse eam cessare constituit. Quid nunc, si et confirmat illam ex parte qua debet ? *Tota* enim, inquit, *Lex in* (2) *vobis adimpleta est : Diliges proximum tuum tanquam te.* Aut si sic vult intelligi, *Adimpleta est*, quasi jam non adimplenda, ergo non vult ut diligam proximum tanquam me, ut et hoc cum lege cessaverit ; sed perseverandum erit semper in isto præcepto. Ergo lex Creatoris etiam ab adversario probata est ; nec dispendium, sed compendium ab eo consecuta est, redacta summa in unum jam præceptum. Sed nec hoc alii magis competit, quam auctori. Atque adeo cum dicit : *Onera vestra invicem sustinete, et sic adimplebitis legem Christi* ; si hoc non potest fieri, nisi quis diligat proximum suum (3) tanquam se, apparet, *Diliges proximum tuum* (4) *tanquam te*, per quod auditur : *Invicem onera vestra portate*, Christi esse legem, quæ sit Creatoris : atque ita Christum Creatoris esse, dum Christi est lex Creatoris. *Erratis, Deus non deridetur.* Atquin derideri potest Deus Marcionis, qui nec irasci novit, nec ulcisci. *Quod enim seminaverit* (5) *homo, hoc et metet.* Ergo retributionis et judicii Deus intentat. *Bonum autem facientes non fatigemur* ; et : *Dum habemus tempus, operemur bonum.* Nega Creatorem bonum facere præcepisse, et diversa doctrina sit diversæ divinitatis. Porro, si retributionem prædicat, ab eodem erit et corruptionis messis et vitæ. *Tempore autem suo metemus* ; quia et Ecclesiastes (6), *Tempus*, inquit (*Eccl.*, III, 17), *erit omni rei.* Sed et *mihi* famulo Creatoris *mundus crucifixus est* ; non tamen Deus mundi ; *et ego mundo*, non tamen Deo mundi. Mundum enim, quantum ad conversationem ejus posuit cui renuntiando mutuo transfigimur, et invicem morimur, persecutores vocat Christi; cum vero adjicit, (*a*) *Stigmata Christi in corpore suo gestare se* (utique corporalia competunt), jam non putativam, sed veram et solidam carnem professus est Christi, cujus stigmata corporalia ostendit.

CAPUT V.

Præstructio superioris Epistolæ ita duxit, ut de titulo ejus non retractaverim, certus et alibi retractari eum posse; communem scilicet, et eumdem in Epistolis omnibus : quod non utique salutem præscribit eis quibus scribit, sed *gratiam et pacem.* Non dico quid illi cum judaico adhuc more, destructori judaismi; nam et hodie Judæi in pacis nomine appellant, et retro in Scripturis sic salutabant. Sed intelligo illum defendisse officio suo prædicationem Creatoris (*Is.* LII) : *Quam maturi pedes evangelizantium bona, evangelizantium pacem !* Evangelizator enim bonorum, id est, gratiæ Dei, paci eam præferendam sciebat. Hæc cum a Deo Patre nostro, et Domino Jesu annuntians, communibus nominibus utatur, competentibus nostro quoque sacramento, non puto dispici posse quis (7) Deus Pater, et Dominus Jesus prædicetur, nisi ex accidentibus, cui magis competant. Primo quidem Patrem Dominum præscribo, non alium agnoscendum, quam et hominis et universitatis Creatorem et institutorem. Porro, Patri etiam Domini nomen accedere ob potestatem, quod et Filius per Patrem capiat. Dehinc, gratiam et pacem non solum ejus esse, a quo prædicabantur, sed ejus qui fuerit offensus. Nec gratia enim fit nisi offensæ ; nec pax, nisi belli : et populus autem per disciplinæ transgressionem, et omne hominum genus per naturæ dissimulationem et deliquerat, et rebellaverat adversus Creatorem. Deus autem Marcionis et quia (8) ignotus, non potuit offendi, et quia (9) nescit irasci. Quæ ergo gratia a non offenso? quæ pax a non rebellato? (*b*) Ait *crucem Christi stultitiam esse perituris,*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præputio *al.*
(2) In *abest Fran.*
(3) Sibi *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Tibi *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Severit *Rhen. Seml. Ober.*
(6) Ecclesiasticus *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Cur *Fran.*
(8) Qua *Latin.*
(9) Qua *Latin.*

COMMENTARIUS.

(a) *Stigmata Christi in corpore suo portare se*, etc. Ex eo quod, ut probet veram et solidam carnem Christi, subjungit, cujus stigmata corporalia ostendit ; videtur accipere Auctor stigmata, non pro nudis notis, qualibus servi a dominis notabantur ut ab illis dignoscerentur ; sed pro talibus, quas etiam in se Christus corporaliter portavit, tanquam diceret, se iisdem passionibus affectum fuisse quibus Christus. In hoc autem differt, quod legebat *Christi* pro quo alii, *Domini Jesu.* PAM.

CAP. V. — (b) *Ait : Crucem Christi stultitiam esse perituris, virtutem autem, etc.* Etiam hic ab Apostolo variat Auctor fortassis Marcionem secutus. Apud illum enim habetur imprimis : *Verbum crucis Christi*,

virtutem autem et sapientiam Dei, salutem consecuturis. Et ut ostenderet unde hoc eveniret, adjicit (1): *Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium irritam faciam.* Si hæc Creatoris sunt, et quæ (2) ad caussam crucis pertinent stultitiæ deputatæ (3); ergo et crux, et per crucem Christus ad Creatorem pertinebit, a quo prædicatum est quod ad crucem pertinet. Aut si Creator, qua æmulus, idcirco sapientiam abstulit, ut crux Christi, scilicet adversarii, stultitia deputetur; et quomodo potest aliquid ad crucem Christi non sui Creator pronuntiasse, quem ignorabat cum prædicabat? Sed et cur apud Dominum optimum, et profusæ misericordiæ, alii salutem referunt, credentes crucem virtutem et sapientiam Dei esse; alii perditionem, quibus Christi crux stultitia reputatur, si non Creatoris est aliquam et populi et humani generis offensam detrimento sapientiæ atque prudentiæ multasse? Hoc sequentia confirmabunt, cum dicit: *Nonne infatuavit Deus sapientiam mundi?* Cumque et hic adjicit, quare: *Quoniam in Dei sapientia non intellexit mundus per sapientiam Deum* (4), (*a*) *boni duxit Deus per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Sed prius de mundo disceptabo, quatenus subtilissimi hæretici hic vel maxime mundum per Dominum mundi interpretantur; nos autem hominem qui sit in mundo intelligimus ex forma simplici loquelæ humanæ, qua plerumque id quod continet, ponimus pro eo quod continetur. Circus clamavit et Forum locutum est, et Basilica fremuit; id est, qui in his locis rem egerunt. Igitur, quia homo, non Deus mundi, in sapientia non cognovit Deum, quem cognoscere debuerat, et Judæus in sapientia Scripturarum, et omnis gens in sapientia operum: ideo Deus idem, qui in sapientia sua non erat agnitus (5), statuit sapientiam hominum stultitia repercutere, salvos faciendo credentes quosque in stultam crucis prædicationem. *Quoniam Judæi signa desiderant*, qui jam de Deo certi esse debuerant; *et Græci sapientiam quærunt;* qui suam scilicet, non Dei sapientiam sistunt. Cæterum, si novus Deus prædicaretur, quid deliquerant Judæi signa desiderantes quibus crederent? aut Græci sapientiam sectantes, cui magis crederent? ita et remuneratio ipsa in Judæos et Græcos, et zelotem Deum confirmat et judicem, qui ex retributione æmula et judice infatuaverit sapientiam mundi. Quod si ejus sunt et caussæ, cujus adhibentur Scripturæ, ergo de Deo tractans Apostolus non intellecto, de Creatore utique docet intelligendum, etiam quod scandalum Judæis prædicat Christum, prophetiam super illo consignat Creatoris dicentis per Esaiam (*Is.*, XXVIII, 15): *Ecce posui in Sion lapidem offensionis, et petram scandali:* petra autem fuit Christus, etiam Marcion servat. Quid est autem *stultum Dei sapientius hominibus*, nisi crux et mors Christi? Quid *infirmum Dei fortius homine*, nisi nativitas et caro Dei? Cæterum si nec natus ex virgine Christus, nec carne constructus, ac per hoc neque crucem, neque mortem vere perpessus est, nihil in illo sit (6) stultum et infirmum; nec jam *stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam* (7); nec *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia;* nec *inhonesta et minima et contemptibilia, quæ non sunt*, id est, quæ non vere sunt, *ut confundat quæ sunt*, id est, quæ vere sunt. Nihil enim a Deo dispositum est (8) et vere modicum, et ignobile, et contemptibile, sed quod ab homine: apud Creatorem autem etiam vetera (9), stultitiæ, et infirmitati, et inhonestati, et pusillitati, et contemptui deputari possunt. Quid stultius, quid infirmius, quam sacrificiorum cruentorum, et holocautomatum nidorosorum a Deo exactio? Quid infirmius, quam vasculorum et grabatorum (10) purgatio? Quid inhonestius, quam carnis jam erubescentis alia dedecoratio? Quid tam humile, quam talionis indictio? Quid tam contemptibile, quam ciborum exceptio? Totum, quod sciam, Vetus Testamentum omnis hæreticus irridet. *Stulta* enim *mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam* (11). Marcionis Deus nihil tale. Quia nec æmulatur contraria contrariis redarguere, *ne glorietur omnis caro; ut, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.* In quo? utique in eo qui hoc præcepit: nisi Creator præcepit, ut in Deo (12) Marcionis glorietur.

CAPUT VI.

Igitur (I *Cor.*, II *et* III) per hæc omnia ostendit, cujus Dei sapientiam loquatur inter perfectos: ejus scilicet qui *sapientiam sapientium abstulerit, et prudentiam prudentium irritam fecerit;* qui infatuaverit sapientiam mundi, stulta eligens ejus, et disponens in salutem. Hanc dicit sapientiam *in occulto* fuisse, quæ fuerit in stultis et in pusillis et inhonestis; quæ latuerit etiam sub figuris, allegoriis et ænigmatibus, revelanda postmodum in Christo, posito in lumen nationum a Creatore promittente per Esaiæ vocem, patefacturum se thesauros invisibiles et occultos. Nam ut absconderit aliquid is Deus, qui nihil egit omnino in quod aliquid abscondisse existimaretur,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliquid *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Quæ *omitt. Rhen. Seml. Ober.*
(3) Stultitiam deputat *Pam.*
(4) Dominum *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Adagnitus *al.*
(6) Fuit *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Sapientia *Par.*
(8) Est *abest in quibusd.*
(9) Vera *Lat.*
(10) Gabatarum *Ciaccon. Jun.*
(11) Sapientia *Par.*
(12) Deum *Rhen. Seml. Ober.*

COMMENTARIUS.

deinde: *pereuntibus, et iis qui salvi fiunt nobis*; neque habet, *et sapientiam*. Ubi autem adjicit Auctor ex Apostolo, *prudentiam irritam faciam*, græce est ἀθετήσω, pro quo interpres vulgatus, et Epiphanius quoque, *reprobabo*. Nam etiam hoc vibrat ille in Marcionem confut. 1, ex Ep. ad Cor. PAM.

(a) *Boni duxit Deus.* Sic vertit quod græce est εὐδόκησεν ὁ θεός. Quemadmodum enim auctores dicunt boni consulere, et, æqui bonique facere, sic ipse dixit, Boni ducere. RHEN.

satis incredibile. Ipse si esset, latere non posset, nedum aliqua ejus sacramenta. Creator autem tam ipse notus, quam et sacramenta ejus; palam scilicet decurrentia apud Israel; sed de significantiis obumbrata, in quibus sapientia Dei delitescebat *inter perfectos*, narranda suo in tempore, *proposita vero in proposito Dei ante sæcula*. Cujus et sæcula, nisi Creatoris? Si enim et sæcula temporibus structa sunt; tempora autem diebus et mensibus et annis compinguntur; dies porro et menses, et anni solibus et lunis et sideribus Creatoris, signantur, in hoc ab eo positis: (a) *Et erunt* enim, inquit (*Genes.*, I), *in signa mensium et annorum:* apparet et sæcula Creatoris esse; et omne quod ante sæcula propositum dicatur, non alterius esse, quam cujus et sæcula. Aut probet Dei sui sæcula Marcion, ostendat et mundum ipsum, in quo sæcula deputentur, vas quodammodo temporum, et signa aliqua, vel ortum eorum (1). Si nihil demonstrat, revertor ut et illud dicam. Cur autem ante sæcula Creatoris proposuit gloriam nostram? posset videri eam ante sæcula proposuisse, quam introductione sæculi revelasset. At cum id facit pene jam totis sæculis Creatoris prodactis (2), vane ante sæcula proposuit, et non magis intra sæcula, quod revelaturus erat pene post sæcula. Non enim ejus est festinasse in proponendo, cujus et retardasse in revelando. Creatori autem competit utrumque, et ante sæcula proposuisse, et in fine sæculorum revelasse; quia et quod proposuit et revelavit, medio spatio sæculorum in figuris et ænigmatibus et allegoriis præministravit (3). Sed quia subjicit de gloria nostra, quod *eam nemo ex principibus hujus ævi scierit: cæterum, si scissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* argumentatur hæreticus, quod principes hujus ævi Dominum, alterius scilicet Dei Christum, cruci confixerint, ut et hoc in ipsum recidat (4) Creatorem. Porro, cui supra ostendimus (5), quibus modis gloria nostra a Creatore sit deputanda, præjudicatum esse debebit, eam quæ in occulto fuerit apud Creatorem, merito ignotam etiam ab omnibus (6) virtutibus et potestatibus Creatoris; quia nec famulis liceat consilia nosse dominorum, nedum illis apostatis angelis, ipsique principi transgressionis diabolo, quo magis extraneos fuisse contenderim ob culpam ab omni conscientia dispositionum Creatoris. Sed jam nec mihi competit principes hujus ævi virtutes et potestates interpretari Creatoris, quia ignorantiam illis adscribit Apostolus: Jesum autem et (*b*) secundum nostrum Evangelium (*Matth.*, IV) diabolus quoque in tentatione cognovit; et secundum commune instrumentum (*Luc.* IV, 34), spiritus nequam sciebat eum sanctum Dei esse, et Jesum vocari, et in perditionem eorum venisse. Etiam parabola fortis illius armati, quem alius validior oppressit, et vasa ejus occupavit (*Luc.* XI), si in Creatorem accipitur apud Marcionem, jam nec ignorasse ultra potuit Creator Deum gloriæ, dum ab eo opprimitur; nec in crucem cum figere, adversus quem valere non potuit; et superest ut secundum me quidem credibile sit scientes virtutes et potestates Creatoris Deum gloriæ Christum suum crucifixisse, qua desperatione et malitiæ redundantia servi quoque scelestissimi dominos suos interficere non dubitant. Scriptum est enim apud me (*Luc.* XXII, 3), *Satanam in Judam introisse.* Secundum autem Marcionem, nec Apostolus hoc loco patitur ignorantiam adscribi virtutibus Creatoris in gloriæ dominum, quia scilicet non illas vult intelligi principes hujus ævi. Quod si non videtur de spiritalibus dixisse principibus, ergo de sæcularibus dixit; de populo principali utique non inter nationes, de ipsis archontibus ejus, de rege Herode, etiam de Pilato, et quo major principatus hujus ævi romana dignitas præsidebat. Ita et cum destruuntur argumentationes diversæ partis, nostræ expositiones ædificantur. Sed vis adhuc gloriam nostram Dei tui esse, et apud eum in occulto fuisse, et quare adhuc eodem et Deus instrumento et Apostolus nititur (7)? Quid illi cum sententiis Prophetarum ubique? *Quis enim cognovit sensum Domini? et quis illi consiliarius fuit?* Esaias est (*Is.*, XL, 13). Quid illi etiam cum exemplis Dei nostri? Nam quod *architectum* se *prudentem* affirmat, hoc invenimus significari depalatorem disciplinæ divinæ a Creatore, per Esaiam (*Is.*, III, 2): *Auferam enim* (8), inquit, *a Judæa* inter cætera *et sapientem architectum.* Et numquid (9) ipse tunc Paulus destinabatur, de Judæa, id est, de judaismo, auferri habens in ædificationem christianismi, positurus unicum fundamentum, quod est Christus? quia et de hoc per eumdem prophetam Creator: *Ecce ego*, inquit (*Is.*, XXVIII, 15), *injicio in fundamenta Sionis lapidem pretiosum, honorabilem; et qui in eum crediderit, non confundetur.* Nisi si (10) structorem se terreni operis Deus profitebatur, ut non de Christo suo significaret, qui futurus esset fundamentum credentium in eum, *super quod prout quisque superstruxerit*, dignam scilicet

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ortaneorum *Rhen. Seml. Obert.* notas eorum *Wouw.* ortam eorum. *Jun.*
(2) Productis *al.*
(3) Præmonstravit *Jun.*
(4) Redigat *Rhen. Seml. Oberth.*
(5) Ostenderimus *Rhen. Seml. Ober.*
(6) Hominibus *Rig. Venet.*
(7) Utitur *Lut.*
(8) Etiam *Par.*
(9) Non *al.*
(10) Si *abest Par.*

COMMENTARIUS.

CAP. VI. — (a) *Et erunt enim, inquit, in signa mensium et annorum.* Hoc est, lunæ et solis motus, dies, annos, sæcula, tempora distinguent. Hoc loco Genes. I, abutuntur qui in astrologiæ defensionem illum assumunt, facitque contra eos hæc interpretatio. LE PR.

(b) *Secundum nostrum Evangelium.* Ut distinguat a depravato Marcionis codice. *Matth.* IV, hæc referuntur, et paulo post: *Scriptum est enim apud me, Satanam in Judam introisse.* Qui locus est *Lucæ* XXII, ex quo Marcion *apud me* resecuerat. LE PR.

vel indignam doctrinam, si *opus ejus per ignem probabitur*, (a) si merces illi per ignem rependetur, Creatoris est; quia per ignem judicatur (1) vestra superædificatio, utique sui (2) fundamenti, id est sui Christi : *nescitis quod templum Dei sitis, et in vobis inhabitet spiritus Dei?* Si homo, et res, et opus, et imago, et similitudo, et caro per terram, et anima per afflatum Creatoris est; totus (3) ergo in alieno habitat Deus Marcionis (4), si non (5) Creatoris sumus templum. Quod si *templum Dei quis vitiaverit, vitiabitur*, utique a Deo templi. Ultorem intentans, Creatorem intentabit (6). *Stulti estote, ut sitis sapientes.* Quare? *Sapientia* enim *hujus mundi stultitia est penes Deum.* Penes quem Deum? Si nihil nobis et adhuc sensuum (7) pristina præjudicaverunt, bene quod et hic adstruit : *Scriptum est enim : Deprehendens sapientes in nequitia illorum.* Et rursus : *Dominus scit cogitationes sapientium*, quod sint supervacuæ. In totum enim præscriptum a nobis erit, nulla illum sententia uti potuisse ejus Dei, quem destruere deberet, si non illi doceret. *Ergo*, inquit, *nemo glorietur in homine.* Et hoc secundum Creatoris disciplinam (*Jerem.* XVII, 5), *Miserum hominem, qui spem habet in hominem;* et (*Ps.* CXVII), *Bonum est fidere in Deo, quam fidere in homine* (8) : ita et gloriari (I *Cor.* IV, X).

CAPUT VII.

Et occulta tenebrarum ipse illuminabit, utique per Christum, qui Christum (9) illuminationem repromisit (*Is.* XLII, 6); se quoque lucernam pronuntiavit, *scrutantem corda et renes* (*Ps.* VII, 10). Ab illo erit et laus unicuique, a quo et contrarium laudis ut a judice. Certe, inquis (10), vel hic mundum Deum mundi interpretatur, dicendo : *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.* Quia (11) si mundum homines mundi significasset, non etiam homines postmodum nominasset. Imo ne ita argumentareris, providentia Spiritus Sancti demonstravit quidnam (12) dixisset, *Spectaculum facti sumus mundo;* dum angelis qui mundum ministrant, et hominibus quibus ministrant. Verebatur nimirum tantæ constantiæ vir, ne dicam Spiritus Sanctus, præsertim ad filios scribens, quos in Evangelio generaverat, libere Deum mundi nominare, adversus quem, nisi exerte, non posset videri prædicare. Non defendo secundum legem Creatoris displicuisse illum, *qui mulierem patris sui habuit*, communis et publicæ religionis secutus sit disciplinam. Sed cum eum *damnat dedendum Satanæ*, damnatoris Dei præco est. Viderit et quomodo dixerit *in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini*, dum et de carnis interitu, et de salute spiritus judicarit; et *auferri jubens malum de medio*, Creatoris frequentissimam sententiam commemoraverit. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi.* Ergo azymi figuræ erant nostræ apud Creatorem. Sic et *pascha nostrum immolatus est Christus.* Quare pascha Christus, si non pascha figura Christi, per similitudinem sanguinis salutaris, et pecoris Christi? Quid nobis et Christo imagines induit (13) solemnium Creatoris, si non erant nostræ? *Avertens autem nos a fornicatione*, manifestat carnis resurrectionem. *Corpus*, inquit, *non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori;* ut templum Deo, et Deus templo. Templum ergo Deo peribit, et Deus templo. Atquin vides, *Qui Dominum suscitavit, et nos suscitabit*, in corpore quoque suscitabit; quia corpus Domino, et Dominus corpori. Et bene quod aggerat : *Nescitis corpora vestra membra esse Christi?* Quid dicet hæreticus? Membra Christi non resurgent, quæ nostra jam non sunt? (b) *Empti enim sumus pretio* (14) *magno.* Plane nullo, si phantasma fuit Christus, nec habuit ullam substantiam corporis, quam pro nostris corporibus dependeret. Ergo (15) Christus habuit quo nos redimeret; et si aliquo magno redemit hæc corpora, in quæ eadem committenda (16) fornicatio non erit, ut in membra jam Christi, non nostra : utique sibi salva præstabit, quæ magno comparavit. Jam nunc quomodo honorabimus? quomodo tollemus Deum in corpore perituro? Sequitur de nuptiis congredi, quas Marcion constantior Apostolo prohibet. Etenim Apostolus, etsi *bonum continentiæ præfert*, tamen *conjugium et contrahi permittit, et usui esse, et magis retineri quam disjungi suadet.* Plane Christus vetat (*Matth.* V *et* XIX) divortium, Moyses vero permittit. Marcio totum concubitum auferens fidelibus (viderint enim catechumeni ejus) repudium ante nuptæ (17) jubens, cujus sententiam sequitur, Moysi an Christi? Atquin et Christi Apostolus (18), cum præcipit *mulierem a viro non discedere, aut si discesserit, manere innuptam, aut reconciliari viro;* et repudium permisit, quod non in to-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Indicatur *Par. Fran.*
(2) Super *inser. Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Tuus *Par. Fran.*
(4) Marcion *Par. Fran.*
(5) Nos *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Intentabis *Rhen. Seml. Ober.*
(7) Ad hunc sensum *Par. Fran.*
(8) Hominibus *Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Christus *Venet.* Christi *cod. Wouw.*
(10) Inquit *al.*
(11) Qui *Pam.*
(12) Quomodo *Rhen. Seml. Oberth.*
(13) Imbuit *Rhen. Venet.*
(14) Pretio *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(15) Et *add. Rhen. Seml. Ober.*
(16) Admittenda *Ciaccon.*
(17) Nuptias *Rhen. Seml. Oberth.* nuptis *Jun.*
(18) Christus *Rhen. Jun. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Si merces illi per ignem rependetur.* De igne Purgatorii explicant hunc locum Apostoli fere omnes, inter quos Franciscus Turrianus et S. I. latissime id expendit in defens. canonum Apost. Le Pr.

CAP. VII. — (b) *Empti enim sumus pretio magno.* Ut probet Marcioni veram carnem induisse Christum, ait, nos pretio magno aut nullo redemptos; nullo, si phantasma tantum fuit; magno, si ipse in corpore suo delicta nostra portavit. Le Pr.

tum prohibuit, et matrimonium confirmavit, quod primo vetuit disjungi, et si forte disjunctum, voluit reformari. Sed et continentiæ quas ait caussas? *Quia tempus in collecto est.* Putaveram, quia Deus alius in Christo; et tamen a quo est collectio temporis, ab eo erit et quod collectioni temporis congruit. Nemo alieno tempori consulit. Pusillum Deum adfirmas tuum, Marcion, quem in aliquo coangustat tempus Creatoris. Certe præscribens, *Tantum in Domino esse nubendum;* ne qui fidelis ethnicum matrimonium contrahat, legem tuetur Creatoris, allophylorum nuptias ubique prohibentis. *Sed, etsi sunt, qui dicuntur Dei, sive in cœlis, sive in terris;* apparet quomodo dixerit, non quasi (1) vere sint (2), qui dicantur quando non sint: de idolis enim cœpit, de idolothytis disputaturus: *Scimus quod idolum nihil sit.* Creatorem autem et Marcion Deum non negat; ergo non potest videri Apostolus Creatorem quoque inter eos posuisse, qui dii dicantur, et tamen non sint; quando etsi fuissent, *nobis tamen unus esset Deus Pater ex quo omnia* (3). Ex quo omnia nobis, nisi cujus omnia? Quænam ista? Habes in præteritis: *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura.* Adeo omnium Deum Creatorem facit, a quo et mundus, et vita, et mors; quæ alterius Dei esse non possunt. Ab eo igitur inter omnia et Christus. *Ex labore suo unumquemque docens vivere oportere* (a), satis exempla præmiserat militum, pastorum, rusticorum; sed divina illi auctoritas deerat. Legem igitur opponit Creatoris ingratis (4), quam destruebat: sui enim Dei nullam talem habebat. *Bovi*, inquit, *terenti os non obligabis;* et adjicit: *Nunquid de bobus pertinet ad Dominum?* etiam et (5) bobus propter homines benignum? *Propter nos enim scriptum est*, inquit. Ergo et legem allegoricam secundum nos probavit, et de Evangelio viventibus patrocinantem; ac propter hoc, non alterius esse Evangelizatores, quam cujus lex, quæ prospexit illis, cum dicit, *Propter nos enim* (6) *scriptum est.* Sed noluit uti legis potestate, quia maluit gratis laborare. Hoc *ad gloriam suam* retulit, quam *negavit quemquam evacuaturum*, non ad Legis destructionem, qua alium probavit usurum. Ecce autem et *in petram* offendit cæcus Marcion, *de qua bibebant in solitudine patres nostri.* Si enim petra illa Christus fuit, utique Creatoris, cujus et populus. Cui rei (*b*) figuram extranei sacramenti interpretatur? An ut hoc ipsum doceret, figurata fuisse vetera in Christum ex illis recensendum? Nam et reliquum exitum populi decursurus, præmittit: *Hæc autem exempla nobis sunt facta.* Dic mihi, a Creatore alterius quidem ignoti Dei hominibus exempla sunt facta? an alius Deus ab alio mutuatur exempla, et quidem æmulo? De illo me terret sibi, a quo fidem meam transfert? Meliorem me illi adversarius faciet? Jam si deliquero eadem quæ et populus, eademne passurus sum, annon? Atquin si non eadem, vane mihi timenda proponit, quæ non sum passurus. Passurus autem a quo ero? Si a Creatore, qualia infligere ipsius est? et quale erit, ut peccatorem æmuli sui puniat magis, quam e contrario foveat Deus zelotes? Si ab illo Deo, atquin punire non novit. Ita, tota ista propositio Apostoli nulla ratione consistit, si non ad disciplinam Creatoris est. Denique et in clausula præfationi respondet. *Hæc autem quemadmodum evenerunt illis, scripta sunt ad nos commonendos, in quos fines ævorum decucurrerunt.* O Creatorem et præscium jam et admonitorem alienorum Christianorum! Prætereo, si quando paria eorum quæ retractata sunt, quædam et breviter expungo. Magnum argumentum Dei alterius, permissio omnium obsoniorum, adversus Legem; quasi non et ipsi confiteamur Legis onera dimissa, sed ab eo qui imposuit, qui novationem repromisit; ita et cibos qui abstulit, reddidit, quod et a primordio præstitit. Cæterum, si quis alius Deus fuisset destructor Dei nostri, nihil magis suos prohibuisset, quam de copiis adversarii vivere. (II *Cor.*, XI, XIV).

CAPUT VIII.

Caput viri Christus est. Quis Christus, qui non est viri auctor? Caput enim ad auctoritatem posuit, auctoritas autem non alterius erit, quam auctoris. Cujus denique viri caput est? Certe de quo subjicit: *Vir enim non debet caput velare, cum sit Dei imago.* Igitur si Creatoris est imago (ille enim Christum Sermonem suum intuens hominem futurum, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram*), quomodo possum alterum habere caput, non cum cujus imago sum? Cum enim imago sum Creatoris, non est in me locus capitis alterius. Sed et quare *mulier potestatem super caput habere debebit?* Si *quia ex viro, et propter virum facta est* secundum institutionem Creatoris, sic quoque ejus disciplinam Apostolus curavit, de cujus institutione caussas disciplinæ interpretatur. Adjicit etiam, *Propter angelos.* Quos? id est, cujus? Si Creatoris apostatas, merito, ut illa facies quæ eos scandalizavit, notam quamdam referat de habitu humilitatis, et obscuratione decoris. Si

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quia *al.*
(2) Sed quia sint *add. Seml.* Sed quia sit *Fran.*
(3) Ex quo omnia *Seml. legitur Venet.*
(4) Ingratiis *Jun.*
(5) De *Pam.*
(6) Enim *omitt. Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) Ex *labore suo unumquemque docens vivere.* Hic variis exemplis probat, unumquemque victum debere sibi comparare ex labore suo. Sic B. apostolus dicebat olim manus sibi ministrasse quæ opus ei erant. Qui Evangelio serviunt, ex eodem vivere debent. LE PR.

(b) *Figuram extranei sacramenti.* Poterit exponi, figuram ejus qui sit extraneus a sacramento. Nam solet *extraneus* construere cum genitivo, ut supra adv. Marc. lib. II: Quis mali extraneus, nisi qui et inimicus? RHEN.

vero propter angelos Dei alterius, quid veretur, si nec ipsi Marcionitæ fœminas appetunt? Sæpe jam ostendimus *hæreses* apud Apostolum *inter mala ut malum poni, et eos probabiles intelligendos, qui hæreses ut malum fugiant.* Proinde panis et calicis sacramento jam (*Luc.*, XXII) in Evangelio probavimus corporis et sanguinis dominici veritatem (*a*), adversus phantasma Marcionis. Sed et omnem *judicii* mentionem Creatori competere, ut Deo judici, toto pene opere tractatum est. Nunc *de spiritalibus* dico, hæc quoque in Christum a Creatore promissa, sub illa præscriptione justissima, opinor, qua non alterius credenda sit exhibitio, quam cujus probata fuerit repromissio. Pronuntiavit Esaias (*Is.*, XI, 1): *Prodibit virga de radice Jesse* (1), *et flos de radice ascendet, requiescet super eum spiritus Domini.* Dehinc species ejus enumerat: *Spiritus sapientiæ et intelligentiæ, spiritus consilii et valentiæ, et spiritus agnitionis et religionis; spiritus eum replebit timoris Dei.* Christum enim in floris figura ostendit oriturum ex virga profecta de radice Jesse, id est virgine generis David filii Jesse, in quo Christo consistere haberet tota substantia spiritus; non quasi postea obventura illi, qui semper spiritus Dei fuerit, ante carnem quoque; ne ex hoc argumenteris prophetiam ad eum Christum pertinere, qui ut homo tantum ex solo censu David, postea consecuturus sit Dei sui spiritum. Sed quoniam exinde quo floruisset in carne sumpta ex stirpe David, requiescere in illo omnis haberet operatio gratiæ spiritalis, et concessare et finem facere quantum ad Judæos; sicut et res ipsa testatur, nihil exinde spirante penes illos spiritu Creatoris, *ablato a Judæa sapiente et prudente architecto, et consiliario, et propheta* (*Is.*, III, 2); ut hoc sit, *Lex et Prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.*, XVI, 16). Accipe nunc quomodo et a Christo in cœlum recepto *charismata obventura pronuntiarit. Ascendit in sublimitatem*, id est, in cœlum; *captivam duxit captivitatem*, id est, mortem, vel humanam servitutem; *data dedit* (2) *filiis hominum*, id est donativa, quæ charismata dicimus. Eleganter filiis hominum ait, non passim hominibus; nos ostendens filios hominum, id est, vere hominum, Apostolorum. *In Evangelio* enim, inquit, *ego vos generavi.* Et (*Gal.* IV, 19): *Filii mei, quos parturio rursus.* Jam nunc et illa promissio Spiritus absolute facta per Joelem (*Joel.* II): *In novissimis diebus* (3) *effundam de meo spiritu in omnem carnem, et prophetabunt filii filiæque eorum; et super servos et ancillas meas de meo spiritu effundam.* Et utique si in novissimos dies gratiam spiritus Creator repromisit, Christus autem spiritalium dispensator, in novissimis diebus apparuit, dicente Apostolo (*Gal.* IV, 4): *At ubi tempus expletum est, misit Deus Filium suum;* et rursus (I *Cor.*, VII, 29): *Quia tempus jam in collecto est;* apparet et de temporum ultimorum prædicatione, hanc gratiam Spiritus ad Christum prædicatoris pertinere. Compara denique species Apostoli et Esaiæ (*Is.* XI): *Alii*, inquit, *datur per Spiritum sermo sapientiæ;* statim et Esaias spiritum sapientiæ posuit. *Alii sermo scientiæ;* hic erit sermo intelligentiæ et consilii. *Alii fides in eodem spiritu;* hic erit spiritus religionis et timoris Dei. *Alii donum curationum, alii virtutum;* hic erit valentiæ spiritus. *Alii prophetia, alii distinctio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum;* hic erit agnitionis spiritus. Vides Apostolum et in distributione facienda unius spiritus, et in spiritalitate (4) interpretanda, Prophetæ conspirantem. Possum dicere, ipsum qui *corporis nostri per multa et diversa membra unitatem charismatum variorum compagini adæquavit*, eumdem et corporis humani, et Spiritus Sancti Dominum ostendi, qui meritum (5) charismatum noluerit esse in corpore spiritus, quæ nec in corpore humano collocavit, qui *de dilectione* quoque, *omnibus charismatibus præponenda*, Apostolum instruxerit principali præcepto, quod probavit et Christus: *Diliges Dominum de totis præcordiis, et totis viribus, et tota anima tua, et proximum tibi* (6) *tanquam teipsum* (7). Quod, etsi in lege scriptum esset, commemorat *in aliis linguis, et in aliis labiis locuturum* Creatorem, cum hac commemoratione *charisma linguarum* confirmat, nec hic potest videri alienum charisma Creatoris prædicatione confirmasse. Æque præscribens *silentium mulieribus in Ecclesia*, ne quid discendi (8) duntaxat gratia (9) loquantur, cæterum prophetandi jus et illas habere jam ostendit, cum mulieri etiam prophetanti velamen imponit, ex lege accipit subjiciendæ fœminæ auctoritatem, quam ut semel dixerim, nosse non debuit, nisi in destructionem. Sed ut jam a spiritalibus recedamus, res ipsæ probare debebunt, quis nostrum temere Deo suo vindicet; et an (10) nostræ parti possit opponi, hæc, etsi Creator repromisit in suum Christum nondum revelatum, ut Judæis tantum destinatum, suas habitura in suo tempore, in suo Christo, et in suo populo operationes. (*b*) Exhibeat itaque Marcion Dei sui dona, aliquos prophetas, qui tamen non de humano sensu, sed de Dei spiritu sint locuti, qui et futura

LECTIONES VARIANTES.

(1) De virga *add. Pam.*
(2) Dedit data *Pam.*
(3) Temporibus *Seml.*
(4) Specialitate *Venet.*
(5) Merita *Rhen.*
(6) Tuum *Fran.*
(7) Ipsum *omitt. Ober.*
(8) Docendi *Rhen.* dicendi *Pam.*
(9) Gloria *Seml.*
(10) Quia *Par. Fran. a Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Probavimus corporis et sanguinis dominici veritatem.* Lib. scilicet superiore; id autem factum contra perversam Marcionis opinionem, qui carnem Christi phantasticam dicebat. LE PR.

(b) *Exhibeat itaque Marcion Dei sui dona.* Vaticinia sua de Deo suo proferat, modo Dei spiritu agitati fuerint illi prophetæ, iis sane obtemperabo. LE PR.

prænuntiarint, et cordis occulta traduxerint. Edat *aliquem psalmum, aliquam visionem, aliquam orationem*, duntaxat spiritalem, *in ecstasi*, id est amentia, si *qua linguæ interpretatio* accessit. Probet mihi, etiam (1) mulierem apud se prophetasse, (*a*) ex illis suis sanctioribus fœminis, magnidicam (2). Si hæc omnia facilius a me proferuntur, et utique conspirantia regulis et dispositionibus et disciplinis Creatoris, sine dubio Dei mei erit et Christus, et Spiritus, et Apostolus. Habet professionem meam, qui voluerit eam exigere.

CAPUT IX.

Interim Marcionites nihil hujusmodi (3) (I *Cor.* XV) exhibebit, qui timet jam (4) pronuntiare, cujus (5) magis Christus nondum sit revelatus. Sicut meus expectandus est, qui a primordio prædicatus est, illius idcirco non est, quia non a primordio sit. Melius non credimus in Christum futurum, quam hæreticus in nullum. (*b*) *Mortuorum resurrectionem* quomodo *quidam* tunc *negarint*, prius dispiciendum est. Utique eodem modo quo et nunc. Siquidem semper resurrectio carnis negatur. Cæterum, animam et sapientium plures divinam vindicantes, salvam repromittunt; et vulgus ipsum ea præsumptione defunctos colit, qua animas eorum manere confidit. Cæterum, corpora aut ignibus statim, aut feris, aut etiam diligentissime condita, temporibus tamen aboleri manifestum est. Si ergo carnis resurrectionem negantes Apostolus retundit, utique adversus illos tuetur, quod illi negabant, carnis scilicet resurrectionem. Habes compendio responsum. Cætera jam ex abundanti. Nam et ipsum quod mortuorum resurrectio dicitur, exigit defendi proprietates vocabulorum. Mortuum (6) itaque vocabulo non est, nisi quod amisit animam, de cujus facultate vivebat. Corpus est quod amittit animam, et amittendo fit mortuum: ita *mortui* vocabulum corpori competit. Porro, si resurrectio mortui est, mortuum autem non aliud est quam corpus, corporis erit resurrectio. Sic et *resurrectionis* vocabulum non aliam rem vindicat, quam quæ cecidit. Surgere enim potest dici et quod omnino non cecidit, quod semper retro jacuit; resurgere autem non est nisi ejus quod cecidit. Iterum enim surgendo quia cecidit, resurgere dicitur. *Re* enim syllaba iterationi semper adhibetur. Cadere ergo dicimus corpus in terram per mortem, sicut et res ipsa testatur, ex Dei lege; corpori enim dictum est (*Gen.* III, 19): *Terra es et in terram ibis.* Ita quod de terra est, ibit in terram. Hoc abit, quod in terram ibit (7); hoc resurgit, quod cadit. *Quia per hominem mors, et per hominem resurrectio.* Hic mihi et Christi corpus ostenditur in nomine hominis, qui constat ex corpore, ut sæpe jam docuimus. Quod si sic *in Christo vivificamur omnes, sicut mortificamur in Adam:* quando (8) in Adam corpore mortificamur, sic necesse est et in Christo corpore vivificemur. Cæterum, similitudo non constat, si non in eadem substantia mortificationis in Adam, vivificatio concurrat in Christo. Sed interposuit adhuc aliquid de Christo, et propter præsentem disceptationem non omittendum. Tanto magis enim probabitur carnis resurrectio, quanto Christum ejus Dei ostendero, apud quem creditur carnis resurrectio. Cum dicit: *Oportet enim regnare eum, donec ponat inimicos ejus sub pedes ejus;* jam quidem et ex hoc ultorem Deum edicit, atque exinde ipsum qui hoc Christo repromiserit (*Ps.* CIX): *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, et dominabitur* (9) *in medio inimicorum tuorum; tecum*, et cætera (10). Sed necesse est, ad meam sententiam pertinere defendam eas Scripturas, quas (*c*) et Judæi nobis avocare conantur. Dicunt denique hunc Psalmum (*Ps.* CIX) in Ezechiam cecinisse, quia is sederit ad dexteram templi, et hostes ejus averterit Deus et absumpserit (IV *Reg.* XIX); propterea igitur, et *ante luciferum ex utero generavi te*, in Ezechiam convenire, (*d*) et in (11) Ezechiæ nativitatem. (*e*) Nos edimus Evangelia, de quorum fide aliquid utique jam (*f*) in tanto opere istos confirmasse debemus, nocturna nativitate declarantia Dominum, ut hoc sit *ante luciferum*, et ex stella Magis intellecta, et ex tes-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Etiam mihi *Pam.*
(2) Magni ducam *Venet.*
(3) Ejusmodi *Venet.*
(4) Etiam *Lat.*
(5) Cujusnam *Lat.*
(6) Mortuorum *Par.*; itaque vocabulo *omitt. Seml.*
(7) Cadit q. i. t. abit *Ciaccon.*
(8) Quomodo *Lat.*
(9) Dominaberis *Fran.* et dominare *al.*
(10) Et cætera *omitt. Seml.*
(11) Ante *cod. Pithœ.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ex illis suis sanctioribus fœminis.* Maximillam forsan Montani asseclam notat; quanquam non temere dixerim hic perstringere multas, ut Simonis Magi Helenam, Apellis Philumenem, Carpocratis Marcellinam, et Marcionis ipsius fœminam illam, quam Romam miserat ut sibi domum præpararet. LE PR.

CAP. IX. — (b) *Mortuorum resurrectionem quomodo quidam tunc negarint.* Sadducæos intelligit, de quibus superius egimus satis fuse. LE PR.

(c) *Judæi nobis avocare conantur.* Rabbini scilicet, ut suam pervicaciam tueantur, e manibus nostris locum illum extrahere conantur, *dominabitur in medio inimicorum tuorum*, explicantes de Ezechia. LE PR.

(d) *Et in Ezechiæ nativitatem.* Recte istud refutat adversus Ebionæos, hær. 30, B. Epiphanius, probans ex Scripturis Ezechiam, cum prædiceret Isaias cap. VII. *Ecce virgo concipiet*, natum fuisse an. 11. B. Justino sufficit dicere quod Ezechias ex virgine non fuerit natus. PAM.

(e) *Nos edimus Evangelia*, etc. Hic protestatur quod Marcion tum Evangelii Lucæ tria priora capita, tum totum Matthæi Evangelium rejiciebat, afferre volens ex c. II Lucæ et IV Matthæi testimonia, quæ ipsa etiam paulo prius allegat B. Justinus. PAM.

(f) *In tanto opere istos confirmasse debemus.* Istos, nimirum Judæos. RIG.

timonio angeli, qui nocte pastoribus annuntiavit natum esse cum maxime Christum; et ex loco partus: *in diversorium* enim ad noctem convenitur. Fortasse an et mystice factum sit ut nocte Christus nasceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris. Sed nec *generavi te* edixisset Deus, nisi filio puero (1). Nam etsi de toto populo ait (*Is.* I): *Filios generavi;* sed non adjecit: *Ex utero.* Cur autem adjecit *Ex utero*, tam vane, quasi aliquis hominum ex utero natus dubitaretur, nisi quia curiosius voluit intelligi in Christum: *Ex utero generavi te*, id est, ex solo utero, sine viri semine, (a) carni deputans ex utero spiritus? Quod et in (2) ipso hic accedit: *Tu es sacerdos in ævum.* Nec sacerdos autem Ezechias, nec in ævum, etsi fuisset. *Secundum ordinem*, inquit, *Melchisedech.* Quid Ezechias, ad Melchisedech Altissimi sacerdotem, et quidem non circumcisum, qui Abraham circumcisum jam accepta decimarum oblatione benedixit? At in Christum convenit ordo Melchisedech, quoniam quidem Christus proprius et legitimus Dei antistes, præputiati sacerdotii pontifex, tum in nationibus constitutus, a quibus magis suspici habebat, (3) cognituram se quandoque circumcisionem, et Abrahæ gentem, cum ultimo venerit, acceptatione et benedictione dignabitur. Est et alius Psalmus (*Ps.* LXXI) ita incipiens: *Deus judicium tuum regi da*, id est, Christo regnaturo: *Et justitiam tuam filio regis*, id est, populo Christi. Filii enim ejus sunt, qui in ipso renascuntur. Sed (4) et hic Psalmus Salomoni cancre dicetur; quæ tamen soli competunt Christo, docere non potuerunt etiam cætera non ad Salomonem, sed ad Christum pertinere? *Descendit*, inquit, *tanquam imber super vellus, et velut stillæ destillantes in terram.* Placidum descensum ejus et insensibilem describens de cœlo in carnem. Salomon autem etsi descendit alicunde, non tamen sicut imber, quia non de cœlo. Sed simpliciora quæque proponam. *Dominabitur*, inquit, *a mari ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ.* Hoc soli datum est Christo. Cæterum, Salomon uni et modicæ Judææ imperavit. *Adorabunt illum omnes reges;* quem omnes, nisi Christum? *Et servient ei omnes nationes;* cui omnes, nisi Christo? *Sit nomen ejus in ævum;* cujus nomen in æternum, nisi Christi? *Ante solem manebit nomen ejus*, ante solem enim Sermo Dei, id est Christus. *Et benedicentur in illo universæ gentes;* in Salomone nulla natio benedicitur, in Christo vero omnis. Quid nunc si et Deum cum (5) Psalmus iste demonstrat? *Et beatum eum dicent;* quoniam *benedictus Dominus Deus Israelis, qui facit mirabilia solus. Benedictum nomen gloriæ ejus, et replebitur universa terra gloria ejus.* Contra, Salomon, audeo dicere, etiam quam habuit in Deo gloriam amisit, per mulierem in idololatriam usque pertractus. Itaque cum in medio psalmo illud quoque positum sit: *Inimici ejus pulverem lingent*, subjecti utique pedibus ipsius, ad illud pertinebit, propter quod hunc psalmum et intuli, et ad meam sententiam defendi, ut confirmaverim et regni gloriam, et inimicorum subjectionem, secundum dispositionem Creatoris, consecuturus (6), non alium credendum, quam Creatoris.

CAPUT X.

Revertamur nunc ad resurrectionem, cui et alias quidem proprio volumine (*b*) satisfecimus omnibus hæreticis resistentes; sed nec hic desumus propter eos qui illud opusculum ignorant. *Quid*, ait, *facient* (*c*) *qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt* (I *Cor.*, XV)? (*d*) Viderit institutio ista. Kalendæ si forte Februariæ respondebunt illi, (*e*) pro mortuis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vero *Ciacc. prob. Jun.*
(2) Quod ex ipso. Huc *Ober.*
(3) Et *add. Seml.*
(4) Sic *inser. Lat. Seml Oberth.*
(5) Meum *Rhen.* cum *Venet.*
(6) Consecuturum *Pam.*

COMMENTARIUS.

(a) *Carnis deputans ex utero spiritus.* Spiritus Sanctus in eo psalmo verba hæc: *Ex utero*, carni significandæ deputavit. Rig.

CAP. X. — (b) *Proprio volumine.* Est liber *de Resurrectione carnis.* Seml.

(c) *Qui pro mortuis baptizantur.* Scio quosdam non de baptismo viventis pro mortuo explicare, sed de absolutione corporis propter sordes quas contraxerit ex contactu mortui. Le Pa.

(d) *Viderit institutio ista. Kalendæ si forte februariæ respondebunt illi, pro mortuis peterent.* Hæc scriptura est exemplaris Ursini. Nunc vero talem Tertulliani fuisse non existimo. Nam interroganti Apostolo: *Quid facient qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt?* Absurde responsum fuisset, *Kalendæ februariæ pro mortuis peterent.* Etenim nihil propterea juvaretur institutio illa, quam ævo Apostolorum fuisse apud quosdam Septimius credidit, baptizari pro mortuis. Nempe hoc interrogatione Apostoli ponitur, mortuos non resurgere. Itaque dicenti, mortuos non resurgere, quis adeo stolide respondisset, Kalendas februarias pro mortuis petituras? Pro mortuis videlicet non resurgentibus tam absurda et inutilia fuissent februa, quam Baptismus. Videamus ergo quænam fuerit mens Septimii. Profert Apostoli verba: *Quid facient qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt?* Quibus verbis significari putat fuisse tunc a quibusdam institutum, ut pro mortuis baptizarentur. Deinde ait: *Viderit institutio ista an ratione aliqua nitatur.* Et statim comparat illi morem ethnicum: Kalendæ, inquit, februariæ respondent et comparari possunt illi, pro mortuis petere, τῷ εὔχεσθαι ὑπὲρ τῶν νέκρων, illi scilicet ritui sive institutioni, nempe baptizari, seu petere pro mortuis. Nam et februa celebrantur pro caris cognatorum mortuis, atque hinc nomen inditum mensi februario, et Kalendis februaris. Ovidius,

Vota deo Dili Februa mensis habet.

Item:

Post superum cultus vicino Februa mense
Dat Numa cognatis Manibus inferias.

Hancce autem scripturam, *respondebunt illi pro mortuis petere*, servavit codex Divionensis, servavere et codices, quibus usus est Rhenanus. Rig.

(e) *Pro mortuis petere.* Idem mihi videtur *pro mortuis petere*, ac *februa poscere*, de quibus l.b. II Fast. Ovid.

Ipse ego flaminiam pascentem februa vidi,
Februa poscenti pinea virga data est.

Hoc est sacra februa sive expiationem postulare pro mortuis, sive propter cædem, sive propter defectum exequiarum. Le Pa.

petere (1). Noli ergo Apostolum novum statim auctorem aut confirmatorem ejus denotare, ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent. Habemus illum alicubi (*Eph.*, IV, 5) unius baptismi definitorem (2). Igitur et pro mortuis tingui, pro corporibus est tingui; mortuum enim corpus ostendimus. Quid facient qui pro corporibus baptizantur, si corpora non resurgunt? Atque adeo recte hunc gradum figimus, ut et Apostolus secundam disceptationem æque de corpore induxerit. *Sed dicent quidam : Quomodo mortui resurgent? quo autem corpore venient?* Defensa etenim resurrectione quæ negabatur, consequens erat de qualitate corporis retractare, quæ non videbatur. Sed de ista cum aliis congredi convenit. Marcion enim in totum carnis resurrectionem non admittens, et soli animæ salutem repromittens, non qualitatis, sed substantiæ facit quæstionem. Porro et ex his manifestissime obducitur, quæ Apostolus ad qualitatem corporis tractat propter illos qui dicunt, *Quomodo resurgent mortui? quo autem corpore venient?* (jam enim prædicavit resurrecturum esse corpus) (3) de corporis qualitate tractari. Denique si proponit exempla *grani tritici, vel alicujus ejusmodi, vel quibus det corpus Deus prout volet*; si *unicuique seminum, proprium* ait *esse corpus; et* (4) *aliam quidem carnem hominum, aliam vero pecudum et volucrum; et corpora cœlestia atque terrena; et aliam gloriam solis, et lunæ aliam, et stellarum aliam:* nonne carnalem et corporalem portendit resurrectionem, quam per carnalia et corporalia exempla commendat? nonne etiam ab eo Deo eam spondet, a quo sunt et exempla? *Sic et resurrectio*, inquit. *Quomodo?* sicut et granum *corpus seritur, corpus resurgit.* Seminationem denique vocavit dissolutionem corporis in terram, quia *seritur in corruptela, resurgit in honestatem et virtutem.* Cujus ille ordo in dissolutione, ejus et hic in resurrectione corporis, scilicet sicut et granum. Cæterum, si auferas corpus resurrectioni, quod dedisti dissolutioni, ubi consistet diversitas exitus? Proinde etsi *seritur animale, resurgit spiritale.* Et si habet aliquod proprium corpus anima vel spiritus, ut possit videri corpus animale animam significare, et corpus spiritale spiritum; non ideo animam dicit in resurrectione spiritum futurum (5), sed corpus, quod cum anima nascendo, et per animam vivendo, animale dici capit, futurum spiritale, dum per spiritum surgit in æternitatem. Denique, si non anima, sed caro seminatur in corruptela dum dissolvitur in terram, jam non anima erit corpus animale, sed caro, quæ fuit corpus animale. Siquidem de animali efficitur spiritale, sicut et infra dicit: *Non primum quod spiritale.* Ad hoc enim et de ipso Christo præstruit: *Factus primus homo Adam in animam vivam; novissimus Adam in spiritum vivificantem*; (*a*) licet stultissimus hæreticus noluerit ita esse. Dominum enim posuit novissimum, pro novissimo Adam; veritus scilicet ne si et Dominum novissimum haberet Adam, et ejusdem Christum defenderemus in Adam novissimo, cujus et primum. Sed falsum relucet. Cur enim primus Adam, nisi quia et novissimus Adam? Non habent ordinem inter se nisi paria quæque, et ejusdem vel nominis, vel substantiæ, vel auctoris. Nam etsi potest in diversis quoque esse aliud primum, aliud novissimum; sed unius auctoris. Cæterum, si et auctor alius, et ipse quidem potest novissimus dici. Quod tamen intulerit, primum est; novissimum autem, si primo par sit. Par autem primo non est, quia non ejusdem auctoris est. Eodem modo et in homine hominis revincetur. *Primus*, inquit, *homo de humo terrenus; secundus, dominus de cœlo.* Quare secundus, si non homo, quod et primus? aut numquid et primus dominus, si et secundus? Sed sufficit, si Evangelio Filium hominis adhibet Christum et hominem, et in nomine Adam, eum negare non poterit. Sequentia quoque eum comprimunt. Cum enim dicit Apostolus: *Qualis qui de terra*, homo scilicet, *tales et terreni*, homines utique; ergo et qualis qui de cœlo, homo, tales et qui de cœlo, homines. Non enim poterat hominibus terrenis non homines cœlestes opposuisse, ut statum ac spem studiosius distingueret in appellationis societate. Statu enim ac spe dicit terrenos atque cœlestes homines; tamen ex pari, qui secundum exitum aut in Adam aut in Christo deputantur. Et ideo jam ad exhortationem spei cœlestis: *Sicut portavimus*, inquit, *imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis*; non ad substantiam ullam referens resurrectionis, sed ad præsentis temporis disciplinam. *Portemus* enim, inquit, non portabimus; præceptive, non promissive, volens nos sicut ipse incessit, ita incedere, et a terreni, id est, veteris hominis imagine abscedere, quæ est carnalis operatio. Denique, quid subjungit? *Hoc enim dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*; opera scilicet carnis et sanguinis, quibus et ad Galatas (*Gal.*, V, 19-21) scribens, abstulit Dei regnum, solitus et alias substantiam pro operibus substantiæ ponere; ut cum dicit, *Eos qui in carne sunt, Deo placere non posse*; quando enim placere Deo poterimus, nisi dum in carne hac sumus? Aliud tempus operationis nullum, opinor, est. Sed si in carne quamquam constituti, carnis opera fugiamus; (*b*) tum non erimus in carne, dum non in substantia carnis non sumus, sed in

LECTIONES VARIANTES.

(1) Peterent *Wouw.*
(2) Diffinitorem *al.*
(3) Id *mser. Pom.* ideo *Ciaccon.*
(4) Ut *Seml.*
(5) Futuram *Ober.*

COMMENTARIUS.

(a) *Licet stultissimus hæreticus.* Is est Marcion, qui hoc encomio celebratur hic, ut apud S. Hieronymum Vigilantius, Jovinianus, aliique veris coloribus depinguntur, dum talibus titulis decorantur. LE PR.

(b) *Tum non erimus in carne.* Si quamdiu vitam hanc egimus carnis opera seu peccata evitemus, non

culpa. Quod si in nomine carnis opera, non substantiam carnis jubemur exponere; operibus ergo carnis, non substantiæ carnis, in nomine carnis (1) denegatur Dei regnum. Non enim id damnatur, in quo male fit, sed id quod fit. Venenum dare, scelus est; calix tamen in quo datur, reus non est. Ita et corpus carnalium operum vas est, anima est autem quæ in illo venenum alicujus mali facti temperat. Quale (2) autem, ut si anima auctrix operum carnis merebitur Dei regnum, (a) per expiationem eorum quæ in corpore admisit, corpus ministrum solummodo, in damnatione permaneat? Veneficio absoluto, calix erit puniendus? Et tamen non utique carni defendimus Dei regnum, sed resurrectionem substantiæ suæ, quasi januam regni per quam aditur. Cæterum, aliud resurrectio, aliud regnum. Primo enim resurrectio, B dehinc regnum. Resurgere itaque dicimus carnem, sed mutatam consequi regnum. *Resurgent* enim *mortui incorrupti*; illi scilicet, qui fuerant corrupti, dilapsis corporibus in interitum. *Et nos mutabimur in atomo, in oculi momentaneo motu. Oportet enim corruptivum hoc* (tenens utique carnem suam dicebat Apostolus) *induere incorruptelam, et mortale hoc immortalitatem*; ut scilicet habilis substantia efficiatur regno Dei. *Erimus* enim *sicut angeli*. Hæc erit demutatio carnis (3) resuscitatæ. Aut si nulla erit, quomodo induet incorruptelam et immortalitatem? Aliud igitur facta per demutationem, tunc consequetur Dei regnum; jam non caro nec sanguis, sed quod illi corpus Deus dederit. Et ideo recte Apostolus: *Caro et sanguis regnum Dei non consequentur*; demutationi C illud adscribens, quæ accedit resurrectioni. Si autem tunc *fiet verbum*, *quod scriptum est* apud Creatorem: *Ubi est, mors, victoria tua*, vel (4) contentio tua? *Ubi est, mors, aculeus tuus?* Verbum autem hoc Creatoris est, per Prophetam; ejus erit et res, id est regnum, cujus et verbum fiet in regno. Nec alii *Deo gratias* dicit, *quod nobis victoriam*, utique de morte, *referre præstiterit*, quam illi a quo verbum insultatorium de morte et triumphatorium accepit (II *Cor.*, I, III *et* IV).

CAPUT XI.

Si *Deus* commune vocabulum factum est vitio erroris humani, quatenus plures dei dicuntur atque creduntur in sæculo, *benedictus* tamen *Deus Domini nostri Jesu Christi Pater* non alius quam Creator intelligetur, qui et universa benedixit, habes Genesim (*Gen.*, I); et ab universis benedicitur, habes Danielem (*Dan.*, III). Proinde si pater potest dici sterilis Dei nullius magis nomine quam Creatoris; *misericordiarum* tamen *pater* idem erit, qui misericors, et miserator, et misericordiæ plurimus est dictus: habes apud Jonam (*Jon.*, III, IV) cum ipso misericordiæ exemplo, quam Ninivitis exorantibus præstitit, facilis et Ezechiæ (IV *Reg.*, XX) fletibus flecti, et Achab marito Jezabelis deprecanti sanguinem ignoscere Nabothæ (III *Reg.*, XXI), et David agnoscenti delictum statim indulgere (II *Reg.*, XII); malens scilicet pœnitentiam peccatoris, quam mortem, utique ex misericordiæ affectu (*Os.*, VI). Si quid tale Marcionis Deus edidit vel edixit, agnoscam patrem misericordiarum. Si vero ex eo tempore hunc titulum ei adscribit, quo revelatus, quasi exinde sit pater misericordiarum, quo liberare instituit genus humanum; atquin et nos ex eo tempore negamus illum, ex quo dicitur revelatus: non potest igitur aliquid ei adscribere, quem tunc ostendit, cum aliud (5) ei adscribit. Si enim prius constaret eum esse, tunc et adscribi ei potest. Accidens enim est quod adscribitur: accidentia autem antecedit ipsius rei ostensio cui accidunt; maxime cum jam alterius est, quod adscribitur ei, qui prius non sit ostensus, tanto magis negabitur esse, quanto per quod affirmatur esse, ejus est, qui jam ostensus est. Sic et Testamentum Novum non alterius erit, quam qui illud repromisit; etsi *non litera*, at ejus *spiritus*, hoc erit novitas. Denique, qui literam *tabulis lapideis* inciderat, idem et de spiritu edixerat (*Joel.* III, 28): *Effundam de meo spiritu in omnem carnem*, Et si *litera occidit*, *spiritus vero vivificat*, ejus utrumque est qui ait (*Deut.* XXXII, 39): *Ego occidam, et vivificabo; percutiam, et sanabo*. Olim duplicem vim Creatoris vindicavimus (6), et judicis et boni; (*b*) litera occidentis per Legem, et spiritu vivificantis per Evangelium. Non possunt duos deos facere, quæ etsi diversa, apud unum recenseri prævenerunt. Commemorat *et de velamine Moysi, quo faciem tegebat incontemplabilem filiis Israel*. Si ideo ut claritatem majorem defenderet Novi Testamenti, *quod manet in gloria*, quam veteris, *quod evacuari habebat*; hoc et meæ convenit fidei, præponenti Evangelium legi. Et vide ne magis meæ. Illic enim erit superponi quid, ubi fuerit et illud cui superponitur. At cum dicit: D *Sed obtusi sunt sensus mundi*; non utique Creatoris, sed populi qui in mundo est. De Israele (7) enim di-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Carnis *hic omitt. Seml.*
(2) Est *add. Obert.*
(3) Sed *add. Seml.*
(4) Ubi *al.*
(5) Aliquid *Pam.*
(6) Vindicamus *Seml.*
(7) Israel *Ober.*

COMMENTARIUS.

ideo in carne fuisse dicemur. Neque enim substantiæ carnis, Dei regnum denegatur, sed peccato. LE PR.

(a) *Per expiationem eorum quæ in corpore admisit.* Non abs re de purgatione post mortem subeunda, accurata quidem et diligenti, hæc intelligi poterunt. LE PR.

CAP. XI.—(b) *Litera occidentis per legem.* Pauli verba sunt II ad Cor. III, 6· *Litera occidit, Spiritus vivificat.* Literam vocat Leges mosaicas, Spiritum Evangelium. Lex Mosaica per Evangelium abrogata, jam nihil est quam litera, corporeum aliquid quod oculis nostris legendum exhibetur. Et quamdiu stetit, corporeum aliquid præstabat. Etenim violata mortem inferebat; observata, præmium felicitatis alicujus corporeæ sive terrenæ. Verba autem Christi Evangelio comprehensa spiritus sunt et vita. Etenim pœnitentibus reis offe-

cit : *Ad hodiernum usque velamen id ipsum in corde corum.* Figuram ostendit fuisse velamen faciei in Moyse, velaminis cordis in populo, quia nec nunc apud illos perspiciatur Moyses corde, sicut nec facie tunc. Quid est ergo adhuc velatum in Moyse quod pertineat ad Paulum, si Christus Creatoris a Moyse prædicatus nondum venit? Quomodo jam operta et velata adhuc denotantur corda Judæorum, nondum exhibitis prædicationibus Moysi, id est de Christo, in quo eum intelligere deberent? Quid ad apostolum Christi alterius, si Dei sui sacramenta Judæi non intelligebant, nisi quia velamen cordis illorum ad cæcitatem, qua non perspexerant Christum, Moysi pertinebat? Denique, quod sequitur : *Cum vero converterit ad Deum, auferetur velamen;* hoc Judæo proprie dicit, apud quem et est velamen Moysi : qui cum transierit in fidem Christi, intelligit Moysen de Christo prædicasse. Cæterum, quomodo auferetur velamentum Creatoris in Christo Dei alterius, cujus sacramenta velasse non potuit Creator, ignoti videlicet ignota? Dicit ergo, *nos jam aperta facie*, utique cordis, quod velatum est in Judæis, *contemplantes Christum, eadem imagine transfigurari a gloria* (qua scilicet et Moyses transfigurabatur a gloria Domini) *in gloriam :* ita corporalem Moysi inluminationem de congressu Domini, et corporale velamen de infirmitate populi proponens et spiritalem claritatem in Christo superinducens, *tanquam a Domino*, inquit, *spirituum* (1), totum ordinem Moysi, figuram ignorati apud Judæos, agniti vero apud nos Christi fuisse testatur. Scimus quosdam sensus ambiguitatem pati posse, de sono pronuntiationis, aut de modo distinctionis, cum duplicitas earum intercedit. Hanc Marcion captavit sic legendo, *In quibus (a) Deus ævi hujus;* ut Creatorem ostendens Deum hujus ævi, alium suggerat Deum alterius ævi. Nos contra, sic distinguendum dicimus : *In quibus Deus;* dehinc : *ævi hujus excæcavit mentes infidelium; in quibus*, Judæis infidelibus, in quibus opertum est aliquibus Evangelium adhuc sub velamine Moysi. Illis enim Deus (*Is.* XXIX, 13), *labiis diligentibus eum, corde autem longe absistentibus ab eo*, minatus fuerat (*Is.* VI, 10) : *Aure audietis, et non audietis; oculis videbitis, et non videbitis;* et (*Is.* VII, 9) : *nisi credideritis, nec intelligetis;* et (*Is.* XXIX, 14) : *auferam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium irritam faciam.* Hæc autem non utique de Evangelio Dei ignoti absconendo minabatur. Ita, non (2) hujus ævi *Deus*, sed *infidelium hujus ævi excæcat cor*, quod Christum ejus non ultro recognoverint de Scripturis, intelligendum. Et positum in ambiguitate distinctionis hactenus tractasse, ne adversario prodesset, contentus victoriæ, næ ultro (3) possum et in totum contentionem hanc præterisse simpliciori responso. Præ manu erit scilicet (4) hujus ævi dominum diabolum interpretari, qui dixerit, propheta referente (*Is.* XIV, 14) : *Ero similis Altissimi, ponam in nubibus thronum meum;* sicut et tota hujus ævi superstitio illi mancipata est, qui excæcet infidelium corda, et in primis, apostatæ Marcionis. Denique, non vidit occurrentem sibi clausulam sensus : *Quoniam Deus, qui dixit ex tenebris lucem lucescere, reluxit in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis suæ, in persona Christi.* Quis (5) dixit : *Fiat lux?* Et de illuminatione mundi, quis Christo ait (*Is.* XLII, 6) : *Posui te in lumen nationum*, sedentium scilicet in tenebris, et in umbra mortis? Cui respondet Spiritus in psalmo, ex providentia futuri (*Ps.* IV, 7) : *Significatum est*, inquit, *super nos lumen personæ tuæ, Domine.* Persona autem Dei, Christus Dominus. Unde et apostoli supra : *Qui est imago*, inquit, *Dei.* Igitur si Christus persona Creatoris dicentis, *Fiat lux;* et Christus, et Apostoli, et Evangelium, et velamen et Moyses, et tota series secundum testimonium clausulæ Creatoris est Dei hujus ævi, certe non ejus qui nunquam dixit : *Fiat lux.* Prætereo hic et de alia Epistola, quam nos ad Ephesios præscriptam habemus, (*b*) hæretici vero ad Laodicenos. Ait enim (*Eph.* II, 12) meminisse nationes, quod illo in tempore *cum essent sine Christo, alieni ab Israele, sine conversatione, et testamentis, et spe promissionis, etiam sine Deo* (6) *essent*, in mundo utique, etsi de Creatore. Ergo si nationes sine Deo dixit esse, Deus autem illis diabolus est, non Creator, apparet dominum ævi hujus cum intelligendum, quem nationes pro Deo receperunt, non Creatorem quem ignorant. Quale est autem ut non ejusdem habeatur *thesaurus in fictilibus vasis nostris*, cujus et vasa sunt? Nam si gloria Dei est in fictilibus vasis tantum thesauri haberi; vasa autem fictilia Creatoris sunt; ergo et gloria Creatoris est, cujus vasa eminentiam virtutis Dei sapiunt, et virtus ipsa. Quia propterea in vasa fictilia commissa sunt, ut eminentia ejus probaretur. Cæterum, jam non erit alterius Dei gloria, ideoque nec virtus, sed magis dedecus et infirmitas, cujus eminentiam fictilia et quidem aliena ceperunt. Quod

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritu *al.*
(2) Etsi *Venet.*
(3) Nec ultra *Lat.*
(4) Scilicet *omitt. Venet.*
(5) Sic *add. Semi.*
(6) Domino *Ober.*

COMMENTARIUS.

runt misericordiam et gratiam delictorum, et vitam æternam; quæ cœlestia sunt, non terrena. Rig. — *Litera occidentis.* Menander:

> Νόμος φυλαχθείς, οὐδὲν ἦττον ἢ νόμος.
> Ὁ μὴ φυλαχθείς, καὶ νόμος, καὶ δίκαιος.

De litera Mosis. Chrysostomus, *ὁ νόμος ἐὰν λόξῃ φανῇ, ἀναιρεῖ· καὶ τί λέγω φανῇ; ξύλα ἔλαβεν ἐν σαββάτῳ συλλέξαντα ὁ νόμος, καὶ ἐλίθασε.* Rig.

(a) *Deus ævi hujus.* Cacodæmonem notat, quia dii gentium dæmonia, ut habetur in Psal. et apud Apostolum : *quorum Deus venter est.* Le Pr.

(b) *Hæretici vero ad Laodicenos.* De hac epistola adversus marcionitas etiam producit testimonia cap. XVII infra, ubi explicatur etiam illud, *meminisse nationes*, etc., sed longe aliis verbis magis Apostolo congruentibus. Pam.

si hæc sunt *fictilia vasa in quibus tanta nos pati dicit, in quibus etiam mortificationem circumferimus Domini* (1); satis ingratus Deus et injustus, si non et hanc substantiam resuscitaturus es (2), in qua pro fide ejus tanta tolerantur, in qua et mors Christi circumfertur, in qua et eminentia virtutis consecratur. Sed enim proponit: *Ut et vita Christi manifestetur in corpore nostro*, scilicet sicut et mors ejus circumfertur in corpore. De qua ergo Christi vita dicit? Qua nunc vivimus in illo? Et quomodo in sequentibus non ad visibilia, nec ad temporalia, sed ad invisibilia et ad æterna, id est, non ad præsentia, sed ad futura exhortatur? Quod si de futura vita dicit Christi, in corpore eam dicens apparituram, manifeste carnis resurrectionem prædicavit, exteriorem quidem hominem nostrum corrumpi dicens, et non quasi æterno interitu post mortem, verum laboribus et incommodis, de quibus præmisit, adjiciens: *Et non deficiemus.* Nam et *interiorem hominem nostrum renovari de die in diem* dicens, hic utrumque demonstrat, et corporis corruptionem ex vexatione tentationum, et animi renovationem ex contemplatione promissionum.

CAPUT XII.

Terreni (a) *domicilii nostri* (II *Cor.* V, VI, VII, XI, XII *et* XIII) (3): Non sic ait *habere nos domum æternam, non manu factam in cœlis* (4), quia quæ manu facta sit Creatoris, intereat, in totum dissoluta post mortem. Hæc enim ad mortis metum, et ad ipsius dissolutionis contristationem consolandam retractans etiam per sequentia manifestius, cum subjicit: *Ingemere nos de isto tabernaculo corporis terreni, quod de cœlo est superindui* (5) *cupientes; siquidem et despoliati non inveniemur* (6) *nudi;* id est, recipiemus quod despoliati sumus, id est corpus. Et rursus: *Etenim qui sumus in isto tabernaculo corporis, ingemimus quod gravemur, nolentes exui, sed superindui.* Hic enim expressit, (a) quod in prima Epistola strinxit, *Et mortui resurgent incorrupti*, qui jam obierunt; *et nos mutabimur*, qui in carne fuerimus deprehensi a Deo. Et illi enim resurgent incorrupti, recepto scilicet corpore, et quidem integro, ut et hoc sint incorrupti: et hi propter temporis ultimum jam momentum, et propter merita vexationum Antichristi, compendium mortis; sed mutati consequentur (7), superinduti magis quod de cœlo est, quam exuti corpus. Ita si hi super corpus induent cœleste illud, utique et mortui recipient corpus, super quod et ipsi induant incorruptelam de cœlo: quia et de illis ait: *Necesse est corruptivum istud induere incorruptelam, et mortale istud immortalitatem.* Illi induunt, cum receperint corpus; isti superinduunt, quia non amiserint corpus. Et ideo non temere dixit: *Nolentes exui corpore, sed superindui;* id est, nolentes mortem experiri, sed vita præveniri; *ut devoretur mortale hoc a vita*, dum eripietur morti per superindumentum demutationis. Ideo quia (8) ostendit hoc melius esse, ne contristemur mortis si forte præventu, et arrhabonem nos spiritus dicit a Deo habere, quasi pignoratos in eamdem spem superindumenti, et *abesse a Domino, quamdiu in carne sumus, ac propterea debere boni ducere abesse potius a corpore, et esse cum Domino*, ut et mortem libenter excipiamus. Atque adeo, *omnes* ait *nos oportere manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque quæ per corpus admisit, sive bonum, sive malum.* Si enim tunc retributio meritorum, quomodo jam aliqui cum Deo poterunt deputari? Et tribunal autem nominando, et dispunctionem boni ac mali operis, utriusque sententiæ judicem ostendit, et corporum omnium repræsentationem confirmavit. Non enim poterit, quod corpore admissum est, non corpore vindicari (9). Iniquus enim Deus, si non per id punitur quis aut juvatur, per quod operatus est. (b) *Si qua ergo conditio nova in Christo, cætera transierunt, ecce nova facta sunt omnia*, impleta est Esaiæ prophetia (*Is.* XLIII, 19). Si etiam jubet ut *mundemus nos ab inquinamento carnis et sanguinis*, non substantium (10) capere regnum Dei, si et *virginem sanctam destinat Ecclesiam assignare Christo*, utique *ut sponsam sponso;* non potest imago conjungi inimico veritatis rei ipsius. Si et pseudapostolos dicit *operarios dolosos, transfiguratores sui*, per hypocrisin scilicet, conversationis, non prædicationis adulteratæ reos taxat; adeo de disciplina, non de divinitate dissidebatur. Si *transfiguratur Satanas in angelum lucis*, non potest hoc dirigi in Creatorem. Deus enim, non angelus, Creator; in Deum lucis, non in angelum transfigurare se dictus esset, si non eum Satanam significaret, quem et nos et Marcion angelum novimus. De paradiso suus stylus est ad omnem quam patitur quæstionem. Hic illud forte mirabor, si proprium potuit habere paradisum Deus, nullius terrenæ dispositionis, nisi si etiam paradiso Creatoris precario usus est, sicut et mundo. Et tamen hominem tollere ad cœlum Creatoris, exemplum est in Helia (IV *Reg.* II). Magis vero mirabor Dominum optimum, percutiendi et sæviendi alienum, nec proprium saltem, sed Creatoris *angelum Satanæ colaphizando Apostolo suo applicuisse, et ter ab eo obsecratum*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dei *Seml.*
(2) Est *omitt. Ober.*
(3) *Forte* terrenum domicilium nostrum *ex Pam.*
(4) Cœlo *Seml.*
(5) Superinduere *Ober.*
(6) Inveniamur *Fran.*
(7) Mortis mutati consequantur *Lat.*
(8) Ideo qui *al.* ideoque *Ciaccon.*
(9) Judicari *Venet. sed* vindicari *Lat.*
(10) Substantiam *cæteri omnes nullo sensu.*

COMMENTARIUS.

CAP. XII. — (a) *Quod in prima Epistola strinxit.* Loquitur de I Epist. ad Corinth. Annotat autem Rhenanus, accipi *strinxit* pro *perstrinxit*, hoc est obiter indicavit, vel leviter attigit. PAM.

(b) *Si qua ergo conditio nova in Christo.* Conditio more Tertullianico, accipitur pro creatura, græce κτίσις. Consentit vero etiam cum interprete vulgato Latino vertens, *Si qua*, pro eo quod Isidorus clarius cum Erasmo nimis libere, *Si quis.* PAM.

non concessisse. Emendat igitur et deus Marcionis secundum Creatorem, elatos æmulantem, ut deponentem scilicet de solio dynastas. Aut numquid ipse est qui et in corpus Job dedit Satanæ potestatem, *ut virtus in infirmitate comprobaretur?* Quid et formam Legis adhuc tenet Galatarum castigator, *in tribus testibus præfiniens staturum omne verbum?* Quid et *non parsurum se peccatoribus* comminatur, lenissimi Dei prædicator? Imo et *ipsam durius agendi in præsentia potestatem a Domino datam sibi* affirmat. Nega nunc, hæretice, timeri Deum tuum, cujus Apostolus timebatur.

CAPUT XIII.

Quando opusculum profligatur, breviter jam retractanda sunt quæ rursus occurrunt; quædam vero tramittenda quæ sæpius occurrerunt. Piget de Lege adhuc congredi, qui toties (1) probaverim concessionem (2) ejus nullum argumentum præstare diversi Dei, in Christo prædicatam scilicet, et repromissam in Christum apud Creatorem, quatenus et ipse Apostolus (3) legem plurimum videtur excludere (*Rom*, I, II, III, V, VI, VII). Sed et judicem Deum ab Apostolo circumferri sæpe jam ostendimus, et in judice ultorem, et creatorem in ultore. Itaque et hic cum dicit: *Non enim me pudet Evangelii; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo et Græco, quia justitia Dei in eo revelatur, ex fide in fidem*; sine dubio et Evangelium et salutem justo Deo deputat, non bono, ut ita dixerim, secundum hæretici distinctionem, transferenti ex fide Legis in fidem Evangelii; suæ utique Legis, et sui Evangelii. Quoniam et *iram* (4) dicit *revelari de cœlo super impietatem et injustitiam hominum, qui veritatem in injustitia detinent* (5). Cujus Dei ira? utique Creatoris. Ergo et veritas ejus erit cujus et ira, quæ revelari habet in ultionem veritatis. Etiam adjiciens: *Scimus autem judicium Dei secundum veritatem esse;* et iram ipsam probavit, ex qua venit judicium pro veritate, et veritatem rursus ejusdem Dei confirmavit, cujus iram probavit probando judicium. Aliud est, si veritatem Dei alterius in justitia detentam Creator iratus ulciscitur. (*a*) Quantas autem foveas in ista vel maxime Epistola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de nostri Instrumenti integritate patebit. Mihi sufficit quæ proinde eradenda non vidit, quasi negligentias et cæcitates ejus accipere. Si enim *judicabit Deus occulta hominum, tam eorum qui in lege deliquerunt, quam eorum qui sine lege, quia et hi legem ignorant, et natura faciunt quæ sunt legis;* utique is Deus judicabit, cujus sunt et lex, et ipsa natura (6) quæ *legis est instar ignorantibus legem*. Judicabit autem quomodo? *Secundum Evangelium*, inquit, *per Christum*. Ergo et Evangelium et Christus illius sunt, cujus et lex et natura, quæ per Evangelium et Christum vindicabuntur, adeo illo judicio Dei quod et supra, secundum veritatem. Ergo qua defendenda revelletur de cœlo ira, nonnisi a Deo iræ; ita et hic sensus pristino cohærens, in quo judicium Creatoris edicitur, non potest in alium Deum referri, qui nec judicat, nec irascitur; sed in illum, cujus dum (7) hæc sunt, judicium dico et iram (8), etiam illa ipsius sint necesse est, per quem hæc habent transigi, Evangelium et Christus, et ideo vehitur in transgressores Legis, *docentes non furari, et furantes*, ut homo Dei legis, non ut Creatorem ipsum his modis tangens, qui et furari vetans, fraudem mandaverit in Ægyptios auri et argenti, quemadmodum et cætera in illum retorquent. Scilicet Apostolus verebatur convicium Deo palam facere, a quo non verebatur divertisse? Adeo autem Judæos incesserat, ut ingesserit propheticam increpationem. *Propter vos nomen Dei blasphematur*. Quam ergo perversum, ut ipse blasphemaret eum, cujus blasphemandi caussa malos exprobrat! Præfert *et circumcisionem cordis præputiationi*: apud Deum (9) Legis, est facta circumcisio cordis, non carnis; spiritu, non litera. Quod si hæc est circumcisio Hieremiæ (*Jerem.* IV, 4): *Et circumcidemini præputia cordis*, sicut et Moysis (*Deut.* X, 16) (10): *Circumcidemini duricordiam vestram;* ejus erit spiritus circumcidens cor, cujus et litera metens carnem ejus; et *Judæus qui in occulto, cujus et Judæus in aperto;* quia nec Judæum nominare vellet Apostolus, non Judæorum Dei servum. *Tunc lex, nunc justitia Dei per fidem Christi*. Quæ est ista distinctio? Servivit Deus tuus dispositioni Creatoris, dans ei tempus et Legi ejus: an ejus tunc, cujus et nunc? ejus lex, cujus et fides. Christi distinctio dispositionum est, non deorum. (*b*) Monet *justificatos ex fide Christi, non ex lege, pacem ad Deum habere*. Ad quem? Cujus nusquam fuimus hostes, an cujus legi et naturæ rebellavimus? Nam si in eum competit pax cum quo fuit bellum, ei et justificabimur, et ejus erit Christus, ex cujus fide justificabimur, ad cujus pacem competit redigi hostes ejus aliquando. *Lex autem*, inquit, *subintroivit, ut abundaret delictum*. Quare? *Ut superabundaret*, inquit, *gratia*. Cujus Dei gratia, si non cujus et lex? nisi si Creator ideo (*c*) legem (11)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Congredi, quoties *Seml.*
(2) Cessionem *Fran.*
(3) Quamvis et ipsa Epistola *Lat.*
(4) Dei *add. Fran.*
(5) Detineant *Ober.*
(6) Ignorantes natura *Ciaccon.*
(7) Dum *abest Par.*
(8) Ira *Seml.*
(9) Enim *add. Fran.*
(10) Moyses *Pam.*
(11) Legem *deest Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIII. — (a) *Quantas autem foveas in ista vel maxime Epist.* Indicat se dumtaxat tractare, quæ Marcion eradenda non videt, cum tamen abstulerit quæ voluit; hinc factum, ut paucissimos locos Epistolæ prolixissimæ in medium producat, sicut etiam B. Epiph. Eodem pertinent quæ habet cap. seq.: *Salio et hic amplissimum*, etc. PAM.

(b) *Monet justificatos ex fide*, etc., *pacem ad Deum habere*. In his verbis initio cap. V, omisso toto cap. IV Epistolæ ad Romanos legit Auctor ἴχομεν, pro eo quod alii ἔχωμεν *habeamus*. PAM.

(c) *Legem intercalavit*. Id est, inquit, Rhenanus, in-

intercalavit, ut negotium procuraret gratiæ Dei alterius, et quidem æmuli, ne dixerim ignoti; ut *quemadmodum apud ipsum regnaverat peccatum in mortem, ita et gratia regnaret in justitia in vitam per Jesum Christum*, adversarium ipsius. Propter hoc, omnia concluserat lex Creatoris sub delictum, et totum mundum deduxerat in reatum, et omne os obstruxerat, ne qui gloriaretur per illam; ut gratia servaretur in gloriam Christi, non Creatoris, sed Marcionis. Possum et hic de substantia Christi præstruere, ex prospectu quæstionis subsecuturæ. *Mortuos enim nos* inquit *Legi* (a). Ergo corpus Christi; et (1) potest corpus contendi, non statim caro. Sed et quæcumque substantia sit, cum ejus nominat corpus, quem subjicit ex mortuis resurrexisse, non potest aliud corpus intelligi, quam carnis, in quam lex mortis est dicta. Ecce autem et testimonium perhibet legi, et caussa delicti eam excusat. *Quid ergo dicemus? Quia lex peccatum? Absit.* Erubesce, Marcion. *Absit.* Abominatur Apostolus criminationem legis. *Sed ego delictum non scio, nisi per legem.* O summum ex hoc præconium legis, per quam liquuit (2) delictum latere (3)! *Non* ergo *lex seduxit, sed peccatum per præcepti occasionem.* Quid Deo imputas Legis, quod Legi ejus Apostolus imputare non audet? Atquin et accumulat: *Lex sancta, et præceptum ejus justum et bonum.* Si taliter veneratur legem Creatoris, quomodo ipsum destruat nescio. Quis discernit duos deos, justum alium, bonum alium; cum is utrumque debeat credi: cujus præceptum et bonum et justum est? Si autem et *spiritalem* confirmat *legem*, utique et propheticam, utique et figuratam. Debeo enim et hinc constituere Christum in lege figurate prædicatum, quo nec a Judæis omnibus potuerit agnosci.

CAPUT XIV.

(*Rom.* VIII, X, XI, XII, XIII, XIV) Hunc si *Pater misit in similitudinem carnis peccati*, non ideo phantasma dicetur caro quæ in illo videbatur. Peccatum enim carni supra adscripsit, et illam fecit legem peccati habitantem in membris suis, et adversantem legi sensus. Ob hoc igitur missum Filium in similitudinem carnis peccati, *ut peccati carnem* simili substantia *redimeret*, id est carnea, quæ peccatrici carni similis esset, cum peccatrix ipsa non esset, nam et hæc erit Dei virtus, in substantia pari perficere salutem. Non enim magnum, si spiritus Dei carnem remediaret; sed si caro consimilis peccatrici, dum caro est, sed non peccati. Ita similitudo ad titulum peccati pertinebit, non ad substantiæ mendacium. Nam nec addidisset *peccati*, si substantiæ similitudinem vellet intelligi, ut negaret veritatem. Tantum enim *carnis* posuisset, non et *peccati*. Cum vero tunc sic struxerit (4), *carnis peccati*, et substantiam confirmavit, id est carnem, et similitudinem ad vitium substantiæ retulit, id est ad peccatum. Puta nunc similitudinem substantiæ dictam, non ideo negabitur substantiæ veritas. Cur ergo similis vera? Quia vera quidem, sed non ex semine; de statu similis, sed (5) vera de censu, non vero dissimilis (6). Cæterum, similitudo in contrariis nulla est. Spiritus non diceretur carnis similitudo, quia nec caro similitudinem spiritus caperet; sed phantasma diceretur, si id quod non erat, videbatur. Similitudo autem dicitur, cum est quod videtur. Est enim, dum alterius par est. (*b*) Phantasma autem (7), qua (8) hoc tantum (9) est, non est similitudo. Et hic autem ipse edisserens, quomodo *nolit esse nos in carne, cum simus in carne*; ut scilicet non simus in (10) operibus carnis, ostendit hac ratione scripsisse (I *Cor.*, XV, 50); *Caro et sanguis regnum Dei consequi non possunt*; non substantiam damnans, sed opera ejus: quæ, quia possunt non admitti a nobis in carne adhuc positis, non ad reatum substantiæ, sed ad conversationis pertinebunt. Item, *si corpus quidem mortuum propter delictum* (adeo non animæ, sed corporis mors est), *spiritus autem vita propter justitiam*; ei utique obveniet vita propter justitiam, cui mors obvenit propter delictum, id est corpori. Non enim alicui restituitur quid, nisi quid aliud amisit; et ita erit resurrectio mortuorum, dum est corporum. Nam et (11) subjungit: *Qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.* Adeo et carnis resurrectionem confirmavit, absque qua nec corpus aliud dici capit, nec mortale aliud intelligi, et Christi substantiam corporalem probavit. Siquidem proinde vivificabuntur et mortalia corpora nostra, quemadmodum et ille resuscitatus est, non alias proin-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Legi per corpus Christi. Ergo *Ciaccon.*
(2) Licuit *Seml. Oberth.*
(3) Latens *Ciacc.*
(4) Tunc sic struxit *Seml.* utrumque substruxerit *Lat.*
(5) Et *Lat.*
(6) Vera de simili *Lat.*
(7) Autem *negl. al.*
(8) Quia *al.*
(9) Pro hoc tantum *vulg. Lat.* ostentum.
(10) Ex *Seml.*
(11) Et *omit. Pam.*

COMMENTARIUS.

terjecit, interposuit, interseruit, mediam immisit: nam hic id significat intercalare. Ejus verbi meminit Macrobius, etiam de ratione intercalandi abunde disserens. Julius Cæsar instituit ut unus dies quarto quoque anno intercalaretur, hoc est insereretur; unde bissextilem annum Plinius intercalarem vocat, et Livius mensem dixit intercalarium. Græci ἐμβόλιμον appellant et ἐμβολιμαῖον. Pam.

(a) *Mortuos enim nos inquit Legi.* Etiam hoc ex persona Marcionis, et ex corrupta ejus scriptura, quippe qui verterit, *mortuos nos legi*, ubi Apostolus dicit, *mortuos peccato.* Rom. VI, sub initium cap. Sed recte eum confutat ex sequentibus verbis, ubi subjicit *Christum ex mortuis resurrexisse.* Pam.

CAP. XIV.—(b) *Phantasma autem.* De quo pluribus ante disseruit contra Marcionem, Christo carnem phantasticam et phantasma, non verum corpus tribuentem. Le Pr.

de, nisi quia (1) in corpore. Salio et hic amplissimum abruptum intercisæ Scripturæ; sed apprehendo *testimonium perhibentem* Apostolum *Israeli quod zelum Dei habeant*, sui utique, *non tamen per scientiam. Deum enim*, inquit, *ignorantes, et suam justitiam sistere quærentes, non subjecerunt se justitiæ Dei. Finis enim legis Christus in justitiam* (2) *omni credenti.* Hic erit argumentatio hæretici, quasi Deum superiorem ignoraverint Judæi, qui adversus eum justitiam suam, id est, legis suæ constituerint, non recipientes Christum finem legis. Cur ergo et zelo eorum erga Deum proprium testimonium perhibet, si non et inscientiam erga eumdem Deum eis exprobrat? quod zelo quidem Dei agerentur, sed non per scientiam; ignorantes scilicet eum, dum dispositiones ejus in Christo ignorant consummationem legi statuturo (3), atque ita suam justitiam tuentur adversus illum. Atque adeo ipse Creator et ignorantiam erga se eorum contestatur (*Is.* I, 3): *Israel me non agnovit, et populus meus me non intellexit*); et quod justitiam suam magis sisterent, docentes doctrinas præcepta hominum (*Is.* XXIX, 13), nec non et (*Ps.* II, 2) congregati essent adversus Dominum, et adversus Christum ipsius, ex inscientia scilicet. Nihil igitur potest in alium Deum exponi, quod competit in Creatorem, quia et alias immerito Apostolus Judæos de ignorantia sugillasset erga Deum ignotum. Quid enim delinquerant, si justitiam Dei sui adversus eum sistebant, quem ignorabant? Atquin exclamat: (*a*) *O profundum divitiarum et sapientiæ Dei, et* (*b*) *investigabiles viæ ejus!* Unde illa (4) eruptio? Ex recordatione scilicet Scripturarum, quas retro revolverat, ex contemplatione sacramentorum, quæ supra disseruerat in fidem Christi, ex lege venientem. Hæc si Marcion de industria non (5) erasit, quid apostolus ejus exclamat, nullas intuens divitias Dei tam pauperis et egeni quam qui nihil condidit, nihil prædicavit, nihil denique habuit, ut qui in aliena descendit? Sed enim et opes et divitiæ Creatoris olim absconditæ, nunc reseratæ repromiserat (*Is.* XLV, 3): *Et dabo illis thesauros occultos, invisibiles aperiam eis.* Inde ergo exclamatum est: *O profundum divitiarum et sapientiæ Dei!* cujus jam thesauri patebant. Id Esaiæ, et (6) sequentia de ejusdem prophetæ instrumento (*Is.* XL, 13): *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Quis porrexit ei, et retribuetur illi?* Qui tanta de Scripturis ademisti, quid ista servasti, quasi non et hæc Creatoris? Plane novi Dei præcepta videamus. *Odio*, inquit, *habentes malum, et bono adhærentes.* Aliud est enim apud Creatorem. *Auferte malum de vobis*, et (*Ps.* XXXIII, 14) *declina a malo, et fac bonum. Amore fraternitatis invicem affectuosi.* Non enim id ipsum est: *Diliges proximum tanquam te? Spe gaudentes;* utique Dei: *Bonum est enim* (*Ps.* CXVII) *sperare in Dominum* (7), *quam sperare in magistratus. Pressuram sustinentes: Exaudiet* enim (*Ps.* XIX, 1) *te Dominus in die pressuræ.* Habes Psalmum. *Benedicite, et nolite maledicere;* quis hoc docebit, quam qui omnia benedictionibus condidit? *Non altum sapientes, sed humilibus assentantes* (8), *ne sitis apud vos sapientes;* væ enim audiunt per Esaiam (*Is.* V, 21). *Malum pro malo nemini retribueritis;* et (*Levit.* XIX, 18): *Malitiæ fratris vestri ne memineritis* (9). *Nec vosmetipsos ulciscentes: Mihi enim* (*Deut.* XXXII, 35) *vindictam, et ego vindicabo, dicit Dominus. Pacem cum omnibus* (10) *hominibus habetote;* ergo et legalis talio non retributionem injuriæ permittebat, sed inceptionem metu retributionis comprimebat. Merito itaque totam Creatoris disciplinam principali præcepto ejus conclusit: *Diliges proximum tanquam te.* Hoc Legis supplementum si ex ipsa Lege est, quis sit Deus Legis jam ignoro (metuo ne deus Marcionis); si vero Evangelium Christi hoc præcepto adimpletur, Christi autem non est (11) Creatoris, quo jam contendimus? Dixerit Christus, an non: *Ego non veni legem dissolvere, sed implere* (*Matt.* V, 17)? Frustra de ista sententia neganda (*c*) Ponticus laboravit. Si Evangelium Legem non adimplevit, ecce Lex Evangelium adimplevit. Bene autem quod et in clausula *tribunal Christi* comminatur, utique judicis et ultoris, utique Creatoris; illum certe constituens promerendum, quem intentat timendum, etiamsi alium prædicaret.

CAPUT XV.

Brevioribus quoque Epistolis non pigebit intendere: est sapor et in paucis. *Occiderant Judæi prophetas suos.* Possum dicere: Quid ad apostolum Dei alterius, et quidem optimi, qui nec suorum delicta damnare dicatur, quique et ipse prophetas eosdem destruendo quodammodo perimat? Quid enim (12) mali admisit apud illum Israel, si occidit quos et ille reprobavit? si prior inimicam in eos sententiam statuit? Deliquit autem apud Deum ipsorum. Is (13) exprobravit iniquitatem, ad quem pertinet læsus; certe quivis alius, quam adversarius læsi. Sed nec onerasset illos, imputando etiam Domini necem, *qui et Dominum inter-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qua *Jun.*
(2) Justitia *Seml. Oberth.*
(3) Staturo *Rig.* statuero *Venet.*
(4) Enim *Lat.* ista *Jun.*
(5) Non *omitt. Pam. sed est in cod. Wouw.*
(6) Patebant de Isaia, ut *Lat.*
(7) Domino *Oberth.*
(8) Adsectantes *Venet.*
(9) Memineris *Jun.*
(10) Omnibus *omitt. Seml.*
(11) Et *Lat.*
(12) Enim *omitt. Seml.*
(13) Et *add. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *O profundum divitiarum.* Ὦ βάθος, pro quo Vulgata: *O altitudo.* Le Pr.

(b) *Investigabiles.* Quoniam in græco est ἀνεξιχνίαστοι id est, *non vestigabiles*, bene multi legendum censent *investigabiles*, id est *qui investigari nequeunt.* Le Pr.

(c) *Ponticus laboravit.* Optime conjecit Rhenanus legendum *Ponticus*, pro *Pontus*, hoc est Marcione Ponto oriundus. Le Pr.

fecerunt, dicendo, *et prophetas suos*; licet *suos* adjectio sit hæretici. Quid enim tam acerbum, si alterius Dei prædicatorem Christum interemerunt, qui sui Dei prophetas contrucidaverunt? Status autem exaggerationis, quod et Dominum et famulos ejus peremissent. Denique, si alterius Dei Christum, alterius prophetas peremerunt, æquavit impietates, non exaggeravit. Æquanda autem non fuit; ergo exaggerari non potuit, nisi in eumdem Dominum commissa, ex utroque titulo. Ergo ejusdem Dei Christus et prophetæ. Quam autem *sanctitatem nostram voluntatem Dei* dicat, ex contrariis quæ prohibet, agnoscere. *Abstinere* (1) inquit, *a stupro*, non a matrimonio. *Scire unumquemque suum vas in honore tractare.* Quomodo? Dum non in libidine, qua gentes; libido autem nec apud gentes matrimonio adscribitur, sed extraordinariis, et non naturalibus et portentosis. Sanctitas luxuriæ est turpitudini (*a*) quoque et immunditiæ (2) contraria, quæ non matrimonium excludat, sed libidinem; quæ vas nostrum in honore matrimonii tractet. Hunc autem locum, salva alterius, id est, plenioris sanctitatis prælatione, tractaverim, continentiam et virginitatem nuptiis anteponens (*b*), sed non prohibitis; destructores enim Dei nuptiarum, non sectatores castitatis retundo. Ait *eos qui remanserint in adventum* (3) *Christi, cum eis qui mortui in Christo primi resurgent, quod in nubibus auferentur in aerem* (4) *obviam Domino.* Agnosco his jam tunc prospectis mirari substantias cœlestes ipsam Hierusalem quæ sursum est (*Gal.* IV, 26), et per Esaiam (*Is.* LX, 8) pronuntiare; *Quinam huc velut nubes volant, tamquam columbæ cum pullis ad me?* Hunc ascensum si Christus nobis præparavit, erit ille Christus de quo Osee (5) (*Am.* IX, 6): *Qui ascensum suum ædificat in cœlos*, utique sibi et suis. Exinde, a quo sperabo nunc, nisi a quo hæc audivi? Quem *spiritum* prohibet *exstingui?* et quas *prophetias* vetat *nihili* (6) *haberi?* utique non Creatoris spiritum, nec Creatoris prophetias secundum Marcionem; quæ enim destruxit, ipse jam exstinxit, et nihil fecit, nec potest prohibere quæ nihili fecit. Ergo incumbit Marcioni exhibere hodie apud Ecclesiam suam exinde spiritum dei sui qui non sit exstinguendus, et prophetias quæ non sint nihili habendæ. Et si exhibuit quod putat, sciat (7) nos quodcumque illud ad formam spiritalis et propheticæ gratiæ atque virtutis provocaturos, ut et futura prænuntiet, et occulta cordis revelet, et sacramenta edisserat. Cum nihil tale protulerit ac probarit, nos proferemus et spiritum et prophetias Creatoris, secundum ipsum prædicantes. Atque ita constabit Apostolus (8) de quibus dixerit, de eis scilicet quæ futura erant in Ecclesia ejus dei, qui dum est, spiritus quoque ejus (9) operatur, et promissio celebratur. Age nunc, qui salutem carnis abnuitis, et si quando corpus in hujusmodi prænominatur, aliud nescio quid interpretamini illud, quam substantiam carnis; quomodo Apostolus omnes in novis substantiis, certis nominibus distinxit, et omnes in uno voto constituit salutis, *optans ut spiritus noster et corpus et anima sine querela in adventum Domini et salutificatoris nostri Christi conserventur?* Nam et animam posuit et corpus, tam duas res quam diversas: licet enim et animæ corpus sit aliquod suæ qualitatis, sicut et spiritus; cum tamen et corpus et anima distincte nominantur, habet anima (10) suum vocabulum proprium, non egens communi vocabulo corporis; id relinquitur carni, quæ non nominata proprio, communi utatur necesse est. Etenim aliam substantiam in homine non video post spiritum et animam, cui vocabulum corporis accommodetur, præter carnem. Hanc totiens in corporis nomine intelligens, quotiens non nominatur; multo magis hic, cum quæ dicitur corpus, suo nomine appellatur.

CAPUT XVI.

(*In Ep.* II *ad Thess.*) Cogimur quædam identidem iterare, ut cohærentia eis confirmemus. Dominum et hic retributorem utrius jue meriti, dicimus circumferri ab Apostolo, aut Creatorem, aut (quod nolit Marcion) parem Creatoris, *apud quem* (*c*) *justum sit afflictatoribus nostris rependi afflictationem, et nobis qui afflictemur requietem, in revelatione Domini Jesu venientis a cœlo cum angelis virtutis suæ, et in flamma ignis.* Sed *flammam et ignem* delendo (*d*) hæreticus exstinxit, ne scilicet nostratem Deum faceret. Lucet tamen vanitas liturræ. Cum enim *ad ultionem venturum* scribat Apostolus *Dominum exigendam de eis qui Deum ignorent, et qui non obaudiant Evangelio, quos* ait *pœnam* (11) *luituros, exitialem, æternam, a facie Domini, et a gloria valentiæ ejus;* sequitur ut flammam ignis inducat, scilicet veniens ad puniendum; ita et in hoc, nolente Marcione, crematoris Dei Christus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Enim *add. Ober. post Seml.*
(2) Portentuosis-Luxuria est, turp. *q.* et im. non *Rhen.*
(3) Adventu *Seml.*
(4) Acre *Ober.*
(5) Amos *vult Jun., et merito.*
(6) Nihil *Pam.*
(7) Scias *Venet.*
(8) Apostolum *Pam.*
(9) Eis *Seml. mendose.*
(10) Animam *Venet. mendose.*
(11) Pœnam quos ait *Lat.*

COMMENTARIUS.

CAP. XV.—(a) *Sanctitas luxuriæ est turpitudini*, etc. Non adeo textui consentiunt qui legunt *luxuria*, et qui adeo notam Tertulliano impingunt male habiti matrimonii; nam quæ sequitur particula, *non*, dubium omne tollit. LE PR.

(b) *Continentiam et virginitatem nuptiis anteponens.* Qui virginitatis vota et continentiæ insectantur hæretici, ad hunc locum advertant, aliosque plurimos apud hunc scriptorem, *de Cultu fœm.*, *de Virg. vel.*, et lib. I *ad Uxorem.* LE PR.

CAP. XVI.—(c) *Justum sit afflictatoribus nostris.* Sic istud vertit II *Thessal.* I. Græce ἀν ἀποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ἡμᾶς. PAM.

(d) *Sed flammam et ignem delendo.* Vel hinc patet

est (1), et in illo Creatoris est, quod etiam de ignorantibus Dominum ulciscitur, id est de ethnicis. Seorsum enim posuit *Evangelio non obaudientes*, sive christianos peccatores, sive Judæos. Porro de ethnicis exigere pœnas, qui Evangelium forte non norint, non est Dei ejus qui naturaliter sit ignotus, nec usquam nisi in Evangelio sit revelatus, non omnibus scibilis. Creatori autem etiam naturali agnitio debetur ex operibus intelligendo, et exinde in pleniorem notitiam requirendo. Illius est ergo etiam ignorantes Deum plectere, quem non licebat ignorari (2). Ipsum quod ait: *A facie Domini et a gloria valentiæ ejus*, verbis usus Esaiæ (*Is.* II, 19): ex ipsa caussa eumdem sapit Dominum consurgentem, *ut comminuat terram*. Quis autem est (*a*) *homo delicti*, *filius perditionis*, *quem revelari prius oportet ante Domini adventum*, *extollens se super omne quod Deus dicitur*, *et omnem religionem*; *confessurus* (3) *in templo Dei et Deum se jactaturus*? Secundum nos quidem Antichristus, ut docent veteres et novæ prophetiæ; ut Joannes apostolus, qui jam antichristos dicit (I *Joan.* IV, 1, 2) processisse in mundum, præcursores Antichristi spiritus, negantes Christum in carne venisse, et solventes Jesum, scilicet in Deo Creatore. Secundum vero Marcionem, nescio, ne Christus sit (4) Creatoris: nondum enim (5) venit apud illum. Quisquis est (6) autem ex duobus, quæro, cur *veniat in omni virtute et signis et ostentis mendacii*? *Propterea*, inquit, *quod dilectionem veritatis non susceperint, ut salvi essent; et propter hoc erit* (7) *eis instinctum fallaciæ, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Igitur si Antichristus est (8) secundum Creatorem (9), Deus erit Creator, qui eum mittit ad impingendos eos in errorem, qui non crediderunt veritati ut salvi fierent, ejusdem erit veritas et salus, qui ex submissu erroris ulciscitur, id est Creatoris, cui et competit zelus ipse errore decipere quos veritate non cepit. Si vero non est antichristus secundum nos, ergo Christus est Creatoris secundum Marcionem. Et quale erit ut ad ulciscendam veritatem suam, Christum Creatori (10) submittat? Sed et si (11) de Antichristo consentit, proinde dixerim, quale est, ut illi *Satanas* angelus Creatoris sit necessarius, et *occidatur ab eo*, habens fallaciæ operatione fungi Creatori? In summa, si indubitatum est ejus esse et angelum, et veritatem, et salutem, cujus et ira, et æmulatio, et fallaciæ immissio adversus contemptores et desultores, etiam adversus ignorantes (ut jam et Marcion de gradu cedat, Deum quoque zeloten concedens), quis dignius irascetur? Puto, qui a primordio rerum naturam (12) operibus, beneficiis, plagis, prædicationibus (13), testibus ad agnitionem sui præstruxit, nec tamen agnitus est; an (14) qui semel unico (15) Evangelii instrumento, et ipso incerto, nec palam alium Deum prædicante, productus est? Ita cui competit vindicta, et competet materia vindictæ: Evangelium dico, et veritas, et salus. Jubere autem *operari eum qui velit manducare*, ejus disciplina est qui bovi trituranti os liberum jussit.

CAPUT XVII.

Ecclesiæ quidem veritate Epistolam istam *ad Ephesios* habemus emissam (*In Ep. ad Eph.* I *et* II), non *ad Laodicenos* (*b*); sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi et in isto diligentissimus explorator. Nihil autem de titulis interest, cum ad omnes Apostolus scripserit, dum ad quosdam; certe tamen eum Deum prædicans in Christo, cui competunt quæ prædicantur. Cui ergo competent *secundum boni existimationem*, *quam proposuerit in sacramento voluntatis suæ*, *in dispensationem adimpletionis temporum* (ut ita dixerim, sicut verbum illud in græco sonat) *recapitulare* (id est, ad initium redigere, vel ab initio recensere) *omnia in Christum*, *quæ in cœlis*, *et quæ in terris*; nisi cujus erunt omnia ab initio, etiam ipsum initium, a quo et tempora et temporum adimpletiones (16), dispensatio, ob quam omnia ad initium recensentur in Christo? Alterius autem Dei, quod initium, id est unde, cujus opus nullum? quæ tempora sine initio? quæ adimpletio sine temporibus? quæ dispensatio sine adimpletione? denique, quid in terris egit jam olim, ut longa aliqua temporum adimplendorum dispensatio reputetur, ad recensenda omnia in Christo, etiam quæ in cœlis? Nec in cœlis autem res ab altero actas existimabimus quæcumque

LECTIONES VARIANTES.

(1) Est *omitt. Pam.*
(2) Ignorare *Pam.*
(3) Consecuturus *al.*
(4) Nisi sit Christus *Wouw.* ne Christus sit *Seml.*
(5) Enim *omitt. Pam.*
(6) Est *omitt. Fran.*
(7) Dabit *Lat.*
(8) Et *Pam.*
(9) Secundum nos, et Deus *cod. Wouw.*
(10) Creatoris *cod. Wouw.*
(11) Si *omitt. Pam.*
(12) Naturæ *cod. Wouw.*
(13) Prædicationum *Pam.*
(14) Nec *cod. Wouw.*
(15) Unito *cod. Wouw.*
(16) Et *inser. Jun.*

COMMENTARIUS.

verum esse quod scribit B. Epiphanius *adversus Marcionem* nihil se etiam tractare de hac Epistola, quod nimium jam pervertit. PAM.

(*a*) *Homo delicti.* Satis explicat statim qui sit homo delicti, Antichristus scilicet; quo nomine Marcionitas appellat, qui eadem perpetrasse videntur quæ de Antichristo prædicta sunt. LE PR.

CAP. XVII.—(*b*) *Non ad Laodicenos.* Errant sane qui putant Epistolam fuisse ad Laodicenos scriptam, quam hic innuere videtur ex Marcione Tertullianus; nam quæ fragmenta citantur habentur cap. IV Epist. ad Ephes. Errorem dedit interpretatio parum accurata IV ad Coloss. ubi habetur τὴν ἐκ Λαοδικείας, verterunt enim *eam quæ est ad Laodicenses*, cum vertendum esset *eam quæ ex urbe Laodicæa*. Epistola illa quæ hodie circumfertur, apocrypha videtur et supposititia. Beatus Hieron. de Epist. illa ad Laod falsa et explodenda loquitur: putantque nonnulli primam esse ad Timotheum quæ Laodicææ scripta est. Inscripserat autem Marcion Epistolam *ad Laodicenos*, quæ nobis est *ad Ephesios*. LE PR.

sunt, quam ab eo, a quo et in terris acta (1) omnibus constat. Quod si non capit alterius omnia ista deputari ab initio quam Creatoris, quis credet ab alio ea recenseri in Christum alium et non a suo auctore, et in suum Christum? Si Creatoris sunt, diversa sint necesse est a diversa Deo. Si diversa, utique contraria. Quomodo ergo contraria recenseantur in eum a quo denique destruuntur? Nam et sequentia quem renuntiant Christum, cum dicit, *Ut simus in laudem gloriæ nos qui* (a) *præsperavimus in Christum*? Qui enim præsperasse potuerunt, id est, ante sperasse in Deum, quam venisset; nisi Judæi, quibus Christus prænuntiabatur ab initio? qui ergo prænuntiabatur, ille et præsperabatur. Atque adeo hoc ad se, id est, ad Judæos refert, ut distinctionem faciat, conversus ad nationes: *In quo et vos cum audissetis sermonem veritatis, Evangelium, in quo credidistis, et signati estis Spiritu promissionis ejus sancto.* Cujus promissionis? Factæ per Joelem (*Joel* II): *In novissimis diebus effundam de meo spiritu in omnem carnem*; id est, et in nationes. Ita et Spiritus et Evangelium in eo erit Christo, qui præsperabatur, dum prædicabatur. Sed et *Pater gloriæ* ille est, cujus Christus rex gloriæ canitur in Psalmo ascendens (*Ps.* XXIII, 10): *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Ab illo *spiritus sapientiæ* optatur, apud quem hæc quoque spiritalium species enumerantur inter septem spiritus per Esaiam (*Is.* XI). Ille *dabit illuminatos cordis oculos*, qui etiam exteriores oculos luce ditavit, cui displicet cæcitas populi (*Is.* XLII, 19): *Et quis cæcus, nisi pueri mei?* Et: *Excæcati sunt famuli Dei.* Apud illum sunt et *divitiæ hæreditatis in sanctis*, qui eam hæreditatem ex vocatione nationum repromisit (*Ps.* II, 8): *Postula de me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Ille *inoperatus est in Christum valentiam suam, suscitando eum a mortuis, et collocando eum ad dexteram suam, et subjiciendo omnia*, qui et dixit (*Ps.* CIX): *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quia et alibi spiritus ad Patrem de Filio (*Ps.* VIII, 7): *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Si ex his alius deus et alius christus infertur quæ recognoscuntur in Creatore, quæramus jam Creatorem. Plane puto invenimus, cum dicit: *Illos delictis mortuos, in quibus ingressi erant, secundum ævum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus* (2), *qui operatur in filiis incredulitatis.* Sed mundum non potest et hic pro Deo mundi Marcion interpretari. Non enim simile est creatum creatori, factum factori, mundus Deo. Sed nec princeps potestatis aeris dicetur, qui est princeps potestatis sæculorum. Numquam enim præ- A ses superiorum de inferioribus notatur, licet et inferiora ipsi deputentur. Sed nec incredulitatis operator videri potest, quam ipse potius a Judæis et a nationibus patitur. Sufficit igitur, si hæc non cadunt in Creatorem. Si autem et est in quem magis competant (3), utique magis hoc Apostolus sciit. Quis iste? Sine dubio ille, qui ipsi Creatori filios incredulitatis obstruit, nere isto potitus, sicut dicere eum propheta (4) refert (*Is.* XIV, 14): *Ponam in nubibus thronum meum, ero similis Altissimo.* Hic erit diabolus, quem et alibi, (si tamen ita et Apostolum legi volunt) *Deum ævi hujus* agnoscemus. Ita enim totum sæculum mendacio divinitatis implevit. Qui plane si non fuisset, tunc hæc in Creatorem spectasse potuissent. Sed et in judaismo conversatus (5) Apostolus, non quia B interposuit de delictis, *in quibus et nos omnes conversati sumus*, ideo delictorum dominum et principem aeris hujus Creatorem præstat intelligi; sed quia in judaismo unus fuerat de filiis incredulitatis, diabolum habens operatorem, cum persequeretur Ecclesiam et Christum Creatoris. Propter quod et *iracundiæ filii fuimus*, inquit, *sed natura.* Ne, quia filios appellavit Judæos Creator, argumentetur (6) hæreticus dominum iræ Creatorem. Cum enim dicit: *Fuimus natura filii iracundiæ*; Creatoris autem non natura sunt filii Judæi, sed adlectione patrum; *iræ filios* ad naturam retulit, non ad Creatorem. Ad summam subjungens: *Sicut et cæteri*; qui utique filii Dei non sunt. Apparet communi naturæ omnium hominum et delicta et concupiscentias carnis, et incredulitatem, et iracundiam C reputare (7), (b) diabolo tamen captante naturam, quam et ipse jam infecit delicti semine inlato: *Ipsius* inquit, *sumus factura conditi in Christo.* Aliud est enim (8) facere, aliud condere. Sed utrumque uni dedit. Homo autem factura Creatoris est. Idem ergo condidit in Christo, qui et fecit. Quantum enim ad substantiam, fecit; quantum ad gratiam, condidit. Inspice et cohærentia: *Memores vos aliquando nationes in carne fuisse*, (9) *appellabamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, quod essetis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israelis, et peregrini testamentorum et promissionis eorum, spem non habentes, et sine Deo in mundo.* Sine quo autem Deo fuerunt nationes, et sine quo Christo? Utique eo, cujus erat conversatio Israelis, et testamenta, et promissio. *At nunc*, inquit, *in Christo, vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine ejus.* A quibus erant retro longe? A quibus supra dixit: a Christo Creatoris, a conversatione Israelis, a testamentis, a spe promissionis, a Deo ipso. Si hæc ita sunt, ergo his prope fiunt nunc nationes in Chri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Actas *vult Jun.*
(2) Hujus *omitt. Semler. Oberth.*
(3) Competat *Pam.*
(4) Profert et *Pam.*
(5) Fuerat *add. Lat.*
(6) Hoc *add. Jun.*
(7) Reputari *Pam.*
(8) Enim *omitt. Seml.*
(9) Qui *inser. Ober.*

COMMENTARIUS.

(a) *Præsperavimus in Christum.* Ad verbum ex græco προηλπικότας. LE PR.

(b) *Diabolo tamen captante naturam.* Sic Dionysius Cato in dist. dixit *captare denarii formam avare.* RIG.

sto, a quibus tunc longe fuerant. Si autem conversationi Israelis, quæ est in religione Dei Creatoris, et testamentis, et promissioni, et ipsi Deo eorum, proximi summus facti in Christo, ridiculum satis, si nos alterius Dei Christus de longinquo admovit Creatori. Meminerat Apostolus ita prædicatum de nationum vocatione ex longinquo vocandarum (*Is.* XLVI, 12): *Qui longe erant a me, appropinquaverunt justitiæ meæ.* Tam enim justitia, quam et pax Creatoris in Christo annuntiabatur, ut sæpe jam ostendimus. Itaque *ipse est*, inquit, *pax nostra, qui fecit duo unum*, judaicum scilicet populum, et gentilem, quod prope, et quod longe, *soluto medio pariete inimicitiæ, in carne sua.* Sed Marcion abstulit *sua*, ut inimicitiæ daret carnem, quasi carnali vitio, non Christo æmulæ. Sicubi (1) alibi dixi, et hic, (a) non Marrucine, sed Pontice, cujus supra sanguinem confessus es, hic negas carnem. Si *legem præceptorum sententiis vacuam fecit*, adimplendo certe legem (vacat enim jam *Non adulterabis*, cum dicitur: *Nec videbis ad concupiscendum*: vacat *Non occides*, cum dicitur: *Nec maledices*); adversarium legis de adjutore non potes facere. *Ut duos conderet in semetipso*; qui fecerat, idem condens, secundum quod et supra: *Ipsius enim factura sumus, conditi in Christo. In unum novum hominem faciens pacem.* Si vere novum, vere et hominem, non phantasma. Novum autem et nove natum ex virgine, Dei spiritu: *ut reconciliet ambos Deo*; et Deo, quem utrumque genus offenderat, et Judaicum et Gentile (2); *In uno corpore*, inquit, *cum interfecisset inimicitiam in eo per crucem.* Ita et hic caro corpus in Christo, quod crucem pati potuit. Hoc itaque *adnuntiante pacem iis qui prope, et iis qui longe, accessum consecuti simul ad Patrem, jam non sumus peregrini, nec advenæ, sed concives sanctorum, sed domestici Dei*; utique ejus, a quo supra ostendimus alienos fuisse nos, et longe constitutos. *Superædificati super fundamentum apostolorum.* Abstulit hæreticus, *et prophetarum*, oblitus Dominum posuisse in Ecclesia sicut apostolos, ita et prophetas. Timuit scilicet ne (3) et super veterum prophetarum fundamenta, ædificatio nostra constaret in Christo; cum ipse Apostolus ubique nos de prophetis exstruere non cesset. Unde enim accepit *summum lapidem angularem* dicere Christum, nisi de Psalmi significatione (*Ps.* CXVII): *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, iste factus est in summo anguli?* De manibus hæretici præcidentis non miror, si syllabas subtrahit, cum paginas totas plerumque subducat (4).

CAPUT XVIII.

(*In Ep. ad Eph.* III-VI) *Datam* inquit *sibi Apostolus gratiam novissimo omnium, illuminandi omnes; quæ dispensatio sacramenti occulti ab ævis in Deo, qui omnia condidit.* Rapuit hæreticus in præpositionem, et ita legi fecit: *Occulti ab ævis Deo, qui omnia condidit.* Sed emicat falsum. Infert enim Apostolus: *Ut nota fiat principatibus et potestatibus, in supercœlestibus, per Ecclesiam, multifaria sapientia Dei.* Cujus dicit principatibus et potestatibus? Si Creatoris, quale est ut principatibus et potestatibus ejus ostendi voluerit Deus ille sapientiam suam, ipsi autem non? quando nec potestates sine suo principe potuissent quid cognoscere. Aut si ideo Deum non nominavit hic, quasi in illis et princeps ipse reputetur, ergo et occultatum sacramentum principatibus et potestatibus ejus qui omnia condidit, pronuntiasset; proinde in illis deputans ipsum. Quod si illis dicit occultatum, illi (5) debebat dixisse manifestum; ergo non Deo erat occultatum, sed in Deo omnium conditore; occultum autem principatibus et potestatibus ejus (*Is.*, XL, 13): *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ei fuit?* (b) Hic captus hæreticus fortasse mutavit, ut dicat Deum suum suis potestatibus et principatibus notam facere voluisse dispensationem sui sacramenti, quam ignorasset Deus conditor omnium. Et quo competebat prætendere ignorantiam creatoris extranei, et longa separatione discreti, cum domestici quoque superioris Dei nescissent? Tamen et Creatori notum erat futurum. Annon utique notum, quod sub cœlo (6) in terra ejus habebat revelari? Ergo ex hoc confirmatur quod supra struximus. Si enim Creator cogniturus erat quandoque occultum illud Dei superioris sacramentum, et ita Scriptura habebat: *Occulti Deo, qui omnia condidit*; sic inferre debuerat: *Ut nota fiat illis multifaria sapientia Dei*, tunc et potestatibus et principatibus cujuscumque Dei, cum quibus sciturus esset Creator. Adeo subtractum constat, quod et sic veritati suæ salvum est. Volo nunc et ego tibi de allegoriis Apostoli controversiam nectere. Quas novus (7) in prophetis habuisset formas? *Captivam*, inquit, *duxit captivitatem.* Quibus armis? quibus præliis? de cujus gentis vastatione? de cujus civitatis eversione? quas fœminas, quos pueros, quosve regulos catenis victor inseruit? Nam et cum apud David (*Ps.* XLIV, 4) Christus canitur *succinctus gladio super femur*, aut apud Esaiam (*Is.*, VIII) *spolia accipiens Samariæ et virtutem Damasci*, vere

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sicuti *Fran.*
(2) Gentilem populum, in *Pam.*
(3) Si nonne *Rhen.*
(4) Subducit *Pam.*
(5) Ille *Seml.* illis *Rhen.*
(6) Et *add. Ober. secutus Seml.*
(7) Novas *Jun.* novimus in prophetis habuisse *cod. Vatican.*

COMMENTARIUS.

(a) *Non Marrucine, sed Pontice.* Marrucini populi fuerunt Ferentanis et Vestinis vicini in Italia extra Latium, adeoque barbari et inculti, unde Marrucinus id est ἀμαθὴς καὶ ἀναθρεπτος, nam convicium eo nomine stupidis fieri solebat. Rupices idem ac Marrucinos significare ferme putaverim, ea autem utitur voce Tertull. bis cap. 4 lib. de Pallio. Juvenalis, sat. 2, vocat:

Montanum *positis audiret* vulgus *aratris.* LE PR.

CAP. XVIII. — (b) *Hic captus hæreticus.* Marcion, qui locus non indiget mea explicatione. LE PR.

cum et visibilem excondis præliatorem ; agnosce igitur jam et armaturam et militiam ejus spiritalem, si jam didicisti esse captivitatem spiritalem, ut et hanc illius agnoscas : vel quia et captivitatis hujus mentionem de Prophetis Apostolus sumpsit, a quibus et mandata. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem ad proximum suum* (1) *quisque.* Et *irascimini, et nolite delinquere,* ipsis verbis quibus Psalmus (*Ps.*, IV, 5) exponeret sensus ejus. *Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite communicare operibus tenebrarum. Cum justo* enim *justus eris, et cum perverso perverteris* (*Ps.* XVII, 27). Et, (I *Cor.* V, 13), *Auferte malum de medio vestrum.* Et (II *Cor.* VI, 17), *Exite de medio eorum, et immundum ne attigeritis. Separamini, qui fertis vasa Domini* (*Is.*, LII, 11). Sic et, *inebriari vino* dedecori (2) inde est, ubi sanctorum inebriatores increpantur : *Et potum dabatis sanctis meis vinum* (*Amos* II, 12), *quod prohibitus erat potare et Aaron sacerdos, et filii ejus, cum adirent ad sancta* (*Deut.* XXII). Et *Psalmis et hymnis Deo canere* docere illius est, qui cum tympanis potius et psalteriis vinum bibentes incusari a Deo (*Is.*, XI, 12) norat. Ita, cujus invenio præcepta et semina præceptorum vel augmenta, ejus apostolum agnosco. Cæterum, *mulieres viris subjectas esse debere,* unde confirmat ? *Quia vir,* inquit, *caput est mulieris.* Dic mihi, Marcion, de opere Creatoris Deus tuus legi suæ adstruit auctoritatem ? Hoc jam plane minus est, cum et ipsi Christo suo et Ecclesiæ ejus inde statum sumit : *Sicut et Christus caput est Ecclesiæ.* Similiter et cum dicit : *Carnem suam diligit,* qui uxorem suam (3) diligit *sicut et Christus Ecclesiam.* Vides comparari operi Creatoris Christum tuum, et Ecclesiam tuam. Quantum honoris carnidatur in Ecclesiæ nomine! *Nemo,* inquit, *carnem suam odio habet,* nisi plane Marcion solus: *sed et nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* At tu solus eam odisti, auferens illi resurrectionem. Odisse debebis et Ecclesiam, quia proinde diligitur a Christo. Atenim Christus A iamavit et carnem sicut Ecclesiam. Nemo non diliget maginem quoque sponsæ, imo et servabit illam, et honorabit, et coronabit. Habet similitudo cum veritate honoris consortium. Laborabo ego nunc eumdem Deum probare masculi et Christi, mulieris et Ecclesiæ, carnis et spiritus ; ipso Apostolo sententiam Creatoris adhibente, imo et disserente : *Propter hoc* (4) *relinquet homo patrem et matrem, et erunt duo in carnem unam* (5). *Sacramentum hoc magnum est.* Sufficit inter ista, si Creatoris magna sunt apud Apostolum sacramenta, minima apud hæreticos. (*a*) Sed *ego autem dico, inquit, in Christum et Ecclesiam.* Habet interpretationem, non separationem sacramenti. Ostendit figuram sacramenti ab eo præministratum, cujus erat utique sacramentum. B Quid videtur Marcioni ? Creator quidem ignoto Deo figuras præministrare non potuit ; etiam quia adversario. Si noto, Deus superior ab inferiore, et ad destruendum potius, mutuari nihil debuit. *Obaudiant et parentibus filii.* Nam et si Marcion abstulit, *Hoc est enim primum in promissione præceptum.* Lex loquitur (*Exod.*, XX) ; *Honora patrem et matrem.* Et : *Parentes, enutrite filios in disciplina et correptione* Domini. Audisti enim et veteribus dictum : *Narrabitis hæc in auribus filiorum vestrorum, et filii vestri æque in auribus* (6) *filiorum suorum.* Quo jam mihi duos Deos, si una est disciplina ? et si duo sunt, illum sequar qui prior docuit. Sed adversus munditenentes luctatio si nobis, o quanti jam Dii creatores ! Cur enim non et hoc vindicem, unum munditenentem C nominari debuisse, si Creatorem significabat, cujus essent quas præmisit potestates ? Porro, cum supra quidem *induere nos* jubeat *armaturam, in qua stemus ad machinationes diaboli,* jam ostendit diaboli esse, quæ diabolo subjungit, *potestates et munditenentes tenebrarum istarum,* quæ et nos diabolo deputamus. Aut si diabolus creator est, quis erit diabolus apud creatorem ? An sicut (7) duo Dei, ita et duo diaboli, et pluraliter potestates et (*b*) munditenentes ?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Suum *omitt. Seml.*
(2) Dedecor *Rig. Venet. mendose.*
(3) Suam *omitt. Ober.*
(4) Hanc *Seml.*
(5) Carne una *Ober.*
(6) Aures *Pam.*
(7) Si *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sed ego, inquit, dico in Christum et Ecclesiam.* Verba sunt Pauli ad Ephesios V, ubi agit de amore conjugali, et matrimonium ait esse sacramentum, et quidem magnum, sed continuo, subjungit, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. *Mysterium,* inquit, *hoc magnum est ; ego autem dico in Christum et Ecclesiam.* Innuens conjunctionem illam viri et mulieris magnum esse sacramentum, quia magnum aliquid significat et figurat, quod extenditur in Christum et Ecclesiam. Hortatur Apostolus conjuges, ut se invicem diligant, eo scilicet amore, quo fiat unum e duobus : ita ut ambo una sint caro, una anima. Hanc vero dilectionem, figuram esse ait et sacramentum, sive typum et imaginem et speculum amoris Christi erga Ecclesiam, quæ sic adhærere et agglutinari sponso suo debeat, ut unum fiat ex duobus, et ambo unum sint, adeoque illa non alio spiritu, quam Christi, animata vivat et regatur, ut in ipsa vivat Christus, et ipsa in Christo. Res igitur agit Apostolus duas. Viri et mulieris conjugium a Deo institutum esse ostendit, ut fiat unum ex duobus : itaque non debere hominem separare quod Deus conjunxit, nec fieri inter conjuges divortium ; nam si conjux a conjuge divortat, jam alterutrum separare quæ sunt a Deo conjuncta. Hoc primum agit Paulus. Deinde vero adjicit, sanctam et castam esse debere inter conjuges concordiam ; quandoquidem ex ea sumat Christus exemplum, et sacramentum et similitudinem dilectionis erga Ecclesiam suæ, qualis esse debet sponsi erga sponsam : quæ dilectio repensari debeat eodem exemplo dilectionis, qualis est sponsæ erga sponsum. Hanc vero comparationem Paulus ait magnum esse mysterium. Quod sane doceat pastores τῆς καλλίστης ζώων ἀγέλης ἀνθρώπων, usque et usque fidelium mentibus inculcare. Ric.

(b) *Adversus munditenentes.* Vulgata habet mundi rectores ; sed quoniam etymum servat non sine superstitione aliqua, ita vertit quod græce est κοσμο-

Sed quomodo creator et diabolus et Deus idem? cum diabolus non idem et Deus et diabolus. Aut enim ambo et Dei, si ambo (1) jam diaboli; aut qui Deus hic et non diabolus, sicut nec diabolus Deus. Ipsum vocabulum *diaboli*, quæro ex qua delatura competat Creatori? Fortasse detulit aliquam Dei superioris intentionem, quod ipse ab archangelo passus est, et quidem mentito Non ideo enim interdixerat illius arbusculæ gustum, ne Dei fierent, sed ne de transgressione morerentur. Nec *spiritalia* autem *nequitiæ* ideo Creatorem significabant (2), quia adjecit, *in cœlis*. Sciebat enim et Apostolus in cœlis operata esse spiritalia nequitiæ angelorum scandalizatorum in filias hominum (*Gen.* VI). Et quale erit (3), ut ambiguitatibus, et per ænigmata nescio quæ, Creatorem taxaret : qui *in catenis jam constitutus, ob libertatem prædicationis, constantiam manifestandi sacramenti in apertione oris*, quam ibi expostulare a Deo mandabat, Ecclesiæ utique præstabat?

CAPUT XIX.

(*In. Ep. ad. Coloss.*) Soleo in *præscriptione adversus omnes, de hæreses* testimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam nostram omni hæretica posteritate. Hoc nunc probabit et Apostolus dicens: *De spe reposita in cœlis, quam audistis in sermone veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos sicut et in totum mundum.* Nam si jam tum traditio Evangelica ubique manaverat, quanto magis nunc! Porro, si nostra est quæ ubique manavit, magis quam omnis hæretica, nedum Antoniniani (4) Marcionis, nostra erit apostolica. Marcionis autem, cum totum impleverit mundum, ne tunc quidem se defendere poterit de Apostolica. Eam enim et sic constabit esse, quæ prior mundum replevit, illius scilicet Dei Evangelio, qui et hæc cecinit de prædicationibus ejus (*Ps.* XVIII, 4) : *In omnem terram exiit sonus eorum, et in terminos orbis verba eorum. Invisibilis Dei imaginem ait Christum.* Sed nos enim invisibilem dicimus Patrem Christi, scientes Filium semper retro visum, si quibus visus est in Dei nomine, ut imaginem ipsius : ne quam et hinc differentiam scindat Dei visibilis et invisibilis, cum olim Dei nostri sit definitio (*Exod.* XXXIII, 20) : *Deum* (5) *nemo videbit. et vivet.* Si non est Christus *primogenitus conditionis*, ut *Sermo* Creatoris *per quem omnia facta sunt, et sine quo nihil factum est;* si non *in illo condita sunt universa in cœlis et in terris, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates;* si non *cuncta per illum et in illo sunt condita* (hæc enim Marcioni displicere oportebat), non utique tam nude posuisset Apostolus : Et ipse est ante omnes. Quomodo enim ante omnes, si non ante omnia? Quomodo ante omnia, si non (*a*) *primogenitus conditionis?* si non *Sermo* Creatoris? Unde ante omnes probabitur fuisse, qui post omnia apparuit? Quis scit priorem fuisse, quem esse nesciit? Quomodo item (6) *boni duxit omnem plenitudinem in semetipso habitare?* Primo enim, quæ est ista plenitudo, nisi ex illis quæ Marcion detraxit, conditis in Christo, in cœlis et in terris, angelis et hominibus, nisi ex illis invisibilibus et visibilibus? nisi ex thronis, et dominationibus et principatibus, et potestatibus? Aut si hæc pseudapostoli nostri et judaici evangelizatores de suo intulerint, et ad plenitudinem Dei sui Marcion qui nihil condidit : cæterum, quale est ut plenitudinem Creatoris, æmulus et destructor ejus, in suo Christo habitare voluerit? Cui denique *recontiliat omnia in semetipsum, pacem faciens per crucis suæ sanguinem*, nisi quem offenderant una ipsa (7), adversus quem rebellaverant per transgressionem, cujus novissime fuerant? Conciliari enim extraneo possent; reconciliari vero, non alii quam suo. Ita et nos *quondam alienatos et inimicos sensu in malis operibus*, Creatori redigit in gratiam, cujus admiseramus offensam, colentes conditionem adversus Creatorem. Sicubi autem et Ecclesiam corpus Christi dicit esse, ut hic ait, *Adimplere se reliqua pressurarum Christi in carne, pro corpore ejus quod est Ecclesia;* non propterea et in totum mentionem corporis tranferes a substantia carnis. Nam et supra *reconciliari nos* ait *in corpore ejus per mortem;* utique in eo corpore, in quo mori potuit per carnem; mortuus est, non per Ecclesiam, plane propter Ecclesiam; corpus commutando pro corpore, carnale pro spiritali. At cum monet (*b*) *cavendum a subtililoquentia et philosophia et* (8) *inani seductione, quæ sit* (9) *secun-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ambo *omitt. Ober.*
(2) Significabant *Seml.*
(3) Erat *Ober.*
(4) Antoniani *Rig.*
(5) Dominum *Rhen.*
(6) Autem *Seml.*
(7) Universa *Obert.*
(8) Ut *Pam.*
(9) Fit *Par.*

COMMENTARIUS.

κράτορας. Dæmonem autem significat, illos autem *manditenentes* spiritalia mox nequitiæ pro πνεύματικα τῆς πονηρίας. LE PR.

CAP. XIX. — (a) *Primogenitus conditionis.* Hoc est primogenitus omnium a Deo conditorum et creatorum. RIG.

(b) *Cavendum a subtililoquentia et philosophia.* Non uno in loco, licet aliter, hunc locum Apostoli citavit; nam lib. *de Præscript.*, cap. 7, de hac vanitate philosophica locutus est, et alio loco *hæreticorum patriarchas* vocat philosophos. Quænam autem sit illa philosophia, dubium esset, nisi peripateticam Patres indicarent, quæ licet prava consuetudine apud Catholicos invaluerit, Carpocrationis tamen et Gnosticis arma ad turbandam veritatem ministravit. Sanctus Ambrosius in offic. et Origenes contra Celsum Epicuri dogmatis perniciosiorem sectam demonstrant. Atque etiam regnante Philippo Augusto, coacto contra Almarici hæresim concilio, cremata fuisse Aristotelis metaphysica nuper in Galliam e Græcia advecta testatur Rigordus, lib. *de Gestis Ph. Aug.* Atque, quod in gratiam Peripateticorum observandum est, memini me legere apud Alexandrum Necam Acgelum lib. *de rerum natura*, in ea fuisse tunc sententia viros eruditos, ut libenter pronuntiarent solum Antichristum

dum elementa mundi; non secundum cœlum aut terram dicens, sed secundum literas sæculares; *et secundum traditionem*, scilicet hominum subtililoquorum et philosophorum: longum est quidem et alterius operis ostendere, hac sententia omnes hæreses damnari, quod omnes ex subtililoquentiæ viribus et philosophiæ regulis constent. Sed Marcion principalem suæ fidei terminum de Epicuri schola agnoscat, Dominum inferens hebetem, ne timeri eum dicat, collocans et cum Deo Creatore materiam, de porticu Stoicorum: negans carnis resurrectionem, de qua proinde nulla philosophia consentit. Cujus ingeniis tam longe abest veritas nostra, ut et iram Dei excitare formidet, et omnia illum ex nihilo protulisse confidat, et carnem eamdem restituturum repromittat, et Christum ex vulva virginis natum non erubescat, ridentibus philosophis et hæreticis et ethnicis ipsis. *Stulta enim* (I *Cor.*, I) *mundi elegit Deus, ut confundat sapientes*: ille sine dubio, qui ex respectu hujus suæ dispositionis perditurum se sapientiam sapientium præminabatur. Hac simplicitate veritatis contraria subtililoquentiæ et philosophiæ, nihil perversi possumus sapere. Denique si *nos Deus cum Christo vivificat, donans delicta nobis*, non possumus credere ab eo delicta donari, in quem admissa non fuerint, ut retro ignotum. Age jam, cum dicit: *Nemo vos judicet in cibo et potu, et in parte diei festi et neomeniæ et sabbati, quæ est umbra futurorum, corpus autem Christi;* quid tibi videtur, Marcion? De lege jam non retractamus, nisi quod et hic quemadmodum exclusa sit edocet, dum scilicet de umbra transfertur in corpus, id est, de figuris ad veritatem, quod est Christus. Ergo et umbra ejus, cujus et corpus: id est et lex (1) ejus, et Christus. Segrega alii (2) Legem, et alii Deo Christum, si potes aliquam umbram ab eo corpore, cujus umbra est, separare. Manifeste Legis est Christus, si corpus est umbræ. Si autem et aliquos taxat, qui *ex visionibus angelicis dicebant cibis abstinendum, ne attigeris, ne gustaveris, volentes in humilitate sensus incedere, non tenentes caput*; non ideo Legem et Moysen pulsat, quasi de angelica superstitione constituerit interdictionem quorumdam edulium. Moysen enim a Deo accepisse Legem constat. Denique, hanc disciplinam, *secundum præcepta*, inquit, *et doctrinam hominum* deputavit in eos, qui caput non tenerent, id est, ipsum; in quo omnia recensentur, in Christum ad initium revocata, etiam indifferentia escarum. Cætera præceptorum, ut eadem, satis sit jam alibi docuisse quam a Creatore manarint; qui cum vetera prædicaret transitura, nova facturus universa, mandans etiam (*Jerem.*, IV, 3): *Novate vobis novamen novum*; jam tunc docebat deponere veterem hominem, et novum induere (*In Ep. ad Philipp.*).

CAPUT XX.

Cum prædicationis enumerat varietatem, quod *alii ex fiducia vinculorum ejus, audentius sermonem enuntiarent; alii per invidiam et contentionem; quidam vero et per sermonis existimationem* (3), *plerique ex dilectione, nonnulli ex æmulatione, jam aliqui et ex simultate Christum prædicarent;* erat utique vel hic locus taxandæ ipsius prædicationis de diversitate sententiæ, quæ tantam efficeret etiam animorum varietatem. Sed causas solas animorum, non regulas sacramentorum in diversitate proponens, unum tamen Christum, et unum ejus Deum, quocumque consilio prædicatum confirmat, et ideo: *Nihil mea*, inquit, *sive caussatione, sive veritate Christus annuntietur;* quia unus annuntiabatur, sive ex caussatione, sive ex veritate fidei. Ad fidem enim prædicationis retulit mentionem veritatis, non ad regulæ ipsius: quia una quidem erat regula, sed fides prædicantium quorumdam vera, id est simplex, quorumdam nimis docta. Quod cum ita sit, apparet eum Christum prædicatum, qui semper adnuntiabatur. Nam si alius longe ab Apostolo inducerctur, fecisset diversitatem novitas rei. Nec enim defuissent, qui prædicationem evangelicam nihilominus in Christum Creatoris interpretarentur; cum et hodie major pars sit omnibus in locis sententiæ nostræ, quam hæreticæ: quo nec hic (4) Apostolus de diversitatis denotatione et increpatione tacuisset. Ita cum diversitas ne taxatur quidem, novitas non probatur. Planc de substantia Christi putant et hic Marcionitæ suffragari Apostolum sibi, quod phantasma carnis fuerit in Christo, cum dicit, quod *in effigie Dei constitutus*, (*a*) *non rapinam existimavit pariari Deo*; *sed exhausit semetipsum, accepta effigie servi*, non veritate; *et in similitudine hominis*, non in homine; *et figura inventus homo*, non substantia, id est non carne: quasi non et figura, et similitudo, et effigies substantiæ quoque accedant. Bene autem quod et alibi Christum imaginem Dei invisibilis appellat. Numquid ergo et hic qua (5) in effigie eum Dei collocat? Æque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus. Utrobique enim veritas necesse habebit cludi, si effigies et similitudo et figura (6) phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie et imagine, qua Filius Patris vere Dei prædicatus est (7), etiam in effigie et imagine hominis, qua filius hominis, vere hominem inventum, nam et *inventum* ratione posuit, id est

LECTIONES VARIANTES.

(1) Lux *Pam.*
(2) Deo *add. Seml.*
(3) Boni æstimationem *Lat.*
(4) Quo ne *Pam.* quia nec *Lat.* quin nec *al.*
(5) Quia *al.*
(6) Cura *Ven. mendose.*
(7) Præjudicatus *Ober.*

COMMENTARIUS.

posse capere libros Aristotelis quibus uteretur ad confutandos eos qui contra se disputaturi essent. Le Pr.

CAP. XX. —(a) *Non rapinam existimavit pariari Deo.* Si phantasticum fuisset Christi corpus, hæc omnia illi non contigissent, neque mortem subiisset. Quod hic locus late probat, et paulisper a Vulgata recedit, nam *pariari* est parem esse, εἶναι ἴσα, et *exhausit semetipsum*, hoc est *abjecit*, ἐαυτὸν ἐκένωσε, *seipsum exinanivit.* Le Pr.

ortissimo hominem : quod enim invenitur, constat esse. Sic et Deus inventus est per virtutem, sicut homo per carnem ; quia nec morti subditum pronuntiasset, nec in substantia mortali constitutum. Plus est autem quod adjecit : *Et mortem crucis*. Non enim exaggerat (1) atrocitatem, extollendo virtutem subjectionis (2), quam imaginariam phantasmate scisset, frustrato potius eam, quam experto ; nec virtute functo in passione, sed lusu. *Quæ autem retro lucri duxerat*, quæ et supra numerat, gloriam carnis, notam circumcisionis, generis hebræi ex hebræo censum, titulum tribus Benjamin, pharisææ candidæ dignitatem ; hæc modo detrimento sibi deputat, non Deum, sed stuporem Judæorum. Hæc *ac si stercora existimat, præ comparatione agnitionis Christi*, non præ rejectione Dei Creatoris, *habens justitiam, non suam* B *jam quæ ex Lege, sed quæ per ipsum*, scilicet Christum, *ex Deo*. Ergo, inquis, hac distinctione Lex non ex Deo erat Christi. Subtiliter satis. Accipe itaque subtilius. Cum enim dicit : *Non quæ ex lege, sed quæ per ipsum ;* non dixisset, *per ipsum*, de alio, quam cujus fuit lex. *Noster*, inquit, *municipatus in cœlis*. Agnosco veterem ad Abraham promissionem Creatoris (*Gen.*, XXII, 17) : *Et faciam semen tuum tanquam stellas in cœlo*. Ideo et *stella a stella differt in gloria*. Quod si *Christus adveniens de cœlis, transfigurabit* A *corpus humilitatis nostræ, conformale corpori gloriæ suæ ;* resurget ergo corpus hoc nostrum quod humiliatur in passionibus, et in (3) ipsa lege mortis in terram dejectum. Quomodo enim transfigurabit (4), si nullum erit ? Aut si de eis dictum, (*a*) qui in adventu Dei deprehensi in carne deputari (5) habebunt, (*b*) quid facient qui primi resurgent ? Non habebunt de quo transfigurentur ? Atquin, *cum illis*, dicit, *simul rapiemur in nubibus obviam Domino*. Si cum illis sublati, utique cum illis et transfigurati.

CAPUT XXI.

(*In Ep. ad Philem.*). Soli huic Epistolæ brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet. Miror tamen, cum ad unum hominem literas factas receperit, quid ad Timotheum duas, et unam ad B Titum, de ecclesiastico statu compositas recusaverit. Adfectavit, opinor, etiam numerum Epistolarum interpolare. Memento, inspector, quod ea quæ pertractata sunt, retro de Apostolo quoque probaverimus : et si qua in hoc opus dilata erant, (*c*) expunxerimus ; ne aut hic supervacuam existimes iterationem, qua confirmavimus spem pristinam, aut illic suspectam habeas dilationem, qua eruimus tempora ista. Si (6) totum opusculum inspexeris, nec hic redundantiam nec illic diffidentiam judicabis.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Exaggeraret *Lat.*
(2) Collectionis *Rhen.*
(3) In *delet Ciacc.*
(4) Transfiguravit *Venet.* transfiguraverit *Rig.* transfigurabitur *Pam.*
(5) Demutari *al* demutati *Lat.*
(6) Sed *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Qui in adventu Dei deprehensi, in carne deputari habebunt.* Imo *demutari*, quod mox dicet *transfigurari*. Rig.

(b) *Quid facient qui resurgent primi.* Consimili schemate, quo Paulus dixit, *Quid facient qui baptizantur pro mortuis ?* Rig. C

CAP. XXI. — (c) *Expunxerimus.* Hoc est, Ex debito absolverimus, præstiterimusque. Sic lib. IV præcedente : *Et si commemoremur*, inquit, *promissionis Moysi, hic invenietur expuncta*. Rhen.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
ADVERSUS VALENTINIANOS
LIBER.

Prooemium.

Hæresim Valentini erupisse sub Antonio Pio, imperium D *adepto anno* 138, *affirmant Tertullianus* (*De Præscript., cap.* 30) *ac Theodoretus* (*De Hæretic. fab., lib.* 1). *Fuit autem Valentinus Phrœbonites patria, ex maritima Ægypti ora, platonicæ sectator philosophiæ, imbutus Græcorum artibus, ac figmentis, atque, ut sui jactabant* (*Apud Orig. in* Dial. adv. Marcion.), *auditor Theodadis, discipuli Pauli apostoli. Natum Valentinum censet Massuetus* (*Dissert. in Iren., num.* 7) *anno Christi* 85, *denatum vero* 158. *Scripsisse fertur Valentinus psalmos nonnullos, epistolas item a Clemente Alexandr. in* II *et* III Stromatum *libris laudatas, quarum epistolarum una inscribitur ad Agathopodem diaconum antiochenum, ut opinantur Grabius et Caveus. Edidit Valentinus etiam homilias atque opus inscriptum :* Πόθεν τὸ κακόν, *id est,* Unde mala, *cujus operis fragmenta exstant apud laudatum Clementem, lib.* VI, *et*

Epiphanium, *hæres.* XXXI. *Evangelium scripsisse proprium nemo nisi auctor novem posteriorum capitum libri* de Præscriptione *refert. Ab Ecclesia catholica defecit, quoniam episcopatum, cujus ardebat desiderio, consequi non valuit, uti adversus eumdem Valentinum*, *cap.* IV, *tradit Tertullianus. Relicta Alexandria Valentinus Romam venit, sedente Hygino, ibique commoratus est usque ad Anicetum. Præter D. Irenæum, Tertullianum, Epiphanium ac Theodoretum*, *plura de Valentinianis scribunt Massuetus* (*Dissert. ead.*, *ibid*), *Natalis Alexander* (*in Hist. Eccles. Sæcul.* II, *cap.* 2, *art* 6), *Beausobre* (*in Hist. Manichæorum*, *part.* II, *lib.* V), *Semlerus* (*L Band der Polemik der Baumgartens*), *nec non Valcheus* (*Kezergeschichte*, I, *Band*), *et Ittig.* (*Diss. de hæresiarchis*, *sect.* II, *cap.* 5, *et ejusdem Dissert.* B *appendice ad sect.* II, *cap.* 5). *Ac demum recentius Matter* (*Hist. du Gnosticisme*, *t.* II). *Etsi vero fabulosa Valentini hæresis sola descriptione sui appareat absurdissima, fuere tamen nonnulli qui ipsum Valentinum orthodoxum existimarunt, ut abbas Faydit, qui edidit Dilucidationem doctrinæ priorum sæculorum; multaque ad Valentini systema emoliendum Manichæorum historiæ inseruit etiam Beausobre* (*Lumper, Histor. theolog. critica de Vita, Scriptis atq. Doctr. SS. Patrum, part.* III, *sect.* IV, *cap.* 3, *Dissert. præv. art.* 1).

Porro certo certius est Tertullianum, dum suum adversus Valentinianos librum elucubravit, eam præ oculis habuisse sancti Irenæi, episcopi Lugdun., librorum adversus hæreses interpretationem latinam, C *veterem et vulgatam, quam, ad usque tempora nostra servatam, Irenæo ipso vel adhuc in vivis superstite, vel nuper erepto, editam fuisse constat. Quisquis Irenæum latinum cum Tertulliano contulerit, in promptu deprehendet hunc adeo vestigia illius premere, adeo verbis ipsis, verborumque figuris et ordini adhærere, ut id unum sibi proposuisse videatur eadem paucioribus contrahere; iisdem sæpe servatis verbis, immixtis tamen pro more dicteriis quadam afri ingenii procacitate propalatis* (*Conf. Iren.*, *lib.* I, *cap.* 11, *num.* 3, *cum Tertull.*, *cap.* 23, *et Iren.*, *num.* 5, *cum Tertull.*, *cap.* 25, *etc. Vide Massueti dissertation.* II, *in Iren. lib.*, *num.* 55, *p.* 89, 90).

Hæc plurima hinc et inde loca similia sedulo colligenda, ac ut facilius ea lector conferre queat, in D *notis adponenda curavimus. Nec jam, ni fallor, nemini ambiguum erit præivisse Tertulliano Irenæum, ac proinde perperam ea in dubium revocasse, et inter spuria repudiasse Johann. Salomon. Semlerum, virum, si quis unquam, ad omnia fere venerandæ antiquitatis monumenta ex auctoritate sua dejicienda profecto natum; hic enim in* Historica Isagoge ad Baumgartenii Polemicam (*Vol.* II, *p.* 131), *in* Prolusione de cavenda molesta sedulitate sacra ad corrigendas quasdam Irenæi et Tertulliani sententias (*Edit. Halæ.*, 1772), *et in* Dissertatione de varia et incerta indole horum librorum *Tertulliano Halensi adjecta* (*Vol.* V, *p.* 245-290, *ed. Halæ Magdeburg.*, 1828), *fidem Irenæi minuere ejusque libros in suspicionem* ψεύδους *adducere tentavit: at defensionem illorum suscepit celeberr. Valchius, theologus gottingensis, in novis commentariis Societatis Regiæ Scientiarum Gottingensis* (*T.* V, *part.* 100, *ann.* 1774-1775; *Lumper., lib. cit., cap.* II, *art.* 1, *p.* 218.) EDD.

Cæterum Tertulliani esse librum hunc adversus Valentinianos vel inde constat, quod cap. XVI, *nominatim libri adversus Hermogenem meminerit, quem ejus esse constat. Et vero scripsisse illum adversus Valentinianos luculenti sunt testes B. Optatus Milevitanus, lib.* I, *adversus Parmenian. Donatistam, et Vincentius Lirinensis, lib. de Prophan. hæres. novitate. Visus fuit etiam jam olim MS. a Trithemio et Politiano, et inter primos a Rhenano editus primum scholiis, deinde et annotationibus ita illustratus, ut nusquam diligentior fuerit. Non contemnendam tamen esse nostram postremam hanc recognitionem, idque ex B. Irenæi, lib.* I, *cap.* 1, *et aliquot sequentibus, eoque tam græco apud Epiphanium, quam latino juxta versiones varias, et tribus Vatic. MS. exemplaribus, colliget facile lector, ex iis quas majoris adhuc lucis gratia adjecimus annotationibus, Argumento, imo et Catalogo Æonum ac situs ipsorum delineatione apertioribus.* PAMELIUS.

Opportunior sane se dabit occasio de immensa farragine ΓΝΩΣΕΩΣ *in genere ac de arduo themate Valentiniano in specie uberius disserendi, ubi de præstantissimis Irenæi adversus hæreses libris dicendum erit. Nobis igitur, pro more, moduloque nostro, sufficiat hæc pauca, proœmii instar, prælibasse, paucula*que *addere hinc inde desumpta, sive ex Pamelio, sive ex Massueto, addere, quibus, antequam librum hunc, obscurum sane et intellectu impervium, aggrediamur, lectori præluceat tum interpretatio nominum Æonum Valentini, tum syntagma gnoseos ex ejusdem hypothesi concinnatum.* EDD.

NOMINA ÆONUM ET DEORUM VALENTINI,

IMO CRIMINUM POTIUS QUAM NUMINUM, ALIORUMQUE EODEM PERTINENTIUM.

(EX EDIT. PAMELII.)

De his nominibus infra, c. 6, sic Tertullianus: *Quorumdam* (inquit) *de græco interpretatio non occurrit, quorumdam nec de sexu genera conveniunt, quorumdam usitatior in græco notitia est. Itaque plurimum græco ponemus, significantiæ per paginarum limites aderunt; nec latinis quidem deerunt græca, sed in lineis desuper notabuntur.*

Hactenus ille. Quod tamen cum in MS. codicibus neque Rhenanus, neque ego factum invenerimus, expediebat ad intellectum majorem, hunc Nominum Catalogum præfigere. Quem nunc et locupletavi, et in ordinem congruum redegi, adjecto majoris explicationis gratia capitum numero, ubi de singulis ipsorum agi ur. Annotavi etiam quæ hic aut alibi Tertulliano usitata, quæ Irenæo Latino lib. I adv. hæres., c. I, quæ denique Epiphanio Græco hæres. XXXI, aut ejus Interpreti Latino ; equibus etiam nomina aliquot castigata sunt PAM.

GENERALIA NOMINA, AD PRODUCTIONEM, CONJUGIA, ET NUMERUM ÆONUM PERTINENTIA, EX CAP. VII, VIII, XII, XXIII, XXX ET XXXI.

SERIES NOMINUM LATINA.	SERIES NOMINUM GRÆCA.	NOMINUM INTERPRETATIO.
Æòn, *Tertull. Iren.*	αἰὼν, *Epiph.*	Sæculum, *Int. Epiph.*
Æônes.	αἰῶνες.	Sæcula.
Syzygia.	συζυγία	Conjugatio, *Tertull.* Copulatio, *Tertull.*
Nymphôn.	νυμφών.	Nuptiarum domus. Thalamus.
Probolè	προβολὴ	Emissio, *Tertull.*
Ogdoas.	ὀγδοὰς.	Octonarius, *Tertull.* Octonarius. *Iren.*
Tetras, *Tertull. Iren.*	τετρὰς, *Epiph.*	Quaternarius, *Int. Epiph.* Quadriga, *Tertull.* Quaternatio, *Iren.*
Decas.	δεκὰς	Denarius.
Dôdecas	δωδεκὰς	Duodenarius.
Triacontas.	τριακοντὰς.	Tricenarius.
Ectrôma	ἔκτρωμα	Partus abortivus.

XXX. ÆONUM NOMINA.

OGDOAS, SEU QUADRIGA DUPLEX, ÆONUM. CAP. VII.

I.	Bythos, *Tertull. Iren.*	βῦθος, *Epiph.*	Profundum, *Int. Epiph.*
	Æôn telios	αἰὼν τέλειος	Sæculum perfectum. Æon perfectus, *Iren.*
	Archê.	ἡ ἀρχή	Initium, *Iren.* Principium.
	Proarchê.	προαρχὴ, *Iren.*	Prior principio.
	Propatôr.	προπάτωρ, *Epiph.*	Primus / Immensus } Pater, *Tertull.*
	Pater.	πατὴρ.	Pater.
	Pater pantôn.	πατὴρ πάντων	Pater omnium.
	Prodn.	πρόων.	Præexistens. Qui ante fuit, *Iren.*
	Autopatôr, *Epiph.*	αὐτοπάτωρ	Ipse per se pater.
	Anarchos, *Iren.*	ἄναρχος	Carens principio.
	Risa, *Epiph.*	ῥίζα	Radix.
II.	Sigê, *Tertull. Iren.*	σιγὴ, *Epiph.*	Silentium, *Int. Epiph.*
	Ennœa.	ἔννοια.	Intelligentia. Cogitatio.
	Charis.	χάρις.	Gratia.
	Mater.	μητὴρ.	Mater.
	Nus.	νοῦς.	Mens.
III.	Monogenes	μονογενὴς.	Unigenitus.
	Protogenes, *Tertull.*	πρωτογενὴς.	Prior genitus, *Tertull.*
	Pater, *Tertull. Iren.*	πατὴρ.	Pater.
	Archê tôn pantôn.	ἀρχὴ τῶν πάντων.	Initium omnium.
IV.	Alêtheia.	ἀλήθεια	Veritas.
V.	Logos, *Iren.*	λόγος.	Sermo, *Tertull.* Verbum.
VI.	Zoê, *Tertull. Iren.*	ζωὴ	Vita, *Tertull.*
VII.	Anthrôpos, *Iren.*	ἄνθρωπος.	Homo, *Tertull.*
VIII.	Ecclesia, *Tertull. Iren.*	ἐκκλησία	Ecclesia, *Tertull. Iren.*

DECAS ÆONUM. CAP. VIII.

IX.	Bythios, *Tert. Iren.*	βύθιος, *Epiph.*	Profundus, *Int. Epiph.*
X.	Mixis.	μίξις	Mixtio.
XI.	Agêratos.	ἀγήρατος.	Non senescens.
XII.	Henôsis	ἕνωσις.	Unio.
XIII.	Autophyes	αὐτοφυὴς.	Per se naturalis.
XIV.	Hêdonê	ἡδονὴ.	Voluptas.
XV.	Akinetos.	ἀκίνητος	Immobilis.
XVI.	Syncrasis, *Tertull.* Homosyncrasis, *Iren.*	σύγκρασις. ὁμοσύγκρασις.	Commixtio. Similis commixtio.
XVII.	Monogenes	μονογενὴς.	Unigenitus.

XVIII.	Macaria	μακαρία	Fortunata, *Tertull.* Felicitas, *Int. Iren.*

DODECAS ÆONUM, EODEM. CAP. VIII.

XIX.	Paracletus, *Tertull. Iren.* .	παράκλητος, *Epiph.* . .	Paracletus, *Int. Epiph.*
XX.	Pistis	πίστις	Fides.
XXI.	Patricos	πατρικός	Paternus.
XXII.	Elpis	ἐλπίς	Spes.
XXIII.	Mètricos	μητρικός	Maternus.
XXIV.	Agapê	ἀγάπη	Caritas.
XXV.	Aïnos	αἶνος	Laus.
	Ainus, *Epiph.*	ἀεινοῦς	Semper mens.
XXVI.	Synesis	σύνεσις	Intelligentia.
	Phronesis, *Billio.*	φρόνησις, *Bill.*	Prudentia, *Bill.*
XXVII.	Ecclesiasticus	ἐκκλησιαστικός	Ecclesiasticus.
XXVIII.	Macariotes	μακαριότης	Beatitudo.
XXIX.	Teletus, *Tert.*	τελετός	Perfectus, *Tertull.*
	Philetus, *Tert.*	φιλητός	Amabilis, *Tertull.*
	Theletus, *Iren.*	θελητός, *Iren.*	Voluntas, *Int. Epiph.* Voluntarius, *Int. Theod.*
XXX.	Sophia	σοφία	Sapientia.

CUSTODIS PLEROMATIS HORI EX BYTHO SOLO PRODUCTI NOMINA, CAP. IX ET X.

Horos, *Tertull. Iren.*	ὅρος, *Epiph.*	Terminus, *Int. Epiph.*
Stauros, *Iren.*	σταυρός	Crux, *Tertull.*
Lytrotes	λυτρωτής	Redemptor.
Carpistes.	καρπιστής	Traductor.
Metagogeus.	μετάγωγεύς	Circumductor, *Tertull.*
Horothetês.	ὁροθέτης	Finitor, seu Finium designator.

ECTROMATIS, SIVE ABORTIVI FŒTUS NOMINA, CAP. IX—XIV ET XXI.

Enthymesis, *Tertull. Iren.*	ἐνθύμησις, *Epiph.* . .	Animatio, *Tertull.* Cogitatio, *Tertull.*
Achamoth, *Tertull. Iren.*	ἀχαμώθ?, *Epiph.* . . .	חכמות Sapientia.
Sophia.	σοφία	Sapientia.
Ogdoas.	ὀγδοάς.	Octonarius.
Gê.	ἡ γῆ.	Terra.
Mater.	μήτηρ.	Mater.
Pneuma hagion.	πνεῦμα ἅγιον.	Spiritus sanctus.
Hierusalem, *Iren.*	ἱερουσαλήμ.	Hierusalem.
Kyrios.	κύριος.	Dominus.

NOVORUM EX PRIMO MONOGENE DUORUM ÆONUM NOMINA, CAP. XI.

Christus, *Tertull. Iren.*	χριστός. *Epiph.* . . .	Christus, *Int. Epiph.*
Pneuma hagion.	πνεῦμα ἅγιον.	Spiritus sanctus.

ÆONIS EX OMNIBUS ÆONIBUS CONCINNATI NOMINA. CAP. XII.

Iesus, *Tertull. Iren.*	ἰησοῦς, *Epiph.*	Iesus, *Int. Epiph.*
Sô êr	σωτήρ.	Salvator.
Christus	χριστός.	Christus.
Logos.	λόγος	Verbum.
Paracletus.	παράκλητος	Paracletus.
Problema, *Iren.*	πρόβλημα.	Problema.

ANGELORUM EX IISDEM PRODUCTORUM NOMINA, EODEM CAP. XII.

Angeli, *Tertull. Iren.*	ἄγγελοι, *Epiph.* . . .	Angeli, *Int. Epiph.*
Doryphori, *Epiph.*	δορυφόροι.	Satellites.

TRINITATIS GENERUM EX ACHAMOTH NOMINA, CAP. XVII AC XVIII.

Hylicum, *Iren.*	ὑλικόν, *Epiph.*	Materiale, *Tertull.*
Psychicum.	ψυχικόν	Animale.
Pneumaticum.	πνευματικόν	Spirituale.

DEMIURGI EX ACHAMOTH ET ANIMALI SUBSTANTIA NOMINA, CAP. XVIII, XIX ET XX.

Demiurgus, *Tertull. Iren.*	δημιουργός, *Epiph.* . .	Opifex, *Int. Epiph.*
Mètropatôr	μητροπάτωρ	Mater et pater.
Apatôr.	ἀπάτωρ	Sine patre.
Pater	πατήρ.	Pater.
Basileus	βασιλεύς	Rex.
Hebdomas.	ἑβδομάς	Septenarius.
Archangelus, *Tertull.*	ἀρχάγγελος, *Tertull.* . .	Archangelus, *Tertull.*
Angelus, *Iren.*	ἄγγελος.	Angelus. *Int. Epiph.*
Pantocratôr, *Epiph.*	παντοκράτωρ.	Omnipotens.
Ctistês.	κτιστής.	Creator.

CHRISTI FILII DEMIURGI NOMINA, CAP. XXVI ET XXVII.

Christus, *Tertull. Iren.*	χριστὸς, *Epiph.*	Christus, *Int. Epiph.*
Iesus, *Epiph.*	ἰησοῦς.	Iesus.
Sôter.	σωτὴρ.	Salvator.
Phôs	φῶς.	Lux.
Logos.	λόγος.	Verbum.
Nus.	νοῦς.	Mens.

ARCIUM QUIBUS SINGULI ÆONES COLLOCATI SUNT, NOMINA, CAP. XXIII, XXIV, XXV.

TRICENARII ALIORUMQUE ALIQUOT ÆONUM SEDIS NOMINA.

Plêroma, *Tertull. Iren.*	πλήρωμα, *Epiph.*	Universitas, *Tertull.* Plenitudo, *Tertull. Iren.* Complementum, *Int. Epiph.*

ACHAMOTH LOCUS.

Cenôma, *Iren.*	κένωμα, *Epiph.*	Vacuum, *Iren. Tertull.*
Meso'êtos topos, *Epiph.*	μεσότητος τόπος.	Locus / Regio — mediatis.
Tabulatum.	medium, *Tertull.* secundum, *Tertull.*	

DEMIURGI LOCUS SUPER SEPTEMPLICI CŒLO.

Sabbatum, *Tertull. Iren.*	σάββατον, *Epiph.*	Sabbatum. *Int. Epiph.*
Solium Demiurgi, *Tertull.*		*Tertull.*
Topos ouranios, *Epiph.*	οὐράνιος τόπος, *Epiph.*	Subcœlestis locus, *Iren.*

DIABOLI ET HOMINIS LOCUS.

Κόσμος, *Tertull.*	κόσμος, *Epiph.*	Mundus, *Tertull. Iren.*

CREATURARUM A DEMIURGO ET ACHAMOTH CONDITARUM NOMINA, CAP. XX, XXII XXV.

SPIRITUALIUM.

Hebdomas ouranôn, *Epiph.*	ἑβδομὰς οὐρανῶν.	Cælorum — septemplex scena, *Tertull.*; septenarius, *Iren.*
Ourani, *Epiph.*	οὐρανοὶ, *Epiph.*	Cœli, *Tert. Iren.*
Angeli, *Tertull. Iren.*	ἄγγελοι.	Angeli, *Int. Epiph.*
Paradisus.	παράδεισος.	Paradisus.
Angelus	ἄγγελος.	Angelus.
Archangelus quartus, *Tertull.*		
Diabolus, *Tertull. Iren.*	διάβολος, *Epiph.*	Diabolus, *Int. Epiph.*
Cosmocratôr.	κοσμοκράτωρ.	Mundi dominus. / Mundiitenens, *Tertull.*
Dæmonia.	δαιμόνια.	Dæmonia.
Pneumatica ponêrias	πνευματικὰ πονηρίας	Spiritalia nequitiæ, *Tert. Iren.*

MATERIALIUM.

Hylê, *Epiph.*	ὕλη, *Epiph.*	Materia, *Tertull. Iren.*
Cosmos, *Tertull.*	κόσμος.	Mundus.
Stoichia, *Epiph.*	στοιχεῖα	Elementa.
Pyr.	πῦρ.	Ignis.
Aër.	ἀὴρ.	Aër.
Hydor.	ὕδωρ	Aqua.
Gê.	γῆ.	Terra.

ANIMALIUM.

Anthrôpos, *Epiph.*	ἄνθρωπος, *Epiph.*	Homo, *Tertull. Iren.*
Zôa.	ζῶα.	Animantia.

TRINITATIS, SIVE TRIUM GENERUM HOMINIS NOMINA, CAP. XXVI.

Choicus, *Tertull. Iren.*	χοϊκὸς, *Epiph.*	Terreus, *Int. Epiph.*
Psychicus.	ψυχικὸς.	Animalis.
Pneumaticus.	πνευματικὸς	Spiritalis, *Tertull. Iren.*

ALTERIUS BYTHI CONJUGIS SECUNDUM QUOSDAM NOMEN, CAP. XXXIII.

Telêsis, *Iren.*	θέλησις, *Epiph.*	Voluntas, *Tertull.*

OGDOADIS ALTERIUS SECUNDUM QUOSDAM BYTHO ANTERIORIS NOMINA, CAP. XXXV.

Proarchê, *Tertull. Iren.*	προαρχὴ, *Epiph.*	Prior principio, *Int. Epiph.*
Anennoêtos	ἀνεννόητος.	Incogitabilis.
Arrhêtos	ἄῤῥητος	Inenarrabilis. / Arcanus.
Aoratos.	ἀόρατος.	Invisibilis.
Archê	ἀρχὴ.	Principium.
Acatalêptos	ἀκατάληπτος.	Incomprehensibilis.
Anonomastos.	ἀνονόμαστος	Innominatus.
Agenrêtos.	ἀγέννητος.	Ingenitus.

TETRAS ÆONUM, QUOS ALII OMNIUM ÆONUM PARENTIS FACIUNT NOMINA, XXXVII.

Monotês, *Tert. Iren.*	μονότης, *Epiph.*	Singularitas, *Tertull.*
Henotês	ἑνότης	Unitas.
Monas.	μονάς	Solitas.
Hen.	ἕν.	Unum.

SCHEMA GNOSTICUM

EX VALENTINI EJUSQUE DISCIPULORUM FABULIS.

CURANTIB. EDD. DESCRIPTUM.

PLEROMA XXX ÆONUM.

OGDOAS — PRIMIGENA ÆONUM SERIES.

TETRAS OMNIUM RADIX ET SUBSTANTIA.

I. Bythos. Æonum caput, rerum principium.
II. Ennœa, Bytho sociata, conjugis instar.

EX ENNŒA, *Suscepto a* BYTHO *semine.*

III. Nous. Æonum pater unigenitus.
IV Aletheia.

TETRAS SECUNDA.

EX UNIGENITO EORUM PATRE.

V. Logos.
VI. Zoe.
VII. Anthrôpos.
VIII. Ecclesia.

DECAS — SECUNDA ÆONUM SERIES.

EX LOGO SECUNDI ÆONUM AGMINIS DUCE ET ZOE CONJUGE.

IX. Bythios.
X. Mixis.
XI. Ageratos.
XII. Henosis.
XIII. Autophyes.
XIV. Hedone.
XV. Akinetos.
XVI. Syncrasis.
XVII Monogenês.
XVIII. Makaria.

DODECAS — ULTIMA XXX ÆONUM SERIES.

AB HOMINE ET ECCLESIA.

XIX. Paracletos.
XX. Pistis.
XXI. Patrikos.
XXII. Elpis.
XXIII. Metricos.
XXIV. Agape.
XXV. Ainos.
XXVI. Synesis.
XXVII. Ecclesiasticos.
XXVIII. Makariotes.
XXIX. Teletos.
XXX. Sophia.

HORUS, CUSTOS PLEROMATIS AC TERMINUS, EX SOLO BYTHO PROJECTUS.

BYTHOS, SUPREMUS PATER PER NOUN UNIGENITUM EMITTIT NOVUM PAR ÆONUM

XXXI. CHRISTOS, cum Angelis custodibus. | XXXII. PNEUMA HAGION.

Ex toto Pleromate nascitur sidus veluti Æonum ac perfectissimus fructus

XXXIII. IHSOUS.

XXXIV. Extra pleroma relegatur sophiæ ENTHYMESIS seu ACHAMOTH

הכמה

ex ejus passione	ex ejus conversione	ex ejus imaginatione
MATERIA SUBSTANTIA.	ANIMALIS SUBSTANTIA.	SPIRITALIS SUBSTANTIA.

XXXV. EX ACHAMOTH ET ANIMALI SUBSTANTIA oritur DEMIURGOS ; unde KOSMOS

XXXVI. Æon et ultimus.

I cœlum. II cœlum. III cœlum. IV cœlum. V cœlum. VI cœlum. VII cœlum.

I HOMO CHOICUS	II HOMO GNOSTICUS	III HOMO SPIRITUALIS
seu damnandus	perfectus	et perficiendus.

Argumentum.

Adversus Valentinianos hæreticos scripturus Tertullianus, differens congressionem, solam profitetur errorum, seu potius fabularum, cum risu narrationem.

Imprimis autem narrat, quod Valentiniani, frequentissimum sane inter hæreticos collegium, nihil magis curent, quam occultare quod prædicant. Cap. I.

Deinde cum illi simplices nuncuparent Catholicos, Scripturis simplicitatem probari docet. Cap. II.

Quantumvis interim se abscondant (cum veritas e contrario non erubescat) scire tamen simplices Christianos omnes eorum fabulas et genealogias, quas damnat Apostolus, indeterminatas, quas proinde solummodo demonstrare, destruere sit. Cap. III.

Notam etiam esse Valentinianorum originem a Valentino; licet ab eo abscesserint Ptolomæus, Heracleon, Secundus, Magus Marcus, ac Theotinus, ita ut nusquam jam Valentinus, et tamen Valentiniani ab illo; cum solas integras ejus regulas custodiret Antiochiæ Axionicus quidam. Cap. IV.

Sibi interim cum Archetypis esse disceptationem, idque non conflictis materiis, utpote quas ipsius hæresiarchæ contemporales instructissimis voluminibus prodiderint et retulerint, Justinus martyr, Miltiades, Irenæus, et quidam Proculus. Cap. V.

Deinde verbis partim initio hujus Argumenti adductis, partim illi infra subjectis, demonstrationem solam arcani ipsorum promittens, methodum indicat qua uti statuit. Cap. VI.

Porro a prima ogdoade Æonum Valentinianorum sive tetrade duplici, auspicatur, in qua ex Bytho ac Sige orti Nus et Veritas, Sermonem et Vitam procrearint, e quibus homo et Ecclesia. Cap. VII.

Inde ex secunda illa tetrade, Sermonem et Vitam decuriam Æonum simul fudisse, hominem et Ecclesiam duodenarium numerum, quo sic impleretur tricenariæ divinitatis Pleroma seu plenitudo. Cap. VIII.

Jam vero fœcunditate tota deficiente, a novissimo Æone Sophia confirmata ab Horo ne dissolveretur, ex vi passionis, nulla opera conjugii, abortivum fœtum Enthymesin expositam esse. Cap. IX.

Tota interim propinquitate supplicante Sophiam conjugi suo Teleto restitutam, Enthymesin vero extra Pleroma relegatam. Cap. X.

Ne qua igitur ejusmodi rursus concussio contingeret, Nun illum novam edidisse copulationem, Christum et Spiritum Sanctum. Cap. XI.

Deinde ex omnibus simul Æonibus compactum esse perfectum Pleromatis fructum Jesum, quem et Soterem, et Christum, et Sermonem nuncupant; et satellites ejus angelos. Cap. XII.

Atque hactenus (inquit ludens auctor) prima tragœdiæ scena; alia jam extra Pleroma cothurnatio. Cap. XIII.

Num Enthymesin, sive jam novo et interpretabili nomine Achamoth, in inane illud Epicuri explosam, quamquam a Christo non sine Spiritu Sancto e superioribus misso jam formatam; quia tamen ad lumen illud Pleromatis non potuit attingere, ab Horo custodiente extremam ejus lineam exclusa, afflictam mœrore, metu, consternatione, ignorantia. Cap. XIV.

Atque ex his originem traxisse materiam, quam Pythagorici, Stoici et Plato ipse innatam volunt, et elementa ipsa. Cap. XV.

Conversam inde ad preces, cum ad se missus esset Paracletus Soter Jesus eam denuo confirmatam, et ab omnibus injuriis passionis expiatam, ex conversione illa animales corpulentias produxisse. Cap. XVI.

Præ gaudio abhinc ex contemplatione illa Soteris et angelicorum qui una venerant luminum, spiritales produxisse, et sic factam trinitatem generum. Cap. XVII.

Ex animali autem substantia productum deinde Demiurgum, Deum hunc nostrum, regem universorum. Cap. XVIII.

Quamquam hac de re inter eos non conveniat. Cap. XIX.

Porro a Demiurgo, extra Pleromatis limites constituto, hunc mundum conditum ex animalibus et materialibus substantiis, ex incorporalibus vero septemplicem cœlorum scenam. Cap. XX.

Quibus interdum interserit varia Achamoth sive Sophiæ secundæ nomina. Cap. XXI

Quid? quod et diabolum opus Demiurgi faciant, Mundi tenentem *appellantes.* Cap. XXII.

Inde singularum potestatum situm interserens, etiam ignem his omnibus corporibus et elementis inflabellatum addit. Cap. XXIII.

Demiurgum post hæc ad hominem manus contulisse, et carnem ei creasse, non limo terræ, sed materia illa philosophica. Cap. XXIV.

Cui cum animam Demiurgus mox de afflatu suo communicaret, etiam ab Achamoth pariter in illum derivatum semen spiritale, quod nuncupabant Ecclesiam. Cap. XXV.

Hinc tria hominum genera describit, sive trinitatem hominis, et quem exitum sortiantur. Caput XXVI.

Emisisse etiam Demiurgum Christum Filium suum naturalem per virginem, non ex virgine editum; et super hunc devolasse Soterem in specie columbæ, eumque mansisse in Christo impassibilem, passum vero animalem Christum. Cap. XXVII.

Animas quoque meliores allegi in prophetas, sacerdotes ac reges. Cap. XXVIII.

Hominum vero tria genera ab eis constitui: choicum, animale, spiritale. Cap. XXIX.

Spiritalibus autem (quos se esse jactitant) operationes non necessarias, sed nobis utpote psychicis, id est ani-

malibus hominibus, martyrii quoque necessitatem sic eludentes. Cap. XXX.

Et vero in consummatione ita dispensari mercedem, ut Achamoth de medio tabulato in Pleroma transferatur, excepta a Sotere compactilio illo sponso, et Demiurgum de hebdomade sua cœlesti in vacuum matris locum. Cap. XXXI.

Humanam vero gentem in exitus tales ituram: choicæ quidem et materialis notæ animas interituras; psychicorum vero justorum animas (id est nostras) in medietatis illius receptacula transmitti; spiritalium denique, ipsorum nempe, ad Pleromatis palatium traductas, in sponsas angelorum assumi. Cap. XXXII.

Ab Valentino vero in hoc dissentire emendatores Ptolomæi, quod Bytho duas affingant conjuges, Cogitationem et Voluntatem, atque ex Cogitatione ortam Veritatem, ex Voluntate Monogenem. Cap. XXXIII.

Alios etiam qui aut nullum sexum Bytho deputant, aut hermaphroditum faciunt. Cap. XXXIV.

Esse item qui Bytho non principatum, sed postumatum defendat, post ogdoadem primam ex tetrade quidem et ipsam, sed aliis nominibus derivatam. Cap. XXXV.

Quosdam qui ex patre Bytho, et Ennœa matre, integram ogdoadem illam uno partu exclusam. Cap. XXXVI.

Item alium quemdam qui Monoteta et Henoteta parentes primos faciat, ex quibus Monas et Unio, et ex illis reliquos Æonas. Cap. XXXVII.

Humaniorem denique secundum, qui tetradas duas dividens in dextram et sinistram, lumen et tenebras, tantum defectricem illam virtutem, Achamoth nempe, vult non ab aliquo Æonum deduci. Cap. XXXVIII.

Postremo majorem esse de ipso Jesu diversitatem, cum Valentinus ex omnium Æonum flosculis, alii ex solis decem, aut solis duodecim, alii a Christo et Spiritu Sancto tantum, alii aliunde eum confictum contendant. Atque ita doctrinas Valentinianorum in sylvas jam exolevisse Gnosticorum. Cap. XXXIX.

CAPUT PRIMUM.

(a) Valentiniani, (1) frequentissimum plane collegium inter hæreticos, quia (2) plurimum ex apostatis veritatis, et ad fabulas facile est, et disciplina non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Valentini collegium *Crojus in Grab. Fran.*

(2) Qui *Oberth. solus, forsan typograph. lapsu.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) A prima hujus capitis fronte occurrunt intricatissima, si quæ fuerunt, Tertulliani verba, multa adhuc dum respersa caligine, crebris licet doctissimorum virorum illustrata commentis, innumerisque lectionum variarum tentaminibus emendata. Textum equidem resarcire ac sanare sumus, ut potuimus, enixi, ex collatis Rhenani, Scaligerii, Pamelii, Casauboni, Petavii, Salmasii, Rigaltii, Priorii, Junii, Latinii, Francquanæ, Parisinæ, Venetæ, Hallensis, Wiceburgensis editionum recensione, necnon et usi sumus duplici correctione quas CL. viri Lobeck et Seguier de Saint-Brisson inseruerunt, ille quidem in suo præclaro Aglaophamo, t. I, lib. I, § V, hic vero in opere recenti, sat paucis eruditis noto, cui titulus: *Essai sur le polythéisme*, t. II, p. 105 et seqq. At omissa, vel saltem inferius remissa, textus quem exhibuimus indagatione, et seclusa nimia molesti commentarii mole, nobis visum est quam citius festinandum ad planiorem, saniorem que Septimii in hoc proœmio sensum breviter exponendum, quem porro sic se habere arbitramur:

« *Valentiniani* (quorum *frequentissimum plane* debet esse *collegium inter hæreticos*, tum *quia plurima* retinuit ejuratæ fidei dogmata, tum quia *ad* vulgares *fabulas facile* pronumque *est*, tum quia asperiori *disciplina non deterretur*), *nihil magis curant quam occultare quod prædicant, si tamen ii prædicant* aut prædicare dici queunt, *qui occultant*. In iis enim, sollicitum arcanæ *custodiæ officium*, merito habendum *est conscientiæ* male sanæ *officium* seu indicium. *Et* morum turpium *confusio prædicatur, dum* ab iis *religio adseveratur vel adservatur*, sive proferatur, sive taceatur. *Nam et* inter *illa eleusinia* sacra (quæ *hæresis* sunt *et ipsa* ex *atticæ superstitionis* fonte derivata), *quod tacent* epoptæ seu sacris initiati, *pudor est. Idcirco aditum*, id est adeuntes sive discentes, per ambages et experimenta *cruciant* et pene enecant; *hinc diutius initiant quam consignant*, plus temporis conterunt in præparanda quam in perficienda initiatione; *cum et ante portas* ad probandum eos qui epoptæ fieri cupiunt, *quinquennium instituunt*; ideo *ut* ingentem *opinionem*, favente diuturno *suspendio* arcanæ *cognitionis*, adstruant et *ædificent*: *atque ita tantam* in abditis sacris *majestatem exhibere videantur* ac σεμνότητα, *quantam præstruxerunt cupiditatem*, animumque ad magna ominanda erexerunt. Ad hæc *sequitur jam silentii* lex et *officium*; *adiente* quippe *custoditur*, *quod tarde invenitur*. Cæterum *tota* abdita *in adytis divinitas, tot siparia portarum valvis affixa, totum* hoc secreti *signaculum linguæ* impressum, in turpia desinit, et consummata tam morosa initiatione, fœdum duntaxat, proh pudor! *simulacrum membri virilis revelatur. Sed naturæ venerandum nomen* præ se ferens, inaniaque commenta *allegorica* turpium fabularum *dispositio prætendens*, favente *patrocinio coactæ* et insulsæ *figuræ*, *sacrilegium obscurat*, imminuit, repudiat, *et convicium falsi* fœdique figmenti manifestum mentitis istiusmodi *simulacris excusat*.

Quibus παραρρητικῶς expositis, haud exiguum opus nobis incumbere videretur, nempe ut illa Tertulliani verba sigillatim commentaremur, sive genuinam tuendo auctoritatem textus, quem post tot emendationes edere ausi sumus, sive hoc proœmium cum cæteris ejusdem argumenti testimoniis conferendo, multaque inde ad veteres religiones explicandas eruendo documenta. Hinc facile ingens exsurgeret dissertatio de sæpesæpius trita, densis licet etiamnunc tenebris obsita, mysteriorum Eleusiniorum disciplina, quam, utpote ab aliis bene multis et longe doctrina præstantioribus propemodum exhaustam omittere satius est. Duobus tantum tribusve hujus proœmii punctis aliquid lucis afferemus, nonnullas subinde variorum notis adnotationes subnectendas curantes. Quæ si uberius et tanquam ex professo tractari cupias, videsis Warburton, *De div. legat. Moysis, lib.* II, *sect.* IV; Michael Maier. *Symbol. aureæ mensæ, lib.* III, et in *Hieroglyph. lib.* IV; Plessing, *Memnonium, t.* II; Barthélemy, *Anachars.*, t. V; Payne Knigt, *Inquiry into the symb. lang. in Diario Classico., t. XXVI*; Ouvaroff, *Essai sur les mystères d'Eleusis*; Lobeck, *Agloophamus sive de Theologiæ mysticæ Græcorum causis, lib.* I; Sainte-Croix, *Recherches histor. et critiq. sur les myst. du pagan., deuxième édit. de Sacy, t.* I, 3, 4, 5 *sect.*; Villoison, *De triplici Theol.*; Seguier de Saint-Brisson, *Essai sur le Panthéisme*, t. II, p. 3. Textum vero Tertulliani emendavere alii codicum

terretur, (*a*) nihil magis curant, quam occultare, quod prædicant : (1) si tamen prædicant, qui occultent. Custodiæ officium, conscientiæ officium (2) est. Confusio (*b*) prædicatur, dum religio adseveratur (3). Nam et illa Eleusinia (hæresis et ipsa (*c*) atticæ superstitionis) (4) quod tacent (5), pudor est. Idcirco et aditum (*d*) prius cruciant (6). Diutius initiant, quam (7) consignant (8) (*e*), cum et ante portas (9) (*f*) quinquennium (*g*) instituunt (10); ut opinionem suspendio cognitionis ædificent: atque ita tantam ma-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hæc verba. uncinis inclusa, omnino repudiat ut spuria Lobeck, contra omnes edit. et mss. codices.* Hæc uncinis non includunt *Rhen. Pam. Par. Venet. Seml. Oberth.* Includunt *vero. et merito, Paris. Welchel.* 1566 *et D. Seguier de S. Brisson, loc. infr. cit.*

(2) Indicium *proponit ibid. D. Seguier.*

(3) Adservatur *Welchel. Jun. D. Seguier.*

(4) *Uncinis includit D. Seguier quod plerique alii commatibus distinguunt.*

(5) Tacet *Lobeck.* latent *Welchel.*

(6) Aditurum *Jun.* aditu *Salmas.*

(7) Cruciant *Distinguunt Welchel. Pamel. Seguier.*

(8) Linguam *Rig.* quem *Jun.*

(9) Resignant *Seguier.* os signant *Salmasius.*

(10) Et portas ante *Rhen. Seml. Oberth. Welchel. Pamel.* Epoptas *Scaliger Rig. Paris. Casaubon. Wouw. Lobeck.* Ante portas *optime correxit D. Seguier.* Ad portas... instituunt. *Petav. in Themist.*

(11) Instruunt *Lat.*

COMMENTARIUS.

collatione nixi, alii proprio ingenio plus minusve tuto confidentes : Scaliger in *Emendat. temp., lib. V, p.* 393; Salmasius *ad Spartian. Adrian*, p. 53 sqq. Casaubon. *ad Athen. VI, cap.* 15; Wouwer, *ad Petron, c.* 17; Petavius, *ad Themist., p.* 414; Guther, *De Jure Pontific.* 1, *c.* 23; Croius, in *Specim. observat., p.* 15, *in Grabii Irenæo ;* P. Halloix, *notat. ad. Vit. Quadrat., c. IV, p.* 695. *sqq.* Panelius, *de Cistophoris*, p. 84; Petit, *ad Legg. att.*, p. 99; Van dale, *Dissert. agon.*, p. 608; Lobeck, *Aglaopham., t. I, p.* 32 *sqq.* Seguier de Saint-Brisson, *Lib. citat., p.* 105-109. Edd.

(a) *Nihil magis curant, quam occultare quod prædicant.* Ab exordio ducem sequitur Tertullianus B. Irenæum, qui in procœmio lib. I, hæc habet : Ἢ γὰρ πλάνη καθ' αὑτὴν μὲν οὐκ ἐπιδείκνυται, ἵνα μὴ γυμνωθεῖσα γένηται κατάφωρος · πιθάνῳ δὲ περιβλήματι πανούργως κοσμουμένη, καὶ αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀληθεστέραν ἑαυτὴν παρέχειν φαίνεσθαι διὰ τῆς ἔξωθεν φαντασίας τοῖς ἀπειροτέροις : *Error enim secundum semetipsum non ostenditur, ne, denudatus, fiat comprehensibilis, suasorio autem cooperimento subdole adornatus, et ipsa veritate (ridiculum est et dicere) veriorem semetipsum præfert, ut decipiat exteriori phantasmate ruditores.* Veterem interpretationem, quæ, uti nonnullis visum est, adeo est antiqua, ut forsan ipsiusmet Tertulliani oculis subjecta fuerit, præ aliis in hoc notarum decursu deinceps afferendam curabimus. Cf. *Apologet. VII, sup. t. I, p.* 6. Edd.

(b) *Confusio.* Id est, *turpitudo.* Hieronym. comm. in Isaiam, cap. II, p. 27, edit. BB. et iisdem verbis ad Amos, cap. IV, p. 1397 : Ogque *appellatus est Basan, et interpretatur* αἰσχύνη, *hoc est* ignominia, *quam si* confusionem *transferre volumus, magis* σύγχυσιν *significat.* Glossæ græc. lat. Αἰσχύνη. — *Confusio.* Lobeck.

(c) *Hæresis et ipsa atticæ superstitionis.* Ea fuisse videtur Tertulliani sententia : eleusinos epoptas defecisse a communi Atheniensium superstitione, ac velut hæreticos, peculiarem sibi selegisse doctrinam, vulgariaque dogmata vel novis auxisse, vel delectu minuisse, vel pro ingenii ludibrio mutasse. Hinc infert D. Seguier, adversus Lobeckii Aglaophamum, nonnulla fuisse, ad mentem Tertulliani, in Eleusiniis sacris mysticæ disciplinæ arcana. Edd.

(d) *Aditum prius cruciant.* Nimirum σκληραγωγία, victu tristiore, silentio, humicubatione, castimonia, aliisque hujusmodi rigidioris disciplinæ institutis. Rig.

(e) *Diutius initiant quam consignant.* Hoc est, πλείονα χρόνον μύουσιν ἢ τελοῦσι : Plus temporis in præparando, quam in docendo et consummando conterunt. *Consignare* est ἐπισφραγίζεσθαι, τέλος ἐπιθεῖναι. Sicut σφράγις et τελείωσις pro Baptismo; vid. Segaar *ad Clement. Quis dives salv. p.* 380, *consignare seu obsignare Baptismo*, idem quod τελεῖσθαι; vid. Milles. *ad Cyrill. catech. II, p.* 35, et de mysteriis ipsis clement. *Cohort. p.* 94. Lobeck. — *Consignati* dicebantur μεμυημένοι et σφραγισθέντες. Philo, *de Mon.*; Iren. *lib.* I, *cap.* 24; Prudent. in *Martyr S. Romani*; Arnob. *lib.* III. Le Pr.

(f) *Ante portas.* Primus ausus est Scaliger, tacentibus mss. codicibus, in hunc textum *Epoptas* intrudere. Casaubon. *ad Athen.* VI, *c.* 15, Wouwer *ad Petron. c.* 17, Scaligeri emendationem probarunt. In eam recto pede abiit Rigaltius, eamque huc illuc ad cæteras editiones transmisit. Jam vero illud Scaligeri inventum improbavit doctissimus Petavius, eo præter codicum silentium insuper usus argumento, *tirones* posse institui et fuisse institutos, minime vero *nec fuisse nec potuisse* Epoptas, eos nempe qui ad ultimum initiationis gradum pervenerant : quinque enim gradus, alii vero alio nomine distinguunt. Olympiodorus in Phædon. cap. XIII, hæc habet : Ἐν τοῖς Ἐλευσινίοις ἡγοῦντο οἱ μὲν καθάρσεις πάνδημοι, εἶτα ἐπὶ τούτοις οἱ ἀποῤῥητότεροι, μετὰ ταύτας συστάσεις, καὶ ἐπὶ τούτοις μυήσεις, ἐν τέλει δ' ἐποπτεῖαι. Similiter quinque numerat Theon. Smyrnæusis, licet diverso ordine et nomine distinctos, nempe καθάρμους, τελετὴν, ἐποπτεῖαν, τέλος τῆς ἐποπτείας, seu initiationis consummationem, *summum denique bonum, seu vitæ perfectionem.* Edd.

(g) *Quinquennium instituunt.* Celebris est inde exorta eruditorum controversia inter se disceptantium quanto tempore, an quinque, vel uno aut paucioribus annis perseveraverit præparatio ad sacra Eleusinia suscipienda. Non defuere qui sententiam Tertulliani quinquennium institutum fuisse asseverantis præfracte impugnarent, inter quos D. Petavius et recentissime Lobeck in Aglaophamo. Quorum præcipua momenta saltem obiter hic attingere lubet. 1° Opponuntur verba Herodoti, lib. VIII, c. 45, qui et ipse Dicæum quemdam inducit cum Demarato rege, de Sacrorum Eleusiniorum celebratione disputantem, et hæc inter plura dicentem : Τὴν ἑορτὴν τούτην ἄγουσι Ἀθηναῖοι ἀνὰ πάντα ἔτεα τῇ Μητρὶ καὶ τῇ Κόρῃ καὶ σύτινων τε βουλόμενος τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μυεῖται. Quid vero, quod manifestum eo loci occurrit sphalma? Si enim dicere voluisset Herodotus sacra quotannis agi, revelarique, sane scripsisset : ἄνα πᾶν ἔτος.— Fit ergo per se certum loco, πάντα, legendum esse πίντε, quod mirum in modum nostri Septimii sententiæ suffragatur.

2° At aperte asserit Socrates revelari quotannis mysteria: καὶ τὰ μυστήρια ἔτι καὶ νῦν κατ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν δείκνυμεν. Quid vero, si vult hæc vox ultima, an reipsa magna Mysteria quotannis redeunda, an parva duntaxat, an tantum danda quotannis candidatis documenta, an demum revelanda inter Thesmophorias Cereri sacras τὰ ἀπόῤῥητα? Certe nihil inde certum.

3° Nec etiam Tertulliano nostro rectius opponenda sunt quædam ævi posterioris exempla quibus constat aliquando spretam fuisse antiquam quinquennii legem : quod infeliciter accidisse scimus, dum Demetrius Poliorcetes urbem Athenarum obsideret, dum tyrannidem in eam affectarent Philippus Macedonius rex, Persei pater; Sylla, urbe expugnata; Antonius triumvir, Augustusque de toto orbe post Actiacam pugnam triumphaturus. Quo plura darentur legis violatæ testimonia, eo clarior eniteret ipsius auctoritas ac inde-

jestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem. Sequitur jam silentii officium; adtente custoditur quod tarde invenitur. Cæterum tota in A adytis divinitas, tot (1) siparia (2) (*a*) portarum (3), totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis 4) revelatur (*b*). Sed naturæ venerandum nomen

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tota *Rig. Lobeck.*

(2) Suspiria *Rhen. Semler. Oberth. Lobeck. Paris. Latin. Jun. Petav.* Suspicia, *id est* θυρίας. *Crojas in Jun.*

(3) Epoptarum *Rig. Par. Lobeck.* Portarum *legerunt Rhen. Jun. Welchel. Pamel. Semler. Oberth. Seguier.*

(4) Membri viralis μορίου γυναικείου. *Jun.* membri mulieris *Seguier.*

COMMENTARIUS.

clinanda notitia. Cf. Otfried Muller: *Gottingische Gelehte Anzeigen.* Janv. 1830; Seguier, t. II. p. 110-115.

4° A D. Lobeck objectis alia perplura obsistunt testimonia pro quinquennio; afferenda forent verba magni etymologici *ad vocabulum* τροπεῖα, Pollucis lib. VIII, c. 107; Theophrastæ in 5° Caractere ἀοχλησίας; Theonæ Smyrnensis et Artemidori, de quibus supra, et fusius D. Seguier, op. cit. p. 115-120. Edd.

(a) *Tot siparia portarum.* Quamquam consentiunt exemplaria quæ vidimus omnia, tamen ausi sumus pro *suspiria* scribere *siparia* : sunt autem *siparia*, vela quibus utebantur in scenis fabularum actores, auctore Festo. De hac voce plura dicam infra cap. 13, locum illum explicaturus : *alia autem trans siparium cothurnatio est.* Cæterum sacerdotes Eleusinæ Cereris portas adyti multiplicibus velis obtegebant. De hac siparium oppansione hic loquitur. Rhen.

(b) *Simulacrum... revelatur.* — Id semper fuit Apologetis christianis ratum, omninoque compertum, secretos mysteriorum cœtus helluandi et scortandi caussa tum ab initio congregatos, tum in posterum retentos fuisse. Miris tamen modis neoterici quotquot sacrorum Eleusiniorum exploratores curiosissimi suum ingenium vexare, trahere, ac fatigare maluerunt, ut abdita quædam summæ, honestissimæque doctrinæ semina in eis mysteriis relegerent. Hinc ibidem celari vult artis hermeticæ præcepta Michael Maïer, *Symbol. aureæ mensæ lib.* III, *p.* 105, et in hieroglyphic. lib. IV, p. 185.

Deos ab initio fuisse homines aperte Epoptas didicisse contendit Warburton, *de dir. Legat. Moys.* Sect. IV. p. 210, et post eum Villoison, *de Triplici Theologia, p.* 48. Meiners, *Vermischte Schriften, t.* III, *p.* 299. Barthélemy, Anach. t. V, p. 68. Abstrusas tantum celari doctrinas Pythagoreas, Platonicasque, asserit Plessing *in Memnonis t.* II, *p.* 91. Nihil nisi diluvia quædam, cyclos et calendaria in iis dogmatibus inesse, ut et in tota retro antiquitate sibi uni tantum revelata putida arrogantia jactat, plaudente Voltario tam exiguæ veterum disciplinarum peritiæ, impius Boulanger, *Antiquité devoilée, lib.* III, *c.* 5. Audacior vero seu insanior, tribus anticyris insanabile caput, Dupuis, cui compertum videbatur in priscis mysteriis gentium altiora longe et pariora abscondi documenta præ omnibus Religionis Christianæ documentis, *Orig. des Cultes, p.* 1, *t.* IV, *p.* 369. Alter turpium arcanorum præcentor Payne Knigt in iis adinvenit intellectualem ac veluti transcendentalem Dei naturæ cognitionem, *Inquiry into the symb. lang. in Diario classico, t.* XXII, *p.* 4. Nec isti opposita fronte refragatur Doctiss. Heeren, cui hæc obiter indaganti illusisse videntur quædam veræ Deorum notiones physicæ et symbolicæ, *Ideen über die Politik, t.* III, *p.* 90, quod simul arridere debuit magno mythorum parenti ac symbolicarum nubium consarcinatori Creuzer, qui, teste D. De Sacy in not. ad Sainte-Croix op. t. I, p. 448, nec longius ab eadem sententia exulante, agi ibidem voluit tum de primigenia rerum compositione, ac vetere cosmogonia, tum de animorum ascesi ac morum exercitamentis, tum de rei rusticæ præceptis ac laudibus, tum de Deo uno, æternoque, tum de hominis simul et mundi fine. His demum accessit in speciali tractatu cui titulus : *Essai sur les mystères d'Eleusis,* Ouvaroff, ex hyperborea plaga in palæstram academicam, haud absque laude, ingressus, qui voluit et ipse in Eleusinæ disciplinæ tuto fuisse commissam quasi *Primitivæ Patriarcharum Revelationis Summam ac veneranda quædam de homine lapso et reparando vaticinia.* Ista sunt præcipua recentiorum de Eleusinis arcanis figmenta. Quod si ad veteres redire animus est, varias inter ipsorum sententias erit ut anceps hæreas. Haud enim inficiari velim ex illis plures, Pindarum videlicet, Platonem, Ciceronem, Epictetum, sacra Cereris Eleusinia magnis excepisse laudibus ac posteris commendasse; nec facile quemquam adduci posse ad credendum tot et tantos viros, nobili mentis et animi haud secus ac ingenii præstantia insignes, cæca hallucinatione, turpia pro honestis habuisse, et unanimi collusione ad hunc errorem fovendum ex industria conspirasse, nec omnino proinde nulla causa est cur censeas adusque quemdam temporis lapsum, aliquatenus ab initio fuisse pia Cereris sacra. Undenam igitur omnes, nemine excepto, Patres sanctissimi, ac præcipue vetustissimi Apologetici uno ore de mysteriis infandis conclamatum voluere, ac certatim in ipsa verbis invehi religioni duxere? Verum enim vero Justinus, Athenagoras, Tatianus affirmant nihil nisi Jovis incestum in Eleusiniis ostentari. Acriter ac totius animi impetu in ea invehitur Clemens Alexandrinus, Jovisque cum Cerere et filia concubitum exprobrat, cistarum mysticarum, papaverum, apium secreta, cæteraque evolvit quisquilias, tum horret referens inter Themidis symbola κρίνος γυναικείου effigiem in phallagogia ferri, postremo Hierophantas et Daduchos increpat, eosque qui puerum misere dilaniatum, et mulierculam ejulantem, et corporis partes pudendas venerentur, atheorum in numero habendos esse judicat (S. Clem. Alex. *Protrept. p.* 19, 30). Eadem haud minus vehementi exprobratione prolata habent Arnob. *adv. Gent. lib.* V, *p.* 176, *ed. Maire,* August. *in quæst. e vet. et nov. Testam. mixt. p.* 100 *D in appendice t.* III, *p.* 11, *ed. BB.* Chrysost. *Orat. de S. Babyla in Jul. t.* II, *p.* 558; Asterius, *Encom. in SS. martyr. Biblioth. PP. auctar.* II, 193. *coll. t.* XVIII, *ed. Combefis;* Epiphan. *adv. hæres. lib.* III, § 11, *t.* II, *p.* 1093. — Quinam igitur ex utraque parte stent testes velim recenseas : hinc porro gentium sapientes vates, legislatores, inde vero Ecclesiæ Patres, Doctores, Pontifices : nec est ut ad facilius inter illos litem componendum, id tibi forsan dicas, duplicem distinguendam esse Eleusiniorum ætatem : unam priscæ vetustate fuliginosam, in qua sacra pio cultu prosequebantur, alteram recenti superstitionum colluvie fœdam, et a Patribus merito vapulantem; nec etiam remanet ultimum ancipitis animi perfugium, illud tibi intra te cogitanti, Patres asperiori in gentium sacra contemptu et ira fervidiori abreptos ultra æquæ critices limites transiliisse. Etenim non desunt vel priscæ ætatis et ethnicæ, vel ævi christiani Patrumque coætanei, testes gentiles, ex quibus in qualibet tempestate eosdem ritus fuisse infamatos innotescat. In Cæcilii fabula legitur Tithe fr. 1, *Per mysteria hic inhoneste eam gravidavit stupro.*—Plaut. *Aulul. prolog.* 36 : *Illam stupravit Cereris vigiliis.* In iis frequentes affuisse meretriculas patet ex Alciphron ep. fragm. IV. Ex Athen. XIII, 591; F. Themistius aliquis morte mulctatur quod cytharissam Rhodiam ὑβρίσαι τοῖς ἐλευσινίοις. Dinarch. contra Demosth. p. 93. Plutarch. istius modi probra

allegorica dispositio prætendens, patrocinio (*a*) conctæ figuræ sacrilegium obscurat, et convicium falsi (1) simulacris excusat (*b*). Proinde quos nunc destinamus hæreticos (*c*), sanctis nominibus et titulis et argumentis veræ religionis, vanissima atque turpissima figmenta configurantes, facili caritati (*d*), ex divinæ copiæ occasione (*e*), quia de multis multa succedere (2) est : Eleusinia (3) Valentiniana fecerunt lenocinia, sancta silentio magno, sola taciturnitate cœlestia. Si bona fide quæras, concreto vultu, suspenso supercilio, *Altum est*, aiunt (*f*). Si subtiliter tentes, per ambiguitates bilingues communem fidem adfirmant (*g*). Si scire te subostendas, negant quidquid agnoscunt (*h*). Si cominus (4), certes tuam (5) simplicitatem sua cæde dispergunt (*i*) : Ne discipulis quidem propriis ante committunt, quam suos fecerint. Habent artificium, quo prius persuadeant (6) quam edoceant. Veritas autem docendo persuadet, non suadendo docet.

CAPUT II (*j*).

Idcoque simplices notamur apud illos, ut hoc tantum, non etiam sapientes : quasi statim deflecre cogatur (7) a simplicitate sapientia, Domino utramque jungente : *Estote prudentes ut serpentes, et simplices ut columbæ* (*Matth.*, X, 16). Aut si nos propterea insipientes, quia simplices; num ergo et illi propterea non simplices, quia sapientes? Nocentissimi autem qui non simplices, sicut stultissimi qui non sapientes. Et tamen malim in eam partem meliori sumi vitio, si forte (8) præstat minus sapere quam pejus, errare quam fallere. Porro, *facies Dei spectat* (9) *in simplicitate quærentes* (*Sap.* I) (10), ut docet ipsa Sophia (11), non quidem Valentini, sed Salomonis. Deinde (*k*) infantes testimonium Christi sanguine litaverunt. Pueros vocem qui crucem clamant? nec pueri erant, nec infantes, id est, simplices non erant. Repuerascere nos et Apostolus jubet secundum Deum (I *Cor.*, XIV, 20), ut malitia infantes per simplicitatem ita demum sapientes sensibus (*l*); simul dedi (12) in sapientiæ ordinem de simplicitate manantis (13). In summa Christum columba demonstrare solita est, serpens vero tentare. Illa et a primordio divinæ pacis præco; ille a primordio divinæ imaginis prædo. Ita facilius simplicitas sola Deum, et agnoscere

LECTIONES VARIANTES.

(1) Salacis simulachri *Segnier*, falsis simulacris *Pam.*
(2) Succidere *suspicatur Rig.*
(3) Eleusinia Valentiniani *Rig. Prior manuit. Jun.* eleusinia an valentiniam.
(4) Certe *Rhen. Semi. Oberth.*
(5) Statuam *Rhen. Semi. Oberth. cum distinctionis commate* fatuam *Rig. Par.*
(6) Persuadent *Par.*
(7) Cogitur *Rhen. Semi. Oberth.*
(8) Malim in eam partem melior sume se vitio, si forte. Præstat *Jun.*
(9) Expectat *Semi. Oberth.*
(10) Quærendi *Rhen. Semi. Oberth.*
(11) Ipsa sapientia *alii. Alii græcum nomen præferunt.*
(12) Simus, divinæ sapientiæ ordinem *Fran. Par.*
(13) Amando *Fran. Par. Jun. retinet*; manando *marult Semler*; Minandi *est, ait, verbum eorum qui jumenta ducunt.*

COMMENTARIUS.

refert, *Sympos.* II, 2, 73: ἐν Ἐλευσῖνι μετὰ τὰ μυστήρια τῆς παννυχίδος ἀκμαζούσης. Cf. *de Isid. et Os.* § 56. Nec in eo capite a sua dicacitate abstinuit Lucianus, uti videre est in *Alex. seu Pseudo mant.* § 39, *t.* V. *opp. p.* 99–100. *Ed. Bipont.* Cf. Diod. Sicul. *lib.* I, § 22. *Plotin. Ennead.* III, *lib.* VII, c. 9. Habemus igitur confitentes reos, nec obstantibus aliorum testium sacra laudantium encomiis, æquo jure sanciendum est vel in ethnicæ superstitionis sapientibus defecisse honesti sensum : imo magis desipuisse recentiores qui, prælucente traditionis face ac Evangelii lumine, hæc fœda tenebrarum opera demirati sunt, symbolisque insulsis ac inanibus fabulis, quo minus horroris incutiant, intexere conati sunt. Standum proinde huic acerbo Tertulliani in Eleusinia dicterio, merito sale resperso : *Tota in adytis divinitas, tot siparia portarum, totum signaculum linguæ, simulachrum* Phallagogiæ *revelatur*. Edd.

(a) *Patrocinio conctæ figuræ*. Allegoriæ scilicet obscœni illius rerum naturam significantis. Rig.

(b) *Et convicium falsi simulacris excusat*. Eleusiniorum antistites ad illud membri virilis simulacrum, velut ad divinitatem, adorantium habitu accedunt. Itaque falsi crimine tenentur, qui aliud oculis colunt, aliud mente. Etenim aiunt coli abs se non simulacrum, sed rerum Naturam eo simulacro expressam. Quod est accusationem falsi simulacris excusare, mendacium mendacio diluere, falsum falso; quid enim aliud est simulacrum, nisi falsum? Rig.

(c) *Proinde, quos nunc destinamus hæreticos, etc.* Hæc ita conjunguntur sequentibus : *Proinde Valentiniani, quos nunc destinamus hæreticos sanctis nominibus et titulis, Eleusinia fecerunt lenocinia*, etc. Rig.

(d) *Facili caritati*. Fratrum scilicet, sive Fidelium. Caritas facilis, ut Virgilio, *Faciles Nymphæ*, et, *Faciles Napææ*. Vel potius caritas facilis, quæ omnia suffert, omnia credit, I Cor. XIII. Rig.

(e) *Ex divinæ copiæ occasione*. Sacrarum Scripturarum copiam significat, sive ut ipse loqui amat, latitudines. Quo sensu lib. *de Spectaculis : Late tamen semper Scriptura divina dividitur, ubicumque secundum præsentis rei sensum etiam disciplina munitur*. Et lib. *de Præscript. Et utique secundior divina literatura ad facultatem cujusque materiæ*. Rig.

(f) *Altum est aiunt*. Auctor est Irenæus non fuisse Valentinianis cum candorem, ut portentosas nugas omnibus facile communicarent. Eos enim docebant, qui habebant quod numerarent. Sic enim scribit : Quæ etiam, inquit, convenienter videntur mihi non omnes velle manifesto docere, sed solos illos, qui etiam grandes mercedes pro talibus mysteriis præstare possunt. Non enim jam dicunt similia illis, de quibus Dominus dixit : Gratis accepistis, gratis date. Sed separata et portentosa et alta mysteria, cum magno labore exquisita fallacibus. Rhen.

(g) *Communem fidem adfirmant*. Irenæus : *Similia quidem nobis loquentes, dissimilia vero sentientes*. Rig.

(h) *Negant quidquid agnoscunt*. Quicquid scilicet agnoscunt scire te de ipsorum mysteriis. Rig.

(i) *Tuam simplicitatem sua cæde dispergunt*. Vocabulum *cædis*, et *cædendi* verbum, in eumdem sensum usurpat, ut cum in libro quem pro Martyribus scripsit, cap. 2 : *Non clamoribus*, inquit, *spectaculorum, atrocitate vel furore, vel impudicitia celebrantium cæderis*. Imitatus Tertullianum D. Hieronymus in vita Hilarionis Eremitæ dixit : *cæde manus. Iratus itaque sibi*, inquit, *et pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere*. Pam.

CAP. II. — (j) Vide ultimam notam hujus libr., col. 594.

(k) *Infantes testimonium Christi sanguine litaverunt*. Eodem omnino sensu dixit Augustinus lib. X de Genesi ad litt. cap. XXIII : *Habet et illa parva ætas magnum testimonii pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere*. Pam.

(l) *Ita demum sapientes sensibus, simul dedi in sa-*

poterit, et ostendere; prudentia sola concutere potius et prodere.

CAPUT III.

Absondat itaque se serpens quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuose præcedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostræ columbæ (1) etiam domus simplex, in editis semper et apertis et ad lucem. Amat figura (2) Spiritus Sancti Orientem (*a*) (3), Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solum modo abscondi: quia nec pudebit illum aures ei dedere, cum Deum recognoscere, quem jam illi natura commisit, quem quotidie in operibus omnibus sentit, hoc solo minus notum, quod unicum non putavit, quod in numero nominavit (4), quod in aliis adoravit. Alioquin a turba eorum et aliam frequentiam suadere, a domestico principatu ad incognitum transmovere, a manifesto ad occultum retorquere, de limine fidem (5) offendere est. Jam si et in totam fabulam initietur, nonne tale aliquid debitur te in infantia inter somni difficultates a nutricula audisse, Lamiæ turres (*b*), et pectines solis? Sed qui ex alia conscientia venerit fidei, si statim inveniat tot nomina Æonum, tot conjugia, tot genimina (6), tot exitus, tot eventus, felicitates, infelicitates, dispersæ atque concisæ divinitatis; dubitabitne ibidem pronuntiare (*c*) has esse fabulas et genealogias indeterminatas, quas Apostoli spiritus, bis jam tunc pullulantibus seminibus hæreticis, damnare prævenit? Merito itaque non simplices, mer to tantummodo prudentes, qui talia neque facile producunt, neque exerte defendunt, sed nec omnes quos edocent, perdocent; utique astute, ut pudenda: cæterum inhumane, si honesta. Et tamen simplices nos (7), omnia scimus. Denique hunc primum cuneum congressionis armavimus, detectorem et designatorem totius conscientiæ illorum, primamque hanc victoriam (8) auspicamur: quia quod tanto impendio absconditur, etiam solummodo demonstrare, destruere est.

CAPUT IV.

Novimus, inquam, optime originem quoque ipsorum, et scimus (9), cur Valentinianos appellemus, licet non esse videantur. Abscesserunt enim a conditore, sed minime origo deletur; et si forte mutantur, testatio est ipsa mutatio. Speraverat episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio. Sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (*d*), ut solent animi pro prioratu exciti præsumptione ultionis accendi, ad expugnandam conversus veritatem: et cujusdam veteris opinionis semen nactus (*e*), Colarbaso (10) viam deliniavit. Eam postmodum Ptolomæus instravit, nominibus et numeris Æonum distinctis in personales substantias, sed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipsa summa divinitatis, ut sensus, et adfectus et motus incluserat. Deduxit et Heracleon inde tramites quosdam, et Secundus, et magus Marcus (*f*) (11). Multum circa imagines Legis Theotimus operatus est. Ita nusquam jam Valen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Etiam *omitt. Semi. Oberth.*
(2) Figuram *Rhen. Semi. Oberth.*
(3) Orientem Christi figuram *Semi. Oberth.*
(4) In numeros nominavit *Jun.*
(5) Fidem *omitt. Rhen. semi. Oberth.*
(6) Gemina *Rhen. prima ed. Semi. Oberth.*
(7) Nos omnes sumus *Rhen. prima ed. Semi. Oberth.*
(8) Hinc *conjici! Semi.*
(9) Et *omit. Venet.*
(10) Nactus colubroso viam *Rhen. Semi.* semini, actu colubroso *Lat.*
(11) Magnus *alii male, Rig. Prior. Venet.*

COMMENTARIUS.

pientiæ ordinem. Hunc locum in omnibus editionibus corruptissimum emendavimus ex cod. Pithœano. Repuerascere, inquit, nos et Apostolus jubet secundum Deum ut malitia infantes, simul dedi in sapientiæ ordinem de simplicitate manantis. In cod. Ms. legitur, *manandi*, mendose. Rig.

CAP. III. — (a) *Orientem Christi figuram. Orientis* vocabulo Christus sæpe intelligitur in sacris literis, ut apud Zachariam: *Ecce ego adducam servum meum orientem*, et paulo post apud eumdem: *Ecce vir Oriens nomen ejus.* Oriens autem appellatur, quia in diebus ejus orta est justitia, et hinc habes, Christianos veteres ad orientem versos precari solitos, quod etiamnum observamus. Rhen.

(b) *Lamiæ turres et pectines Solis?* Fabellæ pueriles apud Carthaginem tempore Tertulliani. Mox scripsimus, *tot genimina*; et paulo post, *et tamen simplices nos omnia scimus*, ex Gorziensi collatione. Nos, hoc est, orthodoxi. Rig.

(c) *Has esse fabulas et genealogias indeterminatas.* Irenæus principio libri adversus Valentinianos: *Quatenus veritatem refutantes quidam inducunt verba falsa et genealogias infinitas*, etc. Græca apud Epiphanium, γενεαλογίας ματαίας. Apostolus dixerat, γενεαλογίας ἀτελεσφορήτους. I Timoth. I. Rig.

CAP. IV. — (d) *De Ecclesia authenticæ regulæ abrupit.* Notaverat Pithœus, quasi maluisset, *De Ecclesiæ authentica regula erupit.* Rig.

(e) *Cujusdam veteris opinonis semen nactus Colarbaso viam deliniavit.* Sic emendandum censuit Latinius cum antea legeretur, *Cujusdam opinionis semini actu colubroso viam deliniavit.* Qua de lectione abdicanda quo magis addubitem, facit veterum exemplarium auctoritas. faciunt etiam quæ de serpente supra Septimius dixit: *Alte habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat*, etc. Iis enim apte respondet actus iste colubrosus. Denique Irenæus et Epiphanius, imo ipse auctor Catalogi hæreticorum, Colarbasum Ptolomæo atque Secundo posteriorem censuere. Rig.

(f) *Magus Marcus.* De isto vide in doctissimis D. Massueti dissertationibus prævviis ad opp. Irenæi Dissert. I, art. 11, § VI, p. 50. Eadem fere compendiose exponit quæ hic habet Rhenanus: Marcum Valentini magistri sui emendatorem tradit Irenæus, magicæ imposturæ peritissimum fuisse, per quam cum viros multos, tum fœminas non paucas seduxerit, ad se conversos velut scientissimum et perfectissimum, virtutemque maximam ab invisibilibus Logis habentem. Ille vero totum hoc Anaxilai præstigiis et magica vanitate conficiebat, verus Antichristi præcursor. Nos unum et alterum hominis perditissimi præstigiarum ex eodem auctore prodemus exemplum. Mixto vino pro calice simulans se gratias agere, sive εὐχαριστεῖν, quod hodie *consecrare* dicimus, post longam invocationem, purpureum et rubeum appa-

tinus; et tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Soles ad hodiernum Antiochiæ Axionicus (1) memoriam Valentini integra custodia regularum (2) ejus consolatur : Alioquin (*a*) tantum se huic hæresi suadere permissum est, quantum lupæ fœminæ formam quotidie supparare (3) solemne est. Quidni? cum spiritale illud semen suum sic in unoquoque recenseant. Si aliquid novi adstruxerint, revelationem statim appellant præsumptionem, et charisma ingenium; nec unitatem, sed diversitatem. Ideoque prospicimus, reposita illa solemni dissimulatione sua, plerosque dividi quibusdam articulis, etiam bona fide dicturos (4): *Hoc ita non est;* et, *Hoc aliter accipio;* et, *Hoc non agnosco.* Varietate enim innovatur regularum facies, habet etiam colores ignorantiarum.

A

CAPUT V.

Mihi autem cum archetypis erit limes principalium magistrorum (*b*), non cum affectatis ducibus passivorum discipulorum (*c*). Nec undique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot jam viri sanctitate et præstantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus, et prodiderunt, et retuderunt : ut Justinus philosophus et martyr (*d*), ut Miltiades Ecclesiarum sophista (*e*), ut Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator (*f*), ut

LECTIONES VARIANTES.

(1) Arionicus *cod. vatic. teste Jun.*
(2) Regulare *Rhen. Seml. Oberth.*

B

(3) Superare *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Dicturus, *ni fallor, primi genia est lectio. Rdd.*

COMMENTARIUS.

rere faciebat, ut putarent simpliciores divinitus in illius calicem distillasse sanguinem, et ideirco cuperent omnes ex eo poculo gustare, gratiæ cœlestis sic futuri participes. Alterum impostura genus. Exhibebat mulieri calicem mixtum, ipsam gratias agere jubens. Mox capacius poculum proferens, in id transfundebat minorem illum calicem, qui erat Eucharistia factus, magno videntium miraculo, cum major non solum impleretur, sed etiam superflueret. Præterea dæmonem paredrum habebat, vulgus spiritum familiarem hodie vocat. Mulieres honesto loco natas, et opulentas maxime, circumveniebat, reddens eas prophetidas, his verbis : *Sume a me sponsum, et cape eum, et capere in eo. Ecce gratia descendit in te, aperi os tuum, et propheta.* Multarum pudori etiam illusit. Certe quod constat, diaconi cujusdam in Asia uxorem formæ haud quotidianæ clanculum abduxit. Quæ post multum temporis reversa, non mente modo, verum etiam corpore se a Marco isto corruptam asseruit, reliquumque vitæ in exomologesi perpetua consumpsit. Unde quidam sanctus vir, quem citat Irenæus hujusmodi verbis præstigiatorem istum redarguit : *Idolorum fabricator Marce, et portentorum inspector, astrologiæ cognitor et magicæ artis, per quæ confirmas erroris doctrinas, signa ostendens his qui a te seducuntur, apostaticæ virtutis operationes, quæ tibi præstat tuus pater, Satanas per angelicam virtutem Azazel, habens te præcursorem contrariæ adversus Deum nequitiæ.* Hic Marcus somniis Valentini numerorum mysteria accommodasse se gloriabatur. Porro de *Theotimo* nulla apud aliquem auctorem quem hactenus vidi mentio; fortasis legendum : *Tatianus;* nam de illo scripsit supra lib. *de Præscript. adv. hær.* cap. 52 (Hær. XX), quod *totus secundum Valentinum sup.* Massuet.

C

D

(a) *Tantum se huic hæresi suadere permissum est.* Irenæus, *Suadenter quidem illiciunt per bonorum morem simpliciores ad requirendi modum.* Et paulo post : *Suasorio cooperimento subdole adornatus.* Rig.

CAP. V. — (b) *Mihi autem cum archetypis erit limes principalium magistrorum.* Ait se stringere stylum adversus origines ipsas et authentica ipsa principalium magistrorum : atque hos sibi limites proponere, quos ultra nolit congredi. Archetypi magistri sunt principes magistri, vetustiores. Attilius Fortunatianus in *Arte* : *Veteres lege, id est, ut ait Lucilius, archetypa, unde hæc sunt omnia nata. Archetypos amicos* dixit Martialis. Rig.

(c) *Passivorum discipulorum.* Id est, vulgarium. Rig.

(d) *Ut Justinus Philosophus, et Martyr.* Alludit, quantum opinor, ad lib. Justini contra omnes hæreses, cujus facit mentionem (inquit Hieronymus, *Catal. Script. Eccl.*) in Apologetico, quem dedit Antonino Pio, his nempe verbis : *Est autem nobis liber contra sectas et hæreses compositus.* Pam.

(e) *Ut Miltiades Ecclesiarum sophista.* Hic scripsit adversus Montanum, Priscillam, Maximillamque, adversus Gentes, adversus Judæos, et pro Christianis Apologeticum Commodo et Severo Cæsaribus obtulit : auctor Hieronymus. Vocat autem *sophistam Ecclesiarum* non probroso nomine, sed quod disputando de quibuslibet rebus et sacræ Scripturæ locis multum posset. Nam hoc veteribus *Sophista fuit.* Hieronymus epist. ad Anton. *de modestia : Contra Sophistas quoque sæculi,* inquit, *et sapientes mundi Petrus et Jacobus piscator mittuntur.* Hujusmodi Ecclesiarum sophista fuit olim Beda presbyter ille anglosaxo, cujus tot exstant in omni disciplinarum genere monumenta, qua sacra, qua profana, tametsi magis sacris deditus fuit. Rhen.

(f) *Irenæus, omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Inter multa maximi pretii documenta quæ ex hoc Tertulliani in Valentinianos opusculo accepimus, illud præ cæteris memoratu dignum est testimonium de magno pontifice nostro, doctore nec non et martyre, Beatissimo Irenæo, quem *hæresiarcharum vere contemporalem, sanctitate et præstantia insignem, instructissimorum voluminum auctorem, omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem*, curiosior et ipse Septimius, aut saltem æque studiosus, judicat, cæteroquin dignus sane qui tantum veritatis assertorem judicet, laudibus efferat ac sæculo futuro recommendet. Hinc nemo satis poterit mirari undenam tanta quibusdam auctoribus novis et novaturientibus audacia venerit, ut, spreta tot sæculorum canitie, eversa tot sibi succedentium præconiorum majestate, oppressa tantorum a Tertulliano testium voce, unus aut duo, vix nomine innotescentes, dicere ausi fuerint, nequaquam in rerum natura ante Tertullianum extitisse Irenæi opera adversus hæreses omnes nunquam satis laudanda, evolvenda et amplectenda. Porro hanc portento similem sententiam sibi jure proprio vindicat Jac. Salom. Semler, qui ex hoc ipsomet Septimii in Valentinianos libro argumenta ad omnem D. Irenæo fidem, auctoritatemque depromendam, desumpsit et contorsit. Quæ ut apprime retundantur, nihil nobis satius visum est, quam ut genuina ipsamet Irenæi verba prope Septimiano textui, æquo pede et una fronte incedenda conferendaque curemus. Inde enim certo certius fiet, nec ullum hominem falli fas erit, Tertulliano suum libellum scribenti præluxisse non tantum sanctissimi martyris opera vera, non tantum in græca veritate exarata, verum et jam latina versione translata : et, quo id clarius cuiteat, singula veteris in-

Proculus noster (*a*), virginis senectæ, et christianæ eloquentiæ dignitas: quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi. Aut si in totum hæreses non sunt, ut qui eas pellunt, finxisse credantur, mentietur Apostolus prædicator illarum (I *Cor.*, II, 19). Porro si sunt, non aliæ erunt quam quæ retractantur. Nemo tam otiosus fertur stylo, ut materias habens, fingat.

CAPUT VI.

Igitur hoc libello, (1) quo demonstrationem solum promittimus illius (2) arcani, ne quem ex nominibus tam peregrinis, et coactis, et compactis, et ambiguis, caligo (3) suffundat, quomodo eis usuri simus, prius demandabo. Quorumdam enim de græco interpretatio non occurrit ad expeditam proinde nominis formam, quorumdam nec de sexu genera conveniunt, quorumdam usitatior in græco notitia est. Itaque plurimum græca ponemus; significantiæ per paginarum limites aderunt (*b*), nec latinis quidem deerunt græca, sed in lineis desuper notabuntur, ut signum hoc sit personalium nominum, propter ambiguitates (4) eorum quæ cum alia significatione communicant. Quamquam autem distulerim congressionem, solam interim professus narrationem, sicubi tamen indignitas meruerit suggillari, non erit delibatione transpunctoria (5) expugnatio (*c*). Congressionis lusionem deputa (*d*), Lector, ante pugnam (6). Ostendam, sed non imprimam vulnera. Si et ridebitur alicubi, materiis ipsis satisfiet: multa sunt sic indigna revinci, ne gravitate adorentur (7). Vanitati proprie festivitas cedit. Congruit et veritati ridere, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est. Curandum plane ne risus ejus rideatur, si fuerit indignus. Cæterum ubicumque dignus risus, officium est. Denique hoc modo incipiam.

CAPUT VII.

Primus omnium Ennius poeta romanus, *Cænacula maxima cœli* simpliciter pronuntiavit, de lati situs nomine (8), vel quia Jovem illic epulantem legerat apud Homerum. Sed hæretici quantas supernitates supernitatum, et quantas (*e*) sublimitates sublimitatum in habitaculum dei sui cujusque suspenderint, extulerint, expanderint, mirum est. Etiam creatori nostro Enniana cœnacula (*f*) in ædicularum disposita sunt forma, aliis atque aliis pergulis superstructis, et unicuique deo per totidem scalas distributis, quot hæreses fuerint Meritorium factus est mundus. Insulam Feliculam (*g*) (9) credas tanta tabulata cœlorum; (*h*) nescio ubi. Illic enim Valentinianorum Deus ad summas tegulas habitat. Hunc substantialiter quidem ΑΙΩΝΑ ΤΕΛΕΙΟΝ ap-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quod *Venet.*
(2) Promittimus solius *Fran.* præmittentes solius *Rhen.*
(3) Calido *Venit mendose. Oberth. Seml.*
(4) Ambiguitatem *alii.*
(5) Transfunctoria *Ven.* Deliberatione transfunctoria *Pam. Fran. Par.* Deliberatione transpunctoria *Jun. e manusc.*
(6) Haud pugnam *Paris. alii*, an pugnam; *alii* aut pugnam.
(7) Adornentur *Jun.*
(8) E lati situs *Rhen. Seml.*
(9) Feliculam *deest in Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

terpretationis Irenæi verba quibus vel usus est, vel allusit Tertullianus, distincto charactere in lucem proferemus; imo vel cætera verba haud ita septimiano textui consimilia, ad rem nostram facient; quippe quibus constet Tertullianum multis usum auctoribus ab eo laudatis, *Justino* nempe *philosopho*, *Miltiade Ecclesiarum sophista*, nec non *et suo Proculo*, more videlicet colligentis et sua aliena sibi propria efficientis, modo Irenæum elucidasse, vel explicasse, modo nonnulla de ejus plenitudine detraxisse, modo hinc et inde quædam mutasse parumper, nec tamen cuiquam negare permisisse Irenæum fuisse, ut ipse testatur, antecessorem ac ducem suum, eademque omnino, quæ et nos, ipsum ante oculos opera habuisse. Cæterum ad rem funditus evincendam, conferenda sunt C. W. Franc. Walch. *Comment. de Authentia libror. Irenæi*; in *nov. commentatt. soc. reg. Gotting.* V, 2, 3 *et seqq.* Contra I Sal. Semleri *Isagog histor. ad Baumgartenii Polemicam* Prolog. *de cavenda molesta sedulitate sacra ad corrigendas quasdam Irenæi et Tertulliani sententias et dissert. final de varia et incerta indole librorum Tertulliani.* Edd.

(a) *Ut Proculus noster, virginis senectæ et christianæ eloquentiæ dignitas.* Pacianus ad Sympron. de Cathol. nom. *Ipsi illi Phryges nobiliores qui se animatos mentiuntur a Leucio, institutos a Proculo gloriantur.* Rig.

CAP. VI.— (b) *Significantiæ per paginarum limites aderunt.* Quas hic indigitat Tertullianus marginales notas, et interlineares, earum nullus vel vetustissimus codex quælibet vestigia servavit. Edd.

(c) *Non erit delibatione transpunctoria expugnatio.* Hoc est, sugillabimus quidem et libabimus, sed non transpungemus. Sugillatio pungit, Expugnatio transpungit. Hic igitur non erit de sugillatione aut libatione transpunctoria expugnatio. Sic legitur in antiquis exemplaribus, et verissimam esse lectionem declarant quæ sequuntur: *Ostendam, sed non imprimam vulnera.* Quasi diceret, Pungam, non perfodiam. Rig.

(d) *Congressionis lusionem deputa, lector, ante pugnam.* Sic habent libri veteres. Sed nihilominus legendum, *Congressioni.* Alludit ad prælusiones gladiatorum, quæ fiebant rudibus. Etenim lusio ante pugnam est prælusio. Ait igitur, Hanc lusionem ante pugnam, Lector, deputa congressioni et vero certamini. Rig.

CAP. VII.—(e) *Sublimitates sublimitatum.* Irenæus, *In invisibilibus et inenarrabilibus altitudinibus.* Rig.

(f) *Cænacula.* Cænacula sunt superiora domus. Vitruvius *Architecturæ* lib. II: *Cum enim*, inquit, *auctu mirum in modum Romano populo, necesse fuisset in cœnaculis habitari (nam ante cum per laxitatem urbis licebat, unius tantum contignationis erant ædificia), ad ædificiorum altitudines deventum et ædium frequentiam.* Rhen.

(g) *Insulam feliculam credas.* Insulæ nomine appellantur ædes quæ non junguntur parietibus cum vicinis. Hæc igitur fuit insigne aliquod meritorium, in quo tabulata quamplurima, nomen domino fortean inditum Felici. Is vero Feliculæ suæ tabulatum supremum habitabat. Est in Arriani Epicteticis servi nomen, Felicio. Rig. — *Insulam Feliculam.* Sic scripsimus, quando consentiunt exemplaria Mss. Dicuntur autem per translationem insulæ etiam domus magnæ, circumquaque via publica cinctæ: hæ fere solent tabernas institorias per omne latus habere. Hoc genus aliquam suspicor Romæ celebrem, aut certe Carthaginiis. Feliculam apparet dictam a Felice insulæ domino, nisi mavis a copia rerum venalium. Rhen.

(h) *Nescio ubi.* Hæc reperiuntur in codicibus antiquis, sed nihilo magis probanda. Rig.

pellant, personaliter vero (*a*) ΠΡΟΑΡΧΗΝ et ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ, (*b*) etiam Bython (1); quod in sublimibus habitanti minime congruebat. Innatum, immensum, infinitum, invisibilem, æternumque definiunt: quasi statim probent esse, si talem definiant qualem scimus esse debere, ut sic (2) et ante omnia fuisse dicatur. Sed ut sit expostulo (*c*) : nec aliud magis in hujusmodi denoto (*d*), quam quod post omnia inveniuntur, qui ante omnia fuisse dicuntur, (*e*) et quidem non sua. Sit itaque Bythos iste infinitis retro ævis in maxima et altissima quiete, in otio plurimo, placidæ et, ut ita dixerim, stupentis divinitatis, qualem jussit Epicurus. Et tamen quem solum volunt, dant ei secundam in ipso et cum ipso personam, Ennœan, quam et Charin et Sigen insuper nominant. Et forte accedunt in illa commendatissima quiete, monere (3) cum de proferendo tandem initio rerum a semetipso. Hoc vice seminis in Siges suæ, veluti genitalibus (4) vulvæ locis, collocat. Suscipit illa statim, et prægnans efficitur, et parit utique silentio Sige, et quem parit Nus est, similimum patri et parem per omnia. Denique solus hic capere sufficit immensam illam et incomprehensibilem magnitudinem patris. Ita et ipse

A Pater dicitur, et initium omnium, et proprie Monogenes. Atquin non proprie, siquidem non solus agnoscitur (5). Nam cum illo processit et fœmina, Veritas (6), Monogenes, quia prior genitus, quanto congruentius Protogenes vocaretur ! Ergo Bythos et Sige, Nus et veritas, (*f*) prima quadriga defenditur Valentinianæ factionis, matrix et origo cunctorum. Namque ibidem Nus simul ac cepit (7) prolationis suæ officium, emittit et ipse ex semetipso Sermonem et Vitam, quæ si retro non erat, utique nec in Bytho. Et quale est, ut in Deo vita non fuerit ! Sed et hæc soboles, ad initium universitatis, et formationem (8) Pleromatis totius emissa, facit fructum, Hominem et Ecclesiam procreat. Habes Ogdoadem, Tetradem duplicem, (*g*) ex conjugationibus (9) masculorum et

B fœminarum ; cellas, ut ita dixerim, primordialium Æonum : fraterna connubia valentinianorum deorum : census omnis sanctitatis et majestatis hæreticæ : nescio criminum an numinum turbam, certe fontem reliquæ fœcunditatis (*h*).

CAPUT VIII.

Ecce enim secunda Tetras, Sermo et Vita, Homo et Ecclesia, quod in Patris gloriam fructificasset. Hinc (10)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Bythion *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Ut *abest a Rhen. et aliis:*
(3) Movere *Rhen. Pam. et alii.*
(4) Velut in genitalibus *Rhen. et alii.*
(5) Agnascitur *Fran.*
(6) Cui veritas *Rhen. et al.* cui veritas nomen *Jun.* ea *et* nomen *ab aliis absunt.*
(7) Simul accepit *Pam. Seml.*
(8) Formati *Rhen. Pam. Prior. Paris. Venet. Semler. omnes editiones*, formam *Jun.* formationem *emendaverunt recte doctiss Grab. et D. Massuet in Iren. lib.* I, *cap.* I.
(9) Conjunctionibus *Rhen. Seml. Oberth.*
(10) Huic *Rhen. Jun. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) ΠΡΟΑΡΧΗΝ *et* ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ. Vetus exemplar Pithœi, ΑΠΡΟΑΡΧΩ ΠΡΑΡΡΧΗΝ, *etiam Bythion*. Ex cujus scripturæ vestigiis legendum videtur, ΠΡΟΠΑΤΟΡΑ et ΠΡΟΑΡΧΗΝ, *etiam Byth.* Irenæus : *Hunc autem et Proarchen et Propatora et Bython vocant.* Græca, apud Epiphan., habent tantum Προπάτορα καὶ Βυθὸν RIG.

(b) *Etiam Bython.* βῦθον dicunt Græci profundum. Qui autem a profundo convenit nomen habere summum Valentinianorum Deum, habitantem non in profundo, sed in sublimibus, et ad summas cœlestium cœnaculorum tegulas, ut jocans scribit Tertull. *Bython* Irenæus vocat, Tertullianus *Bythion*. RHEN.

(c) *Sed ut sit expostulo.* Id est, Hoc etiam adversus eos contendo : Deum ante omnia fuisse ; quod tamen ipsi negant qui cœtaneam Deo comitem tribuunt Ennœan sive Sigen. RIG.

(d) *Nec aliud magis in hujusmodi denoto.* In hujusmodi, scilicet Æonum fabula. RIG.

(e) *Et quidem non sua. Sit itaque Bythos.* Ita scripsit Rhenanus; cum antea legeretur, *Et quidem non suase. Itaque Bythos*, etc. RIG.

(f) *Prima quadriga.* Alludit ad quatuor factiones agitatorum. RIG.

(g) *Ex conjugationibus masculorum et feminar.* Aliter Irenæus; sed eodem sensu : *Esse enim illorum unumquemque masculo fœminam.* Epiphanius, ἀρρενόθηλυν RIG.

(h) Ab hoc septimo capite suam Semlerus instituit collationem Irenæum inter et Tertullianum ; eidem post eum tramiti insistentes, utriusque sub uno conspectu edimus textum, et græco fouti Irenæi addimus latinam veterem translationem, ut pateat vera et certa operis Tertullianicæ indoles; tunc, supra dictis obsequentes, ut singula verba vel membra consimilia literis italicis sedulo edantur, ac apertius in medium proferantur, curabimus. Λέγουσι γάρ τινα εἶναι ἐν ἀῤῥήτοις καὶ ἀκατονομάστοις ὑψώμασι, τέλειον αἰῶνα

C πρόοντα· τοῦτον δὲ καὶ..... Προπάτορα καὶ Βυθὸν καλοῦσιν..... ὑπάρχοντα δ' αὐτὸν ἀχώρητον καὶ ἀόρατον, ἀΐδιόν τε καὶ ἀγέννητον, ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἠρεμίᾳ πολλῇ γεγονέναι ἐν ἀπείροις αἰῶσι χρόνων. Συνυπάρχειν δ' αὐτῷ καὶ Ἔννοιαν, ἣν δὴ καὶ Χάριν καὶ Σιγὴν ὀνομάζουσι· καὶ ἐνίοτέ ποτε ἀφ' ἑαυτοῦ προβεβλῆσθαι τὸν Βυθὸν τοῦτον ἀρχὴν τῶν πάντων· καὶ καθάπερ σπέρμα τὴν προβολὴν ταύτην (ἣν προβαλέσθαι ἐνίοτε) καὶ καθίσαι, ὡς ἐν μήτρᾳ, τῇ συνυπαρχούσῃ ἑαυτῷ Σιγῇ. Ταύτην δὲ ὑποδεξαμένην τὸ σπέρμα τοῦτο, καὶ ἐγκύμονα γενομένην ἀπεκυῆσαι Νοῦν, ὅμοιόν τε, καὶ μόνον χωροῦντα τὸ μέγεθος τοῦ πατρός. Τὸν δὲ Νοῦν τοῦτον καὶ Μονογενῆ καλοῦσι, καὶ πατέρα καὶ ἀρχὴν τῶν πάντων, συμπροβεβλῆσθαι δὲ αὐτῷ Ἀλήθειαν· καὶ εἶναι ταύτην πρώτον καὶ ἀρχέγονον Πυθαγορικὴν τετρακτύν, ἣν καὶ ῥίζαν τῶν πάντων καλοῦσιν. Ἔστι γὰρ Βυθὸς καὶ Σιγή, ἔπειτα Νοῦς καὶ Ἀλήθεια. Διεσθέμενόν τι τὸν Μονογενῆ, τοῦτον ἐφ' οἷς προεβλήθη, προβαλεῖν καὶ αὐτὸν Λόγον, καὶ Ζωὴν, πατέρα πάντων μετ' αὐτὸν ἐσομένων, καὶ ἀρχὴν καὶ μόρφωσιν πασῶν τοῦ Πληρώματος· ἐκ δὲ τοῦ Λόγου καὶ τῆς Ζωῆς προβεβλῆσθαι κατὰ συζυγίαν Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν· καὶ εἶναι ταύτην

D ἀρχέγονον Ὀγδοάδα, ῥίζαν καὶ ὑπόστασιν τῶν πάντων, κ. τ. λ.

Interpretatio vetus.—*Dicunt esse quemdam in invisibilibus et inenarrabilibus altitudinibus* perfectum Æonem, qui ante fuit : hunc autem et *Prourchen et Propatora et Bython vocant : esse autem illum invisibilem, et quem nulla res capere possit. Cum autem a nullo caperetur et esset invisibilis, sempiternus, et ingenitus, in silentio et in quiete multa fuisse in immensis Æonibus. Cum ipso autem fuisse et Ennœan, quam etiam Charin et Sigen vocant* : et aliquando voluisse a semetipso emittere hunc Bythum, initium omnium (et velut semen prolationem hanc præmitti voluit), *et eam deposuisse quasi in vulva ejus*, quæ cum eo erat, Sige. *Hanc autem suscepisse semen hoc, et prægnantem factam generasse* Nun, similem et æqualem ei qui emiserat, et solum capientem magnitudinem Patris.——Nun *autem hunc et Unigenitum*

numero gestientes et ipsi tale quid Patri de suo offerre, alios ebulliunt fetus, proinde conjugaleis, (1) per copulam utrinsque naturæ : Hac Sermo et Vita decuriam Æonum simul fundunt : illac Homo et Ecclesia duos amplius, æquiparando parentibus, quia et ipsi duo cum illis decem tot efficiunt, quot ipsi procreaverunt. Reddo nunc nomina, quos decuriam dixi : Bythos et Mixis : Ageratos et Henosis : Autophyes (2) et Hedone : Acinetos et Synerasis : Monogenes et Macaria. Contra, duodenarius numerus hi erunt : Paracletus et Pistis : Patricos et Elpis : Metricos et Agape : Ainus et Synesis : Ecclesiasticus et Macariotes : Theletus et Sophia. Cogor hic, quid ista nomina desiderent, proferre de pari exemplo. In scholis (3) carthaginiensibus (*a*) fuit quidam frigidissimus (4) rhetor latinus, Phosphorus (5) nomine : cum virum fortem peroraret : *Venio*, inquit, *ad vos optimi cives, de prælio, cum victoria mea, cum* (6) *felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis.* Et scholastici statim (*b*) Familiæ Phosphori : (7) Φεῦ (*c*) ! Audisti (8) Fortunatam, et Hedonem, et Acinetum, et Theletum, acclama : Familiæ Ptolomæi Φεῦ ! (9) Hoc erit Pleroma illud arcanum, divinitatis tricenariæ plenitudo. Videamus quæ sint istorum privilegia numerorum, quaternarii, et octonarii, (10) et duodenarii. Interim, in tricenario fecunditas tota deficit ; castrata est vis et potestas et libido genitalis Æonum. Quasi non et humorum tanta adhuc coagula superessent, et nulla alia (11) de pædagogio nomina. Quare enim non et quinquaginta et centum procreantur ? (*d*) quare non et stercolæ (12) et syntrophi nominantur (*e*) ?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Conjugalis *Rhen. antiqua terminatione* eis *pro* es.
(2) Ageratos et Henosis : Autophyes *omittit. Rhen. Seml.*
(3) Isclis *vett. edit. et codd. conjecturam Rhen.* In scholis *recepit Fran., alii* in solis. *Jun. retinet* iselis.
(4) Rigidissimus *Rhen. Seml.*
(5) *Jun. Mavult* Phosphorius *et postea* Phosphorii.
(6) Tum *Jun.*
(7) Phosphoriæ *Rhen. qui suspicabatur* Phosphoricæ.
(8) Audis tu *Lat.*
(9) Ptolomæiæ *Rhen. Seml. Oberth.*
(10) Et denarii *addendum esse Jun. suspicatur.*
(11) *Forte* et mille alia *Jun.*
(12) *Alii* stercoiæ, *inde* sterceiæ, *vel* sterceæ *Rhen. Rig. vel* sterciæ : *Quæ scripturæ omnes Jun. probantur.*

COMMENTARIUS.

vocant et Patrem et initium omnium.—Una autem cum eo emissam Veritatem et hanc esse primam et primogenitam Pythagoricam quaternationem, quam et radicem omnium dicunt. *Est enim Bythos et Sige, deinde Nus et Aletheia sentientem autem Unigenitum hunc in quæ, prolatus est, emisisse et ipsum logon et Zoen, patrem omnium* eorum qui post se futuri essent, et *initium et formationem universi Pleromatis. De Logo autem et Zoe emissum secundum conjugationem Hominem et Ecclesiam et esse hanc primogenitum octonationem radicem et substantiam omnium.* Edd.

CAPUT VIII.—(a) *In scholis Carthaginiensibus.* In antiquis exemplaribus legitur, *In isclis.* Quod fortasse est vocabulum Africanum. Rig.

(b) *Familiæ Phosphori.* Id est sectatores Rhetoris illius Carthaginiensis, et paulo post, *familiæ Ptolemæi*, familia enim hic pro *familiare*, ut apud Græcos οἰκεῖος ἑταῖρος. Le Pr.

(c) *Φεῦ adclamant.* Gratulantium (uti idem adnotat) atque laudantium, et ad tantam præceptoris sui eloquentiam obstupescentium scholasticorum hic vox φεῦ. Apud Græcos φεῦ non solum dolentis est, sed et admirantis. Atqui etiam hic alludit ad verba Iren. lib. 1, cap. 5. *In Iu, Phen Phen. Tragicum enim dicere oportet super hanc nominum fictionem.* Quod illustrat Epiphan. addita hac paraphrasi. *Sed et sacer* (*inquit*) *Irenæus deridens ipsos ob prædicta, Tragicum illud in medium adduxit In Iu, et Phen Pheu. Tragicum enim hoc revera ob talem calamitatem licet proferre eorum, qui ridicula hæc nominum figmenta descripserunt, et ejus qui tanta audacia citra omnem ruborem mendacio suo nomen imposuit.* Ita autem legi debere apud Iren. (immo etiam meo judicio apud Epiphan. græce et latine) comprobat Fenardentius ex Aristophane in Avibus, et Ajace Sophoclis. Pamel.

(d) *Quare non et stercolæ et syntrophi nominantur?* Quæ præcessere, satis indicant accipienda hæc esse de pædagogio, hoc est, de cunarum curatoribus et alumnorum conlactaneis et conlusoribus. Cogitaveram de custodibus septi domestici, quos Græci dicunt, ἑρκίτας : ut Hercium Jovem et Hercios Lares, nec displicebat, quod vir doctissimus proposuit, *συνέρκτους*. Verum hæc omnia longius abeunt ab veteris scripturæ vestigiis, quæ tamen quantum fieri potest premenda sunt, etiam cum inquinamenti periculo. Sic igitur habent libri veteres : *Stercejæ et Syntrophi.* Alii, *Sterceæ ;* duo Vaticani, *Stercojæ.* Quod postremum quam proxime ad veritatem accedit. Manus antiquariorum sæpenumero sic peccant, ut scribant, pro l. Stercojæ, pro Stercolæ. Nempe jocatur Septimius, et quærit ab Auctoribus Æonum, qui varias cellas in multiplicibus illis tabulatis et sexuum conjugiis comminiscebantur, unde fit ut tota fecunditas tricenario comprehendatur, quasi non supersint alia quamplurima de pedagogio nomina. Quare, inquit, non et Stercolæ et Syntrophi nominantur ? Stercolas dicit, nutrices quæ cunas purgant aut motant, eodem forma qua Stercolum, qui stercorandis agris præsit. Rig.

(e) *Nominantur.* Quæ cum hoc Tertulliani capite apud Irenæum conveniunt, hic ex integro, ut supra, apponenda volumus, et conferenda a studioso lectore qui haud ægre digito sentiet uter alteri præiverit.

Irenæi. adv. hæres. lib. I, cap. 1, n. 2, § 2. — Τούτους δὲ τοὺς Αἰῶνας εἰς δόξαν τοῦ πατρὸς προβεβλημένους, βουληθέντας καὶ αὐτοὺς διὰ τοῦ ἰδίου δεῖξαι τὸν πατέρα, προβαλεῖν προβολὰς ἐν συζυγίᾳ · τὸν μὲν Λόγον καὶ τὴν Ζωὴν μετὰ τὸ προβεβλῆσθαι τὸν Ἄνθρωπον καὶ τὴν Ἐκκλησίαν, ἄλλους δέκα Αἰῶνας ὧν τὰ ὀνόματα λέγουσι ταῦτα. Βύθιος καὶ Μίξις, Ἀγήρατος καὶ Ἕνωσις Αὐτοφυὴς καὶ Ἡδονή, καὶ Μακαρία· οὗτοι δέκα Αἰῶνες, οὓς καὶ φάσκουσιν ἐκ Λόγου καὶ Ζωῆς προβεβλῆσθαι· τὸν δὲ Ἄνθρωπον καὶ αὐτὸν προβεβλῆσθαι μετὰ τῆς Ἐκκλησίας Αἰῶνας δώδεκα οἷς ταῦτα τὰ ὀνόματα χαρίζονται, Παράκλητος καὶ Πίστις, Πατρικὸς καὶ Ἐλπὶς, Μετρικὸς καὶ Ἀγάπη, Αἶνος καὶ Σύνεσις, Ἐκκλησιαστικὸς καὶ Μακαριότης, Θελητὸς καὶ Σοφία.

§ 3. Οὗτοι εἰσιν οἱ τριάκοντα αἰῶνες τῆς πλάνης αὐτῶν τοῦτο τὸ ἄρρητον καὶ πνευματικὸν κατ' αὐτοὺς πλήρωμα τρόχῳ διεσταλμένον εἰς ὀγδοάδα καὶ δεκάδα, καὶ δωδεκάδα κ. τ. λ.

Interpretatio vetus. — § 2. Hos autem Æonas *in gloriam Patris emissos, volentes et ipsos de suo clarificare Patrem emisisse emissiones in conjugatione ; Logon quidem et Zoen, posteaquam emissus est Homo et Ecclesia, alteros decem Æonas quorum nomina dicunt hæc : Bythius, et Mixis ; Ageratos et Henosis, Autophyes et Hedone, Acinetos et Syncrasis, Monogenes et Macarias.* In decem Æones quos dicunt ex Logo et Zoe emissos. Anthropon autem et ipsum emisisse cum Ecclesia Æonas duodecim, *quibus nomina hæc donant : Paracletus et Pistis, Patricos et Elpis, Metricos*

CAPUT IX.

Sed et hoc exceptio personarum est, quod solus ille Nus ex omnibus immensi patris fruitur notione, gaudens et exultans, illis utique mœrentibus (1). Plane Nus, (2) quantum in ipso fuit, et voluerat et tentaverat cæteris quoque communicare quæ norat, quantus et quam incomprehensibilis pater : sed intercessit mater Sige, illa scilicet, (*a*) quæ et ipsis hæreticis suis tacere præscribit : etsi de patris nutu aiunt factum, (*b*) volentis omnes in desiderium sui accendi. Itaque dum macerantur intra semetipsos, dum tacita cupidine cognoscendi patrem uruntur, pene scelus factum est. Namque ex illis duodecim Æonibus, quos Homo et Ecclesia ediderant (3) novissima natu Æon (viderit solœcismus). Sophia enim nomen est, incontinentia sui, (*c*) sine (4) conjugis Phileti societate (5) prorumpit in patrem inquirere, et genus contrahit vitii, quod exorsum quidem fuerat in illis aliis qui circa Nun, in hunc autem, id est (6) in Sophiam derivarat, ut solent vitia in corpore alibi connata (7), in aliud membrum perniciem suam efflare. Sed enim sub prætexto (8) dilectionis in patrem, æmulatio superabat in Nun solum de patre gaudentem. Ut vero impossibilia contendens Sophia frustrarat (9), et vincitur difficultate, (*d*) et extenditur affectione, modico abfuit præ vi dulcedinis (10) et laboris devorari, et (*e*) in reliquam substantiam dissolvi, nec alias quam percundo cessasset, nisi bono fato in Horon incursasset (11), (quædam et huic vis est, fundamentum, universitatis illius extrinsecus custos) quem et Crucem (12) appellant, et Lytroten, et Carpisten. Ita Sophia periculo exempta, et tarde persuasa, declinata (13) investigatione patris conquievit, et (*f*) totam Enthymesin, id est, animationem cum Passione quæ insuper acciderat, (*g*) exposuit (14).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Merentibus *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Et *addit Rhen. Seml. et Oberth.*
(3) Ediderunt *iidem.*
(4) Suive *Par.* sine *al.* suine conjugis, sui sive *Lat.*
(5) Satietate *Rhen. e Gorziensi.*
(6) Vel in sophiam *Rhen. et alii.*
(7) Conata *Jun. e Vatic.*
(8) Prætextu *Par.*
(9) Frustra erat *forte Jun*
(10) Oscedinis *alii post Jun.*
(11) *Hic comma ponit Rhen. et verba* quædam... custos *uncinis includuntur Par. Fran. Jun. autem legit* in Heron incursasset quendam (et hic vis est, fundamentum universitatis, illius extrinsecus custos) quem, etc.
(12) Et quem *Rhen. et alii.*
(13) De inclinata *Rhen. quam lectionem Jun. ad Irenæi similitudinem magis putat accedere.*
(14) Deposuit *alii.*

COMMENTARIUS.

et Agape, Ænos et Synesis, Ecclesiasticus et Macariotes Theletus et Sophia.

§ 3. *Illi sunt triginta erroris eorum Æones* qui tacentes et non agnoscuntur, *hoc invisibile et spiritale secundum Pleroma, tripartite divisum in octonationem, et decada et duodecada*, etc. Edd.

CAP. IX. — (a) *Quæ et ipsis hæreticis suis tacere præscribit.* Valentinianis scilicet, quorum lenocinia sunt sancta silentio magno, sola taciturnitate cœlestia, ut dixit supra. Rig.

(b) *Volentis omnes in desiderium sui accendi.* Græca Irenæi quæ apud Epiphanium leguntur, expressit Septimius : διὰ τὸ θελεῖν πάντας αὐτοὺς εἰς ἔννοιαν καὶ πόθον ζητήσεως τοῦ προϋπάρχοντος προπάτορος αὐτῶν ἀγαγεῖν. Nam aliud sonant Latina : *Continuit autem eum Sige voluntate patris, quoniam nollet omnes hos intellectum et desiderium exquisitionis patris sui adducere. Idem.*

(c) *Sine conjugis Phileti societate.* Iren. *Sine complexu conjugis Theleti. Idem.*—Malim ego retinere *Phileti* quam *Theleti.* Sensui magis convenit. Amatoriam enim vult significare. Le Pr.

(d) *Et extenditur affectione.* Irenæus, *Cum extenderetur semper in priora ad ultionem ejus.* In quibus verbis, aut mendum aliquod latet, ita ut legendum sit, *ad dulcionem ejus*, est enim apud Epiphanium, τῆς ὑπὸ γλυκύτητος αὐτοῦ. aut *ultionem* dixit pro ulteriore conatu, seu potius dilectione ; quod proxime antecedit. Barbare quidem utrumque, sed hominis, ut ipse de se ait, apud Celtas commorantis ; in barbarum sermonem plerumq. avocari. Græca certe faciliora sunt : καὶ τὸν πρὸς αὐτὸν στοργὴν ἐκτενόμενον ἀεὶ ἐπὶ τὸ πρόσθεν ὑπὸ τῆς γλυκύτητος αὐτοῦ. Rig.

(e) *In reliquam substantiam dissolvi.* Ita ut quidquid substantiæ sibi reliquum erat dissolveretur. Irenæus : *Absorptum fuisset et resolutum in universam substantiam.* Rig.

(f) *Totam Enthymesin exposuit.* Hoc est, deposuit Irenæus, *Deposuisse pristinam intentionem cum ea quæ acciderat passione.* Rig.

(g) Iren. adv. hæres. lib. I, cap. 2, § 1. — Τὸν μὲν οὖν Προπάτορα αὐτῶν γινώσκεσθαι μόνῳ λέγουσι τῷ ἐξ αὐτοῦ γεγονότι Μονογενεῖ, τοῦτ' ἔστι τῷ Νῷ· τοῖς δὲ λοιποῖς πᾶσιν ἀόρατον καὶ ἀπερίληπτον ὑπάρχειν· μόνης δὲ ὁ Νοῦς κατ' αὐτοὺς ἐτέρπετο θεωρῶν τὸν Πατέρα, καὶ τὸ μέγεθος τὸ ἀμέτρητον αὐτοῦ κατανοῶν ἠγάλλετο, καὶ διενοεῖτο καὶ τοῖς λοιποῖς Αἰῶσιν ἀναπτοιώσασθαι τὸ μέγεθος τοῦ Πατρὸς ἡλίκος τε καὶ ὅσως ὕπαρχει, καὶ ὡς ἦν ἀνάρχος τε καὶ ἀχώρητος, καὶ οὐ καταληπτὸς ἰδεῖν. κατίσχε δὲ αὐτὸν ἡ Σιγή, βουλησει τοῦ Πατρὸς, διὰ τὸ δίεμεν πάντας αὐτοὺς εἰς ἔννοιαν καὶ πόθον ζητήσεως τοῦ προϋπάρχοντος προπάτορος αὐτῶν ἀγαγεῖν, καὶ εἰ μὲν λοιποὶ ὁμοίως Αἰῶνες ἡσυχῇ πως ἐπεπόθουν τὸν προβολέα τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἰδεῖν, καὶ τὸν ἄναρχον ῥίζαν ἱστορῆσαι.

§ 2. Προήλατο δὲ πολὺ ἔσχατος καὶ νεώτατος νεώτατος τῆς δωδεκάδος, τὶς ὑπὸ τοῦ Ἀνθρώπου καὶ τῆς Ἐκκλησίας προβεβλημένος Αἰών, τοῦτ' ἔστιν ἡ Σοφία, καὶ ἔπαθε πάθος ἄνου τὶς ἐπιπλοκὴς τοῦ ζυγοῦ τοῦ Θελητοῦ· ὃ ἐνηρξατο μὲν ἐν τοῖς περὶ τὸν Νοῦν, καὶ τὴν Ἀλήθειαν, ἀπέσκηψε δὲ εἰς τοῦτον τὸν παρατραπέντα, πρόφασιν μὲν ἀγάπης, τόλμης δὲ διὰ τὸ μὴ κοινωνεῖσθαι τῷ Πατρὶ τῷ τελείῳ, πάθους καὶ ὁ Νοῦς· τὸ δὲ πάθος εἶναι ζητῆσαι τοῦ πατρός· ἤθελε γὰρ, ὡς λέγουσι, τὸ μέγεθος αὐτοῦ καταλαβεῖν· ἔπειτα μὲ συνεγήνατο, διὰ τὸ ἀδυνάτῳ ἐπιβαλεῖν πράγματι, καὶ ἐν πολλῇ πάνυ ἀγωνίᾳ γινόμενον κ τ λ. Ἐκτεινόμενον δὲ ἐπὶ τὸ πρόσθεν, ὑπὸ τῆς γλυκύτητος αὐτοῦ τελευταῖον ἂν καταπατηθῆναι, καὶ ἀναλελυσθαι εἰς τὴν ὅλην οὐσίαν εἰ μὴ τῇ στηριζούσῃ, καὶ ἐκτὸς τοῦ ἀρρήτου μεγέθους φυλαττούσῃ τὰ ὅλα συνέσχε δυνάμει· ταύτην δὲ τὴν δύναμιν καὶ Ὅρον καλοῦσι, κ. τ. λ. Καὶ μόγις ἐπιστρέψαντα εἰς ἑαυτὸν... ἀποθέσθαι τὴν πρώτην ἐνθύμησιν σὺν τῷ ἐπιγινομένῳ πάθει ἐκ τοῦ ἀκτίνητου ἐκείνου θαύματος.

Interpretatio vetus. — § 1. Et *Propatorem quidem eorum cognosci soli dicunt ei qui ex eo natus est, Monogeni, hoc est*, No : Reliquis vero omnibus invisibilem et incomprehensibilem esse. *Solus autem Nus* secundum eos *delectabatur* videns Patrem et magnitudinem immensam ejus considerans *exsultabat et ex cogitabat reliquis quoque Æonibus participare magnitudinem Patris ; quantus et quemadmodum erat sine initio, et incapabilis* et *incomprehensibilis ad videndum. Continuit autem eum Sige voluntate Patris, quoniam vellet*

CAPUT X.

Sed quidam exitum Sophiæ, et restitutionem, aliter somniaverunt. Post irritos conatus et spei dejectionem, deformatam eam pallore credo, et macie et incuria formæ, uti quæ patrem non minus denegatum dolebat quam amissum. Dehinc illo mœrore ex semetipsa sola, nulla opera conjugii concepit, et procreat fœminam. Miraris hæc? Et gallina sortita est de suo parere. Sed(*a*) et vultures fœminas tantum aiunt: et tamen sine masculo mater (1) Primo (*b*) quidem contristari propter inconsummationem generationis: metuere postremo ne finis quoque insisteret: hærere de ratione casus: curare de occultatione. Remedia nusquam. Ubi (*c*) enim jam tragœdiæ et comœdiæ, a quibus forma mutuaretur exponendi, quod citra pudorem (2) erat natum? Dum in malis res est, suspicit, convertit ad patrem, sed incassum enisa, et (3) vires deserebant, in preces succidit (4). Tota etiam propinquitas pro ea supplicat, (*d*) vel maxime Nus quidni? caussa mali tanti. Nullus tamen Sophiæ exitus vacuit (5), omnes ærumnæ ejus operantur. Siquidem et illa tunc conflictatio in Materiæ originem pervenit, ignorantia, pavor (6), mœror, substantiæ fiunt. Ibi demum pater aliquando motus, per Monogenen Nun, quem supra diximus Horon, in hæc promit (7) in imagine sua (*e*) fœmina mare (8), quia de patris sexu ita variant. Adjiciunt autem, Horon, etiam Metagogea (id est circumductorem) vocari, et Horotheten. Hujus prædicant opera, et repressam ab illicitis, et purgatam a malis, et deinceps confirmatam Sophiam, et conjugio restitutam, et ipsam quidem in Pleromatis censu remansisse. (*f*) Enthymesin vero ejus (*g*) et illam appendicem Passionem ab Horo relegatam et crucifixam, et (*h*) extra eum (9) factam, Malum, quod aiunt, foras: spiritalem tamen substantiam illam, ut naturalem quemdam impetum Æonis (*i*),

LECTIONES VARIANTES.

(1) Matres *Jun.*
(2) Circa pudorem *Rhen. et Seml.*
(3) Ut *Jun.*
(4) Succedit *Rhen. et alii.*
(5) *Forte* potuit *Jun.*
(6) Pavor et. *Jun, antea* pavorem.
(7) Per Monogenem Nun in hæc promit. *Rhen. et alii* præmittit *mendose Jun.*
(8) Fœminamare *Par. Fran. Rig.*
(9) Ævum *Rhen Seml.*

COMMENTARIUS.

omnes hos in intellectum et desiderium exquisitionis Patris sui adducere. Et reliqui quidem *Æones omnes tacite quodammodo desiderabant prolatorem seminis sui videre*, et eam, quæ sine initio est, radicem contemplari.

§ 2. Præsiliit autem valde *ultimus et junior de duodecada ea quæ ab anthropo* et *Ecclesia emissa fuerat, Æon*, hoc est, *Sophia*; et *passa est passionem sine complexu conjugis Theleti*: quæ exorsa quidem fuerat in iis qui sunt erga Nun et Alethiam; *derivavit* autem *in hunc Æonem, id est, Sophiam*, demutatam *sub occasione quidem dilectionis*; temeritatis autem, *quoniam non communicaverat Patri perfecto, quemadmodum et Nus. Passionem* autem *esse exquisitionem Patris*: voluit enim, ut dicunt, magnitudinem ejus comprehendere. *Dehinc cum non posset, quoniam impossibilem rem aggrederetur*, in magna agonia constitutum propter magnitudinem altitudinis et propter quod investigabile Patris est et propter eam, quæ erat erga eum dilectionem, cum extenderetur semper in priora, *a dulcedine ejus novissime forte absorptum fuisse et resolutum in universam substantiam, nisi ei* quæ confirmat et extra inenarrabilem magnitudinem custodit omnia, *occurrisset virtuti*. Hanc autem virtutem *et Horon* vocant *a qua abstentum* et *confirmatum*, vix reversum in semetipsum, et credentem jam quoniam incomprehensibilis est Pater, *deposuisse pristinam intentionem, cum ea, quæ acciderat, passione ex illa stuporis admiratione.* Edd.

CAP. X. — (*a*) *Sed et vultures fœminas tantum aiunt.* Sic vetus exemplar. Qui *parere* inserunt, dictionis Tertullianicæ acumen non capiunt. Rig.

(*b*) *Primo quidem contristari propter inconsummationem generationis.* Irenæus iisdem verbis, *Primo quidem contristatam propter inconsummationem generationis.* Unde manifestum est latina Irenæi versata esse manibus Tertulliani. Sed et rursus occurrunt alia quæ persuadeant ipsum etiam vidisse Græca, quæ apud Epiphanium leguntur. Rig.

(*c*) *Ubi enim jam tragœdiæ et comœdiæ.* Etenim illic narrantur expositi infantes de pudendis et furtivis amplexibus nati. hæc vero ἄζυγος de suo peperierat. Rig.

(d) *Vel maxime Nus.* Hoc non habent latina Irenæi; Græca sic habent: συνδιηθίζηται δὲ αὐτῇ καὶ τοῖς λοιποῖς αἰῶσι· μάλιστα δὲ τὸν νοῦν. Sed ex his emendanda sunt latina: *Una autem cum ea rogasse et reliquos Æonas, maxime autem Nun, Hinc dicunt primum initium habuisse*, etc. Vulgo legitur: *Cum ea rogasse et reliquos Æonas, maxime autem hinc dicunt*, etc. Rig.

(e) *Feminamare.* Iren. *Masculo fœmina.* Durinscula est ejusmodi compositio, Græcis est elegans, Latinis non item; quasi diceret: masculo-fœmina, ἀρρενοθήλυς id signi icat Græcis. Ita Tullius hermeraclas et Hermeratemas ait icunculas, lib. I epist. ad Atticum. Le Pr.

(*f*) *Enthymesin.* Iren. *Concupiscentiam cum passione.* Le Pr.

(g) *Et illam appendicem passionem.* Hoc habet Septimius ab Irenæo Latino. Rig.

(h) *Extra ævum factam*, legitur in antiquis exemplaribus. Attamen scribendum: *Et extra eum factam.* Nam ipsissima verba sunt Irenæi Latini. Et in Græco legitur, ἐκτὸς αὐτοῦ γενομένην. Rig.

(i) *Æonis.* Tertullianus in præcedentibus capitibus cum Irenæo conferri non potuit quin aperte se non tantum imitantis, sed legentis, lectaque edentis morem aperte profiteretur. Idem iterum, iterumque ex afferendis infra Irenæi verbis, luce meridiana clarius emicabit. Nonnulla præsertim in præsenti capite, prorsus prævia non indigerent animadversione, ut oculos vel cæca incredulitate occlusos perstringant, argumentoque sint hæc ipsamet quæ habemus Irenæi opera fuisse fontem unde plenis haustibus Septimius accipere non dubitaverit. Hæc porro sunt notatu dignissima: 1° Tertullianus in iisdem ac interpres mendis ipsismet terminis labitur; hinc uterque legit τέλος pro τελεῖος, *finem* que est interpretatus; 2° Eadem uterque verbo ad verbum habet sub hujus capitis finem, nempe: *ut naturalem quemdam impetum Æonis, sed informem et sine specie*, aut pro suo more audaciori Tertullianus, *inspectatam*, etc.; 3° eadem ad litteram verba habent optimæ Tertulliani ac Irenæi editiones paulo supra, versus ejusdem capitis initium: *primo quidem contristari propter inconsummationem generationis metuere.* Hæc ultima, sola Rhenani editione imperfecta nixus, Semlerus omittere non dubitavit; cætera autem, quæ illum non minus ac ista confodiunt,

sed informem et (*a*) inspeciatam, quatenus nihil apprehendisset : ideoque fructum infirmum, et fœminam pronuntiatam.

CAPUT XI.

Igitur post Enthymesin extorrem, et matrem ejus Sophiam conjugi reducem, ille iterum Monogenes, ille Nus, otiosus plane de patris cura atque prospectu, (*b*) solidandis rebus, et Pleromati muniendo, jamque (1) figendo, ne qua ejusmodi rursus concussio inculeret (2), novam excludit copulationem, Christum et Spiritum Sanctum : turpissimum par duorum masculorum : aut fœmina erit Spiritus Sanctus : et vulneratur a fœmina masculus (*c*). Numen his datur unum, procurare concinnationem (3) Æonum. Et ab ejus officii societate, duæ scholæ protinus, duæ cathedræ, inauguratio quædam dividendæ doctrinæ Valentini. (*d*) Christi erat (4) inducere Æonas naturam conjugiorum (vides quam rem plane (5). et innati conjectationem, et idoneos efficere generandi in se agnitionem patris, quod capere eum non sit neque comprehendere, non visu denique ; non auditu compotiri ejus, nisi per Monogenen. (*e*) Et tamen tolerabo quod ita discunt (6) patrem nosse ne nossent (7). Illam magis doctrinæ denotabo perversitatem, quod docebantur incomprehensibile quidem patris, caussam esse perpetuitatis ipsorum : comprehensibile vero ejus, generationis illorum et formationis esse Rationem. Hac enim dispositione illud opinor insinuatur, expedire (8) Deum non apprehendi : siquidem inapprehensibile ejus, perpetuitatis est

LECTIONES VARIANTES.

(1) Etiamque *Jun.*
(2) Incurreret *Fram. Par.*
(3) Consummationem *reponebat Pam.* concinnationem *defendit Lut.*
(4) Christi enim erat docere Æonas *Jun. sic et Irenæus* docuisse.
(5) Quam rem piam *Fram. Par.*
(6) Discedunt *Rhen. Semi. Oberth.*
(7) Nosse ne nos illud magis *Rhen. Semi.* Illud magis doctrinæ *Rig.* Illam magis doctrinæ *Fran. Par.* Illud magis denotabo, doctrinæ perversitatem ; quod doceantur *Jun e mss.*
(8) Experire *Rhen. Semi. Oberth.*

COMMENTARIUS.

dare debuit imo et confiteri hinc et inde ea esse prorsus consimilia. Totum vero hoc Irenæi caput ex integro hic subjiciendum est :

Lib. I, cap. 1, § 3. — Ἔνιοι δὲ αὐτῶν πῶς τὸ πάθος τῆς Σοφίας, καὶ τὴν ἐπιστροφὴν μυθολογοῦσιν· ἀδυνάτου καὶ ὑπερτατίστου πράγματι αὐτὴν ἐπιχειρησασαν, τεκεῖν οὐσίαν ἄμορφον, οἵαν φύσιν εἶχεν, οὐθυλείαν τεκεῖν· ἣν καὶ καταυνοήσασαν, πρῶτον μὲν λυπηθῆναι, διὰ τὸ ἀτελὲς τῆς γενέσεως, ἔπειτα φοβηθῆναι μηδὲ αὐτὸ, τὸ εἶναι τελείως ἔχειν εἶτα ἀπιστῆναι καὶ ἀπορῆσαι ζητοῦσαν τὴν αἰτίαν, καὶ ὄντινα τρόπον ἀποκρύψει τὸ γεγονός. Ἐγκαταγενομένην δὲ τοῖς πάθεσι, λαβεῖν ἐπιστροφὴν, καὶ ἐπὶ τὸν Πατέρα ἀνακεκραμένην πειρᾶσθαι, καὶ μέχρι τινὸς τολμησασαν. Ἐξασθενήσαι. καὶ ἐκλιπεῖν τοῦ Πατρὸς γενέσθαι συνδεηθῆναι δὲ αὐτὴ καὶ τοὺς λοιπούς Αἰῶνας, μάλιστα δὲ τὸν Νοῦν ἐντεῦθεν λέγουσι πρώτην ἀρχὴν ἐσχηκέναι τὴν οὐσίαν, τῆς ὕλης ἐκ τῆς ἀγνοίας, καὶ τῆς λύπης, καὶ τοῦ φόβου, καὶ τῆς ἐκτλήξεως.

§ 4. Ὁ δὲ πατὴρ τὸν προειρημένον Ὅρον ἐπὶ τούτοις διὰ τοῦ Μονογενοῦς προβάλλεται ἐν εἰκόνι ἰδίᾳ κ. τ. λ. Τὸν γὰρ πατέρα ποτὲ μὲν ματὰ συζυγίας τῆς Σιγῆς, ποτὲ δὲ κατὰ ὑπὲρ ἄρρεν, καὶ ὑπὲρ θῆ θήλυ εἶναι θέλουσι. Τὸν δὲ Ὅρ.ν τοῦτον καὶ Συλλυτρωτὴν, καὶ καρπιστὴν, καὶ Ὁροθέτην, καὶ Μετοχὴν καλοῦσι. Διὰ δὲ τοῦ Ὅρου τούτου φασὶ κεκαθάρται, καὶ ἀποκατεστάθηναι τὴ συζυγία· χωρισθείσης γὰρ τῆς Ἐνθυμήσεως ἀπ' οὐσίας, σὺν τῷ ἐπιγενομένῃ πάθει, αὐτὴν μὲν ἔντος Πληρώματος εἶναι, τὴν δὲ ἐνθύμησιν αὐτῆς σὺν τῷ πάθει, ὑπὸ τοῦ Ὅρου ἀφορισθῆναι καὶ ἀποστερηθῆναι, κ.τ ἐκτὸς αὐτοῦ γενομένην, εἶναι μὲν πνευματικὴν οὐσίαν, φυσικὴν τινα Αἰῶνος ἔρμην τυγχάνουσαν, ἄμορφον δὲ καὶ ἀνείδεον διὰ τὸ μηδὲν καταλαβεῖν· καὶ διὰ τοῦτο καρτὸν ἀσθενῆ, καὶ θήλυν αὐτὴν λέγουσι. κ. τ. λ.

Interpretatio vetus. — § 3. *Quidam autem ipsorum hujusmodi passionem et reversionem Sophiæ velut fabulam narrant :* impossibilem et incomprehensibilem rem eam aggressam, peperisse substantiam informem, qualem naturam habebat fœmina parere : in quam cum intendisset, *primo quidem constristatam, propter inconsummationem generationis : post deinde timuisse, ne hoc ipsum finem habeat : dehinc expavisse et aporiatam*, id est, confusam, *quærentem caussam, et quemadmodum absconderet id, quod erat natum. In iis autem passionibus factam, accepisse regressionem et in Patrem regredi conari : et aliquamdiu ausam, tamen defecisse, et supplicem Patris factam. Una autem cum ea rogasse et reliquos Æonas, maxime autem* Num. *Hinc dicunt primum initium habuisse substantiam materiæ, de ignorantia et tædio et timore et stupore.*

§ 4. *Pater autem prædictum Horon super hæc per Monogenem præmittit* in imagine sua, sine conjuge masculo fœmina. Patrem enim aliquando quidem cum conjuge Sige, modo vero et pro masculo et pro fœmina esse volunt. *Horon vero hunc* et Stauron et Lytroten et Carpisten et Horotheten et Metagogea vocant. *Per Horon autem hunc dicunt mundatum et confirmatam Sophiam et restitutam conjugi.* Separata enim intentione ab ea, *cum appendice passione ipsam quidem infra Pleroma perseverasse, concupiscentiam vero ejus, cum Passione ab Horo separatam et crucifixam, et extra eum factam*, esse quidem spiritalem substantiam, *ut naturalem quemdam Æonis impetum, informem vero et sine specie, quoniam nihil apprehendisset. Et propter hoc fructum ejus invalidum et fœmineum dicunt:* Edd.

CAP. XI. — (*a*) *Inspeciatam.* Irenæus, *Sine specie, ἀνείδεον.* Rig.

(*b*) *Solidandis rebus, et pleromati muniendo.* Hic expressa sunt Græca Irenæa, εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ πληρώματος, quæ non apparent in Latinis. Rig.

(*c*) *Et vulneratur a fœmina masculus.* Offenditur masculus fœmina sua, pari secum potestate officioque prædita. Hoc sequentia suggerunt. Rig.

(*d*) *Christi erat inducere Æonas naturam conjugior.* Hoc sibi vult, ducere Æonas in naturam conjugiorum. Irenæus dixit : *docuisse eos conjugationis naturam.* Alludit Septimius ad lenonias artes, quarum est inducere ac perducere. Et in Apologetico, perductores conjungit aquariolis. Nempe isti Valentiniani spurcis fabularum suarum allegoriis sanctissima Christi munia contaminabant. Apage perditissimorum deliria nebulonum. Rig.

(*e*) *Et tamen tolerabo quod ita discunt Patrem nosse ne nossent : illam magis doctrinæ denotabo perversitatem.* Sic postremo edidit Rhenanus, et rectum esse persuasit Pamelio. At nihilominus scripturam veterem redhiberi velim. Ea fuit hujusmodi : *notabo* tantum, *discebant*, pro *discebunt. Et tamen tolerabo quod ita discebant Patrem nosse, ne nos et illud magis. Denotabo doctrinæ perversitatem*, etc. De Dei Patris agnitione sic tradebant Valentiniani, Quod capere eum non sit, neque comprehendere ; non visu denique, non auditu compotiri ejus, nisi per Monogenem. Quæ doctrina consentanea jam tum erat catholicæ et authenticæ regulæ. Itaque ait Tertullianus, hoc se libenter tolerare, quod ita discebant Patrem nosse, ne nos et illud magis. Hoc est, ne nos Catholici melius istud dicamus, scilicet Patrem nosse, quæ nunquam hodie de Deo sere potissimum debeamus, lu-

causa : apprehensibile autem, non perpetuitatis, sed nativitatis et formationis, egentium perpetuitatis. Filium autem constituunt apprehensibilem patris. Quomodo tamen apprehendatur, tum prolatus Christus edocuit. Spiritus vero Sancti propria, ut de doctrinæ studio omnes peræquati, (*a*) gratiarum actionem prosequi nossent, et veram inducerentur quietem (*b*).

CAPUT XII.

Itaque omnes forma et sapientia (1) peræquantur, facti omnes quod unusquisque : nemo aliud, (*c*) quia alteri omnes. Refunduntur in Nus (2), in Sermones (3), in Homines (4), in Philetos (5). Æque (6) fœminæ in Sigas (7), in Zoas, in Ecclesias, in Fortunatas (8) : et Ovidius Metamorphoseis suas delevisset, si hodie majorem cognovisset. Exinde refecti sunt, et constabiliti sunt, et in requiem ex veritate (9) compositi, magno cum gaudii fructu hymnis patrem concinunt. Diffundebatur et ipse lætitia, utique bene cantantibus filiis et nepotibus. Quidni diffunderetur omni jocunditate, (*d*) Pleromate liberato? Quis nauclerus non etiam cum dedecore lætatur? (*e*) Videmus quotidie nauticorum lascivias gaudiorum. Itaque ut nautæ (*f*) ad symbolam (10) semper exultant; tale aliquid et Æones; unum jam omnes, etiam forma, nedum sententia; convenientibus ipsis quoque novis fratribus (11) et magistris Christo et Spiritu Sancto, quod optimum atque pulcherrimum unusquisque (12) florebat, conferunt in medium. Vane opinor. Si enim unum erant omnes ex supradicta peræquatione, vacabat symbolæ ratio, quæ ferme ex varietatis gratia constat. Unum omnes bonum conferebant, quod omnes erant. De modo forsitan fuerit ratio, aut de forma ipsius jam peræquationis. Igitur ex (*g*) ære collatitio (13), quod aiunt, in honorem et gloriam patris, pulcherrimum Pleromatis sidus fructumque perfectum compingunt, Jesum. Eum cognominant Soterem, et Christum, et Sermonem, de patruitis (14). Et Omnia jam, ut ex omnium defloratione constructum, Graculum Æsopi (*h*), Pandoram Hesiodi, Acci Patinam (15), Nestoris Cocetum, Miscellaneam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sententia *Fran. Iren.* sententia γνώμη.
(2) Nous *Iren.* nous *vet. inter.* Nun *Rhen. Seml. Oberth.* Nous *Jun.* Non *Par.* quæ *addit* sermones.
(3) Sermones *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Omnes in homines *Rhen. et ii* [*t*].
(5) In Christos *Fran. hoc non hab. Iren.*
(6) Et quæ *Rhen. et alii.*
(7) In Alethias *Fran.*
(8) In spiritus *Fran. Nihil ejus generis habet Iren. sive græc. sive latin.*
(9) *Forte* ex varietate, *sicut postea* ex varietatis *gratia.* Ad perfectum *vel. int. Seml.* τελείας.
(10) Cymbalam *Par. vitiose ut patet ex Iren. Jun.*
(11) Novis *non hab. Seml.*
(12) Uniuscujusque *Lat.* unicuique *Maxult Jun. aut sic transponenda verba* quod opt. atque pulch. florebat, unusquisque confer...
(13) Collocatio *Rhen. Seml. Oberth.* collativo *al.* collocatitio *vet. exempl.*
(14) *Græce* πατρωνυμικῶς, patronymice *Iren.*
(15) *Jun. ita ordinat. :* Pandoram Hesiodi, graculum Æsopi ; *tragici patinam ut de utroque Æsopo fabularum scriptore et histrione sermo sit.*

COMMENTARIUS.

manus ingeniis minime comprehendi posse. Deinde sequitur : *Denotabo doctrinæ perversitatem* quod decebantur, etc. Jam enim sanam doctrinam perfida consequentia depravabant. Rig.

(*a*) *Gratiarum actionem prosequi nossent.* Irenæus : *Eos omnes gratias agere docuit.* τὸν εὐχαριστεῖν ἐδίδαξε. Rig.

(*b*) Iren. adv. hæres. lib. I, cap. 1, § 5.—Μετὰ δὲ τὸ ἀποκατασταθῆναι ταύτην ἐκτὸς τοῦ πληρώματος τῶν Αἰώνων, τὴν τε Μητέρα αὐτῆς ἀτεκνοτραπεῖσαν τῇ ἰδίᾳ συζυγίᾳ, τὸν Μονογενῆ πάλιν ἑτέρᾳ προβεβλῆσθαι συζυγίαν, κατὰ προμήθειαν τοῦ Πατρὸς ἵνα μὴ ὁμοίως τούτῃ πάθῃ τις τῶν Αἰώνων, Χριστὸν καὶ Πνεῦμα Ἁγιον, εἰς πᾶξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ πληρώματος, ὑφ' ὧν καταρτισθῆναι τοὺς Αἰῶνας· τὸν μὲν γὰρ Χριστὸν διδάξαι αὐτοὺς συζυγίας χύσιν, ἀγεννήτου καταλῆψιν γνώστους ἱκανοὺς, εἶναι, ἀπαγορεῦσαί τε δι' αὐτοῦ τὴν τοῦ Πατρὸς ἐπίγνωσιν, ὅτι τε ἀχώρητός ἐστι, καὶ ἀκατάληπτος, καὶ οὐκ ἔστιν οὕτε ἰδεῖν, οὔτε ἀκοῦσαι αὐτὸν, ἢ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς γινώσκεται. Καὶ τὸ μὲν αἴτιον τῆς αἰωνίου διαμονῆς τοῖς λοιποῖς τὸ πρῶτον καταληπτὸν ὑπάρχειν τοῦ Πατρὸς, τῆς δὲ γενέσεως αὐτοῦ, καὶ μορφώσεως, τὸ καταληπτὸν αὐτοῦ, ᾧ δὴ ἴσός ἐστι. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ ἀρτι προελθὼν Χριστὸς ἐν αὐτοῖς ἐδημιούργησε.

§ 6. Τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξισωθέντας αὐτοὺς πάντας εὐχαριστεῖν ἐδίδαξε καὶ τὴν ἀληθινὴν ἀνάπαυσιν ἤγειρε.

Interpretatio vetus. — § 5. *Postea vero quam separata sit* extra Pleroma Æonum, *et mater ejus redintegrata suæ conjugationi, Monogenem iterum alterum emisisse conjugationem, secundum providentiam Patris, Christum et Spiritum Sanctum, a quibus consummatos esse dicunt Æonas. Christum enim docuisse eos conjugationis naturam,* innati comprehensionem cognoscentes, *sufficientes, sive idoneos esse : declarasse quoque in eis Patris agnitionem, quoniam incapabilis est et incomprehensibilis, et non est neque videre, neque audire eum nisi per solum Monogenem. Et causam quidem æternæ perseverationis iis omnibus incomprehensibile Patris esse : generationis autem et formationis, comprehensibile ejus, quod quidem filius est.* Et hæc quidem, qui nunc emissus erat, Christus in eis operatus est.

§ 6. *Spiritus vero Sanctus adæquatos eos omnes, gratias agere docuit et veram requiem induxit.* Edd.

CAP. XII. — (*c*) *Quia alteri omnes.* Hæc et sequentia edidimus uti sunt in codice Pithœi. *Omnes sunt alteri, non aliud,* hoc est : omnes sunt Sermones, omnes Homines, omnes Phileti, omnes Sigæ, omnes Zoæ. Itaque primus est Philetus, secundus alter Philetus, tertius alter Philetus; et sic de cæteris. Sic enim omnes alteri, ideoque non aliud. Rig.

(*d*) *Pleromate liberato.* Nam Æones Pleroma concusserant, Bytho negotium facessituri. Nunc vero ordinatis et compositis, ac per Christum et Spiritum sanctum institutis Æonibus, nullum amplius periculum erat Pleromati. Effectum enim constabat, propter quod venerat, nempe solidatæ res, et pleroma munitum atque confirmatum, ne qua similis concussio rursus incurreret. Rhen.

(*e*) *Videmus quotidie nauticorum.* Ex hoc loco vides Tertullianum maris fuisse accolam, ut in Carthaginiensi agro versantem. Rhen.

(*f*) *Ad symbolam.* Collationem symbola significat, quoties scilicet a singulis aliquid in commune confertur. Hinc asymbolus, qui nihil in medium confert. Rhen.

(*g*) *Ære collatitio.* Quod in antiquis exemplaribus legitur, *collocatitio*, mendosum esse satis arguit Irenæus cum ait, *Unumquemque eo quod habebat in se optimum florentissimum conferentes, collationem fecisse.* Rig.

(*h*) *Graculum Æsopi.* De hoc exstat apologus inter

sed informem et (*a*) inspeciatam, quatenus nihil apprehendisset : ideoque fructum infirmum, et fœminam pronuntiatam.

CAPUT XI.

Igitur post Enthymesin extorrem, et matrem ejus Sophiam conjugi reducem, ille iterum Monogenes, ille Nus, otiosus plane de patris cura atque prospectu, (*b*) solidandis rebus, et Pleromati muniendo, jamque (1) figendo, ne qua ejusmodi rursus concussio inculeret (2), novam excludit copulationem, Christum et Spiritum Sanctum : turpissimum par duorum masculorum : aut fœmina erit Spiritus Sanctus : et vulneratur a fœmina masculus (*c*). Numen his datur unum, procurare concinnationem (3) Æonum. Et ab ejus officii societate, duæ scholæ protinus, duæ cathedræ, inauguratio quædam dividendæ doctrinæ Valentini. (*d*) Christi erat (4) inducere Æonas naturam conjugiorum (vides quam rem plane (5). et innati conjectationem, et idoneos efficere generandi in se agnitionem patris, quod capere eum non sit neque comprehendere, non visu denique ; non auditu compotiri ejus, nisi per Monogenen. (*e*) Et tamen tolerabo quod ita discunt (6) patrem nosse ne nossent (7). Illam magis doctrinæ denotabo perversitatem, quod docebantur incomprehensibile quidem patris, caussam esse perpetuitatis ipsorum : comprehensibile vero ejus, generationis illorum et formationis esse Rationem. Hac enim dispositione illud opinor insinuatur, expedire (8) Deum non apprehendi : siquidem inapprehensibile ejus, perpetuitatis est

LECTIONES VARIANTES.

(1) Etiamque *Jun.*
(2) Incurreret *Fran. Par.*
(3) Consummationem *reponebat Pam.* concinnationem *defendit Lat.*
(4) Christi enim erat docere Æonas *Jun. sic et Irenæus* docuisse.
(5) Quam rem piam *Fran. Par.*
(6) Discedunt *Rhen. Semi. Oberth.*
(7) Nosse ne nos illud magis *Rhen. Semi.* Illud magis doctrinæ *Rig.* Illam magis doctrinæ *Fran. Par.* Illud magis denotabo, doctrinæ perversitatem ; quod doceantur *Jun e mss.*
(8) Experire *Rhen. Semi. Oberth.*

COMMENTARIUS.

dare debuit imo et confiteri hinc et inde ea esse prorsus consimilia. Totum vero hoc Irenæi caput ex integro hic subjiciendum est :

Lib. I, cap. 1, § 3. — Ἔνιοι δὲ αὐτῶν πῶς τὸ πάθος τῆς Σοφίας, καὶ τὴν ἐπιστροφὴν μυθολογοῦσιν· ἀδυνάτῳ καὶ ἀκατανοήτῳ πράγματι αὐτὴν ἐπιχειρησασαν, ταπεῖν οὐσίαν ἄμορφον, οἵαν φύσιν εἶχεν, ὑφυλλιαν τινὰ ἣν καὶ κατανοήσασαν, πρῶτον μὲν λυπηθῆναι, διὰ τὸ ἀτελὲς τῆς γενέσεως, ἔπειτα φοβηθῆναι μηδὲ αὐτό, τὸ εἶναι τελείως ἔχειν εἶτα ἐκστῆναι καὶ ἀπορῆσαι ζητοῦσαν τὴν αἰτίαν, καὶ ὅντινα τρόπον ἀποκρύψει τὸ γεγονός. Ἐγκαταγεγομένην δὲ τοῖς πάθεσι, λαβεῖν ἐπιστροφὴν, καὶ ἐπὶ τὸν Πατέρα ἀναδραμεῖν πειρᾶσθαι, καὶ μέχρι τινὸς τολμήσασαν. ἐξασθενῆσαι. καὶ ἐπίτιν τοῦ Πατρὸς γενέσθαι σύνοικον, τῆς ὕλης ἐκ τῆς ἀγνοίας, καὶ τῆς λύπης, καὶ τοῦ φόβου, καὶ τῆς ἐκτλήξεως.

§ 4. Ὁ δὲ πατὴρ τὸν προειρημένον Ὅρον ἐπὶ τούτοις διὰ τοῦ Μονογενοῦς προβάλλεται ἐν εἰκόνι ἰδίᾳ κ. τ. λ. Τὸν γὰρ πατέρα ποτὲ μὲν ματὰ συζυγίας τῆς Σιγῆς, ποτὲ δὲ κατὰ ὑπὲρ ἄρρεν, καὶ ὑπὲρ θῆ θήλου εἶναι θέλουσι. Τὸν δὲ Ὅρον τοῦτον καὶ Συλλυτρωτὴν, καὶ Καρπιστὴν, καὶ Ὁροθέτην, καὶ Μετοχικὸν καλοῦσι. Διὰ δὲ τοῦ Ὅρου τούτου φασὶ κεκαθάρται, καὶ ἀποκατασταθῆναι τὴ συζυγίαν· χωρισθείσης γὰρ τῆς Ἐνθυμήσεως ἀπ' αὐτῆς, σὺν τῷ ἐπιγινομένῃ πάθει, αὐτὴν μὲν ἔνδον Πληρώματος εἶναι, τὴν δὲ ἐνθύμησιν αὐτῆς σὺν τῷ πάθει, ὑπὸ τοῦ Ὅρου ἀφορισθῆναι. καὶ ἀποστερηθῆναι, καὶ ἐκτὸς αὐτοῦ γενομένην, εἶναι μὲν πνευματικὴν οὐσίαν, φυσικὴν τινα Αἰῶνος ὁρμὴν τυγχάνουσαν, ἄμορφον δὲ καὶ ἀνείδεον διὰ τὸ μηδὲν καταλαβεῖν· καὶ διὰ τοῦτο καρτὸν ἀσθενῆ, καὶ θῆλυν αὐτὴν λέγουσι. κ. τ. λ.

Interpretatio vetus. — § 3. *Quidam autem ipsorum hujusmodi passionem et reversionem Sophiæ velut fabulam narrant :* impossibilem et incomprehensibilem rem eam aggressam, peperisse substantiam informem, qualem naturam habebat fœmina parere : in quam cum intendisset, *primo quidem constristatam, propter inconsummationem generationis : post deinde timuisse, ne hoc ipsum finem habeat : deinde expavisse et aporiatam*, id est, confusam, *quærentem caussam, et quemadmodum absconderet id, quod erat natum. In iis autem passionibus factam, accepisse regressionem et in Patrem regredi conari : et aliquamdiu ausam, tamen defecisse, et supplicem Patris factam. Una autem cum ea rogasse et reliquos Æonas, maxime autem* Num. *Hinc dicunt primum initium habuisse substantiam materiæ, de ignorantia et tædio et timore et stupore.*

§ 4. *Pater autem prædictum Horon super hac per Monogenem præmittit* in imagine sua, sine conjuge masculo fœmina. Patrem enim aliquando quidem cum conjuge Sige, modo vero et pro masculo et pro fœmina esse volunt. *Horon vero hunc* et Stauron et Lytroten et Carpisten et Horotheten et Metagogea vocant. *Per Horon autem hunc dicunt mundatum et confirmatam Sophiam et restitutam conjugi.* Separata enim intentione ab ea, *cum appendice passione ipsum quidem infra Pleroma perseverasse, concupiscentiam vero ejus, cum Passione ab Horo separatam et crucifixam, et extra eum factam*, esse quidem spiritalem substantiam, *ut naturalem quemdam Æonis impetum, informem vero et sine specie, quoniam nihil apprehendisset. Et propter hoc fructum ejus invalidum et fœmineum dicunt:* Edd.

CAP. XI. — (*a*) *Inspeciatam.* Irenæus, *Sine specie,* ἀνείδεον. Rig.

(*b*) *Solidandis rebus, et pleromati muniendo.* Hic expressa sunt Græca Irenæa, εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ πληρώματος, quæ non apparent in Latinis. Rig.

(*c*) *Et vulneratur a fœmina masculus.* Offenditur masculus fœmina sua, pari secum potestate officioque prædita. Hoc sequentia suggerunt. Rig.

(*d*) *Christi erat inducere Æonas naturam conjugior.* Hoc sibi vult, ducere Æonas in naturam conjugiorum. Irenæus dixit : *docuisse eos conjugationis naturam.* Alludit Septimius ad lenonias artes, quarum est inducere ac perducere. Et in Apologetico, perductores conjungit aquariolis. Nempe isti Valentiniani spurcis fabularum suarum allegoriis sanctissima Christi munia contaminabant. Apage perditissimorum deliria nebulonum. Rig.

(*e*) *Et tamen tolerabo quod ita discunt Patrem nosse ne nossent : illam magis doctrinæ denotabo perversitatem.* Sic postremo edidit Rhenanus, et rectum esse persuasit Pamelio. At nihilominus scripturam veterem redhiberi velim. Ea fuit hujusmodi : *tolerabo tantum, discebant*, pro *discebant. Et tamen tolerabo quod ita discebant Patrem nosse, ne nos et illud magis. Denotabo doctrinæ perversitatem*, etc. De Dei Patris agnitione sic tradebant Valentiniani, Quod capere eum non sit, neque comprehendere ; non visu denique, non auditu compotiri ejus, nisi per Monogenem. Quæ doctrina consentanea jam tum erat catholicæ et authenticæ regulæ. Itaque ait Tertullianus, hoc se libenter tolerare, quod ita discebant Patrem nosse, ne nos et illud magis. Hoc est, ne nos Catholici melius istud discamus, scilicet Patrem nosse, quidnam rerum hodie de Deo scire potissimum debeamus, hu-

causa : apprehensibile autem, non perpetuitatis, sed nativitatis et formationis, egentium perpetuitatis. Filium autem constituunt apprehensibilem patris. Quomodo tamen apprehendatur, tum prolatus Christus edocuit. Spiritus vero Sancti propria, ut de doctrinæ studio omnes peræquati, *(a)* gratiarum actionem prosequi nossent, et veram inducerentur quietem *(b)*.

CAPUT XII.

Itaque omnes forma et sapientia (1) peræquantur, facti omnes quod unusquisque : nemo aliud, *(c)* quia alteri omnes. Refunduntur in Nus (2), in Sermones (3), in Homines (4), in Phileios (5). Æque (6) fœminæ in Sigas (7), in Zoas, in Ecclesias, in Fortunatas (8) : ut Ovidius Metamorphoseis suas delevisset, si hodie majorem cognovisset. Exinde refecti sunt, et constabiliti sunt, et in requiem ex veritate (9) compositi, magno cum gaudii fructu hymnis patrem concinunt. Diffundebatur et ipse lætitia, utique bene cantantibus filiis et nepotibus. Quidni diffunderetur omni jocunditate, *(d)* Pleromate liberato? Quis nauA cleros non etiam cum dedecore lætatur? *(e)* Videmus quotidie nauticorum lascivias gaudiorum. Itaque ut nautæ *(f)* ad symbolam (10) semper exultant; tale aliquid et Æones; unum jam omnes, etiam forma, nedum sententia; convenientibus ipsis quoque novis fratribus (11) et magistris Christo et Spiritu Sancto, quod optimum atque pulcherrimum unusquisque (12) florebat, conferunt in medium. Vane opinor. Si enim unum erant omnes ex supradicta peræquatione, vacabat symbolæ ratio, quæ ferme ex varietatis gratia constat. Unum omnes bonum conferebant, quod omnes erant. De modo forsitan fuerit ratio, aut de forma ipsius jam peræquationis. Igitur ex *(g)* ære collatitio (13), quod aiunt, in honorem et gloriam patris, pulcherrimum Pleromatis sidus fructumque B perfectum compingunt, Jesum. Eum cognominant Soterem, et Christum, et Sermonem, de patruitis (14). Et Omnia jam, ut ex omnium defloratione constructum, Graculum Æsopi (*h*), Pandoram Hesiodi, Acci Patinam (15), Nestoris Cocetum, Miscellaneam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sententia *Fran. Iren.* sententia γνῶμη.
(2) Nous *Iren.* noas *vet. inter.* Nun *Rhen. Seml. Oberth.* Νους *Jun.* Νων *Par.* quæ *addit* sermones.
(3) Sermones *omitt. Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Omnes in homines *Rhen. et ii b.*
(5) In Christos *Fran. hoc non hab. Iren.*
(6) Et quæ *Rhen. et alii.*
(7) In Alethias *Fran.*
(8) In spiritus *Fran. Nihil ejus generis habet Iren. sive græc. sive latin.*
(9) *Forte* ex varietate, *sicut postea* ex varietatis *gratia.* Ad perfectum *vet. int. Seml.* τελειας.
(10) Cymbalam *Par. vitiose ut patet ex Iren. Jun.*
(11) Novis *non hab. Seml.*
(12) Uniuscujusque *Lat.* unicuique *Mavult Jun. aut sic transponenda verba* quod opt. atque pulch. florebat, unusquisque confer...
(13) Collocatio *Rhen. Seml. Oberth.* collativo *al.* collocatitio *vet. exempl.*
(14) *Græce* πατρωνυμικὸς, patronymice *Iren.*
(15) *Jun. ita ordinat. :* Pandoram Hesiodi, graculum Æsopi ; *tragiri patinam ut de utroque Æsopo fabularum scriptore et histrione sermo sit.*

COMMENTARIUS.

manis ingeniis minime comprehendi posse. Deinde C sequitur : *Denotabo doctrinæ perversitatem* quod docebantur, etc. Jam enim sanam doctrinam perfida consentientia depravabant. Rig.

(a) *Gratiarum actionem prosequi nossent.* Irenæus : *Eos omnes gratias agere docuit.* τὸν χαριστηρίον διδάξει. Rig.

(b) Iren. adv. hæres. lib. I, cap. 1, § 5.—Μετὰ δὲ τὸ ἀποκατασταθῆναι ταύτην ἐκτὸς τοῦ πληρώματος τῶν Αἰώνων, τὴν τε Μητέρα αὐτῆς ἀποκατασταθῆναι τῇ ἰδίᾳ συζυγίᾳ, τὸν Μονογενῆ πάλιν ἑτέραν προβαλέσθαι συζυγίαν, κατὰ τρομηθέιαν τοῦ Πατρὸς ἵνα μὴ ὁμοίως τούτῃ πάθῃ τις τῶν Αἰώνων, Χριστὸν καὶ Πνεῦμα Ἅγιον, εἰς πᾶξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ πληρώματος, ὑφ' ὧν κατηρτισθῆναι τοὺς Αἰῶνας· τὸν μὲν γὰρ Χριστὸν διδάξαι αὐτοὺς συζυγίας ἑνώσεν, ἀγεννήτου καταλήψιν γνῶσκοντας ἱκανοὺς, εἶναι, ἀναγορεῦσαί τι ἐν αὐτοῖς τὴν τοῦ Πατρὸς ἀπόγνωσιν, ὅτι τε ἀχώρητός ἐστι, καὶ ἀκατάληπτος, καὶ οὐκ ἔστιν οὔτε ἰδεῖν, οὔτε ἀκοῦσαι αὐτὸν, ἢ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς γινώσκεται. Καὶ τὸ μὲν αἴτιον τῆς αἰωνίου διαμονῆς τοῖς λοιποῖς τὸ πρῶτον καταληπτὸν ὑπάρχειν τοῦ Πατρὸς, τῆς δὲ γενέσεως αὐτοῦ, καὶ μορφώσεως, τὸ καταλῆπτὸν αὐτοῦ, ᾧ δὴ ἴσός ἐστι. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ ἄρτι προσδιληθεὶς Χριστὸς ἐν αὐτοῖς ἐδημιούργησε.

§ 6. Τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξισωθέντας αὐτοὺς πάντας εὐχαριστεῖν ἐδίδαξε καὶ τὴν ἀληθινὴν ἀνάπαυσιν ἤγαγε.

Interpretatio vetus. — § 5. *Postea vero quam separata sit* extra Pleroma Æonum, *et mater ejus redintegrata suæ conjugationi, Monogenem iterum alteram emisisse conjugationem, secundum providentiam Patris, Christum et Spiritum Sanctum, a quibus consummatos esse dicunt Æonas. Christum enim docuisse eos conjugationis naturam,* innati comprehensionem cognoscentes, *sufficientes, sive idoneos esse : declarasse quoque in eis Patris agnitionem, quoniam incapabilis est et incomprehensibilis, et non est neque videre, neque audire eum nisi per solum Monogenem. Et causam quidem æternæ perseverationis iis omnibus incompre-* D *hensibile Patris esse : generationis autem et formationis, comprehensibile ejus, quod quidem filius est.* Et hæc quidem, qui nunc emissus erat, Christus in eis operatus est.

§ 6. *Spiritus vero Sanctus adæquatos eos omnes, gratias agere docuit et veram requiem induxit.* Edd.

CAP. XII. — (c) *Quia alteri omnes.* Hæc et sequentia edidimus uti sunt in codice Pithœi. *Omnes sunt alteri, non aliud*, hoc est : omnes sunt Sermones, omnes Homines, omnes Phileti, omnes Sigæ, omnes Zoæ. Itaque primus est Philetus, secundus alter Philetus, tertius alter Philetus; et sic de cæteris. Sic enim omnes alteri, ideoque non aliud. Rig.

(d) *Pleromate liberato.* Nam Æones Pleroma concusserant, Bytho negotium facessituri. Nunc vero ordinatis et compositis, ac per Christum et Spiritum sanctum institutis Æonibus, nullum amplius periculum erat Pleromati. Effectum enim constabat, propter quod venerat, nempe solidatæ res, et pleroma munitum atque confirmatum, ne qua similis concussio rursus incurreret. Rhen.

(e) *Videmus quotidie nauticorum.* Ex hoc loco vides Tertullianum maris fuisse accolam, ut in Carthaginiensi agro versantem. Rhen.

(f) *Ad symbolam.* Collationem symbola significat, quoties scilicet a singulis aliquid in commune confertur. Hinc asymbolus, qui nihil in medium confert. Rhen.

(g) *Ære collatitio.* Quod in antiquis exemplaribus legitur, *collocatitio*, mendosum esse satis arguit Irenæus cum ait, *Unumquemque eo quod habebat in se optimum florentissimum conferentes, collationem fecisse.* Rig.

(h) *Graculum Æsopi.* De hoc exstat apologus inter

Ptolomæi. Quam propius (1) fuit (*a*) de aliquibus Atticis curis (*b*) Pancarpon (2), vocari, a tam otiosis auctoribus nominum? Ut autem tantum siggillarium extrinsecus quoque inornarent (3), satellites ei angeli proferunt : par genus. Si inter se, potest fieri : si vero Soteri consubstantivos (ambigue enim positum inveni), quæ erit eminentia ejus inter satellites coæquales (*c*)?

CAPUT XIII.

Continet hic igitur ordo primam processionem pariter et nascentium, et nubentium, et generantium Æonum : Sophiæ ex desiderio patris, periculosissimum casum, Hori opportunissimum auxilium, Enthymeseos et conjunctæ Passionis expiatum, Christi et Spiritus Sancti pædagogatum, Æonum tutelarem reformatum, Soteris pavoninum ornatum, (*d*) angelorum comparatitium antistatum. Quod superest, inquis, vos valete et plaudite. Imo quod superest, inquam, vos audite et projicite. Cæterum, hæc intra eretum Pleromatis decucurrisse dicuntur; prima tragœdiæ scena. Alia autem trans si parium cothurnatio est, extra Pleroma dico : et tamen si talis sub sinu patris intra ambitum Hori custodis, qualis extra jam in libero, ubi Deus non erat?

CAPUT XIV.

Namque Enthymesi, sive jam Achamoth (*e*) (quod abhinc scriptum, hoc solo ininterpretabili (4) nomine) ut cum vitio individuæ Passionis explosa est in loca luminis aliena, quod Pleromatis res est, in vacuum atque inane illud Epicuri, miserabilis etiam de loco est. Certe nec forma nec facies ulla, defectiva (5) scilicet et abortiva genitura (6). Dum ita rerum habet, flectitur a superioribus Christus (7), deducitur per Horon, aborsum ut illud informet de suis viribus solius substantiæ non etiam scientiæ forma. Et tamen cum aliquo peculio reliquitur (8) interim odor incorruptibilitatis, quo compos casus sui, poti rum desiderio suppararetur. Hac misericordia functus non sine Spiritus Sancti societate, recurrit Christus in Pleroma. Usus est rerum, ex liberalitatibus quoque nomina accedere. Enthymesis de actu fuit : Achamoth unde, adhuc quæritur; Sophia de Patre (9) manat; Spiritus Sanctus ex angelo apud (10) Christum (11), a quo derelicta statim senserat (12) desiderium. Itaque prosiluit et ipsa lumen ejus inquirere; quem si omnino non noverat, ut invisibiliter operatum, quomodo lumen ejus ignotum cum ipso requirebat? Tamen tentavit, et fortasse appre-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quin propius *al.*
(2) *Locus hic mire depravatus* de aliquibus hostias curis Pancapipan Nirapio.i *Rhen. Seml.* De atticis curis carpram vocari *Fran. Par. Jun. ita restituit* : miscellaneam Ptolemæi philonusi; quam propius fuit de atticis historiis Pancarpi, *pancarpiam vocari*, a tam, etc.
(3) Inornassent *Seml.*
(4) Interpretabit *Fran.*
(5) Devestiva *Seml. Oberth.*
(6) *Jun. hunc locum ita distinguit* : miscrabilis etiam de loco est certe, nec forma nec facie ille, devestiva scilicet et abortiva.
(7) E super. Christus deducitur *Jun.*
(8) Cum aliquo peculio reliquitur iterato, odore, etc. *Jun.* interim odor incerr. *Lat.*
(9) Sophia de matre *Rhen. Seml.*
(10) Apud *omn. codices.*
(11) Christi *Fran.*
(12) Se statim senserit *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

eos qui Æsopo tribuuntur, unde Græcis natum proverbium Αἰσωπεῖος κόλοιός, hoc est, Æsopicus graculus, dici solitum in eos qui aliena pro suis ostentant.

REN.

(*a*) *Quam propius fuit de aliquibus Atticis scurris Pancarpon vocari.* Sic edidimus, secuti vestigia cod. Pithœani, *de aliquibus hostia scurris.* Quæ sunt depravata quidem. Sed ex iis tamen sic verum tandem elicimus. *Quam propius fuit de aliquibus Atticis curis.* Curas Atticas dicit libros Græcorum, qui ob titulos hujusmodi ambitiosa festivitate conceptos merito sunt Pliniana ad Vespasianum præfatione derisi. RIG.

(*b*) *Pancarpon.* Vetus exemplar, *Pancapipannirapiam* Septimius fortean scripserat, ΠΑΓΚΑΡΠΟΝ, ΗΤΟΠΑΝ. Etenim Atticas inter curas istos etiam titulos fuisse notat Agellius, cap. ultimo, lib. XX, uti locus ille descriptus est in optimo codice Biblioth. Reg. *Est præterea qui Pratum. Est itidem qui Pancarpon. Est qui* ΤΟ ΗΑΝ. *Sunt item multi*, etc. RIG.

(*c*) Iren. adv. hæres. lib. I, cap. 1, § 6.—Οὕτως τε μορφὴ, καὶ γνώμη ἴσους κατασταθῆναι τοὺς Αἰῶνας λέγουσι, πάντας γενομένους Νοὺς, καὶ πάντας Λόγους καὶ πάντας Ἀνθρώπους, καὶ πάντας Χριστοὺς, καὶ τοὺς θηλείους ὁμοίως πάντας Ἀληθείας, καὶ πάντας Ζωὰς, καὶ Πνεύματα καὶ Ἐκκλησίας· στηριχθέντα δὲ ἐπὶ τούτῳ τὸ ὅλον, καὶ ἀναπαυσάμενα τελείως μετὰ μεγάλης χαρᾶς φῶτι ὑμνῆσαι τὸν Προπάτορα, πολλῆς εὐφροσύνης μετασχόντα. Καὶ ὑπὲρ τῆς τοιαύτης ταύτης βουλῆς μιᾶς, καὶ γνώμης, τὸ πᾶν πλήρωμα τῶν Αἰώνων συνεισδεχομένου, τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ πνεύματος, τοῦ δὲ πατρὸς αὐτῶν συνεπισπραγιζομένου, ἵνα ἕκαστον τῶν Αἰώνων, ὅπερ εἶχεν ἐν ἑαυτῷ κάλλιστον καὶ ἀνθρώπινον συντεταμένους, καὶ ἐρανισαμένους, καὶ ταῦτα ἁρμοδίως πλέξαντας, καὶ ἁμιλλᾶ, ἐνώσαντας, προβαλέσθαι προβλήματα εἰς τιμὴν καὶ δόξαν τοῦ βυθοῦ τελειότατα καὶ κάλλιστα τε καὶ ἄστρον τοῦ πληρώματος τέλειον καρπὸν τὸν Ἰησοῦν, ὃν καὶ Σωτῆρα, προσηγορευθῆναι, καὶ Χριστὸν καὶ Λόγον πατρωνυμικῶς, καὶ (κατὰ) πάντα, διὰ τὸ κατὰ πάντων εἶναι· ὁροφόρους τε αὐτῶν εἰς τιμὴν τὴν αὐτῶν ὁμοιοτρόπως Ἀγγέλους συμπροβαλέσθαι. κ. τ. λ.

Interpretatio vetus. — § 6. *Et sic forma et sententia similes factos Æonas dicunt, universos factos Noas et Logos, et omnes Anthropos, et omnes Christos. Et fœminas similiter omnes Alethias et Zoas, et Spiritus et Ecclesias. Confirmata quoque in hoc omnia et requiescentia ad perfectum, cum magno gaudio discunt hymnizare Propatorem, magnæ exultationis participantem.* Et propter hoc beneficium, una voluntate et sententia universum Pleroma Æonum, *consentiente Christo et Spiritu, unumquemque Æonum, quod habebat in se optimum et florentissimum conferentes, collationem fecisse; et hæc apte compingentes et diligenter in unum adoptantes, emisisse* problema et *in honorem et gloriam Bythi perfectissimum decorem quemdam et sidus pleromatis, perfectum fructum Jesum quem et Salvatorem, vocari et Christum et Logon, patronymice, ac Omnia*, quoniam ab omnibus esset. *Satellites quoque ei in honorem ipsorum, ejusdem generis angelos, cum eo prolatos.* EDD.

CAP. XIII. — (*d*) *Angelorum comparatitium antistatum.* Antistatum Angelorum dicit, Angelos apparitores Soteris, ante ipsum stantes, sive apparentes ei ad obcunda ministeria. Comparatitium vero, quia genus eorum comparari poterat substantiæ Soteris. RIG.

(*e*) *Achamoth .. hoc solo ininterpretabili.* Audaciores

hendisset, si non idem Horos, qui matri ejus tam prospere venerat, nunc tam importune filiæ occurrisset (*a*), ut etiam inclamarit in eam, Jao, quasi (*b*) *Porro Quirites*, (*c*) aut, *Fidem Cæsaris*, (*d*) inde invenitur *Jao* in Scripturis. Ita depulsa quominus pergere', nec habens supervolare Crucem, id est Horon, quia nullum (*e*) Catulli Laureolum fuerit exercitata, ut destituta Passioni illi suæ in trica multiplici atque perA plexa (1), omni genere ejus cœpit affligi : mœrore, quod non perpetrasset incœptum : metu, ne sicut luce, ita et vita orbaretur (2); consternatione, tum ignorantia. Nec ut mater ejus. Illa enim Æon : : t hæc pro conditione deterius : insurgente adhuc et alio fluctu (3) conversionis scilicet in Christum, a quo vivificata fuerat, et in hanc ipsam conversionem temperata (*f*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) In tricha multiplici perplexa *Fran.* ut destituta passionis illi suæ in trechea multiplici *Jun.*

(2) Tum consternatione *addit Jun.*

(3) *Add* scilicet *Fran. quod delet Jun.*

COMMENTARIUS.

Tertulliano, nisi hebraïcæ linguæ peritiores, recentes Patrum interpretes qui hujus vocabuli originem ab hebraïcis fontibus deduxere. Feuardentius enim recte, ut doct's videtur, illud derivatur a חכמה B *Hochma*, *Sapientia*, cujus radix חכם *Hacham*, *sapiens* fuit : Achamoth vero, sive חכמות idem nomen est adhibitum in plurali numero per ἔμφασιν, cujus exemplum habes Prov. I, 20. Porro ex eo quod hæreat in glossemate extraneo Tertullianus, cæteroquin doctissimus, minime Semlero adsentiendum est, inde inferenti, nondum, tempore Tertulliani, accurate a Christianis indagatam fuisse rem valentinianam, ac proinde, quod pedibus manibusque insectatur Semleruš, de antiquitate librorum D. Irenæi dubitandum. Nemo non videt quam insulsum sit istiusmodi argumentum, in apice suffixum, vocula nempe hebraïcæ linguæ, quam constat nondum fuisse a barbaris idiomatibus sejunctam, nec Romanos inter et Græcos jure civitatis donatam, nec, nisi sero, præsertim Patribus latinæ Ecclesiæ exoletam radicitus, intusque et cute notam. Edd.

CAP. XIV — (a) *Ut etiam inclamarit in eam Jao.* Ἰαώ. σωτῆρα et Ἰησοῦν interpretatur Eusebius in fine libri IV Demonstr. Evang., Chrysostomus in Matth., C cap. I, τὸ Ἰησοῦς δύναται τῇ τῶν ἑβραίων φωνῇ σωτὴρ λέγεται· Cyrillus : Ἰαὼ τὸν σωτῆρα ἑβραῖοι λέγουσι. Et fuisse notum etiam profanis nomen indicat Appollinis Clarii versus :

Φράζω τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαώ. Rig.

(b) *Porro Quirites.* Sic bajuli inclamabant populum, ut quisque sibi caveret, ne cui imprudentes sarcinam impingerent. Rhen.

(c) *Aut fidem Cæsaris.* Fortassis, inquit Tertullianus, hoc sibi vult incognitum illud vocabulum, quasi Horos ille custos Pleromatis videns enthymesin tanta temeritate irruere, dum lumen illud amissum exquirit, cum in summo periculo non superesset aliud remedium, inclamaverit fidem Cæsaris, quæ non solet implorari, nisi in atroci casu. Rhen.

(d) *Inde invenitur Jao in scripturis.* An sacris? Non satis memini quibus, nisi depravatum hoc fuerit de nomine Jova, aut Jehova. Certe sanctissimum aliquod D nomen intelligi debere videtur, cujus majestas Achamoth vehementius erumpentem coercuerit. Quod autem apud Irenæum legitur : *Coercentem eam ne adversarius irrueret, dixisse Jao ;* fallor, nisi hoc velit, Coercentem eam ne ulterius in adversum tenderet, κωλύοντα αὐτὴν τῆς εἰς τὸ ὄμπροσθεν ὁρμῆς. Rig.

(e) *Quia nullum Catulli laureolum fuerit exercitata.* Phrasis tertullianica : *exercitata laureolum.* Atqui (inquit Rhenan.) Nævius picta *Laureolum* fabulam, et Leontem in carcere scripsisse fertur. Post hunc *Catullus* Mimographus, qualis Laberius quoque fuit, duos Mimos composuit, quorum uni Phasmati nomen fuit, alteri *Laureolo*. Utriusque meminit Juvenalis satira 8, his versibus :

Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma *Catulli*.
Laureolum velox etiam bene lentulus egit,
Judice me dignus vera cruce...

Sic Laberius Mimum quemdam, ut auctor est Gell. Cophinum inscripsit, alium Alexandriam, alium Fullonem. Ergo in *Laureolo* Mimo judex agebatur in crucem : idque apud populum ficte repræsentabatur. At Domitianus sontem quemdam capitalis noxæ convictum ac damnatum serio jussit in crucem suffigi, atque ab ursa postea discerpi, spectaculum rei veræ populo exhibens. De quo facto perquam elegans Epigramma apud Martial. exstat, lib. I. Id est hujusmodi.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam vivo pectore pavit avem;
Nuda Calydonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce, *Laureolus*.
Vivebant laceri membris stillantibus artus,
Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique supplicium dederat necis ille paternæ,
Vel domini jugulum foderat ense nocens :
Templa vel arcano demens spoliaverat auro,
Subliderat sævas vel tibi Roma faces :
Viderat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

Laureoli Mimi Romæ repræsentati Suetonius mentionem facit in C. Caligula, Laureatum Mimum vocans : sic enim in quibusdam codicibus legitur. Et cum in Laureato Mimo, inquit, in quo actor proripiens se ruina, sive potius prorepens e ruina, sanguinem vomuit, ut plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundavit. Josephus, Antiquitatum lib. XIX, C. Caligulæ mortem describens, velut explicat argumentum *Laureoli* Mimi, dum inquit : In illo siquidem spectaculo, duo ei auguria provenerunt. Mimus namque est introductus, quo actum est, ut judex deprehensus crucifigeretur. Et Pantomimus fabulam saltavit Cyniræ, in qua et ipse occisus, et ejus filia Myrrha videbatur, atque sanguis Mimica arte diffusus, et circa judicem crucifixum, et circa Cyniram atque Myrrham. Porro Tertulliani, qui omnis antiquitatis peritissimus fuit, sensus hic est : *Enthymesin* non *fuisse exercitatam* in scena, in agenda fabula illa quam *Catullus* Mimographus *Laureolum* inscripsit, in qua judex in cruce agebatur. Alioqui si illam scenicorum histrionum in repræsentanda in crucem acti præsidis fabula dexteritatem habuisset, fortassis crucem supervolasset, id est, Horon. Pam.

(f) *Temperata.* Totum Irenæi 3 caput brevissima tantum epitome contraxit Tertullianus in suo capite 13. Fusius et presso vestigio Irenæum sequitur in hoc 14 capite; nonnulla quidem, cavillantis more et jocantis, addit; nonnulla vero, prò libitu dividit, transfert vel omittit; aperte tamen, ut antea, ipsomet consulente Semlero, græca Irenæi præ oculis habuisse ostendit.

Iren. contra hæres. cap. 4, § 1.—Τὴν Ἐνθύμησιν τῆς ἄνω Σοφίας, ἣν καὶ Ἀχαμὼθ καλοῦσιν, ἀφορισθεῖσαν τοῦ Πληρώματος, σὺν τῷ πάθει, λέγουσιν ἐν σκιαῖς, καὶ κενώματος τόποις· ἐκβεβράσθαι κατὰ ἀνάγκην, ἔξω γὰρ φωτὸς ἐγένετο, καὶ Πληρώματος ἄμορφος, καὶ ἀνείδεος, ὥσπερ ἔκτρωμα, διὰ τὸ μηδὲν κατειληφέναι. Οἰκτειρόντά τε αὐτὴν

CAPUT XV.

Age nunc discant Pythagorici, agnoscant Stoici, Plato ipse, unde materia (1), quam innatam volunt, et originem, et substantiam traxerit in omnem hanc structuram mundi, quod nec Mercurius ille Trismegistus magister omnium Physicorum recogitavit. Audisti Conversionem, genus aliud Passionis; ex hac omnis anima hujus mundi (2) dicitur constitisse, etiam ipsius Demiurgi, id est Dei nostri. Audisti mœrorem et timorem; ex his initiata sunt cætera. Nam ex lacrymis A ejus universa aquarum natura manavit. Hic æstimandum, quem exitum duxerit, quantis lacrymarum generibus inundarit. Habuit et salsas, habuit et amaras, et dulces, et calidas, et frigidas guttas, et (*a*) bituminosas, et ferruginantes, et sulphurantes, utique et venenatas, ut et Nonaeris inde sudaverit quæ Alexandrum occidit, et Lyncestarum inde defluxerit quæ ebrios efficit, (*b*) et Salmacis inde se solverit quæ masculos molles (3). (*c*) Cœlestes imbres pipiavit (*d*) Achamoth (*e*): et nos in cisternis etiam alienos luctus et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Materiam *Rhen. Semi.*
(2) Hujusmodi *Rhen. et pauci contra cæter.*
(3) Mollefacit *Par.* molles facit *Fran.* mollescit *Rh. Sem.*

COMMENTARIUS.

τὸν Χριστὸν, καὶ διὰ τοῦ Σταυροῦ ἐπαταθέντα, τῇ ἰδίᾳ δυνάμει μορφῶσαι μόρφωσιν τὴν κατ' οὐσίαν μόνον, ἀλλ' οὐ τὴν κατὰ γνῶσιν. Καὶ πράξαντα τοῦτο, ἀνδραμεῖν, συστεῖλαντα αὐτοῦ τὴν δύναμιν, καὶ καταλιπεῖν (σὺν αὐτὴν), ὅπως αἰσθομένη τοῦ περὶ αὐτὴν πάθους διὰ τὸν ἀπαλλαγὴν τοῦ πληρώματος, ὑπεχθῇ τῶν διαιρόντων, ἔχουσά τινα ὁδμὴν ἀρχαρτίας, ἐγκαταλειφθεῖσαν τοῖς ἀμφοτέροις δυνάμεσι καλεῖσθαι· Σοφίαν τε πατρωνυμικῶς (ὁ γὰρ πατὴρ αὐτῆς Σοφία κληζεται), καὶ πνεῦμα ἅγιον, ἀτὸ τοῦ περὶ τὸν Χριστὸν πνεύματος· μορφωθεῖσάν τε αὐτὴν, καὶ ἔμφρονα γενηθεῖσαν, παρωτίκα δὲ κινηθεῖσαν ἀοράτου αὐτῇ συόντος Λόγου, τοῦτ' ἔστι τοῦ Χριστοῦ, ἐπὶ ζήτησιν ὁρμῆσαι τοῦ καταλιπόντος αὐτὴν φωτός, καὶ μὴ δυνηθῆναι καταλαβεῖν αὐτό, διὰ τὸ κωλυθῆναι ὑπὸ τοῦ Ὅρου. Καὶ ἐνταῦθα τὸν Ὅρον κωλύοντα αὐτὴν τῆς εἰς τὸ μπροσθεν ὁρμῆς εἰπεῖν Ἰαώ. Ὅθεν τὸ Ἰαὼ βῶμα γεγενῆσθαι φάσκουσι· μὴ δυνηθεῖσαν δὲ διοδεῦσαι τὸν Ὅρον διὰ τὸ συμπεπλέχθαι τῷ πάθει, καὶ μόνην ἀπολειφθεῖσαν ἔξω, παντὶ μέρει τοῦ πλήρους ὑποπεσεῖν πολυμεροῦς, καὶ πολυποικίλου ὑπαρχοντος, καὶ παθεῖν, λύπην μὲν, ὅτι οὐ κατέλαβε· φόβον δὲ, μὴ καθάπερ αὐτὴν τὸ φῶς, οὕτω καὶ τὸ ζῆν ἐπιλίπῃ, ἀπορίαν τε ἐπὶ τούτοις. Ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα καὶ οὐ καθάπτε ἡ μήτηρ αὐτῆς ἡ πρώτη Σοφία καὶ Αἰὼν, ἐτεροίωτιν ἐν τοῖς πάθεσιν εἶχεν, ἀλλὰ ἀναπιότητα. Ἐτεσυμβεβηκέναι δ' αὐτῇ καὶ ἑτέραν διάθεσιν, τὴν τῆς ἐπιστροφῆς ἐπὶ τὸν ζωοποιήσαντα. κ. τ. λ.

Interpretatio vetus.—§ 1. *Enthymesin illius superioris Sophiæ, quam et Achamoth vocant, separatam* a superiore Pleromate, *cum passione dicunt, in umbræ vacuitatis locis defervisse per necessitatem; extra enim lumen facta est et extra Pleroma, informis et sine specie, quasi abortus,* ideo quia nihil apprehendit. *Misertum autem ejus superiorem Christum* et per crucem extensum, sua virtute formasse formam, quæ esset secundum substantiam tantum, sed non secundum agnitionem: et hæc operatum recurrere, subtrahentem suam virtutem et reliquisse illam: *uti sentiens passionem, quæ erga illam esset per separationem pleromatis, concupiscat eorum, quæ meliora essent, habens aliquam odorationem immortalitatis relictam in semetipsa a Christo et Spiritu Sancto.* Quapropter et ipsam duobus nominibus vocari, Sophiam paternaliter (Pater enim ejus Sophia vocatur), et Spiritum Sanctum, ab eo qui est erga Christum spiritus. *Formatam autem eam* et sensatam factam, statim autem *evacuatum ab eo qui invisibiliter cum ea erat verbo, hoc est, Christo, in exquisitionem egressam ejus luminis, quod se dereliquisset et non potuisse apprehendere illud, quoniam coercebatur ab Horo.* Et sic Horon coercentem eam, ne anterius irrueret, dixisse Iαω: unde et Iαω nomen factum dicunt. *Et cum non posset pertransire Horon, quoniam complexa fuerat passionem, et sola fuisset derelicta foris, omni parti passionis succubuisse, multifariæ et variæ existentis: et pass..m eam tristitiam, quoniam non adprehendit; timorem autem ne quemadmodum eam lumen, sic et vita relinqueret, consternationem autem super hæc: ignorantia autem omnia. Et non quemadmodum mater ejus prima Sophia Æon, demutationem in passionibus habuit, sed contrarietatem. Super hæc autem evenisse ei et alteram affectionem conversionis ad eum, qui vivificavit.* Edd.

CAP. XV. — (a) *Bituminosas et ferruginantes.* Ridet hasce nugas Irenæus, et credibile esse ait, Achamoth in tanta consternatione non flevisse tantum, sed et sudasse. Itaque fluxisse aquas, ex lacrymis quidem salsas; at ex sudore dulces. Quin et vesicam ejus pavore nimio solutam minxisse acidas, bituminosas, etc. Ric.

(b) *Et salmacis inde se solverit, quæ masculos molles.* Verissima est hæc antiqui exemplaris scriptura. Etenim præcessit verbum, *efficit*, quod hic debeat tacendo repeti. Lyncestarum fons ebrios efficit, Salmacis masculos molles. Ric. — *Et salmacis inde se solverit, quæ masculos molles.* Atqui ob hunc (inquit Rhenan.) effectum Ovidius obscœnam vocat his carminibus, l. XV Metamorph.

Quodque magis mirum, sunt qui non corpora tantum,
Verum animos etiam valeant mutare liquores.
Cui non audita est obscœnæ *Salmacis* unda,
Æthiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut patitur mirum gravitate soporem.

Hujus rei causam reddens Seneca: *Similem* (*inquit*) *habet vim mero, sed vehementiorem. Nam quemadmodum ebrietas, donec exsiccetur, dementia est, et nimia gravitate defertur in somnum; sic aquæ hujus sulphurea vis habet quoddam acrius ex acre noxio virus, quod mentem aut furore movet, aut sopore opprimit.* Cæterum unde *Salmacis* dicta sit molles et impudicos reddere, qui ex ea biberint, quod hic Tertull. vocat, *masculos molles facere*, docet M. Vitruvii Architecturæ lib. II. *Is*, inquit (de *Salmacidis* fonte loquitur), *falsa opinione putatur venereo morbo implicare eos, qui ex eo biberint. Sed hæc opinio quare per orbem terrarum falso rumore sit propagata, non pigebit exponere. Non enim quod dicitur molles et impudicos ex ea aqua fieri, id potest, esse; sed est ejus fontis potestas perlucida, saporque egregius. Cum autem Melas et Areonnias ab Argis et Trœzene coloniam communem eo loci deduxerunt, Barbaros Caras et Lelegas ejecerunt. Ili autem ad montes fugati se congregantes discurrebant, et ibi latrocinia facientes crudeliter eos vastabant. Postea de colonis unus ad eum fontem propter bonitatem aquæ, quæ sua causa, tabernam omnibus copiis instruxit, eamque exercendo eos Barbaros allectabat. Ita singillatim discurrentes, et ad cœtus convenientes, e duro feroque more communitati in Græcorum consuetudinem et suavitatem sua voluptate reducebantur. Ergo ea aqua non impudico morbi vitio, sed humanitatis dulcedine mollitis animis Barbarorum, eam famam est adepta,* hæc Vitruvius. Ubi interim id quod adjicitur ex Ovidio et Seneca, de aquis Sulphureis, quæ furore aut sopore opprimunt, non ad *Salmacin* pertinet, sed ad quosdam Æthiopiæ lacus. Pam.

(c) *Cœlestes imbres pipiavit Achamoth, et nos in cisternis*, etc. Achamoth ipsa spiritalis ploravit imbres cœlestes, et nos in cisternis, hoc est, in carne nostra, quæ sane limus et terra est, luctus non solum nostros cohibere curamus, verum et alienos. Tanta est cunctis quotidie caussa plorandi; nec tamen ploramus, sed alios a ploratu dehortamur. Ric.

(d) *Pipiavit.* Scribit Festus (inquit Rhenan.) *pipia-*

lacrymas servare curamus. Proinde ex consternatione et pavore corporalia elementa ducta sunt. Et tamen in tanta circumstantia solitudinis, (*a*) in tanto circumsepto (1) destitutionis, ridebat interim, qua conspecti Christi recordans, eo de gaudio risus lumen (2) effulsit. Cujus hoc providentiæ beneficium, quale (3) illam ridere cogebat, idcirco ne semper nos in tenebris moraremur? Nec obstupescas, qui lætitia ejus tam splendidum elementum radiaverit mundo, cum mœstitia quoque ejus tam necessarium instrumentum defluxerit (4) sæculo? O risum illuminatorem! o fletum ripatorem! Et tamen poterat remedio jam agere cum illius loci horrore. Omnem enim obscuritatem ejus discussisset, quoties ridere voluisset, vel ne cogeretur desertores suos applicare (*b*) (5).

A omnibus; uti in ipso secundum Apostolum omnia conderentur) (9) ad eam emittit (10) (*d*) cum officio atque comitatu cœtancorum angelorum; (*e*) credas et cum duodecim fascibus. Ibi demum (11) adventu pompatico ejus concussa Achamoth, protinus velamentum sibi obduxit, ex officio primo venerationis et verecundiæ: dehinc contemplatur eum, (*f*) fructiferumque (12) suggestum. Quibus inde conceperat viribus occurrit illi, Κύριε! Χαῖρε! Illic opinor susceptam ille confirmat, atque conformat (13) agnitione jam (14), et ab omnibus (*g*) injuriis Passionis expumicat, non eadem (15) negligentia in exterminium (16) discretis, quæ acciderat in casibus matris. Sedenim exercitata vitia, et usu (*h*) viriosa (17) confudit: atque ita massaliter solidata, delixit (18) seorsum in materiæ corporalem (19)

CAPUT XVI.

Convertitur enim ad preces et ipsa more materno. Sed Christus, quem jam pigebat rursus (6) extra Pleroma proficisci, vicarium præfecit (7) Paracletum. Soterem (hic erit Jesus, largito ei patre universorum Æonum summam potestatem (*c*), subjiciendis eis (8)

B paraturam, commutans ex incorporali passione indita habilitatem atque naturam (20), qua pervenire mox posset in æmulas æquiparantias corpulentiarum, ut duplex substantiarum conditio ordinaretur: de vitiis, pessima; de conversione, passionalis. Hæc erit materia quæ nos commisit cum Hermogene, cæterisque

LECTIONES VARIANTES.

(1) Circumspectu *Rhen. Seml. Oberth.* circumspecto *Fr.*
(2) Eo de gaudii risu lumen *Jun.* Eodem gaudio risu lumen *Rhen. Seml.*
(3) Quæ *Rhen. et alii.*
(4) Defluerit *in mss.* defluderit *conj. Rig.*
(5) Supplicare *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Rursus *rejicitur a Jun.*
(7) Præficit *Rhen. Seml.* præficiens *Jun.*
(8) Ei *melius legit Massuet.*
(9) Confœderentur *Rhen. Seml. melius* conderentur *ex graco* συνεδη.
(10) Adeamque mittit *Jun.*
(11) Ibidem *Rhen. Seml.*
(12) *Ita Fran. Par.* Contemplata eum fructiferumque *Jun. Rig.*
(13) Confirmat atque confirmat. *Rhen. et alii,* conformat *melius ex Iren.* μορφοῖται κατὰ τὴν μορφήν.
(14) Agnitione eam *Jun.*
(15) Non ea demum *Jun.*
(16) *Exterminium ad* ἀφανισθέντα. *D. Iren. pertinet.*
(17) Vitiosa *Fran. Paris. vitiosa sane lectio rejicitur a graco :* κατὰ δύναμιν, *viriosa.*
(18) Delixit *Lat.*
(19) *Male legit Tertull. in Iren.* ἐς σωμάτων *pro* ἐς ἀσωμάτων, incorpoream *debebat scribere.*
(20) *Hæc Jun. ita distinguit* atque ita — corporalem paraturam commutans ex incorporali passione indita habilitate. *Lat. conjecturæ* delixit seorsum *et* ludidit hilaritatem *Jun. non probantur.*

COMMENTARIUS.

tionem esse clamorem plorantis, lingua Oscorum. *Pipiavit ergo cœlestes imbres Achamoth, id est: pipiando* et plorando emisit. Factitium verbum est a sono plorantium *pi, pi.* Similiter dixit Auctor lib. de Monoz. *infantes pipiantes.* Pam.

(a) *In tanto circumspecto destitutionis.* An verius, *In tanto circumsepto destitutionis?* Ludit in antichetis, et hic proxime dixit: *In tanta circumstantia solitudinis.* Rig.

(b) *Applicare.* Quo ulterius in γνώσεως descriptione progreditur Tertullianus, eo liberius, effusioribusque habenis vagatur, ac petulantius Valentini hariolationes exagitat. Nec ita jocando ducem descrit Irenæum, qui asperum, ut decet judicis tot nœnias infamantis, supercilium interdum ponens, lepide diluvium novum ex Sophiæ lacrymis ac sudoribus in orbem immissum deridet. Pauca igitur singillatim conferantur.

Iren. adv. hæres. cap. 4, § 2.—Ταύτην σύστασιν καὶ οὐσίαν τῆς ὕλης γεγενῆσθαι λέγουσιν, ἐξ ἧς δέος ὁ κόσμος συνέστηκεν. Ἐὰ μὲν γὰρ τῆς ἐπιστροφῆς τῆν τοῦ κόσμου καὶ τοῦ δημιουργοῦ πᾶσαν ψυχὴν τὴν γένεσιν εἰληφέναι, ἐκ δὲ τοῦ φόβου καὶ τῆς λύπης τὰ λοιπὰ τὴν ἀρχὴν ἐσχηκέναι. Ἀπὸ δὲ τῶν δακρύων αὐτῆς γεγονέναι πᾶσαν ὑγρὰν οὐσίαν· ἀπὸ δὲ τοῦ γέλωτος, τὴν φωτεινήν. Ἀπὸ δὲ τῆς λύπης καὶ ἐκπλήξεως, τὰ σωματικὰ τοῦ κόσμου στοιχεῖα. Ποτὲ μὲν γὰρ ἔκλαιε καὶ ἐλυπεῖτο, ὃς λέγουσι, διὰ τὸ καταλελεῖφθαι μόνην ἐν τῷ σκότει καὶ τῷ κενώματι· ποτὲ δὲ εἰς ὕπνον ἔπιπτε καὶ ἐκοιμᾶτο καταλιπόντος αὐτὴν φωτὸς, ἔσχετο καὶ ἠγίλα κ. τ. λ.

Interpretatio vetus. — § 2. *Eam collectionem et substantiam fuisse materiæ dicunt, ex qua hic mundus constat.* De conversione enim mundi et Demiurgi omnem animam genesin accepisse: *de timore autem et tristitia, reliqua initium habuisse. A lacrymis enim ejus factam universam humidam substantiam: a risu autem lucidam, a tristitia autem et pavore, corporalia mundi elementa.* Aliquando enim plorabat et tristis erat, quomodo dicunt, *quod derelicta sola esset in tenebris et vacuo: aliquando autem in cogitationem veniens ejus, quod derelinquerat eam lumen, diffundebatur et ridebat*, etc. Edd.

CAP. XVI.—(*c*) *Potestatem.* Grabius, D. Massuet, Semlerusque notarunt a Tertulliano minus recte verba Irenæi eo loci fuisse accepta, quasi Jesu Paracleto suprema potestas omnium, *etiam Æonum*, non autem *ab Æonibus* data fuerit. Edd.

(*d*) *Cum officio.* Jureconsultis officium cœtus ipse est eorum qui magistratui inserviunt: unde apud eosdem, *officium deponere*, et *officio tradere;* in quem sensum et hic usurpat Tertullianus. Rhen.

(*e*) *Credas et cum duodecim fascibus.* In exemplaribus manu descriptis mendose legitur *facibus.* Nos reposuimus *fascibus.* Hujusmodi namque pompa consules romani incedebant. Duodecim fasces et totidem secures cum lictoribus L. Jun. Bruto et L. Tarquinio Collatino primis coss. post exactos reges sunt additi: ita tamen ut penes unum tantum essent, qui propterea major consul vocabatur. Rhen.

(*f*) *Fructiferumque suggestum.* Irenæus, *Universam fructificationem*, σὺν ὅλῃ τῇ καρποφορίᾳ αὐτοῦ. Tertulliani verbis nequitiæ proiro conspargitur Achamoth. Rig.

(*g*) *Injuriis passionis in exterminium discretis.* Irenæus, *Curationem passionum fecisse ejus, separantem eas ab ea.* Quod Septimius dicit, *In exterminium discernere*, Latinus Irenæus dixerat, *Exterminare;* Græcus, ἀφανισθῆναι. Rig.

(*h*) *Viriosa.* Eodem sensu libro de Anima, de vite

qui Deum ex materia, non ex nihilo operatum cuncta, præsumunt (*a*).

CAPUT XVII.

Ab hinc Achamoth expedita tandem de malis omnibus, ecce jam proficit, et in opera majora frugescit. Præ gaudio enim tanti ex infelicitate successus concalefacta, simulque contemplatione ipsa angelicorum luminum, ut ita dixerim, subfermentata, pudet, sed aliter exprimere non est, (*b*) quodammodo subavit (1) intra se ipsa in illos, et conceptu statim intumuit spiritali (2), ad imaginem ipsam, quam vis lætantis et lætitia prurientis intentionis imbiberat, et sibi intimarat. Peperit denique, et facta (3) exinde trinitas generum (4) est, ex trinitate caussarum. Unum materiale, quod ex passione : aliud animale, quod ex conversione : tertium spiritale, quod ex imaginatione (*c*).

CAPUT XVIII.

Hac auctoritate (*d*) trium scilicet liberorum agendis rebus exercitior (5) facta, formare singula genera constituit. Sed spiritale quidem non ita potuit attingere (6), ut et ipsa spiritalis. Fere enim paria et consubstantiva, in alterutrum valere societas naturæ negavit. Eo animo, (7) unum ad animale convertit; prolatis Soteris disciplinis. Et primum (quod cum magno horrore blasphemiæ et pronuntiandum, et legendum est et audiendum) Deum fingit (8) hunc nostrum et omnium, præter hæreticorum, patrem, et (9) Demiurgum, et regem universorum quæ post illum. Ab illo enim omnia (10), si tamen ab illo, et non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Substruit *Seml.* cubavit *Par.* subavit *Fran.* subavit intra se ipsa *Lat. Jun. Rhen.* subsuriit *Rig.*
(2) Spirituali *Rhen. Seml.*
(3) Est *abest Par. ponitur alibi aliis.*
(4) Trinitas generis *mavult Jun.*
(5) *Legi posset* exercitatior *Jun.*
(6) Effingere *Lat. idque melius videtur Jun.*
(7) Si unum *Rhen. Seml.* manum ad animale *Jun.*
(8) Deum fingi adhuc *Rhen. Seml.*
(9) Deum demiurgum *Rhen. Seml.*
(10) Ab illo enim, si... *Seml. omisit* omnia, *forsan lapsu typographico.*

COMMENTARIUS.

dixit, *Ambibit viriosius*, hoc est, fortius, et vi majore. RIG.

(a) *Præsumunt.* Iren. advers. hæres. cap. 4, § 5 — ..... Ἐπὶ ἐκστάσει τραπῆναι τοῦ καταλιπόντος αὐτὴν φωτὸς, τοῦτ' ἔστι τοῦ Χριστοῦ, λέγουσιν· ὃς ἀνελθὼν μὲν εἰς τὸ Πλήρωμα, αὐτὸς μὲν, εἰκὸς ὅτι ὤκνησεν ἐκ δευτέρου κατελθεῖν, τὸν Παράκλητον δὲ ἐξέπεμψεν πρὸς αὐτὴν, τοῦτ' ἔστι τὸν Σωτῆρα, ἐνδόντος αὐτῷ πᾶσαν τὴν σύνοψιν τοῦ Πατρὸς, καὶ πᾶν ὑπ' ἐξουσίαν παραδόντος, καὶ τῶν Αἰώνων δεδημιουργηκέναι, ὅπως ἐν αὐτῷ τὰ πάντα κτισθῇ, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, Θρόνοι, Θεότητες, κυριότητες. Ἐκπέμπεται δὲ πρὸς αὐτὴν, μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν αὐτοῦ τῶν Ἀγγέλων. Τὴν δὲ Ἀχαμὼθ ἐκτραπεῖσαν αὐτὴν, λέγουσι πρῶτον μὲν κάλυμμα ἐπιτίθεσθαι δι' αἰδῶ, μετέπειτα δὲ ἰδοῦσαν αὐτὴν σὺν ὅλῃ τῇ καρποφορίᾳ αὐτοῦ, προσδραμεῖν αὐτῷ, δύναμιν λαβοῦσαν ἐκ τῆς ἐπιφανείας αὐτοῦ. Κἀκεῖνον μορφῶσαι αὐτὴν μόρφωσιν τὴν κατὰ γνῶσιν, καὶ ἔστιν τῶν κακῶν ποιήσασθαι αὐτὴς, χωρίσαντα δὲ αὐτὰ αὐτῆς, μὴ ἀμελήσαντα δὲ αὐτῶν, οὐ γὰρ ἦν δύνατα ἀφανισθῆναι, ὡς τὰ τῆς προτέρας, διὰ τὸ ἐκτικὰ ἤδη καὶ δυνατὰ εἶναι. Ἀλλ' ἀποκρίναντα χωρὶς συγχίαι καὶ πῆξαι, καὶ ἐξ ἑκατέρου πάθους εἰς ἀσώματον τὴν ὕλην μεταβαλεῖν αὐτά· εἶτ' οὕτως ἐπιτηδειότητα, καὶ φύσιν ἐμπεποιηκέναι αὐτοῖς, ὥστε εἰς συγκρίματα, καὶ σώματα ἐλθεῖν, πρὸς τὸ γενέσθαι ζῶα οὐσίας, τὴν ῥαῦλην τῶν παθῶν, τήν τε τῆς ἐπιστροφῆς ἐμπαθῆ· καὶ διὰ τοῦτο δυνάμει τὸν σωτῆρα δεδημιουργηκέναι φάσκουσι. κ. τ. λ.

Interpretatio vetus. — § 5. Cum igitur peragrasset omnem passionem mater... *ad obsecrationem conversa est ejus luminis*, quod dereliquerat eam, hoc est, Christi, dicunt: *qui regressus in Pleroma, ipse quidem, ut datur intelligi, pigritatus est secundo descendere. Paracletum autem misit ad eam, hoc est, Salvatorem*, præstante ei virtutem omnem Patre et omnia sub potestate tradente : et Æonibus autem similiter, uti in eo omnia conderentur, visibilia et invisibilia, Throni, Divinitates. Dominationes, mittitur autem ad eam cum coætaneis suis angelis. *Hanc autem Achamoth revertam eum, dicunt primoquidem coopertionem imposuisse propter reverentiam : deinde autem cum vidisset eum cum universa fructificatione sua accurrisse ei, virtute accepta de visu ejus. Et illum formasse eam, formationem, quæ est secundum agnitionem et curationem passionum fecisse ejus, separantem eas ab ea et non eum neglexisse.* Nec enim erat *possibile eas exterminari, quemadmodum prioris, eo quod jam habilia et possibilia essent; sed segregantem separatim commiscuisse et coagulasse et de incorporali passione in incorporalem materiam transtulisse. Et sic aptabilitatem et naturam fecisse in eis, ut in congregationes et corpora venirent; uti fierent duæ substantiæ, una quidem mala ex passionibus, altera ante a conversionis, passibilis; et propter hoc virtute Salvatorem fabricasse dicunt.* EDD.

CAP. XVII. — (b) *Quodammodo subavit intra et ipsa in illos.* Sic edidit Rhenanus. At in exemplaribus antiquis legitur, *Substruit.* Unde verior emendatio videtur : *Et quodammodo subsuriit et ipsa in illos.* RIG.

(c) *Imaginatione.* Iren. adv. hæres. cap. 4, § 5.— Τὴν τε Ἀχαμὼθ ἐκτὸς πάθους γενομένην, καὶ συλλαβοῦσαν τῇ χαρᾷ τῶν ἐν αὐτῷ φώτων τὴν θεωρίαν, τουτέστι τῶν ἀγγέλων τῶν μετ' αὐτοῦ, καὶ ἐγκισσήσασαν αὐτοὺς, κατυκλίναι καρπούς κατὰ τὴν εἰκόνα διδάσκουσι κύημα πνευματικὸν κατ' ὁμοίωσιν, κ. τ. λ.....

Cap. 5, § 1. Τριῶν μὲν οὖν ἤδη τούτων ὑποκειμένων, κατ' αὐτοὺς, τοῦ μὲν ἐκ τοῦ πάθους, ὃ ἦν ὕλη· τοῦ δὲ ἐκ τῆς ἐπιστροφῆς ὃ ἦν τὸ ψυχικὸν· τοῦ δὲ ἀπεκύησε, τοῦτ' ἔστι τὸ πνευματικὸν οὕτως ἐτράπη ἐπὶ τὴν μόρφωσιν αὐτῶν.

Interpretatio vetus.—Cap. 4, § 5. *Hanc autem Achamoth extra passionem factam concepisse de gratulatione eorum, quæ cum eo sunt, luminum visionem*, id est Angelorum qui erant cum eo, et delectatam in conspectu eorum *peperisse* fructus *secundum illius imaginem docent*, partum spiritualem secundum similitudinem factum satellitum salvatoris.—Cap. 5, § 1 : *Tria* igitur hæc cum subsistant, *secundum eos, unum quidem expressione, quod erat materia, alterum vero de conversione, quod erat animale : alterum vero quod enixa est, quod est spirituale, sic conversa est in formationem ipsorum.* EDD.

CAP. XVIII. — (d) *Trium scilicet liberorum.* De jure trium liberorum multa sunt passim in constitutionibus veterum impp. Vetus interpres, hoc est expositor codicis Theod. qui mutilus exstat, *cap. de legitimis hæred. lib.* V, docet matrem habere jus trium liberorum, si ingenua tres partus vivos, et libertina quatuor ediderit. Hoc privilegium etiam illis qui nullos sustulerant liberos, interdum principum favore concedebatur. Jus trium liberorum Suetonio Tranquillo parum felix matrimonium experto tribuit Trajanus Cæsar, id rarissime facere solitus, nec numerum excedens, quem apud amplissimum senatum, sibi suffecturum dixerat. Porro multum valebat jus trium liberorum ad hæreditates adeundas. RHEN.

ab ipsa potius Achamoth, a qua occulto nihil sentiens ejus, et velut (*a*) sigillario (1) extrinsecus ductu, in omnem operationem movebatur. Denique ex hac personarum in operibus ambiguitate, nomen illi Metropatoris miscuerunt, distinctis appellationibus cæteris secundum status et situs operum : ut animalium quidem substantiarum quas ad dexteram commendant, patrem nuncupent : materialium (2) vero quas ad lævam delegant, Demiurgum nominent : Regem autem communiter in universitatem (*b*).

CAPUT XIX.

Sed nec nominum proprietas competit proprietati operum, de quibus nomina omnia, cum deberet illa hæc omnia vocitari, a qua res agebantur, nisi quod jam nec ab illa. Cum enim dicant Achamoth in honorem Æonum imagines commentatam, rursus hoc in Soterem auctorem detorquent, qui per illam sit operatus : ut ipsam quidem, imaginem patris invisibilis et incogniti daret; incognitam scilicet et invisibilem Demiurgo, eumdem autem Demiurgum Nun filium effingeret, Archangeli vero Demiurgi opus, reliquos Æonas exprimerent. Cum imagines audio tantas trium, quæro, non vis nunc ut imagines rideam perversissimi pictoris illorum? Fœminam Achamoth, imaginem patris? et ignarum matris Demiurgum, multo magis patris (3)? Imaginem Nus ignorantis patrem? et angelos famulos simulacra dominorum? (*c*) Hoc est mulum de asino pingere, et Ptolomæum describere de Valentino (*d*).

CAPUT XX.

Igitur Demiurgus extra Pleromatis limites constitutus, in ignominiosa æterni exilii vastitate novam provinciam condidit, hunc mundum : repurgata confusione, et distincta diversitate duplicis substantiæ illius, (*e*) de strue (4) animalium et materiarum. Ex incorporalibus corpora ædificat, gravia, levia, sublimantia atque vergentia, cœlestia atque terrena; tum ipsam cœlorum septemplicem scenam solio desuper suo finit; unde et sabbatum dictum (5), ab hebdomade sedis suæ; et Ogdoas mater Achamoth, ab argumento Ogdoadis primogenitalis (6). (*f*) Cœlos autem nocros (7) deputant, et interdum angelos eos faciunt, sicut et ipsum Demiurgum : sicut et Paradisum, archangelum quartum, quoniam (8) et hunc supra cœlum tertium pangunt, ex cujus virtute sumpserit Adam, diversatus illic (9) inter nubeculas (10) et arbusculas. (*g*) Satis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sigillario *Jun.*
(2) Maternorum *Rhen. Seml. forte* materiorum *Jun.*
(3) Multo magis patris *uncinis includit Jun.*
(4) Detrusæ *Par.* destruse *Rhen. Seml.*
(5) Est *Habent al.* Et sabbathum dictus *Jun.*
(6) Primogenitalis *Fran.* primigenium *Par.*
(7) Noetos *Rhen. Seml.*
(8) *Alii* quomodo.
(9) Deversatus illuc *al.*
(10) Nuculos *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Singillario extrinsecus ductu.* Sic habent veteres quidem libri sed falso. Omnino legendum, *sigillario ductu.* Sic libro de Anima, *Sigillario motu superficiem intus agitante.* Glossæ veteres, *Sigillari*, Νευρόσπαστοι. Marcus Antoninus, initio lib. VII, dixit σιγιλλάρια νευροσπαστούμενα. Rig.

(b) *Universitatem.* In hoc capite, ut in præcedenti simul et sequenti, Tertullianus, ad moderatum et grave genus argumenti reversus, jocisque paulisper renuntiatis, non solum datam ab Irenæo Γνώσεως descriptionem refert adamussim et in suam ipsius loquelam, scribendique propriam institutionem refricat, sed et evolvit luculenter et uberius enarrat.

Iren. adv. hæres cap. 5, § 1. ..... ἀλλὰ τὸ μὲν πνευματικὸν μηδὲ δυνήσθαι αὐτὴ μερρῶσαι, ἐπειδὴ ὁμοούσιον ὑπῆρχεν αὐτῇ. Τετράφθαι δὲ ἐπὶ τὴν μόρφωσιν τὴν γενομένην ἐκ τῆς ἀστρογόνης αὐτῆς ψυχικῆς οὐσίας, πριβαλεῖν τε τὰ παρὰ τοῦ Σωτῆρος μαθήματα. Καὶ πρῶτον μεμορφωκέναι αὐτὴν ἐκ τῆς ψυχικῆς οὐσίας λέγουσι τὸν πατέρα καὶ βασιλέα πάντων τῶν τε ὁμουσίων αὐτῷ.... λειποτάκτων κινουμένων ὑπὸ τῆς μητρὸς, ὅτε καὶ Μητροπάτορα... καὶ Δημιουργὸν αὐτὸν καὶ Πατέρα καλοῦσι· τῶν μὲν δεξίων πατέρα λέγοντες αὐτὸν τοῦτ' ἔστι τῶν ψυχικῶν· Τῶν δὲ ἀριστερῶν τοῦτ' ἔστι τῶν ὑλικῶν Δημιουργόν, συμπάντων δὲ βασιλέα

Interpretatio vetus. — § 1. *Sed spiritale quidem non potuisse eam formare (docent) quoniam ejusdem substantiæ ei erat (notemus illud vocabulum ὁμούσιον quod Tertullianus nove et fortiter expressit scribendo : consubstantiva)* conversam autem in formationem ejus, quæ facta erat de conversione ejus, animalis substantiæ, emisisse quoque a salvatore doctrinas. *Et primo quidem formasse eam de animali substantia dicunt Deum Patrem et Salvatorem et Regem omnium ejusdem substantiæ ei..... Ea enim quæ post eum sunt, eum dicunt formasse latenter motum a matre sua : unde et Metropatorem... et Demiurgum et Patrem vocant. Dextrorum quidem, Patrem dicentes eum, id est, psychicorum; sinistrorum vero, id est, hylicorum, Demiurgum omnium autem regem.* Edd.

CAP. XIX. — (c) *Hoc est mulum de asino pingere.* Vice proverbii usurpat, Mulum de asino pingere, id est ad exemplar ineptiarum, similium ineptiarum exemplum repræsentare, aut ad mendacia nova mendacia confingere. Nam subjicit, *et Ptolomæum describere de Valentino.* Portentosas istas nugas prior Valentinus commentus est, Ptolemæus aliquid de suo adjecit ab auctore nonnihil varians. Ergo Valentino hæreseos istius autori, nomen Asini competit, ut muli Ptolemæo discipulo. Ex asino et equa mulus gignitur mense 12, ait Plin. lib. VIII. Rhen.

(d) *Valentino.* Iren. adv. hæres. cap. 5, § 2.—Τὴν γὰρ Ἐνθύμησιν ταύτην βουληθεῖσαν εἰς τιμὴν τῶν Αἰώνων τὰ πάντα ποιῆσαι, εἰκόνας λέγουσι πεποιηκέναι αὐτῶν, μᾶλλον δὲ τὸν Σωτῆρα δι' αὐτῆς καὶ αὐτὴν μὲν ἐν εἰκόνι τοῦ ἀοράτου Πατρὸς τετηρηκέναι, μὴ γινωσκομένην ὑπὸ τοῦ Δημιουργοῦ· τούτων δὲ τοῦ Μονογενοῦς υἱοῦ, τῶν δὲ λοιπῶν Αἰώνων τοὺς ὑπὸ τούτων γεγονότας Ἀρχαγγέλους τε καὶ Ἀγγέλους.

Interpretatio vetus —§ 2. *Hanc enim Enthymesin volentem in Æonum honorem omnia facere, imagines dicunt fecisse ipsorum, magis autem salvatorem per ipsum. Et ipsum quidem in imagine invisibilis patris conservasse incognitam a Demiurgo : hunc autem unigeniti filii : reliquorum vero Æonum eos, qui ab hoc facti sunt angeli et archangeli.* Edd.

CAP. XX. — (e) *De strue animalium et materiarum.* Sic emendavimus, etsi veteres libri constanter, *destruæ.* Struem dicit animalium et materiarum, quod Irenæus, duas substantias confusas, hylicorum et psychicorum. Rig.

(f) *Cœlos autem nocros deputant.* Irenæus Latinus, *Intellectuales*, græcus, Νοητούς. Rig.

(g) *Satis meminerat Ptolemæus.* Videtur Ptolemæus Valentini sectator, id commentus esse de Paradiso, Archangelo quarto supra cœlum tertium extenso. Vocat autem puerilia discibula, fabulas puériles, quæ solent pueris a nutricibus recitari aut aniculis. Rhen.

meminerat Ptolomæus puerilium dicibulorum, in mari poma nasci, et in arbore pisces : sic et in cœlestibus nucela (*a*) præsumpsit. Operatur Demiurgus ignorans, et ideo fortasse non scit (*b*) arbores in sola terra hastitui oportere. Plane mater sciebat. Quidni suggerebat? quæ et effectum suum ministrabat. Sed tantum fastigium filio extruens per ea opera quæ illum et patrem, et deum, et regem, ante Valentinianorum ingenia testantur, cur sibi quoque ista noluit esse nota, postea quæram (*c*).

CAPUT XXI.

Interim tenendum, Sophiam cognominari et Terram et Matrem, quasi Matrem terram, et quod magis rideas, etiam Spiritum Sanctum. Ita omnem illi honorem contulerunt fœminæ, puto et barbam, ne dixerim cætera. Alioquin Demiurgus adeo rerum non erat compos, (*d*) de animalibus scilicet censu (1) invaletudinis spiritalia accedere, ut se solum, ratus, concionaretur : *Ego Deus, et absque me non est* (*Esa.* XLV, 6) : certe tamen non fuisse se retro sciebat. Ergo et factum intelligebat, et factitatorem facti esse quemcumque. Quomodo ergo solus sibi videbatur, etsi non certus, saltem suspectus de aliquo factitatore (*e*)?

CAPUT XXII.

Tolerabilior infamia est apud illos in diabolum, vel quia origo sordidior capit; ex nequitia enim mœroris illius deputatur, ex qua angelorum et dæmonum et omnium spiritalium malitiarum genituras notant Et tamen diabolum quoque opus demiurgi affirmant, et *munditenentem* (2) appellant, et superiorum magis guarum defendunt, ut spiritalem natura, quam demiurgum, ut animalem. Meretur ab illis prælationem, cui omnes hæreses procurantur (*f*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Legendum omnino*, de animalium censu *Semi.* (2) *Mundi-tenentem* cosmocratora *Iren.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nucela.* Nucetum locus est nucibus arboribus consitus, a *nuce;* ut Iuretum a *lauro.* Quercetum a *quercu.* Rhen.

(b) *Et ideo fortasse non scit.* Jocus est in Demiurgum, quem Valentiniani fabulantur putasse omnia a semetipso fecisse, cum ea fecisset Achamoth. Cœlum enim fecisse nescientem cœlum, et hominem plasmasse ignorantem hominem; terram autem ostendisse non scientem terram, et in omnibus sic dicunt ignorasse eum figuras eorum quæ faciebat, et ipsam etiam ignorasse matrem, ac semetipsum putasse omnia esse. Rhen.

(c) *Quæram.* Iren. adv. hæres. cap. 5, § 2.—Πατέρα οὖν καὶ Θεὸν λέγουσιν αὐτὸν γεγονέναι τοῦ ἐκτὸς τοῦ Πληρώματος ποιητὴν ὄντα πάντων ψυχικῶν τε καὶ ὑλικῶν. Διακρίναντα γὰρ τὰς ἑνὸς οὐσίας συγκεχυμένας, καὶ ἐξ ἀνομοίων σωματοποιήσαντα, δεδημιουργηκέναι τά τε οὐράνια καὶ τὰ γήϊνα, καὶ γενέσεις ὑλικῶν καὶ ψυχικῶν, δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν δημιουργόν, κουρῶν καὶ βαρέων ἀσωμάτων, καὶ κατωτέρων. Ἐπὶ γὰρ οὐρανοὺς κατεπτυσκέναι, ὧν ἑπτὰν τὸν Δημιουργὸν εἶναι λέγουσι. Καὶ διὰ τοῦτο Ἑβδομάδα καλοῦσιν αὐτόν, τὴν δὲ μητέρα τὴν Ἀχαμώθ, Ὀγδοάδα, ἀποστόζουσαν τὸν ἀριθμὸν τοῦ ἀρχηγοῦ ου, καὶ πρώτης τοῦ πληρώματος Ὀγδοάδος· τοὺς δὲ ἐκτὸς οὐρανοὺς οὐκ εἶναι νοητοὺς φασιν, ἀγγέλους δὲ αὐτοὺς ὑποτίθενται, καὶ τὸν Δημιουργὸν δὲ καὶ αὐτὸν Ἄγγελον Θεῷ ἐοικότα· ὡς καὶ τὸν παράδεισον ὑπὲρ τρίτον οὐρανὸν ὄντα, τέταρτον Ἀγγέλου λέγουσι ὑπάρχειν, καὶ ἀπὸ τούτου τὸ εἰληφέναι τὸν Ἀδὰμ διαπτερύγωτα ἐν αὐτῷ.

Interpretatio vetus. — § 2. *Itaque patrem eum, ac Deum eorum quæ extra Pleroma sunt, extitisse dicunt, ut pote omnium tam psychicorum quam hylicorum effectorem distinctis duabus illis essentiis ante confusis, atque ex incorporeis in corporeas immutatis, tam cœlestia quam terrestria condidisse* et hylicorum et psychicorum, et dextrorum et sinistrorum fabricatorem, *leviumet gravium, sursum advolantium et deorsum devergentium. Septem quoque cœlos fecisse, super quos Demiurgum esse dicunt. E propter sic hebdomadam vocant eum, matrem autem Achamoth, servantem numerum primogenitæ et primariæ Pleromatis ogdoadis.* Septem autem cœlos quos intellectuales esse dicunt, angelos autem eos tradunt et Demiurgum et ipsum angelum, Deo autem similem, quemadmodum et *Paradisum supra tertium cœlum existentem virtute archangeli quartum dicunt esse. et ab hoc aliquid accepisse* Adam *conversatum in eo.* Edd.

Cap. XXI —(d) *De animabus scilicet, censu invalitudinis spiritalia agnoscere.* Supra notavit horrendam Valentinianorum blasphemiam, quod Demiurgum dicerent animalis esse substantiæ. Nunc igitur fatuas sententiæ illorum consequentias ridens, ait, Demiurgum, ab ea substantia animali, censu invalitudini attraxisse aliquid invalidi; fuisse autem invaletudinem accedere spiritalia, hoc est, Esse propterea invalidum accedere spiritalia, ad spiritalia accedere non valere, non posse. Irenæus Græce dixit, διὰ τοῦτο ἀτονώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα πρὸς τὸ γινώσκειν τινὰ πνευματικά. Ex quibus Latino-barbara sic legenda videantur. *Et propter hoc subteriorem eum existentem perscire quæ sunt spiritalia.* Ric.

(e) *Factitatore.* Iren. contra Hæres. cap. 5, § 2. ..... τοιαύτην δὲ τὴν μητέρα καὶ Ογδοάδα καλοῦσι, καὶ Σοφίαν, καὶ Γῆν..... καὶ ἅγιον Πνεῦμα....

§ 1. ..... διὰ τοῦτο ἀτονώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα πρὸς τὸ γινώσκειν τινὰ πνευματικά, αὐτὸν νενομικέναι μόνον εἶναι Θεὸν, καὶ διὰ τῶν Προφητῶν εἰρηκέναι· Ἐγὼ Θεὸς, πλὴν ἐμοῦ οὐδείς.

Hunc autem matrem et Ogdoadem vocant et sophiam et terram... et Spiritum Sanctum... et propter hoc superiorem eum existentem præscrire quæ sunt spiritualia et se putasse solum Deum, et per prophetas dixisse : Ego Deus et præter me nemo. — Sensim ad jocis vapulandam Γνῶσιν Noster dilabitur, nec, ut opinatur Semler, misera sunt quæ Irenæo, refutandi caussa, addit, nec insulsa quibus inanem et turpem philosophiam irridet. Eo enim insaniæ devenerant Gnostici, ut fœdissimum mulieri cultum exhiberent omnemque illi honorem conferent, *puto et barbam*, ait Septimius, ne dixerim cætera... Edd.

Cap. XXII. — (f) *Procurantur.* Iren. cont. hæres. cap. 5, § 4.—Ἐκ δὲ τῆς ὑλικῆς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας δεδάσκουσι γεγενῆσθαι· ἔθεν τὸν Διάβολον τὴν γένεσιν ἐσχηκέναι, ὃν καὶ Κοσμοκράτορα καλοῦσι, καὶ τὰ δαιμόνια, καὶ τοὺς Ἀγγέλους, καὶ πᾶσαν τὴν πνευματικὴν τῆς πονηρίας ὑπόστασιν..... τὸν δὲ Κοσμοκράτορα γινώσκειν τὰ ὑπὲρ αὐτὸν ὅτι πνευματά ἐστι τῆς πονηρίας. Τὸν δὲ Δημιουργὸν ἄτε ψυχικὸν ὑπάρχοντα.

Interpretatio vetus. — § 4. *De tristitia autem spiritalia malitiæ docent facta. Unde et Diabolum genesin habuisse (quem et Cosmocratorem vocant) et dæmonia et omnem spiritalem malitiæ substantiam S...*, et Cosmocratorem intelligere ea quæ sunt supra eum, quoniam sit spiritalis malitia. Demiurgum vero ignorare, cum sit animalis.

CAPUT XXIII.

Singularium autem potestatum arces his finibus collocant. In summis summitatibus præsidet tricenarius Pleroma, Horo signante lineam extremam. Inferius illum metatur medietatem Achamoth, filium calcans : subest enim demiurgus in hebdomade sua, magis diabolus, in isto nobiscum communi mundo cœlementato et concorporificato, ut supra editum est, ex Sophiæ utilissimis casibus, qua nec aerem haberet reciprocandi spiritus spatium, teneram omnium corporum vestem, colorum omnium indicem (1), organum temporum, si non et istum Sophiæ mœstitia colasset ; sicut animalia metus, sicut conversio ejus, ipsum demiurgum. His omnibus elementis atque corporibus ignis inflabellatus est : cujus originalem Sophiæ passionem, quia nondum ediderunt, ego interim argumentabor motiunculis ejus excussum. Credas enim illam in tantis vexationibus etiam fabricitasse (*a*).

CAPUT XXIV.

Cum talia de Deo vel de deis, qualia de homine figmenta ! Molitus enim (2) mundum demiurgus, ad hominem manus confert, et substantiam non ei capit, non ex ista, inquiunt, arida quam nos unicam novimus terram (*b*) quasi non etsi arida postmodum, adhuc tamen (3) tunc aquis ante segregatis, superstite limo siccaverit, sed ex invisibili corpore materiæ illius, scilicet philosophicæ, de fluxili et fusili ejus : quod unde fuerit, haud queo æstimare, quia nusquam est. Si enim fusile et fluxile liquoris est qualitas, liquor autem omnis de Sophiæ fletibus fluxit sequitur ut limum ex pituitis et gramis Sophiæ constitisse credamus, quæ lacrymarum proinde sunt fæces, sicut aquarum quod desidet, limus est. Figulat ita hominem demiurgus, et de afflatu suo animat : sic erit et choicus et animalis, ad imaginem et similitudinem factus : quadruplex res : ut imago quidem choicus deputetur, materialis (4) scilicet; etsi non ex materia demiurgus : similitudo autem animalis ; hoc enim et demiurgus. Habes duos. Interim carnalem superficiem postea aiunt choico supertextam, et hanc esse (*c*) pelliceam tunicam obnoxiam sensui (*d*).

CAPUT XXV.

Inerat autem in Achamoth (*e*) ex substantia Sophiæ matris, peculium quoddam seminis spiritalis : sicut et ipsa Achamoth in filio demiurgo sequestraverat, ne hoc quidem gnaro. Accipe industriam clandestinæ providentiæ hujus. (*f*) Ad hoc enim et deposuerat et occultaverat, ut cum demiurgus animam mox de suo adflatu in Adam communicaret, pariter et semen illud spiritale quasi per canalem (5) derivaretur in choicum : atque ita (*g*) fœturatum in corpore materiali, velut in utero, et adultum illic, idoneum inveniretur (*h*) suscipiendo quandoque Sermoni perfecto Ita que cum demiurgus traducem animæ suæ committit (6) in Adam, (*i*) latuit homo spiritalis flatu (7) insertus, et pariter corpori inductus, quia non magis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Judicem *Seml.*
(2) Ergo *Jun.*
(3) Tantum quod *Lat.*
(4) Materiali *Scal.*
(5) Animam *add. Pam. Seml. Oberth. Forte* anima *Jun.*
(6) Commisit *Jun.*
(7) Jesus *addit Seml.* Ipsius *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXIII. — (a) *Fabricitasse.* Iren. contra hæres. cap. 5, § 4. .... Οἰκεῖν δὲ τὸν μητέρα αὐτῶν εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ μεσότητι· τὸν Δημιουργὸν δὲ εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι τὸν δὲ παντοκράτορα ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς κόσμῳ.

Interpretatio vetus. — § 4. *Habitare Matrem quidem ipsorum* in eo qui sit cœlestis locus, hoc est in *mediotate, Demiurgum vero in* eo qui sit in cœlo locus, hoc est, *hebdomade : Cosmocratorem vero* in eo, qui sit secundum nos, *mundo.* Edd.

CAP. XXIV.—(b) *Quasi non etsi arida postmodum.* Ipse libro de Baptismo, hominis figulandi opus sic explicat : *De terra materia convenit ; non tamen habilis, nisi humecta et succida, quam scilicet ante quartum diem segregatæ aquæ in stationem suam superstite humore limo temperarant.* Ric.

(c) *Pelliceam tunicam.* S. Hieronymus confutans errores Joan. Hierosolymitani, in eo arguit, quod per pelliceas tunicas corpora humana interpretaretur, quibus nimirum primi parentes nuditatem suam velaverunt, statimque rei facti sunt. Le Pr.

CAP. XXIV. — (d) *Sensui.* Iren. contra hæres. *loc. cit.* § 5.—Δημιουργήσαντα δὲ τὸν κόσμον πεποιηκέναι καὶ τὸν ἄνθρωπον τὸν χοϊκόν· οὐκ ἀπὸ ταύτης δὲ τῆς ξηρᾶς γῆς, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀοράτου οὐσίας, ἀπὸ τοῦ κεχυμένου καὶ ῥευστοῦ τῆς ὕλης λαβόντα, καὶ εἰς τοῦτον ἐμφυσήσαι τὸν ψυχικὸν διορίζονται. Καὶ τοῦτον εἶναι τὸν κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν γεγονότα..... Ὕστερον δὲ περιτεθεῖσθαι λέγουσιν αὐτῷ τὸν ἔνσαρκον χιτῶνα· τοῦτο δὲ τὸ αἰσθητὸν σαρκίον εἶναι λέγουσι.

Interpretatio vetus. — *Cum fabricasset igitur mundum fecit et hominem* choicum, *non* autem *ab hac arida terra, sed ab invisibili substantia et ab effusibili et fluida materia accipientem ;* et in hunc insufflasse psychicum definiunt. Et hunc esse secundum imaginem et similitudinem factum.... Post *deinde circumdatam (substantiam ejus) dicunt ei dermatinam tunicam : hanc autem sensibilem carnem esse volunt.* Edd.

CAP. XXV. — (e) *Ex substantia Sophiæ matri.* Vergit illud ad errorem de anima ; hujus autem opinionis dogma plenius recenset et explicat lib. de Anima cap. 11. Le Pr.

(f) *Ad hoc enim et deposuerat et occultaverat.* Idem prodit Irenæus his verbis. Partum vero matris ipsorum, inquit, quæ est Achamoth, quem secundum inspectionem eorum angelorum qui sunt erga Salvatorem, generavit, existentem ejusdem substantiæ matris suæ spiritalis, et ipsum enim ignorasse Demiurgum dicunt, et latenter depositum esse in eum nesciente eo : uti per eum in eam qua ab eo esset animam seminatum, et in materiale hoc corpus, gestatum quoque velut in utero ; in his et amplificatum, paratum fiat ad susceptionem perfectæ rationis. Rhen.

(g) *Fœturatum in corpore materiali velut in utero.* Irenæus, *Gestatum quoque velut in utero,* Κυοφορηθέν. Ric.

(h) *Suscipiendo quandoque sermoni perfecto.* Irenæus, *Ad susceptionem perfectæ rationis.* Ric.

(i) *Latuit homo spiritalis.* Irenæus, Latuit igitur, inquit, quemadmodum dicunt Demiurgum, conseminatus in sufflatione ejus a Sophia, spiritalis homo, inenarrabili virtute et providentia. Atque hoc ultimum est quod Tertullianus mox dicit, Accipe industriam, inquit, clandestinæ providentiæ hujus. Rhen.

semen noverat matris demiurgus, quam ipsam. Hoc semen Ecclesiam dicunt, (*a*) Ecclesiæ supernæ speculum (1), et hominis censum : proinde eum ab Achamoth deputantes, quemadmodum animalem a demiurgo : choicum, substantia ἀρχή : carnem, materia (2). Habes novum, id est quadruplum Geryonem (*b*).

CAPUT XXVI.

Sic et exitum singulis dividunt. Materiali quidem, id est carnali, quem et sinistrum vocant, indubitatum interitum; animali vero, quem et dextrum appellant, dubitatum eventum, utpote inter materialem spiritalemque nutanti, et illac debito qua plurimum adnuerit. Cæterum spiritalem emitti in animalis comparationem, (*c*) et erudiri cum eo et exerceri in conversationibus possit (3). Indiguisse enim animalem etiam sensibilium disciplinarum; in hoc et paraturam mundi prospectam; in hoc et Soterem animalem (4) in mundo repræsentatum, in salutem scilicet animalis. Alia adhuc compositione monstruosum, volunt illum (*d*) proficias (5) earum substantiarum induisse, quarum summam saluti esset redacturus; ut spiritalem quidem susceperit ab Achamoth, animalem vero, quem mox a demiurgo induit (6), Christum : cæterum corporalem, ex animali substantia, sed miro et inenarrabili rationis ingenio constructum (7), administrationis caussa (8) vim (9) contulisse (*e*), quo congressui, et conspectui, et contactui (10), et (*f*) defunctui (*g*) ingratis subjaceret. Materiale autem nihil in illo fuisse, utpote salutis alienum, quasi a liis? fuerit necessarius, quam egentibus salute. Et totum hoc, ut carnis nostræ habitum alienando a Christo, a spe etiam salutis expellant (*h*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Exemplum *Iren.*
(2) Choicum, substantia carne, a materia *Jun.*
(3) Potuit *Rhen.*
(4) Animalem *ejicient Jun. Seml. Obert.*
(5) Prospicientias *Fran. Par.* Proficias *Ciacc.* Primitias *Pam.* ἀπαρχίας, ἀκροθίνια.
(6) Quam... induerit *Jun.*
(7) Constructam *Pam.*
(8) Caussa *abest a Fran. Par.* caussam *Seml. Obert. Porro forte* via *Jun.*
(9) Vi *Rhen. Seml. Obert. Pam. Rig. volebat* circumtulisse *Seml.* administrationis caussa ei contulisse.
(10) Contractui *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ecclesiæ supernæ speculum.* Iren. *Exemplum superioris Ecclesiæ.* Rig.

(b) *Geryonem.* Iren. contra hæres. *Ibid.* § 6. — Τὸ δὲ κύημα τῆς μήτρος αὐτῆς τῆς Ἀχαμώθ, ὃ... ἀπ-κύησεν ὁμοούσιον τῇ μητρὶ πνευματικὸν καὶ αὐτὸν ἠγνοηκέναι τὸν Δημιουργὸν λέγουσι· καὶ λελῆθότως κατατεθεῖσθαι εἰς αὐτὸν, μὴ εἰδότος αὐτοῦ, ἵνα δι' αὐτοῦ εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ ψυχὴν σταρῇ, καὶ εἰς τὸ ὑλικὸν τοῦτο σῶμα, κυοφορηθῇ, ἐν τούτοις καὶ αὐξηθῇ, ἕτοιμον γένηται εἰς ὑποδοχὴν τοῦ τελείου. Ἐλαθεῖν οὖν, ὡς φασί, τὸν Δημιουργὸν ὑ συγκατασπαρὶς τῷ ἐμφυσήματι αὐτοῦ ὑπὸ τῆς Σοφίας πνευματικὸς ἀνθρώπων ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ. Ὡς γὰρ τὸν μητέρα ἠγνοηκέναι, οὕτω καὶ τὸ σπέρμα αὐτῆς· ὃ δὴ καὶ αὐτὸ Ἐκκλησίαν εἶναι λέγουσιν, ἀντίτυπον τῆς ἄνω Ἐκκλησίας. Καὶ τότε εἶναι ἐν αὐτοῖς ἀξιοῦσιν, ὥστε ἔχειν αὐτοὺς τὸν μὲν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, τὸ δὲ σῶμα ἀπὸ τοῦ χοός, καὶ τὸ σαρκικὸν ἀπὸ τῆς ὕλης.

Interpretatio vetus.—§ 6. Partum vero matris ipsorum quæ est *Achamoth*, quem *generavit existentem, ejusdem substantiæ matri suæ, spiritalem* et ipsum, ignorasse *Demiurgum* dicunt : *et latenter depositum esse in eum, nesciente eo, uti per eum in eam*, quæ ab eo esset animam seminatum et in materiale *hoc corpus, gestatum quoque velut in utero in iis et amplificatum, paratum fiat ad susceptionem perfectæ rationis. Latuit igitur, quemadmodum dicunt, Demiurgum conseminatus insufflationi ejus a Sophia spiritalis homo, inenarrabili virtute et providentia. Quemadmodum enim matrem suam ignoravit, sic et semen ejus. quod etiam ipsum Ecclesiam esse dicunt, exemplum superioris Ecclesiæ : et hunc esse in semetipsis hominem volunt, uti habeant* animam quidem a Demiurgo, *corpus* autem *a limo et carneum a materia*, spiritalem *vero hominem a matre Achamoth.* Edd.

Cap. XXVI. —(c) *Et erudiri cum eo, et exerceri in conversationibus possit.* Irenæus, *Ut formetur coeruditum ei in conversatione.* Qui locus apertissime declarat Irenæi Latina quæ nunc habemus in manibus, ipsissima esse quæ vidit Septimius. Rig.

(d) *Proficias earum substantiarum induisse.* Mendose in cod. Pithœano legitur, *Prospicius*, et, *Invidisse.* Prosicias dicit, quod Irenæus *Primitias.* Ἀπαρχάς Glossæ veteres, *Proficiæ*, ἀκροθίνια, αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί. Festus, *Proficium*, *prosecatum.* Rig.

(e) *Contulisse.* In codice Pithœi legitur, *in contulisse :* unde arbitror emendandum, *circumtulisse*, ut sit quod ab Irenæo dicitur, *circumdatum corpus.* Rig.

(f) *Defunctui.* Passioni, morti. Sic reddidit Irenæi *Passibile.* Rig.

(g) *Ingratis.* Ingratis, Etiam nolens. Rig.

(h) Hinc usque Tertullianus, Irenæum pone secutus, jam liberius progreditur, multaque partim tacet, partim sequentibus capitibus obvolvit, ac multa superaddit, quæ descriptam ab Irenæo Gnosticorum delineationem perficiunt, eximiaque nobis repræsentant quæ Tertullianus habuit præ oculis et nunc desiderantur Justini Philosophi et Miltiadæ Ecclesiarum Sophistæ adversus Valentinianos scripta. Cæterum sole clarius est, fatente Semlero, Tertullianum in hoc cap. 26 ex græcis copiosioribus reddidisse parcius.

Iren. adv. hæretic. *Ibid.* cap. 6, § 1 —Τριῶν οὖν ὄντων, τὸ μὲν ὑλικὸν, ὃ καὶ ἀριστερὸν καλοῦσι, κατὰ ἀνάγκην ἀπόλλυσθαι λέγουσιν, ἅτε μηδεμίαν ἐπιδείξασθαι δυνάμενον τὴν ἀφθαρσίας· τὸ δὲ ψυχικὸν, ὃ καὶ δεξιὸν προσαγορεύουσιν, ἅτε μέσον ὂν τοῦ τε πνευματικοῦ, καὶ ὑλικοῦ, ἐκεῖσε χωρεῖν, ὅπου ἂν καὶ τὴν πρόσκλισιν ποιήσηται· τὸ δὲ πνευματικὸν ἐκπεπαιδεῦσθαι, ὅτως ἐνδέδεται τῷ ψυχικῷ συζῆν μοιρῶσῃ, συμπαιδευθὲν αὐτῷ ἐν τῇ ἀναστροφῇ. ..... ἕδει γὰρ τῶν ψυχικῶν καὶ αἰσθητῶν παιδευμάτων· δι' ὧν καὶ κόσμων κατασκευάσθαι λέγουσι, καὶ τὸν Σωτῆρα δὲ ἐπὶ τοῦτο παραγεγονέναι τὸ ψυχικὸν, ἐπὶ καὶ ἀντεξούσιον ἐστιν, ὅπως αὐτὸ σώσῃ· ὧν γὰρ ἤμελλε σώζειν, τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν εἰληφέναι φάσκουσιν· ἀπὸ μὲν τῆς Ἀχαμώθ τὸ πνευματικὸν, ἀπὸ δὲ τοῦ Δημιουργοῦ ἐνδεδύσθαι τὸν ψυχικὸν Χριστὸν, ἀπὸ δὲ τῆς οἰκονομίας πεπεισθέναι σῶμα ψυχικὸν ἔχειν οὗσαν. κατεσκευασμένην δὲ ἀῤῥήτῳ τέχνῃ, πρὸς τὸ καὶ ἀόρατον καὶ ἀψηλάφητον, καὶ ἀπαθὲς γεγενῆσθαι· καὶ ὑλικὸν δὲ οὐδ' ὁτιοῦν εἰληφέναι λέγουσιν αὐτόν· μὴ γὰρ εἶναι τὴν ὕλην δεκτικὴν σωτηρίας.

Cap. 7, § 2. Εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες, προβεβλῆσθαι αὐτὸν καὶ Χριστὸν υἱὸν ἰδίων, ἀλλὰ ψυχικὸν, περὶ τούτου διὰ προφητῶν λελαληκέναι. Εἶναι δὲ τοῦτον διὰ Μαρίας διοδεύσαντα καθάπερ ὕδωρ διὰ σωλῆνος ὀδεύει. Καὶ εἰς τοῦτον ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος κατελθεῖν ἐκεῖνον τῶν ἀπὸ τοῦ πληρώματος ἐκ πάντων Σωτῆρα, ἐν εἴδει περιστερᾶς. Γεγενῆσθαι δὲ ἐν αὐτῷ καὶ τὸ αὐτὸ τῆς Ἀχαμώθ σπέρμα πνευματικὸν. Τὸν οὖν Κύριον ἡμῶν ἐκ τεσσάρων τούτων σύνθετον γεγενῆσθαι φάσκουσι, κατασώζοντα τὸν τυπὸν τῆς ἀρχηγόνου καὶ πρώτης τετράκτυος, ἔκ τε τοῦ πνευματικοῦ, ὃ ἦν ἀπὸ τῆς Ἀχαμώθ, καὶ ἐκ τοῦ ψυχικοῦ, ὃ ἦν ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, καὶ ἐκ τῆς οἰκονομίας, ὃ ἦν κατεσκευασμένην ἀῤῥήτῳ τέχνῃ καὶ ἐκ τοῦ σωτῆρος, ὃ ἦν

CAPUT XXVII.

Nunc reddo de Christo : (*a*) in quem tanta licentia Jesum inserunt quidam, quanta spiritale semen animali cum inflatu infulciunt, fartilia nescio quæ commenti, et hominum et deorum suorum. Esse enim (1) Demiurgo suum Christum filium naturalem. Denique animalem prolatum ab ipso, promulgatum Prophetis; in Præpositionum quæstionibus positum, id est per virginem, non ex virgine editum quia delatus in virginem transmeatorio potius quam generatorio more processerit; per ipsam, non ex ipsa; non matrem eam, sed viam passus. Super hunc itaque Christum (*b*) devolasse tunc in baptismatis sacramento Soterem (2) per effigiem columbæ. Fuisse autem et in Christo etiam ex Achamoth spiritalis seminis condimentum, ne marcesceret scilicet reliqua farsura. Nam in figuram principalis Tetradi, quatuor eum substantiis stipant, spiritali Achamothiana, animali Demiurgina, corporali inenarrativa (3), et illa sote-

A riciana, id est columbina. Et Soter quidem permansit in Christo, impassibilis, inlæsibilis (4), inapprehensibilis. Denique cum ad apprehensiones venitur (5), discessit ab illo in cognitione Pilati. Proinde nec matris semen admisit injurias, æque insubditivum, et ne ipsi quidem Demiurgo compertum. Patitur (*c*) vero animalis et carneus Christus, in deliniationem (6) superioris Christi, qui ad Achamoth formandam substantivali non agnitionali forma, Cruci, id est Horo fuerat innixus. (*d*) Ita omnia in imagines urgent, plane et ipsi imaginarii Christiani (*e*).

CAPUT XXVIII.

Interea Demiurgus omnium adhuc nescius, etsi aliquid et ipse per Prophetas concionabitur, ne hujus quidem operis sui intelligens (dividunt enim et pro-
B phetiale (*f*) patrocinium (7) in Achamoth, in semen, in Demiurgum) : ubi adventum Soteris accepit, (*g*) propere et ovanter accurrit (8), cum omnibus viribus suis, Centurio de Evangelio. Et de omnibus inlu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Etiam *Rhen. Seml. Obert.*
(2) Jen *vel* Iem *in Mss.* Jesum *Par.*
(3) Inc enarrativa *Rhen. Seml. Oberth.* Jesuaciana *Pam. Frm. Par.*
(4) Invisibilis *leg. Jun. ex Iren.*
(5) Veniretur *Jun.*
(6) Delineationem *Jun.*
(7) Præconium *Jun.*
(8) Occurrit *al.*

COMMENTARIUS.

κατιλθοῦσα εἰς αὐτὸν περιστερά.

Interpretatio vetus. — Cap. 6, § 1. Cum sint igitur tria, alterum (*materiale, quod etiam sinistrum vocant*) *ex necessitate perire dicunt*, quippe cum nullam spirationem incorruptelæ recipere possit; *animale vero*, (*quod etiam dextrum appeblant*) *cum sit medium spiritalis et materialis, illuc rediri, quocumque* C *declinaverit : spiritale vero emissum esse, uti hic animali conjunctum formetur, coeruditum ei in conversatione.* Opus erat enim animali sensibilibus disciplinis. Ob quam causam et *mundum fabricatum dicunt, et salvatorem ad hoc venisse animale, quia suæ potestatis est, ut id salvet. Quæ enim salvaturus erat, eorum primitias eum suscepisse dicunt :* ab Achamoth quidem spiritale, a Demiurgo autem indutum Psychicum (id est, animalem) Christum a dispositione autem circumdatum *corpus, animalem habens substantiam, paratum vero inenarrabili arte, ut et visibile et palpabile, et passibile fieret. Et hylicum autem nihil omnino suscepit :* non enim esse hylicum capacem salutis.

Cap. 7, § 2.— Sunt *autem qui dicunt emisisse eum et Christum filium suum sed et animalem et de hoc per prophetas locutum esse. Esse autem hunc qui per Mariam transierit, quemadmodum aqua per tubum transit, et in hunc in baptismate descendisse illum, qui esset de Pleromate ex omnibus, Salvatorem in figura* D *columbæ : fuisse autem in eo et illud quod est ab Achamoth, semen spiritale.* Dominum igitur nostrum ex quatuor iis compositum fuisse dicunt, servantem typum primogenitæ et primæ quaternationis de spiritali, quod erat ab Achamoth : *et de animali, quod erat de Demiurgo, et de dispositione, quod erat factum inenarrabili arte, et de Salvatore, quod erat illa, quæ descendit in eum, columba.* Edd.

CAP. XXVII. — (*a*) *In quem tanta licentia Jesum.* Nos ab exemplaribus nihil adjuti, scripsimus, *in quem*, etc. Porro Valentiniani inserunt Jesum illum ex omnium æonum defloratione constantem Soterem, in animalem Demiurgi Christum, fartilem Christum constituentes, et semen spiritale eodem modo in animale infulciunt. Rhen.

(*b*) *Devolasse tunc in baptismatis sacramento Soterem.* Vetus exemplar non habet *Soterem*, sed *Jem*, quod depravatum est ex antiquiore, in quo erat scriptum I H M; sive Ihm, quod in Mss. passim significat Jesum. Neque aliter hic legendum, etsi Soterem posuerit Irenæus. Rhen.

(*c*) *Patitur vero animalis et carneus.* Hanc sententiam clare exponit Irenæus, sic scribens. Passus est autem, inquit, secundum hos, Animalis Christus, et ille qui ex dispositione fabricatus in mysterio, ut ostendat per eum mater typum superioris Christi, illius qui extensus est cruci, et formavit Achamoth formationem secundum substantiam. Omnia enim hæc exempla illorum esse dicunt, expone ergo in delineationem superioris Christi, id est, in typum, in exemplum. Rhen.

(d) *Ita omnia in imagines urgent.* Irenæus, *Omnia enim hæc exempla, illorum esse dicunt.* Græcus habet, τύπους. Rig.

(e) *Christiani.* Iren. contra hæres. Cap. 7. § 2. — Καὶ τοῦτο μὲν ἀπαθῆ διαμεμενηκέναι (οὐ γὰρ ἐνεδέχετο παθεῖν αὐτόν, ἀχράτητον καὶ ἄῤῥατον ὑπάρχοντα) καὶ διὰ τοῦτο ἥρθαι. προσαγομένου αὐτοῦ τῷ Πιλάτῳ, τὸ εἰς αὐτὸν καταπεμφθὲν τὸν ὕμα Χριστοῦ· ἀλλ' οὐδὲ τὸ ἀπὸ τῆς μητρὸς στέρμα πεπονθέναι λέγουσιν· ἀπαθὲς γὰρ καὶ αὐτό, τὸ πνευματικὸν, καὶ ἀόρατον, καὶ αὐτῷ τῷ Δημιουργῷ ἔπαθε δὲ λοιπὸν, κατ' αὐτούς, ὁ ψυχικὸς Χριστὸς..... ἵν' ἀτιδιξῃ, οὗτος ἡ μήτηρ τὸν τύπον τοῦ ἄνω Χριστοῦ, ἐκτεινόμενος τοῦ ἐσταυρῶσθαι τῷ Σταυρῷ, καὶ μορφώσαντος τὴν Ἀχαμὼθ μόρφωσιν τὴν κατ' οὐσίαν. Πάντα γὰρ ταῦτα τύπους ἐκείνων εἶναι λέγουσι.

Interpretatio vetus. — *Et hunc quidem impassibilem perseverasse* (*non enim possibile erat pati eum, cum esset incomprehensibilis et invisibilis*) : *et propter hoc oblatum esse, cum traheretur ad Pilatum*, illum qui depositurus erat in eum spiritus Christi. Sed ne id *quidem, quod a matre erat semen, passum esse dicunt*, impassibile enim et illud, quippe *spiritale et invisibile etiam ipsi Demiurgo. Passus est autem secundum hos animalis Christus.... ut ostendat per eum Mater typum superioris Christi, illius qui extensus est cruci, et formavit Achamoth formationem secundum substantiam.* Omnia enim hæc exempla illorum esse dicunt. Edd.

CAP. XXVIII. — (*f*) *Patrocinium in Achamoth.* Quid hæc vox toties rejecta, ad tædium usque significet, non ita compertum. Conjectura est ab hebræa voce derivari הכמה *sapientia*, sicque tantisper in Achamoth deflexit. Le Pn.

(g) *Propere et ovanter accurrit cum omnibus viribus*

minatus, ab illo etiam spem suam discit, quod successurus sit in locum matris. Ita exinde securus, dispensationem (*a*) mundi hujus, vel maxime Ecclesiæ protegendæ nomine, quanto tempore oportuerit, insequitur (*b*).

CAPUT XXIX.

Colligam nunc ex disperso, ad concludendum, quæ de totius generis humani dispositione disserant. Triformem naturam primordio professi, et tamen inunitatem (1) in Adam inde jam dividunt per singulares generum proprietates, nacti occasionem distinctionis hujusmodi ex posteritate ipsius Adæ, moralibus quoque differentiis tripartitæ. Cain, Abel, et Seth, fontes quodammodo generis humani, in totidem derivant argumenta, naturæ atque essentiæ. (*c*) Choicum, (*d*) saluti degeneratum, ad Cain redigunt : Animale, (*e*) mediæ spei deliberatum (2), ad Abel componunt : Spiritale, certæ saluti præjudicatum, in Seth recondunt, Sic et animas ipsas duplici proprietate discernunt, bonas et malas : secundum choicum statum ex Cain, et animalem ex Abel (3), spiritalem ex Seth. De obvenientia superducunt jam non naturam, sed indulgentiam, ut quos Achamoth in (4) superioribus (*f*) in animas bonas depluat, id est animali ceu sui inscriptas. Choicum enim genus, id est malas animas nunquam capere salutaria. Immutabilem enim et irreformabilem (5) naturam pronuntiaverunt. Id ergo granum seminis spiritalis modicum et parvulum jactu, (*g*) sed eruditu hujus fides augetur atque provehitur, ceu (6) supra diximus : animæque hoc ipso ita cæteris prævertunt, ut Demiurgus tunc ignorans magni eas fecerit. (*h*) Ex earum ergo latercule, et in reges, et in sacerdotes allegere consueverat : quæ nunc quoque si plenam atque perfectam notitiam apprehenderint istarum næniarum(7), naturificatæ jam spiritalis conditionis germanitate, certam obtinebunt salutem, imo omnimodo debitam (*i*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Unitam *al.*
(2) Delibratum *Jun.*
(3) Et *add. Jun.*
(4) Qua Achamoth de *Jun.*
(5) Naturæ *add. Fran. Par.*
(6) Ceu *abest a Rhen. Seml. Oberth.* ceu prædiximus *Paris. Rig.*
(7) Nymopharum *conjicit Seml.*

COMMENTARIUS.

suis. Irenæus obscure admodum dixerat, *Et in gaudium ei cessisse cum omni virtute sua.* Rig.

(a) *Dispensationem mundi hujus.* τὴν κατὰ τὸν κόσμον οἰκονομίαν. Itaque dispensationem hic dicit, quod supra, *dispositionem.* Rig.

(b) *Insequitur.* Iren. contra hæres. cap. 7, § 3. — Τὰς δὲ... ψυχὰς .. πλείον τῶν ἄλλων ἠγαπῆσθαι ὑπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, μὴ εἰδότος τὴν αἰτίαν, ἀλλὰ παρ' αὐτοῦ λογιζομένου εἶναι τοιαύτας. Διὸ καὶ εἰς Προφήτας φασιν ἐτάσαι αὐτούς, καὶ ἱερεῖς καὶ βασιλεῖς, καὶ πολλὰ ὑπὸ τοῦ σπέρματος τούτου εἰρῆσθαι τῶν προφητῶν, καὶ λοιπὸν τίμιους τὰς προφητείας, τὸ μὲν τι ἀπὸ τῆς μητρὸς εἰρῆσθαι θέλοντες, τὸ δὲ τι ἀπὸ τοῦ σπέρματος, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ.

§ 4. Τὸν δὲ Δημιουργὸν.... διατετελεκέναι ἄχρι τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου· ἐλθόντος δὲ τοῦ Σωτῆρος, μαθεῖν αὐτὸν παρ' αὐτοῦ πάντα λέγουσι, καὶ ἄσμενον αὐτῷ προσχωρῆσαντα, μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν εἶναι τὸν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ἑκατόνταρχον.... αὐτὸν τὸν κατὰ τὸν κόσμον οἰκονομίαν μέχρι τοῦ ὅλου χαιροῦ, μάλιστα δὲ διὰ τὴν τῆς Ἐκκλησίας ἐπιμέλειαν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἐπιγνωσιν τοῦ ἑτοιμασθέντος αὐτῷ ἐπάθλου, ὅτι εἰς τὸν τῆς μητρὸς τόπον χωρήσει.

Interpretatio vetus. —§ 3. Eas vero..... animas..... dicunt plus dilectas a Demiurgo, non sciente causam, sed a semetipso putante eas esse tales *quapropter et in Prophetas, aiunt, distribuebat eas* et Sacerdotes et Reges et multa de hoc semine dicta per Prophetas exponunt : quippe cum altioris naturæ esset. Multa autem et matrem de superioribus dixisse dicunt, sed et per hunc et per eas quæ ab hoc factæ sunt animæ. *Ac deinceps dividunt Prophetius, aliquid quidem a matre dictum docentes; aliquid a semine, aliquid autem a Demiurgo.....*

§ 4. *Demiurgum autem.....* Sic ignorantiam conservasse usque ad adventum salvatoris. Cum venisset autem Salvator, *didicisse eum ab eo omnia dicunt et in gaudium ei cessisse cum omni virtute sua et eum esse illum in Evangelio centurionem..... Perfecturum autem eum eam quæ* secundum ipsum est mundi *creationem*, usque ad id tempus quod oportet *maxime autem propter Ecclesiæ diligentiam atque curam et propter* agnitionem præparati præmii, quoniam in locum matris *transibit.* Edd.

CAP. XXIX. — (c) *Choicum saluti degeneratum.* Sicut degenerem appellamus cum qui generosus non est, ita degeneratum saluti vocat, quod ad salutem non est generatum. Ruen.

(d) *Saluti degeneratum.* Irenæus, *In corrupteluam abire* Rig.

(e) *Mediæ spei deliberatum.* Hoc est, libertati arbitrioque suo traditum. Mediam spem dicit, quod supra, *Dubitatum eventum.* Interea tamen alludit ad regionem medietatis, ubi Valentiniani justorum animas refrigerare dicebant. Rig. — *Deliberatum.* Liberatum. Sic ipse adversum Marcionem, IV. *Decem mensium cruciatu deliberatus,* id est, liberatus. Rig.

(f) *In animas bonas depluat.* Irenæus, *Spiritualia vero inseminat Achamoth.* Rig.

(g) *Sed eruditu hujus fides,* etc. Sic infra pro prolatione prolatum usurpat, id quod Tacito etiam solemne et Livio. Ruen.

(h) *Ex earum laterculo.* Est laterculum libri nomen, in quo dignitatum omnium tam militarium quam civilium cognitio continebatur, hic erat primicerium Notariorum. Ruen.

CAP. XXIX. — (i) *Debitam.* Iren. contra hæres. cap. 7, § 5 — Ἀνθρώπων δὲ τρία γένη ὑφίστανται, πνευματικόν, χοϊκόν, ψυχικόν, καθὼς ἐγένετο Κάϊν. Ἄβελ, Σὴθ, καὶ ἐκ τούτων τὰς τρεῖς φύσεις, οὐκέτι καθ' ἕν, ἀλλὰ κατὰ γένη· καὶ τὸ μὲν χοϊκὸν εἰς φθορὰν χωρεῖν καὶ τὸ ψυχικὸν ἐὰν τὰ βελτίονα ἕληται, ἐν τῇ τῆς μεσότητος τάξει ἀνακαυθῆναι .... τὰ δὲ πνευματικὰ, ἃ ἂν καταστείρῃ ἡ Ἀχαμὼθ, ἑστότε ἕως τοῦ νῦν δικαίας ψυχαῖς παιδευθέντα κ. τ. λ. — Καὶ αὐτὰς μὲν τὰς ψυχὰς πάλιν ὑπομαρίζοντες λέγουσιν, ὡς μὲν φύσει ἀγαθὰς σε δὲ φύσει πονηρὰς. .... τὰς δὲ φύσει πονηρὰς, μηδέτερα ἐν ἐπιδέξασθαι ἐκεῖνο τὸ σωτήριον.

Cap. 6, § 2. Ὡς γὰρ τὸ χοϊκὸν ἀδύνατον σωτηρίας μετασχεῖν.

Interpretatio vetus.—Cap. 7, § 5. *Hominum autem tria genera dicunt, spiritale, choicum psychicum : quemadmodum fuit Cain, Abel, Seth;* ut ostendant et ex his tres naturas jam non secundum unumquemque, sed secundum genus. Et choicum quidem in corruptelam abire : animale vero, si meliora elegerit, in loco medietatis refrigeratum..... *spiritalia vero inseminat Achamoth ex illo tempore usque nunc*

CAPUT XXX.

Ilcoque nec operationes necessarias sibi existimant, nec ulla disciplinæ munia observant ; (a) martyrii quoque eludentes necessitatem qua volunt interpretatione. Hanc enim regulam animali semini præstitutam, ut salutem quam non de privilegio status possidemus, de suffragio actus elaboremus. Nobis enim inscriptura (1) hujus seminis (b), qui imperfectæ essentiæ sumus, quia amoribus Phileti, et utique abortui deputamur, quod mater illorum. Sed nobis quidem væ, si excesserimus in aliquo disciplinæ jugum : si obtorpuerimus in operibus sanctitatis atque justitiæ : (c) si confitendum alibi, nescio ubi, et non sub potestatibus istius sæculi, apud tribunalia præsidum (2) optaverimus. Illi vero et (d) de passivitate vitæ, et (e) diligentia delictorum, generositatem suam vindicent, blandiente suis Achamoth, quoniam et ipsa delinquendo (3) profecit. Nam et honorandorum conjugiorum supernorum gratia (f) dicitur apud illos, meditandum atque celebrandum semper sacramentum, A comiti, id est fœminæ adhærendo; alioquin degenerem, nec legitimum veritatis, qui diversatus in mundo non amaverit fœminam, nec se ei junxerit. Et quid facient spadones, quos videmus apud illos ?

CAPUT XXXI.

Superest de consummatione, et dispensatione mercedis. Ubi totam messem Achamoth (4) seminis sui presserit, dein colligere in horreum cœperit, vel cum ad molas delatum, et defarinatum, in conspersionis alvearia (5) absconderit, donec totum confermentetur (6), tunc consummatio urgebit. Igitur in primis ipsa Achamoth, de regione medietatis, de tabulato secundo in summum transfertur, restituta Pleromati : et statim excipit (g) compactilius (7) ille Soter, sponsus scilicet : ambo conjugium novum. Et (8) hic erit in scripturis sponsus et sponsa, et sponsale Pleroma. Credas (h) enim, ubi de loco in locum transmigratur, (i) leges quoque Julias intervenire, (c) sicut et cœnam (9). Et Demiurgus tunc de hebdomade sub cœlesti (10) in superiora muta- B

LECTIONES VARIANTES.

(1) In scriptura *Semel. Pam.*
(2) Præsidem *Fran Rig.*
(3) Deliquendo *Semel.* blandiendo *Par.*
(4) Subito Achamoth totam massam *Semel.*
(5) Salutaria *Rhen. Semel. Oberth.*
(6) Confrequentetur *Rhen. Semel. Obert.*
(7) Comparcinus *Rhen. Semel. Oberth.* comparcivus *Jun.*
(8) Novum flet. Hic *Pam. Rhen. Semel.* flent præf. *Jun.* et Hoc.
(9) Cainam *Pam. Rhen. Semel. Obert.* canuleiam *Jun. m s.* III, *Vatic.* cauiam.
(10) Cœlesti *Rhen. Semel. Oberth. Jun.*

COMMENTARIUS.

propter quod et animæ erudiuntur quidem hic..... Et ipsas autem animas rursus. Subdividentes, dicunt quasdam quidem natura malas..... (illas) vero natura nequam, nu quam capere illud semen.

Cap. 6, § 2.... quemadmodum enim *choicum impossibile est salutem percipere...*

Multa in hoc capite Tertullianus, ut ipse ait, collegit ex disperso ; multaque, ut ei mos, inserit et pro suo lubitu disponit. Quibus et sequentibus mirum in modum, γνῶσις in sua domestica politia et practica agendi consuetudine introspicitur. Vide hæc luculenter explanata a D. Massuet. in S. Iren., Dissert. 1 art. 1, n. 74 et seqq. p. 46. Edd.

Cap. XXX. — (a) *Martyrii quoque eludentes necessitatem.* Tam amans fuit martyrii Tertullianus, quod omnibus ubique persuadere nititur, non fugiendum, sed animose et constanter christiano sustinendum, ut a piis hic etiam atro calculo notari meruerit, propter necessitatem quam ferventius quam cautius adstruebat. Hinc illæ martyrii non uno in loco commendationes, et fugæ in persecutione detestatio. Rhen.

(b) *Inscriptura hujus seminis.* Quia scilicet, ut supra dixi, inscripti sumus animali censui. Itaque inscriptura hujus seminis est regula animali semini præstituta. Rhen.

(c) *Si confitendum alibi, nescio ubi*, etc. De hac quæstione latius disserit in Scorpiace. Rhen.

(d) *Illi vero de passivitate vitæ* Irræus : *In quibuscumque fuerint factis.* Passivitatem vitæ dicit, vitam incustodite ac pro libidine transactam. — Passivitatem vitæ vocat incompositam et licentiosam vitæ libertatem, qua Valentinianos fuisse notabiles auctor est Irenæus. Rhen.

(e) *Diligentia delictorum.* Prona ad delinquendum libidine. Diligentiam hic usurpat eo sensu quo proxime supra notavimus usurpatum ab Irenæo. Rig. — *Et diligentia delictorum.* Diligentiam delictorum vocat affectum et studium ad delinquendum sive peccandum. Rhen.

(f) *Conjugiorum supernorum sacramentum.* Inenarrabiles et innominabiles illius desursum syzygiæ mysterium. Iren. Rhen.

CAP. XXXI. — (g) *Compactilius ille Soter.* Sic emendavit Rhenanus quod in antiquis exemplaribus legitur, *comparcinus.* Compactilium vocat Septimius Soterem, cujus ornatum pavonium supra dixit. Irenæus dixerat, *Recipere sponsum suum Salvatorem, qui est omnibus factus.* Noster paulo post dicet, *Ex omnium Æonum flosculis constructum.* Rig. C

(h) *Credas enim ubi de loco in locum transmigratur, leges quoque Julias intervenire, sicut et Cainam.* Legendum puto, *sicut et cœnam.* Sed explicatione opus est. Æonum Valentinianorum fabula tota est in suadendis amoribus, quod facile declarant quæ in opere isto passim occurrunt copulationum, conjugationum, conjugiorum et concinnationum vocabula, et ne alia commemorem, quæ Septimius indignatione percitus protulit pene cum jactura pudoris. Sic autem illi nugabantur : supernum illud suum Pleroma frequentari συζυγίας, ipsamque Achamoth Sophiæ filiam de medio tabulato tandem in summum translatam ac restitutam Pleromati, statim exceptam fuisse amplexibus sponsi, quem Soterem vocitant, ut conjugium fieret Soteris et Sophiæ, hoc vero esse quod in Scripturis sacris legimus, Sponsum et Sponsam ; nec aliud intelligendum Pleroma, quam Nymphona et Sponsale. Hic igitur Septimius jocando, sed animo semper in nuptias infesto. Credas enim, inquit, ubi de loco in locum transmigratur, leges quoque Julias intervenire, quæ cælibem esse quemquam non patiantur, adeoque omnibus hinc in cœlum migraturis tam in promptu fore conjugem, quam cœnam hospitibus adventoriam. Rig. D

(i) *Leges quoque Julias.* Leges intelligit de adulteriis et stupris, et de vi publica ac privata de his c. lib. 9, tit. 9 et 12. Advertes interim in hisce titulis promiscue adulterium ac stuprum usurpari, cum adulterium in nuptam, stuprum in viduam aut puellam committatur. Le Pr.

(j) *Sicut et Cainam.* Nescio, inquit Rhenanus, an significet legem Cai Pompeii Strabonis, qua veteribus incolis Transpadanis, jus Latii dedit, quod cæteræ coloniæ latinæ habebant, ut petendi magistratus, et civitatis rom. jus adipiscerentur. Cæterum Achamoth

bit, in vacuum jam cœnaculum matris, (*a*) sciens jam nec videns illam. Nam si ita erat, semper (1) ignorare maluisset (*b*).

CAPUT XXXII.

Humana vero gens (*c*) in hoc (2) exitus ibit; choicæ et materialis notæ, in (3) totum interitum (4): quia omnis caro fœnum, et anima (5) mortalis apud illos, nisi quæ salutem fide invenerit. Justorum animæ, id est nostræ, ad Demiurgum in medietatis receptacula, transmittentur. Agimus gratias, contenti erimus cum Deo nostro deputari, quo ascensus (6). Nihil animale in Pleromatis palatium admittitur, nisi spiritale examen Valentini. Illic itaque primo despoliantur homines ipsi, id est interiores. Despoliari autem est, deponere animas, quibus indutî videbantur, easque Demiurgo suo reddent, quas ab eo avertant (7). Ipsi autem spiritus in totum fient intellectuales, neque detentui, neque conspectui obnoxii: atque ita invisibiliter in Pleroma recipientur. Furtim, si ita est, quid deinde? Angelis distribuentur satellitibus Soteris. In filios putas? Non. Sed in apparitores? Ne istud quidem. Sed in imagines? (*d*) Utinam vel hoc. In quid ergo, si non pudet dicere? In sponsas. Tunc illi Sabinas raptas inter se de matrimoniis plaudent (8). Hæc erit Spiritalium merces, hoc præmium credendi. Fabulæ tales utiles, ut Marcus, aut Caius in hanc carnem (9) barbatus, et hæc omnia (10); severus maritus, pater, avus, proavus, certe quod sufficit masculus, in Nymphone (11) Pleromatis ab angelo, tacendo jam dixi (*e*) et forsitan parias aliquem Onesimum Æonem. His nuptiis recte deducendis, pro face et flammeo, (*f*) tunc credo ille ignis arcanus erumpet, et universam substantiam depopulatus; ipse quoque decineratis omnibus in nihilum finietur; (*g*) et nulla jam fabula. Sed næ ego temerarius, qui tantum sacramentum etiam inludendo prodiderim. Verendum mihi est, ne Achamoth, quæ se nec filio agnitam voluit, insaniat; ne Philetus irascatur, ne Fortuna acerbetur. Et tamen homo sum Demiurgi, illuc habeo devertere, ubi post excessum (*h*) omnino non obnubitur (12): ubi superindui potius (13) quam despoliari: ubi etsi despolior sexui meo, (*i*) deputor angelis; non angelus, non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quam, si ita erit semper *Jun.*
(2) Hos *Jun.*
(3) In *abest a Rhen. Seml. Oberth. Jun.*
(4) Interiturum *Jun.*
(5) Animalia *Venet. Mendose.*
(6) Qua census *Seml. Rhen. Pam. Oberth.*
(7) Averterant *Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Laudent *Seml. Rhen. Oberth.* raptas jure matrimonii plaudent *Pam. Fran. Par.*
(9) In hac carne *Jun. pro* barbatus *forsan* barbarus *Sem.*
(10) Hæc anima *Rhen. Seml. Oberth.* hac anima *Jun.*
(11) Symphone *Rhen. Seml. Oberth.*
(12) Non nubitur *Rhen. Seml. Oberth. Pam.*
(13) Potuit *Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

de exteriori inferiorique tabulato, quod sub Pleromate erat constitutum, intra ipsum Pleroma transiens, indigebat certe privilegio aliquo, ut sublimioris dignioris-que loci fieret capax. Alioqui pœna Legis Viscelliæ ei timenda erat, de qua habes c. lib. 9 tit. ad Legem Viscell. Pam.

(a) *Sciens jam, nec videns illam.* Dixit supra, Demiurgum a matre Achamoth in omnem operationem ductum ac permotum fuisse, tanquam *κυρίσπαστον* et nervis alienis mobile lignum, quia videlicet nihil ejus sentiebat: hoc est, ignorabat se a matre moveri, atque abs se ipso fieri omnia putabat. Jam vero postquam fuit in matris cœnaculum translatus, scire se quidquid fecerat, a matre sua esse per ipsum facta. Septimius igitur fatuam Valentinianorum sententiam ridens: Nam si ita erat, inquit, semper ignorare maluisset. Rig.

(b) *Maluisset.* Iren. contra hæres. cap. 7, § 1. Ὅταν δὲ πᾶν τὸ σπέρμα τελειωθῇ, τὸν μὲν Ἀχαμὼθ τὸν μητέρα αὐτῶν μεταβήναι τοῦ τέλους μεσότητος τόπου λέγουσι, καὶ ἐντὸς πληρώματος εἰσελθεῖν, καὶ ἀπολαβεῖν τὸν νυμφίον αὐτῆς τὸν Σωτῆρα, τὸν ἐκ πάντων γεγενῆσθαι, ἵνα συζυγία γένηται τοῦ Σωτῆρος, καὶ τῆς Σοφίας τῆς Ἀχαμὼθ, καὶ τοῦτο εἶναι νυμφίον καὶ νύμφην, νυμφῶνα δὲ τὸ πᾶν Πλήρωμα.

Cap. 5, § 4, circa finem: Τὸν Δημιουργὸν δὲ εἰς τὸν ὑπουράνιον τόπον τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι (scil. οἰκεῖν).

Cap. 7, § 1: Τὸν δὲ Δημιουργὸν μεταβῆναι καὶ αὐτὸν εἰς τὸν τῆς μητρὸς Σοφίας τόπον τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ μεσότητι.

Interpretatio vetus. — Cap. 7, § 1: *Cum autem universum semen perfectum fuerit, Achamoth quidem matrem ipsorum transire de medietatis loco dicunt et intra Pleroma introire et recipere sponsum suum salvatorem, qui est ex omnibus factus, uti syzygia fiat Salvatoris et Sophiæ, quæ est Achamoth, et hoc esse sponsum et sponsam, nymphonem vero universum Pleroma.*

Cap. 5, § 4. *Demiurgum vero in eo qui sit in cælo locus, hoc est in hebdomade (habitare).*

Cap. 7, § 1. *Demiurgum vero transire et ipsum in matris suæ Sophiæ locum, hoc est, in medietatem.* Edd.

CAP. XXXII.— (*c*) *In hoc exitus.* Sic habet vetus exemplar, hoc est, *In hunc exitum.* Rig.

(d) *Utinam vel hoc.* Ut iis scilicet imagines tantum essent nequitiæ, non nequitia ipsa. Rig.

(e) *Et forsitan parias aliquem Onesimum Æonem.* Alludit ad Onesimum Philemonis, quem Paulus in vinculis genuit, ut ipse ad Philem. scribit, sed partu plane cœlesti factum scilicet de gentili christianum, de fugitivo probum. Exspectamus, inquit ridendo Septimius, ut tu qui Marcus es aut Caius, certe quod sufficit masculus, in istis infandis angelorum Valentinianorum vinculis sive amplexibus parias; sed quid parias? aliquem scilicet Onesimum Paulinum? imo prodigiosum aliquem Satanæ mastigiam. Hæc enim vult intelligi. Rig.

(f) *Tunc credo ille ignis arcanus erumpet.* Irenæus: *His autem factis ita, qui latet in mundo ignis, ἐκφωλεύσαν τῷ κόσμῳ πῦρ: exardescens et comprehendens universum materiam consumit, et ipsum simul consumptum, abiit in id ut jam non sit.* Rig.

(g) *Et nulla jam fabula.* Suprema hæc, inquit, omnia fient ad verum. Non erit fabula. Rig.

(h) *Omnino non obnubitur.* Unico verbo utrumque expressit; οὔτε γαμοῦσιν, οὐ γαμισκόνται. Marci XII, et Lucæ XX. Rig.

(i) *Deputor Angelis; non Angelus, non Angela.* Hoc est, similis fio Angelis, neque jam censeor masculus nec fœmina. Resurgent mortui cum sexu quisque suo, sed erunt officia sexuum nulla, quia nec amplius erit nasci nec mori. Augustinus in psal. XXVI. ad illud Eccles. Sustine Dominum viriliter age: *Ergo qui perdidit sustinentiam, effœminatus est, perdidit vigorem. Hoc viri, hoc fœminæ audeant, quia in uno viro vir et fœmina. Talis in Christo, nec vir nec fœmina est.* Rig.

angela. (a) Nemo mihi quicquam faciet, quem et tunc masculum invenient (b).

CAPUT XXXIII.

Producam denique velut epicitharisma post fabulam tantam, etiam illa quæ ne ordini obstreperent, et lectoris intentionem interjectione dispargerent, hunc malui in locum distulisse, aliter atque aliter commendata ab emendatoribus Ptolomæi. Extiterunt enim de schola ipsius discipuli super magistrum, qui duplex conjugium Bytho suo adfingerent, Cogitationem et Voluntatem. Una enim satis non erat Cogitatio, qua nihil producere potuisset, ex duabus facillimo prolatu (1). Primum conjugium, Monogenem et (2) Veritatem; ad imaginem quidem Cogitationis, fœminam Veritatem; ad imaginem Voluntatis, marem Monogenem. Voluntatis enim vis, uti quæ (3) effectum præstat Cogitationi, maris obtinet censum (c).

CAPUT XXXIV.

Pudiciores alii honorem divinitatis recordati, ut etiam unius conjugii dedecus ab eo avellerent, maluerunt nullum Bytho sexum deputare: et (4) fortasse Hoc Deum (5), non Hic Deus, neutro genere pronuntiant. Alii contra magis, et masculum et fœminam dicunt, ne (d) apud solos Lunenses Hermaproditum existimet Annalium commentator Fenestella.

CAPUT XXXV.

Sunt qui nec principatum Bytho defendant, sed postumatum; Ogdoadem ante omnia præmittentes, ex Tetrade quidem et ipsam, sed et (6) aliis nominibus derivatam. Primo enim constituunt Proarche, secundo Anennoeton, tertio Arrheton (7), quarto Aoraton. Ex Proarche itaque processisse primo et quinto loco Archen: ex Anennoeto, secundo et sexto loco Acatalepton: ex Arrheto (8) tertio et septimo loco Anonomaston: ex invisibili, quarto et octavo loco Agenneton. Hoc quæ ratio disponat, ut singula binis locis, et quidem tam intercisis, nascantur, malo ignorare quam discere. Quid enim recti habent, quæ tam perversæ proferuntur (e)?

CAPUT XXXVI.

Quanto meliores qui totum hoc tœdium de medio amoliti, nullum Æonem voluerunt alium ex alio per (f) gradus revera Gemonios structum, sed mappa

LECTIONES VARIANTES.

(1) Facillime prolatum *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Et *abest a Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Utique *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Ut *al.*
(5) Dominum *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Et *abest a Pam. Fran.*
(7) Archeton *Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Arceto *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nemo mihi quicquam faciet.* Sic ad Scapulam: *Magistrum neminem habemus, nisi Deum solum. Hic ante te est, nec abscondi potest, sed cui nihil facere possis.* Psal. LV. *Non timebo quid faciat mihi homo. Non timebo quid faciat mihi caro.* Rig.

(b) *Invenient.* Iren. contra hæres. cap. 7, § 1: Τὰς δὲ τῶν δικαίων ψυχὰς ἀναπαύεσθαι καὶ αὐτὰς ἐν τῷ τῆς μεσότητος τόπῳ. Μηδὲν γὰρ ψυχικὸν ἐντὸς Πληρώματος χωρεῖν. Τούτων δὲ γενομένων οὕτως, τὸ ἐμφωλεῦον τῷ κόσμῳ πῦρ ἐκλάμψαν, καὶ ἐξαφθὲν, καὶ κατεργασάμενον πᾶσαν ὕλην συναναλωθήσεσθαι αὐτῇ, καὶ εἰς τὸ μηκέτι εἶναι χωρήσειν διδάσκουσι.

Justorum quoque animas refrigerare et ipsas in medietatis loco. Nihil enim psychicum intra Pleroma transire. His autem factis ita, is qui latet in mundo ignis exardescens et comprehendens universam materiam consumit et ipsum simul consumptum abire in id ut jam non sit. — Hæc haud feliciter a vetere interprete reddita sunt. Quare cum Billio vertendum: *Quæ cum ad hunc modum contigerint, tunc vero docent fore ut ignis ille qui in mundo delitescit, effulgeat et accendatur, confectaque universa materia, simul quoque cum ea consumatur atque in nihilum redigatur.* Tertullianus hic multa plurimo sale respersa addidit quæ conveniunt cum Irenæi cap. 7, § 1, seu fine. Edd.

CAP. XXXIII. — (c) *Censum.* Tertullianus, plurima transiluit, omniaque omisit quæ Irenæi capita 8, 9, 10, 11 conflabant. Quantum, ut voluit, consuluerit nequid ordini obstrepat, videas ac pro libitu censcas velim.

Iren. lib. II, cap. 12, § 1. Ὁ Πτολεμαῖος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἔτι ἐμπειρότερ ς ἡμῶν τοῦ ἑαυτῶν διδασκάλου..... ζύο συζύγους τῶν Θείων, τῷ παρ' αὐτοῖς Βυθῷ καλουμένῳ, ἐπενόησέ τε καὶ ἐχαρίσατο· ταύτας δὲ καὶ διανοίαν ἐκάλεσεν. Ἐννοίαν τε καὶ Θέλημα. Πρῶτον γὰρ ἐνενοήθη προβαλεῖν, φησὶν, εἶτα ἠθέλησε· διὸ καὶ τὰν δύο διαθέσεων τούτων..... τὴ προβολὴ τοῦ Μονογενοῦς, καὶ τῆς Ἀληθείας κατὰ συζυγίαν ἐγένετο οὓς τινὰς τύπους καὶ εἰκόνας τῶν δύο διαθέσεων τοῦ Πατρὸς προαλθεῖν.... ὁ μὲν ἄῤῥην εἰκὼν τῆς ἀγεννήτου Ε νοίας γέγονεν, ὁ δὲ θῆλυς τοῦ Θελήματος· τὸ θέλημα τοίνυν δύναμις ἐγένετο τῆς Ἐννοίας.

Interpretatio vetus. — *Illi vero qui sunt circa Ptolemæum scientiores, duas conjuges habere eum Bython dicunt, quas et dispositiones vocant, Ennean et Thelesin. Primo enim mente concepit quiddam emittere, sicut dicunt, post deinde voluit. Quapropter duobus his affectibus... Emissio Monogenis et Aletheiæ secundum conjugationem facta est. Quos typos et imagines duorum affectuum Patris egressas esse... adventitiæ voluntatis masculus est imago, innatæ vero Ennææ fœmininus, quoniam voluntas velut virtus facta est Ennææ.* Edd.

CAP. XXXIV. — (d) *Apud solos Lunenses.* Vetus Hetruscorum oppidum significat, a quo marmor Lunense. Le Pr.

CAP. XXXV. — (e) *Proferuntur:* Iren. cap. 11. Jam in isto capite redit Tertullianus in Iren. cap. 11, in fine, nempe: Ἄλλοι δὲ πάλιν αὐτῶν τὴν πρώτην καὶ ἀρχίγονον Ὀγδοάδα τούτοις τοῖς ὀνόμασι καλοῦσι· πρῶτον Προαρχὴν, ἔπειτα Ἀντινόητον, τὸν δὲ τρίτην Ἄῤῥητον, καὶ τὸν τετάρτην Ἄῤῥατον· καὶ ἐκ μὲν τῆς πρώτης προαρχῆς προβεβλῆσθαι πρώτῳ καὶ πέμπτῳ ἀρχὴν, ἐκ δὲ (τῆς ἀρχῆς) τῆς ἀνεννοήτου δευτέρῳ καὶ ἕκτῳ τόπῳ ἀκατάληπτον, ἐκ δὲ τῆς ἀῤῥήτου τρίτῳ καὶ ἑβδόμῳ τόπῳ ἀνώνυμαστον, ἐκ δὲ τῆς ἀοράτου ἀγέννητον

Interpretatio vetus. — *Alii autem rursus ipsorum primam et Archegonon octonationem his nominibus nominaverunt: primum Proarchen, deinde Anennæton, tertium autem Arrheton, et quartam Aoraton. Et de prima quidem proarche emissum esse primo et quinto loco Archen, ex Anennoeto secundo et sexto loco Acatalepton, et de Arrheto tertio et septimo loco Anonomaston; de Aorato autem quarto et octavo loco Agenneton.* Edd.

CAP. XXXVI. — (f) *Gradus revera Gemonios.* Notissima sunt illa nomina apud philologos, gradus Gemonii, scalæ Gemoniæ. Erat autem locus reorum suppliciis infamis in monte Aventino. Le Pr.

(quod aiunt) missa, semel octojugem istam ex Patre et (1) Ennœa ejus exclusam. Ex ipso denique ejus motu nomina gerunt. Cum, inquiunt, cogitavit proferre, hoc Pater dictus est. Cum protulit, quia vera protulit, hic Veritas appellata est. Cum semetipsum voluit probari, hoc homo pronuntiatus est. Quos autem præcogitavit cum protulit, tunc Ecclesia nuncupata est. Sonuit homo sermonem, et hic est primogenitus filius : et sermoni accessit vita, et Ogdoas prima conclusa est. Sed hoc tædium non (2) pusillum (*a*).

CAPUT XXXVII.

Accipe (*b*) alia ingenia Curruceæ (3) Enniani, insignioris (*c*) apud eos magistri, qui et (4) pontificali sua auctoritate in hunc modum censuit. Est, inquit, ante omnia Proarche, inexcogitabile, et inenarrabile, et innominabile (5), quod (*d*) ego nomino Monoteta.

A Cum hæc erat alia virtus, quam et ipsam appello Henoteta. Monotes et Henotes, id est Solitas et Unitas, cum unum essent, protulerunt non proferentes initium omnium intellectuale, innascibile, invisibile, quod sermo Monada (6) vocavit. Huic adest consubstantiva virtus, quam appellat Unio. Hæ igitur virtutes Solitas, Singularitas, Unitas (7), Unio, cæteras prolationes Æonum propagarunt. O differentia! Mutetur Unio et Unitas, Singularitas et summa Solitas (8), (*e*) quamquam (9) designaveris, unum est (*f*).

CAPUT XXXVIII.

Humanior jam Secundus, ut brevior, Ogdoadem in duas Tetradas dividens, in dextram et sinistram, in lumen et tenebras; tantum quod desultricem et defectricem illam virtutem non vult ab aliquo deluB cere triginta (10) Æonum, sed a fructibus de substantia eorum venientibus (*g*) (11).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et ex parte *Rhen. Seml. Oberth. Semler qui tamen omnino legendum*, Patre, *amotat.*
(2) Non *abest a Pam. Fran. Par.*
(3) Circuriana *Seml. Oberth.* Cicuria Enniana *Pam. Fr. Jun.* Lyncuriana *Rhen.* Cercuriana *Lat.*
(4) Ex *Pam. Fran. Par.*
(5) Et innominabile *abest a Rhen. Seml. Obert.*
(6) Monada *abest ab exempl. Rhen.*
(7) Singularitas, unitas *non hab. Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Et sum, et solita *Rhen. Seml. Oberth.*
(9) Quamque *Pam.*
(10) Triginta *abest a Rhen. Seml. Oberth.*
(11) De substantia veniant *Rhen. Seml. Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) *Pusillum.* Iren. contra hæres. cap. 12, § 2. Τὴν πρώτην ὀγδοάδα οὐ καθ' ὑπόβασιν ἄλλου ὑπὸ ἄλλου λέγουσι προβεβλῆσθαι, ἀλλ' ἅμα καὶ εἰς ἅπαξ τὸν τέλειον ἐξ ἑνὸς προβολὴν ὑπὸ τοῦ προπάτορος καὶ ἐννοίας αὐτοῦ τετίχθαι. ὡς αὐτὸς μαινόμενος, διαβεβαιοῦνται. ..... ὅτι ὅπερ ἐνενοήθη προβαλεῖν ὁ Προπάτωρ, τοῦτο πατὴρ ἐλέχθη· ἐπεὶ δὲ ὃ προεβάλετο ἀλήθεια ἦν, τοῦτο Ἀλήθεια ὠνομάσθη· ὅτι οὖν ἠθέλησεν ἐπιδεῖξαι αὐτὸν, τοῦτο Ἄνθρωπος εἴρηται· οὗς δὲ προελογίσατο ὅτι προέβαλε, τοῦτο Ἐκκλησίαν ὠνόμασθη· καὶ ὁ Ἄνθρωπος τὸν Λόγον, οὗτός ἐστιν ὁ πρωτότοκος υἱὸς· ἐκκαλούσθαι δὲ τῷ Λόγῳ καὶ ἡ Ζωή· καὶ οὕτως πρώτη Ὀγδοὰς συνετελέσθη.

Interpretatio vetus.— *Qui autem prudentiores putantur illorum esse primam octonationem non gradatim, alterum ab altero Æonem emissum dicunt, sed simul et in unum Æonum emissionem a Propatore et Ennœa ejus, cum crearentur, ipsi se obstetricasse affirmant... Quando cogitavit aliquid emittere Propator, hoc Pater vocatus est ; at ubi quæ emisit vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est. Cum ergo voluit semetipsum ostendere, hoc anthropos dictus est. Quos autem præcogitaverat, posteaquam emisit, hoc Ecclesia vocata est. Locutus est Anthropos Logon. hic est primogenitus filius. Subsequitur autem Logon Zoe, et sic prima octonatio completa est.* Edd.

CAP. XXXVII. — (b) *Accipe alia ingenia.* Latinius emendandum censuit. *Accipe alia ingentia, cercuriana.* D *Cercurus*, inquit, *dicitur navis Asiana prægrandis.* Ita quidem Festus tradidit. Sed hoc frigidum nimis, præ stoliditate ac vesania Valentiniani, quem Tertullianus explodit. Hæc autem est veterum exemplarium scriptura constantissima : *Accipe alia ingenia circurianiana.* Unde conjicimus Auctorem nostrum scripsisse, *Accipe alia ingenia Curruceæ Enniani, insignioris apud eos magistri*, etc. Curruca, stupidi cujusdam nimiologi nomen fuit, ut discimus ex veteri Juvenalis interprete ad hunc versum e Satyra sexta :

Tu tibi nunc Curruca places, fletumq labellis
Exsorbes,

Quod certe fatuus aliquis describitur. Hujusce autem Currucæ aptam ridiculis personam, primus, ut videtur, Ennius introduxit. Unde Tertullianus hoc loco aliquem e proceribus valentinianis deliramenta sua tanquam effata pontificalia verbis ad factum compositis pronuntiantem, Currucam Ennianum nuncupavit. Tertullianum vero imitatus Hieronymus, libro adversus Ruffinum secundo, dixit : *Didymi interpretaris scholion, in quo ille casso labore conatur alienum laborem defendere, quod origines bene quidem dixerit, sed nos simplices homines et Currucæ Enniani, nec illius sapientiam nec tuam; qui interpretatus es, intelligere possumus.* Etenim sic etiam emendandum, quod illic depravate legitur, *Cicures Enniani* Carterum, coconjectura nostra firmari etiam videatur, quod Irenæus in valentinianum istum quem Septimius Currucam vocat, sub vocabulis peponis et cucurbitæ et cucumeris lusit. Ric.

(c) *Insignioris apud eos magistri.* Irænens : *Alius vero quidam, qui et clarus est magister ipsorum, in majus sublime, et quasi in majorem agnitionem extensus.* Ric.

(d) *Ego nomino monoteta.* Vocabula confringit sibi soli propria, hanc vocem postea per *solitatem* explicat. Le Pr.

(e) *Quamquam designaveris.* Id est, quamlibet ex iis, sive Unionem, sive Unitatem, sive Singularitatem, sive Solitatem, nihil aliud quam Unum dicis. Ric.

(f) *Unum est.* Iren. contra hæres. lib. I, cap. 11, § 3. ... ἐστι τις πρὸ πάντων προαρχὴ, πρεσεννόητος, ἀῤῥήτός τε καὶ ἀνονόμαστος, ἣν ἐγὼ μονότητα ὁρίθμῶ· ταύτῃ τῇ μονότητι συνυπάρχει δύναμις, ἣν καὶ αὐτὴν ὀνομάζω ἑνότητα. Αὕτη ἡ ἑνότης, ἥ τε μονότης, τὸ ἓν οὖσαι, προήκαντο μὴ πρόπαλαι ἀρχὴν ἑαυτῶν πάντων γνητὴν, ἀγέννητόν τε καὶ ἄῤῥητον, ἣν ἀρχὴν ὁ λόγος μονάδα καλεῖ· ταύτῃ τῇ μονάδι συνυπάρχει δύναμις ὁμοούσιος αὐτῇ, ἣν καὶ αὐτὴν ὀνομάζω τὸ ἓν· αὗται αἱ δυνάμεις, ἥ τε μονότης καὶ ἑνότης, μονάς τε καὶ τὸ ἓν, προήκαντο τὰς λοιπὰς προβολὰς τῶν Αἰώνων.

Interpretatio vetus.— *Est quidem ante omnes Proarche, Proaennoetos (cogitationem omnem superans) et innominabilis, quam et ipsam voco Henoteten. Hæc autem Henotes et Monotes, cum sint unum, emiserunt, cum nihil emiserint, principium omnium, Noeton et Agennneton, et Aoraton, quam Archem sermo Monada vocat. Cum hac Monade est virtus ejusdem substantiæ ei quam et eam voco Hen. Hæ autem virtutes, id est, Monotes et Henotes, et Monas et Hen emiserunt reliquas emissiones Æonum.*

CAP. XXXVIII.—(g) *Veniant.* Iren. contra hæres. cap. 11, § 2. Σαοῦνδος λέγει εἶναι τὴν πρώτην ὀγδοάδα, τετράδα δεξιὰν, καὶ τετράδα ἀριστερὰν, οὕτως παραδιδοὺς καλεῖσθαι, τὴν μὲν μίαν φῶς, τὴν δὲ ἄλλην σκότος· τὴν δὲ

CAPUT XXXIX.

De ipso jam Domino Jesu (1), quanta diversitas scinditur? (*a*) Illi ex omnium Æonum flosculis eum construunt, illi ex solis decem constitisse contendunt, quos Sermo et Vita protulerunt; inde et in ipsum Sermonis et Vitæ concurrerunt oculi : isti (2) ex duodecim (3) potius, ex Hominis et Ecclesiæ fœtu : ideoque Filium hominis aiunt (4) pronuntiatum; alii a (5) Christo et Spiritu Sancto constabilien-

A dæ universitati (6) provisis, conflictum : et jure (7), paternæ appellationis hæredem. Sunt qui filium hominis aliunde conceperint dicendum : quamquam (8) ipsum Patrem pro magno nominis sacramento Homines appellasse præsumpserint (*b*), ut quid amplius speres de ejus Dei fide cui nunc adæquaris? Talia ingenia superfruticant apud illos ex materni seminis redundantia. Atque ita inolescentes (9) doctrinæ Valentinianorum, in silvas jam exoleverunt Gnosticorum (*c*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Jesu *Rhen. Seml. Oberth.*
(2) Flosculi. Ille *Pam.*
(3) Christo *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Avite *Rhen. Seml. Pam. Obert.*
(5) Alia *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Conversitati *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Et in se *Rhen. Seml. Oberth.* et esse *Jun.*
(8) Quoniam *Jun.*
(9) Insolescentes *Rhen. Seml. Obert. Pam.*

COMMENTARIUS.

ἀποστᾶσάν τε καὶ ὑστερήσασαν δύναμιν μὴ εἶναι ἀπὸ τῶν τριάκοντα Αἰώνων, ἀλλὰ ..

Interpretatio vetus. — *Secundus autem primam ogdoadem sic tradidit, dicens, quaternationem esse dextram, et quaternationem sinistram, et lumen et tenebras, et discedentem autem et destitutam virtutem non a triginta Æonibus dicit fuisse, sed a fructibus eorum.*

CAP. XXXIX. — (a) *Ex omnium æonum flosculis* Sumunam hic spurcissimorum hominum adverte blasphemiam. Jesum Servatorem nostrum et vindicem ex universo pleromate sui ex omnibus æonibus generatum pronuntiant.

O tribus antycirris caput insanabile! LE PR.

(b) *Præsumpserint.* cap. 12, § 4. Πολλὴ δὲ μάχη παρ' αὐτοῖς καὶ περὶ τοῦ Σωτῆρος· οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐκ πάντων γεγονέναι λέγουσι· οἱ δὲ ἐκ μόνων τῶν δέκα Αἰώνων, τῶν ἀπὸ Λόγου καὶ Ζωῆς, προβεβλῆσθαι αὐτὸν λέγουσι· τὰ προγονικὰ ὀνόματα (τὰ) διασώζοντα· οἱ δὲ ἐκ τῶν δεκαδύο Αἰώνων, τῶν ἐκ τοῦ Ἀνθρώπου καὶ Ζωῆς γενομένων, καὶ διὰ τοῦτο υἱὸν ἀνθρώπου ὁμολογεῖ, ὑστεροῦντα ἀπόγονον Ἀνθρώπου· οἱ δὲ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἰς στερέωμα τοῦ πληρώματος γεγονέναι λέγουσιν αὐτόν, καὶ διὰ τοῦτο Χριστὸν λέγεσθαι αὐτόν, τὴν τοῦ Πατρὸς.... διασώζοντα προσηγορίαν· ἄλλοι δὲ.... τινὲς ἐξ αὐτῶν ῥαφῳδοὶ τὸν προπάτορα, ... Ἄνθρωπον λέγουσι καλεῖσθαι· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ μέγα καὶ ἀπόρρητον μυστήριον, ὅτι ἡ ὑπὲρ τὰ ὅλα ζύγκρισις, καὶ περιεκτικὴ τῶν πάντων Ἀνθρωπος καλεῖται.

Interpretatio vetus. — Multa autem pugna apud eos etiam de Salvatore. *Quidam enim* eum *ex omnibus generatum* dicunt. Quapropter Beneplacitum vocari, *quoniam universum pleroma bene sensit per eum glorificare Patrem. Alii autem ex solis decem Æonibus, qui sunt a Logo et Zoe emissi*; et propter hoc Logum et Zoen dici eum parentum nomina custodientem. *Alii autem* ex duodecim Æonibus his qui sunt *ab Anthropo et Ecclesia* facti : *et propter hoc Filium*, velut postgenitum *Anthropi. Alii a Christo et Spiritu Sancto*, ad firmamentum pleromatis *factum eum dicunt et propter hoc Christum vocari eum dicunt, Patris sui* . . . custodientem appellationem. Alii autem sunt qui ipsum propatorem omnium anthropon dicunt vocari, et *hoc esse magnum et absconditum mysterium*, quoniam quæ est super omnia virtus et continet omnia, Anthropos vocatu EDD.

(c) *Conclusio.*— Huc usque igitur sole clarius est in toto libelli sui decursu Tertullianum pressis vestigiis Irenæum fuisse secutum; multa quidem vel tacuit, vel produxit, vel aliis involvit verbis; multis vero et apertis indiciis prodidit nullum antiquiorem, præstantiorem, diligentiorem sibi proposuisse ducem, cujus, ut vidimus, nec solum opera græca, sed et latinam veterem translationem plenis haustibus, manibusque sibi comparaverit. Unde susdeque ruunt insana Semleri paradoxa de incerta Irenæi et Tertulliani librorum indole et origine. — Nec firmiori insidet fundamento frequens Semleri in veteres Apologetas accusatio eos nempe ignorasse veram

B Gnosticorum disciplinam, sententiasque eorum probas et perfectioris cognitionis indices, quo facilius derideri queant, corrupisse. Hæc et his similia quasi peculiari studio in nostrum Irenæum, ejusque fidum interpretem Septimium semel et iterum injicit exaggeratque. Eas porro disciplinas Gnosticorum, sententiasve, undenam, amabo, habes, nisi ex Irenæo, nisi ex Tertulliano? Quas si eos ignorasse vis, ignorare et nos quanto certius est! Eos nempe exteraneos, hæreticis commixtos, cum iis cominus conversantes, concionantes, compugnantes, nos vero ultimis repostos temporibus, ac longe remotiores doctrinis, animis, totius vitæ ratione et moribus. Jacent ergo æternumque jaceant invictis Irenæi et Tertulliani telis confossi, Gnostici quotquot, sive veteres et emortui, sive redivivi et recentiores. Neminem enim latet quantam inter se connexionem habeant tum caduca antiquæ Γνώσεως deliramenta, tum recentiora scientiæ novæ tentamenta ac imprimis passim in Germaniæ palæstris scaturientia audacium

C doctorum mystarum, mythicorum, symbolistarum ratiocinia. Inde in Irenæum simul et Tertullianum iræ, maximæ vero in Irenæum, qui præter hæc, ingentia sibi invexit crimina, cum Romanam sedem tantis extulit laudibus, ac Ecclesiæ catholicæ Reginam, hominumque Advocatam præconiis tam eximiis celebravit. Quidquid sit, in neotericis animi vel iræ nondum exoleverunt argumenta Patrum, et ab illis etiamnunc accipienda sunt arma quibus fusa fugataque albeant hæc hostium agmina nebulis ac pulvere obsita, qui novam rerum divinarum, humanarumque institutionem fabulis, allegoriisque refertam somniarunt, *omnia*, inquit optime Septimius, *in imagines urgentes, plane et ipsi imaginarii christiani.* EDD.

CAP. II. col. 544.— Recentibus rerum gnosticarum indagatoribus prorsus visum est ratum et incompertum in hoc et in cæteris libelli sui capitibus frequenter allusisse Tertullianum libris ipsissimet Valentini, ejusque palmare volumen, cui inscriptus erat titulus : *Sophia*, in manibus et præ oculis aperte habuisse. Porro plurima iste alter Γνώσεως parens edidit opera, quorum exstant fragmenta nonnulla passim in Clement. Alex. Stromat. disjecta, nempe quædam epistolarum Valentini fragmenta in libr. I, *p.* 975; I, 409; III, 450; tum homiliarum lacinia in *Strom.*, *lib.* IV, *p.* 641; demum fragmentum avulsum ab ejusdem tractatu *de amicis*, *p.* 509. Præterea *Dissertatunculam de mali origine* Clariss. Grabius recognovit et emendavit ex Bodleianæ Biblioth. codd. Mss. duobus, 2040 et 2584, in *Spicileg. hæretic. sæculi* II, *p.* 55. Hæc omnia reperiuntur iterum edita in appendice ad *quinque* Irenæi *libros contra hæres.*, *p.* 552 *et seqq.*, *ed.* D. Massuet, Paris; 1710.—Imo, nec etiam nunc omnino amissum foret insigne *de Sophia* volumen, si qua fides Woide, anglo ultimi sæculi philologo, qui inter codd. mss. a D. Askew collectos unum reperit, membranis pergamenis conflatum, in forma in-4°, literis græcis uncialibus summæ vetustatis

exaratum, lingua Coptorum ægyptiaca ab integro conscriptum, nullum in fronte titulum, hæc vero ad calcem secundæ partis exhibentem verba : *tomus secundus fidelis Sophiæ*, hunc esse Valentini librum cui interdum alludit Tertullianus sibi persuasum habuit, cum in eo codice contineri vidit XIII Psalmos pœnitentiales Sophiæ, XIII Canticos ad laudem Christi Sophiam redimentis, quasdam confabulationes Christi cum discipulis et mulieribus evangelicis. Porro in his ipsis adnotationibus, Woide ansam dedit dubitandi falsone an merito hæc Valentino tribuerentur; nam verisimile minime est Valentinum opus suum maximum in lingua ægyptiaca conscripsisse, nec pauca quæ Woide cruit ac interpretatus est redolent hujus operis versionem. Nihil enim sive Valentinum, sive ejus sequelam aperte designat, imo Woidii sententiæ obsunt quædam Valentino prorsus aliena, videlicet *Barbelo*, *Jaldabaothar duodecim salvatores*, et A *alia de Apostolorum dignitate, de animarum origine.* Præterea libro *de Sopma* perperam tribuerentur psalmi vel cantici; quanto magis Christi sermocinationes, quibus apertius declaratur hæc desumi ab Evangelio secundum Ægyptios apocrypho. Nec id infirmatur ex titulo *Sophiæ fidelis*, unde tantum inferre licet eo in libro agi de re Gnostica.—Cui rei referendus est similiter alter ab eodem Woide descriptus codex, in eadem ægyptiaca lingua, in dialecto Sahidico exaratus, 76 foliis in forma in-4° compactus in duas divisus partes, quarum prior inscribitur : Γνώσεως liber. — Posterior vero : liber Magni Λογου κατὰ Μυστήριον. Eum ab Oriente in Angliam attulit celeberr. viator *Brucius*, nec parum doctorum desideriis satisfaceret quicumque vetustatis explorator qui hanc sibi daret provinciam in lucem hunc librum emittendi. Cf. Matter., *Hist. du Gnostic.*, *t.* II, 106, 107. Edd.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
LIBER ADVERSUS JUDÆOS.

Argumentum. — *Disputatione habita inter christianum* B *et proselytum judæum (de se, quantum apparet, in tertia persona sermonem faciens) Tertullianus, quod per concentum obstrepentium spectatorum minus plene potuit dilucidari, stylo retractat, pugnans adversus Judæos solidissimis rationibus : et ex sacræ Scripturæ fundamentis : idque pace Ecclesiæ adhuc durante ante bellum Britannicum, eo tempore quo Mauri a Romanis obsidebantur.*

Primum autem etiam gentibus gratiam Dei vindicat, posse eas ad Dei legem admitti comprobans. Cap. I.

Quippe cum lex primordialis matrix omnium præceptorum C *Adæ et Evæ in paradiso data sit; ac legem Moysi scriptam, legis naturalis justitia in Noe et Abraham, quin et sacerdotium in Melchisedech, præcesserit. Cap. II.*

Et datam quidem Abrahæ circumcisionem carnalem ad tempus, sed in signum, unde Israel in novissimo tempore dinosceretur, quando secundum sua merita in sanctam civitatem ingredi prohiberetur : nunc vero spiritalem circumcisionem in salutem esse populo obedienti. Cap. III.

Sabbati quoque observationem temporalem fuisse, Sabbati æterni figuram : utpote quod neque a prædictis patriarchis ante legem Moysi, neque post eam- D *dem ab omnibus perpetuo observatam, exemplis constet Jesu Nave et Machabæorum. Cap. IV.*

Quid? quod etiam ipsa sacrificia terrenarum oblationum Abel et Cain, in Levitico conscripta, spiritalium sacrificiorum prædicta fuisse ex Malachia et Psalmis manifestum sit. Cap. V.

Atque adeo ex prædictis concludi, legem novam superventuram; id itaque quærendum, an exspectetur novæ legis lator, an vero jam venerit. Cap. VI.

Venisse autem, primum ex prophetiis commonstrari de regno ejus super gentes, eoque æterno. Cap. VII.

Deinde ex temporibus nativitatis ducis Christi, et passionis, et exterminii Jerusalem a Daniele prædictis. Cap. VIII.

Quin etiam prædictionibus variis, quibus a prophetis nuntiata est Christi nativitas. Cap. IX.

Item ex iis quæ de passione Christi in cruce prædicta sunt, et figuris ejusdem. Cap. X.

Rursum ex cladis Jerusalem prædictione, non modo per Danielem, sed et per Ezechielem prophetam. Cap. XI.

Insuper et repetitione quorumdam Scripturæ sacræ locorum de gentium ad Christum conversione. Cap. XII.

Denique præscriptione aliarum Scripturarum, e quibus jam venisse convincitur. Cap. XIII.

Postremo ex abundantia erroris Judæorum convinci, ex secundo Christi adventu in sublimitate post priorem illum in humilitate; circa quem illi decepti sunt, quia non in sublimitate venerit; dum ignorant in humilitate fuisse venturum. Cap. XIV.

Cæterum, præterquam quod libro tertio adversus Marcionem iisdem pene verbis repetit Tertullianus non nihil fusius, quæ hic contractius tractet, unde ejusdem utrumque auctoris nemo dubitare possit; et quod B. Cyprianus libris duobus prioribus Testimoniorum ad Quirinum adversus Judæos, hunc ita sit imitatus librum, ut multa decerpserit; similiter Julianus Pomerius lib. tribus contra Judæos : certe Eusebius in Chronico sententiam Tertulliani de nativitate Christi ex hoc libro nominatim recenset, et Pomerius in librum suum primum, ac B. Hieronymus bonam IX *capitis partem suo in Danielem commentario transcripserunt. Disertis item verbis scripti hujus meminerunt Vincentius Lirinensis, abbas Thritemius, et Politianus, antequam prælo committeretur a Rhenano. Qui et secundam castigatiorem edidit ex Corzienzi codice, additis aliquot scholiis; verum quod cum in britannico codice Lelandi non haberetur, a Gelenio*

non sit recognitus, nondum pristinam faciem receperat. Quare et nobis in eo recurando laborandum fuit, ad quod subsidio fuerunt MS. Vaticanum unum libri istius, et duo libri tertii adversus Marcionem exemplaria, item dictus B. Hieronymi commentarius et loci aliquot a Latinio utrobique observati : uti ex nostris adnotationibus videre est. PAMELIUS.

CAPUT PRIMUM.

Proxime (*a*) accidit; disputatio habita est christiano (*b*) et proselyto judæo. Alternis vicibus contentioso fune (*c*) uterque diem in vesperam traxerunt: obstrepentibus etiam quibusdam ex partibus (1) singulorum (2), nubilo quodam veritas obumbrabatur. Placuit ergo (*d*) quod per concentum disputationis minus plene potuit dilucidari, inspici curiosius, et lectionis (3) stylo quæstiones retractatas terminare. Nam occasio quidem defendendi etiam gentibus sibi (4) divinam gratiam, habuit hinc prærogativam, quod (*e*) sibi vindicare Dei legem instituerit homo ex gentibus, nec de prosapia Israelitum judæus. Hoc enim sat esse (5), posse gentes admitti ad Dei legem, ne Israel adhuc superbiat, quod *gentes velut stillicidium situlæ, aut pulvis ex area deputentur* (*Is.* XL, 15). Quamquam habeamus ipsum Deum idoneum polheitatorem et fidelem sponsorem, qui Abrahæ promiserat quod *in semine ejus benedicerentur omnes nationes terræ* (*Gen.*, XXII, 18), et quod *ex utero Rebeccæ duo populi et duæ gentes essent processuræ* (*Gen.*, XXV, 23): utique Judæorum, id est Israel; et Gentium, id est noster. Uterque ergo et (6) populus et gens est appellatus, ne de nominis appellatione privilegium gratiæ sibi quis audeat defendere. Duos etenim populos et duas gentes processuras ex unius fœminæ utero Deus destinavit, (*f*) nec discrevit gratiam in nominis appellatione, sed in partus editione; ut qui prior esset de utero processurus, minori subjiceretur, id est posteriori. Sic namque ad Rebeccam Deus locutus est, dicens: *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo dividentur, et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Ib.*). Itaque cum populus seu gens in Judæorum anterior sit tempore, et major per gratiam primæ dignationis in lege, noster vero minor ætate temporum (7) intelligatur, utpote in ultimo sæculi spatio adeptus (8) notitiam divinæ miserationis, procul dubio secundum edictum (9) divinæ locutionis, prior et (10) major populus, id est Judaicus, serviat necesse est minori; et minor populus, id est Christianus, superet majorem. Nam et secundum Scripturarum divinarum (11) memorias populus Judæorum major (12), id est antiquior, derelicto Deo, idolis servivit, et divinitate abrelicta, simulacris fuit deditus, dicente populo ad Aaron : *Fac nobis deos qui nos antecedant* (*Exod.*, XXXII, 23). Quod cum ex monilibus fœminarum (*g*) et annulis virorum aurum (13) fuisset igne conflatum, et processisset eis bubulum caput, huic figmento universus Israel, relicto Deo honorem dederunt, dicentes : *Hi sunt dei* (14) *qui nos ejecerunt de terra Ægypti.* Sic namque posteri oribus temporibus, quibus reges eis imperabant, (*h*) et cum Hieroboam vaccas aureas et lucos colebant, et Bahali se mancipabant: unde probatur (15) eos semper idololatriæ crimine reos designatos ex instrumento divinarum Scripturarum. Noster vero populus minor, id est posterior, relictis idolis quibus ante deserviebat, ad eumdem Deum conversus est a quo Israel, ut supra memoravimus, abscesserat. Sic namque populus minor, id est posterior, populum majorem superavit, dum gratiam divinæ dignationis consequitur, a qua Israel est repudiatus.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ex partibus *abest a Pam. Oberth. Seml.*
(2) Quibusdam spectantibus (*pro* spectatoribus *Rhen.*) sibilorum nubilo quodam jurgiorum *Lat.*
(3) Lectionibus *Oberth. Seml.*
(4) Sibi *abest a Jun.*
(5) Est *Oberth. Seml.*
(6) Et *abest a Pam. et Par.*
(7) Temporum (de Rebecca, de duobus populis) intelligitur. *Hancce parenthesim quasi a glossemate profectam expungit Lat. Rig. Jun. autem arbitratur e sequentibus huc esse transpositam; Seml. nempe post* prior et major. *Oberth.* Temporum de Rebecca, de duobus populis, intelligitur id posse. *Hyperbaton est locus iste aut corruptus, cui ex MS. mederi non licuit.* PAM.
(8) Adeptos *Rhen. Obert.*
(9) Dictum *Rhen.*
(10) Et *abest a Pam. Obert.*
(11) Divinarum Scripturarum *obest a Pam. Rhen. Obert.* Memorias *usurpat pro Scripturis sacris Pam.*
(12) Major *abest a Pam. et Rhen.*
(13) Aurum *delet. Jun.*
(14) Dii *Obert. Seml.*
(15) Putabatur *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) Sed ubi et quando? quis ille christianus? SEML.

(b) *Et proselyto judæo.* Hæc vox in Scriptura occurrit sæpe; significat autem apud Judæos hominem advenam seu adventitium, qui cum non sit Judæus, ad eorum tamen legem ex gentilibus accessit. LE P.R.

(c) *Contentioso fune.* Proverbialiter dixit, alternis vicibus contentioso fune, uterque diem in vesperam traxerunt, sic in libro *de Resurrectione carnis : Modo nunc*, inquit, *contentioso fune deducere, hac an illac hominem perditio depostulet.* RHEN.

(d) Scilicet mihi. SEML.

(e) *Sibi vindicare.* Vatic. codex *vendicare*, perinde est; nam et vindicare quod a vindiciis derivatur, est rem controversam sibi adserere. PAM.

(f) *Nec discrevit gratiam.* Codex Fuldensis, *Nec discrevit gratia.* Quod rectius est. RIG.

(g) *Et annulis virorum.* Similiter B. Ambrosius epist. 56, ad Romulum: *Coactus igitur Aaron petit annulos eorum et inaures mulierum.* Cum autem istud neque græce hodie legatur, neque latine in editione B. Hieronymi reperiatur, oportet diversam fuisse septuaginta virorum editionem quibusdam in locis ab ea quæ nunc exstat, quod confirmatur ex verbis quæ mox ab Auctore citantur. PAM.

(h) *Et cum Hieroboam vaccas aureas*, etc. Judaicam superstitionem et idololatriam insectatur, cui proclivior fuit gens illa. Notatur hic præcipue rex Hieroboam primus, qui, cum in regem creatus esset, veritus ne, si Israelitæ Hierosolymam remearent ad sacra, illos tæderet divortii quod tum fecerant, ut haberent apud se quod colerent, vitulos aureos erexit, in Dan unum, et alterum in Bethel, quibus sacrificulos addidit, vetuitque ne Israelitæ Hierosolymam deinceps commearent. Habetur historia III *Reg.* XII. LE P.R.

exaratum, lingua Coptorum ægyptiaca ab integro conscriptum, nullum in fronte titulum, hæc vero ad calcem secundæ partis exhibentem verba : *tomus secundus fidelis Sophiæ*, hunc esse Valentini librum cui interdum alludit Tertullianus sibi persuasum habuit, cum in eo codice contineri vidit XIII Psalmos pœnitentiales Sophiæ, XIII Canticos ad laudem Christi Sophiam redimentis, quasdam confabulationes Christi cum discipulis et mulieribus evangelicis. Porro in his ipsis adnotationibus, Woide ansam dedit dubitandi falsone an merito hæc Valentino tribuerentur; nam verisimile minime est Valentinum opus suum maximum in lingua ægyptiaca conscripsisse, nec pauca quæ Woide eruit ac interpretatus est redolent hujus operis versionem. Nihil enim sive Valentinum, sive ejus sequelam aperte designat, imo Woidii sententiæ obsunt quædam Valentino prorsus aliena, videlicet *Barbelo, Juldabbaothar duodecim salvatores*, et A alia *de Apostolorum dignitate, de animarum origine*. Præterea libro *de Sopha* perperam tribuerentur psalmi vel cantici; quanto magis Christi sermocinationes, quibus apertius declaratur hæc desumi ab Evangelio secundum Ægyptios apocrypho. Nec id infirmatur ex titulo *Sophiæ fidelis*, unde tantum inferre licet eo in libro agi de re Gnostica.—Cui rei referendus est similiter alter ab eodem Woide descriptus codex, in eadem ægyptiaca lingua, in dialecto Sahidico exaratus, 76 foliis in forma in-4° compactus in duas divisus partes, quarum prior inscribitur : Γνώσεως liber. — Posterior vero : liber Magni Λογος κατὰ Μυστήριον. Eum ab Oriente in Angliam attulit celeberr. viator *Bruce*, nec parum doctorum desideriis satisfaceret quicumque vetustatis explorator qui hanc sibi daret provinciam in lucem hunc librum emittendi. Cf. Matter., *Hist. du Gnostic.*, *t.* II, 106, 107. EDD.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
LIBER ADVERSUS JUDÆOS.

ARGUMENTUM. — *Disputatione habita inter christianum et proselytum judæum (de se, quantum apparet, in tertia persona sermonem faciens) Tertullianus, quod per concentum obstrepentium spectatorum minus plene potuit dilucidari, stylo retractat, pugnans adversus Judæos solidissimis rationibus : et ex sacræ Scripturæ fundamentis : idque pace Ecclesiæ adhuc durante ante bellum Britannicum, eo tempore quo Mauri a Romanis obsidebantur.*

Primum autem etiam gentibus gratiam Dei vindicat, posse eas ad Dei legem admitti comprobans. Cap. I.

Quippe cum lex primordialis matrix omnium præceptorum Adæ et Evæ in paradiso data sit; ac legem Moysi scriptam, legis naturalis justitia in Noe et Abraham, quin et sacerdotium in Melchisedech, præcesserit. Cap. II.

Et datam quidem Abrahæ circumcisionem carnalem ad tempus, sed in signum, unde Israel in novissimo tempore dinosceretur, quando secundum sua merita in sanctam civitatem ingredi prohiberetur : nunc vero spiritalem circumcisionem in salutem esse populo obedienti. Cap. III.

Sabbati quoque observationem temporalem fuisse, Sabbati æterni figuram : utpote quod neque a prædictis patriarchis ante legem Moysi, neque post eamdem ab omnibus perpetuo observatam, exemplis constet Jesu Nave et Machabæorum. Cap. IV.

Quid? quod etiam ipsa sacrificia terrenarum oblationum Abel et Cain, in Levitico conscripta, spiritalium sacrificiorum prædicta fuisse ex Malachia et Psalmis manifestum sit. Cap. V.

Atque adeo ex prædictis concludi, legem novam superventuram; id itaque quærendum, an exspectetur novæ legis lator, an vero jam venerit. Cap. VI.

Venisse autem, primum ex prophetiis commonstrari de regno ejus super gentes, eoque æterno. Cap. VII.

Deinde ex temporibus nativitatis ducis Christi, et passionis, et exterminii Jerusalem a Daniele prædictis. Cap. VIII.

Quin etiam prædictionibus variis, quibus a prophetis nuntiata est Christi nativitas. Cap. IX.

Item ex iis quæ de passione Christi in cruce prædicta sunt, et figuris ejusdem. Cap. X.

Rursum ex cladis Jerusalem prædictione, non modo per Danielem, sed et per Ezechielem prophetam. Cap. XI.

Insuper et repetitione quorumdam Scripturæ sacræ locorum de gentium ad Christum conversione. Cap. XII.

Denique præscriptione aliarum Scripturarum, e quibus jam venisse convincitur. Cap. XIII.

Postremo ex abundantia erroris Judæorum convinci, ex secundo Christi adventu in sublimitate post priorem illum in humilitate; circa quem illi decepti sunt, quia non in sublimitate venerit; dum ignorant in humilitate fuisse venturum. Cap. XIV.

Cæterum, præterquam quod libro tertio adversus Marcionem iisdem pene verbis repetit Tertullianus non nihil fusius, quæ hic contractius tractet, unde ejusdem utrumque auctoris nemo dubitare possit; et quod B. Cyprianus libris duobus prioribus Testimoniorum ad Quirinum adversus Judæos, hunc ita sit imitatus librum, ut multa decerpserit; similiter Julianus Pomerius lib. tribus contra Judæos : certe Eusebius in Chronico sententiam Tertulliani de nativitate Christi ex hoc libro nominatim recenset, et Pomerius in librum suum primum, ac B. Hieronymus bonam IX capitis partem suo in Danielem commentario transcripserunt. Disertis item verbis scripti hujus meminerunt Vincentius Lirinensis, abbas Thritemius, et Politianus, antequam prælo committeretur a Rhenano. Qui et secundam castigatiorem edidit ex Gorzienzi codice, additis aliquot scholiis; verum quod cum in britannico codice Lelandi non haberetur, a Gelenio

non sit recognitus, nondum pristinam faciem receperat. Quare et nobis in eo recurando laborandum fuit, ad quod subsidio fuerunt MS. Vaticanum unum libri istius, et duo libri tertii adversus Marcionem exemplaria, item dictus B. Hieronymi commentarius et loci aliquot a Latinio utrobique observati : uti ex nostris adnotationibus videre est. PAMELIUS.

CAPUT PRIMUM.

Proxime (*a*) accidit; disputatio habita est christiano (*b*) et proselyto judæo. Alternis vicibus contentioso fune (*c*) uterque diem in vesperam traxerunt: obstrepentibus etiam quibusdam ex partibus (1) singulorum (2), nubilo quodam veritas obumbrabatur. Placuit ergo (*d*) quod per concentum disputationis minus plene potuit dilucidari, inspici curiosius, et lectionis (3) stylo quæstiones retractatas terminare. Nam occasio quidem defendendi etiam gentibus sibi (4) divinam gratiam, habuit hinc prærogativam, quod (*e*) sibi vindicare Dei legem instituerit homo ex gentibus, nec de prosapia Israelitum judæus. Hoc enim sat esse (5), posse gentes admitti ad Dei legem, ne Israel adhuc superbiat, quod *gentes velut stillicidium situlæ, aut pulvis ex area deputentur* (*Is.* XL, 15). Quamquam habeamus ipsum Deum idoneum polliceitatorem et fidelem sponsorem, qui Abrahæ promiserat quod *in semine ejus benedicerentur omnes nationes terræ* (*Gen.*, XXII, 18), et quod *ex utero Rebeccæ duo populi et duæ gentes essent processuræ* (*Gen.*, XXV, 23): utique Judæorum, id est Israel; et Gentium, id est noster. Uterque ergo et (6) populus et gens est appellatus, ne de nominis appellatione privilegium gratiæ sibi quis audeat defendere. Duos etenim populos et duas gentes processuras ex unius fœminæ utero Deus destinavit, (*f*) nec discrevit gratiam in nominis appellatione, sed in partus editione; ut qui prior esset de utero processurus, minori subjiceretur, id est posteriori. Sic namque ad Rebeccam Deus locutus est, dicens: *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo dividentur, et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Ib.*). Itaque cum populus seu gens in Judæorum anterior sit tempore, et major per gratiam primæ dignationis in lege, noster vero minor ætate temporum (7) intelligatur, utpote in ultimo sæculi spatio adeptus (8) notitiam divinæ miserationis, procul dubio secundum edictum (9) divinæ locutionis, prior et (10) major populus, id est Judaicus, serviat necesse est minori; et minor populus, id est Christianus, superet majorem. Nam et secundum Scripturarum divinarum (11) memorias populus Judæorum major (12), id est antiquior, derelicto Deo, idolis servivit, et divinitate abrelicta, simulacris fuit deditus, dicente populo ad Aaron : *Fac nobis deos qui nos antecedant* (*Exod.*, XXXII, 23). Quod cum ex monilibus fœminarum (*g*) et annulis virorum aurum (13) fuisset igne conflatum, et processisset eis bubulum caput, huic figmento universus Israel, relicto Deo honorem dederunt, dicentes: *Hi sunt dei* (14) *qui nos ejecerunt de terra Ægypti.* Sic namque posterioribus temporibus, quibus reges eis imperabant, (*h*) et cum Hieroboam vaccas aureas et lucos colebant, et Babali se mancipabant: unde probatur (15) eos semper idololatriæ crimine reos designatos ex instrumento divinarum Scripturarum. Noster vero populus minor, id est posterior, relictis idolis quibus ante deserviebat, ad eumdem Deum conversus est a quo Israel, ut supra memoravimus, abscesserat. Sic namque populus minor, id est posterior, populum majorem superavit, dum gratiam divinæ dignationis consequitur, a qua Israel est repudiatus.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ex paribus *abest a Pam. Oberth. Seml.*
(2) Quibusdam spectantibus (*pro* spectatoribus *Rhen.*) sibilorum nubilo quodam jurgiorum *Lat.*
(3) Lectionibus *Oberth. Seml.*
(4) Sibi *abest a Jun.*
(5) Est *Oberth. Seml.*
(6) Et *abest a Pam. et Par.*
(7) Temporum (de Rebecca, de duobus populis) intelligitur. *Hancce parenthesim quasi a glossemate profectam expungit Lat. Rig. Jun. autem arbitratur e sequentibus huc esse transpositam; Seml. nempe post* prior et major. *Obert.* Temporum de Rebecca, de duobus populis, intelligitur id posse. *Hyperbaton est locus iste aut corruptus, cui ex MS. mederi non licuit.* PAM.
(8) Adeptos *Rhen. Obert.*
(9) Dictum *Rhen.*
(10) Et *abest a Pam. Obert.*
(11) Divinarum Scripturarum *obest a Pam. Rhen. Obert.* Memorias *usurpat pro Scripturis sacris Pam.*
(12) Major *abest a Pam. et Rhen.*
(13) Aurum *delet. Jun.*
(14) Dii *Obert. Seml.*
(15) Putabatur *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) Sed ubi et quando? quis ille christianus? SEML.

(b) *Et proselyto judæo.* Hæc vox in Scriptura occurrit sæpe; significat autem apud Judæos hominem advenam seu adventitium, qui cum non sit Judæus, ad eorum tamen legem ex gentilibus accessit. LE P.R.

(c) *Contentioso fune.* Proverbialiter dixit, alternis vicibus contentioso fune, uterque diem in vesperam traxerunt, sic in libro *de Resurrectione carnis : Modo nunc*, inquit, *contentioso fune deducere, hac an illac hominem perditio depostulet.* RHEN.

(d) Scilicet mihi. SEML.

(e) *Sibi vindicare.* Vatic. codex *vendicare*, perinde est; nam et vindicare quod a vindiciis derivatur, est rem controversam sibi adserere. PAM.

(f) *Nec discrevit gratiam.* Codex Fuldensis, *Nec discrevit gratia.* Quod rectius est. RIG.

(g) *Et annulis virorum.* Similiter B. Ambrosius epist. 56, ad Romulum: *Coactus igitur Aaron petit annulos eorum et inaures mulierum.* Cum autem istud neque græce hodie legatur, neque latine in editione B. Hieronymi reperiatur, oportet diversam fuisse septuaginta virorum editionem quibusdam in locis ab ea quæ nunc exstat, quod confirmatur ex verbis quæ mox ab Auctore citantur. PAM.

(h) *Et cum Hieroboam vaccas aureas*, etc. Judaicam superstitionem et idololatriam insectatur, cui proclivior fuit gens illa. Notatur hic præcipue rex Hieroboam primus, qui, cum in regem creatus esset, veritus ne, si Israelitæ Hierosolymam remearent ad sacra, illos tæderet divortii quod tum fecerant, ut haberent apud se quod colerent, vitulos aureos erexit, in Dan unum, et alterum in Bethel, quibus sacrificulos addidit, vetuitque ne Israelitæ Hierosolymam deinceps commearent. Habetur historia III *Reg.* XII. LE P.R.

CAPUT II.

Igitur gradum conferamus, et summam quæstionis ipsius certis lineis determinemus (1). Cur etenim Deus, universitatis conditor, mundi totius gubernator, hominis plasmator, universarum gentium sator, legem per Moysen uni populo dedisse credatur, et non omnibus gentibus attribuisse dicatur? Nisi enim omnibus eam dedisset, nullo pacto ad eam etiam proselytos ex gentibus accessum habere permitteret: sed, ut congruit bonitati Dei et æquitati ipsius, utpote plasmatoris generis humani, omnibus gentibus eamdem legem dedit: quam certis et statutis temporibus observari præcepit, quando voluit, et per quos voluit, et sicut voluit. Namque in principio mundi, ipsi Adæ et Evæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederent; quod si contra fecissent, morte morerentur (*Gen.* II, 7): quæ lex eis sufficeret, si esset custodita. In hac enim lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus quæ postea pullulaverunt data per Moysen, id est, (*a*) *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et ex tota anima tua* (*Deut.*, VI, 5); et, *Diliges proximum tibi* (2) *tanquam te* (*Levit.*, XIX, 18); et, *Non occides, non mœchaberis, non furaberis, falsum testimonium non dices. Honora patrem tuum et matrem* (*Exod.*, XX, 12 17): et, *Alienum non concupisces* (*Deut.*, V, 16-21). Primordialis lex est enim data Adæ et Evæ in paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei. Denique, si Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent: si proximum diligerent, id est semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent; atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum; a furto quoque abstinuissent, si de fructu arboris clam non degustassent (*Gen.*, III, 6), nec a conspectu Domini Dei sui sub arbore delitescere gestissent (*Ibid.* 8): nec falsum asseveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei quod similes Dei essent futuri (*Ibid.* 5): atque ita nec Deum offendissent, ut patrem, qui eos de limo terræ quasi ex utero matris figuraverat: si alienum non concupissent (3), de fructu illicito non gustassent. Igitur in hac generali et primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinaverunt Ejusdem est enim postea subdocere legem, qui ante præmiserat præceptum, quoniam et ipsius est erudire postea qui ante justos formare instituerat. Quid enim mirum, si is auget disciplinam (*b*) qui instituit? si is perfecit (4) qui cœpit? Denique ante legem Moysi scriptam (*c*) in tabulis lapideis legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, et a patribus custodiebatur. Nam unde *Noe justus inventus* (*Gen.* VI, 9; *Eccl.*, XLIV, 17), si non illum naturalis legis justitia præcedebat? unde *Abraham amicus Dei deputatus* (*Is.*, XLI, 8; *Jac.*, II, 23), si non de æquitate et justitiæ legis naturalis? unde *Melchisedech sacerdos Dei summi* (*Gen.*, XIV, 18) nuncupatus, si non ante Leviticæ legis sacerdotium Levitæ fuerunt, qui sacrificia Deo offerebant? Sic enim post supra scriptos patriarchas data lex est Moysi eo tempore posteaquam ab Ægypto excesserunt, post intervallum multorum temporum et spatia Denique, post quadringentos et triginta annos Abrahæ data est lex (*d*). Unde intelligimus Dei legem etiam ante Moysen, nec in Horeb tantum, aut in Sina et in eremo, sed antiquiorem (5) primum in paradiso, post patriarchis, atque ita et Judæis certis temporibus reformatam; ut non jam ad Moysi legem ita attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam certo tempore Deus et gentibus exhibuit, et repromissam per prophetas in melius reformavit, et præmonuit futurum (6) ut, sicuti certo tempore data est lex per Moysen, ita temporaliter observata et custodita credatur: nec adimamus hanc Dei potestatem, pro temporum conditione legis præcepta reformanti.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Terminemus *Jun.* ex *MS. Pam.*
(2) Tuum *Mss. Pam.*
(3) Concupiscerent *Semi.*
(4) Perficit *Pam.* proficit *Rhen. Obert.*
(5) Antiquiorem; primum *Obert. Semi.* — Primum, sed antiquiorem *abest a Pam.*
(6) Futuram *Rhen. Obert.*

COMMENTARIUS.

CAP. II. — (a) *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. *et proximum tibi.* Hellenismum imitatur et græcam phrasin πλησίον σοῦ: quod ipsi solemne in citanda Scriptura. LE PR.

(b) Sic Irenæus et alii solent informare. SEMI.

(c) *Denique ante legem Moysi scriptam*, etc. Sic idem in lib. de Corona militis, cap. 6: *quæres igitur Dei legem, habens communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas et Apostolus solet provocare?* Ad id pertinere potest, quod habet Tullius in Milonia: *Est enim non scripta*, inquit, *sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Legis præcepta Adamo data et ejus pectori inscripta testatur Rob. Cedalia in Schalscheleth: חקוקי בלב. A quo non abit Origenes in Philocalia, his verbis: παρὰ δὲ τοῦτο [illegible] κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας ἀνεσπαρμένης τῇ ψυχῇ. καὶ ὡς ἀναμάξαι ἡγοῦμαι, ἐγγεγραμμένης τῇ καρδίᾳ λόγος, πανταχοῦ μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸς δὲ τῶν οὐ ποιητέων. *Præterea lex naturalis animæ insita dicitur, et, ut appellat Scriptura, inscripta in cordibus lex, faciendi jubens, et non faciendi prohibens.* LE PR.

(d) *Post 430 annos Abrahæ data est lex.* Loci hujus sensus non est legem istam datam Abrahæ fuisse: namque, si de lege circumcisionis hic esse sermonem quis contendat, chronologiæ omnino reluctatur, quæ a diluvio ad circumcisionis institutionem 391 annos tantum numerat; si autem de vocatione Abrahæ, magis adhuc a vero est alienus, siquidem inter diluvium et vocationem hanc 367 soluma effluxere anni. Alia igitur lex hoc loco memoratur. Quænam autem intelligatur, docemur ex *Gen.*, XV, 13; *Exod.*, XII, 40; *Act.*, VII, 6; *Gal*, III, 17; ubi hi 430 anni exprimuntur. Numerantur autem a prima promissione facta Abrahæ (*Gen.*, XII, 3). Eodem enim anno ex Ægypto fuit liberatus populus Israeliticus, et legem accepit. Confer. Estium, Cornelium a Lapide, Fromondum, Script. sacræ. Curs. compl., et ante eos Augustinum. D Thomam, etc. EDD.

tem in hominis salutem (1). Denique, qui contendit et sabbatum adhuc observandum quasi salutis medelam, circumcisionem octavi diei propter mortis comminationem, docet in præteritum justos sabbatizasse aut circumcidisse, et sic amicos Dei effectos. Nam, si circumcisio purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcidit, vel posteaquam deliquit, si purgat circumcisio? Certe in paradiso constituens eum incircumcisum, colonum paradisi præfecit. Igitur, cum neque circumcisum neque sabbatizantem Deus Adam instituerit, consequenter quoque sobolem ejus Abel offerentem sibi sacrificia, incircumcisum nec sabbatizantem laudavit, accepto ferens quæ offerebat in simplicitate cordis, et reprobans sacrificium fratris ejus (2) Cain, qui non offerebat, non recte dividebat (*Gen.* IV). Noe quoque incircumcisum Deus, sed et non sabbatizantem, de diluvio liberavit (*Gen.* VI, *seqq.*). Nam et Enoch justissimum non circumcisum, nec sabbatizantem, de hoc mundo transtulit (*Gen.* V, 22); qui necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus, jam nobis ostenderet nos quoque sine legis onere Moysi, Deo posse placere. Melchisedech quoque *summi Dei sacerdos* (*Gen.* XIV, 18) incircumcisus, et non sabbatizans, ad sacerdotium Dei allectus est. Probat (3) et Loth frater Abrahæ, quod pro meritis justitiæ suæ (4) sine legis observatione de Sodomitarum incendio sit liberatus.

A

CAPUT III.

Sed Abraham, inquit (5), circumcisus est. Sed ante Deo placuit quam circumcideretur, nec tamen sabbatizavit. Acceperat enim circumcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativam. Denique sequentes Patriarchæ incircumcisi fuerunt, ut Melchisedech, qui (*a*) ipsi Abrahæ jam circumciso (6), revertenti de prælio, *panem et vinum obtulit* (*Ibid.*) incircumcisus. Sed et filius, inquit, Moysi tum (7) ab angelo præfocatus fuisset, si non Seffora mater ejus calculo præputium infantis circumcidisset (*Exod.* IV, 24, 25). Unde, inquit, (8) maximum periculum est, si præputium carnis quis non circumciderit. (*b*) Et ideo (9) si salutem circum-

B

LECTIONES VARIANTES.

(1) Salute *Seml.*
(2) Ejus *abest a seml. et Obert.; apud Pam. ponitur post* Cain.
(3) Et probatus Loth *Pam. Rhen. Obert.*
(4) Suæ *abest a Pam. Fran. Rig. Venet.*
(5) Inquis *Obert. Rhen.*
(6) Incircumciso *Jun.*
(7) Cum *Seml.*
(8) Circumcisionis maximum *Pam. seml.*
(9) Atquin *cod. Fuld. Rig.*

COMMENTARIUS.

CAP. III.—(a) *Melchisedech ipsi Abrahæ revertenti de prælio, panem et vinum obtulit.* Locus est Genes. XIV. Vulgata versione latina intricatissimus, panis et vini oblatione in ambiguo posita, Deo an Abrahæ. Hic autem apertissime Tertullianus, Melchisedechum obtulisse panem et vinum Abrahamo revertenti de prælio. Unde sequeretur *offerendi* verbum hoc loco minime ad sacrificium pertinere. Quis enim ferret Melchisedechum, sacerdotem Altissimi, sacrificantem Abrahamo? Sed et Septimius noster, lib. *adversus Marcionem* V, Melchisedechum rem sacerdotis fecisse ostendit cum Abrahamo benedixit, cum ab eo decimas accepit. Ipse autem sacerdos Altissimi, cum esset etiam rex Salem, convenientissimam quoque regiæ magnificentiæ rem fecit, qui Abrahamo exercitum de prælio rebus fortiter ac feliciter gestis reducenti obviam egressus, ipsum et copias victrices pane et vino excepit, hoc est cunctis ad curanda corpora, bello videlicet fatigata, necessariis. Atque hunc sane sensum contradicit Septuaginta seniorum versio græca : Καὶ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σάλημ ἐξήνεγκε ἄρτον καὶ οἶνον· ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου· καὶ εὐλόγησε, etc. Præclare autem Josephus : Ἐχορήγησε δὲ οὗτος ὁ Μελχισεδὲκ τῷ Ἀβραάμου στρατῷ ξένια, καὶ πολλὴν ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων παρέσχε. Et tamen longe alium hujus historiæ sensum tradidere antiquissimi sanctissimique Patres; nempe, Melchisedechum sacrificio panis et vini mysterium dominici corporis et sanguinis expressisse, ac multo post futurum Domini sacramentum ante signasse. Verba sunt Hieronymi Epist. ad Demetriadem, et consentanea scripsere Chrysostomus, Augustinus, aliique. Rig. — Nescio quid hic tam intricatum reperiat Rigaltius. Deo factam hanc oblationem alii asserunt, inter quos B. Hieronymus epist. 17, ad Marcellam, ubi salutem ait regem Salem in typo Christi panem et vinum obtulisse, et mysterium christianum in Salvatoris sanguine et corpore dedicasse. Alii Abrahæ, inter quos etiam occurrit B. Hieronymus, epist. 126, ad Evagrium, in qua totam illam historiam refert. In ea autem animadvertendum scribi in Genesi regem illum obtulisse decimas Abrahæ ex omnibus rebus; cum tamen idem B. Hieronymus præfato loco de spoliis tantum hostium decimas obtulisse asserat. Factum vero istud Eucharistiam significasse tradunt antiqui omnes; quibus, præter eos quos habet Rigaltius, addo Clementem Alexandr. Strom. VI. Dicitur Melchisedech rex fuisse, quia apud varias gentes reges ipsi sacerdotes erant et sacrificuli. De Romanis certissimum; ad quem morem respiciens Virgilius, Æn. III, ait :

C

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos,
LE PR.

D

(b) *Et ideo si salutem circumcisio.* Datam fuisse circumcisionem in signum Baptismi tuentur nonnulli; hic vero Auctor illud cum aliquo discrimine asserit. In circumcisione quidem remittebatur originis peccatum, sed non per circumcisionem ut per baptismum, quia tunc id fiebat ex vi pacti a Deo initi cum Judæis. In quo Tertullianus sequitur Apostolum ad Rom. IV. LE PR. — Errat fortasse Le Prieur asserens Tertullianum in eorum fuisse sententia, qui circumcisioni baptismi tribuunt effectus salutares, licet *cum aliquo discrimine*, ut ipse ait. Attente enim caput hoc tertium perlegenti patebit Auctorem potius existimasse ritum hunc judaicum nihil ad salutem conferre circumcisionem inquiens a Deo datam *in signum, non, in salutem*; paulo supernus dixerat : « *Acceperat* (*Abraham*) *circumcisionem in signum..., non in salutis prærogativam.* » Eamdem opinionem amplexati sunt omnes ecclesiastici scriptores qui ante Augustinum floruere. Primus enim inter omnes hipponensis Episcopus a circumcisione deleri peccatum originis affirmavit. Illum S. Doctorem secuti sunt Gregorius Magnus (*Moral. in Job, lib.* IV, *cap.* 3), S. Fulgentius, Venerabilis Beda, S. Bernardus (*passim*), Innocentius III, et theologi veri non pauci. In oppositam abierunt sententiam S. J. Chrysostomus (*in Gen. Hom.* 39), S. Epiphanius (*Hæres.* 30), S. Hieronymus (*Lib.* I *in Epist. ad Galat.*), S. Joannes Damascenus (*De Fide Orthod., lib.* IV, *cap.* 25), atque alii theologiæ periti, notæ non inferioris nec numero despiciendi. Addi potest quod, si peccatum originale dele-

cisio omni modo adferret (1), etiam ipse Moyses in filio suo non intermisisset, quominus octava die circumcideret eum, quando constet Sefforam coactam ab angelo id fecisse in itinere. Consideremus itaque quod non potuerit unius infantis coacta circumcisio omni populo præscribere, et quasi legem hujus præcepti condere. Nam providens Deus quod hanc circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus populo Israel, idcirco filium Moysi ducis futuri instigat circumcidi, ut cum cœpisset per eum populo dare præceptum circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in ducis filio (2) jam celebratum. Dari enim habebat circumcisio, sed in signum : unde Israel in novissimo tempore dignosci haberet, quando secundum sua merita in sanctam civitatem ingredi prohiberetur, per verba prophetarum dicentium : *Terra vestra deserta, civitates vestræ igni exustæ, regionem vestram in conspectu vestro alieni comedent, et deserta et subversa a populis extraneis, derelinquetur filia Sion sicut casa in vinea, et sicut custodiarium in cucumerario, et quasi civitas quæ expugnatur* (*Is.* I, 7, 8). Et ideo subsequens sermo prophetæ exprobrat eis dicens : *Filios generavi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Ibid*, 2) (3). Et iterum : *Et si extenderitis manus, avertam faciem meam a vobis : et si multiplicaveritis preces, non exaudiam vos : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Ibid.* 15). Et iterum : *Væ, gens peccatrix, populus plenus peccatis, filii scelerati, dereliquistis Deum, et in indignationem misistis* (4) *Sanctum Israel* (*Ibid.* 4). Hæc igitur Dei providentia fuit dandi circumcisionem Israel in signum unde dignosci posset, cum adveniret tempus quo meritis suis supra dictis in Hierusalem admitti prohiberetur : quod et quia futurum erat, nuntiabatur, et quia factum videmus, recognoscimus. Sicut ergo circumcisio carnalis, quæ temporalis erat, tributa est in signum populo contumaci, ita spiritalis data est in salutem populo obaudienti, dicente propheta Hieremia : *Innovate vobis novitatem* (5), *et nolite seminare in spinis. Circumcidimini Deo, et circumcidite præputium cordis vestri* (*Hier.* IV, 3, 4). Et alio loco dicit : *Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, et disponam domui Juda et domui Jacob testamentum novum, non tale quale jam dedi patribus eorum in die quo eos eduxi de terra Ægypti.* Unde intelligimus et priorem circumcisionem tunc datam cessaturam, et novam legem, non talem qualem jam dederat patribus processuram, annuntiari, sicut Esaias prædicavit dicens, quod *in novissimis diebus manifestus futurus esset mons Domini, et domus Dei super vertices montium : et exaltabitur*, inquit, *super colles, venient super illum omnes gentes, et ambulabunt multi, et dicent : Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob* (*Is.* II, 2, 3) : non in Esau prioris filii (6), sed in Jacob sequentis, id est populi nostri, cujus mons Christus est sine manibus concidentium præcisus, implens omnem terram, apud Danielem ostensus (*Dan.* II, 34, 37). Denique, ex hac domo Dei Jacob, etiam legem novam processuram sequentibus verbis annuntiat Esaias dicens : *De Sion* enim *exiet* (7) *lex, et verbum Domini ex Hierusalem, et judicabit inter gentes* (*Is.* II, 3, 4), id est inter eos qui ex gentibus sumus vocati : *et concident*, inquit, *gladios suos in aratra, et lanceas suas in falces, et non accipiet gentem super gentem gladium, et jam non discent* (8) *præliari* (*Ibid.*). Igitur intelliguntur alii quam nos, qui, nova lege edocti, ista observamus, obliterata veteri lege, cujus abolitionem futuram actus ipse demonstrat (9)? Nam vetus lex ultione gladii se vindicabat, et oculum pro oculo eruebat (*Exod.* XXI, 24; *Levit.* XXIV, 20; *Deut.* XIX, 21), et vindictam injuriæ retribuebat : nova autem lex (10) clementiam designabat, et belli pristina in æmulos legis et hostis (*a*) exsecutionem (11), in pacificos actus (12) arandæ et colendæ terræ reformabat. Igitur, sicut supra ostendimus, quod vetus lex et circumcisio carnalis cessatura pronuntiata est, ita et novæ legis et spiritalis circumcisionis observantia, in pacis obsequia eluxit. *Populus* enim, inquit, *quem non noveram, servivit mihi, in obauditu auris obaudivit me* (*Ps.* XVII, 29), Prophetæ adnuntiaverunt. Quis autem et populus qui Deum ignorabat, nisi noster, qui retro Deum nesciebamus? et quis in auditu auris audiit, nisi nos, qui, relictis idolis, ad Deum conversi sumus? Nam Israel qui Deo fuerat cognitus, quique ab eo in Ægypto exaltatus fuerat,(*b*) et per Erythræum pelagum trans-

A B C D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adfert *Pam. Rhen.*
(2) Judicis filium *Rhen. Obert.*
(3) Reprobaverunt me *cod. Fuld.*
(4) Ad indignationem provocastis *cod Fuld.*
(5) Novitatem *abest a cod. Fuld.*
(6) Populi *Obert. Seml.*
(7) Erit *Fran.*
(8) Dicentur *Obert. Seml.*
(9) *Punctum interrogans abest a Seml. et Obert.*
(10) Lex *abest a Rhen et Obert.*
(11) Belli et pristinam,et æmulos, et hostem exsecutione *cod. Fuld.*
(12) In pacificis actus *cod. Divion.*

COMMENTARIUS.

ret circumcisio,alii nihilominus præsto erant ritus æque efficaces, v.g. fides parentum, sacrificia; alioquin actum esset de salute fœminarum omnium, ac etiam masculorum qui ad diem octavum non pervenissent. Edd.

(a) *Et hostis exsecutionem.* « Exsecutionem, inquit Rhenanus, pro persecutionem ; » sicut *lib.* I *adversus Marcionem* : « Quid denique adulantius quam delicta non exsequi? » id est non persequi. Et ibidem, paulo ante, « exsecutione mali : » ac postea, « exsecutore delicti, » id est judice. Pam.

(b) *Et per Erythræum pelagum*, etc. Disputant multi an mare Erythræum seu Rubrum colore differat a mari vicino aut alio quolibet Quod nonnulli putant, caussasque quas possunt comminiscuntur, propter scilicet coralli abundantiam in fundo adhærentis, propter terræ rubræ vicinitatem qua littora complentur, et fluentibus aquis sorbetur suoque colore aquas illas inficit; mitto alias caussas ut non minus his probabiles, atque Erythræum mare ejusdem coloris cum alio mari puto, locumque ex Q. Curtio adduco, lib. VIII : *Ab Erythro rege inditum est nomen*, de mari Erythræo seu rubro loquitur, *propter quod ignari rubere aquas credunt.* Et lib. X, statim ab initio : *Cætera incolis crediderant : inter quæ Rubrum mare,*

vectus est (*Exod.* XIV, 22), quique in eremo manna cibatus (*Exod.* XVI, 13, *sqq.*), quadraginta annis ad instar æternitatis redactus, nec humanis passionibus contaminatus, aut sæculi hujus cibi pastus, sed angelorum panibus (*Ps.* LXXVII) manna cibatus, satisque beneficiis Deo obligatus, Domini et Dei sui oblitus est, dicens ad Aaron : *Fac nobis deos qui nos præcedant : Moyses enim ille, qui nos ejecit de terra Ægypti, dereliquit nos, et quid illi acciderit nescimus* (*Exod.* XXXII, 1). Et ideo nos, qui non populus Dei retro, facti sumus populus ejus, accipiendo novam legem (1) supra dictam, et novam circumcisionem ante prædictam.

CAPUT IV.

Sequitur itaque, ut, quatenus circumcisionis carnalis, (*a*) et legis veteris abolitio expuncta suis temporibus demonstratur, ita sabbati quoque observatio temporaria (2) fuisse demonstretur. Dicunt enim Judæi quod a primordio sanctificaverit Deus diem septimum, requiescendo in eo ab omnibus operibus suis quæ fecit, et inde etiam Moysen dixisse ad populum : *Mementote diem sabbatorum ; sanctificate eum. Omne opus servile non facietis in eo* (*Exod.* XX, 8), *præterquam quod ad animam pertinet.* Unde nos intelligimus magis sabbatizare nos ab omni opere servili semper debere, et non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus. Ac per hoc quærendum nobis quod sabbatum nos Deus vellet custodire. Nam sabbatum æternum, et sabbatum temporale Scripturæ designant. Dicit enim Esaias propheta : *Sabbata vestra odit anima mea.* Et alio loco dicit : *Sabbata mea prophanastis* (*Ezech.* XXII, 8). Unde dignoscimus sabbatum temporale esse humanum, et sabbatum æternum censeri divinum, de quo per Esaiam prædicat : *Et erit*, inquit, *mensis ex mense, et dies de die, et sabbatum de sabbato, et veniet omnis caro adorare in Hierusalem, dicit Dominus* (*Isa.* LXVI, 23). Quod intelligimus adimpletum temporibus Christi, quando omnis caro, id est omnis gens, adorare in Hierusalem venit Deum Patrem, per Jesum Christum Filium ejus, sicut per Prophetam prædictum est : *Ecce proselyti per me ad te ibunt* (*Isa.* LII (*b*). Sic igitur ante hoc sabbatum temporale, erat et sabbatum æternum præostensum et prædictum, quomodo et ante circumcisionem carnalem fuit et spiritalis circumcisio præostensa. Denique docent, sicuti jam prælocuti sumus, Adam sabbatizasse; aut Abel hostiam Deo sanctam offerentem, sabbati religione placuisse; aut Enoch translatum sabbati cultorem fuisse; aut Noe arcæ fabricatorem propter diluvium immensum, sabbatum observasse; aut Abraham in observatione sabbati Isaac filium suum obtulisse; aut Melchisedech in suo sacerdotio legem sabbati accepisse. Sed dicturi sunt Judæi, ex quo hoc præceptum datum est per Moysen, exinde observandum fuisse. Manifestum est itaque, non æternum, nec spiritale, sed temporale fuisse præceptum, quod quandoque cessaret. Denique adeo non in vacatione sabbati, id est dici septimi, hæc solemnitas celebranda est, ut Jesus Nave, eo tempore quo Hiericho civitatem depellebat, præceptum sibi a Deo diceret, uti populo mandaret, *ut sacerdotes arcam testamenti Dei septem diebus circumferrent in circuitu civitatis ; atque ita septimi diei circuitu peracto, sponte ruerent muri civitatis* (*Jos.* VI, 4, *sqq*). Quod ita factum est ; et finito spatio dici septimi, sicut prædictum erat, ruerunt muri civitatis. Ex quo manifeste ostenditur in numero istorum dierum septem incurrisse diem sabbati : septem enim dies undecumque initium acceperint, sabbati diem secum concludant necesse est, quo die non tantum sacerdotes sint operati, sed et in ore gladii præda facta sit civitas ab omni populo Israel. Nec dubium est opus servile eos operatos, cum prædas belli agerent ex Dei præcepto. Nam et (*c*) temporibus Machabæorum sabbatis pugnando fortiter fecerunt, (*d*) et hostes allophylos expugnaverunt, legemque paternam ad pristinum vitæ statum pugnando sabbatis revocaverunt. Nec putem aliam legem eos defendisse, nisi in qua de die sabbatorum meminerant esse præscriptum. Unde manifestum est ad tempus et præsentis caussæ necessitatem hujus-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *addit Rhen. Obert.*

(2) Temporalis *Rhen. Obert.*

COMMENTARIUS.

non a colore undarum, ut plerique crederent, sed ab Erythro rege appellari. LE PR. — Plinium, uti solet, imitatus, qui *Erythræum* mare nuncupat (*Lib.* VI, *cap.* 23) quod nos *Rubrum* dicimus, sicuti Dionysius *De situ Orbis.* PAM.

CAP. IV.—(a) *Legis veteris abolitio expuncta suis temporibus demonstratur.* Sequor Rhenani interpretationem, qui idem esse censet ac *adimpleta.* Expuncta nempe fuit lex vetus, nova superveniente. Est autem metaphora forsan ducta ab antiquis fœneratoribus, qui dissoluta nomina in tabulis ceratis seu diariis verso stylo expungebant. LE PR.

(b) *Ecce proselyti per me ad te ibunt.* Citat eamdem Scripturam *lib* III *advers. Marc.*, et paulo latius explicat, nominatim Isaiæ adscribens, apud quem reperiri juxta Septuaginta interpretes (*cap* LII) annotarunt quidam, sed ibidem hactenus non reperi. PAM. —Intendebat forte Tertullianus cap. LV Isa. v. 5 : *Gentes quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum* ; vel sane, cap. LX. EDD.

(c) *Temporibus Machabæorum.* Quandoquidem Machabæorum hic historiam citet in re fidei, non dubium quin illam pro canonica Scriptura cognoverit. Neque enim mirum si in canone Hebræorum libri illi non habeantur; quandoquidem plusquam sæculo post illum ab Esdra editum conscripti sunt. Nam inter Cyrum Darii successorem sub quo Esdras claruit, et Antiochum Epiphanem, sub quo Machabæi, anni intercesserunt ut minimum 180. PAM.

(d) *Et hostes allophylos.* Ἀλλοφύλους Græci bibliorum interpretes, inquit B. Hieronymus (*in Isaiæ* cap. II) sunt interpretati, pro *Philistiim*, quæ est hodie gens Palæstina : quod ipsum comprobatur, et in editione latina Septuaginta, ex titulo Psalmi LV. Verum hic id refert Tertullianus ad Græcos, contra quos Machabæi dimicabant, eo quod vox græca *alienigenas* significet in genere. PAM.

modi præcepta valuisse (1), et (2) non ad perpetui temporis observationem hujusmodi legem eis Deum ante dedisse.

CAPUT V.

Sic et sacrificia terrenarum oblationum et spiritualium sacrificiorum prædicata (3) ostendimus. Et quidem a primordio majoris filii, id est Israel, terrena fuisse in Cain præostensa sacrificia; et minoris filii Abel, id est populi nostri, sacrificia diversa demonstrata. Namque *major natu Cain de fructu terræ obtulit munera Deo, minor vero filius Abel de fructu ovium suarum. Respexit Deus in Abel et in munera ejus, in Cain autem et in munera ejus non respexit. Et dixit Deus ad Cain: Quare concidit vultus tuus? nonne si recte quidem offeras, non recte autem dividas, peccasti? quiesce: ad te enim conversio tua, et ipse tui dominabitur. Et tunc dixit Cain ad Abel fratrem suum: Eamus in campum. Et abiit cum eo illic, et interfecit eum. Et tunc dixit Deus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Et dixit: Nescio: numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ei Deus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: propter quod, maledicta terra, quæ aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui. Gemens et tremens eris super terram. Et dixit Cain ad Dominum: Major delictum meum, quam ut remittatur mihi; et ejicies me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero gemens et tremens super terram, et omnis qui me invenerit, occidet* (*Gen.* IV). Ex hoc igitur duplicia duorum populorum sacrificia præostensa jam tunc a primordio animadvertimus. (a) Denique, cum per Moysen in Levitico lex sacerdotalis conscriberetur, invenimus præscriptum populo Israeli, ut sacrificia nullo in loco offerrentur Deo quam in terra repromissionis, quam Dominus Deus daturus esset populo Israeli et fratribus eorum: ut, introducto Israel, illic celebrarentur sacrificia et holocausta tam pro peccatis quam pro animabus, et nusquam alibi nisi in terra sancta (4) (*Deut.* XII). Cur itaque postea per prophetas prædicat Spiritus futurum ut in omni terra aut in omni loco offerantur sacrificia Deo, sicut per Malachiam (b) angelum, unum ex duodecim prophetis dicit: *Non recipiam sacrificium de manibus vestris, quoniam ab oriente sole usque ad occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus, dicit Dominus omnipotens. Et in omni loco offeruntur sacrificia munda nomini meo* (*Malach.* I, 10, 11). Item in Psalmis David dicit: *Adferte Deo, patriæ gentium* (*Psal.* XCVI, 7). Indubitate quod *in omnem terram exire* habebat (*Psal.* XVIII, 5) prædicatio Apostolorum. *Adferte Deo claritatem et honorem, adferte Deo sacrificia nominis ejus. Tollite hostias, et introite in atria ejus* (*Psal.* XCVI, 8). Namque (c) quod non terrenis sacrificiis, sed spiritalibus Deo litandum sit, ita legimus ut scriptum est: *Cor contribulatum et humiliatum hostia Deo est* (*Psal.* L, 19). Et alibi: *Sacrifica Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua* (*Ps* XLIX, 14). Sic itaque sacrificia spiritalia laudis designantur, et *cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo* demonstratur. Itaque quomodo carnalia sacrificia reprobata intelliguntur, de quibus et Esaias loquitur, dicens: *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus* (*Isa.* I, 11), ita sacrificia spiritalia acceptа prædicantur, ut Prophetæ annuntiant. (d) *Quoniam etsi adtuleritis*, inquit, *mihi similam, vanum supplicamentum, excrementum mihi est* (*Ibid*). Et adhuc dicit: *Holocaustomata et sacrificia vestra, et adipem hircorum, et sanguinem taurorum nolo: nec si veniatis videri mihi; quis enim exquisivit hæc de manibus vestris* (*Ibid.* 12)? De spiritalibus vero sacrificiis addit, dicens: *Et in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit Dominus.*

CAPUT VI.

Igitur, cum manifestum sit et sabbatum temporale ostensum, et sabbatum æternum prædictum, circumcisionem carnalem prædictam, et circumcisionem spiritalem præindicatam, legem quoque temporalem et legem æternalem denuntiatam, sacrificia carnalia et sacrificia spiritalia præostensa; sequitur, ut præcedenti tempore datis omnibus istis præceptis carnaliter populo Israel, superveniret tempus quo legis antiquæ et cæremoniarum veterum præcepta cessarent, et novæ

LECTIONES VARIANTES.

(1) Convaluisse *Pam. Rhen. Obert.*
(2) Ut... dedisset *iidem.*
(3) Prædicta *iidem.*
(4) Terram sanctam *Ven.*

COMMENTARIUS.

CAP. V.—(a) *Denique cum per Moysen in Levitico.* Vel ex hoc loco patet subinde memoria lapsum Auctorem in citandis Scripturarum locis, cum hoc præscriptum nusquam in Levitico reperiatur, sed Deuteron. XII. Eodem pertinet quod supra, c. 5, dixit: *Et ideo subsequens sermo prophetæ*, etc. Cum præcedat ea scriptura illam quæ prius citata est, non subsequatur; et infra: *et alibi dicit*, cum eodem cap. contineatur. Quod semel adnotasse sufficiat contra sciolos quosdam, qui nolunt admittere in patribus ἁμάρτημα μνημονικόν. Pam. — *In Levitico.* A glossemate profecta hæc verba putat Latinius: sunt enim in Deuteronomio. Semler.

(b) *Angelum.* Malachias *angelus* seu *nuntius* interpretatur. Quod subjunxit, *unum ex* 12 *prophetis*, de minoribus est intelligendum. Edd.

(c) *Quod non terrenis sacrificiis, sed spiritalibus Deo litandum.* Hinc illa in Apologetico: *Offero opimam et majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam*, etc. Et libello ad Scapulam: *Sacrificamus quomodo præcepit Deus, pura prece.* Et lib. de Oratione, ubi de orationibus sacrificiorum, in quibus accipitur corpus Domini. Et lib. de Jejuniis: *Hæc erit statio sera, quæ ad vesperam jejunans, pinguiorem orationem Deo immolat.* Cæterum observare est hæc Tertulliani non per omnia convenire cum iis quæ apud Irenæum leguntur lib. IV, cap. 33 et 34. Ric.

(d) *Quoniam etsi adtuleritis, inquit, mihi similam.* Simila sive similago est farina e tritico communi facta. Hebræis simila est סֹלֶת Græcis est σεμίδαλις in versione latina *sacrificium* habetur in hoc loco, licet similæ nomen aliis in locis usurpetur, nimirum in Gen. cap. XVIII, et Lev. cap. II. Le Pa.

legis promissio et spiritalium sacrificiorum agnitio, et Novi Testamenti pollicitatio superveniret, fulgente nobis *lumine ex alto, qui sedebamus in tenebris et in umbra mortis detinebamur* (1)(*Luc.* II, 78, 79). Itaque necessitas nobis incumbit, ut, quoniam prædicatam novam legem a prophetis prædiximus, et non talem (2) qualis jam data esset patribus eorum eo tempore quo eos (*a*) de terra Ægypti produxit, ostendere et probare debeamus tam legem illam veterem cessasse, quam legem novam promissam nunc operari. Et quidem in primis quærendum an exspectetur novæ legis lator, et Novi Testamenti hæres, et novorum sacrificiorum sacerdos, et novæ circumcisionis purgator, et æterni sabbati cultor, (*b*) qui legem veterem compescat, et Novum Testamentum statuat, nova sacrificia offerat, et cæremonias antiquas reprimat, et circumcisionem veterem cum suo sibi sabbato compescat, et novum regnum quod non corrumpatur adnuntiet. Nam etiam (3) novæ legis lator, sabbati spiritalis cultor, sacrificiorum æternorum antistes, regni æterni æternus dominator, quærendum an jam venerit (4), necne. Et si jam venit, serviendum est illi : si necdum venit, sustinendus est, dummodo manifestum sit adventu ejus comprimi (5) legis veteris præcepta, et operari debere novæ legis exordia ; et in primis definiendum est non potuisse cessare legem antiquam et prophetas, nisi venisset is qui per eamdem legem, et per eosdem prophetas venturus annuntiabatur.

CAPUT VII.

Igitur in isto gradum (6) conferamus, an qui venturus Christus annuntiabatur (7), jam venerit, an venturus adhuc speretur. Quod ipsum ut probari possit, etiam tempora sunt nobis requirenda, quando A venturum Christum prophetæ annuntiaverunt ; ut si in ista tempora recognoverimus venisse eum, sine dubio ipsum esse credamus quem venturum prophetæ canebant, in quem nos, gentes scilicet, crediturі annuntiabamur : et cum constiterit venisse, indubitate etiam legem novam ab ipso datam esse credamus, et Testamentum Novum in ipso et per ipsum nobis dispositum non diffiteamur. Venturum enim Christum nec Judæos refutare scimus, utpote qui in adventum ejus spem suam porrigant. Nec de isto pluribus quærendum, cum retro omnes prophetæ de eo præcinuerint (8), ut Esaias dicit : (*c*) *Sic dicit Dominus Deus Christo meo* (9) *Domino, cujus tenui dexteram, ut exaudiant illum gentes : fortitudines regum disrumpam, aperiam ante illum portas, et civitates non claudantur* B *illi* (*Isa.* XLV, 1, 2). Quod ipsum adimpletum videmus. (*d*) Cui enim dexteram tenet pater Deus, nisi Christo filio suo ? quem exaudierunt omnes gentes, id est cui omnes gentes crediderunt, cujus et prædicatores Apostoli in psalmis David ostenduntur : *In universa*, inquit, *terra exiit sonus eorum, et usque ad terminos terræ verba eorum* (*Psalm.* XVIII, 5). In quem enim alium universæ gentes crediderunt, nisi in Christum qui jam venit ? Cui enim et aliæ gentes crediderunt ? (*e*) *Parthi, Medi, Elamitæ, et qui inhabitant Mesopotamiam,* (*f*) *Armeniam, Phrygiam, Cappadociam ; et incolentes Pontum, et Asiam, et Pamphyliam ; immorantes Ægyptum, et regionem Africæ quæ est trans Cyrenem inhabitantes, Romani* (10) *et incolæ ; tunc et in Hierusalem Judæi* (*Act.* II, 9, 10), et C cæteræ gentes : ut jam (11) Getulorum varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversæ nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarma-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Oriretur lumen *addunt Rhen. Obert.*
(2) Eam et non talis *Rhen. Seml.* eamque non talem *Obert.*
(3) Hic nam etiam *Rhen. Obert.* hic inquam novæ *Paris.*
(4) An nec ne *Rhen. Obert.*
(5) Cum primæ *iidem,* comprimere *Fran. Paris.*
(6) Gradu *id.*
(7) Qui venturus est Christus, jam venerit *iid.*
(8) Præcanuerint *Fran.*
(9) Uncto meo Cyro *est vera lectio; sed latini plures a legebant. Seml.*
(10) Romam *Obert. Seml.*
(11) Etiam *iidem.*

COMMENTARIUS.

CAP. VI — (a) *De terra Ægypti produxit.* Pro *eduxit.* Mirum autem qua ratione adversus Judæos argumentatur, ut finem Mosaicæ legis et Evangelicæ adventum demonstret, quæ veritatem continet cujus vetus figura erat quæ in cæremoniis seu ritibus quibusdam et cultu exteriori continebatur, cum nova iis ritibus non contenta, perfectius aliquid exigat, et spiritum ad Dei contemplationem amoremque attrahat. LE PA.

(b) *Qui legem veterem compescat.* Id est abroget, ut novam subinducat. LE PA.

CAP. VII. — (c) *Sic dicit Dominus Deus.* De erronea hac lectione, tamen jam olim inveterata, vide annotationes nostras in Cyprianum, lib. I. Testimon. adversus Judæos cap. 21, n. 60. PAM.

(d) *Cui enim dexteram tenet pater.* Alludit haud dubie ad locum Scripturæ præcedentem, sicuti etiam in illo *quem exaudierunt omnes gentes.* PAM.

(e) *Parthi, Medi, Elamitæ.* Comprobans Auctor quod jam tum omnes gentes in Christum crediderant, primum utitur verbis Scripturæ de iis, qui, ubi in festo Pentecostes audierant Apostolos suis quibusque linguis loquentes, ad Christum conversi sunt. Ubi ex instituto videntur conjuncti *Parthi, Medi et Elamitæ,* non D *Elamitæ,* id est *Persæ,* sic ab Elam filio Sem, teste Josepho (Antiq. *lib.* I, *cap.* 7), nuncupati, eo quod sibi invicem vicini sunt. Atqui confirmatur Auctoris sententia a B. Sophronio (*Catal. græc. vir. illustrium, inter opera Hieronymi*), qui B. Thomam apostolum prædicasse dicit Evangelium Christi *Partlus, Medis* et *Persis,* Carmanis quoque, Hircanis, Bactris et Magis Indis denique, apud quos in civitate Calamina martyrium passus sit. PAM.

(f) *Armeniam.* Hujus quidem in Actis Apostolorum provinciæ non fit mentio : sed jam tum etiam Christi fidem apud eos viguisse, vel inde manifestum est, quod non ita multo post Armenii bellum Maximo tyranno indixerint, antea socii Romanorum, christianæ fidei et religionis ergo, a qua filios ad idololatriam cernabatur abducere. Testis est ejus rei Niceph. *Eccl. Hist. lib.* VII, *cap.* 28. PAM. — Eamdem attestatur Augustinus contra epist. Manichæi. *Africæ* habet et Augustinus, nos *Lybiam.* SEML.

tarum, et Dacorum, et Germanorum (*a*), et Scytharum, et additarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat; utpote ante quem omnium civitatum portæ sunt apertæ, et cui nullæ sunt clausæ: ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, et valvæ æreæ sunt apertæ (1) (*Is.*, XLV, 1, 2). Quamquam et ista spiritaliter sint intelligenda, quo præcordia singulorum variis modis a diabolo obsessa, fide Christi sint reserata; attamen perspicue sunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet (2). Quis enim omnibus (3) regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius? Qui omnibus in æternum gentibus (4) regnaturus (*Psal.*, XLVI, 2, 9; LXXXV, 9; *Is.*, II, 4; XLIX, 6) nuntiabatur. Nam si Salomon regnavit, sed in finibus Judææ tantum, a Bersabee usque Dan termini ejus regni signantur (*b*). Si vero Babyloniis et Parthis regnavit Darius, (5) non habuit in omnibus gentibus potestatem. Si Ægyptiis Pharao, vel quisque ejus hæreditate regni successit; illic tantum potius est regni sui dominium. Sic (6) Nabuchodonosor cum suis regulis ab India usque Æthiopiam habuit regni sui terminos. Sic Alexander Macedo nunquam Asiam universam et cæteras regiones, posteaquam devicerat, tenuit. Sic Germani adhuc usque limites suos (7) transgredi non sinuntur. Britanni (8) intra Oceani sui ambitum conclusi. Maurorum gens et Getulorum barbaries a Romanis obsidentur, ne regionum (9) suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidiis imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt? Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter; non regis apud illum major gratia; non barbari alicujus inferior (10) lætitia, non dignitatum aut natalium cujusquam discreta merita; omnibus æqualis, omnibus rex, omnibus judex, omnibus Deus et Dominus est. Nec dubites credere quod asseveramus (11), cum videamus fieri.

CAPUT VIII.

Itaque requirenda tempora prædictæ et futuræ nativitatis Christi, et passionis ejus, et exterminii civitatis Hierusalem, id est, vastationis ejus. Dicit enim Daniel et civitatem sanctam et sanctum exterminari cum duce venturo, et destrui pinnaculum usque ad interitum. Venturi itaque Christi ducis sunt tempora requirenda, quæ investigabimus in Daniele: quibus computatis, probabimus venisse eum, etiam ex temporibus præscriptis, et ex signis competentibus, et ex operationibus (12) ejus: quæ (13) probamus (14) ex consequentibus quæ post adventum ejus futura adnuntiabantur, ut tam adimpleta omnia quam prospecta (15) credamus. Sic igitur de eo Daniel prædicavit, ut et quando et quo in tempore gentes esset liberaturus, ostenderet, et quoniam post passionem Christi ista civitas exterminari haberet. Dicit enim sic: *In primo anno sub Dario filio Assueri ex semine Medorum, qui regnavit super regnum Chaldæorum, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum. Et adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem vidi in visione in principio, volans, et tetigit me, quasi hora sacrificii vespertini, et intelligere fecit me, et locutus est mecum, et dixit*: « *Daniel, nunc exivi imbuere te intelligentia, in principio obsecrationis* (16) *tuæ exivit sermo. Et ego veni ut annuntiem tibi, quia vir desideriorum tu es, et cogita in verbo, et intellige in visione.* » (*c*) *Septuaginta hebdomadæ breviatæ sunt super plebem tuam,*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ruptæ *Jun.*
(2) Christiani habitet *Paris.*
(3) Gentibus *addunt Rhen. Obert.*
(4) Gentibus *abest a Rhen. et Obert.*
(5) Non habuit potestatem ulterius, ultra fines regni sui non habuit in *Rhen. Obert.*
(6) Si *iidem.*
(7) Suos *abest a Rhen. et Obert.*
(8) Britanniæ... conclusæ sunt *Rhen. Oberth.*
(9) Religionum *Rhen.*
(10) Imperiosi *Oberth. Seml.*
(11) Asseveras *Rhen.*
(12) Operibus *Par.*
(13) Quin probabimus *Jun.*
(14) Et *add. Rhen.*
(15) Perspecta *Rhen.*
(16) Observationis *Rhen. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Germanos* et Irenæus nominat; incertum quo jure. SEML.

(b) *Termini regni ejus signantur.* III Reg. IV, 21, legimus: *Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine terræ Philisthiim usque ad terram Ægypti.* Et II Paralip. IX, 26: *Exercuit etiam* (Salomon) *potestatem super cunctos reges a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, et usque ad terminos Ægypti.* Fortassis terminos imperii Salomonis legit Auctor in III Reg. IV, 25, qui sic habet: *habitabatque Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub fide sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.* EDD.

CAP. VIII.—(c) *Septuaginta hebdomadæ breviatæ sunt super plebem tuam*, etc. Illustris locus adversus Judæos ad probandum Messiæ adventum, qui locus habetur Danielis IX, et vulgo in hanc rem adducitur a theologis. Conformis huic loco alter e Geneseos cap. XLIX: hoc est celebre vaticinium Jacobi patriarchæ, *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* In hebræis codicibus est *donec veniat shilo.* At Shilo est Messias; quod demonstratur adversus Judæos haud difficile, cum illud testentur veteres Judæi. Triplex etiam paraphrasis Chaldaica, Onkeli, Jonathanis et Hierosolymitana pro *Shilo* habet *rex Messias.* In libro etiam pervetusto et magnæ auctoritatis qui Bereschitrabha dicitur, מלך המשיח שלח יה; hoc est *shilo est rex Messias.* E recentioribus idem sentiunt R. Selomoh, R. Kimchi, et R. Bechai: unde facile ex hoc loco fatuitatis suæ et pervicacis impietatis convincuntur hodierni Judæi. In græco vero contextu habetur: Οὐκ ἐκλείψει ἐξ Ἰούδα ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται: *non deficiet imperator ex Juda, donec veniat cui repositum est*; id est, ut interpretatur S. Epiphanius, *cui repositum est* ut sit Christus; heresi nimirum Herodianorum, qui ideo ita dicti, quod Herodem Christum esse profiterentur. LE P.

et super civitatem sanctam, quoadusque inveteretur delictum, et signentur peccata, et exorentur injustitiæ, et inducatur justitia æterna, ut et (1) *signetur visio et prophetes, et ut ungatur Sanctus sanctorum. Et scies, et perspicies et intelliges a profectione sermonis, integrando et reædificando Hierusalem usque ad Christum ducem, hebdomadas septem et dimidiam, et septuaginta duas et dimidiam : et convertet, et ædificabitur in lætitiam, et convallationem, et innovabuntur tempora : et post hebdomadas has septuaginta duas, et exterminabitur unctio, et non erit : et civitatem et sanctum exterminabit cum duce adveniente, et concidentur quomodo in cataclysmo usque ad finem belli, quod concidetur usque ad interitum. Et confirmabit testamentum in* (2) *multis. Hebdomada una et dimidia hebdomadis, auferetur meum sacrificium et libatio, et in sancto execratio vastationis, et usque ad finem temporis consummatio dabitur super hac vastatione.* Animadvertamus igitur terminum, quomodo in vero prædixit (3) septuaginta hebdomadas futuras, in quibus si receperint eum, ædificabitur in latitudinem et in longitudinem, et innovabuntur tempora. Providens autem Deus quid esset futurum, et quoniam non tantum non recipient eum, verum et insequentur, et tradent eum morti, et recapitulavit, et dixit : In sexaginta duabus hebdomadibus nasci illum et ungi Sanctum sanctorum; hebdomades autem VII et dimidia cum implerentur, pati habere, et civitatem exterminari post unam et dimidiam hebdomadam, quo scilicet (4) tempore septem et dimidia hebdomadæ completæ sunt. Dicit enim sic : *Et civitatem et sanctum exterminari cum duce venturo, et concidentur sicut in cataclysmo, et destruet pinnaculum usque ad interitum.* (*a*) Unde igitur ostendimus (5) quoniam venit Christus intra LXII, et dimidiam hebdomadas? Numerabimus autem a primo anno Darii, quomodo (6) in ipso tempore ostenditur Danieli visio ipsa. Dicit enim : *Et intellige, et conjice ad perfectionem* (7) *sermonis respondente* (8) *me tibi hæc.* Unde a primo anno Darii debemus computare, quando hanc visionem vidit Daniel. Videamus igitur anni quomodo (9) impleantur usque ad adventum Christi. Darius enim regnavit annis XIX; Artaxerxes regnavit annis XL: deinde rex Ochus, qui et Cyrus, regnavit annis XXIV; Argus (*b*) anno uno; alius Darius, qui et Melas nominatus est, annis XXII; (*c*) Alexander Macedo annis duodecim. Deinde post Alexandrum, qui et Medis et Persis regnarat, quos revicerat (10), et in Alexandria regnum suum firmaverat, quando et nomine suo eam appellavit. Postea (11) regnavit illic in Alexandria Soter annis XXXV; cui succedens Philadelphus, regnavit annis triginta novem (*d*). Huic succedit Evergetes, annis XXV; deinde Philopator annis XVII; post hunc Epiphanes annis XXIV; item alius Evergetes, annis XXIX, Soter annis XXXVIII, Ptolemæus annis XXXVIII, Cleopatra annis XX, mensibus VI. Item adhuc Cleopatra conregnavit Augusto annis XIII, post Cleopatram Augustus aliis annis XLIII. Nam omnes anni imperii Augusti, fuerunt anni LVI. Videmus autem quoniam quadragesimo et primo anno imperii Augusti (*e*), quo (12) post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus. Et supervixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis XV. (*f*) Et erunt reliqua tempora annorum in diem nativitatis Christi anni XLI. Efficiuntur autem anni CCCCXXXVII, menses VI. Unde adimplentur LXII hebdomadæ et dimidia, quæ efficiunt annos CCCCXXXVII, menses VI, in diem nativitatis Christi. Et manifestata est justitia æterna, et unctus est Sanctus sanctorum, id est Christus; et signata est visio et prophetia, et dimissa sunt peccata, quæ per fidem nominis Christi, omnibus in eum credentibus remittuntur (13).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et ut *iidem.*
(2) In *abest Fran.*
(3) In verbo quas dixit *Rhen. Oberth.*
(4) Tempore *omitt. Pam.*
(5) Ostendemus *alii habent.*
(6) Quoniam *cod. Divion. et Hieron. in Dan.* IX.
(7) A profectione *Rhen. Oberth.* A prophetatione sermonis hujusunde a primo, etc. *cod. Divion.* A prophetatione sermonis hujus unde a primo, *etc. cod. Divion.* A prophetatione *legitur et apud Hieron.*
(8) Respondere *iid.*
(9) Quoniam *Fran.*
(10) Devicerat *Hieron. Jun.*
(11) Postea *abest a Ven.*
(12) Qui *Hieron.*
(13) Tribuuntur *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Unde igitur ostendimus quoniam venit Christus intra septuagesimum et dimidiam hebdom.* Auctor Quæst. ex vet. Test. quæ adjectæ sunt Tom. IV Operum Augustini : *A tempore primi anni Darii regis Persarum usque ad nativitatem et passionem Domini, et et excidium Hierusalem quod factum est per Vespasianum imperii romani principem, impletæ sunt hebdomadæ septuaginta, quæ sunt anni* CCCCXC, *qui computus per regna et per successiones imperii manifestus est, quomodo a Tertulliano computatum invenitur in libro quem scripsit adversus Judæos : quod ne ad injuriam ejus proficeret, quia bene computavit prætermisimus. Et quis ambigat de hoc numero, cum trecenti circiter anni nunc super hunc numerum inveniantur?* Ex quibus verbis colligitur ætas hujus scriptoris aliquanto superior Augustino. RIG.

(b) *Argus anno uno.* Ab Eusebio nuncupatur iste *Arses*, a Sulpicio *Arse*, cui interim ab illis aut 4 aut 5 anni tribuuntur, Dario 6 dumtaxat. PAM.

(c) *Alexander Macedo, annis duodecim.* Ita haud dubie legendum ex B. Hieronymo (*in* II *cap. Danielis*), Beroso, et Sulpicio Severo (*Hist. sacræ, lib.* II), et Glossa ordinaria pro eo quod antea, et hic et apud Pomœrium *decem.* Et possunt concordari cum Eusebii anni sex dumtaxat, quia ille successor Ptolemæo Lago [qui hic et Josepho *Antiq. lib.* XII, *cap.* 1 SOTER vocatur], tribuit Annos 40, auctor vero dumtaxat 35, ita ut solum in uno anno differant. PAM.

(d) *Regnavit annis* XXXIX. Hieron. *Cui successit Philadelphus regnans an. triginta octo.* RIG.

(e) *Videmus autem quoniam* XL *et* I *anno Augusti.* Citatur hic locus in Eusebii Chronicis, examinaturque Animadversione Jos. Scaligeri ad num. MMXV. Irenæus, *lib. cap.* 25. *Circa primum, et quadragesimum annum Augusti imperii.* RIG.

(f) *Et erunt reliqua tempora annor. in diem nativitatis Christi.* In Fuldensi legitur. *In diem nativitatis Christi annum* XLI, *post mortem Cleopatræ* XX *et VII Augusto, efficiuntur anni* CCCCXXX *et* VII, *menses* V, *in die nativit.* Apud Hieronymum vero emendatius : *Et erunt reliqua tempora annorum in diem nativitatis Christi, in annum Augusti quadragesimum primum post*

Quid est autem quod dicit, signari visum et prophetiam (1), quoniam omnes prophetæ nuntiabant de ipso, quod esset venturus et pati haberet. Igitur, quoniam adimpleta est prophetia per adventum ejus, propterea signari visionem et prophetiam dicebat, quoniam ipse est signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo prophetæ nuntiaverant. Post enim (2) adventum Christi et passionem ipsius, jam non visio neque prophetes est (3) qui Christum nuntiet venturum. Denique hoc si non ita est, exhibeant Judæi prophetarum post Christum aliqua volumina, angelorum aliquorum visibilia miracula, quæ retro patriarchæ viderunt usque ad adventum Christi, qui jam venit, ex qua signata est visio et prophetia, id est statuta. Et merito Evangelista : *Lex et Prophetæ usque ad Joannem baptizatorem* (*Matth.*, XI, 13). Baptizato enim Christo, id est sanctificante aquas in suo baptismate (*a*), omnis plenitudo spiritalium retro charismatum in Christo cesserunt, signante visionem et prophetias omnes, quas adventu suo adimplevit. Unde firmissime dicit adventum ejus signare visum et prophetiam. Itaque ostendentes et numerum annorum et tempus LX duarum et dimidiæ hebdomadarum adimpletum, tunc venisse Christum, id est natum ; videamus (4) aliæ VII et dimidia hebdomades, quæ sunt subdivisæ in abscissione priorum hebdomadarum, in quo actu sint adimpletæ. Post enim Augustum, qui supervixit post nativitatem Christi, anni XV efficiuntur : cui successit Tiberius Cæsar, et imperium habuit annis XXII, mensibus septem, diebus viginti (5). Hujus quintodecimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi XXX cum pateretur. Item Caius Cæsar, qui et Caligula, annis III, mensibus VIII, diebus XIII (*b*); Nero Cæsar annis IX, mensibus IX, diebus XIII; Galba mensibus VII (6), diebus VI ; Otho mensibus III, diebus V ; Vitellius mensibus VIII, diebus X (7) ; Vespasianus anno primo imperii sui debellavit Judæos : et fiunt anni numero quinquaginta duo, menses sex. Nam imperavit annis novem (8) : atque ita in diem expugnationis suæ Judæi impleverunt hebdomadas LXX prædictas a Daniele. Igitur, expletis his quoque temporibus, et debellatis Judæis, postea cessaverunt illic libamina et sacrificia ; quæ exinde illic celebrari non potuerunt. Nam et unctio illic exterminata est post passionem Christi. (*c*) Erat enim prædictum exterminari illic unctionem, sicut est in Psalmis prophetatum. *Exterminaverunt manus meas et pedes* (*Ps.* XXI, 17). Quæ passio hujus exterminii intra tempora LXX hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Coss. (*d*) Rubellio Gemino, et Fufio Gemino, mense martio, temporibus Paschæ, die VIII calendarum aprilium, (*e*) die prima azymorum, quo agnum ut occiderent ad vesperam a Moyse fuerat præceptum. Itaque omnis synagoga filiorum Israel eum interfecit, dicentes ad Pilatum, cum vellet eum dimittere : *Sanguis hujus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25) ; et *si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris* (*Joan.* XIX, 12) : ut adimpleri possent omnia quæ de eo fuerant scripta.

CAPUT IX.

Incipiamus igitur probare nativitatem Christi a prophetis esse nuntiatam. Sic Esaias dicit : *Audite*, *do-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prophetam *Rhen. Oberth.*
(2) Enim *abest a Rhen. et Oberth.*
(3) Prophetia est quæ *alii.*
(4) Quid *add. Semler.*
(5) XXVIII *Rhen. post Hieron.*
(6) Diebus XXIX *Hieron.*
(7) Diebus XXVIII *Hieron.*
(8) Annis XI *idem.*

COMMENTARIUS.

mortem Cleopatræ, *anni* CCCCXXXVII, *mens.* V, etc. Ric.

(*a*) *Sanctificante aquas in suo baptismate.* Simile est illud B. Cypriani, sermone de baptismo Christi : *Venichat Christus ad baptismum, non egens lavacro, in quo peccatum non erat, sed ut sacramento perennis daretur auctoritas.* Loci adnotandi contra Calvinum et alios, qui negat aquam in baptismo necessariam : qualis etiam est epist. 2 B. Cypriani ad Donatum, ad quem adnotationes nostras videat lector, num. 8. Pam.

(b) *Diebus* XIII. Post Caligulam regnasse Claudium nemo nescit. Ideoque ejus imperium hic reponunt Rhen. et Obert., ut sequitur : « Tiberius Claudius, annis XIII, mensibus VII, diebus XX ; » licet hæc non legamus nec apud Hieron., neque apud Pomer., imo omitti debeant, ut constet de sententia Auctoris de annis duntaxat LII, mensibus VII, ut loquitur Pamelius, qui mox subjungit : « Videre itaque est vel hinc parum ipsum (Tertullianum) curiosum fuisse historiæ, fortassis imitatus in hoc Matthæum evangelistam, qui in libro Generationis Christi, tres generationes præternisit, ut, interprete B. Hieronymo, tres tesseradecades non excederet. Consentit interim satis numerus annorum cum Clemente Alexandrino. Edd.

(c) *Erat enim prædictum exterminari illic unctionem.* Ἐνδελεχισμὸν, juge sacrificium. Hieron. in cap. VIII Danielis. Josephus, lib. VII belli Jud. c. 8, τὸν ἐνδελεχισμὸν καλοῦσιν ἀνδρῶν ἀτεφία διαλελειπέναι τῷ Θεῷ. Pam.

(d) *Rubellio Gemino Rufino Gemino.* Sic ediderat Rhenanus editione secunda. Prima et tertia, *Rufino Gemino.* Varia in libris antiquis horum nominum scriptura : Fasti Siculi, Rufo et Rubellino : Capitolini, Rubellio et Fufio, quomodo et Tacitus. Sulpitius Severus, Rubellio ; alii Rubellione. Sunt qui Duobus Geminis. Fasti Siculi, Gemino et Gemino : mox subjunctim, Rufo et Rubellino. Unde natus error existimantium duobus Geminis suffectos Rufum et Rubellinum : cum hoc nihil sit aliud quam duobus Geminis, hoc est, C. Rubellio Gemino et C. Fufio Gemino. Sic manifestissime apud Tacitum, initio lib. V : « Rubellio, inquit, et Fufio Coss. » quorum utique Geminus cognomentum erat. Ric.

(e) *Die prima azymorum.* Nondum assentiri potui Pamelio, qui ex hoc loco probari posse existimat Ecclesiæ nostræ ritum quo pane azymo Christi Domini corpus in Eucharistia conficitur. Esto enim, jusserit Moses (*Exodi* XII) ut pane azymo iis diebus quilibet uteretur, an ideo probatur Ecclesiæ consuetudo ? In usu olim fuisse fermentatum panem ad sacra faciendo putant multi; qua de re exstat elegans tractatus R. P. Jacobi Sirmondi *παρεργον*. Id olim conjecit Demetrius Chomatenus, archiepiscopus Bulgariæ, in Resp. ad episcopum Dyrrachii, dum ait : λατινικὸν ἄζυμον οὐδεὶς οὐδαμοῦ κανὼν μέμνηται. *Azymorum quibus utuntur Latini nullus unquam canon meminit.* Sanctus tamen Cyprianus, lib. de Cœna Domini : *Panis hic azymus cibus verus et sincerus, per speciem et sacramentum, nos tetim sanctificet, fide illuminat, veritate Christo*

mus David, (a) non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat certamen : propter hoc ipse Deus dabit vobis signum : (b) Ecce virgo concipiet in utero et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur : Nobiscum Deus. Butyrum et mel manducabit. Quoniam, priusquam cognoscat infans vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ adversus regem Assyriorum. (*Isa.* VII, 13-16) Itaque dicunt Judæi : Provocemus istam prædicationem Esaiæ, et faciamus comparationem, an Christo qui jam venit, competat illi primo nomen quod Esaias prædicavit, et insignia ejus quæ de eo nuntiavit. Equidem Esaias prædicat eum Emmanuelem vocari oportere, dehinc virtutem sumpturum Damasci et spolia Samariæ adversus regem Assyriorum. Porro, inquiunt, iste qui venit, neque sub ejusmodi nomine est editus, neque re bellica functus. At nos e contrario admonendos eos existimavimus, uti cohærentia quoque hujus capituli recognoscant : subjuncta est enim et interpretatio Emmanuel, *Nobiscum Deus*, uti non solum sonum nominis species (1), sed et sensum. Sonus enim hebraicus, quod est Emmanuel, suæ gentis est ; sensus autem ejus, quod est *Deus nobiscum*, ex interpretatione communis est (*c*). Quæro (2) ergo an ista vox, *Nobiscum Deus*, quod est Emmanuel, eximde quo Christus inluxit, agitetur in Christo ? Et puto, ex toto non negabis. Nam qui ex Judaismo credunt Christo, ex quo in eum credunt, Emmanuel cum volent dicere, nobiscum Deum esse significant. Atque ita constat jam venisse illum qui prædicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel, venit, id est Nobiscum Deus. Æque et sono nominis indu- A contur, cum virtutem Damasci, et spolia Samariæ adversus regem Assyriorum, sic accipiunt, quasi bellatorem portendant Christum, non animadvertentes quid Scriptura præmittat : *Quoniam priusquam cognoscat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci et spolia Samariæ adversus regem Assyriorum.* Ante est enim inspicias (3) ætatis demonstrationem, an virum jam Christum exhibere ista ætas possit, nedum imperatorem ; scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans ; et signum belli, non tuba, (*d*) sed crepitacillo daturus ; nec ex equo vel de muro, sed de nutricis et gerulæ suæ dorso sive collo hostem destinaturus ; atque ita Damascum et Samariam pro mammis subacturus. Aliud est, si penes vos infantes in prælium crumpunt, credo ad solem B (4) (*e*) uncti prius, dehinc pannis armati, et butyro stipendiati, qui ante norint lanceare quam lancinare. (*f*) Enim vero si nusquam hoc natura concedit, (*g*) ante militare quam virum facere, ante virtutem Damasci sumere quam patrem nosse, sequitur ut figurate pronuntiatum videatur. Sed et virginem, inquiunt, parere natura non patitur, et tamen credendum est prophetæ. Et merito. Præstruxit enim fidem incredibili rei, dicendo quod signum esset futurum. *Propterea*, inquit, *dabitur vobis signum : Ecce virgo concipiet in utero et pariet filium.* Signum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur. (*h*) Denique, si quando ad dejiciendos aliquos ab hac divina prædicatione, vel convertere singulos simplices quosque gestitis, mentiri audetis, quasi non virginem, sed juvenculam concepturam et pariturum Scriptura contineat ; hinc quoque revincimini, quod nihil signi videri possit res quotidiana, ju- C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Expectes *Rhen. Oberth.*
(2) Quare *Seml.*
(3) Enim. Inspicianus *Jun.*
(4) Solium *Jun. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

conformat ; si modo liber hic sit B. Cypriani. LE PR. — *Octavo kal. april.* hinc in primis confirmatur eorum patrum sententia, qui eodem die, nempe VIII kal. april., passum scribunt Christum, quo B. Virgini annuntiatum : deinde Latinorum omnium conformis expositio Evangelistarum trium, Matth. XXVI, Marc. XIV, Luc. XXII, quod XIV luna, *primo azymorum die*, jam vesperi incipiente, celebrarit pascha Christus cum discipulis. PAM.

CAP. IX.—(a) *Non pusillum vobis certamen.* Esaiæ locus est cap. 7 : verum, ut hæc interpretatio latina conveniat græcis, atque etiam Vulgatæ scripturæ, legendum : *Num pusillum vobis certamen cum hominibus ?* dein sequatur : *Quoniam Deus præstat certamen ;* hoc est, quia etiam adversus Deum certamen certatis, etiam Deo molesti estis. Symmachus dixit : *Non sufficit vobis molestiam exhibere hominibus ? quoniam molesti estis etiam Deo meo.* Septuaginta καὶ πῶς κύριῳ παρίχετε ἀγῶνα. Auctor interpretationis quam secuti sunt Septimius et Cyprianus, legisse videtur in græcis : καὶ πῶς κύριος παρίχεται ἀγῶνα. RIG.

(b) *Ecce virgo concipiet.* In græca versione corrupta est νᾶνις, *adolescentula*, non, κόρη, *virgo*, ut in versione Septuaginta virorum. In Hebræo discrimen est aliquod, de quo B. Hieronymus in *Quæst. hebr.* LE PR. — Sic constanter ubique Tertullianus, tum paulo post, et loco citato, tum etiam lib. de *Carne Christi ;* quare addidimus, *in utero*, maxime cum legatur etiam a B. Cypriano utroque loco mox citato, de quo latius ibidem in adnot. nostris ad Ep. 6, num. 16, et lib. *Adversus Jud.* PAM.

(c) *Sensus autem ejus, quod est Deus nobiscum*, etc. Verba hæc, teste Semler, in Paterniacensi codice ad marginem sunt adscripta, sed sic ut viderentur referenda in contextum : ea tamen expunxit Semler, etsi invenerit apud Pam., Rhen. et Rigalt. EDD.

(d) *Sed crepitacillo daturus.* Crepitacillum ex ludicris puerilibus est, forma diminutiva, a crepitaculo deductum, sicut a speculo specillum. Apte vero diminutivo utitur, de infantulo loquens. RHEN.

(e) *Ad solem. Solium* magis arridet Seml., qui πυέλος interpretatur : vas in quo sedentes ungebantur. EDD.

(f) *Ante lanceare quam lancinare.* Infantes dentitione exasperati, mammas inter sugendum lancinant. RIG.

(g) *Ante militare quam virum facere.* Ante pubertatem vix legitur miles : et natura virum facit, cum puberem demonstrat. Eamdem sententiam Tertullianus lib. III, *adversus Marcionem*, sic edidit : *Nusquam hoc natura concedit, ante militari quam vivere.* Nempe infantem vita virum facit. RIG.

(h) *Denique si quando ad dejiciendos aliquos.* Brevius et expeditius adversus Marcionem III : *Denique et Judæi, si quando ad nos dejiciendos mentiri audent quasi non virginem, etc.* RIG.

venculæ scilicet prægnatus et partus. In signum ergo nobis posita virgo mater merito creditur, infans vero bellator non æque. Non enim (1) et hic signi ratio versatur, (2) sed signo nativitatis novæ adscripto, exinde post signum alius jam ordo infantis edicitur, mel et butyrum manducaturi. Nec hoc utique in signum est, (3) et hoc enim infantiæ est; sed accepturum virtutem Damasci, et spolia Samariæ adversus regem Assyriorum, hoc est mirabile signum. Servate modum ætatis, et quærite sensum prædicationis : immo reddite veritati, quæ credere non vultis, et tam intelligitur prophetia, quam (*a*) renuntiatur (4) expuncta. Accepit Christus infans virtutem Damasci et spolia Samariæ. (*b*) Maneant enim orientales illi Magi, (*c*) infantiam Christi recentem (5) auro et thure (6) munerantes, et acceperit (7) infans (*d*) virtutem Damasci sine prælio et armis. Nam, præter quod omnibus notum est, Orientis virtutem, id est vires, (8) auro et odoribus pollere solitam, certum est (9), et ex divinis Scripturis, virtutem quoque cæterarum gentium aurum constituere ; sicut per Zachariam dicit : *Et Judas pertendet Hierusalem* (10), *et congregabit omnem valentiam populorum per circuitum, aurum et argentum* (*Zach.* XIV, 14). Nam de hoc auri munere etiam David dixit : *Et dabitur illi de auro Arabiæ* (*Psal.* LXXI, 15). Et iterum : *Reges Arabum et Saba munera afferent illi* (*Ibid.* 70) (*e*). Nam et Magos reges fere habuit Oriens, et Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, cujus tunc virtutem Christus accepit, accipiendo insignia ejus, aurum scilicet et odores : spolia autem Samariæ, ipsos magos, qui cum illum cognovissent et muneribus honorassent, et genu posito adorassent, quasi dominum (11) et regem sub testimonio indicis et ducis (12) stellæ spolia sunt facti Samariæ, id est idololatriæ, credentes videlicet in Christum. Idololatriam enim Samariæ nomine notavit, ut ignominiosæ ob idololatriam, qua desciverat tunc a Deo sub rege Hieroboam. (*f*) Nec hoc enim novum Scripturis divinis, figurate uti translatione nominum ex comparatione criminum : nam et *archontas Sodomorum* (*Is.*, I, 10) appellat archontas vestros, et populum vestrum *populum Gomorrhæ* (*Ibid.*) vocat ; cum jam olim essent civitates istæ exstinctæ. Et alibi per prophetam ad populum Israel : *Pater*, inquit, *tuus Amorrhæus, et mater tua Cethea* (*Eze.* XVI, 3); quorum ex genere procreati non sunt, sed ob consimilem impietatem : quos aliquando etiam filios suos dixerat per Isaiam Prophetam : *Filios genuevi et exaltavi* (*Is.*, I, 2). (*g*) Sic et *Ægyptus* (*Is.*, XIX, 1) nonnumquam totus orbis intelligitur apud illum, superstitionis et maledictionis elogio. (*h*) Sic et *Babylon* (*Apoc.*, XVII, 5) apud Joannem nostrum, Romanæ urbis figura est, proinde et magnæ, et regno superbæ, et sanctorum debellatricis. Hoc itaque modo magos quoque Samaritanorum appellatione titulavit, et despoliatos, quod habuerant cum Samaritis, ut diximus, idololatriam. Adversus regem autem Assyriorum, adversus diabolum, qui ad hoc se regnare putat, si sanctos a religione Dei deturbat. Adjuvabitur autem hæc nostra interpretatio, dum et alibi bellatorem Christum Scripturæ designant ob armorum quorumdam vocabula et ejusmodi verba. Sed ex reliquorum sensuum comparatione convincentur Judæi : *Accingere*, inquit David, *ensem supra femur* (*Psal.* XLIV, 4). Sed quid supra legis de

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non æque ? et hic *Rhen. Oberth.*
(2) Versatur. Sed *Iidem.*
(3) Et hoc utique in signum infantiæ est *Par. Pro* utique *legit Pam.* utrique. Nec hoc utique in signum est, infantia est *Oberth. Seml.*
(4) Prophetia renuntiata, quam creditur expuncta *Obert. Rhen.* Tum... quum *Jun.*
(5) Ut regem *Pam. Rhen. Oberth.*
(6) Et myrrha *Iidem.*
(7) Accepit *Iidem.*
(8) Id est vires *abest a cod. Wonw.*
(9) Certe est creatori *Pam. Rhen. Oberth.* Creatoris *Fran. videtur ex* certe est *ortum. Seml.*
(10) Prætendit Israel *Rhen. Oberth.*
(11) Deum *Fran.*
(12) Judicis et indicis *Rhen. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Renuntiatur expuncta.* Hoc est, eventu adimpleta. Rig.

(b) *Maneant enim Orientales Magi.* Maneant, pro *expectent.* Quo significatu Terentius Phorm. *mansurus patrem* dixit. Pam.

(c) *Infantiam Christi recentem auro et thure munerantes.* Hanc scripturam omnibus aliis prætuli, auctoris menti convenientissimam, atque ipsi etiam usurpatam, libro III adversus Marcionem : *Maneant enim*, inquit, *Orientales illi Magi in infantia Christum recentem auro et thure munerantes.* Rig.

(d) *Virtutem Damasci.* Mox dicet *virtutem Orientis*, id est abundantiam et vires. Servius ad illa Virgilii Æn. XII, *movet arma leo* : vires suas experitur, nam arma sunt uniuscujusque rei possibilitas. Sic Columella, principio lib. 7, dixit honorem Arcadiæ, asellos, queis maxime commendatur Arcadia. Rig.

(e) *Nam et magos reges fere habuit Oriens.* Ex hoc loco inferri non potest Persarum reges magos fuisse, verum fere magos : cum enim magorum præceptis imbuerentur, aliquid inde retinebant. Qui magi apud Persas dicebantur, ii erant regum pædagogi ; testis Tull. lib. III *de Nat. Deor.* et Apul. in Apol. atque eodem Apulejo, Magus idem ac sacerdos lingua Persica. Le Pr.

(f) *Nec hoc enim novum divinis Scripturis.* Libro adversus Marcionem III : *Nec hoc enim novum Creatori figurate uti translatione.* Rig.

(g) *Sic et Ægyptus nonnumquam totus orbis intelligitur.* Alludit fortasse ad Isaiæ cap. 19, in quo cum pleraque ad Ægyptum pertineant, quædam tamen non solum veteres, sed et Judæi interpretantur de mundo Ægyptiis tenebris involuto, et nominatim illud de Ecclesia per totum mundum dispersa : *In illa die erit altare Domini in medio terræ Ægypti.* Pam.

(h) *Sic et Babylon.* Expungenda quæ ad marginem adscripta fuit adnotatione *Babylon Rom.* ; quod haud dubie ab hostibus Romanæ Ecclesiæ addita sit ; quippe cum hunc locum contra eam detorquere non vereantur, qui tamen non de Ecclesia, sed urbe Roma agit, eaque eo tempore quo sanctorum debellatrix in Christianos persecutionem movebat, per suos antistites seu idolorum pontifices. Pam.

Christo (1)? *Tempestivus decore super filios hominum; effusa est gratia in labiis tuis* (*Ibid.*, 3). Valde autem absurdum est, si quem ab bellum ense cingebat, ei de tempestivitate decoris et labiorum gratia blandiebatur; de quo subjungens, dicebat : *Extende, et prospera, et regna* (2) (*Ibid.*, 5). Et adjecit : *Propter lenitatem et justitiam tuam* (*Ibid.*). (*a*) Quis enim ense operabitur (3), et non contraria lenitati et justitiæ exercet? id est dolum et asperitatem et injustitiam, propria scilicet negotia præliorum. Videamus ergo an alius sit ensis ille, cujus est alius actus (*b*), id (4) est Dei sermo divinus, bis acutus (5) (*Hebr.*, IV, 12) duobus testamentis, legis antiquæ et legis novæ, acutus sapientiæ suæ æquitate, reddens unicuique secundum actum suum. Licuit (6) ergo et Christo Dei in Psalmis sine bellicis rebus ensem sermonis Dei præcingi figurato, cui prædicta tempestivitas congruat cum gratia labiorum, quem tunc cingebatur super femur apud David, quando venturus in terras ex Dei patris decreto nuntiabatur : *Et deducet*, inquit, *te magnitudo dexteræ tuæ* (*Psal*, XLIV, 5), virtus scilicet gratiæ spiritalis, de qua Christi agnitio deducitur : *Sagittæ tuæ*, inquit, *acutæ* (*Ibid.*, 6), per volantia utique (7) Dei præcepta, minantes (*c*) traductionem uniuscujusque cordis, compungentes et transfigentes (8) conscientiam quamque (9). *Populi sub te cadent*, utique adorantes. Sic bellipotens et armiger Christus est, sic recipiet (10) spolia, non solius Samariæ, verum et omnium gentium. Agnosce et spolia figurata cujus et arma allegorica didicisti. A Atque ita in tantum Christus (11) qui venit (12), non fuit bellator, quia non talis ab Esaia prædicabatur. Sed si Christus, inquiunt, qui venturus creditur, non Jesus dicitur (13), quare is qui venit, Jesus Christus appellatur? Constabit autem utrumque nomen in Christo Dei, in quo invenitur etiam Jesus appellatus. Disce erroris tui morem. Dum Moysi successor destinaretur Auses filius Nave, transfertur certe (14) de pristino nomine, et incipit vocari Jesus (*d*). Certe, inquis (15). Hanc prius dicimus figuram futuri fuisse. Nam quia Jesus Christus secundum populum, quod sumus nos, nationes in sæculi deserto (16) commorantes antea, introducturus esset in terram repromissionis, melle et lacte manantem, id est in vitæ æternæ possessionem (17), qua nihil B dulcius : idque (18) non per Moysen, id est, non per legis disciplinam, sed per Jesum, id est per novæ legis gratiam, provenire habebat circumcisis nobis petrina acie, id est Christi præceptis, *petra* enim *Christus* (I *Cor.*, X, 4) multis modis et figuris prædicatus est : ideo is vir qui in hujus sacramenti imaginem parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus est figura, ut Jesus nominaretur. Nam qui ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei filius, qui et semper videbatur (*e*). Deum enim patrem nemo vidit unquam, et vixit (*Exod.*, XXXIII, 20) : et ideo constat ipsum Dei filium Moysi esse locutum, et dixisse ad populum : (*f*) *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, id est populi, *qui te custodiat in itinere, et introducat in terram quam præparavi tibi; intende illi*, C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ἀρεσος τῷ κάλλει *add. Oberth. Seml.*
(2) Et prosperare, propera et regna *Fran.* Et prosperare et regna *Jun.*
(3) Quis ensem accingetur? *Rhen. Oberth.*
(4) Is *Jun.*
(5) Ut *adduat Rhen. Oberth.*
(6) Libet *Iidem.*
(7) Ubique *Iidem.*
(8) Et compungentis et transfigentis *Rhen.*
(9) Conscientiam. Namque populi *Rhen. Obert.*
(10) Accipiet *Pam. Rhen. Oberth.*
(11) Erat *addit. Jun.*
(12) Inquantum *Lat.*
(13) Est *Oberth. Seml.* Non etiam Jesus a Judæis creditur *Seml.*
(14) Morem, dum...destinaretur Auses filius Nare, transfertur certe *Oberth. Seml.*
(15) Inquis, hanc *Oberth.*
(16) In sæculo, in deserto *Oberth Seml.* In sæculo deserto *Par.*
(17) Repromissione *Seml.*
(18) In quam *Rhen. Oberth.* Id quod *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quis enim ense operabitur, et non contraria lenitati et justitiæ exercet?* Tertulliani scripta vix indulgent militiam Christianis. Libro *de Patientia*, Domini patientiam dicit in Malcho vulneratam fuisse; itaque Dominum gladii opera maledixisse in posterum. Et lib. *de Corona*, gladium nec Dominicæ defensioni D necessarium fuisse. Et generaliter lib. *de Idololatria* : « Quomodo, inquit, etiam in pace militabit sine gladio, quem Dominus abstulit » Rig.—Christianis omnibus ubique militia interdicit auctor, quod ante me observatum. B. Hieronymus ad Gerontiam : *Illo tempore bellatoribus dicebatur* : « Accingere gladio super femur tuum, potentissime; » *modo audit Petrus* : « Condo gladium tuum in vaginam » Et si vero multi Christianorum, multi martyres exercituum imperatores fuerint, illud tamen improbatur vetustissimo doctori, atque etiam aliis. M. Aurelius imperator epistola quam ad senatum ex Germania scripsit pro Christianis, ait bellare iis esse vetitum, διὰ τὸ ἐχθρὸν εἶναι τὸ τοιοῦτο ὑποῖς, διὰ τὸν θεὸν, ὃν φοροῦσι κατὰ συνείδησιν : *quoniam istud illis contrarium propter Deum, quem gerunt in pectore* : habetur hæc epistola apud Justinum martyrem post Apolog. II. Rationem aliam non possum afferre, quam militiam tunc temporis, ut plurimum gentilium ritibus et impietatibus fuisse addictam et scelerum officinam. Martyres vero et Christiani, qui in armis floruerunt, ab illo cœno immunes evaserunt. Le Pr.

(b) *Id est Dei sermo divinus.* Loco sæpissime citato interserit ipsam scripturam Apocalypseos apostoli Joannis, ad quam hic alludit (*Apocal.* I). Juxta quem etiam omissa voce, ut superflua, legimus, *bis acutus duobus testamentis.* Le Pr.

(c) *Traductionem cordis.* Significat vim gratiæ spiritalis, quæ divinorum præceptorum sagittis conscientiam fidelis cujusque transadigit. Rig.

(d) *Et incipit vocari Jesus.* Ita ex Mss..... Alludit autem ad id quod habetur Num. XIII, 17 : *Vocavitque* (Moyses) *Osee, filium Nun, Josue*..... quod transtulit B. Augustinus (ex græca versione) lib. XVI *contra Faustum*, cap. XIX : *Et cognominavit Moyses Ausen, filium Nave, Jesum.* Pam.

(e) *Qui et semper videbatur.* Videtur hoc pertinere etiam ad errores Tertulliani, quasi senserit idem quod Maximinus Arianus, *filium Dei semper visum esse hominibus*, contra quem late disputat B. August. lib. III, cap. 26. Porro, quod sequitur, *Deum enim patrem nemo vidit unquam et vixit*, similiter etiam prorsus lib. *adv. Praxeam.* Pam.

(f) *Ecce ego mitto angelum.* Adjecimus *ego* ex Mss.

et audi eum, et ne inobaudiens fueris ei : non enim celavit te quoniam nomen meum super illum est (*Exod.*, XXVI, 20, 21). Populum enim introducturus erat Jesus in terram repromissionis, non Moyses. Angelum quidem dixit eum, ob magnitudinem virtutum quas erat editurus; quas virtutes fecit Jesus Nave, et ipsi legitis; et ob (1) officium prophetæ, nuntiantis scilicet divinam voluntatem; sicuti et præcursorem Christi Joannem, futurum angelum appellat per prophetam Spiritus, dicens ex persona Patris: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam* (*a*), id est Christi, *qui præparabit viam tuam ante te* (*Mal.*, I, 3). Nec novum est Spiritui sancto angelos appellare eos quos ministros suæ virtutis Deus præfecit: idem enim (2) Joannes non tantum angelus Christi vocatus est, sed et *lucerna*, *lucens* ante Christum. *Paravi* enim *lucernam Christo meo*, David prædicat (*Psal.* CXXXI, 17). Quare ipse Christus veniens adimplere prophetas, dicit ad Judæos: *Ille fuit*, inquit, *lucerna ardens et lucens* (*Joan.*, V, 35): utpote, qui non tantum vias ejus parabat in eremo (*Joan.*, I, 23), sed et agnum Dei demonstrando (*Ibid.*, 29), illuminabat mentes hominum præconio suo, ut eum esse intelligerent agnum quem Moyses passurum nuntiabat (3) (*Exod.*, XII). Sic et Jesus, ob nominis sui futurum sacramentum: id enim nomen suum confirmavit, quod ipse ei indiderat, quia non angelum, nec Ausen, sed Jesum eum jusserat exinde vocari. Sic igitur utrumque nomen competit Christo Dei, ut et Jesus appellaretur. Et quoniam ex semine David genus trahere deberet virgo ex qua nasci oportuit Christum, ut supra memoravimus, evidenter Esaias propheta in sequentibus dicit: *Et nascetur*, inquit, *virga de radice Jesse*, quod est Maria, *et flos de radice ejus adscendet. Et requiescet super illum* (4) *spiritus Dei, et spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et virtutis* (5), *spiritus agnitionis et pietatis, spiritus Dei timoris implebit illum* (*Is.*, XI, 1, 2). Neque enim ulli hominum universitas spiritalium documentorum competebat, nisi in Christum, flori quidem ob gratiam (6) adæquatum, ex stirpe autem Jesse deputatum (bb), per Mariam scilicet inde censendum. Fuit enim de patria Bethlehem et de domo David, sicut apud Romanos in censu descripta est Maria (*Luc.*, II, 1 *sqq.*), ex qua nascitur Christus. Expostulo etiam, et quia a prophetis prædicabatur ex Jesse genere venturus, et (cc) omnem humilitatem et patientiam et tranquillitatem esset exhibiturus, an venerit? atque ita is homo qui talis ostenditur, ipse erit Christus, qui venit. De hoc enim Propheta dicit: *Homo in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem* (*Is.*, LIII, 4); qui *tamquam ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum* (*Ibid.*, 7). *Si neque contendit, neque clamavit, neque audita est foris vox ejus* (dd), *qui arundinem contusam*, id est quassam (7) Israelis fidem, *non comminuit; qui linum ardens*, id est momentaneum ardorem gentium, *non extinxit* (*Isa.*, XLII, 2, 3), sed lucere magis fecit (ee) ortu luminis sui; non potest alius esse, quam qui prædicabatur (8). Oportet itaque actum Christi ejus qui venit, ad Scripturarum regulam recognosci. Duplici enim, nisi fallor, operatione distinctum eum legimus, prædicationis et virtutis. Sed de utroque titulo sic disponam (9); itaque specialiter dispungamus ordinem cœptum, docentes prædicatorem adnuntiatum Christum, ut per Esaiam: *Exclama*, inquit, *in vigore, et ne peperceris; exalta ut tuba vocem tuam, et adnuntia plebi meæ facinora ipsorum, et domui Jacob delictâ eorum. Me de die in diem quærunt, et cognoscere vias meas cupiunt. Quasi populus qui justitiam fecerit, et judicium Dei non dereliquerit* (*Isa.* LXIII, 1, 2), et reliqua. Virtutes autem facturum a Patre Esaias dicit: *Ecce Deus noster judicium retribuit, ipse veniet, et salvos faciet nos. Tunc infirmi curabuntur, et oculi cæcorum videbunt, et aures surdorum audient, et claudus saliet velut cervus, et mutorum linguæ solventur.*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ob *abest a Pam. Rhen. et Oberth.*
(2) Inquit *Seml.* Enim inquit *Pam. Oberth.*
(3) Nominabat *Pam. Rhen.*
(4) De radice. Ascendet in illum *Rhen. Oberth.*
(5) Veritatis *Par.*
(6) Nisi Christo florido quidem ob gloriam, ob gratiam *Oberth. Seml.*
(7) Id est quassam *abest a Rhen. et Oberth.*
(8) Prædicebatur *Pam.*
(9) Populo sic dispositam *Rhen. Oberth.* Titulo sic dispositam *Jun.*

COMMENTARIUS.

tum postea, nam legitur in plerisque græcis, hebraïs, latinisque codicibus. Pam.

(a) *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam.* Apud prophetam Malachiam est *ante faciem meam*, πρὸ προσώπου μου. Sed idem in propheta legitur, atque Evangelistis. Le Pr.

(b) *Per Mariam scilicet inde censendum.* Paulo post, *sicut apud Romanos in censu descripta est Maria.* Multis in locis hujus census facit mentionem, ideoque remitto ad nostras adnotationes in cap. 7, lib. IV, *contra Marcionem.* Obiter hic dico non parum esse difficultatis in illa descriptione explicanda: an sub Sentio Saturnino, an sub Quirino facta sit, ut habet S. Lucas: an etiam duplex censio instituta fuerit, quod asserunt nonnulli. Le Pr.

(c) *Omnem humilitatem et patientiam.* Lib. de pat. cap. 3, idem habet: *Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat:* vocaverat non multo ante *Patientiam misericordiæ matrem.* Quem in sensum B. Chrysostomus, hom. 4, ad populum Εἰ βούλει τρυφᾶν, κτλ ἀνίσως; ἀπολαύειν, καὶ ἡδονῆς, μὴ ζήτει ἡδονήν, μετὰ ἄνεσιν, ἀλλὰ ζήτει ψυχὴν ὑπομονῆς γέμουσαν: *Si vis deliciis frui, et remissione frui atque voluptate, ne quæras voluptatem aut quietem, verum quæras animum plenum patientiæ.* Le Pr.

(d) *Qui arundinem contusam.* Cap. III *de Patientia*, eadem ferme loquitur: *Arundinem quassatam non fregit.* Hic *contusam*, ibi *quassatam*, quod idem, sicuti apud prophetam Isai. XIII, συγκλωσμένον, et συντετριμμένον apud Matth. XII. Hic utar explicatione B. Hilarii, qui in hunc locum Matthæi per *arundinem quassatam* ethnicos intelligit, qui a Deo non quidem fracti, sed ad salutem reservati. Le Pr.

(e) *Ortu luminis sui.* Juxta illud: *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam:* quo loco antea usus est.

(*Isa.* XXXV, 4, 5, 6), et cætera quæ operatum Christum nec vos diffitemini, utpote qui dicebatis, quod propter opera eum non lapidaretis, sed quoniam ista sabbatis faciebat (*Joh.* V, 18) (*a*).

CAPUT X.

De exitu plane passionis ejus ambigitis, negantes passionem crucis in Christum prædicatam, et argumentantes insuper non esse credendum, ut ad id genus mortis exposuerit Deus filium suum, quod ipse dixit : *Maledictus omnis homo qui pependit in ligno* (*Deut.* XXI, 23). Sed hujus maledictionis sensum antecedit rerum probatio. Dicit enim in Deuteronomio: *Si autem fuerit in aliquo delictum, ita ut judicium mortis sit, et morietur, et suspendetis eum in ligno. Sed et sepultura sepelietis eum ipsa die : quoniam maledictus a Deo est omnis qui suspensus fuerit in ligno, et non inquinabitis terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi in sortem* (*Ibid.* 22, 23). Igitur non in hanc passionem Christum maledixit; sed distinctionem fecit, ut qui in aliquo delicto judicium mortis habuisset et morereturtur suspensus in ligno, hic maledictus a Deo esset, quia (1) propter merita delictorum suorum suspenderetur in ligno. Alioquin Christus, qui dolum de ore suo locutus non est (*Isa.* LIII, 9) (*b*), quique omnem justitiam et humilitatem exhibuit; et ut supra de eo prædictum memoravimus, non pro meritis suis in id genus mortis expositus est, sed ut ea quæ prædicta sunt a prophetis, per vos ei obventura implerentur, sicut in Psalmis ipse Spiritus Christi jam canebat, dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis* (*Ps.* XXXIV, 12), et : *Quæ non rapueram, tunc exsolvebam* (*Ps.* LXVIII, 5); *Exterminaverunt* (*c*) *manus meas et pedes* (*Ps.* XXI, 17); et : *Miserunt in potum meum fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Ps.* LXVIII, 23); et, *Super vestem meam miserunt sortem* (*Ps.* XXI, 19); sicuti cætera quæ in illum commissuri essetis, prædicta sunt. Quæ quidem omnia ipso (2) perpessus, non pro actu suo aliquo malo passus est, sed ut *Scripturæ implerentur de ore prophetarum* (*Matth.* XVI, 56). Et utique sacramentum passionis ipsius figurari in prædicationibus oportuerat; quantoque incredibile, tanto magis scandalum futurum, si nude prædicaretur (3); quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quæreret. Itaque in primis Isaac cum a patre hostia duceretur, et lignum ipsi sibi portaret (*Gen.* XXII, 6), Christi exitum jam tunc denotabat, in victimam concessi a patre, lignum passionis suæ bajulantis. Joseph et ipse Christum figuravit, vel hoc solo, ne cursum demorer ipse, quod persecutionem a fratribus passus est, et venumdatus in Ægyptum (*Gen.* XXXVII, 28), ob Dei gratiam, sicut et Christus ob Israel, a fratribus venumdatus, a Juda cum traditur. (*d*) Nam et benedicitur in hæc verba Joseph : *Tauri decor ejus, cornua unicornis cornua ejus, in eis nationes ventilabit pariter ad summum usque terræ* (*Deut.* XXXIII, 17). Non utique rhinoceros destinabatur unicornis (*e*), vel minotaurus bicornis, sed Christus in illo significabatur : taurus ob utramque dispositionem, aliis ferus ut judex, aliis mansuetus ut salvator : (*f*) cujus cornua essent crucis extrema : nam et (*g*) in antenna navis, quæ crucis pars

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qui *Rhen. Obert.*
(2) Ista *alii.*
(3) Prædicetur *Rhen. Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) Ex nono hujus libri capite primam sibi visus est Semlerus invenisse caussam asserendi hunc librum Tertulliani non esse, sed meram esse compilationem hominis inepti ex libris *contra Marcionem*. Suam vero conjecturam *Semleri* instituta istius libri *adversus Judæos* cum libro tertio *contra Marcionem* comparatione unice corroborare conatur; hac autem argutandi ratione frustra sane is tractatus abjudicatur *Tertulliano*, cui, præter D. Hieronymum, auctorem *Quæstionum e Scriptura petitarum*, sub nomine Augustini evulgatum, et Vincentium Lirinensem, omnes viri docti ad novaturientem Semlerum usque eumdem adscripserunt. Et qui fieri potuit ut *liber adversus Judæos* sit compilatio *libri* III *contra Marcionem*, si is prior aut tempore saltem æqualis fuerit *contra Marcionem* libris? Tandem paradoxon aut monstro simile sit illud non video, si idem auctor eadem argumenta, easdemque loquendi formulas in diversis ad diversæ sectæ homines scriptis quidem operibus, sed in ratione objecti et materiæ, de qua disserit nentiquam diversis, adhibuerit. END ex LUMPER.

CAP. X.—(b) *Quique omnem justitiam et humilitatem exhibuit.* Abjectionem spontaneam Christi Domini quam optime extollit, unde ipsi Christo tribuitur *humilitatis et abjectionis magnitudo*, μεγαλος συγκαταβασεως και ταπεινωσεως, in prologo conc. Trullani. Gregorius Thaumaturgus ipsi Deo καταλυσιν ἁπασαν, *summam humilitatem* attribuit. LE PR.

(c) *Exterminaverunt manus meas.* Ex Psal. XXI, ubi ab hebræo discrepat hæc versio. In hebræo quippe est *sicut leo* כארי *cum deberet esse* כארי, hoc est *foderunt*, quod notavit olim Masora : sicque obturatur os Judæis qui de passione Dominica hæc accipi gravate patiuntur. Qualis vero sensus esse poterit si scribatur *sicut leo?* nisi recurramus ad interpretationem R. David Kimchi, de leone prædam insequente : quas nugas qui legerit, nisi plane ferreus sit et stoico plusquam supercilio, a risu temperare sibi non poterit. Melius igitur græca versio, quam Vulgata sequitur, ὀρυξαν, *foderunt*. Moneo interim locum hunc Dominicæ passioni optime accommodari et explicari a Justino Mart. *Apol.* II, circa medium. LE PR.

(d) *Nam et benedicitur in hæc verba Joseph.* Prætermisimus : *a patre* Neque enim hæc patris super Joseph benedictio, sed Moysi, Deut. XXX, qua benedixit tribus Joseph. Transtulit autem *ventilabit*, pro κερατα, quod magis proprie vertit latinus Septuaginta virorum, interpres, *cornu petet.* PAM.

(e) *Rhinoceros unicornis.* De hoc ita Plin. *Nat. hist.* lib. VIII, c. 20 : *Iisdem ludis*, nempe Pompeii Magni, *et rhinoceros unius in nare cornu, qualis sæpe visus. Alter hic genitus hostis elephanto, longitudo ei par, crura multo breviora, color buxeus.* Ego vero hunc auctorem citandum duxi, contra eorum opinionem qui putant rhinocerotem, unico cornu nusquam in rerum natura fuisse. Cum aliquot eorum cornua existant insignia apud S. Dionys. juxta Parisios in thesauris regiis. PAM.

(f) *Cujus cornua crucis extima.* De figuris, immo et imagine crucis hic loquitur. Atqui partim ex Ms. tum hic, tum lib. III *advers. Marc.* partim ex excusis castigavimus *crucis extima* sive *extrema.* PAM.

(g) *In antenna navis cornua extremitates vocantur.*

et audi eum, et ne inobaudiens fueris ei : non enim celavit te quoniam nomen meum super illum est (*Exod.*, XXVI, 20, 21). Populum enim introducturus erat Jesus in terram repromissionis, non Moyses. Angelum quidem dixit eum, ob magnitudinem virtutum quas erat editurus; quas virtutes fecit Jesus Nave, et ipsi legitis; et ob (1) officium prophetæ, nuntiantis scilicet divinam voluntatem; sicuti et præcursorem Christi Joannem, futurum angelum appellat per prophetam Spiritus, dicens ex persona Patris: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam* (*a*), id est Christi, *qui præparabit viam tuam ante te* (*Mal.*, I, 3). Nec novum est Spiritui sancto angelos appellare eos quos ministros suæ virtutis Deus præfecit : idem enim (2) Joannes non tantum angelus Christi vocatus est, sed et *lucerna*, *lucens* ante Christum. *Paravi* enim *lucernam Christo meo*, David prædicat (*Psal.* CXXXI, 17). Quare ipse Christus veniens adimplere prophetas, dicit ad Judæos : *Ille fuit*, inquit, *lucerna ardens et lucens* (*Joan.*, V, 35) : utpote, qui non tantum vias ejus parabat in eremo (*Joan.*, I, 23), sed et agnum Dei demonstrando (*Ibid.*, 29), illuminabat mentes hominum præconio suo, ut eum esse intelligerent agnum quem Moyses passurum nuntiabat (3) (*Exod.*, XII). Sic et Jesus, ob nominis sui futurum sacramentum : id enim nomen suum confirmavit, quod ipse ei indiderat, quia non angelum, nec Ausen, sed Jesum eum jusserat exinde vocari. Sic igitur utrumque nomen competit Christo Dei, ut et Jesus appellaretur. Et quoniam ex semine David genus trahere deberet virgo ex qua nasci oportuit Christum, ut supra memoravimus, evidenter Esaias propheta in sequentibus dicit : *Et nascetur*, inquit, *virga de radice Jesse*, quod est Maria, *et flos de radice ejus adscendet. Et requiescet super illum* (4) *spiritus Dei, et spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et virtutis* (5), *spiritus agnitionis et pietatis, spiritus Dei timoris implebit illum* (*Is.*, XI, 1, 2). Neque enim ulli hominum universitas spiritalium documentorum competebat, nisi in Christum, flori quidem ob gratiam (6) adæquatum, ex stirpe autem Jesse deputatum (bb), per Mariam scilicet inde censendum. Fuit enim de patria Bethlehem et de domo David, sicut apud Romanos in censu descripta est Maria (*Luc.*, II, 1 *sqq.*), ex qua nascitur Christus. Expostulo etiam, et quia a prophetis prædicabatur ex Jesse genere venturus, et (cc) omnem humilitatem et patientiam et tranquillitatem esset exhibiturus, an venerit? atque ita is homo qui talis ostenditur, ipse erit Christus, qui venit. De hoc enim Propheta dicit : *Homo in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem* (*Is.*, LIII, 4); qui *tamquam ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum* (*Ibid.*, 7). *Si neque contendit, neque clamavit, neque audita est foris vox ejus* (dd), *qui arundinem contusam*, id est quassam (7) Israelis fidem, *non comminuit; qui linum ardens*, id est momentaneum ardorem gentium, *non extinxit* (*Isa.*, XLII, 2, 3), sed lucere magis fecit (ee) ortu luminis sui; non potest alius esse, quam qui prædicabatur (8). Oportet itaque actum Christi ejus qui venit, ad Scripturarum regulam recognosci. Duplici enim, nisi fallor, operatione distinctum eum legimus, prædicationis et virtutis. Sed de utroque titulo sic disponam (9); itaque specialiter dispungamus ordinem cœptum, docentes prædicatorem adnuntiatum Christum, ut per Esaiam : *Exclama*, inquit, *in vigore, et ne peperceris; exalta ut tuba vocem tuam, et adnuntia plebi meæ facinora ipsorum, et domui Jacob delicta eorum. Me de die in diem quærunt, et cognoscere vias meas cupiunt. Quasi populus qui justitiam fecerit, et judicium Dei non dereliquerit* (*Isa.* LXIII, 1, 2), et reliqua. Virtutes autem facturum a Patre Esaias dicit : *Ecce Deus noster judicium retribuit, ipse veniet, et salvos faciet nos. Tunc infirmi curabuntur, et oculi cæcorum videbunt, et aures surdorum audient, et claudus saliet velut cervus, et mutorum linguæ solventur.*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ob *abest a Pam. Rhen. et Oberth.*
(2) Inquit *Seml.* Enim inquit *Pam. Oberth.*
(3) Nominabat *Pam. Rhen.*
(4) De radice. Ascendet in illum *Rhen. Oberth.*
(5) Veritatis *Par.*
(6) Nisi Christo florido quidem ob gloriam, ob gratiam *Oberth. Seml.*
(7) Id est quassam *abest a Rhen. et Oberth.*
(8) Prædicebatur *Pam.*
(9) Populo sic dispositam *Rhen. Oberth.* Titulo sic dispositam *Jun.*

COMMENTARIUS.

tum postea, nam legitur in plerisque græcis, hebraïs, latinisque codicibus. Pam.

(a) *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam.* Apud prophetam Malachiam est *ante faciem meam*, πρὸ προσώπου μου. Sed idem in propheta legitur, atque Evangelistis. Le Pr.

(b) *Per Mariam scilicet inde censendum.* Paulo post, *sicut apud Romanos in censu descripta est Maria.* Multis in locis hujus censûs facit mentionem, ideoque remitto ad nostras adnotationes in cap. 7, lib. IV, *contra Marcionem.* Obiter hic dico non parum esse difficultatis in illa descriptione explicanda : an sub Sentio Saturnino, an sub Quirino facta sit, ut habet S. Lucas : an etiam duplex censio instituta fuerit, quod asserunt nonnulli. Le Pr.

(c) *Omnem humilitatem et patientiam.* Lib. de pat. cap. 3, idem habet : *Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat :* vocaverat non multo ante *Patientiam misericordiæ matrem.* Quem in sensum B. Chrysostomus, hom. 4, ad populum Εἰ βούλει τρυφῆν, καὶ ἀνίσως; ἀπολούειν, καὶ ἡδονῆς, μὴ ζήτει ἡδονὴν, μηδὲ ἄνεσιν, ἀλλὰ ζήτει ψυχὴν ὑπομονῆς γέμουσαν : *Si vis deliciis frui, et remissione frui atque voluptate, ne quæras voluptatem aut quietem, verum quæras animum plenum patientiæ.* Le Pr.

(d) *Qui arundinem contusam.* Cap. III *de Patientia*, eadem ferme loquitur : *Arundinem quassatam non fregit.* Hic *contusam*, ibi *quassatam*, quod idem, sicuti apud prophetam Isai. XIII, συγκλασμένον, et συντετριμμένον apud Matth. XII. Hic utar explicatione B. Hilarii, qui in hunc locum Matthæi per *arundinem quassatam* ethnicos intelligit, qui a Deo non quidem fracti, sed ad salutem reservati. Le Pr.

(e) *Ortu luminis sui.* Juxta illud : *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam :* quo loco antea usus est.

(*Isa.* XXXV, 4, 5, 6), et cætera quæ operatum Christum nec vos diffitemini, utpote qui dicebatis, quod propter opera eum non lapidaretis, sed quoniam ista sabbatis faciebat (*Joh.* V, 18) (*a*).

CAPUT X.

De exitu plane passionis ejus ambigitis, negantes passionem crucis in Christum prædicatam, et argumentantes insuper non esse credendum, ut ad id genus mortis exposuerit Deus filium suum, quod ipse dixit : *Maledictus omnis homo qui pependit in ligno* (*Deut.* XXI, 23). Sed hujus maledictionis sensum antecedit rerum probatio. Dicit enim in Deuteronomio: *Si autem fuerit in aliquo delictum, ita ut judicium mortis sit, et morietur, et suspendetis eum in ligno. Sed et sepultura sepelietis eum ipsa die : quoniam maledictus a Deo est omnis qui suspensus fuerit in ligno, et non inquinabitis terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi in sortem* (*Ibid.* 22, 23). Igitur non in hanc passionem Christum maledixit; sed distinctionem fecit, ut qui in aliquo delicto judicium mortis habuisset et morieretur suspensus in ligno, hic maledictus a Deo esset, quia (1) propter merita delictorum suorum suspenderetur in ligno. Alioquin Christus, qui dolum de ore suo locutus non est (*Isa.* LIII, 9) (*b*), quique omnem justitiam et humilitatem exhibuit; et ut supra de eo prædictum memoravimus, non pro meritis suis in id genus mortis expositus est, sed ut ea quæ prædicta sunt a prophetis, per vos ei obventura implerentur, sicut in Psalmis ipse Spiritus Christi jam canebat, dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis* (*Ps.* XXXIV, 12), et : *Quæ non rapueram, tunc exsolvebam* (*Ps.* LXVIII, 5); *Exterminaverunt* (*c*) *manus meas et pedes* (*Ps.* XXI, 17); et : *Miserunt in potum meum fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Ps.* LXVIII, 23); et, *Super vestem meam miserunt sortem* (*Ps.* XXI, 19); sicuti cætera quæ in illum commissuri essetis, prædicta sunt. Quæ quidem omnia ipso (2) perpessus, non pro actu suo aliquo malo passus est, sed ut *Scripturæ implerentur de ore prophetarum* (*Matth.* XVI, 56). Et utique sacramentum passionis ipsius figurari in prædicationibus oportuerat; quantoque incredibile, tanto magis scandalum futurum, si nude prædicaretur (3); quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quæreret. Itaque in primis Isaac cum a patre hostia duceretur, et lignum ipsi sibi portaret (*Gen.* XXII, 6), Christi exitum jam tunc devotabat, in victimam concessi a patre, lignum passionis suæ bajulantis. Joseph et ipse Christum figuravit, vel hoc solo, ne cursum demorer ipse, quod persecutionem a fratribus passus est, et venumdatus in Ægyptum (*Gen.* XXXVII, 28), ob Dei gratiam, sicut et Christus ob Israel, a fratribus venumdatus, a Juda cum traditur. (*d*) Nam et benedicitur in hæc verba Joseph : *Tauri decor ejus, cornua unicornis cornua ejus, in eis nationes ventilabit pariter ad summum usque terræ* (*Deut.* XXXIII, 17). Non utique rhinoceros destinabatur unicornis (*e*), vel minotaurus bicornis, sed Christus in illo significabatur : taurus ob utramque dispositionem, aliis ferus ut judex, aliis mansuetus ut salvator : (*f*) cujus cornua essent crucis extrema : nam et (*g*) in antenna navis, quæ crucis pars

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qui *Rhen. Obert.*
(2) Ista *alii.*
(3) Prædicetur *Rhen. Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) Ex nono hujus libri capite primam sibi visus est Semlerus invenisse causam asserendi hunc librum Tertulliani non esse, sed meram esse compilationem hominis inepti ex libris *contra Marcionem*. Suam vero conjecturam *Semleri* instituta istius libri *adversus Judæos* cum libro tertio *contra Marcionem* comparatione unice corroborare conatur; hac autem argutandi ratione frustra sane is tractatus abjudicatur *Tertulliano*, cui, præter D. Hieronymum, auctorem *Quæstionum e Scriptura petitarum*, sub nomine Augustini evulgatum, et Vincentium Lirinensem, omnes viri docti ad novaturientem Semlerum usque eumdem adscripserunt. Et qui fieri potuit ut *liber adversus Judæos* sit compilatio *libri* III *contra Marcionem*, si is prior aut tempore saltem æqualis fuerit *contra Marcionem* libris? Tandem paradoxon aut monstro simile sit illud non video, si idem auctor eadem argumenta, easdemque loquendi formulas in diversis ad diversæ sectæ homines scriptis quidem operibus, sed in ratione objecti et materiæ, de qua disserit neutiquam diversis, adhibuerit. Edd. ex Lumper.

CAP. X.—(b) *Quique omnem justitiam et humilitatem exhibuit.* Abjectionem spontaneam Christi Domini quam optime extollit, unde ipsi Christo tribuitur *humilitatis et abjectionis magnitudo*, μεγεθος συμπεριφορας και ταπεινωσεως, in prologo conc. Trulliani. Gregorius Thaumaturgus ipsi Deo ταπεινωσιν ἀκραν, *summam humilitatem* attribuit. Le Pr.

(c) *Exterminaverunt manus meas.* Ex Psal. XXI, ubi ab hebræo discrepat hæc versio. In hebræo quippe est *sicut leo* כארי *cum deberet esse* כארו, hoc est *foderunt*, quod notavit olim Masora : sicque obturatur os Judæis qui de passione Dominica hæc accipi gravate patiuntur. Qualis vero sensus esse poterit si scribatur *sicut leo?* nisi recurramus ad interpretationem R. David Kimchi, de leone prædam insequente : quas nugas qui legerit, nisi plane ferreus sit et stoico plusquam supercilio, a risu temperare sibi non poterit. Melius igitur græca versio, quam Vulgata sequitur, ὀρυξαν, *foderunt*. Moneo interim locum hunc Dominicæ passioni optime accommodari et explicari a Justino Mart. *Apol.* II, circa medium. Le Pr.

(d) *Nam et benedicitur in hæc verba Joseph.* Prætermisimus : *a patre* Neque enim hæc patris super Joseph benedictio, sed Moysi, Deut. XXX, qua benedixit tribus Joseph. Transtulit autem *ventilabit*, pro κερατιεῖ, quod magis proprie vertit latinus Septuaginta virorum, interpres, *cornu petet.* Pam.

(e) *Rhinoceros unicornis.* De hoc ita Plin. *Nat. hist.* lib. VIII, c. 20 : *Iisdem ludis*, nempe Pompeii Magni, *et rhinoceros unius in nare cornu, qualis sæpe visus. Alter hic genitus hostis elephanto, longitudo ei par, crura multo breviora, color buxeus.* Ego vero hunc auctorem citandum duxi, contra eorum opinionem qui putant rhinocerotem, unico cornu nusquam in rerum natura fuisse. Cum aliquot eorum cornua existant insignia apud S. Dionys. juxta Parisios in thesauris regiis. Pam.

(f) *Cujus cornua crucis extima.* De figuris, immo et imagine crucis hic loquitur. Atqui partim ex Ms. tum hic, tum lib. III *advers. Marc.* partim ex excusis castigavimus *crucis extima* sive *extrema*. Pam.

(g) *In antenna navis cornua extremitates vocantur.*

est, cornua extremitates (1) vocantur : (*a*) unicornis autem media stipitis palus. Hac denique virtute crucis, et hoc more cornutus, universas gentes et nunc ventilat per fidem, auferens a terra in cœlum, et tunc ventilabit per judicium, dejiciens (2) de cœlo in terram. Idem erit et alibi taurus apud eumdem Scripturam, cum Jacob in Simeonem et Levi porrexit benedictionem, de Scribis et Pharisæis prophetat; ex illis enim deducitur census illorum. Interpretatur enim spiritaliter sic : (*b*) *Simeon et Levi perfecerunt iniquitatem ex sua secta*, qua scilicet Christum sunt persecuti. *In concilium eorum ne venerit anima mea, et in stationem eorum ne incubuerint jecora* (3) *mea: quoniam indignatione sua interfecerunt homines*, id est, prophetas; *et in concupiscentia sua subnervaverunt taurum* (*Gen.* XLIX, 6), id est Christum, quem post necem prophetarum interfecerunt, et nervos ejus suffigendo clavis desævierunt. Cæterum vanum, si post homicidium jam ab eis commissum, alicujus bovis (4) ipsis exprobrat carnificinam. Jam vero Moyses, quid utique tunc tantum cum Jesus adversus Amalec prœliabatur, (*c*) *expansis manibus orabat residens* (*Exod.* XVII, 11); quando in rebus tam attonitis magis utique genibus positis, et manibus cædentibus pectus, et (*d*) facie humi volutata, orationem commendare debuisset? nisi quia illic ubi nomen Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, crucis habitus quoque erat necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus. Idem rursus Moyses post interdictam omnis rei similitudinem, cur æneum serpentem ligno impositum, pendentis habitu in spectaculum Israeli salutare proposuit, eo tempore quo a serpentibus post idololatriam exterminabantur (*Num.* XXI, 9), nisi quod hic Dominicam crucem intentabat, qua serpens diabolus publicatur (5), et læso cuique ab ejusmodi colubris, id est angelis ejus, a delictorum peccantia ad Christi crucis sacramenta intento, salus efficiebatur. Nam qui in illam tunc respiciebat, a morsu serpentium liberabatur. Age nunc, si legisti penes prophetam in Psalmis, *Deus regnavit a ligno* (*Ps.* XCV, 10) (*e*), expecto quid intelligas, ne forte lignarium aliquem regem significari putetis, et non Christum, qui exinde a passione Christi (6) superata morte regnavit. Proinde et Esaias : *Quoniam puer*, inquit, *natus est nobis, et datus nobis est filius* (*Isa.* IX, 6). Quid novum, si non est de filio Dei, dicit : *Filius natus est nobis, cujus imperium* (7) *factum est super humerum ipsius* (*Ibid.*)? Quis omnino

A

B

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hujus *addit Seml.*
(2) Descendens *Obert. Seml.*
(3) Viscera *Obert. Rhen.*
(4) Aliis et non ipsis *Rhen. Obert.*
(5) Designabatur *Obert. Seml.*
(6) Christi *tollitur a Latin. aut substituitur* ligni.
(7) Initium *addit Seml.*

COMMENTARIUS.

Quod apertissime indicat Persii versus,

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Servius ad V. Æncid. *Cornua, antennarum extremitates.* Ric.

(*a*) *Unicornis autem media stipitis palus.* Sic edidit Pamelius. Rhenanus ediderat, *Unicornis autem media stipite palus.* Atque ita scriptum in codice Divionensi. Sed hæc sunt expertia boni sensus. Qui Fuldensem inspexerunt, in eo se legisse testantur, *Unicornis autem medio stipata palus.* Quod aliquam veri speciem præbet; ut cornua sint crucis extima sive patibuli extremitates, manibus figendis ligandisve, unicornis autem medio stipata palus sive stipes, qui libro *ad Nationes* I dicitur *sedilis excessus.* Ric.

(*b*) *Simeon et Levi perfecerunt iniquitatem ex sua secta.* Ad verbum transtulit illud quod græce est ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, pro eo quod latina Septuaginta interpretum editio, *sui propositi.* Pam.

(*c*) *Expansis manibus orabat.* Sic habuit exemplar Ursini. Et verissimam esse scripturam declarant quæ sequuntur, *Dimicaturis adversus diabolum crucis habitus quoque erat necessarius.* Sic lib. de Oratione, *Orantes expandimus e Dominica passione modulatum.* Ric.

(*d*) *Facie humi volutata.* In codice Divionensi legitur, *volutate.* Unde fit ut existimem verissimam esse scripturam quam exemplaria servavere libro III, adversus Marcionem, *Facie humi volutante.* Sic in Apolog.: *Nos vero jejuniis aridi, in sacco et cinere volutantes.* Ric.

(*e*) *Dominus regnavit a ligno.* Sic ex Mss. et excusis; infra, pro *regnabit*, nam illud legitur græce et latine. Sicuti etiam illud, *a ligno*, recte additur ab auctore tum hic, et iterum cap. XIII, tum lib. III *adversus Marcionem*, non modo in editione Romana, ex qua versus ille paschalis in Ecclesia decantatur, sed etiam Gallica, saltem juxta emendatiores codices latinos, et inter cæteros, Donatianicum Bibliorum Ms., quem *aureum* vocat Erasmus, ob aureas capitales litteras. Et alii veteres idipsum legunt nominatim, inter Græcos Justinus martyr *contra Tryphonem*, et ex Latinis, auctor libri *De monte Sina et Sion*, inter Opera B. Cypriani, Arnobius *in Psalmos*, ac Theodul. (aurelianensis Episcopus, vel potius Fortunatus Pictaviensis antistes), carmine de Passione, in hæc verba:

C

Impleta sunt quæ cecinit
David fideli carmine,
Dicens : In nationibus
Regnavit a ligno Deus.

D

Quomodo legit Ms. hoc loco, nempe *Deus*, sed illud, *Dominus*, retinuimus. Usque adeo ut non possim assentiri Jacobo Fabro (*Comment. in quintuplex Psalterium*), qui putat paraphrastice tantum esse adjectum propria alicujus devotione; sed e contrario sentio genuinam esse lectionem, maxime cum etiam ipse eam lectionem agnoscat in veteri Psalterii editione ante B. Hieronymi ætatem. Nec quid obstat quod in hebræis codicibus non legatur, quia potuit a Judæis expungi, sicut alia multa, quemadmodum latius prosequitur... D. Guillelmus Lindanus, episcopus Ruremundensis. Pam. — Plura non mediocris auctoritatis omisit Pamelius testimonia, quæ hic recensere utile duximus. In eadem igitur sententia fuisse constat : Augustinum (*Enarrat. in Psal.*), S. Leonem Magnum (*Serm.* IV *in Pass. Domini*), S. Gregorium Magnum (*in Ezech. lib.* I, *Hom.* VI; *in* I *Reg.* V), Cassiodorum (*in Psalm.*), S. Petrum Damianum (*Dialog. inter Judæum et Christianum*), S. Bernardum (*Serm.* I *de Resurrect.*). Eadem etiam lectio reperitur in veteri Italica versione, a beato Josepho Tommasi cardinale, dein a D. Petro Sabbatier, monacho Benedictino e congregat. S. Mauri, in lucem edita; atque in perantiquissimis Psalteriis S. Germani Parisiensis episcopi, et cœnobii S. Petri Carnotensis. Edd.

regum insigne potestatis suæ humero præfert, et non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquando propriæ vestis notam (1). Sed solus novus rex sæculorum Christus Jesus, novæ gloriæ (2) et potestatem et sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, ut secundum superiorem (3) prophetiam exinde Dominus regnaret a ligno (*l*). De hoc enim ligno etiam Deus insinuat per Hieremiam quod essetis dicturi: *Venite, mittamus in panem ejus lignum, et conteramus eum a terra vivorum, et nomen illius non memorabitur amplius* (*Jer.* XI, 19). Utique in corpus ejus lignum missum est. Sic enim Christus revelavit, (*a*) panem corpus suum appellans, (*b*) cujus retro corpus in panem prophetes figuravit (4). Si adhuc quæres Dominicæ crucis prædicationem, satis jam poterit tibi facere vicesimus primus Psalmus, totam Christi continens passionem, canentis jam tunc gloriam suam: *Foderunt*, inquit, *manus meas et pedes* (*Ps.* XXI, 17). Quæ propria est atrocitas crucis. Et rursus, cum auxilium Patris imploraret: *Salvum me fac*, inquit, *ex ore leonis*, utique mortis, *et de cornibus unicornuorum humilitatem meam* (*Ps.* XXI, 22); (*c*) de apicibus scilicet crucis, ut supra ostendimus: quam crucem nec ipse David passus est, nec ullus regum Judæorum, ne putetis alterius alicujus prophetari passionem, quam ejus qui solus a populo tam insigniter crucifixus est. Nunc, etsi omnes interpretationes istas respuerit et induruerit duritia cordis vestri, probavimus sufficere posse mortem Christi prophetatam, ut ex hoc quod non esset edita qualitas mortis (5), intelligatur per crucem evenisse, nec alii deputandam fuisse passionem crucis, quam cujus mors prædicabatur. Nam mortem ejus et passionem et sepulturam una voce Esaiæ volo ostendere: *A facinoribus*, inquit, *populi mei perductus est ad mortem, et dabo malos pro sepultura ejus, et divites pro morte ejus; quia scelus non fecit, nec dolus in ore ejus inventus est*, (*d*) *et Deus voluit eximere a morte animam ejus* (*Isa.* LIII, 8, 9, 10), etc. Dicit etiam adhuc: *Sepultura ejus sublata est e medio* (*Ibid.*). Nec sepultus enim est nisi mortuus, nec sepultura ejus sublata est e medio (6), nisi per resurrectionem ejus (7). Denique subjungit: *Propterea ipse multos in hæreditatem habebit, et multorum dividet spolia* (*Isa.* LIII, 12). Quis enim alius, nisi qui natus est, ut supra ostendimus, pro eo quod tradita est in mortem anima ejus? Ostensa enim caussa gratiæ ejus, pro injuria scilicet mortis repensandæ, pariter ostensum est hæc illum propter mortem consecuturum; post mortem utique (8) resurrectionem consecuturum. Nam quod in passione ejus accidit, ut media dies tenebresceret, Amos propheta adnuntiat, dicens: *Et erit*, inquit, *in die illa, dicit Dominus*, (*e*) *occidet sol media die, et tenebrescet super terram dies luminis, et convertam dies festos vestros in luctum, et omnia cantica vestra in lamentationem, et imponam super lumbos vestros sæcum, et super omne caput calvitium, et ponam eum quasi luctum dilecti* (9), *et eos qui cum illo quasi diem mœroris* (*Amos*, VIII, 9, 10). Hoc enim et Moyses initio primi mensis novorum facturos vos prophetavit, cum omne vulgus filiorum Israel ad vesperam agnum esset immolaturus (10): et hanc solemnitatem diei hujus, id est Paschæ azymorum, cum amaritudine manducaturos præcanebat: et adjecit, *Pascha* esse *Domini* (*Exod.*, XII), id est passionem Christi. Quod ita quoque adimpletum est, ut prima die azymorum interficeretis Christum (*Matth.*, XXVI), et ut prophetiæ adimplerentur, properavit (11) dies vesperam facere, id est tenebras efficere; quæ media die factæ sunt: atque ita dies festos vestros convertit Deus in luctum, et cantica vestra in lamentationem. Post passionem enim Christi etiam captivitas vobis et dispersio obvenit, prædicata per Spiritum sanctum.

CAPUT XI.

Nam et pro istis meritis vestris, cladem vestram futuram Ezechiel nuntiat: et non solum in isto sæculo, quæ jam evenit, sed in die retributionis, quæ subsequetur. Qua clade nemo liberabitur, nisi qui passione Christi, quem respuitis, fuerit obsignatus. Sic enim scriptum est: *Et dixit Dominus ad me: Fili hominis, vidisti quæ seniores Israel faciunt unusquis*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliqua proprietate usus nova *Rhen. Obert.*
(2) Novam gloriam *Idem.*
(3) Priorem *Idem.*
(4) Nuntiavit *Obert. Semi.*
(5) Edita, qualis mors *Rhen. Obert.*
(6) E medio. Quomodo nisi, etc. *Obert. Semi.*
(7) Ejus *abest a Pam. Rhen. Obert.*
(8) Per *addit Obert. Semi.*
(9) Delicti *Obert. Semi.*
(10) Immolaturum *Pam. Rhen. Obert.*
(11) Prophetabit *Semi.*

COMMENTARIUS.

(a) *Panem corpus suum appellans.* Videtur alludere ad verba illa Evangelistarum et B. Pauli: *Accepit Jesus panem*, etc., et ait: *Accipite, et comedite; hoc est corpus meum.* Quare magis vera esset marginalis adnotatio ista: *panem suum corpus appellat*, quam quæ nescio a quo irrepsit, *corpus in panem.* PAM.

(b) *Cujus retro corpus in panem prophetes figuravit.* Lib. de Oratione, *Tum quod et corpus ejus in pane censetur.* Idem vero Hieremiæ locus aliquanto etiam explicatius tractatur libro III *adversus Marcionem.* RIG.

(c) *De apicibus crucis.* Apices dicit, quæ supra dixit cornua. RIG.

(d) *Et Deus voluit eximere, etc.* Istud paraphrasticôs transtulit ex iis quæ sequuntur; nam primum habetur græce et latine apud Septuaginta interpretes: *Et Dominus vult mundare eum a plaga*; et paulo post, *et vult Dominus in manus ejus conferre dolorem animæ ejus.* Plagam itaque et dolorem *mortem* interpretatur. PAM.

(e) *Occidet sol media die.* Prophetæ Amos cap. IX vaticinium attingit; hujus autem obscurationis mentionem fecit cap. 21 *Apolog.*, loquens de morte Christi Domini: *Eodem momento, dies, medium orbis signante sole, subducta est. Deliquium utique, etc.* Quo testimonio usi sumus aliquando ut sub Eusebii Romani nomine, in animadversionibus nostris, probarem præadamitis toto orbe contigisse deliquium seu solis obscurationem. LE PR.

que eorum in tenebris, unusquisque in cubiculo abs-
conso; quoniam dixerunt: Non videt nos Dominus,
dereliquit Dominus terram. Et dixit ad me: Adhuc
conversus videbis facinora majora quæ isti faciunt. Et
introduxit me ad limina januæ domus Domini quæ
aspicit ad aquilonem, et ecce illic mulieres sedentes (a),
et plangentes Thammuz; et dixit Dominus ad me:
Fili hominis, vidisti? Numquid modica domui Juda,
ut faciant facinora quæ fecerunt: et adhuc visurus es
adfectiones majores eorum. Et introduxit me in ædem
domus Domini interiorem, ecce in liminibus templi
Domini, inter medium clam et inter medium altaris,
quasi viginti quinque (1) viri posteriora sua dederunt
ad templum Domini, et facies suas contra Orientem, hi
adorabant solem; et dixit ad me: Vides, fili hominis?
Numquid pusilla domui Juda, ut faciant facinora quæ
fecerunt hic (2). Quoniam impleverunt impietates
suas, et ecce ipsi quasi subsannantes. Ego faciam cum
indignatione mea, non parcet oculus meus, neque mi-
serebor. Exclamabunt ad aures meas voce magna, et
non exaudiam eos, sed neque miserebor (Ezech., VIII,
12-18) (b). Et clamavit in aures meas voce magna
dicens: Adproximavit vindicta civitatis hujus, et unus-
quisque habuit vasa exterminii in manu sua. Et ecce
sex viri veniebant ad viam portæ altæ, quæ respiciebat
ad aquilonem, et uniuscujusque bipennis dispersionis
erat in manu ejus. Et unus vir in medio eorum indutus
podere, et zona saphiri in lumbis ejus. Et introierunt,
et steterunt in proximis altaris ærei, et claritas Dei
Israel ascendit a Cherubin quæ fuit (3) super ea (c)
in subdival domus. Et vocavit hominem qui indutus
erat podere, qui habuit super lumbos suos zonam, et
dixit ad eum Dominus (d): Transi per mediam Hieru-
salem, et scribe signum tau in frontibus virorum qui
gemunt et dolent super omnia facinora quæ fiunt in
medio eorum. Et in his dixit ad audientem: Ite post
eum in civitatem, et concidite, et nolite parcere oculis
vestris, et ne misereamini senioris, aut virginis; et par-
vulos et mulieres interficite omnes, ut perdeleantur.
Omnes autem super quos est tau signum, ne accesse-
ritis. Et a sanctis meis incipite (Ezech., IX, 1-6).

A Hujus autem signi sacramentum variis modis prædicatum est, in quo vita hominibus præstruebatur, in quo Judæi non essent crediturі; (e) sicut Moyses ante nuntiabat in Exodo dicens: *Ejicienini de terra in quam introibitis, et in nationibus illis non eritis in requiem. Et non erit stabilitas vestigio pedis tui, et dabit tibi Deus cor tædians, et tabescentem animam, et oculos deficientes, ut non videant; et erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos; et non credes vitæ tuæ* (Deut., XXVIII, 64, 65). Itaque, quoniam impleta est prophetia per adventum ejus, id est per nativitatem, quam supra memoravimus, et passionem, quam evidenter ediximus, propterea et Daniel signari visionem et prophetam dicebant, quoniam Christus est signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ B retro erant de eo nuntiata: post enim adventum ejus et passionem ipsius jam non visio neque prophetes. Unde firmissime dicit adventum ejus signare visum et prophetiam. Itaque ostendentes et numerum annorum, et tempus LXII et dimidiæ hebdomadarum adimpletarum, probavimus tunc venisse Christum, id est natum: (f) et septem dimidiæ hebdomadarum, quæ sunt subdivisæ in abscissionem priorum hebdomadarum, intra quæ tempora passum ostendimus Christum; atque ita LXX hebdomadibus conclusis, et civitate exterminata, et sacrificium et unctionem exinde cessare. Sufficit hucusque de his interim ordinem Christi decurrisse, quo talis probatur qualis adnuntiabatur, etiam ex ista consonantia Scripturarum, quas (5), ex præjudicio majoris partis adversum Judæos, eloculi sumus. Neque enim in dubium C deducant vel negent, quæ scripta proferimus: ut ex hoc quoque paria esse Scripturis divinis negare non possint; ut quæ post Christum futura prænanebantur, adimpleta cognoscantur. Neque enim dispositio expuncta inveniretur (6), nisi illé venisset post quem habebant expungi quæ nuntiabantur, quæ completa esse (7) etiam probarentur.

CAPUT XII.

Adspice universas nationes, de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum crea-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quinque *abest a Rhen. et Obert.*
(2) Hi *Rhen. Obert.*
(3) Fuerunt *Idem.*
(4) Eam *Idem.*

D (5) Qua *Pam. Rhen. Obert.*
(6) Neque enim dispositio expuncta inveniretur *abest a Seml. et Obert.*
(7) Sunt *Obert. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XI.—(a) *Et plangentes Thammuz.* Ita et græce est, pro quo latinus in hebr. interpretes vulgatus vertit *Adonidem;* videtur autem bis legisse, cum in græcis hodie exemplaribus semel dumtaxat reperiatur. Deinde hic et paulo post ubi legitur, *Numquid modica* (seu ut mox loquitur, *pusilla*, græce μὴ μικρὰ) *domui Judæ;* cum græce legatur, malui sequi lectionem Ms., *domus.* Pam.

(b) *Et clamavit in aures.* Continuatio quidem est verborum Ezechielis prophetæ, sed noni capitis initium. Rectius autem transfertur ab auctore bipennis pro πλαξ, sed hodie græce non exstat *dispersionis*, sed quod vertit latinus LXX interpres, *exterminationis*, et B Hieronymus ex hebr. *interfectionis.* Pam.

(c) *In subdival domus.* Pro *subdivali:* est autem idem ac *subdivum*, nam Glossæ subdivum ὑπαίθριον, subdival αἴθριον, at voces illæ græcæ idem significant, nimirum clarum et apertum, subdivum enim domus est serenitas extra tectum, αἴθριον ὑπὸ τὸν ἀέρα τεταμένον, ait Hesychius. Le Pr.

(d) *Transi per mediam Jerusalem.* Citat etiam scripturam illam de signo *Tau* infra, lib. III, *adv. Marc.* Le Pr.

(e) *Sicut Moyses ante nuntiabat in Exodo.* Cum non in Exodo, sed Deuteronomio XXVIII habentur Scripturæ verba quæ citat, etiam hic lapsus est memoria Tertullianus, aut legendum contra codicum omnium fidem: *in Deuteronomio.* Le Pr.

(f) *Et septem dimidiæ hebdomadarum.* Nempe tempus. Ita vero necessario legendum, non *et quatuor*, sicuti corruptissime legebatur, plus satis manifestum fit supra, cap. 8, non semel. Pam.

torem (*a*) et ad Deum (1) Christum ejus; et si audes, nega (2) prophetam. Statim tibi promissio patris occurrit in Psalmis dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 7, 8). Nec poteris eum magis (3) David filium dicere, quam Christum; aut terminos terræ David potius promissos, qui intra unicam Judæam regnavit, quam Christo, qui totum jam orbem Evangelii sui fide cepit, sicut per Esaiam dicit: *Ecce dedi te in dispositionem generis mei in lucem gentium, aperire oculos cæcorum*, utique errantium, *exsolvere de vinculis vinctos*, id est de delictis liberare: *et de domo carceris*, id est mortis, *sedentes in tenebris* (*Is.*, XLII, 6, 7), ignorantiæ scilicet. Quæ si per Christum eveniunt, non in alium erunt prophetata, quam per quem (4) expuncta consideramus.

CAPUT XIII.

Igitur, quoniam filii Israel affirmant nos errare recipiendo Christum, qui jam venit, præscribamus eis ex ipsis Scripturis jam venisse Christum qui prædicabatur; quamvis ex temporibus Danielis prædicantis probaverimus jam venisse Christum, qui nuntiabatur. Nasci enim eum oportuit in Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est in propheta (*b*): *Et tu Bethlehem, non minima es in ducibus Juda: ex te enim exiet dux qui pascat populum meum Israel* (*Mich.*, V, 1). Si autem adhuc natus non est qui processurus dux de tribu Juda ex Bethlehem nuntiabatur, oportet enim eum de tribu Juda et a Bethlehem procedere; animadvertimus autem nunc neminem de genere Israel in civitate Bethlehem remansisse, et exinde quod interdictum est ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum, ut hoc quoque esset adimpletum per prophetam: *Terra vestra deserta, civitates vestræ igni exustæ*, id est quod belli tempore eis evenerit; *regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, et deserta et subversa erit a populis alienis* (*Is.*, I, 7). Et alio loco sic per prophetam dicitur: *Regem cum claritate videbitis*, id est Christum faciem virtutes in gloria Dei patris, *et oculi vestri videbunt terram de longinquo* (*Is.*, XXIII, 17): quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Hierusalem, prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est. *Anima*, inquit, *vestra meditabitur timorem* (*Ibid.*, 13). scilicet quo tempore excidium sui passi sunt. Quomodo igitur nascetur dux de Judæa, et quatenus procedet de Bethlehem, sicut divina prophetarum volumina nuntiant, cum nullus omnino sit illic in hodiernum derelictus ex Israel, cujus ex stirpe possit nasci Christus? Si enim, secundum Judæos, adhuc non venit (5), cum venire cœperit, unde ungetur? (*c*) Lex enim præcepit, in captivitate non licere unctionem chrismatis regalis confici. Si autem jam nec unctio (6) est illis, ut Daniel prophetavit; dicit enim: *Exterminabitur unctio* (*Dan.*, IX, 27): ergo jam non est illic unctio, quia (*d*) nec templum ubi erat cornu de quo reges ungebantur. Si ergo non est unctio, unde ungetur dux qui nascetur in Bethlehem? aut quomodo procedet de Bethlehem, cum de germine (7) Israel nullus omnino sit in Bethlehem? Iterato denique ostendamus, et jam Christum secundum prophetas, et passum, et in cœlis jam receptum, et inde venturum secundum prædicationes prophetarum. Nam post adventum ejus, secundum Danielem, quod ipsa civitas exterminari haberet legimus, et ita factum recognoscimus. Dicit enim Scriptura: *Sic et civitatem et sanctum simul exterminari cum duce* (*Ibid.*), indubitate, qui de Bethlehem et de tribu Juda esset processurus. Unde et manifestum est quod civitas simul eo tempore exterminari deberet, cum ducator ejus in ea pati haberet, (*e*) secundum scripturas prophetarum, dicentium: *Expandi manus meas tota die ad populum contumacem contradicentem mihi, qui ambulant viam non bonam, sed post peccata sua* (*Is.*, LXV, 2). Et in Psalmis dicit: *Exterminaverunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt et viderunt me:* et, *In siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* XXI, 69, 22). Hæc David passus non est, ut de se merito di-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deum *absit a Seml. et Obert.*
(2) Negare *Obert. Seml.*
(3) Magis *absit a Rhen. et Obert.*
(4) Aliquem *Seml.*
(5) Christus. Secundum Judæos... cœperit. Unde *Obert. Seml.* — Possit nasci? Christus secundum, etc. *Latin.*
(6) Non *addit Seml.*, nec *non omittens.*
(7) De semine *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. XII.—(a) *Et ad Deum Christum ejus.* Sic ex sæpe dicto lib. III, *adv. Marcion.*, pro quo erat dumtaxat: *et Christum ejus.* Porro de Christo quod Deus fuerit, aut illic aut alibi dabitur latius tractandi occasio contra quosdam nostræ tempestatis sectarios, qui id negare non verentur. PAM.

CAP. XIII.—(b) *Et tu Bethlehem non minima es.* Sic ex Ms. et græcis B. Matth. fontibus pro *Judæ*; quemadmodum etiam *pascat* pro *pascet*, græce enim est ποιμανεῖ. Quod cum vertat latinus vetus interpres *regat*, illic et eamdem vocem idem Joannis ultimo, sicuti hic auctor; patet antiquitus acceptam a patribus *pascere* pro *regere*. Quod adnotatu dignum contra eos qui omnem regendi potestatem ab Ecclesia tolli volunt. Videtur autem in eo quod sequitur hyperbaton. Sive autem *exteri* legas paulo post, ut excusi, sive *externi* ut Ms., perinde est; supra enim vertit *alieni*. PAM.

(c) *Lex enim præcepit*, etc. Nescio ad quem locum alludat, nisi forte ad cap. XXVIII. Deuter., ut paraphrasticus ex aliquot commatis hanc sententiam de more suo decerpserit, aut fortassis alia etiam editione aut Aquilæ, aut Theodotionis sit usus, quo casu oporteret accipi *præcepit* pro *prædixit*. PAM.

(d) *Nec templum ubi erat cornu.* Alludit ad illud III Reg. I, 39: *Sumpsitque Sadok sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem*; unde colligitur in templo observatum fuisse. PAM.

(e) *Secundum Scripturas prophetarum.* Rursum Scripturas adfert, quibus prædictum est (uti B. Cyprianus hunc locum imitatus, scribit lib. II, *adv. Jud.*, cap. 20) quod cruci illum fixuri essent Judæi. PAM.

xisse videatur, (a) sed Christus qui crucifixus est. Manus autem et pedes non exterminantur, nisi ejus qui a ligno suspenditur. Unde et ipse David regnaturum ex ligno Dominum dicebat (*Psal.* XCV, 10) : nam et alibi propheta ligni hujus fructum prædicat dicens : *Terra dedit benedictiones suas* (*Psal.* LXVI, 7). Utique illa terra virgo (*b*) nondum pluviis rigata, nec imbribus fœcundata, ex qua homo tunc plurimum plasmatus est, ex qua nunc Christus secundum carnem ex virgine natus est. *Et lignum*, inquit, *adtulit fructum suum* (*Joel.* II, 22). Non illud lignum in paradiso, quod mortem dedit protoplastis, sed lignum passionis Christi, unde *vita pendens a vobis credita non est* (*Deut.* XXVIII, 66). Hoc enim lignum tunc in sacramento erat, quo Moyses aquam amaram indulcavit ; unde populus, qui siti peribat in eremo, bibendo revixit (*Exod.* XV, 23-26) : sicuti nos qui de sæculi calamitatibus extracti, in quo commorabamur, siti pereuntes, id est verbi divini potu privati (1), ligno passionis Christi aquam edulcatam baptismatis potantes, sive quæ est in eum, revivimus ; a qua fide Israel excidit, secundum Hieremiam dicentem : *Mittite, et interrogate nimis si facta sunt talia : Si mutabunt gentes deos suos, et isti non sunt dii. Populus autem meus mutavit gloriam suam, ex quo nihil proderit eis. Expavit cœlum super isto* (*Jer.* II, 10, 11). Et quomodo et quando expavit ? Indubitate quando passus est Christus : *Et horruit*, inquit, *plurimum nimis, et sol media die tenebricavit* (*Amos.* VIII, 9). Et quando horruit nimis, nisi in passione Christi, cum *terra* quoque *contremuit, et velum templi scissum est, monumenta dirupta sunt* (*Matth.* XXVII, 51) ? Quoniam *duo hæc mala fecit populus meus : me*, inquit, *dereliquerunt fontem aquæ vitæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere* (*Jer.* II, 13). Indubitate non recipiendo Christum, fontem aquæ vitæ : lacus contritos cœperunt habere, id est synagogas in dispersiones gentium, in quibus jam Spiritus sanctus non immoratur, ut in præteritum in templo commorabatur ante adventum Christi, qui est verum Dei templum. Nam et istam sitim divini Spiritus eos passuros dixerat propheta Esaias, dicens : *Ecce qui serviunt mihi, manducabunt ; vos autem esurietis : servientes mihi potabuntur, vos autem sitietis, et a contribulatione* (2) *spiritus ululabitis. Remittetis enim nomen vestrum, in societatem electis meis ; vos autem interficiet Dominus. Eis autem qui serviunt mihi, nomen nominabitur novum, quod benedicetur in terris* (*Is.* LXV, 13-15). Adhuc hujus ligni sacramentum (3) in Regnorum legimus celebratum. Nam cum filii prophetarum super flumen Jordanem lignum securibus cæderent, exiliit ferrum, et mersum est in flumine, atque ita Heliseo propheta superveniente, petunt ab eo filii prophetarum uti ferrum flumini quod (4) mersum fuerat erueret. Atque ita Heliseus accepto ligno, et misso in eum locum ubi submersum fuerat ferrum, statim supernatavit, et lignum mersum est, quod receperunt filii prophetarum (III *Reg.* VI, 4-7). Ex quo intelle xerunt quod Heliæ spiritus in eum sit repræsentatus. Quid manifestius hujus ligni sacramento ? quod duritia hujus sæculi mersa in profundo erroris, et a ligno Christi, id est passionis ejus, in baptismo liberatur, ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi. Nobis igitur (5) qui successimus in loco prophetarum, ea sustinentibus hodie in sæculo, quæ semper passi sunt prophetæ propter divinam religionem. Alios enim lapidaverunt, alios fugaverunt, plures vero ad mortis necem tradiderunt, quod negare non possunt. Hoc lignum sibi et Isaac filius Abrahæ ad sacrificium ipse portabat, cum sibi eum Deus hostiam fieri præcepisset (*Gen.* XXII, 6). Sed quoniam hæc fuerant sacramenta, quæ temporibus Christi perficienda servabantur ; et Isaac cum ligno reservatus est, ariete oblato in vepre cornibus hærente et Christus suis temporibus lignum humeris suis portavit, inhærens cornibus crucis, corona spinea in capite ejus circumdata. Hunc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui *tamquam ovis ad victimam ductus est, et velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum* (*Is.* LIII, 7). Hic enim Pilato interrogante nihil locutus est (*Joh.* XIX, 9) : *in humilitate enim judicium ejus sublatum est.* (*c*) *Nativitatem autem ejus quis enarrabit* (*Is.* LIII, 8) ? quia nullus omnino hominum nativitatis Christi fuit conscius in conceptu, cum virgo Maria verbo Dei prægnans inveniretur. *Et quia tolleretur a terra vita ejus* (*Ibid.*) ; cum utique post resurrectionem ejus a mortuis, quæ (6) die tertia effecta est, cœli eum receperunt, secundum prophetiam Osee emissam hujusmodi : *Ante lucem surgent ad me dicentes : Eamus et revertamur ad Dominum Deum, quoniam ipse eripiet et liberabit nos, post biduum die tertia* (*Osc.* VI, 1-3) (*d*),

LECTIONES VARIANTES.

(1) Verbo divino propinati *Obert. Seml.*
(2) Ad contribulationem *iidem.*
(3) Etiam *addit Seml.*
(4) Quo *alii.*
(5) Nos utique *Wouwer.*
(6) Quia *Obert. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sed Christus qui crucifixus est.* Barbara illa Judæorum natio Christum Dominum *violentia suffragiorum in crucem dedi* postulavit, ut cap. 21 *Apolog.* ; quam in rem Cyrillus Alex. hom. IV, de fer. Pasch. σταυρὸ προσηλώσαντιν οἱ πάντολμοι τῶν Ἰουδαίων λαοὶ, καὶ πᾶν εἶδος ἐντιφόντεξίκακίας τε ὁμοῦ καὶ ἀτιμίας, θανάτῳ παραδοῦναι. *Audacissima Judæorum natio cruci suffixit, et omni supplicii atque ignominiæ genere affectum morte mulctavit.* Le Pr.

(b) *Illa terra virgo.* γῆ παρθένος : etiam Irenæus sic dicit. Seml.

(c) *Nativitatem autem ejus quis enarrabit ?* Non dubium quin ita legendum sit, juxta editiones omnes Isaiæ, non autem *enarravit*, maxime cum illud etiam legat B. Cyprianus, lib. II, *adv. Judæos*, cap. 15, et infra lib. III, *adv. Marcionem* Tertullianus. Pam.

(d) *Post biduum, die tertia.* Sic emendavimus punctationem ex Vulgatæ lectione, licet excusi omnes

quæ est resurrectio ejus gloriosa, de terra in cœlos cum recepit, unde et venerat ipse spiritus ad virginem; cujus neque nativitatem, neque passionem Judæi agnoverunt. Igitur, quoniam adhuc contendunt Judæi necdum venisse Christum eorum (1) quem tot modis adprobavimus venisse, recognoscant Judæi exitum suum, quem post adventum Christi relaturi (*a*) præcinebantur ob impietatem, qua eum et despexerunt et interfecerunt. Primo enim ex qua die, secundum illud dictum Esaiæ, *projecit homo abominamenta sua aurea et argentea quæ fecerunt adorandis vanis et noctuis* (*Is.* II, 20) : id est, ex quo gentes, nos, dilucidata per Christum veritate (2), projecimus idola (videant Judæi) (3), et quod sequitur, expunctum est. *Tulit* enim *Dominus sabaoth a Judæis et ab Hierusalem*, inter cætera, *et sapientem architectum* (*Is.* III, 1, 3), qui ædificat Ecclesiam Dei templum, et civitatem sanctam, et domum Domini. (*b*) Nam exinde destitit apud illos Dei gratia. *Et mandatum est nubibus ne pluerent imbrem super vineam Sorech* (*Is.* V, 6), id est cœlestibus beneficiis, ne provenirent domui Israel. *Fecerat* enim *spinas* (*Ibid.* 4), ex quibus Christum coronaverat : *et non justitiam, sed clamorem* (*Ibid.* 8), quo in crucem eum extorserat : et ita subtractis charismatis (4) prioribus, *lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* XVI, 16) fuerunt; et piscina Bethsaida (*Joan.* V, 2) (5) usque ad adventum Christi, curando invaletudines (6) ab Israel, desiit a beneficiis deinde (7), cum ex (8) perseverantia furoris sui nomen Domini per ipsos blasphemaretur; sicut scriptum est : *Propter vos nomen Dei blasphematur in gentibus* (*Is.* LII, 5; *Ezech.* XXVI, 20). (*c*) Ab illis enim incipit (9) infamia, et tempus medium a Tiberio usque ad Vespasianum. Quæ (10) cum ita commisissent, nec intellexissent Christum in tempore suæ visitationis inveniendum, *facta est terra eorum deserta, et civitates eorum igni exustæ : regionem ipsorum in conspectu eorum extranei devorantes : derelicta est filia Sion tamquam specula in vinea, vel ut in cucumerario casula* (*Is.* I, 7, 8) ; ex quo scilicet *Israel Dominum non cognovit, et populus eum non intellexit*, sed *dereliquit* magis, *et ad indignationem provocavit sanctum Israel* (*Ibid.* 3, 4). Sic et (11) machæræ conditionalis comminatio, *Si nolueritis, nec obaudieritis, gladius vos comedet* (*Ibid.* 20), probavit Christum (12) fuisse quem non audiendo perierunt; qui et in Psalmo (*d*) dispersionem ejus postulat a Patre, dicens : *Disperge illos in virtute tua* (*Psal.* LVIII, 12); qui et rursum per Esaiam exustionem eorum orat : *Propter me*, inquit, *hæc facta sunt vobis, in anxietate dormietis* (*Is.* L, 11). Hæc igitur cum pati prædicentur Judæi propter Christum, et passos eos esse inveniamus, et in dispersionem demorari cernamus, manifestum est propter Christum Judæis ista accidisse, conspirante sensu Scripturarum cum exitu rerum et ordinis (13) temporum. Aut si nondum venit Christus, propter quem hæc passuri prædicabantur, cum venerit ergo patientur. Et ubi tunc filia Sion relinquenda, quæ nulla (14) hodie est? ubi civitates exurendæ, quæ jam in tumulis exustæ sunt? ubi dispersio gentis, quæ jam extorris? Redde statum Judææ quem Christus inveniat, et alium contende venire.

CAPUT XIV.

Discite nunc ex abundantia erroris vestri ducatum. Duos dicimus Christi habitus a prophetis demonstratos, totidem adventus ejus prænotasse (15) : unum in humilitate, utique primum, cum *tamquam ovis ad victimam duci* habebat, et (*e*) *tamquam agnus ante tondentem*.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Eorum *abest a Rhen. et Obert.*
(2) Delucidata pectore, per Christi veritatem *Obert. Seml.* — Delucidato pectore *cod. Fuld.*
(3) Idola. Videant Judæi, etc. *Obert. Seml.*
(4) Charismatum roribus *Paris.*
(5) Bethesda *Jun.*
(6) Valetudines *Obert. Seml.*
(7) A beneficiis. Deinde *Jun.*
(8) Ex *abest a Rhen. et Obert.*
(9) Cœpit *Latin.*
(10) Qui *alii.*
(11) Sicut *Rhen. Obert.*
(12) Comedet. Ex quo probamus machæram Christum fuisse *Obert. Seml.*
(13) Ordine *Jun.*
(14) Invidia *Obert. Seml.*
(15) Prænotatos *iidem.*

COMMENTARIUS.

phrasim aliam incipiant ab his verbis : *Post biduum ;* quasi *die tertia in cœlos receptus esset Christus*, non autem diebus quadraginta peractis post ejus resurrectionem (*Act.* 1. 3, 9). Ad hanc correctionem nos movet sensus auctoris, qui hanc Osee prophetiam adhibet ut Christi resurrectionem demonstret factam post triduum a morte ejus. Edd.

(a) *Præcinebantur ob impietatem.* Non semel hoc epitheto utitur, nam lib. *de Spectaculis*, cap. 3 : *Si enim parvulos tunc Judæos impiorum concilium vocavit*, etc. Eodem *impii* elogio erga Judæos utitur B. Aug. Epist. 54, B. Joan. Chrysostomus iis ἀσεβῶν tribuit *Orat.* II, adv. ipsos, et πεφώρων πολιτείαν, *vivendi ritum enormem :* et veteres fere omnes patres, atque etiam concilium Trullanum, cap. 1, ubi de Nestorio loquitur : καὶ τὴν Ἰουδαϊκὴν ἀναγεγύτας δυσσέβειαν, *et Judaicam renovante impietatem.* Le Pr.

(b) *Nam exinde destitit apud illos Dei gratia.* Judæus dilectus olim populus a gratia excidit propter pervicacem impietatem et atrocitatem, qua in orbis universi Redemptorem usi sunt. Dicti sunt ab hoc auctore, *Apol.* XVIII, *gens Dei domestica.* At iusiti fuerunt Christiani in hac agresti arbore, et inoculati. Le Pr.

(c) *Ab illis enim incipit infamia.* Sic lib. I, *ad Nationes*, cap. 14, ubi etiam de Judæis : *Quod enim aliud genus seminarium est infamiæ nostræ?* Ric.

(d) *Dispersionem ejus postulat*, etc. Quin dispersi fuerint propter abominationem supplicii et infamiam quam Christo Domino irrogarunt, nullus dubitat. Non modo dispersi et errantes, verum etiam exosi omnibus, adeo ut concilium modo a nobis citatum, can. XI, prohibeat : *Nullus ecclesiastici ordinis, vel laicus azyma apud Judæos comedat, aut cum iis versetur, vel in morbis advocet, medicinamque ab iis accipiat, aut cum iisdem in balneo lavetur. Si quis vero id facere præsumat, si clericus, deponatur : si vero laicus, communione privetur.* Le Pr.

(e) *Et tamquam agnus ante tondentem.* Mirific extulerunt hanc loquendi formulam veteres, *ovis, pecus,*

dentem sine voce, sic non aperuit os suum (*Is.* LIII, 7) (*a*) ne aspectu quidem honestus : *Adnuntiamus* enim, inquit, *de illo, sicut puerulus, sicut radix in terra sitienti, et non erat ei species neque gloria. Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species ejus inhonorata, deficiens citra filios hominum, homo in plaga, sciens ferre infirmitatem* (*Ibid.* 2-4) : scilicet ut *positus* a Patre *in lapidem offensionis* (*Is.* VIII, 14) : et *minoratus ab eo modicum citra angelos* (*Ps.* VIII, 6), *vermem* se pronuntiat, et *non hominem, ignominiam hominis, et abjectionem populi* (*Ps.* XXI, 7). Quæ ignobilitatis argumenta, primo adventui competunt, (*b*) sicut sublimitatis secundo ; cum fiet, jam non *lapis offensionis*, nec *petra scandali*, sed *lapis summus angularis*, *post reprobationem adsumptus*, et sublimatus in consummationem (*Is.* XXVIII, 16) : et petra sane illa apud Danielem de monte præcisa, quæ imaginem sæcularium regnorum comminuet et conteret (*Dan.*, II, 34 *sqq.*). De quo secundo adventu idem (1) Daniel dixit : *Et ecce cum nubibus cœli tamquam filius hominis veniens, venit usque ad Veterem dierum, et aderat in conspectu ejus. Et qui adsistebant, adduxerunt* (2) *illum : et data est ei potestas regia, et omnes nationes terræ secundum genus, et omnis gloria servient illi : et potestas illius æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrompetur* (*Dan.*, VII, 13, 14). Tunc scilicet speciem honorabilem et decorem habiturus est indeficientem supra filios hominum : *tempestivus* enim *decore citra filios hominum. Effusa est gratia*, inquit, *in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in sæcula. Accingere ensem tuum circa femur tuum, potens tempestivitate et pulchritudine tua* (*Ps.* XLIV, 3-5) : cum et Pater postea, cum *diminuit illum modicum quid citra angelos, gloria et honore coronavit illum, et subjecit omnia sub pedibus ejus* (*Ps.* VIII, 6 8; *Hebr.*, II, 7). *Et tunc cognoscent eum, quem pupugerunt. Et cædent pectora sua tribus ad tribum* (*Zach.*, XII, 10; *Joan*, XIX, 37), utique quod retro non agnoverint eum, in humilitate conditionis humanæ constitutum. Hieremias inquit : *Et* (3) *homo est, et quis cognoscet illum* (*Jer.* XVII, 7, *sec.* LXX) ? quia et *nativitatem ejus*, inquit Esaias, *quis enarrabit* ? Sicet apud Zachariam (4) (*c.* XII) in persona ipsius, imo et in ipsius nominis sacramento, verus (5) summus sacerdos patris Christus Jesus (6) duplici habitu in duos adventus delineatur. Primo sordidis (7) indutus est, id est carnis passibilis et mortalis indignitate, cum et diabolus adversabatur ei, auctor scilicet Judæ traditoris, qui eum etiam post baptismum tentaverat. Dehinc spoliatus pristinas sordes, exornatus podere et mitra et cidari munda (8), id est secundi adventus ; quoniam gloriam et honorem adeptus demonstratur. Nec poteritis cum *Joscdech* (9) *filium* dicere, qui nulla omnino veste sordida, sed semper *sacerdotali* (*Zach.*, VI, 11) fuit exornatus, nec umquam sacerdotali munere privatus. Sed Jesus iste Christus Dei patris summus sacerdos qui primo adventu suo humana forma et passibilis venit in humilitate usque ad passionem ; ipse etiam effectus hostia per omnia pro omnibus nobis, qui post resurrectionem suam indutus podere, *sacerdos in æternum* (*Ps.* CIX, 4; *Hebr.*, V, 6) Dei patris nuncupatus est. Sic enim et duorum hircorum, qui jejunio offerebantur (*Levit.*, XVI), faciam interpretationem. Nonne et illi utrumque ordinem nominis Christi, qui jam venit, ostendunt ? Pares quidem atque consimiles, propter eumdem Domini conspectum, qui non alia venturus est forma, ut qui agnosci (10) habet a quibus et læsus est. Unus autem eorum circumdatus coccino, maledictus, et conputatus, et convulsus, et compunctus, a populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifestis notatus (11) insignibus Christi passionis ; (*c*) qui coccinea circumdatus veste ; et conputatus, et omnibus contumeliis afflictus, extra civitatem crucifixus est. Alter vero pro delictis oblatus, et sacerdotibus tantum templi in pabulum datus, secundæ repræsentationis argumenta signabat, qua delictis omnibus expiati (12) (*d*) sacerdotes templi spiritalis, id est Ecclesiæ, (*e*) Dominicæ gratiæ quasi

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ejusdem *Seml. Obert.*
(2) Abduxerunt *Fran.*
(3) Et *abest Seml. Obert.*
(4) Ait *inser. Seml. Obert.*
(5) Verissimus *iidem.*
(6) Jesus *abest Seml. Obert.*
(7) Sordibus *iidem.*
(8) Cidarim mundam *iidem.*
(9) Joseph *iid.*
(10) Ut quia cognosci *iid.*
(11) Notis, insignibus *Seml.*
(12) Expiatus *Fran.* expiatis *alii.*

COMMENTARIUS.

agnus, cum de Christi proditione loquuntur ; synodus Trullana can. I, ὁ θεὸς δυόμενος : *Deus qui immolatur.* LE PR.

(*a*) *Ne aspectu quidem honestus.* Hoc est, quod lib. *de Patientia* dixit : *Et insuper contumeliosus sibi est.* RIG.— Hæc accipit Rigaltius, ita ut credat idem esse ac quod lib. *de Patientia* dixit : *Et insuper contumeliosus sibi est.* Sed eo loci verba illa meo judicio intellige de de Christi silentio quod ei vitio vertebatur, tamquam homini parum decoro et splendido, quique non auderet loqui ; aut, si mavis, de facie sanguine et ictibus perfluente ac contusa. LE PR.

(*b*) *Sicut sublimatis secundo.* De secundo Christi adventu non idem judicandum ac de primo, ibi enim *servilem formam induit*, et humanam infirmitatem ubique assumens, injuriis et cruciatibus omnis generis opportunus fuit. Hic vero Dei filium ostendit, et gloriæ suæ excellentia status depressioris quo olim obrutus erat, contemptum extollit. LE PR.

(*c*) *Qui coccinea circumdatus veste.* Coccinea vestis eadem ac purpurea seu sanguinea, tincta cocci grano : is color et cædium est ; unde, ut Christi supplicium acerbissimum demonstret, vestem sanguine respersam ait et coccineam. Is color lib. *de Pallio*, cap. 4, *Galaticus rubor* dicitur, quoniam uberrimus est illius grani in Galatia proventus. LE PR.

(*d*) *Sacerdotes templi spiritalis, id est Ecclesiæ.* Ecclesias dicit Christianos, qui a delictis omnibus per Christum expiati, sacerdotes sunt templi spiritalis. RIG.

(*e*) *Dominicæ gratiæ quasi visceratione.* Eucharistiam significat, datam Ecclesiis, hoc est fidelibus christianis, quasi in viscerationem et pabulum. RIG. — Visceratio, uti ad marginem adnotavit Rhena-

viscerationе quadam fruerentur, (*a*) jejunantibus cæteris a salute. Igitur, quoniam primus adventus et plurimis figuris obscuratus, (*b*) et omni inhonestate prostratus, canebatur, secundus vero et manifestus et Deo condignus; idcirco quem facile et intelligere et credere potuerunt, cum solum intuentes, id est secundum, qui est in honore et gloria, non immerito decepti sunt circa indigniorem, certe obscuriorem, id est primum. Atque ita in hodiernum negant venisse Christum suum, quia non in sublimitate venerit, dum ignorant in humilitate primo fuisse venturum. Sufficit huc usque de his interim ordinem Christi decurrisse quo talis probatur quali adnuntiabatur, ut jam ex ista consonantia Scripturarum divinarum intelligamus, et quæ post Christum futura prædicabantur, ex dispositione divina credantur expuncta. Nisi enim ille venisset post quem habebant expungi, nullo modo evenissent (1) quæ in adventum ejus futura prædicabantur. Igitur si universas nationes de profundo erroris humani exinde emergentes ad Deum creatorem et Christum ejus cernitis (2), prophetatum non audetis negare; quia, etsi negaretis, statim vobis in Psalmis, sicuti jam prælocuti sumus promissio Patris occurreret, dicentis : *Filius meus es tu, ego hodie genui te; pete a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* II, 7, 8); nec poteritis in istam prædicationem magis David filium Salomonem vindicare, quam Christum Dei filium dicere (3); nec terminos terræ David filio promissos, qui intra unicam Judæam regnavit, quam Christo filio Dei, (*c*) qui totum jam orbem Evangelii sui radiis inluminavit. Denique et thronus in ævum magis Christo Dei filio competit, quam Salomoni, temporali scilicet regi, qui soli Israel regnavit. Christum enim hodie invocant nationes quæ eum non sciebant, et populi hodie ad Christum confugiunt, quem retro ignorabant. Non potes futurum contendere, quod vides fieri. Hæc aut prophetata nega, cum coram videntur; aut adimpleta cum leguntur : aut si non negas utrumque, in eo erunt adimpleta in quem sunt prophetata.

A

B

LECTIONES VARIANTES.

(1) Venissent *Seml. Obert.*
(2) Quod *add. Seml. Obert.*
(3) Dicere *abest aliis.*

COMMENTARIUS.

mus, distributio erat carnis, quæ fieri solebat, vel in solemni sacrificio, vel in funere excellentis alicujus. PAM.

(a) *Jejunantibus cæteris a salute.* Nempe ethnicis, infidelibus. RIG.

(b) *Et omni inhonestate.* Inhonestatem (inquit, tum hic, tum infra lib. III *adv. Marc.*, Rhen.) accipit pro deformitate, sicuti paulo prius *honestus* pro *formoso*. Supra autem lib. *ad Scapulam*, cum dixit, *quanti honesti viri*, honoratos viros intelligi ibidem ibi adnotavit. PAM.

(c) *Qui totum jam orbem*, etc. Etsi in primo adventu spernendo cultu visus fuerit, secundo nihilominus rex apparebit; regesque omnes et dynastæ ac imperatores crucem, quæ infamiæ nota erat, adorabunt Quoniam *ipse est rex regum et dominus dominantium*, et alio in loco, *Adorent eum omnes gentes*, etc. Quemadmodum autem prædictum fuerat ipsum venturum, ita et regnaturum; si itaque, ut probat contra Judæos (quod Christianis omnibus certissimum), venit, ut adimpleatur prophetarum vaticinium, regnat quoque super orbem universum. LE PA.

C

D

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER DE ANIMA.

Scripserat Tertullianus, ut ipse ait, contra Hermogenem librum de censu seu origine animæ; qui liber, hodie desideratus, quantum datur, mentionem habet in sectione sequenti : nunc autem in hoc tractatu, Auctor, jam montanista, de animæ statu et reliquis ad eam pertinentibus quæstionibus, adversus philosophos dimicat, cui tamen falsa inspersit principia, variosque errores ipse Tertullianus inseruit.

I. *In primis autem docet non a Socrate immortalitatem animæ, sed a Deo discendam.*

II. *Etsi enim a natura pleraque suggerantur, aut etiam ex prophetis hausta fuerunt, tamen philosophi multa mixta veris falsa tradiderunt.*

III. *Utinam, nulla hæresi existente, nihil omnino cum philosophis, patriarchis hæreticorum, experiendum foret : nec essent tum illa quibus a philosophia hærctici capiuntur, destruenda, tunc hæc quibus fideles ab hæresi conciliuntur, retundenda.*

IV. *Deinde ad institutum accedens, primum adversus Platonem animam natam et factam dicit, utpote ex Dei flatu.*

V. *Plures etiam philosophos, etsi Aristotele et Platone corpulentiam ei auferentibus, corpus animæ vindicasse.*

VI. *Quod paradoxon etiam Auctor hic secutus Platonicorum argumenta, quibus incorporalem animam asserebant, satis frivole refellit.*

VII. *Imo corporalitatem animæ ex Evangelio perperam probare nititur.*

VIII. *Ad alia iterum Platonicorum argumenta respondens.*

IX. *Quid? quod effigiem quoque non vereatur animæ quantumvis immortali affingere, eamque coloris aerei et lucidi.*

X. *Rectius deinceps unum esse docet animam et spiritum, vivere et spirare, vel ex eo quod ad statum fidei pertinet, simplicem animam determinare secundum Platonem.*

XI. *Ita tamen spiritum animam dici, ut neque Dei spiritus sit, quod videbatur Hermogenes sentire, neque spiritale nescio quod semen Valentinianorum animæ collatum sit.*

XII. *Animum item ab anima non separari, utpote qui non aliud quam suggestus, sive ornatus sit animæ quo sapit : idque contra Anaxagoram et Aristotelem, quorum ille commiscibilem, iste passibilem animum negabat.*

XIII. *Quod etiam inde probat, quod principalitas animæ, non animo tribuatur ; etiam animam Deus semper alloquatur, non animum.*

XIV. *Cum autem dirimitur anima in partes a Platone aut aliis, vires et efficacias et operas diversas intelligi, sicuti de quibusdam etiam Aristoles indicavit, utpote etiam ipse cum aliis plerisque unitatem animæ agnoscens.*

XV. *Hegemonicon interim, id est, summum in anima gradum sapientialem, contraquam sentiebant Asclepiades et Dicæarchus, cum Platone et Aristotele agnosci etiam a Christianis, idque in recessu cordis.*

XVI. *Ad fidem quoque pertinere, quod Plato partitur animam per rationalem et irrationalem ; ita tamen ut naturæ primævæ deputetur rationale, irrationale vero transgressioni ; non tamen placere irrationalis distinctionem in indignativum et concupiscentivum, quod utrumque etiam Christo et rationali animæ competat.*

XVII. *Etiam in hoc non probari Platonem et Academicos, quod sensualitatem quinque sensuum irrationalem pronuntient : neque enim licere sensus istos in dubium revocare, ne et in Christo de fide eorum deliberetur.*

XVIII. *Neque audiendos hæreticos, qui non aliter quam suas Plato Idæas, intellectualia faciunt veritates, sensualia vero imagines veritatis duntaxat, sed perinde animam per corpus corporalia sentire, quemadmodum per animum incorporalia intelligit ; sic tamen ut etiam sentiat, cum intelligit.*

XIX. *Atque adeo intellectum semper animæ inesse, uti etiam reliqua animæ naturalia.*

XX. *Etsi autem uniformis anima, fœta tamen ingeniorum multiformem, pro conditione cœli et soli, pro ratione operis et curæ, pro temporum eventu, pro licentia casuum, et corporis etiam valetudine, ut ne de fati necessitate quid dicatur, de qua suo titulo disseruerit.*

XXI. *Proinde etiam animam, contraquam sentiunt Valentiniani, convertibilem fuisse liberi arbitrii potestate, juxta quod Marcioni jam et Hermogeni ostenderit.*

XXII. *Quocirca animam definiri : Dei flatu natam, immortalem, corporalem (en iterum paradoxon Auctoris) effigiatam, substantia simplicem, de suo patientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentiis obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, divinatricem.*

XXIII. *Dum deinceps quæritur unde anima, hæreticos quosdam non recte eam e cœlis deferre, atque eodem indubitate redituram asserere, quorum omnium condimentarium Plato.*

XXIV. *Novum itaque Platonis argumentum elidit : discentias reminiscentias esse, hoc est, venientes e cœlo animas oblivisci eorum in quibus fuerint prius, dehinc ex his visibilibus recordari eorumdem.*

XXV. *Agit deinde adversus Stoicos, et ipsum interdum Platonem, qui post partum corpori animam inducunt, ex aeris frigidi pulsu, aut prima spiratione.*

XXVI. *Eorum sententiam, etiam ex Scripturarum christianarum fundamento, impugnans.*

XXVII. *Definiens simul ambas animæ corporisque substantias, et concipi, et confici, et perfici.*

XXVIII. *Porro etiam Platonis secundum Pythagoram temerarium mendacium μετεμψύχωσιν impugnat, id est, recidivatum animarum, revolubilem ex alterna mortuorum et vivorum suffectione.*

XXIX. *Etsi enim ex vivis fiant mortui, non tamen ideo ex mortuis vivos.*

XXX. *Dein, si ex mortuis semper vivi, unum omnino et eumdem oportere fuisse hominum numerum ; cum e contrario inveniamus paulatim humanum genus exubcrasse.*

XXXI. *Etiamsi ita sit, singulas animas in singula corpora reverti oportere ; eadem ætate, eisdem institutis, ingeniis, artibus, et ex omni gente, sexu, dignitate ; quod tamen ipse Pythagoras non admisit.*

XXXII. *Delirare vero magis Empedoclem, qui μετενσωμάτωσιν induxerit, bestias ex hominibus, et homines ex bestiis revolventem.*

XXXIII. *Neque vero etiam judicii nomine vindicari hoc dogma ; evacuari enim, si crimina non aliter puniantur, aut merces non alia bonis detur, quam in animalia restitutio.*

XXXIV. *Eadem repercussione cœdi, etiam Simonis samaritæ hæretici similem opinionem de sua Helena, quam per alios atque alios habitus fœmineos volutatam, etiam illam fuisse aiebat Priamo perniciosissimam.*

XXXV. *Imo etiam Carpocratis animarum recorporationem, qua toties volebat animam in corpora revocari, quotics minus de delictis satisfecisset ; qui etiam Heliæ reditum frustra pro se interpretatus sit.*

XXXVI. *Reversus inde ad prius institutum, etiam sexum animæ et corporis simul oriri tradit.*

XXXVII. *Omnem autem hominis paraturam aliqua potestate divinæ voluntatis ministra (ab angelo nempe aliquo) modulari ; simul etiam crescere et proficere, animam ingenio et sensu, corpus modulo et habitu.*

XXXVIII. *Pubertatem quoque, uti in corpore, ita et anima, simul exsurgere suggestu sensuum ; et etiam ciborum concupiscentiam esse in anima, sed necessitate*

corporis, non sui proprietate, ne quis hinc mortalem credat.

XXIX. *Item nullam ferme animam sine dæmonio esse, saltem in ethnicis, donec in Christo nascantur.*

XL. *Tandiu enim animam ex carnis societate in Adam immundam censeri; et peccatricem tam animam, quam carnem dici.*

XLI. *Atque adeo, malum animæ non solum ex obventu spiritus nequam superstrui, sed et ex origine; quo obfuscatur bonum ejus prius, donec reformetur per secundam ejus nativitatem ex aqua et superna Spiritus Sancti virtute: a quo ibi excipitur, sicuti a profano spiritu in pristina.*

XLII. *Atquin mortis quoque tractatum ad nos pertinere (secus quam Epicurus sentit) in qua anima consummat.*

XLIII. *Proinde etiam somnium mortis speculum; quem non supernaturalem, sed naturalem esse, tum aliis rationibus, tum Scripturis sacris probat.*

XLIV. *Nam quod de Hermotimo scribunt, animæ illum in somno caruisse, id subornatum; uti somnus, non otium animæ, sed secessio crederetur.*

XLV. *De somniis quoque, et accidentibus somni, quatenus ab extasi differunt, dicendum; quibus significatur anima perpetuo negotiosa, quod immortalitatis est ratio; in quibus interim non magis ob stupri visionem damnabimur, quam ob martyrii coronabimur.*

XLVI. *Neque enim vana esse in totum somnia (uti judicabat Epicurus) multis exemplis probari; et varios esse commentatores, ac in hanc rem affirmatores.*

XLVII. *Christianam vero eam esse sententiam: a dæmoniis plurimum incuti somnia, etiam vera interdum; Deo interim deputanda, si quæ honesta, sancta, prophetica, revelatoria, ædificatoria, vacatoria; quædam etiam sibimetipsi animam fingere ex intentione circumstantiarum; reliqua denique extasi separanda.*

XLVIII. *Atque adeo ex ingenio magis quam constantia, somnia a Platone æstimari, tanquam certiora ab extimo noctis, certis anni temporibus, quietis situ, aut ciborum distinctione, aut derogatione.*

XLIX. *Et vero etiam infantes ac atlantes somniare; cum et somnia a Deo sint, nullaque jam gens Dei sit extranea, in omnes terminos orbis Evangelio coruscante.*

L. *Nunc ad mortem quod attinet, debitum esse toto humano generi naturæ finem, quamtumvis Epicurus id neget, et Menander hæreticus ad suo baptismo initiatos pertinere neget, apud quem nec pro Deo mori lex est; nam etiam Enoch et Heliam morituros, et Joannem jam obiisse.*

LI. *Opus autem mortis esse separationem corporis et animæ; quantumvis quidam philosophi crediderint, post mortem quasdam animas hærere corporibus.*

LII. *Atque omnem mortem, sive ordinariam, sive extraordinariam, non ex natura esse, sed ex culpa, nec ipsa naturali.*

LIII. *Excedere porro animam, non deficere, dilabentibus paulatim corporis instrumentis, jam clariorem obtutu, ac si de somno emergentem instante morte; utpote, quæ tum exsultat aut trepidat, prout paraturam deversorii sui sentit, de ipsius angeli facie evocatoris animarum.*

LIV. *Quo autem deducantur animæ, varias esse philosophorum sententias; inter quos Stoici prudentum animas in supernis mansionibus collocant, reliquas apud inferos; quos inferos Christiani non in gremio terræ, ut Plato, sed in intimis visceribus collocant.*

LV. *Suam vero eam esse sententiam (quæ interim ab Ecclesia non probatur) quod in sinum Abrahæ seu paradisum (de quo librum ediderit) martyrum solæ animæ commigrent, reliquæ vero ad inferos.*

LVI. *Atqui vanas eas esse opiniones, quibus putabant, tantisper in terris animas detineri, donec justa perceperint; aut immatura morte præventas, isthic vagari, donec reliquatio compleatur ætatis.*

LVII. *Neque vero ab inferis animas ex imperio dæmonum per magicam (cujus species aliquot recenset) aut ex arbitrio huc redire.*

LVIII. *Atqui illic, interim dum corpus exspectant, animas innocentium gaudere, et nocentium dolere ac puniri; vel ob cogitatus solos, quos censura divina persequitur; maxime, cum etiam modica delicta ad novissimum usque quadrantem illic luenda, ex Evangelio intelligatur.*

CAPUT PRIMUM (*a*)

De solo censu animæ congressus Hermogeni, quatenus et iatum ex materiæ potius suggestu, quam ex Dei flatu constitisse præsumpsit, nunc ad reliquas conversus quæstiones, plurimum videbor cum philosophis dimicaturus. Etiam in carcere Socratis de animæ statu velitatum est. (*b*) Nescio jam hoc primum, an opportuno in tempore magistri (1), etsi nihil de loco interest. Quid enim liquido saperet (*c*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) In tempore, Magistri *disting.* Rig.

COMMENTARIUS.

(a) Hic liber in exemplari Agobardi passim inscribitur, *De censu Animæ*; sed falso. Nam, ut ex istius operis principio patet, is fuit titulus alterius libri quem adversus Hermogenem Septimius noster composuerat, ut ostenderet quid censeri anima deberet. Etenim *constare ex Dei flatu, non*, ut Hermogenes dicebat, *ex materiæ suggestu*, hoc tantum eo libello, qui hodie desideratur, adversus hæreticum disputaverat. Nunc de animæ statu, ac de quæstionibus reliquis ad eam pertinentibus, agit adversus philosophos. Itaque receptissimum jam vulgatis editionibus titulum generalem *De Anima* retinuimus. Rig.

(b) *Nescio jam hoc primum an opportuno in tempore, Magistri.* Alloquitur magistros, hoc est philosophos: Nescio, inquit, jam hoc primum, magistri, an opportuno in tempore de animæ statu velitatum sit in carcere Socratis; etsi nihil de loco interest, etc. Hæc igitur scribenda ac distinguenda sunt hoc modo: *Etiam in carcere Socratis de animæ statu velitatum est. Nescio jam hoc primum an opportuno in tempore, Magistri, etsi nihil de loco interest.* Rig.

(c) *Anima tunc Socratis.* Platonis *Phædonem* subindicat; in quo recensetur disputatio, quam mori-

VIII. *Ad alia iterum Platonicorum argumenta respondens.*

IX. *Quid? quod effigiem quoque non vereatur animæ quantumvis immortali affingere, eamque coloris aerei et lucidi.*

X. *Rectius deinceps unum esse docet animam et spiritum, vivere et spirare, vel ex eo quod ad statum fidei pertinet, simplicem animam determinare secundum Platonem.*

XI. *Ita tamen spiritum animam dici, ut neque Dei spiritus sit, quod videbatur Hermogenes sentire, neque spiritale nescio quod semen Valentinianorum animæ collatum sit.*

XII. *Animum item ab anima non separari, utpote qui non aliud quam suggestus, sive ornatus sit animæ quo sapit : idque contra Anaxagoram et Aristotelem, quorum ille commiscibilem, iste passibilem animum negabat.*

XIII. *Quod etiam inde probat, quod principalitas animæ, non animo tribuatur ; etiam animam Deus semper alloquatur, non animum.*

XIV. *Cum autem dividitur anima in partes a Platone aut aliis, vires et efficacias et operas diversas intelligi, sicuti de quibusdam etiam Aristoles indicavit, utpote etiam ipse cum aliis plerisque unitatem animæ agnoscens.*

XV. *Hegemonicon interim, id est, summum in anima gradum sapientialem, contraquam sentiebant Asclepiades et Dicæarchus, cum Platone et Aristotele agnosci etiam a Christianis, idque in recessu cordis.*

XVI. *Ad fidem quoque pertinere, quod Plato partitur animam per rationalem et irrationalem ; ita tamen ut naturæ primævæ deputetur rationale, irrationale vero transgressioni ; non tamen placere irrationalis distinctionem in indignativum et concupiscentivum, quod utrumque etiam Christo et rationali animæ competat.*

XVII. *Etiam in hoc non probari Platonem et Academicos, quod sensualitatem quinque sensuum irrationalem pronuntient : neque enim licere sensus istos in dubium revocare, ne et in Christo de fide eorum deliberetur.*

XVIII. *Neque audiendos hæreticos, qui non aliter quam suas Plato Idæas, intellectualia faciunt veritates, sensualia vero imagines veritatis duntaxat, sed perinde animam per corpus corporalia sentire, quemadmodum per animum incorporalia intelligit ; sic tamen ut etiam sentiat, cum intelligit.*

XIX. *Atque adeo intellectum semper animæ inesse, uti etiam reliqua animæ naturalia.*

XX. *Etsi autem uniformis anima, fœtu tamen ingeniorum multiformem, pro conditione cœli et soli, pro ratione operis et curæ, pro temporum eventu, pro licentia casuum, et corporis etiam valetudine, ut ne de fati necessitate quid dicatur, de qua suo tituo disseruerit.*

XXI. *Proinde etiam animam, contraquam sentiunt Valentiniani, convertibilem fuisse liberi arbitrii potestate, juxta quod Marcioni jam et Hermogeni ostenderit.*

XXII. *Quocirca animam definiri : Dei flatu natam, immortalem, corporalem (en iterum paradoxon Auctoris) effigiatam, substantia simplicem, de suo patientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentiis obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, divinatricem.*

XXIII. *Dum deinceps quæritur unde anima, hæreticos quosdam non recte eam e cœlis deferre, atque eodem indubitate redituram asserere, quorum omnium condimentarium Plato.*

XXIV. *Novum itaque Platonis argumentum elidit : discentias reminiscentias esse, hoc est, venientes e cœlo animas oblivisci eorum in quibus fuerint prius, dehinc ex his visibilibus recordari eorumdem.*

XXV. *Agit deinde adversus Stoicos, et ipsum interdum Platonem, qui post partum corpori animam inducunt, ex aeris frigidi pulsu, aut prima spiratione.*

XXVI. *Eorum sententiam, etiam ex Scripturarum christianarum fundamento, impugnans.*

XXVII. *Definiens simul ambas animæ corporisque substantias, et concipi, et confici, et perfici.*

XXVIII. *Porro etiam Platonis secundum Pythagoram temerarium mendacium* μετεμψύχωσιν *impugnat, id est, recidivatum animarum, revolubilem ex alterna mortuorum et vivorum suffectione.*

XXIX. *Etsi enim ex vivis fiant mortui, non tamen ideo ex mortuis vivos.*

XXX. *Deinde, si ex mortuis semper vivi, unum omnino et eumdem oportere fuisse hominum numerum ; cum e contrario inveniamus paulatim humanum genus exuberasse.*

XXXI. *Etiamsi ita sit, singulas animas in singula corpora reverti oportere ; eadem ætate, eisdem institutis, ingeniis, artibus, et ex omni gente, sexu, dignitate ; quod tamen ipse Pythagoras non admisit.*

XXXII. *Delirare vero magis Empedoclem, qui* μετενσωμάτωσιν *induxerit, bestias ex hominibus, et homines ex bestiis revolventem.*

XXXIII. *Neque vero etiam judicii nomine vindicari hoc dogma ; evacuari enim, si crimina non aliter puniantur, aut merces non alia bonis detur, quam in animalia restitutio.*

XXXIV. *Eadem repercussione cœdi, etiam Simonis samaritæ hæretici similem opinionem de sua Helena, quam per alios atque alios habitus fœmineos volutatam, etiam illam fuisse aiebat Priamo perniciosissimam.*

XXXV. *Imo etiam Carpocratis animarum recorporationem, qua toties volebat animam in corpora revocari, quotics minus de delictis satisfecisset ; qui etiam Heliæ reditum frustra pro se interpretatus sit.*

XXXVI. *Reversus inde ad prius institutum, etiam sexum animæ et corporis simul oriri tradit.*

XXXVII. *Omnem autem hominis paraturam aliqua potestate divinæ voluntatis ministra (ab angelo nempe aliquo) modulari ; simul etiam crescere et proficere, animam ingenio et sensu, corpus modulo et habitu.*

XXXVIII. *Pubertatem quoque, uti in corpore, ita et anima, simul exsurgere suggestu sensuum ; et etiam ciborum concupiscentiam esse in anima, sed necessitate*

corporis, non sui proprietate, ne quis hinc mortalem credat.

XXIX. *Item nullam ferme animam sine dæmonio esse, saltem in ethnicis, donec in Christo nascantur.*

XL. *Tandiu enim animam ex carnis societate in Adam immundam censeri; et peccatricem tam animam, quam carnem dici.*

XLI. *Atque adeo, malum animæ non solum ex obventu spiritus nequam superstrui, sed et ex origine; quo obfuscatur bonum ejus prius, donec reformetur per secundam ejus nativitatem ex aqua et superna Spiritus Sancti virtute: a quo ibi excipitur, sicuti a profano spiritu in pristina.*

XLII. *Atquin mortis quoque tractatum ad nos pertinere (secus quam Epicurus sentit) in qua anima consummat.*

XLIII. *Proinde etiam somnum mortis speculum; quem non supernaturalem, sed naturalem esse, tum aliis rationibus, tum Scripturis sacris probat.*

XLIV. *Nam quod de Hermotimo scribunt, anima illum in somno caruisse, id subornatum; uti somnus, non otium animæ, sed secessio crederetur.*

XLV. *De somniis quoque, et accidentibus somni, quatenus ab extasi differunt, dicendum; quibus significatur anima perpetuo negotiosa, quod immortalitatis est ratio; in quibus interim non magis ob stupri visionem damnabimur, quam ob martyrii coronabimur.*

XLVI. *Neque enim vana esse in totum somnia (uti judicabat Epicurus) multis exemplis probari; et varios esse commentatores, ac in hanc rem affirmatores.*

XLVII. *Christianam vero eam esse sententiam: a dæmoniis plurimum inculi somnia, etiam vera interdum; Deo interim deputanda, si quæ honesta, sancta, prophetica, revelatoria, ædificatoria, vacatoria; quædam etiam sibimetipsi animam fingere ex intentione circumstantiarum; reliqua denique extasi separanda.*

XLVIII. *Atque adeo ex ingenio magis quam constantia, somnia a Platone æstimari, tanquam certiora ab extimo noctis, certis anni temporibus, quietis situ, aut ciborum distinctione, aut derogatione.*

XLIX. *Et vero etiam infantes ac atlantes somniare; cum et somnia a Deo sint, nullaque jam gens Dei sit extranea, in omnes terminos orbis Evangelio coruscante.*

L. *Nunc ad mortem quod attinet, debitum esse toto humano generi naturæ finem, quamtumvis Epicurus id neget, et Menander hæreticus ad suo baptismo initiatos pertinere neget, apud quem nec pro Deo mori lex est; nam etiam Enoch et Heliam morituros, et Joannem jam obiisse.*

LI. *Opus autem mortis esse separationem corporis et animæ; quantumvis quidam philosophi crediderint, post mortem quasdam animas hærere corporibus.*

LII. *Atque omnem mortem, sive ordinariam, sive extraordinariam, non ex natura esse, sed ex culpa, nec ipsa naturali.*

LIII. *Excedere porro animam, non deficere, dilabentibus paulatim corporis instrumentis, jam clariorem obtutu, ac si de somno emergentem instante morte; utpote, quæ tum exsultat aut trepidat, prout paraturam deversorii sui sentit, de ipsius angeli facie evocatoris animarum.*

LIV. *Quo autem deducantur animæ, varias esse philosophorum sententias; inter quos Stoici prudentium animas in supernis mansionibus collocant, reliquas apud inferos; quos inferos Christiani non in gremio terræ, ut Plato, sed in intimis visceribus collocant.*

LV. *Suam vero eam esse sententiam (quæ interim ab Ecclesia non probatur) quod in sinum Abrahæ seu paradisum (de quo librum ediderit) martyrum solæ animæ commigrent, reliquæ vero ad inferos.*

LVI. *Atqui vanas eas esse opiniones, quibus putabant, tantisper in terris animas detineri, donec justa perceperint; aut immatura morte præventas, isthic vagari, donec reliquatio compleatur ætatis.*

LVII. *Neque vero ab inferis animas ex imperio dæmonum per magicam (cujus species aliquot recenset) aut ex arbitrio huc redire.*

LVIII. *Atqui illic, interim dum corpus exspectant, animas innocentium gaudere, et nocentum dolere ac puniri; vel ob cogitatus solos, quos censura divina persequitur; maxime, cum etiam modica delicta ad novissimum usque quadrantem illic luenda, ex Evangelio intelligatur.*

CAPUT PRIMUM (a)

De solo censu animæ congressus Hermogeni, quatenus et istum ex materiæ potius suggestu, quam ex Dei flatu constitisse præsumpsit, nunc ad reliquas conversus quæstiones, plurimum videbor cum philosophis dimicaturus. Etiam in carcere Socratis de animæ statu velitatum est. (b) Nescio jam hoc primum, an opportuno in tempore magistri (1), etsi nihil de loco interest. Quid enim liquido saperet (c)

LECTIONES VARIANTES.

(1) In tempore, Magistri *disting. Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) Hic liber in exemplari Agobardi passim inscribitur, *De censu Animæ*; sed falso. Nam, ut ex istius operis principio patet, is fuit titulus alterius libri quem adversus Hermogenem Septimius noster composuerat, ut ostenderet quid censeri anima deberet. Etenim *constare ex Dei flatu, non*, ut Hermogenes dicebat, *ex materiæ suggestu*, hoc tantum eo libello, qui hodie desideratur, adversus hæreticum disputaverat. Nunc de animæ statu, ac de quæstionibus reliquis ad eam pertinentibus, agit adversus philosophos. Itaque receptissimum jam vulgatis editionibus titulum generalem *De Anima* retinuimus. Rig.

(b) *Nescio jam hoc primum an opportuno in tempore, Magistri.* Alloquitur magistros, hoc est philosophos: Nescio, inquit, jam hoc primum, magistri, an opportuno in tempore de animæ statu velitatum sit in carcere Socratis; etsi nihil de loco interest, etc. Hæc igitur scribenda ac distinguenda sunt hoc modo: *Etiam in carcere Socratis de animæ statu velitatum est. Nescio jam hoc primum an opportuno in tempore, Magistri, etsi nihil de loco interest.* Rig.

(c) *Anima tunc Socratis.* Platonis *Phædonem* subindicat; in quo recensetur disputatio, quam mori-

anima tunc Socratis, jam sacro navigio regresso, (a) jam cicutis damnationis exhaustis, jam morte præsente, utique consternata ad aliquem motum secundum naturam, aut externata, si non secundum naturam. Quamvis enim placida atque tranquilla, quam nec conjugiis fletus statim viduæ, nec liberorum conspectus exinde pupillorum, lege pietatis inflexerat, vel in hoc tamen mota, ne moveretur, ipsa constantia concussa est adversus inconstantiæ concussionem. Quid autem aliud saperet vir quilibet injuria damnatus, præter injuriæ solamen, nedum philosophus, gloriæ animal, cui nec consolanda injuria, sed potius insultanda? Denique, post sententiam, obviæ conjugi et muliebriter inclamanti: Injuste damnatus es, Socrates; jam et de gratulatione responderat: Volebas autem juste? Nihil mirandum, si et in carcere lemniscatas (1) Anyti et Meliti palmas gestiens infringere, ipsa morte coram, immortalitatem vindicat (2) animæ necessaria præsumptione ad injuriæ frustrationem. (b) Adeo omnis illa tunc sapientia Socratis de industria venerat consultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis. Cui enim veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto? cui Spiritus Sanctus accommodatus sine fidei sacramento? Sane Socrates facilius diverso spiritu agebatur. Siquidem aiunt dæmonium illi a puero adhæsisse, pessimum revera pædagogum, etsi post deos et cum deis dæmonia deputantur penes poetas et philosophos. Nondum enim christianæ potestatis documenta processerant, (c) quæ vim istam perniciosissimam, nec unquam bonam, antiqui erroris (3) artificem, omnis veritatis avocatricem (d) sola traducit. Quod si idcirco sapientissimus Socrates secundum Pythii quoque dæmonis suffragium, scilicet negotium navantis socio suo, quanto dignior atque constantior christianæ sapientiæ assertio, cujus afflatui tota vis dæmonum cedit? Hæc sapientia de schola cœli deos quidem sæculi negare liberior, quæ (e) nullum Æsculapio gallinaceum reddi jubens prævaricetur, nec nova inferens dæmonia, sed vetera depellens; nec adolescentiam vitians, sed omni bono pudoris informans, ideoque non unius urbis, sed universi orbis iniquam sententiam sustinens pro nomine veritatis, tanto scilicet perosioris quanto plenioris, ut et mortem non de poculo per habitum jocunditatis absorbeat, sed de patibulo et vivicomburio per omne ingenium crudelitatis exhauriat, interea in isto tenebrosiore carcere sæculi inter suos Cebetas et suos Phædonas, si quid de anima examinandum est, ad Dei regulas dirigat. Certe nullum alium potiorem animæ demonstratorem quam auctorem reperiet; a Deo discat (4), quod a Deo habeat (5); aut nec ab alio, si nec a Deo. Quis enim revelabit quod Deus texit? Inde sciscitandum est, unde et ignorare tutissimum est: præstat per Deum nescire, quia non revelaverit, quam per hominem scire, quia ipse præsumpserit.

CAPUT II.

Plane non negabimus aliquando philosophos juxta nostra sensisse; testimonium est veritatis etiam inventus ipsius (6). Nonnunquam et in procella confusis vestigiis cœli et freti aliqui portus offenditur, prospero errore: nonnunquam et in tenebris aditus quidam et exitus deprehenduntur, cæca felicitate; sed et natura pleraque suggeruntur, quasi de publico sensu, quo animam Deus dotare dignatus est. Hunc

LECTIONES VARIANTES.

(1) Indiscatas *Par.* et lemniscatas *Lat.* miniclatas, *vel*, numiculatas *Jun.*

(2) Vindicans *Par.* immortalem vindicans animam *alii. Lat. reposcit* vindicat.

(3) Antiqui hominis *additur Par.* bonam homini, antiqui erroris, etc. *Jun.*

(4) Auctorem a Deo discat *Seml.*

(5) Quod a Deo habeat *Seml. Oberth.* quod a Deo disca *Venet. cod. Wouw.*

(6) Eventus *Ven. Rig.*

COMMENTARIUS.

turns, hausta cicuta, habuit Socrates de animæ rationalis immortalitate. LE PR.

(a) *Jam cicutis damnationis exhaustis.* Non simpliciter cicutas dicit, quæ non intritæ Socrati nisi sub solis occasum fuere, sed cicutas damnationis, quas illi sub solis ortum nuntiaverant Undecimviri. Admissis enim subinde amicis, nobilis ille de anima sermo habere cœperat. Jam cicutis damnationis exhaustis, hoc est, jam audita damnationis suæ sententia, quasi ab eo temporis momento mortem Socrates bibere cœpisset, cum ab eo quoque judices vitam custodiis ademisse censeantur, ex quo mortis sententiam dixere. RIG.

(b) *Adeo omnis illa tunc sapientia Socratis.* Puto hic reddi sensum verborum Platonis in Phædone: Εἰ μὲν τυγχάνει ἀληθῆ ὄντα ἃ ἐγὼ λέγω, καλῶς δὴ ἔχει τὸ πείθεσθαι· εἰ δὲ μηδὲν ἔστι τελευτήσαντι, ἀλλ' οὖν τοῦτόν γε τὸν χρόνον τὸν πρὸ τοῦ θανάτου ἧττον τοῖς παροῦσι τὰ ἡδέα ἐνομιεῖ ὀδυρόμενος· ἡ δὲ ἀγνοιά μοι αὐτὴ οὐ συνδιατελεῖ, κακὸν γὰρ ἂν ἦν, ἀλλ' ὀλίγον ὕστερον ἀπολεῖται. *Si vera sunt quæ dico, bene est quod crediderim. Si vero post mortem nihil superest, tamen tempus illud quod est ante mortem, minus mihi molestum erit; ignorantia autem illa mihi diuturna non est (malum quippe esset quoddam), verum paulo post interibit.* LE PR.

(c) *Quæ vim istam perniciosissimam.* Dæmonas soli Christiani traducunt, abigunt, migrare cogunt, excutiunt de hominibus, adjurando scilicet, unde verbum *exorcizare*, etiam juris civilis auctoribus ethnicis notum. Hocce autem officio Christiani fungebantur, non per fraudes aut imposturas, sed nominis Christi potestate, qua præditus erat quilibet christianus, ut Septimius in Apolog. testatur. *Unusquisque*, inquit, *a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* Itaque tralatitium et vulgare fuisse apud Christianos exorcistarum munus etiam Sulpitii Severi sæculo, ex eo discimus, quod de Martino refert, quem Hilarius Pictonum episcopus, tentandi hominis gratia, exorcistam agere jusserat. *Quam ille*, inquit, *ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorum videretur, non repudiavit.* RIG.

(d) *Sola traducit.* Eamdem vero potestatem concessam fuisse Judæis etiam ævo suo refert Irenæus, lib. II, cap. 6, credo, ob familiarem illis veri Dei notitiam. *Et propter hoc*, inquit, *Judæi usque nunc hac ipsa invocatione dæmonia effugant.* RIG.

(e) *Nullum Æsculapio gallinaceum reddi jubens prævaricetur.* Socrates deos qui vulgo colebantur non esse docuerat, et tamen moriens gallinaceum se debere Æsculapio dixit. Quare prævaricatum esse ait Septimius, qui de doctrinæ suæ tenore exciderit. RIG.

nacta philosophia ad gloriam propriæ artis inflavit, A
præ studio [non mirum si istum ita dixerim] eloquii
quidvis struere eruditi, magisque dicendo persua-
dentis, quam docendo. Formas rebus imponit, eas
nunc peræquat (*a*), nunc privat, de certis incerta
præjudicat, provocat ad exempla, quasi comparanda
sint omnia (*b*) ; omnia præscribit, proprietatibus (1)
etiam inter similia diversis; nihil divinæ licentiæ
servat, leges naturæ opiniones suas facit; ferrem, si
naturalis ipsa, ut compos naturæ de conditionis con
sortio probaretur. Visa est quidem sibi et ex sacris
quas putant, literis hausisse, quia plerosque auc-
tores etiam deos existimavit antiquitas, nedum divos,
ut Mercurium Ægyptium, cui præcipue Plato ad-
suevit: ut Silenum Phrygem (*c*), cui a pastoribus
perducto ingentes aures suas Midas tradidit : (*d*) ut B
Hermotimum (2), cui Clazomenii mortuo templum
contulerunt; (*e*) ut Orpheum, (*f*) ut Musæum, (*g*) ut
Pherecydem, Pythagoræ magistrum. Quid autem, si
philosophi etiam illa incursaverunt quæ penes nos
apocryphorum confessione damnantur, certos nihil
recipiendum quod non conspiret germanæ et ipso
jam ævo pronatæ propheticæ paraturæ, quando et
pseudoprophetarum meminerimus, et multo prius (*h*)
apostatarum spirituum, qui hujusmodi quoque inge-
niorum calliditate omnem faciem sæculi instruxerint?
Postremo, si etiam ad ipsos Prophetas adisse credi-
bile est indagatorem quemque sapientiæ ex negotio
curiositatis, tamen plus diversitatis invenias inter
philosophos quam societatis, cum et in ipsa societate
diversitas eorum deprehendatur. Siquidem vera quæ- C

que et consonantia Prophetis aut aliunde commen-
dant, aut aliorsum subornant, cum maxima injuria
veritatis, quam efficiunt aut adjuvari falsis, aut pa-
trocinari. Hoc itaque commiserit nos et philosophos
in ista præsertim materia, quod interdum communes
sententias propriis argumentationibus vestiant, con-
trariis alicubi regulæ nostræ ; interdum sententias
proprias communibus argumentationibus muniant,
consentaneis alicubi regulæ illorum ; (*i*) ut prope sit
exclusa veritas a philosophia per veneficia in illam
sua, et ideo utroque titulo societatis adversario veri-
tatis urgemur, et communes sententias ab argumen-
tationibus philosophorum liberare, et communes ar-
gumentationes a sententiis eorum separare, revocando
quæstiones (3) ad Dei literas, exceptis plane quæ
sine laqueo alicujus præjudicii ad simplex testimonium
licebit adsumere : quia et ex æmulis nonnunquam
testimonium necessarium, si non æmulis prosit. Nec
ignoro quanta sit sylva materiæ istius apud philoso-
phos pro numero etiam ipsorum commentatorum, quot
varietates sententiarum, quot palæstræ opinionum,
quot propagines quæstionum, quot implicationes ex-
peditionum. Sed et (*j*) medicinam inspexi, sororem,
ut aiunt, philosophiæ, sibi quoque hoc negotium
vindicantem, ut ad quam magis animæ ratio pertinere
videatur per corporis curam, unde et plurimum sorori
refragatur, quod animam quasi coram in domicilio
suo tractando magis norit. Sed viderit utriusque præ-
stantiæ ambitio. Habuit et philosophia libertatem in-
genii, et medicina necessitatem artificii ad exten-
dendos de anima retractatus : late quæruntur incerta, D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quasi comparanda, omnia præscribit, propria ætatibus *Fran.*

(2) Hermippum *Par.*

(3) Quæstioni *Par.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nunc privat.* Privat et proprias adsignat. Rig.

(b) *Omnia præscribit.* Præscriptis definitionibus omnia comprehendit. Rig.

(c) *Cui a pastoribus perducto ingentes aures suas Midas tradidit.* Cujus per aures mentem ceperat Silenus philosophus. Notum illud Zenonis ad Craterem : *Auribus teneri possum, non pallio.* Λαβὲ φιλοσόφων ἀπιδέξιος ἡ διὰ τῶν ὤτων. *Aures tradidit*, eodem sensu dictum quo supra, *Adamum nondum aures debentem Evæ.* Rig.

(d) *Ut Hermotimum, qui Clazomenii*, etc. Plinius, lib. VII cap. 52, Hermotimum Clazomenium nominat, verum Plutarchus Hermodorum sustinuit lib. de Socratis dæmonio, ubi falsum esse ait Hermodori Clazomenii animam, relicto corpore, dies noctesque per loca plurima vagari solitam, iterum corpus repetisse. Urbs illa Clazomene quæ erat Ioniæ, dicta fuit olim Gryna, eratque ibi templum Apollinis oraculo longe celeberrimum ; unde Apollo Grynæus. Le Pr.

(e) *Ut Orpheum.* Illustris est Orpheus, qui a Græcis Œagri et Calliopes filius censetur :

Ὀρφεὺς Καλλιόπης τε καὶ Οἰαγροῦ φίλα τοῦτο.

Atque idem ait Apollonius Rhod. lib. I, *Argonaut.*

. . . . Τὸν ῥά ποτ' αὐτῇ
Καλλιόπῃ θρῇκι φατίζεται ἐννησθῆναι
Οἰαγρῷ.

An idem sit ille cujus opuscula habemus, vehementer dubito. Le Pr.

(f) *Ut Musæum.* De Musæo illo late Meursius lib. II, *lect. antiq.*, plurimosque hoc in loco recenset. Eumolpi filius fuit, et Orphei discipulus. Claruit Athenis, et σύγγραμμα habuit Linum apud Thebanos. Le Pr.

(g) *Pherecydem, Pythagoræ magistrum.* Mirum grati animi testimonium Pythagoræ erga Pherecydem narrat Jamblichus, lib. *de vita Pythagoræ.* Cum enim phthiriasi seu morbo pediculari laboraret, ex Italia in insulam Delum solvit Pythagoras ut eum curaret, atque apud eum mansit donec mortuo parentasset. Le Pr.

(h) *Apostatarum spirituum.* Angelos innuit qui de cœlo ad filias hominum ruerunt, ut ipse ait lib. XI, de Cultu fem. Iren. lib. I, cap. 2, dixit Spiritalia nequitiæ, et Angelos transgressos atque apostatas factos. Rig.

(i) *Ut prope sit exclusa veritas a philosophia.* Quasi fascinaret veritatem intuitus et acumen humanum, et rationibus ex industria nostra fugaretur, velut excludantur spiritus magicis veneficiis, aut quia præsumptio propriæ ratiocinationis venenum sit ad perdendam veritatem. Lac.

(j) *Medicinam inspexi sororem, ut aiunt, Philosophiæ.* Hanc disputationem de anima ut propriam suæ speculationi tractarunt medicorum principes : citat aliquos Auctor in hoc opere. Nam licet considerationis animæ ad Philosophos spectet, jure cognationis inter medicinam et philosophiam, Medici usurpant. Multi citant Aristotelem, Platonem, et Galenum dixisse, philosophiam et medicinam sorores esse : alteram animi, alteram corporis conservatricem. Certissime

latius disputantur præsumpta. Quanta difficultas probandi, tanta operositas suadendi : ut merito (*a*) Heraclitus ille tenebrosus vastiores caligines animadvertens apud examinatores animæ, tædio quæstionum pronuntiarit, terminos animæ nequaquam invenisse omnem viam ingrediendo. Christiano autem paucis ad scientiam hujus rei opus est : nam et certa semper in paucis ; et amplius illi quærere non licet, quam quod inveniri licet ; infinitas enim quæstiones Apostolus prohibet. Porro non amplius inveniri licet, quam quod a Deo discitur ; quod autem a Deo discitur, totum est.

CAPUT III.

Atque utinam nullas hæreses oportuisset existere, ut probabiles quique emicarent (I *Cor.* II, 19), nihil omnino cum philosophis super anima quoque experiremur, patriarchis, ut ita dixerim, hæreticorum. (*b*) Siquidem et ab Apostolo jam tunc philosophia concussio veritatis providebatur (1). Athenis enim expertus linguatam civitatem, cum omnes illic (2) sapientiæ atque facundiæ caupones degustasset, inde concepit præmonitorium illud edictum. Proinde enim et animæ ratio, per philosophatas doctrinas hominum miscentes aquas vino. (*c*) Alii immortalem negant animam, alii plusquam immortalem affirmant : alii de substantia, alii de forma, alii de unaquaque dispositione disceptant : hi statum ejus aliunde ducunt, hi exitum aliorsum abducunt, prout aut Platonis honor, aut Zenonis vigor (3), aut Aristotelis tenor, aut Epicuri stupor, aut Heracliti mœror, aut Empedoclis furor persuaserunt. Deliquit, opinor, divina doctrina, ex Judæa potius quam ex Græcia oriens. Erravit et Christus, piscatores citius quam sophistas ad præconium emittens. Si qua igitur in hunc modum de nidoribus philosophiæ candidum et purum aerem veritatis infuscant, ea erunt Christianis emunctionibus, et percutientibus argumentationes originales, id est philosophicas, et opponentibus definitiones cœlestes, id est dominicas : ut et illa quibus ethnici a philosophia capiuntur, destruantur, et hæc quibus fideles ab hæresi concutiuntur, retundantur. Una jam congressionne decisa adversus Hermogenem, ut præfati sumus ; quia animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus ; munitis et illic divinæ determinationis inobscurabili regula : *Et flavit*, inquit, *Deus flatum vitæ in faciem hominis, et factus est homo in animam vivam*, utique ex Dei flatu : de isto nihil amplius revolvendum : Habet suum titulum, et suum hæreticum. Cæteris hinc exordium inducam.

CAPUT IV.

Post definitionem census, quæstionem status patitur. Consequens enim est, ut ex Dei flatu animam professi, initium ei deputemus (4). (*d*) Hoc Plato excludit, innatam et infectam animam volens ; et natam autem docemus, et factam, ex initii constitutione. Nec statim erravimus, utrumque dicentes ; quia scilicet aliud sit natum, aliud factum ; utpote illud animalibus competens. Differentiæ autem, sua habendo loca et tempora, habent aliquando et passivitatis commercia. (*e*) Capit itaque et facturam dici generari, pro in esse poni, siquidem omne quod quoquo modo accipit esse, generatur. Nam et factor ipse parens facti potest dici ; sic et Plato utitur. Igitur quantum ad fidem nostram factæ natæve animæ, depulsa est philosophi opinio auctoritate prophetiæ quoque.

CAPUT V.

Accerserit (*f*) Eubulum aliquem et (*g*) Critolaum et (*h*) Xenocratem, et isto in loco amicum Platonis Ari-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prævidebatur *Seml.*
(2) Illis *Fran.*
(3) Rigor *Jun.*
(4) Deputaremus *Pam.*

COMMENTARIUS.

id dixit Joannes Alex. in commentariis in lib. hæreseon. Sed inter vetustiores id invenio scripsisse Democritum epistola ad Hippocratem. Lac.

(a) *Heraclitus ille tenebrosus.* Haud absimiliter B. Hieronymus initio lib. I. adv. Jovinianum, Heraclitum vocat σκοτεινόν, quem sudantes philosophi vix intelligunt. Ipse enim Laertio teste de industria librum suum de Natura, obscurius scripsit, ut soli illum eruditi legerent : unde et Craten quemdam, cum illum librum Græcis inveheret, dixisse : Delio aliquo natatore opus esse, qui in illo non suffocaretur. Pam.

(b) *Siquidem et ab Apostolo*, etc. Nullam hic certam scripturam citat, sed alludit ad illud Coloss. II : *Ne quis vos deprædetur, seu concutiat per philosophiam.* Pam.

(c) *Alii immortalem negant animam, alii plusquam immortalem.* Quales erant Valentiniani, Sadducæi, Epicurus, Democritus et alii. Posterioribus verbis notantur Priscillianistæ, qui animas ejusdem cum deo substantiæ dicebant, et Gnostici qui deo coæternas asserebant. Quod etiam nugabantur Manichæi Gnosticorum discipuli, auctor est Epiphanius hær. 66. Le Pr.

(d) *Hoc Plato excludit.* Initium nempe animæ : ipse enim, in Phædro de immortalitate animæ disputans, quemadmodum a Cicerone translatus est Tusc. q. 1. et Repub. lib. VI, sic inquit : Si una est ex omnibus anima quæ scipsam moveat, atque adeo principium motus sibi ipsi sit, neque nata certe, et æterna est. Neque enim esset id principium, quod oriretur aliunde. Pam.

(e) *Capit itaque et facturam dici generari, pro in esse poni.* Capit, hoc est, licet, fas est. Facturam de anima dicit, quod alias diceret Creationem. Ric.

(f) *Eubulum aliquem.* Eubulus Alexandrinus fuit Pyrrhonianus, ut Laertius in Timone testatur, de quo scribit : Εὐρράνορος δὲ ἤκουσεν Εὔβουλος ἀλεξανδρεύς. *Euphranorem audivit Eubulus Alexandrinus.* Sed Suidas aliter scribit, Εὔβουλος Κήττιος ἀθηναῖος υἱὸς εὐρράνορος. *Eubulus, Kettius Atheniensis, Euphranoris filius.* Colligit hic Auctor per gradationem classes philosophorum, qui animam incorporalem fecerunt. Lac.

(g) *Critolaum.* Critolaus Phaselites fuit auditor Lyconis et peripateticus, ut hoc eodem capite dicetur. Neque puto duplicis Critolai hic meminisse Tertullianum, ut mox videbimus ; sed unius tantum, qui animam putabat instar puncti incorpoream esse, ut Marsilius Ficinus confirmat. Meminit Tullius lib. V Tusc Critolai et Xenocratis, quorum de virtute testimonia citat. Lac.

(h) *Xenocratem.* Hic fuit Platonis discipulus, teste

stotelem. Fortassean extruentur magis ad auferendam animæ corpulentiam, si non alios e contrario inspexerint, et quidem plures corpus animæ vindicantes, nec illos dico solos qui eam de manifestis corporalibus effingunt, ut Hipparchus et Heraclitus ex igni, ut Hippon et Thales ex aqua, ut Empedocles et Critias ex sanguine, ut Epicurus ex atomis, (*a*) si et atomi corpulentias de coitu suo cogunt, ut Critolaüs, et peripatetici ejus, ex quinta nescio qua substantia, si et illa corpus, quia corpora includit; sed etiam Stoicos allego, qui spiritum prædicantes animam, pene nobiscum, qua proxima inter se flatus et spiritus, tamen corpus animam facile persuadebunt. Denique Zeno consitum spiritum definiens animam, hoc modo instruit: Quo, inquit, digresso animal emoritur, corpus est; consito autem spiritu digresso, animal emoritur; ergo consitus spiritus corpus est: consitus autem spiritus anima est; ergo corpus est anima. Vult et Cleanthes non solum corporis lineamentis, sed et animæ notis similitudinem parentibus in filios respondere, de speculo scilicet morum et ingeniorum et affectuum: corporis autem similitudinem et dissimilitudinem capere et animam: itaque corpus similitudini vel dissimilitudini obnoxium. Item corporalium et incorporalium passiones inter se non communicare. Porro et animam compati corpori, cui læso ictibus, vulneribus, ulceribus condolescit; et corpus animæ, cui afflictæ cura, angore, amore, cœgrescit (1), per detrimentum scilicet vigoris, cujus pudorem et pavorem rubore atque pallore testetur. Igitur anima corpus, ex corporalium passionum communione. Sed et Chrysippus manum ei porrigit, constituens corporalia ab incorporalibus derelinqui omnino non posse, quia nec contingantur ab eis; (*b*) unde et Lucretius:

Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res;

derelicto autem corpore ab anima, affici morte. Igitur corpus anima, quæ, nisi corporalis, corpus non derelinqueret.

CAPUT VI.

Hæc Platonici, subtilitate potius quam veritate, conturbant. Omne, inquiunt, corpus, aut animale sit necesse est, aut inanimale. Et siquidem inanimale est, extrinsecus movebitur; si vero animale, intrinsecus. Anima autem nec intrinsecus movebitur, ut quæ non sit inanimalis; nec extrinsecus, ut quæ ipsa potius moveat corpus. Itaque non videri eam corpus, (*c*) quæ non corporalium forma (*d*) ex aliqua regione moveatur. Ad hoc nos mirabimur incongruentiam primo definitionis provocantis ad ea quæ in animam non conveniunt (*e*). Non enim potest anima animale corpus dici, aut inanimale; cum ipsa sit quæ aut faciat corpus animale, si adsit; aut inanimale, si absit ab illo. Itaque quod facit, non potest esse ipsa, ut dicatur animale vel inanimale. Anima enim dicitur substantiæ suæ nomine. Quod si non capit animale corpus dici aut inanimale quod est anima, quomodo provocabitur ad animalium et inanimalium corporum formam? Dehinc, si corporis est moveri extrinsecus ab aliquo; ostendimus autem supra moveri animam et ab alio cum vaticinatur, (2) cum furit, uti ;ne extrinsecus, cum ab alio: merito quod movebitur extrinsecus ab alio, secundum exempli propositionem, corpus agnoscam. Enimvero, si ab alio moveri corporis est, quanto magis movere aliud? Anima autem movet corpus, et conatus ejus extrinsecus, foris parent. Ab illa est enim impingi et pedes in incessum, et manus in contactum, et oculos in conspectum, et linguam in effatum, velut (*f*) sigillario motu superficiem intus agitante. Unde hæc vis (3) incorporalis animæ? unde vacuæ rei solida propellere? Sed quomodo divisi videntur in homine sensus corporales et intellectuales? Corporalium aiunt rerum nalitates, ut terræ (4), ut ignis, corporalibus sensibus renuntiari, ut tactu, ut visu (5): incorporalium vero intellectualibus conveniri, ut benignitatis, vel malignitatis. Itaque incorporalem esse animam constat, cujus qualitates non corporalibus, sed intellectualibus sensibus comprehendantur. Plane, si non hujus definitionis gradum exclusero. Ecce enim, incorporalia ostendo corporalibus sensibus subjici, sonum auditui, colorem conspectui, odorem odoratui: quorum exemplo etiam anima corpori accedit, ne dicas idcirco ea per corpo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Congrescit *Lat.*
(2) Moveri animam et ab alio; cum vaticinatur, cum furit, utique extrinsecus ab alio, etc. *Jun.*
(3) Visio *Rhen. Semi. Oberth.*
(4) Terra *Par.*
(5) Tactui... visui *Rhen. et alii.*

COMMENTARIUS.

Laertio. Dedit ejus sententiam de anima Tullius lib. I Tusc. *Xenocrates animi figuram, et quasi corpus esse negavit, verum numerum dixit esse, cujus vis, ut jam ante Pythagoræ visum erat, in natura maxima esset,* et lib. IV Acad. *An, ut Xenocrates, mens nullo corpore?* Aristoteles, lib. I *de anima*, cap. II et IV, meminit ejus placiti. Lac.

(a) *Si et atomi corpulentias de coitu suo cogunt.* Atomos Quintilianus lib. X. Instit. dixit *Figuras.* Ric.

(b) *Unde Lucretius* Epicuri sectator Lucretius lib I, *de Rerum Natura*, magistri ad exemplum, probat res illas esse corporeas quæ ad sensus usque perveniunt, ut odores, calor, frigus, voces. Hunc delirasse ait Lactantius, cap. VI, *de Opific.* et contra eum disputat lib. VII, *Instit. div.* Le Pr.

(c) *Quæ non corporalium formæ.* Hoc est, rerum corporalium lege, natura. Ric.

(d) *Ex aliqua regione moveatur.* Hoc est, *aliquo regente.* Ric.

(e) *Non enim potest anima*, etc. Inter propositiones contradictorias medium statuit Septimius; quod est tamen Aristotelicæ doctrinæ minus congruens. Neque enim Platonici male argumentari in hoc mihi videntur. *Omne corpus*, etc. Ric.

(f) *Sigillario motu.* Si legeremus *singulari motu*, veluti privato, quid inde accideret? Sed *sigillario* si retinemus, motum interiorem dicemus seu automatum, qui artificio quodam et virtute organica perficitur. Sigillaria iconcula et exiguas Deorum imagines fuisse notum est, unde Arnobius lib. VI: *Quinimo Deos esse sigillaria ipsa censetis.* Le Pr.

rales renuntiari sensus (1), quia corporalibus accedant. Igitur si constat incorporalia quoque a corporalibus comprehendi, cur non et anima, quæ corporalis, ab incorporalibus renuntietur? Certe definitio exclusa sit. De insignioribus argumentationibus erit etiam illa, quod omne corpus corporalibus ali judicant; animam vero ut incorporalem, incorporalibus, sapientiæ scilicet studiis. Sed nec hic gradus stabit, etiam (*a*) Soranο methodicæ medicinæ instructissimo auctore respondente animam corporalibus quoque ali; (*b*) denique, deficientem eam cibo plerumque fulciri. Quidni, quo adempto, in totum dilabitur ex corpore? Ita etiam ipse Soranus plenissime super anima commentatus quatuor voluminibus, et cum omnibus philosophorum sententiis expertus, corporalem animæ substantiam vindicat, etsi illam immortalitate fraudavit. Non enim omnium est credere, quod Christianorum est. Sicut ergo Soranus ipse rebus ostendit animam corporalibus ali, proinde et philosophus exhibeat illam incorporalibus pasci. Sed nemo unquam cunctanti de exitu animæ mulsam aquam de eloquio Platonis infudit; aut (b) micas de minutiloquio Aristotelis insersit. Quid autem facient tot ac tantæ animæ (*d*) rupicum et barbarorum (2), quibus alimenta sapientiæ desunt, tamen indoctæ (3) prudentia pollent, et sine academiis et porticibus atticis, et carceribus Socratis, denique jejunantes philosophia (4), nihilominus vivunt. Non enim substantiæ ipsi alimenta proficiunt studiorum, A sed disciplinæ; quia nec opimiorem animam efficiunt, sed ornatiorem. Bene autem, quod et artes Stoici corporales adfirmant. Adeo sic quoque anima corporalis, si et artibus ali creditur. Sed enormis inventio philosophiæ solet plerumque nec prospicere pro pedibus: (*e*) sic Thales in puteum. Solet et, sententias non intelligendo, valetudinis corruptelam suspicari: (*f*) ic Chrysippus ad elleborum. Tale aliquid, opinor, ei accidit, cum duo in unum (5) corpora negavit, alienatus (6) a prospectu et recogitatu prægnantium, quæ non singula quotidie corpora, sed et bina et terna (7) in unius uteri ambitu perferunt (8). (*g*) Invenitur etiam (*h*) in jure civili græca quædam quinionem enixa filiorum, semel omnium mater, unici fœtus parens multiplex, (*i*) unici uteri puerpera numerosa, quæ tot stipata corporibus, pene dixerim B populo, sextum ipsa corpus fuit. (*j*) Universa conditio testabitur, corpora de corporibus processura jam illic esse, unde procedunt: secundum sit necesse est, quod ex alio est: nihil porro ex alio est, nisi dum gignitur: sed tunc (9) duo sunt.

CAPUT VII.

Quantum ad philosophos, satis hæc; quia quantum ad nostros, ex abundanti, quibus corporalitas animæ in ipso Evangelio relucebit. Dolet apud inferos anima cujusdam, punitur in flamma, et cruciatur in lingua, et de digito animæ felicioris implorat solatium roris. (*k*) Imaginem existimas exitum illum pauperis lætæ vis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Censum *Par.*
(2) Baronum *Rig. Ven.*
(3) Indocta *nhen. Seml. Oberth.*
(4) A philosophia *apud eosd.*
(5) Duo unum corpora *Rig.*
C (6) Alienata *Jun.* alienate *Rhen.*
(7) Terrena *Par.*
(8) Præferunt *Par.*
(9) Sed tunc *abest Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) *Soranο methodicæ medicinæ instruct.* Fuit hic Soranus Ephesius, ut docet Suidas, Menandri et Phœbes filius ἰατρεύσας ἐπὶ Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέων *qui medicinam fecit imp. Trajano et Adriano.* Plurima volumina composuit, quæ citat Suidas, atque etiam exstant hodie fragmenta excusa olim ab Hadriano Turnebo: quibus adde Isagogen medendi cum Plinii, Oribasii, et Apulcii opusculis referri. Soranos duos extitisse constat, seniorem et juniorem, ambo vero de affectionibus mulierum scripserunt. Supposititia esse fragmenta Sorani medici pro Cleopatra quilibet fatetur. Hæc quoniam turpitudinem attingunt, exposuit rei Venereæ diligens scrutator Scioppus. Le Pr.

(b) *Denique deficientem eam cibo plerumque fulciri.* Horatius:

Protinus accedat stomacho fultura ruenti.

Rig.

(c) *Micas de minutiloquio Aristotelis insersit.* Micas et minutiloquium dicit λεπτολογίαν, scribendi genus subtile, concisum, quale est Aristotelis. Irenæus, lib. XI, ubi adversus Valentinianos dixerat: *Et minutiloquium autem, et subtilitatem circa quæstiones, cum sit aristotelicum, inferre Fidei conantur.* Unde etiam noster Septimius, supra *de Prescr. Hær. Miserum Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi ac destruendi, versipellem in sententiis*, etc. Glossæ veteres, λεπτότης ἐπὶ πράγματος, *subtilitas.* Rig.

(d) *Barbarorum rupicum et baronum.* Placuit Pithœo; ex Luciliano versu:

Baronum et rupicum squalosa incondita rostra.

At in codice Agobardi legitur, *Barbarorum.* Rig.

(e) *Sic Thales in puteum.* Laertius εἰς βόθρον. Rig.

(f) *Sic Chrysippus ad elleborum.* Lucianus. ἑαυτὸν ἐλλεβορίζει. Rig.

(g) *Invenitur etiam in jure civili græca quædam quinionem enixa.* Non arbitror Septimium hoc habere ex Julio Paulo, cum is diversum numero fœtum referat, lib. III. Si pars hered. peta., nimirum quinquies quaternos enixam in Peloponeso. In cujus numeri mentione Paulus a Plinio discrepat. Etenim in VII. *Nat. hist.* sic legimus: *Reperitur et in Peloponeso quinos quater enixa.* Quod ex Aristotele sumptum esse minime adfirmaverim, quamvis dixerit, ἐν Πελοποννήσῳ πεντάκις τὰ πολλὰ αὐτὸν ἐγκύμονα. Etenim Peloponnesi non meminit. Sed et Strabo etiam ex eodem Aristotele aliter narrat, in XV; aliter Agellius in X. Denique Aristoteles ipse, libro quem supra citavimus, eadem de re alio se loco dixisse commemorat, qui locus hodie non apparet. Gaius lib. I *Fideicommissor.* ut refertur in lib. III De reb. dubiis, et Julianus lib. XXXVI De solutionib. idem omnino de alexandrina muliere tradunt, quod hic Septimius noster de græca. Rig.

(h) *In jure civili.* In Jurisconsultorum libris, quos ita citare solent etiam veteres grammatici. Auctor Quæst. CXV: *Legitur namque cautum in quodam juris libello aliquando mulierem quinque peperisse.* Rig.

(i) *Unius uteri puerpera numerosa, quæ tot stipata corporibus, pene dixerim populo.* Sic Manilius Astron. I. de tergeminis Horatiis dixit, *Tota acies partus.* — Nam ita legendum exemplaria testantur. Rig.

(j) *Universa conditio.* Quidquid a Deo conditum creatumque est. Rig.

(k) *Imaginem existimas.* Parabolam. Rig.

et divitis mœrentis? (*a*) Et quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est? Sed etsi imago credenda est, testimonium erit veritatis. Si enim non haberet anima corpus, non caperet imago animæ imaginem corporis: nec mentiretur de corporalibus membris Scriptura, si non erant. Quid est autem illud quod ad inferna transfertur post divortium corporis? quod detinetur? quod in diem judicii reservatur? ad quod et Christus moriendo descendit? puto ad animas Patriarcharum. Sed quamobrem, si nihil anima sub terris? (*b*) Nihil enim, si non corpus: incorporalitas enim ab omni genere custodiæ libera est, immunis a pœna et a fovea. Per quod enim punitur aut fovetur, hoc erit corpus; reddam de isto plenius et opportunius. Igitur si quid tormenti sive solatii anima præcepit (1) in carcere seu diversorio inferum, in igni, vel in sinu Abrahæ, probata erit corporalitas animæ. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod (2) pati possit: aut si habet, hoc erit corpus. In quantum enim omne corporale, passibile est; in tantum, quod passibile est, corporale est.

CAPUT VIII.

(*c*) Abruptam alioquin et absurdum, idcirco quid de corporalium eximere censu, quia cæteris corporalibus exemplis non adæquet; ubi proprietatum privata discrimina, per quæ magnificentia auctoris ex operum eorumdem diversitate signatur; ut sint tam discreta quam paria, tam amica quam et æmula. Siquidem et ipsi philosophi ex contrariis universa constare condicunt, (*d*) secundum amicitiam et inimicitiam Empedoclis. Sic igitur etsi corporalia incorporalibus objacent, ipsa quoque inter se differunt, ut differentia species eorum ampliet, non genus mutet: ut sint corporalia, sic multa in Dei gloriam (3), dum varia; sic varia, dum diversa; dum his alii qualitatum sensus, alii illis; dum Iris alia alimenta, alia illis; dum hæc invisibilia, illa visibilia; dum hæc gravia, illa levia. Aiunt enim et idcirco animam incorporalem renuntiandam, quia, digressa ea, graviora efficiantur corpora defunctorum, cum leviora esse deberent, unius corporis pondere exempto, si anima corpus. Quid enim, inquit Soranus, si mare negent corpus, quia extra mare immobilis et gravis navis efficitur? Quanto ergo validius corpus animæ, quod tanti postea ponderis corpus levissima mobilitate circumfert? Cæterum est (4) invisibilis anima, et pro conditione corporis sui, et pro proprietate substantiæ, et pro natura etiam eorum quibus invisibilis esse sortita est. Solem noctuæ nesciunt oculi; aquilæ ita sustinent, ut natorum suorum generositatem de pupillarum audacia judicent: alioqui non educabunt, ut degenerem, quem solis radius averterit. Est adeo alteri quid invisibile, alteri non, quod non ideo incorporale sit, quia non ex æquo vis (5) valet. Sol enim corpus, siquidem ignis; sed quod aquila conflicatur, neget noctua; non tamen præjudicans aquilæ: tantumdem et animæ corpus invisibile carni si forte, spiritus vero visibile: sic Joannes, in spiritu Dei factus, animas martyrum conspicit (*Apoc.* VI, 20).

CAPUT IX.

Cum (*e*) animæ corpus adserimus (*f*) propriæ quali-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præcepit *Rig. Ven.*
(2) Per *omit. Ven.*
(3) In Dei gloria *Rhen.*
(4) Etsi invisibilis *Rhen. Sem!. Oberth Jun. Mavult.* Etsi invisibilis anima : at pro conditione.
(5) Visus *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et quid Lazari nomen* In cod. Agobardi legitur, *Elazri*. Cæterum eodem ex historia Lazari argumento Irenæus, circa corporeum quemdam animæ habitum ejusdem cum Septimio nostro sententiæ esse videtur lib. II, cap. LXII et LXIII. Et tamen solus vapulat Septimius. Credo, quod eloquio disertiore notabilem se fecit. Rig. — Perperam hic Irenæo tribuitur error, quo Tertullianus sibi effingit animabus inhærescere quamdam corporis delineationem, umbratilesque sensus ac colores aerios; voluit tantum Irenæus, idemque et multi posterum volunt inesse in mentibus humanis, etiam in cœlo degentibus, certos quosdam caracteres et certum quemdam ordinem corpori superstitem, quibus ab aliis spiritibus, nempe ab angelis animæ humanæ di tinguantur. Idipsum est quod vocat Irenæus *characterem corporis et hominis figuram*. Hæc fusius D. Massuet ad loc. citat. ac præsertim in dissert. sua III, art. XI. Edd.

(b) *Nihil enim anima, si non corpus.* Augustinus notat: *Denique Tertullianus corpus animam esse credidit, non ob aliud, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit ne nihil esset, si corpus*, etc. Libro X, *de Genesi* ad lit. sub finem. Rig.

(c) *Abruptum alioquin et absurdum, idcirco quid de corporalium eximere censu, quia cæteris corporalibus exemplis non adæquet, ubi proprietatem privatu discrimina.* Est quod miremur Augustinum post hæc verba Septimio nostro nihilominus acerbe succensere: *Quia sane*, inquit, *quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam loco : Omne corporale passibile est? Debuit ergo mutare sententiam, qua paulo superius dixerat etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet.* Profecto enim hoc voluit Septimius, animas quidem, ac Deum ipsum esse corpora, sed corpora sui generis, hoc est, cum suarum proprietatum privato discrimine. Quo sane significavit talia se corpora intelligere, quæ nec animæ dignitati, nec majestati divinæ quicquam officiant. Itaque nec propterea Dei naturam esse passibilem, quamvis propterea sit animæ natura passibilis. Etenim esse animæ corpus sui generis per quod patiatur; esse autem Deo quo pue corpus sui generis, hoc est divini, adeoque passionis expers. Rig.

(d) *Secundum amicitiam et inimicitiam Empedoclis.* Empedoclis versus hac de re sic habent:

Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα,
Ἄλλοτε δ' αὖθ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει. Rig.

(b) *Cum animæ corpus adserimus.* Ex præcedentium capitum absurda suppositione de corporalitate animæ, trahitur in aliud absurdum: instar annulorum catenatu veniunt omnia ad unius lationem; probat deinceps effigiem esse animæ corporalem. Rig.

(c) *Propriæ qualitatis et sui generis.* Plinius, etsi

tatis et (a) sui generis, jam hæc conditio proprietatis (b) de cæteris accidentibus corpulentiæ præjudicavit, aut hæc adesse ei quam corpus ostendimus (1), sed et ipsa sui generis, pro corporis proprietate; aut et si non adsint, hoc esse proprietatis, non adesse corpori animæ, quæ corporibus cæteris adsint. Et tamen non inconstanter profitebimur, solemniora quæque, et omnimode debita corpulentiæ, adesse animæ quoque, ut habitum, ut terminum, ut illud trifariam distantivum (2), longitudinem dico, et latitudinem, et sublimitatem, quibus metantur corpora philosophi. (c) Quid nunc, quod et effigiem animæ damus, (d) Platone nolente, quasi periclitetur de animæ immortalitate? Omne enim effigiatum compositum et structile affirmat: dissolubile autem, omne compositilium et structile: sed animam immortalem: igitur indissolubilem, qua immortalem, et ineffigiatam, qua (3) indissolubilem. Cæterum compositilium et structilem, si effigiatam; tanquam alio eam modo effigians intellectualibus formis, pulchram justitia et disciplinis philosophiæ, deformem vero contrariis artibus. Sed nos corporales quoque illi inscribimus lineas, non tantum ex fiducia corporalitatis per æstimationem, verum et (e) ex constantia gratiæ per revelationem. (f) Nam quia spiritalia charismata agnoscimus, post Joannem quoque prophetiam meruimus consequi. (g) Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in ecclesia inter dominica solemnia per ecstasin A in spiritu patitur; conversatur cum angelis, aliquando etiam cum Domino, (h) et videt et audit sacramenta, (i) et quorumdam corda dignoscit, et medicinas desiderantibus submittit (4). Jam vero, prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut (k) allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus subministrantur. Forte nescio quid de anima disseruerameus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solemnia, dimissa plebe, quo usu solet nobis renuntiare quæ viderit (nam et diligentissime digeruntur, ut etiam probentur): Inter cætera inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, et spiritus videbatur, sed non inanis et vacuæ qualitatis, imo quæ etiam teneri repromitteret, tenera, et lucida, et aerei coloris (5), et forma per omnia humana. B Hoc visio, (6) et Deus testis, et Apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor; tu, nec si (7) res ipsa de singulis persuaserit, (8) credas! Si enim corpus anima, sine dubio inter illa quæ supra sumus professi. Proinde et coloris proprietas omni corpori adhæret; quem igitur alium animæ æstimabis colorem, quam aerium ac lucidum? Non ut aer sit ipsa substantia ejus, etsi hoc Ænesidemo visum est et Anaximeni, puto secundum quosdam, et Heraclito; nec ut lumen, etsi hoc placuit pontico Heraclidi. Nam et cerauneis gemmis non ideo substantia ignita est, quod coruscent rutilato rubore; nec beryllis ideo aquosa materia est, quod fluctuent colato nitore.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qua corpus ostendamus *Rhen. Pam. et alii.*
(2) Distentivum *V. C. Wouw.* distinctivum *vel* distantivum *Lat.* distantium longitudinem, latitudinem et sublimitatem *Cod. Agobard.*
(3) Quam immortalem—quam indissolubilem *Rhen. et alii.* C
(4) Sumit *Par.*
(5) Ætherii coloris *Par.* et aerii coloris *Jun. mavult.*
(6) Hoc visio *delent Rhen.* hæc visio est *Pam.*
(7) Nisi *Pam.*
(8) Ne *inser. Pam.*

COMMENTARIUS.

non optimus harum rerum doctor, postquam de Deo dixit, *Totus est sensus, totus est visus, totus auditus, totus animæ, totus animi*; addidit, *totus sui.* Rig.

(a) *Corpus sui generis.* Sic etiam loquitur lib. *de Car. Chr.* Rig.

(b) *De cæteris accidentibus corpulentiæ præjudicavit.* Sæpe in suo significatu, utitur verbo *præjudico.* pro, judicium prævium dare, aut præmonstrare. Sensus hujus clausulæ est: conditio proprietatis corporeæ jam erit conspicuum quoddam indicium ad judicandum de cæteris corpulentiæ accidentibus. Lac.

(c) *Quid nunc, quod et effigiem animæ damus.* Irenæus lib 11. *Hominis figuram*; et, *Characterem corporis in quo adoptatur.* Lac.

(d) *Platone nolente.* Platonis verba citat Clemens Alex. lib. V, *Strom.* Plato in *Phædone* fecit animam expertem totius figuræ et coloris: neque enim cum effigie constare poterat incorporalitas animæ, neque cum incorporalitate immortalitas, quam ibi fulcit, et probat sub Socratis persona. In *Timæo* quoque dicit substantiam simplicem, facultatibus multiplicem, et tanquam tabulam rasam, quod docuit Aristoteles, et præcipue eo opere, quo cum Platone maxime sentit, *de divina sapientia secundum Ægyptios* lib. II, cap. III, et Alcinous in *instit. Plat.* Lac.

(e) *Ex constantia gratiæ.* Constantiam gratiæ dicit, gratiam de qua certissime constat. Rig.

(f) *Nam quia spiritualia charismata agnoscimus.* Horum meminit etiam Irenæus lib. v, cap. 8, ubi perfectos interpretatur eos qui perceperunt Spiritum Dei, et omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei: *Quemadmodum*, inquit, *et multos audivimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata, et per Spiritum universis linguis loquentes.* Rig.

(g) *Est hodie soror apud nos.* Existimavit Jac. Pamelius sororem hanc fuisse Priscillam: quod respuit, post Junium, Lacerda. Putavit Junius revelationes illas a Deo non esse, sed phantasma laborantis melancholiæ, aut illudentis dæmonis: quod rejecit quoque Lacerda. Loqui videtur de sorore seu privata persona; erat tamen publica Priscilla, ex quo sacerdotium et docendi munus assumpsit, ut Lib. *de Præscrip.* habetur. Revelatio item cordium, et morborum curatio suadent, ea non contigisse melancholiæ vitio. Le Pr. D

(h) *Et videt et audit sacramenta.* Parabolas, ænigmata, figuras, mysteria; cujusmodi sunt quæ ostenduntur aut suggeruntur per somnia, quibus Dei voluntas significatur sive aperitur. Sic lib. *de Jejuniis*, *agnitionem sacramentorum* dixit a Deo tributam Danieli somniorum interpretandorum peritiam. Et lib. 1 *adversus Marcionem*: *Leones aridæ et ardentis naturæ sacramenta*; hoc est, signa, figuras. — *Videt et audit sacramenta.* Mysteria. Audivit Paulus in illo sui raptu, ἄρρητα ῥήματα. Irenæus latine dixit, *Sermones inenarrabiles*, lib. v, cap. VII. Rig.

(i) *Et quorumdam corda dignoscit.* Quales perfecti illi apud Irenæum, loco supradicto, *absconsa hominum in manifestum producentes ac utilitatem*: τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἄγοντες ἐπὶ τῷ συμφέροντι: quæ verba leguntur apud Euseb. lib. v. cap. 7. Rig.

(k) *Adlocutiones proferuntur.* Ipse in Apolog. *Coimus ad litterarum divinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere*, etc. Rig.

Quanta enim et alia color sociat, natura dissociat! Sed quoniam omne tenue atque perlucidum aeris æmulum est, hoc erit anima, qua flatus est et spiritus tradux. Siquidem, præ ipsa tenuitatis subtilitate, de fide corporalitatis periclitatur. Sic et effigiem de sensu jam tuo concipe non aliam animæ humanæ deputandam præter humanum, et quidem ejus corporis quod unaquæque circumtulit. Hoc nos sapere interim primordii contemplatio inducat. Recogita enim, cum Deus *flasset in faciem hominis flatum vitæ, et factus esset homo in animam vivam*, totum utique per faciem statim flatum illum in interiora transmissum, et per universa corporis spatia diffusum, simulque divina aspiratione densatum, omni intus linea expressum esse, quam densatus impleverat, et velut in forma gelasse. Inde igitur et corpulentia animæ ex densatione solidata est, et effigies expressione formata. Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter unus: habens et ille oculos et aures suas, (*a*) quibus populus (1) Dominum audire et videre debuerat; habens et cæteros artus, per quos et in cogitatibus utitur, et in somniis (2) fungitur. Sic et diviti apud inferos lingua est, et pauperi digitus, et sinus Abrahæ. Per has lineas et animæ martyrum sub altari intelliguntur. A primordio enim in Adam concreta et configurata corpori anima, ut totius substantiæ, ita et conditionis istius semen effecit (3).

CAPUT X

Pertinet ad statum fidei, simplicem animam determinare, secundum Platonem, id est, uniformem dumtaxat substantiæ nomine. Viderint artes et disciplinæ, viderint et hæreses. Quidam enim volunt, aliam illi substantiam naturalem inesse, spiritum; quasi (*b*) aliud sit vivere, quod venit ab anima; aliud spirare, quod fiat a spiritu: nam et animalibus non omnibus utrumque adesse. Pleraque enim vivere solummodo, non etiam spirare, eo quod non habeant organa spiritus, pulmones et arterias. Quale est autem, in examinatione humanæ animæ, culicis atque formicæ argumenta respicere? quando et vitalia, pro cujusque generis dispositione, omnibus propria animalibus temperavit artifex Deus, ut nulla inde conjectura captanda sit. Nam neque homo, si pulmonibus et arteriis structus est, idcirco aliunde spirabit, aliunde vivet: neque formica, si membris hujusmodi careat, idcirco negabitur spirare, quasi solummodo vivens. Cui vero tantum patuit in Dei opera, ut alicui hæc deesse præsumpserit? (c) Herophilus ille, medicus aut lanius, qui sexcentos exsecuit ut naturam scrutaretur, qui hominem odiit ut nosset, nescio an omnia interna ejus liquido exploravit, ipsa morte mutante quæ vixerant, et morte non simplici, (*d*) sed ipsa inter artificia exsectionis errante. Philosophi pro certo renuntiaverunt, culicibus et formicis et tineis deesse pulmones et arterias. Dic mihi, inspector curiosissime, oculos habent ad videndum? Atquin et pergunt quo volunt, et vitant et adpetunt quæ videndo sciunt; designa oculos, denota pupulas. Sed et exedunt tineæ; demonstra mandibulas (3), deprome genuinos. Sed et personant culices, (*e*) ne in tenebris quidem aurium cæci: (*f*) tubam pariter et lanceam oris illius ostende. Quodvis animal, unius licet puncti, aliquo alatur necesse est; exhibe pabuli transmittendi, decoquendi, defæcandique membra. Quid ergo dicemus? Si per hæc vivitur, erunt hæc in omnibus utique quæ vivunt, etsi non videntur, etsi non adprehenduntur pro mediocritate: hoc magis credas, si (*g*) Deum recogites tantum artificem in modicis, quantum et in maximis. Si vero non putas capere tam minuta corpuscula Dei

LECTIONES VARIANTES.

(1) Paulus *V. C. Wouw.*
(2) Somnis *Rhen. Semi. Oberth. Pam.*
(3) Efficit *Pam.*
(4) Mandibula *alii*

COMMENTARIUS.

(a) *Quibus populus Dominum audire et videre debuerat.* Exemplar Agobardi, *Quibus populus dno. aud. et v. d.* Omnino legendum ex cod. Ful. Ursini, *Quibus Paulus Dominum audire et videre debuerat.* Innuit enim raptum illum Pauli cujus ipse Paulus meminit II ad Cor. cap. III, ubi se raptum fuisse ait in paradisum, sed ne-cire, εἴτε σώματος εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος. Septimii sententiam refellit Augustinus loco supra citato: *Ecce*, inquit, *quibus auribus et quibus oculis debuit audire et videre Deum Paulus, quibus anima in somniis fungitur. Cum si ipsum Tertullianum quisquam videret in somnis, nunquam se diceret ab eo visum; et cum eo locutum, quem vicissim ipse non vidisset*, etc. Qui locus, uti vulgo legitur, eodem laborat mendo, quo Septimianus. Etenim bis illic legitur *populus*, ubi legendum, *Paulus*. Ric

CAP. X.— (b) *Aliud sit vivere quod venit ab anima, aliud spirare quod fiat a spiritu.* Philosophis ratio ex respiratione sumpta magni fuit ponderis: distinguebant enim hoc pacto animam a spiritu, sive animam nihil aliud quam spiritum dicebant seu ventum. Anima quasi ἄνεμος secundum Isidorum lib. II *Orig.* Patribus non item placuit illa ratio, sed frivola visa est. Le Pn.

(c) *Herophilus ille, medicus aut lanius.* Anatomia, quæ et celebris magnoque in pretio fuit apud ethnicos, a veteribus Christianis odio quam maximo afficiebatur. Quamvis hic dictum lanium Herophilum constet, quod vivos homines dissecaret. Id autem solitos facere Erasistratum, Dioclem et Herophilum docet Claudius Gal. VIII *de plac.* et II *anat. admin.* Pœnituit sæculo proxime elapso virum eruditum et anatomicæ rei peritissimum Vesalium vivum hominem anatomia lacerasse, id enim christianum non sapit. Le Pn.

(d) *Sed ipsa inter artificia exsectionis errante.* Itaque etiam vivos Herophilus ille laniabat. Ric.

(e) *Ne in tenebris quidem aurium cæci.* Etiam in tenebris discernunt aures. Nam sunt præsertim auribus infesti. Has potissimum appetunt tubæ truculentæ spiculo. Ric.

(f) *Tubam pariter et lanceam.* Sic habet exemplar Agobardi. Antea legebatur, *hianceam*, depravatissime. Os culicis tuba est pariter et lancea. Plinius, XI, 2: *Qua subtilitate pennas adnexuit, prælongave pedum crura disposuit? ubi illam avidam sanguinis, et potissimum humani sitim accendit; telum vero perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio, ut fodiendo acuminatum pariter sorbendoque fistulosum esset?* Ric.

(g) *Deum recogites tantum artificem in modicis.* Sic decuit ad Naturæ Auctorem referre, quæ non nisi Naturæ tribuit Plinius. *Nusquam spectatiore*, inquit, *Naturæ artificio. In magnis siquidem corporibus, aut certe majoribus, facilis officina, sequaci materia, fuit. In*

tatis et (*a*) sui generis, jam hæc conditio proprietatis (*b*) de cæteris accidentibus corpulentiæ præjudicavit, aut hæc adesse ei quam corpus ostendimus (1), sed et ipsa sui generis, pro corporis proprietate; aut et si non adsint, hoc esse proprietatis, non adesse corpori animæ, quæ corporibus cæteris adsint. Et tamen non inconstanter profitebimur, solemniora quæque, et omnimode debita corpulentiæ, adesse animæ quoque, ut habitum, ut terminum, ut illud trifariam distantivum (2), longitudinem dico, et latitudinem, et sublimitatem, quibus metantur corpora philosophi. (*c*) Quid nunc, quod et effigiem animæ damus, (d) Platone nolente, quasi periclitetur de animæ immortalitate? Omne enim effigiatum compositum et structile affirmat: dissolubile autem, omne compositititium et structile: sed animam immortalem: igitur indissolubilem, qua immortalem, et ineffigiatam, qua (3) indissolubilem. Cæterum compositititiam et structilem, si effigiatam; tanquam alio eam modo effigians intellectualibus formis, pulchram justitia et disciplinis philosophiæ, deformem vero contrariis artibus. Sed nos corporales quoque illi inscribimus lineas, non tantum ex fiducia corporalitatis per æstimationem, verum et (*e*) ex constantia gratiæ per revelationem. (*f*) Nam quia spiritalia charismata agnoscimus, post Joannem quoque prophetiam meruimus consequi. (*g*) Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in ecclesia inter dominica solemnia per cestasin in spiritu patitur; conversatur cum angelis, aliquando etiam cum Domino, (*h*) et videt et audit sacramenta, (*i*) et quorumdam corda dignoscit, et medicinas desiderantibus submittit (4). Jam vero, prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut (*k*) adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus subministrantur. Forte nescio quid de anima disseruerameus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solemnia, dimissa plebe, quo usu solet nobis renuntiare quæ viderit (nam et diligentissime digeruntur, ut etiam probentur): Inter cætera inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, et spiritus videbatur, sed non inanis et vacuæ qualitatis, imo quæ etiam teneri repromitteret, tenera, et lucida, et aerei coloris (5), et forma per omnia humana. Hoc visio, (6) et Deus testis, et Apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor; tu, nec si (7) res ipsa de singulis persuaserit, (8) credas! Si enim corpus anima, sine dubio inter illa quæ supra sumus professi. Proinde et coloris proprietas omni corpori adhæret; quem igitur alium animæ æstimabis colorem, quam aerium ac lucidum? Non ut aer sit ipsa substantia ejus, etsi hoc Æneside mo visum est et Anaximeni, puto secundum quosdam, et Heraclito; nec ut lumen, etsi hoc placuit pontico Heraclidi. Nam et cerauneis gemmis non ideo substantia ignita est, quod coruscent rutilato rubore; nec beryllis ideo aquosa materia est, quod fluctuent colato nitore.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qua corpus ostendamus *Rhen. Pam. et alii.*
(2) Distentivum *V. C. Wouw.* distinctivum *vel* distantivum *Lat.* distantium longitudinem, latitudinem et sublimitatem *Cod. Agobard.*
(3) Quam immortalem—quam indissolubilem *Rhen. et alii.*
(4) Sumit *Par.*
(5) Ætherii coloris *Par.* et aerii coloris *Jun. mavult.*
(6) Hoc visio *delent Rhen.* hæc visio est *Pam.*
(7) Nisi *Pam.*
(8) Ne *inser. Pam.*

COMMENTARIUS.

non optimus harum rerum doctor, postquam de Deo dixit, *Totus est sensus, totus est visus, totus auditus, totus animæ, totus animi*; addidit, *totus sui.* Rig.

(a) *Corpus sui generis.* Sic etiam loquitur lib. *de Car. Chr.* Rig.

(b) *De cæteris accidentibus corpulentiæ præjudicavit.* Sæpe in suo significatu, utitur verbo *præjudico*, pro, judicium prævium dare, aut præmonstrare. Sensus hujus clausulæ est: conditio proprietatis corporeæ jam erit conspicuum quoddam indicium ad judicandum de cæteris corpulentiæ accidentibus. Lac.

(c) *Quid nunc, quod et effigiem animæ damus.* Irenæus lib 11. *Hominis figuram*; et, *Characterem corporis in quo adaptatur.* Lac.

(d) *Platone nolente.* Platonis verba citat Clemens Alex. lib. V, *Strom.* Plato in *Phædone* fecit animam expertem totius figuræ et coloris: neque enim cum effigie constare poterat incorporalitas animæ, neque cum incorporalitate immortalitas, quam ibi fulcit, et probat sub Socratis persona. In *Timæo* quoque dicit substantiam simplicem, facultatibus multiplicem, et tanquam tabulam rasam, quod docuit Aristoteles, et præcipue eo opere, quo cum Platone maxime sentit, *de divina sapientia secundum Ægyptios* lib. II, cap. III, et Alcinous in *instit. Plat.* Lac.

(e) *Ex constantia gratiæ.* Constantiam gratiæ dicit, gratiam de qua certissime constat. Rig.

(f) *Nam quia spiritualia charismata agnoscimus.* Horum meminit etiam Irenæus lib. v, cap. 8, ubi perfectos interpretatur eos qui perceperunt Spiritum Dei, et omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei: *Quemadmodum*, inquit, *et multos audivimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata, et per Spiritum universis linguis loquentes.* Rig.

(g) *Est hodie soror apud nos.* Existimavit Jac. Pamelius sororem hanc fuisse Priscillam: quod respuit, post Junium, Lacerda. Putavit Junius revelationes illas a Deo non esse, sed phantasma laborantis melancholiæ, aut illudentis dæmonis: quod rejecit quoque Lacerda. Loqui videtur de sorore seu privata persona; erat tamen publica Priscilla, ex quo sacerdotium et docendi munus assumpsit, ut Lib. *de Præscrip.* habetur. Revelatio item cordium, et morborum curatio suadent, ea non contigisse melancholiæ vitio. Le Pr.

(h) *Et videt et audit sacramenta.* Parabolas, ænigmata, figuras, mysteria; cujusmodi sunt quæ ostenduntur aut suggeruntur per somnia, quibus Dei voluntas significatur sive aperitur. Sic lib. *de Jejuniis*, *agnitionem sacramentorum* dixit a Deo tributam Danieli somniorum interpretandorum peritiam. Et lib. 1 *adversus Marcionem*: *Leones aridæ et ardentis naturæ sacramenta*; hoc est, signa, figuras. — *Videt et audit sacramenta.* Mysteria. Audivit Paulus in illo sui raptu, ἄρρητα ῥήματα. Irenæus latine dixit, *Sermones ineuarrabiles*, lib. v, cap. VIII. Rig.

(i) *Et quorumdam corda dignoscit.* Quales perfecti illi apud Irenæum, loco supradicto, *absconsa hominum in manifestum producentes ac utilitatem*: τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἄγοντες διὶ τὸ συμφέρον: quæ verba leguntur apud Euseb. lib. v. cap. 7. Rig.

(k) *Adlocutiones proferuntur.* Ipse in Apolog. *Commus ad litterarum divinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere*, etc. Rig.

Quanta enim et alia color sociat, natura dissociat! Sed quoniam omne tenue atque perlucidum aeris æmulum est, hoc erit anima, qua flatus est et spiritus tradux. Siquidem, præ ipsa tenuitatis subtilitate, de fide corporalitatis periclitatur. Sic et effigiem de sensu jam tuo concipe non aliam animæ humanæ deputandam præter humanam, et quidem ejus corporis quod unaquæque circumtulit. Hoc nos sapere interim primordii contemplatio inducat. Recogita enim, cum Deus *flasset in faciem hominis flatum vitæ, et factus esset homo in animam vivam*, totum utique per faciem statim flatum illum in interiora transmissum, et per universa corporis spatia diffusum, simulque divina aspiratione densatum, omni intus linea expressum esse, quam densatus impleverat, et velut in forma gelasse. Inde igitur et corpulentia animæ ex densatione solidata est, et effigies expressione formata. Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter unus: habens et ille oculos et aures suas, (*a*) quibus populus (1) Dominum audire et videre debuerat; habens et cæteros artus, per quos et in cogitatibus utitur, et in somniis (2) fungitur. Sic et diviti apud inferos lingua est, et pauperi digitus, et sinus Abrahæ. Per has lineas et animæ martyrum sub altari intelliguntur. A primordio enim in Adam concreta et configurata corpori anima, ut totius substantiæ, ita et conditionis istius semen effecit (3).

CAPUT X

Pertinet ad statum fidei, simplicem animam determinare, secundum Platonem, id est, uniformem dumtaxat substantiæ nomine. Viderint artes et disciplinæ, viderint et hæreses. Quidam enim volunt, aliam illi substantiam naturalem inesse, spiritum; quasi (*b*) aliud sit vivere, quod venit ab anima; aliud spirare, quod fiat a spiritu: nam et animalibus non omnibus utrumque adesse. Pleraque enim vivere solummodo, non etiam spirare, eo quod non habeant organa spiritus, pulmones et arterias. Quale est autem, in examinatione humanæ animæ, culicis atque formicæ argumenta respicere? quando et vitalia, pro cujusque generis dispositione, omnibus propria animalibus temperavit artifex Deus, ut nulla inde conjectura captanda sit. Nam neque homo, si pulmonibus et arteriis structus est, idcirco aliunde spirabit, aliunde vivet: neque formica, si membris hujusmodi careat, idcirco negabitur spirare, quasi solummodo vivens. Cui vero tantum patuit in Dei opera, ut alicui hæc deesse præsumpserit? (c) Herophilus ille, medicus aut lanius, qui sexcentos exsecuit ut naturam scrutaretur, qui hominem odiit ut nosset, nescio an omnia interna ejus liquido exploravit, ipsa morte mutante quæ vixerant, et morte non simplici, (*d*) sed ipsa inter artificia exsectionis errante. Philosophi pro certo renuntiaverunt, culicibus et formicis et tineis deesse pulmones et arterias. Dic mihi, inspector curiosissime, oculos habent ad videndum? Atquin et pergunt quo volunt, et vitant et adpetunt quæ videndo sciunt; designa oculos, denota pupulas. Sed et exedunt tineæ; demonstra mandibulas (3), deprome genuinos. Sed et personant culices, (*e*) ne in tenebris quidem aurium cæci: (*f*) tubam pariter et lanceam oris illius ostende. Quodvis animal, unius licet puncti, aliquo alatur necesse est; exhibe pabuli transmittendi, decoquendi, defæcandique membra. Quid ergo dicemus? Si per hæc vivitur, erunt hæc in omnibus utique quæ vivunt, etsi non videntur, etsi non adprehenduntur pro mediocritate: hoc magis credas, si (*g*) Deum recogites tantum artificem in modicis, quantum et in maximis. Si vero non putas capere tam minuta corpuscula Dei

LECTIONES VARIANTES.

(1) Paulus *V. C. Wouw.*
(2) Somnis *Rhen. Seml. Oberth. Pam.*
(3) Efficit *Pam.*
(4) Mandibula *alii*

COMMENTARIUS.

(a) *Quibus populus Dominum audire et videre debuerat.* Exemplar Agobardi, *Quibus populus dno. aud. et v. d.* Omnino legendum ex cod. Ful. Ursini, *Quibus Paulus Dominum audire et videre debuerat.* Innuit enim raptum illum Pauli cujus ipse Paulus meminit II ad Cor. cap. III, ubi se raptum fuisse ait in paradisum, sed ne cire, *εἴτε σώματι εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος*. Septimii sententiam refellit Augustinus loco supra citato: *Ecce*, inquit, *quibus auribus et quibus oculis debuit audire et videre Deum Paulus, quibus anima in somnis fungitur. Cum si ipsum Tertullianum quisquam videret in somnis, numquam se diceret ab eo visum; et cum eo locutum, quem vicissim ipse non vidisset*, etc. Qui locus, uti vulgo legitur, eodem laborat mendo, quo Septimianus. Etenim his illic legitur *populus*, ubi legendum, *Paulus*. Rig

CAP. X.— (b) *Aliud sit vivere quod venit ab anima, aliud spirare quod fiat a spiritu.* Philosophis ratio ex respiratione sumpta magni fuit ponderis: distinguebant enim hoc pacto animam a spiritu, sive animam nihil aliud quam spiritum dicebant seu ventum. Anima quasi *ἄημος* secundum Isidorum lib. II *Orig.* Patribus non item placuit illa ratio, sed frivola visa est. Le Pa.

(c) *Herophilus ille, medicus aut lanius.* Anatomia, quæ et celebris magnoque in pretio fuit apud ethnicos, a veteribus Christianis odio quam maximo adficiebatur. Quamvis hic dictum lanium Herophilum constet, quod vivos homines dissecaret. Id autem solitos facere Erasistratum, Dioclem et Herophilum docet Claudius Gal. VIII *de plac.* et II *anat. admin.* Pœnituit sæculo proxime elapso virum eruditum et anatomicæ rei peritissimum Vesalium vivum hominem anatomia lacerasse, id enim christianum non sapit. Le Pa.

(d) *Sed ipsa inter artificia exsectionis erraute.* Itaque etiam vivos Herophilus ille laniabat. Rig.

(e) *Ne in tenebris quidem aurium cæci.* Etiam in tenebris discernunt aures. Nam sunt præsertim auribus infesti. Ilas potissimum appetunt tubæ truculentæ spiculo. Rig.

(f) *Tubam pariter et lanceam.* Sic habet exemplar Agobardi. Antea legebatur, *hianceam*, depravatissime. Os culicis tuba est pariter et lancea. Plinius, XI, 2: *Qua subtilitate pennas adnexuit, prælongave pedum crura disposuit? ubi illam avidam sanguinis, et potissimum humani sitim accendit; telum vero perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio, ut fodiendo acuminatum pariter sorbendoque fistulosum esset?* Rig.

(g) *Deum recogites tantum artificem in modicis.* Sic decuit ad Naturæ Auctorem referre, quæ non nisi Naturæ tribuit Plinius. *Nusquam spectatiore*, inquit, *Naturæ artificio. In magnis siquidem corporibus, aut certe majoribus, facilis officina, sequaci materia, fait. In*

ingenium, sic quoque magnificentiam ejus agnoscas, quod modicis animalibus, sine necessariis membris nihilominus vivere instruxerit, salvo etiam visu sine oculis, et esu sine denticulis, et digestu sine alveis : quemadmodum et incedunt quædam sine pedibus, manante impetu, quod angues ; et insurgente conatu, quod vermes ; et spumante reptatu, quod (*a*) limaces. Ita et spirari cur non putes sine pulmonum follibus, et sine fistulis arteriarum ? ut pro magno amplectaris argumento, idcirco animæ humanæ spiritum accedere, quia sint quæ spiritu careant ; et idcirco ea spiritu carere, quia flatualibus artubus structa non sint. Vivere sine spiritu existimas aliquid, spirare sine pulmonibus non putas ? Quid est, oro te, spirare ? flatum, opinor, ex semetipso agere. Quid est non vivere ? flatum, opinor, ex semetipso non agere. Hoc enim respondere debeo, si non idem est spirare quod vivere. Sed mortui erit non agere flatum : ergo viventis est agere flatum. Sed et spirantis est agere flatum : ergo et spirare viventis est. Utrumque si sine anima decurrere potuisset, non fuisset animæ spirare, sed solummodo vivere. Atenim vivere spirare est, et spirare vivere est. Ergo totum hoc, et spirare et vivere, ejus est, cujus et vivere, id est animæ. Denique, si separas spiritum et animam (1), separa et opera : agant in discreto aliquid ambo, seorsum anima, seorsum spiritus : anima sine spiritu vivat, spiritus sine anima spiret ; alterum relinquat corpora, alterum remaneat, mors et vita conveniant. Si enim duo sunt, anima et spiritus, dividi possunt, ut divisione eorum, alterius discedentis, alterius immanentis, mortis et vitæ concursus eveniat. Sed nullo modo eveniet : ergo duo non erunt, quæ dividi non possunt ; quæ dividi possent, si fuissent. Sed licet et duo esse concreta. Sed non erunt (2) concreta, si aliud est vivere, aliud spirare. Distinguunt substantias opera : et quanto nunc firmius est, ut unum A credas, cum distantiam non das, ut ipsa sit anima spiritus, dum ipsius est spirare, cujus et vivere ! Quid enim, si diem aliud habere velis, aliud lucem quæ accidat dici ? cum dies ipsa lux sit. Plane erunt et alia genera lucis, ut ex ignium ministerio. Erunt enim et aliæ spiritus species, ut ex Deo, ut ex diabolo. Ita cum de anima et spiritu agitur, ipsa erit anima spiritus, sicut ipsa dies lux. Ipsum est enim quid, per quod est quid.

CAPUT XI.

Sed ut animam spiritum dicam, præsentis quæstionis ratio compellit, quia spirare alii substantiæ adscribitur : hoc dum animæ vindicamus, quam uniformem et simplicem agnoscimus, spiritum necesse est certa conditione dicamus ; non status nomine, sed B actus ; nec substantiæ titulo, sed operæ ; quia spirat, (*b*) non quia spiritus proprie est : nam et flare, spirare est. Ita et animam, quam flatum ex proprietate defendimus, spiritum nunc ex necessitate pronuntiamus. Cæterum adversus Hermogenem, qui eam ex materia, non ex Dei flatu contendit, flatum proprie tuemur. Ille enim, (*c*) adversus ipsius Scripturæ fidem, flatum in spiritu vertit : (*d*) ut dum incredibile est, spiritum Dei in delictum, et mox in judicium devenire, ex materia potius anima credatur, quam ex Dei spiritu. Idcirco nos et illic flatum eam defendimus, non spiritum, secundum Scripturam, et secundum spiritus distinctionem : (*e*) et hic spiritum ingratis pronuntiamus, secundum spirandi et flandi communionem. Illic de substantia quæstio est : spirare enim substantiæ actus est. Nec diutius de isto, C nisi propter hæreticos, qui nescio quod spiritale semen infulciunt animæ, de Sophiæ matris occulta liberalitate conlatum, ignorante factore, cum Scriptura factoris magis Dei sui conscia (3), nihil amplius promulgaverit, quam (*f*) Deum flantem in faciem hominis flatum vitæ, et hominem factum in animam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritum, naturam *Rhen.*

(2) Quæ div. poss. si f. Sed l. et d. e. c. Sed n. erunt *omitt. Pam. ex Gelenio.* Dividi non possent, et fuissent, sed licet duo esse concreta, etc. *Gagnæus.*

(3) Magis conscientia *cod. Agobardi.*

COMMENTARIUS.

his vero tam parvis atque tam nullis, quæ ratio ! quanta vis ! quam inextricabilis perfectio ! Rig.

(a) *Limaces.* Limax est cochlea nuda. Le. Pr.

CAP. XI. (b) *Non quia spiritus proprie est.* Sci licet non quia spiritus seorsim, et per se peculiaris res diversa sit ab anima, ita commode, et mitius licet mollire Tertullianum ; neque tamen nimium succensebo, si paradoxum aliquod hic observes, quasi neget Tertullianus animam spiritum proprie esse, quia si esset spiritus, corpus non esset. Lac.

(c) *Adversus ipsius Scripturæ fidem flatum in spiritum vertit.* Secuti sunt Hermogenem alii tum in versione, tum in sententia, quos notat Augustinus lib. XIII *de Civit.* cap. 25, ubi observat adversus illos et Hermogenem, non esse scriptum πνεῦμα, sed πνοήν, ut excludat eorumdem interpretationem de Spiritu Sancto, et non de anima. Lac.

(d) *Ut dum incredibile est.* Non fecit hoc Hermogenes, ut autoritatem veteri Scripturæ demeret, quam alii hæretici ejus ævi contenebant ; nam non negavit ipse fidem libro Geneseos ; sed interpretabatur illud *spiritum* de Spiritu Sancto, supponens jam animam in homine, ut inde originem animæ argutare posset, non ex Deo fuisse, sed ex materia. Ita Philastrius lib. D L. Lac.

(e) *Et hic spiritum ingratis pronuntiamus.* Ingratis, hoc est, Invitis. Supra dixit, *Ex necessitate pronuntiamus.* Rig.

(f) *Deum flantem in faciem hominis flatum vitæ.* Alludit ad illud Gen. II supra citatum c. 3, et lib. *adv. Hermog. c.* 31 : *Et flavit Deus flatum vitæ in faciem hominis, et factus est homo in animam vivam ;* flatum vitæ animam utrobique interpretatur ; quam explicationem veram esse supra ostendimus, l. *de Baptismo*, c. 5. Quibus addere visum est illud Theodoreti in *Epis div. dogmat.* « Nomine *flatus* non intelligimus partem aliquam ea tiæ divinæ, secundum Cerdonis et Marcionis rabiem ; sed *animæ* naturam per id denotari, quod anima spiritus sit rationalis et intellectualis. » Cui consentit etiam Prudentius in *Hamartig.* et ante Tertullianum B. Irenæus l. V, c. 7. Quare male inter hæreses recenset Philastrius, animam Dei flatum dicere. Pam.

vivam, per quam exinde et vivat et spiret : satis declarans differentias spiritus et animæ, insequentibus instrumentis, ipso Deo pronuntiante (*Is.* LVII, 16) : (*a*) *Spiritus ex me prodivit, et flatum omnem ego feci.* Et anima enim flatus factus ex spiritu. Et rursus (*Is.* XLII, 5) : *Qui dedit flatum populo super terram, et spiritum calcantibus eam* (*b*). Primo enim anima, id est flatus, populo in terra incedenti, id est in carne carnaliter agenti, postea spiritus eis qui terram calcant, id est opera carnis subigunt : quia et Apostolus (I *Cor.* XV, 46) : *Non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale.* Nam etsi Adam statim prophetavit magnum illum sacramentum in Christum et Ecclesiam (*Eph.* V, 30, 31) : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea ; propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adglutinabit se uxori* (1) *suæ, et erunt duo in carnem unam* ; accidentiam spiritus passus est : cecidit enim ecstasis super illum, Sancti Spiritus vis, operatrix prophetiæ. Nam et malus spiritus accidens res est. Denique Saulem tam Dei spiritus postea vertit in alium virum, id est in propheten, cum dictum est (I *Reg.* X, 11) : *Quid hoc filio Cis ? an et Saul in prophetis ?* quam et malus spiritus postea vertit in alium virum, in apostatam scilicet. Judam quoque aliquandiu cum electis deputatum usque ad loculorum officium, et, si jam fraudatorem, traditorem tamen (2) nondum, postea diabolus intravit. Igitur si neque Dei, neque diaboli spiritus ex nativitate conferitur animæ, solam eam constat ante eventum spiritus utriusque : si solam, et simplicem et uniformem substantiæ nomine, atque ita non aliunde spirantem quam ex substantiæ suæ sorte.

A

CAPUT XII.

Proinde, et animum, (*c*) sive mens est, νοῦς apud Græcos, non aliud quid intelligimus quam suggestum animæ ingenitum et insitum, et nativitus proprium, quo agit, quo sapit, quem secum habens ex semetipsa se commoveat in semetipsa, atque ita moveri videatur ab illo tanquam substantia alia, ut volunt (*d*) qui etiam universitatis motatorem animum, decernunt, (*e*) illum deum Socratis, illum Valentini Monogenem ex patre Bytho et matre Sige (3). (*f*) Quamvis (4) Anaxagoræ turbata sententia est : initium enim omnium commentatus animum, et (*g*) universitatis oscillum illius axe suspendens, purumque eum B adfirmans, et simplicem et incommiscibilem, hoc vel maxime titulo segregat ab animæ commixtione ; et tamen eumdem alibi animæ addicit (*h*) Hoc etiam Aristoteles denotavit, nescio an sua paratior implere, quam aliena inanire (5). Denique et ipse definitionem animi cum differret, interim alterum animi genus pronuntiavit, illum divinum, quem rursus et impassibilem subostendens, abstulit, et ipse cum a consortio animæ. Cum enim animam passibilem constet eorum quæ sortita est pati ; aut per animum et cum animo patietur, si concreta est animo (non potest animus impassibilis induci) ; aut si non per animum nec cum animo patietur anima, non erit concreta illi, cum quo nihil, et qui nihil patitur (6). Porro si nihil per illum et cum illo anima patietur, jam nec sentiet, nec sapiet, nec movebitur per illum, ut volunt.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Mulieri *cod. Agobard.*
(2) Tandem *Rhen. Seml. Oberth.*
(3) Et matre ὑποια *Fran. Pith.* ἀϊδίνη *Par. alii* ἐρημία.
(4) Quam *Rig. Venet.*

C

(5) Damnare *al.*
(6) Cum qua nihil, et cui nihil patitur *Fran.* cum quo nihil et per quem nihil patitur *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Spiritus ex me prodivit.* Supra lib. adv. Hermogenem, cap. 32, nullam facit, citans hanc scripturam Is. 57, *spiritus et spiritus* differentiam : imo per eam spiritum intelligi dicit, de quo etiam venti constiterunt : hic vero spiritum pro Spiritu sancto, flatum pro anima, imitatus Irenæum lib. V *adversus hæres.* cap. 12, fere de verbo ad verbum, per citationem non solum hujus, sed et sequentium scripturarum. PAM.

(b) *Qui dedit flatum populo super terram, et spiritum calcantibus eam, etc.* Etiam hic fere ad verbum imitatur B. Irenæum ubi supra, qui post recitata eadem D Isaiæ XLII verba addit : « Ad flatum quidem communiter omni qui super terram est populo dicens daturum, spiritum autem his qui conculcant terrenas concupiscentias. » Consentit etiam B. Basilius l. *de S. Spiritu.*, c. 21. PAM.

CAPUT XII. (c) *Sive mens est νοῦς apud Græcos.* Cum animus græce, uti recte hic Tertullianus, νοῦς apud Græcos dicatur, anima vero ψυχή, non possum illis adsentire, ut hoc obiter adnotem, qui libris Aristotelis περὶ τῆς ψυχῆς, titulum dant, *De anima*, non, *De anima*, uti vulgatum est. PAM.

(d) *Qui etiam universitatis mot. animum decernunt.* Inligere videtur Thaletem, qui, Aristot. teste (l. I *de anima*, c. 5), totum universum dicebat animatum, et animam ejus Deum. Item Zenonem, qui (uti ipse Auctor inquit *Apolog.* c. 21) *factitatorem universitatis determinabat, et Deum vocari, et animum Jovis.* A quibus etiam non dissentiebat Pythagoras, qui, Lactant. teste (l. I, c. 5), Deum animum dicebat, qui per universas mundi partes omnemque naturam commeans atque diffusus ; ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiant. Et vero Aristotelis, Thaletis, Anaxagoræ, Diogenis, Heracliti, Alcmæonis similes opiniones recenset (*l.* I *de Anim.* c. 2). PAM.

(e) *Illum Deum Socratis.* Quod Plato de Deo ex sententia Socratis scripsit, non modo Auctor, sed etiam B. Justinus (in *Apolog.*) Socrati tribuit ; at ille, in *Timæo*, Jovis animam per universum mundum diffusam etiam sentit ; quem ipsum parentem et opificem universorum inventu difficilem pronuntiavit : quemadmodum B. Augustinus citato lib. XIII *de Civit. Dei*, c. 17. Quo etiam pertinet illud Auctoris supra *Apolog.* c. 47 : *Platonici Deum intra mundum collocant, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat quod regat.* Neque est quod obstet *animæ mundi* appellatio apud Platonem ; quia certum est, apud eum νοῦν et ψυχὴν frequenter pro iisdem accipi. PAM.

(f) *Quamvis Anaxagoræ turbata sententia est.* Anaxagoras Clazomenius Thaletis Milesii fuit sectator, dixitque Deum esse mentem infinitam, quæ a se ipsa movetur, divinumque animum rerum omnium effectorem esse. LE PR.

(g) *Universitatis oscillum de illius axe suspendens.* De hac phrasi vide supra l. *de Pallio*, c. 1, ad illud : *in oscillum penduli impetus.* PAM.

(h) *Hoc etiam Aristoteles denotavit.* Alludit haud dubie ad Aristot. l. I *de Anima*, c. 2, ubi iisdem pene verbis Anaxagoræ sententiam deducit. PAM.

(*a*) Nam et sensus passiones facit Aristoteles. Quidni? et sentire enim pati est, quia pati sentire est. Proinde et sapere sentire est, et moveri sentire est: ita totum pati est. Videmus autem nihil istorum animam experiri, ut non et animo deputetur, quia per illum et cum illo transfigatur. Jam ergo et commiscibilis est animus, adversus Anaxagoram; et passibilis, adversus Aristotelem. Cæterum, (*b*) si discretio admittitur, ut substantia duæ res sint, animus atque anima, alterius erit et passio, et sensus, et sapor omnis, et actus, et motus: alterius autem otium, et quies et stupor, et nulla jam causa; et aut animus vacabit, aut anima. Quod si constat ambobus hæc omnia reputari, ergo unum erunt utrumque, et Democritus obtinebit, differentiam tollens, et quæretur quomodo unum utrumque, ex duarum substantiarum confusione, an ex unius dispositione. Nos autem animum ita dicimus animæ concretum, non ut substantia (1) alium, sed ut substantiæ officium.

CAPUT XIII.

Ad hoc dispicere superest, principalitas ubi sit, id est, qui (2) cui præest, ut cujus principalitas apparuerit, illa sit substantiæ massa; id autem cui massa substantiæ præerit, officium naturale substantiæ deputetur. Enimvero, quis non animæ dabit summam omnem, cujus nomine totius hominis mentio titulata est? (*c*) Quantas animas pasco, ait dives, non animos; et animas salvas optat gubernator, non animos; et rusticus in opere, et in prælio miles, animam se, non animum ponere affirmat. Cujus nominatoria pericula aut vota sunt, animi an animæ? Quid autem agere dicuntur moribundi, animum an animam? Ipsi postremo philosophi, ipsique medici, quamvis de animo quoque disputaturi, faciem tamen operis frontemque materiæ de anima unusquisque proscripsit. Ut autem et a Deo discas, (*d*) animam Deus semper adloquitur; animam compellat atque advocat, ut animum sibi advertat. (*e*) Illam salvam venit facere Christus, illam perdere in gehennam comminatur, illam pluris fieri vetat, illam et ipse bonus pastor pro pecudibus suis ponit. Habes animæ principalitatem, habes in illa et substantiæ unionem, cujus intelligas instrumentum esse animum, non patrocinium.

CAPUT XIV.

Singularis alioquin et simplex, et de suo tota est; non magis instructilis aliunde, quam divisibilis ex se, quia nec dissolubilis. Si enim structilis, et dissolubilis; si dissolubilis, jam non immortalis. Itaque, quia non mortalis, neque dissolubilis, neque divisibilis. Nam et dividi dissolvi est, et dissolvi mori est. Dividetur (3) autem in partes (*f*), nunc in duas a Platone, nunc in tres a Zenone, nunc in quinque et in sex a Panætio, (*g*) in septem a Sorano, etiam in octo penes Chrysippum, etiam in novem (*h*) penes Apollophanem, sed in decem apud quosdam Stoicorum, et in duas amplius apud Posidonium, quia a duobus exorsus titulis, principali, quod aiunt ἡγεμονικόν, et a rationali, quod aiunt λογικόν, in duodecim (4) exinde prosecuit: ita in (5) alias ex aliis species dividunt animam. Hujusmodi autem, non tam partes animæ habebuntur, quam vires et efficaciæ et operæ, sicut de quibusdam et Aristoteles judicavit. Non enim membra sunt substantiæ animalis, sed ingenia: ut motorium, ut actorium, ut cogitatorium, et si qua in hunc modum distinguunt; ut et ipsi illi quinque notissimi sensus, visus, auditus, gustus, tactus, odoratus. Quibus omnibus, etsi certa singulis domicilia in corpore determinaverunt, (*i*) non idcirco hæc quoque distri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Substantiæ *Fran.*
(2) Quid *Rig. Venet.*
(3) Dividitur *Pam. Seml.*
(4) Decem et septem *Par.* Decem *Jun.*
(5) Ita aliæ *Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nam et sensus passiones*, etc. Habet istud idem Aristoteles lib. *de anima* cap. 5: « Fit itaque, inquit, sensus cum movetur atque patitur aliquid; nam ipse sensus, alteratio quædam esse videtur. » Quod si verum est, inquit Auctor, cum nihil istorum anima patiatur sine animo, jam ergo passibilis est animus, contra quam sentit Aristoteles. PAM.

(b) *Si discretio admittitur.* Proferantur eorum deinceps rationes qui animum et animam discrepare ac differre dicunt: has habet et proponit Lactantius, lib. 18 *de opif. Dei.* LE PR.

CAP. XIII. — (c) *Quantas animas pasco, ait dives.* Istud ex Plauti *Pluto*, aut alio quopiam comico, desumptum est. In eo autem quod addit: *animam agere*, videtur imitari Ciceronem, l. I *Tuscul. quæst.* ubi ait: « *Animam* autem, etiam animum fere nostri declarant nominari; nam et *agere animam* dicimus. Ipse autem animus ab *anima* dictus est. » PAM.

(d) *Animam Deus semper adloquitur.* Adludit ad eas scripturas frequentiss. in libris *Levitici* et *Num.*, ac alibi *de anima quæ peccaverit*, et similes. Item ad illud psalm. 34: *Dic animæ meæ: Salus tua ego sum.* PAM.

(e) *Illam salvam venit facere Christus.* Reliquæ scripturæ, quas hic citat, satis notæ sunt: *Luc.* II, *Matth.* X, et *Joan.* X. Illud vero, *illam pluris fieri vetat*, paraphasticas vertit, pro eo quod, *Luc.* XIV, jubetur christianus odisse animam suam, hoc est, non pluris facere quam Deum. PAM.

CAP. XIV.— (f) *Dividetur autem in partes.* Se ipse explicat paulo post Auctor, cum dicit: *Hujusmodi autem non tam partes animæ habebuntur, quam vires, et efficaciæ, et operæ.* Unde et Nyssenus L. IV *Philos.* C. 8: « animam, inquit, in virtutes, vel species, vel partes dividunt. » PAM.

(g) *In septem a Sorano.* Desunt libri quatuor *de Anima*, quos composuit Soranus, quos supra allegavit Auctor. Quare certum quid de hujus sententia statuere nequeo, imo nec nisi cæca possunt conjectura duci. Fortasse, ut Panætius ad divisionem in quinque sensus adjecit τὸ ἡγεμονικόν, teste Nemesio; Soranus, ut medicus, addidit τὴν σπερματικήν; sed adhuc levem hanc suspicionem non affirmo, etsi plauserit Junius. Porro Seneca septem partes tantum dissidens a suis Stoicis distinxit, cap. 92. LAC.

(h) *Penes Apollophanem.* An medicus ille est de quo Plin. lib. XXII, c. 11, an philosophus, qui de physicis scripsit, teste Diogene Laert.; an etiam Apollophanes qui B. Dionysium comitabatur in Ægypto, et in urbe Hieropoli cum eo obscurationem solis patiente Christo Domino conspexit, de quo B. Dionys. epist. ad Polycarpum? LE PR.

(i) *Non idcireo hæc quoque distributio animæ ad animæ sectiones pertinebit.* Sic omnino legitur in exemplari. Neque est quod offendamur repetitione voca-

butio animæ ad animæ sectiones pertinebit; quando ne ipsum quidem corpus ita dividatur in membra, ut isti volunt animam. Atquin ex multitudine membrorum unum corpus efficitur, ut concretio sit potius ipsa divisio. Specta portentosissimam Archimedis munificentiam, (a) organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, et una moles erunt omnia. Sic et spiritus, qui illic de tormento aquæ anhelat, non ideo separabitur in partes, quia per partes administratur, substantia quidem solidus, opera vero divisus. Non longe hoc exemplum est a Stratone et Ænesidemo et Heraclito: nam et ipsi unitatem animæ tuentur, quæ in totum corpus defusa (1), et ubique ipsa, velut flatus in calamo per cavernas, ita per sensualia variis modis emicet, non tam concisa quam dispensata. Hæc omnia quibus titulis nuncupentur, et quibus ex se divisionibus detineantur (2), et quibus in corpore metationibus sequestrentur, medici potius cum philosophis (3) considerabunt, nobis pauca convenient.

CAPUT XV.

In primis an sit aliquis (4) summus in anima gradus vitalis, et sapientialis, quod ἡγεμονικὸν appellant, id est principale, si negetur, totus animæ status periclitatur. Denique, qui negant principale, ipsam prius animam nihil censuerunt. (b) Messenius aliquis (5) Dicæarchus, ex medicis autem Andreas et Asclepiades, ita abstulerunt principale, dum in animo ipso volunt esse sensus, quorum vindicatur principale. Asclepiades etiam illa argumentatione vectatur, quod pleraque animalia, ademptis eis partibus corporis, in quibus plurimum æstimatur principale consistere, et insuper vivant aliquatenus, et sapiant nihilominus, ut muscæ, et vespæ, et locustæ, si capita decideris; ut capræ et testudines, et anguillæ, si corda detraxeris: itaque principale non esse: quod si fuisset, (c) amisso cum suis (6), vigor animæ non perseveraret. Sed plures et philosophi adversus Dicæarchum, Plato, Strato, Epicurus, Democritus, Empedocles, Socrates, Aristoteles; et medici (d) adversus Andream (e) et Asclepiadem, Herophilus, Erasistratus (f), Diocles (g), Hippocrates, et ipse Soranus; jamque omnibus plures christiani, qui apud Deum de utroque

LECTIONES VARIANTES.

(1) Diffusa *Pam. Seml. Oberth.*
(2) Deriventur *Pam. Seml. Rhen. Oberth.*
(3) Tum philosophi *Pam.*
(4) Aliquid *Venet.*
(5) Aliqui *Jun.*
(6) Amissus cum suis sedibus *Rig.*

COMMENTARIUS.

buli *animæ*; cujus vires, efficaciæ, ingenia, etsi distribuantur in certas corporis partes, ipsa nihilominus totum corpus implet, nec propterea dissecatur in partes. Itaque hæc animæ distributio, sive in certas, sive in singulas corporis partes, ad ipsius animæ sectiones non pertinebit. Rig.

(a) *Organum hydraulicum.* Hujus organi inventor Ctesibuis Alexandr.; illud autem absolutissimum reddidit Archimedes ac perfecit: vide Heronem in *Spiritalib.* Fuerunt et aliæ machinæ celebres Archimedis, speculum, sphæra, de quibus omnibus passim scriptores. Le Pr.

CAP. XV. — (b) *Messenius aliquis Dicæarchus.* Dicæarchus [inquit Cicero *Tuscul. Quæst.* lib. 1] in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, primo lib. multos loquentes facit, duobus Pherecratem quemdam Phliotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, *nihil omnino esse animum*, et hoc esse totum nomen inane, frustraque et animantia et animantes appellari, neque in homine inesse animum vel animam, neque in bestia. Et vero ejus eamdem fuisse sententiam paulo post indicat ibidem Cicero: « quod de Dicæarcho dicam, qui nihil omnino animum « dicat esse? » Messenium autem hunc fuisse etiam Suida testatur, Aristotelis discipulum, cujus Plutarchus, Quintilianus, *Musica* citant, Gellius *Pythagoram*, Athenæus libros complures, B. Hieronymus, lib. 2. *adv. Jovin.*, ex antiquitatum libris *descriptionem Græciæ;* denique Cicero alibi librum *de divinat. et somniis.* Pam.

(c) *Amisso cum suis.* Amisso illo principali cum suis, capite nimirum et corde. *Cum suis*: quasi cum omni familia et comitatu, apparitione. Rig.

(d) *Adversus Andream.* Andreas medicus frequenter citatur a Plinio, non modo inter auctorum nomina, e quibus multa desumpsit, sed etiam lib. XXII, c. 23, et lib. XXXII, c. 5, ubi in quibusdam tamen exemplaribus perperam legitur *Andrias* pro *Andreas*; nam etiam a Dioscoride et Galeno citatur liber ejus *de Plantis.* Pam.

(e) *Et Asclepiadem.* De Asclepiade medico prusiensi, præterquam quod ex eo multa sedesumpsisse testatur inter auctorum nomina, peculiariter agit Plinius l. XXVI, c. 3; citantur etiam quædam ejus scripta ab Aetio et Galeno, qui interim duos ejus nominis commemorat. Ridet autem cum his verbis paulo post Auctor: *Ut vel*, inquit, *ab istis retusus Asclepiades capras suas quærat sine corde balantes, et muscas suas abigat sine capite volitantes;* tacite significans absurditatem, qui illarum exemplo etiam ab homine hegemonicum auferre voluerit. Meminit iterum Auctor Asclepiadis c. 25 infra. De eodem Asclepiade multa refert etiam Apul. l. IV *de Asin. Aur.* Pam.

(f) *Erasistratus* Erasistratum quinto loco inter medicos ponit Plinius, ubi supra, ante Herophilum et Asclepiadem; item l. XIV, c. 7, vixisse scribit CCCCL an. U. Romæ, et scholæ ejusdem meminit lib. XX, c. 9; denique lib. XXIX, c. 2, Chrysippi, cujus mox mentio, discipulum facit. Aristotelis filia genitum, qui, rege Antiocho curato, centum talentis donatus sit a Ptolemæo ejus filio. Cujus rei meminit etiam Suidas, et plures ejus libros citat l. citato Galenus. Citatur iterum ab Auctore c. 25. Pam.

(g) *Diocles.* Diocles Caristius medicus, secundus ab Hippocrate ætate famaque, Plinio celebratur l. XXVI, c. 2. Qui præterea ab eodem citatur l. XX, c. 3 et 5, et l. XXI, et in catalogo medicorum quorum opera usus est; item a Galeno, Plutarcho, Scholiaste Nicandri, Athenæo, Paulo Ægineta. Pam.

(f) *Qui apud Deum de utroque ducimur.* Sic habet exemplar Agobardi. Jamque omnibus, inquit, et philosophis et medicis plures Christiani qui de utroque, hoc est, de illo animæ principali, deque loco et positione illius principalis, statuendum quid sit investigantes, apud Deum ducimur, atque ex sacris paginis addiscimus. Sic igitur veteres Christiani etiam cum Ethnicis disputantes, sacrarum litterarum auctoritatem proferebant. Illi divina dictata, nisi rationibus humanis, hoc est, mere philosophicis probarentur, respuebant. Hac cæcitate Galenus adversus Archige-

ducimur (1), et esse (*a*) principale in anima, et certo in corporis recessu conseeratum. Si enim *scrutatorem et dispectorem cordis* (*Sap.* I; *Prov.* XXIV) Deum leginus; si etiam prophetes ejus occulta cordis traducendo probatur (*Ps.* CXXXVIII): si Deus ipse recogitatus cordis in populo prævenit (*Matt.* IX): *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam?* si (2) et David (*Ps.* L): *Cor mundum conde in me Deus*; et Paulus (*Rom.* X) *corde* ait *credi in justitiam*; et Joannes (I *Joan.* III) *corde* ait *suo unumquemque reprehendi*; si postremo (*Matt.* V), *qui viderit fœminam ad concupiscendum, jam adulteravit in corde*; simul utrumque dilucet, et esse principale in anima, quo (3) intentio divina conveniat, id est, vim sapientialem atque vitalem (quod enim sapit, vividum est), et in eo thesauro corporis haberi, ad quem Deus respicit: ut neque extrinsecus agitari putes principale istud secundum Heraclitum, neque per totum corpus ventilari secundum Moschionem, neque in capite concludi secundum Platonem, neque in vertice potius præsidere secundum Xenocratem, neque in cerebro cubare secundum Hippocratem; sed nec circa cerebri fundamentum ut Herophilus, nec in membranulis (4) ut Strato et Erasistratus, nec in supercilliorum meditullio ut (*b*) Strato Physicus, (*c*) nec in tota lorica pectoris ut Epicurus. sed quod et (5) Ægyptii (*d*) renuntiaverunt, et (6) qui (*e*) divinarum commemoratores videbantur, (*f*) ut et ille versus Orphei vel Empedoclis; *Namque homini sanguis circumcordialis est sensus.* Etiam (*g*) Protagoras, (*h*) etiam Apollodorus (*i*) et Chrysippus hæc sapiunt; ut vel ab istis retusus Asclepiades capras suas quærat sine corde balantes, et muscas suas abigat sine capite volitantes; et omnes jam sciant se potius sine corde et cerebro vivere, qui dispositionem animæ humanæ de conditione bestiarum præjudicarint.

CAPUT XVI.

Est et illud ad finem (7) pertinens. (*j*) quod Plato bifariam partitur animam, per rationale et irrationale. Cui definitioni et nos quidem applaudimus, sed non ut naturæ deputetur utrumque. Naturale enim rationale credendum est quod animæ a primordio sit ingenitum, a rationali videlicet auctore. Quid enim non rationale, quod Deus jussu quoque ediderit, nedum id quod proprie adflatu suo emiserit? Irrationale autem posterius intelligendum est, ut quod acciderit ex serpentis instinctu, ipsorum (8) illud transgressionis admissum, atque exinde inoleverit et coadoleverit in anima (*k*) ad instar jam naturalitatis, quia statim in naturæ primordio accidit (*l*). Cæterum, eum idem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deducimur, *Rhen. Seml. Oberth. Pam.* deducimus *Jun.*
(2) Sic *Par.*
(3) Quod *Pam. Rhen.*
(4) Membraula ejus *Jun.*
(5) Et quod *Rhen. Pam. Seml.*
(6) Et *Pam. Rhen. Seml.* ii *cod. Wouw.*
(7) Fidem *Pam. Seml.*
(8) Ipsum *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

nem vectatur, hoc interdicto: « Non auditurum « se Νόμους ἀναποδείκτους, quibus fere uti solent « Μωσεῖ καὶ Χριστῷ διατριβὴν ἀγομένοις. » Galeni verba sunt libro *de Diff. puls.* secundo. Rig.

(a) *Principale in anima.* Hieronymus ad Fabiolam, ep. 128: *Quæritur ubi sit animæ principale. Plato in cerebro, Christus monstrat in corde: Beati mundo corde, etc.* Rig.

(b) *Strato Physicus.* Istud etiam ex Plutarcho. Vocatur autem Strato *Physicus*, tum ad distinctionem superioris Stratonis medici, tum quod, Suida teste, præ cæteris naturæ contemplationi deditus fuerit; qui lampsacenum facit, Theophrasti filium, et multos libros scripsisse tradit. Pam.

(c) *Nec in tota lorica pectoris.* Græce conformiter apud Plutarchum legitur, ἐν ὅλῳ τῷ θώρακι. Pam.

(d) *Renuntiaverunt. Renuntiare*, pro *attribuere*, accipere hic videtur Auctor, eadem significatione de qua infra latius lib. *de Carn. Chr.* c. 1. Pam.

(e) *Divinarum commemoratoris.* Intelligere videtur Mercurium Trismegistum, Anebonem et Amabonem, quos plerumque secuti sunt Plotinus, Jamblichus et ipse Plato. Pam.

(f) *Ut et ille versus Orphei vel Empedoclis.* Citatur versus a Porphyrio ex Empedocle:

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.

Chalcidius: *Empedocles quidem principalem animæ vim constituit in corde, sic dicens:*

Sanguine cordis enim noster viget intellectus. Rig.

(g) *Protagoras.* Etsi apud Laertium reperiatur Protagoras philosophus abderites auditor Democriti; quia tamen inter libros ejus de anima nullus recensetur, et hic videtur iterum medicos alios committere cum Asclepiade, censeo quidem legi debere *Proxagoras*: sed sine cod. MS. ope id in contextu mutare nolui. Certe Proxagoras medicus a Plinio celebratur tertio loco dicti lib. XXVI, c. 2, etc. Pam.

(h) *Etiam Apollodorus.* Similiter et hic, quamvis a Laertio recenseatur Apollodorus atheniensis, epicureus philosophus, puto tamen potius loqui Auctorem de Apollodoro altero illorum medicorum, de quibus Plinius l. XX, c. 4. Pam.

(i) *Et Chrysippus.* Hic quoque de Chrysippo medico potius loqui censeo Auctorem, quam de philosopho, cujus supra facta est mentio c. 5; nam citatur is ipse a Plinio frequenter. Pam.

CAP. XVI. — (j) *Quod Plato bifariam*, etc. Similiter supra dixit cap. 14: *Dividitur autem in partes, nunc in duas a Platone.* Habet autem istud Plato dial. 4 *de Repub.*: non itaque absurde, inquit, duplices has partes, et inter se diversas esse, ita ut alteram qua ratiocinatur [utpote quæ sit ratiocinii gubernatrix tanquam benigna et studiosa mater, viam vitæ rectam commonstrans] rationalem animæ partem appellemus; alteram qua amat, et esurit, et sitit, et circa alias cupiditates velut consternata adficitur, irrationalem. Pam.

(k) *Ad instar jam naturalitatis.* Per naturæ vitium et deformitatem. Facit hic locus pro peccato originali. Consulto dixit Auctor *ad instar naturalitatis*, quia nec vitium, nec peccatum originis est ipsa natura, aut substantia, aut forma nostra, ut putavit Illyricus, sed accidit naturæ: nam ut optime insinuat Tertullianus, si peccatum esset substantia aut natura nostra, cum omnis substantia a Deo creata sit, sequeretur peccatum a solo Deo creatum esse, et inditum Adæ et posteris. Lac.

(l) *Primordio accidit.* Notante illustrissimo Bossueto (Tomo II, Défense de la Tradition et des Saints Pères, livre VIII, chap. XXIX, pag. 448), in vocabulo Tertulliani τὸ *primordium* non solum initium ab ordine temporum, sed initium etiam a principio et origine intelligendum est; et per hoc intelligitur ingens illa, quæ in corpore nostro et in anima nostra ab initio et in origine generis humani accidit, mu-

Plato solum rationale dicat, ut in anima Dei ipsius, si nos etiam irrationale naturæ adscribimus (1) quam a Deo anima nostra sortita est, æque irrationale de Deo erit, utpote naturale, quia naturæ Deus auctor est. Sed enim a diabolo immissio delicti; irrationale autem omne delictum: igitur a diabolo irrationale, a quo et delictum; extraneum a Deo, a quo est irrationale alienum. Proinde diversitas horum ex distantia auctorum. Proinde, cum Plato, soli Deo segregans rationale, duo genera subdividit ex rationali, indignativum quod appellant θυμικόν, concupiscentivum quod vocant ἐπιθυμητικόν, ut illud quidem commune sit nobis et leonibus, istud vero cum muscis, rationale porro cum Deo; video et de hoc mihi esse retractandum, propter ea quæ in Christo deprehenduntur. Ecce enim (a) tota hæc trinitas et in domino: rationale quo docet, quo (2) disserit, quo salutis vias sternit; indignativum, quo invehitur in Scribas et Pharisæos; et concupiscentivum, quo pascha cum discipulis suis edere concupiscit. Igitur apud nos non semper ex irrationali censenda sunt indignativum et concupiscentivum, quæ certi sumus in Dominum (3) rationaliter decurrisse. (b) Indignabitur Deus rationaliter, quibus scilicet debet, et concupiscet Deus rationaliter quæ digna sunt ipso. Nam et malo indignabitur, et bono concupiscet salutem. Dat et Apostolus nobis concupiscentiam (I *Tim.*, III, 1): *Si quis episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscit;* et *bonum opus* dicens, rationalem concupiscentiam ostendit. Concedit et indignationem; quidni, quam et ipse suscepit? (c) *Utinam et præcidantur*, inquit (*Gal.*, V, 12), *qui vos subvertunt!* Rationalis et indignatio, quæ ex affectu disciplinæ est. At cum dicit (*Eph.*, II, 3): *Fuimus aliquando natura filii iræ*, irrationale indignativum suggillat, quod non sit ex ea natura quæ a Deo est, sed ex illa quam diabolus induxit, dominus et ipse dictus (*Matth.*, VI, 24) sui ordinis: *Non potestis duobus dominis servire;* pater et ipse cognominatus (*Joan.*, VIII, 44): *Vos ex diabolo patre estis*: ne timeas et illi proprietatem naturæ alterius adscribere, posterioris et adulteræ, quem legis (*Matth.*, XIII) avenarum superseminatorem, et frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem.

CAPUT XVII.

Contingit nos illorum etiam quinque sensuum quæstio, quos in primis literis discimus, quoniam et hinc aliquid hæreticis procuratur. Visus est, et auditus, et odoratus, et gustus, et tactus. Horum fidem Academici durius damnant; secundum quosdam, et Heraclitus, et Diocles, et Empedocles; certe Plato in *Timæo*, irrationalem pronuntians (4) sensualitatem, et opinioni coimplicitam. Itaque mendacium visui objicitur, quod remos in aqua inflexos vel infractos adseverat adversus conscientiam integritatis, quod turrem quadrangulatam de longinquo rotundam persuadeat, quod æqualissimam porticum angustiorem in ultimo infamet, quod cœlum tanta sublimitate suspensum mari jungat. Perinde auditus fallaciæ reus: ut cum cœleste murmur putamus, et plaustrum est; vel tonitru meditante, pro certo de plaustro credimus sonitum. Sic et odoratus et gustus arguuntur; siquidem eadem unguenta; eademque vina, posteriore quoque usu depretiantur. Sic et tactus reprehenditur; siquidem eadem pavimenta manibus asperiora, pedibus læviora creduntur; et in lavacris, idem calidæ lacus ferventissimus primo, dehinc temperatissimus renuntiatur. Adeo, inquiunt, sic quoque fallimur sensibus, dum sententias vertimus. (d) Moderantius Stoici non omnem sensum, nec semper, de mendacio onerant. Epicurei constantius parem omnibus atque perpe-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adscripserimus *Pam. Rhen. Semi.*
(2) Quæ *Fran. Pam.*
(3) Domino *Pam. Fran.*
(4) Pronuntiat *Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

tatio quam S. Augustinus contra Pelagianos defensum ibat. Neque melius explicari potest illud *in quo* Epistolæ ad Romanos, neque disertius exprimi, quod omnes in Adamo peccaverimus, quam dicendo, quod peccatum Adami in nostram transierit naturam; atque naturalem hujus principii sequelam agnoscit Tertullianus, ubi fatetur quod infantes etiam fidelium nascantur impuri; quapropter Christus dixit: *Nisi quis renascatur ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cœlorum*; itaque omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Jam vero in Adam recenseri, non tantum est esse in miseria et pœna, sed insuper etiam in maledicto, in damnatione, in perditione, in peccato; atque propterea subjungit: *omnis anima est peccatrix, quia immunda, et tamdiu* manet *immunda*, donec per baptismum regenerata sit. Sacramentum hoc non tollit mortem, non radicem concupiscentiæ. Si igitur baptismus aufert animæ maculam, eam utique peccati, quam illa dicente Tertulliano per unionem cum carne contraxit, causa concupiscentiæ inordinatæ, qua caro concupiscit contra spiritum, quæve facit carnem peccatricem, antequam esse possit. En omnem theologiam de peccato originali clarissime expositam: en primum peccatum in omnium hominum naturam transmissum: en propagationem illius per concupiscentiam carnis: en remissionem illius in Baptismo! Quid ulterius adjungi potest? Lump.

(a) *Tota hæc trinitas.* Scilicet ratiocinantis, irascentis et concupiscentis animæ triplex munus in Evangelio indicatur: Rationalis et docentis, *Matth.* VII et XII; indignantis seu irascentis, *Matth.* XXIII; desiderantis sive concupiscentis, *Lucæ* XXII. Lac.

(b) *Indignabitur Deus rationaliter.* Si intelligatur istud hypothetice, sicuti Scriptura loquitur, quod indignatio Dei pro vindicta Dei sumatur, nihil obstat eam Deo adtribui: alicubi tamen adnotavimus inter paradoxa Tertulliani collocandum, quod iram proprie Deo videatur attribuere. Pam.

(c) *Utinam et præcidantur.* Hoc in Judæos torquet Paulus *Epist. ad Galatas, cap.* V: *Utinam*, inquit, *qui vos ad circumcisionem, et cætera mosaica revocant, non tantum circumcidantur, sed et præcidantur*: ὄφελον καὶ ἀποκόπτονται. Chrysostomus, μὴ περιτεμνέσθωσαν μόνον, ἀλλὰ καὶ περικοπτέσθωσαν. Et apud Primasium Uticensem: *Non solum circumcidantur, sed etiam abscindantur, si exspolatio membri proficit.* Rig.

(d) *Moderantius Stoici.* Sensus veros esse Stoici pronuntiant; phantasias vero alias veras esse, alias falsas, ut monet Plutarchus cap. 9, lib. IV *de placitis.* Epicurus phantasiam omnem sensusque omnes veros

ducimur (1), et esse *(a)* principale in anima, et certo in corporis recessu conseceratum. Si enim *scrutatorem et dispectorem cordis* (*Sap.* I; *Prov.* XXIV) Deum leginus; si etiam prophetes ejus occulta cordis traducendo probatur (*Ps.* CXXXVIII): si Deus ipse recogitatus cordis in populo prævenit (*Matt.* IX): *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam?* si (2) et David (*Ps.* L): *Cor mundum conde in me Deus*; et Paulus (*Rom.* X) *corde* ait *credi in justitiam*; et Joannes (I *Joan.* III) *corde* ait *suo unumquemque reprehendi*; si postremo (*Matt.* V), *qui viderit fœminam ad concupiscendum, jam adulteravit in corde*; simul utrumque dilucet, et esse principale in anima, quo (3) intentio divina conveniat, id est, vim sapientialem atque vitalem (quod enim sapit, vividum est), et in eo thesauro corporis haberi, ad quem Deus respicit: ut neque extrinsecus agitari putes principale istud secundum Heraclitum, neque per totum corpus ventilari secundum Moschionem, neque in capite concludi secundum Platonem, neque in vertice potius præsidere secundum Xenocratem, neque in cerebro cubare secundum Hippocratem; sed nec circa cerebri fundamentum ut Herophilus, nec in membranulis (4) ut Strato et Erasistratus, nec in supercilioruin meditullio ut (*b*) Strato Physicus, (*c*) nec in tota lorica pectoris ut Epicurus. sed quod et (5) Ægyptii (*d*) renuntiaverunt, et (6) qui (*e*) divinarum commemoratores videbantur, (*f*) ut et ille versus Orphei vel Empedoclis; *Namque homini sanguis circumcordialis est sensus.* Etiam (*g*) Protagoras, (*h*) etiam Apollodorus (*i*) et Chrysippus hæc sapiunt; ut vel ab istis retusus Asclepiades capras suas quærat sine corde balantes, et muscas suas abigat sine capite volitantes; et omnes jam sciant se potius sine corde et cerebro vivere, qui dispositionem animæ humanæ de conditione bestiarum præjudicarint.

CAPUT XVI.

Est et illud ad finem (7) pertinens, (*j*) quod Plato bifariam partitur animam, per rationale et irrationale. Cui definitioni et nos quidem applaudimus, sed non ut naturæ deputetur utrumque. Naturale enim rationale credendum est quod animæ a primordio sit ingenitum, a rationali videlicet auctore. Quid enim non rationale, quod Deus jussu quoque ediderit, nedum id quod proprie adflatu suo emiserit? Irrationale autem posterius intelligendum est, ut quod acciderit ex serpentis instinctu, ipsorum (8) illud transgressionis admissum, atque exinde inoleverit et coadoleverit in anima (*k*) ad instar jam naturalitatis, quia statim in naturæ primordio accidit (*l*). Cæterum, cum idem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deducimur, *Rhen. Seml. Oberth. Pam.* deducimus *Jun.*
(2) Sic *Par.*
(3) Quod *Pam. Rhen.*
(4) Membranula ejus *Jun.*
(5) Et quod *Rhen. Pam. Seml.*
(6) Ei *Pam. Rhen. Seml.* ii *cod. Wouw.*
(7) Fidem *Pam. Seml.*
(8) Ipsum *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

nem vectatur, hoc interdicto: « Non auditurum « se Νόμους ἀναποδίστους, quibus fere uti solent « Μωυσεῖ καὶ Χριστοῦ διατριβὴν ἀρχαίνοντι. » Galeni verba sunt libro *de Diff. puls.* secundo. Rig.

(a) *Principale in anima.* Hieronymus ad Fabiolam, ep. 128: *Quæritur ubi sit animæ principale. Plato in cerebro, Christus monstrat in corde: Beati mundo corde, etc,* Rig.

(b) *Strato Physicus.* Istud etiam ex Plutarcho. Vocatur autem Strato *Physicus*, tum ad distinctionem superioris Stratonis medici, tum quod, Suida teste, præ cæteris naturæ contemplationi deditus fuerit; qui Lampsacenum facit, Theophrasti filium, et multos libros scripsisse tradit. Pam.

(c) *Nec in tota lorica pectoris.* Græce conformiter apud Plutarchum legitur, ὁ δὲ τῷ θώρακι. Pam.

(d) *Renuntiaverunt. Renuntiare*, pro *attribuere*, accipere hic videtur Auctor, eadem significatione de qua infra latius lib. *de Carn. Chr.* c. 1. Pam.

(e) *Divinarum commemoratoris.* Intelligere videtur Mercurium Trismegistum, Anebonem et Amabonem, quos plerumque secuti sunt Plotinus, Jamblichus et ipse Plato. Pam.

(f) *Ut et ille versus Orphei vel Empedoclis.* Citatur versus a Porphyrio ex Empedocle:

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νοῆμα.

Chalcidius: *Empedocles quidem principalem animæ vim constituit in corde, sic dicens:*

Sanguine cordis enim noster viget intellectus. Rig.

(g) *Protagoras.* Etsi apud Laertium reperiatur Protagoras philosophus abderites auditor Democriti; quia tamen inter libros ejus de anima nullus recensetur, et hic videtur iterum medicos alios committere cum Asclepiade, censeo quidem legi debere *Proxagoras*: sed sine cod. MS. ope id in contextu mutare nolui. Certe Proxagoras medicus a Plinio celebratur tertio loco dicti lib. XXVI, c. 2, etc. Pam.

(h) *Etiam Apollodorus.* Similiter et hic, quamvis a Laerno recenseatur Apollodorus atheniensis, epicureus philosophus, puto tamen potius loqui Auctorem de Apollodoro altero illorum medicorum, de quibus Plinius l. XX, c. 4. Pam.

(i) *Et Chrysippus.* Hic quoque de Chrysippo medico potius loqui censeo Auctorem, quam de philosopho, cujus supra facta est mentio c. 5; nam citatur is ipse a Plinio frequenter. Pam.

CAP. XVI. — (j) *Quod Plato bifariam*, etc. Similiter supra dixit cap. 14: *Dividitur autem in partes, nunc in duas a Platone.* Habet autem istud Plato dial. 4 *de Repub.*: non itaque absurde, inquit, duplices has partes, et inter se diversas esse, ita ut alteram qua ratiocinatur [utpote quæ sit ratiocinii gubernatrix tanquam benigna et studiosa mater, viam vitæ rectam commonstrans] rationalem animæ partem appellemus; alteram qua amat, et esurit, et sitit, et circa alias cupiditates velut consternata adficitur, irrationalem. Pam.

(k) *Ad instar jam naturalitatis.* Per naturæ vitium et deformitatem. Facit hic locus pro peccato originali. Consulto dixit Auctor *ad instar naturalitatis*, quia nec vitium, nec peccatum originis est ipsa natura, aut substantia, aut forma nostra, ut putavit Illyricus, sed accidit naturæ: nam ut optime insinuat Tertullianus, si peccatum esset substantia aut natura nostra, cum omnis substantia a Deo creata sit, sequeretur peccatum a solo Deo creatum esse, et inditum Adæ et posteris. Lac.

(l) *Primordio accidit.* Notante illustrissimo Bossueto (Tomo II, Défense de la Tradition et des Saints Pères, livre VIII, chap. XXIX, pag. 148), in vocabulo Tertulliani τὸ *primordium* non solum initium ab ordine temporum, sed initium etiam a principio et origine intelligendum est; et per hoc intelligitur ingens illa, quæ in corpore nostro et in anima nostra ab initio et in origine generis humani accidit, mu-

Plato solum rationale dicat, ut in anima Dei ipsius, si nos etiam irrationale naturæ adscribimus (1) quam a Deo anima nostra sortita est, æque irrationale de Deo erit, utpote naturale, quia naturæ Deus auctor est. Sed enim a diabolo immissio delicti; irrationale autem omne delictum: igitur a diabolo irrationale, a quo et delictum; extraneum a Deo, a quo est irrationale alienum. Proinde diversitas horum ex distantia auctorum. Proinde, cum Plato, soli Deo segregans rationale, duo genera subdividit ex rationali, indignativum quod appellant θυμικόν, concupiscentivum quod vocant ἐπιθυμητικόν, ut illud quidem commune sit nobis et leonibus, istud vero cum muscis, rationale porro cum Deo; video et de hoc mihi esse retractandum, propter ea quæ in Christo deprehenduntur. Ecce enim (a) tota hæc trinitas et in domino: rationale quo docet, quo (2) disserit, quo salutis vias sternit; indignativum, quo invehitur in Scribas et Pharisæos; et concupiscentivum, quo pascha cum discipulis suis edere concupiscit. Igitur apud nos non semper ex irrationali censenda sunt indignativum et concupiscentivum, quæ certi sumus in Dominum (3) rationaliter decucurrisse. (b) Indignabitur Deus rationaliter, quibus scilicet debet, et concupiscet Deus rationaliter quæ digna sunt ipso. Nam et malo indignabitur, et bono concupiscet salutem. Dat et Apostolus nobis concupiscentiam (I *Tim.*, III, 1): *Si quis episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscit;* et *bonum opus* dicens, rationalem concupiscentiam ostendit. Concedit et indignationem; quidni, quam et ipse suscepit? (c) *Utinam et præcidantur*, inquit (*Gal.*, V, 12), *qui vos subvertunt!* Rationalis et indignatio, quæ ex affectu disciplinæ est. At cum dicit (*Eph.*, II, 3): *Fuimus aliquando natura filii iræ*, irrationale indignativum suggillat, quod non sit ex ea natura quæ a Deo est, sed ex illa quam diabolus induxit, dominus et ipse dictus (*Matth.*, VI, 24) sui ordinis: *Non potestis duobus dominis servire;* pater et ipse cognominatus (*Joan.*, VIII, 44): *Vos ex diabolo patre estis*: ne timeas et illi proprietatem naturæ alterius adscribere, posterioris et adulteræ, quem legis (*Matth.*, XIII) avenarum superseminatorem, et frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem.

CAPUT XVII.

Contingit nos illorum etiam quinque sensuum quæstio, quos in primis literis discimus, quoniam et hinc aliquid hæreticis procuratur. Visus est, et auditus, et odoratus, et gustus, et tactus. Horum fidem Academici durius damnant; secundum quosdam, et Heraclitus, et Diocles, et Empedocles; certe Plato in *Timæo*, irrationalem pronuntians (4) sensualitatem, et opinioni coimplicitam. Itaque mendacium visui objicitur, quod remos in aqua inflexos vel infractos adseverat adversus conscientiam integritatis, quod turrem quadrangulatam de longinquo rotundam persuadeat, quod æqualissimam porticum angustiorem in ultimo infamet, quod cœlum tanta sublimitate suspensum mari jungat. Perinde auditus fallaciæ reus: ut cum cœleste murmur putamus, et plaustrum est; vel tonitru meditante, pro certo de plaustro credimus sonitum. Sic et odoratus et gustus arguuntur; siquidem eadem unguenta; eademque vina, posteriore quoque usu depretiantur. Sic et tactus reprehenditur; siquidem eadem pavimenta manibus asperiora, pedibus læviora creduntur; et in lavacris, idem calidæ lacus ferventissimus primo, dehinc temperatissimus renuntiatur. Adeo, inquiunt, sic quoque fallimur sensibus, dum sententias vertimus. (d) Moderantius Stoici non omnem sensum, nec semper, de mendacio onerant. Epicurei constantius parem omnibus atque perpe-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adscripserimus *Pam. Rhen. Semi.*
(2) Quæ *Fran. Pam.*
(3) Domino *Pam. Fran.*
(4) Pronuntiat *Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

tatio quam S. Augustinus contra Pelagianos defensum ibat. Neque melius explicari potest illud εφ *in quo* Epistolæ ad Romanos, neque disertius exprimi, quod omnes in Adamo peccaverimus, quam dicendo, quod peccatum Adami in nostram transierit naturam; atque naturalem hujus principii sequelam agnoscit Tertullianus, ubi fatetur quod infantes etiam fidelium nascantur impuri; quapropter Christus dixit: *Nisi quis renascatur ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cœlorum*; itaque omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Jam vero in Adam recenseri, non tantum est esse in miseria et pœna, sed insuper etiam in maledicto, in damnatione, in perditione, in peccato; atque propterea subjungit: *omnis anima est peccatrix, quia immunda, et tamdiu* manet *immunda*, donec per baptismum regenerata sit. Sacramentum hoc non tollit mortem, non radicem concupiscentiæ. Si igitur baptismus aufert animæ maculam, eam utique peccati, quam illa dicente Tertulliano per unionem cum carne contraxit, causa concupiscentiæ inordinatæ, qua caro concupiscit contra spiritum, quæve facit carnem peccatricem, antequam esse possit. En omnem theologiam de peccato originali clarissime expositam: en primum peccatum in omnium hominum naturam transmissum: en propagationem illius per concupiscentiam carnis: en remissionem illius in Baptismo! Quid ulterius adjungi potest? Lump.

(a) *Tota hæc trinitas.* Scilicet ratiocinantis, irascentis et concupiscentis animæ triplex munus in Evangelio indicatur: Rationalis et docentis, *Matth.* VII et XII; indignantis seu irascentis, *Matth.* XXIII; desiderantis sive concupiscentis, *Lucæ* XXII. Lac.

(b) *Indignabitur Deus rationaliter.* Si intelligatur istud hypothetice, sicuti Scriptura loquitur, quod indignatio Dei pro vindicta Dei sumatur, nihil obstat eam Deo adtribui: alicubi tamen adnotavimus inter paradoxa Tertulliani collocandum, quod iram proprie Deo videatur attribuere. Pam.

(c) *Utinam et præcidantur.* Hoc in Judæos torquet Paulus *Epist. ad Galatas, cap.* V: *Utinam*, inquit, *qui vos ad circumcisionem, et cætera mosaica revocant, non tantum circumcidantur, sed et præcidantur*: θραλον καὶ ἀποκόψονται. Chrysostomus, μὴ περιτμηθήσονται μόνον, ἀλλὰ καὶ περικοπήσονται. Et apud Primasium Uticensem: *Non solum circumcidantur, sed etiam abscindantur, si exspoliatio membri proficit.* Rig.

(d) *Moderantius Stoici.* Sensus veros esse Stoici pronuntiant; phantasias vero alias veras esse, alias falsas, ut monet Plutarchus cap. 9, lib. IV *de placitis.* Epicurus phantasiam omnem sensusque omnes veros

ducimur (1), et esse (a) principale in anima, et certo in corporis recessu conseceratum. Si enim *scrutatorem et dispectorem cordis* (*Sap.* I; *Prov.* XXIV) Deum leginus; si etiam prophetes ejus occulta cordis traducendo probatur (*Ps.* CXXXVIII): si Deus ipse recogitatus cordis in populo prævenit (*Matt.* IX): *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam?* si (2) et David (*Ps.* L): *Cor mundum conde in me Deus*; et Paulus (*Rom.* X) *corde* ait *credi in justitiam*; et Joannes (I *Joan.* III) *corde* ait *suo unumquemque reprehendi*; si postremo (*Matt.* V), *qui viderit fœminam ad concupiscendum, jam adulteravit in corde*; simul utrumque diluecet, et esse principale in anima, quo (3) intentio divina conveniat, id est, vim sapientialem atque vitalem (quod enim sapit, vividum est), et in eo thesauro corporis haberi, ad quem Deus respicit: ut neque extrinsecus agitari putes principale istud secundum Heraclitum, neque per totum corpus ventilari secundum Moschionem, neque in capite concludi secundum Platonem, neque in vertice potius præsidere secundum Xenocratem, neque in cerebro cubare secundum Hippocratem; sed nec circa cerebri fundamentum ut Herophilus, nec in membranulis (4) ut Strato et Erasistratus, nec in superciliorum meditullio ut (b) Strato Physicus, (c) nec in tota lorica pectoris ut Epicurus. sed quod et (5) Ægyptii (d) renuntiaverunt, et (6) qui (e) divinarum commemoratores videbantur, (f) ut et ille versus Orphei vel Empedoclis; *Namque homini sanguis circumcordialis est sensus.* Etiam (g) Protagoras, (h) etiam Apollodorus (i) et Chrysippus hæc sapiunt; ut vel ab istis retusus Asclepiades capras suas quærat sine corde balantes, et muscas suas abigat sine capite volitantes; et omnes jam sciant se potius sine corde et cerebro vivere, qui dispositionem animæ humanæ de conditione bestiarum præjudicarint.

CAPUT XVI.

Est et illud ad finem (7) pertinens. (j) quod Plato bifariam partitur animam, per rationale et irrationale. Cui definitioni et nos quidem applaudimus, sed non ut naturæ deputetur utrumque. Naturale enim rationale credendum est quod animæ a primordio sit ingenitum, a rationali videlicet auctore. Quid enim non rationale, quod Deus jussu quoque ediderit, nedum id quod proprie adflatu suo emiserit? Irrationale autem posterius intelligendum est, ut quod acciderit ex serpentis instinctu, ipsorum (8) illud transgressionis admissum, atque exinde inoleverit et coadoleverit in anima (k) ad instar jam naturalitatis, quia statim in naturæ primordio accidit (l). Cæterum, cum idem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deducimur, *Rhen. Seml. Oberth. Pam.* deducimus *Jun.*
(2) Sic *Par.*
(3) Quod *Pam. Rhen.*
(4) Membraula ejus *Jun.*
(5) Et quod *Rhen. Pam. Seml.*
(6) Ei *Pam. Rhen. Seml.* ii *cod. Wouw.*
(7) Fidem *Pam. Seml.*
(8) Ipsum *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

nem vectatur, hoc interdicto: « Non auditurum « se Νόμους ἀναποδείκτους, quibus fere uti solent « Μωυσῆ καὶ Χριστοῦ διατριβὴν ἀγγελίνει. » Galeni verba sunt libro *de Diff. puls.* secundo. Rig.

(a) *Principale in anima.* Hieronymus ad Fabiolam, ep. 128: *Quæritur ubi sit animæ principale. Plato in cerebro, Christus monstrat in corde: Beati mundo corde, etc,* Rig.

(b) *Strato Physicus.* Istud etiam ex Plutarcho. Vocatur autem Strato *Physicus*, tum ad distinctionem superioris Stratonis medici, tum quod, Suida teste, præ cæteris naturæ contemplationi deditus fuerit; qui lampsacenum facit, Theophrasti filium, et multos libros scripsisse tradit. Pam.

(c) *Nec in tota lorica pectoris.* Græce conformiter apud Plutarchum legitur, ἐν ὅλῳ τῷ θώρακι. Pam.

(d) *Renuntiaverunt. Renuntiare*, pro *attribuere*, accipere hic videtur Auctor, eadem significatione de qua infra latius lib. *de Carn. Chr.* c. 1. Pam.

(e) *Divinarum commemoratoris.* Intelligere videtur Mercurium Trismegistum, Anebonem et Amabonem, quos plerumque secuti sunt Plotinus, Jamblichus et ipse Plato. Pam.

(f) *Ut et ille versus Orphei vel Empedoclis.* Citatur versus a Porphyrio ex Empedocle:

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.

Chalcidius: *Empedocles quidem principalem animæ vim constituit in corde, sic dicens:*

Sanguine cordis enim noster viget intellectus. Rig.

(g) *Protagoras.* Etsi apud Laertium reperiatur Protagoras philosophus abderites auditor Democriti; quia tamen inter libros ejus de anima nullus recensetur, et hic videtur iterum medicos alios committere cum Asclepiade, censeo quidem legi debere *Proxagoras*: sed sine cod. MS. ope id in contextu mutare nolui. Certe Proxagoras medicus a Plinio celebratur tertio loco dicti lib. XXVI, c. 2, etc. Pam.

(h) *Etiam Apollodorus.* Similiter et hic, quamvis a Laerlio recenseatur Apollodorus atheniensis, epicureus philosophus, puto tamen potius loqui Auctorem de Apollodoro altero illorum medicorum, de quibus Plinius l. XX, c. 4. Pam.

(i) *Et Chrysippus.* Hic quoque de Chrysippo medico potius loqui censeo Auctorem, quam de philosopho, cujus supra facta est mentio c. 5; nam citatur is ipse a Plinio frequenter. Pam.

CAP. XVI. — (j) *Quod Plato bifariam*, etc. Similiter supra dixit cap. 14: *Dividitur autem in partes, nunc in duas a Platone.* Habet autem istud Plato dial. 4 *de Repub*: non itaque absurde, inquit, duplices has partes, et inter se diversas esse, ita ut alteram qua ratiocinatur [utpote quæ sit ratiocinii gubernatrix tanquam benigna et studiosa mater, viam vitæ rectam commonstrans] rationalem animæ partem appellemus; alteram qua amat, et esurit, et sitit, et circa alias cupiditates velut consternata adficitur, irrationalem. Pam.

(k) *Ad instar jam naturalitatis.* Per naturæ vitium et deformitatem. Facit hic locus pro peccato originali. Consulto dixit Auctor *ad instar naturalitatis*, quia nec vitium, nec peccatum originis est ipsa natura, aut substantia, aut forma nostra, ut putavit Illyricus, sed accidit naturæ: nam ut optime insinuat Tertullianus, si peccatum esset substantia aut natura nostra, cum omnis substantia a Deo creata sit, sequeretur peccatum a solo Deo creatum esse, et inditum Adæ et posteris. Lac.

(l) *Primordio accidit.* Notante illustrissimo Bossueto (Tomo II, Défense de la Tradition et des Saints Pères, livre VIII, chap. XXIX, pag. 448), in vocabulo Tertulliani τὸ *primordium* non solum initium ab ordine temporum, sed initium etiam a principio et origine intelligendum est; et per hoc intelligitur ingens illa, quæ in corpore nostro et in anima nostra ab initio et in origine generis humani accidit, mu-

Plato solum rationale dicat, ut in anima Dei ipsius, si nos etiam irrationale naturæ adscribimus (1) quam a Deo anima nostra sortita est, æque irrationale de Deo erit, utpote naturale, quia naturæ Deus auctor est. Sed enim a diabolo immissio delicti; irrationale autem omne delictum: igitur a diabolo irrationale, a quo et delictum; extraneum a Deo, a quo est irrationale alienum. Proinde diversitas horum ex distantia auctorum. Proinde, cum Plato, soli Deo segregans rationale, duo genera subdividit ex rationali, indignativum quod appellant θυμικὸν, concupiscentivum quod vocant ἐπιθυμητικὸν, ut illud quidem commune sit nobis et leonibus, istud vero cum muscis, rationale porro cum Deo; video et de hoc mihi esse retractandum, propter ea quæ in Christo deprehenduntur. Ecce enim (a) tota hæc trinitas et in domino: rationale quo docet, quo (2) disserit, quo salutis vias sternit; indignativum, quo invehitur in Scribas et Pharisæos; et concupiscentivum, quo pascha cum discipulis suis edere concupiscit. Igitur apud nos non semper ex irrationali censenda sunt indignativum et concupiscentivum, quæ certi sumus in Dominum (3) rationaliter decucurrisse. (b) Indignabitur Deus rationaliter, quibus scilicet debet, et concupiscet Deus rationaliter quæ digna sunt ipso. Nam et malo indignabitur, et bono concupiscet salutem. Dat et Apostolus nobis concupiscentiam (I *Tim.*, III, 1): *Si quis episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscit;* et *bonum opus* dicens, rationalem concupiscentiam ostendit. Concedit et indignationem; quidni, quam et ipse suscepit? (c) *Utinam et præcidantur*, inquit (*Gal.*, V, 12), *qui vos subvertunt!* Rationalis et indignatio, quæ ex affectu disciplinæ est. At cum dicit (*Eph.*, II, 3): *Fuimus aliquando natura filii iræ*, irrationale indignativum suggillat, quod non sit ex ea natura quæ a Deo est, sed ex illa quam diabolus induxit, dominus et ipse dictus (*Matth.*, VI, 24) sui ordinis: *Non potestis duobus dominis servire;* pater et ipse cognominatus (*Joan.*, VIII, 44): *Vos ex diabolo patre estis*: ne timeas et illi proprietatem naturæ alterius adscribere, posterioris et adulteræ, quem legis (*Matth.*, XIII) avenarum superseminatorem, et frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem.

CAPUT XVII.

Contingit nos illorum etiam quinque sensuum quæstio, quos in primis literis discimus, quoniam et hinc aliquid hæreticis procuratur. Visus est, et auditus, et odoratus, et gustus, et tactus. Horum fidem Academici durius damnant; secundum quosdam, et Heraclitus, et Diocles, et Empedocles; certe Plato in *Timæo*, irrationalem pronuntians (4) sensualitatem, et opinioni complicitam. Itaque mendacium visui objicitur, quod remos in aqua inflexos vel infractos adseverat adversus conscientiam integritatis, quod turrem quadrangulatam de longinquo rotundam persuadeat, quod æqualissimam porticum angustiorem in ultimo infamet, quod cœlum tanta sublimitate suspensum mari jungat. Perinde auditus fallaciæ reus: ut cum cœleste murmur putamus, et plaustrum est; vel tonitru meditante, pro certo de plaustro credimus sonitum. Sic et odoratus et gustus arguuntur; siquidem eadem unguenta; eademque vina, posteriore quoque usu depretiantur. Sic et tactus reprehenditur; siquidem eadem pavimenta manibus asperiora, pedibus læviora creduntur; et in lavacris, idem calidæ lacus ferventissimus primo, dehinc temperatissimus renuntiatur. Adeo, inquiunt, sic quoque fallimur sensibus, dum sententias vertimus. (d) Moderantius Stoici non omnem sensum, nec semper, de mendacio onerant. Epicurei constantius parem omnibus atque perpe-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adscripserimus *Pam. Rhen. Seml.*
(2) Quæ *Fran. Pam.*
(3) Domino *Pam. Fran.*
(4) Pronuntiat *Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

tatio quam S. Augustinus contra Pelagianos defensum ibat. Neque melius explicari potest illud *in quo* Epistolæ ad Romanos, neque disertius exprimi, quod omnes in Adamo peccaverimus, quam dicendo, quod peccatum Adami in nostram transierit naturam; atque naturalem hujus principii sequelam agnoscit Tertullianus, ubi fatetur quod infantes etiam fidelium nascantur impuri; quapropter Christus dixit: *Nisi quis renascatur ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cœlorum*; itaque omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Jam vero in Adam recenseri, non tantum est esse in miseria et pœna, sed insuper etiam in maledicto, in damnatione, in perditione, in peccato; atque propterea subjungit: *omnis anima est peccatrix, quia immunda, et tamdiu* manet *immunda*, donec per baptismum regenerata sit. Sacramentum hoc non tollit mortem, non radicem concupiscentiæ. Si igitur baptismus aufert animæ maculam, eam utique peccati, quam illa dicente Tertulliano per unionem cum carne contraxit, causa concupiscentiæ inordinatæ, qua caro concupiscit contra spiritum, quæve facit carnem peccatricem, antequam esse possit. En omnem theologiam de peccato originali clarissime expositam: en primum peccatum in omnium hominum naturam transmissum: en propagationem illius per concupiscentiam carnis: en remissionem illius in Baptismo! Quid ulterius adjungi potest? Lemp.

(a) *Tota hæc trinitas.* Scilicet ratiocinantis, irascentis et concupiscentis animæ triplex munus in Evangelio indicatur: Rationalis et docentis, *Matth.* VII et XII; indignantis seu irascentis, *Matth.* XXIII; desiderantis sive concupiscentis, *Lucæ* XXII. Lac.

(b) *Indignabitur Deus rationaliter.* Si intelligatur istud hypothetice, sicuti Scriptura loquitur, quod indignatio Dei pro vindicta Dei sumatur, nihil obstat eam Deo adtribui: alicubi tamen adnotavimus inter paradoxa Tertulliani collocandum, quod iram proprie Deo videatur attribuere. Pam.

(c) *Utinam et præcidantur.* Hoc in Judæos torquet Paulus *Epist. ad Galatas, cap.* V: *Utinam*, inquit, *qui vos ad circumcisionem, et cætera mosaica revocant, non tantum circumcidantur, sed et præcidantur*: ὄφελον καὶ ἀποκόπτονται. Chrysostomus, μὴ περιτεμνέσθωσαν μόνον, ἀλλὰ καὶ περικοπτέσθωσαν. Et apud Primasium Uticensem: *Non solum circumcidantur, sed etiam abscindantur, si expolitio membri proficit.* Rig.

(d) *Moderantius Stoici.* Sensus veros esse Stoici pronuntiant; phantasias vero alias veras esse, alias falsas, ut monet Plutarchus cap. 9, lib. IV *de placitis.* Epicurus phantasiam omnem sensusque omnes veros

tuam defendunt veritatem, sed alia via : non enim sensum mentiri, sed opinionem ; sensum enim pati, non opinari ; animam enim (1) opinari. Absciderunt et opinionem a sensu, et sensum ab anima Et unde opinio, si non a sensu? Denique nisi visus rotundam senserit turrem, nulla opinio rotunditatis. Et unde sensus, si non ab anima? Denique carens anima corpus, carebit et sensu. Ita et sensus ex anima est, et opinio ex sensu, et anima totum. Cæterum optime proponetur, esse utique aliquid, quod efficiat aliter quid a sensibus renuntiari, quam sit in rebus. Porro si potest id renuntiari quod non sit in rebus, cur non perinde possit per id renuntiare quod non sit in sensibus, sed in eis rationibus quæ interveniant suo nomine? Atque adeo licebit eas recognosci. (*a*) Nam ut in aqua remus inflexus vel infractus appareat, aqua in caussa est. Denique extra aquam integer visui remus. Teneritas autem substantiæ illius, qua speculum ex lumine efficitur, prout icta seu mota est, ita et imaginem vibrans, evertit lineam recti. Item ut turris habitus eludat, intervalli conditio compellit in aperto : æqualitas enim circumfusi aeris, pari luce vestiens angulos, obliterat lineas. Sic et uniformitas porticus acuitur in fine, dum acies in concluso stipata, illic tenuatur quo et extenditur. Sic et cœlum mari unitur, ubi visio absumitur ; quæ quamdiu viget, tamdiu dividit. Auditum vero quid aliud decipiet, quam sonorum similitudo? Et, si postea minus spirat unguentum, et minus sapit vinum, et minus lacus fervet, in omnibus ferme prima vis tota (2) est. Cæterum, de scabro ac lævi merito manus ac pedes, tenera scilicet et callosa membra, dissentiunt. Igitur hoc modo, nulla sensuum frustratio caussa carebit. Quod si caussæ fallunt sensus, et per sensus opiniones, jam nec in sensibus constituenda fallacia est, qui caussas sequuntur, nec opinionibus, quæ a sensibus diriguntur, sequentibus caussas. Qui insaniunt, alios in aliis vident, ut Orestes matrem in sorore, et Ajax Ulyssem in armento, ut Athamas et Agave in filiis bestias. Oculisne hoc mendacium exprobrabis, an furiis? (*b*) Qui redundantia fellis auruginant, amara sunt omnia. Num ergo gustui prævaricationem exprobrabis, an valetudinem? Omnes itaque sensus evertuntur, vel circumveniuntur ad tempus, ut proprietate fallaciæ careant. Imo jam ne ipsis quidem caussis adscribendum est fallaciæ elogium. Si enim ratione hæc accidunt, ratio fallacia perhiberi non meretur. Quod sic fieri oportet, mendacium non est. Itaque si et ipsæ caussæ infamia liberantur, quanto magis sensus, quibus jam et caussæ libere præeunt! cum hinc potissimum et veritas et fides et integritas sensibus vindicanda sit, quod non aliter renuntient, quam quod illa ratio mandavit, quæ efficiat aliter quid a sensibus renuntiari, quam sit in rebus. Quid agis, Academia procacissima (3)? totum vitæ statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam exæcas, qui cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces et mendaces dominos præfecerit sensus. Annon istis universa conditio subministratur? Annon per istos secunda quoque mundo instructio accessit? tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus ornatusque omnia? Totum vitæ saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animal rationale dignoscitur, intelligentiæ capax et ipsius Academiæ. Sed enim Plato, ne quod testimonium sensibus signet, propterea et in *Phædro* ex Socratis persona negat se cognoscere posse semetipsum, ut monet Delphica inscriptio ; et in *Theæteto* adimit sibi scire, atque sentire ; (*c*) et in *Phædro*, post mortem differt sententiam veritatis, posthumam scilicet ; et tamen, nondum mortuus, philosophabatur. Non licet, non licet (4) nobis in dubium sensus istos devocare, ne et in Christo de fide eorum deliberetur (5) ; ne forte dicatur, quod falso Satanam prospectarit de cœlo præcipitatum (*Luc*, X, 18), aut falso vocem Patris audierit de ipso testificatam (*Matth*, III, 17) ; aut deceptus sit cum Petri socrum tetigit (*Matth.*, VIII, 15) ; aut alium postea unguenti senserit spiritum, quod in sepulturam suam acceptavit, alium postea vini saporem, quod in sanguinis sui memoriam consecravit. Sic enim et Marcion phantasma eum maluit credere, totius corporis in illo dedignatus veritatem.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Enim *del. Jun.* non *add. Rig. Ven.*
(2) Totum *Jun.*
(3) Academice procacissime *Pam. Rhen.*
(4) Non licet *semel scrib. Pam. Rhen.*
(5) Delibretur *Jun.*

COMMENTARIUS.

esse asseruit ; opiniones vero alias veras, alias non item ; sensus apud Clementem Alex. sunt ἀπλανῆ τῆς ἀντιλήψεως. Le Pr.

(*a*) *Nam ut in aqua remus inflexus.* Si quando remus aquæ immersus fractus videatur, aut turris quadrata appareat rotunda, id vitio et errori sensibus tribui non debet, sed intellectui : sensus enim facultas est ratiocinii expers, unde illa apparentia fucum facere non potest, cum tamen de intellectu non idem accidat. Rationis enim particeps est intellectus, atque cum sensationem factam sentit, non ulterius progreditur ad illius examen, sed judicium præceps exercet, unde error omnis ipsi tribuendus est, quoniam ea non expendit quæ sui muneris sunt. Le Pr.

(*b*) *Qui redundantia fellis auruginant.* Hunc etiam locum tractavit adversus Arianos Georgius Bæticus, ubi de sapientia Dei. « Nihil in illa sincerissimi decoris aspiciunt, inquit, sicut et lippientibus oculis nulla est visio veritatis, quandoquidem aliter eorum renuntiat aspectus, quam in fide rerum est. Sed et cui saporem proprium redundans sui fellis amaritudo vitiavit, si dulcia mella degustet, ut amaram dulcedinem mellis infamat, non recognoscens malum propriæ amaritudinis. » Le Pr.

(*c*) *Et in Phædro post mortem differt.* Peculiaria quidem verba apud Platonem in *Phædro* reperire non potui, sed eo pertinere mihi videtur, quod ibi philosophatur de animabus, quæ post hanc vitam in supercœlesti loco, id quod revera est, sive ipsam veritatem, intueri merentur, et his quæ revera sunt

Atquin ne in Apostolis quidem ejus ludificata natura est. Fidelis fuit et visus et auditus in monte (*Matth.*, XVII) : (*a*) fidelis et gustus vini illius, licet aquæ ante, in nuptiis Galilææ (*Joan.*, II) : fidelis et tactus exinde creduli Thomæ (*Joan.*, XX). Recita Joannis testationem : (*b*) *Quod vidimus*, inquit (I *Joan.*, I, 1), *quod audivimus, oculis nostris vidimus, et manus nostræ contrectaverunt de Sermone vitæ*. Falsa utique testatio, si oculorum, et aurium, et manuum sensus natura mentitur.

CAPUT XVIII.

Convertor ad intellectualium partem, quemadmodum illam Plato a corporalibus separatam hæreticis commendaverit, agnitionem ante mortem consecutus. Ait enim in Phædone (1) : Quid tum erga ipsam prudentiæ possessionem? Utrumne impedimentum erit corpus, annon, si quis illud socium adsumpserit in quæstionem? Tale quid dico, habetne veritatem aliquam visio et auditio hominibus, annon? Annon etiam poetæ hæc nobis semper obmussant, quod neque audiamus certum, neque videamus? Memineret scilicet et Epicharmi Comici : (*c*) *Animus cernit, animus audit, reliqua surda et cæca sunt*. Itaque rursus, illum ergo ait supersapere, qui mente maxime sapiat, neque visionem proponens, neque ullum ejusmodi sensum attrahens animo, sed ipsa mente sincera utens in recogitando, ad capiendum sincerum quodque rerum, segressus (2) potissimum ab oculis et auribus, et, quod dicendum sit, a toto corpore, ut turbante, et non permittente animæ possidere veritatem atque prudentiam, quando communicat. Videmus igitur adversus sensus corporales aliam portendi paraturam, ut multo idoniorem, vires scilicet animæ, intellectum operantes ejus veritatis, (*d*) cujus res non sint coram, nec subjaceant corporalibus sensibus, sed absint longe a communi conscientia, in arcano, et in superioribus, et apud ipsum Deum. Vult enim Plato (*e*) esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas et æternas, quas appellat Ideas, id est formas, exempla, et caussas naturalium istorum manifestorum, et subjacentium corporalibus sensibus; et illas quidem esse veritates, hæc autem imagines earum. Relucentne jam hæretica semina Gnosticorum et Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium sensuum, et intellectualium virium, quam etiam parabolæ decem virginum (*Matt.* XXIV) adtemperant : ut quinque stultæ sensus corporales figuraverint, stultos videlicet, quia deceptui faciles ; sapientes autem intellectualium virium notam expresserint, sapientiam scilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam et supernam, et apud pleroma constitutam, hæreticarum idearum sacramenta : hoc enim sunt et æones, et genealogiæ illorum. Itaque et sensum dividunt : et intellectualibus quidem, a spiritali suo semine ; sensualibus vero, ab animali, quia spiritalia nullo modo capiat ; et illius quidem esse invisibilia, hujus vero visibilia, et humilia, et temporalia, quæ sensu conveniantur, in imaginibus constituta. Ob hæc ergo præstruximus neque animum aliud quid esse, quam animæ suggestum et structum; neque spiritum extraneum quid, quam animæ suggestum et structum ; neque spiritum extraneum quid, quam quod et ipsa per flatum. Cæterum accessioni deputandum, quod aut Deus postea, aut diabolus adspiraret. Et nunc ad differentiam sensualium et intellectualium, non aliud admittimus, quam rerum diversitates, corporalium et spiritalium, visibilium et invisibilium, publicatarum et arcanarum ; quod illæ sensui, istæ intellectui adtribuantur ; apud animam tamen et istis et illis obsequio deputatis, quæ perinde per corpus corporalia sentiat, quemadmodum per animum incorporalia intelligat, salvo eo, ut etiam sentiat dum intelligit. Non enim et sentire intelligere est, et in-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Phædro *Par. al.*

(2) Si egressus *Rhen.*

COMMENTARIUS.

inspectis, rursus apud internam cœli partem revertuntur, et quidem multo studio omnes teneri videndi campum veritatis, ubinam sit. Pam. — *Et in Phædro.* Minimum abest quin *in Phædone* legendum existimem, ut in cap. sequenti, ubi testimonium affert. Voces etiam attende *post mortem differt*. Moriturus enim Phædonem composuit, et philosophatus est Socrates, sumpto veneno. Le Pr.

(a) *Fidelis et gustus vini illius, licet aquæ ante.* Apage igitur Nicephorum illum nugatorem, qui de primo Christi miraculo sic verba facit, ut præstigiatoris imposturam fuisse aliquis putet : ἐξ ἀδήλων, inquit, *βοτρύων οἶνος ἐπηγάζετο*. Imo, ἐξ ἀτίμων ὑδρίων. Ric.

(b) *Quod vidimus*, inquit, *quod audivimus*. Paulo aliter fortassis, ut sensuum visus et auditus ordinem servaret, et clarius citat Auctor hunc locum, quam græce aut latine aut syriace legitur; nempe: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus*. Pam.

(c) *Animus cernit, animus audit*, etc. Epicharmi versum esse multi consentiunt; habetur tamen apud Plutarchum opusculo de Fortuna, sed sine auctoris nomine:

Καὶ νοῦς ὁρᾷ, καὶ ἀκούει, τὰ δ' ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά. Le Pr.

(d) *Cujus res non sint coram.* Innuit Auctor cur assertæ a Platone ideæ, de quibus mox ; nec est longe ab Aristotelis mente, qui I et II *Metaph.* asserit Platonem cum Cratilo versatum, et imbutum opinione Heraclitii, qui volebat omnia, quæ sub sensum cadunt, fluere, quorum scientia nulla esse poterat; idcirco constituisse ideas, quibus se habentibus semper eodem modo, definitiones scientiæque constarent; quam rationem ut futilem eludit ipse, sicut et opinionem idearum irridet I *Ethic.* cap. 6. Lac.

(e) *Esse quasdam substantias invisibiles*, etc. Plurimi e Patribus ideas admittunt. Qui vero eas repudiant, eas repudiant prout a Gnosticis et Valentini sectatoribus accipiebantur. Hi enim hæretici Platonem sequi videntur in multis ; quamvis etiam damnatas a multis Patribus legerim, eo sensu quo Aristoteles docuit : nimirum Platonem admisisse ideas quasdam naturas universales separatas, quarum participatione singularia producerentur. Hic imposturam facit, aut patitur Aristoteles ; id enim e platonicis libris orui nequit. Le Pr.

telligere (1) sentire est? Aut (2) quid erit sensus, nisi ejus rei quæ sentitur intellectus? Quid erit intellectus, nisi ejus rei quæ intelligitur sensus? Unde ista tormenta cruciandæ simplicitatis, et suspendendæ veritatis? Quis mihi exhibebit sensum non intelligentem quod sentit, aut intellectum non sentientem quod intelligit, ut probet alterum sine (3) altero posse? Si corporalia quidem sentiuntur, incorporalia vero intelliguntur, rerum genera diversa sunt, non domicilia sensus et intellectus, id est, non anima et animus. Denique, a quo sentiuntur corporalia? Si ab animo, ergo jam et sensualis est animus, non tantum intellectualis: nam dum intelligit, sentit; quia si non sentit, nec intelligit. Si vero ab anima corporalia sentiuntur, jam ergo intellectualis est vis animæ, non tantum sensualis: nam dum sentit, intelligit; quia si non intelligit, nec sentit. Proinde, a quo intelliguntur incorporalia? si ab animo, ubi erit anima? si ab anima, ubi erit animus? Quæ enim distant, abesse invicem debent, cum suis muneribus operantur. Putabis quidem abesse animum ab anima, si quando animo ita afficimur, ut nesciamus nos vidisse quid, vel audisse, (*a*) quia alibi fuerit animus; adeo contendam, imo ipsam animam nec vidisse, nec audisse, quia alibi fuerit cum sua vi, id est, animo. Nam et cum dementit homo, dementit anima, non peregrinante, sed compatiente tunc animo. (*b*) Cæterum, animæ principaliter casus est. Hoc inde firmatur, quod, anima digressa, nec animus in homine inveniatur: ita illam ubique sequitur, a qua nec in fine subremanet. Cum vero sequitur et addicitur, proinde intellectus animæ addicitur, quam sequitur animus cui addicitur intellectus. Sit nunc et potior sensu intellectus, et potior cognitor sacramentorum: dummodo et ipse propria vis animæ, quod et sensus, nihil mea interest, nisi cum idcirco præfertur sensui intellectus, ut ex hoc quoque separatior habeatur, A quo potior adfirmatur. Tunc mihi post differentiam, etiam prælatio retundenda est, perventuro (4) usque ad (*c*) potioris Dei persuasionem. (*d*) Sed de Deo, suo quoque campo, experiemur cum hæreticis. Nunc de anima titulus, et intellectu non insidiose præferendo locus. Nam etsi potiora sunt quæ intellectu attinguntur, ut spiritalia, quam quæ sensu, ut corporalia, rerum erit prælatio, sublimiorum scilicet adversus humiliores, non intellectus adversus sensum. (*e*) Quomodo enim præferatur sensui intellectus, a quo informatur ad cognitionem veritatum? Si enim veritates per imagines adprehenduntur, id est invisibilia per visibilia noscuntur, quia et Apostolus nobis scribit (*Rom.* I, 20): *Invisibilia enim ejus a conditione mundi de factitamentis intellecta visuntur;* et B Plato hæreticis: *Facies occultorum, ea quæ apparent;* et necesse est omnino hunc mundum imaginem quamdam esse alterius alicujus. (5) Videtur intellectus duce uti sensu, et auctore, et principali fundamento, nec sine illo veritates posse contingi: quomodo ergo potior erit eo per quem est, quo eget, cui debet totum quod attingit? Ita utrumque concluditur: neque præferendum sensui intellectum; per quem enim quid constat, inferius ipso est; neque separandum a sensu: per quod enim quid est, cum ipso est.

CAPUT XIX.

Sed ne illi quidem prætereundi, qui vel modico temporis viduant animam intellectu. Proinde enim viam sternunt postea inducendi ejus, sicut et (6) C animi, a quo scilicet (7) proveniat intellectus. Volunt infantiam sola anima contineri, qua tantummodo vivat, non ut pariter sapiat; quia nec omnia sapiant quæ vivant: denique, arbores vivere, nec tamen sapere, secundum Aristotelem, et si quis alius substantiam animalem (*f*) in universa communicat, quæ apud nos in homine privata res est, non modo

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non *inser. Wouw.*
(2) At *Rhen. Pam.*
(3) Ex *cod. Agobard.*
(4) Perventura quoque *Seml. Pam.*
(5) Et quod sibi *add. Fran.* quod sibi *Pam.*
(6) Et *del. Jun.*
(7) Sic ut anima scilicet *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quia alibi fuerit animus.* Huc pertinet ex parte illud B. Gregorii Nyss. lib. IV *Philos.* cap. 3: « Vel cum meus aliis intendit, ut dum proposuit quis amicum convenire, et jam alloculturus præterit eum, eo quod mens aliis distrahatur, neque hic est error visus, sed intellectus. » PAM.

(b) *Cæterum animæ principaliter casus est.* Verba hæc ex eorum sententia adferre videtur, qui ab anima animum distinguebant, sicut etiam illa, *quod anima digressa*, etc. Verum etiam illud argumentum suæ opinioni accommodat sequentibus verbis: *cum vero sequitur*, etc. PAM. — *Animæ principaliter casus est.* Non ex eorum sententia loquitur, qui animum ab anima distinguebant omnino, ut putavit Pamelius, sed ex sua adversus illos: nam anima incolumi animum et mente u perire dicebant, et posse cadere; Tertullianus vero vult quod animam sequatur animus, et pereunte anima et cadente, ut principaliori, corruat tunc etiam animus subnixus animæ. LAC.

(c) *Potioris Dei persuasionem.* Perstringit Marcionitas et alios Gnosticorum, qui plures Deos confingentes, unum alteri præferebant, bonum malo. De his tamen copiose ad libros *contra Marcionem.* LAC.

(d) *Sed de Deo suo quoque campo cum hæret.* Videtur indicare libros suos *adv. Marcionem*, quos jam meditabatur, qui infra habentur. Nam primus et secundus peculiariter de Deo disserunt. PAM.

(e) *Quomodo enim præferatur sensui.* Solet artificiose Tertullianus ex fiducia ingenii, ut persuadeat quod rectum est, in contrariam et obliquam partem vergere, ut qui curvam virgam dirigunt, in oppositum torquent: ita hic peræquare videtur sensum intellectui adversus eos, qui nimium illum deprimebant, hunc extollebant. Verum licet facultatibus in se collatis invicem, sensui præstet intellectus; relatis ad primam radicem et originem, ut hoc capite retulit, neutra præstat, cum utriusque fons et domicilium originale eadem res sit, nempe anima: non anima et animus ut res diversæ, uti contrarii fuerant arbitrati. Eo etiam referri possunt probationes quas subdit Tertullianus, ut necessitas sensuum quam habet intellectus, argumentum sit unitatis principii et radicis, ac proinde æqualitatis originis. LAC.

CAP. XIX. — (f) *Substantiam animalem.* Substan-

ut Dei opus, quod et cætera, sed ut Dei flatus, quod hæc sola, quam dicimus (*a*) cum omni instructu suo nasci. Et si ad arbores provocamur, amplectemur exemplum : siquidem et illis, necdum arbusculis, sed stipitibus adhuc, et surculis etiam nunc, simul de scrobibus oriuntur, inest propria vis animæ. Verum pro temporis ratione remoratur, coalescens et coadulescens (1) robori suo, donec ætas impleat (2) habitum quo natura fungatur. Aut unde mox illis et frutices inoculantur, et folia formantur, et germina inflantur, et flosculi inornantur, et succi condiuntur; si non in ipsis omnis paratura generis quiescit, et partibus promota grandescit? Inde igitur et sapiunt unde vivunt, tam vivendi quam sapiendi proprietate, et quidem ab infantia et ipsæ sua. Video enim et vitem adhuc teneram et impuberem, intelligentem tamen jam opera sua, et volentem alicui adhærere, cui inmisa (3) et innexa proficiat; denique non expectata rustica disciplina, sine arundine, (*b*) sine cervo (4), si quid attigerit, ultro ambibit, et quidem viriosius de suo ingenio, quam de tuo arbitrio : properat esse secura. Video et hederas, quantum velis primas, statim ad superna conari, et, nullo præeunte, suspendi; quod malint parietibus invehi, textili sylva, quam humi teri, voluntaria injuria. Contra, quibus (*c*) de ædificio male est, ut crescendo recedunt! ut refugiunt (5)! Sentias ramos (6) aliorsum destinatos (7) et animationem arboris de divortio parietis intelligas; (*d*) contenta est (8) parvitate, quam ex primordio providentissimi fruticis edidicit, timens (9) etiam ruinam. Has ego sapientias et scientias arborum, cur non contendam? Vivant ut philosophi volunt; sapiant ut philosophi nolunt; intelligat et infantia (10) ligni; quo magis hominis, cujus anima, velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta, et genitalibus fœminæ foveis commendata cum omni sua paratura, pullulabit tam intellectu quam et sensu? Mentior, si non statim infans ut (*e*) vitam vagitu salutavit, hoc ipsum se testatur sensisse atque intellexisse, quod natus est, omnes simul ibidem dedicans sensus, et lucc visum, et sono auditum, et humore gestum, et aere odoratum, et terra tactum. Ita prima illa vox de primis sensuum, et de primis intellectuum pulsibus cogitur. Plus est, quod (*f*) de prospectu lacrymabilis vitæ quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur; quo etiam præsciens habenda sit ab ingressu nativitatis, nedum intelligens. (11) Exinde et matrem spiritu probat, et nutricem spiritu examinat, et gerulam spiritu agnoscit, fugiens extranea ubera, et recusans ignota cubilia, et nemiuem appetens nisi ex usu. Unde illi judicium novitatis et moris, si non sapit? unde illi et offendi et demulceri, si non intelligit? Mirum satis, ut infantia naturaliter animosa sit, non habens animum; et naturaliter adfectiosa sit, non habens intellectum. Atenim Christus ex ore lactentium et parvulorum experiendo laudem, nec pueritiam, nec infantiam hebetes pronuntiavit : quarum altera (*Matt.* XXI), cum suffragio occurrens, testimonium ei potuit offerre; altera (*Matt.* II), pro ipso trucidata, utique vim sensit.

CAPUT XX.

Et hic itaque concludimus, omnia naturalia animæ, ut substantiva ejus, ipsi inesse, et cum ipsa procedere atque proficere, ex quo ipsa censetur, sicut et (*g*) Seneca sæpe noster : « (*h*) Insita sunt nobis omnium artium et ætatum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et coadulescens *omitt. Seml. Obert.*
(2) Adimpleat *Pam. Rhen.*
(3) Inmixa *Pam. Rhen.*
(4) Corno *Pam. Fran.* orno *al.*
(5) Refugium *Rhen. Pam. Seml.*
(6) Ramis al. destinatis *Jun.*
(7) Destinatum *Par.*
(8) Contentæ sua *Pam. Rhen. Seml.*
(9) Timentis *Pam. Rhen. Seml.*
(10) Intelligant et infantiam *Pam. Rhen.*
(11) Non enim *inser. Pam. Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

tiam animalem pro potentia animali seu vegetativa accipit. Pam.

(a) *Cum omni instructu suo.* Quasi cum omni instructo et instrumento, cum omni censu, cum omnibus suis. Sic enim supra; atque in hunc significatum locutiones istas apud Africanos præsertim fuisse indicat Augustinus libro II *Quæst. in Exod.* quæst. 47 : *Græcus*, inquit, ἀποσκευὴν *habet, ubi substantiam latinus interpretatus est, quod aliquando censum interpretantur nostri, sicut nunc instructum dicere solemus.* Itaque sic etiam legendum in Septimii nostri Apologetico : *De habitu, victu, instructu, censu, ipso denique sermone prorsus renuntiastis.* Rig.

(b) *Sine cervo.* Maluit Rigaltius servare vocem *cervo* quam *corno* aut *orno* reponere. Hic enim de vitis pedamentis, non de arboribus vitis amicis agitur, quales sunt ornus et cornus. Sunt autem *Cervi* bacilla furcillata habentia figuram literæ v, a similitudine cornuum cervi; quod docet M. Varro lib. IV. Le Pr.

(c) *De ædificio male est.* Sic hb. de Pallio : *A cœlo bene est.* Rig.

(d) *Contenta est parvitate.* Cod. Agobardi, *Continentia est par.* Rig.

(e) *Ut vitam vagitu salutavit.* Hæc primordia et hominum principia satis infelicia tractat Plin. lib. VII, in præfatione. Le Pr.

(f) *De prospectu lacrymabilis vitæ.* Quid illa vita deflendum magis; quæ a miseris incipit vagitibus, dolore, fame, siti et mille aliis incommodis, quæ in iisdem atque majoribus exigitur, quæque mortem habet pro termino? Le Pr.

CAP. XX.—(g) *Seneca sæpe noster.* Quia sæpe secundum Christianos sentit. Rig.—*Seneca sæpe noster.* Id est qui nobiscum facit in multis. An Senecæ ad B. Paulum, itemque B. Pauli Epistolæ extiterint, non ausim affirmare, quamvis S. Hieronymus id testetur; si quæ enim fuerunt, eæ supposititicæ fuerunt. Nec objiciat quis emunctæ naris hominem S. Hieronymum haud facile decipi potuisse. Cum enim continentissimæ vitæ Senecam ait, quis deceptum non agnoscat? Le Pr.

(h) *Insita sunt nobis omnium artium et ætatum semina; magisterque ex occulto Deus producit ingenia.* Verba sunt Senecæ, cap. 6 lib. IV, *De Beneficiis.* Le Pr.

semina : magisterque ex occulto Deus producit ingenia. » Ex seminibus scilicet insitis, et occultis per infantiam, quæ sunt et intellectus. Ex his enim producuntur ingenia. Porro, ut (1) frugum seminibus una cujusque generis forma est, processus tamen varii, alia integro statu evadunt, alia etiam meliora respondent, alia degenerant pro conditione cœli et soli, pro ratione operis, et curæ, pro temporum eventu, pro licentia casuum : ita et animam licebit semine uniformem, fœtu multiformem : nam et hic etiam de locis interest. (*a*) Thebis hebetes et brutos nasci relatum est; (*b*) Athenis sapiendi dicendique acutissimos ; ubi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur, præcoce lingua. Siquidem et Plato in *Timæo*, Minervam adfirmat, cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam. Unde et ipse, in *Legibus*, Megillo et Cliniæ præcipit condendæ civitati locum procurare. Sed Empedocles caussam argutæ indolis et obtusæ in sanguinis qualitate constituit ; perfectum ac profectum de doctrina disciplinaque deducit. Tamen vulgata jam res est gentilium proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt ; Sallustius vanos Mauros, et feroces Dalmatas pulsat ; (*c*) mendaces Cretas etiam Apostolus (*Tit.* I, 12) inurit. Fortassean et de corpore et de valetudine aliquid accedat : opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit ; paralysis mentem prodigit, phthisis servat. Quanto magis de accidentibus habebuntur, quæ, citra (2) corpulentiam et valentiam, vel acuunt, vel obtundunt ! Acuunt doctrinæ, disciplinæ, artes, et experientia, negotia, studia ; obtundunt inscitiæ, ignaviæ, desidiæ, libidines, inexperientiæ, otia, vitia ; super hæc, si et alia, quæ præsunt potestates. Enimvero præsunt, secundum nos quidem, Deus Dominus, et diabolus æmulus ; secundum communem autem opinionem providentiæ (3) fatum et necessitas, et fortuna (4) et arbitrii libertas. Nam hæc, et philosophi distingunt, et nos secundum fidem disserenda suo jam vovimus titulo.

A Apparet quanta sint quæ unam animæ naturam varie collocarint, ut vulgo naturæ deputentur, quando non species sint, sed sortes naturæ et substantiæ unius ; illius scilicet, quam Deus in Adam contulit, et matricem omnium fecit : atque adeo sortes erunt, non species substantiæ unius, ut et varietas ista moralis quanta nunc est, tanta non fuerit in ipso principe generis Adam. Debuerant enim fuisse hæc omnia in illo, ut in fonte naturæ, atque inde cum tota varietate manasse, si varietas naturæ fuisset.

CAPUT XXI.

Quod si uniformis natura anima ab initio in Adam, ante tot ingenia, ergo non multiformis (5) per tot ingenia ; jam nec (6) triformis, ut adhuc (*d*) trinitas valentiniana cædatur, quæ nec ipsa in Adam recog- B noscitur. Quid enim spiritale in illo ? Si quia prophetavit magnum illud sacramentum in Christum et Ecclesiam (*Gen.* II) : *Hoc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea, vocabitur mulier ; propterea relinquet homo patrem et matrem, et adglutinabitur mulieri suæ, et erunt duo in carnem unam ;* hoc postea obvenit, (*e*) cum in illum Deus amentiam immisit, spiritalem vim qua constat prophetia. Si et malum in eo apparuit transgressionis admissum, nec hoc naturale deputandum est, quod instincta serpentis operatus est (*Gen.* III), tam non naturale, quam nec materiale ; quia et materiæ fidem jam exclusimus. Quod si nec spiritale, nec quod dicitur materiale proprium in illo fuit ; nam si (7) ex materia fuisset mali semen, superest ut solum in illo et unicum fuerit naturale, quod censetur animale ; C quod statu simplex et uniforme defendimus. De hoc plane relinquitur quæri an demutabile debeat credi, quod naturale dicatur. Idem enim convertibilem negant naturam, ut trinitatem suam in singulis proprietatibus figant : quia arbor bona malos non ferat fructus, nec mala bonos ; et nemo de spinis metat ficus, et de tribulis uvas. Ergo si ita est, neque de lapidibus filios Abrahæ suscitare (*Matt.* III) poterit Deus, nec gemimina viperarum facere pœnitentiæ fructus ; et erra-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *Pam. al.*
(2) Circa *Pam. Seml. Oberth*
(3) Et providentia et *Pam. Seml. Rhen.*
(4) Fortunæ *Rig. Ven.*
(5) Quia uniformis *add. Rhen. Pam.*
(6) Nec qua *Rig. Ven.* nec quadriformis *cod. Agobard.*
(7) Et si *Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Thebis hebetes et brutos nasci relatum est.* Thebas Bœotiæ intelligit. Usque adeo autem id verum est, ut ex pinguedine ingenii quidam Bœotos dictos putent, et in proverbium abierint sus bœotica, auris bœotica, et quod proprius huc accedit, hæoticum ingenium, de quibus late Erasmus in Chiliadibus, qui etiam inde derivatum putat, quod hebetes et brutos homines germanica et britanica lingua *Bot*, id est Bœotos appellemus. Pam.

(b) *Athenis sapiendi dicendique acutiss.* Huc pertinet illud Ciceronis in orat. pro Flacco : *Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur.* Item quod a Platone, in *Protagora*, Athenæ prytaneum sapientiæ appellentur. Denique quod idem, dial. I *de Legibus* vocet civitatem eloquentiæ, et multi sermonis studiosam. Pam.

(c) *Mendaces Cretas.* Mendacii nomine male audierunt Cretenses. Scholiastes Callimachi in Jovis hym- D num, ex quo loco B. Apostolus citat verba I ad Titum I, ait : *παροιμία ἐστὶ τὸ κρητίζειν ἀπὸ τοῦ ψεύδεσθαι, ἀπὸ Ἰδομενέως τοῦ κρητὸς ῥηθείσης· ὃς λαχὼν μερίσασι τοῖς Ἕλλησιν τὰ λοιπὰ Ἰλίου τὰ, χρείττω ἑαυτῷ περιποιήσατο. In adagium abiit Cretisare, hoc est mentiri ; ab Idomeneo Cretæ natum, qui cum Trojæ spolia Græcis divisurus esset, meliora sibi reservavit.* Le Pr.

CAP. XXI.—(d) *Trinitas Valentiniana.* Trinitas illa est hominis non Dei, faciebant enim ii hæretici hominem spiritalem, animalem sive carnalem, terrestrem sive materialem. Le Pr.

(e) *Cum in illum Deus amentiam immisit.* Supra, *Accidentium spiritus passus est, cecidit enim ecstasis super illum, Sancti Spiritus vis, operatrix prophetiæ.* Rig. — *Amentiam immisit.* Ex LXX Interp. qui (*Gen.* II) habent ἔκστασιν. Sic ipse Auctor, cap. XI, somnum Adami ecstasim appellavit, neque aliud per amentiam intelligit. Lac.

vit Apostolus scribens (*Eph.* V) : *Eratis et vos aliquando tenebræ;* et (*Eph.* II) : *Fuimus et nos aliquando natura filii iræ*, et (I *Cor.* VI) : *In his vos quoque fuistis, sed abluti estis.* Sed nunquam discordabunt sententiæ sanctæ. Non dabit enim (*Luc.* VI) arbor mala bonos fructus, si non inseratur; et bona malis dabit, si non colatur; et lapides filii Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur, et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur; quæ cum sit et ipsa naturalis atque mutabilis, (1) quoquo vertitur, natura convertitur. (*a*) Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter, jam et Marcioni ostendimus et Hermogeni. Quid nunc, si et (2) naturæ conditio sic erit definienda, ut duplex determinetur, natorum et innatorum, factorum et infectorum? Atque ita quod natum factumque constiterit, ejus natura capiet demutationem : et renasci enim poterit, et refici. Innatum autem et infectum immobile stabit. Quod cum soli Deo competat, ut soli innato et infecto, et idcirco immortali et inconvertibili, absolutum est, cæterorum omnium natorum atque factorum convertibilem et demutabilem esse naturam; ut etsi trinitas animæ adscribenda esset, ex mutatione accidentiæ, non ex institutione naturæ deputaretur.

CAPUT XXII.

Cætera animæ naturalia jam a nobis audiit Hermogenes, cum ipsorum defensione et probatione per quæ Dei potius quam materiæ cognoscitur. Hic solummodo nominabuntur, ne præterita videantur. Dedimus enim illi et libertatem arbitrii, ut supra scripsimus, et dominationem rerum, (*b*) et divinationem interdum, seposita quæ per Dei gratiam obvenit ex (3) prophetia. Itaque jam ab isto dispositionis retractatu recedam, (*c*) ut ordinem ejus expungam. Definimus animam Dei flatu natam, (*d*) immortalem, (*e*) corporalem, (*f*) effigiatam, substantia simplicem, de suo patientem (4), varie procedentem, liberam arbitrii, (*g*) accidentiis (5) obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, divinatricem, ex una redundantem. Sequitur nunc, ut quomodo ex una redundet consideremus, id est, unde, et quando, et qua ratione sumatur.

CAPUT XXIII.

Quidam de cœlis devenisse se credunt, tanta persuasione, quanta et illuc indubitate regressuros repromittunt; ut Saturninus Menandri simoniani discipulus induxit, hominem affirmans ab angelis factum, primoque opus futile, et invalidum, et instabile, in terra vermis instar palpitasse, quod consistendi vires deessent; dehinc ex misericordia summæ potestatis, ad cujus effigiem, nec tamen plene perspectam, temere structus fuisset, scintillulam vitæ consecutum quæ illud exsuscitarit et erexerit, et constantius animarit, et post decessum vitæ ad matricem relatura sit. Sed et Carpocrates tantumdem sibi de superioribus vindicat, ut discipuli ejus animas suas jam et Christo, nedum Apostolis, et peræquent, et cum volunt præferant; quas perinde de sublimi virtute conceperint, despectrice mundi potentium principatuum. Apelles sollicitatas refert animas terrenis escis de supercœlestibus sedibus ab igneo angelo Deo Israel (6) et nostro, qui exinde illis peccatricem circumlinxerit carnem. Examen Valentini semen Sophiæ infulcit animæ, (*h*) per quod historias, atque (7) milesias Æonum suorum ex imaginibus visibilium recognoscunt. Doleo bona fide, (*i*) Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum. Illius est enim et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *add. Rhen. Seml.*
(2) Et *omitt. Seml. Rhen.*
(3) *Forte* et, *pro* ex. *Edd.*
(4) Sapientem *Rig. Ven.*
(5) Accidentis *Fran.*
(6) Israelis *Pam. Rhen.*
(7) Æque *vel* easque *Lat.*

COMMENTARIUS.

(a) *Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον.* Ita liberum arbitrium apud Patres et Philosophos appellatur. A Nazianzeno dicitur homo τῷ αὐτεξουσίῳ τιμηθείς, *libero arbitrio honoratus.* Lac.

CAP. XXII. — (b) *Et divinationem.* Nempe naturalem, seu per insomnia, sive per alias prænotiones. Carneades enim disputavit pluribus rationibus adversus divinationem. Tertullianus tamen præcipue notat spontaneos animorum impulsus, qui manifesti omnibus sunt, cum scilicet mens, velut præscia futuri mali, vel boni, prius afficitur mœrore vel gaudio, quam sensus corporei id deprehendant certis indiciis; nam, ut Seneca ait,

Instat mentis fera tempestas,
Cum sine vento tranquilla tument.

Quem præsagiendi modum in Thyeste scite describit ante cœnam feralem Atrei; ideo et præcordia saliunt, et defluunt lacrymæ invitis, stimulo et monitu arcano intus excitante. Lac.

(c) *Ut ordinem ejus expungam.* Id est, absolvam, et perficiam, uti morem habet in *Apol.* cap. 5, et sæpissime. Lac.

(d) *Immortalem.* Etsi istud ex professo non tractet, quod esset tum temporis extra controversiam, frequens tamen ejus hoc libro mentio, nempe cap. 2, 3, 6, 9, 14 et infra, c. 24, 38, 45, 51, 53 et 54. Pam.

(e) *Corporalem.* De anima quod *corporalis* sit, quanquam ad paradoxa ejus istud pertineat, tractavit late supra cap. 5, 6, 7, 8. Pam.

(f) *Effigiatum.* Quod effigiata sit, alterum paradoxon tractatum etiam habes supra cap. 9. Pam.

(g) *Accidentiis obnoxiam.* Alludit ad id quod paulatim proficiat anima in sapientia. Pam.

CAP. XXIII. —(h) *Per quod historias, atque milesias.* Ill striores fabulæ milesiæ dicuntur, sive a vanitate Milesiorum ob oraculum Apollinis, qua de re Strabo, lib. XIV *Geograph.*, sive a rosis milesiis, quæ in pretio fuerunt. Le Pa.

(i) *Platonem omnium hæreticorum condimentarium.* Philosophiam antiquam fuisse veluti penu et fontem hæresum sæpe calumniatur Auctor, ut cap. 7 *de Præscript.* Inde cap 8 *adv. Hermog.* vocat philosophos *hæreticorum patriarchas :* quas vero hæreses informaverit Plato ex hoc uno dogmate de animarum origine observat Joannes Bapt. Crispus lib. II qu. 1 : nam Menandriani, Saturnini, Enthusiastæ, Carpocratitæ, Valentiniani, Apellitæ, Seleuciani, Messaliani, Avicenna et Raimundus Lullius ex doctrina Platonis decepti videntur circa animarum exordium.

Lac.

in *Phædone*, quod animæ hinc euntes sint illuc, et inde huc; item in *Timæo*, quod genimina (1) Dei, delegata sibi mortalium genitura, accepto initio animæ immortali, mortale ei circumgelaverint corpus: tum quod mundus hic imago sit alterius alicujus. Quæ omnia ut fidei commendet (2), (*a*) et animam retro in superioribus cum Deo egisse in commercio idearum, et inde huc transvenire, et hic quæ retro norit de exemplaribus recensere, novum elaboravit argumentum, μαθήσεις ἀναμνήσεις, id est, (*b*) discentias reminiscentias esse: venientes enim inde huc animas oblivisci eorum in quibus prius fuerint, dehinc ex his visibilibus edoctas recordari. Cum igitur hujusmodi argumento illa insinuentur a Platone, quæ hæretici mutuantur, satis hæreticos repercutiam, si argumentum Platonis elidam.

CAPUT XXIV.

Primo quidem oblivionis capacem animam non cedam, quia tantam illi concessit divinitatem, ut Deo adæquetur: innatam eam facit, quod et solum armare potuissem ad testimonium plenæ divinitatis: adjicit immortalem, incorruptibilem, incorporalem, quia hoc et Deum credidit, invisibilem, inefligiabilem, uniformem, principalem, rationalem, intellectualem. Quid amplius proscriberet animam, si eam Deum nuncuparet? Nos autem qui nihil Deo appendimus, hoc ipso animam longe infra Deum expendimus, quod natam eam agnoscimus, ac per hoc dilutioris divinitatis, et exilioris felicitatis; ut flatum, non ut spiritum; et si immortalem, ut hoc sit divinitatis, tamen passibilem, ut hoc sit nativitatis: ideoque et a primordio exorbitationis capacem, et inde etiam oblivionis affinem. Satis de isto cum Hermogene (*c*). Cæterum, quæ, ut (3) haberi merito possit ex peræquatione omnium proprietatum deus, nulli passioni subjacebit; ita nec oblivioni, cum tanta sit injuria oblivio, quanta est gloria ejus, cujus injuria est, memoria (4) scilicet: quam et ipse Plato sensuum et intellectuum salutem, et (*d*) Cicero thesaurum omnium studiorum prædicavit. Nec hoc jam in dubium deducetur, an tam divina anima memoriam potuerit amittere; sed an quam amiserit, recuperare denuo possit. Quæ enim non debuit oblivisci, si oblita sit, nescio an valeat recordari. Ita utrumque nec animæ, non platonicæ congruet. Secundo gradu opponam: natura compotem animam facis idearum illarum, annon? Imo natura, inquis. Nemo ergo concedet naturalem scientiam naturalium excidere artium. Excidet studiorum, excidet doctrinarum, disciplinarum, excidet fortasse et ingeniorum, et affectuum: quæ naturæ videntur, non tamen sunt, quia, ut præmisimus et pro locis, et pro institutionibus, et pro corpulentiis, ac valetudinibus, et pro potestatibus dominatricibus, pro libertatibus arbitrii, ex accidentibus constant. Naturalium vero scientia nec in bestiis quidem deficit. Plane obliviscetur feritatis leo, mansuetudinis eruditione præventus, et (*e*) cum toto suggestu jubarum (5), delicium fiet Berenices alicujus reginæ, lingua genas ejus emaculans; mores bestiam relinquent: scientia naturalium permanebit. Non obliviscetur idem naturalium pabulorum, naturalium remediorum, naturalium terrorum; etsi de piscibus, etsi de placentis regina ei obtulerit, carnem desiderabit; etsi (*f*) languenti theriacam composuerit, simiam leo requiret: et si nullum illi venabulum obfirmabit, (*g*) gallum tamen formidabit. Perinde et ho-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Germina *Pam. Rhen.*
(2) Commendat *Par.*
(3) Deus *hic add. Fran.*
(4) Memoriæ *Jun.*
(5) Tubarum *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et animam retro in superioribus*. Non potui aliud reperire in *Timæo* Platonis huc pertinens, quam quod Deus summus opifex, constituto universo, divisit animas æquali cum sideribus numero, et singulas singulis assignavit, et velut in vehiculum impositis universi naturam ostendit, et leges fatales ipsis exposuit, quodque origo prima quidem futura esset ordinata una omnibus, oporteret autem ipsas seminatas in singula convenientia singulis temporibus instrumenta (corpora nempe), producere animal divino cultui deditissimum. Quo libro cum nusquam dicit, *animam hic quæ retro norit de exemplaribus recensere*, magis puto istud ad *Phædonem* referri, cujus etiam paulo prius meminit, ubi utrumque reperire est. Pam.

(b) *Id est discentias reminisce*. Locus iste haud dubie ex *Phædone*, non ex *Timæo* Platonis desumptus est. Sic enim ibi legitur: sed et secundum illum sermonem, inquit Cebes, si verus est, o Socrates, quem tu frequenter referre soles, ὅτι ἡμῖν ἡ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἡ ἀνάμνησις τυγχάνει οὖσα, id est, si ad verbum cum Tertulliano vertamus, *quod nobis discentia nihil aliud sit quam reminiscentia*; pro quo interpres Platonis vertit; *quod discere nihil aliud sit nobis, quam recordari*: « et secundum hunc, inquam, necesse est nos in priore quodam tempore didicisse ea quæ nunc recordamur. Hoc autem fieri non posse, si non fuisset alicubi anima nostra, priusquam in hanc speciem deveniret. » Atqui mox et Simmias idipsum ibidem confitetur, et multis rationibus non modo Cebes, sed et Socrates ipse paradoxon hoc confirmare nituntur; verum egregie confutat Auctor cap. prox. Pam.

CAP. XXIV.—(c) *Satis de isto cum Hermogene*. Alludit ad librum *de Censu Animæ adversus Hermogenem*, cujus fragmenta habentur. Pam.

(d) *Cicero thesaurum omnium studiorum prædicavit*. lib. I *de Oratore* vocat *thesaurum rerum omnium memoriam*. Cassiodorus, V *Var.*, epist. 22, et lib. *de Anima* cap. 12. Lac.

(e) *Cum toto suggestu jubarum*. Id est cum toto ornatu: forsitan alludit ad signum cœleste Leonis, cujus ad caudam sunt septem stellæ, quas crines seu comam Berenices nuncupant astrologi. Lac. — *Cum toto suggestu jubarum. Delicium Berenice*. Non semel adnotavimus suggestum pro ornatu accipi ab Auctore. Atqui quod ab alicujus Berenices reginæ mansuetudine eruditus leo delicium fuerit, tradit Ælianus l. V *de Animalibus*, c. 59. Addit autem *alicujus* tum pro more loquendi suo, tum quod plures ejus nominis fuerint. Pam.

(f) *Languenti theriacam composuerit*. Alludit ad Plinii verba lib. VII, cap. 40. « Ægritudinem fastidii tantum sentit, in qua medetur ei contumelia, in rabiem agente annexarum lascivia simiarum. » Pam.

(g) *Gallum tamen formidabit*. Etiam hoc ex Plinio

mini omnium forsitan obliviosissimo inobliterata perseverabit sola scientia naturalium, ut sola scilicet naturalis; memor semper manducandi in esurie, et bibendi in siti, et oculis videndum, et auribus audiendum, et naribus odorandum, et ore gustandum, et manu contrectandum. Hi sunt certe sensus, quos philosophia depretiat intellectualium prælatione. Igitur si naturalis scientia sensualium permanet, quomodo intellectualium, quæ potior habetur, intercidit? Unde nunc ipsa vis oblivionis antecedentis recordationem? (a) Ex multitudine, ait, temporis. Satis improspecte. Quantitas enim temporis non pertinebit ad eam rem quæ innata dicatur, ac per hoc potissimum æterna credatur. Quod enim æternum est, eo quia et innatum est, neque initium, neque finem temporis admittendo, nullum modum temporis patitur; cui temporis modus nullus est, nec ulla demutatione tempori (1) subest, nec ea de multitudine tempori vis est (2). Si tempus in caussa est oblivionis, cur, ex quo anima corpori inducitur, memoria delabitur, quasi exinde tempus anima sustineat, quæ sine dubio prior corpore, non fuit utique sine tempore? Ingressa vero corpus, statimne obliviscitur, an aliquanto post? Si statim, et quæ erit temporis nondum supputandi multitudo? infantia scilicet. Si aliquando post, ergo illo in spatio ante tempora oblivionis memor adhuc aget anima, et quale est, ut postea obliviscatur, et rursus postea recordetur? Quoquo autem tempore illam oblivio irruerit, quantus hic etiam habebitur modus temporis? tota opinor vitæ decursio satis non erit ad evertendam (3) memoriam tanti ante corpus ævi. Sed rursus Plato caussam demutat in corpus. Quasi et hoc fide dignum, ut nata substantia innatæ vim exstinguat. Magnæ autem et multæ differentiæ corporum, pro gentilitate, pro magnitudine, pro habitudine, pro ætate, pro valetudine. Num ergo et oblivionum (4) differentiæ æstimabuntur? Sed uniformis oblivio est; ergo non erit corporalitas multiformis in caussa exitus uniformis. Multa item documenta, teste ipso Platone, divinationem animæ probaverunt quæ proposuimus jam Hermogeni. Sed nec quisquam hominum, non et ipse aliquando præsagam animam suam sentit, aut ominis, aut periculi, aut gaudii augurem. Si divinationi non obstrepit corpus, nec memoriæ, opinor, officiet. In eodem certe corpore, et obliviscuntur animæ, et recordantur. Si qua corporis ratio incutit oblivionem, quomodo contrariam ejus admittet recordationem? quia et ipsa post oblivionem recordatio, memoria recidiva est. Quod primæ memoriæ adversatur, cur non et secundæ refragatur (5)? Postremo, qui magis reminiscerentur quam pueruli, ut recentiores animæ, ut nondum immersæ domesticis ac publicis curis, ut ipsis solis deditæ studiis, quorum discentiæ reminiscentiæ fiunt? Imo cur non ex æquo omnes recordamur, cum ex æquo omnes obliviscamur, sed tantummodo Philosophi? Ne hi (6) quidem omnes. Plato scilicet solus in tanta gentium sylva, in tanto sapientium prato, idearum et oblitus et recordatus est (b). Igitur si nullo modo consistit argumentatio ista præcipua, totum illud pariter eversum est, cui accommodata est, ut animæ et innatæ, et in cœlestibus conversatæ, et conscie divinorum illic, et inde delatæ, et hic recordatæ crederentur, ad occasiones plane hæreticis subministrandas.

CAPUT XXV.

Jam nunc regrediar ad caussam hujus excessus, ut reddam quomodo animæ ex una redundent, quando, et ubi, et qua ratione sumantur: de qua specie nihil refert, a philosopho, an ab hæretico, an a vulgo quæstio occurrat. Nulla interest professoribus veritatis de adversariis ejus, maxime tam audacibus quam sunt primo isti qui præsumunt (c) non in utero concipi animam, nec cum carnis figulatione compingi atque produci; sed (7) effuso jam partu, nondum vivo infanti (d) extrinsecus imprimi: cæterum, semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum compinguescere in solam substantiam carnis; eam editam, et de uteri fornace fumantem, et calore solutam, ut ferrum ignitum, et ibidem frigidæ immersum, ita aeris rigore percussam, et vim animalem rapere, et (e) vocalem sonum red-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Temporis *Pam. Rhen.*
(2) Nec eadem multitudine temporis vis est *Pam. Rhen.* in multitudine *Lat.*
(3) Vertendam *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Oblivionem *Venet. mendose.*
(5) Refragetur *Rhen. Pam.*
(6) Nec ii *Lat.*
(7) Et *add. Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

ibidem: « Atque hoc, inquit, tale, tamque sævum animal, rotarum orbes circumacti, currusque inanes, et gallinaceorum cristæ, cantusque etiam magis terrent. » Pam.

(a) *Ex multitudine, ait, temporis.* Alludit ad verba illa Platonis in *Phædone*: « Nonne recordatio est, maxime ubi alicui acciderit circa illa, quorum per tempus, et eo quod diu non conspexit? » pro quo transtulit Auctor, *ex multitudine temporis.* Verum etiam istud pulchre Auctor refutat, ex eo quod innatam Plato animam dixerit; et proinde æternam, sine temporis initio. Pam.

(b) *Idearum et oblitus et recordatus est.* Locus est in Platone, qui primus idearum somnia in lucem emisit, scripto ejus argumenti dialogo, quem *Parmenidem* inscripsit, et frequentissima alibi earum mentione injecta, quemadmodum etiam supra adnotavimus. Pam.

CAP. XXV.—(c) *Non in utero concipi animam*, etc. Stoicis tribuit hanc opinionem Tertullianus: at Ætius adjungit Diogenem et Hermophilum, imo et Empedoclem lib. *de hist. philosophica.* Lac.

(d) *Extrinsecus imprimi.* Lucretius, lib. III, ex sententia Stoicorum, quos mox allegat Tertullianus pro hoc placito:

> Quod si forte putas extrinsecus insinuatam
> Permanare animam nobis per membra solere.

Utebantur voce *imprimi*, vel *insinuari*, ne dicerent animam nasci (Lactant. lib. III, cap. 18). Lac.

(e) *Et vocalem sonum reddere.* Putarunt aliqui animam, deturbatam cœlesti domicilio, tunc cœpisse

dere. Hoc Stoici cum Ænesidemo, et ipse interdum Plato, cum dicit, perinde animam extraneam alias, et extorrem uteri, prima adspiratione nascentis infantis adduci, sicut ex spiratione novissima educi (1). Videbimus an sententiam fluxerit (2). Ne ex medicis quidem defuit (*a*) Hicesius, et naturæ et artis suæ prævaricator. Puduit, opinor, illos hoc statuere, quod fœminæ agnoscerent. At quanto (*b*) ruboratior (3) exitus, a fœminis revinci, quam probari? In ista namque specie nemo tam idoneus magister, arbiter, testis, quam sexus ipsius Respondete, matres, vosque prægnantes, vosque puerperæ; steriles et masculi taceant; vestræ naturæ veritas quæritur, vestræ passionis fides convenitur; an aliquam in fœtu sentiatis vivaciitatem, alienam de vestro? de quo palpitent ilia, micent latera, (*c*) tota ventris ambitio pulsetur, ubique ponderis regio mutetur? an hi motus gaudia vestra sint, et certa securitas, quod ita infantem et vivere confidatis, et ludere? an si desierit inquies ejus, illi prius pertimescatis? an et (4) audiat jam in vobis, cum ad novum sonum excutitur? An et ciborum varietates (5) illi desideretis, illi etiam fastidiatis? an et valetudinibus invicem communicetis? Ille quidem usque eo, de (6) contusionibus vestris, quibus et ipse intus per eadem membra signatur, rapiens sibi injurias matris. Si livor ac rubor sanguinis passio est, sine anima non erit sanguis: si valetudo animæ (7) accessio est, sine anima non erit valetudo: si alimonia, inedia, crementa, decrementa, pavor, motus, tractatio est animæ, his qui fungitur, vivet. Denique desinit vivere, qui desinit fungi. Denique et mortui eduntur; quomodo, nisi et vivi? Qui autem et mortui, nisi qui prius vivi? Atquin et in ipso adhuc utero infans trucidatur, necessaria crudelitate, cum in exitu obliquatus denegat partum; matricida, ni moriturus. Itaque et inter arma medicorum et organa (8) est quo prius patescere secreta coguntur, tortili terreperamento, cum anulocultro (9) quo intus membra cæduntur, anxio arbitrio; cum hebete uncu, quo totum facinus (10) extrahitur violento puerperio. Est etiam æneum spiculum, quo jugulatio ipsa dirigitur, exco latrocinio: ἐμβρυοτρόκτην (11) appellant, de infanticidii officio, utique viventis infantis peremptorium. Hoc et Hippocrates habuit, et Asclepiades, et Erasistratus, et majorem quoque prosector Herophilus, et mitior ipse Soranus, certi animal esse conceptum, atque ita miserti infelicissimæ hujusmodi infantiæ, ut prius occidatur, ne viva lanietur. De qua sceleris necessitate nec dubitabat credo Hicesius, jam natis animam superducens ex aeris frigidi pulsu, quia et ipsum vocabulum animæ penes Græcos de refrigeratione respondeat (12). Num ergo Barbaræ Romanæque gentes aliter animantur, quia animam aliud quid, quam ψυχὴν cognominaverunt? Quantæ vero nationes sub ferventissimo axe censentur, colorem quoque excoctæ? unde illis anima, quibus aeris rigor nullus? Taceo cubiculares æstus, et omnem illic caloris paraturam enitentibus necessariam, quas adflari vel maxime periculum est. In ipsis pene balneis fœtus elabitur, et statim vagitus auditur. Cæterum, si aeris rigor thesaurus est animæ, extra Germanias, et (*d*) Alpes, et Argæos nemo debuit nasci. Atquin et populi frequentiores apud orientalem et meridialem temperaturam, et ingenia expeditiora, omnibus Sarmatis etiam mente torpentibus. Et animi enim de rigoribus scitiores provenirent, si animæ de frigusculis evenirent: cum substantia enim et vis. His ita præstructis, possumus illos quoque recogitare, qui exsecto matris utero vivi aerem hauserunt, (*e*) Liberi aliqui et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Duci *Fran.*
(2) Sententia fixerit *vult Rig.*
(3) Roboratior *Pam. Rhen.*
(4) Et *omitt. alii.*
(5) Vanitates *Rhen. Pam. Rig.*
(6) Usque eo *omitt. Lat.* eo de *omitt. Rhen. Pam.*
(7) Omnis *Fran.*
(8) Organa *Fran.*
(9) Anulo cultrato *Rhen. Pam.*
(10) Pecus *Fran. Pam. item* adtrahitur.
(11) ἐμβρυοκτὴν *Lat.* ἐμβρυοφίκτην *Fran.* ἐμβρυοκτατὴν *alii.* ἐμβρυοκτατὴν *cod. Agobard.*
(12) Respondens *Rhen. Pam.*

COMMENTARIUS.

inhabitare terrenum corpus, ac propterea infantem cogi, dolere et flere, ut refert Alexander Aphrodiæus Problem. 64. dum respondet quæstioni: *Cur infantes, ut primum eduntur, flent?* Cujus hæc solutio: *Quia sensus eorum atque natura veluti peregrinatur. Nam e calido, molliqne ipsius matricis corpore, in aera frigidum exeunt. Fortasse tamen et a lumine exterrentur, non ut quidam aiunt, quod anima cœlestium regionum exterris terrenum corpus inhabitet, atque ideo flere infantes cogantur.* Similem caussam fletus infantilis putat Soranus ephesius *Isagoges.* 17. Lac.

(a) *Hicesius et naturæ et artis suæ prævaricator.* Hicesius medicus negabat in utero concipi animam, dicebatque effuso jam partu, nondum vivo infanti extrinsecus imprimi, prima scilicet adspiratione. Hunc naturæ et artis suæ prævaricatorem esse ait Septimius. Naturæ, quia fœtum in utero vivere jam animatum prægnantes adfirment, et signa certissima demonstrent artis; quia medici ipsi, quoties necesse est conceptum utero infantem extrahere violento puerperio, non prius detruncare membra solent, quam jugulaverint, viventem jam utique et animatum. Rig.

(b) *Ruboratior exitus.* Exitum ruboratiorem dicit eventum, ex quo plus ruboris ac pudoris incutiatur. Rig.

(c) *Tota ventris ambitio.* Eodem significatu Hieronymus, epist. ad Principiam dixit: « Interiora membra obvolvuntur Ecclesiæ, et tota uteri tegitur ambitio, » hoc est totus uterus, totus venter. Rig.

(d) *Alpes et Argæos.* Cum Alpibus jungit Argæum sive Argæos montes in Cappadocia, quoniam perpetuis nivibus, sicuti Alpes, mons iste obducitur. Le Pr.

(e) *Liberi aliqui et Scipiones.* Scipio Africanus prior cæso Pomponiæ matris utero natus est. Liber e Jovis semine exsectus quoque dicitur, unde fabula. Quamquam per *Liberi* gentis aut familiæ Romanæ nomen quidam explicant. Cæsares a cæso pariter matris utero dictos nemo non putat, cum tamen ante Cæsarum gentem Claudium Cæsarem extitisse dicat ante bellum Samnitium Plinius. Cæsones quoque di-

Scipiones. Quod si qui, (*a*) ut Plato, perinde non putat duas animas in unum convenire, sicut nec corpora, ego illi non modo duas animas in unum congestas ostendissem, sicut et corpora in fœtibus, verum et alia multa cum anima conserta, dæmonis scilicet, nec unius, ut in Socrate ipso; verum et septenarii spiritus, ut in Magdalena; et legionarii numeri, ut in Geraseno, quo facilius anima cum anima conseretur (1) ex societate substantiæ, quam spiritus nequam ex diversitate naturæ. At idem in sexto *Legum*, monens cavere ne vitiatio seminis ex aliqua vilitate concubitus labem corpori et animæ supparet, nescio de pristinis (2) magis, an de ista sententia sibi excider.t. Ostendit enim animam de semine induci, quod curari monet, non de prima aspiratione nascentis. Unde, oro te, similitudine animæ quoque parentibus de ingeniis respondemus, secundum Cleanthis testimonium, si non ex animæ semine educimur? Cur autem et veteres astrologi genituram hominis ab initio conceptus digerebant, si non exinde et anima est, ad quam æque pertinet si quid est flatus (3)?

CAPUT XXVI.

Sed omnis inæqualitas sententiæ humanæ usque ad Dei terminos (*b*): in nostras jam lineas gradum colligam, ut quod Philosophis Medicisque respondi, Christiano probem. (*c*) De tuo, frater, fundamento fidem ædifica (4): (*d*) Aspice viventes uteros sanctissimarum fœminarum, nec modo spirantes jam illic infantes, verum etiam prophetantes. (*e*) Ecce (*Gen.*, XXV) viscera Rebeccæ inquietantur, et longe adhuc partus, et aeris nullus impulsus. Ecce duplex fœtus in locis matris tumultuantur, et nusquam adhuc populi duo. Portentosa forsitan petulantia infantiæ, ante certantis quam viventis, ante animosæ quam animatæ, si tantummodo matrem subsultando turbasset. At cum partus aperitur, et numerus inspicitur, et auguratus recognoscitur, puto, jam non animæ solummodo probantur infantium, sed et pugnæ. Detinebatur qui prævenerat nasci a prævento, nec dum plenius edito, tantum manu nato. Et si ipse animam (*f*) de prima aspiratione (5) potabat platonico more, aut (*g*) de aeris rigore carpebat stoica forma, quid ille qui exspectabatur, qui adhuc intus detinebatur et foris jam detinebat? Nondum opinor spirans plantam fratris invaserat, etiam nunc calens matre, se priorem prodisse cupiebat. O infantem et æmulum, et validum, et olim contentiosum! Credo quia vivum. (*h*) Aspice (*Luc.* I) etiam singulares conceptus, et quidem monstrosiores, sterilis et virginis, quæ vel hoc ipso imperfectos edere potuissent pro eversione naturæ, ut altera semini (6) stupida, altera intacto. Decebat, si forte, sine anima nasci, qui fuerant non rite concepti; sed et illi vivunt, in suo quisque utero. Exultat Elizabeth, Joannes intus impulerat: glorificat Dominum Maria, Christus intus instinxerat. Agnoscunt matres suos invicem fœtus, agnitæ mutuo ab ipsis utique viventibus, qui non tantum animæ erant, verum et spiritus. (*i*) Sic et ad Hieremiam legis Dei vocem (*Jerem.*, I): *Prius quam te in utero fingerem, novi te.* Si (7) fingit Deus in utero, et afflat ex primordii forma (*Gen.* I): *Et finxit Deus hominem, et flavit in eum flatum vitæ;* nec nosset autem hominem Deus in utero, nisi totum: *Et priusquam exires de vulva, sanctificavi te:* et mortuum adhuc corpus? Utique nequaquam; *Deus* enim (*Matt.*, XXII) *vivorum, non mortuorum.*

CAPUT XXVII.

Quomodo igitur animal conceptum? simulne conflata utriusque substantia corporis animæque, an altera earum præcedente? imo (*j*) simul ambas et concipi, et confici, et perfici dicimus, sicut et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Conseretur *Seml. Rhen. Oberth. cod. Ursini.*
(2) Pristina *Rhen. Pam.*
(3) Status *cod. Wouw.*
(4) Ædificem *Pam. Rhen. Gagnæ.*
(5) Spiratione *Pam. Rhen.*
(6) Seminis *Pam. Fran.*
(7) *Forte* sic, *pro* si, *legendum. Edd.*

COMMENTARIUS.

cebantur qui cæso matris utero nascebantur, ut Scipio. Le Pr.

(a) *Ut Plato, perinde non putat*, etc. Unicam simpliciterque animam cuique corpori inesse, affirmabat Plato, neque duas in eodem simul homine admittebat. Chrysippo illud tribuit Tertull. superius. Le Pr.

CAP. XXVI. — (b) *Sed omnis inæqualitas sententiæ humanæ usque ad Dei terminos.* Quasi diceret: Sed fuerint inæquales, incertæ et inconstantes hominum de anima sententiæ usque ad divina testimonia. Ric.

(c) *De tuo frater fundamento fidem ædifica.* Jam alloquitur christianum, cujus fundamentum appellat Sacram Scripturam; cui pro fundamento Sacrarum Scripturarum testimonia suggerit. Ric.

(d) *Aspice viventes uteros.* Galenus quoque eadem probatione argumentum capit, sed intra suas lineas, ex profanis exemplis confirmans fœtum animatum in utero, libro quem scripsit, *An animal sit quod in utero est.* Lac.

(e) *Ecce viscera Rebeccæ.* Late prosequitur historiam Gen. XX, de Rebecca et duobus ejus filiis, tum in utero, tum in partu, qui nisi jam animati non potuissent pugnas illas intentare. Pam.

(f) *De prima aspiratione potabat platonico more.* Alii *portabat.* Alludit ad dicta capite præced. ubi Platoni imputavit animam primum trahi spiratione. Lac.

(g) *De aeris rigore carpebat stoica forma.* Etiam recipit ea, quæ superiori capitulo Stoicis tribuit, post natum puerum rapere animam aeris rigore repercussum. Lac.

(h) *Aspice etiam singulares conceptus.* Similiter etiam hic conceptus Joannis Baptistæ et Christi, et mutuam agitationem infantium adhuc in utero, de quibus Lucas, II c. Pam.

(i) *Sic et ad Hieremiam*, etc. Ad ejusdem rei comprobationem, etiam Hieremiæ prophetæ ex cap. I testimonium adfert, idipsum conferens cum sæpissime citato loco Genes. I. Pam.

CAP. XXVII. — (j) *Simul ambas et concipi et confici*, etc. Hic plenius et cap. 36 paradoxum suum effundit Tertullianus, quod supra, cap. 9 et 22, insinuaverat de propagatione animarum simul cum se-

promi, (*a*) nec ullum intervenire momentum in conceptu, quo locus ordinetur. Recogita enim de no issimis prima, (*b*) si mors non aliud determinatur, quam disjunctio corporis animæque ; contrarium morti vita non aliud definietur, quam conjunctio corporis animæque. Si disjunctio simul utrique substantiæ accidit per mortem, hoc debet conjunctionis forma mandasse pariter obvenientis per vitam utrique substantiæ. Porro (*c*) vitam a conceptu agnoscimus, quia animam a conceptu vindicamus. Exinde enim vita, quo anima : pariter ergo in vitam compinguntur, quæ pariter in mortem separantur. Tunc (1) si alteri primatum damus, alteri secundatum, seminis quoque discernenda sunt tempora, pro statu ordinis ; et quando collocabitur corporis semen, quando animæ ; imo si tempora seminum dividentur, et materiæ diversæ habebuntur, ex distantia temporum. Nam etsi duas species confitebimur seminis, corporalem et animalem, indiscretas tamen vindicamus, et hoc modo contemporales, ejusdemque momenti. Ne itaque pudeat necessariæ interpretationis : natura veneranda est, non erubescenda. (*d*) Concubitum libido, non conditio fœdavit. Excessus, non status est impudicus. Siquidem benedictus status apud Deum (*Gen.* II) : *Crescite, et in multitudinem proficite.* Excessus vero maledictus, adulteria, et stupra, et lupanaria. In hoc itaque solemni sexuum officio, quod marem ac fœminam miscet, in concubitu dico communi, scimus et animam et carnem simul fungi : animam concupiscentia, carnem opera ; animam instinctu, carnem actu. Unico igitur impetu utriusque, toto homine concusso, (*e*) despumatur semen (2) totius hominis, habens ex corporali substantia humorem, ex animali calorem. Et si frigidum nomen est anima Græcorum (*f*), quare corpus, exempta ea, friget? Denique, ut adhuc verecundia magis pericliter quam probatione, (*g*) in illo ipso voluptatis ultimo æstu quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque sentimus exire, atque adeo marcescimus et devigescimus cum lucis detrimento? Hoc erit semen animale protinus (*h*) ex animæ destillatione, sicut et virus illud corporale semen ex carnis defæcatione. Fidelissima primordii exempla. De limo caro in Adam : quid aliud limus, quam liquor opimus? Inde erit genitale virus. Ex adflatu Dei anima : quid aliud adflatus Dei, quam vapor spiritus? Inde erit, quod per virus illud efflamus. Cum igitur in primordio duo diversa atque divisa, limus et flatus, unum hominem coegissent, confusæ substantiæ ambæ jam in uno semina quoque sua miscuerunt, atque exinde generi propagando formam tradiderunt; ut nunc duo, licet diversa, etiam unita pariter effluant, pariterque insinuata sulco et arvo suo pariter hominem ex utraque substantia effruticent, in quo rursus semen suum insit secundum genus, sicut omni conditioni genitali præstitutum est. Igitur ex uno homine tota hæc animarum redundatia agitur (3), o servante scilicet natura Dei edictum : *Crescite, et in multitudinem proficite.* Nam et in ipsa præfatione operis unius (*Gen.*, I) : *Faciamus hominem*, universa posteritas pluraliter prædicata est : *Et præsint piscibus maris.* Nihil mirum, repromissio segetis in semine.

A B C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tunc *abest Paris.*
(2) Despumat in semen *Fran. Pam.*
(3) Agitur *abest Par.*

COMMENTARIUS.

mine ex Adami traduce. In eamdem opinionem cogit Ruffinus Lactantium, dubius et ipse Ruffinus. Cujus sententia per compendium collecta ex Hieronymo *Apolog.* 2, *in Ruffinum.* Lac.

(a) *Nec ullum intervenire momentum in conceptu*, etc. Hoc est, non posse in conceptu inter animam et corpus existendi ordinem constitui, aut affirmari, prior illa extiterit, necne; primum illa locum obtineat, an secundum; præcedat illa corpus, an adsequatur. Ipse Tertull. lib. *de Resurrect. Car.* : *Caro atque anima simul fiunt sine calculo temporis, contemperant fœtu, coætant natu.* Rig.

(b) *Si mors non aliud determinatur.* Non inducitur ex hoc argumento animas cum corpore seminatas, sed solum conjunctas ; quod fieri potest per creationem. De argumento isto iterum Tertullianus, cap. 42. Lac.

(c) *Vitam a conceptu agnoscimus, quia animam*, etc. Falsissimum hoc esse commentatur Pamelius, quia secundum physicorum medicorumque sententiam nonnisi quadragesima die animatur masculus, fœmina vero die 80. Non tamen ita falso Tertullianus, quin multi verum crediderint, adeo lentam et pigram naturam non credentes in beneficio vitæ conferendo. Lac. — Opinionem Tertulliani amplexi sunt, post S. Basilium et Congiamilam, plerique recentiores, inter quos P. J. C. D. Breyne, in opere cui titulus : *Essai sur la Théologie morale considérée dans ses rapports avec la Physiologie et la Médecine.* Edd.

(d) *Concubitum libido, non conditio, fœdavit.* Non semper incumbit Septimius isti sententiæ, quamquam verissimæ. Itaque odio nuptiarum interdum prævaricari videtur. Theano, uxor Pythagoræ, mulierem dicebat operatam viro, si quidem proprio, puram statim esse; at si alieno, nunquam fore. Rig. — *Concubitum libido, non conditio fœdavit.* Pulcherrimus locus, de matrimonii statu benedicto apud Deum, de quo latius sub finem lib. I adv. Marc. Pam.

(e) *Despumatur semen totius hominis.* Metaphora illa, a spuma ducta, non insolens est philosophis ac medicis. Aristoteles, lib. II *de gener. anim.*, cap. 2 : οἷον δὲ καὶ ὁ ἀφρὸς γίνεται παχύτερος καὶ λευκὸς, *veluti spuma fit crassius et album.* Pythagoras dicebat apud Plutarchum, lib. V *de Plac. Phil.*, cap. 3 : ἀφρὸν χρυσοειδέστατον τοῦ σπέρματος, *spumam* esse *utilissimi sanguinis* : Omitto Galenum, cap. 9, lib. XIV, *de Usu partium.* Le Pr.

(f) *Frigidum nomen est anima græcorum.* Enimvero deducit Tertullianus nomen græcum ψυχὴ, *anima*, ab hoc altero ψύχος, quod *frigus* latine sonat. Edd.

(g) *In illo ipso voluptatis ultimo æstu.* Augustinus, lib. XIV *de Civ. Dei*, cap 16 : *Momento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, pene omnis acies et quasi vigilia cogitationis obruitur.* Rig.

(h) *Ex animæ destillatione.* Eadem apparet Epicuri sententia, quam nuper transcripsimus. Consentire Tertullianus videtur iis qui undique ex omnibus viventis partibus derivari semen putarunt, quod etiam de corporeis S. Macarius habet, et ex priscis philosophis nonnulli. Lac.

CAPUT XXVIII.

Quis (*a*) ille nunc vetus sermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, quod hinc abeuntes eant illuc, et rursus huc veniant et vivant, et dehinc e vita abeant, rursus ex mortuis effici vivos? Pythagoricos, ut volunt, quin et (1) divinus, ut (*b*) Albinus existimat, aut Mercurii forsitan Ægyptii. Sed nullus sermo divinus, nisi Dei unius, quo Prophetæ, quo Apostoli, quo ipse Christus intonuit. Multo (*c*) antiquior Moyses etiam Saturno, nongentis circiter annis, nedum pronepotibus ejus; certe divinior multo, qui decursus generis humani ab exordio mundi quoque (2) per singulas nativitates nominatim temporatimque digessit, satis probans divinitatem operis ex divinatione vocis. (*d*) Si vero Samius Sophista Platoni auctor est animarum de recidivatu revolubili semper ex alterna mortuorum atque viventium suffectione, certe ille Pythagoras, etsi bonus cætera, tamen ut hanc sententiam exstrueret, non turpi modo, verum etiam temerario mendacio incubuit. Cognosce qui nescis, et crede nobiscum. Mortem simulat, subterraneo latitat, septenni se illic patientia damnat, interea quæ de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus, ab unica conscia et ministra matre cognoscit: ut satis sibi visus est corpulentiam interpolasse ad omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallaciæ emergit, ut ab inferis redditus. Quis non crederet revixisse, quem crediderat obisse? audiens præsertim ab eo quæ de posteris mortuis nisi apud inferos non videretur cognoscere potuisse, sic ex mortuis vivos effici senior sermo est. Quid enim, si et junior? Neque veritas desiderat vetustatem, neque mendacium devitat novellitatem. Teneo plane falsum, antiquitate generosum; quidni falsum, cujus testimonium quoque ex falso est? Quomodo credam non mentiri Pythagoram, qui mentitur ut credam? Quomodo mihi persuadebit Æthalidem (3), et Euphorbum, et Pyrrhum piscatorem, et Hermotimum (4) se retro ante Pythagoram fuisse, ut persuadeat vivos ex mortuis effici, qui iterum se Pythagoram pejeravit? Quanto enim credibilius ipse ex semetipso semel (5) redisset in vitam, quam totiens alius atque alius, tanto et in durioribus fefellit, qui molliora mentitus est. (*e*) Sed clypeum Euphorbi olim Delphis consecratum recognovit, et suum dixit, et de signis vulgo ignotis probavit. Respice ad hypogeum ejus, (*f*) et, si capit, crede. Nam qui talem commentus est strophan, cum injuria bonæ valetudinis, cum fraude vitæ septennio exercitatæ infra terram inedia, ignavia, umbra; cui tanti fuit fastidium cœli; quam non accesserit temeritatem? Quam non tentaverit curiositatem, ut ad notam clypei illius perveniret? Quid autem, si in historiis aliquibus occultioribus reperit? quid, si defectæ jam traditionis superstites aliquas famæ aurulas hausit? quid, si ab ædituo redempta clam inspectione cognovit? Scimus etiam magiæ licere explorandis occultis (*g*) per catabolicos, (*h*) et paredros, et pythonicos spiritus. Non enim et Pherecydes, Pythagoræ magister, his forsan artibus divinabat, ne dicam somniabat? Quid si idem dæmon in illo fuit, qui et in Euphorbo res sanguinis gessit? Denique, qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, cur neminem Trojanorum commilitonum æque recognovit? Nam et illi jam revixissent, si vivi ex mortuis fierent.

CAPUT XXIX.

Mortuos (i) quidem ex vivis effici constat, non ideo

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quidam *Pam. Rhen.*
(2) Quosque *Jun.*
(3) Ephaclidem *Paris. alii.*
(4) Hermippum *Pam.*
(5) Semel *omitt. Pam.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXVIII. (a) *Quis ille nunc vetus sermo apud memoriam Platonis.* Sic ait Socrates apud Platonem in *Phædone*: Παλαιὸς μὲν οὖν ἐστί τις ὁ λόγος οὗτός οὗ μεμνημέθα, ὡς εἰσὶν ἐνθεν δὲ ἀφικνῆσθαι ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε οὖθεν ἀφικνοῦνται, κ~ὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων, etc. Rig.

(b) *Ut Albinus existimat.* Albini Platonici libellus Isagogicus in Platonis Dialogos exstat in Bibliotheca Regia. Et Cassiodorus senator Albini de musica librum se in bibliotheca Romæ ante gentilem incursionem habuisse commemorat. Rig.

(c) *Multo antiquior Moyses etiam Saturno, nongentis circiter an.* Si quis consideret quod habet Tertullianus *Apolog.* c. 19, non mirabitur quod hic Mosen Saturno 900 circiter annis antiquiorem dicat; ibi enim habet, *Mosen mille circiter an. cladem Priami antecessisse.* Nam uti jam olim respondi ad epistolam hac de re Francisci Balduini I. C. Eusebio, Beda, ac Hermanno Contracto testibus, non nisi 150 annis ante Æneæ in Italiam adventum Saturnus regnasse legitur. Si itaque mille an. cladem Priami antecessit, Moses Saturno profecto antiquior est 900 circiter annis. Scio quidem quosdam alios in alia esse sententia; verum a Josepho hæc sumpsisse nostrum auctorem, adnotavimus in *Apolog.* Pam.

(d) *Si vero Samius sophista.* Samius epitheton est Pythagoræ a Samo insula, ubi claruit, et Italicam disciplinam asportavit in Græciam alteram. Sophistam vero nominat illum fortasse non contemptus caussa; nam mox honorificenter illum appellat, bonumque dicit: auditum enim *sophistæ* nomen non semper male, sed interdum ut significaretur excellens vir ingenio, et sapientissimus quisque: quapropter primum omnium appellatum Solonem sophistam scribit Isocrates. Lac.

(e) *Sed clypeum Euphorbi.* Præter Diogenem et Lactantium, hujus etiam meminere Jamblichus et Philostratus, et Auctor sæpe, c. 31, ubi hæc refutat, et cap. 34; cap. 1 *de Resurr. carnis.* Peculiarius hanc fabulam descripsit Max. Tyrius sermone 28. Lac.

(f) *Et si capit, crede.* Hoc est: Si capit credere, crede. Eleganti reticentia alterum subduxit. Rig.

(g) *Per catabolicos.* Docuit me eruditissimus Turnebus in *advers.* Catabolicos inauspicatos genios esse et infames, qui fanaticos prosternunt atque ad terram affligunt. Le Pr.

(h) *Et paredros.* Dæmones, qui perpetuo comitantur aliquos. Talem habuit Simon Magus. Le Pr. — *Et Pythonicos.* Pythones seu ἐγγαστριμύθους, a dæmone correptos. Le Pr.

CAP. XXIX. — (i) *Mortuos quidem ex vivis effici constat.* In hoc cap argumentatur adversus Platonem in *Phædone*, cujus consequentiam hic negat Tertullianus. Plato enim arguebat mortuos ex vivis effici, ergo et ex mortuis vivos juxta regulam philosophorum con-

tamen et ex mortuis vivos. Ab initio enim, vivi priores; unde ab initio æque mortui posteriores, non aliunde quam ex vivis. Illi habuerunt unde potius orirentur, dum ne ex mortuis; isti non habuerunt unde magis deducerentur, nisi ex vivis. Igitur si ab initio vivi non ex mortuis, cur postea ex mortuis? Defecerat ille quicumque est origini fons? An formæ pœnituit? et quomodo in mortuis salva est? Non quia ab initio mortui ex vivis, idcirco semper ex vivis? Aut enim in utraque parte formam initii perseverasset, aut in utraque mutasset. Si vivos ex mortuis postea fieri oportuerat, proinde oporteret etiam non ex vivis effici mortuos. Si non peræquare deberet fides institutionis, non usquequaque contraria ex contrariis reformari alternant. Et nos enim opponemus contrarietates nati et innati, visualitatis et cæcitatis, juventæ et senectæ, sapientiæ et insipientiæ; nec tamen ideo innatum de nato provenire, quia contrarium ex contrario fiat; nec visualitatem iterum ex cæcitate, quia de visualitate cæcitas accidat; nec juventam rursus de senecta reviviscere, quia ex juventa senecta marcescat; nec insipientiam ex sapientia denuo obtundi, quia ex insipientia sapientia acuatur. Hæc et Albinus Platoni suo veritus, subtiliter quærit contrarietatum genera distinguere: quasi non et hæc tam absolute in contrarietatibus posita sint, quam et illa quæ ad sententiam magistri sui interpretatur, vitam dico et mortem; nec tamen ex morte vita reddatur, quia ex vita mors deferatur.

CAPUT XXX.

Quid autem ad cætera respondebimus? Primo enim, si ex mortuis vivi, sicut mortui ex vivis, unus omnino et idem numerus semper hæsisset omnium, ille scilicet numerus qui primus vitam introisset, priores enim mortuis vivi, dehinc mortui ex vivis, et rursus ex mortuis vivi. Et dum hoc semper ex iisdem, ita totidem semper qui ex iisdem; neque plures aut pauciores exissent, quam redirent (1). Invenimus autem apud commentarios etiam humanarum antiquitatum, paulatim humanum genus exuberasse, (*a*) dum aborigines, vel vagi, vel extorres, vel gloriosi quique occupant terras, ut Scythæ Parthicas (2), ut Amyclæ (3) Peloponesum, ut Athenienses Asiam, ut Phryges Italiam, ut Phœnices Africam, (*b*) dum solennes etiam migrationes, quas ἐκστάσεις (4) appellant, consilio exonerandæ popularitatis, in alios fines examina gentis eruciant. Nam et aborigines (5) nunc in suis sedibus permanent, et alibi amplius gentilitatem fœneraverunt. Certe quidem ipse orbis in promptu est, cultior de die, et instructior pristino. Omnia jam pervia, omnia nota, omnia negotiosa; solitudines famosas retro fundi amœnissimi obliteraverunt; sylvas arva domuerunt; feras pecora fugaverunt; arenæ seruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur; tantæ urbes jam (6), quantæ non casæ quondam. Jam nec insulæ horrent, nec scopuli terrent; ubique domus, ubique populus, ubique respublica, ubique vita. Summum testimonium frequentiæ humanæ, onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, et necessitates arctiores, et querelæ apud omnes, dum jam nos natura non sustinet. Revera lues, et fames, et bella, et voragines civitatum, pro remedio deputanda, tanquam tonsura inolescentis generis humani; et tamen cum ejusmodi secures maximam mortalium vim semel cædant, nunquam restitutionem ejus (*c*) vivos ex mortuis reducentem, (*d*) post mille annos, semel orbis expavit. Et hoc enim sensibile fecisset æqua vis amissionis et restitutionis, si vivi ex mortuis fierent. Cur autem mille annis post, et non statim, ex mortuis vivi? cum si non statim supparetur quod erogatur (7), in totum absumi periclitetur, præveniente restitutionem defectione, quia nec pariasset commeatus hic vitæ milliario tempori, longe scilicet brevior, et idcirco facilior ante extingui quam redaccendi. Igitur quæ hoc modo intercidisset, si vivi ex mortuis fierent, quando non intercidit, non erit credendum vivos ex mortuis fieri.

CAPUT XXXI.

Jam vero si ex mortuis vivi, utique singuli ex singulis. Singulorum ergo corporum animas, ut sin-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Redissent *al.*
(2) Parthicam *Wouw.* Parthiam. *lib. Ursini.*
(3) Amadæ *Wouw.* semenidæ *Jun.*
(4) Μετοικίας *Pam. Rhen.*
(5) Origines *Pam. Rhen.*
(6) Jam *omitt. Pam. Rhen.*
(7) Erogatum *Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

trarium ex contrario fieri. Quod, universim acceptum, evidentibus exemplis refutat auctor. Lac.

CAP. XXX.—(a) *Dum aborigines vel vagi vel extorres vel gloriosi quique occupant terras.* Scimus aborigines dici αὐτοχθόνας, ἐγχωρίους. Scimus quoque non raro in veteribus libris scriptum, *ab origine*, ubi omnino scribi debuit, *aborigines*, quo modo hic etiam ex libro Ursini quidam legunt, et legi posse non negamus. Sed cum ferri et explicari commode queat quod in vetustissimo illo exemplari Agobardino legitur, *ab origine*, hoc est, ἀπὸ ἀρχαιογονίας, non arbitramur quærendum esse aliquid abstrusius. Rig. — *Dum aborigines.* Vagis opponit aborigines; quare non intelligit antiquos Italiæ populos Latinos dictos, sed qui a Græcis dicuntur αὐτόχθονες, sive πρωτογενεῖς, sive ἐγχώριοι, ut utitur Ambrosius in *Hexamer.*, nempe primi progenitores, et cultores urbium et indigenæ, qui aborigines dicti, quasi absque origine aliena. De quibus Thucyd. lib. I, Dionysius Halicarnass. lib. I. Lac.

(b) *Solennes migrationes.* Coloniarum deductiones, sed solennes, hoc est, quæ ex solennitate fiebant seu lata lege publica, seu ex mandato imperatoris, non autem colonias quæ fortuito, ex casu, sive cupiditate victorum, absque authoritate alia, rituque necessario. Le Pa.

(c) *Vivos ex mortuis reducentem post mille annos.* Eo respexit Manilius, Astron. I, cum ait,

Sive individuis, in idem reditura, soluta
Principiis natura manet post sæcula mille. Rig.

(d) *Post mille annos.* Alludit ad mille annorum iter, quod Plato recenset post hanc vitam, dial. X *de Repub.* et in *Phædro*, quos cum hic tanquam fabulas refutat Auctor, mirum est quomodo postea in Millenariorum paradoxon inciderit. Pam.

gulas in singula corpora reverti oportuerat. Porro si et binæ et triuæ et quinæ usque uno utero resumuntur, non erunt ex mortuis vivi, quia non singuli ex singulis. Et hoc autem modo (*a*) primordii forma singulatur, cum et nunc plures animæ de una proferuntur. Item, cum varia ætate decedant animæ, cur una revertuntur? omnes enim ab infantia imbuuntur. (1) Quale est autem ut senex defunctus, infans revertatur? si decrescit foris anima retrograda ætate, quanto magis erat ut progressior reverteretur mille post annis? Certe vel coætanea suæ mortis, ut ævum quod reliquisset, iterum recepisset. Sed etsi eædem semper revolverentur, licet non corporum quoque formas easdem, tamen vel ingeniorum et studiorum et adfectionum pristinas proprietates secum referre deberent; quoniam temere eædem haberentur, carentes iis per quæ eædem probarentur. Unde scias, inquis, an ita quidem fiat occulte, sed conditio milliarii ævi interimat facultatem recensendi, quia ignotæ tibi (2) revertuntur? Atquin scio non ita fieri, cum Pythagoram, Euphorbum mihi opponis. Ecce enim Euphorbum militarem et bellicam animam satis constat vel de ipsa gloria clypeorum consecratorum; Pythagoram vero tam residem et imbellem, ut prælia tunc Græciæ vitans, Italiæ maluerit quietem, geometricæ et astrologiæ et musicæ devotus, alienus studio et adfectu Euphorbi. (*b*) Sed et Pyrrhus ille fallendis piscibus agebat; (*c*) Pythagoras contra nec edendis, ut animalibus abstineus. Æthalides (3) autem et Hermotimus (*d*) fabam quoque in pabulis communibus iuuerat; Pythagoras vero (*e*) ne per fabalia quidem transeundum discipulis suis tradidit. Quomodo ergo eædem animæ recuperantur, quæ nec ingeniis, nec institutis jam, nec victibus eædem probabuntur? Jam nunc, de tanto Græciæ censu quatuor solæ animæ recensentur. Sed et quid utique de solo Græciæ censu, ut non ex omni gente, ex omni ætate ac dignitate, ex omni denique sexu, et μεταμψυχώσεις μετενσωματώσεις quotidie existant, cur solus Pythagoras alium atque alium se recognoscat, non et ego? aut si privilegium philosophorum est, et utique græcorum, quasi non et scythæ et indi philosophentur, cur neminem se (4) retro meminit Epicurus, neminem Chrysippus, neminem Zeno, ne ipse quidem Plato, quem forsitan Nestorem credidissemus, ob mella facundiæ?

CAPUT XXXII.

Sed enim (*f*) Empedocles, quia se deum delirarat, idcirco, opinor, dedignatus aliquem se heroum recordari: (*g*) Thamnus et piscis fui, inquit, cur non magis et pepo, tam insulsus, (*h*) et chamæleon, tam inflatus? Plane ut piscis, ne aliqua sepultura conditiore putesceret (5), assum se maluit, in Æthnam præcipitando. Atque exinde in illo finita sit metensomatosis, ut æstiva cœna post assum. Perinde igitur et hic dimicemus necesse est adversus portentosiorem præsumptionem, bestias ex hominibus, et homines ex bestiis revolventem. Viderint thamni. (*i*) Licebit et raptim (6), ne plus ridere quam docere cogamur. Dicimus animam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qua infans revertatur *add. Pam. Rhen. Lat.* revertitur *Jun. navult.*
(2) Qua ignorata et ibi *Pam. Rhen.*
(3) Ephalides *Par.*
(4) Et *Seml.*
(5) Patesceret *Wouwer.* conditio reputesceret *Pamel. Rhen.*
(6) Lapathi *Pam. Rhen. Pam.* lapti *Paris.* licet bis elati *Lat.* et lappæ *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXI. — (a) *Primordii forma singulatur.* Sic habet exemplar Agobardi: Imo, inquit, vera humani primordii forma singulatur, cum et nunc ex uno et singulari homine plures generantur. Hoc modo singularitas humani primordii servatur, cum et nunc plures animæ de una proferuntur. Ric.

(b) *Sed et Pyrrhus ille.* Fuit Pyrrhus, quem se etiam fuisse pridem Pythagoras mentiebatur, piscator delius. Lac.

(c) *Pythagoras contra nec edendis.* Cur ab animalibus abstineret Pythagoras, alibi caussam reddit Auctor, *Apologet.*, c. 48: *Ne forte bubulam quis de aliquo proavo suo obsonet.* Huc pertinet etiam illud B. Hieronymi, lib. II adv. Jovin.: *Et probabo non Empedoclis et Pythagoræ nos dogma sectari, qui, propter μετεμψύχωσιν, omne quod movetur et vivit edendum non putant.* Quod Lactantius, lib. III, c. 19, mitius interpretatur. Pam.

(d) *Fabam quoque in pabulis.* Quid notius quam præceptum Pythagoræ κυάμους ἀπέχου, *a fabis abstineto.* Jamblichus id scribit prohibitum *propter multas caussas tum sacras, tum naturales, et ad animum pertinentes,* quibus auctores sunt pleni. Lac.

(e) *Ne per fabalia quidem transeundum disc.* Etiam cum discrimine vitæ observatum præceptum illud Pythagoræ κυάμων μὴ θιγγάνειν, *ne fabas attinguendas esse,* scribit Jamblichus, cap. 31, ubi narrat quosdam Pythagoræ discipulos fugientes milites Dionysii tyranni incidisse casu in fabalia, qui decreti memores, et illud violare nolentes, substitere, minime ausi transire per fabalia, sed potius elegerunt trucidari et obrui. Solus Myllias captus, et ad tyrannum ductus, non minoris fortitudinis specimen dedit: nam rogatus a Dionysio, cur socii maluerint mori, quam fabas conculcare, respondit: *Illi quidem substiterunt, ne fabas conculcarent; ego potius mortem elegero, quam hujus tibi caussam exponam, quam ob rem fabas conculcare nolimus.* Ipsum quoque Pythagoram, ut scribit etiam Suidas, cum incensa domo persequerentur eum hostes, ubi ad campum fabis consitum venisset, constitit et jugulatus est. Lac.

CAP. XXXII. — (f) *Empedocles, quia se deum delirarat.* Delirium et hominis stupiditatem cum historicis demiror, Empedoclis enim hic refertur versus:

Χαίρετ' ἐγὼ δὲ ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός,

hoc est: *Salvete, vobis enim deus* sum *immortalis, nec amplius homo.* Le Pr.

(g) *Thamnus et piscis fui.* Ipse igitur apud Athenæum, lib. VIII, et apud Laertium ait:

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κούρη τε κόρος τε,
Θάμνος τ' οἰωνός τε, καὶ ἐν ἁλὶ βλῶσκος ἰχθύς.

Chalcidii versionem, hactenus fœde corruptam, restitui debere arbitramur in hunc modum:

Namque ego jamdudum vixi puer et solida arbos,
Ales, et ex undis animal, tum lactea virgo.

In posteriore autem versu Cyrillus, lib. VIII adversus Jul., legisse videtur καὶ ἐν ἁλὶ φαίδιμος ἰχθύς. Le Pr.

(h) *Et chamæleon tam inflatus.* Empedoclis arrogantiam et τρηχὺν τύφον plerique veterum notavere. Le Pr.

(i) *Licebit et raptim.* Hoc est: Sufficiet obiter per-

humanam nullo modo in bestias posse transferri, etiamsi secundum philosophos ex elementitiis substantiis censeretur. Sive enim ignis anima, sive aqua, sive sanguis, sive spiritus, sive aer, sive lumen, recogitare debemus contraria quæque singulis speciebus animalia : igni quidem ea quæ rigent, colubros, stelliones, salamandras ; et jam quæcumque de æmulo producentur elemento, de aqua scilicet, perinde contraria, utique (1) illa, quæ arida et exsuccida : denique siccitatibus gaudent locustæ, papiunculi, chamæleontes. Item contraria sanguini, quæ carent purpura ejus, cochleas, vermiculos et majorem piscium censum. Spiritui vero contraria, quæ spirare non videntur, carentia pulmonibus et arteriis, culices, formicas, tineas, et hoc genus minutalia. Item aeri contraria, quæ semper subterranenm et subaqueum viventia, carent haustu ejus. Res magis, quam nomina noveris (2). Item contraria lumini, quæ cæca in totum, vel solis tenebris habent oculos, talpas, (*a*) vespertilliones, noctuas. Hæc, ut ex apparentibus et manifestis substantiis doceam. Cæterum, si et atomos Epicuri tenerem, et numeros Pythagoræ viderem, et ideas Platonis offenderem, et entelechias Aristotelis occuparem, invenirem fors his quoque speciebus animalia, quæ nomine contrarietatis opponerem. Contendo enim, ex quacumque substantia supradicta constitisset humana anima, non potuisse eam in tam contraria unicuique substantiæ animalia reformari, et censum eis de sua translatione conferre, a quibus excludi ac respui magis haberet, quam admitti et capi ; nomine hujus primæ contrarietatis, quæ substantivi status diversitatem committit, tunc et reliquæ per consequentem ordinem cujusque naturæ. Nam et sedes alias humana anima sortita est, et victus, et instructus, et sensus, et affectus, et concubitus, et fœtus ; item ingenia ; tum opera, gaudia, tædia, vitia, cupidines, voluptates, valetudines, medicinas ; suos postremo, et vitæ modos, et exitus mortis. (*b*) Quomodo igitur illa anima quæ terris inhærebat, nullius sublimitatis, nullius profunditatis intrepida, ascensu etiam scalarum fatigabilis, submersu etiam piscinarum strangulabilis, aeri postea A insultabit in aquila, aut mari postea desultabit in anguilla ? Quomodo item pabulis liberalibus et delicatis atque (3) curatis educata, non dico paleas, sed spinas, et agrestes amaritudines frondium, et bestias sterquiliniorum, vermium (*c*) etiam venena ruminabit, si in capram transierit, vel in coturnicem : ipso et cadaverinam, imo et humanam, sui utique memor in urso et leone ? Sic et cætera ad incongruentiam rediges (4), ne singulis perorandis immoremur. Ipsius animæ humanæ quisquis modus, quæcumque mensura, quid faciet in amplioribus longe vel minutioribus animalibus ? Necesse est enim et corpus omne anima compleri, et animam omnem corpore obduci. (*d*) Quomodo ergo anima hominis complebit elephantum ? quomodo item obducetur in B culice ? Si tantum extendetur aut contrahetur (5), profecto periclitabitur. Et ideo adjicio, si nulla ratione capax est hujusmodi translationis in animalia, nec modulis corporum, nec cæteris naturæ suæ legibus adæquantia, numquid ergo demutabitur secundum qualitates generum, et vitam eorum contrariam humanæ vitæ, facta et ipsa contraria humanæ per demutationem ? Enimvero si demutationem capit amittens quod fuit, non erit quæ fuit ; et si quæ fuit, non erit, soluta est metensomatosis, non adscribenda scilicet ei animæ, quæ si demutabitur, non erit. Illius enim metensomatosis dicetur, quæcumque eam in suo statu permanendo patefaceret. Igitur si nec mutari potest, ne non sit ipsa, nec permanere in statu, quia contraria non capit, quæro adhuc caussam ali- C quam fide dignam hujusmodi translationis. Nam etsi quidam homines bestiis adæquantur, pro qualitatibus morum, et ingeniorum, et adfectuum, quia et Deus : *Assimilatus est*, inquit, *homo irrationabilibus jumentis* (*e*) ; non ideo milvi ex rapacibus fient, et canes ex spurcis, et pantheræ ex acerbis, aut oves ex probis, et hirundines ex garrulis, et columbæ ex pudicis ; (*f*) quasi eadem substantia animæ ubique naturam suam in animalium proprietatibus repetat. Aliud est autem substantia, aliud natura substantiæ. Siquidem substantia propria est rei cujusque, natura vero potest esse communis. Suscipe exemplum. Substantia est

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aquæ *Jun.*
(2) Noverim *Paris. Gelen. Jun.*
(3) Aquæ *Fran.*
D (4) Redige *Rhen. Semler. Oberth.*
(5) Extenderetur aut contraheretur *Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

strinxisse. Etenim tam ridicula sunt, ut vel in transcursu tantum indicata satis refellantur. Sic igitur emendavimus quod vulgo legebatur : *Licebit et lapathi*. In codice Agobardi legitur . *Licebit et lapti*. RIG.

(a) *Vesperugines*. Hoc est Vespertiliones, qui a Lucifero seu Vesperugine stella Veneris nomen habuerunt, eo quod caveis suis non excedere priusquam stella illa appareat vulgo credantur. LE PR.

(b) *Quomodo igitur illa*, etc. Ex varietate ciborum demonstrat, transmutationes animarum et metempsychoses fieri non posse. LE PR.

(c) *Etiam venena ruminabit*. Ideo forte, quia scribit Plinius, lib. X, c. 23 : Coturnices veneno nutriri LE PR.

(d) *Quomodo ergo anima hominis complebit elephantum ?* Difficultatem metensomatoseos ex corporis inæqualitate et disconvenientia arguit. Quomodo enim qui elephantus fuit culex esse poterit ? LE PR.

(e) *Assimilatus est*, inquit, *homo irrationalibus jumentis*. Græce est ὡμοιώθη. Noster autem interpres ad verbum potius transtulit *insipientibus*, quam Auctor, *irrationalibus* : nam Græce est τοῖς ἀνοήτοις. PAM.

(f) *Quasi eadem substantia animæ*. Utrum Plato metensomatosim substantialem statuerit, an tantum moralem, lis est. Defendunt illum plerique platonicorum, ut tantum moralem intelligeret ; sed contrarium pluribus conatur evincere Crispus, distrib. III, lib. I, omnino videndus : qui tamen, licet damnet Platonem, defendit Pythagoram. LAC.

lapis, ferrum; duritia lapidis et ferri, natura substantiæ est. Duritia communicat, substantia discordat. Mollitia lanæ, mollitia plumæ, pariant naturalia earum; substantiva non pariant. Sic et si sæva bestia vel proba vocetur homo, sed non eadem anima. Nam et tunc naturæ similitudo notatur, cum substantiæ dissimilitudo conspicitur. Ipsum enim, quod hominem similem bestiæ judicas, confiteris animam non eamdem (1); similem dicendo, non ipsam. Sic et divina pronuntiatio sapit, pecudibus adæquans hominem natura, non substantia. Cæterum, nec Deus hominem hoc modo notasset, si pecudem de substantia nosset.

CAPUT XXXIII.

Etiam (*a*) cum judicii nomine vindicatur hoc dogma, quod animæ humanæ pro vita et meritis genera animalium sortiantur, jugulandæ quæque in occisoriis, et subigendæ quæque in famulatoriis, et fatigandæ in operariis, et fœdandæ in immundis, perinde honorandæ, et diligendæ, et curandæ, et adpetendæ in speciosissimis, et probissimis, et utilissimis, et delicatissimis. Et hic dicam : Si mutantur, non ipsæ dispungentur quæ merebuntur; evacuabitur ratio judicii, si meritorum decrit sensus; deerit autem sensus meritorum, si status verterit animarum; vertit autem status animarum, si non eædem perseveraverint : æque si (2) perseveraverint in judicium, quod et Mercurius Ægyptius novit, dicens animam, digressam a corpore, non refundi in animam universi, sed manere determinatam, uti rationem (inquit) Patri reddat eorum quæ in corpore gesserit. Volo judicii utique divini justitiam, gravitatem, majestatem, dignitatem recensere; si non sublimiore fastigio præsidet humana censura, prænior utriusque sententiæ honore, pœnarum et gratiarum, severior in ulciscendo, et liberalior in largiendo. Quid putas futuram animam homicidæ? Aliquod, credo, pecus lanienæ et macello destinatum, ut perinde juguletur, quia et ipsa jugulaverit; perinde decoricetur, quia et ipsa despoliaverit; perinde in pabulum proponatur, quia et ipsa bestiis objecerit eos (3) quos in sylvis et aviis trucidaverit (*b*). Si ita judicabitur, nonne illa anima plus solatii quam supplicii relatura est? quod funus inter coccos (4) pretiosissimos invenit, quod condimentis apicianis et lurconianis humatur, quod mensis ciceronianis infertur, quod lancibus splendidissimis syllanis effertur, quod exsequias convivium patitur (*c*), quod a coæqualibus devoratur potius quam a milvis et lupis, ut in hominis corpore tumulata, et in suum genus regressa, resurrexisse videatur, exsultans adversus humana judicia, si ea experta est. Namque illa sicarium variis et exquisitis, etiam (5) præter naturam eruditis feris dissipant (*d*), et quidem viventem, imo nec facile morientem (*e*), curata mora finis ad plenitudinem pœnæ : sed et si anima præfugerit (*f*) ultimo gladio, ne corpus quoque evaserit ferrum, nihilominus (6) jugulo ventreque confossis (7), costisque transfixis, compensatio proprii facinoris exigitur; inde in ignem datur, ut et sepultura puniatur (*g*) : aliter denique non licet. Nec tamen tanta est rogi cura (*h*), ut reliquias aliæ bestiæ inveniant (*i*). Certe nec ossibus parcitur (*j*), nec cineribus indulgetur, nuditate plectendis. Tanta est apud homines homicidii vindicta, quanta ipsa quæ vindicatur natura. Quis non præferat sæculi justitiam, quam et Apostolus non frustra gladio armatam contestatur (*Rom.*, XIII), quæ pro homine sæviendo religiosa est? Si cæterorum quoque scelerum mercedem cogitemus, patibula, et vivicomburia, et culeos, et uncos, et scopulos, cui non expediat apud Pythagoram et Empedoclem sententiam pati? Nam et qui laboribus atque servitiis puniendi, in asinos utique et mulos recorporabuntur, quantum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Similem *rursus add. Pam.*
(2) Non *inser. Wouw.*
(3) Infecerit os *Pam. Rhen.*
(4) Cocos *Paris. Rig. Ven.*
(5) Et jam *Rig. Ven.*
(6) Nihil minus *cod. Agob.*
(7) Utroque confossis *Pam. Rhen.* utroque confosso *Wouw.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXIII. — (a) *Cum judicii nomine.* Carpitur Plato sæpius affirmans pro meritis bonis aut malis detrudi animas in corpora animalium, in *Timæo.* LAC.

(b) *Quia et ipsa bestiis objecerit eos quos in sylvis et aviis trucidaverit.* Quod vulgo legebatur, *Quia et ipsa bestiis infecerit obliquas in sylvis et arvis trucidaverit.* In libro Ursini legitur, *Quia et ipsa bestiis objecerit eos quos.* Exemplar Agobardi : *Quia et ipsa bestiis fecerit eos quos in sylvis et aviis trucidaverit.* Perinde, inquit, in pabulum proponatur, quia et ipsi bestiis fecerit pabulum eos quos in sylvis trucidaverit. RIG.

(c) *Quod exequias convivium patitur.* Quod convivio infertur, non sepulcro; quod cœnæ impenditur, non funeri. RIG.

(d) *Et jam præter naturam eruditis feris.* Nempe in schola bestiarum, hoc est, circo, amphitheatro. RIG.

(e) *Imo nec facile morientem.* Liber Agobardi, *Imo facile nec morientem.* Plerisque apud Septimium locis, *facile*, significat *sæpe.* RIG.

(f) *Sed et si anima præfugerit ultimo gladio.* Hoc est, si forte anima inter ferarum laniatus e corpore excesserit priusquam ultimo gladio pelleretur, etc. Itaque hæc sicarii pœna fuit. Bestiis objiciebatur laniandus; sic tamen curata supplicii mora, ut lassatis longa laniena bestiis, tandem confoderetur, gladio in gulam et genitalia atque etiam trans costas in præcordia adacto. Sed et si bestiarum asperitate laniatum mori contingeret, nihilominus mortui gulam, inguina, costas gladio confodi mos erat, ut compensatione ac repræsentatione proprii facinoris noxium corpus etiam ferro perculeretur, quo cives percusserat. RIG.

(g) *Ut et sepultura puniatur.* Ignea videlicet sepultura. Summam ignium pœnam dixit lib. *ad Martyras.* RIG.

(h) *Nec tamen tanta est cura rogi.* Maligno rogo ustulata corpora relinquuntur. RIG.

(i) *Ut reliquias aliæ bestiæ inveniant.* Canes, lupi, etc. RIG.

(j) *Certe nec ossibus parcitur, nec cineribus indulgetur, nuditate plectendus.* Hæc quoque propria sicariorum fuit pœna. Nam alias eorum etiam corpora, qui exurendi damnabantur, peti poterant, scilicet ut ossa et cineres collecta sepulturæ tradi possent, inquit Ulpianus, lib. *De Cadaveribus Punitor.* RIG.

sibi de pistrinis et aquilegis rotis gratulabuntur (*a*), si metallorum, et ergastulorum, et operum publicorum, ipsorumque carcerum, licet otiosorum, recordentur. Perinde qui integre morati commendaverint judici vitam, quæro præmia; sed potius invenio supplicia. Nimirum magna merces bonis in animalia quæcumque restitui? Pavum se meminit Homerus (*b*), Ennio somniante; sed poetis nec vigilantibus credam. Etsi pulcherrimus pavus, et quo velit colore cultissimus; sed tacent pinnæ (1), sed displicet vox; et poetæ nihil aliud quam cantare malunt. Damnatus est igitur Homerus in pavum, non honoratus. Plus de sæculi remuneratione gaudebit, pater habitus liberalium disciplinarum, ut malit famæ suæ ornamenta, quam caudæ (2). Age nunc, ut poetæ in pavos vel in cycnos transeant, si vel cycnis decora vox est; quod animal induces viro justo Æaco (3), quam bestiam integræ fœminæ Didoni? quam volucrem patientia, quam pecudem sanctimonia, quem piscem innocentia sortientur? Omnia famula sunt hominis, omnia subjecta, omnia mancipata. Si quid horum futurus est, deminoratur (4). Illic ille, cui ob merita vitæ imagines, statuæ, et tituli, honores publici, privilegia rependuntur? cui curia, cui populus suffragiis immolat? O judicia divina post mortem humanis mendaciora (5), contemptibilia de pœnis, fastidibilia de gratiis, quæ nec pessimi metuant, nec optimi cupiant; ad quæ (6) magis scelesti, quam sancti quique properabunt: illi, ut justitiam sæculi citius evadant; isti, ut tardius eam capiant? Bene, philosophi, docetis, utiliter suadetis, leviora post mortem supplicia vel A præmia; cum si quod judicium animas manet, gravius debeat credi in dispunctione vitæ, quam in administratione: quia nihil plenius, quam quod extremius; nihil autem plenius, quam quod divinius. Deus itaque judicabit plenius (*c*), quia extremius, per sententiam æternam tam supplicii quam refrigerii, nec in bestias, sed in sua corpora revertentibus animabus: et hoc semel, et in eum diem quem solus Pater novit, ut pendula expectatione sollicitudo fidei probetur; semper diem observans, dum semper ignorat; quotidie timens, quod quotidie sperat.

CAPUT XXXIV.

Nulla quidem in (7) hodiernum dementiæ hujusmodi sententia erupit sub nomine hæretico, quæ humanas animas refugat in bestias. Sed necessarie B hanc quoque speciem intulimus et exclusimus, ut superioribus cohærentem, quo perinde in pavo retunderetur Homerus, sicut in Pythagora Euphorbus; atque ita hac etiam metempsychosi sive metensomatosi repercussa, illa rursus cæderetur quæ aliquid hæreticis subministravit. Nam et Simon samarites in Actis Apostolorum redemptor Spiritus Sancti, posteaquam damnatus ab ipso cum pecunia sua in (8) interitum, frustra flevit (*d*) conversus ad veritatis expugnationem, quasi pro solatio ultionis, fultus etiam artis suæ viribus, ad præstigias virtutis alicujus Helenam quamdam tyriam de loco libidinis publicæ (*e*) eadem pecunia redemit, dignam sibi mercedem pro Spiritu Sancto (*f*). Et se quidem finxit (9) summum patrem, illam vero injectionem suam primam (*g*), qua injecerat angelos et archangelos condere: hujus eam propositi

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pennæ *Rig. Ven.*
(2) Gaudia *Rhen. Seml.* gaudeat *Pam. Fran.*
(3) Deloco *Par.* dejoci *Lat.* dejoce *Pam. Fran.*
(4) Diminoratur *Pam. Rhen. Rig. Ven. Seml. Oberth.*
(5) Mendiciora *Rhen. Seml. Oberth.*
C (6) Atque *Fran.*
(7) Ad *Pam. Rhen.*
(8) In *omitt. Fran.*
(9) Fingit *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Aquilegis rotis.* Jumenta, muli, et asini qui hisce machinis volvendis occupabantur, si quando in homines mutari contigerit, de sua sibi conditione gratulabuntur; vertendis enim hisce rotis non insudabunt. Vitruvius illas describit; erant autem instrumenta quæ situlis et vasis quibusdam aquam hauriebant, atque effundebant. LE PR.

(b) *Pavum se meminit Homerus, Ennio somniante.* Perierunt illa Ennii verba quibus in pavum mutatum ait Homerum; duo puto fuisse *somnia* Ennii, de quibus auctores. Ad eam rem pertinere illa Persii sat. 6, putarim:

D

Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit, esse
Mæonides, quintus pavone ex Pythagoræo. LE PR.

(c) *Deus itaque judicabit plenius, quia extremius.* Nimirum extremo ac supremo judicio. RIG.

CAP. XXXIV. — (d) *Frustra flevit.* Hoc est, frustra pœnituit. Etenim Lucas in Actis Apostolorum tradit Simonem istum samaritam dicti sui certe sacrilegi pœnitentia ductum, obsecrasse Petrum cæterosque apostolos in hæc verba: *Deprecamini pro me apud Dominum, ne quid horum quæ adversum me dixistis eveniat.* Ac de Simone Lucas præterea nihil. Septimius ait, frustra eum flevisse. Quod etiam ita accipi potest, ut frustra flevisse dicatur, qui cum ad fidem christianam accessisset, testatus, ut verisimile est, se magicas artes ejerare, ac pœnitere fraudium pristinarum, postea tamen ad easdem fallacias et imposturas perfide revertisset. RIG.

(e) *Helenam quamdam tyriam de loco libidinis publicæ.* Irenæus, lib. I, cap. 20, quæstuariam dixit. RIG. — *Helenam quamdam tyriam.* Tum hic, tum cap. sequenti, Helenen sive Helenam retinuimus, tum quod Simon ille magus hanc eamdem fuisse diceret Helenam trojanam illam, tum quod etiam sic appelletur a B. Justino martyre *Apolog.* II, et post eum ab Eusebio græco *Hist. Eccl., lib.* II, *cap.* 12, *seu* 13; B. Hieronym., *epist. ad Ctesiphontem adv. Pelag.*; Epiph., *hær.* 21, non semel; Theodoreto *Hæret. Fab.* lib. I, et Damasc. *lib. de Hæres.* Apud Irenæum variant codices, quamquam plures *Selenem* legant, quomodo etiam B. August. lib. *de Hæres.*, Rufinus versione sua Eusebii, Cyrillus alicubi, et ante omnes hos Clemens Papa in *Recognit.* ubi a luna quæ græce σελήνη dicitur, appellatam vult. Verisimile itaque est utroque nomine appellatam. PAM.

(f) *Dignam sibi mercedem.* Sic etiam legitur in exemplari Agob. Emendatius tamen, ut opinor, scribetur, *mercem.* Dignam, inquit, mercem redemit sibi Simon Helenam illam eadem pecunia qua Spiritum Sanctum redimere voluerat. RIG.

(g) *Illam vero injectionem suam primam.* Clarius B. Justinus martyr, primam quamdam mentem seu intelligentiam; Ireu. mentis conceptionem matrem omnium, per quam initio mente concepit angelos facere et archangelos, sicuti vicissim illud, *ejus eam propositi compotem*, etc., facit ad Ireu. intellectum.

PAM.

compotem exilisse de patre, et in inferiora desultasse; atque illic prævento patris proposito, angelicas potestates genuisse, ignaras patris, artificis mundi hujus; ab his vero per invidiam (1) retentam (*a*), ne digressa ea alterius genimina viderentur; et idcirco omni contumeliæ addictam, ut nusquam discedere depretiatam liberet, humanæ quoque formæ succidisse, velut vinculis carnis coercendam; ita multis ævis per alios atque alios habitus fœmininos volutatam, etiam illam Helenam fuisse, exitiosissimam Priamo, et Stesichori postea oculis (*b*), quem et excæcasset ob conviciuin carminis, dehinc reluminasset ob satisfactionem laudis; proinde migrantem eam de corporibus in corpora, postrema dedecoratione (2), sub titulo prostitisse Helenam viliorem: hanc igitur esse ovem perditam, ad quam descenderit (3) pater summus, Simon scilicet, et primum recuperata ea et revecta, nescio humeris an fœminibus (*c*), exinde ad hominum respexerit salutem, quasi per vindictam liberandorum ex illis angelicis potestatibus; quibus fallendis, et ipse configuratus æque, et hominibus hominem ementitus, in Judæa quidem filium, in Samaria vero patrem gesserit. O Helenam inter poetas et hæreticos laborantem! tunc adulterio, nunc stupro infamem! nisi quod de Troja gloriosius eruitur, quam de lupanari: mille navibus de Troja, nec mille denariis forsitan de lupanari. Erubesce, Simon, tardior in requirendo, inconstantior in retrahendo. At Menelaus statim insequitur amissam, statim repetit ereptam, decenni prælio extorquet, non latens, non falliens, non cavillabundus. Vereor ne ille magis pater fuerit, qui circa Helenæ recuperationem et vigilantius et audentius et diutius laboraverit.

CAPUT XXXV.

Sed non tibi soli metempsychosis hanc fabulam instruxit. Inde etiam Carpocrates utitur (*d*) pariter magus, (*e*) pariter fornicarius, etsi Helena minus, quidni? cum propter omnimodam divinæ et humanæ disciplinæ eversionem constituendam, recorporari animas adseveraverit: nulli enim vitam istam rato fieri, nisi universis, quæ arguunt eam, expunctis, quia non natura quid malum habeatur, sed opinione, itaque metempsychosin necessarie imminere, si non in primo quoque vitæ hujus commeatu omnibus inlicitis satisfiat: scilicet facinora tributa sunt vitæ: cæterum totiens animam revocari habere, quotiens minus quid intulerit, reliquatricem delictorum, donec exsolvat novissimum quadrantem (*Matt.* V), detrusa identidem in carcerem corporis. Hunc enim temperat totam illam allegoriam Domini, certis interpretationibus relucentem: et primo quidem simpliciter intelligendam; nam et ethnicus homo adversarius noster est, incedens eamdem viam vitæ communis. Cæterum, oportebat nos de mundo exire (I *Cor.* V), si cum illis conversari non liceret. Huic ergo bonum animi præstes jubet (*Luc.* VI): *Diligite inimicos vestros*, inquit, *et orate pro maledicentibus vos*, ne aliquo commercio negotiorum injuria provocatu, abstrahat te ad suum judicem, et in custodiam delegatus ad exsolutionem totius debiti arceris. Tum si in diabolum transfertur adversarii mentio ex observatione comitante, cum illo quoque moneris eam inire concordiam, quæ deputetur ex fidei conventione: pactus es enim renuntiare ipsi, et pompæ, et angelis ejus. Convenit inter vos de isto. Hæc erit amicitia observatione (4) sponsionis, ne quid ejus postea resumas ex his quæ ejerasti, quæ illi reddidisti, ne te ut fraudatorem, ut pacti transgessorem judici Deo objiciat, sicut eum legimus alibi (*Apocal.* XII, 10) sanctorum criminatorem, et de ipso etiam nomine diaboli (5) delatorem, et judex te tradat angelo executionis, et ille te in carcerem mandet infernum, unde non dimittaris, (*f*) nisi modico quoque delicto

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ab iis per invidiam *Lat.* ab his perinde animo *Pam. Sem.*
(2) Postremo de decoratione *cod. Wouw.*
(3) Descendit *Rig. Ven.*
(4) Observatio *Pam. Rhen.*
(5) Diaboli *omitt. Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ab his vero per invidiam retentam.* Irenæus: *Hæc detenta est ab ipsis propter invidiam, quoniam nollent progenies alterius cujusdam putari esse.* Ex quibus manifestissimum fit corrupta esse quæ in vulgatis editionibus, atque etiam in exemplaribus antiquis leguntur, *Ab his vero perinde animo retentam.* Et, *Ab his non perinde animam retentam.* Rig.

(b) *Stesichori postea oculis.* Fabula illa multis scripta. Is enim cum oculis privatus esset propter vituperationes suas in Helenam, falsa esse quæ de ipsa dixerat, edito poemate quod palinodiam vocavit, testatus est, statimque visum recuperavit. Le Pr.

(c) *Nescio humeris an fœminibus.* Alludit Septimii stylus ad parabolam boni Pastoris, ludens in Helena meretrice. Rig.

CAP. XXXV.—(d) *Pariter magus.* Uno verbo dixit quod latius Irenæus de Carpocrate et ejus discipulis, ac post eum Eusebius (*Hist. Eccles. l.* IV, c. 7) et Epiphanius: « Artes enim, inquit, magicas operantur ipsi et incantationes, philtra quoque χαροτσια [id est amatoria, ut interpretes Eusebii vertunt], et paredros [sive assessores], et oniropompos [sive somnia mittentes], et reliquas maligiationes, seu, sicuti interpres Epiphanii, præstigias. » *Pariter fornicarius.* Hoc addit Auctor, quoniam, juxta Irenæum, Marcellina, quæ Romam sub Aniceto venit, cum esset hujus doctrinæ, multos exterminavit. Quod ipsum repetit Epiphanius, addens eos in luxu degere, et omnia ad corporis voluptatem operari solere, usque adeo ut Eusebius istius potissimum discipulis Gnosticis imputet suspicionem illam, quam de Christianis omnibus ipsorum caussa conceperant ethnici, de stupris promiscuis, et exsecrando infanticidio; a quibus criminibus latissime supra in *Apologetico* esse defendit Tertullianus. Pam.

(e) *Pariter fornicarius, etsi Helena minus.* Etsi Helenam non haberet. Rig.—*Etsi Helena minus.* Quamvis fornicarius, non tamen æquavit Helenam, quæ excidii Trojani caussa fuit, ob vitæ turpitudinem, et calamitatum plurimarum funus. Le Pr.

(f) *Nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.* Id est, interim vel antequam resurgamus,

mora resurrectionis expenso. Quid his sensibus aptius? quid his interpretationibus verius? Cæterum, apud Carpocratem, si omnium facinorum debitrix anima est, quis erit inimicus et adversarius ejus intelligendus? Credo, mens melior, quæ illam in aliquid innocentiæ impegerit, adigendam rursus ac rursus in corpus, donec in nullo rea deprehendatur bonæ vitæ. Hoc est ex malis fructibus bonam arborem intelligi (*a*), id est, ex pessimis præceptis doctrinam veritatis agnosci. Spero hujusmodi hæreticos Heliæ quoque invadere exemplum, tanquam in Joanne sic (1) repræsentati, ut metempsychosi patrocinetur pronuntiatio (2) Domini (*Matt.* XVII) : *Helias jam venit, et non cognoverunt eum.* Et alibi (*Matt.* XI) : *Et si vultis audire, hic est Helias qui venturus est.* Numquid ergo et Judæi ex opinione pythagorica consulebant Joannem (*Joan.* I) : *Tu es Helias?* et non ex prædicatione divina (*Malach.* IV) : *Et ecce mittam vobis Heliam thesbiten?* Sedenim metempsychosis illorum, revocatio est animæ jampridem morte functæ, et in aliud corpus iteratæ. (*b*) Helias autem non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est ; nec corpori restituendus, de quo non est exemptus (IV *Reg* II); sed mundo reddendus, de quo est translatus; non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ ; idem et ipse, et sui nominis et sui hominis. Sed quomodo Helias Joannes (*c*)? Habes angeli vocem (*Luc.* I) *Et ipse*, inquit, *præcedet coram populo in virtute et spiritu Heliæ*, non in anima ejus, nec in carne. Hæ enim substantiæ sui cujusque sunt hominis. Spiritus vero et virtus extrinsecus conferuntur ex Dei gratia. A ita et transferri in alterum possunt ex Dei voluntate, ut factum est retro de Moysis spiritu.

CAPUT XXXVI.

In has quæstiones inde, opinor, excessimus, quo nunc revertendum est. (*d*) Constituamus animam in ipso, et ipso seri homine, et unum esse a primordio semen, sicut et carnis in totum generis examen, (*e*) propter æmulas scilicet opiniones philosophorum et hæreticorum, et (*f*) illum sermonem Platonis veternosum. Nunc ordinem sequentium exinde tractatuum texamus. Anima in utero seminata pariter cum carne, pariter cum ipsa sortitur et sexum, ita pariter in caussa sexus neutra substantia tenetur. Si enim in seminibus utriusque subst antiæ aliquam intercapedinem eorum conceptus admitteret, ut aut caro, B aut anima prior seminaretur, esset etiam sexus proprietatem alteri substantiæ adscribere per temporalem intercapedinem seminum; ut aut caro animæ, aut anima carni insculperet sexum : quoniam et Apelles, non pictor, sed hæreticus (*g*), ante corpora constituens animas viriles ac muliebres, sicut ab Philumena didicit, utique carnem, ut posteriorem, ab anima facit accipere sexum. Et qui animam post partum carni superducunt, utique ante formatæ, marem aut fœminam de carne sexum præjudicant animæ. Utriusque autem substantiæ indiscreta semina, et unita suffusio eorum, communem subeunt generis eventum, qua lineas duxerit (*h*), quæcumque illa est ratio naturæ. Certe et hic se primordiorum forma testatur, cum masculus temporibus effingitur. Prior enim C Adam ; fœmina aliquanto serius : posterior enim E a.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sic *omitt. Rig. Ven.*

(2) Patrocinentur præmontio *Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

non quod ipsa dilatio resurrectionis sola sit expiatio, et purgatio venialium culparum ; sed quod in purgatorio, purgemur variis pœnis post hanc vitam et antequam resurgamus. Cæterum interpretationem istam tertullianicam facere pro purgatione animarum post hanc vitam a modicis quibuscunque delictis, atque ideo pro purgatorio, adnotavit Pamelius, adjunctis aliis testimoniis S. Cypriani. Lac.

(a) *Hoc est ex malis fructibus bonam arborem intelligi.* Ironia est, qua ridet interpretationem Harpocratis; et etiam accipitur vox *spero*, quæ sequitur, pro *timeo*; sicuti supra non semel; tanquam si timeret ne posset respondere argumentis propositis. Pam.

(b) *Helias autem non ex decessione*, etc. Irenæus lib. D V cap. 7, ubi de paradiso in Eden, hoc de Elia refert acceptum a presbyteris Apostolorum discipulis, translatum esse in paradisum justis hominibus præparatum, in quem et Paulus apostolus adsportatus audivit sermones inenarrabiles, quantum ad nos in præsenti; et ibi mansurum usque ad consummationem sæculi : interea conservari incorruptum. Rig.

(c) *Sed quomodo Helias Joannes?* Similiter prorsus locos hos Scripturæ interpretatur B. Augustinus [*Tr.* XIV *in Joan. c.* 1, *et l.* V *de Trinitate, c.* 14]. Qui interim neutribi legit illud, *coram populo*, quod Auctori proinde peculiare est. Posteriori vero loco etiam interpretatur *spiritum Heliæ*, pro *spiritum Mosei*, sicut hic Auctor, qui una voce *translatum spiritum Mosei* dicit, eo quod dicitur auferri a Mose et dari 70 senioribus. Pam.

CAP. XXXVI. — (d) *Constituamus animam in ipso et ex ipso*, etc. Hoc suum paradoxum statuit Tertullianus cap. 25, 26, 27, ubi asseruit animam simul cum carne in utero proseminari, et ex traduce Adami omnes derivari animas per semen, quod rursus in hoc capite inculcat. Lac.

(e) *Propter æmulas scilicet opiniones philosoph. et hæret.* Cap. 23, antequam suam sententiam de proseminatione animarum effutiret, recensuit opiniones hæreticorum varias circa originem animæ æmulantium, philosophica placita, maxime platonica, concedentia animabus originem cœlestem, ubi ostendit Valentinum, Saturninum, Carpocratem, Apellem æmulos, et discipulos Platonis fuisse. Lac.

(f) *Illum sermonem Platonis veternosum.* Non vocat sermonem Platonis veternosum, quod dixerit discentias reminiscentias, veluti profectas ex veterno somno, sed alludens ad veterem sermonem apud Platonem de reciproco animarum discursu, de quo cap. 28: *quis ille nunc vetus sermo apud memoriam Platonis*, etc. Non sine lepore ludit vocabulo, ut ostendat sermonem illum veterem mere somnium, et sine ullo cerebro esse, et æque veternosum esse ac veterem. Arnobius quoque veternosum dixit pro vetere, lib. I. Lac.

(g) *Apelles non pictor, sed hæreticus.* Ἀπελλῆς, latine Apelles et Apella. Horatius.... *Credat Judæus Apella.* Is vero fortean recutitus, quia judæus, sed Apella græcum est Ἀπέλλης, nec significat recutitum aut verpum. Apelles et Apella, quemadmodum Pyctes et Picta, Prophetes et Propheta, Evergetes et Evergeta, etc. Rig.

(h) *Qua lineas duxerit.* Quia pictoris mentionem paulo prius fecit, etiam hanc proverbialem formulam ab illis desumpsit. Pam.

Ita diu caro informis est, qualis ex Adæ latere decerpta est; animal tamen et ipsa jam, quia et illam tunc Adæ portionem animatam (1) agnoscant. (*a*) Cæterum, et ipsam Dei adflatus animasset, si non ut carnis, ita et animæ ex Adam tradux fuisset in fœmina.

CAPUT XXXVII.

Omnem autem hominis in utero serendi, struendi, fingendi paraturam aliqua utique potestas divinæ voluntatis ministra modulatur (*b*), quacumque illa rationem agitare sortita. Hæc æstimando, etiam superstitio romana deam finxit Alemonam (*c*), alendi in utero fœtus; Et Nonam et Decimam, a sollicitioribus mensibus; et Partulam, quæ partum gubernet; et Lucinam, quæ producat in lucem. Nos officia divina angelos credimus. Ex eo igitur fœtus in utero homo, a quo forma completa est. (*d*) Nam et Moysis lex (*Exod.* XXI, 22) tunc aborsus (2) reum talionibus judicat, (*e*) cum jam hominis est caussa, cum jam illi vitæ et mortis status deputatur, cum et fato jam inscribitur, (*f*) etsi adhuc (3) in matre vivendo, cum matre plurimum communicat sortem. Dicam aliquid et de temporibus animæ nascentis, ut ordinem decurram. (*g*) Legitima nativitas ferme decimi mensis ingressus est. Qui numeros ratiocinantur, et decurialem numerum (*h*) ut exinde reliquorum parentem (4) colunt, denique perfectorem nativitatis humanæ. (*i*) Ego ad Deum potius argumentabor hunc modum temporis, ut decem menses Decalogo magis inaugurent hominem, ut tanto temporis numero nascamur, quanto disciplinæ numero renascimur. (*j*) Sed et cum septimo mense nativitas (5) plena est,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Animal *Pam. Rhen.* animam *cod. Agobard.*
(2) Oborsus *Fran.*
(3) Et sic adhuc cum *Jun.*
(4) Parentum *Pam. Rhen. Semi.*
(5) Nativitatis *Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

(a) *Cæterum, et ipsam dei adflatus animasset.* Ad hunc locum videtur respondere August. lib. 1 de anima, cum ait: « Qui propaginem adserunt animarum, hinc se putant invictius suam munire sententiam, quia cum scriptum sit detraxisse Deum costam de latere viri, eamque ædificasse in mulierem, non est additum, quod in ejus faciem sufflaverit spiritum vitæ, ideo, inquiunt, quia de viro jam fuerat animata. » Pro quo dixit auctor: *animal jam et ipsa.* Verum respondet, nihil per hoc eorum sententiam adjuvari: » Si enim, inquit, scriptum esset, *Insufflavit flatum vitæ in faciem mulieris*, nec sic esset consequens, ut non propagaretur ex parentibus anima, nisi etiam de filio hoc scriptum reperiretur. Quia vero tacitum est, non negatum neque adfirmatum. » Pam.

CAP. XXXVII. — (b) *Aliqua utique potestas divinæ voluntatis ministra modulatur.* Quæ sit hæc potestas paulo post explicat, cum dicit: *Nos officia divina* (id est, phrasi jureconsultorum, ministros Dei) *angelos credimus.* Facit itaque locus iste ad confirmationem dogmatis catholici de angelis peculiaribus homini cuique deputatis, de quibus est elegans B. Hieronymi sententia in illud *Matt.* XVIII: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*: « Magna, inquit, dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum deputatum. » De iisdem exstat quæst. 30 apud Justin. martyr. lib. *Quæst. et resp.*; et idipsum adfirmant BB. Hilarius *in Ps.* CXXXIII, Basilius *in Ps.* XLVIII et alibi, Augustinus in *Soliloq. c.* 27. Eodem pertinet quod, inter opera B. Cypriani, Prologo operis *de Cardin. Christi Operibus* vocentur Angeli salutis nostræ ministeriales, et quod Rufinus *in Expositione Symboli* scribit, ab initio præfectas quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus regeretur et dispensaretur mortalium genus. Vide etiam Origenem, Hom. 13 ou 35 *in Luc.* et *hom.* 11 *in Numeros.* Pam.

(c) *Etiam romana superstitio deam finxit Alemonam.* De Alemona vide Gyraldum, *de Diis Gentium.* De aliis tribus (sicuti etiam ante me adnotavit Turnebus, Adv. *lib.* XVIII, *c.* 34), in hæc verba Gellius: » Duæ « Parcæ a Latinis, una a partu noni mensis Nona, « altera ab enixu decimi mensis Decima dicebatur. « Accedebat tertia, quæ Parca dicebatur, quasi *Parta*, mutato *t* in *c*. » Eam hic autor Partulam vocat, quod partum gubernet. Porro de Lucina infra latius *c.* 39. Pam.

(d) *Nam et Moysis lex tunc aborsus reum, etc.* Lex illa habetur Exodi 21, juxta LXX. Decretum autem ibi est, ut si quis mulierem prægnantem percusserit, si infans *figuratus* non fuerit, reus erit et damnatus secundum viri illius mulieris voluntatem, cum quo litem componet; si vero *figuratus* fuerit infans, hoc est animatus, dabit animam pro anima: reus enim erit homicidii. Aborsus autem dicitur juxta quosdam primis prægnationis mensibus, abortus vero cum imminet puerperium Le Pr.

(e) *Cum jam hominis est caussa.* Hoc est, hominis appellatio et titulus. Jam formato fœtu, πανδίου ἀξιοκατηγόρητος, ut jam homo censeri debeat. Nam ut ait Hieronymus ad Algasiam, *quæst.* 4: *Tamdiu non reputatur homo, donec elementa confusa suas imagines membraque suscipiant.* Rig.

(f) *Etsi adhuc in matre vivendo, cum matre plurimum communicat sortem.* Hoc habet ex disciplina Juris, quæ partum antequam edatur, mulieris portionem esse ait vel viscerum. l. 1. De inspic. ven. Rig.

(g) *Legitima nativitas ferme decimi mensis ingressus est.* Etsi nonus mensis hodie partubus tribuatur, illud tamen consentit cum veterum regulis qui decimum mensem statuebant. Turnebus noster illud ideo fieri ait, quia breviores erant veterum menses, utpote lunares, nostri vero ad solis motum accommodati sunt, suntque adeo longiores. Apud Jureconsultos decimi mensis partus legitimus habetur. Potest etiam hæres institui nepos ex filio mortuo, vel neptis, modo decimo mense nascatur a morte patris ex l. *Gallus* 29, *D. de liberis, vel Posthumis hæred. inst. i. ult. C depostum.* Post decem menses id fieri non potest, ex l. 6. *de iis qui sunt sui.* Licet scripserit Angelus Adrianum imperatorem decrevisse undecimi mensis partum legitimum esse. Le Pr.

(h) *Decurialem numerum. Decurialis* nove ab Auctore pro denario numero accipitur. Huc autem pertinet quod Athenagoras (*Orat. pro Christian.*) decenarium numerum maximum dicat secundum Pythagoricos, qui et quaternarius sit, et tum arithmeticum numerum, tum musicæ harmonicæ ut concentus rationis complectatur. Continet enim numerandi genera universa, numerorum est fons et principium, ex uno, duobus, tribus, et quaternario constans. Pam.

(i) *Ego ad Deum potius argumentabor.* Ingeniose quidem, sed superstitionem superstitionibus revincit. Rig.

(j) *Sed et cum septimo mense.* Septimestris partus adeo legitimus est ut matri prosit, cum sit pleni temporis L. *septimo.* D. *de stat hom.* Qua de caussa octimestris non idem faciat partus, septenarii numeri virtuti tribuendum censent quidam; sed adeunda erit

facilius quam octavo, honorem sabbati agnoscam, ut quo (1) die dedicata est (2) Dei conditio, eo (3) mense interdum producatur Dei imago. Concessum est properare nativitati, et tam idonee occurrere in hebdomadem, in auspicia resurrectionis, et requietis et regni. Ideo (*a*) ogdoas nos non creat : tunc enim nuptiæ non erunt. Societatem carnis atque animæ jamdudum commendavimus a concretione (4) seminum ipsorum usque ad figmenti perfectionem. Perinde nunc, et a nativitate (5) defendimus, imprimis quod simul crescunt, sed diversa (6) ratione pro generum conditione; caro modulo, anima ingenio, caro habitu, anima sensu. Cæterum, (*b*) animam substantia crescere negandum est, ne etiam decrescere substantia dicatur, atque ita et defectura credatur. Sed vis ejus, in qua naturalia peculia consita retinentur, salvo substantiæ modulo quo a primordio inflata est, paulatim cum carne producitur. (*c*) Constitue certum pondus auri vel argenti, rudem adhuc massam; collectus habitus est illi, et futuro interim minor, tamen continens intra lineam moduli totum quod natura est auri vel argenti; dehinc, cum in laminam massa laxatur, major efficitur initio suo, per dilatationem ponderis certi, non per adjectionem; dum extenditur, non dum augetur. Etsi sic quoque augetur, dum extenditur; licet enim habitu augeri, cum statu non licet. Tunc et splendor (7) ipse provehitur (8) auri vel argenti, qui fuerat quidem et in massa, sed obscurior, non tamen nullus, tunc et alii atque alii habitus accedunt pro facilitate materiæ qua duxerit eam qui agit, (9) nihil conferens modulo nisi effigiem. Ita et animæ crementa reputanda, non substantiva, sed provectiva (10).

A

B

C

CAPUT XXXVIII.

Quamquam autem et retro præstruxerimus, omnia (*d*) naturalia animæ ipsi substantiæ inesse pertinentia ad sensum et intellectum, et ex ingenito animæ censu, sed paulatim per ætatis spatia procedere, et varie per accidentia evadere, pro artibus, pro institutis, pro locis, pro dominatricibus potestatibus : quod tamen faciat ad carnis animæque propositam nunc societatem, pubertatem quoque animalem cum carnali dicimus convenire, pariterque et illam suggestu sensuum, et istam processu membrorum exsurgere, a quarto decimo fere anno : non quia Asclepiades inde sapientiam supputat, (*e*) nec quia jura civilia ab hinc agendis rebus adtemperant; sed quoniam et hæc de primordio ratio est. Si enim Adam et Eva ex agnitione boni et mali pudenda tegere senserunt, ex quo idipsum sentimus, agnitionem boni et mali profitemur. Ab his autem annis, et suffusior et vestitior sexus est, et concupiscentia oculis arbitris utitur, et (*f*) communicat placitum, (*g*) et intelligit quæ sint, et (*h*) fines suos ad instar ficulneæ contagionis prurigine accingit, et hominem de paradiso integritatis educit, exinde scabida etiam in cæteras culpas, et delinquendi (11) non naturales, cum jam non ex instituto naturæ, sed ex vitio. Cæterum, proprie naturalis concupiscentia unica est, alimentorum solummodo, quam Deus et in primordio contulit : *Ex omni ligno*, inquit (*Gen.* III), *edetis* ; et secundæ post diluvium genituræ supermensus est (*Gen.* II) : *Ecce dedi vobis omnia in escam, tanquam olera fœni ;* prospectans (12) non tam animæ quam carni, etsi propter animam. Auferenda est enim argumentatoris occasio, qui quod anima desiderare videatur alimenta,

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quoto *Fran.*
(2) Est *omitt. Semd.*
(3) Toto *Fran.*
(4) Congregatione *cod. Agobard.*
(5) Et nativitatem *cod. Agob.*
(6) Divisa *Rig. Ven.*
(7) Exsplendor *Rig. Ven.*
(8) Perhibetur *alii minus bene.*
(9) Aget *Par. alii* auget *Jun.*
(10) Provocativa *omnes præter Jun.*
(11) Delinquenti *Jun.*
(12) Prospectum *Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

B. Ambrosii epist. 39 ad Horontianum. Hippocrates, lib. 2. *epid.* sect. 3, ad vitalem partum dies numerat 280. Le Pr.

(a) *Ogdoas nos non creat.* Alludit ad mensem octavum, quo fere mense partus vitales non sunt. Præterea vero alludit ad octavum diem, quo transacta hebdomade recurrit dies Solis, quem Dominicum jure dicimus, ob resurrectionem Domini nostri, quo etiam die futurum supremi judicii, ac proinde resurrectionis nostræ diem Tunc vero, quod Matthæus adfirmat, *nullæ nobis amplius nuptiæ.* Rig.

(b) *Animam substantia crescere negandum est, ne etiam decrescere substantia dicatur, atque ita defectura credatur.* Augustinus : *Timuit videlicet, ne deficeret etiam minuendo si cresceret, et non timuit ut deficeret rarescendo cum cresceret.* Sed cum animam Septimius dixerit substantia non crescere, atque ita nec decrescere nec deficere, satis cavisse videtur ne rarescendo deficeret, cum substantia non rarescat, quemadmodum nec substantia decrescat, sed pro modulo corporis vires suas exserat, et peculia proferat. Denique corpus animæ tribuit, sed corpus sui generis, hoc est, quale conveniat animæ, cui, cum sit immortalis, non conveniat substantia crescere aut deficere. Verum de his hactenus, quorum nos dies una faciet compotes et certos, quæ Deo sistet immortales Rig.

(c) *Constitue certum pondus auri vel argenti.* De hoc loco sic Augustinus : « Quis hunc crederet cum isto corde tam disertum esse potuisse ? Sed tremenda sunt ista, non ridenda ; ad hoc enim nunquam cogeretur, si aliquid cogitare potui set, quod sit, et corpus non sit. Quid autem absurdius, quam putare massam cujuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse, dum tunditur, nisi decrescat ex altera parte? vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur ? aut ullum esse corpus manente naturæ suæ quantitate, quod undique crescat, nisi rarescat? » etc. (*Lib.* X *de Gen. ad litt. c. ult.*). Pam.

CAP. XXXVIII. — (d) *Naturalia animæ.* Peculia scilicet, ut supra. Rig.

(e) *Nec quia jura civilia*, etc. Rerum suarum administrationem legibus civilibus impubes habere non poterat, neque testamentum condere. Tempus autem pubertatis definitur. l. I, *a qua ætate* 4. D. *qui testam. fac. poss.* Le Pr.

(f) *Communicat placitum.* Jam communi complexus et commistionis cupidine. Rig.

(g) *Et intelligit quæ sint.* Jam utrique sexus intelligit quæ illa sint agere et pati nata. Desunt utriusque sexus vocabula. Et consimili aposiopesi turpe verbum involvit sub finem libri *adversus Valentinianos.* Rig.

(h) *Fines suos ad instar ficulneæ contagionis prari-*

hinc quoque mortalem eam intelligi cupit, quæ cibis sustineatur, denique derogatis eis evigescat, postremo substractis intercidat. Porro non solum proponendum est quisnam ea desideret, sed et cui; et si propter se, sed et cur, et quando, et quonam usque; tum quod aliud natura desideret (1), aliud necessitate, aliud secundum proprietatem, aliud in caussam. Desiderabit igitur cibos anima, sibi quidem ex caussa necessitatis, carni vero ex natura proprietatis. Certe enim domus animæ caro est, et inquilinus carnis anima. Desiderabit itaque inquilinus, ex caussa et necessitate hujus nominis, profutura domui, toto inquilinatus sui tempore; non ut ipse substruendus, nec ut ipse loricandus (2), nec ut ipse tibicinandus; sed tantum modo continendus: quia non aliter contineri possit, quam domo fulta. Alioquin licebit animæ, dilapsa domo, ex destitutione propriorum subsidiorum incolumi abire, habenti sua firmamenta, et propriæ conditionis alimenta, immortalitatem, rationalitatem, sensualitatem, intellectualitatem, arbitrii libertatem.

CAPUT XXXIX.

Quæ omnia nativitas animæ conlata, idem qui in primordio invidit, nunc quoque obumbrat atque depravat, quominus aut ultro prospiciantur, aut qua oportet administrentur. Cui enim hominum non adhærebit spiritus nequam, ab ipsa etiam janua nativitatis animas (3) aucupabundus, vel qua invitatus, (a) tota illa puerperii superstitione? Ita omnes idololatria obstetricc nascuntur, dum ipsi, adhuc uteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina sua dæmoniorum candidata profitentur; (b) dum in partu Lucinæ et Dianæ ejulatur; (c) dum per totam hebdomadam Junoni mensa proponitur; dum ultima die facta scribunda (4) advocantur; dum prima etiam constitutio (5) infantis super terram (d) Statinæ deæ sacrum est. Quis non exinde (e) aut totum filii (f) caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota (6) novacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, (g) pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione? Sic igitur et Socratem puerum adhuc spiritus dæmonicus invenit. Sic et omnibus genii deputantur, quod dæmonum nomen est. Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique ethnicorum. Hinc enim et Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, (7) quam ex institutionis disciplina: *Cæterum*, inquit (I *Cor.* VII, 14), *immundi nascerentur*; (h) quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios; ut hujus spei pignore (8) matrimoniis, quæ retinenda censuerat, patrocinaretur (9). Alioquin meminerat dominicæ definitionis (*Joan.* III): *Nisi quis nascetur ex aqua et spiritu, non ibit in regnum Dei*, id est, (i) non erit sanctus.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliud est natura desiderari *Fran. Gagn.*
(2) Gloriandus *Fran.*
(3) Animæ *Jun.*
(4) Scribundo *Jun.*
(5) Constitutione *Jun.*
(6) Totum *Jun.*
(7) Procreativa *lib. Agobard.*
(8) Pignora *Seml.*
(9) Patrocinarentur *Seml.*

COMMENTARIUS.

gine accingit. Significat pubem, et cætera in corpore humano spatia contecta velamine ficulneorum περιζωμάτων. Quasi primi parentes, Adamus et Eva, ungues usque ad extremos perpruriscerent, cum ex ficu folia carpsere, atque inde totam arborem virus infecerit, succi videlicet, sive humoris illius exalbidi, quem *de* fracta ficu stillare cernimus. Sic lib. *de Pudicitia*: *Facile quid speciosum viderat concupiscens, et ad inferiora respiciens, et de ficulneis foliis pruriginem retinens.* Rig.

CAP. XXXIX.—(a) *Tota illa puerperii superstitione.* Superstitionem illam et gentilium absurditatem describit S. August. cap. 21, lib. IV, *de Civ.* In puerperio enim deos advocabant innumeros deasque: Lucinam, Opem, deum Vagicanum, deam Cuninam, Ruminam, Adeonam, Abeonam, deum Statil...m, Volumnum, deam Volumnam, aliosque de quibus hic silere mens est. Le Pr.

(b) *Dum in partu Lucinæ.* Lucina ita dicta, uti supra cap. 37 dixit Auctor, quod producat in lucem. Huc pertinet quod habet D. Augustinus lib. IV *de Civit. Dei*, cap 12: *Lucina quæ a parturientibus invocetur*; et illud Terentii in Andria: *Juno Lucina, fer opem.* Cicero enim, si Vivi creditur, et Junonem et Dianam fuisse Lucinam appellatam scribit alicubi, pro quo facit conjunctio *et*, hic intermedia. Pam.

(c) *Dum per totam hebdomadam Junoni mensa*, etc. Tibullus de natali Junone:

Natalis Juno, sanctos cape thuris acervos.

Videtur itaque, sicuti genius, ita etiam Junoni mensa proponi solere. Sicuti enim, uti mox adjungit Auctor, *omnibus genii deputabantur*, ita etiam junones; contra quam sentiunt quidam, qui viris genios, mulieribus junones attribui volunt. Pro nobis certe facit illud Plinii lib X: *Cum singuli ex semetipsis totidem deos faciant, genios junonesque adoptando sibi*; et illud Senecæ alicubi: *singulis enim et genium et junonem dederunt.* Pam.

(d) *Statinæ deæ sacrum est.* Ejus meminit lib. *ad Nat.* II: *Statuendi infantis Statina.* Habebant et stantes deum Statilinum, cujus meminit Augustinus libro IV *de Civitate Dei*, cap. 21. Statilinum et Statanum præsides puerilitatis deos apud Nonium ex Varrone leginus. Rig.

(e) *Aut totum filii caput reatui vovet.* Hoc est, idololatriæ. Rig.

(f) *Caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem.* Votum est quod in Apaturiis fieri solebat. Triduo Apaturia durabant: primo die adornabatur convivium; secundo peractis sacris, puer ad aram ducebatur; tertio referebant in album civium. Adisis Herodotum in Vita Homeri; hic *crinem excipit*, nihil aliud innuit quam ritum veterum quo puerorum crines detondebant. Le Pr.

(g) *Pro gentica devotione.* Genticam devotionem dicit, quemadmodum Tacitus morem genticum, lib. VI Annal. Rig.

(h) *Quasi designatos tamen sanctitati ac per hoc etiam saluti intelligi volens fidelium filios.* Hoc genus parvulos intelligi voluit libro *de Baptismo*, cum baptismi cunctationem utiliorem esse ait, præcipue tamen circa parvulos. Etenim subjicit: *Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Rig — Isthinc sumpsisse videtur Hieronymus quod ex libris *de Monogamia* citavit Epist. ad Paulinum: ubi tamen pro *designatis*, dicit *candidatos* fidei, et nullis idololatriæ sordibus pollutos. Rig.

(i) *Non erit sanctus.* Id est, christianus. Etenim

CAPUT XL.

Ita omnis anima eo usque in Adam censetur (*Rom.* V), donec in Christo recenseatur ; tamdiu immunda, quamdiu recenseatur : peccatrix autem , quia immunda, (*a*) recipiens ignominiam ex carnis societate. Nam etsi caro peccatrix , secundum quam incedere prohibemur , cujus opera damnantur concupiscentis adversus spiritum, ob quam carnales notantur (1), non tamen suo nomine caro infamis. Neque enim de proprio sapit quid, aut sentit, ad suadendam vel imperandam peccatelam. Quidni , quæ ministerium est ? et ministerium , (*b*) non quale servus , vel minor amicus, animalia nomina (2), sed quale calix, vel quid aliud ejusmodi corpus, non anima. Nam et calix ministerium sitientis est ; nisi tamen qui sitit , calicem sibi accommodarit , nihil calix ministrabit. Adeo nulla proprietas hominis in choico ; nec ita caro homo tanquam alia vis animæ, et alia persona ; sed res est alterius plane substantiæ et alterius conditionis, addicta tamen animæ, ut supellex, ut instrumentum in officia (3) vitæ. Caro igitur increpatur in Scripturis, quia nihil anima sine carne in operatione libidinis, gulæ, vinolentiæ, sævitiæ, idololatriæ, cæterisque carnalibus, non sensibus, sed effectibus. (*c*) Denique sensus, delictorum , etiam sine effectibus , imputari solent animæ. *Qui viderit mulierem* (4) *ad concupiscentiam*, jam adulteravit in corde. Cæterum , quid caro sine anima , perinde in operatione probitatis, justitiæ, tolerantiæ, pudicitiæ? Porro quale est, ut cui nec bona documenta propria subscribas, ei crimina adpingas? Sed ea per quam delinquitur, convenitur, ut illa qua delinquitur, oneretur, etiam in ministerii accusationem (5). Gravior invidia est in præsidem, (*d*) cum officia pulsantur. Plus cæditur qui jubet, quando nec qui obsequitur, excusatur.

CAPUT XLI.

Malum igitur animæ, præter quod ex obventu spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit, (*e*) naturale quodammodo. Nam ut diximus, naturæ corruptio alia natura est, habens suum deum et patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem ; ut tamen insit et bonum animæ, illud principale, illud divinum atque germanum, et proprie naturale (*f*). Quod enim a Deo est, non tam exstinguitur, quam obumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est Deus ; exstingui non potest, quia a Deo est. Itaque, sicut lumen aliquo obstaculo impeditum, manet, sed non comparet, si tanta densitas obstaculi fuerit (6) ; ita et bonum in anima a malo oppressum , pro qualitate ejus , aut in totum vacat, occultata luce (7), aut qua datur radiat, inventa libertate. Sic pessimi et optimi quidam, et nihilominus unum omnes animæ genus. Sic et in pessimis aliquid boni, et in optimis nonnihil pessimi. Solus enim Deus sine peccato, et solus homo sine peccato (*g*) Christus, quia et Deus Christus. Sic et divinitas animæ in præsagia (8) erumpit, ex bono priore, et conscientia Dei in testimonium prodit : *Deus bonus! Deus videt*, et, *Deo commendo*. Propterea nulla anima sine crimine, quia nulla sine boni semine. Proinde cum ad fidem pervenit reformata per secundam nativitatem ex aqua et superna virtute (9), detracto corruptionis pristinæ aulæo, totam lucem suam conspicit. Excipitur etiam a Spiritu Sancto, sicut in pristina nativitate a spiritu profano (10). Sequitur animam nubentem spiritui caro, ut dotale mancipium, et jam non animæ famula, sed spiritus. O beatum connubium, si non admiserit adulterium !

LECTIONES VARIANTES.

(1) Infamia *add. Seml.*
(2) Animalis nomine *Seml.*
(3) Officina *Seml.*
(4) Mulierem *omitt. Par.* ad concupiscendum *alii.*
(5) Accusatione *Jun.*
(6) Via *add. cod Agobard.*
(7) Occulta *Fran.*
(8) Præsentia *Ven.*
(9) Et *inser. Jun.*
(10) Profanos *Jun.*

COMMENTARIUS.

Christiani fratres, fideles, sancti. Sanctos Apostolus vocat eos, qui non sunt foris, sive extra Ecclesiam. Sanctos opponit gentibus, ethnicis. Georgius Bæticus lib. *de fide et Deo* : placita conversatione, atque ipsius Sancti Spiritus signatione venerunt. Rig.

CAP. XL.— (c) *Recipiens ignominiam ex carnis societate.* Cum Tertullianus statim dicat carnem *non suo nomine* infamem, dubitari potest, num sincero sensu ignominiam animæ tribuat ex consortio carnis duntaxat propter meram originem , an quia instrumentum habeat anima delinquendi, ut mox probat. Alioqui secundum Tertullianum ipsa anima in se trahet ex Adamo originalem culpam, cum ipsam ex tradvce Adami proseminari nugetur, quod notat Magister Sentent. lib. II, dist 31. Lac.

(b) *Non quale servus, vel minor amicus.* Minorem amicum dicit, qui longe potentiorem amicum demisse colit et observat. Amiculum dixit Horatius Epistola ad Scævam. Et majores ibidem, pro potentioribus amicis.

Et scis quo tandem pacto deceat majoribus uti.

Id est, amicis, inquit Porphyrio, *sed in consuetudine majores dicimus* Rig.

(c) *Denique sensus delictorum*, etc. Nihil hoc facit ut peccatum originale animæ imputetur, quia, inquit Apost. Rom. 7, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, hoc est in carne mea, peccatum. Pam.

(d) *Cum officia pulsantur.* Id est, Officiales. Augustinus in Psal. 21 : *Quis hic alter episcopus est de parte Donati? Respondit officium : Nos non novimus nisi Aurelium catholicum.* Rig.

CAP. XLI. — (e) *Naturale quodammodo.* Distinguit *naturale quodammodo*, a naturæ corruptione sic dictum , et *naturale proprie*, cujus adhuc reliquias agnoscit, nempe boni illius quod principale erat in anima, ante lapsum hominis, in homine jam corrupto, et non tam extinctum illud quam obumbratum. Pam.

(f) *Quod enim a Deo est, non tam exstinguitur?* etc. Sumit pulchram metaphoram a luce : nam ipse faciebat animam lucidam, ut supra cap. 9. Observa obiter noluisse Tertullianum dicere, liberum arbitrium exstinctum post peccatum in homine, ut recentes nostri hæretici maxime volunt non tam imminutum , quam deletum esse. Lac.

(g) *Solus homo sine peccato.* Natura scilicet ; nam et B. Virgo sine peccato fuit, sed ex gratiæ dono, non ex debito naturæ. Edd.

CAPUT XLII.

De morte jam superest, (a) ut illic materia ponat, (b) ubi ipsa anima consummat : quamquam Epicurus vulgari satis opinione negarit mortem ad nos pertinere. «Quod enim dissolvitur, inquit, sensu caret, nihil ad nos.» Dissolvitur autem et caret sensu, non ipsa mors, sed homo, qui eam patitur. At ille ei dedit passionem, cujus est actio. Quod si hominis est pati mortem, dissolutricem corporis, et peremptricem sensus ; quam ineptum, ut tanta vis ad hominem non pertinere dicatur! Multo coactius Seneca : «Post mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipsa.» Hoc si ita est, jam et mors ad semetipsam pertinebit ; si et ipsa finitur, eo magis ad hominem, in quo inter omnia finiendo, et ipsa finitur. Mors nihil ad nos : ergo et vita nihil ad nos. Si enim quo dissolvimur, præter nos, etiam quo compingimur, extra nos. Si ademptio sensus nihil ad nos, nec adeptio sensus quicquam ad nos. Sed (1) mortem quoque interimat, qui et animam. (c) A nobis, ut de posthuma vita, et (2) de alia provincia animæ, ita de morte tractabitur, ad quam vel ipsi pertinemus, si ad nos illa pertinet (3). Denique, nec speculum ejus somnus, aliena materia est.

CAPUT XLIII.

De somno prius disputemus ; post, mortem qualiter anima decurrat. (d) Non utique extranaturale est somnus, ut quibusdam philosophis placet, cum ex his eum deputant causis, quæ præter naturam haberi videntur. Stoici somnum resolutionem sensualis vigoris affirmant, Epicurei deminutionem spiritus animalis, (e) Anaxagoras cum Xenophane defetiscentiam, Empedocles et Parmenides refrigerationem ; (f) Strato segregationem consati spiritus, Democritus indigentiam spiritus, Aristoteles marcorem circumcordialis caloris. Ego me nunquam ita dormisse præsumo, ut ex his aliquid agnoscam. Neque enim credendum est, defetiscentiam esse somnum, contrarium potius defetiscentiæ, quam scilicet tollit. Siquidem homo somno magis reficitur, quam fatigatur. Porro, nec semper ex fatigatione concipitur somnus, et tamen cum ex illa est, illa jam non est. Sed nec refrigescentiam admittam, aut marcorem aliquem caloris, cum adeo corpora somno concalescant, ut dispensatio ciborum per somnum non facile procederet calore properabili, et rigore tardabili, si somno refrigeraremur. Plus est, quod etiam sudor (4) digestionis æstuantis est index. Denique, concoquere dicimur, quod caloris, non frigoris operatio est. Proinde, deminutionem animalis spiritus, aut indigentiam spiritus, aut segregationem consati spiritus, immortalitas animæ non sinit credi. (g) Perit anima si minoratur. Superest, si forte, cum Stoicis, resolutionem sensualis vigoris somnum determinemus, quia corporis solius quietem procuret, non et animæ. Animam enim ut semper mobilem et semper exercitam, nunquam succidere (5) quieti, alienæ scilicet a statu immortalitatis : nihil enim immortale finem operis sui admittit ; somnus autem finis est operis. Denique corpori cui mortalitas competit, ei soli quies finem operis adulatur. Qui ergo de somni naturalitate dubitabit, habet quidem dia ecticos in dubium deducentes totam naturalium et extranaturalium discretionem, ut quæ putaverit citra naturam esse, naturæ vindicari sciat posse, a qua ita esse sortita sunt, ut citra eam haberi videantur, et utique aut natura omnia, aut nulla natura. Apud nos autem id poterit audiri, quod Dei contemplatio suggerit, auctoris omnium de quibus quæritur. Credimus enim (h) si quid est natura, rationale aliquod opus Dei esse. Porro, somnum ratio præit, tam aptum, tam utilem, tam necessarium, ut absque illo nulla anima sufficiat ; recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem (6) valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum ; cui legitime fruendo dies cedit, nox

LECTIONES VARIANTES.

(1) Si et *Jun.*
(2) Interimat, quia et anima in nobis ut depositum habitat, et ut *Pam.* A nobis ut depositum avita, et *lib. Agob.*
(3) Pertinet *omitt. Rig. Ven.*
(4) Plus est etiam : sudor *Rig. Ven.*
(5) Succedere *Rhen. Pam.*
(6) Prolatorem *vel* prorogatorem *Lat.*

COMMENTARIUS.

CAP XLII. — (a) *Ut illic materia ponat.* Hoc est, ut illic desinat sermo iste de anima. Ric.

(b) *Ubi ipsa anima consummat.* Ubi anima, discedens a corpore, actus in eo sui singula computat, et summam colligit, tanquam pecuniam de multis nominibus confectam. Ric.

(c) *A nobis ut de posthuma vita et de alia provincia animæ.* Elegantissime ait Septimius, a nobis, nempe Christianis, ita de morte tractari, tanquam de posthuma vita. Etenim scimus æternam manere. Ad eam vero a morte transiri. Itaque esse posthumam morti. Ric.

CAP. XLIII. — (d) *Non utique extranaturale est somnus, ut quibusdam philosophis placet.* Somnum hic juxta naturam esse probat ex variis philosophorum dogmatis. Variæ autem sunt de causa somni opiniones. Videndus Galenus in *Hist. Philos.* et Plutarchus lib. 24 et 25, *de Placitis.* Le Pn.

(e) *Anaxagoras cum Xenophane defetiscentiam.* Plutarchus, lib. 51, c. 25, *de Placitis* : «Anaxagoras somnum accidere putat functionibus corporis : non enim animæ esse, sed corporis adfectionem ; mortem esse animæ divulsionem. Leucippus solius corporis esse somnum : cumque ob tenuitatem partium plus justo excernitur animali caloris, eo mortem effici corporis hæc esse, non animæ adfectiones. Empedocles mortem esse igneæ naturæ secretionem ab iis, ex quibus homo coaluit ; ideoque communem esse animæ corporique mortem, somnum autem evenire *secretione naturæ igneæ.*» Refutat hanc sententiam Aristoteles lib. *de Somno et Vigilia*, cap. 3. Lac.

(f) *Strato segregationem consati spiritus*, etc. Horum immemor Plutarchus ; sed eorum opinio cognata videtur esse Epicureæ, et illi quam Empedocli tribuit Plutarchus : nempe accidere somnum *segregatione igneæ naturæ.* Meminit tamen aliorum Plutarchus, ut Alcmæonis et Diogenis. Lac.

(g) *Perit anima si minoratur.* Consatum spiritum aliqui dixerunt esse animam ; quare si diminuitur spiritus ille, minorabitur anima : quare mortalis esset. Lac.

(h) *Si quid est natura, rationale*, etc. Lactantius,

legem facit, auferens rerum etiam colorem. Quod si A vitale, salutare, auxiliare somnus, nihil ejusmodi non rationale, nihil non naturale (1). Sic et medici omne contrarium vitali, salutari, auxiliari, extra naturæ cardines relegant. Nam et æmulas somno valetudines, phreneticam atque cardiacam, præter naturam judicando, naturalem somnum præjudicaverunt; etiam in lethargo non naturalem notantes, testimonio naturali respondent, cum in suo temperamento est. Omnis enim natura, aut defraudatione, aut enormitate rescinditur, proprietate mensuræ conservatur. Ita naturale erit statu, quod non naturale effici potest decessu vel excessu. Quid si et esum et potum de naturæ sortibus eximas? nam et in his plurima somni præparatura (2) est. Certe his a primordio naturæ suæ homo imbutus est. Si apud Deum discas (*a*), ille fons B generis Adam, ante ebibit soporem, quam sitiit quietem; ante dormiit, quam laboravit; imo, quam et edit; imo, quam et profatus est; ut videant naturalem judicem somnum omnibus naturalibus principaliorem. Inde deducimur etiam imaginem mortis jam tunc eum recensere. Si enim Adam de Christo figuram dabat (3), somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, ut de injuria perinde lateris ejus vera mater viventium figuraretur Ecclesia. Ideo et somnus tam salutaris, tam rationalis, etiam in publicæ et communis jam mortis effugitur exemplar. Voluit enim Deus, et alias nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus, (*b*) paradigmate platonico plenius humani vel maxime initii ac finis lineas quotidie agere nobiscum, manum porrigens fidei, facilius C adjuvandæ per imagines et parabolas, sicut sermonum, ita et rerum. Proponit igitur tibi corpus amica vi soporis elisum, blanda quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam jacuit, et quale post vitam jacebit, ut testationem plasticæ et sepulturæ exspectans animam, quasi nondum conlatam, et quasi jam ereptam. Sed et illa sic patitur, ut alibi agere videatur, dissimulatione præsentiæ futurarum absentiam ediscens; et tamen interim somniat, nec quiescit, nec ignavescit omnino, nec naturam immortalitatis servam sopori (4) addicit: probat se mobilem semper; terra, mari, peregrinatur, negotiatur, agitatur, laborat, ludit, dolet, gaudet, licita atque inlicita persequitur: ostendit quod sine corpore etiam plurimum possit, quod et suis instructa sit membris, sed nihilominus necessitatem habeat rursus corporis agitandi. Ita cum evigilaverit corpus, redditum officiis ejus, resurrectionem mortuorum tibi affirmat. Hæc erit somni, et ratio naturalis, et natura rationalis. Etiam per imaginem mortis, fidem initiaris, spem meditaris, discis mori et vivere, discis vigilare dum dormis.

CAPUT XLIV.

Cæterum, de Hermotimo. Anima, ut aiunt, in somno carebat, quasi per occasionem vacaturi hominis proficiscente de corpore. Uxor hoc prodit. Inimici dormientem nacti pro defuncto cremaverunt. Regressa anima tardius, credo, homicidium sibi imputavit. Cives Clazomenii Hermotimum templo consolantur. Mulier non adit, ob notam uxoris. Quorsum istud? Ne quia (5) facile est vulgo existimare secessionem (6) animæ esse somnum (7), hoc quoque Hermotimi argumento credulitas subornetur. Genus fuerat gravioris aliquanto soporis, ut de incubone D præsumptio est, (*c*) vel valetudinis, quam Soranus opponit, excludens incubonem, aut tale quid vitii, quod etiam Epimenidem in fabulam impegit, (*d*) quinquaginta (8) pene annos somniculosum. Sed

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nihil non naturali *abest a Par. et aliis.*
(2) Paratura *Pam. Rhen. Seml.*
(3) Figurabat *Pam. Rhen. Seml.*
(4) Soporis *Pam. Rhen. Seml.*
(5) Ut quia non *Pam. Rhen. Semler. Oberth.*
(6) Successionem *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Somnium *Par. Rig. Ven.*
(8) Sexaginta *Jun.*

COMMENTARIUS.

Divinar. Instit. lib. 2, cap. 9, hanc esse Senecæ sententiam testatur his verbis: *Melius igitur Seneca, omnium stoicorum acutissimus, qui vidit nil aliud esse naturam, quam Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? Nec enim illam didicit ex ullo. Imo laudabimus; quamvis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipse natura est.* Quoniam non insolens est Tertulliano Senecam citare, putarem facile id ex Seneca accepisse; quod et de Lactantio censerem; nimirum id depromptum ex cap. 7, lib. IV de Benef.: *Quid enim aliud est natura, quam Deus et divina ratio?* Le Pr.

(a) *Si apud Deum discas.* Ex sacris videlicet paginis apud Judæos, aut Christianos. Le Pr.

(b) *Paradigmate platonico plenius.* Hoc iterum ex *Phædone* Platonis, apud quem Socrates, per exempla contrariorum sibi invicem succedentium, vitam morti successuram probat. Rig.—Fatetur Pamelius nescire se ad quod paradigma platonicum alludat Tertullianus; neque magis eruditus, sed sagax Junius aliorsum rem divertens, dicit per anastrophen dictum *paradigmate platonico plenius*, id est, plenius quam ulla mathematica demonstratione, aut paradigmate fecerit Plato. Miror sinceriorem et obvium sensum non attigisse de ideis platonicis. Allucinati fuerunt minus communi voce; tamen divus etiam Justinus, in *Cohortat. ad Græcos*, vocavit τὸ ἑκάστου τῶν γινομένων παράδειγμα, *singularum rerum quæ creantur paradigma.* Sic etiam eadem vocat S. Dionysius, *de divin. nom.* cap. 5, τῶν ὄντων παραδείγματα, *entium paradigmata.* Ab eodem Dionysio citatur Clemens philosophus, quem puto fuisse S. Clementem Romanum, qui etiam παραδείγματα dixit: quare sensus Tertulliani est, Deum sine exemplaribus nihil moliri, et hoc quidem non sensu platonico, sed plenius et perfectius quam opinatus fuit Plato, Deum omnia moliri de suis ideis et exemplaribus. Quod in *Phædone* quoque somnum et vigiliam vitæ et morti comparaverit Plato, parum refert ad rem præsentem. Lac.

CAP. XLIV. — (c) *Vel valetudinis quam Soranus opponit, excludens incubonem.* Etenim dicebat epilepsiæ tentationem esse. Cælius Aurelianus tit. de Incubone: *Est autem supradicta passio epilepsiæ tentatio. Nam quod neque deus, neque semidens, neque Cupido sit, libris causarum, quos Ætiologumenos Soranus appellavit, plenissime explicavit.* Rig.

(d) *Quinquaginta pene annos.* Junius suspicatur legendum *sexaginta*, videlicet ad rotunditatem numeri potius oportere: « nam, inquit, omnes de annis 57

et Neronem Suetonius (*a*), et Thrasimedem Theopompus (*b*), negant unquam somniasse : nisi vix Neronem, in ultimo exitu, post pavores suos. Quid si et Hermotimus ita fuit, ut otium animæ nihil operantis in somnis divortium crederetur (1). Omnia magis conjectes, quam istam licentiam animæ sine morte fugitivæ, (*c*) et quidem ex forma, continuam (2). Si enim tale quid semel accidere dicatur, ut deliquium solis (3) aut lunæ, ita et animæ : sane persuaderer divinitus factum ; congruere enim hominem seu moneri, seu terreri a Deo, velut fulgure (4) rapido, momentaneæ mortis ictu ; si non magis in proximo esset somnium credi, quod vigilanti potius accidere deberet, si non somnium magis credi oporteret (5).

CAPUT XLV.

Tenemur hic de somnis quoque christianam sententiam expromere, ut de accidentibus (6) somni ; et non modicis jactationibus animæ, quam ediximus negotiosam, et exercitam semper ex perpetuitate motationis, quod divinitatis et immortalitatis est ratio. Igitur, cum quies corporibus evenit, quorum solatium proprium est, vacans illa a solatio alieno, non quiescit ; et si caret opera membrorum corporalium, suis utitur. Concipe (7) gladiatorem sine armis, vel aurigam sine curriculis, gesticulantes omnem habitum artis suæ atque conatum. Pugnatur, certatur ; sed vacua jactatio est. Nihilominus tamen fieri videntur, quæ fieri tamen non videntur ; actu enim fiunt, effectu (8) vero non fiunt. Hanc vim (*d*) ecstasin dicimus, excessum sensus, et amentiæ instar. Sic et in primordio, somnus cum ecstasi dedicatus (*Gen.* II) : *et misit Deus ecstasin in Adam, et obdormivit*. Somnus enim corpori provenit in quietem ; ecstasis animæ accessit adversus quietem ; et inde jam forma, somnum ecstasi miscens, et naturæ de forma. Denique, et oblectamur, et contristamur, et conterremur in somniis, quam adfecte, et anxie, et passibiliter ! cum in nullo permoveremur, a vacuis scilicet imaginibus, si compotes somniaremus. Denique et bona facta gratuita sunt in somnis, et delicta secura ; non magis enim ob stupri visionem damnabimur, quam ob martyrii coronabimur. Et quomodo, inquis, memor est somniorum anima, scilicet quam compotem esse non licet ? Hoc erit proprietas amentiæ hujus, quia non fit ex corruptela bonæ valetudinis, sed ex ratione naturæ. Nec enim exterminat, sed avocat mentem. Aliud est concutere, aliud movere ; aliud evertere, aliud agitare. Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est ; quod sanitas mentis salva memoria stupet, amentiæ genus est. Ideo non dicimur furere, sed somniare : (*e*) ideo et prudentes, si quando sumus : sapere enim nostrum licet obumbretur, non tamen exstinguitur. Nisi quod et ipsum potest videri vacare tunc ; ecstasin autem hoc quoque operari de suo proprio, ut sic nobis sapientiæ imagines inferat, quemadmodum et erroris.

CAPUT XLVI.

Ecce rursus urgemur, etiam de ipsorum somniorum retractatu, quibus anima jactatur, exprimere. Et quando perveniemus ad mortem ? Et hic dixerim, cum Deus dederit : nullæ longæ moræ ejus quod eveniet. Vana in totum somnia Epicurus judicavit, liberans a negotiis divinitatem, et dissolvens ordinem rerum, et in passivitate omnia spargens, ut eventui expusita, et fortuita. Porro, si ita est, ergo erit aliquis et veritatis eventus, quia non capit solam cum eventui omnibus debito eximi. Homerus duas portas divisit somniis, corneam veritatis, fallaciæ eburneam. Respicere est enim, inquiunt, per cornu, ebur

LECTIONES VARIANTES.

(1) Crederet, ut *Lat.*
(2) Continuæ *Lat*
(3) Soli *Jun.*
(4) Fulgere *Lat.*
(5) Si non s. m. e. oporteret *omitt. Rig. Ven.*
(6) Accentibus *Rhen. Seml.*
(7) Conspice *Fren.*
(8) Affectu *Jun.*

COMMENTARIUS.

conveniunt ; cum tamen ego mirum discrimen inveniam circa annos somni Epimenidis, nam tametsi Plinius et Laertius memorent dormivisse Epimenidem 57 an., Plutarchus illi tribuit duntaxat quinquaginta annos, lib. *an seni regenda sit Resp.* Hunc numerum Tertulliani et Plutarchi confirmat Varro, et amplectitur Sabellicus lib. VII, c. 4. Alii adhuc contrahunt hoc tempus, et tantum assignant 40 annos, ut Pausanias in Atticis. Alii, ut Eudemus, dederunt 47, alii 77, et Apuleius 2 (*Florid.*). Sed quidquid sit de annorum numero, plenius historiam Epimenidis habet Laertius, lib. I. Lac.

(a) *Sed et Neronem Suetonius*, etc. Habet Suetonius in Vita Neronis, cap. 46, ubi dicitur post matris cædem, *nunquam antea somniare solitus. Serus* quoque *somniator* infra, cap. 49, dicitur in eumdem sensum. Le Pr. — Verba Suetonii, in *Nerone*, cap. 46, hæc sunt : « Terrebatur ad hæc evidentibus portentis somniorum, et auspiciorum, et omnium, tum veteribus, tum novis, nunquam antea somniare solitus. » Pam.

(b) *Et Thrasimedem Theopompus.* Hunc Thrasimedem putat Junius fuisse filium Nestoris ; sed quid opus est conjici, ubi clare Plutarchus, qualis fuerit, scribat lib. *de defectu oracul.* ? Lac.

(c) *Et quidem ex forma continuam.* Quasi solemni quodam ritu, atque ex edicti cujusdam formula. Rig.

CAP. XLV. — (d) *Ecstasin dicimus excessum*, etc. Hoc discrimen est inter somnum et ecstasin, quod per somnum functiones mentis et sensus ligantur, ut vires animæ vegetative tunc solutiores sunt et robustiores, in ecstasi vero contrarium accidit : nam actiones nutritivæ et sensitivæ impediuntur, mentis vero functiones tunc maxime vigent. In eo denique conveniunt sensus et ecstasis, quod sensus in utroque torpent, sive potius ligentur. Quoad Tertullianum spectat, ecstasin interdum sinistro sensu accipit, et dixit amentiæ instar fuisse, ut libro de Ecstasi quem adversus Ecclesiam scripsit ; ubi libertatem ademit, et cognitionem prophetiæ ipsius secundum Montani sensum : at supra, cap. 21, saniori sensu explicuit amentiam in ecstasi. Lac.

(e) *Ideo et prudentes, si quando sumus.* Ideo, inquit, et prudentes somniamus, si quando tamen prudentes dici possumus, quorum est proprium errare et labi. Rig.

autem cæcum est. (*a*) Aristoteles, majore sententiam mendacio recitans, agnoscit et veram (1). (*b*) Telmessenses nulla somnia evacuant, imbecillitatem conjectationis incusant. Quis autem tam extraneus humanitatis, ut non aliquam aliquando visionem fidelem senserit? Pauca de insignioribus perstringens, Epicuro pudorem imperabo. Astyages Medorum regnator, quod filiæ Mandanæ adhuc virginis vesicam in diluvionem Asiæ fluxisse somnio viderit, Herodotus refert : item anno post nuptias ejus ex hisdem locis vitem exortam toti Asiæ incubasse. Hoc etiam Charon Lampsacenus Herodoto prior tradit. Qui filium ejus tanto operi interpretati sunt, non fefellerunt; siquidem Asiam Cyrus et mersit et pressit. (*c*) Philippus Macedo nondum pater, Olympiadis (*d*) uxoris naturam obsignasse viderat annulo : leo erat signum. (*e*) Crediderat præclusam genituram, (*f*) opinor, quia leo semel pater est. (*g*) Aristodemus vel Aristophon conjectans, (*h*) imo nihil vacuum obsignari; (*i*) filium, et quidem maximi impetus, portendi. (*k*) Alexandrum qui sciunt, leonem annuli recognoscunt : Ephorus scribit. Sed et Dionysii Siciliæ tyrannidem Himeræa quædam somniavit : Heraclides prodidit. Et Seleuco regnum Asiæ Laodice mater nondum eum enixa prævidit : Euphorion provulgavit. Mithridatem quoque ex somnio Ponti potitum a Strabone cognosco. (*l*) Et Baralirem (2) Illyricum a Molossis usque Macedoniam ex somnio dominatum de Callisthene disco. Noverunt et Romani veritatis hujusmodi somnia. Reformatorem imperii, puerulum adhuc et privatum loci, et Julium Octavium tantum, et sibi ignotum, Marcus Tullius jam et Augustum, et civilium turbinum sepultorem de somnio norat; (*m*) in Vitellii commentariis conditum est. Nec hæc sola species erit summarum prædicatrix potestatum, sed et periculorum et exitiorum; ut cum Cæsar in prælio (3) perduellium Bruti et Cassii Philippis æger, majus tamen alias discrimen, Artorii visione, destituto tabernaculo, evadit : ut cum Polycrati Samio filia crucem prospicit de solis unguine (*n*) et lavacro Jovis (*o*). Revelantur et honores et ingenia per quietem, præstantur et medelæ, pro-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Balaridem *Pam. Rhen. Semi.*
(2) Prælium *Pam. Rhen. Semi. Oberth.*
(3) Verum *Pam. Rhen. Semi. Oberth.*

COMMENTARIUS.

CAP. XLVI. — (a) *Aristoteles majore sententiam mendacio.* Aristoteles somnia plerumque mendacia autumat, etsi non semper. Le Pr.

(b) *Telmessenses*, etc. Cariæ illi populi nulla somnia ut inania respuunt, sed explicant. Le Pr.

(c) *Philippus Macedo, nondum pater.* Plutarchus : ὑστέρῳ χρόνῳ μετὰ τὸν γάμον. Rig.

(d) *Uxoris naturam obsignasse viderat.* Plutarchus : Vidit per somnum ipsum imprimentem sigillum utero uxoris : Εἶδεν γὰρ αὐτὸν ἐπιβάλλοντα σφραγῖδα τῇ γαστρὶ τῆς γυναικός. Rig. *et* Edd.

(e) *Crediderat præclusam genituram.* Hoc est, sterilem fore uxoris uterum. Rig.

(f) *Opinor, quia leo semel pater est.* Pervasit in vulgus opinio falsa, leonem non parere, nisi semel, et unum. Quæ tamen fabula adsertorem habuit Herodotum : ἅτε ἐὼν τοῦ βίου, inquit, τέκνα ἔν. Sed ab Aristotele deridetur ut μῦθος ληρώδης. Et ab Homero quidem describitur leo, σπερχνὸν ἐόντε τεκέεσσιν, et ἄμφω ἐν ὑλῇ νήπια. Nec facile dixerim Septimium hic nostrum sensisse cum vulgo; aut carthaginiensem ignorasse, quæ getuli et numidæ venatores habuere compertissima. Quod autem ait Septimius, leonem semel esse patrem, sic audiamus necesse est, ex una scilicet fœmina. Nisi quis velit, tam moroso nuptiarum castigatori placuisse etiam leones monogamos. Sed Alexandro nondum patri, quid ad præclusæ genituræ significationem leo semel pater? cum nec semel pater leo fiat, nisi exclusa genitura, utero jam aperto. Dicamus igitur, conjecturam Alexandro fuisse, non parituram conjugem, ab eo quod animal, cujus speciem viderat in somnis, semel edere partum existimetur. Rari autem sunt leones; ideoque raro parit leo. Quod autem fit raro, vulgus semel in vita fieri dicit. Ac *semel* quidem vicinum esse ac *pene nunquam*, observat Asconius; eoque sensu a Lucilio scriptum, semel in vita risisse Crassum, avum Crassi in Parthis interempti. Quod absolute Plinius reddit, nunquam risisse. Rig. — *Opinor quia leo semel pater est.* Testantur scriptores quidam opinionem hanc in plebem incurrisse, leonem unguibus uterum sibi lacerare in partu; at hæc falsa docuit Aristoteles. Ælianus lib. IV, cap. 25, ait leonem quinquies parere : primum quinque, deinde quatuor, tum tres, postea quos, ac postremo unum. Le Pr.

(g) *Aristodemus vel Aristophon.* Imo, neuter, si credimus Plutarcho, sed Aristander, vates et somniorum interpres, ætate Alexandri celeberrimus, cujus et volumen *de Ostentis* a Plinio citatur. Rig — *Aristodemus vel Aristophon.* Hic comicus erat, ille mythologus. Le Pr.

(h) *Imo nihil vacuum obsignari.* Plutarchus, οὐδὲν γὰρ ἀτοσφραγίστως τῶν κενῶν. Rig.

(i) *Filium magni impetus.* Plutarchus, παῖδα δυσμενῆ καὶ λέοντος φύσιν. Rig.

(k) *Alexandrum qui sciunt.* Hoc est, Alexandri historiam qui norunt. Ea passim circumferebatur ab variis varie descripta, et fabulis intexta plerumque stultissimis. Cujus farinæ est Ms. liber, quem indicavit Casaubonus pridem, et falso Callisthenis nomen præfert. Rig.

(l) *Et Baralirem Illyricum Molossis usque Macedoniam ex somn. dom.* Hæc omnino est scriptura codicis Agobardini, lapsu in proclive volubili scribentium *Bardiem* primo, aut *Bardirem*, mox *Biradirem* et *Baralirem*. Unde fluxit quod in vulgatis habetur Balaridem. Frontini stratagematum exemplaria quinque constanter exhibent, ab Ardio illyrio, quod est, a Bardie, et proxime ad verum, Bardile. Rectam hujusce vocabuli editionem servasse videntur Græci, Bardylin. Unde est apud Ciceronem Bargulus, pro Bardylis, certissima conjectura viri eximie probi doctique Henrici Valesii. Bardylis illyrius ex latrone dux, sive princeps Illyriorum et Molossorum, cum et Macedonas attentaret, a Philippo repressus est, atque intra fines Illyriorum coercitus. Auctor Diodorus, Valesio nostro citatus. Rig.

(m) *In Vitellii commentariis conditum est.* Citantur a Suetonio nonnulla de gente Vitellia, ex libello Q. Eulogii ad Q. Vitellium Augusti quæstorem. Rig.

(n) *De solis unguine.* Explicat istud lib. III, Herodotus, scribens Polycratis filiam vidisse per somnium patrem sublimem in aere, qui a sole ungueretur, quo prospexit in crucem actum solis ardore exsiccandum. Pam.

(o) *Et lavacro Jovis.* Istud est quod ibidem Herodotus illam somniasse scribit, quod pater a Jove lavaretur, hoc est, pluviis et imbribus, quæ Jovi ethnici tribuebant, perfunderetur. Pam.

duntur et furta, conferuntur et thesauri. Ciceronis denique dignitatem, parvuli etiam nunc, gerula jam sua (1) inspexerat, (*a*) Cycnus de sinu Socratis, demulcens homines, discipulus Plato est. Cleonymus pyctes (*b*) ab Achille curatur insomnis. Coronam auream cum ex arce Athenæ perdidissent, Sophocles tragicus somniando redinvenit. Neoptolemus tragœdus, apud Rheteum (2) Trojæ, sepulcrum Ajacis (*c*), monitus in somnis ab ipso, ruina liberat; et cum lapidum senia deponit, dives inde auro redit. Quanti autem commentatores et adfirmatores in hanc rem! Artemon, (*d*) Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, Cratippus, et Dionysius rhodius, Hermippus, tota sæculi literatura. Solum, si forte, ridebo, qui se existimavit persuasurum, quod (*e*) prior omnibus Saturnus somniarit (3) : nisi si et prior omnibus vixit Aristoteles. Ignosce ridenti. Cæterum, Epicharmus etiam summum apicem inter divinationes somniis extulit, cum Philochoro Atheniensi. Nam et oraculis hoc genus stipatus est orbis; ut (*f*) Amphiarai apud Oropum, (*g*) Amphilochi apud Mallum, (*h*) Sarpedonis in Troade, (*i*) Trophonii in Bœotia (*j*) Mopsi in Cilicia, (*k*) Hermoniæ in Macedonia, (*l*) Pasiphaæ (4) in Laconica. Cætera cum suis et originibus, et ritibus, et relationibus, cum omni deinceps historia somniorum, Hermippus Beritensis (5) quinione voluminum satiatissimo exhibe-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Suam *Par. alii.*
(2) Erithræum *Par. alii*, Rhætum *Jun.*
(3) Somniavit *Jun.*
(4) Pasipheæ *Par.*
(5) Berytensis *Jun. Ven. lib. Agobard.* Beriensis *cod. Wouw.* Bergensis *cod. Ursini.*

COMMENTARIUS.

(a) *Cycnus de sinu Socratis*, etc. De hoc ita Laertius in *Vita Platonis* : dicitur Socrates per somnium vidisse, se cycni pullum inter genua habere, qui etiam e vestigio productis alis evolarit, jucundo clangore edito; et postridie Platonem ipsi commendatum esse, et ipsum dixisse hunc illum esse. Pam.

(b) *Cleonymus pyctes.* Vide Homerum. *Pyctes* autem, pro *pugil*, vox nota est. Pam.

(c) *Apud Rheteum Trojæ sepulcrum Ajacis.* Sic restitui hunc locum cum Leopardo *Emend. l. 3. c. 15 et 16* pro eo quod erat : *apud Erythreum.* Nam id in hæc verba confirmat Plinius l. V, c. 30 : « Extra sinum sunt, inquit, Rhetea littora, Rheto et Dardanio oppidis habitata. » Ac paulo post : « In Sigæo fuit et Æantion Rhodiis conditum, in altero cornu Ajacis ibi sepulcrum. Pam.

(d) *Artemon, Antiphon*, etc. Ex Artemone, quantum apparet, medico quædam descripsit Plinius l. XXVIII, c. 1. Citatur etiam Artemon clazomenius a Suida et Æliano. — *Antiphon.* de hoc ita Suidas : Antipho atheniensis conjector (sive aruspex, ut alibi idem loquitur), de interpretatione somniorum scripsit. — *Strato.* Hunc idem de somno et de insomniis scripsisse testatur Laertius, nempe Stratonem lampsacenum. — *Philochorus.* Etiam hic, atheniensis vates et aruspex, de divinatione partim libros IV scripsit; atqui etiam ex somniis fiebat divinatio. De hoc iterum paulo post Auctor : *Cum Philochoro atheniensi.* — *Epicharmus.* Epicharmi carmina quædam habes. Laertius vero scripsisse etiam eum tradit commentarios de Natura et de Medicina. In illis itaque verisimile est eum etiam de somniis aliquid scripsisse. Videantur Romæ in Biblioth. Vaticana. Certe Auctor paulo post : *Cæterum Epicharmus*, inquit, *etiam summum apicem inter divinationes somniis extulit.* — *Serapion.* Ex Serapione quodam Plinius se quædam sumpsisse adnotavit ad lib. II, et iterum ad l. b. IV, ubi eum antiochenum vocat. Fuerunt vero etiam alii Serapiones. — *Cratippus.* Cratippus, philosophus peripateticus, scripsit libros de divinatione et somniis. — *Dionysius Rhodius.* Dionysium Musonii filium rhodium a quibusdam dici adnotavit Suidas, qui fuerit historicus, et fani Solis sacerdos. — *Hermippus.* De hoc paulo post Auctor. Hunc autem, discipulum Philonis biblii, sub Adriano imperatore, multa scripsisse tradit Suidas. Pam

(e) *Prior omnibus Saturnus.* Quia melancholici, quos inde πολυσπόρους vocant ob vehementiam ingenii, multiplici visionum genere occupantur. Juxta Aristot. lib. de divin. per somnium cap. 2. Lac.

(f) *Amphiarai apud Oropum.* Sic legimus cum Leopardo, pro *Horopum*, quia Oropus oppidum in confinio Bœotiæ legitur apud Plinium l. IV, c. 7, qui etiam Amphiarai meminit, quod apud Thebas obierit una ætate ante bellum Iliacum, cujus filio Tiburte vetustiores exstent ilices tres in ag. Tiburtino, apud quas inauguratus traditur. Pam.

(g) *Amphilochi apud Mallum.* Legimus Amphilochi, cum eodem Leopardo, pro Ampliloci, nam etiam Clemens alexandrinus Amphilocum oraculum celebrat, sicuti etiam Justinus mart. Apo. II. Mallum vero oppidum Ciliciæ propinquum, cujus meminit Plinius, lib. V, cap. 27, subintelligit. Pam.

(h) *Sarpedonis in Troade.* De hoc ita Plinius, lib. XIII, c. 13. Præterea Mutianus ter consul prodidit se legisse, cum præsideret Lyciæ : *Sarpedonis a Troja*, scriptam in templo chartam. De oraculo autem ejus vid. Philostratum, in Heroicis. Pam.

(i) *Trophonii in Bœotia.* Plin. lib. XXXIV laudat opus Eutycratis simulacrum Trophonii ad oraculum, de quo sic latius lib. XIII, cap. 2 : « In Bœotia ad Throphonium Deum, juxta flumen Orchomenon, duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem adfert, inde numinibus inventis. » Abiit autem hinc in proverbium : In antro Trophonii vaticinari, de quo late Erasmus in Chiliadibus. Atqui ad istud oraculum etiam respexit Plutarchus lib. *de defic. orac.* citatus ab Eusebio lib. V, *de Præpar. Evang.* c. 8. Nullibi nunc quam in Lebadia Bœotiæ, oraculum in illis partibus invenitur. Pam.

(j) *Mopsi in Cilicia.* Nescio cur Rigaltius *Sicilia* retinuerit, cum legendum videatur *Cilicia.* Nam Pomponius Mela de vate quodam Mopso mentionem facit, qui Phaselin urbem condidit in finibus Pamphyliæ. Le Pa.

(k) *Hermoniæ in Macedonia.* De oraculo Hermionæ sic habet Suidas : « Hermione Peloponesi oppidum est, Cereris et Proserpinæ asylum. Ibi itaque verisimile est oracula pronuntiari solita. Pam.

(l) *Pasiphaæ in Laconica.* Sic legendum omnino, pro *Pasiphææ*, recte adnotavit Leopardus *Emend.*, l. VIII, c. 4. Nam consentiunt Cicero, l. I. *de Divinatione*, et Plutarchus, in *Vita Agidis et Cleomenis*, « Qui præerant, inquit Cicero, Lacedæmoniis (hinc *in Laconica* addit Auctor), non contenti vigilantibus curis in Pasiphaæ fano, quod est in agro propter urbem, somniandi caussa excubabant, quia vera quietis oracula ducebant. » Consentit etiam cum Plutarcho Pausanias in fine *Laconic.* scribens : « In Thalamis (quam Stephanus dicit fuisse Messeniæ urbem) fuisse Jovis oraculum et fanum, in quo futura divinantes præviderent, erectaque esse ex ære signa in ea fani parte quæ sub dio est, Pasiphaæ (sic enim recte etiam illum locum restituit, pro *Paphiæ*) unum, Solis alterum. » Nec mirum, cum Solis fuerit filia

bit (*a*). Sed et Stoici Deum malunt providentissimum humanæ institutioni, inter cætera præsidia divinatricum artium et disciplinarum, somnia quoque nobis indidisse, peculiare solatium naturalis oraculi. Hæc quantum ad fidem somniorum a nobis quoque consignandam, et taliter (1) interpretandam. (*b*) Nam de oraculis etiam cæteris, apud quæ nemo dormitat, quid aliud pronuntiabimus, quam dæmoniacam esse rationem eorum spirituum, qui jam tunc in ipsis hominibus habitaverint, vel (2) memorias eorum affectaverint ad omnem malitiæ suæ scenam, in ista æque specie divinitatem mentientes, eademque industria etiam per beneficia fallentes medicinarum, et admonitionum, et prænuntiationum, quæ magis lædant juvando, dum per ea quæ juvant, ab inquisitione veræ divinitatis abducunt, ex insinuatione falsæ. Et utique non clausa vis est, nec sacrariorum circumscribitur terminis; vaga et pervolatica, et interim libera est: quo nemo dubitaverit, domus quoque dæmoniis patere; nec tantum in adytis, sed in cubiculis homines imaginibus circum venire.

CAPUT XLVII.

Definimus enim a dæmoniis plurimum incuti somnia, etsi interdum vera et gratiosa, sed, de qua industria diximus, affectantia atque captantia: (*c*) quanto magis vana, et frustratoria, et turbida, ludibriosa, et immunda. Nec mirum, si eorum sunt imagines, quorum et res. A Deo autem, pollicito scilicet et gratiam Spiritus Sancti in omnem carnem, et sicut prophetaturos, ita et somniaturos servos suos et ancillas suas, ea deputabuntur, quæ ipsi gratiæ comparabuntur, si qua honesta, sancta, prophetica, revelatoria, ædificatoria, vocatoria, quorum liberalitas soleat et in profanos destillare, imbres etiam et soles suos peræquante Deo justis et injustis; siquidem et Nabuchodonosor divinitus somniat: (*d*) et major pene vis hominum ex visionibus Deum discunt. Sicut ergo dignatio Dei et in ethnicos, ita et tentatio Mali et in sanctos, a quibus nec interdiu absistit, ut vel dormientibus obrepat qua potest, si vigilantibus non potest. Tertia species erunt somnia, quæ sibimet ipsa anima videtur inducere ex intentione circumstantiarum. Porro, quoniam (3) non est ex arbitrio somniare (nam et Epicharmus ita sentit), quomodo ipsa erit sibi caussa alicujus visionis? Num ergo hæc species naturali formæ relinquenda est, servans animæ etiam in ecstasi res suas perpeti? Ea autem quæ neque a Deo, neque a dæmonio, neque ab anima videbuntur accidere (4), et præter opinionem, et præter interpretationem, et præter enarrationem facultatis, ipsi proprie ecstasi et rationi ejus separabuntur.

CAPUT XLVIII.

Certiora et colatiora somniari affirmant sub extimis noctibus, quasi jam emergente animarum vigore, producto sopore. Ex temporibus autem anni, (*e*) verno magis quieta; quod æstas dissolvat animas, et hyems quodammodo obduret, autumnus, tentator alias valetudinum, succis pomorum vinosissimis diluat. Item ex ipsius quietis situ; (*f*) si neque resupina, neque dextero latere decumbat, neque conresupinatis internis, quasi refusis loculis, (5) (*g*) statio sensuum fluitet, (*h*) aut compressa jecoris angina (6) sit mentis. Sed hæc ingeniose æstimari potius, quam constanter probari putem, etsi Plato est qui ea æstimavit; et fortassean casu procedant. Alioquin ex arbitrio erunt somnia, si dirigi poterunt. Nam quod et de cibis distinguendis vel derogandis (7), nunc præsumptio, nunc superstitio disciplinam somniis præscribit, examinandum est: superstitio, ut cum (*i*) apud oracula incubaturis jejunium indicitur, ut castimoniam inducat: præsumptio, ut cum Pythagorici ob hanc quoque speciem fabam respuunt, onerosum et inflatui pabulum. Atquin trina illa cum Daniele fraternitas, legumine solo contenti, ne regiis ferculis contaminarentur, præter sapientiam reliquam, somniorum præcipue gratiam a Deo redemerunt, et impetrandorum, et disserendorum. Jejuniis (8)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliter *Fran. Pam.*
(2) Ad *add. Fran. Pam.*
(3) Cum *Rhen. Semi.* quam *Pam.* qua *vet. cod. Wouw.*
(4) Occidere *Par. alii.*
(5) Repulsis localis *lib. Agobard.*
(6) Sagina *alii mendose.*
(7) Decurandis *Itig. Ven. hoc est,* minime curandis, decorandis *alii.*
(8) Jejunus *Jun.*

COMMENTARIUS.

Pasiphae, uxor Minois Cretæ regis. PAM.

(a) *Sed et Stoici Deum malunt*, etc. Ut Epicurei supra rejiciebant omnia, quia divinam providentiam tollebant de medio; sic Stoici e contrario somniis credebant, quia ipsam divinam providentiam extollebant. Hanc religionem Stoicorum erga somnia confirmant Tullius, *de Divin. Deor.* lib. I, et Plutarchus, lib. V, *de Plac.* cap. 1. LAC.

(b) *Nam de oraculis etiam cæteris*, etc. Hinc patet tantum ea oracula voluisse narrare Tertullianum in superioribus, quæ dormientibus respondebant per somnia. Plurima vero oracula alius vaticinii numerant Eusebius, Clemens et Lactantius. LAC.

CAP. XLVII.—(c) *Quanto magis vana.* Id est, mendacia; tametsi ad vanitatem superstitionum referri possent, qui diligentius ex somniis procurant futura. LAC.

(d) *Et major pæne vis hominum ex visionibus Deum discunt.* Per visa et insomnia ad Fidem Christianam vocantur. RIG.

CAP. XLVIII.—(e) *Verno magis quieta.* Verno tempore quietiorem fieri animam, et pacatioribus somniis exerceri, tradunt fere omnes. LE PR.

(f) *Si neque resupina, neque dextro latere decumbat.* Facilius somnum adventare dextro latere decumbentibus observarunt philosophi, unde Aristotelos sect. 6, probl. 5, proponit, cur cum dextra corporis parte cubamus, somnus citius accedit. Dormire etiam resupinato corpore minus sanum est, ex eo quippe situ graves morbi nascuntur. LE PR.

(g) *Statio sensuum.* Intelligit præcordia, περικάρδιον, sanguinem circumcordialem, de quo supra. RIG.

(h) *Aut compressa jecoris.* Sic legitur in exemplari. Compressam dicit pro Compressione, ut pro Remissione, Remissam. RIG.

(i) *Apud oracula incubaturis jejunium inducitur.* Gentiles dæmonibus suis jejuniis etiam interdum gra-

autem, nescio an ego solus plurimum ita somniem, ut me somniasse non sentiam. Nihil ergo sobrietas, inquis, ad hanc partem ? Imo tanto magis ad hanc, quantum et ad omnem. Si et ad superstitionem, multo amplius ad religionem. Sic enim et dæmonia expostulant eam a suis somniatoribus, ad lenocinium scilicet divinitatis, quia familiarem Dei norunt (1) : (*a*) quia et Daniel (*Dan* X) rursus trium hebdomadum statione (*b*) aruit victu ; sed ut Deum inlicceret humiliationis officiis, non ut animæ somniaturæ sensum et sapientiam strueret, quasi non in ecstasi acturæ. Ita non ad ecstasin submovendam sobrietas proficiet, sed ad ipsam ecstasin commendandam, ut in Deo fiat.

CAPUT XLIX.

Infantes qui non putant somniare, cum omnia animæ pro modo ætatis expungantur in vita, animadvertant successus (2) et nutus, et renidentias eorum per quietem, ut ex re comprehendant, motus animæ somniantis facile per carnis teneritatem erumpere in superficiem. Sed et quod (*c*) Libyca gens Atlantes cæco somno noctem transigere dicuntur, animæ utique natura taxatur. Porro, aut Herodoto fama mentita est, nonnunquam in Barbaros calumniosa, aut magna vis ejusmodi dæmonum in illo climate dominatur. Si enim et Aristoteles heroem quemdam Sardiniæ notat, incubatores fani sui visionibus privantem, erit et hoc in dæmonum libidinibus tam auferre somnia quam inferre, ut Neronis quoque seri somniatoris, et Thrasimedis insigne inde processerit. Sed et a Deo deducimus somnia. Quid ergo nec a Deo Atlantes somniarent, vel quia nulla jam gens Dei extranea est (*d*), in omnem terram et in terminos orbis Evangelio coruscante ? Num ergo aut fama mentita est Aristoteli, aut dæmonum adhuc ratio est, dum ne animæ (3) aliqua natura credatur immunis somniorum ?

CAPUT L.

Satis de speculo mortis, id est de sommo ; tum etiam de negotiis somni, id est de somniis. Nunc ad originem hujus excessus, id est ad ordinem mortis ; quia nec ipsam sine quæstionibus, licet finem omnium quæstionum. Publica totius generis humani sententia, mortem naturæ debitum pronuntiamus. Hoc stipulata est Dei vox (*Gen. III*), spopondit omne quod nascitur ; ut jam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere ; sed hæretici magis (4) Menandri samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad suos non modo non pertinere, verum nec pervenire. In hoc scilicet se a superna et arcana potestate legatum, ut immortales, et incorruptibiles, et statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma ejus induerint. Leginus quidem pleraque aquarum genera miranda. Sed aut (*e*) ebriosos reddit Lyncestarum vena vinosa, aut (*f*) lymphaticos efficit Colophonis scaturigo dæmonica, aut (*g*) Alexandro accidit Nonacris Arcadiæ venenata. Fuit et Judææ (*h*) lacus medicus (*Joan.* V) ante Christum. (*i*) Plane Stygias paludes poeta tradidit mortem diluentes. Sed et Thetis filium planxit. Quanquam si et Menander in Stygem mergit, moriendum erit nihilominus, ut ad Stygem venias : apud inferos enim dicitur. Quænam et ubinam ista felicitas aquarum, quas nec Joannes baptizator præministravit, nec Christus ipse discipulis demon-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Norant *Par.*
(2) Successus *Rig. Ven.*
(3) Animæ *abest a Pam. Rhen. Seml.*
(4) Magi *Rhen. Pam. Seml.*

COMMENTARIUS.

tulabantur, statuebanturque sive indicebantur iis qui oracula consulebant. Le Pr.

(a) *Quia et Daniel rursus trium hebdomad.* Illud quod hic affirmat Auctor de Danielis jejunio per tres hebdomadas, miror mirari Pamelium, virum diligentem, alioqui et doctum maxime, cum asseveret nusquam apud Danielem ejus fieri mentionem, cum clarissime hoc inveniatur cap. 10 Danielis. *In diebus illis ego Daniel lugebam, trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Lac.

(b) *Aruit victu.* Xerophagiam significat, quam libro *de Jejuniis* vocat aridum victum, et aridas escas, cibo ab omni carne siccato et omni jurulentia et uvidioribus quibusque pomis. Ipse Daniel : *Panem desiderabilem non comedi.* Rig.

CAP. XLIX. — (c) *Libyca gens Atlantes cæco somno, etc.* Plinius lib. V, c. 8 : Libyca gens Atlantes, degeneres humani ritus. Somnia non vident, qualia reliqui mortales. Herodotus : Λίβυσσαι δὲ οὐδὲ ἐνόνεια ὁρᾶν, etc. Rig.

(d) *Nulla jam gens Dei extranea est.* Vide de hoc lib. *adv. Jud.* c. 7, ubi, post enumerationem variarum gentium, sic concludit : *Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus... colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter.* Eodem pertinet quod habet Auctor seq. Capite : *cum contra omnes jam nationes ascendant in montem Domini, et in ædem Dei Jacob.* Pam. — *Et apud Barbaros enim Christus, Tertull.* lib. *de Corona.* Rig.

CAP. L. — (e) *Ebriosos reddit Lyncestarum vena.* Fontem Macedoniæ auctoribus celebratum dicit ; nam Lyncestæ Macedoniæ sunt populi. Tanta dicitur hujus aquæ violentia, ut majorem quam vinum soporem inducat. Seneca lib. III *natur. quæst.* cap. 23 ; Plin. lib. II, cap. 103 ; Ovid. lib. I, *Metam.* Prope Erganem fluvium similem aquam fuisse refert Athenæus ex Theopompo, lib. II, *Dipnos.* Le Pr.

(f) *Lymphatos efficit Colophonis scaturigo.* Colophon oppidum est haud obscurum in Ionia, Apollinis Clarii oraculo quondam illustris, quod in luco reddebatur, ubi fons ille celebris. Le Pr.

(g) *Alexandro accidit Nonacris*, etc. Arcadiæ pars est seu regio Nonacris, in qua aqua reperitur quæ vasa omnia frangit, qua hausta Alexandrum fuisse interemptum scribunt quidam. Le Pr.

(h) *Lacus medicus ante Christum.* Probatica piscina. Pam.

(i) *Plane Stygias paludes.* Caveas sedulo ne hic lacum Stygium Nonacridis accipias, sed tantum inferorum paludem, a qua Cocytus et Phlegeton oriuntur, ut tradunt qui inferorum topographium callere se profitentur. Le Pr.

stravit?(a) Quod hoc Menandri balneum? magicum (1) credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi lavant? Suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi atque tutissimi sacramenti, apud quod nec pro Deo ipso mori lex est (*b*) ; cum contra, omnes jam nationes ascendant in montem Domini, et in ædem Dei Jacob, mortem per martyrium quoque flagitantis, quam de Christo etiam suo exigit. Nec magiæ tantum dabit quisquam, ut eximat mortem, aut repastinet vitis modo vitam, ætate renovata. Iloc enim ne Medeæ quidem licuit in hominem, etsi licuit in vervecem. (*c*) Translatus est Enoch (*Gen.* V), et Helias (IV *Reg.* II), nec mors eorum reperta est, dilata scilicet : cæterum morituri (*Apocal.* XI) reservantur (*d*), ut Antichristum sanguine suo exstinguant. Obiit et Joannes, quem in adventum Domini remansurum frustra fuerat spes (*Joan.* XXI). Fere enim hæreses ad nostra exempla prosiliunt, inde sumentes præsidia quo pugnant. Postremo, compendium est, (*e*) ubi sunt illi quos Menander ipse perfudit? quos in Stygem suam mersit? (*f*) Apostoli perennes veniant, adsistant; (*g*) videat illos meus Thomas ; audiat, contrectet, et credat (2).

CAPUT LI.

Opus autem mortis in medio est, discretio corporis animæque. Sed quidem (3) ad immortalitatem animæ, quam quidam non a Deo edocti infirme tuentur, ita argumentationes emendicant ut velint credi etiam post mortem quasdam animas adhærere corporibus. Ad hoc enim et Plato, etsi quas vult animas ad cœlum statim expedit, in *Politia* tamen cujusdam insepulti cadaver opponit (*h*), longo tempore sine ulla labe, præ animæ scilicet individuitate, servatum. Ad hoc et Democritus (*i*) crementa unguium et coma-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Comicum *Rhen. Pam. Semler. Oberth.*
(2) Credidit *Par. Ven. Rig.*
(3) Quidam *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quod hoc Menandri balneum?* Menandrum hæreticum significat samariten magum, Simoni magi discipulum; quem hoc ipso libro Menandrum simoniacum nuncupat. Le Pn. — *Quod hoc Menandri balneum? Magicum credo.* In exemplari Agobardi legitur, *Comicum*. Quasi ad Menandrum fabularum, sive comœdiarum, scriptorem Septimius adluserit, propterea que istius impostoris baptismo fabulosæ Stygis nomen indiderit, quin et balneum esse dixerit, sed comicum. Nihilominus falsam esse hanc scripturam arbitramur. Etenim hic de Menandro tantum samaritano Septimium cogitasse, præcedentia indicant, sequentia plane confirmant. Et Menandro quidem illi magicis artibus infami, quem propterea Menandrum simoniacum supra dixit, bene convenit balneum magicum, quale ahenum fuisse tradunt Medeæ veneficæ. Nam inter cætera furoris hæretici deliramenta, hoc etiam promittebat, immortalia fore baptismo sive balneo suo lavantium corpora. Unde Septimius noster de magico balneo Poetarum fabulis nobili subjecit : *Nec magiæ tantum licere, ut eximat mortem, aut vitam in modum vitis repastinet, ætate renovata; hoc enim ne Medeæ quidem licuisse in hominem, etsi licuit in vervecem.* Itaque rejecta codicis Agobardini scriptura, Septimii manum in Ursini libro servatam agnoscimus et sequimur, *Quod hoc Menandri balneum? Magicum credo.* Rig.

(b) *Apud quod nec pro Deo ipso mori lex est.* Insinuat Alexandrum unum fuisse ex martyrii refragatoribus, cum quibus disputat in *Scorpiace adv. Gnosticos*. Atqui Medeæ veneficæ historia omnibus nota est. Addit autem, *etsi licuit in vervecem*, propter subreptum ab ea vellus aureum. Pam.

(c) *Translatus est Enoch.* Hæc verba expresse militant adversus judaizantem Aben Esra, qui illud, *transtulit illum Dominus* (*Gen.* V), de morte intelligit; cum contra sentiant cum Auctore Philo judæus, lib. de *Vit. Sap.* Irenæus, lib. I, c. 5, et lib. IV, c. 30, Hieronymus *adv. Pelagianos*, lib. III, et Patres omnes. Imo ipse apostolus Paulus, *Hebr.* XI : *Fide*, inquit, *translatus est Enoch, ne videret mortem.* Pam.

(d) *Morituri reservantur.* Alludit ad Apocal. c. XI. Hinc patet verior tum Auctoris, tum BB. Hieronymi, ep. 148 *ad Marcellum*, et Augustini, in *Gen. ad lit.* l. VII, et *de Peccatorum mer.* c. 3, sententia, quod *morituri reservantur*, quam aut Procopii, qui immortalite donatos putat, aut Gregorii Nazianzeni dubia hac de re opinio. Pam.

(e) *Ubi sunt illi quos Menander ipse perfudit*, etc. Baptismi verba sunt perfundere et mergere. Mersio et perfusio sive aspersio, ubi est dantis et accipientis fides integra, æque ad baptismum christianum pertinent. Illa ex ordine, fidelibus bene valentibus; ista ex necessitate, fidelibus morbo implicitis, adeoque clinicis sive grabatariis. De quibus est præclara Cypriani epistola ad Magnum, et notanda in primis est hæc sanctissimi martyris sententia : « In sacramentis salutaribus, necessitate cogente et Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus confero divina compendia. » Notandum autem baptismo perfundi solitos simul et mergi : ex his Tertulliani verbis observare est duplicem in baptismo ritum, perfundere et mergere. Perfusio lavationem peccatorum indicabat : mersio mortem et sepulturam, commortuorum et consepultorum Christo. Rig.

(f) *Apostoli perennes veniant.* Quos scilicet Menander baptizavit, et Styge illa sua mersos reddidit immortales. Rig.

(g) *Videat illos meus Thomas, audiat, contrectet; et credat.* Thomam hic suum vocat quemlibet vere christianum, sed prudentem, non credulum impostori Menandro : nam adversus hæretici istius et magi præstigias opus esse incredulitate Thomæ apostoli. Amabo christianum, inquit, et meus erit ille Thomas, qui menandricæ Stygis immortalitati non credet, nisi prius et visu et auditu et tactu diligenter explorate. Rig.

CAP. LI. — (h) *In Politia tamen cujusdam insepulti cadaver opponit.* Locus in *Politia*, id est *Republ.* l. X, habetur. « At non referam tibi, inquit, Alcinoi apologum, sed fortis viri Eris ægyptii, genere pamphylii ; qui aliquando in bello occisus, cum decimo dii mortui jam patefacti tollerentur, sanus quidem et integer corpore sublatus est; domum vero delatus, ubi duodecimo die sepeliendus esset, in pyra positus revixit. » Vide de eodem Valer. Max. l. I, c. 8, et Macrobium, *in Somnio Scipionis*. Pam.

(i) *Ad hoc et Democritus.* Democritum ejus fuisse sententiæ, quod post mortem animæ adhærcant corporibus, fortassis ex eo colligit Auctor, quod vel Plinio teste, lib. VII, c. 55 asservari voluerit corpora hominum, eo quod reviviscenda promitteret. Argumentum autem ejus ad hanc rem *de crementis comarum et unguium in sepulturis*, pulchre refellit Auctor, caussas naturales afferens. Pam.

rum in sepulturis aliquanti temporis denotat. Porro et aeris qualitas corpori illi potuit tutela fuisse. Quid enim, si aridior aer, et solum salsius? quid, si et ipsius corporis substantia exsuccior? quid, si et genus mortis ante jam corruptelæ materias erogarat? Ungues autem, cum exordia (1) nervorum sint, merito, nervis resolutione porrectis, provectiores, et quotidie, deficiente carne expelli videntur. Comæ quoque alimenta de cerebro, quod aliquandiu durare præstat secreta munitio. Denique, in viventibus etiam (*a*) pro cerebri ubertate, vel affluit capillago, vel descrit. Habes medicos. Sed nec modicum quid animæ subsidere in corpore est, decessurum quandoque et ipsum, cum totam corporis scenam tempus aboleverit. Et hoc enim in opinione quorumdam est. Propterea nec ignibus funerandum aiunt, parcentes superfluo animæ. Alia est autem ratio pietatis istius, non reliquiis animæ adulatrix, sed crudelitatis etiam corporis nomine aversatrix quod et ipsum homo non utique mercatur, pœnali exitu impendi. Cæterum, anima indivisibilis, ut immortalis, etiam mortem indivisibilem exigit credi, non quasi immortali, sed quasi indivisibili animæ indivisibiliter accidentem. Dividetur autem mors, si et anima, superfluo scilicet animæ quandoque morituro (2). Ita portio mortis cum animæ portione remanebit. Nec ignoro aliquod esse vestigium opinionis istius. De meo didici. Scio fœminam quamdam (*b*) vernaculam Ecclesiæ, forma et ætate integra functam, post unicum et breve matrimonium, cum in pace dormisset, et morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur (c), ad primum halitum (3) orationis (*d*) manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, et aeris qualitas corpori illi potuit tutela fuisse. Quid enim, si aridior aer, et solum salsius? quid, si et ipsius corporis substantia exsuccior? quid, si et genus mortis ante jam corruptelæ materias erogarat? Ungues autem, cum exordia (1) nervorum sint, merito, nervis resolutione porrectis, provectiores, et quotidie, deficiente carne expelli videntur. Comæ quoque alimenta de cerebro, quod aliquandiu durare præstat secreta munitio. Denique, in viventibus etiam (*a*) pro cerebri ubertate, vel affluit capillago, vel descrit. Habes medicos. Sed nec modicum quid animæ subsidere in corpore est, decessurum quandoque et ipsum, cum totam corporis scenam tempus aboleverit. Et hoc enim in opinione quorumdam est. Propterea nec ignibus funerandum aiunt, parcentes superfluo animæ. Alia est autem ratio pietatis istius, non reliquiis animæ adulatrix, sed crudelitatis etiam corporis nomine aversatrix quod et ipsum homo non utique mercatur, pœnali exitu impendi. Cæterum, anima indivisibilis, ut immortalis, etiam mortem indivisibilem exigit credi, non quasi immortali, sed quasi indivisibili animæ indivisibiliter accidentem. Dividetur autem mors, si et anima, superfluo scilicet animæ quandoque morituro (2). Ita portio mortis cum animæ portione remanebit. Nec ignoro aliquod esse vestigium opinionis istius. De meo didici. Scio fœminam quamdam (*b*) vernaculam Ecclesiæ, forma et ætate integra functam, post unicum et breve matrimonium, cum in pace dormisset, et morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur (c), ad primum halitum (3) orationis (*d*) manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, et alia (4) relatio apud nostros, (*f*) in cœmeterio, corpus corpori juxta collocando spatium recessu (5) communicasse. Si et apud ethnicos tale quid traditur, ubique Deus potestatis suæ signa proponit, suis in solatium, extraneis in testimonium. Magis enim credam ex Deo factum, quam ex ullis animæ reliquiis : quæ si inessent, alia quoque membra movissent; et si manus tantum, sed non in caussam orationis. Corpus etiam illud non modo fratri cessisset, verum et alias, mutatione situs sibimet ipsi refrigerasset (*g*). Certe unde unde (6) sunt ista, signis potius et ostentis deputanda, naturam facere non possunt. Mors si non semel tota est, non est; si quid animæ remanserit, vita est. Non magis vitæ miscebitur mors, quam diei nox.

CAPUT LII.

Hoc igitur opus mortis, separationem carnis atque animæ, (*h*) seposita quæstione fatorum et fortuitorum, bifariam distinxit humanus adfectus, in ordinariam et extraordinariam formam : ordinariam quidem naturæ deputans placidæ cujusque mortis; extraordinariam vero præter naturam judicans violenti cujusque finis. Qui autem primordia hominis novimus, audenter determinamus, mortem non ex natura secutam hominem, sed ex culpa, ne ipsa quidem naturali : facile autem usurpari naturæ nomen, in ea quæ videntur a nativitate ex accidentia adhæsisse. Nam si homo in mortem directo institutus fuisset, tunc demum mors naturæ adscriberetur. Porro, non in mortem institutum eum, probat ipsa lex, conditionali comminatione suspendens, et arbitrio hominis addicens mortis eventum (*i*). Denique, si non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Exodia *Jun.*
(2) Morituræ *Fran.*
(3) Aditum *Wouw.* habitum *Fran. Pam.*
(4) Illa *cod. Agob.*
(5) Accessu *cod. Agob.*
(6) Unde *tantum Rhen. Pam. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Pro cerebri ubertate.* Ex humiditate cerebri contingit, ut pili citissime oriantur, percantque. Le Pr.

(b) *Vernaculam Ecclesiæ.* Christianam christianis parentibus natam, sic Plinius libro XIV, cap. 2. Uvas peculiares atque vernaculas Italiæ nobiliores esse ait cæteris quæ advenerant Chio Thasove. Sic etiam Septimius in *Apologetico : Vernaculam septem collium plebem.* Et lib. 1. *De Cultu Fœminarum. Aurum apud barbaros vernaculum.* Rig.

(c) *Oratione presbyteri componeretur.* Facit etiam hoc ad vetustatem orationis pro defunctis comprobandam; cui similes locos videat lector in lib. de *Orat.* c. 1, ac lib. de *Cor. Milit.* c. 3. Hic certe proprie de oratione presbyteri, id est, juxta usum Tertulliani, sacrificio in sepultura mortuorum : nam et illa verba, *ad primum habitum* (seu *halitum*) *orationis*, et, *rursumque condita pace*, ad sacrificium magis quam ad orationem pertinere dignoscuntur; maxime cum etiam *fœminam mortuam manus in habitum supplicem* (quali presbyteri potius in sacrificio quam alia oratione uti solent) *conformasse* addat. Pam.

(d) *Manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse.* Hoc est, dispansas in modulum crucis, quem fuisse orantis christiani habitum sæpe significat : hodieque non pauca ejusmodi reperiuntur in Romæ subterraneis veterum christianorum monumenta. Rig.

(e) *Rursumque condita pace situi suo reddidisse.* Hoc est, post osculum pacis, quod erat signaculum et conclusio orationis, ut ipse ait sub finem libri *de Oratione*, conditam pacem proprie dixit oscula mutuo data, nempe inter Fratres seu Fideles, qui mortui componendi officio interfuerant. *Condere* hoc loco significat : *mutuo dare*, ut *condicere*, *mutuo dicere*. Rig.

(f) *In cœmeterio.* De cœmeteriis Christianorum (quæ extra portam fuisse olim constructa, supra diximus in lib. *de Testimonio animæ*, c. 4), vide adnotationes nostras in B. Cyprianum. *ep.* 68 *ad Steph.* Atqui an etiam apud ethnicos tale quid tradatur, inquirendum relinquo lectori curioso. Pam.

(g) *Sibimet ipsi refrigerasset.* Simili phrasi, lib. *ad Scapulam*, dixit Auctor cap. 4; *Indigentibus refrigeramus*, id est, refrigerium afferimus. Pam.

CAP. LII. — (h) *Seposita quæstione fatorum.* Non vult prolixiorem hanc de anima disputationem facere : sed sive fato modus mortis accidat, sive fortuito, prætermissa hac quæstione ad divisionem mortis progreditur, in ordinariam et extraordinariam. Lac.

(i) *Arbitrio hominis addicens mortis eventum.* Locus hic iterum facit pro hominis libero arbitrio, quod ipsum vocat mox satis nove *oblationis potestatem*, eo quod possit acceptare per voluntatem vitam aut mortem sibi a Deo oblatam. Pam.

deliquisset, nequaquam obiisset. Ita non erit (1) A mortis aliquid de ejuscemodi exitu interstruam, in natura, quod ex oblationis potestate accidit per voluntatem, non ex instituti auctoritate per necessitatem. Proinde, etsi varii exitus mortis, ut est multimoda conditio caussarum, nullum ita dicimus lenem, (a) ut non vi agatur. Ipsa illa ratio operatrix mortis, simplex licet, vis est. Quid enim? Quæ tantam animæ et carnis societatem, tantam a concepto concretionem sororum substantiarum divellit ac dirimit. (b) Nam etsi præ gaudio quis spiritum exhalet, ut Chilon spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur; (c) etsi præ gloria, ut Clidemus atheniensis, dum ab histrionibus ob præstantiam auro coronatur; etsi per somnium, ut Plato; etsi per risum, ut P. Crassus: multo violentior mors, quæ per aliena grassatur, quæ animam per commoda expellit, quæ tunc B mori adfert, cum jucundius vivere est, in exultatione, in honore, in requie, in voluptate. Vis est et illa navigiis, cum (d) longe a Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt. Non secus naufragia sunt vitæ, etiam tranquillæ mortis eventus. Nihilo refert integram abire corporis navem, an dissipatam, cum animæ navigatio evertatur.

CAPUT LIII.

Sed quo deinde anima nuda et explosa divertit, sine dubio prosequemur ex ordine. Prius tamen quod est loci hujus explebimus, ne quia varios exitus mortis ediximus, exspectet quis a nobis rationes sin- C gulorum, medicis potius relinquendas, propriis arbitris omnium lethalium rerum sive causarum, et ipsarum corporalium conditionum. Plane ad immortalitatem animæ hic quoque protegendam in mentione

quo paulatim ac minutatim anima dilabitur: habitum enim sustinens defectionis, abducitur, dum absumi videtur, et conjecturam præstat interitus de excessus temperatura. Tota autem in corpore et ex corpore est ratio. Nam quisquis ille exitus mortis, sine dubio aut materiarum, aut regionum, aut viarum vitalium eversio est: materiarum, ut fellis, ut sanguinis: regionum, ut cordis, ut jecoris: viarum, ut venarum, ut arteriarum. Dum igitur hæc ex propria quaque injuriæ caussa vastantur in corpore, adusque ultimam eversionem, et rescissionem (2) vitalium, id est naturalium finium, situum, officiorum, necessario et anima, dilabentibus paulatim instrumentis, et domiciliis, et spatiis suis, paulatim et ipsa migrare compulsa, deducitur in diminutionis effigiem; non alio modo, quam quo et aurigam ipsum quoque defecisse præsumitur, cum vires equorum defatigatio denegavit, quantum de dispositione destituti hominis, non de passionis veritate. Perinde auriga corporis spiritus animalis, deficientis vectaculi nomine, non suo, deficit, opere decedens, non vigore; actu elanguens, non statu; constantiam, non substantiam decoquens, quia comparere cessat, non quia esse. (e) Sic et rapida quæque mors, ut cervicum messis, semel (3) tantam januam pandens, (f) ut ruinæ (4) vis semel omnia vitalia (5) elidens, ut apoplexis, interior ruina, nullam animæ moram præstat, nec discessum ejus in momenta discruciat. At ubi longa mors, prout deseritur anima, ita et deserit; non tamen conciditur hac facie, sed extrahitur; et dum extrahitur, postremitatem suam partem videri facit. Non omnis autem pars statim et abscissa est quia postera est; nec quia exigua est, statim et ipsa (6) peritura est. Sequitur seriem suus finis, et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Erat *Pam. Rhen. Seml.*
(2) Recussionem *Pam. Rhen. Seml.*
(3) Ac *add. Rig. Ven.*
(4) Ut ruinæ *Rhen. Pam. Seml. Oberth.* ut ruina *cod. Agob.* aut ruinæ *Rig. Ven. lib. Ursini.* D
(5) Vitalia *abest a Par. aliis.*
(6) Ipsa *abest a Par. aliis.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ut non vi agatur.* Dubitatum philosophis est num mors sit homini naturalis. Tertullianus etsi dicere videatur omnem mortem esse violentam, id dicit quia nunc semper contingit ex contraria aliqua passione: non tamen proinde negat, mortem secundum se esse secundum naturam, quamvis proprie naturalis non omnino dici queat, quia natura non intendit corruptionem. LAC.

(b) *Nam etsi præ gaudio quis spiritum exhalet, ut Chilon.* Sumpsit hoc, sicuti alia multa, Auctor ex Plin. lib. VII, cap. 32, ubi sic ait: *Quin et funus Chilonis lacedæmonii, cum, victore filio Olympiæ expirasset gaudio, tota Græcia prosecuta est.* Quod ipsum non illi modo, sed et Sophocli ac Dionysio Siciliæ tyranno accidisse, accepto tragicæ victoriæ signo, idem scribit cap. 53. PAM.

(c) *Etsi præ gloria, ut Clidemus atheniensis.* Clidemi cujusdam scripta adlegant Athenæus et Plutarchus in *Aristide.* An idem sit nescio, neque enim apud alium reperire hoc exemplum mortis licuit. PAM.

(d) *Longe a Caphareis saxis*, etc. De his ita Propertius lib III, *eleg.* 7, adludens, sicut et Auctor, ad clas-sen Græcorum, quæ apud promontorium Eubœæ, versus Hellespontum; valde afflicta fuit:

Saxa triumphales fregere Capharea puppes.
Naufraga cum vasto Græcia tracta dolo est. PAM.

CAP. LIII —(e) *Sic et rapida quæque mors.* Tractat hic quæstionem de qualitate mortis. Nam ad animæ immortalitatem, sive diuturnitatem post mortem plurimum conducere mortis genus, putabant philosophi præcipue, qui corpoream animam cum Tertulliano faciebant, ut Stoici, an scilicet ruina oppressus quis, an aqua obrutus, vel alio genere mortis repentinæ raperetur. Servius in I. *Æn. Ingemuit Æneas. non propter mortem, sed propter mortis genus. Grave est enim, secundum Homerum, perire naufragio, quia anima est ignea, et extingui videtur in mari.* LAC.

(f) *Ut ruinæ vis semel omnia vitalia elidens.* Tria mortis genera diligentissime notat Auctor: unum ex causa extrinseca, ut decollatio; alterum a causa intrinseca, ut apoplexis; tertium ab utraque, ut ruina elidens corpus, cujus propterea intestina viscera corrumpuntur. LAC.

mediocritas trahitur ad summa, et reliquiæ universitati cohærentes, exspectantur ab illa, non derelinquunt. Atque ita ausim dicere, totius ultimum, totum est: quia licet minus atque posterius sit, ipsius est. Hinc denique evenit, sæpe animam in ipso divortio potentius agitari, sollicitiore obtutu, extraordinaria loquacitate, dum ex majori suggestu, jam in libero constituta, per superfluum quod adhuc cunctatur in corpore, enuntiat quæ videt, quæ audit, quæ incipit nosse. Si enim (*a*) corpus istud platonica sententia carcer, cæterum apostolica (*I Cor.* III, 16) Dei templum, cum in Christo est; sed interim animam conspecto suo obstruit, et obscurat, et concretione carnis infarcat; unde illi, velut (*b*) per corneum specular, obsoletior lux rerum est, procul dubio cum vi mortis exprimitur de concretione carnis, et ipsa expressione colatur, certe de oppanso corporis erumpit in apertum, ad meram et puram et suam lucem statim semetipsam in expeditione substantiæ recognoscit, et in divinitatem ipsa libertate resipiscit, ut de somno emergens, ab imaginibus ad veritates: tunc et enuntiat quæ videt, tunc exsultat aut trepidat, prout paraturam deversorii sui sentit, (*c*) de ipsius statim angeli facie, vocatoris animarum, Mercurii poetarum.

CAPUT LIV.

Quo igitur deducetur anima, jam hinc reddimus. Omnes ferme philosophi, qui immortalitatem animæ, qualiter volunt, tamen (1) vindicant, ut Pythagoras, ut Empedocles, ut Plato, (*d*) quique aliquod illi tempus indulgent ab excessu usque in conflagrationem universitatis, ut Stoici, suas solas, id est sapientum animas, in supernis mansionibus collocant. Plato quidem non temere (*e*) philosophorum animabus hoc præstat, sed eorum qui philosophiam scilicet exornaverint amore puerorum. Adeo etiam inter philosophos magnum habet privilegium impuritas. Itaque apud illum in ætherem sublimantur animæ sapientes; apud Arium, in aerem (*f*); apud Stoicos, sub lunam. (*g*) Quos quidem miror, quòd imprudentes animas circa terram prosternant, cum illas a sapientibus multo superioribus eruditi adfirment. Ubi erit schola regio, in tanta distantia diversoriorum? qua ratione discipulæ ad magistras conventabunt (2), tanto (3) discrimine invicem absentes? Quis autem illis posthumæ eruditionis usus ac fructus jamjam conflagratione perituris? Reliquas animas ad inferos dejiciunt. Hos Plato velut gremium terræ describit, in *Phædone*, quo omnes labes mundalium sordium confluendo, et ibi desidendo exhalent, et quasi cœno immunditiarum suarum crassiorem haustum et privatum illic aerem stipent.

CAPUT LV.

Nobis inferi non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduatur: sed in fossa terræ, et in alio vastitas, et in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas. Siquidem Christum (4) in corde terræ (*Matt.* XII) triduum mortis legimus expunctum, id est in recessu intimo et interno et in ipsa terra operto, et intra ipsam clauso (5), et inferioribus adhuc abyssis superstructo. Quod si Christus Deus, quia et homo, mortuus secundum Scripturas, et sepultus secundum (6) easdem, hic (7) quoque legi satisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus; nec ante ascendit in sublimiora cœlorum, quam descendit in inferiora terrarum (*h*), ut illic Patriarchas et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tantum *Rhen. Seml.* tanquam *Pam.*
(2) Discipula ad magistras convertentur *c. Agob. mendose.*
(3) Alvo *Jun.*
(4) Christo *Rig. Ven. mendose.*
(5) Cavato *Pam. Rhen. Seml.*
(6) Secus *Rig. Ven.*
(7) Huic *Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

(a) *Corpus istud platonica sententia*, etc. S. Hieronymo objecit Ruffinus, quod in comment. epist. ad Ephes. dixisset, *corpus animæ carcerem*, atque respondet ex Origenis dixisse sententia, qui ut in multis, etiam in hoc Platonem est imitatus. Facile id sibi induxit Origenes, et qui animas putarunt ob delicta a summo Deo intrusas in corpora. Lac.

(b) *Per corneum specular.* Platonem imitatur, qui similiter in *Charmide* vocavit carnem corneum specular. Alludit uterque ad portas corneam et eburneam somniorum apud Homerum. Lac.

(c) *De ipsius statim angeli*, etc. Putat apparere cuiquam angelum in fine vitæ, sicut supra in initio, et a nativitate indicavit comitari; et angelum deductorem notat de quo Chrysostomus *hom.* 29 *in c* VIII *Matth.* et *hom de Lazaro ad cap.* XVI *Lucæ.* Lac.

(d) *Quique aliquod illi tempus indulgent.* Rationalis animæ incorruptibilitatem omnes ferme philosophi adstruunt; Stoici vero, licet animam post mortem remanere putent, corruptibilem tamen credunt. Unde Tullius lib. I. Tuscul.: *Stoici usuram nobis largiuntur tanquam cornicibus, diu mansuras animas aiunt, semper negant.* Le Pr. *emendantibus.* Edd.

(e) *Plato quidem non temere.* Habes hoc Platonis paradoxon partim in *Phædone*, partim in *Phædro*, denique et in *Timæo*; ubi docet (quod etiam cap. seq. repetit Auctor) in ætherem (sive, uti loquitur, puram habitationem seu cœlum) sublimari animas sapientes cum pueris: quod, etsi Auctor aliter interpretetur, Marsilius tamen mavult referre ad eos, qui philosophiæ institutionem puerorum conjunxerant. Pam.

(f) *Apud Arium in aerem.* Id ipsum repetit cap. seq. Quid autem aer ab æthere differat, omnibus notum est: nempe quod aer unum sit ex quatuor elementis (juxta veterum placita), æther plerumque pro cœlo accipiatur. Quis autem iste Arius, dispiciat diligens lector. Pam. *adnotantibus.* Edd.

(g) *Apud Stoicos sub lunam.* De hoc iterum cap seq. Horum vero sententiam, præterquam quod sequi videatur Cicero (*Tusc.* I), Lucanus his amplexus est versibus:

> Quoque patet terras inter Lunæque meatus,
> Semidei manes habitant; quos ignea virtus
> Innocuos vita patientes æthera imi
> Fecit, et æternos animum collegit in orbes. Pam.

Cap. LV.—(h) *Descendit in inferiora terrarum.* Allegat hic, præter Scripturas ibi citatas (quemadmodum et BB. Hieronymus, et Irenæus, et Ambrosius), illud Ephes. IV: *Quod autem ascendit* (cui addit Auctor explicationis gratia, *in sublimiora cœlorum*), *quid est nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ?* pro quo apud Iren. et hic: *in inferiora terrarum*; qui non videtur legisse vocem μέρη, quæ hodie

Prophetas (*Eph.* IV) compotes sui faceret, habes (1) A et regionem (2) inferum subterraneam credere, et illos cubito pellere, qui (3) satis superbe non putant (4) animas fidelium inferis dignas, servi super dominum, et discipuli super magistrum, aspernati, si forte, in Abrahæ sinu exspectandæ resurrectionis (*a*) solatium carpere (5). « Sed in hoc, inquiunt, Christus inferos adiit (*b*), ne nos adiremus : cæterum, quod discrimen ethnicorum et Christianorum, si carcer mortuis idem ? » Quo ergo anima modo exhalabit in cœlum (*c*), Christo illic adhuc sedente ad dexteram Patris, nondum Dei jussu per tubam archangeli audito (*d*), nondum illis quos Domini adventus in sæculo invenerit obviam ei ereptis (6) in aerem, cum his qui mortui in Christo primi resurgent ? Nulli patet cœlum, terra adhuc salva, ne dixerim clausa. Cum transactione enim mundi reserabuntur regna cœlorum. (*e*) Sed in æthere dormitio nostra, cum pueris (7) Platonis ; aut in aere, cum Ario ; aut circa lunam, cum Endymionibus Stoicorum (*f*) : « Imo, inquis, in paradiso, quo jam tunc et Patriarchæ (*g*) et Prophetæ appendices Dominicæ resurrectionis, ab inferis migraverint. » Et, quomodo Joanni in spiritu paradisi regio revelata, quæ subjicitur altari, (*h*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habens *Rig. Ven.*
(2) Originem *Par*
(3) Quia *Par.*
(4) Putent *Pam. Rhen. Seml. Oberth.*

B (5) Capere *Gelen. Rig. Ven.*
(6) Raptis *Pam. Rhen. Seml.*
(7) Puerariis *Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

in omnibus codicibus græcis et ex translatione in latinis legitur. Allegari præterea solent ad hujus argumenti confirmationem Scripturarum testimonia : Zach. IX ; Eccli. XXIV ; Act. II ; Os. XIII ; denique illud Jerem. quod Justinus martyr *adv. Tryphon.* Judæos rescivisse dicit : *Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israel, qui obdormierunt in terra aggeris* (sive *sepelitionis*), *et descendit ad eos ut Evangelizaret, et læto eis significaret nuntio salutare suum.* Quod ipsum cum citetur ab Irenæo loco jam citato, omnino ibi legendum, *in terra sepelitionis*, pro *stipulationis*. Patrum vero testimonia hæc citat Feuardentius *in Irenæum* : Thaddæi apud Eusebium, l. I, c. ult. ; Dionysii Areop. lib. *de cœlesti hierarchia*, c. 4 ; Ignatii, *ep. ad Thralenses* ; Clementis Alex. l. II et VI C *Strom.* ; Origenis, *in cap.* V *Rom.* ; Basilii, *in Ps.* XLVIII ; Gregorii Naz., *Or. de Paschate* ; Epiphanii, *Hær.* 64 ac 77, et in *Anchor.* ; denique et Arnobii, *in Ps.* XV, LXXXVII ac CXXXVII. Quibus adde, præter Ireu. Cypr. et Hieron. locis citatis, alterum BB Hieronymi locum *in Osee c.* XIII, et Nazianzeni *Or.* III *Theolog.* ; Augustin. *ep.* LVII *ad Dardan.* et *ad Evod.* XCIX ; Greg. Nyss. *Or.* II *de Resurr.* ; Fortunatum, *Hymn. de Pasch.* qui perperam Lactantio adscribitur ; ipsum Lactantium *l.* IV, *c.* 19, et German. Constantinop. *de Cruce Christi.* Quid ? quod Augustinus etiam idipsum adstruat, ubi quintum articulum Symboli tractat, *l.* IV *de Symbol. ad Catech.*, c. 6 ; et disertis verbis B. Cyrillus Hieros., *Catech.* IV, inter sepulturæ mentionem et resurrectionis interponit (sicuti nos etiam) illud : *Descendit ad inferos* ; imo et causam eamdem cum Auctore addens, *ut et justos liberaret*, subjungit cum stomacho quodam : « Cur enim vellet viventes quidem frui gratia, quamvis ex D his sancti non essent ; qui vero cum Adam a longo tempore conclusi erant, non potiri libertate ? » etc. Ne prolixiores simus, hoc addito, quod in confirmationem adleget etiam illud *Matt.* XI : *Tu es qui venturus est ?* Ipsi interim magis videntur conjunxisse hunc articulum cum præcedenti, *Et sepultus est.* Unde et Ruffinus (in *Symbolo*) dicit, vim verbi eamdem videri esse in eo, quod sepultus dicitur. Valeat itaque Erasmus cum suis *Catechesibus*, ubi non veretur dubitare an Thomas Aquinas primus hanc clausulam Symbolo fidei apostolico addiderit ; maxime cum manifeste tria hæc conjungat Auctor : *mortuus secundum Scripturas*, *sepultus*, ac *descendit ad inferiora terrarum.* Pam. Videsis etiam quæ contra Rigaltium adnotavimus in c. 13 lib. *de Idololatria.* Edd.

(a) *In Abrahæ sinu exspectandæ resurrectionis.* Possunt aliquo modo commodam interpretationem hi loci accipere, si dicamus Auctorem sentire, quod nondum perfecta cœli fruantur beatitudine, quam post corporis resurrectionem pleniorem exspectant animæ. Pam.

(b) *Sed in hoc, inquiunt, Christus inferos adiit.* Istud argumentum, quod tacite sibi objicit, non solum ab Auctore, sed nec a nobis probatur ; alioqui enim inde concluderetur, eum qui semel christianus factus fuerit, inferos promereri non posse.

(c) *Quo ergo anima modo exhalabit in cœlum.* Verba sunt refellentis sententiam existimantium animas fidelium statim ab excessu in cœlum exhalari. Christus, inquit, nondum venit judicem agere ; adhuc sedet ad dexteram Patris ; nondum tuba signum dedit ; nondum flagrat terra : et quæ sequuntur. Augustinus in Psal. 36 : *Post vitam istam parvam, nondum eris ubi erunt sancti*, etc. Rig. — Nec tamen etiam istud e contrario quidquam facit pro paradoxo Auctoris ; quippe cum nihil obstet *Christum adhuc sedere ad dexteram Patris*, et tamen aliquos in cœlum recipi : nam I Petri III legitur de Christo : *Qui est in dextera Dei deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur, profectus in cœlum.* Si autem hæredes et cohæredes Christo, simul cum illo conglorificabimur, atque adeo in cœlum recipiemur. Alioqui certe frustra diceret Apostolus *Gal.* II : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Pam.

(d) *Nondum Dei jussu per tubam Archangeli audito.* Cum hæc ad tempus resurrectionis corporum pertinere constet, facit hoc etiam pro sana illa interpretatione, de qua paulo ante. Pam.

(e) *In æthere cum pueris Platonis.* Supra dixit, Platonem non temere philosophorum animabus hoc præstare ; sed eorum qui philosophiam scilicet exornaverint amore puerorum. Rig. — Sunt rursus verba illa ex persona philosophorum et aliorum ironicos dicta. Pam.

(f) *Aut circa lunam cum Endymionibus Stoicorum.* Ridens Stoicos, vocat animas eorum *Endymiones* ; eo quod Endymion ille poeticus longissimi temporis somniator, a Luna adamatus fertur, quod, teste Plinio (l. II, c. 7), multa ad lunæ cursum pertinentia primus deprehenderit. Pam.

(g) *In paradiso, quo jam tunc et Patriarchæ.* Sed neque hoc probatur ; quod credamus ex Ecclesiæ præscripto, *Patriarchas et Prophetas appendices Dominicæ resurrectionis*, id est, qui cum illo resurrexerunt, *ab inferis migrasse* in cœlum, non in paradisum secundum quosdam, aut in sinum Abrahæ, qualem Auctor somniat. Alioqui enim verum non esset illud Psalmi LXVII : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem* ; quod explicans Apostolus, *Eph.* IV, interpretatur illud, *in altum*, supra omnes cœlos. Pam.

(h) *Paradisi regio quæ subjicitur altari.* Pro Tertul-

nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit? Quomodo (*a*) Perpetua fortissima martyr, sub die passionis, in revelatione paradisi, solos illic commartyres suos vidit, nisi quia nullis reomphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint (1), non in Adam? Nova mors pro Deo, et extraordinaria pro Christo, alio et privato excipitur hospitio. Agnosce itaque differentiam ethnici et fidelis in morte. Si pro Deo occumbas, ut Paracletus monet, non in mollibus febribus et in lectulis, sed in martyriis, si crucem tuam tollas, et sequaris Dominum, ut ipse præcepit (*Matt.* X); tota paradisi clavus tuus sanguis est. (*b*) Habes etiam *de Paradiso* a nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.

CAPUT LVI.

Occurrit disceptatio, an etiam hoc ab excessu statim fiat, an quasdam animas aliqua ratio detineat hic interim, an etiam receptas liceat postea ab inferis ex arbitrio vel ex imperio intervenire: nec harum enim opinionum suasoriæ desunt. Creditum est, insepultos non ante ad inferos redigi, quam justa perceperint, secundum homericum Patroclum (*c*) funus in somnis de Achille flagitantem, quod non alias adire portas inferum posset, arcentibus eum longe animabus sepultorum. Novimus autem, præter poetica jura, pietatis quoque homericæ industriam. Tanto magis enim curam sepulturæ collocavit, quanto etiam moram ejus injuriosam animabus incusavit; simul et ne quis defunctum domi detinens ipse amplius cum illo maceretur (*d*) enormitate solatii dolore nutriti. Ita querelas animæ insepultæ ad utrumque conficit; ut instantia funeris, et honor corporum servetur, et mœror (2) adfectuum tempercetur. Cæterum, quam vanum ut anima corporis justa sustineat, quasi aliquid ex illis ad inferos avehat? Multo vanius, si injuria deputabitur (3) animæ cessatio sepulturæ, quam pro gratia deberet amplecti. Utique enim tardius ad inferos abstrahi malet (4), quæ nec mori voluit. Amabit impium hæredem, per quem adhuc pascitur luce: aut si qua pro certo injuria est tardius sub terram detrudi, titulus autem injuriæ cessatio est sepulturæ, per quam iniquum eam injuria adfici, cui non imputabitur (5) cessatio sepulturæ, ad proximos scilicet pertinens. Aiunt et immatura morte præventas eousque vagari isthic (6), donec reliquatio (*e*) compleatur ætatum, quas tum (7) pervixissent, si non intempestive obiissent. Porro, aut constituta sunt tempora unicuique, et constituta præripi posse non credam; aut si constituta sunt quidem, Dei tamen voluntate vel aliqua potestate mutilantur, frustra mutilantur, si jam impleti sustinent (8); aut si non sunt constituta, nulla erit reliquatio temporum non constitutorum. Adhuc addam: ecce obiit (verbi gratia) infans sub uberum fontibus, puta nunc puer investis, puta vesticeps, qui tamen octoginta annos victurus fuisset: hos præreptos ut anima ejus hic post mortem transigat, quale est? Ætatem enim non potest capere sine corpore; quia per corpora operantur ætates. Nostri autem illud quoque recogitent, corpora eadem recepturas in resurrectione animas, in quibus decesserunt. Iidem ergo sperabuntur et corporum modi, (*f*) et eædem ætates quæ corporum modos faciunt. Quo ergo pacto potest infantis anima hic transigere præcepta tempora, ut octogenaria resurgat in corpore mensis unius? Aut si hic necesse erit ea tempora impleri quæ fuerant destinata, num et ordinem vitæ quam (9) sortita sunt tempora pariter cum illis hic destinatum, pariter hic anima decurret, ut et studeat ab infantia, pueritiæ delegata; et militet ab adolescentia, juventæ (10) excitata; et censeat a juventa, senectæ ponderata; et fœnus expri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Decesserit *Venet. Rig.* Cædit, n. q. in Ch. decesserint *Pam. Fran.*
(2) Memoria *Rhen. Rig. Semi. Ven. cod. Agob.*
(3) Deputatur *alii.*
(4) Mallet *Semi.*
(5) Imputatur *Par. Jun.*
(6) Isti hic *Jun. Lat.*
(7) Ætatis qua cum *Pam. Rhen.*
(8) Sustinentur *Rig. Ven.*
(9) Quæ *Ven.*
(10) Juventa *Rhen. Pam.*

COMMENTARIUS.

liani sententia discendum videtur, altaris nomine significari terram martyrum sanguine cruentatam in modum altaris. Rig. — Hic altare illud, cujus fit mentio Apocal. VI, paradisum interpretatur, in quo solos videtur collocare martyres, reliquis non concedens nisi sinum Abrahæ. Nos vero et B. Cyprian. ep. 52 *ad Antonian.*, martyribus cœlum, reliquis purgatorii locum tribuimus. Pam.

(a) *Perpetua fortissima martyr.* Perpetua, imperante Severo, in Africa martyrium pro Christi fide passa est cum Felicitate. Fortitudinem in utraque miratus est S. Augustinus, quem adfert Baronius ad Martyrolog. romanum. Tertullianum sub Severo vixisse in confesso est, sicque dum beatissimos martyres nominat, falsi arguit eos qui sub Gallieno easdem passas fuisse scribunt. Le P.

(b) *Habes etiam de Paradiso a nobis libellum.* Hunc *de Paradiso* libellum habuit exemplar Agobardi antequam in perniciales manus incidisset. Rig.

CAP. LVI.—(*c*) *Secundum homericum Patroclum.* Locus ad quem alludit reperitur Iliad. ρ.

Θπτνέ με ὄττι τάχιστα πύλας Ἀίδαο περήσω,
Τῆλε με εἴργουσιν ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων. Pam.

(d) *Enormitate solatii dolore nutriti.* Legemus ademptum, et tamen adempti reliquias servare, intueri, amplecti, osculari juvat. Sic dolorem nutrimus reliquiarum solatio. Sic nutrimus solatium dolore. Atrox et enorme solatium, quod nisi dolore non constat. Fulgentius Mytholog. 1: *Fecerat enim ille, unde luctus resurrectiones in dies acquireret, non in quo luctus solatium inveniret.* Et tamen fatendum est, inesse aliquam in eo luctu voluptatem, qualem exprimit Achilles Patroclum defunctum in somnis amplectens:

. . . . Μινυθάδιόν περ ἐμεῖο λελασμένος ἠὲ πάροιθεν
Ἀλλ' ἄλοχος ἄλοχον τεθαρπήμεσθα γόοιο. Rig.

(e) *Donec reliquatio compleatur.* Eleganter admodum vocem illam jurisconsultorum transtulit ad ætatis residuum, quod desideratur in immatura morte præventis. Nam a Paulo, l. *qui nominibus D. de admin. et pericul. tut.*, accipitur *reliquatio* pro eo quod, rationibus deductis, est reliquum. Pam.

(f) *Et eædem ætates quæ corporum.* Cave ne putes

mat, et agrum urgeat, naviget, litiget, nubat, laboret, ægritudines obeat; et quæcumque illam cum temporibus manebant tristia ac læta? Sed hæc sine corpore quomodo transigentur? vita sine vita? Sed vacua erunt tempora, solo decursu adimplenda. Quid ergo prohibet apud inferos ea impleri, ubi perinde nullus est usus illorum? Ita dicimus omnem animam, quaqua ætate decesserit, in ea stare ad eum diem, usque quo perfectum illud repromittitur ad angelicæ plenitudinis mensuram temperatum. Proinde nec (1) extorres inferum habebuntur, quas vi ereptas arbitrantur, præcipue per atrocitates (2) suppliciorum, crucis dico, et securis, et gladii, et feræ; nec isti porro exitus violenti, quos justitia decernit, violentiæ vindex. « Et ideo, inquies, scelestæ quæque animæ inferis exulant. » Alterum ergo constituas compello, aut bonos inferos, aut malos. Si malos placet, et jam præcipitari illuc animæ pessimæ debent. Si bonos, cur idem, animas immaturas, et innuptas, pro conditione ætatis puras et innocuas, interim dignas inferis non (3) judicas?

CAPUT LVII.

Aut optimum est hic retineri, (*a*) secundum aoros; aut pessimum, secundum biæothanatos, ut ipsis jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum magia sonat, (*b*) Hostanes (4) et Typhon, (*c*) et Dardanus, et Damigeron, et Nectabis, et Berenice. Publica jam literatura est (5), quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas, etiam prompta humatione dispunctas, evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur. Quid ergo dicemus magiam? Quod omnes pene: fallaciam. Sed ratio fallaciæ (*d*) solos non fugit Christianos, qui spiritalia nequitiæ, non quidem socia conscientia, sed inimica scientia novimus, nec invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus; multiformem lucm mentis humanæ, (*e*) totius erroris artificem, salutis pariter animæque vastatricem scientiam (6) magiæ, secundæ scilicet idololatriæ, in qua se dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa deos. Quidni? cum et dii mortui. Itaque invocantur quidem aori et biæothanati, sub illo fidei argumento, quod credibile videatur eas potissimum animas ad vim et injuriam facere, quas per vim et sævus et immaturus finis extorsit, quasi ad vicem offensæ. Sed dæmones operantur sub obtentu earum; et hi vel maxime, qui in ipsis tunc fuerunt cum adviverent, quique illas in hujusmodi impegerunt (7) exitus. Nam, et suggessimus nullam pene hominem carere dæmonio, et pluribus notum est dæmoniorum quoque opera et immaturas et atroces effici mortes, quas incursibus deputant. Hanc quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus, cum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem suis (8) affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut et alibi deum; nihil magis curans, quam hoc ipsum excludere quod prædicamus, ne facile credamus animas universas ad inferos redigi, ut et judicii et resurrectionis fidem turbet. Et tamen ille dæmon postquam circumstantes circumvenire tentavit, instantia divinæ gratiæ victus, id quod in vero est, invitus confitetur. Sic et in illa alia specie magiæ, quæ jam quiescentes animas evellere ab inferis creditur et conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est operatior. Plane quia et phantasma præstatur, quia (9) et corpus adfingitur; nec magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est. Corpora denique videbantur Pharaoni et Ægyptiis magicarum virgarum dracones, sed Moysi (10) veritas mendacium devoravit (*Exod.*, VII). Multa utique et adversus Apostolos Simon dedit (11), et Elymas magi (*Act.*, XIII); sed plaga cæcitatis de præstigiis non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nec *abest a Pam. Fran.*
(2) Præcipua atrocitate *Rig. Ven. Gagn.*
(3) Indignas inferis judicas *Jun. Rig. Ven.*
(4) Ostanes *Par. alii.*
(5) Litera *Rig. Ven.*
(6) Vastatorem. Sic etiam *Fran. Pam.*
(7) Impegerant *Pam. Rhen.*
(8) Sui *Pam. Rhen.* suis *Rig. Ven. cod. Wouw.*
(9) Quia *redundat Jun.* præstat et *Wouw.*
(10) Moysis *Rig.* Mosis *Semler.*
(11) Dedit *abest a Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

Tertullianum voluisse dicere infantes; sed reliquum ætatis adimpletum tunc extiturum dicit, adeo ut nihil a Theologis discrepare videatur, qui resurrecturos homines sanciant eadem ætate qua Christus resurrexit. Qui cæci, claudi, ac debiles fuere, corpori debitam integritatem assument, eruntque tunc in eo statu quem habuissent, si incorrupta et integra mansisset natura. LE PR.

CAP. LVII. — (a) *Secundum aoros*, etc. Aori dicuntur (ἄωροι) qui morte immatura pereunt; Biæothanati, qui violenta: hoc autem mortis genus illi Biæothanati optimum asserebant. LE PR.

(b) *Hostanes et Typhon*, etc. Hostanes magus fuit insignis de quo Minutius in Oct., Plin. lib. XXX, cap 1; Augustinus lib. VI *de Baptismo contra Donatistas* cap. ult.: *Magorum tamen præcipuus Hostanes, et formam veri Dei negat conspici posse, et Angelos veros sedi ejus dicit assistere.* Apud Persas Hostanes Magos olim appellatos refert Phavorinus. Typhon alter magus sua infamia, sicut cæteri, celebris: de hoc Herodotus in Euterpe, et Synesius lib. I. *de Provid.* LE PR.

(c) *Et Dardanus et Damigeron*, etc. Recenset hic nominatissimos in magicis homines. Dardani mentionem plurimi faciunt: Clemens Alex. in *protrept.*; Euseb. II, *de Præp.*; Arnobius lib. I; Apuleius in *apol.* ab eo magica ars Dardania dicta est. Solebat autem arte magica horrea exinanire, et frumenta in sua granaria attrahere. Damigeronis meminit Arnobius lib. I. — Nectabis, forte Nectanebus rex ægyptius. — De Berenice, an vir, an fœmina fuerit nescio, neque enim credo Berenicem illam fuisse matrem Ptolemæi Philadelphi. LE PR.

(d) *Solos non fugit Christianos.* Solis nota est Christianis. RIG.

(e) *Totius erroris artificem*, etc. Magia ideo infamis, et Christianis prohibita tanta olim severitate, quia

fuit. Quid novi æmulatio veritatis a spiritu immundo? Ecce hodie ejusdem Simonis hæreticos tanta præsumptio artis extollit, ut etiam prophetarum animas ab inferis movere se spondeant. Et credo quia mendacio possunt; nec enim pythonico tunc spiritu (*a*) minus licuit animam Samuelis effingere (I *Reg.*, XXVIII), post Deum mortuos consulente Saule. Absit alioquin ut animam cujuslibet sancti, nedum prophetæ (II *Cor.*, XI), a dæmonio credamus extractam, edocti quod ipse Satanas (II *Thess.*, II) transfiguretur in angelum lucis, nedum in hominem lucis (*Matth.*, XXIV), etiam deum se adseveraturus in fine (1), signaque portentosiora editurus, ad evertendos, si fieri possit, electos. Dubitavit, si forte, tunc prophetam se Dei asseverare, et utique Sauli, in quo jam ipse morabatur? Ne putes alium fuisse qui phantasma administrabat, alium qui commendabat; sed eumdem spiritum, et in pseudoprophetide, et in apostata facile mentiri, quod fecerat credi, per quem Saulis thesaurus illic erat, ubi et cor ipsius, ubi scilicet Deus non erat. Et ideo per quem visurum se credidit, vidit; quia per quem vidit, et credidit. Si et de nocturnis imaginibus opponitur, sæpe non frustra mortuos visos (nam et Nasammonas (*b*) propria oracula apud parentum sepulchra mansitando captare, ut Heraclides scribit, vel Nymphodorus, vel Herodotus; et Celtas apud virorum fortium busta eadem de caussa abnoctare, ut Nicander affirmat), non magis mortuos vere patimur in somnis, quam vivos, sed eadem ratione mortuos qua et vivos, et omnia quæ videntur. Non enim quia videntur, vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renuntiatur. Nulli autem animæ omnino inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis, et divitis ingemiscentis, ex persona Abrahæ sanxit (*Luc.*, XVI), non posse inde relegari renuntiatorem dispositionis infernæ; quod vel tunc licere potuisset, ut Moysi et Prophetis crederetur. Sed etsi quasdam revocavit A in corpora Dei virtus, in documenta juris sui, non idcirco communicabitur fidei, et audaciæ magorum, et fallaciæ somniorum, et licentiæ poetarum. Atquin in resurrectionis exemplis, cum Dei virtus, sive per Prophetas, sive per Christum, sive per Apostolos in corpora animas repræsentat, solida et contrectabili, et satiata veritate, præjudicatum est hanc esse formam veritatis, ut omnem mortuorum exhibitionem incorporalem præstigias judices.

CAPUT LVIII.

« Omnes ergo animæ penes inferos? » inquis. Velis ac nolis, et supplicia jam illic, et refrigeria. Habes pauperem et divitem. Et quia distuli nescio quid ad hanc partem, jam opportune in clausula reddam. (*c*) Cur enim non putes animam, et puniri, et foveri B in infernis interim sub expectatione utriusque judicii, in quadam usurpatione et candida ejus? « Quia salvum debet esse, inquis, (2) judicio divino negotium suum, sine ulla prælibatione sententiæ. Tum quia et carnis operienda est restitutio, ut consortis operarum atque mercedum. » Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? Atenim animæ nec in viventibus dormiunt : corporum enim est somnus, quorum et ipsa mors cum speculo suo somno. Aut nihil vis agi illic, quo universa humanitas trahitur, quo spes omnis sequestratur? Delibari putas judicium, an incipi? præcipitari, an præministrari? Jam vero, quam iniquissimum etiam apud inferos, si et nocentibus adhuc illic bene est, et innocentibus nondum? (*d*) Quid? ampliationem (3) vis esse post mortem, confusa C spe et incerta exspectatione ludentem, an vitæ recensum jam et ordinationem judicii inhorrentem? Semper autem exspectat anima corpus, ut doleat, aut gaudeat? Nonne et de suo sufficit sibi ad utrumque titulum passionis? Quotiens, illæso corpore, anima sola torquetur bile, ira, tædio, plerumque nec sibi noto! quotiens item corpore adflicto furtivum sibi anima gaudium exquirit, et a corporis importuna tunc societate secedit! Mentior, si

LECTIONES VARIANTES.

(1) In fine *Fuld. Ursin.* insigne *Wouw. utrumvis neglig. Semi.*

(2) In *inserunt omnes præter Wouw.*

(3) Amplius *Fran. Pam.*

COMMENTARIUS.

mater est idololatriæ, quæ crimen olim fuit principale. Le Pr.

(a) *Minus licuit animam Samuelis effingere.* Quæstio est non de nihilo, an Pythonissa vere Samuelem exhibuerit, an vero dæmonem, qui Sauli fucum fecit et præstigias. Primum asserunt quidam, posterius affirmant cum Septimio Justinus martyr in *respons. ad quæst.* 52 *quæstionum Christian.* qui ait id contigisse dæmonis opera spectatorum oculos fascinantis : μετὰ τὴν ἀναχώρησιν τοῦ δαίμονος, τοῦ τὰς ὄψεις φαντάσαντος τῶν ὁρώντων; B. Augustinus non uno in loco et alii. Obtinuit tamen scriptorum multitudo, qui veram animam Samuelis apparuisse autumant. In hunc etiam sensum pronior videtur ante relatus August. cap. XV *de cura pro mort. agen.* vide cap. XLVI Ecclesiastici, et expende voces. Memini etiam me legisse libellum M.. autographum Guillelmi Postelli in quo fuse hæc historia tractatur. Le Pr.

(b) *Nasammonas.* Nasammonas collocat Plinius (l. V, c. 5) in ora Syrtis, quos Græci Mesammones D adpellarunt ab argumento loci, medios inter arenas sitos. Pam.

CAP. LVIII. — (c) *Cur enim non putes animam*, etc. Inter errores et paradoxa Tertulliani recense, qui animas cœlum non intrare usque in diem judicii, et in inferis degere statuit. Unde cap. LV dixit, *aspernati, si forte, in Abrahæ sinu, expectandæ resurrectionis solatium capere.* Illud vero Tertulliano commune est cum aliis multis, in quibus hæresis esse non potest, cum nihil statuisset Ecclesia. Neque enim puto illos negasse gloriam *visionis beatificæ*, Sanctosque integra beatitudine non fruituros nisi post resurrectionem. Cum iis et Tertulliano mitius agendum, qui forsan Dei gloriam videre non inficiati sunt. Le Pr.

(d) *Quid? ampliationem vis esse post mortem.* Eleganter ait interrogando, *Quid? ampliationem vis esse post mortem?* Ex more judiciorum, ampliari reus dicitur, de quo nihil pronuntiatur, sed ob confusas et incertas judicum sententias in aliud sive tempus, sive tribunal differtur. Rig.

non de ipsis cruciatibus corporis et gloriari et gaudere sola consuevit. (*a*) Respice ad Mutii animam, cum dexteram suam ignibus solvit. Respice (*b*) ad Zenonis, cum illam Dionysii tormenta prætercunt. Morsus ferarum ornamenta sunt juventutis, ut (*c*) in Cyro ursi cicatrices. Adeo novit et apud inferos anima et dolere et gaudere sine carne; quia et in carne illæsa si velit dolet, et læsa si velit gaudet. Hoc si ex arbitrio suo in vita, quanto magis ex judicio Dei post mortem! Sed nec omnia opera cum carnis ministerio anima partitur; nam et solos cogitatus et nudas voluntates censura divina persequitur (*Matth.*, V) : *Qui viderit ad concupiscendum, jam adulteravit in corde.* Ergo (1) propter hoc congruentissimum est animam, licet non exspectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit. Sic et ob cogitatus pios et benevolos, in quibus carne non egit, sine carne recreabitur. Quid nunc, si et in carnalibus prior est, quæ concipit, quæ disponit, quæ mandat, quæ impellit? Et, si quando invita, prior tamen tractat, quod per corpus actura est. Nunquam denique conscientia posterior erit facto. Ita huic quoque ordini competit, eam priorem pensare mercedes, cui priori debeantur. In summa, cum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligamus, et novissimum quadrantem modicum quodque delictum (*d*) mora resurrectionis illic luendum interpretemur (2); nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos, salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque. Hoc etiam Paracletus frequentissime commendavit, si quis sermones ejus ex aquitione promissorum charismatum admiserit. Ad omnem, ut arbitror, humanam super anima opinionem, ex doctrina fidei congressi, justæ dumtaxat ac necessariæ curiositati satisfecimus (3). Enormi autem et otiosæ tantum decrit discere, quantum libuerit inquirere.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vel *add. Par. Gelen. Jun.*
(2) Intelligimus — interpretamur *Rhen. Pam.*
(3) Satisfecerimus *cod. Vouw.*

COMMENTARIUS.

(a) *Respice ad Mutii animam.* Mutii Scevolæ. LE PR.

(b) *Ad Zenonis.* Zeno hic est Eleates, qui contemptum mortis e philosophia contingere, cum assereret apud Dionysium, ab eodem tormentis immanibus cruciatus, responsionis suæ veritatem sua constantia comprobavit. LE PR.

(c) *In Cyro ursi cicatrices.* Tradit illum Xenophon, lib. I, inter venandum cum urso congressum fuisse Cyrum minorem, quem idem Cyrus acceptis vulneribus interimit. LE PR.

(d) *Mora resurrectionis illic luendum interpretemur.* In mora resurrectionis purgari animas, et modicum quodque delictum eluere, quid aliud quam purgatorii pœna? LE PR.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE CARNE CHRISTI.

Argumentum.

De carnis Christi veritate disputaturus Tertullianus, imprimis scripti occasionem significat; quod, qui resurrectionis fidem inquietarent, etiam carnem Christi quæstionibus distraherent. Cap. I.

Ad institutum autem veniens, adversus Marcionem, qui ejus historiam ex Evangelio auferebat; traditionis apostolicæ præscriptione Christi nativitatem probat. Cap. II.

Deinde neque impossibilem fuisse aut inconvenientem Deo. Cap. III.

Neque etiam Deo indignam, neque stultam. Cap. IV.

Non itaque in phantasmate, sed vere crucifixum et mortuum (quantumvis etiam id negaret Marcion), vere quoque natum Christum. Cap. V.

Jam adversus Apellem deducit, Christum de sideribus et substantiis superioris mundi carnem non esse mutuatum. Cap. VI.

Interserens, nihil pro illis facere illud Christi : Quæ mihi mater, et qui mihi fratres? Cap. VII.

Addens, angelum illum igneum Apellecianorum, secundum eos etiam cœlestia ex pœnitentia delicti instituisse; atque adeo si de sideribus structa, peccatricem fuisse carnem Christi. Cap. VIII.

Et vero, omnia veræ carnis signa in Christo fuisse. Cap. IX.

Rursum, adversus alios quosdam, neque animalem fuisse Christi carnem deducit. Cap. X.

Neque etiam carnalem. Cap. XI.

Venisse etiam Christum, non ut anima seipsam cognosceret, sed ut ipsam salvam faceret. Cap. XII.

Fuisse item in Christo diversas substantias, carnem, et animam. Cap. XIII.

Solum etiam Christum fuisse salutificatorem, non angelum. Cap. XIV,

Adversus autem Valentinum, Christi carnem spiritalem non fuisse, prosequitur. Cap. XV.

Sicuti etiam adversus Alexandrum quemdam, peccatri-

cem non fuisse carnem Christi, et, etiamsi non ex semine, veram tamen. Cap. XVI.

Obiter probans ex scripturis Christum de virgine nasciturum. Cap. XVII.

Non competere etiam ex semine humano Dei Filium nasci; ne si esset totus filius hominis, juxta Hebionis opinionem, non crederetur Dei filius. Cap. XVIII.

Neque tamen Valentino favere illud ab eo adulteratum: Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est. Cap. XIX.

Porro adversus eosdem non per virginem, sed ex virgine natum Christum, latissime ex Scripturis demonstrat. Cap. XX, XXI.

Proinde adimpleri in his omnibus propheticam vocem Simeonis de Christo: Ecce hic positus est in signum cui contradicetur. Cap. XXII, XXIII.

Et suggillatos esse hæreticos illos omnes, prædictosque in Scripturis. Cap. XXIV.

Denique epilogi vice repetens quid hoc libro probaverit, ad sequentem DE RESURRECTIONE CARNIS *librum transitum facit.* Cap. XXV.

Cæterum Tertullianus, præterquam quod librum jam dictum de Resurrectione Carnis *citat infra lib.* V *adv. Marcionem, in illo etiam argumenti et tituli hujus fit mentio.* Propterea, *inquit c.* II, et nos volumen præmisimus DE CARNE CHRISTI, quo eam et soliditatem probamus adversum phantasmatis nativitatem, et humanam vindicamus adversus qualitatis proprietatem. *Et rursum:* Igitur quantum ad hæreticos, demonstravimus, quo cuneo occurrendum sit a nobis, et occursum est jam suo quoque titulo DE CARNE DOMINI ADVERSUS HÆRESES; ad hanc maxime quæstionem præstruendam. *Præterquam autem, quod MS. viderunt olim hunc librum Trithemius abbas et Politianus locis sæpe citatis; edidit primus in lucem ex Hirsaugiensi et Paterniacensi Rhenanus cum scholiis, deinde et annotationibus illustratam castigavit ex Gorziensi codice. Interea vero, quod desideraretur in Lælandi britannico codice, cum a Gelonio non sit recognitus, operæ pretium fuit conferre cum tribus MS. vaticanis Codicibus, e quibus non paucos locos restituimus; additis etiam argumento novo, et annotationibus nostris.* PAM.

Christum humanam assumpsisse carnem demonstrat, contra hæreticos quatuor, Marcionem, Apellem, Valentinum et Basilidem, seu potius adversus quatuor hæreses scribit, primam Marcionitarum, secundam Apellis, tertiam et quartam Valentinianorum. VENET.

Qui fidem resurrectionis, ante istos (*a*) Sadducæorum propinquos sine controversia moratam (*b*) (1), student inquietare, ut eam spem negent etiam ad carnem pertinere, merito Christi quoque carnem quæstionibus distrahunt, tanquam aut nullam omnino, aut quoquo modo aliam præter humanam; ne si humanam constiterit fuisse, prædjudicatum sit adversus illos eam resurgere omni modo, quæ in Christo (2) resurrexit. Igitur unde illi destruunt carnis vota, inde nobis (3) erunt præstruenda. Examinemus corporalem substantiam Domini: de spiritali enim certum est. Carnis (4) quæritur veritas, et qualitas ejus (*c*) retractatur (5), an fuerit, et unde, et cujusmodi fuerit. (*d*) Renuntiatio ejus, dabit legem nostræ resurrectioni. Marcion, ut carnem Christi negaret, negavit etiam nativitatem; aut ut nativitatem negaret, negavit et carnem: (*e*) scilicet, ne invicem sibi testimonium redderent et responderent (6) nativitas et caro; quia nec nativitas sine carne, nec caro sine nativitate. Quasi non eadem licentia hæretica et ipse potuisset, aut, admissa carne, nativitatem negare, ut Apelles discipulus, et postea desertor ipsius; aut et (7) carnem et nativitatem confessus, aliter illas (8) interpretari, ut condiscipulus et condesertor ejus Valentinus. Sed et qui carnem Christi putativam introduxit, æque potuit nativitatem quoque phantasma (9) confingere, ut et conceptus, et prægnatus, et partus virginis, et ipsius exinde infantis ordo, (*g*) τὸ (10) δοκεῖν haberentur (11): eosdem oculos, eosdem sensus fefellissent, quos carnis opinio elusit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ista *add. Rig. Venet.*
(2) Christum *Paris Rhen. Pam.*
(3) Nobis *abest a Rig. Venet.*
(4) Caro *Seml. Rig. Ven.*
(5) Retractantur *Seml.*
(6) Responderent *nonn. delet.* et *abest a Par.* redderent et *abest a lib. Ursini.*
(7) Et *abest a Rig.*
(8) Illis *Seml. Rhen.*
(9) Nativitatis q. phantasmata *Pam. Rhen.*
(10) τὸ *mavult Jun.*
(11) Haberetur *Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Sadducæorum propinquos.* Hæreticos significat Marcionem, Apellem et Valentinum, qui longo intervallo Sadducæorum hæresim sequebantur. Sive propinquos Sadduc. vocat quoslibet hæreticos de anima male sentientes. Controversia est an Sadducæi dicti sint ab hebr. צדיק, *justus*, quod credere videtur S. Hieronymus, an a Sadock hæresiarcha qui sub Alexandro Magno floruit. Sic R. Abraham in *Cabala hist.*, et Helias levita in *Tisbi.* LE PR.

(b) *Moratam.* Moratam fidem vocat stabilem ac firmam, atque inconcussam. PAM.

(c) *Retractatur. Retractare*, pro *tractare*, præterquam alibi, etiam hoc libro non semel usurpat Auctor. PAM.

(d) *Renuntiatio ejus.* Renuntiantur magistratus cum eliguntur; renuntiatur amicitia quæ dissolvitur. Hic renuntiatio demonstratio est et definitio. RHEN.

(e) *Scilicet ne invicem sibi testimonium redderent.* Asyntheton est; nam solet omittere connexivas particulas, quæ res obscuritatem sermoni nonnunquam parit, ceu monuimus ante. RHEN.

(f) *Prægnatus. Prægnatum* sub forma quartæ inflexionis usurpat pro *imprægnatione*, gaudens hujus terminationis vocabulis. RHEN.

(g) TO ΔΟΚΕΙΝ. Synecdochica locutio est. Subauditur præpositio κατὰ, κατὰ τὸ δοκεῖν, hoc est, secundum existimationem, ut videlicet ita videretur, licet reipsa non esset. RHEN. — Hieronymus, liv. II adv. Pelag.: *Carnis infirmitas Deo habitatore gaudebat, et tamen mensuram fragilitatis suæ excedere non potuit.*

CAPUT II.

Plane nativitas a Gabriele annuntiatur : quid illi cum angelo Creatoris? Et in virginis uterum (1) conceptus inducitur : quid illi cum Esaia propheta (2) Creatoris? Odit moras, qui subito Christum de cœlis deferebat. « Aufer (3) hinc, inquit (*a*), molestos semper Cæsaris census, et diversoria angusta, et sordidos pannos, et dura præsepia. (*b*) Viderit angelica multitudo, Dominum suum noctibus honorans. Servent potius pecora pastores. Et Magi ne fatigentur de longinquo; dono illis aurum suum. Melior sit et Herodes, ne Hieremias glorietur (*c*). Sed nec circumcidatur infans, ne doleat; nec ad templum deferatur, ne parentes suos (4) oneret sumptu oblationis (5); nec in manus tradatur Simeoni (6), ne senem moriturum exinde contristet (7). Taceat et anus illa, ne fascinet puerum. » His, opinor, consiliis tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus est (8), ne caro ejus probaretur. (*d*) Ex qua, oro te (9), auctoritate? Si propheta es, prænuntia aliquid; si apostolus, prædica publice; (*e*) si apostolicus, cum apostolis senti; si tantum (10) christianus es, credo quod traditum est (*f*); si nihil istorum es, merito dixerim, morere : nam et mortuus es, qui non es christianus, non credendo quod traditum (11) christianos facit. Et eo magis mortuus es, quo magis (12) non es christianus : (*g*) qui (13) cum fuisses, excidisti, (*h*) rescindendo quod retro credidisti; sicut et ipse confiteris in quadam epistola, et tui non negant, et nostri probant. Igitur rescindens A quod credidisti, jam non credens rescidisti : non tamen quia credere desiisti, recte rescidisti. Atque in rescindendo quod credidisti, probas, antequam rescinderes, aliter fuisse quod credidisti. Aliter illud, ita erat traditum : porro, quod traditum erat, id erat verum, ut ab eis traditum, quorum fuit tradere; ergo quod erat traditum rescindens, quod erat verum rescidisti, nullo jure fecisti. Sed plenius ejusmodi præscriptionibus adversus omnes hæreses, alibi jam usi sumus (14). Post quas nunc ex abundanti retractamus desiderantes rationem, qua (15) non putaveris natum esse Christum.

CAPUT III.

Necesse est, quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse, aut ut impossibilem, aut inconvenientem Deo B existimaveris nativitatem. Sed Deo nihil impossibile, nisi quod non vult. An ergo voluerit (16) nasci (quia si voluit, et potuit (17), et natus est) consideremus. Ad compendium decurro. Si enim nasci se Deus noluisset quacunque de causa, nec hominem se videri præstitisset. Nam quis, hominem videns, cum negaret natum? Ita quod noluisset esse, nec videri omnino (18) voluisset. Omnis rei displicentis etiam opinio reprobatur. Quia nihil interest, utrum si quid, an non sit, si, cum non sit, esse præsumitur. Plane interest illud (19), ut falso (20) non patiatur, quod vere non est. « Sed satis erat illi, inquis, conscientia sua. Viderint homines, si natum putabant, quia hominem videbant. » Quanto ergo dignius, quantoque constantius humanam sustinuisset existimationem vere natus,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et virginis utero *Pam. Par. Fran.*
(2) Propheta *omit. Seml.* cum essentia creatoris *Paris. Fran. Pam.*
(3) Aufers *Seml.*
(4) Suo *Fran.*
(5) Obligationis *Rhen. cod. Agob.*
(6) Simeonis *Pam.*
(7) Senex moriturus ex inde contristetur *Rig. Ven.*
(8) Et *Rhen. Pam.*
(9) Exhibe *add. cod. Agob.* auctoritatem.
(10) Tantummodo *Fran. Pam.*
C (11) Creditum *Rig. Pam. Par. Fran.*
(12) Es, qui non *Rhen.*
(13) Quod *Womo. lib. Ursini.*
(14) Simus *Ven.*
(15) Quia *Ven.*
(16) Noluerit *Seml. Rig. Ven.*
(17) Et potuit *omitt. Rhen. Seml.*
(18) Homini *lib. Agob.*
(19) Illud *abest a Rig. Ven.*
(20) Falsum *Pam. Rhen.*

COMMENTARIUS.

ut non τὸ δεκτὸν, juxta veteres hæreticos, sed vere Dei Filius hominis Filius crederetur. Rig.

CAP. II. — (a) *Aufer hinc, inquit.* Verba hæc ex persona Marcionis afferri recte adnotavit Rhenanus (quæ finiuntur ibi : *his opinor*); nam ille ex Evangelio Lucæ, quod solum agnoscebat, capita illa prima, quibus hæc continentur, rescindebat, uti mox et lib. IV *adv. Marcion.* fusius dicitur. Omnia autem hæc ironicos dicta sunt. Pam.

(b) *Viderit angelica multitudo.* Festive dictum per ironiam, quod nocturnum tempus aptum sit ad fallendum, quasi et angeli decipi potuerint. Commemorata Lucæ res est in initio historiæ suæ Evangelicæ. Rhen.

(c) *Ne Hieremias glorietur.* Ac si dicat, ne interfecerit Herodes parvulos in Bethleem, ne Hieremias (seu Michæas) de sua prophetia, quæ citatur etiam Matth. II, glorietur tanquam jam completa Est autem etiam illud ironicos dictum : *ne fascinet puerum;* nam *fascinare* ad incantamenti genus spectat. Pam. *emendantibus.* Edd.

(d) *Ex qua, oro te, auctoritate.* Recte infra subjungit : *Sed plenius ejusmodi præscriptionibus adversus hæreses alibi jam usi sumus;* alludens nempe ad ejus tituli librum mox citatum, præsertim, c. 20, 21, 31, 32, 35 et 36. Pam.

(e) *Si apostolicus.* Si apostolorum disciplinam doctrinamque hausisti. Le Pr.

D (f) *Crede quod traditum est.* Pulcher locus contra eos, qui cum neque apostoli sint, neque apostolici, perpetuo tamen de fide ex Scripturis disputant, cum sufficere eis debeat traditio, de qua latissime lib. *de Corona mil.*, c. 3. Pam.

(g) *Qui cum fuisses excidisti.* Adnotandus etiam hic locus contra eos, qui hæreticos christianos dicere non verentur; cum eo nomine nolit Auctor appellari, qui *recesserunt quod retro crediderunt*, et (uti infra de eodem Marcione loquitur) *ab Ecclesia et fide recesserunt.* Quo pertinet etiam illud infra cap. 15 : *Hæretici credendo non credunt.* Atqui de hoc Marcionis a fide et Ecclesia recessu, vide lib. *de Præscriptionibus* c. 30. Pam.

(h) *Rescindendo quod retro credidisti.* Abrogando nimirum. Ex usu forensi vox sumpta est; nam in variis formulis adhibetur, ut in testamentis, de rescindendis testamentis, hoc est pactum istud solvere et invalidare. Le Pr.

eamdem existimationem etiam non natus subiturus cum injuria conscientiæ suæ! (a) quam tu ad fiduciam reputas, ut non natus, adversus conscientiam suam natum se existimari sustineret. Quid tanti fuit, edoce, ut conscius (1) Christus quid esset, id (2) se quod non erat, exhiberet? Non potes dicere : « (3) Si natus fuisset, et hominem vere induisset, Deus esse desisset, amittens quod erat, dum assumit (4) quod non erat. » Periculum enim status sui Deo nullum est. « Sed ideo, inquis, nego Deum in hominem vere conversum, ita ut et nasceretur, et carne corporaretur (5); quia qui sine fine est, etiam inconvertibilis sit necesse est : converti enim in aliud, finis est pristini : non competit ergo conversio (6), cui non competit finis. » Plane natura convertibilium ea lege est, ne permaneant in eo quod convertitur in eis; et ita non permanendo pereant (7), dum perdunt convertendo quod fuerunt. Sed nihil Deo par est : natura ejus ab omnium rerum conditione distat. Si ergo quæ a Deo distant, (8) a quibus distat, cum convertuntur, amittunt quod fuerunt; ubi erit diversitas divinitatis a cæteris rebus, nisi ut contrarium obtineat (9), id est, ut Deus et in omnia converti possit, et qualis est, perseverare? Alioquin par erit eorum, quæ conversa amittunt quod fuerunt; quorum utique Deus in omnibus impar (10) non est, si nec in exitu conversionis. Angelos Creatoris conversos in effigiem humanam, aliquando legisti, et credidisti, et tantam corporis gestasse veritatem, ut et pedes eis laverit Abraham, et manibus ipsorum ereptus sit Sodomitis Loth; conluctatus quoque homini angelus toto corporis pondere dimitti desideravit ab eo (11) a quo detinebatur. Quod ergo angelis inferioribus Deo licuit, uti, conversi in corpulentiam humanam, angeli nihilominus permanerent, hoc tu potentiori Deo aufers (12), quasi non valuerit Christus, vere hominem indutus, Deus perseverare? Aut numquid et angeli illi phantasmata (13) carnis apparuerunt? Sed non audebis hoc dicere. Nam si sic apud te angeli Creatoris, sicut et Christus, ejus Dei (14) erit Christus, cujus angeli (15) tales qualis et Christus. Si Scripturas opinioni tuæ resistentes non de industria alias rejecisses, alias corrupisses, confudisset te in hac specie (16) Evangelium Joannis, prædicans Spiritum columbæ corpore lapsum (17) desedisse (18) super Dominum. Qui Spiritus cum hoc esset, tam vere erat et columba, quam et Spiritus (*b*), nec interfecerat substantiam propriam, assumpta substantia extranea. Sed quæris, corpus columbæ ubi sit, resumpto Spiritu in cœlum. Æque et angelorum (19), eadem ratione interceptum est, qua et editum fuerat. Si vidisses, cum de nihilo proferebatur, scisses, cum in nihilum subducebatur. Si non fuit initium visibile, nec finis. Tamen corporis soliditas erat, quo (20) momento corpus videbatur. Non potest non fuisse quod scriptum est.

CAPUT IV.

Igitur si neque ut impossibilem, neque ut periculosam Deo repudias corporationem, superest ut quasi indignam rejicias et accuses. Ab ipsa quidem exordio (21) nativitate, (*c*) perora, age jam, spurcitias genitalium in utero elementorum, humoris et sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœnoalendæ per novem menses. Describe uterum de die in diem (22) inolescentem (23), gravem, anxium, nec somno tutum (24), incertum (*d*) libidinibus fastidii et gulæ. Invehere jam et in ipsum mulieris cui tentis pudorem, vel pro periculo honorandum (25), vel pro natura religiosum. Horres utique et infantem, cum suis impedimentis profusum utique et oblitum. Dedignaris (26), quod pannis dirigitur (27), quod vinctionibus (28) formatur, quod blanditiis de-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Edoce ut cum sciens *Rhen. Seml.*
(2) Esse *Rhen. Pam.*
(3) Ne *inser. Rig. Ven.*
(4) Fit *Rig. Ven.*
(5) Operaretur *Rig. Ven.*
(6) Ejus *add. Rig. Ven.*
(7) Pereant *Rig. Ven.*
(8) Aut *inser. lib. Ursin.*
(9) Contineat *Pam. Par. Fran.*
(10) Par *Rhen. Seml. Pam.*
(11) Adeo *Rig. Ven. Seml. Rhen.*
(12) Auferes *Rig. Ven. Par.*
(13) Phantasma *Sem. Pam.*
(14) Ejusdem substantiæ *Pam.*
(15) Angeli *repet. Pam.*
(16) Te hinc *Pam. Rhen.*
(17) Delapsum *Rig. Ven.*
(18) Descendisse *Pam. Vatic. cod.*
(19) Angelorum et *Rhen. Seml.*
(20) Quoquo *Rig. Ven.*
(21) Odio habita *add. Pam.*
(22) In diem *omit. Rig. Ven.*
(23) Insolescentem *Pam. Seml.*
(24) Nexum, totum *Pam. Seml.* nixum totum *lib. Urs. cod. Wouw.* nec somo totum *cod. Agob.*
(25) Vel pro periculo honorandum *omitt. Seml.*
(26) Dedignaberis *Pam. Seml.*
(27) Ducitur *alii.*
(28) Unctionibus *Rig. Ven. Seml. Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. III. — (a) *Quam tu ad fiduciam reputas. Dixerat, sed satis erat illi, inquis, conscientia sua.* Marcionis enim excusatio erat, nihil interesse Deum videri hominem, dummodo vere non esset, quia salva conscientia sua fidenter et constanter ferre posset existimationem, qua judicabatur homo, licet inconveniens et indignum Deo videretur. Ita asserebat Marcion, et addebat hanc opinionem falsam reputari a Deo ad fiduciam, id est, judicabat Deus satis esse, ut cum fortitudine et fiducia falsam et indignam famam sustineret. LAC.

(b) *Tam vere erat et columba, quam et spiritus.* Consentit in hac hujus loci expositione Tertulliano auctor libri *de Agone Christiano* (inter opera B. Augustini), c. 22. Sed ipse Augustinus, ep. 102 *ad Evod.* et lib. *de Trinitate*, c. 5, contra sentit : cui consentiunt etiam BB. Ambros., lib. I *de Sacram.*, c. 5 : Chrysost., *hom.* 12 *in Matth.*, id colligentes ex verbis illis, *quasi columba*, et, *in specie columbæ.*

CAP. IV. — (c) *Perora age jam spurcitias genitalium in utero elementor.* Consimilia sunt istis ea quæ libro adversus Marcionem tertio : *Age jam, perora in sanctissima et reverenda opera naturæ.* RIG.

(d) *Libidinibus fastidii et gulæ.* Libidines vocat quaslibet inclinationes et appetitus. LAC.

rideturr. (*a*) Hanc venerationem (1) naturæ, (2) Marcion, despuis; et quo modo natus es? Odisti nascentem hominem; et quo modo diligis aliquem? Te quidem plane non amasti, cum ab Ecclesia et fide Christi recessisti. Sed videris, si tibi displices, aut si aliter es natus (3). Certe Christus dilexit hominem illum in immunditiis, in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum : propter eum descendit; propter eum prædicavit; propter eum omni se humilitate dejecit *usque ad mortem, et mortem crucis* (*Philip.* II). Amavit utique, quem magno (4) redemit. Si Christus Creatoris (5) est, suum merito amavit; si ab alio Deo est, magis adamavit, quando alienum redemit. Amavit ergo cum homine etiam nativitatem, etiam carnem ejus. Nihil amari potest sine eo, per quod est id quod est. (6) Aufer nativitatem, et exhibe hominem; adime carnem, et præsta quem Deus redemit. Si hæc sunt homo, quem Deus redemit, tu hæc erubescenda illi facis, quæ redemit, et indigna, quæ, nisi dilexisset, non redemisset? Nativitate reformata (7) regeneratione cœlesti, carnem ab omni vexatione restituit, leprosam emaculat, cæcam perluminat (8), paralyticam redintegrat, dæmoniacam expiat (9), mortuam resuscitat; et nasci in illam erubescit (10)? Si revera de lupa, aut sue, aut vacca prodire voluisset, et feræ aut pecoris corpore indutus, regnum cœlorum prædicaret, tua, opinor, illi censura præscriberet, turpe hoc Deo, et indignum hoc Dei Filio, et stultum propterea qui (11) ita credat. Sit plane stultum, si (12) de nostro sensu judicemus Deum. Sed circumspice (1 *Cor.*, I, 27), Marcion, si tamen non delesti : *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (13). Quænam hæc stulta sunt? conversio hominis ad cultum (14) veri Dei? rejectio erroris? disciplina justitiæ, pudicitiæ, patientiæ, misericordiæ, innocentiæ? Omnia hæc quidem stulta non sunt. Quære ergo de quibus dixerit; et si te præsumpseris invenisse, non erit tam (15) stultum, quam (16) credere in Deum natum, et quidem ex virgine, et quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus sit. Dicat hæc aliquis stulta non esse, et alia sint, quæ Deus in æmulationem elegerit sapientiæ sæcularis. Et tamen apud illam facilius creditur Jupiter taurus factus aut cycnus, quam vere homo Christus, penes Marcionem.

CAPUT V.

Sunt plane et alia tam stulta, quæ pertinent ad contumelias et passiones Dei; aut prudentiam dicant (17) Deum crucifixum. Aufer (18) hoc (19) quoque, Marcion, imo hoc potius. Quid enim indignius Deo? quid magis erubescendum, nasci an mori? carnem gestare, an crucem? circumcidi, an suffigi? educari, an sepeliri? in præsepe deponi, an in monumento recondi? Sapientior eris, si nec ista credideris. Sed non eris sapiens, nisi stultus (20) sæculo fueris, Dei stulta credendo. An ideo passiones a Christo non rescidisti, quia ut phantasma vacabat a sensu (21) earum? Diximus retro æque illum et nativitatis et infantiæ imaginariæ (22) vacua ludibria subire potuisse. Sed jam hic (23) responde, (*b*) interfector veritatis. Nonne vere crucifixus est Deus (*c*)? nonne vere mortuus, ut (24) vere crucifixus? nonne vere resuscitatus, ut vere scilicet mortuus? Falso ergo (25) statuit inter nos scire Paulus tantum Jesum (26) crucifixum? falso sepulturum ingessit? falso resuscitatum inculcavit? Falsa est igitur et fides nostra, et phantasma est (27) totum quod speramus a Christo? Scelestissime hominum, qui (*d*) interemptores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vere est passus. Parce unicæ spei totius

LECTIONES VARIANTES.

(1) Venationem *Rhen. Seml.*
(2) O *inser. Pam. Rhen.*
(3) Aliter natus es *Pam.* aliter natus. Et *Rhen.*
(4) Pretio *add. Pam.* vatic. 3 *cod.*
(5) Creator ejus *Pam. Rhen.*
(6) Aut *add. Pam. Rhen.*
(7) Nativitatem reformat a morte *Rig. Ven.*
(8) Reluminat *alii.*
(9) Captat *Rig. Ven.*
(10) Et nos illam erubescemus? *alii.*
(11) Quia *Rig. Ven.*
(12) Si *abest a Rig. Ven.*
(13) Sapientia *Rig. Ven.* sapientiam *Pam. Fran.*
(14) Hominum ad cultum verum *alii.*
(15) Jam *Pam. Rhen.*
(16) Quam *abest a Pam. Rhen.*
(17) Dicam *Rhen. seml.*
(18) Aufers *Rhen. Seml.*
(19) Hæc *Pam. Paris. Fran.*
(20) In *inser. Rig. Ven.*
(21) Ad sensum *Rhen. Seml.*
(22) Imaginaria et *Pam. Seml.* imaginarium imaginariæ *Rhen.*
(23) Hinc *Rig. Ven.*
(24) Et *Seml.*
(25) Ergo *abest a Rhen. Seml.*
(26) Jesum *abest a Rhen. Seml.*
(27) Erit *Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

(a) *Hanc venerationem naturæ.* Intelligit venerationem quæ naturæ debetur. Sensus est, Quod venerari debueras, tu despuis, sic lib. III adv. Marcionem. *Sanctissima*, inquit, *et reverenda opera naturæ.* RHEN.

CAP. V. — (b) *Interfector veritatis.* Hæreticos olim gravioribus verbis notatos nemo est qui dubitet. Non semel Auctor hic; nam lib. I adv. Marcionem, hereticum illum veris coloribus effingit, et tetriorem omni immanitate profitetur, quæ in ipsius patria occurrit. Non absimili sensu epist. ad Trallianos S. Ignatius vocat hæreticos : κακὰς πατρυιάδας, *impiam propaginem.* S. Prosper carm. de ingratis, de Pelagio :

Pestifero vomuit coluber sermone britannus.

De B. Hieronymo norunt omnes hæreticos acriter insectatum fuisse. LE PR.

(c) *Nonne vere mortuus, ut vere crucifixus?* Christi ortus ex morte probatur. Ideo autem infamem mortem elegit, et spectaculum ignominiæ plenum, ut ab omnibus veritas agnosceretur, nullus de vera morte dubitaret, nullusque resurrectionem in dubium revocaret. Abstineo a citandis Patribus : allego tantum seu indico S. Ignat., epist. ad Tral., ubi fuse de hac materia. LE P.

(d) *Interemptores excusas Dei.* Marcion, quem vehementer urget Tertullianus, prædicabat Christum non vere hominem fuisse, sed *putative*, nihilque de homine assumpsisse. Si igitur certum esset carnis nostræ substantiam non accepisse, neque verum fuisse hominem, certe vere mortuus non fuisset, sicque Judæos carnifices impio illo et venenato dogmate excusaret. LE PR.

orbis. (*a*) Quid (1) destruis necessarium dedecus (2) fidei? Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo. *Qui mei* (3), inquit, *confusus fuerit, confundar et ego ejus* (4). Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem et feliciter stultum. Natus est Dei Filius; non pudet, quia pudendum est: et mortuus est Dei Filius; prorsus credibile est, quia ineptum est: et sepultus, resurrexit; certum est, quia impossibile. Sed hæc quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus, si non vere habuit in se quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur et resuscitaretur, carnem scilicet sanguine suffusam, ossibus structam, nervis intextam, venis implexam, quæ nasci et mori novit? Humana (5) sine dubio, ut nata (6) de homine; ideoque (7) mortalis hæc erit (8) in Christo, quia Christus (9) homo et filius hominis. Aut cur homo Christus et filius hominis, si nihil hominis et nihil ex homine? nisi si (10) aut aliud est homo quam caro, aut aliunde caro hominis, quam ex homine; aut aliud (11) Maria, quam homo, (*b*) aut homo (12) deus Marcionis (13). Aliter, non diceretur homo Christus, sine carne; nec hominis filius, sine aliquo parente homine: sicut nec Deus, sine Spiritu Dei; nec Dei Filius, sine Deo patre. Ita utriusque substantiæ census hominem et Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritalem; hinc infirmum, inde præfortem; hinc morientem, inde viventem. Quæ (14) proprietas conditionum, divinæ et humanæ, æqua utique naturæ utriusque (15) veritate (16) dispuncta est, eadem fide, et spiritus et carnis (17). Virtutes spiritum Dei, passiones carnem hominis probaverunt. Si virtutes non sine spiritu, proinde (18) et passiones non sine carne: si caro cum passionibus ficta, et spiritus ergo cum virtutibus falsus. (*c*) Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit. Maluit, crede, nasci, quam ex aliqua (19) parte mentiri, et quidem in semetipsum; ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica (*d*) vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem; ut phantasma auribus fuerit sermo ejus per imaginem vocis. Fuit itaque phantasma etiam post resurrectionem, cum manus et pedes suos discipulis inspiciendos offerret (20): *Aspicite*, inquit (21), *quod ego sum, quia spiritus ossa non habet, sicut me habentem videtis* (*Luc.* XXIV), sine dubio manus et pedes et ossa, quæ spiritus non habet, sed caro. Quomodo hanc vocem interpretaris, Marcion, qui (22) a Deo optimo, et simplici, et bono tantum, infers Jesum? Ecce fallit et decipit, et circumvenit omnium oculos, omnium sensus, omnium accessus et contractus. Ergo jam Christum non de cœlo deferre debueras, sed de aliquo circulatorio cœtu; nec Deum præter hominem, sed magum hominem; nec salutis pontificem, sed spectaculi artificem; nec mortuorum suscitatorem, (*e*) sed vivorum avocatorem. Nisi quod et si magus fuit, natus est.

CAPUT VI.

Sed quidam (23) discentes Pontici illius (*f*), supra magistrum sapere compulsi, concedunt Christo car-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qui *Pam. Rhen.*
(2) Decus *Pam. Rhen.*
(3) Me *Pam. Rhen.*
(4) Eum *Pam. Fran.*
(5) Humanam *Pam. Rhen.*
(6) Natam *Pam. Rhen.*
(7) Quia *Rhen. Seml.*
(8) Est *Seml. Pam.*
(9) Quia Christus *abest a Rhen. Seml.*
(10) Si *abest a Rig. Ven.*
(11) Est *add. Pam. Fran. Par.*
(12) Aut homo *omitt. Pam. Rhen.*
(13) Deus, Marcion *Pam.* Denique, Marcion. Haud *Fran. lib. Ursin.* Deus Marcionis aut *Rhen. Seml.*
(14) Qua *Jun.*
(15) Utriusque *abest a Rhen. Pam.*
(16) Cujusque *add. Pam.*
(17) Fide spiritus et caro *codd. Ursin. et Divion. Seml.*
(18) Perinde *Rig. Ven.*
(19) Se *add. Pam. Par. Fran.*
(20) Offert *Rhen. Seml.*
(21) Dicens *Pam. Rhen. Seml.*
(22) Quia *Rhen. Ven.*
(23) Quid jam. *Rhen. Paris.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quid destruis necessarium dedecus fidei?* Hoc dici potest etiam iis qui adversus Tertulliani et omnium veterum scriptorum traditionem, Christum statura vultuque formosissimum sibi imaginantur. Sic enim omnino legendum est, non ut vulgo, *decus*. Nam hoc adversus Marcionem probare instituit, omnia ista, Deum nasci, Deum crucifigi, Deum mori, Deum sepeliri, quæ secundum sensum humanum pudenda, stulta, fatua judicantur, quæque Marcio destruebat, tamquam indigna Deo: hæc omnia, inquam, a Deo electa fuisse, ut sapientia sæcularis confunderetur. Ait igitur Septimius hæc dedecora quæ putamus, non esse apud Deum dedecora, imo necessaria esse fidei christianæ. *Quid destruis*, inquit, *dedecus necessarium fidei?* Georgius Bœticus, lib. *de Fide*: «Vides quam pulchrum, quamve decorum nostræ salutis sacramentum. In eo quod filius est, minoratus ostenditur. Quomodo ergo ad offuscandam divinitatem ejus improperas, quod exsequitur ad decorem?» Rig.

(b) *Aut homo deus Marcionis.* Homo scilicet imaginarius et falsus. Sic enim mox ipse declarabit: *Ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine lingua loquentem, ut phantasma fuerit sermo ejus per imaginem vocis.* Rig.

(c) *Quid dimidias mendacio Christum? totus veritas est.* Ignatius, ep. ad Trallianos: Ἐγὼ δὲ οὐ τῷ δοκεῖν ἴσχω τὰς ἐλπίδας ἐπὶ τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντι, ἀλλὰ τῷ ὄντι· ἀληθείας γὰρ ἀλλότριον τὸ ψεῦδος: *Ego vero non opinione tantummodo spem in eo habeo, qui pro me mortuus est, sed revera: omne enim mendacium alienum a veritate est, id est, a Christo.* Lac.

(d) *Sine tunica.* Tunicæ vocabulo cutem intelligit. Rhen.

(e) *Sed vivorum avocatorem.* Qui vivos avocat a vita ad mortem, a recta fide ad hæresim, a Deo ad Satanam. Rig. — *Vivorum avocatorem.* Frustratorem intellige et deceptorem; neque insulse ludit vocabulo, quoniam mortuorum animæ avocari dicuntur. Lac.

CAP. VI. — (*f*) *Sed quidam discentes pontici illius.* Discipulos intelligit Marcionis, inter quos antesignanus erat Apelles. *Ponticus* Marcion dicitur, ut et

nis veritatem, sine præjudicio tamen renuendæ nativitatis. Habuerit, inquiunt, carnem, dum omnino (1) non natam. Pervenimus (2) igitur de calcaria, quod dici solet, in carbonariam, a Marcione ad Apellem, qui posteaquam a disciplina Marcionis in mulierem carne (3) lapsus, et (4) dehinc (*a*) in virginem Philumenem spiritu (5) eversus est, solidum Christi corpus, sed (6) sine nativitate, suscepit ab ea prædicare (7). Et angelo (8) quidem (9) illi Philumenes (10) eadem voce Apostolus respondebit, qua (11) ipsum illum jam tunc præcinebat, dicens (*Gal.* I, 8): *Etiamsi angelus de cœlis aliter evangelizaverit vobis, quam nos evangelizavimus, anathema sit.* His vero quæ (12) insuper argumentantur, nos resistemus (13). Confitentur (14) vere corpus habuisse Christum. Unde materia, si non ex ea qualitate, in qua videbatur? unde corpus, si non caro corpus? unde caro, si non nata? quia nasci haberet, ea futura quæ nascitur. De sideribus, inquiunt, et de substantiis superioris mundi mutuatus est carnem : et utique proponunt non esse mirandum corpus sine nativitate, cum et apud nos angelis licuerit nulla uteri opera in carnem (15) processisse. Agnoscimus quidem ita relatum; sed tamen quale est, ut alterius regulæ fides ab ea fide quam impugnat instrumentum argumentationibus suis mutuetur (16)? Quid illi cum Moyse, qui Deum Moysi (17) rejicit? Si alius Deus est, aliter sint res ejus. Sed (18) utantur hæretici omnes Scripturis ejus, cujus utuntur etiam mundo : erit illis hoc quoque in testimonium (19) judicii, quod de exemplis ipsius blasphemias suas instruunt. Facile est veritati etiam nihil tale adversus eos præscribenti obtinere. Igitur, qui carnem Christi ad exemplum proponunt angelorum, non natum dicentes, licet carnem (20), comparent velim et caussas tam Christi quam (21) angelorum, ob quas in carnem (22) processerint (23). Nullus umquam Angelus ideo descendit, ut crucifigeretur, ut mortem experiretur, ut a morte resuscitaretur (24). Si numquam ejusmodi fuit caussa Angelorum corporandorum, habes caussam cur non nascendo acceperint carnem. Non venerant mori; ideo nec nasci. At vero (*b*) Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit, ut mori posset. Non enim mori solet, nisi quod nascitur. Mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate. (*c*) Forma moriendi, caussa nascendi est. Si propter id quod moritur mortuus est Christus, id autem moritur quod et nascitur, consequens (25) erat, imo præcedens, ut æque nasceretur propter id quod nascitur; quia propter idipsum mori habebat, quod, quia (26) nascitur, moritur. Non competebat non nasci, pro quo mori competebat. « Atquin (27) tunc quoque inter illos Angelos (28) ipse Dominus apparuit Abrahæ (*d*) sine nativitate cum carne. » Scilicet, pro eadem caussæ diversitate. Sed vos hoc non recipitis, non eum Christum recipientes, qui (29) jam tunc et adloqui, et liberare, et judicare humanum genus ediscebat in carnis habitu, non natæ adhuc, quia nondum morituræ, nisi prius et nativitas ejus et mortalitas adnuntiarentur. Igitur probent angelos illos (30) de sideribus accepisse (31) substantiam carnis (32). Si non probant, quia nec scriptum est, nec Christi caro inde erit, cui angelorum accommodant exemplum. Constat angelos carnem non pro-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dominus *cod. Agob. Pithœ.*
(2) Paruimus *cod. Agob. Pithœ. Rhen. Jun.* pariamus *alii.*
(3) Muliere lapsum *Rhen. Seml.*
(4) Et *abest a Rig.*
(5) Spiritus *Ven.*
(6) Et *Pam. Rhen.*
(7) Prædicans *Pam. Rhen.* susceptum ab eo prædicat *cod. Wouw.*
(8) Ut angelus *cod. Wouw. Pam. Rhen.*
(9) Quidam *Lat.* Illius *Pam. Fran.*
(10) Philumenes *abest a cod. Wouw.* Philomenes *alii.*
(11) Quia *Rhen. Seml.*
(12) Qui *Pam. Rhen.*
(13) Resistimus *Rhen.*
(14) Confitentis *Pam.*
(15) Carni *Rig. Ven.*
(16) Mutentur *Rig. Ven.*
(17) Mose q. D. Mosi *Seml.*
(18) Et *Rhen. Seml.*
(19) Illius hoc quoque testimonium *cod. Agob.*
(20) Scilicet carneam *Pam. Rhen.*
(21) Et *add. Pam. Rhen.*
(22) In carne *Rig. Ven.*
(23) Venerunt *Pam. Fran. Par.* processerunt *Rh. Seml.*
(24) Suscitaretur *Rig. Ven.*
(25) Autem *add. Rhen. Seml.* item *Pam. Fran. Par.*
(26) Id quod *add. Rhen. Pam.*
(27) Atqui *Seml.*
(28) Angelos illos *Rig.*
(29) Quia *Rhen. Seml.*
(30) Carnem *add. Rig. Ven.*
(31) Concupisse *Rig. Ven.*
(32) Substantiam carnis *abest a Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

initio lib. I adv. eumdem, *mus ponticus*; fuit enim patria Sinopensis in Ponto. Le Pr.

(a) *In virginem Philumenem spiritu eversus est.* Seductus nempe a dæmone, quo infame prostibulum intercipiebatur. Le Pr.

(b) *Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit ut mori posset.* Nondum bene christianus erat Marius Victorinus, cum in I *Rhetoricorum* Ciceronis ita scriberet : « Tantum inter homines potest necessarium, quantum secundum opinionem humanam valet : alioqui secundum Christianorum opinionem, non est necessarium argumentum : si peperit, cum viro concubuit; neque hoc rursus : si natus est, morietur. Nam apud eos manifestum est sine viro natum, et non mortuum. » Imo Dominum nostrum, quem vere natum scimus, hunc vere mortuum fatemur, hunc vere quoque resurrexisse dicimus. Ric.

(c) *Forma moriendi caussa nascendi est.* Qui dixit mutuum fuisse debitum inter vitam et mortem, modo ait formam esse caussam nascendi. Forma igitur mutui est veluti quædam formalis in mutuo qualitas, in eo residens Sensus ergo Tertulliani est : De pacto et condatione morimur, ut nonnisi quia nati adstringamur hac lege mortis, quasi conditio mortis esset velut finalis nascendi caussa; quia non nascimur, nisi sub conditione moriendi, et contractus vitæ factus est sub hac conditione. Sic Seneca de *Remed. fortuit.* Lac.

(d) *Atquin tunc quoque inter angelos illos ipse Dominus apparuit Abrahæ.* Hæc interpretatio, quæ ortum inde habere videtur, quod legatur *Gen.* III : Tres vidit, unum adoravit; a B. Augustino non probatur, quem

piam gestasse (*a*), utpote (1) naturas (2) substantiæ spiritalis, et, si corporis alicujus; sui tamen generis; in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, ut (3) videri et congredi cum hominibus possent (4). Igitur, cum relatum non sit unde sumpserint carnem, relinquitur intellectui nostro non dubitare, hoc esse proprium angelicæ potestatis, ex nulla materia corpus sibi sumere. « Quanto magis, inquis, ex aliqua certum est! » Sed nihil de eo constat, quia Scriptura non exhibet. Cæterum, qui (5) valent facere semetipsos quod natura non sunt, cur non valeant etiam (6) ex nulla substantia (7) facere? Si fiunt quod non sunt, cur non ex eo fiant quod non est? Quod autem non est, cum sit, ex nihilo est. Propterea nec requiritur, nec ostenditur, quid postea factum sit corporibus illorum (*b*). Quod de nihilo fuit, nihil factum est. Possunt nihil ipsum convertere in carnem, qui semetipsos potuerunt convertere in carnem. Plus est naturam demutare, quam facere materiam. Sed et (8) si de materia necesse fuisset (9) angelos sumpsisse carnem, credibilius utique est de terrena materia, quam de ullo genere cœlestium substantiarum; cum adeo terrenæ qualitatis extiterit, ut terrenis pabulis pasta sit. Fuerit (10) nunc (11) quoque siderea eodem (12) modo terrenis pabulis pasta, quando terrena non esset; quo terrena cœlestibus pasta est, quando cœlestis non esset (legimus enim manna esui populo fuisse : *Panem*, inquit (*Ps.* LXXVII), *angelorum edit homo*); non tamen infringitur semel separata conditio Dominicæ carnis, ex caussa alterius dispositionis. Homo vere futurus usque ad mortem eam carnem oportebat ut (13) indueret, cujus est mors : eam porro carnem, cujus est mors, nativitas antecedit.

A

CAPUT VII.

Sed quotiens de nativitate contenditur, omnes qui respuunt eam ut præjudicantem de carnis in Christo veritate, ipsum Deum volunt negare esse natum, quod dixerit (*Matt.* XII, 48) : *Quæ mihi mater, et qui mihi fratres?* Audiat igitur et Apelles, (*c*) quid jam responsum sit a nobis Marcioni eo libello, quo (*d*) ad (14) Evangelium ipsius provocavimus, considerandam scilicet materiam pronuntiationis istius. Primo quidem, nunquam quisquam adnuntiasset illi matrem et fratres ejus foris stare (15), qui non certus esset (16) habere illum matrem et fratres, et ipsos esse, quos tunc nuntiabat, vel retro cognitos, vel tunc ibidem compertos (17), licet propterea abstulerint hæreses ista (18) de Evangelio, quod et creditum patrem ejus Joseph fabrum, et matrem Mariam, et fratres et sorores ejus optime notos sibi esse dicebant, qui mirabantur doctrinam ejus. « Sed tentandi gratia nuntiaverant (19) et matrem et fratres, quos non habebat. » Hoc quidem Scriptura non dicit, alias non tacens, cum quid tentationis gratia factum est circa (20) eum : *Ecce*, inquit (*Matt.* XXII), *surrexit legis doctor, tentans eum.* Et alibi (*Matt.* XIX) : *Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes.* Quod nemo prohibebat hic quoque significari, tentandi gratia factum. (*e*) Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers. Dehinc, materia tentationis debet subesse. Quid tentandum putaverunt in illo? Utique, natusne esset, an non; si enim hoc negavit responsio ejus, hoc captavit nuntiatio tentatoris. Sed nulla tentatio tendens ad agnitionem ejus, de quo dubitando tentat, ita subito procedit, ut non ante præcedat quæ-

B

C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Utputa *Pam. Rhen.*
(2) Natura *Rh. Seml.* a natura *cod. Agob.* naturæ *Pam. Paris.*
(3) Ut *omitt. Rig. Ven.*
(4) Posse *Rig. Ven.*
(5) Quia *Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Et *Rhen. Seml. Oberth.*
(7) Substantiam *Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Et *abest a Rhen. Pam.*
(9) Fuit *Rig. Ven.*
(10) Fuerit *omitt. Rhen. Seml.*
(11) Si *add. Rhen.*
(12) Eadem *Rhen.*
(13) Ut *omitt. Rhen. Seml.*
(14) Ad *omitt. Pam. Rhen.*
(15) Stantes *cod. Agob.*
(16) Et *add. Rig. Ven.*
(17) Repertos *alii.*
(18) Istæ *Rhen. Seml.*
(19) Nuntiaverunt *Fram.*
(20) Erga *cod. Agob.*

COMMENTARIUS.

ideo videat lector lib. II de Trin. cap. 17. Porro legimus iterum ex Ms. 3. Vatic. *Atquin* pro *atqui*. PAM.

(a) *Constat Angelos carnem non propriam gestasse.* Scilicet non esse carneos omnino, et proprie ut nos, nec pondere corporis graves. Illud *propriam* appellat supra *Angelos*, nempe propriam sibi, non supra *carnem*. Nam et statim indicat, et alibi docet, Angelos illos propriam carnem præ se tulisse, sed assumptam non sibi propriam et naturalem, ut in hoc Augustinus et Bernardus citandi aliquando ambigunt. LAC.

(b) *Quid postea factum sit corporibus illorum.* Latinissime dictum. Id est, quo pervenerint. Subauditur *de* præpositio. Sic Cicero in Verrem : *Quid te futurum est? quo confugies?* Plautus : *Quid argento factum est quod dedi.* Rursum Cicero pro Cluentio : *Quid est*, etc. RHEN.

CAP. VII. — (c) *Quid jam responsum sit a nobis Marcioni.* Intelligit haud dubie libros IV adv. Marc. ibi enim etiam iisdem pene, sed paulo paucioribus hanc scripturam explicat verbis, paulo post adlegandis. Proinde etiam hinc constat verum esse eodem pene tempore scriptos hunc et sequentem libb. ac libb. IV primos adv. Marcionem : his vero absolutis, tum demum esse conscriptum quintum lib. adversus eumdem. PAM.

(d) *Ad Evangelium ipsius provocavimus.* Utitur aliquando Tertullianus evangelio Marcionis adv. eumdem : retorquet nimirum, ut quavis sponsione ipsum premat. B. Lucæ Evangelium, rejectis aliis tribus, in multis recusabat, et quintum suæ fatuitati congruens et conforme commentus est. De hoc agitur. LE PR.

(e) *Non recipio quod extra Scripturam.* Inter articulos quadraginta ab hæreticis superiori sæculo exaratos, unum est, quo se nihil credere aut docere profitentur, nisi in sacris codicibus reperiatur, ut scilicet traditiones ecclesiæ amandarent. LE PR. — Ne forte quis istud detorqueat contra traditiones ecclesiasticas, meminerit Auctorem docuisse, l. *de Cor. mil.* c. 3, etiam traditionem non scriptam debere recipi. PAM.

stio, quæ, dubitationem inferens, cogat tentationem. Porro, si nusquam de nativitate Christi volutatum est, quid tu argumentaris, voluisse illos per tentationem sciscitari quod nunquam produxerunt in quæstionem? Eo adjicimus (1) : etiamsi tentandus esset de nativitate, non utique hoc modo tentaretur, earum personarum adnuntiatione, quæ poterant, etiam nato Christo, non fuisse. Omnes nascimur, et tamen non omnes aut fratres habemus aut matrem. Adhuc potest et patrem magis habere quam matrem, et avunculos magis quam fratres. Adeo non competit tentatio nativitatis, quam licebat et sine matris, et sine fratrum nominatione constare. Facilius plane est, ut, certi illum et matrem et fratres habere, divinitatem potius tentaverint ejus, quam nativitatem : an intus agens, sciret quid foris esset, mendacio petitus (2) præsentia (3) eorum, qui in præsenti (4) non erant : nisi quod, etsi (5) vacuisset (6) tentationis ingenium, poterat evenire, ut quos illi nuntiabant foris stare, (*a*) ille eos sciret absentes esse, vel valetudinis (7), vel negotii, vel peregrinationis nota (8) jam necessitate. Nemo tentat eo modo, quo posse se sciat ruborem tentationis referre. Nulla igitur materia tentationis competente, liberatur simplicitas nuntiatoris (9), quod vere mater et fratres ejus supervenissent. Sed, quæ ratio responsi, matrem et fratres ad præsens negantis, discat etiam Apelles. Fratres Domini non crediderant (10) in illum, sicut et in (11) Evangelio ante Marcionem edito continetur. Mater æque non demonstratur adhæsisse illi (*b*), cum Martha et Maria alia (12) in commercio ejus frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorum : cum is (13) doceret viam vitæ, cum Dei regnum prædicaret, cum languoribus et vitiis medendis operaretur, A extraneis defixis in illum, tam (14) proximi aberant. Denique superveniunt, et foris subsistunt, nec introeunt, non computantes scilicet quid intus ageretur; nec sustinent saltem, (*c*) quasi necessarius aliquid adferrent eo quod ille tum maxime agebat; sed amplius interpellant, et a tanto opere revocatum volunt. Oro te, Apelles, vel tu, Marcion, (*d*) si forte tabula ludens, vel de histrionibus, aut aurigis contendens, tali nuntio avocareris, nonne dixisses : Quæ mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans et probans Christus, Legem et Prophetas adimplens, tanti retro ævi caliginem dispargens, indigne usus est hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere revocantium? Cæterum, ad negandam nativitatem, alius B necessarius (15) fuisset et locus, et tempus, et ordo sermonis, non ejus qui posset (16) pronuntiari etiam ab eo, cui et mater esset et fratres, cum indignatio parentes non neget, sed objurget (17). Denique, potiores fecit alios, et meritum prælationis ostendens, (*e*) audientiam scilicet verbi, demonstrat qua conditione negaverit matrem et fratres. Qua enim alios sibi adoptavit, qui ei adhærebant, ea abnegavit illos, qui ab eo absistebant. Solet etiam id implere (18) Christus, quod alios docet. Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum, nuntiata matre et fraternitate, desereret? Negavit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere. Sed alias figura est synagogæ in matre adjuncta (19), et Judæorum C in fratribus incredulis. Foris erat in illis Israel; discipuli autem novi intus audientes, et credentes, et cohærentes Christo, Ecclesiam deliuiabant (20), quam potiorem matrem, et digniorem fraternitatem, recusato carnali genere, nuncupavit (21). Eodem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adjecimus *Pam. Fran. Par.*
(2) Potius *Rhen. Seml.*
(3) Adnuntiatæ *add. Rig. Ven.*
(4) Præsentia *Rig. Ven.*
(5) Sic *cod. Agob.*
(6) Valuisset *Par.*
(7) Valetudine *Rig. Ven.*
(8) Notæ *Rig. Ven.*
(9) Nuntiationis *Rig. Ven.*
(10) Crediderunt *Pam. Fran. Par.*
(11) Et in *omitt. Rig. Ven.*
(12) Marthæ et Mariæ aliæ *Rig. Ven. Rhen. Seml.*
(13) His *cod. Agob*
(14) Tum *Jun.*
(15) Necessarius *abest a cod. Agob. Rig. Ven.* necessarior *cod. Ursin.*
(16) Possit *Pam. Rhen.*
(17) Parentes negat, non negat, sed objurgat *Rig. Ven. auctore Cujacio ad cap. ex litteris l. III Decretal.*
(18) Etiam adimplere *Seml.*
(19) Adjuncta *Pam.*
(20) Delineabant *Jun.*
(21) Nuncupant *Rhen. Seml.* nuncupat *Fran. Par.* nuncupas *Pam.* D

COMMENTARIUS.

(a) *Ille eos sciret absentes esse.* De matre et consanguineis Christi est quæstio, quos aut sprevisse, aut neglexisse dicebant illi vitilitigatores. Probat vero hic ex B. Luca Tertullianus contumeliosum in parentes nunquam fuisse, sed semper morigerum et subditum. LE PR.

(b) *Mater æque non demonstratur adhæsisse illi.* Illud potest intelligi de adhæsione perpetua in Christi concionibus, quas frequentabant Martha et Maria. Deinde id quod sequitur, *incredulitas eorum*, ad fratres Domini, non ad Mariam, referri debet. PAM.—Vel dicendum est hic, ut quandoque alias, dormitasse bonum Tertullianum. Annon enimvero Christo filio adhærebat, quæ usque ad crucem compatiens prosequebatur, et postquam adscenderat in cœlum, ipsa cum Apostolis in cœnaculo manens et in oratione perseverans, promissionem Patris, quam ipsa quoque per os ejus audiverat, exspectabat? Atqui hæc singula ex Evangelio Joannis et Actibus Apostolorum nullo negotio demonstramus. EDD.

(c) *Quali necessarius aliquid, etc. Necessarius* dixit, magis necessarium. RHEN.

(d) *Si forte tabula ludens.* Tabulam lusoriam intelligit, seu latruncularium, in qua tesseris et calculis ludebatur. Qui tabulam fritillum explicant, forte minus bene. Nam fritillum est alveolus in quem tesseræ seu cubi conjiciuntur agitanturque, a forma oblonga pyrgus dicitur, πύργος. Sic Horatio *mittere in pyrgum talos.* Martialis alveolum hunc *turriculam* vocat. LE PR.

(e) *Audientiam scilicet verbi.* Audientia vox latina est qua et usus Tullius de Senect. *Facitque persæpe ipsa sibi audientiam, etc.* LE PR.

sensu denique et illi exclamationi respondit, non matris uterum et ubera negans, sed feliciores designans, qui verbum Dei audiunt.

CAPUT VIII.

Solis istis capitulis, quibus maxime instructi sibi videntur (1) Marcion et Apelles, secundum veritatem integri et incorrupti Evangelii interpretatis, satis esse debuerat ad probationem carnis humanæ in Christo per defensionem nativitatis. Sed quoniam et isti Apelleciani (2) carnis ignominiam prætendunt maxime, quam volunt ab igneo illo præside mali sollicitatis (3) animabus adstructam (4), et idcirco indignam Christo, et idcirco de sideribus illi substantiam competisse, debeo illos de sua paratura (*a*) repercutere. Angelum quemdam inclytum nominant, qui mundum hunc instituerit, et instituto eo pœnitentiam admiscuerit (5). Et hoc suo loco tractavimus : nam est nobis adversus illos libellus (*b*), an qui spiritum et voluntatem et virtutem Christi habuerit ad ea opera, dignum aliquid pœnitentia fecerit, cum angelum etiam de figura erraticæ ovis interpretentur. Teste igitur pœnitentia institutoris sui, delictum erit mundus; siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti (*c*), quia locum non habet nisi in delicto. Si mundus delictum est quia (6) corpus et membra, delictum erit proinde (7) et cœlum, et cœlestia cum cœlo. Si cœlestia (8), et quicquid inde conceptum prolatumque est, mala arbor malos fructus edat necesse est (*Matth.* VIII). Caro igitur Christi de cœlestibus structa, de peccati constitit (9) elementis, peccatrix de peccatorio censu (10), et par (11) jam (12) erit ejus substantiæ, id est nostræ, quam ut peccatricem Christo dedignantur inducere (13). Ita si nihil de ignominia interest, aut aliam purioris notæ materiam excogitent Christo, quibus displicet nostra, aut eamdem agnoscant (14), qua etiam cœlestis melior esse non potuit. Legimus plane (I *Cor.* XV) : *Primus homo de terræ limo; secundus homo de cœlo.* Non tamen ad materiæ differentiam spectat, sed tantum terrenæ retro substantiæ carnis primi hominis, id est Adæ, cœlestem de spiritu substantiam opponit secundi hominis, id est Christi. Et adeo ad spiritum, non ad carnem, cœlestem hominem refert : ut quos sic (15) comparat, constet in hac carne terrena cœlestes fieri, spiritu scilicet. Quod si secundum carnem quoque cœlestis Christus, non compararentur (16) illi non (17) secundum carnem cœlestes. Si ergo qui (18) fiunt cœlestes, qualis et (19) Christus, terrenam carnis substantiam gestant; hinc (20) quoque confirmatur, ipsum etiam Christum in carne terrena fuisse cœlestem, sicut (21) sunt qui ei adæquantur.

CAPUT IX.

Prætendimus adhuc, nihil quod ex alio acceptum sit, ut aliud sit quam id de quo sit acceptum, ita

LECTIONES VARIANTES.

(1) Videntur sibi *Rhen. Pam.*
(2) Apelleiaci *lib. Agob. Rig. Ven.* Apelliaci *lib. Ursini.* Apelliaciani *lib. Pithœ.* appellationi *cod. Divion.* Apellaciani *Rhen.*
(3) Societatis *Pam. mendose.*
(4) Abstructis *Seml.*
(5) Admiserit *Pam. Rhen.*
(6) Quam *Rig. Seml. Ven.*
(7) Perinde *Rig. Ven.*
(8) Cum cœlo. Si cœlestia *non habet cod. Agob. Rigalt. Ven.*
(9) Constat *Rig. Ven.*
(10) Sensu *Par. Lugdun.*
(11) Pars *Rig. Ven.*
(12) Jam *omitt. Rhen. Pam.*
(13) Christus dedignatur induere *Pam. Rhen.*
(14) Eam cognoscant *Pam. Rhen.*
(15) Ei *Rig. Ven.*
(16) Comparentur *Rig. Ven.*
(17) Non *abest a Rig. Ven.*
(18) Qui *abest a Rhen. Fran.*
(19) Est *Pam. Rhen.*
(20) Hic *Rhen. Seml.*
(21) Ii *add. Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

CAP. VIII. (a) *Paratura.* Paraturam vocat id quod præstat materiam. Rhenan.

(b) Libellus scilicet adversus Appelletianos, qui liber hodie non extat. Seml.—An liber iste adversus Apellem an adversus Apelletianos inscribi debeat, aliquandiu me dubitare fecit, quod inter cæteros hæreticos, adversus quos scripsit Tertullianus, enumeret Vincentius Lirinensis Apellem; ex quo etiam hæsitavimus num plures essent libelli ab Auctore adversus ipsum et discipulos ejus conscripti. Verum cum, toties facta Apellis mentione atque nullius alterius, nullam tamen libri cujuspiam adversus eumdem mentionem præterquam hoc loco faciat, fit mihi credibile, et unicum esse ab eo conscriptum, et adversus apelletianos inscriptum : maxime, cum etiam *Apelletianos* B. Cyprianus nuncupet Apellis discipulos, ep. 73, *ad Jubaian.* Atqui obscuriora quidem sunt verba Tertulliani; sed hoc sibi vult, argumentum libri *adversus apelletianos* potissimum fuisse, an *angelus ille igneus mali præses, qui et mundum hunc* (juxta illos) *instituerat, et sollicitatis animabus carnem adstruxerat, ad quod tamen spiritum, et voluntatem, et virtutem Christi habuerit, dignum aliquid pœnitentia fecerit.* Utpote qui diceret, sicuti legitur lib. *de Præscript. adv. hæret.* C. 31, *illum mundo inferiori permiscuisse pœnitentiam, quia non illum tam perfecte fecisset, quam superior mundus institutus fuisset.* Quod ipsum interim pulchre contra illos retorquet, illic ubi loquitur, *de sua paratura repercutiens.....* De *sollicitatis* autem *animabus ab igneo* illo *deo, angelo* juxta Apellem, vide l. *de Anima*, c. 23. De *mundo ab illo instituto* lib. *de Præscript.*, c. 34 et 51. *De carne* hominis proinde ab eodem *exstructa*, insuper lib. *de Resurr. carn.*, c. 5. *De Christi* denique *carne*, non ab illo angelo creata, sed *ex cœlestibus sideribus structa*, contra Apellem late disputavit Auctor hujus libri, c. 6, et lib. III, *adv. Marcionem.* Consentit in his omnibus Epiphanius, præterquam quod inferiorem deum nuncupet, quem Auctor *angelum igneum* : quem interim agnoscunt B. Augustin. Hær. 23, Isidorus lib. *adv. Marc*, Rabanus noster, B. Honorius et Gratianus in *Catalogo hæretic.* Hoc peculiare Auctori quod de *pœnitentia angeli creatoris* jam dictum est; sicuti et illud : quod *figuram erraticæ ovis* (*Luc.* XV) de illo interpretati sint, quasi gaudium fuerit in cœlo apud angelos Dei de illo uno peccatore ad pœnitentiam converso, quam contra maluit Auctor interpretari de homine lapso, et per Christum requisito, sicuti etiam alii veteres omnes. Pam.

(c) *Omnis pœnitentia confessio est delicti.* Non ergo sufficit Lutheranorum definitio : Pœnitentia, nova vita. Pam.

aliud (1) esse (2), ut non suggerat (3) unde sit acceptum. Omnis materia sine testimonio originis suæ non est, etsi demutetur in novam proprietatem. Ipsum certe corpus (4) nostrum, quod de limo figulatum (5) etiam (6) ad fabulas nationum (*a*) veritas transmisit, utrumque originis elementum (7) confitetur : carne, terrenum (8); sanguine, aquenum (9). Nam (10), licet alia sit species qualitatis, hoc est, quod (11) ex alio aliud fit, cæterum, quid est sanguis, quam rubens humor? quid caro, quam terra conversa in figuras suas (12)? Considera singulas qualitates, (*b*) musculos ut glebas, ossa ut saxa, (*c*) etiam circum papillas calculos quosdam; aspice (*d*) nervorum tenaces connexus, ut traduces radicum et venarum ramosos discursus, ut ambages rivorum, et lanugines ut muscos, et comam ut cespitem, et ipsos medullarum in abdito thesauros, ut metalla carnis. Hæc omnia terrenæ originis signa et in Christo fuerunt : hæc (13) sunt quæ illum Dei Filium celavere, non alias tantummodo hominem existimatum, quam ex humani (14) substantia corporis. Aut edite aliquid in illo cœleste (*e*) de Septemtrionibus, et A Vergiliis (15), et Suculis emendicatum. Nam quæ enumeravimus, adeo terrenæ testimonia carnis sunt, ut et nostræ. Sed nihil novum, nihil peregrinum deprehendo. Denique, verbis tantummodo et factis, doctrina et virtute sola Christi, homines (16) obstupescebant. Notabatur (17) etiam carnis in illo novitas miraculo habita. Sed carnis terrenæ non mira conditio : ipsa erat, quæ cætera ejus miranda faciebat. Cum dicerent : *Unde huic doctrina et signa ista?* Etiam despicientium formam ejus hæc erat vox. (*f*) Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos (18) quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur : passiones quidem, humanam carnem; (*g*) contumeliæ vero, inhonestam probavere (19). An ausus esset aliquis ungue summo perstringere (*h*) corpus novum, (20) sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem (*i*)? Quid dicis cœlestem carnem, quam unde cœlestem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam (21) agnoscas, habes? Esuriit sub diabolo, sitiit sub Samaritide, lacrymatus est super Lazarum, trepidavit (22) ad mortem.

B

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliud *omitt. Seml.* in totum *præmitt. Pam. Rhen.*
(2) Est *Rhen. Pam. Jun.*
(3) Quia suggerat *Jun.* ut suggerat *Seml.* cui non suggerat *Rhen. Pam.*
(4) Hoc *add. Rhen. Seml.*
(5) Est *add. Seml.*
(6) Ut jam *Lat.*
(7) Utriusque originem elementi *Rig. Ven. Seml.*
(8) Terram *Rig. Ven. Pam. Rhen. Seml.*
(9) *Sic cod. Ursin. Vouw.* Aquam *Rig. Ven.* aquanam *Pam. Rhen. Seml.*
(10) Nam *omitt. Rhen. Pam. Seml.*
(11) Quo *Jun.*
(12) Terra in figura sua *alii.*
(13) Et *Rig. Ven.*
(14) Exstantem humana *Rig. Ven.* ex humana *cod. Pithœi.*
(15) Virgiliis *Seml.*
(16) Christum hominem *Rig. Ven.*
(17) Autem *add. Rig. Ven.*
(18) Vos *Rhen. Seml.*
(19) Probavere *omitt. Rig. Ven.*
(20) Illam *add. Jun.* ullam *Rhen.*
(21) Terrenam *aberat a cod. Agob.*
(22) Lacrymatur s. L. trepidat *Rhen. Pam.*

C

COMMENTARIUS.

CAP. IX. (a) *Ad fabulas nationum.* Promethei fabulam. Innuit Japeti filium, qui homines primum e luto formavit. De hoc Satyra 13 Juvenalis. Ovid. lib. 1. metam. Horat. lib. 1. carm. Le Pa.

(b) *Musculos ut glebas.* Optime musculos comparat glebis; nam sicut hæ non sunt adeo solidæ, ut lapides, nec adeo fluxæ, ut terra pulverea; ita musculi medium est inter ligamentum, quod durum, et nervum, qui mollior, ut expendit Galenus lib. 1 de usu part. et Vesalius lib: 2 de corporis humani fabrica; nam aliter musculi, qui organa voluntarii motus, commode ciere humana nequissent. Lac.

(c) *Etiam circum papillas calculos quosdam.* Attrectata papilla, Septimius grumulis glandularum duriusculis impleri sibi manum senserat. Sic lib. II ad Nationes dixit, Ubera lapilliscere. Rig.

(d) *Nervorum tenaces connexus.* Syndesmata seu ligamenta solidissima humani corporis notat, qui ab aliquibus nervi vocantur, sed non stricte, de quib. Galen. lib. 3. de locis affect. Lac.

(e) *De Septemtrionibus, et Vergiliis, et Suculis.* Stellas illas dicit, quæ prope Ursam minorem plaustri figuram referunt, quæ Septemtriones, sive a forma boum junctorum qui triones, quasi teriones, sive a septem trionibus, quoniam tria trigona repræsentant. Vergiliæ, quæ et Pleiades dicuntur, septem sunt stellæ ante Tauri genua, una tamen occultatur, eo ineunte vere apparent, unde Vergiliæ dicuntur. Suculæ, quæ Hyades, eodem tempore oriuntur, suntque etiam septem in fronte Tauri. Le Pa.

(f) *Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit.* Sic libro adversus Judæos : *ne aspectu quidem honestus.* Quæ verba confirmant quod supra notavimus, numisma visum Romæ penes Lælium Pasqualinum, dein penes Card. Altempsium, ad lib. *de Patientia.* Gregorius Bæticus, sive quis alius auctor lib. *De fide,* Isaiæ verba sic reddit : *Non est species ei, neque honor formæ : et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed speciem ejus sine honore.* Rig.

D

(g) *Contumelia vero inhonestam.* Rigaltius ad cap. 5 hujus libri deformem Christum putat, et item nonnulli alii hoc loco abutuntur. Quibus passionis dominicæ memoria os obturare posset, si hoc a Tertulliano dici animadverterent de tempore dolorum. Nam formosum fuisse plurima argumenta convincunt. Mitto picturas a B. Luca exaratas. Sanctus Hieronymus epist. 140 ad Principiam : *Nisi enim habuisset et in vultu quiddam oculisque sidereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli; nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent* B. Chrysostomus hom. 28 in Matth. : *Nam ut faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus fuisse traditur.* Bonaventura in *Spec.* citat Augustini verba in hunc sensum. Deformitatem quam inter patiendum contraxit, optime explicat B. Bernardus, tract. de Pass. Le Pa.

(h) *An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum?* Corpus insuitatæ alicujus pulchritudinis, aut cœlestis claritatis. Augustinus in Psal. CXXVII : *Et nisi fœdum putarent, non insilirent, non flagellis cæderent, non spinis coronarent, non sputis inhonestarent. Mirabilis forma exarmasset tortores, atque etiam sine voce remissionem impetrasset.*

(i) *Sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem?* Quis non exhorreat audaciam dicti? faciem Christi merentem conspui! dignam quæ sputaminum jaculis contaminaretur! Da veniam, Christe. Hoc deforme tuum deosculamur supplices. Et prosit nobis dixisse nostrum esse, quod debita nostra fecere. Rig.

Caro enim, inquit, *infirma*. Sanguinem fudit postremo (1). Hæc sunt, opinor, signa cœlestia. Sed quomodo, inquam (2), contemni et pati posset, sicut et dixi, si quid in illa carne de (3) cœlesti generositate radiasset? Ex hoc ergo convincimus nihil in illa de cœlis fuisse, propterea ut contemni et pati posset.

CAPUT X.

Convertor ad alios (4) æque sibi prudentes, qui carnem Christi animalem affirmant, quod anima caro sit facta, ergo et caro anima, et sicut caro animalis, ita et anima carnalis. Et hic itaque causas requiro. Si, ut animam salvam faceret, in semetipso suscepit animam Christus, quia salva non esset nisi per ipsum, dum in ipso; non video cur eam carnem fecerit animalem, induendo carnem, quasi aliter animam salvam facere non posset, nisi carneam factam. Cum enim nostras animas non tantum non carneas, sed etiam a (5) carne disjunctas salvas præstet; quanto magis illam, quam ipse suscepit, etiam non carneam redigere potuit in salutem! Item cum præsumant (6) non carnis, sed animæ nostræ (*a*) solius liberandæ caussa processisse Christum; primo, quam absurdum est, ut animam solam liberaturus, id genus corporis eam fecerit, quod non erat liberaturus! Deinde, si animas nostras per illam, quam gestavit, liberare susceperat, illam quoque, quam gestavit, nostram gestasse debuerat, id est, nostræ formæ, cujuscumque formæ est in occulto anima nostra, non tamen carneæ. Cæterum, non nostram animam liberavit, si carneam habuit; nostra enim carnea non est. Porro si non nostram liberavit, quia carneam liberavit (7), nihil ad nos (8); quia non nostram liberavit. Sed nec liberanda erat, quæ non erat nostra, ut scilicet carnea; non enim periclitabatur, si non erat nostra, id est, non carnea. Sed liberatam constat illam. Ergo non fuit carnea; et fuit nostra, si ea (9) fuit quæ liberaretur, quoniam (10) periclitabatur. Jam ergo, si anima non fuit carnalis in Christo, nec caro potest animalis fuisse.

CAPUT XI.

Sed aliam argumentationem eorum convenimus, exigentes, cur animalem carnem subeundo Christus, animam carnalem videatur habuisse. Deus enim, inquiunt (11), gestivit (12) animam visibilem hominibus exhibere, faciendo eam corpus, quæ retro invisibilis extiterit, natura nihil, nec semetipsam videns, præ impedimento carnis hujus, ut etiam disceptaretur, nata (13) anima an non, mortalis ne sit, an non (14). Itaque animam corpus effectam in Christo, ut eam et nascentem et morientem, et, quod sit amplius, resurgentem videremus. Et (15) hoc autem quale erat (16), ut per carnem demonstraretur anima sibi aut nobis, quæ per carnem non poterat agnosci: ut sic ostenderetur, dum id fit, cui latebat, id est caro? tenebras videlicet accepit, ut lucere posset (17). Denique, adhuc (18) prius retractemus, an isto modo ostendenda fuerit anima, an in totum invisibilem eam retro allegent; utrum quasi incorporalem, an etiam habentem aliquod genus corporis proprii. Et tamen cum invisibilem dicant, corporalem eam constituunt, habentem quod invisible sit. Nihil enim habens invisibile, quomodo potest invisibilis dici? Sed ne esse quidem potest, nisi (19) habens per quod sit. Cum autem sit, habeat necesse est aliquid, per quod est. Si habet (20) aliquid per quod est, hoc erit corpus ejus. Omne quod est, corpus est sui generis: nihil est incorporale, nisi quod non est. Habente igitur anima invisibile corpus, qui visibilem eam facere susceperat, utique dignius id ejus visibile fecisset, quod invisibile habebatur, quia nec hic mendacium, aut infirmitas Deo competit: mendacium, si aliud animam, quam quod erat, demonstravit; infirmitas, si id quod erat demonstrare non valuit. Nemo ostendere volens hominem, cassidem aut personam ei inducit. Hoc autem factum est animæ, si in carne (21) conversa (22) alienam induit (23) superficiem. Sed et si incorporalis anima deputetur, ut aliqua vi rationis occulta sit quidem anima, corpus tamen non sit, quidquid est anima; proinde impossibile Deo non erat, et proposito ejus congruentius competebat, nova aliqua corporis specie eam demonstrare, quam ista communi omnium, alterius (*b*) jam notitiæ; ne sine caussa visibilem ex invisibili facere gestisset animam, istis scilicet quæstionibus opportunam, per carnis in illam (24) humanæ defensionem. Sed non poterat Christus inter homines nisi homo videri. Redde igitur Christo fidem suam; ut qui homo voluerit incedere, animam quoque humanæ conditionis ostenderit, non faciens eam carneam, sed induens eam carne.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Postremo fudit *cod. Agob.*
(2) Inquitis *cod. Agob.*
(3) De *omitt. Rhen. Semi.*
(4) Mos *cod. Agob. Rhen. Semi. Oberth.*
(5) In *Rhen. Semi. Oberth.*
(6) Præsumat *Rhen. Semi. Oberth.*
(7) Quia carneam liberavit *absunt a Rhen.*
(8) Carnea non est, *add. Rhen.*
(9) Non *inser. alii.*
(10) Quomodo *alii.*
(11) Inquit *Rhen.*
(12) Gestavit *Rig.*
(13) Est *add. Rhen.*
(14) Mortalis ne sit annon *absunt a Vatic. codd. et ed.* I. *Rhen. objicit etiam Jun.*
(15) Ex *Rhen. Par. Pam.*
(16) Erit *Rhen. Pam. Semi.*
(17) Possit *Pam. Rhen. Semi.*
(18) Ad hoc *Rhen. Semi. Oberth.*
(19) Nihil *alii.*
(20) Habet *abest a Rhen. Semi.*
(21) Carnem *alii.*
(22) Conversam *Pab. Rhen. Semi.*
(23) Induis *Pam.*
(24) In illam *aberat a cod. Pithæi.*

COMMENTARIUS.

CAPUT X. — (a) *Non carnis, sed animæ nostræ.* Hactenus exemplar Agobardi. Itaque res deinceps agetur tantum cum codicibus Ursini et Pithæi. Ric.

CAPUT XI. — (b) *Alterius. Alterius* dixit, pro *alius*, id est diversæ. Rhenan.

CAPUT XII.

Ostensa sit nunc anima per carnem, si constiterit illam ostendendam quoquo modo (1) fuisse, id est (*a*) incognitam sibi et nobis. Quamquam in hoc vana distinctio est; quasi nos seorsum ab anima simus, (*b*) cum totum, quod sumus, anima sit. Denique sine anima nihil sumus, nc hominis quidem, sed cadaveris nomen. (*c*) Si ergo ignoramus animam, ipsa se ignorat. Itaque (2) superest hoc solummodo inspicere, an se anima hic (3) ignorarit, ut nota quoquo (4) modo fieret. Opinor, sensualis est animæ natura. Adeo, nihil animale sine sensu; nihil sensuale sine anima. Et ut impressius (5) dixerim, animæ anima sensus est. Igitur cum omnibus anima sentire præstet, et ipsa sentiat omnium etiam sensus. (*d*) nedum qualitates, qui (6) verisimile est, ut ipsa sensum sui ab initio sortita non sit? Unde illi, scire quod interdum sibi sit necessarium, ex naturalium (7) necessitate, si non scit suam qualitatem, cui quid necessarium est? Hoc quidem in omni anima recognoscere est; notitiam sui dico; sine qua notitia sui nulla anima se (8) ministrare potuisset. Puto autem magis hominem, animal solum rationale, compotem et animam esse sortitum, quæ illum facit (9) animal rationale, ipsa in primis rationalis. Porro, quomodo rationalis, quæ efficit hominem rationale animal, si ipsa rationem suam nescit, ignorans semetipsam? Sed adeo non ignorat, ut auctorem, et arbitrum, et statum suum norit. Nihil adhuc de Deo disrens, Deum nominat: nihil adhuc de judicio ejus admittens, Deo commendare se dicit (10). Nihil magis audiens, quam spem nullam esse post mortem, (*e*) et bene et male defuncto cuique imprecatur. Plenius hæc prosequitur libellus quem scripsimus *de Testimonio animæ*. Alioquin, si anima semetipsam ignorans erat ab initio, nihil a Christo cognovisse debuerat, nisi qualis esset. Nunc autem non effigiem suam discit (11) a Christo, sed salutem. Propterea Filius Dei descendit, et animam subiit; non ut ipsa se anima cognosceret in Christo, sed ut Christum in semetipsa; non enim se ignorando de salute periclitatur, sed Dei Verbum. *Vita*, inquit, (*1 Joan. I*, 2) *manifestata est;* non anima, *etc.: Veni, inquit* (*Luc. IX*, 56), *animam salvam facere*: non dixit, *ostendere*. Ignorabamus nimirum animam, licet invisibilem, nasci et mori, nisi corporaliter exhiberetur. Ignoravimus plane resurrecturam cum carne. Hoc erit quod Christus manifestavit. Sed et hoc non aliter in se, quam in Lazaro aliquo, cujus caro non erat animalis, ita nec anima carnalis. Quid ergo amplius innotuit nobis de animæ ignoratæ retro dispositione? Quid invisibile ejus fuit, quod visibilitatem per carnem desideraret?

CAPUT XIII.

Caro facta est anima, ut anima ostenderetur. Numquid ergo et caro anima facta est, ut caro manifestaretur? Si caro anima est, jam non anima est, sed caro. Si anima caro est, jam non caro est, sed anima. (*f*) Ubi ergo caro, et ubi anima est, alterutrum facta est. Imo si neutrum sunt, dum alterutrum alterum fiunt, certe perversissimum, ut carnem nominantes, animam intelligamus, et animam significantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi quam sunt, et amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quam sunt, cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum. Etiam cum demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum possessiones. Verbi gratia, argilla excocta testæ vocabulum suscipit; nec communicat cum (12) vocabulo pristini generis, quia nec cum ipso genere. Proinde et anima Christi, caro facta, non potest non id esse quod facta est, et id non esse quod fuerit, aliud scilicet facta. Et quoniam proximum adhibuimus exemplum, plenius eo utemur. Certe enim testa ex argilla unum est corpus, unumque vocabulum, unius scilicet corporis. Nec potest (13) dici et argilla;

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quomodo *Rhen. Seml.*
(2) Ita *Seml.*
(3) Hic *abest a Rhen. Seml.*
(4) Quomodo *Rhen. Seml.*
(5) Pressius *Rhen.*
(6) Cui *Pam. Fran.*
(7) Naturali *Pam. Fran. Par.*
(8) A se *Fran. Par. Pam.*
(9) Faciat *Rhen. Seml.*
(10) Didicit *Rhen. Seml.* dicit *Ven.*
(11) Didicit *Rhen. Seml.*
(12) Cum *abest a Pam. Rig.*
(13) Testa *add. Pam Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAPUT XII. — (a) *Incognitam sibi et nobis.* Rationem insinuat, cur dicerent Valentiniani ostendendam animam, quasi esset incognita, perinde est incognita atque ostendenda. LAC.

(b) *Cum totum quod sumus anima sit.* Fuit Platonicorum et Pythagoreorum placitum animam solam esse hominem. Ita Plato in *Alcibiade*, ubi probat corpus non esse hominem, sed homini; externa vero non esse hominis, sed fortunæ. Adversus quem hanc quæstionem agitat Joannes Crispus lib. IX. *De ethnicis philos.* Præterea illud refutat Adrianus Sasbout Delphius hom. 3 *super Genesim*, juxta Platonis sententiam. LAC.

(c) *Si ergo ignoramus animam, ipsa se ignorat.* Verum hoc est, nam vis intellectiva in anima est, nec aliter quam intellectu percipi potest anima; materialis enim sensus non attingit rem spiritalem. Unde si animam non cognoscimus, neque anima se cognoscit. LAC.

(d) *Nedum qualitates.* Qualitates vocat, non quod rigidi philosophi mere accidentia, sed proprietates licet essentiales rerum, nempe qualiter et quæ sint, ut postea ait de anima: *Si non scit suam qualitatem.* LAC.

(e) *Et bene et male defuncto cuique imprecatur.* Crudelitatis et immanitatis fuit mortuos conviciis afficere, unde natum illud pietatis erga mortuos signum S. T. T. L. Terram gravem enim optare imprecatio quædam erat. LE PR.

CAPUT XIII. — (f) *Ubi ergo caro*, etc. Tertullianus nihil habet propositi aliud, quam ut ostendat in Christo carnem et animam diversæ fuisse substantiæ. LE PR.

quia quod fuit, non est; quod autem non est, omnino (1) non adhæret. Ergo et anima caro facta, uniformis, solidata : scilicet (2) singularitas tota (3) est, et indiscreta substantia. In Christo vero invenimus animam et carnem simplicibus et nudis vocabulis editas, id est (a) animam animam, et carnem carnem; nusquam animam carnem, aut carnem animam : quando ita nominari debuissent, si ita fuissent : sed etiam sibi quamque substantiam divise pronuntiatas ab (4) ipso, utique (5) pro duarum qualitatum distinctione, seorsum animam, et seorsum carnem. Quid (6) *anxia est*, inquit *(Matt. XXVI, 38)*, *anima mea usque ad mortem?* et *(Joan. VI)* (b) : *Panis quem ego dedero pro salute mundi, caro mea est*. Porro, si anima caro fuisset, unum esset in Christo carnea anima, aut caro animalis. At cum dividit species, carnem et animam, duo ostendit : si duo, jam non unum; si non unum, jam nec anima carnalis, nec caro animalis; unum enim est anima caro, aut caro anima. Nisi et seorsum aliam gestabat animam, præter eam quæ caro erat, et aliam circumferebat carnem, præter illam quæ anima erat. Quod si una caro, et una anima; illa tristis usque ad mortem, et illa panis pro mundi salute; salvus est numerus duarum substantiarum, in suo genere distantium, excludens carneæ animæ unicam speciem.

CAPUT XIV.

Sed angelum, aiunt, gestavit Christus. Qua ratione? Qua et hominem. Eadem ergo est et caussa, ut hominem gestaret Christus : salus hominis fuit caussa; scilicet, ad restituendum quod perierat. Homo perierat; hominem restitui oportuerat. (c) Ut angelum gestaret Christus, nihil tale de caussa est. Nam etsi angelis perditio reputatur, *in ignem præparatum diabolo et angelis ejus*, (d) nunquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus a Patre. (e) Quod Pater neque repromisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit. Cui igitur rei angelum quoque gestavit, nisi ut satellitem fortem, cum quo salutem hominis operaretur? Idoneus enim non erat Dei Filius, qui solus hominem liberaret, a solo et singulari serpente dejectum? Ergo jam non unus Deus, nec unus salutificator, si duo salutis artifices, et utique alter altero indigens. An vero, ut per angelum liberaret hominem? Cur ergo descendit ad id quod per angelum erat expediturus? Si per angelum, quid et ipse? Si per se, quid et angelus? Dictus est quidem magni consilii angelus, id est nuntius; officii, non naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus sæculo erat. Non ideo tamen sic angelus intelligendus ut aliqui (7) Gabriel aut Michael. Nam et filius a domino vineæ mittitur ad cultores, sicut et famuli, de fructibus petitum. Sed non propterea unus ex famulis deputabitur filius, quia famulorum successit officio. Facilius ergo dicam, si forte, ipsum filium angelum, id est nuntium patris, quam angelum in filio. Sed cum de filio ipso sit pronuntiatum *(Ps. VIII)* : *Minuisti eum modicum* (8) *quid citra angelos*, quomodo videbitur angelum induisse, sic infra angelos diminutus, dum homo fit (9), qua caro et anima et filius hominis? qua (10) autem spiritus Dei et virtus altissimi *(Luc, I)*, non potest infra angelos haberi, Deus scilicet et Dei Filius. Quanto ergo, dum hominem gestat, minor angelis factus est, tanto non, dum (11) angelum gestat. Poterit hæc opinio Hebioni convenire, qui nudum hominem, et tantum ex semine David, id est, non (12) et Dei filium, constituit Jesum, plane Prophetis aliquo (13) gloriosiorem, ut ita in illo (14) angelus (15) fuisse dicatur (16); quemadmodum in aliquo Zacharia. Nisi quod a (17) Christo nunquam est dictum : *(Zach. I) Et ait mihi angelus qui in me loquebatur*; sed nec quotidianum illud omnium Prophetarum: *Hæc dicit Dominus*. Ipse enim erat Dominus coram, ex (18) sua auctoritate pronuntians *(Is., I)* : *Ego autem dico*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non est et non adhæret, et anima *Pam. Rhen.*
(2) Sed *Pam. Rhen.*
(3) Tuta *Pam. Rhen.*
(4) Pronuntiata sub *Pam. Rhen.*
(5) Ubique *cod. Wouw.*
(6) Et *add. Lat.*
(7) Aliqui *abest a Par.*
(8) Modico *Rhen. Seml.*
(9) Sit *Rig. Ven.*
(10) Quia *Rhen. Seml.*
(11) Nondum *Pam. Seml.*
(12) Natum, non item *Pam. Fran.* non idem *Seml.*
(13) Modo *add. Lat.*
(14) Nonnullis *add. Fran. Pam.*
(15) Angelum *Rhen. Seml.*
(16) Edicat *Rhen. Seml.*
(17) A *omitt. Rhen. Seml.*
(18) Et *Pam. Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Animam animam, et carnem carnem.* Simplicitatem hic affectat, ut amphibologiam vitet. Le Pr.

(b) *Panis quem ego dedero pro salute mundi.* Frivola est quorumdam objectio, qui effusum sanguinem dicunt ἀντὶ πλείονων, non ἀντὶ πάντων, si hic locus spectetur. Vertit autem : *pro salute mundi*, cum deberet dicere : *pro mundi vita*. Le Pr.

(c) *Ut angelum gestaret, nihil tale de caussa est.* Id est : non fuit caussa, cur angelum gestaret. Observandum unionem hypostaticam, ad restaurandam aliquam naturam, oportere fieri in eadem natura. Rationem innuit Irenæus lib. III, cap. 20. Lac.

(d) *Nunquam tamen illis restitutio repromissa est.* Prævertit hic Origenistas et dæmoniacos recentiores, qui restitutionem dæmonibus aliquando pollicentur, et pro dæmonibus passum Christum dixerunt. Unde licet præcedentibus verbis, in illis *ignem* deficiat *æternum*, hic supplet, quoniam nunquam illis restitutio repromissa est. Caussas, cur angeli non restituendi, appingit Damasc. lib. II, de fide orthod., cap. 3 et 4; D. Thomas I p. quæst. 63, art. 2. Caussa scilicet theologica est : nam quod hominibus mors est, Angelis est casus; et sicut hominibus omnis spes resipiscendi sublata est post mortem, ita Angelis post casum. Inde Lactantius lib. VII, c. 26 Lac.

(e) *Quod pater neque repromisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit.* Quasi dicat : Debuit administrare quæ Pater repromisit et mandavit, ut videas commendatam obedientiam Christi. Ad rem Clemens Alex. lib. I Pædag. cap. 12, ait mandata esse veluti characteres divinos, quibus potentia velut infunditur ad perficiendum aliquid : χαρακτήρίζεται τὰς

CAPUT XII.

Ostensa sit nunc anima per carnem, si constiterit illam ostendendam quoquo modo (1) fuisse, id est (*a*) incognitam sibi et nobis. Quamquam in hoc vana distinctio est; quasi nos seorsum ab anima simus, (*b*) cum totum, quod sumus, anima sit. Denique sine anima nihil sumus, ne hominis quidem, sed cadaveris nomen. (*c*) Si ergo ignoramus animam, ipsa se ignorat. Itaque (2) superest hoc solummodo inspicere, an se anima hic (3) ignorarit, ut nota quoquo (4) modo fieret. Opinor, sensualis est animæ natura. Adeo, nihil animale sine sensu; nihil sensuale sine anima. Et ut impressius (5) dixerim, animæ anima sensus est. Igitur cum omnibus anima sentire præstet, et ipsa sentiat omnium etiam sensus. (*d*) nedum qualitates, qui (6) verisimile est, ut ipsa sensum sui ab initio sortita non sit? Unde illi, scire quod interdum sibi sit necessarium, ex naturalium (7) necessitate, si non scit suam qualitatem, cui quid necessarium est? iloc quidem in omni anima recognoscere est; notitiam sui dico; sine qua notitia sui nulla anima se (8) ministrare potuisset. Puto autem magis hominem, animal solum rationale, compotem et animam esse sortitum, quæ illum facit (9) animal rationale, ipsa in primis rationalis. Porro, quomodo rationalis, quæ efficit hominem rationale animal, si ipsa rationem suam nescit, ignorans semetipsam? Sed adeo non ignorat, ut auctorem, et arbitrum, et statum suum norit. Nihil adhuc de Deo discens, Deum nominat: nihil adhuc de judicio ejus admittens, Deo commendare se dicit (10). Nihil magis audiens, quam spem nullam esse post mortem, (*e*) et bene et male defuncto cuique imprecatur. Plenius hæc prosequitur libellus quem scripsimus *de Testimonio animæ*. Alioquin, si anima semetipsam ignorans erat ab initio, nihil a Christo cognovisse debuerat, nisi qualis esset. Nunc autem non effigiem suam discit (11) a Christo, sed salutem. Propterea Filius Dei descendit, et animam subiit; non ut ipsa se anima cognosceret in Christo, sed ut Christum in semetipsa; non enim se ignorando de salute periclitatur, sed Dei Verbum. *Vita*, inquit, (*I Joan. I*, 2) *manifestata est;* non anima, *etc.: Veni, inquit* (*Luc. IX*, 56), *animam salvam facere*: non dixit, *ostendere*. Ignorabamus nimirum animam, licet invisibilem, nasci et mori, nisi corporaliter exhiberetur. Ignoravimus plane resurrecturam cum carne. Hoc erit quod Christus manifestavit. Sed et hoc non aliter in se, quam in Lazaro aliquo, cujus caro non erat animalis, ita nec anima carnalis. Quid ergo amplius innotuit nobis de animæ ignoratæ retro dispositione? Quid invisibile ejus fuit, quod visibilitatem per carnem desideraret?

CAPUT XIII.

Caro facta est anima, ut anima ostenderetur. Numquid ergo et caro anima facta est, ut caro manifestaretur? Si caro anima est, jam non anima est, sed caro. Si anima caro est, jam non caro est, sed anima. (*f*) Ubi ergo caro, et ubi anima est, alterutrum facta est. Imo si neutrum sunt, dum alterutrum alterum fiunt, certe perversissimum, ut carnem nominantes, animam intelligamus, et animam significantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi quam sunt, et amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quam sunt, cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum. Etiam cum demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum possessiones. Verbi gratia, argilla excocta testæ vocabulum suscipit; nec communicat cum (12) vocabulo pristini generis, quia nec cum ipso genere. Proinde et anima Christi, caro facta, non potest non id esse quod facta est, et id non esse quod fuerit, aliud scilicet facta. Et quoniam proximum adhibuimus exemplum, plenius eo utemur. Certe enim testa ex argilla unum est corpus, unumque vocabulum, unius scilicet corporis. Nec potest (13) dici et argilla;

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quomodo *Rhen. Seml.*
(2) Ita *Seml.*
(3) Hic *abest a Rhen. Seml.*
(4) Quomodo *Rhen. Seml.*
(5) Pressius *Rhen.*
(6) Cui *Pam. Fran.*
(7) Naturali *Pam. Fran. Par.*
(8) A se *Fran. Par. Pam.*
(9) Faciat *Rhen. Seml.*
(10) Didicit *Rhen. Seml.* dicit *Ven.*
(11) Didicit *Rhen. Seml.*
(12) Cum *abest a Pam. Rig.*
(13) Testa *add. Pam Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAPUT XII. — (a) *Incognitam sibi et nobis.* Rationem insinuat, cur dicerent Valentiniani ostendendam animam, quasi esset incognita, perinde est incognita atque ostendenda. Lac.

(b) *Cum totum quod sumus anima sit.* Fuit Platonicorum et Pythagoræorum placitum animam solam esse hominem. Ita Plato in *Alcibiade*, ubi probat corpus non esse hominem, sed homini; externa vero non esse hominis, sed fortunæ. Adversus quem hanc quæstionem agitat Joannes Crispus lib. IX. *De ethnicis philos.* Præterea illud refutat Adrianus Sasbout Delphius hom. 3 *super Genesim*, juxta Platonis sententiam. Lac.

(c) *Si ergo ignoramus animam, ipsa se ignorat.* Verum hoc est, nam vis intellectiva in anima est, nec aliter quam intellectu percipi potest anima; materialis enim sensus non attingit rem spiritalem. Unde si animam non cognoscimus, neque anima se cognoscit. Lac.

(d) *Nedum qualitates.* Qualitates vocat, non quod rigide philosophi mere accidentia, sed proprietates licet essentiales rerum, nempe qualiter et quæ sint, ut postea ait de anima: *Si non scit suam qualitatem.* Lac.

(e) *Et bene et male defuncto cuique imprecatur.* Crudelitatis et immanitatis fuit mortuos conviciis afficere, unde natum illud pietatis erga mortuos signum S. T. T. L. Terram gravem cuim optare imprecatio quædam erat. Le Pa.

CAPUT XIII. — (f) *Ubi ergo caro*, etc. Tertullianus nihil habet propositi aliud, quam ut ostendat in Christo carnem et animam diversæ fuisse substantiæ. Le Pa.

quia quod fuit, non est; quod autem non est, omnino (1) non adhæret. Ergo et anima caro facta, uniformis, solidata : scilicet (2) singularitas tota (3) est, et indiscreta substantia. In Christo vero invenimus animam et carnem simplicibus et nudis vocabulis editas, id est (*a*) animam animam, et carnem carnem; nusquam animam carnem, aut carnem animam : quando ita nominari debuissent, si ita fuissent : sed etiam sibi quamque substantiam divise pronuntiatas ab (4) ipso, utique (5) pro duarum qualitatum distinctione, seorsum animam, et seorsum carnem. Quid (6) *anxia est*, inquit (*Matt. XXVI*, 38), *anima mea usque ad mortem?* et (*Joan. VI*) (*b*) : *Panis quem ego dedero pro salute mundi, caro mea est.* Porro, si anima caro fuisset, unum esset in Christo carnea anima, aut caro animalis. At cum dividit species, carnem et animam, duo ostendit : si duo, jam non unum; si non unum, jam nec anima carnalis, nec caro animalis; unum enim est anima caro, aut caro anima. Nisi et seorsum aliam gestabat animam, præter eam quæ caro erat, et aliam circumferebat carnem, præter illam quæ anima erat. Quod si una caro, et una anima; illa tristis usque ad mortem, et illa panis pro mundi salute; salvus est numerus duarum substantiarum, in suo genere distantium, excludens carneæ animæ unicam speciem.

CAPUT XIV.

Sed angelum, aiunt, gestavit Christus. Qua ratione? Qua et hominem. Eadem ergo est et caussa, ut hominem gestaret Christus : salus hominis fuit caussa; scilicet, ad restituendum quod perierat. Homo perierat; hominem restitui oportuerat. (*c*) Ut angelum gestaret Christus, nihil tale de caussa est. Nam etsi angelis perditio reputatur, *in ignem præparatum diabolo et angelis ejus*, (*d*) nunquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus a Patre. (*e*) Quod Pater neque repromisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit. Cui igitur rei angelum quoque gestavit, nisi ut satellitem fortem, cum quo salutem hominis operaretur? Idoneus enim non erat Dei Filius, qui solus hominem liberaret, a solo et singulari serpente dejectum? Ergo jam non unus Deus, nec unus salutificator, si duo salutis artifices, et utique alter altero indigens. An vero, ut per angelum liberaret hominem? Cur ergo descendit ad id quod per angelum erat expediturus? Si per angelum, quid et ipse? Si per se, quid et angelus? Dictus est quidem magni consilii angelus, id est nuntius; officii, non naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus sæculo erat. Non ideo tamen sic angelus intelligendus ut aliqui (7) Gabriel aut Michael. Nam et filius a domino vineæ mittitur ad cultores, sicut et famuli, de fructibus petitum. Sed non propterea unus ex famulis deputabitur filius, quia famulorum successit officio. Facilius ergo dicam, si forte, ipsum filium angelum, id est nuntium patris, quam angelum in filio. Sed cum de filio ipso sit pronuntiatum (*Ps.* VIII) : *Minuisti eum modicum* (8) *quid citra angelos*, quomodo videbitur angelum induisse, sic infra angelos diminutus, dum homo fit (9), qua caro et anima et filius hominis? qua (10) autem spiritus Dei et virtus altissimi (*Luc*, I), non potest infra angelos haberi, Deus scilicet et Dei Filius. Quanto ergo, dum hominem gestat, minor angelis factus est, tanto non, dum (11) angelum gestat. Poterit hæc opinio Hebioni convenire, qui nudum hominem, et tantum ex semine David, id est, non (12) et Dei filium, constituit Jesum, plane Prophetis aliquo (13) gloriosiorem, ut ita in illo (14) angelus (15) fuisse dicatur (16); quemadmodum in aliquo Zacharia. Nisi quod a (17) Christo nunquam est dictum : (*Zach.* I) *Et ait mihi angelus qui in me loquebatur;* sed nec quotidianum illud omnium Prophetarum: *Hæc dicit Dominus.* Ipse enim erat Dominus coram, ex (18) sua auctoritate pronuntians (*Is.*, I): *Ego autem dico*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non est et non adhæret, et anima *Pam. Rhen.*
(2) Sed *Pam. Rhen.*
(3) Tuta *Pam. Rhen.*
(4) Pronuntiata sub *Pam. Rhen.*
(5) Ubique *cod. Wouw.*
(6) Et *add. Lat.*
(7) Aliqui *abest a Par.*
(8) Modico *Rhen. Seml.*
(9) Sit *Rig. Ven.*
(10) Quia *Rhen. Seml.*
(11) Nondum *Pam. Seml.*
(12) Natum, non item *Pam. Fran.* non idem *Seml.*
(13) Modo *add. Lat.*
(14) Nonnullis *add. Fran. Pam.*
(15) Angelum *Rhen. Seml.*
(16) Edicat *Rhen. seml.*
(17) A *omitt. Rhen. Seml.*
(18) Et *Pam. Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Animam animam, et carnem carnem.* Simplicitatem hic affectat, ut amphibologiam vitet. Le Pr.

(b) *Panis quem ego dedero pro salute mundi.* Frivola est quorumdam objectio, qui effusum sanguinem dicunt ἀντὶ πλείστων, non ἀντὶ πάντων, si hic locus spectetur. Vertit autem : *pro salute mundi*, cum deberet dicere : *pro mundi vita.* Le Pr.

(c) *Ut angelum gestaret, nihil tale de caussa est.* Id est : non fuit caussa, cur angelum gestaret. Observandum unionem hypostaticam, ad restauranda aliquam naturam, oportere fieri in eadem natura. Rationem innuit Irenæus lib. III, cap. 20. Lac.

(d) *Nunquam tamen illis restitutio repromissa est.* Prævertit hic Origenistas et dæmoniacos recentiores, qui restitutionem dæmonibus aliquando pollicentur, et pro dæmonibus passum Christum dixerunt. Unde licet præcedentibus verbis, in illis *ignem* deficiat *æternum*, hic supplet, quoniam nunquam illis restitutio repromissa est. Caussas, cur angeli non restituendi, appingit Damasc. lib. II, de fide orthod., cap. 3 et 4; D. Thomas I p. quæst. 63, art. 2. Caussa scilicet theologica est : nam quod hominibus mors est, Angelis est casus; et sicut hominibus omnis spes resipiscendi sublata est post mortem, ita Angelis post casum. Inde Lactantius lib. VII, c. 26 Lac.

(e) *Quod pater neque repromisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit.* Quasi dicat : Debuit administrare quæ Pater repromisit et mandavit, ut videas commendatam obedientiam Christi. Ad rem Clemens Alex. lib. I Pædag. cap. 12, ait mandata esse veluti characteres divinos, quibus potentia velut infunditur ad perficiendum aliquid : χαρακτηρίζεται τὰς

robis. Quid ultra? adhuc Esaiam exclamantem audi (*Is.* LXIII) : *Non angelus, neque legatus, sed ipse Dominus salvos eos fecit.*

CAPUT XV.

Licuit et Valentino, ex privilegio hæretico, carnem Christi spiritalem comminisci. Quidvis eam fingere potuit, quisquis humanam credere noluit; quando (quod ad omnes dictum est) si humana non fuit, nec ex homine, non video ex qua substantia ipse (1) se (2), Christus hominem et filium hominis pronuntiarit (*Joan.*, VIII, 40) : *Nunc autem vultis occidere hominem veritatem ad vos locutum;* et (*Luc*, VI, 5) : *Dominus est sabbati filius hominis.* De ipso enim Esaias (*Is.* LIII, 3) : *Homo in plaga, et sciens ferre imbecillitatem;* et Hieremias (*Jerem.*, XVII) : *Et homo est, et quis cognoscet* (3) *illum* ? et Daniel (*Dan.*, VII) : *Et super nubes tanquam filius hominis.* Etiam Paulus apostolus (I *Tim.*, II) : *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Item Petrus in Actis Apostolorum (*Act.*, I) : *Jesum Nazarenum, (a) virum vobis a Deo destinatum*, utique hominem. Hæc sola sufficere vice præscriptionis debuerunt ad testimonium carnis humanæ, et ex homine sumptæ, et non spiritalis; sicut nec animalis, nec siderea, nec imaginariæ; si sine studio et artificio contentionis hæreses esse potuissent. Nam ut penes quemdam ex Valentini factione (4) legi, primo non putant terrenam et humanam (5) Christo substantiam informatam, ne deterior angelis Dominus deprehendatur, qui non terrenæ carnis extiterunt (6); dehinc, quod oporteret similem nostri carnem similiter nasci, non de spiritu, nec de Deo, sed ex viri voluntate. (*b*) Et cur non de corruptela, sed de incorruptela? Et quare non, sicut et illa resurrexit, et in cœlo resumpta est, ita et nostra, par ejus, statim assumitur? aut cur illa, par nostræ, non æque in terram dissoluta est? Talia et (7) ethnici volutabunt (8) : Ergo Dei Filius in tantum humilitatis exhaustus? Et, si resurrexit in exemplum spei nostræ, cur nihil tale de nobis probatum est? A Merito ethnici talia, sed merito et hæretici. Numquid enim inter illos distat, nisi quod ethnici non credendo credunt, at hæretici credendo non credunt? Legunt denique (*Ps.* VIII) . *Minorasti eum modico citra angelos*, et negant inferiorem substantiam Christi; nec hominem se, sed vermem pronuntiantis (*Ps.* XXI) ; qui (*Is.*, LIII) *nec formam habuit, nec speciem;* sed forma ejus ignobilis, despecta (9) citra omnes homines; homo in plaga, et sciens ferre imbecillitatem. Agnoscunt hominem Deo mixtum, et negant hominem. Mortuum credunt, et quod est mortuum, ex incorruptela natum esse contendunt : quasi corruptela aliud sit a morte. « Sed et nostra caro statim resurgere debebat. » Exspecta : nondum inimicos suos Christus oppressit, ut cum amicis de inimicis B triumphet.

CAPUT XVI.

Insuper, argumentandi libidine, ex forma ingenii hæretici, locum sibi fecit Alexander ille, quasi nos affirmemus, idcirco Christum terreni census induisse carnem, ut evacuaret in semetipso carnem peccati. Quod etsi diceremus, quacunque ratione muniremus sententiam nostram, dum ne tanta amentia, qua putavit, tanquam ipsam carnem Christi opinemur, ut peccatricem, evacuatam in ipso : cum illam et ad dexteram Patris in cœlis præsidere meminerimus, et venturam inde, suggestu paternæ claritatis, prædicemus. Adeo, ut evacuatam non possumus (10) dicere, ita nec peccatricem; nec evacuatam, in qua dolus non fuit. (*c*) Defendimus autem, non carnem C peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis; non materiam, sed naturam; nec substantiam, sed culpam : secundum Apostoli auctoritatem dicentis (*Rom.*, VIII, 3) : *Evacuavit peccatum in carne.* Nam et alibi (*Ibid.*) : *in similitudine*, inquit, *carnis peccati* fuisse Christum. Non quod similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis, et non veritatem; sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi; quod ipsa non peccatrix caro Christi, ejus fuit par, cujus erat

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ipse *abest a Par.*
(2) Se *abest a Rhen. Seml.*
(3) Cognovit *Rhen. Seml.*
(4) Natione *Rig. Ven.* ratione *Rhen.*
(5) Et humanam *omitt. Rhen. Seml.*
(6) Extiterint *Rhen.*
(7) Et *omitt. Rhen. Seml.*
(8) Volutabant *Pam. Rhen.*
(9) Defecta *Fran. Pam.*
D (10) Possimus *Jun.*

COMMENTARIUS.

ἐντολὰς αὐτὰς, τελεῖν δύνασθαι : *mandata ut characteres insimul* Deus, *ut ipsa perficere possimus.* Lac.

CAP. XV. — (a) *Virum vobis a Deo destinatum.* Vulgata : *approbatum.* Ortum discrimen ab exemplaribus græcis : nam aliqua habent ἀποδεδειγμένον, quod vulgatus *approbatum* vertit, quædam vero ἀποδεδεγμένον, quod est declaratum, exhibitum, demonstratum, sive ut reddit Tertullianus, destinatum. Lac.

(b) *Et cur non de corruptela.* Hæ sunt argutiæ Valentinianorum, quæ Alexander ille conscripserat. Quæstio hæc postea renovata in Oriente : utrum scilicet Christi caro corruptibilis vel incorruptibilis fuerit, ut monuit Reginus comes, epist. ad Fulgent. cujus meminit Ferrandus Diaconus in *Paræneticо.* Lac.

CAP. XVI. — (c) *Defendimus autem.* Integrum hoc caput apologia est pro Christianis contra calumnias Alexandri, qui imponebat illis existimare peccatricem carnem Christum habuisse. Miror Baronium, an. Christi CCIX, hoc caput non intellexisse; tribuit enim Alexandro huic diversissimam hæresim ab ea quam habuit. Ita enim Alexandrum exprobrans exclamat : *Carnem Christi, sui ortu, proh scelus! impie dicebat infectam fuisse peccato.* Non enim id dicebat Alexander, sed dicebat nos Catholicos id dicere, in quo egregie mentiebatur. Ac propterea ipse carnem Christi, ne diceret infectam fuisse peccato, spiritualem fingebat. Id colligi ex Tertulliano potest, non aliud. Ac propterea duo agit in hoc capite; primum, purgat Catholicos ab hac impostura; alterum, explicat quomodo, licet caro Christi fuerit ac nostra, tamen non peccatrix fuerit. Quamobrem titulus capitis (in vet. edit.), qui obscurus est, potuit decipere Baronium, erit itaque hic clarior : *Responsio pro Catholicis, quod caro vera Christi peccatrix non fuerit.* Lac., *adnotantibus* Edd.

peccatum; genere, non vitio Adæ: quando hinc etiam confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cujus natura est in homine peccatrix; et sic in illa peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habebatur. Nam neque ad propositum Christi faceret evacuantis peccatum carnis, non in ea carne evacuare illud, in qua erat natura peccati, neque ad gloriam. Quid enim magnum, si in carne meliore, et alterius, id est non peccatricis naturæ, nævum (1) redemit? Ergo, inquis, si nostram induit, peccatrix fuit caro Christi. Noli constringere explicabilem sensum. Nostram enim induens, suam fecit; suam faciens, non peccatricem eam fecit. Cæterum (quod ad omnes dictum sit, qui ideo non putant carnem nostram in Christo fuisse, quia non fuit ex viri semine) recordentur Adam ipsum in hanc carnem, non ex semine viri factum. Sicut terra conversa est in hanc carnem sine viri semine, ita et Dei Verbum potuit sine coagulo in ejusdem carnis transire materiam.

CAPUT XVII.

Sed remisso Alexandro cum suis syllogismis, quos in argumentationibus torquet, (*a*) etiam cum psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicujus auctoris interserit, ad unam jam lineam congressionem dirigamus, an carnem Christus ex virgine acceperit, ut hoc præcipue modo humanam eam constet, si ex humana matrice substantiam traxit. Quamquam liquit (2) jam et de nomine hominis, et (3) de statu qualitatis, et de sensu tractationis, et de exitu passionis humanam constitisse. Ante omnia autem commendanda erit ratio quæ præfuit, ut Dei Filius de virgine nasceretur. Nove nasci debebat novæ nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Esaia prædicabatur. Quod (4) est istud signum? *Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium* (*Is.*, VII). Concepit igitur virgo et peperit Emmanuelem, Nobiscum Deum. Hæc est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo; in quo homine Deus natus est, (*b*) carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo, ut illam novo semine, id est, spiritaliter reformaret exclusis antiquitatis sordibus, expiatam. Sed tota novitas ista, sicut et in omnibus, de veteri figura est, rationali per virginem dispositione (5) Domino nascente. Virgo erat adhuc terra nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accepimus (6) a Deo in animam vivam. Igitur si primus Adam de terra (7) traditur, merito sequens, vel novissimus Adam, ut Apostolus dixit, proinde de terra, id est, carne nondum (8) generationi resignata, in spiritum vivificantem a Deo est prolatus. Et tamen, ne (9) mihi vacet incursus nominis Adæ (*c*), unde Christus (10) Adam ab Apostolo (11) dictus est, si terreni non fuit census homo ejus? Sed et hic ratio defendit, quod Deus (12) imaginem et similitudinem suam, a diabolo captam, æmula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis (*d*); in virginem æque introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ: ut quod per ejusmodi sexum abierat (13) in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. « Sed (14) Eva nihil tunc concepit in utero ex diaboli verbo. » Imo concepit. Nam exinde ut abjecta pareret, et in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam. Contra, Maria cum edidit, qui carnalem fratrem Israel, interemptorem suum, salvum quandoque præstaret In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet (15). Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quo homo jam damnatus intraverat.

CAPUT XVIII.

Nunc, ut simplicius respondeamus, non compete-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nexum *Jun.*
(2) Licuit *Rhen. Seml.*
(3) Et *omitt. Rhen. seml.*
(4) Quid *Rig.*
(5) Homine *add. Fran. Par. Pam.*
(6) Accipimus *Rhen. Pam. Seml.*
(7) Ita *inser. Par.*
(8) Non *Rhen. Seml.*
(9) Nec *Fran. Pam. utramvis omitt Lat.*
(10) Ad eumdem Christus *Rhen. Seml.* in Christum pro Adæ unde Christus *Pam.*
(11) Apostolis *Lat.*
(12) Dei *Rhen. Seml.*
(13) Abierit *Fran. Rig. Ven.*
(14) Et *add. Rhen. Seml.*
(15) Redderet *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVII. — (a) *Cum Psalmis Valentini.* Eorumdem infra fit mentio cap. 20: *Nobis quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur; non quidem apostatæ, et hæretici, et platonici Valentini*, etc. Videtur autem ex posteriori loco Valentinus una cum Nicolaitis et Gnosticis (quibus eum errorem adscribit Philastrius) non agnovisse Psalmos David. Quos postea imitatus Paulus Samosatenus, teste Euseb. *Histor. Eccl.* lib. VII, cap. 24. Psalmos qui in Dominum Jesum dicebantur, cessare fecit, velut neotericos et nuper inventos; a se vero compositos, diebus Paschæ, in medio Ecclesiæ, mulieres canere jussit; ita ut horresceret si quis audiret. Quæ verba ideo in medium adducta, ut agnoscant quos auctores imitentur nostri moderni Maroticorum potius, quam Christi psalmorum cantores et cantatrices, idque tali cum boatu, ut animus audientium perhorrescat. PAM.

(b) *Carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo.* Licet enim Christus carnem assumpserit peccati macula deformem, non tamen deformitatem illam induit, peccatum non assumpsit. Assumptione quippe illa *antiquis sordibus expiatam* accepit. LE PR.

(c) *Ne mihi vacet incursus nominis Adæ.* Hoc est, ne elabi sinam occasionem argumentandi ex nomine Adam. Incursum dicit argumentationis impetum. RIG.

(d) *In virginem enim adhuc Evam*, etc. Conferatur hic Eva cum Beatissima Virgine. Antitheses vero illæ non insolentes sunt Patribus: Evam in Mariam transfusam dixit S. Bernardus. Sergius Hierapolita de natali Virginis dixit illam esse ἀνάκλησιν τῆς Εὔας, *reparationem Evæ*. Cesso in re satis communi. LE PR.

bat ex semine humano Dei Filium nasci, ne si (1) totus esset filius hominis, non esset et Dei filius, nihilque haberet amplius Salomone (*a*), et amplius Jona; et de Hebionis opinione credendus erat. Ergo, jam Dei Filius ex Patris (*b*) Dei semine, id est spiritu, ut esset et (2) hominis filius, caro ei sola (3) erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Vacabat enim viri semen (4), apud habentem Dei semen. Itaque, sicut nondum natus ex virgine, patrem Deum habere potuit sine homine matre (5); æque, cum de virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem (6) sine homine patre. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum spiritu Dei. Caro sine semine, ex homine; spiritus cum semine, ex Deo. (*c*) Igitur si fuit dispositio rationis super Filium Dei ex virgine proferendum, cur non ex virgine acceperit corpus, quod de virgine prolulit? Quia aliud est quod a Deo sumpsit. Quoniam, inquiunt, *Verbum* (*Joan.*, I) *caro factum est*. Vox ista quid caro factum sit contestatur; nec tamen periclitatur, quasi statim aliud sit factum caro, et non Verbum. Si ex carne factum est verbum caro, aut si ex semine ipso (7) factum est, Scriptura dicat. Cum Scriptura non dicat, nisi quod sit factum, non et unde sit factum; ergo ex alio, non ex semine ipso (8) sugerit factum. Si non ex semine ipso (9), sed ex alio, jam hinc tracta, ex qua magis credere congruat, carnem factum Verbum, nisi ex carne, in qua et factum est, vel quia ipse Dominus sententialiter et definitive pronuntiavit (*Joan.*, IV) : *Quod in carne natum est, caro est*, quia ex carne natum est. Sed si de homine tantummodo dixit, non et de semetipso, plane nega hominem Christum, et ita defende non et in ipsum competisse. Atquin subjicit (*ibid.*) : *Et quod de spiritu natum est, spiritus est*. Quia Deus spiritus est, et de Deo natus est. Hoc utique vel eo magis in ipsum tendit, si et in credentes ejus. Si ergo et hoc ad ipsum, cur non et illud supra? Neque enim divid re potes hoc ad ipsum, illud supra ad cæteros homines, qui utramque substantiam Christi, et carnis et spiritus, non negas. Cæterum, si tam carnem habuit, quam spiritum, cum de duarum substantiarum condit one pronuntiat, quas et ipse gestat, non potest videri de spiritu quidem suo, de carne vero non sua determinasse. Ita, cum ipse sit de spiritu Dei, et spiritus Deus est, et Deus (10) ex Deo natus ipse est, et ex carne hominis, homo in carne generatus.

CAPUT XIX.

Quid est ergo, *non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (11)? Hoc quidem capitulo ego potius utar, (*d*) cum adulteratores ejus obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt : *Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est*, quasi supra dictos credentes in nomine ejus designet, ut ostendat esse (*e*) semen illud (12) arcanum electorum, et spiritalium (13), quod sibi imbuunt. Quomodo autem ita erit, cum omnes qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani, ex sanguine, et ex carnis, et ex viri voluntate nascantur, etiam Valentinus ipse? Adeo singulariter, ut de Domino scriptum est : *Et ex Deo natus est*. Merito, quia Verbum Dei, et cum Verbo Dei spiritus, et in spiritu Dei virtus, et quidquid Dei est Christus. Qua caro autem, non ex sanguine, nec ex carnis et viri voluntate : quia ex Dei voluntate Verbum caro factum est. Ad carnem enim, non ad verbum pertinet negotiatio (14) formalis nostræ nativitatis, quia caro sic habebat nasci, non verbum. Negans autem ex carnis quoque voluntate natum, cur non negavit etiam ex substantia carnis? Neque enim, quia ex sanguine negavit, substantiam carnis removit, sed materiam seminis, quam constat sanguinis esse

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nisi *Rhen.*
(2) Et *omitt. Pam. Rhen.*
(3) Ea sola quæ *Rhen. Seml.*
(4) Semen viri *Rhen. Seml.*
(5) Matre *omitt. Rhen.*
(6) Hominem *omitt. Rhen.*
(7) Semetipso *Pam. Rig.*
(8) Semetipso *Par. Rig. Ven.*
(9) Semetipso *Par. Rig. Ven.*
(10) Et Deus *abest a Rhen. Par. Fran. Pam.*
(11) Natus est *Pam. Rhen.*
(12) Illius *Rhen. Seml.*
(13) Spiritualium *Par. Fran. Pam.*
(14) Negatio *Pam. Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVIII.—(a) *Nihilque haberet amplius Salomone.* Hæresim Hebionis, quod Christus non esset Dei Filius, ex XII Matth. artificiose confutat : *ecce plus quam Jonas hic*; et *ecce plus quam Salomon hic*. Invertit ordinem, ut etiam Irenæus lib. III, cap. 29 : *Si enim Joseph filius esset, quemadmodum plus poterat quam Salomon, aut plus quam Jonas habere?* Lac.

(b) *Dei semine.* Libenter amplectuntur Theologi verbum istud, ut rationem suam fulciant, cur Sancti Spiritus processio filiatio non sit, uti et Verbi processio. Nempe dicunt, quia verbum ex semine Dei processit, non Spiritus Sanctus. Quodnam hoc Dei semen? Respondent, speciem intelligibilem, seu notitiam sui. Sed hoc Scholæ viderint. Tertullianus id non sigillatim explicuit, sed generalius dixit : *Id est, spiritu Dei*. Lac.

(c) *Igitur si fuit dispositio rationis*, etc. Hoc ait, quia Valentiniani dicebant. Christum Dominum per Virginem prolatum et proditum in mundum, nec tamen quidquam ex ea accepisse : quos item refutant Origenes dial. II *de Christo homine*; Irenæus lib. III, *contra Valent.*; Euthymius, 2 p. *panopl.*, et alii apud Canisium lib. II de Deipara, cap. 16. Lac.

CAP. XIX. — (d) *Cum adulteratores ejus obduxero*, etc. Adulteratores sunt κατηλοι seu καπηλεύοντες λόγον τοῦ θεοῦ. Seu vocat hæreticos scripturæ adulteratores, quia eam pessimis interpretationibus corrumpebant. Le Pr. — *Obduxero*, etc. Profligavero, delevero, ut usus est cap. 46, *Apolog.* et lib. *de Resurrect. Carnis* : sæpe vocat *adulteratores*, qui locum Joannis usurpabant pessime, ut Valentinianum somnium fulcirent; non quia vitiarent lectionem ipsam. Lac.

(e) *Semen illud arcanum.* Somnium illud perstringit de semine animali et spirituali Valentinianorum, quæ electis inducuntur a Demiurgo et Achamoth, ut cap. 25 adversum Valentin. narrat ipse, volebant illud *ex Deo* hoc semen notare. Cæterum, alii legant *semen illius*. Lac.

calorem, ut despumatione mutatum in coagulum sanguinis fœminæ. Nam ex coagulo in caseo vis est substantiæ, quam medicando constringit, id est lactis. Intelligimus ergo, ex concubitu nativitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri et carnis, non ex vulvæ participatione. Et quid utique tam exaggeranter inculcavit, non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, aut viri, natum; nisi quia ea erat caro, quam ex eo cubitu natam nemo dubitaret? Negans porro ex concubitu, non negavit ex carne; imo confirmavit ex carne, quia non proinde negavit ex carne, sicut ex concubitu negavit. Oro vos, si Dei spiritus (1) non de vulva carnem participaturus descendit in vulvam, cur descendit in vulvam? potuit enim extra eam fieri caro spiritalis simplicius multo, quam intra vulvam fieret extra vulvam (2). Sine caussa eo se intulit, unde nihil extulit. Sed non sine caussa descendit in vulvam: ergo ex illa accepit. Quia si non ex illa accepit, sine caussa in illam descendit, maxime ejus qualitatis caro futurus, quæ non erat vulvæ, id est spiritalis.

CAPUT XX.

Qualis est autem tortuositas vestra, ut ipsam *ex* syllabam, præpositionis officio adscriptam, auferre quæratis, et alia magis uti, quæ in hac specie non invenitur penes Scripturas sanctas? *Per* virginem dicitis natum, non *ex* virgine; et *in* vulva, non *ex* vulva. Quia et angelus in somnis ad Joseph: *Nam quod in ea natum est*, inquit (*Matth.*, I), *de Spiritu Sancto est*; non dixit *ex ea*. Nempe tamen, etsi *ex ea* dixisset, *in ea* dixerat: in ea enim erat, quod ex ea erat. Tantumdem ergo, et cum dicit, *in ea*, et *ex ea* consonat; quia ex ea erat, quod in ea erat. Sed bene, quod idem dicit Matthæus, originem Domini decurrens ab Abraham usque ad Mariam: *Jacob*, inquit, *generavit Joseph, virum Mariæ, ex qua nascitur Christus*. Sed et Paulus grammaticis istis silentium imponit: *Misit*, inquit (*Gal.*, IV, 4), *Deus Filium suum factum ex muliere*. Numquid *per mulierem*, aut *in muliere* (3)? Hoc quidem impressius, quod *factum* potius (4) dicit, quam *natum*: simplicius enim enuntiasset *natum*. *Factum* autem dicendo, et *verbum caro factum est* consignavit, et carnis veritatem ex virgine factæ (5) asseveravit. Nobis quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem apostatæ, et hæretici, et (6) platonici Valentini, sed sanctissimi et receptissimi prophetæ David. Ille apud nos canit Christum, per quem se cecinit ipse Christus. Accipe Christum, et audi Dominum Patri (7) Deo colloquentem (8) (*Ps.*, XXI): *Quia tu es qui avulsisti me ex utero matris meæ*: ecce unum. *Et spes mea ab uberibus matris meæ; super te sum projectus ex vulva*: ecce aliud: *Et ab utero matris meæ Deus meus es tu*: ecce aliud (9). Nunc ad sensus ipsos decertemus. *Avulsisti me* (10), inquit, *ex utero*. Quid avellitur, nisi quod inhæret, quod infixum, innexum est ei, a quo, ut auferatur, avellitur? Si non adhæsit utero, quomodo avulsus est? si adhæsit qui avulsus est, quomodo adhæsisset, nisi (*a*) dum ex utero est (*b*) per illum nervum umbilicarem, quasi folliculi sui traducem (*c*), adnexus (11) (*d*) origini vulvæ (*e*). Etiam cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur et convisceratur cum eo cui agglutinatur, ut cum avellitur, rapiat secum ex corpore aliquid a quo avellitur, (*f*) quasi sequelam quamdam abruptæ unitatis, et (*g*) producis (12) mutui coitus. Cæterum quæ ubera matris suæ nominat? Sine dubio, quæ hausit. Respondeant obstetri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Filius *Fran. Par. Pam. Rhen.*
(2) Extra vulvam *abest Fran. Pam.*
(3) Mulierem *Pam. Rhen.*
(4) Potius *omitt. Semi.*
(5) Factam *Par. Ven.*
(6) Et *abest a Par.*
(7) Accipe et David Domino *Rhen.* accipe Christum et David Domino *Jun.*
(8) Eloquentem *Rhen. Semi.*
(9) Aliter *Rhen. Semi.*
(10) Me *omitt. Rhen. Pam.*
(11) Adnexam *Rhen.*
(12) Traducis *Fran. Par.* traducem *Pam.* producem *Rh. Semi.*

COMMENTARIUS.

CAP. XX. — (a) *Dum ex utero est.* Hoc est, dum ad uterum pertinet, quasi pars et portio uteri. Rig.

(b) *Per illum nervum umbilicarem.* Nervum umbilicarem dicit venarum et arteriarum compaginem, quatenus collatis in umbilicum fibris coeunt. Rig. — Nervus umbilicaris est vena illa quæ dependet in uterum, et contingit illum, nervus ille *tradux* vocatur etiam, quoniam per eum traducatur cibus ad fœtum. Le Pr.

(c) *Quasi folliculi sui traducem.* Folliculum vocat, quem Hippocrates sive Polybius ὑμένα, τὸν περιέχοντα τὸν γονον. His autem verbis describi ait Galenus involucrum fœtus. Hesychio, Κάλυμμα τὸ συγγενόμενον ἐκ τῆς κοιλίας: Latini dixere Secundas. In iis autem sunt venæ, quibus tanquam traducibus traducitur sanguis ad fœtus umbilicum, ideoque Septimius nervum quem appellat umbilicarem, folliculi traducem esse ait. Folliculum dici vulvam notat Servius III Georg. *Genitali arvo*, inquit, pro muliebri folliculo, quem scilicet vulvam vocant, ut etiam Plinius docet. Nam folliculus ante dicebatur. Rig.

(d) *Adnexus origini vulvæ.* Reddo veterum exemplarium scripturam, *annexum origini vulvæ*. Fœtus, inquit, portio viscerum matris dicitur, et ex utero esse intelligitur per illum nervum umbilicarem annexum origini vulvæ. Etenim venæ et arteriæ per quas a matre sanguis et spiritus ad fœtum fertur, originem ducunt ab venis et arteriis uteri seu vulvæ, quarum extrema in interiorem vulvæ regionem dehiscunt. Neque aliter fœtui cum matre intercedit communicatio. Galeni verba sunt, libro de fœtus formatione. ἡ δὲ ἀρχὴ τῆς γενέσεως τῶν ἀγγείων τούτων ἐστὶν ἐκ τῶν κατὰ τὰς μήτρας ἀρτηριῶν καὶ φλεβῶν. ὧν τις τὸν ἐντὸς χώρον τῆς μήτρας ἀνατυλώται τὰ πέρατα. καὶ διὰ τούτων μενὸν ἡ κοινωνία τοῖς κύμασίν ἐστιν πρὸς τὰς κυούσας. Rig.

(e) *Origini vulvæ.* Non vulvæ originem dicit; sed originem quam de vulva sumit nervus umbilicaris. Rig.

(f) *Quasi sequelam quamdam abruptæ unitatis.* Bene hoc Septimius, cum quid extraneum extraneo agglutinatur. Nam quod ad fœtum spectat, negant medici sic pertinere ad matrem aut ad vulvam, ut cum illo aliqua sui parte in unitatem coalescant. Ταῦτα δὲ μήτρας, ἄνευ συμφύσεως, inquit Galenus de fœtu. Rig.

(g) *Et producis mutui coitus.* Sic legitur in codice Pithœi. *Producem* dicit quemadmodum supra, *traducem*. Igitur unitatem mutuo coitu productam dicit esse producem mutui coitus. Rig.

ces, medici et physici, de uberum natura, an aliter manare soleant, sine vulvæ genitali passione, suspendentibus (1) exinde venis sentinam illam inferni (2) sanguinis (3), et ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis lætiorem (4). Inde adeo fit, ut uberum tempore, menses sanguinum vacent Quod si Verbum caro ex se factum est, non ex vulvæ communicatione, nihil operata vulva, nihil functa (5), nihil passa; quomodo fontem suum transfudit in ubera, quæ, nisi habendo, non mutat? Habere autem sanguinem non potuit lacti subministrando, si non haberet causas sanguinis ipsius, avulsionem scilicet suæ carnis. Quid fuerit novitatis in Christo ex virgine nascendi, palam est: scilicet, solummodo hoc, quod ex virgine, secundum rationem quam edidimus; et uti virgo esset regeneratio nostra, spiritaliter ab omnibus inquinamentis sanctificata per Christum, virginem et ipsum, etiam carnaliter, ut ex virginis carne.

CAPUT XXI.

Si ergo contendunt hoc competisse novitati, ut quemadmodum non ex viri semine, ita nec ex virginis carne caro fieret Dei Verbum; quare non hoc sit tota novitas, ut caro non (6) semine nata (7), carne processerit? Accedant (8) adhuc cominus (9) ad congressum: *Ecce*, inquit, *virgo concipiet in utero*. Quidnam? utique Dei Verbum, non viri semen (10): certe ut pareret filium. Nam, *Et pariet*, inquit, *filium*. Ergo, ut ipsius fuit concepisse, ita ipsius est quod peperit; licet non ipsius fuerit quod concepit. Contra si Verbum ex se caro factum est, jam ipsum se concepit, et peperit, et vacat prophetia. Non enim virgo concepit, neque peperit, si non quicquid (11) peperit ex verbi concepto, caro ipsius est. Sola hæc autem prophetæ vox evacuabitur? an et angeli, conceptum et partum virginis annuntiantis? an et omnis jam Scriptura, quæcumque matrem pronuntiat Christi? Quomodo enim mater, nisi quia in utero ejus fuit? Sed nihil ex utero ejus accepit, quod matrem eam faceret, in cujus utero fuit Hæc nomen non debet caro extranea (12). Matris uterum non appellat, nisi filia uteri, caro. Filia uteri porro non est, si sibi nata est. Tacebit (13) igitur et Elizabeth prophetam portans (14) jam Domini sui conscium infantem, et insuper Spiritu Sancto adimpleta. Sine caussa enim dicit (*Luc.*, 1): *Et unde mihi, ut mater Domini mei ad me veniat* (15)? si Maria non filium, sed hospitem in utero gestabat Jesum. Quomodo dicit: *Benedictus* (16) *fructus uteri tui?* Quis hic fructus uteri, qui non ex utero germinavit; qui non in utero radicem egit; qui non ejus est, cujus est uterus? Et qui utique fructus uteri? Christus. An quia ipse est flos de virga profecta (17) ex radice Jesse; radix autem Jesse, genus David; virga ex radice, Maria ex David? Flos ex virga, filius Mariæ, qui dicitur Jesus Christus, ipse erit et fructus. Flos enim fructus: quia per florem, et ex flore, omnis fructus eruditur in fructum. Quid ergo? negant et fructui suum florem, et flori suam virgam, et virgæ suam radicem, quo minus suam (18) radix sibi vindicet per virgam proprietatem ejus quod ex virga est, floris et fructus. Siquidem omnis gradus generis ab ultimo ad principalem recensetur, ut jam nunc carnem Christi, non tantum Mariæ, sed et David per Mariam, et Jesse per David, sciant adhærere. Ideo (19) hunc fructum ex lumbis David, id est, ex posteritate carnis ejus jurat illi Deus consessurum in throno ipsius. Si ex lumbis David, quanto magis (*a*) ex lumbis Mariæ, ob quam in lumbis David!

CAPUT XXII.

Deleant igitur et (*b*) testimonia dæmonum filium David proclamantia (20) Jesum: sed testimonia Apostolorum delere non poterunt (21), si dæmonum in-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pandentibus *Lat.* pendentibus *Pam. Rhen.*
(2) Infernis *cod. Wouw.* interni *Pam. Fran. Par.*
(3) In mamillam *add Pam. Rhen.*
(4) Latiorem *Rhen. Leml.*
(5) Nihilo juncta *Rhen. Seml.*
(6) Ex *inser. Pam. Rhen.*
(7) Nata *delet Lat*
(8) Accedam *Rig. Ven.*
(9) Communius *Rhen. cod. Pithœ.*
(10) Semine *Rhen.*
(11) Quod *cod. Pithœi.*
(12) Extraneæ *Lat.*
(13) Tacebat *Rhen. Seml.*
(14) Prædicans *Rhen.*
(15) Veniat ad me *Rhen. Seml.*
(16) Beatus *Rhen. Seml.*
(17) Projecta *Rhen. Rig. Seml. Ven.*
(18) Suam *abest a Rhen.*
(19) Adhærere Deo *Paris. Rhen.*
(20) Ad *inser. cod. Pithœi.*
(21) Potuerunt *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXI. — (a) *Ex lumbis Mariæ*. Hic lumbos pro utero accipit; nam quod Psal. 131 dicitur, *De fructu ventris tui ponam super thronum tuum*, Actor II, interpretatus Petrus, dicit, *de fructu lumbi ejus*. Ubi est τὸ ὀσφύος, quod illic τὸ κοιλίας. Quamvis illud *de fructu ventris*, non careat mysterio, et opponatur lumbis, ut acute considerat Irenæus lib. III, cap 27. LAC.

CAP. XXII. — (a) *Testimonia dæmonum* Quæ sint hæc testimonia dæmonum, dubitat Pamelius: nam in Evangelio, dæmones clamarunt *filium Dei*, vel *Jesum Nazarenum*, nunquam *filium David*. Quid si *cæcorum?* sed nihil muto. Ut exitum inveniret Pamelius quæstioni, Tertullianum arguit oblivionis, quod verba Chananææ Matth. XV, *Miserere mei, fili David*, filiæ ejus dæmoniacæ adsumpserit. Ego non multum laboro de hac re: cum revera dæmonia clamarint filium Dei, potuit Tertullianus mutare *filium Dei* in *filium David*. Tamen, ut ineptus ego, non refero ad testimonia, quæ sunt in Scriptura, sed ad ea, quæ alibi multa sunt, quale est illud Augustini lib. I *de Consensu Evangel.*, cap. 15: *Quid? quod isti vani laudatores, et christianæ religionis obliqui obtrectatores, propterea non audent blasphemare Christum, quia quidem philosophi eorum, sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit, consuluerunt deos suos, quid de Christo responderent, illi autem oraculis suis Christum laudare compulsi sunt. Nec mirum, cum in Evangelio legamus eum dæmones fuisse confessos.* Illi enim dii Gentilium verissimi erant dæmones, et laudabant Christum. Eamdem etiam confessionem Cyprianus indicat, *de idol. vanit.* Et si velis dolare multis hanc paginam, adi Plutarchum, *Cur oracula silucrint.* LAC.

digna sunt. Ipse inprimis Matthæus, fidelissimus Evangelii commentator, ut comes Domini, non aliam ob caussam, quam ut nos originis Christi carnalis compotes faceret, ita exorsus est : *Liber genituræ Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* His originis fontibus genere manante, cum gradatim ordo deducitur ad Christi nativitatem (1), quid aliud quam caro ipsa Abrahæ et David, per singulos traducem sui faciens, in virginem usque describitur inferens Christum, imo ipse Christus proditur (2) de virgine? Sed et Paulus, utpote ejusdem Evangelii et discipulus et magister, et testis, qua (3) ejusdem ipsius (4) Christi apostolus, confirmat Christum ex semine David secundum carnem, utique ipsius. Ergo ex semine David caro Christi. Sed secundum Mariæ carnem, ex semine David : ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est David. Quocunque detorseris dictum, aut ex carne est Mariæ, quod ex semine est David ; aut ex David semine est, quod ex carne est Mariæ. Totam hanc controversiam dirimit idem Apostolus, ipsum definiens esse Abrahæ semen. Cum Abraham, utique multo magis David, quasi recentioris. Retexens enim promissionem benedictionis nationum in nomine Abraham : *Et in semine tuo benedicentur omnes nationes : non*, inquit, *dixit, Seminibus, tanquam de pluribus; sed Semine* (5), *tanquam de uno, quod est Christus.* Qui hæc legimus et credimus, quam debemus et possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? Utique non aliam, quam Abraham; siquidem semen Abraham Christus : nec aliam, quam Jesse, siquidem ex radice Jesse flos Christus : nec aliam, quam David, siquidem fructus ex lumbis David, Christus : nec aliam quam ex Maria, siquidem ex Mariæ utero, Christus. Et adhuc superius : nec aliam quam Adam, siquidem secundus Adam, Christus. Consequens ergo est, ut aut illos spiritalem carnem habuisse contendant, quo eadem conditio substantiæ deducatur in Christo : aut concedant carnem Christi spiritalem non fuisse, quæ non de spiritali stirpe censetur.

CAPUT XXIII.

Sed agnoscimus adimpleri propheticam vocem Simeonis, super adhuc recentem infantem Dominum pronuntiatam (*Luc.* II) : *Ecce hic positus est in ruinam et suscitationem multorum in Israel, et in signum quod* (6) *contradicetur.* Signum enim nativitatis Christi, secundum Esaiam : *Propterea dabit vobis Dominus ipse signum : ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium.* Agnoscimus ergo signum contradicibile, conceptum et partum virginis Mariæ; de quo Academici isti, Peperit, et non peperit; Virgo, et non virgo : quasi non, etsi ita dicendum esset, a nobis magis dici conveniret. Peperit enim, quæ ex sua carne; et non peperit, quæ non ex viri (7) semine. Et virgo, quantum a viro; (*a*) non virgo, quantum a partu. Non tamen ut ideo, peperit, et (8) non peperit; et (9) ideo, Virgo, quæ non virgo, quia non de visceribus suis mater. Sed apud nos nihil dubium, nec retortum in ancipitem defensionem. Lux, lux; et tenebræ, tenebræ, et Est, est; et, Non, non. Quod amplius, hoc a malo est (10). Peperit, quæ peperit. Et si virgo concepit, in partu suo nupsit (11), ipsa patefacti corporis lege (*b*), in quo nihil interfuit, de vi masculi admissi, an emissi, (*c*) idem (12) illud sexus resignaverit (13). Hæc denique vulva est propter quam et de aliis scriptum est : *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum vocabitur Domino.* Quis vere sanctus, quam Dei (14) Filius? Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit? Cæterum, omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. Utique magis non virgo dicenda est, quam virgo, saltu quodam mater ante, quam nupta. Et quid ultra de hoc retractandum est, cum hac ratione Apostolus, non ex virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronuntiavit, agnovit adapertæ vulvæ nuptialem passionem? Legimus quidem (*d*) apud Ezechielem de vacca illa quæ peperit, et non peperit. Sed videte, ne vos jam tunc (15) providens Spiritus Sanctus notarit hac voce, disceptaturos super uterum Mariæ. Cæterum, non contra illam suam simplicitatem, pronuntiasset dubitative, Esaia dicente (*Is.*, VI) : *Concipiet, et pariet.*

CAPUT XXIV.

Quod enim Esaias jaculatur insuggillatione hæ-

LECTIONES VARIANTES.

(1) A Christi nativitate *Rhen.*
(2) Producitur *Pam. Fran Paris.*
(3) Quia *alii.*
(4) Ipsius *abest a Rhen. Seml.*
(5) Semini *Fran. Pam.*
(6) Cui *Pam. Fran.*
(7) Virili *Rhen. Seml.*
(8) Ideo *Par. Rhen.* non tamen et ideo peperit, quia non ex carne sua peperit, et *Pithœ.*
(9) Non peperit et *delet Pithœ.*
(10) Est *abest a Rhen. Seml.*
(11) Non nupsit *add. Par. cod. Ursin.*
(12) Id est *Rhen. Pam.*
(13) Resignavit *Pam. Rhen.*
(14) Sancti *alii.*
(15) Nos jam nunc *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXIII. — (*a*) *Non virgo quantum a partu.* Error hic gravissimus est. Tertullianus quippe falso dixit non virginem fuisse, quantum a partu, ut hic docet luse. Can. III Concilii Lateranensis sub Martino I decrevit Beatissimam Virginem incorruptibiliter enixam. LE PR.

(*b*) *Ipsa patefacti corporis lege.* Legem mox recitat, *Omne masculinum adaperiens vulvam*, etc. RIG.

(*c*) *Idem illud sexus.* Vulvam significat. Sic autem legitur in Ursini libro. RIG.

(*d*) *Apud Ezechielem*, etc. Cum in Ezechiele propheta nusquam mentio fiat illarum vocum : *Vacca peperit, et non peperit*, merito dubitant interpretes quæ sit hujus loci explicatio. Pamelius et alii putant id esse quod habetur Jobi XXI : *Vacca peperit, et non est privata fœtu suo.* Etsi hæc non habeantur in prophetia Ezechielis, ea perire potuerunt, licet Tertulliani temporibus adhuc exstarent. Vel potuit esse Ezechiel Judæorum quidam tragœdus, et non ille cujus habemus vaticinium. LE PR.

reticorum ipsorum, et imprimis (*Is.*, V) : *Væ qui faciunt dulce amarum, et tenebras lucem;* istos scilicet notat, qui nec vocabula ista in luce proprietatum suarum conservant; ut anima non alia sit, quam quæ vocatur, et caro non alia quam quæ videtur (1), et Deus non alius, quam qui prædicatur. Ideo etiam Marcionem prospiciens : *Ego sum*, inquit (*Is.*, XLV), *Deus, et alius absque me non est.* Et cum in (2) alio (3) idipsum eodem modo dicit : *Ante me Deus non fuit*, nescio quas illas Valentinianorum Æonum genealogias pulsat. Et, *Non ex sanguine, neque ex carnis et viri voluntate, sed ex Deo* (*Joan.*, I) *natus est*. Hebioni respondit. Æque, *Etiamsi angelus de cœlo* (4) *aliter evangelizaverit vobis quam nos, anathema sit* (*Gal.*, I) ; ad energema Apelleiacæ virginis Philumenes filum (5) dirigit. Certe, *qui negat Christum in carne venisse, hic antichristus est* (I. *Joan.*, IV). Nudam et absolutam et simplici nomine naturæ suæ pronuntians carnem, omnes disceptatores ejus ferit. Sicut et defluiens ipsum quoque Christum unum, multiformis (6) Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Jesum; alium elapsum de mediis turbis, alium detentum ; alium in secessu montis, in ambitu nubis sub tribus arbitris clarum; alium cæteris passivum, ignobilem; alium magnanimum, alium vero trepidantem; novissime, alium passum, alium resuscitatum : per quod suam quoque in alia carne resurrectionem adseverant. Sed bene, quod idem veniet de cœlis, qui est passus; idem omnibus apparebit, qui est resuscitatus. Et *videbunt* et agnoscent, *qui eum confixerunt* (*Zach.*, XI; *Joan.*, XIX): utique ipsam carnem, in quam sævierunt; sine qua, nec ipse esse poterit, nec agnosci. Ut et illi erubescant, qui affirmant carnem in cœlis vacuam sensu, ut vaginam exempto Christo sedere : aut qui carnem et animam tantumdem, aut tantummodo animam, carnem vero non jam.

CAPUT XXV.

Sed hactenus de materia præsenti satis. Jam enim arbitror instructam esse carnis in Christo, et ex virgine natæ, et humanæ probationem. Quod et solum discussum sufficere potuisset, (7) citra singulorum ex diverso opinionum congressionem; quam et argumentationibus earum, et scripturis quibus utuntur, provocavimus ex abundanti, uti eo, quod probavimus, quid et unde fuerit Christi caro, quid non fuerit, adversus omnes præjudicaverimus (8). Ut autem clausulam (9) de præfatione communi faciat resurrectio carnis nostræ (10), alio libello defendenda, hic habebit præstructionem (a); manifesto jam, quale fuerit quod in Christo resurrexit (11).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Alia sit qua videtur *Pam.*
(2) In *abest a Rhen. Semi.*
(3) Cum alias *Fran. Pam.*
(4) Cœlis *Rhen. Semi.*
(5) Filium *Pam. Rhen.*
(6) Multiformes *Fran.*
(7) Sed *inser. Rhen. Semi.*
(8) Prædicaverimus *Par.* præcaverimus *Rig. Leop. Ven.*
(9) Clausula *Rhen. Semi.*
(10) Nostræ *abest a Rhen. Semi.*
(11) Resurrexerit *Rhen. Semi.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXV. — (a) *Ut autem clausulam de præfatione communi faciat resurrectio carnis nostræ.* Hæc clausula respondet verbis iilis quæ in hujusce præfatione operis leguntur : *Qui fidem resurrectionis studeat inquietare, merito Christi quoque carnem quæstionibus distrahunt.* Ric.

(d) *Manifesto jam.* Subauditur, existente, ut græce ἤδη δῆλου ὄντος. Rhen.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE RESURRECTIONE CARNIS.

Argumentum. — *De resurrectione carnis scripturus Auctor, imprimis tradit eam etiam sæculo, et præsertim Platonicis ac Pythagoricis non ignotam fuisse.* Cap. I.

Hæreticos vero, etsi cum Sadducæis non agnoscant, revinci tamen tum libro præmisso de carne Christi, *tum* de Deo carnis auctore, et Christo carnis redemptore, *libris* adversus Marcionem *scriptis; quod animæ resurrectionem non negent, præter solum Lucanum; contra quem animæ immortalitatem libro* de anima *tractatus sit.* Cap. II.

Proinde hæreticos non debere vulgi in ea deneganda ignorantiam sequi. Cap. III.

Neque enim obstare carnis quam prætendunt ignobilitatem. Cap. IV.

Primum, quod a Deo facta sit. Cap. V.

Item, quod Dei manu exstructa. Cap. VI.

Quod jam limus in carnem reformatus et immutatus sit. Cap. VII.

Quod apud christianos caro abluatur, unguatur, signetur, manus impositione adumbretur, corpore et sanguine Christi vescatur denique post conflictationes animæ, jejunia, virginitatem, viduitatem, pro nominis Christi fide moriatur. Cap. VIII.

Quod Christus carnem, etsi infirmam et peccatricem, dilexerit. Cap. IX.

Quod denique Scripturis caro illustretur. Cap. X.
Neque vero Dei potentiam excedere resurrectionem carnis. Cap. XI.
Divinæ enim potentiæ exemplum esse diei ac noctis, hyemis et æstatis, veris ac autumni vicissitudines. Cap. XII.
Phœnicem etiam, Orientis alitem, qui semetipsum funerans renovat. Cap. XIII.
Atqui et causam restitutionis carnis idoneam subesse Dei in bono remunerando et malo puniendo judicium. Cap. XIV.
Cum enim operarum inter se anima et caro societatem habeant, oportere etiam, aut pœnæ, aut gratiæ communicare mercedem. Cap. XV.
Etsi enim vas animæ *caro appelletur, non tamen propterea, non et meritis animæ communicare.* Cap. XVI.
Atque adeo, cum animæ facta per carnem administrentur, non sufficere animam foveri aut cruciari, sine carne, pro operibus carnis. Cap. XVII.
Deinde apud omnes edictum Dei pendere: resurrectionem mortuorum. Cap. XVIII.
Quam quidam male in imaginariam significationem distorquent. Cap. XIX.
Non omnia enim prophetas per imagines concionatos; tum quod, si omnia figuræ, quid erit illud cujus figuræ? tum quod in ipsum Christum insignitora quæque luce clarius, vere, non figurate, adimpleta sint. Cap. XX.
Tot quoque esse instrumenta divina, ita aperte corporalem contestantia resurrectionem, ut nullam admittant figuratæ significantiæ suspicionem. Cap. XXI.
Respiciendum esse denique ad illas Scripturas, quæ non sinunt credere, resurrectionem aut jam factam, aut ab excessu statim vitæ fieri. Cap. XXII.
Etsi autem Apostolus, ad Colossenses, spiritaliter nos resuscitatos dicat, non negare tamen, etiam corporaliter resurrecturos. Cap. XXIII.
Quippe cum ipse, Epistolis suis ad Thessalonicenses, resurrectionem aperte confirmet. Cap. XXIV.
In Apocalypsi similiter Joannis, ipsa tempora resurrectionis indicari. Cap. XXV.
Quid? quod liceat etiam corporalem resurrectionem de patrocinio figurati eloquii prophetici vindicare. Cap. XXVI.
Tum terræ, tum vestimentorum nomine. Cap. XXVII.
Imo, sicut vocibus, ita et rebus ac factis prophetatam resurrectionem. Cap. XXIII.
Manifestissimam denique esse de eadem Ezechielis determinationem. Cap. XXIX.
Eumque talem, ut figurate aut allegorice non possit intelligi. Cap. XXX.
Cum aliis quoque manifestis prophetarum probetur testimoniis. Cap. XXXI.
Iisque ejuscemodi, quibus prædicatur etiam corporum insepultorum resurrectio. Cap. XXXII.
Porro etiam in Evangeliis, non omnia in parabolis a Domino pronuntiata. Cap. XXXIII.
Imo in omni resurrectionis mentione, corporalitatem carnis a Domino proprie significari, totumque hominem esse a Deo elevandum, quem diabolus totum elisit. Cap. XXXIV.
Utrumque proponi corpus et animam distincte ad gehennam et ad vitam æternam. Cap. XXXV.
Hinc susdeque vertitur Sadducæorum sententia. Cap. XXXVI.
Quanquam adeo carnem Christus dicat nihil prodesse, ex materia dicti sensum esse dirigendum. Cap. XXXVII.
Maxime, cum etiam factis mortuos resuscitando, futuram resurrectionem significarit. Cap. XXXVIII.
Resurrectionem quoque Apostolicorum Actorum instrumenta testari. Cap. XXXIX.
Perperam proinde suo etiam more hæreses pro se interpretari interiorem et exteriorem hominem, quasi per corruptionem, exterioris carnis corruptelam intelligat. Cap. XL.
Sicuti etiam illud de domo tabernaculi nostri quæ dissolvitur. Cap. XLI.
Sed demutari duntaxat cadavera, non morte devorari; cum gigantum antiquissimorum crates adhuc supersint, sicuti etiam dixerit Auctor alibi. Cap. XLII.
Neque vero etiam peregrinationem a corpore pro ipsis facere, quod addat Apostolus, reportare debere per corpus secundum quæ gessit quis, bonum sive malum. Cap. XLIII.
Item etiam inde quod dicat: Vitam Jesu manifestandam in corpore. Cap. XLIV.
Alia etiam cæcitate eos impingere in veterem et novum hominem. Cap. XLV.
Sicuti idem Apostolus carnem damnare videatur; carnis opera damnare. Cap. XLVI.
Carni enim salutem repromittere. Cap. XLVII.
Apertissime denique, I Cor. XV, resurrectionem carnis ab illo confirmari. Cap. XLVIII.
Atque adeo ex antecedentibus disci, quali conditione exhæredaverit a regno Dei carnem et sanguinem, nempe carnis opera. Cap. XLIX.
Imo, omissis ejusmodi interpretationibus, ipsas quoque substantias carnis et sanguinis, non aliter quam sunt, intellectas, licere resurrectioni vindicare. Cap. L
Vel per Christum idipsum probari, qui carnem et sanguinem secum vexerit in cœlum. Cap. LI.
Et vero, etiam eodem corpore venturos mortuos, disputare Apostolum. Cap. LII.
Neque enim corpus animale posse animam intelligi, sed carnem. Cap. LIII.
Nec etiam, ut supra attigit, carnem a vita devorari, sed id quod in ea mortale est. Cap. LIV.
Aliud insuper esse demutationem, aliud perditionem carnis. Cap LV.
Alioqui absurdum esse, aliam substantiam, nempe carnis, operari; aliam, nempe animæ, mercede dispungi. Cap. LVI.
Oportere etiam resurrectionem integram credere, Scripturis id affirmantibus. Cap. LVII.
Et carnem itaque et animam, sententiam salutis aut pœnæ subituram. Cap. LVIII.

reticorum ipsorum, et imprimis (*Is.*, V) : *Væ qui faciunt dulce amarum, et tenebras lucem;* istos scilicet notat, qui nec vocabula ista in luce proprietatum suarum conservant; ut anima non alia sit, quam quæ vocatur, et caro non alia quam quæ videtur (1), et Deus non alius, quam qui prædicatur. Ideo etiam Marcionem prospiciens : *Ego sum*, inquit (*Is.*, XLV), *Deus, et alius absque me non est.* Et cum in (2) alio (3) idipsum eodem modo dicit : *Ante me Deus non fuit*, nescio quas illas Valentinianorum Æonum genealogias pulsat. Et, *Non ex sanguine, neque ex carnis et viri voluntate, sed ex Deo* (*Joan.*, I) *natus est*. Hebioni respondit. Æque, *Etiamsi angelus de cœlo* (4) *aliter evangelizaverit vobis quam nos, anathema sit* (*Gal.*, I); ad energema Apelleiacæ virginis Philumenes filum (5) dirigit. Certe, *qui negat Christum in carne venisse, hic antichristus est* (I. *Joan.*, IV). Nudam et absolutam et simplici nomine naturæ suæ pronuntians carnem, omnes disceptatores ejus ferit. Sicut et definiens ipsum quoque Christum unum, multiformis (6) Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Jesum; alium elapsum de mediis turbis, alium detentum; alium in secessu montis, in ambitu nubis sub tribus arbitris clarum; alium cæteris passivum, ignobilem; alium magnanimum, alium vero trepidantem; novissime, alium passum, alium resuscitatum : per quod suam quoque in alia carne resurrectionem adseverant. Sed bene, quod idem veniet de cœlis, qui est passus; idem omnibus apparebit, qui est resuscitatus. Et *videbunt* et agnoscent, *qui eum confixerunt* (*Zach.*, XI; *Joan.*, XIX) : utique ipsam carnem, in quam sævierunt; sine qua, nec ipse esse poterit, nec agnosci. Ut et illi erubescant, qui affirmant carnem in cœlis vacuam sensu, ut vaginam exempto Christo sedere : aut qui carnem et animam tantumdem, aut tantummodo animam, carnem vero non jam.

CAPUT XXV.

Sed hactenus de materia præsenti satis. Jam enim arbitror instructam esse carnis in Christo, et ex virgine natæ, et humanæ probationem. Quod et solum discussum sufficere potuisset, (7) citra singularum ex diverso opinionum congressionem; quam et argumentationibus earum, et scripturis quibus utuntur, provocavimus ex abundanti, uti eo, quod probavimus, quid et unde fuerit Christi caro, quid non fuerit, adversus omnes præjudicaverimus (8). Ut autem clausulam (9) de præfatione communi faciat resurrectio carnis nostræ (10), alio libello defendenda, hic habebit præstructionem (a); manifesto jam, quale fuerit quod in Christo resurrexit (11).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Alia sit qua videtur *Pam.*
(2) In *abest a Rhen. Semi.*
(3) Cum alias *Fran. Pam.*
(4) Cœlis *Rhen. Semi.*
(5) Filium *Pam. Rhen.*
(6) Multiformes *Fran.*
(7) Sed *inser. Rhen. Semi.*
(8) Prædicaverimus *Par.* præcaverimus *Rig. Leop. Ven.*
(9) Clausula *Rhen. Semi.*
(10) Nostræ *abest a Rhen. Semi.*
(11) Resurrexerit *Rhen. Semi.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXV. — (a) *Ut autem clausulam de præfatione communi faciat resurrectio carnis nostræ.* Hæc clausula respondet verbis iilis quæ in hujusce præfatione operis leguntur : *Qui fidem resurrectionis student inquietare, merito Christi quoque carnem quæstionibus distrahunt.* Rig.

(d) *Manifesto jam.* Subauditur, existente, ut græce δηλου ὄντος. Rhen.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE RESURRECTIONE CARNIS.

Argumentum. — *De resurrectione carnis scripturus Auctor, imprimis tradit eam etiam sæculo, et præsertim Platonicis ac Pythagoricis non ignotam fuisse.* Cap. I.

Hæreticos vero, etsi cum Sadducæis non agnoscant, revinci tamen tum libro præmisso de carne Christi, *tum* de Deo carnis auctore, et Christo carnis redemptore, *libris* adversus Marcionem *scriptis; quod animæ resurrectionem non negent, præter solum Lucanum; contra quem animæ immortalitatem libro* de anima *tutatus sit.* Cap. II.

Proinde hæreticos non debere vulgi in ea deneganda ignorantiam sequi. Cap. III.

Neque enim obstare carnis quam prætendunt ignobilitatem. Cap. IV.

Primum, quod a Deo facta sit. Cap. V.

Item, quod Dei manu exstructa. Cap. VI.

Quod jam limus in carnem reformatus et immutatus sit. Cap. VII.

Quod apud christianos caro abluatur, unguatur, signetur, manus impositione adumbretur, corpore et sanguine Christi vescatur denique post conflictationes animæ, jejunia, virginitatem, viduitatem, pro nominis Christi fide moriatur. Cap. VIII.

Quod Christus carnem, etsi infirmam et peccatricem, dilexerit. Cap. IX.

Quod denique Scripturis caro illustretur. Cap. X.
Neque vero Dei potentiam excedere resurrectionem carnis. Cap. XI.
Divinæ enim potentiæ exemplum esse diei ac noctis, hyemis et æstatis, veris ac autumni vicissitudines. Cap. XII.
Phœnicem etiam, Orientis alitem, qui semetipsum funerans renovat. Cap. XIII.
Atqui et causam restitutionis carnis idoneam subesse Dei in bono remunerando et malo puniendo judicium. Cap. XIV.
Cum enim operarum inter se anima et caro societatem habeant, oportere etiam, aut pœnæ, aut gratiæ communicare mercedem. Cap. XV.
Etsi enim vas animæ *caro appelletur, non tamen propterea, non et meritis animæ communicare.* Cap. XVI.
Atque adeo, cum animæ facta per carnem administrentur, non sufficere animam foveri aut cruciari, sine carne, pro operibus carnis. Cap. XVII.
Deinde apud omnes edictum Dei pendere: resurrectionem mortuorum. Cap. XVIII.
Quam quidam male in imaginariam significationem distorquent. Cap. XIX.
Non omnia enim prophetas per imagines concionatos; tum quod, si omnia figuræ, quid erit illud cujus figuræ? tum quod in ipsum Christum insigniora quæque luce clarius, vere, non figurate, adimpleta sint. Cap. XX.
Tot quoque esse instrumenta divina, ita aperte corporalem contestantia resurrectionem, ut nullam admittant figuratæ significantiæ suspicionem. Cap. XXI.
Respiciendum esse denique ad illas Scripturas, quæ non sinunt credere, resurrectionem aut jam factam, aut ab excessu statim vitæ fieri. Cap. XXII.
Etsi autem Apostolus, ad Colossenses, spiritaliter nos resuscitatos dicat, non negare tamen, etiam corporaliter resurrecturos. Cap. XXIII.
Quippe cum ipse, Epistolis suis ad Thessalonicenses, resurrectionem aperte confirmet. Cap. XXIV.
In Apocalypsi similiter Joannis, ipsa tempora resurrectionis indicari. Cap. XXV.
Quid? quod liceat etiam corporalem resurrectionem de patrocinio figurati eloquii prophetici vindicare. Cap. XXVI.
Tum terræ, tum vestimentorum nomine. Cap. XXVII.
Imo, sicut vocibus, ita et rebus ac factis prophetatam resurrectionem. Cap. XXIII.
Manifestissimam denique esse de eadem Ezechielis determinationem. Cap. XXIX.
Eumque talem, ut figurate aut allegorice non possit intelligi. Cap. XXX.
Cum aliis quoque manifestis prophetarum probetur testimoniis. Cap. XXXI.
Iisque ejuscemodi, quibus prædicatur etiam corporum insepultorum resurrectio. Cap. XXXII.
Porro etiam in Evangeliis, non omnia in parabolis a Domino pronuntiata. Cap. XXXIII.
Imo in omni resurrectionis mentione, corporalitatem carnis a Domino proprie significari, totumque hominem esse a Deo elevandum, quem diabolus totum elisit. Cap. XXXIV.
Utrumque proponi corpus et animam distincte ad gehennam et ad vitam æternam. Cap. XXXV.
Hinc susdeque vertitur Sadducæorum sententia. Cap. XXXVI.
Quanquam adeo carnem Christus dicat nihil prodesse, ex materia dicti sensum esse dirigendum. Cap. XXXVII.
Maxime, cum etiam factis mortuos resuscitando, futuram resurrectionem significarit. Cap. XXXVIII.
Resurrectionem quoque Apostolicorum Actorum instrumenta testari. Cap. XXXIX.
Perperam proinde suo etiam more hæreses pro se interpretari interiorem et exteriorem hominem, quasi per corruptionem, exterioris carnis corruptelam intelligat. Cap. XL.
Sicuti etiam illud de domo tabernaculi nostri quæ dissolvitur. Cap. XLI.
Sed demutari duntaxat cadavera, non morte devorari; cum gigantum antiquissimorum crates adhuc supersint, sicuti etiam dixerit Auctor alibi. Cap. XLII.
Neque vero etiam peregrinationem a corpore pro ipsis facere, quod addat Apostolus, reportare debere per corpus secundum quæ gessit quis, bonum sive malum. Cap. XLIII.
Item etiam inde quod dicat: Vitam Jesu manifestandam in corpore. Cap. XLIV.
Alia etiam cæcitate eos impingere in veterem et novum hominem. Cap. XLV.
Sicuti idem Apostolus carnem damnare videatur; carnis opera damnare. Cap. XLVI.
Carni enim salutem repromittere. Cap. XLVII.
Apertissime denique, I *Cor.* XV, *resurrectionem carnis ab illo confirmari.* Cap. XLVIII.
Atque adeo ex antecedentibus disci, quali conditione exhæredaverit a regno Dei carnem et sanguinem, nempe carnis opere. Cap. XLIX.
Imo, omissis ejusmodi interpretationibus, ipsas quoque substantias carnis et sanguinis, non aliter quam sunt, intellectas, licere resurrectioni vindicare. Cap. L
Vel per Christum idipsum probari, qui carnem et sanguinem secum vexerit in cœlum. Cap. LI.
Et vero, etiam eodem corpore venturos mortuos, disputare Apostolum. Cap. LII.
Neque enim corpus animale posse animam intelligi, sed carnem. Cap. LIII.
Nec etiam, ut supra attigit, carnem a vita devorari, sed id quod in ea mortale est. Cap. LIV.
Aliud insuper esse demutationem, aliud perditionem carnis. Cap LV.
Alioqui absurdum esse, aliam substantiam, nempe carnis, operari; aliam, nempe animæ, mercede dispungi. Cap. LVI.
Oportere etiam resurrectionem integram credere, Scripturis id affirmantibus. Cap. LVII.
Et carnem itaque et animam, sententiam salutis aut pœnæ subituram. Cap. LVIII.

In ævo futuro aliam non fore dispositionem hominis quoad substantiam. Cap. LIX.

Sexu etiam et membris salvum hominem resurrecturum; etsi vacent a solitis officiis vitæ necessariis. Cap. LX.

Præsertim cum quædam illorum officia, quibus Deum laudamus et prophetamus, remansura sint; et etiam in hac vita vacent cibis jejunio functi; et sexum a genitura subducant spadones voluntarii, et Christo maritatæ virgines. Cap. LXI.

Futuros denique nos, non angelos, sed sicut angelos Dei. Cap. LXII.

Quocirca concludi, resurrecturam carnem, et quidem omnem, et quidem ipsam, et quidem integram. Cap. LXIII.

CAPUT PRIMUM.

(*a*) Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum. Illa (1) credentes sumus; hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit; sed vulgus irridet, existimans nihil superesse post mortem; et tamen (*b*) defunctis parentant, et quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum; ut quos negant (2) sentire quicquam, escam (3) desiderare præsumant (4). At ego magis ridebo (5) vulgus, tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus et promerens et offendens. O pietatem de crudelitate ludentem! sacrificat, an (6) insultat, (*c*) cum crematis cremat? Plane cum vulgo interdum et sapientes sententiam suam (7) jungunt. Nihil esse post mortem Epicuri schola est. (*d*) Ait et Seneca, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Satis est autem, si non minor philosophia Pythagoræ et Empedocli. Sed et (8) Platonici immortalem animam e contrario reclamant: imo adhuc proxime etiam in corpora remeabilem affirmant; etsi non in eadem, etsi non in humana tantummodo; ut Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pavum recenseantur. Certe recidivatum animæ corporalem pronuntiaverunt; tolerabilius mutata (9), quam negata qualitate: (*e*) pulsata saltem (10), licet non adita (11) veritate. Ita sæculum resurrectionem mortuorum, nec cum errat, ignorat.

CAPUT II.

(*f*) Si vero et apud Deum aliqua secta est, Epicureis magis affinis quam prophetis, sciemus quid audiant a Christo Sadducæi. Christo enim servabatur, omnia retro occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata repræsentare; mortuorum certe resurrectionem, non modo per semetipsum, verum etiam in semetipso probare. Nunc autem (*g*) ad alios sadducæos præparamur, partiarios sententiæ illorum. Ita dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animæ; aspernati carnem, sicut et ipsum Dominum carnis. Nulli denique alii salutem corporali substantiæ invident, quam alterius divinitatis hæretici. Ideoque et Christum aliter disponere coacti, ne creator carnis habeatur (12), in ipsa prius carne ejus erraverunt; aut nullius veritatis contendentes eam, secundum Marcionem et Basilidem; aut propriæ qualitatis, secundum hæreses Valentini, et Apellem. Atque ita sequitur, ut salutem ejus substantiæ excludant, cujus Christum consortem (13) negant; certi (14) illam summo præjudicio resurrectionis instructam, si jam in Christo resurrexit (15) caro. Propterea et nos volumen præmisimus *De Carne Christi*, quo eam et solidam probamus, adversum phantasmatis vanitatem (16) (*h*), et humanam vindicamus, adversus qualitatis proprietatem;

LECTIONES VARIANTES.

(1) Illam *Pam.*
(2) Negat *Rhen.*
(3) Etiam *Pam. Rhen. Seml.*
(4) Præsumat *Rhen.*
(5) Rideo *alii.*
(6) Cui *alii.*
(7) Suam *abest a Rhen.*
(8) Et *abest a Rhen.*
(9) Immutata *alii.*
(10) Salute *Rhen. Pam.*
(11) Addita *Rhen. Seml.*
(12) Creatoris habeatur *cod. Wouw. Urs.*
(13) Consortem *abest a Rhen.*
(14) Certe *Rig. Ven.*
(15) Resurrexerit *Rhen. Seml.*
(16) Nativitatem *Fran. Pam.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Fiducia Christianorum*, etc. Resurrectionem magnam Christianis omnibus spem et fiduciam præbere, priscis Ecclesiæ temporibus, atque etiam a B. Paulo demonstratum est. S. Cyrillus Hierosol. *Catech.* XVIII: ῥίζα τῆς ἀγαθοεργίας ἡ τῆς ἀνεστάσεως ἐλπίς: *Resurrectionis spes, radix est cujuslibet boni operis*; et S. Epiphanius in *Anchor.*: πάντος σώφρονος λογισμοῦ κρηπίς: *Totius rationis fundamentum.* Nihil itaque antiquius habebant gentiles quam ut fiduciam illam et fundamentum convellerent. Le Pr.

(b) *Defunctis parentant, et quidem impensissimo officio.* Hoc quidem ethnici. Sed et Christianos Augustini ævo quibusdam in locis talia factitasse arguit octavus sanctissimi viri liber *De Civitate Dei*, cap 27. Epulas suas ad Martyrum memorias deferebant, orabant et offerebant ut vescerentur, vel ex eis etiam indigentibus largiebantur. *Quod quidem*, inquit, *a Christianis melioribus non fit, ut in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo.* Rig.

(c) *Cum crematis cremat.* Hoc est, cum mortuis sacrificat. Utitur verbis, quæ morem ostendant magis ridiculum. Rig

(d) *Ait et Seneca, Omnia post mortem finiri, etiam ipsam.* Hoc jam notavit libro *de Anima*; sic autem et in Troade, choro XI: *Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.* Rig.

(e) *Pulsata saltem, licet non adita veritate.* Sic visum Latinio. Sed vulgatam lectionem reddi placet, *pulsata salute.* Nam et convenit Septimiano sermoni, et veterum exemplarium auctoritate firmatur. Pulsavere salutis januam Platonici, vindices immortalitatis animarum, sed qualitatem et modum immortalitatis ignoravere, non adita veritate. Rig.

CAP. II. — (f) *Si vero et apud Deum aliqua secta est.* Hoc est, apud Judæos vel Christianos, in sacris videlicet Scripturis. Sic lib. *de Testim. animæ*: *Et licet soli illum noverint Christiani, vel quæcumque apud Dominum secta.* Rig.

(g) *Ad alios Sadducæos.* De his sæpe fit mentio. Negabant animæ resurrectionem et immortalitatem, erantque secta Judæi; nunc sadducæos alios indigitat Marcionem, Apellem, Valentinum, Basilidem, Saturninum, etc. Le Pr.

(h) *Et humanam vindicamus adversus*, etc. Lib. *de*

cujus conditio (1) Christum et hominem, et filium hominis inscripserit. Carneum enim atque corporeum probantes eum, (a) proinde et obducimus præscribendo nullum alium credendum Deum præter Creatorem, dum talem (2) ostendimus Christum, in quo dignoscitur Deus, qualis promittitur a Creatore. Obducti dehinc de Deo carnis auctore, et de Christo carnis redemptore, jam et de resurrectione carnis revincentur. Congruenter scilicet (3). Et hoc ferme modo dicimus incundam cum hæreticis disceptationem. Nam et ordo semper a principalibus deduci exposcit, ut de ipso prius constet, a quo dicatur dispositum esse, quod quæritur. Atque adeo et hæretici, ex conscientia infirmitatis, nunquam ordinarie tractant. Certi enim, quam laborent in alterius divinitatis insinuatione adversus (b) Deum mundi omnibus naturaliter notum de testimoniis operum; certe et in sacramentis priorem, et in prædicationibus manifestiorem; sub obtentu quasi urgentioris causæ, id est, ipsius humanæ salutis ante omnia requirendæ, a quæstionibus resurrectionis incipiunt: quia durius creditur resurrectio carnis, quam una divinitas: atque ita tractatum, viribus ordinis sui destitutum, et scrupulis potius oneratum depretiantibus carnem, paulatim (4) alterius divinitatis temperant sensum, ex ipsa spei concussione et demutatione. Dejectus enim unusquisque vel motus de gradu ejus spei quam susceperat apud Creatorem, facile jam declinatur ad alterius spei auctorem etiam ultro (5) suspicandum. Per diversitatem enim promissionum, diversitas insinuatur deorum. Sic multos iuretitos videmus, dum ante de resurrectione carnis eliduntur, quam de unione divinitatis elidunt. Igitur, quantum ad hæreticos, demonstravimus quo cuneo occurrendum (6) sit a nobis; et occursum est jam (7) suo quoque titulo, de Deo quidem unico, et Christo ejus, adversus Marcionem; de carne vero Domini, etiam adversus quatuor hæreses; ad hanc maxime quæstionem præstruendam, uti nunc de sola carnis resurrectione ita digeram (8), tanquam penes nos incertum, dum sit quoque certum (9) penes Creatorem. Nam et multi rudes, et plerique sua fide dubii et simplices; plures, quos instrui, dirigi, muniri oportebit; quia et hoc latere unio divinitatis defendetur. Sicuti enim negata carnis resurrectione, concutitur; ita vindicata, constabilitur. Animæ autem salutem credo retractu carere. Omnes enim fere hæretici eam quoquo modo (10) velint (11), tamen non negant. Viderit unus aliqui Lucanus, nec huic quidem substantiæ parcens, quam secundum Aristotelem dissolvens, aliud quid pro ea subjicit, quasi sit tertium (12) quiddam resurrecturum, neque anima, neque caro, id est non homo, (c) sed ursus forsitan, qua (13) Lucanus. Habet et iste a nobis plenissimum de omni statu animæ stylum, quam imprimis immortalem tuentes, (d) solius carnis et defectionem agnoscimus, (e) et refectionem cum maxime asserimus; redactis in ordinarium materiæ corpus, si qua et alibi pro caussarum incursione præstricta (14) distulimus. Nam ut quædam prælibari solemne est, ita differri necesse est, dummodo et prælibata suppleantur suo corpore, et dilata reddantur suo nomine.

CAPUT III.

Est quidem et (f) de (15) communibus sensibus sapere in Dei rebus; sed in testimonium veri, non in adjutorium falsi; quod sit secundum divinam, non contra divinam dispositionem. Quædam enim et natura nota sunt, ut immortalitas animæ penes plures, ut Deus noster penes omnes. (g) Utar ergo et sententia Platonis alicujus pronuntiantis: Omnis anima immortalis. Utar et conscientia populi, contestantis Deum deorum. Utar et reliquis communibus sensibus, qui Deum judicem prædicant: Deus videt; et: Deo commendo. At cum aiunt: Mortuum, quod mortuum; et: Vive, dum (16) vivis; et: Post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa; tunc meminero, et cor vulgi cinerem a Deo deputatum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Editio *alii*.
(2) Talo *Ven.*
(3) De Deo carnis auctore et de Christo carnis redemptore *rursus add. Rh. Pam.*
(4) Ad *inser. Fran. Pam.*
(5) Ultra *Pam. Fran.*
(6) Decurrendum *Rhen. Seml.*
(7) Etiam *Rhen. Seml.*
(8) Digerendum sit *Pam. Fran.*
(9) Nos quoque incerta, id est *Fran. Pam.*
(10) Quomodo *Rhen.*
(11) Volunt *Rhen Pam.*
(12) Quasi sit tertium *absunt a Rhen*
(13) Tanquam *Rhen. Semler.*
(14) Perstricta *Fran. Pam.*
(15) De *omitt. Rhen. Seml.*
(16) Vivendum *cod. Pith. Rhen*

COMMENTARIUS.

Carne Christi, scilicet, in quo probavit contra Marcionem Christi carnem veram esse. Apelles et Valentinus veram carnem fatebantur, sed non humanam, sideream nempe, cælestem, animalem confingebant. LE PR.

(a) *Proinde et obducimus.* Obducere pro evincere, ut mox, *Obducti dehinc de Deo* (sic enim distinximus, exposcente sensu) pro *convicti* RHEN.

(b) *Deum mundi naturaliter notum.* Adeo hæc opinio hominum omnium animis inhæsit, ut Athenienses sophistæ cujusdam Pythagoræ librum combusserint, qui in principio continebat, *An Deus sit?* Sic Cantabrigiensis Academiæ fundator, cum olim illac transiret, audissetque disputantes theologos *an Deus sit*, pœnituit ipsum fundatæ illius academiæ, in qua de re naturali cognitione clara, adhuc dubitabatur. LE PR.

(c) *Sed ursus forsitan, qua Lucanus.* Lucanum Marcionitam hæreticum ridet. Nam *ursus* vox est Lucana, hoc est Lucaniæ provinciæ quæ nunc *Basilicata* dicitur. LE PR. — Allusio est ad gentis nomen (λυκός, lupus). RHEN.

(d) *Solius carnis defectionem.* Hoc est, mortem. RIG.

(e) *Et refectionem.* Hoc est, resurrectionem. RIG.

CAP. III. — (f) *De communibus sensibus.* Sensus communes sunt κοιναὶ ἔννοιαι seu notiones, omnium fere sensu et consensione comprobatæ. LE PR.

(g) *Utar ergo et sententia Platonis.* Haud dubie debet istud intelligi de omni anima rationali; nam de illa, et in *Phædone*, et alibi loquitur Plato, quoties eamque immortalem animam pronuntiat. PAM.

et ipsam sapientiam sæculi stultitiam pronuntiatam. Tum si et (1) hæreticus ad vulgi vitia, vel sæculi ingenia confugerit : Discede, dicam, ab ethnico, hæretice; etsi unum estis omnes, qui Deum fingitis (2). dum hoc tamen in Christi nomine facis, dum christianus tibi videris, alius ab ethnico es : redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur. Quid cæco duci inniteris, si vides (3)? Quid vestiris a nudo, si Christum induisti? Quid alieno uteris clypeo, si ab apostolo armatus es? Ille potius a te discat carnis resurrectionem confiteri, quam tu ab illo diffiteri : quia si et (4)a christianis negari eam oporteret, sufficeret illis de sua scientia, non de vulgi ignorantia instrui. Adeo non erit christianus, qui eam negabit, quam confitentur Christiani, et his argumentis negabit, quibus utitur non christianus (5). Aufer (6) denique hæreticis quæ cum ethnicis (7) sapiunt; ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant (8), et stare non poterunt. Communes enim sensus simplicitas ipsa commendat, et compassio sententiarum (*a*), et familiaritas opinionum; eoque fideliores existimantur, quia nuda et aperta et omnibus nota defluunt.

CAPUT IV.

Itaque hæretici inde statim incipiunt, et inde præstruunt; dehinc interstruunt, unde sciunt facile capi mentes, de communione favorabili sensum. (*b*) An aliud prius vel magis audias tam(9)ab hæretico, quam ab ethnico? Et non protinus, et non ubique convicium carnis, in originem, in materiam, in casum(10), in omnem exitum ejus? Immundæ a primordio ex fæcibus terræ, immundioris deinceps ex seminis sui limo, (*c*) frivolæ, infirmæ, criminosæ, onerosæ, molestæ, et (*d*) post totum ignobilitatis elogium (11), caducæ in originem terram (12), et cadaveris nomen, et (*e*) de isto quoque nomine perituræ in nullum inde jam nomen, (*f*) in omnis jam vocabuli mortem? Hancne ergo vis, sapiens, et visui et contactui et recordatui tuo ereptam, persuadere (13) quod se recepturam quandoque sit in integrum de corrupto, in solidum de casso, in plenum de inanito, in aliquid omnino de nihilo? Et utique redhibentibus eam ignibus et undis, et alvis ferarum, et rumis alitum, et lactibus(14)piscium, (*g*) et ipsorum temporum (15) propria gula? Adeone autem eadem sporabitur quæ intercidit, ut claudus, et luscus, et cæcus, et leprosus, et paralyticus revertantur, ut redisse non libeat ad pristinum? An integri, ut iterum talia pati timeant? Quid tum de consequentiis carnis? Rursusne omnia necessaria illi, et imprimis pabula atque potacula, et pulmonibus natandum, et intestinis æstuandum, et pudendis non pudendum, et omnibus membris laborandum? Rursus, ulcera et vulnera, et febris, et podagra (16), et mors redoptanda (17)? Nimirum hæc erunt vota carnis recuperandæ, iterum cupere de ea evadere. Et nos quidem hæc aliquanto honestius pro styli pudore. Cæterum, quantum etiam spurciloquii licet (18) illorum in congressibus experiri, tam ethnicorum, quam hæreticorum!

CAPUT V.

Igitur quoniam et rudes quique de communibus adhuc sensibus sapiunt, et dubii et simplices per eos dem sensus denuo inquietantur; et ubique primus (19) iste in nos aries temperatur, quo carnis conditio quassatur; necessario et a nobis carnis primum con-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *abest a Rhen. Seml.*
(2) Fugitis *alii.*
(3) Videris *Rhen. Seml.*
(4) Et *abest a Fran. Pam.*
(5) Utuntur non Christiani *alii.*
(6) Aufers *Rhen. Seml.*
(7) Quæcunque ethnici *Rhen. Jun.*
(8) Instruant *Lat.*
(9) Tam *abest a Rhen.*
(10) Causam *alii.*
(11) Illogium *Jun.*
(12) Terream *Jun.*
(13) Persuadeare *Jun. Rhen.*
(14) Jactibus *Seml.*
(15) Temporum *abest a Rhen.*
(16) Podagra *abest a Rhen.*
(17) Reoptanda *alii.*
(18) Spurciloquio liceat *Rhen. Pam.*
(19) In primis *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Compassio sententiarum.* Inter eos scilicet quibuscum intercedit communis sententiæ commune negotium. Sic contra, libro *de Virg. velandis*, jam se proprium opinionibus suis negotium passum esse præfatur. Rig.

CAP. IV. (b) *An aliud prius, etc.* Hæretici isti adversus quos agit Tertullianus malam dicebant carnem nostram, ut factam a Deo malo, sic etiam et gentiles (Epiphanius in *Anchorato*) Epicurei et alii philosophi in carnem nostram et generationem multis invehebantur, ut constat ex Clemente Alex. lib. III *Strom.*, et Lactantio lib. III *de Opificio*. Lac.

(c) *Frivolæ.* Ob nuditatem, quia infans non nativo vestitu, ut alia animalia, sed nudus, tremulusque prodit, quod optime Sidonius expendit lib. VII epist. 4, et Lactantius lib. III *de Opificio* cap. 5. Lac.

(d) *Post totum dignitatis elogium.* Id est recensionem. In bonam et in malam partem accipitur *elogium*. Sic infra; *Religionem publico odio et hostili elogio obnoxiam.* Rhen.

(e) *De isto quoque nomine perituræ.* Post cadaveris nostri corruptionem, nullum est destinatum nomen, quo materia illa, quæ fuerat humani corporis, signetur. Hoc vocat *mortem vocabuli.* Nam cadaver facessit in terram, vel alia animalia. Lac.

(f) *In omni jam vocabuli mortem.* Etenim mortui desinunt esse quicquid dum viverent vocabantur, et jam sunt nulli. Plinius lib. XI *Hist. nat.* ubi de natura terræ. Rig.

(g) *Et ipsorum temporum propria gula.* Alludit ad Vedii Pollionis gulosam sævitiam, et sævientem gulam; nam is damnata mancipia vivariis murænarum immergebat, non tantum ut totum hominem pariter distrahi spectaret, quod Plinius prodit, verum etiam ut humana carne in piscibus vesceretur, quod docet Tertullianus in *de Pallio*; his verbis : *Immergo æque scalpellum*, inquit, *acerbitati qua Vedius Pollio servos murænis invadendos objectabat. Nova scilicet sævitia delectato terrenæ bestiæ exedentulæ et exunguis, et excornis, de piscibus placuit feras cogere, utique statim coquendis, ut in visceribus earum aliquid de servorum suorum corporibus et ipse gustaret.* Hæc illic. Ergo non sine caussa hic dicit : *Et ipsorum propria gula redhibente;* subaudi . quæ devoraverat de carne humana.

ditio municipur. Vituperationem laudatione depellas (1). Ita nos rhetoricari (*a*) quoque provocant hæretici, sicut etiam philosophari. Futile et frivolum illud corpusculum (*b*), quod malum denique appellare non horrent, etsi angelorum fuisset operatio, (*c*) ut Menandro et Marco placet; etsi ignei alicujus exstructio, æque angeli, ut Apelles docet; sufficeret ad auctoritatem carnis secundæ divinitatis patrocinium. Angelos post Deum novimus. Jam nunc, quisquis ille summus Deus hæretici cujusque est, non immerito ab ipso quoque deducerem carnis dignitatem, a quo voluntas producendæ ei adfuisset. Utique enim prohibuisset fieri, quam fieri scisset, si fieri noluisset. Ita et secundum illos, æque caro Dei res. Nihil operis non ejus est, qui passus est esse. Bene autem, quod plures et duriores quæque doctrinæ totam hominis figulationem Deo nostro cedunt. Quantus hic sit, satis nosti, qui unicum credidisti. Incipiat jam tibi caro placere, cujus artifex tantus est. Sed et mundus, inquis, Dei opus est, et tamen *præterit habitus hujus mundi*, Apostolo quoque auctore (1 *Cor.* VII) : nec idcirco restitutio mundi præjudicabitur (2), quia Dei opus est. Et utique si universitas irreformabilis post decessum, quid portio? Plane, si portio universitati adæquatur. Ad distantiam enim provocamus. Primo quidem, quod omnia sermone Dei facta sunt, et sine illo nihil. Caro autem et sermone Dei constitit propter formam, ne quid sine sermone : *Faciamus* enim *hominem*, ante præmisit. Et amplius, manu, propter prælationem, ne universitati compararetur. *Et finxit*, inquit, *Deus hominem*. Magnæ sine dubio differentiæ ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim quæ fiebant, eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox a Deo addicta sunt. Merito igitur, (*d*) ut famula, jussu et imperio, et sola vocabili (3) potestate universa processerant. Contra, homo, ut dominus eorum, in hoc ab ipso Deo exstructus est, ut dominus esse posset, dum sit a Domino.

A Hominem autem memento carnem proprie dici, quæ prior vocabulum hominis occupavit : *Et finxit Deus hominem limum de terra.* Jam homo, qui adhuc limus. *Et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ; et factus est homo*, id est limus, *in animam vivam. Et posuit Deus hominem, quem finxit, in paradiso.* Adeo homo figmentum primo, dehinc totus. Hoc eo commendarim, uti quicquid omnino homini a Deo prospectum atque promissum est, non soli animæ, verum et carni scias debitum; ut si non ex consortio generis, certe vel ex privilegio nominis.

CAPUT VI.

Persequar itaque propositum; si tamen tantum possim carni vindicare, quantum contulit ille qui eam fecit, jam tunc gloriantem, quod illa pusillitas, limus in manus Dei, quæcumque sunt, pervenit, satis beatus, etsi solummodo contactus. Quid enim, si nullo amplius opere, statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeo magna res agebatur, qua ista materia exstruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum (4), manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, et ipsa imprimis affectione, quæ liniamenta ducebat (5). Quodcumque enim limus exprimebatur, (*f*) Christus cogitabatur homo futurus, quod et limus, et caro sermo (6), quod et terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad Filium : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus.* Id utique quod fluxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et Sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, (*g*) non rapinam existimavit pariari (7) Deo. Ita limus ille, jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus. Quo nunc facit, ad infuscandam originem carnis, nomen terræ ven-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vituperatione laudatione dipulsa *Rhen. cod. Pith.*
(2) Præjudicatur *Rhen.*
(3) Vocali *Pam. Rhen.*
(4) Dedicatum *Rhen. Semi.*
(5) Ductabat *Pam. Fran.* decebat *Rhen.* dictabat *alii.*
(6) Sermo caro *Fran. Pam.*
(7) Par *Rhen.* paria *Gelen.* parem esse *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. V.—(a) *Ita nos rhetoricari.* Minime libenter antiqui Patres philosophiæ et eloquentiæ rivos vertebant, quos modestia sua continebant, ac propterea Simon magus (Ir *recogn.* B. Clem.) et Julianus, et Porphyrius apud Eusebium, objiciebant Christianis philosophiæ et eloquentiæ imperitiam; sed quam falso, convincunt elegantissima et disertissima Patrum volumina, qui ab hæreticis coacti plena fluenta fuderunt. LAC.

(b) *Corpusculum, quod malum denique.* Puto Auctorem respicere ad Marcionis hæresin : quippe qui, eo ipso quo dicebat, corpus creatum a malo Deo et ex materia mala, indirecte concludebat etiam corpus malum esse. Verum apertius eum errorem postea secuti sunt Manichæi. PAM.

(c) *Ut Menandro et Marco placet.* Angelos mundum creasse, et proinde etiam humanam carnem, Menandri fuit cum Simone Mago suo magistro communis hæresis, sicuti supra videre est lib. *de Præscript. adversus hæreticos* cap. 46. PAM.

(d) *Ut famula, jussu et imperio.* Acute hic Tertullianus, quasi jam tunc in rerum creatione eas ipsas inaugurare, seu instruere Deus servituti, hominis imperio. Et jussu facta sunt; secus homo, qui dominus futurus esset, non imperio factus, sed ad imaginem Dei, qui imperans est, summus factus est ab ipso Domino. Nam esse imaginem Dei hominem, juxta aliquos Patres, in rerum omnium imperio stetit. Isidorus Pelus. lib. III, epist. 95. LAC.

(e) *Homo, id est limus.* « Adam, homo, sive terrenus, aut indigena, vel terra rubra, » ait B. Hieronymus, *de Nom. Hebr.* EDD.

CAP. VI.—(f) *Christus cogitabatur homo futurus quod et limus, et caro sermo, quod et terra tunc.* Hæc apertiora videntur distinctionibus adhibitis, ut in exemplari Pithœano : *Christus cogitabatur homo futurus quod et limus et caro; sermo quod et terra tunc.* RIG.

(g) *Non rapinam existimavit pariari Deo.* Nam Dei et Domini, hoc est Patris et Filii ex æquo divinitas est, inquit Gregor. Bæticus lib. *de Fide*; deinde adjicit: Dei enim voluntas et cujuslibet, non tamen Dei, pariare non potest. RIG.

tilare, ut sordentis, ut jacentis elementi? cum etsi alia materia excludendo (1) homini competisset, artificis fastigium recogitari oporteret, qui illam et (2) eligendo dignam judicasset, et tractando fecisset. Phidiæ manus, (*a*) Jovem Olympium ex ebore molitæ, adorantur (3); nec jam bestiæ, et quidem insulsissimæ, dens est, sed summum sæculi numen; non quia elephantus, sed quia Phidias tantus: Deus vivus, et Deus verus, quamcumque materiæ vilitatem non de sua operatione purgasset, et ab omni infirmitate sanasset? An hoc supererit, ut honestius homo Deum, quam hominem Deus finxerit? Nunc, etsi scandalum limus, alia jam res est. Carnem jam teneo, non terram: licet et (4) caro audiat, *Terra es, et in terram ibis*; origo recensetur, non substantia revocatur. Datum est esse aliquid (5) origine generosius, et demutatione felicius. Nam et aurum terra, quia de terra; hactenus tamen terra: ex quo aurum, longe alia materia, splendidior atque nobilior, de obsoletiore (6) matrice. (*b*) Ita et Deo licuit, carnis aurum, de limi, quibus putas, sordibus excusato censu, eliquasse.

CAPUT VII.

Sed (7) dilutior videatur auctoritas carnis, quia non ipsam proprie manus divina tractavit, sicut limum. Quando in hoc tractavit limum, ut postmodum caro fieret ex limo, carnis (8) utique negotium gessit. Sed adhuc velim discas, quando et quomodo (9) caro floruerit (10) ex limo (*c*). Neque enim, ut quidam volunt, illæ pelliciæ (11) tunicæ, quas Adam A et Eva, paradisum exuti, induerunt, ipsæ erunt carnis ex limo reformatio; cum aliquanto prius et Adam, substantiæ suæ traducem in fœmina (12) jam carnem (13) recognoverit (14): *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea;* et ipsa delibatio masculi in fœminam carne suppleta sit, limo, opinor, supplenda, si Adam adhuc limus. Obliteratus igitur et devoratus est limus in carnem. Quando? cum factus est homo in animam vivam, de Dei flatu, vapore (15) scilicet idoneo (16) torrere quodammodo limum in aliam qualitatem; quasi in testam, ita in carnem. Sic et figulo licet argillam temperato ignis adflatu in materiam robustiorem recorporare, et in aliam ex alia fingere (17) speciem, aptiorem pristina, et sui jam generis ac nominis. Nam etsi scriptum est (*Rom.* IX): B *Numquid argilla dicet* (18) *figulo*? id est, homo Deo; et si Apostolus, *In testaceis*, ait (II *Cor.* IV, 7), *vasculis*; tamen et argilla homo, quia limus ante; et testa caro, quia ex limo per (19) adflatus divini vaporem (*d*), quam postea pelliciæ tunicæ, id est, cutes superductæ, vestierunt. Usque adeo, si detraxeris cutem, nudaveris carnem. Ita, quod hodie spolium efficitur, si detrahatur, hoc fuit indumentum cum superstruebatur. Hinc et Apostolus, circumcisionem despoliationem carnis appellans, tunicam cutem confirmavit (20). Hæc cum ita sint, habes et limum de manu Dei gloriosum, et carnem de afflatu Dei gloriosiorem, quo pariter caro et limi rudimenta deposuit, et animæ ornamenta suscepit. Non es diligentior Deo, uti tu quidem scythicas et indicas gemmas, et rubentis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Excudendo *Rhen.*
(2) In *add. alii.*
(3) Molitur et adoratur *Pam. Rhen.*
(4) Et *deest aliis.*
(5) In *inser. cod. Pith.*
(6) Obsolentiore *Rhen. Jun.*
(7) Ne *add. alii.*
(8) Carni *Rhen.*
(9) Quomodo et quando *Rhen.*
(10) Fluxerit *alii.*
C (11) Pelliceæ *Seml. Pam.*
(12) Fœminæ *Rhen. Seml.*
(13) Carne *Rhen. Seml.*
(14) Cognoverit *Fran.*
(15) Vaporeo *Rhen*
(16) Et *inser. Rhen. cod. Pith.*
(17) Stringere *Rhen. Seml.*
(18) Dicit *alii.*
(19) Per *deest Riq Vam.*
(20) Adfirmavit *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Jovem Olympium ex ebore*, etc. Plinius lib. 34 cap. 8: Minoribus simulacris signisque, inquit, innumera prope artificum multitudo nobilitata est; ante omnes tamen Phidias Atheniensis, Jove Olympio facto, ex ebore quidem, sed et ex ære signa fecit. RUEN.

(b) *Ita et Deo licuit carnis aurum, de limi quibus putas sordibus excusato censu, eliquasse.* Excusatus dicitur, extra causam legis, oneris aut criminis positus. Qui scilicet docuit in ea se causa non esse, ut onere aliquo sive accusatione aliqua premi, sive lege aliqua censeri aut teneri debeat. Sic *Cs cibo excusamus*, hoc est, abstinemus, et *Cervicem nostram a tanto jugo excusant.* Sic etiam hic, carnis census dici videatur excusatus sordibus limi, quasi sordium exsors limosarum, et libro *de Virg. velandis*, *Flos virgineus excusat humanam libidinem*, hoc est, recusat humanæ libidinis maculas. Verumtamen Septimio nostro mentem fuisse aliam credimus: et aurum et carnem de terra esse ait; utrumque autem manibus artificis perfectum transire in materiam longe aliam, splendidiorem atque nobiliorem de obsoletiore matrice, ut jam non amplius terra, sed aurum et caro dicantur. Itaque ut licuit artifici aurum de terra excudere, e *cunæ* violentia coctum adeo purgare, ut tandem D in perfectissimam proficiat bonitatem; ita etiam licuisse summo omnium artifici Deo, carnis nostræ aurum de limo excudere, ac virium divinarum formacibus excoctum et eliquatum in nobilissimæ materiæ censum referre, pristino illo terræ seu limi censu sordibus excusato. Censum materiam dixit, qualiscumque censeatur. Excusatum vero, excusum, ab eo quod est cudere et excudere, unde Cusare et Excusare, quemadmodum ab eo quod est quatere, jacere, premere, dicimus quassare, jactare, pressare, unde et quassatum, jactatum, pressatum, quod alias quassum, jactum, et pressum. RIG.

CAP. VII.—(c) *Neque enim ut quidam volunt, illæ pellitiæ tunicæ, quas Adam et Eva paradisum exuti induerunt, ipsæ erunt carnis ex limo reformatio.* Carpit sententiam Valentinianorum, qui hominem a Deo creatum fuisse dicebant spiritalis substantiæ censu, postea vero de paradisi regione ejecto carnalem superficiem supertextam, ut ait, adversus Valentin. Vel ut Irenæus adversus eosdem dixerat, circumdatam fuisse dermatinam tunicam, δερμάτινον χιτῶνα. Sic appellabant carnem obnoxiam sensui, τοῦτο δὲ τὸ εἰσθητὸν σαρκίον εἶναι λέγουσι, inquit apud Epiphanium Irenæus. RIG.

(d) *Caro, quam postea pelliciæ tunicæ, id est, cutes*

maris grana candentia; non plumbo, non ære, non ferro, (*a*) ne argento quoque oblaquees; sed electissimo et insuper operosissimo descrobes auro; vinis item (1) et unguentis pretiosissimis quibusque vasculorum prius congruentiam cures; proinde (*b*) perfectæ (2) ferruginis (3) gladiis vaginarum adæques dignitatem : Deus vero animæ suæ umbram, spiritus sui auram, oris sui operam, vilissimo (*c*) alicui commiserit capulo, et indigne collocando utique damnaverit. Collocavit autem, an potius inseruit et immiscuit carni, tanta quidem concretione, ut incertum haberi possit utrumne caro animam, an carnem anima circumferat; utrumne animæ caro, an anima appareat (4) carni. Sed et (5) magis animam invehi atque dominari credendum est, ut magis Deo proximam. Hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximam Deo et continet, et ipsius dominationis compotem præstat. Quem enim naturæ usum, quem mundi fructum, quem elementorum saporem, non per carnem anima depascitur? quidni? per quam omni instrumento sensum fulta est (6), visu, auditu, gustu, odoratu, contactu; per quam divina potestate respersa est, nihil non sermone perficiens vel tacite præmisso. Et sermo enim de organo carnis est; artes per carnem; studia, ingenia, per carnem; opera, negotia, officia, per carnem : atque adeo (*d*) totum vivere animæ carnis est, (*e*) ut non vivere animæ nihil aliud sit, quam a carne devertere : sic etiam ipsum mori carnis est, cujus et vivere. Porro, si universa per carnem subjacent animæ, carni quoque subjaceant (7), per quod utaris (8), necesse est. Ita caro, dum ministra et famula animæ deputatur, consors et cohæredes invenitur. Si temporalium, cur non et æternorum?

CAPUT VIII.

Et hæc quidem, velut de publica forma humanæ conditionis in suffragium (9) carni procuraverim. Videamus nunc de propria etiam christiani nominis forma, quanta huic substantiæ, frivolæ ac sordidæ, apud Deum prærogativa sit : et si sufficeret illi, quod nulla omnino anima salutem possit adipisci, nisi dum est (10) in carne crediderit : adeo caro salutis est cardo. Denique (11) cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit ut anima allegi possit. Scilicet (12) caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo saginetur (*f*). Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit. Nam et sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, et seras et aridas escas, et (*g*) appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat (13). Virginitas quoque et viduitas, et (*h*) modesta in occulto matrimonii dissimulatio, et una notitia ejus, de bonis carnis Deo adolentur (14). Age jam, quid de ea sentis, cum (*i*) pro nominis fide in medium extracta, et odio publico exposita, decertat; cum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuria mundi, squalore, pædore, contumelia victus; ne somno quidem libera, quippe ipsis etiam cubilibus vincta ipsisque stramentis lancinata; cum jam et in luce omni (*j*) tormentorum machinatione laniatur; cum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vinis item *non leguntur in Pith. Rhen.*
(2) Perspectæ *Fran.* perfecte *Rhen.*
(3) Ferrugineis *Rhen.*
(4) Pareat *Rhen. Seml.*
(5) Etsi *Pam. Fran.*
(6) Fulciatur *Rhen.*
(7) Subjacent *Rig. Ven. Seml. Forsan* subjaceat. Edd.
(8) Cum eo utaris *add. Pam. Rig. Ven.*
(9) Suffragia *Rhen. Seml.*
(10) Est *omitt. alii.*
(11) De qua *Rhen.*
(12) Sed et *Rhen. Pam.*
(13) Instauratur *Rhen.*
(14) Adolantur *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

superductæ vestierunt. Itaque Septimius pellicias tunicas cutes fuisse censet, non, ut Valentiniani, carnem ipsam. Rig.

(a) *Ne argento quoque oblaquees.* Ita recte divinavit legendum Rhenanus, qui illud *oblaquees* interpretatur, id est, circumdes, cingas, includas, ut sit a lacu deductum verbum *oblaqueo*, cujusmodi et quod sequitur *descrobes*, id est, inseras, a *scrobe*, id est a fovea. Est autem adnotanda Angl. ms. Vaticani antiqua lectio, *ferroginis* pro *ferruginis*. Pam.

(b) *Perfectæ ferruginis gladium.* Sic emendavimus ex Pithœano codice, quod antea legebatur, *perspectæ ferruginis*. Perfectam ferruginem dicit perfectæ bonitatis ferrum, cujus est acies mera; nec solum ingenio venæ præstans, sed et factura, sed aquæ nobilitate, cui subinde candens immergitur. Rig.

(c) *Alicui commiserit capulo.* Corpus capulum animæ vocat, id est receptaculum. Rhen.

(d) *Totum vivere animæ carnis est.* Verissime dictum, dum est unita corpori anima, quia nihil operatur nisi per organa carnis, imo intellectio ipsa, quæ ipsius veluti animæ peculium est, non fit nisi cum dependentia specierum materialium et phantasmatis. Lac.

(e) *Ut non vivere animæ nil aliud sit*, etc. Etiam hoc dictum auctoris illo sensu verum est. Nam, nisi per ministeria corporalia nil operatur anima et velut mortua est, ideo cum organa carnis materialia impediuntur, torpet anima, ut nil operari possit. Hæc enim lex sive societas lata est, dum sunt unitæ caro et anima, ut hæc absque subsidio illius nil efficiat. Præterea Tertullianus per *vivere* et *vitam animæ* hic intelligit informationem animæ, et vitam quam caussat informatione sua in corpus. Lac.

CAP. VIII. — (f) *Caro abluitur, caro ungitur, caro signatur*, etc. Strictim hoc loco recensuit, sed appositissime declaravit Baptismum, Unctionem, Signaculum crucis, Manuum impositionem, Eucharistiam. Rig.

(g) *Appendices hujus officii.* Alibi dixit *horrorem cineris et asperitudinem sacci.* Quibus etiam addebant hæc Lacilliana, illuviem, imbalnitiem, imperfundiem, incuriam. Rig.

(h) *Modesta in occulto matrimonii dissimulatio.* Significat ipsa matrimonii secreta, quæ libro *ad Uxorem* II, penes sanctos esse ait officia sexus, ac debere cum honore ipsius necessitatis, tamquam sub oculis Dei, modeste ac moderate transigi. Rig.

(i) *Pro nominis fide.* Non semel adnotavimus a Tertulliano et B. Cypriano usitatum *nomen* pro *christiano nomine*. Sic etiam, cap. 40, *suppliciis nominis caussa:* Tertullianicæ sunt etiam voces. Pam.

(j) *Tormentorum machinatione laniatur.* Fertilem et ingeniosam tyrannorum sævitiam in adinveniendis

denique suppliciis erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, et quidem per eamdem crucem sæpe, nedum per atrociora quoque ingenia pœnarum? Nec illa beatissima et gloriosissima, (*a*) quæ potest apud Christum Dominum parere (1) debito tanto, ut hoc solum debeat ei quod ei debere desierit; hoc magis vincta, quod (2) absoluta.

CAPUT IX.

Igitur, ut retexam quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo adflatu ad similitudinem suæ vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui, totius suæ operationis præposuit, quam sacramentis suis disciplinisque vestivit : cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi adpretiat; hæccine non resurget totiens Dei? Absit, absit (3), ut Deus manuum suarum operam ingenii sui curam, adflatus sui vaginam, (*b*) molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, (*c*) religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, (*d*) Christi sui sororem, in æternum destituat interitum! Bonum Deum novimus; (*e*) solum optimum a Christo ejus (4) addiscimus; qui dilectionem mandans, post suam, in proximum, faciet et ipse quod præcepit : diliget carnem, tot modis sibi proximam, etsi *infirmam* (*Matth.* XXVI, 41); sed *virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.*, XII, 9); etsi imbecillam; *sed medicum non desiderant, nisi male habentes* (*Matth.* XXII); etsi inhonestam; (*f*) sed *inhonestioribus majorem circumdamus honorem* (II *Cor.*, XII); etsi perditam; sed *ego*, inquit, *veni ut quod periit salvum faciam* (*Luc.*, V); etsi peccatricem; sed *malo mihi*, inquit, *salutem peccatoris, quam mortem* (*Ezech.*, XVIII); etsi damnatam; sed *ego*, inquit (*Deut.*, XXXII), *percutiam, et sanabo.* Quid ea exprobras carni, quæ Deum exspectant, quæ in Deum sperant, quæ honorantur ab illo, quibus subvenit? Ausim dicere, si hæc carni non accidissent, benignitas, gratia, misericordia, omnis vis Dei beneficia, vacuisset (5).

CAPUT X.

Tenes Scripturas, quibus caro infuscatur; tene etiam, quibus inlustratur. Legis, enim (6) caro deprimitur : adige oculos, et cum (7) caro relevatur (8). *Omnis caro fœnum* (*Is.*, XLI); non hoc (9) solum pronuntiavit Esaias; sed et : (*g*) *Omnis caro videbit salutare Dei* (*Ibid.*). Notatur in Genesi dicens Deus (*Gen.*, VI) : *Non manebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt;* sed et auditur per Joelem (*Joel.*, II): *Effundam de Spiritu meo in omnem carnem.* Apostolum quoque ne de uno stylo noris, quo carnem plerumque compung . Nam, etsi negat habitare boni quicquam in carne sua; etsi adfirmat eos qui in carne sint, Deo placere non posse, quia concupiscat adversus spiritum; et, si qua alia ita ponit, ut carnis non tamen substantia, sed actus inhonoretur : dicemus quidem alibi nihil proprie carni exprobrari oportere, nisi in animæ suggillationem, quæ carnem ministerio sibi subigit (10). Verum interim (*h*) et in illis literis Paulus est, cum stigmata Christi in corpore suo portat; cum (11) nostrum, ut Dei templum, vitiari vetat; cum corpora nostra membra Christi facit; cum monet tollere et magnificare Deum in corpore nostro. Itaque, si ignominiæ carnis resurrectionem ejus expellunt, cur non dignitates potius inducent? Quoniam Deo magis congruit in salutem redigere, quod reprobarit interdum, quam in perditionem dedere, quod etiam aliquando (12) probavit.

CAPUT XI.

Hucusque de præconio carnis adversus inimicos, et nihilominus amicissimos ejus. Nemo enim tam carnaliter vivit, quam qui negant carnis resurrectionem. Negantes enim ejus (13) pœnam, despiciunt et disciplinam. De quibus luculenter et (*i*) Paracletus per

LECTIONES VARIANTES.

(1) Par esse *Lat.* pariare *Ciaccon.*
(2) Quo *Pam. Fran.*
(3) Absit *semel. Rhen.*
(4) Ejus *abest a Rhen. Seml.*
(5) Vacavisset *alii.*
(6) Quando *Rhen.*
(7) Quando *Rhen.*
(8) Revelatur *alii.*
(9) Hoc *abest a Pam. Fran.*
(10) Subjicit *alii.*
(11) Corpus *add. Rhen. Seml.*
(12) Aliquando *deest Rhen.*
(13) Ejus *deest Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

suppliciis tangit. De variis illis et inauditis pœnis videndus Eusebius. Le Pa.

(a) *Quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto.* Sic habent exemplaria; nec puto mutandum esse quicquam, etsi maluerit Ciacconius *pariare.* Appellanti creditori paret debitor, cum satisfacit. Jubet qui exigit, paret qui præstat quod promisit. Rig.

CAP. IX.—(b) *Molitionis suæ reginam.* Molitionem dicit creationem. Creavit autem Deus hominem tamquam regem omnium quæ in terra, quæ in mari. Rig.

(c) *Religionis suæ sacerdotem.* Laudes et gratias immolantem Deo. Rig.

(d) *Christi sui sororem.* Quia cognatæ et congeneris cum carne Christi, non ut plerique hæreticorum illorum, adversus quos digladiatur auctor, putabant carnem Christi diversæ rationis fuisse, aut phantasticæ, aut sidereæ, aut animalis, aut spiritualis, de quorum hæresibus lib. præced. Lac.

(e) *Solum optimum a Christo ejus*, etc. Operibus gratiæ optimus Deus agnitus est. Contra Marcionistas etiam dictum est hoc, qui cum duos deos distinguerent, deum malum creatorem, et deum bonum, hunc dicebant fuisse Deum ad quem Christus pertinebat, et per Christum notam ejus bonitatem. Lac.

(f) *Sed inhonestioribus majorem circumdamus honorem.* Quæ cum nominari necesse est, honorem præfari solemus. Rig.

CAP. X. — (g) *Omnis caro videbit salutare Dei.* Infra cap. 59, eædem hæ Scripturæ iisdem pene verbis citantur. Legitur autem id secundum LXX, pro eo quod beatus Hieronymus vertit dumtaxat, *et videbit omnis caro pariter :* quam utramque lectionem eodem recidere, pulchre deducit Leo de Castro in Isaiam. Le Pa.

(b) *Et in illis literis Paulus est.* Hoc est, et in illis Scripturæ testimoniis Pauli vox auditur. Rig.

CAP. XI. — (i) *Paracletus per prophetidem*, etc. Paracletum vocat Montani spiritum, cui jam hæserat auctor, cum hunc tractatum scripsit. Prisca vero alias

prophetidem Priscam : «Carnes sunt, et carnem oderunt.» Quam si tanta auctoritas munit, quanta illi ad meritum salutis patrocinari possit, numquid etiam Dei ipsius potentiam, et potestatem, et licentiam recensere debemus, an tantus sit qui valeat dilapsum, et devoratum, et quibuscumque modis ereptum (1) tabernaculum carnis reædificare atque restituere? An et aliqua nobis exempla hujus sui juris (*a*) in publico naturæ promulgavit (2), ne qui forte (*b*) adhuc nesciant (3) Deum nosse, qui non alia lege credendus est, quam ut omnia posse credatur? Plane (*c*) apud Philosophos habes, qui mundum hunc innatum infectumque defendant : sed multo melius, quod omnes fere hæreses natum et factum mundum annuentes, conditionem Deo nostro adscribunt. Igitur confide (4) illum totum hoc ex nihilo protulisse, et Deum nosti, confidendo quod tantum Deus valeat. Nam et quidam, infirmiores hoc prius credere, de materia potius (5) subjacenti voluit ab illo universitatem dedicatam (*d*) secundum philosophos. Porro, etsi ita in vero haberetur, cum tamen longe alias substantias, longeque alias species ex reformatione materiæ diceretur protulisse, quam fuisset ipsa materia; non minus defenderem ex nihilo eum protulisse, si ea protulerat, quæ omnino non fuerant. (*e*) Quo enim interest, ex nihilo quid proferri, an ex aliquo, dum quod non fuit, fiat? quando etiam non fuisse, nihil sit fuisse. Sic et fuisse e contrario, non nihil est fuisse. Nunc, etsi interest, tamen utrumque mihi applaudit. Sive enim ex nihilo Deus molitus est cuncta, poterit et carnem, in nihilum perductam (6), exprimere de nihilo. Sive de materia modulatus (7) est alia, poterit et carnem quocumque dehaustam evocare de alio. (*f*) Et utique idoneus est reficere, qui fecit; quanto plus est fecisse, quam reficisse, initium dedisse, quam reddidisse, ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione.

CAPUT XII.

Aspice nunc ad ipsa quoque exempla divinæ potestatis. Dies moritur in noctem, et tenebris usquequaque sepelitur : (*g*) funestatur mundi honor; omnis substantia denigratur; sordent, silent, stupent cuncta; ubique justitium est (8). Ita lux amissa lugetur; et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem et integra et tota universo orbi reviviscit; interficiens mortem suam, noctem; rescindens sepulturam suam, tenebras; hæres sibimet existens, donec et nox reviviscat, cum suo et illa suggestu. Redaccenduntur enim et stellarum radii, quos matutina succensio (9) exstinxerat : reducuntur et siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat : redornantur (10) et specula lunæ, quæ menstruus numerus adtriverat : revolvuntur hyemes et æstates, (11) verna et autumna, cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quæ absumpta sint semina, nec prius exhibere quam absumpta. Mira ratio! De fraudatrice servatrix, ut reddat, intercipit; ut custodiat, perdit; ut integret, vitiat; ut etiam ampliet, prius decoquit. Siquidem uberiora et cultiora restituit, quam exterminavit, revera fœnore interitu, et injuria usura, et lucro damno. Semel dixerim, universa conditio recidiva est. Quodcumque convenceris, fuit : quodcumque amiseris, nihil non iterum est. Omnia in statum redeunt, cum abscesserint : omnia incipiunt, cum desierint : ideo finiuntur, ut fiant : nihil deperit, nisi in salutem. Totus igitur (*h*) hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Exemptum *Jun.*
(2) Promulgaret *Rhen.* promulget *alii.*
(3) Sitiant *Rhen. Seml.* sciant *Pam. Fran.*
(4) Confidet *Rig. Ven.*
(5) Totius *cod. Wowv.*
(6) Productam *Pam. Rhen.*
(7) Moderatus *Rhen. Seml.*
(8) Quies rerum *add. Pith.*
(9) Suggestio *Rhen. Pith.*
(10) Redonantur *Rhen.*
(11) Et *inser. Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

Priscilla, cujus meminit Auctor *adv. Praxean*, et lib. *de jejuniis*, Montani prophetissa fuit. Lac.

(a) *In publico naturæ.* In publicis naturæ tabulis. Ipse, lib. *de Corona : Quæris igitur Dei legem? Habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas et Apostolus solet provocare.* Rig.

(b) *Ne qui forte adhuc nesciant Deum nosse.* In Pithœano legitur, *sitiant.* Quæ forma loquendi Septimio familiaris. Sitiunt nosse Deum, qui nondum norunt, adeoque nesciunt. Sic *Nihilominus tamen ipsius simplicitatis suæ sitiant interpretationem.* Rig.

(c) *Apud philosophos habes qui mundum hunc innatum.* Vulgatum est illud, *Ex nihilo nihil fit :* ex quo æternum fuisse mundum futurumque putat Aristoteles, *Physic.* 1, et lib. *de cœlo.* Verum si vera principii illius ac germana explicatio attendatur, Deus dixit : *Ego sum qui sum;* ergo ab existente illo Deo omnia profluxisse, mundumque creatum conjicere est. Aristotelem opinionem hanc retractasse putant nonnulli. Le Pr.

(d) *Secundum philosophos.* Plato, uti attestantur Athanasius, lib. *de Incarn. Verbi*, in princip. et Epiphan. *hær.* 6, Deum dixit ex materia præjacente et infecta mundum condidisse. Quamvis Marsilius Ficinus in comp. *Timæi* platonici, cap. 9 et seq. conetur excusare illum ab hoc errore, et tantum voluisse Platonem materiam fuisse a Deo immediatius factam, quam res aliæ. Lac.

(e) *Quo enim interest*, etc. Non asseveranter hæc inquit Auctor, non audens contemnere statas philosophiæ leges probatas Patribus, ut ad rem de qua agimus Gregor. hom. 20, in Ezech. Lac.

(f) *Et utique idoneus est reficere, qui fecit.* Manichæi, Cerdoniani, Marcionitæ, negabant illam refectionem, seu resurrectionem; cum tamen longe difficilius videatur e nihilo creare quam reficere. Le Pr.

CAP. XII. — (g) *Funestatur mundi honor.* Solem innuit qui κόσμου τὸ περίφημον ὄμμα, *mundi cursatilis oculus*, Orpheo dicitur, et Proclo Lycio hym. 4, ἀλλὰ θεῶν ἄριστε, πυριστεφὴς, ὄλβιε δαίμων : *at deorum optime, qui igne cinctus, potens dæmon.* Le Pr.

(h) *Hic ordo revolubilis rerum.* E perpetua rerum vicissitudine, et fluxu continuo ac volubilitate resurrectionem demonstrat; ex illa quippe rerum natu-

rum. Operibus eam præscripsit Deus ante, quam A literis : viribus prædicavit ante, quam vocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiæ, discipulus naturæ : quo statim admittas, cum audieris quod ubique (1) jam videris; nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem (2) omnium noris restitutorem. Et utique si omnia homini resurgunt, cui procurata sunt, porro non homini, nisi et carni, quale est ut ipsa depereat in totum, propter quam et cui nihil deperit?

CAPUT XIII.

Si parum universitas resurrectionem figurat, si nihil tale conditio signat, quia singula ejus non tam mori, quam desinere dicantur, nec redanimari, sed B reformari existimentur, accipe plenissimum (3) atque firmissimum hujus spei specimen. Siquidem animalis est res, et vitæ obnoxia, et morti; illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum; (*a*) qui semetipsum lubenter funerans renovat, natali fine decedens atque succedens; iterum phœnix, ubi jam nemo; iterum ipse, qui non jam; alius idem. Quid expressius atque signatius in hanc causam? aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam Scripturis suis : (*b*) *Et florebit* (4) enim, inquit (*Ps.*, XCI, 15), *velut phœnix*; id est, de morte, de funere ; (*c*) uti credas, de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. *Multis passeribus antistare nos* Dominus pronuntiavit : si non et phœnicibus, nihil magnum.Sed (5) homines se C mel interibunt, avibus Arabiæ de resurrectione securis?

CAPUT XIV.

Talia interim divinarum virium liniamenta non minus parabolis operato Deo, quam locuto, veniamus et ad ipsa edicta atque decreta ejus, quo cum maxime divisionem istam materiæ ordinamus. Exorsi enim sumus ab auctoritate carnis, an ea sit cui dilapsæ salus competat : dehinc, prosecuti de potentia Dei, an tanta sit quæ salutem conferre dilapsæ rei soleat : nunc, si probavimus utrumque, velim etiam de causa requiras an sit aliqua tam digna, quæ resurrectionem carnis necessariam, et rationi certe omnimodo debitam vindicet, quia subest dicere, etsi caro capax restitui, etsi divinitas idonea restituendi, sed (6) causa restitutionis præesse debebit. Accipe igitur et causam, qui apud (7) Deum discis, (*d*) tam optimum, quam et justum; de suo optimum, de nostro justum Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset, ex naturæ proprietate ; at nunc etiam justum eum patitur, ex causæ (8) necessitate; tamen et hoc ipso optimum, dum et justum. Et bono enim juvando, et malo puniendo, justitiam exhibens, utramque sententiam bono præstat : hinc vindicans istud, inde remunerans illud. (*e*) Sed cum Marcione plenius disces, an hoc sit Dei totum. Interim talis est noster; merito judex, quia Dominus; merito Dominus, quia auctor; merito auctor, quia Deus. Hinc et ille nescio quis hæreticorum, merito non judex, non enim Deus (9); merito non Dominus, non enim auctor : nescio jam si Deus (*f*), qui nec auctor, quod Deus, nec Dominus, quod auctor (10). Igitur si (11) D Deo et Domino et (12) auctori congruentissimum est, judicium in hominem destinare, de hoc ipso an Dominum et auctorem suum (13) agnoscere et observare

LECTIONES VARIANTES.

(1) Utique *Fran.*
(2) Qui *Rhen. Jun.*
(3) Planissimum *alii.*
(4) Florebis *Rhen.* efflorebit *alii.*
(5) Scilicet *Jun.*
(6) Et *Rhen.* et sic *Jun.*
(7) Quia, puto *Jun.*
(8) Suæ *add. Fran. Pam.*
(9) Dominus *lib Ursin. Wouw.*
(10) Quod dominus... quod auctor *desunt lib. Ursin. Wouw.*
(11) De *inser. Wouw.*
(12) Non *inser. Rhen.*
(13) Et auctorem suum *desunt cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

ralium serie sapientiores philosophi istud subodorati sunt, ut Plato in *Timæo* et *Phædone*, ut Seneca epist. 55 : *Mors quam pertimescimus, et accusamus, intermittit vitam, non eripit; veniet iterum qui hos in lucem reponat dies.* Idem ep. 40, 92, 102, et ad Marciam, cap. 26. Le Pr.

CAP. XIII. — (a) *Qui semetipsum libenter funerans renovat.* Clemens *ad Corinthios* sic refert: Phœnicem, cum se morti proximum sentit, e thure ac myrrha ceterisque hujusmodi odoribus struere sibi κοκκὸν (Plinius nidum); eo mox alitem conditum mori. Ex mortui carne, nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum. Hanc nobis a Deo resurrectionis imaginem dari. Rig.

(b) *Et florebit enim, inquit, velut phœnix.* ὡς φοῖνιξ, *ut palma, Ps.* XII. Deceptus Auctor vocis græcæ ambiguitate. Seml.— Sic solet Septimius Scripturam ad propositum suum latissime interpretari. Itaque hic phœnicis vocabulum inter alitem et arborem ambiguum, pro phœnice alite positum voluit; et verbum *florebit* ad resurrectionem accommodavit. Rig.

(c) *Uti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Hæc indicia sunt Tertullianum in phœnicis historia secutum esse, quæ fuerant varie ab variis tradita; sumpsisse autem ab iis, quæ, tractationi suæ facere plurimum vidit, Et Clementis epistola, de putrescente phœnicis carne, non de cremata, phœnicem renasci tradiderat. Ergo ut corporum restitutionem etiam in eo mortis genere, quo magis aboleri spes restitutionis videbatur, confirmaret, ad eos se convertit qui de cineribus cremati phœnicis novum restitui scripserant. *Uti credas*, inquit, *de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Quod et citato Psalmi versiculo subjungit, quasi fuerit in meate Psalmographi de phœnice cremato historia. Rig.

CAP. XIV. — (d) *Tam optimum quam et justum.* Marcionitas ferit, qui in uno Deo justitiam et bonitatem non compingebant, sed discidentes divinam substantiam in duos Deos, alium bonum dicebant, alium malum et justum. Hunc Marcionis errorem retulit cum suis rationibus Theodoretus lib. V *de Decr. divin.* Lac.

(e) *Sed cum Marcione plenius disces.* Remittit lectorem ad libros, quos adversus Marcionem scripsit. Rhen.

(f) *Nescio jam si Deus*, etc. Sensus esse videtur : Nescio an Deus hæreticorum Deus sit, quando nec auctor est, quod tamen verus, id est noster Deus esse scitur; nec item dominus est, quod esse debebat si auctor esset. Rhen.

curarit (1), an non utique (2) judicium resurrectio expunget. Hæc erit tota caussa, imo necessitas resurrectionis (*a*); congruentissima scilicet Deo destinatio judicii : de cujus dispositione dispicias, an utrique substantiæ humanæ dijudicandæ censura divina præsideat, tam animæ quam et carni. Quod enim congruet judicari, hoc competet etiam resuscitari. Dicimus plenum primo perfectumque credendum judicium Dei, ut ultimum jam atque exinde perpetuum : ut sic quoque justum, dum non in aliquo minus : ut sic quoque Deo dignum, dum pro tanta ejus patientia, plenum atque perfectum : itaque (3) plenitudinem perfectionemque judicii, non nisi de totius hominis repræsentatione constare. Totum porro hominem ex utriusque substantiæ concretione (4) parere (5); idcircoque in utraque exhibendum, quem totum oporteat judicari : qui nisi totus, utique non vixerit. Qualis ergo vixerit, talem judicari, quia de eo quod vixerit, habeat judicari. Vita est enim causa judicii ; per tot substantias dispungenda, per quot et functa est.

CAPUT XV.

Age jam, scindant adversarii nostri carnis animæque contextum, prius in vitæ administratione, ut ita audeant scindere illud etiam in vitæ remuneratione. (*b*) Negent operarum (6) societatem, ut merito possint etiam mercedem negare. Non sit particeps in sententia caro, si non fuerit et in caussa. Sola anima revocetur, si sola decedit (*c*). Atenim non magis sola decedit, quam sola decucurrit illud unde decedit : vitam hanc dico. Adeo autem non sola (7) anima transigit vitam, ut nec cogitatus, licet solos, licet non ad effectum (8) per carnem deductos, auferamus a collegio carnis. Siquidem in carne, et cum carne, et per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde. Hinc denique carnis speciem, arcem animæ, etiam Dominus in sugillationem cogitatuum (9) taxat : *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam* (*Matth.* IX)? et : *Qui conspexerit mulierem ad concupiscendum, jam adulteravit in corde* (*Matth.* V). Adeo et sine opere et sine effectu cogitatus, carnis est actus. Sed etsi in cerebro, vel in medio superciliorum discrimine, vel ubi ubi (10) philosophis placet, principalitas sensuum consecrata est, quod hegemonicon appellatur, (*d*) caro erit omne animæ cogitatorium. Nunquam anima sine carne est, quamdiu in carne est. Nihil non cum illa agit, sine qua non est. Quærre adhuc an cogitatus quoque per carnem administrentur (11), qui per carnem dinoscuntur extrinsecus. Volutet aliquid anima, vultus operatur indicium (12) : facies intentionum omnium speculum est (*e*). Negent factorum societatem, cui negare non possunt cogitatorum. Et illi quidem delinquentias carnis enumerant : ergo peccatrix tenebitur supplicio. Nos vero etiam virtutes carnis opponimus : ergo et bene operata tenebitur præmio Et si anima est quæ agit et impellit in omnia, carnis obsequium est, Deum non licet aut injustum judicem credi, aut inertem : injustum, si sociam bonorum operum a præmiis arcet ; inertem, si sociam malorum a suppliciis secernat : cum humana censura eo perfectior habeatur, quo etiam ministros facti cujusque deposcit, nec parcens, nec invidens illis, quominus cum auctoribus, aut pœnæ, aut gratiæ communicent fructum.

CAPUT XVI.

Sed cum imperium animæ, obsequium carni distribuimus, prospiciendum est, ne et hoc alia argumentatione subvertant, ut velint carnem sic in officio animæ collocare, non quasi ministram, ne ex hoc (13) sociam cogantur agnoscere. Dicent enim ministros et socios habere arbitrium ministrandi atque sociandi, et potestatem suæ voluntatis in utrumque, homines scilicet et ipsos ; idcireo cum auctoribus merita communicare, quibus operam sponte accommodant (14) ; carnem autem, nihil sapientem ; nihil sentientem per semetipsam, non velle, non nolle de suo habentem, (*f*) vice potius vasculi apparere animæ, ut instrumentum, non ut ministerium. Itaque animæ solius judicium præsidere, qualiter usa sit vasculo carnis ; vasculum vero ipsum non esse sententiæ obnoxium : quia nec ca-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Curaret *Rhen. Seml.*
(2) Itaque *Seml. Rhen.* id quoque *Pam.*
(3) Perfectam *add. Pam. Fran.*
(4) Congregatione *Rhen.*
(5) Parari *Lat.*
(6) Operum *alii.*
(7) Solum *Rhen. Seml. Oberth.*
(8) Adfectum *Rhen.*
(9) Suggillatione cogitatum *Pam.*
(10) Ubi *semel Rhen. Seml.*
(11) Administrantur *Rhen. Seml.*
(12) Judicium *Rhen. Seml.*
(13) Ne et *Rhen. Seml.*
(14) Accommodariut *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

(*a*) *Congruentissima scilicet Deo destinatio judicii.* Ita legendum, siquidem præcedit *judicium in hominem destinare*, et infra : *Denique hæc erit ratio in ultimum finem destinati judicii.* RHEN.

CAP. XV. — (*b*) *Negent operarum societatem*, etc. Ratio hujus capitis desumpta est ex bono et æquo, et congruo, ac usi sunt illa quotquot de resurrectione carnis post Tertullianum scripserunt. LAC.

(*c*) *Sola decedit. Decedere* non accipit, pro interire omnino, nam anima immortalis persistit, sed pro deficere ab hac vita dependenti ministeriis carnis. LAC.

(*d*) *Caro erit omne animæ cogitatorium.* Cogitatorium a Tertulliano dicitur locus in corpore, sive pars corporis ubi anima cogitat. RIG.

(*e*) *Facies intentionum omnium speculum est.* In vultu notari solent animi affectiones ; adeo ut tristitia, hilaritas, amor, odium aliique affectus facile e vultu dijudicentur ; unde a *volendo* vultum dixerunt Grammatici. Animi signa in vultu observari ipse etiam dixit Tullius in Pisonem : *Oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, sermo quidam tacitus mentis est.* LE PR.

CAP. XVI. — (*f*) *Vice potius vasculi apparere.* Apparere, id est, ministrare, famulari, inservire, et est, ut Asconius docet, minoris ad majorem ; unde apparitores dicti viatores, qui judicibus præsto sunt, et jussa nutusque eorum exspectant. RHEN.

licem damnari, si quis eum veneno temperarit; nec (a) gladium ad bestias pronuntiari, si quis eo latrocinium fuerit operatus. Jam ergo innocens caro, ex ea (1) parte qua non reputabuntur illi operæ malæ : et nihil prohibet innocentiæ nomine salvam eam fieri. Licet enim nec bonæ operæ (2) reputentur illi, sicut nec malæ (3); divinæ tamen benignitati magis competit innocentes liberare : beneficis enim debet; optimi est (4) autem, etiam quod non debetur (5) offerre. Et tamen calicem, non dico venenarium, (b) in quem mors aliqua ructarit (6), sed (c) fictricis (7), vel archigalli (8), vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quæro an minus damnes, quam oscula ipsorum? Nostris quoque sordibus nubilum, vel non pro animo temperatum, elidere solemus, quo magis puero irascamur : gladium vero (9) latrociniis ebrium quis non a domo tota, nedum a cubiculo, nedum (d) a capitis sui officio relegabit (10), præsumens scilicet, nihil aliud se quam inludia (11) animarum somniaturum, urgentium et inquietantium (e) sanguinis sui concubinum? Atenim et calix bene sibi conscius, et de diligentia ministerii commendatus, de (12) coronis quoque potatoris sui inornabitur (13), aut aspergine florum honorabitur : et gladius bene de bello cruentus, (f) et melior homicida, laudem suam consecratione pensabit. Est (14) ergo et in vasculo et in instrumenta (g) sententiam figere, ut dominorum et auctorum meritis et ipsa communicent; ut huic quoque argumentationi satisfecerim, licet ab exemplo vacet diversitas rerum. Omne enim vas vel instrumentum aliunde in usus venit, extranea omnino materia a substantia hominis; caro autem ab exordio A uteri consata (15), conformata, congenita animæ, etiam in omni operatione miscetur illi. Nam etsi vas vocatur apud Apostolum, quam jubet in honore tractari (16), eadem tamen ab eodem homo exterior appellatur : ille scilicet limus, qui prior titulo hominis incisus est, non calicis, aut gladii, aut vasculi ullius. Vas enim capacitatis nomine dicta est, qua animam capit et continet; homo vero, de communione naturæ, quæ eam non instrumentum in operationibus præstat, sed ministerium. Ita et ministerium tenebitur judicio, etsi (17) de suo nihil sapiat; quia portio est ejus quæ sapit, non supellex. Hoc et Apostolus sciens, nihil carnem agere per semetipsam, quod non animæ deputetur, nihilominus peccatricem judicat carnem, ne eo B quod ab anima videtur impelli, judicio liberata credatur. Sic et cum aliquas laudis operas carni indicit (*I Cor.* XV) : *Glorificate*, inquit, *et* (18) *tollite Deum in corpore vestro*, certus et hos conatus ab anima agi; idcirco tamen et carni eos mandat, quia et illi fructum repromittit (19). Alioquin nec exprobratio competisset in alienam culpæ, nec adhortatio in extraneam gloriæ : et exprobratio enim, et exhortatio vacarent erga carnem, si vacaret et merces, quæ in resurrectione captatur.

CAPUT XVII.

Simplicior quisque fautor sententiæ nostræ putabit, carnem etiam idcirco repræsentandam esse judicio, (h) quia aliter anima non capiat passionem tormenti seu refrigerii, utpote incorporalis : hoc enim vulgus existimat. Nos autem animam (i) corporalem C et hic profitemur, et in suo volumine probamus, ha-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ea *neglig. Pam. Fran.*
(2) Bona opera *Rhen. Seml.*
(3) Mala *Rhen. Seml.*
(4) Beneficus enim est atque optimus. Debet *Rhenan. Seml.*
(5) Deberetur *Rhen. Seml.*
(6) Ructaret *Rhen.*
(7) Fictricis *Rhen. Seml.* fascinatricis *lib. Ursin. cod. Wouw.*
(8) Thracis vel galli *Ciaccon.* archithreys vel archigalli *Cantenus.*
(9) Vel *Rhen. Seml.*
(10) Relegarit *Pam. Fran. Rig. Ven.*
(11) Invidia *Rhen. cod. Pithœ.* invidiam *conjic. Rig.*
(12) De *omitt. Rhen.*
(13) Inorabitur *Seml. Rig. Ven.* ornabitur *Rhen.* coronabitur *alii.*
(14) Ne *add. Rhen. Seml.*
(15) Consita *Rhen. Seml.*
(16) Tractare *Rhen. Seml.*
(17) Ut *Rhen. Seml.*
(18) Inquit, et *abest a Rhen.* sit ille *Jun.*
(19) Repromittunt *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Gladium ad bestias pronuntiari.* Ad bestias damnare, hoc est ad pugnandum cum belluis, in usu fuisse apud Romanos norunt omnes, ut et ad metalla, ad lapidicinas, ad insulas. Le Pr. D

(b) *In quem mors aliqua ructarit.* In quem aliquis celeritate veneni correptam animam inter sorbendum cum ructu effluverit. Ric.

(c) *Sed fictricis vel archigalli.* Legendum esset forsan *frictricis*, sicque locutus esset Tertullianus de poculis quæ frictrices illæ propudiosæ mulieres, seu eunuchi cum osculo sorbebant. Le Pr. — *Fictricis vel archigalli.* Archigalli principes sunt gallorum sive exsectorum, auctore Julio Firmico. Venus in decimo ab horoscopo loco, facit eunuchos et archigallos. Cæterum hoc hominum genus velut inauspicatum, exosum esse solet, et propter eos qui tales habent in deliciis, etiam turpe et flagitiosum. Rhen.

(d) *A capitis sui officio.* A cervicalis. Ric.

(e) *Sanguinis sui concubinum.* Quasi cæsorum sanguini incubet, qui gladium cæsorum sanguine tinctum cervicali supposuit suo. Ric.

(f) *Et melior homicida.* Gladium de bello cruentum homicidam vocat, sed meliorem, ut cogitare liceat pejorem esse homicidam gladium de latrocinio cruentum. Ait igitur illum esse meliorem, sed tamen homicidam. Etenim bella gerere nolebat Christianos. Ric.

(g) *Sententiam figere.* Hoc est, intrepide et constanter asserere. Ric.

CAP. XVII. (h) *Quia aliter anima non capiat passionem tormenti*, etc. Adeo olim etiam facessit negotium hoc argumentum, quo pacto spiritus igni corporeo torquerentur, ut et Tertulliano non leve fuerit, atque in suum paradoxum de corporalitate animæ præsertim impelleret, et Augustinus videatur aliquantulum hæsitasse seu non penitus refellisse obidem argumentum Dæmones corporeos esse, quamvis demum constitit hæc sententia, ut spiritus possent torqueri illo igne. August. lib. 21 *de Civ.* cap. 10. Lac.

(i) *Corporalem et hic profitemur.* De hoc Tertulliani ævo D. August. cap. 89, *de hæres.* ad Quod vult Deum, et D. Thom. II *contra Gentes*, cap. 86. Lac.

bentem proprium genus substantiæ, soliditatis, per quam quid et sentire et pati possit. (*a*) Nam et nunc animas torqueri, (*b*) foverique penes Inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis, probavit (1) Lazari exemplum. (*c*) Dedi (2) igitur adversario dicere : Ergo, quæ habet corpulentiam propriam, de suo sufficiet ad facultatem passionis et sensus, ut non egerat repræsentatione carnis. Imo eatenus egebit, non qua (3) sentire quid sine carne non possit, sed qua (4) necesse est illam etiam cum carne sentire. Quantum enim ad agendum de suo sufficit, tantum et (5) ad patiendum. Ad agendum autem minus de suo sufficit. Habet enim de suo solummodo cogitare, vel cupere, disponere; ad perficiendum autem operam carnis exspectat. Sic itaque et ad patiendum, societatem carnis expostulat; ut tam plene per eam pati possit, quam sine ea plene agere non potuit. Et ideo in quæ de suo sufficit, eorum interim sententiam pendit, concupiscentiæ, et cogitatus, et voluntatis. Porro, si hæc satis essent ad plenitudinem meritorum, ut non requirerentur et facta, sufficeret in totum anima ad perfectionem judicii, de his judicanda, in quæ agenda sola sufficerat. Cum vero etiam facta devincta sint meritis, facta autem per carnem administrentur; jam non sufficit animam sine carne foveri, sive cruciari, pro operibus etiam carnis, (*d*) etsi habet corpus, etsi habet membra; quæ proinde illi non sufficiunt ad sentiendum plene, quemadmodum (6) nec ad agendum perfecte. Idcirco, pro quoquo (7) modo egit, pro eo et patitur apud Inferos, prior degustans judicium, sicut prior induxit admissum : exspectans tamen et carnem, ut per illam etiam facta compenset, cui cogitata mandavit. Denique, hæc erit ratio in ultimum finem destinati judicii, ut exhibitione carnis omnis divina censura perfici possit. Alioquin non sustineretur in finem, quod et nunc animæ decerpunt (8) apud Inferos, si solis animabus destinaretur.

CAPUT XVIII.

Hucusque præstructionibus egerim ad muniendos sensus omnium Scripturarum, quæ carnis recidivatum pollicentur. Cui cum tot auctoritates (9) justorum patrocipiorum procurent; honores dico substantiæ ipsius, tum vires Dei, tum exempla earum, tum rationes judicii, et necessitates (10) ipsius : utique secundum præjudicia tot auctoritatum Scripturas intelligi oportebit, non secundum ingenia hæreticorum, de sola incredulitate venientia : quia incredibile habeatur restitui substantiam interitu subductam, non quia aut (11) substantiæ ipsi inemeribile (12) sit, aut Deo impossibile, aut judicio inhabile (13). Plane (14) incredibile, si nec prædicatum (15) divinitus fuerit : nisi quod, etsi prædicatum id a Deo non fuisset, ultro præsumi debuisset, ut propterea non prædicatum, quia tot auctoritatibus præjudicatum. At cum divinis quoque vocibus personet (16), tanto abest ut aliter intelligatur, quam desiderant illa a quibus etiam sine divinis vocibus persuadetur (17). Videamus igitur hoc primum, quonam (18) titulo (19) spes ista proscripta sit. (*e*) Unum, opinor, (*f*) apud omnes

LECTIONES VARIANTES.

(1) Probabit *Rhen. Seml.*
(2) Dedim *Pam. Fran.*
(3) Quia *Rhen. Seml.*
(4) Quia *Rhen. Seml.*
(5) Etiam *alii.*
(6) Plene, quemadmodum *non habet Rhen.*
(7) Quo *Rhen. seml.*
(8) Decerpuntur *Rhen. Seml.*
(9) Tota auctoritate si *Rhen.*
(10) Rationis j. et necessitatis *Fran.*
(11) Et *Rhen. Seml.*
(12) Iuremeabile *conjic. Rhen.*
(13) Inhabitabile *Rhen.*
(14) Aut plane *Rhen.*
(15) Præjudicatum *Rhen.*
(16) Personat *Rhen. Pam. Seml.*
(17) Persuadeatur *Rhen. Seml.*
(18) Quoniam *Ven.*
(19) Stylo *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nam et nunc animas torqueri.* Hic se correxit Auctor, nam. cap. 48 *Apolog.* et cap. 4 *de testimonio Animæ*, dixerat, animas in inferno sine carne nullo modo posse torqueri. Hic palam jam resipuit, et lib. *de anima* cap. ult. Lac.

(b) *Foverique penes Inferos.* Alludit ad petitionem divitis avari, cum petiit guttam aquæ a Lazaro, qui in sinu Abrahæ fovebatur, unde ortum paradoxum aliud Tertulliani, qui putavit animas sanctorum in sinu Abrahæ seu paradiso, sive sub altari foveri, et gaudere ad diem usque judicii, de quo lib. *de anima* cap. 7, 9, 55, 56, et 58. Lac.

(c) *Dedi igitur adversario dicere.* Sic emendavimus ex codicibus Ursini et Pithœi. Rig.

(d) *Etsi habet corpus.* Error hic Tertulliani excusari potest, si multitudo eorum, qui iis temporibus in eum impingebant, alicujus sit momenti. Unicum tamen addam testimonium (ne longior sim) Clementis Alexand. in Epitome edit. gr. Sylburgii : καὶ εἰ ἀσώματά εἰσιν, ὁρᾶσθαι μὲν οὐ· ἀλλὰ κατὰ ψυχὴ σῶμα : *Angeli corpora sunt, videntur enim, sed et anima corpus est.* Quoniam vero hic locus de Angelis quoque mentionem facit, moneo Tertullianum idem sensisse de Angelis, istudque paradoxum lib. 3. *contra Marc.* cap. 9, et *de Carne Christi*, cap. 3 et 6, statuisse, ubi vera corpora assumpsisse Angelos docet. Sanctus Basilius in ea quoque videtur sententia, lib. *de Spir. S.* ad Amphil. c. 16. Lactantius etiam, lib. 2, *Instit.* cap. 15, ubi Angelos ait spiritus esse tenues. Cassianum, *Collat.* 7, c. 13, adde et Joannem Thessalonic. in septima synodo. B. Augustinus *Enchirid.* c. 59, hæsitare videtur, ut postea S. Bernardus, hom. 5, *in Cant., utrum ipsis spiritibus naturalia corpora sint, sicut hominibus sua.* Cum vero πῦρ φλέγον, *ignis urens*, dicuntur, ps. 103, in eum locum aut Augustinus non id dici proprie, sed metaphorice, dum scilicet his verbis significantur Angeli, Dei ministri, spiritu ferventes. B. Joannes Chrysostomus huic interpretationi conformis est in cap. 6 Esaiæ : τὸ ταχὺ, τὸ κοῦφον, τὸ ἀποστήριον ἡμῶν διὰ τῶν στοιχείων ἐνδεικνύμενος : *velocitatem, levitatem, et agendi industriam his elementis significans.* Idem ferme habet Theodoretus in eumdem psal. 103. Le Pn.

CAP. XVIII. (e) *Unum opinor apud omnes edictum Dei pendet.* Cum appensa tabula, unde de plano recte legi possit. Sic Ausonius *Paneg... Has ego literas tuas si in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi possint, instar edicti pendere mandavero*, etc. Sic vocat symbolum fidei christianæ, et supra dixit, *quonam titulo spes ista proscripta sit*, alludens ad edicta prætorum aut Cæsarum, quæ in albo, hoc est, tabula proscribi et proponi solebant. Rig.

(f) *Apud omnes edictum Dei pendet.* Nihil addo ex-

edictum Dei rendet, resurrectio mortuorum. Duo verba expedita, decisa, detersa. Ipsa conversatio, ipsa disciplina, cui se substantiæ addicant. Cum audio resurrectionem homini imminere, quæram necesse est quid ejus cadere sortitum sit. Siquidem nihil resurgere exspectabit, nisi quod ante succiderit. Qui ignorat carnem cadere per mortem, potest eam nec stantem nosse per vitam. Sententiam Dei natura pronuntiat: *Terra es, et in terram ibis.* Et qui non audivit (1), videt. Nulla mors non ruina membrorum est (2). Hanc corporis sortem Dominus quoque expressit, cum (3) ipsa substantia indutus: *Diruite*, inquit (*Joan.* II), *templum istud, et ego illud triduo resuscitabo.* Ostendit enim cujus sit dirui, cujus elidi, cujus jacere, ejus (4) et relevari (5), et resuscitari: quamquam et animam circumferret (6) trepidantem usque ad mortem, sed non cadentem per mortem. Quia et Scriptura: *De corpore*, inquit, *suo dixerat.* Atque adeo caro est, quæ morte subruitur, ut exinde a cadendo cadaver renuntietur (7). Anima porro, nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit. Atquin ipsa est, quæ ruinam corpori infert, cum efflata est: sicut ipsa est, quæ illud de terra suscitabit ingressa. Non potest cadere, quæ suscitavit ingressa. Non potest (8) ruere, quæ elidit (9) egressa. Arctius dicam, nec in somnum quidem cadit anima cum corpore, nec tum quidem sternitur cum carne. Etenim (10) agitatur in somnis et jactitatur; quiesceret autem, si jaceret; et jaceret, si caderet (11). Ita nec in veritatem (12) mortis cadit, quæ nec in imaginem (13) ejus ruit. Sequens nunc vocabulum *mortuorum* æque dispice, cui substantiæ insidat: quamquam in hac materia admittamus, interdum (*a*) mortalitatem animæ assignari ab hæreticis: ut, si anima mortalis resurrectionem consecutura est, præjudicium sit et carni non minus mortali resurrectionem communicaturæ. Sed nunc proprietas vocabuli vindicanda est suæ sorti. Jam quidem, eo ipso quod resurrectio caducæ rei est, id est carnis, eadem erit et in nomine mortui: quia caducæ rei est resurrectio, quæ dicitur mortuorum. Sic et per Abraham patrem fidei, divinæ familiaritatis virum, discimus. Postulans enim Sarræ humandæ locum de filiis Chet (14): *Date ergo*, inquit (*Gen.* XXIII), *mihi possessionem sepulcri vobiscum, et humabo mortuum meum* (15), carnem scilicet. Neque enim animæ humandæ spatium desiderasset, et si anima mortalis crederetur, et si mortuus dici mereretur. Quod si mortuus corpus est, corporum erit resurrectio, cum dicitur mortuorum.

CAPUT XIX.

Et hæc itaque dispectio tituli, et præconii ipsius, fidem utique defendens vocabulorum, illuc (16) proficere debebit, ut si quid (17) pars diversa turbat obtentu figurarum et ænigmatum, manifestiora quæque prævalcant, et de incertis certiora præsumant. Nacti enim quidam solemnissimam eloquii prophetici formam, allegorici et figurati plerumque, non tamen semper, resurrectionem quoque mortuorum manifeste annuntiatam, in imaginariam significationem distorquent; asseverantes ipsam etiam mortem spiritaliter intelligendam. Non enim hanc esse in vero, quæ sit in medio, dissidium carnis atque animæ: sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo, non minus in errore jacuerit quam in sepulcro. Itaque et (*b*) resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita (18) veritate redanimatus et revivificatus Deo, ignorantiæ morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis eruperit: quia et Dominus Scribas et Pharisæos sepulcris dealbatis (19) adæquaverit. Exinde ergo, resurrectionem fide consecutos, cum Domino esse, cum cum in baptismate (20) induerint. Hoc denique ingenio etiam in colloquiis sæpe nostros decipere consueverunt, quasi et ipsi resurrectionem carnis admittant. Væ, inquiunt, qui non in hac carne resurrexerit: ne

LECTIONES VARIANTES.

(1) Audit *Rhen. Seml.*
(2) Est *abest a Rhen. Seml.*
(3) Cum *abest a Par.*
(4) Cujus *Rhen. Rig. Ven. Seml.*
(5) Revelari *Ven.*
(6) Circumferat *Rhen. Par.*
(7) Enuntietur *Par. Jun.*
(8) Cadere, quæ suscitavit ingressa. Non potest *omitt. Rig. Ven.*
(9) Eligit *Rhen. Seml.*
(10) Sedenim *Rhen. Seml.*
(11) Et jaceret, si caderet *abest a Rhen. Seml.*
(12) Veritate *Rhen. Seml.*
(13) Imagine *Rhen. Seml.*
(14) Heth *Rhen. Seml. eodem sensu.*
(15) Mortuum meum *Rig. Ven.*
(16) Illic *Fran.*
(17) Qua *Rhen. Seml. Oberth.*
(18) Addita *Rhen. Seml.*
(19) Dealbatis *abest a Rig. Ven.*
(20) Cum baptisma *Rhen.* cum eam baptismate *vel* baptismo *Jun.*

COMMENTARIUS.

plicationi Rigaltii, nisi quod album, tabulam seu chartam puram et nitidam fuisse docuit me eruditus Cujacius, non vero tabulam literis albis notatam ut censuit Theophilus. Qui chartam illam seu tabulam ex alia etiam materia corrupisse convincebatur, in eum actio erat pecuniaria, seu popularis. Cæterum etiam is actione extraordinaria puniebatur, pœna legis Corneliæ de falsis. Id colligo ex l. si quis id quod D. de Jurisd. et l. pen. D. l. Cornel. de fal. LE PR.

(a) *Mortalitatem animæ assignari ab hæreticis*, etc. Qui *immortalitatem* substituunt, rem de qua agitur minime considerant. Puto enim Tertullianum hæreticos illos notare, qui in Arabia exorti sunt temporibus Origenis, qui animas cum corporibus simul corrumpi et interire dicebant, ac cum iisdem animabus in vitam redituras corpora. Eusebius id refert *Hist. Eccl.*, lib. 6, cap. 30 LE PR.

CAP. XIX. (*b*) *Resurrectionem eam vindicandam.* Nugæ sunt et sophismata quibus utebantur Hymenæus et Philetus, iique hæretici qui *spiritaliter ipsam etiam mortem intelligendam* asseverabant. Abutebantur verbis Apostoli *Rom.* 6: *An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus resurrexit a mortuis*, etc. cap. seq. ea refutat. Illi autem hæretici, Hymenæum dico et Philetum, qui a veritate exciderant, resurrectionem jam factam affirmabant teste B. Apostolo, 2. Tim. 2, procreationem liberorum resurrectionem appellabant. LE PR.

statim illos percutiant, si resurrectionem statim abnuerint. Tacite autem, secundum conscientiam suam, hoc sentiunt : Væ qui non, dum in carne est, (*a*) cognoverit arcana hæretica : hoc est enim apud illos resurrectio. Sed et plerique ab excessu animæ resurrectionem vindicantes, *de sepulcro exire*, de sæculo evadere interpretantur : quia et sæculum mortuorum sit habitaculum, id est, ignorantium Deum. Vel etiam de ipso corpore, quia et corpus vice sepulcri conclusam animam, in sæcularis vitæ morte detineat (1).

CAPUT XX.

Ob hujusmodi igitur conjecturas, primam præstructionem eorum depellam, qua volunt omnia Prophetas per imagines concionatos : quando si ita esset, ne ipsæ quidem imagines distingui potuissent, si non et veritates prædicatæ fuissent, ex quibus imagines deliniarentur (2). Atque adeo, si omnia figuræ, quid erit illud, cujus figuræ ? quomodo speculum obtendes, si nusquam est facies ? Adeo autem non omnia imagines, sed et veritates ; nec omnia umbræ, sed et corpora : ut in (3) ipsum quoque Dominum insigniora quæque luce clarius prædicarentur. Nam et virgo concepit in utero, non figurate ; et peperit Emmanuelem, nobiscum Deum (4) Jesum, non oblique ; et si oblique *accepturum virtutem Damasci, et spolia Samariæ* (*Is.*, VIII, 4), sed manifeste *venturum in judicium cum presbyteris et archontibus* (5) *populi* (*Is.*, III, 14). Nam et *tumultuatæ sunt gentes* (*Ps.*, II) in persona Pilati, *et populi meditati sunt inania* in persona Israel. *Astiterunt reges terræ*, Herodes : *et archontes congregati sunt in unum*, Anna et Caipha : *adversus Dominum, et adversus Christum ejus*, qui et (*Is.*, LIII) *tanquam ovis ad jugulationem* (6) *adductus est, et tanquam agnus ante tondentem* (7), scilicet Herodem, *sine voce, sic non aperuit os suum, dorsum suum ponens ad flagella, et maxillas ad* (8) *palmas, et faciem non avertens a sputaminum jaculis* (9) ; *deputatus* etiam *inter iniquos ; perfossus* (*Ps.*, XXI) *manus et pedes ; sortem passus in vestimento*, et potus amaros, et capitum irridentium nutus ; triginta argenteis (*Zach.*, XI, 12) adpretiatus a proditore. Quæ hic figuræ apud Esaiam ? quæ imagines apud David ? quæ enigmata apud Hieremiam (*b*), ne virtutes quidem ejus per parabolas profatos (10) ? Aut numquid nec (*Es.*, XXXV, 6) *oculi patefacti sunt cæcorum*, nec *inclaruit lingua mutorum ?* nec *manus aridæ et genua dissoluta revaluerunt, nec claudi* (11) *salierunt ut cervus ?* (*c*) Quæ etsi ipsi (12) spiritaliter quoque interpretari solemus, secundum comparationem (*d*) animalium vitiorum a Domino remediatorum ; cum tamen et carnaliter adimpleta sunt, ostendant prophetas in utramque speciem prædicasse ; salvo eo quod (13) plures voces eorum nudæ et simplices, et ab omni allegoriæ nubilo puræ defendi possint (14) : ut cum exitus gentium (*e*) et urbium resonant (*Is.*, XIII) Tyri, et Ægypti, et Babylonis, et Idumææ, et Carthaginiensium navium ; ut cum ipsius Israelis plagas aut venias, captivitates, restitutiones, ultimæque dispersionis exitum peroment. Quis hæc interpretabitur magis, quam recognoscet ? Res in literis tenentur, ut literæ in rebus legantur (15). Ita non semper, nec in omnibus allegorica forma est prophetici eloquii, sed interdum et in quibusdam.

CAPUT XXI.

Si ergo interdum et in quibusdam, inquis, cur non et in edicto resurrectionis spiritaliter intelligendæ ? Quoniam quidem plurima ratio intercedit. Primo enim, quid facient tot ac alia (16) instrumenta divina, ita aperte corporalem contestantia resurrectionem, (*f*) ut nullam admittant figuratæ significantiæ suspicio-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Detinebat *Par.*
(2) Delinearentur *Jun.*
(3) In *abest a Rig. Ven.*
(4) Dominum *Rhen. Semi.*
(5) Principibus *Rhen. Semi.*
(6) Victimam *Fran.*
(7) Se *add. alii.*
(8) In *alii.*
(9) Fœditate sputaminum *cod. Pith. Pam. Fran.* a sputaminum maculis *Jun.* fœditate sputorum *Paris.*
(10) Prælatos *alii.*
(11) Clodi *Fran.*
(12) Et ipsi *Fran. Rig.* ipsi *deest Semi.*
(13) Quo *Rig. Ven.*
(14) Possunt *Rhen. Semi.*
(15) Ligantur *Pam. Fran. Rig. Ven.*
(16) Ac talia *Fran. Pam.* tot alia *Rhen. Semi.*

COMMENTARIUS.

(a) *Cognoverit arcana hæretica.* Quoniam hæretici magis oderunt lucem quam tenebras, arcana traditione et tenebrosa utuntur, veriti ne, si turpitudinem suam revelent, commenta sua abeant in fumos. Qui vero arcana illa semel detexerit, victoriam adeptum se confidat : hæreses enim demonstrasse vicisse est, id Tertullianus docet cap. 3, lib. *adv. Valentinianos.* LE PR.

(b) *Apud Hieremiam.* Hic profecto Hieremias ponitur pro Zacharia ; in iis enim quæ præcedunt nulla verba citantur Jeremiæ, sed mentio fit triginta argenteorum, de quibus Zacharias. Eadem licentia usus est B. Matthæus evangelista, cujus festum hodie colimus. EDD.

(c) *Quæ etsi spiritaliter quoque interpretari solemus.* Sic interpretatus est Paulus *ad Hebr.* 12, alludens ad locum Isaiæ, cap. 53 : *Propter quod remissas manus*, etc. Ubi non sine metaphora stadii, cui plerumque instat Apostolus, et erudite Faber in suo agonistico : non enim loquitur, imo nec alludit ad debilitatem ex morbo, sed ex pugna et lassitudine, adhortans, ut id faceremus, quod strenui agonistæ, qui quantumvis fatigati, fortes et interriti persistebant. LAC.

(d) *Animalium vitiorum*, ψυχικῶν. RIG.

(e) *Ut cum exitus gentium*, etc. Intelligit haud dubie Isaiam, ubi exitus sive exitia prædicuntur, Tyri, cap. 23, et Ægypti, cap. 20, et Babylonis cap. 13, et Idumææ cap. 21, et navium Carthaginiensium, quod lego ex angl. cod pro Carthaginensium, dicto cap. 25, ubi juxta LXX, legitur πλοῖα καρχηδόνος, id est, *naves Carthaginis*, pro eo quod apud Hebr. naves Tharsis, id est, maris, juxta B. Hieronymum : quam vocem etiam solent *mare* reddere LXX, præterquam hoc solo capite, idque non semel, sed etiam tertio. PAM.

CAP. XXI.— (f) *Ut nullam admittant figuratæ significantiæ*, etc. Suspicionem dicit, ut supra nubilum allegoriæ. Est enim suspicari in occultis, obscuris et

nem. Et utique æquum sit, quod et supra demandavimus, incerta de certis, et obscura de manifestis præjudicari : vel ne inter discordiam certorum, et incertorum, manifestorum et obscurorum, (*a*) fides dissipetur, veritas periclitetur, ipsa divinitas ut inconstans denotetur : tum (1) quod verisimile non est, (*b*) ut ea species sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam disciplina tota connititur, ambigue annuntiata (2), et obscure proposita videatur ; quando spes resurrectionis, nisi manifesta de pericu'o et præmio, neminem ad ejusmodi præsertim religionem, publico odio et hostili elogio obnoxiam, persuaderet. Nullum opus certum est mercedis incertæ. Nullus timor justus est periculi dubii. Et merces autem et periculum in resurrectionis pendet eventu. Sed (3) etsi temporalia, et localia, et personalia Dei decreta atque judicia in urbes, et gentes, et reges, tam aperte (4) prophetia jaculata est, quale est, ut æternæ dispositiones ejus et universales in omne hominum (5) genus, lucem sui fugerint ? quæ (6), quanto majora, tanto clariora esse deberent, ut majora crederentur. Et puto Deo nec livorem, nec dolum, nec inconstantiam, nec lenocinium adscribi posse, (*c*) per quæ fere promulgatio majorum cavillatur.

A in veritatis agnitione præsumi, aut ab excessu statim vitæ vindicari. Cum enim et tempora totius spei fixa sint sacrosancto stylo, nec liceat eam ante constitui, quam (7) in adventum (8), opinor, Christi, (*f*) vota nostra suspirant in (9) sæculi hujus occasum, in transitum mundi quoque ad diem Domini magnum, diem iræ et retributionis, diem ultimum, et occultum, nec ulli præter quam (10) Patri notum, et tamen signis atque portentis, et concussionibus elementorum, et conflictationibus nationum prænotatum. Evolverem prophetias, si Dominus ipse tacuisset : nisi quod et prophetiæ vox erant Domini : sed plus est (11), quod illas suo ore consignat. (*g*) Interrogatus a discipulis, quando eventura essent, quæ interim de templi exitu eruperant (12), ordinem temporum, primo Judaicorum usque ad excidium Hierusalem, dehinc communium, usque ad conclusionem (13) sæculi, dirigit (14). Nam posteaquam edixit : *Et tunc erit Hierusalem conculcatui nationibus*, donec adimpleantur tempora nationum, allegendarum (15) scilicet a Deo, et congregandarum cum reliquiis (16) Israelis ; inde jam in orbem et in sæculum prædicat, (*h*) secundum Joelem, et Danielem, et universum concilium prophetarum, futura signa in sole et in luna et in stellis, conclusionem (17) nationum cum stupore ; sonitus maris, et motus refrigescentium (18) hominum, præ metu et exspectatione eorum quæ immineant orbi terræ. *Virtutes enim*, inquit (*Matt.*, XXI), *cœlorum commovebuntur : et tunc videbunt Filium hominis venientem in*

B

CAPUT XXII.

Post hæc, ad illas etiam Scripturas respiciendum est, quæ non sinunt resurrectionem (*d*) secundum animales istos, ne dixerim spiritales, aut (*e*) hic jam

LECTIONES VARIANTES.

C

(1) Tunc *Rhen. Seml.*
(2) Annuata *Rhen. Seml.* annuta *vel* annutata *Jun.*
(3) Sed *abest a Seml.*
(4) Aperta *Pam. Rhen.*
(5) Humanum *alii.*
(6) Quæ *abest a Rig. Ven.*
(7) Æque *alii, utrumvis abest a Seml. Rhen.*
(8) Adventu *Rhen. Seml.*
(9) In *abest a Rhen. Seml.*
(10) Quam *abest a cod. Pith. Rig. Ven.*
(11) Est *abest a Rhen. Seml.*
(12) Eruperat *Rhen. Seml.*
(13) Consummationem *alii.*
(14) Digerit *lib. Ursin.*
(15) Allegandarum *Fran. Pam.*
(16) Reliquo *Par.*
(17) Conlisionem *alii.*
(18) Perfrigescentium *alii*, arescentium *alii.*

COMMENTARIUS.

mysticis. Sic Georgius Bæticus, lib. *de Fide : Adhuc si non intelligis de tot supra editis dictionibus, vel ex consequentibus animadverte, omnes suspiciones impiæ interpretationis exclusas.* Rig.

(a) *Fides dissipetur, veritas periclitetur*, etc. Si discordi sensu acciperentur, quæ de resurrectione sunt prædicta, ut conspicua et aperta testimonia, quæ de corporum resurrectione palam loquuntur, non cogerent ea quæ obscuriora sunt interpretari de corporali resurrectione, sed hæc ambigua detorquerentur ad resurrectionem tantum animarum, aperte sequuntur hæc absurda, nam Deus inconstans haberetur, cum in manifestis locis prædixisset corporalem resurrectionem, et in aliis animarum tantum, ut adversarii volebant, quare et veritas periclitaretur ; nam cum contraria fuissent vaticinia, periculum incurrissent errandi, assentiendo prophetiæ falsæ, et fides dissiparetur ; nulla enim prædicenti fides omnis merito negaretur. Lac.

(b) *Ut ea species sacramenti.* Hoc est, fidei christianæ caput, carnis resurrectio.

(c) *Per quæ fere promulgatio majorum cavillatur.* Majorum, hoc est, potentiorum, magistratuum, potestatum. Rig.

CAP. XXII.—(d) *Secundum animales istos.* Maluit hic Valentinianos animales dicere quam spiritales : licet enim Scripturæ loca de resurrectione spiritaliter interpretarentur : animales tamen hic dicuntur, quia Scripturæ loca ad resurrectionem animarum tantum detorquebant. Le Pr.

(e) *Hic jam in veritatis agnitione*, etc. Cum mortem dicerent hæretici fuisse ignorantiam, ut constat cap. 19, consectarie agnitio veritatis fuisset resurrectio. Sic dicebant *hic* in hac vita et sæculo factam resurrectionem, cum quis pervenerit ad veritatis agnitionem, ad quod, ut Paulus dixit, desiderat Deus homines universos venire. Lac.

(f) *Vota nostra suspirant.* Aliter igitur ad gentes, aliter ad christianos. Nam ad gentes in apolog. *Oramus*, inquit, *pro mora finis*, finem vero sæculi intelligit, et lib. de orat. *Quomodo quidam protractum quemdam sæculo postulabant ? cum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem sæculi tendat ?* Rig.

(g) *Interrogatus a discipulis.* Quia sequentia ex solo affert Luca evangelista, duntaxat adnotavimus ad marginem, *Luc.* 21, atque adeo de verbis Evangelistæ lectorem remittimus ad lib. IV, adv. Marc. ubi explicatur hoc cap. 21, latius. Pam.

(h) *Secundum Joelem et Danielem.* Joelis cap. 2, locus infra loco dicto citatur, sicuti etiam Danielis, cap. 7, ad quem hic etiam adludere Auctorem constat ex verbis utrobique citatis, tum de portentis in cœlo, tum de filio hominis venturo in nubibus. Pam.

D

nubibus cum plurimo potentatu et gloria. Ubi autem cæperint ista fieri, emergetis (1), *et elevabitis capita vestra, quod redemptio vestra appropinquarit* (2). Et tamen *adpropinquare* eam dixit, non, adesse jam; et *cum cæperint ista fieri*, non, cum facta fuerint; quia cum facta fuerint, tunc aderit redemptio nostra, quæ eo usque appropinquare dicitur, erigens interim et excitans animos ad proximum jam spei fructum. Cujus etiam parabola subtexitur tenerescentium arborum in caulem floris, et dehinc florem, frugis antecursorem: *Ita et vos cum videritis omnia ista fieri, scitote in proximo esse regnum Dei. Vigilate ergo omni in tempore, ut digni habeamini effugere omnia ista, et stetis ante filium hominis*: utique per resurrectionem, omnibus ante transactis. Ita, etsi in agnitione sacramenti fruticat (3), sed in Domini repræsentatione florescit atque frugescit. Quis ergo Dominum tam intempestive, tam acerbe excitavit jam ad dexteram Dei, ad confringendam terram secundum Esaiam, quæ puto adhuc integra est? quis inimicos Christi jam subjecit pedibus ejus, secundum David, quasi velocior Patre, omni (*a*) adhuc popularium cœtu clamante (4), (*b*) Christianos ad leonem? quis cœlo descendentem Jesum talem conspexit, qualem ascendentem Apostoli viderant, secundum angelorum constitutum? Nulla ad hodiernum tribus ad tribum pectora cæciderunt, agnoscentes quem pupugerunt: nemo adhuc excepit Heliam: nemo (*c*) adhuc fugit antichristum: nemo adhuc Babylonis exitum flevit. Et (5) est jam qui resurrexerit (6) nisi hæreticus? (*d*) Exiit plane jam de corporis sepulcro, (*e*) etiam nunc febribus et ulceribus obnoxius; et conculcavit jam inimicos, etiam nunc luctari habens cum mundi potentibus. Et utique jam regnat, etiam nunc Cæsari quæ sunt Cæsaris debens.

CAPUT XXIII.

Docet quidem Apostolus, Colossensibus scribens (Col. I, 29), *mortuos fuisse nos aliquando alienatos, et inimicos sensus* (7) *Domini, cum in operibus pessimis agebamus*; dehinc, *consepultos Christo in baptismate, et conresuscitatos in eo per fidem efficaciæ Dei, qui illum suscitarit* (8) *a mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis et præputiatione* (9) *carnis vestræ, vivificavit cum eo, donatis vobis omnibus delictis.* Et rursus: *Si cum Christo mortui estis ab elementis mundi, quomodo quidam, quasi* (10) *viventes in mundo, sententiam fertis?* Sed cum ita nos mortuos faciat spiritaliter, ut tamen et corporaliter quandoque morituros agnoscat, utique et resuscitatos proinde spiritaliter deputans, æque non negat etiam corporaliter resurrecturos. Denique: *Si resurrexistis*, inquit, *cum Christo, ea quæ sursum sunt quærite, ubi est Christus in dextera Dei residens: ea quæ sursum sunt sapite, non quæ deorsum.* Ita animo ostendit resurgere, quo solo adhuc possumus cœlestia attingere; quæ non quæreremus (11), nec saperemus, si possideremus. Subjicit etiam: *Mortui enim estis*, scilicet delictis, non vobis; *et* (12) *vita vestra* (13) *abscondita est cum Christo in Deo.* Nondum ergo apprehensa est, quæ abscondita est. Sic et Joannes: *Et nondum*, ait, *manifestatum* (14) *est, quid futuri simus* (15). *Scimus quia si manifestaverit* (16), *similes ejus* (17) *erimus.* Tanto abest, ut simus jam quod nescimus: utique sciturі, si jam essemus. Adeo contemplatio est spei in hoc spatio per fidem, non repræsentatio (18), nec possessio, sed exspectatio. De qua spe et exspectatione Paulus ad Galatas (*Gal.* V): *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus*: non ait, tenemus. Justitiæ autem Dei dicit, ex judicio, quo judicabimur (19) de mercede. Ad quam pendens et ipso, cum Philippensibus scribit (*Philip.* III): *Si qua* (20), inquit, *concurram in resuscitationem* (21) *quæ est a mortuis: non, quia jam accepi, aut consum-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Evergetis *cod. Wouw.*
(2) Adpropinquaverit *Rhen. Seml.*
(3) Fructificasset *Rhen.* fructificat *alii.*
(4) Reclamanti *Rhen. Seml.*
(5) Et *abest a Rhen. Seml.*
(6) Resurrexit *alii.*
(7) Sensu *conjic. Edd.*
(8) Suscitavit *alii.*
(9) Præputio *alii.*
(10) Quasi quidem *Fran. Pam.* quid quasi *Jun.*
(11) Quæremus *Ven.*
(12) Nobis, sed *Seml Rhen.*
(13) Nostra *Paris.*
(14) Manifestum *Rhen. Seml.*
(15) Sumus *Rhen. Seml.*
(16) Manifestatus fuerit *alii.*
(17) Ei *Rhen. Seml.*
(18) Præsentatio *Rhen. Seml.*
(19) Judicabitur *Rhen. Seml.*
(20) Quomodo *alii.*
(21) Resurrectionem *Pam. Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Omni adhuc popularium cœtu clamante*, etc. Hoc est, universo populo, toto circo. Et lib. *de Spectac. Discrimina popularium*, hoc est, populus pro cujusque conditione et statu distinctus. Juvenalis—*Quemlibet occidunt populariter.* Rig.

(b) *Christianos ad leonem.* Quos odio implacabili prosequebantur olim gentiles, hos ad bestias, ad leones destinabant. Christiani, tanquam natio exosa, eo afficiebantur supplicio. Eusebius in Martyrio Polycarpi refert dictum τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. Vide Cyprianum ep. 55. Le Pa.

(c) *Nemo adhuc fugit Antichristum*, etc. Prius istud disertis verbis non habetur in Apocal., sed satis innuitur cap. 12, ubi dicitur mulier, quod est Ecclesia, fugisse in solitudinem a facie draconis, et maxime cap. 18, ubi jubetur populus exire de Babylone, et insuper legitur: *Et flebunt et plangent se super illum reges terræ*: quare et solum hunc locum ad marginem adnotavimus. Pam.

(d) *Exiit plane jam de corporis sepulcro.* Ironia est ista de Christo, qua (mea quidem sententia) opinionem eorum hæreticorum irridet, qui Christum resurrexisse quidem fatebantur, sed adhuc mortalem, alludens interea tacite, tum ad illud *Ephes.* 6: *Nobis colluctatio est adversus mundi rectores*, sive ut ipse vertit, *mundi potentes*, quod græce est κοσμοκράτορας, et ad illud *Matth.* 22: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Pam.

(e) *Etiam nunc febribus et ulceribus.* Sensus est, quia hæretici negabantur resurrectionem jam factam,

matus sum. Et utique crediderat, et (a) omnia sacramenta cognoverat, vas electionis, doctor nationum; et tamen adjicit: *Persequor autem si* (1) *apprehendam in quo sum apprehensus a Christo.* Eo amplius: *Ego me, fratres, non puto apprehendisse. Unum plane: oblitus posteriorum, in priora me extendens, secundum scopum persequor* (*b*) *ad palmam incriminationis, per quam concurrerem:* utique in resuscitationem a mortuis; suo tamen tempore, sicut ad Galatas (*Gal.* VI): *Bene autem facientes ne tædeat: tempore enim suo metemus* (2). Sicut et ad Timotheum (II *Tim.* I) de Onesiphoro: *Det illi Dominus invenire misericordiam in illo die.* In quem diem ac tempus, et ipsi præcipit (I *Tim.* VI) *custodire mandatum immaculatum, irreprehensibile, in apparentiam Domini Jesu Christi, quam suis temporibus ostendet beatus et solus potentator, et rex regnantium, et dominus dominantium*; de Deo dicens. De quibus temporibus et Petrus in Actis (*Act.* III): *Pœniteat itaque vos, et resipiscite ad abolenda delicta vestra, ut tempora vobis superveniant refrigerii ex persona Dei, et mittat prædesignatum vobis* (3) *Christum*; *quem oportet accipere cœlos, adusque tempora exhibitionis omnium, quæ locutus est Deus, ore sanctorum prophetarum.*

CAPUT XXIV.

Quæ hæc (4) tempora, cum Thessalonicensibus disce. Legimus enim (I *Thess.* I): *Qualiter conversi sitis ab idolis, ad serviendum vivo et vero Deo, ad exspectandum e* (5) *cœlis Filium ejus, quem suscitavit ex mortuis, Jesum.* Et rursus (I *Thess.* II): *Quæ enim spes nostra, vel gaudium, vel exultationis corona, quam et* (6) *vos coram Domino nostro Jesu Christo, in adventu ipsius?* Item (I *Thess.* II): *Coram Deo et Patre nostro, in adventu* (7) *Domini nostri Jesu Christi, cum universis sanctis ejus.* De quorum dormitione minus mœrenda (8) docens, simul et tempora resurrectionis exponit dicens (I *Thess.* III *et* IV): *Si enim credimus quod Jesus mortuus sit, et resurrexerit; sic et Deus eos qui dormierunt, per Jesum adducet cum ipso. Hoc enim dicimus vobis in sermone Domini* (9), *quod nos qui vivimus, qui remanemus in adventum Domini nostri, non prævenienus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli et tuba Dei descendet de cœlo, et mortui in Christo primi resurgent; deinde nos qui vivimus; qui simul cum illis tollemur in nubibus obviam Christo* (10) *in aerem, et ita semper cum Domino erimus.* Quæ vox archangeli, quæ tuba Dei audita jam? nisi forte in cubiculis hæreticorum. Nam etsi tuba Dei evangelic as sermo dici potest, qui illos jam vocaret (11); sed aut mortui erunt jam corporaliter, ut resurrexerint; et quomodo vivunt? aut in nubes crepti; et quomodo hic sunt? miserrimi revera, ut Apostolus pronuntiavit, qui in ista tantum vita sperantes habebuntur, excludendi (12) dum præripiunt, quod post illam repromittitur; frustrati circa veritatem, non minus quam Phygellus et Hermogenes. Et ideo majestas Spiritus Sancti perspicax ejusmodi sensuum, et in ipsa (13) ad Thessalonicenses Epistola suggerit (I *Thess.* V): *De temporibus autem et temporum spatiis, fratres, non est necessitas scribendi vobis: ipsi enim certissime scitis quod dies Domini, quasi fur nocte, ita adveniet. Cum dicent, pax, et tuta sunt omnia, tunc illis repentinus insistet interitus.* Et in secunda, pleniore sollicitudine ad eosdem (II *Thess.* II): *Obsecro autem* (14) *vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et congregationem nostram ad illum, ne cito commoveamini animo, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem*, scilicet pseudoprophetarum (15), *neque per epistolam*, scilicet pseudapostolorum (16), *ac si per nostram, quasi insistat* (17) *dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo*: (*c*) *quoniam nisi veniat abscessio*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quo modo *add. alii.*
(2) Metemur *Pam. Fran. Rig. Ven.*
(3) Nobis *Rhen. Seml.*
(4) Hæc *abest a Rhen. Seml.*
(5) A *Rhen. Seml.*
(6) Quam ut et *alii*, qua et *Seml.*
(7) Adventum *Rhen. Seml.*
(8) Miseranda *alii.*
(9) Dei *Rhen. Seml.*
(10) Domino *Fran.*
(11) Vocarit *alii.*
(12) Excludendo *Rhen. Seml. Rig. Ven.*
(13) *Forte* prima *Seml.*
(14) Autem *abest a Rhen. Seml.*
(15) Pseudapostolorum *Rhen. Seml.*
(16) Pseudoprophetarum *Rhen. Seml.*
(17) Instat *Ven.*

COMMENTARIUS.

per vitam spiritalem, et quamdam remotionem et separationem a corpore, quæ ad sepulcrum dicebant, cum anima a corporis legibus, et pondere quodammodo se assereret et absolveret (neque enim tantum loquebantur, de emersione a corpore, quæ fit naturali morte), argute et ironice inquit Auctor, bene, exeat de corporis sepulcro hæreticus suscitatus, at quomodo febribus et ulceribus obnoxius, quæ sarcinam corporis arguunt. Lac.

CAP. XXIII. (a) *Omnia sacramenta cognoverat.* Sacramenta vocat quidquid ad veram seu christianam fidem pertinet. Supra dixit, *veritatis agnitionem*, et infra mox dicet, *agnitionem sacramenti.* Rig.

(b) *Ad palmam incriminationis.* Sic igitur apud Apostolum legit Septimius, ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἀνωκλήσεως, non ut hodie legimus, τῆς ἄνω κλήσεως. Rig.

(c) *Quoniam nisi venerit abscessio primo, hujus utique rei* Pauli sententia est I Epist. ad Cor VII, ὁ καιρὸς συνεστραμμένος τό λοιπόν ἐστιν. Unde Tertullianus transtulit suum illud, *Tempus est in collecto.* Nec alio sensu posteriore sua Petrus affirmat, non tardare diem Domini, qui sanctis promissa gaudia repræsentet. Hujusce autem admonitionis interpretatio quorumdam e plebe Thessalonicensium christiana mentes ambiguas sic tenuit, ut jam inciperent, velut exspectando fessi, spes suas inanes dicere, ac de adventu Domini desperare, adeoque sollicitantibus ad defectionem impostoris aures præbere: Quis non stupeat, homines ipsius Apostoli divina mandata ministrantis sermonibus formatos, bene concepta non continere, tam futiles? Ergo periculose laborantibus succurrit Paulus, rogatque ne temeraria levitate fidem suam labefactari patiantur, memores eorum quæ coram illis de fine sæculi, deque supremi judicii die disceptaverat. Non adfore diem illum Domini priusquam acciderit discessio primum, ac subinde hominis peccati, hominis perditionis, factio manifesta. Ait igitur Apostolus, non esse quod illi commoveant-

primo, hujus utique regni, *et reveletur delinquentiæ* A *homo*, id est Antichristus, *filius perditionis*, *qui* (1) *adversatur et superextollitur in omne quod Deus dicitur, vel religio; uti sedeat in templo Dei, adfirmans Deum se. Nonne meministis, quod cum apud vos essem, hæc dicebam vobis? et nunc quid* (2) *detineat* (3) *scitis, ad revelandum eum in suo tempore. Jam enim arcanum iniquitatis agitatur; (a) tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat.* Quis, nisi romanus status? cujus abscessio in decem reges dispersa Antichristum (4) superducet. *Et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit* (*b*) *apparentia sui*; (*c*) *cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute et signis atque portentis mendacii, et in omni seductione injustitiæ eis qui pereunt.*

CAPUT XXV.

Etiam (*d*) in Apocalypsi Joannis (5), ordo tempo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quia *Fran. Pam.*
(2) Qui *Rhen.*
(3) Teneat *Rhen. Semi.*
(4) Antichristi *Rhen. Semi.*
(5) Joannis *abest a Rhen. Semi.*

COMMENTARIUS.

tur, quasi mendacibus promissis delusi. Etenim præ- B cessura duo, defectionem, et hominem illum peccati. De duobus istis multa verba fecisse Paulum cum Thessalonicam venisset, ex eo colligere est, quod increpat velut oblitos ac parum tenaces. Dein obscure ac per ænigmata mentionem suggerit eorum de quibus apertius apud eos egerat. Nam, *Mysterium*, inquit, *jam operatur iniquitatis, tantum ut qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat* Dixerat supra, sic ordinatum esse Dominici regni adventum, ut præcedere oporteat discessionem primum, deinde hominem peccati. Et hunc quidem peccati hominem mysterium iniquitatis jam tunc operari dicit, impostores innuens, et falsos fratres ac perversos christianos, qui sementem apostolicam sterilibus avenis et infelici lolio suffocatum irent furtim et clanculum. Hæc nimirum cunabula Antichristi, jam pene Apostolorum vestigia subrepentis, nec manifesto latrocinio grassaturi, nisi facta prius defectione. Tantum ut qui tenet, teneat, donec de medio eat. Quæ profecto tam diligenter haud involvisset Apostolus, nisi aliquid significaret, quod apertius declaratum vel sibi ipsi, vel etiam Thessalonicensium ecclesiæ noceuisset. Tenebras igitur iterum ac tertio quæsivit. Etenim posteaquam dixit non venturum diem Domini, nisi venerit discessio primum, addidit, *Quid detineat scitis*. Ac demum caliginem superfudit : μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται; quod vetus interpres, quantum in se fuit, obscurioribus adhuc latebris mersit : *Tantum ut qui tenet, teneat, donec de medio fiat.* Verum hæc ignorata quidem fuerint iis a quibus ignorari Christianorum quieti conducebat. Minime autem credideriin obscura fuisse Thessalonicensibus, quibuscum Apostolus ea de re coram verba fecerat. Minime item succedentibus proximæ Apostolorum traditioni Christianis, a quibus Tertullianus accepisse videtur, quæ libro *de Resurrectione Carnis*, Apostoli verbis intexerit clarissima tandem luce. Verba ipsa refert, quibus ostenditur diem Domini non instare, neque venturum, nisi veniat abscessio primo: *Hujus utique regni,* D inquit, *aperte Romanum significans, et reveletur delinquentiæ homo, id est Antichristus, filius perditionis, qui adversatur et superextollitur omne quod Deus dicitur, vel religio, uti sedeat in templo Dei, adfirmans Deum se. Nonne meministis quod, cum apud vos essem, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ad revelandum eum in suo tempore. Jam enim arcanum iniquitatis agitatur; tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis, nisi Romanus status, cujus abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducet, et tunc revelabitur iniquus?* Tanti viri, tamque Apostolorum temporibus propinqui interpretationem, ut rei de qua agebatur convenientissimam, communi omnium postea scriptorum consensu comprobatam fuisse animadvertimus, præterquam Augustini ac Theodoreti. Plane Augustinus libro *de Civitate Dei* vigesimo, prorsus quid dixerit Apostolus se ignorare fatetur. Et tamen continuo disertissime subjicit suspicionem, uti vocat, existimantium : propterea Paulum noluisse id aperte scribere, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio male optaret, cum speraretur æternum. Quam certe suspicionem seu potius sententiam Chrysostomus adeo veritati congruam censuit, ut cæteris interpretationibus neglectis, hanc unam Ecclesiæ suæ pro certissima tradiderit, laudato sanctissimi Apostoli consilio, devitantis odia quæ non tantum absque ullo rei Christianæ commodo, verum maximo cum periculo suscepisset. Etenim epistola semel intercepta, compertoque defectionis, imperio Romano perniciosæ, vaticinio, quis non continuo Apostolum ipsum, ut ducem et antesignanum, cunctosque adeo fideles, ut conscios scelestissimæ conjurationis obnisset? De Theodoreto, miror tam accommoda interpretatione repudiata, frigidissimam sectari : nempe illis verbis, *quid destineat scitis*, et, *tantum qui tenet teneat*, significari decreta Dei prohibentis Antichristi impetum usque dum orbe toto prædicatum fuerit Evangelium. Nam quid vetabat hæc apertissime scribi? quid erat quod tantopere inum- C braretur quæsitissima obscuritate? Itaque contenti simus hoc nostro Tertulliano, in cujus sententiam Augustinus ipse tandem concedere videtur. *Illud tamen*, inquit, *quod ait Apostolus, Tantum qui modo tenet, teneat, non absurde de ipso Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum sit : Tantum qui modo imperat, imperet; donec de medio fiat, id est, de medio tollatur.* Quam sententiam Hieronymus in Epist. ad Philipp. et Quæst. XI, ad Algasiam, tam accurate et copiose explicavit, ut ambigendi locum reliquerit nullum. Rig.

(a) *Tantum qui nunc tenet teneat.* Consimili ænigmate vatem Alexandro Severo imperium promisisse narrat Lampridius. *Te manet imperium, quod tenet imperium.* Ex quo intellectum est, inquit, Romani illum imperii principem futurum, nam, ubi est imperium, nisi apud Romanos, quod tenet imperium? Rig.

(b) *Apparentia adventus sui.* Quasi ἐπιφάνεια. Etenim Satanam ut æmulum Domini sæpe describit. Rig.

(c) *Cujus est adventus.* Cujus, scilicet Antichristi. Rig.

CAP. XXV. — (d) *In Apocalypsi Joannis.* Notat cap. 20. Ex quo occasionem sumpserunt bene multi, ut Chiliastarum seu Millenariorum sententiam ampleterentur. Credebant autem justos per annos mille in terra duraturos, ut centuplum acciperent, pro his quæ ob Christum deseruerant, id promittente Domino. Fuerunt plurimi hæretici olim ejusmodi inter quos insignis fuit Cerinthus, a quo tamen dissidet Tertullianus, licet Chiliastarum errorem hausisse videatur. Quod illi cum antiquis Patribus quibusdam commune Papiam dico episcopum Hierapolitanum, et B. Justinum *dial. contra Tryphonem.* Quæ sit Justini auctoritas docet Eusebius, lib. IV. hist. cap. 17: εὖτ᾽ οὖν σπουδὴς εἶναι ἄξιοι καὶ τοῖς παλαιοῖς δόκιμοι οἱ τανῦν λόγοι, ὡς τὸν Ἱερώνυμον ἀπομνημονεύειν αὐτοῦ φασί : *Tanti æstimabantur hujus viri, Justini, scripta a veteribus, ut Irenæus ejus verba referat.* Post Tertullianum alii secuti sunt errorem; excusatur tamen

matus sum. Et utique crediderat, et (*a*) omnia sacramenta cognoverat, vas electionis, doctor nationum; et tamen adjicit: *Persequor autem si* (1) *apprehendam in quo sum apprehensus a Christo.* Eo amplius: *Ego me, fratres, non puto apprehendisse. Unum plane: oblitus posteriorum, in priora me extendens, secundum scopum persequor* (*b*) *ad palmam incriminationis, per quam concurrerem:* utique in resuscitationem a mortuis; suo tamen tempore, sicut ad Galatas (*Gal.* VI): *Bene autem facientes ne tædeat: tempore enim suo metemus* (2). Sicut et ad Timotheum (II *Tim.* I) de Onesiphoro: *Det illi Dominus invenire misericordiam in illo die.* In quem diem ac tempus, et ipsi præcipit (I *Tim.* VI) *custodire mandatum immaculatum, irreprehensibile, in apparentiam Domini Jesu Christi, quam suis temporibus ostendet beatus et solus potentator, et rex regnantium, et dominus dominantium;* de Deo dicens. De quibus temporibus et Petrus in Actis (*Act.* III): *Pœniteat itaque vos, et resipiscite ad abolenda delicta vestra, ut tempora vobis superveniant refrigerii ex persona Dei, et mittat prædesignatum vobis* (3) *Christum; quem oportet accipere cœlos, adusque tempora exhibitionis omnium, quæ locutus est Deus, ore sanctorum prophetarum.*

CAPUT XXIV.

Quæ hæc (4) tempora, cum Thessalonicensibus disce. Legimus enim (I *Thess.* I): *Qualiter conversi sitis ab idolis, ad serviendum vivo et vero Deo, ad exspectandum e* (5) *cœlis Filium ejus, quem suscitavit ex mortuis, Jesum.* Et rursus (I *Thess.* II): *Quæ enim spes nostra, vel gaudium, vel exultationis corona, quam et* (6) *vos coram Domino nostro Jesu Christo, in adventu ipsius?* Item (I *Thess.* II): *Coram Deo et Patre nostro, in adventu* (7) *Domini nostri Jesu Christi, cum universis sanctis ejus.* De quorum dormitione minus mœrenda (8) docens, simul et tempora resurrectionis exponit dicens (I *Thess.* III *et* IV): *Si enim credimus quod Jesus mortuus sit, et resurrexerit; sic et Deus eos qui dormierunt, per Jesum adducet cum ipso. Hoc enim dicimus vobis in sermone Domini* (9), *quod nos qui vivimus, qui remanemus in adventum Domini nostri, non prævenientes eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli et tuba Dei descendet de cœlo, et mortui in Christo primi resurgent; deinde nos qui vivimus; qui simul cum illis tollemur in nubibus obviam Christo* (10) *in aerem, et ita semper cum Domino erimus.* Quæ vox archangeli, quæ tuba Dei audita jam? nisi forte in cubiculis hæreticorum. Nam etsi tuba Dei evangelicus sermo dici potest, qui illos jam vocaret (11); sed aut mortui erunt jam corporaliter, ut resurrexerint; et quomodo vivunt? aut in nubes erepti; et quomodo hic sunt? miserrimi revera, ut Apostolus pronuntiavit, qui in ista tantum vita sperantes habebuntur, excludendi (12). dum præripiunt, quod post illam repromittitur; frustrati circa veritatem, non minus quam Phygellus et Hermogenes. Et ideo majestas Spiritus Sancti perspicax ejusmodi sensuum, et in ipsa (13) ad Thessalonicenses Epistola suggerit (I *Thess.* V): *De temporibus autem et temporum spatiis, fratres, non est necessitas scribendi vobis: ipsi enim certissime scitis quod dies Domini, quasi fur nocte, ita adveniet. Cum dicent, pax, et tuta sunt omnia, tunc illis repentinus insistet interitus.* Et in secunda, pleniore sollicitudine ad eosdem (II *Thess.* II): *Obsecro autem* (14) *vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et congregationem nostram ad illum, ne cito commoveamini animo, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem,* scilicet pseudoprophetarum (15), *neque per epistolam,* scilicet pseudapostolorum (16), *ac si per nostram, quasi instet* (17) *dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo:* (*c*) *quoniam nisi veniat abscessio*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quo modo *add. alii.*
(2) Metemur *Pam. Fran. Rig. Ven.*
(3) Nobis *Rhen. Seml.*
(4) Hæc *abest a Rhen. Seml.*
(5) A *Rhen. Seml.*
(6) Quam ut et *alii*, qua et *Seml.*
(7) Adventum *Rhen. Seml.*
(8) Miseranda *alii.*
(9) Dei *Rhen. Seml.*
(10) Domino *Fran.*
(11) Vocarit *alii.*
(12) Excludendo *Rhen. Seml. Rig. Ven.*
(13) *Forte* prima *Seml.*
(14) Autem *abest a Rhen. Seml.*
(15) Pseudapostolorum *Rhen. Seml.*
(16) Pseudoprophetarum *Rhen. Seml.*
(17) Instat *Ven.*

COMMENTARIUS.

per vitam spiritalem, et quamdam remotionem et separationem a corpore, quod sepulcrum dicebant, cum anima a corporis legibus, et pondere quodammodo se assereret et absolveret (neque enim tantum loquebantur, de emersione a corpore, quæ fit naturali morte), argute et ironice inquit Auctor, bene, exeat de corporis sepulcro hæreticus suscitatus, at quomodo febribus et ulceribus obnoxius, quæ sarcinam corporis arguunt. Lac.

CAP. XXIII. (*a*) *Omnia sacramenta cognoverat.* Sacramenta vocat quidquid ad veram seu christianam fidem pertinet. Supra dixit, *veritatis agnitionem*, et infra mox dicet, *agnitionem sacramenti.* Rig.

(*b*) *Ad palmam incriminationis.* Sic igitur apud Apostolum legit Septimius, ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἀνωκλήσεως, non ut hodie legimus, τῆς ἄνω κλήσεως. Rig.

(*c*) *Quoniam nisi venerit abscessio primo, hujus utique rei* Pauli sententia est I Epist. ad Cor VII, ἡ ἀποστασία πρῶτον τὸ λοιπὸν ἔστιν. Unde Tertullianus transtulit suum illud, *Tempus est in collecto.* Nec alio sensu posteriore sua Petrus affirmat, non tardare diem Domini, qui sanctis promissa gaudia repræsentet. Hujusce autem admonitionis interpretatio quorumdam e plebe Thessalonicensium christiana mentes ambiguas sic tenuit, ut jam inciperent, velut exspectando fessi, spes suas inanes dicere, ac de adventu Domini desperare, adeoque sollicitantibus ad defectionem imposturis aures præbere: Quis non stupeat, homines ipsius Apostoli divina mandata ministrantis sermonibus formatos, bene concepta non continere, tam futiles? Ergo periculose laborantibus succurrit Paulus, rogatque ne temeraria levitate fidem suam labefactari patiantur, memores eorum quæ coram illis de fine sæculi, deque supremi judicii die disceptaverat. Non adfore diem illum Domini priusquam acciderit discessio primum, ac subinde hominis peccati, hominis perditionis, factio manifesta. Ait igitur Apostolus, non esse quod illi commovean-

primo, **hujus utique regni**, *et reveletur delinquentiæ homo*, id est **Antichristus**, *filius perditionis*, *qui* (1) *adversatur et superextollitur in omne quod Deus dicitur, vel religio; uti sedeat in templo Dei, adfirmans Deum se. Nonne meministis, quod cum apud vos essem, hæc dicebam vobis? et nunc quid* (2) *detineat* (3) *scitis, ad revelandum eum in suo tempore. Jam enim arcanum iniquitatis agitatur;* (a) *tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat.* Quis, nisi romanus A status? cujus abscessio in decem reges dispersa Antichristum (4) superducet. *Et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit* (b) *apparentia sui*; (c) *cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute et signis atque portentis mendacii, et in omni seductione injustitiæ eis qui pereunt.*

CAPUT XXV.

Etiam (*d*) in Apocalypsi Joannis (5), ordo tempo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quia *Fran. Pam.*
(2) Qui *Rhen.*
(3) Teneat *Rhen. Semi.*
(4) Antichristi *Rhen. Semi.*
(5) Joannis *abest a Rhen. Semi.*

COMMENTARIUS.

tur, quasi mendacibus promissis delusi. Etenim præcessura duo, defectionem, et hominem illum peccati. De duobus istis multa verba fecisse Paulum cum Thessalonicam venisset, ex eo colligere est, quod increpat velut oblitos ac parum tenaces. Dein obscure ac per ænigmata mentionem suggerit eorum de quibus apertius apud eos egerat. Nam, *Mysterium*, inquit, *jam operatur iniquitatis, tantum ut qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat* Dixerat supra, sic ordinatum esse Dominici regni adventum, ut præcedere oporteat discessionem primum, deinde hominem peccati. Et hunc quidem peccati hominem mysterium iniquitatis jam tunc operari dicit, impostores innuens, et falsos fratres ac perversos christianos, qui sementem apostolicam sterilibus avenis et infelici lolio suffocatum irent furtim et clanculum. Hæc nimirum cunabula Antichristi, jam pone Apostolorum vestigia subrepentis, nec manifesto latrocinio grassaturi, nisi facta prius defectione. Tantum ut qui tenet, teneat, donec de medio eat. Quæ profecto tam diligenter haud involvisset Apostolus, nisi aliquid significaret, quod apertius declaratum vel sibi ipsi, vel etiam Thessalonicensium ecclesiæ noceuisset. Tenebras igitur iterum ac tertio quæsivit. Etenim postea quam dixit non venturum diem Domini, nisi venerit discessio primum, addidit, *Quid detineat scitis*. Ac demum caliginem superfudit : μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται; quod vetus interpres, quantum in se fuit, obscurioribus adhuc latebris mersit : *Tantum ut qui tenet, teneat, donec de medio fiat.* Verum hæc ignorata quidem fuerint iis a quibus ignorari Christianorum quieti conducebat. Minime autem crediderim obscura fuisse Thessalonicensibus, quibuscum Apostolus ea de re coram verba fecerat. Minime item succedentibus proximæ Apostolorum traditioni Christianis, a quibus Tertullianus accepisse videtur, quæ libro *de Resurrectione Carnis*, Apostoli verbis intexerit clarissima tandem luce. Verba ipsa refert, quibus ostenditur diem Domini non instare, neque venturum, nisi veniat abscessio primo: *Hujus utique regni*, D inquit, *aperte Romanum significans, et reveletur delinquentiæ homo, id est Antichristus, filius perditionis, qui adversatur et superextollitur omne quod Deus dicitur, vel religio, uti sedeat in templo Dei, adfirmans Deum se. Nonne meministis quod, cum apud vos essem, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ad revelandum eum in suo tempore. Jam enim arcanum iniquitatis agitatur; tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat. Quis, nisi Romanus status, cujus abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducet, et tunc revelabitur iniquus?* Tanti viri, tamque Apostolorum temporibus propinqui interpretationem, ut rei de qua agebatur convenientissimam, communi omnium postea scriptorum consensu comprobatam fuisse animadvertimus, præterquam Augustini ac Theodoreti. Plane Augustinus libro *de Civitate Dei* vigesimo, prorsus quid dixerit Apostolus se ignorare fatetur. Et tamen continuo disertissime subjicit suspicionem, uti vocat, existimantium : propterea Paulum B noluisse id aperte scribere, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio male optaret, cum speraretur æternum. Quam certe suspicionem seu potius sententiam Chrysostomus adeo veritati congruam censuit, ut cæteris interpretationibus neglectis, hanc unam Ecclesiæ suæ pro certissima tradiderit, laudato sanctissimi Apostoli consilio, devitantis odia quæ non tantum absque ullo rei Christianæ commodo, verum maximo cum periculo suscepisset. Etenim epistola semel intercepta, compertoque defectionis, imperio Romano perniciosæ, vaticinio, quis non continuo Apostolum ipsum, ut ducem et antesignanum, cunctosque adeo fideles, ut conscios scelestissimæ conjurationis obruisset? De Theodoreto, miror tam accommoda interpretatione repudiata, frigidissimam sectari : nempe illis verbis, *quid destineat scitis*, et, *tantum qui tenet teneat*, significari decreta Dei prohibentis Antichristi impetum usque dum orbe toto prædicatum fuerit Evangelium. Nam quid vetabat hæc apertissime scribi? quid erat quod tantopere inum C braretur quæsitissima obscuritate? Itaque contenti sinus hoc nostro Tertulliano, in cujus sententiam Augustinus ipse tandem concedere videtur. *Illud tamen*, inquit, *quod ait Apostolus, Tantum qui modo tenet, teneat, non absurde de ipso Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum sit : Tantum qui modo imperat, imperet; donec de medio fiat, id est, de medio tollatur.* Quam sententiam Hieronymus in Epist. ad Philipp. et Quæst. XI, ad Algasiam, tam accurate et copiose explicavit, ut ambigendi locum reliquerit nullum. Rig.

(a) *Tantum qui nunc tenet teneat.* Consimili ænigmate vatem Alexandro Severo imperium promisisse narrat Lampridius. *Te manet imperium, quod tenet imperium.* Ex quo intellectum est, inquit, Romani illum imperii principem futurum, nam, ubi est imperium, nisi apud Romanos, quod tenet imperium? Rig.

(b) *Apparentia adventus sui.* Quasi ἐπιφανεία. Etenim Satanam ut æmulum Domini sæpe describit. Rig.

(c) *Cujus est adventus.* Cujus, scilicet Antichristi. Rig.

CAP. XXV. — (d) *In Apocalypsi Joannis.* Notat cap. 20. Ex quo occasionem sumpserunt bene multi, ut Chiliastarum seu Millenariorum sententiam amplecterentur. Credebant autem justos per annos mille in terra duraturos, ut centuplum acciperent, pro his quæ ob Christum deseruerant, id promittente Domino. Fuerunt plurimi hæretici olim ejusmodi inter quos insignis fuit Cerinthus, a quo tamen dissidet Tertullianus, licet Chiliastarum errorem hausisse videatur. Quod illi cum antiquis Patribus quibusdam commune Papiam dico episcopum Hierapolitanum, et B. Justinum *dial. contra Tryphonem*. Quæ sit Justini auctoritas docet Eusebius, lib. IV. hist. cap. 17: εὖτε δὲ σπουδὴς εἶναι ἄξιοι καὶ τοῖς παλαιοῖς δόκιμοι οἱ τανῦν λόγοι, ὡς τὸν Ἱερώνυμον ἀπομνημονεύειν αὐτοῦ φασίν : *Tanti æstimabantur hujus viri*, Justini, *scripta a veteribus, ut Irenæus ejus verba referat.* Post Tertullianum alii secuti sunt errorem; excusatur tamen

rum sternitur, quem martyrum quoque animæ sub altari ultionem et judicium flagitantes sustinere didicerunt; ut prius et orbis de pateris angelorum plagas suas cibiat, et prostituta illa civitas a decem regibus dignos exitus referat, et bestia Antichristus (*a*) cum suo pseudopropheta certamen Ecclesiæ Dei inferat, atque ita diabolo in abyssum interim relegato (1), primæ resurrectionis prærogativa (*b*) de soliis ordinetur, dehinc et igne (2) dato, universalis resurrectionis censura (*c*) de libris judicetur. Cum igitur et status temporum ultimorum Scripturæ notent, et (*d*) totam Christianæ spei frugem in exodio (3) sæculi collocent; apparet, aut (4) tunc adimpleri totum quodcumque nobis a Deo repromittitur; et vacat quod hic jam ab hæreticis vindicatur; aut si et (*e*) agnitio sacramenti, resurrectio est, (5) salva utique illa creditur, quæ in ultimo prædicatur; et sequitur, ut eo ipso, quo (6) hæc spiritalis vindicetur (7), illa corporalis præjudicetur: quia si nulla tunc annuntiaretur, merito sola hæc, et tantummodo spiritalis, vindicaretur; cum vero et in ultimum tempus edicitur (8), corporalis agnoscitur, quia non et tunc spiritalis annuntiatur. Cur enim iterum annuntiaretur resurrectio ejusdem conditionis, id est spiritalis; cum aut nunc eam deceret expungi sine ulla differentia temporum, aut tunc sub omni clausula (9) temporum. Ita nobis magis competit etiam spiritalem defendere resurrectionem ab ingressu fidei, qui plenitudinem ejus agnoscimus exitum (10) sæculi.

CAPUT XXVI.

Unum adhuc respondebo ad propositionem priorem allegoricarum scripturarum, licere et nobis corporalem resurrectionem de patrocinio figurati proinde eloquii prophetici vindicare. Ecce enim, divina in (11) primordio sententia, terram hominem pronuntiando, *Terra es, et in terram ibis*, secundum substantiam scilicet carnis, quæ de terra erat sumpta, et quæ prior homo fuerat appellata, sicut ostendimus, dat mihi disciplinam in carnem quoque interpretandi, si quid iræ vel gratiæ in terram Deus statuit; quia nec proprie terra judicio ejus obnoxia est, quæ nihil boni seu mali admisit: *maledicta* quidem, *quæ* (12) *hauserit sanguinem* (*Gen.*, IV); sed et hoc ipsum in figuram carnis homicidæ. Nam etsi juvari seu lædi habet terra, id (13) quoque propter hominem, ut ille juvetur, sive lædatur per (*f*) consistorii sui exitus; quo magis ipse pensabit, quæ propter illum etiam terra patietur. Itaque et cum comminatur terræ Deus, carni potius comminari eum dicam; et cum quid terræ pollicetur, carni potius polliceri eum intelligam. Ut apud David (*Ps.* XCVI): *Dominus regnavit, exultet* (14) *terra*, id est, caro sanctorum, ad quam pertinet regni divini fructus. Dehinc subjungit: *Vidit, et concussa est terra; montes sicut cera liquefacti sunt a facie Domini*; caro scilicet prophanorum: et (*Zach.*, XII, 10): *Videbunt enim eum in quem* (15) *confixerunt*. Atque adeo si simpliciter de terræ (16) elemento utrumque existimabitur pronuntiatum, quomodo congruet et concuti et liquefieri eam a facie Domini, quo supra regnante exultavit? Sic et apud Esaiam: *Bona terræ edetis*; bona carnis intelligentur, quæ illam manent in regno Dei reformatam et angelificatam, et consecuturam quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt* (I *Cor.*, II). Alioquin, satis vanum, ut ad obsequium Deus fructibus agri, et cibariis vitæ hujus invitet, (*g*) quæ etiam in religiosis et blasphemis, semel homini addicta conditione, communicat; *pluens super bonos et malos, et solem suum emittens* (17) *super justos et injustos* (*Matth.*, V). Felix nimirum fides, si ea consecutura est (18), quibus hostes Dei et Christi non modo utuntur, verum etiam abutuntur, (*c*) ipsam conditio-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Religato *Rhen. Seml.*
(2) Igni *Pam. Fran.*
(3) Exordio *Pam. Rhen.*
(4) Autem *Rhen. Seml.*
(5) Est *abest a Rhen. Seml.*
(6) Quod *Rhen.*
(7) Vindicatur *Rig. Ven.*
(8) Educitur *Rhen. Seml.*
(9) Clausura *Paris. et abest* temporum.
(10) Exitu *Fran.*
(11) In *abest a Rhen. Seml.*
(12) Quod *Rhen. Seml.*
(13) Id *abest a Rhen. Seml.*
(14) Exultavit *Rhen. Seml.*
(15) Eum qui *Fran.* eum quem *Jun.*
(16) Terra *Fran. Rig. Ven.*
(17) Mittens *Rhen. Seml.*
(18) Sunt *Rhen. Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

ipse a B. Augustino cap. 7. lib. XX. de civ. Dei. LE PR.

(a) *Cum suo pseudopropheta.* Satanam significari dicerem, nisi proxime sequeretur, *atque ita diabolo in abyssum interim relegato.* Superest igitur ut dicamus significari præsidem antichristiani furoris agentem in sæculo, iniquum. RIG.

(b) *De soliis.* De thronis Apocal. XX. RIG.

(c) *De libris.* τῶν γεγραμμένων ἐν τοῖς βιβλίοις. Ibid. RIG.

(d) *Totam Christianæ spei frugem in exodio sæculi collocent.* Hoc est, in fine sæculi. Exodium, Exitus, Finis, Glossæ veteres, Ἔξοδιον, *Exsequies.* Lucilius:

Principio exitus diguus, exodiumque sequetur.

Juvenalis Sat. III:

.... Tandemque redit ad pulpita notum
Exodium.....

Vetus Interpres, *exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, et quicquid lacrymarum atque tristitiæ coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus delergebat* Argute igitur Septimius finem sæculi nuncupavit *exodium.* Tunc enim aderit tempus, quo fidelibus Christianis omnium laborum et ærumnarum tristitia vertetur in gaudium, quale Septimius describit sub finem libri *de Spectaculis.* RIG.

(e) *Agnitio sacramenti.* Fidei christianæ veritatis. RIG.

CAP. XXVI. — (f) *Consistorii sui exitus.* Vocat consistorium terram a *consistendo*, nam in hac consistit homo. Alioquin consistorium vocamus locum in quo causæ cognoscuntur. RHEN.

(g) *Quæ etiam in religiosis et blasphemis semel homini addicta conditione communicat.* Hunc locum eximie tractavit Seneca lib. IV *de Benef.*, cap. 28: *Deus quædam in universum humano generi dedit, a quibus excluditur nemo, etc.* RIG.

(h) *Ipsam conditionem colentes.* Mundum a Deo conditum. RIG.

nem colentes adversus conditorem. Bulbos et tubera in terræ (1) bonis deputabis, Domino pronuntiante, ne in pane quidem victurum hominem. Sic Judæi, terrena solummodo sperando, cœlestia amittunt, ignorantes et panem de cœlesti repromissum, et (*a*) oleum divinæ unctionis, et aquam spiritus, et vinum (2) animæ vigorantis ex vite Christi. Sicut et ipsam terram sanctam, judaicum proprie solum, reputant carnem potius Domini interpretandam, quæ exinde et in omnibus Christum indutis, sancta sit terra: vere sancta (*b*) per incolatum Spiritus Sancti; vere lacte et melle manans, per suavitatem spei ipsius; vere Judæa, per Dei familiaritatem: non enim qui in manifesto, judæus; sed qui in occulto. Ut et templum Dei (3) eadem sit, et Hierusalem, audiens ab Esaia (*Is.*, LI): *Exurge, exurge, Hierusalem, induere* (4) *fortitudinem brachii tui; exurge sicut in primordio diei* (5); scilicet in illa integritate quæ (6) fuerat ante delictum transgressionis. Quæ enim in eam Hierusalem voces ejusmodi competerent (7) exhortationis et advocationis, quæ occidit prophetas, et lapidavit ad se missos, et ipsum postremo Dominum suum confixit? Sed nec ulli omnino terræ (8) salus repromittitur, quam oporteret cum totius mundi habitu præterire. Etiam, si quis audebit terram sanctam paradisum potius argumentari, quam et (9) patrum dici capiat, Adæ scilicet et Evæ: proinde et in paradisum restitutio carni videbitur repromissa, quæ cum incolare et custodire sortita est, ut talis illuc homo revocetur, qualis inde pulsus (10) est.

CAPUT XXVII.

Habemus etiam vestimentorum in Scripturis mentionem ad spem carnis allegorizare, quia et Apocalypsis Joannis (*Apocal.*, III et IV): *Hi sunt*, ait, (*c*) *qui vestimenta sua non coinquinaverunt cum mulieribus*; virgines scilicet significans, et qui semetipsos castraverunt propter regna cœlorum. Itaque in albis erunt vestibus, id est, in claritate (*d*) innubæ carnis. Et in Evangelio, indumentum nuptiale sanctitas carnis agnosci potest. Itaque Esaias docens, quale jejunium elegerit Dominus, cum subjicit de mercede bonitatis: (*e*) *Tunc*, inquit (*Is.*, LVIII), *lumen tuum temporaneum erumpet, et vestimenta tua citius orientur*: non subsericam (11) utique, nec pallium, sed carnem volens accipi, ortum carnis resurrecturæ de mortis occasu prædicavit. Adeo nobis quoque suppetit allegorica defensio corporalis resurrectionis. Nam et cum legimus (*Is.*, XXVI): *Populus meus, introite in cellas promas quantulum, donec ira mea prætereat*, sepulcra erunt cellæ promæ, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus sæculi, sub ultima ira, per Antichristi vim excesserint. Aut cur cellarum promarum potius vocabulo usus est, et non alicujus loci receptorii, nisi quia (*f*) in cellis promis caro salita et usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore? Proinde enim et corpora medicata condimentis sepulturæ, mausoleis et monumentis sequestrantur, processura inde cum jusserit Dominus. Quod cum ita intelligi congruat; et quæ enim ab ira Dei (*g*) cellariorum nos refugia servabunt? hoc ipso quod (12)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Terra *Rhen. Seml.*
(2) Vinum spiritus, et aquam *Ven. Rigalt. cod. Pithœ.* Aquam spiritus et *abest Fran.*
(3) Dei *abest a Rhen. Seml.*
(4) Indue *Rhen. Seml.*
(5) Diei *abest a Rhen. Seml.*
(6) Qua *Rhen. Seml.*
(7) Competent *Pam. Rhen.*
(8) Terræ *abest a Rig. Ven.*
(9) Etiam *Pam. Fran.*
(10) Depulsus *alii.*
(11) Subscribam *Rhen.* subscrivam *Jun.*
(12) Quo *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Oleum divinæ unctionis*, etc. Delicias Ecclesiæ recenset, tria nimirum sacramenta, Eucharistiam, Extremam unctionem, Baptismum. Easdem recenset lib. I *adv. Marcionem*, cap. 14: *Sed ille quidem usque nunc nec aquam reprobavit, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit, nec panem quo ipsum corpus suum repræsentat.* Accepit *animam vigorantem* pro *vigorem accipientem*, passivum significatum pro activo, ut solet aliquando. Lac.

(b) *Per incolatum Spiritus Sancti.* Incolatus est urbs, cujus quis non civis, sed incola est. Modestinus l. XXXIV, D. *de mu. hon.*: *incolam vero domicilium facit* l. III, C. *de incol.* Verum ut Alciatus de verborum signif. inquit, *Incola proprie est, qui, cum advena esset, in aliquam civitatem ea mente habitatum venit, ut ibi perpetuo sit, summamque rerum suarum ibi habeat.* Merito igitur S. Spiritus incolatus fuit Christus; perpetuum siquidem domicilium nunquam intermissum in eo deposuit pleno fluento. Lac.

(c) *Qui vestimenta sua non coinquinaverunt.* Miscet Scripturæ diversa, ut solet nonnunquam, loca, vel potius alludit ad diversa loca ex quorum verbis compingit tertiam sententiam explicans verba unius loci per alterius verba. Lac.

(d) *Innubæ carnis.* Virgineæ, codex Pith. *innube.* Rig.

(e) *Tunc, inquit, lumen tuum temporaneum erumpet.* Vertit Auctor Isaiæ LVIII *temporaneum*, pro eo quod alii *matutinum*. Græca vox πρώϊμον *præcox* significat. Deinde legit ἰάματα, id est vestimenta, pro eo quod græci codices hodierni, et quidam veterum ἰάματα, id est curationes. Duplex est hujus loci lectio, etiam apud Græcos: nam consentiunt Tertulliano, non modo B. Cyprianus, lib. *de eleemos. et operibus*, sub principium, ac lib. *de orat. domin.* sub finem, et B. Augustinus serm. 172; sed etiam Chrysostomus, hom. 55, *in cap.* XVI *Matth.* De quo vide plura apud Leonem Castrum in Isaiam; ubi etiam eos qui aliter legunt, locum hunc ostendit de resurrectione interpretari. Pam.

(f) *In cellis promis caro salita.* Quas hic cellas mox dicet cellaria, quo vocabulo Sulpitius Severus utitur lib. II *Hist. sac.*, ubi de Episcopis Ariminum convocatis: *Quibus omnibus*, inquit, *annonas et cellaria dare Imperator præceperat.* Rig.

(g) *Cellariorum.* Cellarium proprie est, in quo colliguntur ministeria mensarum, vel quæ victui necessaria supersunt. Sed ad rem Tertulliani observatum est discrimen, inter promptuarium et cellarium, quod in hoc deponantur quæ paucorum dierum sunt; in promptuario vero quæ longi temporis. Quare non diuturnam fore mortem per *cellarii* vocabulum admonuit Tertullianus. Vocis *cellarii* meminit S. Gregorius Mag. lib. II, dial., cap. 28: *Monachus, qui cella-*

ait, *donec ira prætereat*, quæ extinguet Antichristum, post iram ostendit processuram carnem de sepulcro (1), in quo ante iram fuerit illata. Nam et de cellariis non aliud effertur, quam quod infertur; et post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio.

CAPUT XXVIII.

Scimus autem, sicut vocibus, ita et rebus prophetarum, tam pictis, quam et factis prædicatur resurrectio. Cum Moyses manum in sinum condit, (*a*) et emortuam profert, (*b*) et rursus insinuat, et vividam explicat, nonne hoc de toto homine portendit? Siquidem trina virtus Dei, per illa trina signa denotabatur (2) cum suo ordine: primo diabolum serpentem, quanquam formidabilem, subactura homini; dehinc carnem de sinu mortis retractura (3), atque ita omnem sanguinem exsecutura (4) judicio. (*c*) De quo apud eumdem propheten (5) (*Gen.*, IX): *Quoniam et vestrum*, inquit Deus, *sanguinem exquiram de omnibus bestiis, et de manu hominis, et de manu fratris exquiram eum*. Porro nihil exquiritur, nisi quod reposcitur; nihil reposcitur, nisi quod et reddetur. Et utique reddetur quod ultionis nomine reposcetur et exquiretur. Neque enim vindicari poterit quod omnino non fuerit. Erit autem dum restituitur, uti vindicetur. In carnem itaque dirigitur, quicquid in sanguinem prædicatur, sine qua non erit sanguis. Caro suscitabitur, ut sanguis vindicetur. Sunt et quædam ita pronuntiata, ut allegoriæ quidem nubilo careant, nihilominus tamen ipsius simplicitatis suæ sitiant interpretationem: (*d*) quale est apud Esaiam, *Ego occidam, et vivificabo*. Certe posteaquam occiderit, vivificabit. Ergo per mortem occidens, per resurrectionem vivificabit. Caro est autem quæ occiditur (6) per mortem; caro itaque et vivificabitur per resurrectionem. Certe, si occidere carni animam eripere est, vivificare, contrarium ejus, carni animam referre est; caro resurgat necesse est, cui anima per occisionem erepta, referenda est per vivificationem.

CAPUT XXIX.

Igitur, si et (*e*) allegoricæ scripturæ, et argumenta rerum, et simplices voces, resurrectionem carnis, quamquam sine nominatione ipsius substantiæ, subradiant (7); quanto magis, quæ hanc speciem (8) in ipsas substantias corporales speciali mentione determinant, non erunt deducendæ in quæstionem! Accipe Ezechielem (*Ezech.*, XXXVII): *Et facta est*, inquit, *super me manus Domini, et extulit me in spiritu Dominus, et posuit me in medio campi: is erat ossibus refertus, et circumduxit me super ea per circuitum; et ecce multa super faciem campi, et ecce arida satis. Et ait ad me: Fili hominis, si vivent, ossa ista? Et dixi: Adonaï Domine, tu scis. Et ait ad me: Propheta in ossa hæc, et dices: Ossa arida, audite sermonem Domini. Hæc dicit Dominus Adonaï ossibus istis: Ecce ego affero in vos spiritum, et vivetis, et dabo in vos spiritum, et reducam in vos* (9) *carnes, et circumdubo vobis* (10) *cutem, et dabo in vobis spiritum, et vivetis* (11), *et cognoscetis quod ego Dominus. Et prophetavi secundum præceptum, et ecce vox, dum propheto, et ecce motus, et accedebant ossa ad ossa. Et vidi, et ecce super ossa nervi, et caro ascendit, et circumpositæ sunt eis cutes* (12), *et spiritus in eis non erat, et ait ad me: Propheta ad spiritum, fili hominis; propheta, et dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Adonaï: A quatuor ventis veni spiritus, et spira in istis interemptis, et vivant. Et prophetavi ad spiritum, sicut præcepit mihi, et introivit in ea spiritus, et vixerunt, et constiterunt* (13) *super pedes suos valentia magna satis* (*f*). *Et ait ad me: Fili hominis, ossa ista omnis domus Israel est. Ipsi dicunt: Exaruerunt ossa nostra, et perit spes nostra, avulsi sum-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sepulcris *Fran.*
(2) Notabatur *Par.*
(3) Retractatura *Rig. Ven.*
(4) Exquisitura *Jun.*
(5) Prophetem *Pam.* propheta *Ven. mend.*
(6) Occiderit *Rhen.*
(7) Obradiant *alii.*
(8) Spem *Pam. Rhen.*
(9) Vos in *Rhen. Seml.*
(10) In vobis *Rhen. Seml.*
(11) Et dabo i. v. s. et r. i. v. c. etc. c. v. c. et d. i. v. s. vivetis *absunt a Venet.*
(12) Carnes *Rhen. cod. Pithœ.*
(13) Steterunt *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

rium tenebat, audivit quidem jubentis Benedicti verba, sed implere distulit. Pam.

CAP. XXVIII. — (a) *Et emortuam profert.* Exodi IV refertur hæc historia, et solum ἐγένετο ἡ χεὶρ αὐτοῦ λεπρὰ ὡσεί. *et facta est manus ejus leprosa*, habetur. Verum infra, cap. 55, nitidius rem explicat: *mutatur*, inquit, *Moysi manus, et quidem ad instar emortuæ, exsanguis*, etc. Hic enim similitudine quadam emortuam dicit, non re ipsa. S. Hieronymus contra Joan. Hieros. eodem utitur testimonio ad probandam resurrectionem. *Manus Moysi mutata est in candore nivis et deinceps colori pristino restituta in utraque diversitate manus fuit.* Le Pr.

(b) *Et rursus insinuat. Quod modo dixit, in sinum condit.* Le Pr.

(c) *De quo apud eumdem prophetam.* Nempe Moysen, facile innuens eum esse auctorem et Exodi et Geneseos, ex quibus hæc testimonia citat, atque adeo et totius Pentateuchi. Certe de Exodo et Deuter. ipsum patet ex Scripturæ verbis *Exod.*, XXIV, et *Deuter.*, XXXI; et de toto opere id asserunt Philo, lib. *de mundo*, ac Josephus alicubi. Pam.

(d) *Quale est apud Esaiam*, etc. Verba quæ ex Isaia refert Tertullianus in tota prophetia αὐτολέξει non reperiuntur; colligi tamen possunt ex iis locis in quibus Deus potentiam suam ostendit ex eo quod populum in angustias mortis dejicere possit, et a morte revocare. Clarius habentur hæc I Reg., II: *Dominus mortificat et vivificat*, et in psal. Etsi Isaiæ XXXVIII scriptum legatur: *Corripies me et vivificabis me.* Le Pr.

CAP. XXIX. — (e) *Allegoricæ scripturæ et argumenta*, etc. ἀνακρίσεων instituit testimoniorum, quibus resurrectio mortuorum demonstratur Le Pr.

(f) *Super pedes suos valentia magna satis.* In primo casu est vox istiæc, non in sexto. Græce: καὶ ἔστησαν ἐπὶ τῶν ποδῶν αὐτῶν καὶ συναγωγὴ πολλὴ σφόδρα. Vulgatus: *Steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.* Per valentiam intelligit Tertullianus potentiam magnam copiarum et exercitus congregati, secutus translationem Aquilæ et Theodotionis, qui habet, δύναμις μεγάλη, *vis magna.* Lac.

mus in eis. Propterea propheta ad eos : Ecce ego pate- A *facio sepulcra vestra; et eveham vos de sepulcris vestris, populus meus; et inducam vos in terram Israel; et cognoscetis quod ego Dominus aperuerim* (1) *sepulcra vestra, et eduxerim vos de sepulcris vestris, populus meus; et dabo vobis* (2) *spiritum, et vivetis, et requiescetis in terra vestra, et cognoscetis quod ego Dominus locutus sim et fecerim, dicit Dominus.*

CAPUT XXX.

Hanc quoque prædicationem scio qualiter concutiant in allegoriæ argumentationem. quia dicendo, *Ossa ista omnis domus Israel est* (3), imaginem ea fecerit (*a*) Israel (4) et (5) propria conditione transtulerit; atque ita figuratam esse, non veram resurrectionis prædicationem. Statum enim Judæorum deformari, quodam modo emortuum et exaridum B et dispersum in campo orbis. Itaque et imaginem resurrectionis in illum allegorizari, quia recolligi habeat et recompingi os ad os, id est, tribus ad tribum, et populus ad populum, et recorporari carnibus facultatum (6) et nervis regni; atque ita de sepulcri, id est, de habitaculis captivitatis tristissimis atque tetcrrimis educi, et refrigerii nomine respirare, et vivere exinde in terra sua Judæa. Et quid post hæc? Morientur sine dubio. Et quid post mortem? Nulla, o iuor, resuscitatio, si non hæc erit ipsa, quæ Ezechieli revelatur. Sed enim et alias prædicatur resurrectio : ergo et (7) hæc erit, et temere in statum eam Judaicarum rerum convertunt. Aut si alia est illa quam defendimus, nihil mea interest, dum sit et corporum resurrectio, sicut et rerum Judaicarum. Denique, hoc ipso quod recidivatus Judaici status de (*b*) recorporatione et redanimatione (8) ossium figuratur, id quoque eventurum ossibus probatur. Non enim posset de ossibus figura componi, si non idipsum et ossibus eventurum esset. (*c*) Nam etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui; necesse est esse prius A sibi quo alii configuretur : de vacuo similitudo non competit; de nullo parabola non convenit. Ita oportebit ossium quoque credi reviscerationem et respirationem qualis dicitur, de qua possit exprimi Judaicarum rerum reformatio qualis affingitur. Sed magis religiosum est, veritatem de suæ auctoritate (9) simplicitatis defendi, quam sensus divinæ propositionis expostulat. Si enim ad res Judaicas spectaret hæc visio, statim revelato situ ossium, subjecisset, *Ossa ista, omnis domus Israelis est;* et cætera deinceps. At cum ostensis ossibus, de propria spe eorum quid (10) obloquitur, nondum nominato Israele, et fidem tentat prophetæ: *Fili hominis, si vivent ossa hæc* (11)? ut et ille responderet; *Domine, tu scis;* non utique Deus prophetæ fidem de ea re B tentasset, quæ futura non esset, quam nunquam Israel audisset, quam credi non oporteret. Sed quoniam prædicabatur quidem resurrectio mortuorum, Israel vero pro sua incredulitate dissidens, scandalizabatur; et aspiciens (*d*) habitum senescentis sepulturæ, desperabat resurrectionem; vel non in eam potius animum dirigebat, sed in circumstantias suas; idcirco Deus, et prophetam, quasi (12) et ipsum dubium, præstruxit ad constantiam prædicationis, revelato ordine resurrectionis; et populo id credendum mandavit, quod prophetæ revelavit, ipsos dicens esse ossa quæ erant resurrectura, qui non credebant resurrectura. Denique in clausula : *et cognoscetis,* inquit, *quod ego Dominus locutus sim, et fecerim;* id utique facturus, quod fuerat locutus; cæterum non id facturus quod locutus, si aliter facturus. C

CAPUT XXXI.

Plane si et populus allegorice mussitaret ossa sua arefacta, et spem suam perditam dispersionis exitu (13) querulus, merito videretur (14) et Deus (*e*) figuratam desperationem figurata promissione consolatus. (*f*) Sed cum dispersionis quidem injuria nondum populo accidisset, resurrectionis vero spes apud

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aperui *Rhen.*
(2) In vos *alii.*
(3) Est Israel, in *Rhen. Seml.* Israel est, in *Pam.*
(4) Israeli *Seml.* Israelis *cod. Pith.*
(5) Sed *Rhen. Seml.*
(6) Carnis facultatem *Rhen. Seml.*
(7) Aut *Jun.*
(8) Readunatione *Fran.* readuntatione *Pam. mendose.* D
(9) Veritate *Rhen. Seml.* de sua auctoritate et simplicitate *Par.*
(10) Qui *Fran.*
(11) Hæc *abest a Rhen. Seml.*
(12) Qua *Rig. Ven.*
(13) Exitum *Rhen. Seml.*
(14) Videtur *alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXX. — (a) *Imaginem ea fecerit Israel.* Locus de quo hic quæstio meo judicio a Tertulliano optime de resurrectione mortuorum explicatur; neque enim ea mihi allubescit interpretatio quam refellit Auctor, quæque recentiorum est fere omnium. Pari ratione B. Hieronymus in cap. XXXVII Ezechielis mortuorum resurrectionem evincit, eo quod restauratio Judaici populi promittatur, fulciaturque resurrectione, quæ si non esset, vana esset promissio; de rebus enim non exstantibus, nullus certi quidquam potest probare. Vide locum. LE PR.

(b) *Recorporatione et redanimatione.* Est ἀνακύκλωσις; male corrigunt, qui *readunatione* scribunt. LE PR.

(c) *Nam et si figmentum veritatis.* Exemplum seu potius metaphoram, aut similitudinem, vult innuere, quæ ad fingendam seu repræsentandam veritatem adhibetur. LE PR.

(d) *Habitum senescentis sepulturæ.* Venuste dictum pro sera et diuturna mora sepulturæ, sicut et qui diuturna et longæva sunt vita, senescunt; sic cap. 32 : *Quam capulum, quam sepulcrum, quam senium requietæ, atque reconditæ alicujus sepulturæ.* LAC.

CAP. XXXI. — (e) *Figuratam desperationem.* Figurata enim parœmia explicabant suam extremam calamitatem, dicentes : *Aruerunt ossa nostra;* eosque Deus eodem tenore solatur vaticinio illo et visione ossium aridorum. LAC.

(f) *Sed cum dispersionis quidem injuria,* etc. Videtur putasse Auctor ante calamitatem illam Israelitici populi edidisse hoc oraculum Ezechielem; quod falsum videtur, cum Ezechielis prophetia fuisset post captivitatem. Sed potest accipi Tertullianus, non quod voluerit omnino ante captivitatem, sed ante plenam dispersionem, et oppressionem acerbissimam

illum sæpissime cecidisset, et (1) manifestus est de corporum interitu labefactans fiduciam resurrectionis : ita et Deus eam restruebat fidem, quam populus destruebat. Quanquam etsi aliqua præsentium rerum tunc conflictatione mœrebat (2) Israel (*a*), non idcirco in parabola accipienda esset revelationis intentio, sed in testationem resurrectionis, ut in illam spem erigeret illos æternæ scilicet salutis, et necessarioris restitutionis, et averteret a respectu præsentium rerum. Ad hoc enim et alii prophetæ (3) : *Exibitis de sepulcris, veluti vituli de vinculis soluti, et conculcabitis inimicos.* (*Mal. IV*, 3.) Et rursum : *Gaudebit cor vestrum, et ossa vestra velut herba* (4) *orientur* (*Is.* LXVI), *quia et herba de dissolutione et corruptela seminis reformatur.* In summa, si proprie in Israelis statum resurgentium ossium imago contenditur, cur etiam non Israeli tantummodo, verum et omnibus gentibus eadem spes annuntiatur et recorporandarum, et redanimandarum reliquiarum, et de sepulcris exsuscitandorum (5) mortuorum ? De omnibus enim dictum est (*Is.* XXVI) (*b*) : *Vivent mortui, et exsurgent de sepulcris : ros enim qui a te est, medela est ossibus eorum.* Item alibi (*Is.* LXVI) : *Veniet adorare omnis caro in conspectu meo, dicit Dominus.* Quando? Cum præterire cœperit habitus mundi hujus. Supra enim : *Quemadmodum cœlum novum et terra nova, quæ ego facio in conspectu meo, dicit Dominus ; ita stabit semen vestrum.* Tunc ergo quod subjicit, implebitur : *et exibunt* (utique de sepulcris), *et videbunt artus eorum qui impie egerunt, quoniam vermis illorum non decidet, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt conspectui omni carni ;* scilicet quæ resuscitata et egressa de sepulcris, Dominum pro hac gratia adorabit.

CAPUT XXXII.

Sed ne solummodo eorum corporum resurrectio videatur prædicari, quæ sepulcris demandantur, habes scriptum (*Apoc.* III) : (*c*) *Et mandabo piscibus maris, et eructabunt ossa quæ sunt comesta, et faciam* (6) *compaginem ad compaginem, et os ad os.* Ergo, inquis, et pisces resuscitabuntur, et cæteræ bestiæ (*d*) et alites carnivoræ, ut revomant (7) quos comederunt : quia et apud Moysen legis, exquiri sanguinem de omnibus bestiis ? Non utique. Sed idcirco nominantur bestiæ et pisces in redhibitionem (8) carnis et sanguinis, quo magis exprimatur resurrectio etiam devoratorum corporum, cum de ipsis devoratoribus exactio edicitur. Puto autem hujus quoque divinæ potestatis documentum idoneum Jonam, cum incorruptus utraque substantia, carne atque anima (9), de alvo piscis evolvitur (10). Et utique triduo concoquendæ carni viscera ceti tam sufficissent, quam (11) capulum, quam sepulcrum, quam senium requietæ atque reconditæ (12) alicujus sepulturæ : (*e*) salvo eo, quod et bestias, feros (13) in christianum vel maxime nomen homines, vel ipsos etiam iniquitatis angelos figuravit, de quibus sanguis exigetur per ultionem pensandam. Quis ergo discendi magis adfinis, quam præsumendi ; et credendi diligentior, quam contendendi ; et divinæ potius sapientiæ religiosus, quam suæ libidinosus, audiens aliquid a Deo destinatum in carnes, et cutes, et nervos, et ossa, aliud quid hæc commentabitur, quasi non in hominem destinetur, quod in istas substantias prædicatur? Aut enim nihil in hominem destinatur, non liberalitas regni, non severitas judicii, non quodcumque est resurrectio aut si in hominem destinatur, necesse est in eas substantias destinetur, ex quibus homo structus est, in quem destinatur. Illud etiam de argutissimis istis demutatoribus ossium, et carnium, et nervorum, et sepulcrorum requiro (*f*) cur si quando in animam quid pronuntiatur, nihil aliud animam interpretantur, nec transfigurant (14) eam in alterius rei argumentum ; cum vero in aliquam speciem corporalem quid edicitur, omnia potius asseverant, quam quod no-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ut *Lat.*
(2) Hærebat *Rhen. Seml.*
(3) Prophetæ *Ven.*
(4) Velociter *Rhen. cod. Pith.*
(5) Excitandorum *Rhen. Seml.*
(6) Facient *Rhen.*
(7) Vomant *Rhen. Seml.*
(8) Redhibitione *Pam. Fran.*
(9) Utramque substantiam, carnem atque animam *Rig. Ven.*
(10) Evomitur *Lat.*
(11) Qua *vel* quasi *Rhen.*
(12) Conditæ *Rhen. Seml.*
(13) Bestias feras *Rhen. Seml.*
(14) Transfigunt *Rhen. Rig. Seml. Ven.*

COMMENTARIUS.

Israelis vaticinatum hæc prophetam. At vero non nimium hæret huic sententiæ Auctor, cum statim alia via suam interpretationem confirmet, cum inquit, *Quamquam etsi aliqua præsentium tunc conflictatione mœrebat Israel, etc.* Nam cum Ezechiel prophetavit, hæc dispersio jam erat facta. Sic Hieronymus inquit : *per resurrectionis parabolam de restitutione Israel prophetari, qui eo tempore captivus erat in Babylone.* Epiphanius, in *Vitis prophetarum*, Ezechielem tradit in captivitate vaticinatum fuisse. Lac.

(a) *Non idcirco in parabola accipienda esset*, etc. Probat restitutionem illam Israelitarum, non tam fuisse revelationem qua Deos illos restituere vellet, quam resurrectionis testimonium. Le Pr.

(b) *Vivent mortui.* In græco est, resurgent, ἀναστήσονται. *Isai.* XXVI, juxta LXX. Le Pr.

CAP. XXXI. — (c) *Et mandabo piscibus*, etc. Apoc. XX, licet diversus locus esse videatur, sed citant veteres quædam aliquando ex Scriptura quæ tamen non exstant. Le Pr.

(d) *Et alites carnivoræ.* Σαρκοβόρα alites. Hæreticorum erat objectio, fieri non posse, ut qui a belluis discerpti avibusque fuissent, resurgerent. Hos hic confutat Tertullianus. Le Pr.

(e) *Salvo eo quod et bestias, feros*, etc. Non absque aliqua ironia hæc dicta a Tertulliano subindicant hanc interpretationem hæreticorum ad locum Genes. IX, quem nuper insinuavit Auctor, et cap. 28, attulerat ad probandam etiam resurrectionem. Sed effugium hæreticorum statim cœpit retorquere in illos. Lac.

(f) *Cur si quando in animam quid pronuntiatur*, etc. Petit rationem ab hæreticis, cur ea, quæ in Scriptura dicuntur de corporali resurrectione, interpretentur de anima, et ea quæ de anima dicuntur, nullo pacto velint in corpus redundare. Lac.

minatur ? (*a*) Si corporalia parabolæ, ergo et animalia; si non et animalia, ergo nec corporalia. Tam enim corpus homo, quam et anima, ut non possit altera species admittere ænigmata, altera excludere.

CAPUT XXXIII.

Satis hæc de prophetico instrumento : ad Evangelia nunc provoco. Hic quoque occursurus prius eidem astutiæ eorum, qui proinde et Dominum omnia in parabolis pronuntiasse contendunt, quia scriptum est : *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis, et sine parabola non loquebatur ad illos*, scilicet (1) Judæos. Nam et discipuli : *Quare*, aiunt, *in parabolis loqueris?* et Dominus : *Propterea in parabolis loquor ad eos, ut videntes non videant, et audientes non audiant*, secundum Esaiam. Quod si ad Judæos in parabolis, jam B non ad omnes; si non ad omnes in parabolis (2), jam non semper, nec omnia parabolæ; sed quædam, cum ad quosdam; ad quosdam autem, dum ad Judæos, nonnunquam plane et ad discipulos. Sed quomodo referat Scriptura, considera : *Dicebat autem et parabolam ad eos;* ergo et non parabolam dicebat, quia non notarctur cum parabolam loquebatur, si ita semper loquebatur. Et tamen nullam parabolam (3) non, aut ab ipso invenias edissertatam, ut de seminatore in verbi administratione; aut a commentatore Evangelii prælumiuatam, ut judicis superbi, et viduæ instantis ad perseverantiam orationis; aut ultro conjectandam, ut arboris fici dilatæ in spem, ad instar judaicæ infructuositatis. Quod si nec parabolæ obumbrant (4) Evangelii lucem; tanto abest, ut sen- C tentiæ et definitiones, quarum aperta natura est, aliter quam sonant sapiant. Definitionibus autem et sententiis Dominus edicit, sive judicium, sive regnum Dei, sive resurrectionem : (*b*) *Tolerabilius erit*, inquit (*Matth.* XI), *Tyro et Sidoni in die judicii;* et (*Matth.* X) : A *Dicite illis, quod appropinquaverit regnum Dei;* et (*Luc.* XIV) : *Retribuetur tibi in resurrectione justorum.* Si nomina absoluta (5) sunt rerum, id est, judicii, et regni Dei, et resurrectionis, ut nihil eorum in parabolam comprimi possit; nec ea in parabolas compellantur, (*c*) quæ ad dispositionem (6), et transactionem, et passionem regni, judicii, et resurrectionis prædicantur; atque ita corporalia defendantur (7), ut corporalibus destinata, id est, (*d*) non spiritualia, quia non figurata. (*e*) Nam et ideo præstruximus (8), tam corpus animæ, quam et carnis, obnoxium esse mercedibus pro communi operatione pensandis, ne corporalitas animæ occasionem subministrans figurarum, corporalitatem carnis excludat; cum utramque participem et regni, et judicii, et resurrectionis oporteat credi. Et nunc eo pergimus, uti corporalitatem carnalem proprie demonstremus a Domino significari in omni resurrectionis mentione, salva animali (*f*), quam et ipsam pauci receperunt.

CAPUT XXXIV.

Imprimis, cum ad hoc venisse se dicit, uti quod periit, salvum faciat, quid dicas (9) periisse? Hominem, sine dubio. Totumne, an ex parte? Utique totum : siquidem transgressio, quæ perditionis humanæ caussa est, tam animæ instinctu ex concupiscentia, quam et carnis actu ex degustatione commissa, (*g*) totum hominem elogio transgressionis inscripsit, atque exinde merito perditionis implevit. Totus itaque salvus fiet, qui periit (10) totus delinquendo (11) : nisi si et ovis illa sine corpore amittitur, et sine corpore revocatur. Nam si caro quoque ejus cum anima (quod pecus totum est) humeris boni pastoris advehitur, ex utraque utique substantia restituendi hominis exemplum est. Aut quam indignum Deo, dimidium hominem redigere in salutem? Pene

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ad *add. Rig.*
(2) Jam n. a. omnes; si n. ad o. in parabolis *absunt a Ven.*
(3) Parabolam *abest a Par.*
(4) Adumbrant *Rhen. Semi.*
(5) Absolute *Rhen. Semi.*
(6) Dispensationem *Rig.*
(7) Defendentur *Pam. Rhen.*
(8) Præstrinximus *Rhen.*
(9) Dicis *Rhen. Semi.*
(10) Perit *Rhen. Rig. Ven. Semi.*
(11) Totus *add. Pam. Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Si corporalia parabolæ.* Si quæ de corpore prædicuntur, sunt parabolæ apud hæreticos, ea interpretantes figurate et parabolice, cur non et ea, quæ de animæ resurrectione dicuntur, extendunt ad corpus? LAC.

CAP. XXXIII. — (b) *Tolerabilius, inquit, erit Tyro*, etc. Matth. XI. Vox græca ἀνεκτότερον, *tolerabilius*, sicuti vertit Auctor, et *remissius*, veluti Vulgata editio, significat. PAM.

(c) *Quæ ad passionem resurrectionis prædicantur.* Ut libro *de Virginibus velandis* passionem nuptiarum, ita hic passionem resurrectionis dicit, ut significet vim illam plane divinam, inferendam corporibus animarum ad ipsa reditu. RIG.

(d) *Non spiritualia, quia non figurata.* Ut e contrario figurata sunt, quæ sic de corpore dicuntur, ut de spiritu intelligenda sint. Verba quæ loquor, ait Christus, spiritus sunt et vita, figurata ergo sunt : sapiunt præterquam sonant. Liniamenta Christi, imago Christi, sanctitas, justitia, veritas. Paulus, D I ad Corinth., XV : sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. RIG.

(e) *Nam et ideo præstruximus, tam corpus animæ*, etc. Cap. 16, præstruxit Auctor utrumque, et animam et corpus obnoxium esse vel supplicio vel præmio, et cap. 17, quoniam anima fuisset corporea, juxta suum placitum, corpus sui generis habens, torqueri etiam probavit sine carne in inferno, ideo ait hic tam *corpus animæ quam carnis*, quia et animæ dedit corpus. LAC.

(f) *Salva animali.* Id est, inconcussa corporalitate animæ; ita enim vult ad corporalitatem carnis referri, quæ de resurrectione prædicuntur, ut non obinde negent animam habere suum corpus speciale, sed statim ostendit paradoxum hoc placitum, cum subdit, *quam et ipsam pauci receperunt;* nempe corporalitatem animæ. LAC.

CAP. XXXIV. — (g) *Totum hominem elogio transgressionis*, etc. Elogium est criminis et sententiæ publica et legitima manifestatio, quæ interdum fiebat voce

minus facere, cum etiam (*a*) sæcularium principum plena semper indulgentia vindicetur. Diabolus validior in hominis injuriam intelligitur, totum eum eludens; Deus infirmior renuntiabitur, non totum eum relevans? Atquin et Apostolus suggerit (*Rom.* V), *ubi delictum abundaverit, illic gratiam superabundasse.* Quomodo denique salvus habebitur, qui poterit et perditus dici, carne scilicet perditus, anima vero salvus, nisi quod jam et anima in perdito constituatur necesse est, ut salva effici possit? Id enim salvum effici oportebit, quod perditum fuerit. Porro autem recipimus animæ immortalitatem, ut perdita non in interitum credatur, sed in supplicium, id est, in gehennam. Et, si ita est, jam non animam spectabit salus; salvam scilicet sua natura per immortalitatem; sed carnem potius, quam interibilem constat apud omnes. Aut si et anima interibilis, id est non immortalis, quod et caro; jam et carni forma illa ex æquo proficere debebit, proinde mortali et interibili; quia (1) id quod perit, salvum facturus est Dominus. (*b*) Nolo nunc contentioso fune deducere, hac an illac hominem perditio depostulet (2), dum utrimque eum salus destinet, in ambas substantias peræquata. Ecce enim, ex quacumque substantia hominem perisse præsumpseris, ex altera non perit. Salvus ergo erit jam ex qua non perit, et salvus nihilominus fiet ex qua perit. Habes totius hominis restitutionem; dum et quodcumque ejus perit, salvum facturus est Dominus; et quodcumque non perit, utique non erit perditurus. Quis ultra de utriusque substantiæ securitate dubitabit (3), cum altera (4) salutem consecutura sit, altera amissura eam non sit? Et tamen adhuc sensum rei exprimit Dominus, *ego*, dicens, *veni, non ut meam, sed ut Patris, qui misit me, faciam voluntatem.* Quam oro te? *Ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in novissima die.* Quid a Patre Christus acceperat, nisi quod et induerat? Hominem sine dubio, carnis animæque texturam. Neutrum ergo eorum, quæ accepit, perire A patietur; imo nec quicquam utriusque; imo nec modicum. (*c*) Quod si modicum caro, ergo nec carnem, quia nec modicum: nec quicquam, quia nec quicquam (5). Atquin, si non et carnem resuscitabit novissima die, jam non modicum patietur perire de homine; sed, pro tanta dixerim parte, prope totum. Ingerens amplius: (*d*) *Hæc* (6) *est Patris voluntas, ut omnis qui videt* (7) *Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et suscitem illum novissima die;* plenitudinem exstruit resurrectionis: distribuit enim utrique substantiæ per officia propriam (8) mercedem salutis, et carnis per quam filius (9) aspiciebatur, et animæ per quam credebatur. Ergo, dices, illis erit promissa res, a quibus Christus videbatur. Sit plane ita, ut et ad nos eadem B spes inde manaverit. Nam si videntibus, et ideirco credentibus, fructuosa tunc fuerunt opera carnis atque animæ, multo magis nobis. Feliciores enim, inquit, qui non viderunt (10), et credunt; quando etsi illis negaretur carnis resurrectio, certe felicioribus competisset. Quomodo enim felices, si ex parte perituri?

CAPUT XXXV.

Sed et præcipit, *eum potius timendum*, (*e*) *qui corpus et animam occidat in gehennam*, id est Dominum solum; *non qui corpus occidant, animæ autem nihil nocere possint*, id est, humanas potestates. Adeo hic et anima immortalis natura recognoscitur, quæ non possit occidi ab hominibus; et carnis esse mortalitatem, cujus sit occisio; atque ita resurrectionem C quoque mortuorum carnis esse, quæ in gehennam, nisi resuscitata, non poterit occidi. (*f*) Sed quoniam et hic de interpretatione corporis quæstio cavillatur, ego corpus hominis non aliud intelligam, quam omnem istam struem carnis, quoquo genere materiarum concinnatur atque variatur (11), quod videtur (12), quod tenetur, quod denique ab hominibus occiditur. Sic et parietis corpus non aliud admittam quam cæmenta, quam saxa, quam lateres.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qua *Fran.*
(2) Postulet *Rig. Ven.*
(3) Dubitavit *Pam. Fran.*
(4) Alterutra *Rhen.*
(5) Quia nec quicquam *absunt a Rhen. Seml.*
(6) Hoc *Rhen. Seml.*
(7) Aspicit *Rhen. Seml.*
(8) Priora *Par.*
(9) Hominis *add. Rhen.*
(10) Vident *Rhen. Seml.*
(11) Varietur *Venet.* mendose.
D (12) Quod videtur *absunt a Ven.*

COMMENTARIUS.

præconis, interdum titulo quodam inscripta tabella. LAC.

(a) *Sæcularium principum plena semper indulgentia*, etc. Hoc verbum usurpare ea ætas vulgo cœpit. Sic infra: *Si non omnem lucrymæ imbrem indulgentia divina siccaret.* RHEN.

(b) *Nolo nunc contentioso fune deducere.* Proverbialiter dictum de argumentis cum prolixis, tum perplexis. RHEN.

(c) *Quod si modicum caro*, etc. Alludit hic ad contemptum horum hæreticorum in carnem nostram, qui eam despiciebant, ut vilem, frivolam, et nullius dignitatis, et supra satis est insinuatum; nam etsi ita esset, ut caro adeo vilis et modica fuisset, ut hi hæretici conviciantur, adhuc suscitanda esset, nec enim modica sunt opera per carnis ministerium facta ut negligantur a Deo, et propterea resuscitanda est caro ad judicium Dei, ut argumentatur Athenagoras de resurr. LAC.

(d) *Hæc est Patris voluntas.* Hoc est voluntas; Joann. VI, 40: τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημά. RIG.

CAP. XXXV. — (e) *Qui corpus et animam occidat*, etc. Vocis græcæ ἀπολέσαι aliam significationem hic et sub finem cap. reddidit, vertens *occidere*, pro eo quod cap. præced. aliam, nempe *perdere*, cum interprete vulgato, dum de anima dicit, *ut perdita crederetur in gehennam.* PAM.

(f) *Sed quoniam et hic de interpretatione corporis*, etc. Insinuat effugium hæreticorum, ut ei derent auctoritatem illam Evangelii, qui vocem *corpus* in alienam et absurdam significationem distrahebant novis cavillationibus, et sophisticis commentationibus. S. Hieronymus adv. Joan. Hierosolymit., ad Pammachium, severe in illo criminatur ludicram usurpationem vocis *corporis*, ut negaret nostram carnem resurrecturam. LAC.

Si quis arcanum aliquod corpus inducit, ostendat, revelet, probet ipsum esse etiam quod occidatur ab homine, et de illo erit dictum. Item si animæ corpus opponitur (1), vacabit astutia. Cum enim utrumque proponitur, corpus atque animam, occidi in gehennam, distinguitur corpus ab anima, et relinquitur intelligi corpus id quod in promptu sit; caro scilicet, quæ sicut occidetur (2) in gehennam, si non magis a Deo timuerit occidi, ita et vivificabitur in vitam æternam, si maluerit ab hominibus potius interfici. Proinde si quis occisionem carnis atque animæ in gehennam ad interitum et finem utriusque substantiæ arripiet, non ad supplicium, quasi consumendarum, non quasi puniendarum, recordetur ignem gehennæ æternum prædicari in pœnam æternam, et inde æternitatem occisionis agnoscat, propterea humanæ, ut temporali, prætimendam. Tunc et æternas substantias credet, quarum æterna sit occisio in pœnam. Certe cum post resurrectionem corpus cum anima occidi habeat a Deo (3) in gehennam, satis de utroque constabit, et de carnali resurrectione, et de æterna occisione. Absurdissimum alioquin, si idcirco resuscitata caro occidatur in gehennam, uti finiatur, quod et non resuscitata pateretur. In hoc scilicet reficietur, ne sit, cui non esse jam evenit. Eidem nos spei fulciens passerum quoque subjungit (4) exemplum, quod *ex duobus non cadat unus* (5) *in terram sine Dei voluntate :* ut et carnem, quæ ceciderit in terram, proinde credas et resurgere posse per ejusdem Dei voluntatem. Nam etsi passeribus hoc non licet, sed nos multis passeribus antistamus, eo quod cadentes resurgamus. Quorum denique capillos capitis omnes numeratos (6) affirmans (7), salvos utique repromittit. Perituros enim quæ ratio in numerum redegisset, nisi quia hoc est, *ut omne quod Pater mihi dedit, non perdam ex eo quicquam* (*Joan.* VI), id est, nec capillum, sicut nec oculum, nec dentem? Cæterum unde erit fletus, et dentium frendor in gehenna, nisi ex oculis et (8) dentibus? occiso scilicet etiam corpore in gehennam, et detruso in tenebras exteriores, quæ oculorum propria sunt tormenta, si quis in nuptiis minus dignis operibus fuerit indutus, constringendus statim manibus et pedibus, utpote qui cum corpore surrexit. Sic ergo et recumbere ipsum in Dei regno, et sedere in thronis (9) Christi, et assistere tunc ad dexteram (10) vel sinistram, et edere de ligno vitæ, corporalis dispositionis fidelissima indicia sunt.

CAPUT XXXVI.

Videamus nunc an et Sadducæorum versutiam elidens, nostram magis sententiam erexerit. Caussa, opinor, quæstionis, fuit destructio resurrectionis. Siquidem Sadducæi (*a*), neque animæ, neque carnis admittunt salutem : et ideo ex qua vel maxime specie resurrectionis fides labefactatur, ex ea (11) argumentum problemati suo accommodaverunt : (*b*) de carnis scilicet obtentu, nupturæ, necne, post resurrectionem, sub ejus mulieris persona, quæ septem fratribus nupta, in dubio haberetur, cui eorum restitueretur. Porro, serventur sensus tam quæstionis quam responsionis, et controversiæ occursum est. Si enim Sadducæi quidem respuebant resurrectionem, Dominus autem (*c*) eam confirmabat (12), et Scripturarum ignaros increpans, earum scilicet quæ resurrectionem prædicassent, et virtutis Dei incredulos, idoneæ utique mortuis resuscitandis, postremo subjiciens : *Quoniam* (13) *autem* (*d*) *mortui resurgant*, sine dubio et confirmando esse quod negabatur; id est, resurrectionem mortuorum apud Deum (14) vivorum, talem quoque eam confirmabat esse, qualis negabatur, utriusque scilicet substantiæ humanæ. Neque enim si nunturos tunc negavit, ideo nec resurrecturos demonstravit (15). Atquin filios resurrectionis appellavit (16), per eam quodammodo nasci habentes, post quam non nubent, sed resuscitati, similes enim erunt angelis; (*e*) qua non nupturi, quia nec morituri; sed qua transituri in statum angelicum, per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiæ, resuscitatæ tamen, demutationem. Cæterum, nec quæreretur, nupturi sive morituri, necne, rursus essemus, si non ejus vel maxime substantiæ restitutio in dubium vocaretur, quæ proprie et morte et nuptiis fungitur, id est carnis. Habes igitur Dominum confirmantem adversus hæreticos Judæorum, quod et nunc negatur apud (*f*) Sadducæos Christianorum, solidam resurrectionem.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Opponit *Pam. Fran.*
(2) Occiditur *Rig. Ven.*
(3) A Deo *omitt. Rhen. Seml.*
(4) Subjunxit *Rig. Ven.*
(5) Alter *omnes præter Jun.*
(6) Enumeratos *Rig. Ven.*
(7) Adfirmat *Rig. Ven.*
(8) Ex *add. Rhen. Seml.*
(9) Duodecim *add. Fran.*
(10) Ad dexteram tunc *Rig. Ven.*
(11) Ex quo vel m. spes resurrectionis labefactatur, ex eo *Paris.*
(12) Confirmat *Rhen. Seml.*
(13) Quam *Rhen. Seml.*
(14) Dominum *Rhen. Seml.*
(15) Negabit... demonstrabit *Rhen. Seml.*
(16) Appellat *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXVI. — (a) *Siquidem Sadducæi, neque animæ* etc. De illis hæreticis non semel hoc in opere, et aliis monui alicubi animæ immortalitatem, et corporum resurrectionem negasse. Le Pr.

(b) *De carnis scilicet obtentu.* Quoniam deerant ad probanda commenta rationes legitimæ, fictas obtendebant Sadducæi, quærebantque a Christo de uxore maritorum septem, cujus esset uxor in resurrectione; quod frivolum non modo, sed ridiculum. Le Pr.

(c) *Eam confirmabat.* Non male forsan legeretur *confirmat*, hoc magis placeret; id enim pressius loquitur et vehementius. Le Pr.

(d) *Mortui resurgant.* Legerem *resurgunt*, vel *resurgent*. Le Pr.

(e) *Qua non nupturi, quia nec morituri.* Post resurrectionem nuptiarum usus non exstabit; cum enim ad generis tantum humani propagationem institutæ sint, ubi cessat illa moriendi necessitas, cessat quoque illa propagationis forma. Le Pr.

(f) *Sadducæos Christianorum.* Ut Sadducæi Judæo-

CAPUT XXXVII.

Sic, etsi (1) carnem ait nihil prodesse, ex materia dicti dirigendus est sensus. (*a*) Nam quia durum et intolerabilem existimaverunt sermonem ejus, quasi vere carnem suam illis edendam determinasset; ut in spiritum (2) disponeret statum salutis, præmisit: *Spiritus est qui vivificat;* atque ita subjunxit: (*b*) *Caro nihil prodest*; (3) ad vivificandum scilicet. Exsequitur etiam quid velit intelligi spiritum: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus sunt, vita sunt:* sicut et supra: *Qui audit sermones meos, et credit in eum qui me misit, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transiet* (4) *de morte ad vitam* (*Joan.*, V, VI). Itaque sermonem constituens vivificatorem, quia spiritus et vita sermo, eumdem etiam carnem suam dixit, quia et sermo caro erat factus, proinde in causam vitæ appetendus, (*c*) et devorandus auditu, et ruminandus intellectu, et fide digerendus (5). Nam et paulo ante, carnem suam panem quoque cœlestem pronuntiarat, urgens usquequaque per allegoriam necessariorum pabulorum (6) memoriam patrum, qui panes et carnes Ægyptiorum præverterant divinæ vocationi. Igitur conversus ad recogitatus illorum, quia senserat dispergendos (7): *Caro*, ait, *nihil prodest.* Quid hoc ad destruendam carnis resurrectionem? Quasi non liceat esse aliquid, quod etsi nihil prosit, aliud tamen ei prodesse possit. Spiritus prodest, vivificat enim. Caro nihil prodest, mortificatur enim. Itaque, secundum nos magis collocavit (8) utriusque propositionem. Ostendens enim quid prosit, et quid non prosit, pariter illuminavit, quid cui prosit, Spiritum scilicet carni mortificatæ vivificatorem. *Veniet enim hora*, inquit, *cum mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent.* A Quid mortuum, nisi caro? et quid vox Dei, nisi sermo? et quid sermo, nisi spiritus? Merito carnem resuscitaturus, quod factus est ipse; et ex morte, quam passus est ipse; et ex sepulcro, quo illatus est ipse. Denique cum dicit: *Ne miremini, quod veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent, qui bona fecerunt, in vitæ resurrectionem; qui mala, in resurrectionem judicii;* nemo jam poterit aliud mortuos interpretari, qui sint in monumentis, nisi corpora et carnem; quia nec ipsa monumenta aliud, quam cadaverum stabula. Siquidem et ipsi homines veteres, id est, mortui per ignorantiam Dei, quos monumenta intelligendos argumentantur hæretici, de monumentis processuri in judicium, aperte prædicantur. Cæterum, quomodo de B monumentis monumenta procedent?

CAPUT XXXVIII.

Post dicta Domini, facta etiam ejus quid sapere credamus, de capulis, de sepulcris, mortuos resuscitantis? Cui rei istud? Si ad simplicem ostentationem potestatis, aut ad præsentem gratiam redanimationis, non adeo magnum illi denuo morituros suscitare (9). Enimvero, (*d*) si ad fidem potius sequestrandam futuræ resurrectionis, ergo et illa corporalis præscribitur, de documenti sui forma. Nec sustinebo dicentes, ideirco tunc resurrectionem animæ soli destinatam in carnem quoque præcucurrisse (10), quia non potuisset aliter ostendi resurrectio animæ invisibilis, nisi per visibilis (11) substantiæ resuscitationem. Male Deum norunt, qui non putant illum C posse, quod non putant; et tamen sciunt potuisse, si (*e*) instrumentum Joannis norunt. Qui enim animas adhuc solas martyrum, sub altari quiescentes, con-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Licet si *Rhen.*
(2) Spiritu *Pam. Fran.*
(3) Sed *inser. Rhen. Seml.*
(4) Transit *alii;* transiit *alii;* transibit *alii.*
(5) Dirigendus *Rhen.*
(6) Populorum *Rig. Ven.*
(7) Dispargendos *Rhen. Seml*
(8) Collocavit *Lat.*
(9) Resuscitari *Rhen. Seml.*
(10) Præcurrisse *Rig. Ven.*
(11) Invisibilis *Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

rum erant hæretici, ita hæreticos sui temporis Christianorum Sadducæos nominat. Le Pr.

CAP. XXXVII. — (a) *Nam quia durum et intolerabilem existimaverunt sermonem ejus, quasi vere carnem suam illis edendam determinasset.* Præclare omnem D hujusce dicti duritiem emollit Theodorus Heracleota: Σκληρὸς ἦν ἀληθῶς ὁ λόγος ὑπολαμβανόμενος σαρκοφάγους τινὰς καὶ πιμελόβρους τοὺς ἀκούοντας ἀποτελεῖν. τοῖς δὲ πνευματικῶς τὰ πνευματικὰ καταμανθάνουσιν, οὐδὲν ἐρεῖν τὸ σκληρόν, ἀλλὰ ῥᾳστα εὐσεβεῖς ὑπάρχοντας, τὴν αἰώνιον αὐτοῖς προξενοῦντα ζωήν. Vid. Aug., lib. IV de Doct. chr., cap. 15. Rig.

(b) *Caro nihil prodest.* Sic et materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. Augustinus, lib. *de sancta Virginitate.* Rig.

(c) *Et devorandus auditu.* Metaphora hæc insolens ex eo ducitur, quod cum Christus sit Dei Verbum, et caro ejus panis, auditu devorari dicatur, ut panis ore devoratur. Le Pr.

CAP. XXXVIII. — (d) *Si ad fidem potius sequestrandam resurrectionis.* Sequestrare est aliquid apud sequestrum deponere, ut in tuto sit. Unde res sequestrata Jureconsultis. Expone igitur ad fidem futuræ resurrectionis sequestrandam, id est, ut ita dicam, certificandam, et securitati vindicandam. Quod verbum etiam supra legitur, ni fallor. Porro cum paulo post dicit, ne aliter documenta præmisisse, quam rem deposuisse videatur, explicat quid ante per fidem sequestrandam intellexerit. Rhen. — Non abeundum ab interpretatione Rhenani; addo solum, sequestrum esse apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt, l. 209, D. de verb. signif.; inanis tamen hac in lege videtur grammaticorum observatio, qui a sequendo dictum volunt. Sequester in Basil. μεσεγγυήτης dicitur, suntque tres species. Le Pa.

(e) *Instrumentum Joannis norunt.* Apud juris antistites instrumenta dicuntur tabulæ publicæ, quibus propter absentiam personarum fit probatio. Pariter Evangelium Joannis instrumentum dicitur. Quoniam religionis tradit mysteria, probat, et instruit; nam ab instruendo instrumentum dicitur l. argentarius, § edi. de edendo: familiare est Tertulliano sacram Scripturam vocare instrumentum, ut cap. 2 de *Carne Christi*, *Tot originalia instrumenta*, et hoc libro pluries, sequenti et alibi. Le Pa.

spectui subdidit, posset utique et resurgentes oculis exhibere sine carne. At ego Deum malo decipere non posse, de fallacia solummodo infirmum, ne aliter documenta præmisisse, quam rem disposuisse videatur : imo, ne si exemplum resurrectionis sine carne non valuit inducere, multo magis plenitudinem exempli in eadem substantia exhibere non possit. Nullum vero exemplum majus est eo, cujus exemplum est. Majus est (1) autem, si animæ cum corpore resuscitabuntur (2) in documentum sine corpore resurgendi, ut tota hominis salus dimidiæ patrocinaretur ; quando exemplorum conditio illud potius expeteret, quod minus haberetur, animæ dico solius resurrectionem, velut gustum carnis etiam (3) resurrecturæ suo in tempore. Atque adeo (4), secundum nostram veri (5) æstimationem (6), exempla illa mortuorum a Domino suscitatorum commendabant quidem et carnis et animæ resurrectionem, ne cui substantiæ negaretur hoc donum ; quæ tamen exempla eo minus aliquid edebant (non enim in gloriam, nec incorruptibilitatem, sed in mortem aliam suscitabantur), quam ediderit Christus.

CAPUT XXXIX.

Resurrectionem apostolica quoque instrumenta testantur. Nam et Apostolis nullum aliud negotium fuit, duntaxat apud Israelem, quam (*a*) veteris Testamenti resignandi, et novi consignandi, potius jam Dei in Christo concionandi. Ita et de resurrectione nihil novi intulerunt (7), nisi quod et ipsam in gloriam Christi annuntiabant ; de cætero, simplici et nota jam fide receptam, (*b*) sine ulla qualitatis quæstione, solis refragantibus Sadducæis. Adeo facilius fuit negari in totum mortuorum resurrectionem, quam aliter intelligi. Habes Paulum, apud summos sacerdotes sub tribuno inter Sadducæos et Pharisæos fidei suæ professorem : *Viri*, inquit, *fratres, ego pharisæus sum, filius pharisæorum ; de spe nunc et de resurrectione judicor apud vos ;* utique communi ; ne quia jam transgressor legis videbatur, de præcipuo fidei totius articulo, id est de resurrectione, ad Sadducæos sapere existimaretur. Ita, quam nolebat videri rescindere, fidem resurrectionis utique confirmabat secundum Pharisæos, respuens negatores ejus Sadducæos. Proinde et apud Agrippam, nihil se ait proferre, citra quam prophetæ annuntiassent. Ergo servabat resurrectionem quoque, qualem prophetæ annuntiarant. Nam et de resurrectione mortuorum apud Moysen scriptum commemorans, corporalem eam norat ; in qua scilicet sanguis hominis exquiri habebit. Itaque talem prædicabat, qualem et Pharisæi susceperant, et Dominus ipse defenderat, et Sadducæi, ne talem quoque crederent, in totum esse noluerant. Sed nec Athenienses aliam intellexerant a Paulo portendi : denique irriserant, non irrisuri omnino, si animæ solius restitutionem ab eo audissent ; suscepissent enim vernaculæ suæ philosophiæ frequentiorum præsumptionem. At ubi nationes præconium resurrectionis, inauditæ retro, ipsa novitate concussit, et digna incredulitas rei tantæ quæstionibus fidem torquere (8) cœpit, tunc et Apostolus (*c*) per totum pene instrumentum fidem hujus spei corroborare curavit, et esse eam ostendens, et nondum transactam, et (de quo magis quærebatur) corporalem, et (quod insuper dubitabatur) non aliter corporalem.

CAPUT XL.

Nihil autem mirum, si et ex ipsius instrumento capientur argumenta, cum oporteat hæreses esse ; quæ esse non possent, si non et perperam Scripturæ intelligi possent. Nactæ (9) denique hæreses duos homines ab Apostolo editos, interiorem, id est animam, et exteriorem, id est carnem ; salutem quidem animæ, id est interiori homini, exitium vero carni, id est exteriori, adjudicaverunt ; quia scriptum sit Corinthiis : *Nam etsi homo noster exterior corrumpitur, sed interior renovatur de* (10) *die et die.* Porro, nec anima per semetipsam homo, quæ figmento jam homini (11) appellato postea inserta est ; nec caro sine anima homo, quæ, post exilium animæ, cadaver inscribitur. Ita vocabulum *homo* consertarum substantiarum duarum quodam modo fibula est : sub quo vocabulo, non possunt esse nisi (12) cohærentes. (*d*) Porro, Apostolus interiorem hominem, (*e*) non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Esset *cod. Wouw.*
(2) Resuscitarentur *cod. Wouw.*
(3) Etiam *abest a Fran.*
(4) Ideo *cod. Wouw.*
(5) Vero *Ven.*
(6) Existimationem *Fran. Pam.*
(7) Intulerant *Rhen.*
(8) Extorquere *Rhen. Semi.*
(9) Natæ *Rhen.*
(10) De *omitt. Rig. Ven.*
(11) Homine *Rhen.*
(12) Nisi *abest a Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXIX. — (a) *Veteris Testamenti resignandi et novi consignandi.* Optima metaphora notat Apostolos explicuisse vetus Testamentum, et novum confirmasse. Testamenti enim est aperiri resignatione, et consignatione stabiliri. Labor igitur prædicationis apostolicæ fuit veteris explicatio, et novi Testamenti confirmatio. Lac.

(b) *Sine ulla qualitatis quæstione.* Id est, absque ulla controversia qualis fuisset, nempe an corporis vel animæ ; nam cum Sadducæis non erat dissidium utra resurrectio futura esset animæ an carnis, ut contra hæreticos disputat Auctor, sed de substantia resurrectionis, quam absolute et integre negabant Sadducæi. Lac.

(c) *Per totum pene instrumentum.* B. Pauli Epistolas indicat teste Rhenano, in quibus validæ resurrectionis probationes afferuntur. Vides hoc in capite non semel Scripturam instrumentum dixisse. Le Pr.

CAP. XL. — (d) *Porro Apostolus interiorem*, etc. Diverse accipit Apostolus interiorem, atque exteriorem hominem, cap. VII ad Rom. ac in II Cor. IV : nam illic exterior homo est concupiscentia, interior charitas et spiritus ; scilicet homo concupiscens, et homo spiritu renovatus. At hic homo exterior est ipse corporalis homo quatenus visibilis, tangibilis, et denique sensibilis et patibilis, et qui injurias extrinsecus suscipere possit ; interior vero, quatenus mente invisibili constat, quæ corporis afflictiones fortiter et egregie sustinet. Lac.

(e) *Non tam animam quam mentem et animum*, etc,

tam animam, quam mentem atque animum intelligi mavult, id est, non substantiam ipsam, sed substantiæ saporem. Siquidem Ephesiis scribens, in interiorem hominem habitare Christum (*a*), sensibus utique (*b*) intimandum (1) Dominum significavit. Denique adjunxit (*Eph.* III) : *Per fidem*, et *In cordibus vestris*, et *In dilectione;* fidem quidem et dilectionem, non substantiva animæ ponens, sed conceptiva. In cordibus autem dicens, quæ substantiva sunt carnis, jam et ipsum interiorem hominem carni deputavit, quem in corde constituit. Inspice nunc quomodo exteriorem quidem hominem corrumpi allegarit, interiorem vero renovari de (2) die ac die. Nec illam corruptelam carnis affirmes, quam ex die mortis in perpetuum defectura patiatur : sed quam in istius vitæ spatio, ante mortem, et usque ad mortem, vexationibus et pressuris, tormentis atque suppliciis, nominis caussa experietur. Nam et homo interior hic utique renovari habebit per suggestum spiritus, proficiens fide et disciplina de (3) die ac die, non illic, id est, non post resurrectionem, ubi non utique de (4) die ac die renovari habemus, sed semel ad summam. De sequentibus disce : *Quod enim ad præsens est*, inquit (II *Cor.* IV), *temporale et leve pressuræ nostræ* (*c*), *per supergressum*, *in supergressum* (5), *æternum gloriæ pondus perficiet in* (6) *nobis*, *non intuentibus quæ videntur*, *id est passiones; sed quæ non videntur*, *id est mercedes : quæ enim videntur*, *temporalia sunt; quæ vero non videntur*, *æterna sunt* (7). Pressuras enim et læsuras, quibus corrumpitur homo exterior, ut leves et temporales, idcirco contemnendas affirmat, præferens mercedum æternarum, invisibilium, et gloriæ pondus, in compensationem laborum, quos hic caro patiendo corrumpitur. Adeo non illa est corruptio, quam in perpetuum carnis interitum ad resurrectionem expellendam exteriori homini adscribunt. Sic et alibi : *Siquidem*, ait (*Rom.* VIII), (*d*) *compatimur*, *uti et conglorificemur;* A *reputo enim non dignas esse passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, *quæ in nos habet revelari.* Et hic minora ostendit incommoda præmiis suis. Porro, si per carnem compatimur, cujus est proprie passionibus corrumpi, ejusdem erit et quod pro compassione repromittitur. Atque adeo carni adscribit pressurarum proprietatem, (*e*) ut et supra dicat (8) : *Cum venissemus autem in Macedoniam*, *nullam remissionem habuit caro nostra.* Dehinc, ut (9) animæ daret compassionem : (*f*) *In omnibus*, inquit (II *Cor.* VII), *compressi : extrinsecus pugnæ*, debellantes scilicet carnem ; *intrinsecus timor*, afflictans scilicet animam. Adeo etsi corrumpitur homo exterior, non ut amittens resurrectionem, sed ut sustinens vexationem, corrumpi intelligetur (10). Et hoc non sine interiore. Ita amB borum erit etiam conglorificari, sicut et compati. Secundum collegia laborum, consortia etiam (11) decurrant necesse est præmiorum.

CAPUT XLI.

Eamdem adhuc sententiam exequitur, remunerationes vexationibus præferens. *Scimus enim*, inquit (II *Cor.* V), *quoniam*, *etsi terrena domus nostra hujus* (12) *tabernaculi dissolvetur*, *habemus domum non manufactam*, *æternam in cœlis;* id est, per hoc quod dissolvetur caro nostra per passiones, (13) domicilium consecuturi sumus in cœlis. Meminerat Evangelicæ definitionis (14) (*Matth.* V) : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, *quia illorum est regnum cœlorum.* Non tamen carnis restitutionem negavit, si compensationem mercedis opposuit; cum ipsi compensatio debeatur, cui dissolutio deputatur (15), C scilicet carni. Sed quia domum dixerat carnem, eleganter voluit et in mercedis comparatione vocabulo domus uti ; ipsi domui, quæ dissolvetur per passionem, meliorem domum repromittens per resurrectionem ; nam et Dominus *multas mansiones*, quasi domus, apud Patrem repromittit (*Joan.* XIV) : quamquam et (16) de domicilio mundi (*g*) potest intelligi, quo disso-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Initiandum *Rig. Ven.*
(2, 3, 4) De *abest a Rhen. Rig. Ven. Seml.*
(5) In supergressum *omit. Rhen. Seml. Pam.*
(6) Perfici a *Rhen. Seml.*
(7) Sunt *abest Rig. Ven.*
(8) Dicit *Rhen. Seml.*
(9) Et *add. Rhen. Seml.*
(10) Intelligeretur *Rhen. Seml.*
(11) Quoque *Rhen. Seml.*
(12) Nostri *Rhen. Seml.*
(13) Quod *add. Rhen.*
(14) Diffinitionis *Rhen. Seml.*
(15) Reputatur *Rhen. Seml.*
D (16) Nec *Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

Discrimen inter animam et animum Philosophi, vel notant, vel supponunt. Animus enim pro mente accipitur, scilicet prout fungitur intellectualibus officiis; anima vero prout corpus vegetat, et officinas sensuum et membrorum munia procurat. Hæc accipitur pro natura et substantia rei, ille pro egregia dispositione. Lac.

(a) *In interiorem hominem habitare Christum.* Etiam hic expressit quod græce est : εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, conjungens interim illud sequentibus, cum aliæ editiones omnes, etiam Syriaca, conjungant præcedentibus. Pam.

(b) *Intimandum.* Vocabulum ejus ætatis vulgo frequens. Intimare pro intimum reddere. Rhen.

(c) *Per supergressum in supergressum.* Sic legitur in exemplaribus. Expressit autem græca Pauli : κατ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν. Sic infra, *superquam supra gravati sumus citra vires*, quod Paulus dixit : κατ' ὑπερβολὴν ὑπὲρ δύναμιν. Rig.

(d) *Compatimur*, *uti et conglorificemur.* Hic etiam transfert proprie voces græcas εἴπερ, *siquidem*, ac συνδοξασθῶμεν, *conglorificemur.* Item λογίζομαι, *reputo.* *Compati* autem accipitur, pro simul pati, et proinde etiam sic intelligenda, quam mox habet Auctor vox, *compassio.* Pam.

(e) *Ut et supra dicat* (nempe Paulus) : *Cum venissemus*, etc. Auctor per illud, *supra*, intelligit iterum Epist. II ad Corinth. de cujus potissimum locis hoc cap. tractat; nam reperitur hæc scriptura II Corinth. Nisi forte malit quis eum sequi ordinem Marcionis in libris adv. eumdem observatum, quippe qui Epistolam ad Romanos, ex qua immediate ante testimonium produxerat, postponat Epistolis ad Corinthios. Pam.

(f) *In omnibus*, *inquit*, *compressi.* Etiam hoc ad verbum ex græco : ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι. Pam.

CAP. XLI. — (g) *Quamquam et de domicilio*

luto, æterna sedes repromittatur in cœlis; quia et quæ requuntur, ad carnem manifeste pertinentia, ostendunt priora omnino (1) ad carnem pertinere. Divisionem enim facit Apostolus, cum subjicit : *Nam et hoc geminus* (2) *domicilium nostrum, quod de cœlo est, superindui desiderantes, siquidem induti* (3), *non nudi inveniamur;* id est, ante volumus superinduere virtutem cœlestem æternitatis, quam carne exuamur. Hujus enim gratiæ privilegium illos manet, qui ab adventu Domini (*a*) deprehendentur in carne, et propter duritias temporum Antichristi mercbuntur, compendio mortis per demutationem expunctæ, concurrere cum resurgentibus; sicut Thessalonicensibus scribit (I *Thess.* IV) : *Hoc enim dicimus vobis in sermone Domini, quod nos qui vivimus, qui remanemus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et voce Archangeli* (4), *et in tuba Dei, descendet de cœlo; et mortui in Christo resurgent primi : dehinc nos cum ipsis simul* (5) *rapiemur in nubibus obviam Domino* (6) *in aera, et ita semper cum Domino erimus.*

CAPUT XLII.

Horum demutationem ad Corinthios (I *Cor.* XV) reddit (7), dicens : *Omnes quidem resurgemus, non autem omnes demutabimur, in atomo, in momentaneo motu oculi, in novissima tuba;* sed illi scilicet soli, qui invenientur in carne. *Et mortui*, inquit, *resurgent primi*, *et* (8) *nos demutabimur.* Hac ergo prius dispositione (9) prospecta, reliqua revocabis ad superiorem sensum. Nam cum adjicit : *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptelam, et mortale istud induere immortalitatem;* hoc erit istud domicilium de cœlo, quod gementes in hac carne superinduere (10) desideramus; utique super carnem, in qua deprehendemur; quia gravari nos ait, qui sumus (11) in tabernaculo; quod nolimus exui, sed potius superindui; uti devoretur mortale a vita, scilicet dum demutatur (12), superinduendo quod est de cœlis. Quis enim non desiderabit, dum in carne est, superinduere immortalitatem, et continuare vitam, lucrifacta morte per vicariam demutationem, ne inferos experiatur, usque novissimum quadrantem exacturos? Cæterum, demutationem etiam post resurrectionem consecuturus est, inferos jam expertus. Abhinc enim detluimus, carnem quidem omni modo (13) resurrecturam, atque illa (14) ex demutatione superventura, habitum angelicum susceptu-ram. Aut si in his solis qui invenientur in carne, demutari eum oportebit, uti devoretur mortale a vita, id est caro ab illo superindumento cœlesti et æterno; ergo qui mortui deprehendentur, vitam non consequentur, privati jam materia, et, ut ita dixerim, esca vitæ, id est carne. Aut necesse est recipiant eam et illi, ut et in ipsis mortale devorari possit a vita, si vitam sunt consecuturi. Sed in mortuis, inquis, jam devoratum erit mortale istud. Non utique in omnibus. Quantos enim licebit vel pridianos inveniri, tam recentia cadavera, ut nihil in (15) illis devoratum videri possit! Utique enim devoratum non aliud existimas, quam interceptum, quam abolitum, quam omni sensu ereptum, quod comparere omni genere cessaverit. Nec gigantum autem antiquissima cadavera devorata constabit, quorum crates adhuc vivunt. Diximus jam de isto alibi. Sed et proxime in ista civitate, (*b*) cum Odei (16) fundamenta, tot veterum sepulturarum sacrilega (*c*), collocarentur, quingentorum fere annorum ossa (*d*), adhuc succida, (*e*) et capillos olentes populus exhorruit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non *Rhen. Seml. Pam.*
(2) In hoc ingemiscimus *Pam. Fran.*
(3) Exuti *Seml.*
(4) Angeli *Rhen. Seml.*
(5) Simul *abest a Rhen. Seml.*
(6) Christo *Rhen. Seml.*
(7) Dedit *Pam. Fran.*
(8) Primi, et *non hab. Rhen. Seml.*
(9) Positione *Rhen. Seml.*
(10) Superindui *Pam. Fran.*
(11) Sinius *Rhen. Seml.*
(12) Demutamus *alii.*
(13) Omni modo quidem *Rhen. Seml.*
(14) Hlam *Pam. Fran.*
(15) In *abest a Rhen. Seml.*
(16) Hodie *Rhen.* dei *alii* eo die *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

mundi, etc. Humanum corpus duabus metaphoris significat, domicilii et indumenti, domicilii in hac vita, et indumenti gloriæ in altera. Seneca ipse profanus utramque agnoscere videtur, primam epist. 120, alteram epist. 92. Le Pr.

(a) *Deprehendentur in carne.* Hic loquitur de adventu secundo Domini, in quo judex omnium expendet et excutiet delicta. Qui deprehendentur in carne, hoc est, viventes, eadem cum carne coram Domino sistent se; qui in carne non deprehendentur, carnem assument : erit enim judex vivorum et mortuorum. Id exponit, quæst. 109. B. Justinus : οὐ πάντες κοιμηθησόμεθα. κρινεῖ οὖν ζωντὰς μὲν, τοὺς τότε ζωντὰς, νεκροὺς δὲ τοὺς ἀνισταμένους ἐκ τῶν νεκρῶν. *Non omnes dormiemus, judicabit itaque viventes qui tunc erunt, mortuos vero qui a mortuis resurrexit.* Le Pr.

CAP. XLII. — (b) *Cum odei fundamenta.* Varia Romæ fuere odea, sive loca in quibus aliquando sese recipiebant spectatores e theatro, si pluvia supervenisset, nam ibi porticus erant. Hoc in loco recitabantur etiam poemata, ac venalia frumenta exponi solebant. In eo etiam caussæ frumentariæ agitabantur. Sic Pollux, lib. VIII : τὰς δὲ ἐπὶ τῷ σιτῷ δίκας ἐν τῷ ᾠδείῳ ἐδίκαζον· εἰσὶ δὲ ἔστιν αἱ ἐριλέμενοι τροφαί. *Causas cibarias in odeio disceptabant; cibus vero est quodlibet alimentum.* Le Pr.

(c) *Veterum sepulturarum sacrilega*, etc. Cum jacerentur Odei fundamenta (novum quippe Odeum carthagine extructum fuerat, de quo hic forte loquitur), eruta sunt ossa innumera nondum corrupta aut absumpta, etiam gigantum, quæ portentosa erant. Illud vero sacrilegio affine erat : nam violati sepulcri facinus sacrilegium, et actio in violatorem irrogat infamiam. Nec mirum, si id non oblitus fuerit Tertullianus in jure versatissimus, de quo monuimus alibi. Le Pr.

(d) *Quingentorum fere ann.* Quis Hier. Cardano fidem dabit, qui patris corpus ob varias exercitationes et exactam vivendi rationem integrum mansisse per viginti annos refert? Le Pr.

(e) *Et capillos olentes.* Idem Cardanus scripto prodidit in lib. variar. VIII, c. 4. Tulliolæ Ciceronis cor-

(a) Constat, non tantum ossa durare, verum et dentes incorruptos perennare; quæ ut semina retinentur fructificaturi corporis in resurrectione. Postremo, etsi tunc devoratum invenietur mortale in omnibus mortuis, certe a morte, certe ab ævo, certe per ætatem; numquid a (1) vita, numquid a superindumento, numquid ab immortalitatis ingestu? Porro, qui ab his (2) ait devoratum iri mortale, ab aliis negavit. Et utique hoc a divinis viribus, non a naturalibus legibus perfici præstarique conveniet! Ergo cum a vita habeat devorari quod mortale est, id exhiberi omnifariam necesse est, ut devoretur, et devorari, ut demutetur. Si ignem dicas accendi oportere, non potes id per quod accenditur, alibi necessarium affirmare, alibi non. Sic et cum infulcit : *Siquidem exuti, non nudi inveniamur* (3), de eis scilicet qui non in vita, nec in carne deprehendentur a die Domini; non alias negavit nudos, quos prædixit exutos, nisi quia revestitos voluit intelligi eadem substantia, qua fuerant spoliati. Ut nudi enim invenientur, carne deposita, vel ex parte discissa, sive detrita : et hoc enim nuditas potest dici. Dehinc (4) recipient eam, ut, redinduti carnem, fieri possint etiam superinduti immortalitatem. Superindui enim, nisi vestito jam, convenire non poterit.

CAPUT XLIII.

Proinde cum dicit : *Itaque* (b) *confisi semper, et scientes quod cum* (c) *immoramur in corpore, peregrinamur* (5) *a Domino : per fidem enim incedimus, non per speciem;* manifestatum est hoc quoque non pertinere ad offuscationem carnis, quasi separantis nos a Domino. Et hic enim exhortatio fastidiendæ vitæ hujus obvertitur; siquidem peregrinamur a Domino quamdiu vivimus, per fidem incedentes, non per speciem, id est spe, non re: et ideo subjungit : *Fidentes autem, et bonum ducentes* (6) *magis peregrinari a corpore, et immorari ad Dominum :* scilicet ut per speciem magis incedamus, quam per fidem; per rem potius, quam per spem. Vides quam et hic (7) corporum contemptum ad martyriorum præstantiam referat. Nemo enim peregrinatus a corpore, statim immoratur penes Dominum, nisi ex martyrii prærogativa; paradiso scilicet (8), non inferis, deversurus (9). (d) Defecerant autem Apostolo verba ad significandum de corpore excessum? An ratione etiam nove loquitur? Temporalem enim abstentiam a corpore volens significare, peregrinari nos ab eo dixit, quoniam qui peregrinatur, etiam revertetur in domicilium. Exinde etiam ad omnes : *Et ideo* (10) *gestimus*, inquit (II *Cor.* V), *sive peregrinantes, sive immorantes, placibiles Deo esse* (11). *Omnes enim manifestari nos oportet pro tribunali* (12) *Christi Jesu.* Si omnes, et totos : si totos, et interiores et exteriores, id est, tam animas quam et corpora : (e) *Uti unusquisque*, inquit, *reportet* (13) *per corpus secundum quæ gessit, bonum, seu malum.* Hoc jam quomodo legas, quæro; quasi (f) turbate enim per hyperbaton struxit (14) : utrumne quæ per corpus reportanda erunt, an quæ per corpus gesta sunt? Sed et si quæ per corpus reportanda sunt, corporalis indubitate resurrectio est : et si quæ per corpus gesta sunt (g), per corpus utique pensanda sunt, per quod et gesta sunt. Ita et totus hic a capite tractatus Apostoli, tali clausula detextus qua carnis resurrectio ostenditur, secundum hæc erit intelligendus quæ cum clausula consonant.

CAPUT XLIV.

Si enim adhuc ad superiora respectes, unde mentio hominis exterioris et interioris inducta est, nonne et dignitatem et spem carnis integram invenies? Dum (15) enim de lumine, quod illuxerit Deus in cordibus nostris, ad illuminationem agnitionis gloriæ suæ, in persona Christi, dicit habere nos thesaurum istum in testaceis vasis, scilicet in carne; utrumne quia testacea est, secundum originem in (16) limo, destruetur;

LECTIONES VARIANTES.

(1) E *Rhen. Seml.*
(2) Quia his *Rhen. Seml.*
(3) Inveniemur nudi *Rhen. Ven.*
(4) Et *add. Pam. Fran.*
(5) Peregrinemur *Rhen. Seml.*
(6) Dicentes *Rhen. Seml.*
(7) Hic et *Pam. Fran.*
(8) Scilicet paradiso *Rhen. Seml.*
(9) Diversurus *alii.*
(10) Et ideo *del. Rhen. Seml.*
(11) Placere illi *Par. Fran.*
(12) Ante tribunal *Pam. Fran.*
(13) Quæ *add. Fran. Rig. Ven.*
(14) Instruxit *Rhen. Seml.*
(15) Cum *Rhen. Seml.*
(16) Scilicet ex *Pam. Fran.*

COMMENTARIUS.

pus repertum Sixti IV temporibus, sine ulla sui jactura. Quin imo in eo implexi videbantur capilli aurei reticulo, in quos ut et in totum corpus, nihil potuerat an. plusquam 1500 spatium. LE PR.

(a) *Constat non tantum ossa durare, verum et dentes.* Plato in Phædone : ἀνια δὲ μέρη τοῦ σώματος, καὶ ἐὰν σαπῇ, ὅστᾶ τε καὶ νεῦρα καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα ἅμως, ὡς ἔτος εἰπεῖν, ἀθάνατά ἐστιν. RIG.

CAP. XLIII. — (b) *Confisi semper.* Ex græco θαῤῥοῦντες transtulit. LE PR.

(c) *Immoramur in corpore, peregrinamur a Domino.* Illud etiam Græce ἐκδημοῦντες explicat. LE PR.

(d) *Defecerant autem Apostolo verba.* Admonuit Theophylactus prudenter mortis et vitæ nomina tacuisse Apostolum, et mortem vocasse præsentiam ad Dominum, sive immorationem, vitam vero peregrinationem et absentiam. LAC.

(e) *Uti unusquisque, inquit, reportet.* Vulgatus, *referat unusquisque propria corporis.* Diversitatem lectionis unicæ tantum literæ defectus fecit. Vulgatus legit : ἴδια τοῦ σώματος; at Tertullianus, διὰ τοῦ σώματος : et in græcis cod. ita legitur, et sequuntur Syriacus, Theoph., Œcumenius. Apud Tertullianum, Cod., Angl. habebat, *præterita corporis.* LAC.

(f) *Turbate enim per hyperbaton struxit.* Hyperbati figura grammatica, cum transgressio verbi fit quasi turbata et impedita oratione : longius enim verbum positum facit hyperbaton, ut si illud, *per corpus*, cum verbo *gessit* connectatur. LAC.

(g) *Per corpus utique pensanda sunt.* Luenda seu remuneranda sunt. Theodoretus similiter exponit, colligens cum Tertulliano resurrectionem. LAC.

an quia (*a*) divini thesauri conditorium est, extolletur? Atquin, si lumen ipsum (1) illud verum, quod est in persona Christi, vitam in se continet, eaque vita cum lumine committitur in carnem; peritura est, in quam vita committitur? Plane, si perituros et ipse thesaurus: perituris enim peritura creduntur; sicut veteribus utribus, novum vinum. Cum item subjicit: *Semper mortificationem Christi Jesu circumferentes in corpore nostro;* qualis ista res est, quæ post Dei templum, jam et sepulcrum Christi potest dici? Cur autem mortificationem Domini circumferimus in corpore? *Uti et vita* (2), inquit, *manifestetur*. Ubi? *In corpore* (3). In quo? In *mortali*. Ergo in carne, plane mortali secundum culpam, sed et vitali secundum gratiam. Vide quantam: *Ut in illa vita Christi manifestetur*. In re ergo aliena salutis (4) in substantia perpetuæ dissolutionis, manifestabitur vita Christi æterna, jugis, incorrupta, jam et Dei vita? aut cujus temporis vita Domini manifestabitur in corpore nostro? Illa quidem quam (5) vixit usque in passionem; quæ non modo apud Judæos in manifesto fuit, verum etiam omnibus nunc gentibus prodita est. Adeo eam significat, quæ portas adamantinas mortis, et æneas seras inferorum infregit, quæ exinde jam nostra est. Denique, manifestabitur *in corpore*. Quando? Post mortem. Quomodo? Dum resurgimus in corpore, sicut et Christus. Ne enim quis argumentetur, nunc habere manifestari vitam Jesu in corpore nostro per disciplinam sanctitatis, et patientiæ, et justitiæ, et sapientiæ, quibus Domini vita florucrit, providentissima Apostoli intentio ingerit: *Si enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut vita ejus manifestetur in corpore nostro mortali;* Ideo (6) defunctis nobis hoc ait futurum in corpore nostro. Quod si tunc, quomodo, nisi resuscitato eo? Proinde et in clausula: *Scientes*, ait, *quod qui suscitavit Jesum, et nos suscitabit cum ipso, quia jam resurrexit* (7) *a mortuis:* nisi quia *cum ipso* sicut ipsum sapit? Si vero sicut ipsum, non utique sine carne.

CAPUT XLV.

Sed et rursus alia cæcitate in duos homines impingunt, in veterem et in novum, monente Apostolo (*Eph.* IV), *deponere nos veterem hominem* (*b*) *qui corrumpitur per concupiscentiam seductionis; renovari autem spiritu sensus, et induere novum hominem, qui secundum Deum conditus est in justitia et religione veritatis*; ut et hic ad duas substantias distinguendo, vetustatem ad carnem, novitatem ad animam, corruptionem perpetuam veteri defendat, id est carni. Porro, si secundum substantias, nec anima novus homo, quia posterior; nec caro ideo vetus, quia prior. Quantulum enim temporis inter manum Dei et adflatum; ausim dicere, etiamsi multo prior anima quam caro, eo ipso quod anima impleri se expectavit, priorem eam fecit. Omnis enim consummatio atque perfectio, (*c*) etsi ordine postumat, effectu tamen (8) anticipat. Magis illud prius est, sine quo priora non possunt. Si caro vetus homo, quando istud? a primordio? atquin Adam novus totus, et ex novo vetus nemo. Nam et exinde a benedictione genituræ, caro atque anima simul fiunt, sine calculo temporis: et (9) quæ simul (10) in utero etiam seminantur (11), quod docuimus in *Commentario animæ*, contemporant fœtu, coætant (12) natu (*d*) duos istos homines, sane ex substantia duplici, non tamen et ætate. Sic unum edunt, dum prior neuter est. Citius est, totos nos (13) aut veteres aut novos esse: qua enim alterum possimus esse, nescimus. Sed Apostolus veterem hominem manifeste notat: *Expone* (14) enim, inquit, *secundum pristinam conversationem*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dei *add. Pam. Fran.*
(2) Jesu *add. Pam. Fran.*
(3) Nostro *add. Pam. Fran.*
(4) Saluti *Rhen. Seml.*
(5) Qua *Rhen. Seml.*
(6) Adeo *Pam. Fran.*
(7) Resurrexerit *Rhen. Seml.*
(8) Tamen *neglig. Rhen. Seml.*
(9) Ut *Pam. Rhen. Seml.*
(10) Simul quæ *Pam.*
(11) Figurantur *Pam. Fran.*
(12) Cœtaneant *Pam. Par. Rig.*
(13) Non *Rhen. Ven.*.
(14) Exponentes *Pam. Fran.* exponens *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XLIV. — (a) *Divini thesauri conditorium.* Vocat carnem conditorium divini thesauri, non sine allusione ad ritus antiquos, et vulgatum sermonem philosophorum. Vocabant enim carnem sepulcrum, ut ex Platone jam dedi, et ipse Tertullianus capulum et sepulcrum vocavit; atqui in sepulcris olim thesauros condebant, quo nihil notius. Ejusmodi igitur sepulcrum est caro, ut thesaurum divinum includat simul cum anima. Porro *conditorium* sepulcrum est. Petronius arbiter: *In conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogæo, græco more, custodire cœpit.* Lac.

CAP. XLV. — (b) *Qui corrumpitur per concupiscentiam seduct.* Quod hic *per*, vertit infra *secundum*, quod magis sonat vox græca κατὰ. Est interim peculiare Auctori, et post eum Hilario, lib XII *de Trin.*, illud *concupiscentiam seductionis*, singulari numero, pro eo quod aliæ omnes editiones plurali numero id legant *Ephes.* IV, tam syriaca et græca, quam latina. Atqui legimus omnino secundum tres Vat. cod. Ms. *renovari autem spiritu sensus*, pro *sensu spiritus*: tum quia sic etiam legit B Cyprianus, lib. III, *epist ad Quirin.* cap. 2; tum quod græce sit τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς: quod *spiritu mentis* transtulit latinus interpres. Pam.

(c) *Et si ordine postumat.* Scribendum *postumat*, non *posthumat*, et supra lib. *adv. Valentinianos*, cap. 55, et *in Scorpiaco adv. Gnost.* patet ex antiquis monumentorum inscriptionibus apud Aldum in Orthographia. Idipsum etiam adnotavit Gullielmus Canterus novat. lect. lib. II, cap. 10, addens deduci *postumum* non tanquam *post humatum patrem*, uti Rhen. et plerique censent, sed ab adverbio *post*, velut ab *extra extumus*, et a *citra citumus*, atque adeo indifferens esse, tam ad eum qui postremo loco, quam qui post patris obitum natus sit, quod ipsum alicubi habet Cujacius. Pam.

(d) *Contemporant fœtu, coætant natu.* Insuitata hæc verba formavit, quoniam contemporaneus et coætaneus voces sunt latinæ. Sed plus æquo sibi arrogat. Le Pr.

veterem hominem, non secundum alienjus substantiæ scilicet. Neque enim carnem præcipit deponamus, sed quæ et alibi carnalia ostendit; opera, non corpora accusans, de quibus et hic subjicit: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque ad proximum suum, quoniam membra alterutrum sumus. Irascimini autem, et nolite delinquere. Sol non occidat super iracundiam vestram. Neque dederitis locum diabolo* (1). *Qui furabatur* (2), *jam non furetur, imo potius laboret, operando manibus, uti habeat impartire indigenti. Omnis sermo turpis non procedat ex ore vestro, sed qui sit optimus ad ædificationem fidei, ut gratiam audientibus præstet. Et nolite contristare Spiritum Dei Sanctum, in quo signati estis, in redemptionis die. Omnis amaritudo, et ira, et clamor, et blasphemia, et indignatio* (3) *auferatur a vobis, cum omni malitia. Estote autem in alterutrum benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus vobis donavit in Christo* Igitur qui carnem veterem hominem existimant, cur non mortem sibi properant, ut, vetere homine deposito, præceptis Apostoli occurrant? Nos enim qui totam fidem in carne administrandam credidimus, imo et per carnem, cujus est et os ad proferendum optimum quemque sermonem, et lingua ad non blasphemandum, et cor ad non indignandum, et manus ad operandum et largiendum; tam vetustatem hominis, quam novitatem, ad moralem, non ad substantialem differentiam pertinere defendimus. Atque ita, pariter agnoscimus, hominem qui secundum pristinam conversationem vetus fuerit, eumdem et corrumpi ita dictum secundum concupiscentiam seductionis, quemadmodum et veterem secundum pristinam conversationem, non secundum carnem per interitum perpetuum; cæterum, carne tam salvum quam eumdem, utpote vitiosam disciplinam, non corpulentiam exutum.

CAPUT XLVI.

Talem ubique Apostolum recognoscas, ita carnis opera damnantem, ut carnem damnare videatur; sed ne ita quis existimet, ex aliorum vel cohærentium sensuum suggestu procurantem. Nam et dicens (*Rom.* VIII), *eos qui in carne sunt* (4), *Deo placere non posse*, statim de pravo intellectu ad integrum revocat, adjiciens: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu*. Eos enim quos in carne esse constabat, negando in carne esse, in operibus carnis non esse monstrabat; atque ita (5) illos demum Deo placere non posse, non qui in carne essent, sed qui carnaliter viverent; placere autem Deo illos, qui in carne positi, secundum spiritum incederent. Et rursus: *Corpus quidem*, ait, *mortuum*, sed (*a*) *propter delinquentiam*; sicut *spiritum vitam propter justitiam*. Vitam autem morti opponens in carne constitutæ, sine dubio illic et vitam repromisit ex justitia, ubi mortem determinavit ex delinquentia. Cæterum frustra opposuit vitam morti, si non est illic ubi est et ipsa, cui eam opposuit, excludendæ utique de corpore. Porro, si vita mortem de corpore excludit, non potest id perficere, nisi illuc (6) penetret, ubi est quod excludit. Et quid ego nodosius, cum Apostolus absolutius? *Si* enim, inquit, *spiritus ejus qui suscitavit Jesum, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum a mortuis, suscitabit* (7) *et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis*; ut et si animam quis corpus mortale præsumpserit, cum hoc et carnem negare non possit, carnis quoque resuscitationem cogatur agnoscere, secundum ejusdem status communionem. Ex sequentibus adhuc discas, opera carnis damnari, non ipsam: *Itaque, fratres*, ait, *debitores sumus, non carni, ut* (8) *secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, futurum est ut moriamini; si vero spiritu carnis actus mortificaveritis, vivetis*. Porro, ut ad singula quæque respondeamus, si in carne constitutis, secundum spiritum tamen degentibus, salus repromittitur; jam non caro adversatur saluti, sed operatio carnis. Operatione autem carnis exclusa, quæ caussa est mortis, salva jam caro ostenditur, caussa carens mortis. *Lex* enim, inquit, *spiritus vitæ* (*b*) *in Christo Jesu manumisit me a lege delinquentiæ et mortis*; certe quam præmisit *habitare in membris nostris* (9). Ergo jam membra nostra lege mortis non tenebuntur, quia nec delinquentiæ, a quibus manumissa sunt. *Quod enim invalidum erat legis, in quo infirmabatur per carnem, misso Deus Filio suo in simulacro carnis delinquentiæ, et per delinquentiam* (10) *damnavit delinquentiam in carne*, non carnem in delinquentia: neque enim domus cum habitatore damnabitur. Habitare enim peccatum dixit in corpore nostro. Damnata autem delinquentia, caro absoluta est: sicut, indemnata ea, legi mortis et delinquentiæ obstricta est. Sic et (11) sensum carnis, mortem appellavit; dehinc et inimicitiam ad Deum, sed non carnem ipsam. Cui ergo, dices, reputabitur sensus carnis, si non substantiæ ipsi? Plane, si proveris aliquid carnem de suo sapere. Si vero sine anima nullius est sensus, intellige sensum carnis ad

LECTIONES VARIANTES.

(1) Diabolo locum *Rhen. Seml.*
(2) Furatur *Rhen. Seml.*
(3) Et indignatio *non hab. Rhen. Seml.*
(4) Sint *Rhen. Seml*
(5) Ita *omitt. Rig. Ven.*
(6) Illud *Pam. Rhen. Seml.* illæ *cod. Wouw.*
(7) Vivificabit *Pam. Fran.*
(8) Ad vivendum si *Rhen.* ad vivendum secundum carnem. Si *Jun.*
(9) Vestris *Rhen. Seml.*
(10) Carnem *Rhen. Seml.*
(11) Etsi *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) CAP. XLVI. — *Propter delinquentiam.* Vox hæc multoties usurpatur ab hoc auctore pro *peccato*; ubi enim Apostolus *peccatum* dicit, *delinquentiam* vocat. LE PA.

(b) *In Christo Jesu manumisit me.* Servi eramus omnes et Satanæ mancipati, sed Christi lex jugum servitutis a nostris cervicibus excussit. Hic manumissionis nomine utitur Jurisconsultis solemni, qui tres manumissionis species observant, per censum, per vindictam, et per testamentum. Tribus autem modis illis nos manumisit Christus. LE PA.

animam esse referendum, carni interdum deputatum (1), quia (2) per carnem administratur; et ideo habitare ait delinquentiam in carne, quia et anima, a qua (3) delinquentia inducitur, inquilina est carnis, mortificatæ quidem, sed non suo, verum delinquentiæ nomine. Nam et alibi: *Quomodo*, inquit, *etiam nunc, velut viventes in mundo, sententiam fertis?* non ad mortuos scribens, sed ad eos qui desinere deberent mundialiter vivere.

CAPUT XLVII.

Hæc enim erit vita mundialis, (*a*) qua (4) veterem hominem dixit confixum esse Christo, non corporalitatem, sed moralitatem (5). Cæterum, si non ita accipimus, non est corporalitas nostra confixa, nec crucem Christi caro nostra perpessa est; sed quemadmodum adjecit: *Uti* (*b*) *evacuetur corpus delinquentiæ*: per emendationem vitæ, non per interitum substantiæ; sicut ait: *Uti hactenus delinquentiæ serviamus*, et ut, hac ratione commortui (6) Christo, credamus quod etiam convivamus (7) illi. *Sic enim*, inquit, *et vos reputate mortuos quidem vos;* cuinam? carni? Non, sed delinquentiæ. Ergo salvi erunt carni; viventes autem Deo in Christo Jesu; per carnem utique, cui mortui non erunt; delinquentiæ scilicet (8) mortui, non carni. Nam et adhuc ingerit: *Ne ergo regnaverit in corpore vestro mortali delinquentia, ad obaudiendum illi, et ad exhibendum membra vestra arma injustitiæ, delinquentiæ: sed exhibete vosmetipsos Deo, velut ex mortuis vivos*; non velut vivos, sed velut ex mortuis vivos; *et membra vestra, arma justitiæ*. Et rursus: *Sicut exhibuistis* (*c*) *membra vestra famula immunditiæ et iniquitatis* (9) *ad iniquitatem; ita et nunc exhibete membra vestra famula justitiæ, in sanctificium* (10). *Cum enim servi essetis delinquentiæ, liberi eratis justitiæ. Quem ergo fructum habebatis super his, de quibus nunc confundimini? finis enim* (11) *illorum mors. Nunc vero liberi facti a delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctificium* (12); *finem autem, vitam æternam.* (*d*) *Stipendia enim delinquentiæ, mors; donativum autem Dei, vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Ita, per totam (13) hanc sensuum seriem, ab injustitia et delinquentia membra nostra divellens, et justitiæ et sanctimoniæ adjungens, et transferens eadem a stipendio mortis ad donativum vitæ æternæ, carni utique compensationem salutis repromittit, cui nullam omnino competisset imperari propriam sanctimoniæ et justitiæ disciplinam, si non ipsius esset et præmium disciplinæ: sed nec ipsum baptisma committi, si (14) per regenerationem, non etiam restitutioni inauguraretur, hoc quoque Apostolo ingerente: *An ignoratis, quod quicumque in Christum Jesum* (15) *tincti sumus, in mortem ejus tincti sumus? Consepulti ergo illi sumus per baptisma in mortem, uti quemadmodum surrexit Christus a mortuis, ita et nos in novitate vitæ incedamus.* Ac ne de ista tantum vita putes dictum, quæ ex fide per baptisma in novitate vivenda (16) est, providentissime adstruit: *Si enim complantati* (17) *fuerimus simulacro mortis Christi, ita et resurrectionis erimus.* (*e*) Per simulacrum enim morimur in baptismate, sed per veritatem resurgimus (18) in carne, sicut et Christus: *Ut, sicut regnavit in morte delictum, ita et gratia regnet per justitiam in vitam sempiternam per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quomodo ita (19), si non æque in carne? Ubi enim mors, ibi et vita post mortem; quia et vita ibi ante; ubi postea mors. Nam si regnum mortis nihil operatur, quam carnis dissolutionem; proinde vitam, contrariam morti, contrarium oportet operari, id est, carnis redintegrationem; uti sicut devoraverat mors invalescendo, ita et mortali devorato ab immortalitate, audire possit: (*f*) *Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua?* Sic enim et gratia

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deputandum *Rhen. Jun.*
(2) Propter carnem et *add. Rhen. Seml.*
(3) Animæ *Rhen. Seml. abest* a qua.
(4) Quam *Rhen. Seml.*
(5) Mortalitatem *Pam. Fran. Rig. Ven.*
(6) In *inser. Rhen. Seml.*
(7) Convivemus *Pam. Fran.*
(8) Scilicet *abest a Rhen. Seml.*
(9) Iniquitatem *alii.*
(10) Sacrificium *Rhen. Seml.*
(11) Ergo *Rhen. Seml.*
(12) Sacrificium *Rhen. Seml. Ven.*
(13) Portam *alii.*
(14) Si *omitt. Rhen. Seml.*
(15) Jesum *omitt. Rhen. Seml.*
(16) Incodenda *Pam. Par. Fran.*
(17) Consati *Pam. Par. Fran.*
(18) Resurgemus *Pam. Fran.*
(19) Ista *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XLVII. — (a) *Qua veterem hominem.* Existimabant olim nonnulli veterem hominem esse corpus, novum vero animam; at interpretatio illa non admittitur. Nam Apostolus, *Rom.* VI, nihil aliud per veterem hominem intelligit, quam vitam antecactam in peccatis; per novum autem reformationem illam quæ a Christo facta, dum scelera nostra sanguine suo abluit, ut, evacuato illo vetere homine, in veram nos assereret libertatem. LE PR.

(b) *Evacuetur corpus delinquentiæ.* De hac voce postrema jam monuimus. Vulgata versio: *ut destruatur corpus peccati.* Propius ad sensum græcæ vocis καταργηθῇ vertisse mihi videtur Tertullianus. LE PR.

(c) *Membra vestra famula immunditiæ.* More suo græcam vocem δοῦλα exprimit. *Famulantia* dixit B. Hieronymus ad Pamm. contra Joann. Hierosol. LE PR.

(d) *Stipendia enim delinquentiæ, mors; donativum autem Dei*, etc. Stipendium merces erat militum qui merebant; donativum autem donum erat militibus ab imperatore erogari solitum. Quemadmodum igitur voce castrensi *stipendium* ex B. Pauli interpretatione usus fuerat, apte hanc vocem in eadem metaphora persistens usurpavit. LE PR.

(e) *Per simulacrum enim morimur in baptismate.* Baptizamur pro mortuis. Mergimur quasi mortem subeamus. Emergimus, ut reviviscentes. RIG. — Ne responderent hæretici eodem modo resurrecturos cum Christo, sicut et mortui sumus, scilicet quia mystice et figurate tantum mortui cum Christo sumus in baptismo, sic etiam resurrecturos solum mystice et spiritualiter, non vere; observat Tertullianus typum et mysterium esse dumtaxat in morte nostra, non in resurrectione, nam vere resurgemus. LAC.

(f) *Ubi est mors aculeus tuus?* Sic leg. cap. 51

illic superabundabit (1), ubi et iniquitas abundavit (2). Sic et virtus in infirmitate perficietur, (*a*) quod periit (3) salvum faciens, quod mortuum est vivificans, quod percussum est sanans, quod languit medicans, quod ereptum est redimens, quod famulatum est liberans, quod seductum est revocans, quod elisum est suscitans; et quidem de terra in cœlum, ubi nostrum municipatum Philippenses quoque ab Apostolo discunt: *Unde et salutificatorem nostrum expectamus Jesum Christum, qui transfigurabit* (4) *corpus nostræ humilitatis, conformale corpori gloriæ suæ;* sine dubio post resurrectionem, quia nec ipse Christus glorificatus est ante passionem. Hæc erunt corpora nostra, quæ Romanos obsecrat exhibere hostiam vivam, sanctam, placibilem (5) Deo. Quomodo *vivam*, si peritura sunt? quomodo *sanctam*, si prophana sunt? quomodo *placibilem* (6), si damnata sunt? Age jam, quod ad Thessalonicenses (7) ipsius solis radio putem scriptum, ita claret, qualiter accipient lucifugæ isti Scripturarum? *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos.* Non sufficit, sed (8) sequitur: *Et integrum corpus vestrum, et anima, et spiritus sine querela conserventur in præsentia Domini.* Habes omnem substantiam hominis saluti destinatam, nec alio tempore quam in adventu Domini qui clavis est resurrectionis.

CAPUT XLVIII.

Sed *caro*, inquis, *et sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt.* Scimus hoc quoque scriptum; sed de industria distulimus hucusque, ut, quod adversarii in prima statim acie obstruunt, in ultima congressione prosterneremus, omnibus quæstionibus, quasi auxiliis ejus, ante dejectis. Sed et nunc exspectent (9) præcedentia recognosci, ut et huic sensui sua origo præjudicet. (10) Opinor, Apostolus, (*b*) disposita ad Corinthios omni distinctione ecclesiasticæ disciplinæ, summam et sui Evangelii et fidei illorum in Dominicæ mortis et resurrectionis demandatione concluserat; (*c*) ut et nostræ spei regulam inde deduceret, unde constaret. Itaque subjicit (I *Cor.*, XV): A *Si autem Christus prædicatur, quod a mortuis resurrexit* (11), *quomodo quidam dicunt in vobis resurrectionem mortuorum non esse? quæ si non est, nec Christus resurrexit. Si autem* (12) *Christus non resurrexit* (13), *inanis est prædicatio nostra* (14): *inveniemur enim* (15) *falsi testes Dei, qui testimonium diximus* (16) *quod resuscitaverit Christum, quem non resuscitavit. Nam si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; quia adhuc in delictis vestris estis: et qui in Christo dormierunt, perierunt.* Per hæc cui nos rei credendæ videtur exstruere? Resurrectioni, inquis, mortuorum, quæ negabatur. Certe sub exemplo Dominicæ resurrectionis volens eam credi? Certe, inquis. Exemplum porro ex diversitate, an ex parilitate componitur? B Utique, inquis, ex parilitate. Quomodo autem Christus resurrexit? in carne, annon? sine dubio, si mortuum, si sepultum audis secundum Scripturas, non alias quam in carne, æque resuscitatum in carne concedis. Ipsum enim quod cecidit in morte (17), quod jacuit in sepultura, hoc et resurrexit, non tam Christus in carne, quam caro in Christo. Igitur, si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexit in carne, jam non ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne et et ipsi resurgemus; *quia per hominem*, inquit, *mors, et per hominem resurrectio*: ut separaret (18) quidem auctores, mortis Adam, Christum resurrectionis; ejusdem autem constitueret substantiæ resurrectionem, cujus et mortem, per ipsorum auctorum in nomine hominis comparationem. Si enim, sicut in Adam C omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur; carne vivificabuntur in Christo, sicut in Adam carne (19) moriuntur. Unusquisque autem in suo ordine, scilicet quia et in suo corpore. Ordo enim non aliud, quam meritorum dispositor (20). Merita autem cum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, ut possit esse meritorum. Si autem et baptizantur quidam (21) pro mortuis, videbimus an ratione; certe illa præsumptione hoc eos instituisse contendit (22), qua alii etiam carni,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Superabundavit *Rhen. Seml.*
(2) Abundabit *Pam. Fran.*
(3) Erit *Rhen. Seml.*
(4) Transfiguravit *Rhen.*
(5) Placabilem *Rhen. Seml.*
(6) Placabilia *Rhen. Seml.*
(7) Ut *add. Pam. Par. Fran.*
(8) Quod *Rhen. Seml.*
(9) Expetent *Rhen. Seml.*
(10) Ut *inser. Rhen. Seml.*
(11) Resurrexerit *Rhen. Seml.*
(12) Autem *abest a Rhen. Seml.*
(13) Resurrexerit *Rhen. Seml.*
(14) Vacua est et fides vestra *add. Pam.*
(15) Invenimur autem *Pam. Fran.*
(16) Dixerimus *Rhen. Seml.* Adversus Deum *add. Pam. Fran.*
(17) Mortem *Pam. Fran.*
D (18) Separet *Pam. Rhen. Seml.*
(19) Omnes *Fran.*
(20) Ordo enim meritorum dispositorum nomine disponetur *cod. Pith. pro* dispositorum *legendum* dispositor horum *censet Rig.*
(21) Quidem *Rhen.*
(22) Portendit *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

et 53, pro *victoria*, quod habet Vulgatus, substituens *contentio*, nam in quibusdam græcis posuit νίκος, esse, sive νίκη, id est, *victoria*; in aliis νεῖκος id est, *jurgium, altercatio, rixa*, sive δίκη, id est, *forensis causa, jus, sententia, et pœna*: vox nimirum est forensis. Lac.

(a) *Quod periit salvum faciens.* Ezech. XXXIV, sic est: *Quod perierat requiram, et quod objectum erat reducam, et quod confractum fuerat, alligabo, et quod infirmum fuerat, consolidabo; et quod vingue et forte custodiam.* Lac.

CAP. XLVIII. — (b) *Disposita ad Corinthios omni distinctione Ecclesiasticæ discipl.* Fecit id capitib. anteced., cap. XV, cui modo insistit Tertullianus: plura enim documenta ad Ecclesiasticam disciplinam Paulus dederat. Lac.

(c) *Ut et nostræ spei regulam inde deduceret, unde constaret.* A resurrectione Christi deduxit, cum inde constaret. Dedimus ad cap. 1, *de carne Christi* non-

ut (1) vicarium baptisma (*a*) profuturum existimarent ad spem resurrectionis; quæ nisi corporalis, non alias hic (2) baptismate corporali obligaretur. *Quid et* (3) *ipsos baptizari*, ait, *si non quæ baptizantur corpora resurgunt?* Anima enim, non lavatione, sed responsione sancitur. *Quid et nos*, inquit, *omni hora periclitamur?* Utique per carnem. *Quotidie morior*, utique periculis carnis, per quam et depugnavit ad bestias Ephesi; illas scilicet (*b*) bestias Asiaticæ pressuræ, de qua in secunda ad eosdem: *Nolumus enim vos ignorare, fratres, de pressura nostra apud Asiam, quod superquam supragravati* (4) *sumus citra vires, uti de vita hæsitaremus.* Omnia hæc, nisi fallor, eo enumerat, ut, nolens vanam credi carnis conflictationem, indubitate velit credi carnis resurrectionem. Vana enim habenda est conflictatio ejus, cujus nulla erit resurrectio. *Sed dicet quis: Quomodo resurgent mortui? quo autem corpore venient?* Jam hic de qualitatibus corporum disserit; an eadem ipsa, an alia resumantur. Sed cum ejusmodi quæstio posterior habeatur, sufficiet interim ex hoc quoque corporalem definiri resurrectionem, cum de *qualitate corporum quæritur.*

CAPUT XLIX.

Ventum est nunc ad carnem et sanguinem revera totius quæstionis, quas (5) substantias, quali conditione exhæredaverit Apostolus a Dei regno; æque de antecedentibus discere est. *Primus*, inquit, *homo de terra choicus*, id est limacius, id est Adam; *secundus homo de cœlo*, id est sermo Dei, id est Christus; non alias tamen homo, licet de cœlo, nisi quia et ipse caro atque anima, quod homo, quod Adam; nam et (6) supra novissimus Adam dictus (7), de consortio substantiæ commercium nominis traxit; quia nec Adam ex semine caro, quod et Christus. *Qualis ergo choicus, tales et choici; qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Substantia tales? an primo disciplina, dehinc et dignitate, quam et disciplina captavit? Atquin, substantia nullo modo separabuntur choici atque cœlestes, semel ab Apostolo homines dicti. Si enim et Christus solus vere cœlestis, imo et supercœlestis, homo tamen, qua (8) caro atque anima, nihilo ex ista substantiarum conditione a choica qualitate dis- A cernitur: proinde et qui cœlestes secundum illum, non de substantia præsenti, sed de futura claritate cœlestes prædicati intelliguntur; quia et retro, unde distinctio ista manavit de dignitatis differentia, os easa est alia supercœlestium gloria, alia superterrenorum, et alia solis, alia lunæ, alia stellarum; quia et stella a stella differt in gloria, non tamen in substantia. Denique, præmissa differentia dignitatis in eadem substantia et nunc sectandæ et tunc capessendæ, subjungit etiam exhortationem, ut et hic habitum Christi sectemur ex disciplina, et illic fastigium consequamur ex gloria: *Sicut portavimus imaginem choici, portemus etiam imaginem supercœlestis.* Portavimus enim imaginem choici per collegium transgressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi. Nam B etsi (9) in carne hic portatur (10) imago Adæ, sed non carnem monemur exponere (11). Si non carnem, ergo conversationem, ut proinde et cœlestis imaginem gestemus in nobis; non jam dei (12), nec jam in cœlo constituti; sed (*c*) secundum liniamenta Christi incedentes in sanctitate, et justitia, et veritate. Atque adeo ad disciplinam totum hoc dirigit, ut hic dicat portandam imaginem Christi in ista carne, et in isto tempore disciplinæ. *Portemus* enim præceptivo modo, dicens, huic tempori loquitur, in quo homo nulla alia substantia est, quam caro et anima; aut si (13) quam aliam, id est, cœlestem substantiam hæc fides spectat, huic tamen repromissa sit, cui ad illam elaborare mandatur. Cum igitur imaginem et choici et cœlestis in conversatione constituat, illam C ejerandam (14), hanc vero sectandam; dehinc adjungat (15): *Hoc enim dico*, id est, propter ea quæ (16) supra dixi (conjunctio est enim sensus supplementum antecedentibus reddens), *quod caro et sanguis regnum Dei hæreditati possidere non possunt;* nihil aliud intelligi mandat (17) carnem et sanguinem, quam supradictam imaginem choici: quæ si in conversatione censetur vetustatis, conversatio autem vetustatis non capit (18) Dei regnum, proinde caro et sanguis, non capiendo Dei regnum, ad conversationem rediguntur vetustatis (19). Plane, si nunquam Apostolus pro operibus substantiam posuit, nec hic ita utatur. Si vero in carne adhuc constitutos, nega-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ut *abest a Pam. Par. Fran.*
(2) Nonnisi alias *Rhen. Seml.* non alias sic *Pam. Paris.* D *Fran.* non alias in *cod. Wonw.*
(3) Qui *Rhen. Seml.*
(4) Supergravati *alii.*
(5) Quasi *Pam. Fran.*
(6) Etsi *Rhen. Seml.*
(7) Dicet *Rhen. Seml.*
(8) Quam *Rhen. Seml.*
(9) Si et *Pam. Par.*
(10) Sic putatur *Rhen. Seml.*
(11) Ponere *Pam. Par. Fran.*
(12) Dii *forte melius. Edd.*
(13) Aut *et* si *Rhen. Seml.*
(14) Gerendam *Rhen. Seml.*
(15) Adjungit *Rhen. Seml.*
(16) Quæ? quæ *Rhen.*
(17) Mandant *Pam. Par. Fran.*
(18) Capiat *Rhen. Seml.*
(19) Veritatis *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

nulla, ut robur consequentiæ divi Pauli a resurrectione Christi ostenderetur. LAC.

(a) *Vicarium baptisma.* Sic vicariam mortem dixit Fabius *Declam.* 19. RIG.

(b) *Bestias asiaticæ pressuræ.* An per has bestias intelligat seditionem Ephesi a Demetrio argentario concitatam, non facile dicerem; pace tamen eruditorum hominum dixerim; nam cum bestiis pugnasse certum est; sed pugna illa Ephesi contigit post scriptam epistolam hanc, quam scripsit Ephesi. LE FR.

CAP. XLIV. — (*c*) *Secundum liniamenta Christi incedentes.* Imitantes conversationem, quam Christus gessit in carne. Bernardus *serm. in psal.* XC. Unde scilicet agnoscendus præ cæteris Christus, sanctitate, justitia, veritate. Sic, libro ad Marcionem II, lineas Dei habere anima dicitur, qua immortalis, qua libera et sui arbitrii, qua præscia plerumque, capax intellectus et scientiæ. RIG.

vit esse in carne, in operibus carnis negans esse, formam ejus subrucre non debes, non substantiam, sed opera substantiæ alienantis a Dei regno. Quibus etiam ad Galatas manifestatis, prædicere se et prædixisse profitetur (*Gal.* V), quod *qui talia agunt* (1), *regnum Dei non sunt* (2) *hæredidate consecuturi*, non portantes scilicet imaginem cœlestis, sicut portaverunt (3) choici, ideoque ex vetere conversatione, nihil aliud deputandi (4), quam caro et sanguis. Nam et si subito in hanc definitionem erupisset Apostolus, eliminandam carnem et sanguinem a Dei regno, sine ullius supra sensus præstructione, nonne duas istas substantias proinde hominem veterem interpretaremur (5) carni et sanguini deditum, id est, esui et potui; cujus sit dicere adversus fidem resurrectionis: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur?* Et hoc enim infulciens Apostolus, carnem et sanguinem de fructibus ipsorum, manducandi et bibendi, sugillavit.

CAPUT L.

Sed et (6) omissis hujusmodi interpretationibus carnis et sanguinis opera taxantibus, (*a*) ipsas quoque substantias, non aliter quam sunt intellectas, licebit resurrectioni vindicare: non enim resurrectio carni et sanguini directo negatur (7), sed Dei regnum, quod obvenit resurrectioni; (*b*) (est autem et in judicium resurrectio); imo et confirmatur carnis resurrectio generalis, cum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat edicitur, in quem resurgat subauditur. Atque ita dum pro meritis distinctionem resurrectionis opus substantiæ, non genus, patitur, apparet hinc quoque carnem et sanguinem, nomine culpæ, non substantiæ, arceri a Dei regno; nomine tamen formæ (*c*) resurgere in judicium, quia non resurgant in regnum. (*d*) Adhuc dicam: *Caro et sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt.* Merito sola, et per semetipsa; ut ostenderet adhuc spiritum illis necessarium: *Spiritus* enim *est qui vivificat* in regnum Dei, *caro nihil prodest*. Prodesse tamen illi (8) aliud potest, id est spiritus, et per spiritum, opera quoque spiritus. Resurgunt itaque ex æquo (9) omnis caro et sanguis in qualitate sua. Sed quorum est (10) adire regnum Dei, induere (11) oportebit vim incorruptibilitatis et immortalitatis, sine qua regnum Dei adire non possunt, antequam consequi eam possint. Merito ergo caro et sanguis, ut diximus, sola regnum Dei capere deficiunt. Jam vero cum devorari habeat corruptivum istud ab incorruptibilitate, id est caro, et mortale istud, ab immortalitate, id est, sanguis post resurrectionem ex demutatione; merito, non (12) demutata ac devorata caro et sanguis, regnum Dei hæreditate (13) possidere non (14) possunt, non tamen (15) resuscitata. Sunt qui carnem et sanguinem (*e*) Judaismum velint accipi propter circumcisionem, alienum et ipsum a Dei regno; quia et ille vetustati deputetur, et hoc titulo jam et alibi ab Apostolo denotetur, qui post revelatum in se Filium Dei, ad evangelizandum eum in nationibus, *statim* (*f*) *non retulerit ad carnem et sanguinem* (*Gal.* I), id est ad circumcisionem, id est ad Judaismum, sicut ad Galatas scribit.

CAPUT LI.

Sed pro omnibus jam stabit, quod in (16) clausulam reservavimus, etiam pro Apostolo ipso revera maximæ inconsiderantiæ revincendo, si tam abrupte, ut quidam volunt, clausis, quod aiunt, oculis, sine distinctione, sine conditione, omnem passim carnem et sanguinem a regno Dei extrusit (17), utique et ab ipsa regia cœlorum; cum illic adhuc sedeat Jesus ad dexteram Patris, homo, etsi Deus; Adam novissimus, etsi Sermo primarius; caro et sanguis, etsi nostris

LECTIONES VARIANTES.

(1) Agant *Rhen. Seml.*
(2) Sint *Rhen. Seml.*
(3) Portaverant *Rhen. Seml.*
(4) Existimandi *alii.*
(5) Interpretamur *Fran.* interpretaretur *Rhen. Seml.*
(6) Et *omitt. Fran.*
(7) Denegatur *Pam. Fran.*
(8) Illis *Pam. Fran.*
(9) Ex eo quo *Rhen. Seml.*
(10) Est *non hab. Rhen. Seml.*
(11) Inducere *Rhen. Seml.*
(12) Non *abest a Rhen. Seml.*
(13) Hæreditati *Rhen. Seml. Ven.*
(14) Non *abest a Paris.*
(15) Non *abest a Rhen. Seml.*
(16) In *omitt. Seml.*
(17) Extruxit *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. L. (a) — *Ipsas quoque substantias, non aliter quam sunt intellectas*, etc. Alio tramite occurrit hæreticis, ut probet ex eo loco, qui ab illis in pretio est, ad refellendum resurrectionis carnalis assertores, nihil evinci; nam et si caro et sanguis stricte et rigide a Paulo acciperentur, non pro operibus carnalium hominum, nihilominus infringi nequit resurrectionis corporalis fides. Sic et Irenæus duplici quoque responsione ad eumdem locum occurrit hæreticis. LAC.

(b) *Est autem et in judicium resurrectio.* Parenthesi hoc comma inclusimus, ad sensum apertiorem; quo alludit ad illud *Joan.* VI: *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* PAM.

(c) *Nomine tamen formæ.* Formam perinde ac substantiam nuper accepit. Sensus est, si quidem propter culpam non resurgant ad gloriosam resurrectionem et vitam, tamen ratione suæ substantiæ resurgent saltem ad judicium. LAC.

(d) *Adhuc dicam.* Liberalius agit, et dat hæreticis, non solum Apostolum loqui de ipsis substantiis stricte accepta voce *Carnis et sanguinis;* sed et impossibile esse, regnum Dei hæreditare carnem et sanguinem. LAC.

(e) *Sunt qui carnem et sanguinem Judaismum*, etc. Prior interpretatio fuit, quod caro et sanguis, etsi non in resurrectionem vitæ resurgant, resurgent tamen in judicium. Posterior, hæc, quod carnis et sanguinis nomine Judaismus intelligatur, quemadmodum accipitur ab Apost. *Gal.* I. PAM.

(f) *Non retulit ad carnem et sanguinem.* Magis expressit sic Auctor, quod græce est προσανεθέμην, quam alii vertendo, *non acquievi.* Recte autem interpretatur Auctor Judaismum carnem et sanguinem, ac si dicat: neque se retulisse ad Judæos, neque ad antecessores suos apostolos; ut non sit necesse laborare ad diluendam calumniam, qua apostolos vocaverit carnem et sanguinem. PAM.

puriora (*a*); idem tamen et substantia et forma, qua ascendit; talis etiam descensurus, ut angeli adfirmant; (*b*) agnoscendus (1) scilicet eis qui illum convulneraverunt. Ilic *sequester Dei atque hominum* (I *Tim.* II) appellatus, ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis *arrhabonem spiritus* (II *Cor.* V) reliquit, (*c*) ita et a nobis arrhabonem carnis accepit, et vexit in cœlum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securi (2) estote, caro et sanguis; (*d*) usurpastis et cœlum et regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent et in cœlo Christum, qui vobis cœlum negaverunt ita *nec corruptela*, inquit, (3) *incorruptelam hæreditati habebit;* non ut carnem et sanguinem existimes corruptelam, quando ipsa sint potius obnoxia corruptelæ per mortem scilicet (siquidem mors est, quæ carnem et sanguinem non modo corrumpit, verum etiam consumit); sed, quoniam opera carnis et sanguinis non posse consequi regnum Dei edixerat, quo magis hoc exaggeraret, ipsi quoque corruptelæ, id est morti, cui carnis et sanguinis opera proficiunt, hæreditatem incorruptelæ ademit. Nam et paulo post, ipsius mortis quodam modo mortem expressit : *Devorata est mors*, dicens (I *Cor.* XV), *in contentionem* (4). *Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio* (5) *tua? Aculeus autem mortis delinquentia;* hæc erit corruptela : *virtus autem delinquentiæ, lex :* illa alia sine dubio, quam (*e*)constituit in membris suis militantem adversus legem animi sui, ipsam scilicet vim delinquendi contra voluntatem. Nam et (6) supra *novissimum inimicum, mortem, evacuari* ait. Hoc modo, nec corruptela hæreditatem (7) incorruptelæ consequetur (8), id est, nec mors perseverabit (9). Quando, et quomodo defectura? *Cum in atomo, in momentaneo oculi motu, in novissima tuba et mortui resurgent incorrupti.* Qui hi, nisi qui ante corrupti, id est, corpora, id est, caro et sanguis? *Et nos demutabimur* (10). De qua habitudine, nisi in qua deprehendemur? *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem, et mortale istud induere immortalitatem.* Quid mortale, nisi caro? quid corruptivum, nisi sanguis? Ac ne putes (11) aliud sentire Apostolum providentem tibi, et, ut de carne dictum intelligas, laborantem, cum dicit, *istud corruptivum*, (*f*) et, *istud mortale*, cutem ipsam tenens, dicit. Certe *istud* nisi de subjecto, nisi de comparenti pronuntiasse non potuit. Demonstrationis corporalis est verbum. Aliud autem (12) corruptivum, aliud corruptela; et aliud mortale, et aliud mortalitas. Aliud enim quod patitur, aliud quod pati efficit. Ita, quæ patiuntur corruptelam et mortalitatem, caro scilicet et sanguis, ea necesse est patiantur et incorruptelam et immortalitatem (13).

CAPUT LII.

Videamus (14) jam nunc quo corpore venturos (*g*) mortuos disputet. Et bene, quod erupit statim ostendere, quasi quis ejusmodi quærat. *Stulte*, inquit, *tu quod seminas, non* (15) *vivificatur* (16), *nisi mortuum fuerit.* Hoc ergo jam de exemplo seminis constet, non aliam vivificari carnem, quam ipsam quæ erit mortua, et ita sequentia relucebunt : nihil enim adversus regu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Agnoscendi *Rhen.*
(2) Securæ *Pam. Fran. Par. Ven.*
(3) In *inser. Rhen. Seml.*
(4) Contentione *Rhen. Seml.*
(5) Potentia *Rhen. Seml.*
(6) Etsi *Seml.*
(7) Hæreditatem *abest a Seml.*
(8) Consequitur *Seml.*
(9) Perseveravit *Rhen. Seml.*
(10) Demutamur *Rhen. Seml.*
(11) Aliquid *add. Pam Fran.*
(12) Erit *add. Rhen. Seml.*
(13) Mortalitatem *Fran. Ven.*
(14) Videmus *Rhen. Seml.*
(15) Nonne *Rhen.* num *cod. Wouw.*
(16) Vivificabitur *Fran. Ven.*

COMMENTARIUS.

CAP. LI. — (a) *Caro et sanguis, etsi nostris puriora.* Huc pertinet quod scholastici doctores tradunt, Christum conceptum ex purissimis B. Virginis Mariæ sanguinibus. Pam.

(b) *Agnoscendus scilicet eis qui illum convulneraverunt.* Supra cap. 26, et *de Carne Ch.* c. 44, *confixerunt* habet. Agnoscendus igitur est Christus ab iis, qui illum vulneraverunt : in eorumdem vulnerum stigmatibus, servat adhuc Christus vulnera sua; explicuit sic S. Epiph. *serm de Ascens.* Lac.

(c) *Ita et a nobis arrhabonem carnis accepit.* Commutationem quamdam et commercium notat, inter nos et Deum, inter cœlum et terram, ut caro nostra, quæ in cœlo non erat, commutaretur pro spiritu Dei, qui in terra non erat, ut sic et caro in cœlis, et spiritus in terris esset. Hoc commercium obligatis arrhis utrinque, Christus velut divinus proxeneta sollicitavit et consummavit : cum cœlum ascendit, tunc et spiritum ad nos demisit, et carnem nostram in cœlum introduxit. Lac.

(d) *Usurpastis et cœlum et regnum in Christo.* Carnem dixit usurpare in hoc commutationis commercio; quia non servetur juris et justitiæ æqualitas. Excedit spiritus carni et cœlestia terrestribus, et quoniam pro inæquali et exigua reddetur eximium donum, usurpatio potius videtur quam commutatio. Lac.

(e) *Constituit in membris suis.* Hoc est, constitutam ait et stabilitam, adeo ut radicitus inhæreat, nisi illam exstirpet gratia Christi Le Pr.

(f) *Et, istud mortale, cutem ipsam tenens, dicit.* Numquid non corpus suum quodammodo contingentis, et digito palpantis est vox? inquit Rufinus in *Expositione Symboli.* Notandumque obiter quod ab eodem traditur, Ecclesiam Aquileiensem articulo Symboli, quo *resurrectionem carnis* confitemur, addidisse *Hujus*, ut pronuntiantes, *Hujus carnis resurrectionem*, certiores fierent etiam carnem ipsam, qua sese ipsi portarent, resurrecturam. Rig.

CAP. LII. — (g) *Videamus jam nunc in quo corpore venturos.* Ab hoc capite præcipue Valentinianos pungit, qui non hujus, sed alterius carnis resurrectionem concedebant, ut ex lib. *de Præscript.* constat. Alii quoque in eamdem existimationem venerant propter argumenta posita c. 13 de cadaveribus devoratis a feris, et absumptis igni, qui sibi videbantur corpus tam varie dispersum, redire idem ipsum non posse. Cui objectioni in sequentibus satis respondet, eamque diluit. Nyssenus ex similitudine seminis, quam in hoc cap. ex D. Paulo examinat et fulcit Auctor. Lac.

lam exempli licebit intelligi. Nec, quia (1) sequitur, *Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas*, idcirco aliud ressurrecturum corpus, quam quod moriendo seminatur, existimes; cæterum, excidisti ab exemplo. Nunquam enim, frumento seminato, et in terra dissoluto, hordeum erumpit, et non idipsum genus grani eademque natura, et qualitas (2), et forma. Denique, unde, si non idipsum? Et corruptela enim ipsum est, dum ipsius est. Non enim et suggerit, quomodo non quod futurum est corpus seminetur (3), dicens: *Sed nudum granum, si forte, frumenti, aut* (4) *alicujus ejusmodi; Deus autem dat illi corpus, prout vult*? Certe ei grano, quod nudum seminari ait. Certe, inquis. Ergo salvum est, cui dare habet Deus corpus. Quomodo autem salvum est, si nusquam est, si non resurgit, si non idipsum resurgit? Salvum non est. Si non est et salvum, accipere corpus a Deo non potest. Sed enim salvum, omni modo constat. Ad quid ergo dabit illi Deus, prout vult, corpus, habenti utique proprium corpus illud nudum, nisi ut jam non nudum resurgat? Ergo additum (5) erit, quod corpori seperstruitur; nec exterminatum (6) illud, cui superstruitur, sed augetur. Salvum est autem quod augetur. Scritur enim solummodo granum sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi; exurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, et usquequaque vestitum. Hæc sunt ei corpus a Deo aliud: in quod, non abolitione, sed ampliatione mutatur. Et unicuique seminum (*a*) suum corpus deputavit; non suum, id est pristinum, ut tunc et illud suum sit quod extrinsecus a Deo adquirit. Servi igitur exemplo, et conserva speculum ejus carni, eamdem credens fructificaturam, quæ sit seminata; ipsam, etsi pleniorem (7); non aliam, etsi aliter revertentem (8). Accipiet enim (*b*) et ipsa suggestum et ornatum, qualem illi Deus voluerit superducere secundum merita. Sine dubio ad hoc dirigit (9), *non omnis caro, eadem caro;* non ad denegandam substantiæ communionem, sed prærogativæ peræquationem; corpus honoris, non generis, in differentiam redigens. In hoc et figurata subjicit exempla animalium et elementorum. *Alia caro hominis*, id est, servi Dei, qui vere homo est; (*c*) *alia jumenti*, id est, ethnici, de quo et Propheta: *Adsimilatus est*, inquit, *homo irrationalibus jumentis; alia caro volucrum* (10), id est martyrum, qui ad superiora conantur; *alia autem* (11) *piscium*, id est, quibus aqua baptismatis sufficit (*d*). Sic et de supercœlestibus corporibus argumenta committit (12). *Alia solis gloria*, id est, Christi; *et alia lunæ*, id est Ecclesiæ; *et alia stellarum*, id est seminis Abrahæ; *et stella enim a stella differt in gloria;* (*e*) *corpora terrena et cœlestia*, Judæus scilicet et Christianus. Cæterum, si non figurate, satis vane mulorum et milvorum carnes, et corpora cœlestium luminum apposuit (13) humanis, non pertinentia ad conditionis comparationem, sicut nec ad resurrectionis consecutionem. Postremo, cum per hæc differentiam gloriæ, non substantiæ, concludisset: *Sic*, inquit, *et resurrectio mortuorum*. Quomodo (14)? Non de alio aliquo, sed de sola gloria differens. Rursus enim resurrectionem ad eamdem substantiam revocans, et ad granum denuo spectans: *Seminatur*, inquit, *corruptela, resurgit incorruptela: seminatur in dedecoratione, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in virtute: seminatur corpus animale, resurgit spiritale*. Certe non aliud resurgit, quam quod seminatur; nec aliud seminatur, quam quod dissolvitur humi; nec aliud dissolvitur humi, quam caro: hanc enim sententia Dei elisit (*Gen.*, III): *Terra es, et in terram ibis;* quia et de terra erat sumpta. Hinc et Apostolus concepit semini eam dicere, cum redhibetur in terram, quia et seminibus sequestratorium terra est, illic deponendis, et inde repetendis. Ideoque et reconsignat (15) imprimens, sic enim (16) scriptum est; ne aliud existimes esse seminari, quam *in terram ibis, ex qua es sumptus*: sic ne alterius quam carnis, sic enim scriptum est.

CAPUT LIII.

Sed corpus animale animam quidem argumentantur, ut illum a carne avocent recidivatum (17). Porro, cum constet, fixumque sit, illud resurrecturum corpus, quod fuerit seminatum, ad ipsius rei exhibitionem provocabuntur. Aut ostendant animam seminatam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ne quia *Pam. Ven. Fran. Rig.* qua *Rhen. Seml.*
(2) Qualitate *Pam. Fran.*
(3) Seminatur *Pam. Fran. Rig. Ven.*
(4) Vel *Rhen. Seml.*
(5) Additicium *Pam. Fran.*
(6) Exterminatur *Pam Rhen.*
(7) Plenior est *Rhen. Seml.*
(8) Reverentem *Pam. Par. mendose.*
(9) Direxit *Rhen. Seml.*
(10) Volatilium *Rhen. Seml.*
(11) Autem *abest a Rhen. Seml.*
(12) Argumentari convenit *Rhen. Seml.*
(13) Opposuit *Pam. Fran.*
(14) Quoniam *Rhen. Seml.*
(15) Consignat *Rhen. Seml.*
(16) Sicut *alii.*
(17) Illam a. c. a. recidivatam *Par. Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Suum corpus.* Melius græcam vocem ἴδιον *proprium* reddit latinus Interpres, nisi dicas *suum* idem esse. Le Pr.

(b) *Et ipsa suggestum, et ornatum.* Suggestus est hic synthesis sive ornamentum. Le Pr.

(c) *Alia jumenti.* Jumenta animalia sunt quæ dorso domantur, ut equi, muli, asini, quæ ob hanc rem dossuaria jumenta vocantur a Varrone. Elephanti quoque et cameli, boves etiam, oves et capræ, et armenti genus omne sub hoc nomine jumenti continentur. Le Pr.

(d) *Quibus aqua baptismatis sufficit.* Facit etiam hic locus pro baptismo aquæ, quem quidam impugnare non verentur; verum de eo latius lib. *de Bapt.* cap. 1. Pam.

(e) *Corpora terrena et cœlestia, Judæus*, etc. Terræ nomine judæi, cœli autem Christiani significantur, quoniam terrena tantum Judæis promisit Deus, Christianis autem cœlum pollicitus sit. Le Pr.

post mortem, id est mortuam, id est humi elisam, disjectam, dissolutam, quod in illam a Deo decretum non est; proponant corruptelam ejus, et dedecorationem, infirmitatem, ut ipsius sit etiam exsurgere (1) in incorruptelam, et in gloriam, et in virtutem. (*a*) Sed enim in Lazaro, præcipuo resurrectionis exemplo, caro jacuit in infirmitate, caro pene computruit in dedecorationem, caro interim putuit in corruptionem; et tamen Lazarus caro resurrexit, cum anima quidem, sed incorrupta, quam nemo vinculis lineis strinxerat, nemo in sepulcro collocarat, nemo jam fœtere senserat nemo quatriduo viderat seminatam. Totum habitum, totum exitum Lazari, omnium quoque caro hodie experitur (2), anima vero nullius. In qua ergo stylus Apostoli comparet, de qua cum loqui constat, ea erit et corpus animale, cum seminatur, et spiritale, cum suscitatur. Nam ut ita intelligas (3), manum adhuc porrigit, æque de ejusdem Scripturæ auctoritate, factum retexens primum hominem Adam in animam viventem (4). Si Adam homo primus, caro autem homo ante animam, sine dubio caro erit facta in animam viventem (5); facta porro in animam (6), cum esset corpus, utique (7) animale corpus est facta. Quid eam appellari velint, quam quod per animam facta est, (*b*) quam quod ante animam non fuit, quam quod post animam non erit, nisi cum resurgit? Recepta enim anima, rursus animale corpus efficitur, ut fiat spiritale: non enim resurgit, nisi quod fuit. Ita, unde carni competit corpus animale dici, inde animæ nullo modo competit. Caro enim ante corpus, quam animale corpus. Animata enim, postea facta est corpus animale. Anima vero, etsi corpus, tamen, quia ipsa est corpus non animatum, sed animans potius, animale corpus non potest dici, nec fieri quod facit (8). (*c*) Alii enim accidens facit illud animale; non accidens autem alii, quomodo se faciet animale? Sicut ergo ante (9) animale corpus, caro recipiens animam; ita et postea spiritale, induens spiritum. Hunc ordinem Apostolus disponens, in Adam quoque et in Christo eum merito distinguit, ut in capitibus distinctionis ipsius. Et cum Christum novissimum Adam appellat, hinc eum recognosce ad carnis, non ad animæ resurrectionem omnibus doctrinæ viribus operatum. Si enim et primus homo Adam caro, non anima, qui denique in animam vivam factus est (10); et novissimus Adam Christus, ideo Adam, quia homo; ideo homo, quia caro, non quia anima. Atque ita subjungit: *Non primum quod spiritale, sed quod animal; postea quod spiritale*, secundum utrumque Adam. Ecquid (11) tibi videtur corpus animale, et corpus spiritale in eadem carne distinguere, cujus distinctionem in utroque Adam, id est, in utroque homine præstruxit? Ex qua (12) enim substantia pariant inter se Christus et Adam? Scilicet ex carne, licet et ex anima; sed (13) carnis nomine homo uterque sunt. Prior enim caro homo. Ex illa et ordinem admittere potuerunt, ut alter primus, alter novissimus homo, id est Adam, deputarentur. Cæterum, diversa in ordinem disponi non possunt de substantia duntaxat; de loco enim, aut tempore, aut conditione, forsitan possint. Hic autem de substantia carnis, primus et novissimus dicti sunt: sicut et rursus primus homo de terra, et secundus de cœlo; quia etsi de cœlo secundum spiritum, sed homo secundum carnem. Itaque, cum carni conveniat ordo in utroque Adam, non animæ, ut primus homo (14) in animam vivam, novissimus in spiritum vivificantem, distincti sint; æque distinctio eorum carni distinctionem præjudicavit, ut de carne sit dictum: *Non primum quod spiritale, sed quod animale, postea quod spiritale;* atque ita eadem sit et supra intelligenda, et quæ seminetur corpus animale, et quæ resurgat corpus spiritale; quia non primum quod spiritale, sed quod animale; quia primus Adam in animam, novissimus Adam in spiritum. Totum de homine; totum de carne, quando de homine. Quid ergo dicemus? Nonne et nunc habet caro spiritum ex fide?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Consurgere *Rhen. Seml.*
(2) Experitur *Fran Ven.*
(3) Intelligat *Pam. Fran.*
(4) Vivam *Pam. Fran.*
(5) Viventem *abest a Rig. Ven.* vivam *Pam. Fran.* Facta *abest a Par. Pam.*
(6) Inanimum *Seml.*
(7) Ad *inser. Rhen. Seml.*
(8) Fecit *Seml.*
(9) Ante *abest a Rhen. Seml.*
(10) Quidni quæ in animam facta est *alii vitiose.*
(11) Et quid *Rhen. Ven.*
(12) Utraque *Pam. Par. Fran.*
(13) Scilicet et carne et anima, sed carnis *Paris. Fran. Pam.* scilicet et carne et ex anima (sed carnis — sunt — homo) ex illa *Jun.*
(14) Adam *add. Fran. Pam.*

COMMENTARIUS.

CAP. LIII. — (a) *Sed enim in Lazaro*, etc. Hic de altero Lazaro loquitur, quam supra cap. 17; nempe de quo Joan. XI, ubi quæ vertit *instita* noster interpres, Auctor *vincula linea* appellat. Græce est κείρεσθαι. Accipitur autem mox *comparet* pro *manifestatus est.* PAM.

(b) *Quam quod ante animam non fuit?* Fuerat olim in Ecclesiis controversia, ut testatur Nyssenus lib. *de opif*, cap. 28, an anima fuisset prior corpore, an corpus et caro nostra prior anima; illud Origenistæ tuebantur, contra quos alii carnem præferebant animæ ob iniquitatem suam. Utrumque plene impugnat Nyssenus: prius cap. 28, adversus Origenem; posterius cap. 29, ubi sententiam hanc verissimam Tertulliani philosophice conatur probare, eamque existimationem veram putat in formationibus omnium hominum in utero, neque aliquod corpus vegetativum, vel deinde sensibile, seu animale præcedere infusioni rationalis animæ, ut plerumque ferunt philosophi, qui embryonem prius vegetativa plantarum vita, deinde sensitiva vivere ante animæ rationalis adventum arbitrantur. Sed animam rationalem putat Nyssenus adesse a principio cujusvis animationis fœtus, et ante organisationem illius, quam organisationem sibi facere ipsam animam. Verba Nysseni vide. LAC.

(c) *Alii enim accidens.* Non stricte sumit *accidens*, sed latiori modo prout substantialibus formis etiam congruit, id est, *adjacens*; quam vocem Philosophi non negant rebus substantialibus. Vel *accidens* fortasse hoc scripsit Auctor, vel *accidens* est idem quod *contingens*, quia materiæ contingit hæc vel illa forma. LAC.

Ut quærendum sit, quomodo corpus animale dicatur seminari. Plane accepit et hic spiritum (1) caro, sed arrhabonem; animæ autem non arrhabonem, sed plenitudinem. Itaque etiam propterea majoris substantiæ nomine animale corpus nuncupata est, in qua seminatur, futura proinde per plenitudinem spiritus insuper spiritale, in qua resuscitatur. Quid mirum, si magis inde vocitata est, unde conferta est, quam unde respersa (2)?

CAPUT LIV.

Ita de vocabulorum occasionibus plurimum quæstiones subornantur, sicut et de verborum communionibus. Nam, quia et illud apud Apostolum positum est: *Uti devoretur mortale a vita:* caro scilicet; devorationem quoque ad perditionem, scilicet carnis, arripiunt: quasi non bilem et dolorem dicamur devorare, id est, abscondere, ac tegere (3), et intra nosmetipsos continere. Denique, cum et illud scriptum sit: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem;* ostenditur quomodo mortale devoretur a vita, dum indutum immortalitate absconditur, et tegitur, et intus continetur; non dum absumitur, et amittitur. Ergo et mors, inquis, salva erit, cum fuerit devorata. Ideo discerne pro sensibus communionem verborum, et (*a*) integre intelliges (4). Aliud enim mors, et aliud mortale. Aliter itaque devorabitur mors, et aliter mortale. Mors non capit immortalitatem, mortale autem capit. Denique et scriptum est, quod *necesse* sit *mortale hoc induere immortalitatem.* Quomodo ergo capit? Dum devoratur a vita. Quomodo devoratur a vita? Dum recipitur, et redigitur, et (*b*) includitur in ipsam. Cæterum, mors merito in interitum (5) devoratur, quia et ipsa in hoc devorat. (*c*) Devoravit, inquit, mors invalescendo, et ideo devorata est in contentionem. (*d*) *Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua?* Proinde et vita, mortis scilicet æmula, per contentionem devorabit in salutem, quod per contentionem (6) devoraverat mors in interitum.

CAPUT LV.

Quamquam igitur resurrecturam carnem probantes, hoc ipso (*e*) non aliam resurrecturam probemus, quam de qua agitur; tamen singulæ quæstiones, et causæ earum, proprios quoque (7) flagitant congressus, licet aliunde jam cæsæ. Interpretabimur itaque plenius et vim et rationem demutationis, quæ ferme subministrat alterius carnis resurrecturæ præsumptionem; quasi demutari, desinere sit in totum, et de pristino perire. (*f*) Discernenda est autem demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio. Porro non aliud, si ita demutabitur caro, ut pereat. Peribit autem demutata, si non ipsa permanserit in demutatione (8), quæ exhibita fuerit in resurrectione. Quemadmodum enim perit, si non resurgit; ita, etsi resurgit quidem, verum in demutationem subducitur, æque perit. Æque enim non erit, ac (9) si non resurrexerit. Et quam ineptum, si in hoc resurgit, ut non sit! quæ potuit non resurrexisse, nec esse; quia non esse jam cœperat. Non (10) miscebuntur omnino diversa, mutatio atque perditio, operibus utique diversa: perdit hæc, illa mutat. Quomodo ergo, quod perditum est, mutatum non est; ita quod mutatum est, perditum non est. Perisse enim, est in totum non esse quod fuerit; mutatum esse, aliter esse est. (11) Porro, dum aliter est, idipsum potest esse: habet enim esse quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeo potest et demutari quid, et ipsum esse nihilominus; ut et totus homo in hoc ævo substantia quidem ipse sit, multifariam tamen demutetur, et habitu, et ipsa corpulentia, et valetudine, et conditione, et dignitate, et ætate, studio, negotio, artificio, facultatibus, sedibus, legibus, moribus; nec quicquam tamen amittat hominis (12); nec ita alius (13) efficiatur (14), ut cesset idem esse: imo nec alius efficiatur (15), sed aliud. Hanc formam demutationis divina etiam documenta testantur. Mutatur Mosi manus et quidem ad instar emortuæ, exsanguis, et ex albida (16) frigida; sed et recepto calore, et refuso colore, eadem caro et sanguis est. Mutatur postea et facies ejusdem, incontemplabili (17) claritate. Sed Moses erat (18) proinde, qui non videbatur. Sic et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ex fide ut quær. sit, quom. corp. anim. dic. seminari. Plane acc. et hic spiritum *repetit Seml. mendose.*
(2) Dispersa est *Rhen. Smel.*
(3) Adtegere *Rhen.*
(4) Intelligis *Rhen. Seml. Venet.*
(5) Interitu *Rhen. Seml.*
(6) Tuam *add. Rhen. perperam.*
(7) Quosque *alii.*
(8) Demutationem *Rhen. Seml.*
(9) Ac *abest a Rhen. Seml.*
(10) Nonnisi *Franc.*
(11) Sed *inser. Rhen. Seml.*
(12) Admittat hominis *Seml.*
(13) Aliud *Fran. Pam.*
(14) Efficitur *alii.*
(15) Efficitur *Rhen. Seml.*
(16) Et albida *Fran.* et exalbida *Seml.*
(17) In contemplabili. *Paris. Fran.*
(18) Erant. *Venet.*

COMMENTARIUS.

CAP. LIV. — (a) *Integre intelligis.* Cyprianus, epist. 28: *Integre et cum disciplina.* Rig.

(b) *Includitur in ipsam.* Includere eo sensu accipit, quo lib. *de Pœnitentia* dixit nonnullos negligere *includere* pœnitentiam. Sensus igitur ejus, *mortale includitur in vitam:* hispanice exprimi potest, *engastose en la vida.* Lac.

(c) *Devoravit, inquit, mors invalescendo.* Nescio quem locum Scripturæ respiciat Auctor; nisi forte respiciat cap. V Rom.: *In omnes homines mors pertransiit,* ut putat Pamelius. Credo legendum potius *invadendo,* quam *invalescendo.* Lac.

(d) *Ubi est mors aculeus tuus?* Illud idem habet cap. 47, ubi ut hoc in loco scribit, *ubi est mors contentio tua?* Melius tamen vertit vulgatus interpres *victoria, νίκη* vel *νῖκος* græce. Le Pr.

CAP. LV. — (e) *Non aliam resurrecturam probemus,* etc. Valentinianos urget hic; hujus tantum carnis resurrectionem negabant, non autem alterius. Le Pr.

(f) *Discernenda autem est demutatio,* etc. Negabantur Marcionitæ *demutari* idem esse ac *perire,* ideoque

Stephanus angelicum jam fastigium induerat, sed non alia genua lapidationi (1) succiderant. Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat, (*a*) sed liniamenta Petro agnoscibilia servaverat: ubi etiam Moyses et Helias, (*b*) alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ, eamdem tamen habitudinem corporis etiam in gloria perseverare docuerant. De quo exemplo instructus et Paulus: *Qui transfigurabit* (2), inquit, *corpus humilitatis nostræ, conformale corpori gloriæ suæ*. Quod si et (3) transfigurationem et conversionem in transitum substantiæ (*c*) cujusque defendis, ergo et Saul in alium virum conversus, de corpore suo (4) excessit, et ipse Satanas, cum in angelum lucis transfiguratur, qualitatem suam amittit: non opinor. Ita et in resurrectionis eventum (5) mutari, converti, reformari licebit cum salute substantiæ.

CAPUT LVI.

Etenim quam absurdum, quam vero et iniquum (6), utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede (7) dispungi; ut hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur; item e contrario, hæc quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur! Nonne præstat omnem semel fidem a spe resurrectionis abducere, quam de gravitate atque justitia Dei ludere? Marcionem pro Valentino resuscitari! quando neque mentem, neque memoriam, neque conscientiam hominis hodierni credibile sit aboleri per indumentum illud mutatorium immortalitatis et incorruptelæ, vacaturo scilicet emolumento et fructu resurrectionis, et statu divini utrobique judicii. Si non meminerim me esse qui merui, quomodo gloriam Deo dicam? quomodo canam illi novum canticum, nesciens me esse qui gratiam Deo (8) debeam? Cur autem solius carnis demutatio excipitur, non et animæ simul, quæ in omnibus præfuit carni? quale est, ut (9) eadem anima, quæ in hac carne totum vitæ ordinem decucurrit, quæ in hac carne Deum didicit, et Christum induit, et spem salutis seminavit, in alia, nescio qua, metat fructum? Næ illa gratiosissima caro, cui gratis vita constabit. Quod si non et anima mutabitur, jam nec animæ resurrectio est; nec ipsa enim resurrexisse credetur, si non alia resurrexerit.

CAPUT LVII.

Hinc jam illa vulgaris incredulitatis argutia (10) est: Si, inquiunt, ipsa eadamque substantia revocatur cum sua forma, linea, qualitate, ergo et cum insignibus suis reliquis: itaque et cæci, et claudi, et paralytici, et (11) ut quis insignis excesserit (*d*), ita et revertetur. Quid nunc? et si ita, dedignaris tantam gratiam qualiscumque a Deo consequi? Non enim et nunc, animæ solius admittens salutem, dimidiatis hominibus eamdem (12) adscribis? Quid est credere resurrectionem, nisi integram credere? Si enim caro de dissolutione reparabitur, multo magis de vitiatione (13) revocabitur. Minoribus majora præscribunt. Cujuscumque membri detruncatio, vel obtusio, nonne mors membri est? Si universalis mors resurrectione rescinditur, quid portionalis? (*e*) Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem! Vitiatio corporum accidens res est; integritas propria est: in hac nascimur. Etiamsi in utero vitiemur (14), jam hominis est passio. Prius est genus, quam casus. Quomodo vita confertur a Deo, ita et refertur. Quales eam accipimus, tales et recipimus. Naturæ, non injuriæ reddimur. Quod nascimur, non quod lædimur, reviviscimus. Si non integros Deus suscitat, non suscitat mortuos. Quis enim mortuus integer, etsi integer moritur? Quis incolumis, qui exanimis? quod corpus inlæsum, cum interemptum, cum frigidum, cum expallidum, cum edurum, cum cadaver? (*f*) Quando magis homo debilis, nisi cum totus? quando magis paralyticus, nisi cum immobilis? Ita, nihil aliud est mortuum resuscitari, quam integrum fieri; ne ex ea parte mortuus adhuc sit, ex qua non resurrexerit. Idoneus Deus

LECTIONES VARIANTES.

(1) In lapidatione *Paris. Fran.*
(2) Transfiguravit *Venet.*
(3) Etsi *Rhen. Seml.*
(4) Suo *del. Rig. Venet.*
(5) Eventu *alii.*
(6) Ethnicum *alii mendose.*
(7) Mercedem *Rhen. Seml.*
(8) Deo *del. Rhen. Seml.*
(9) Ut *ubest a Rhen.*
(10) Illæ vulgaris in argutiæ *alii*
(11) Etsi *cæteri omnes.*
(12) Eadem *Rhen. Seml.*
(13) Vexatione *omnes præter Junium.*
(14) Vexemur *Rhen. Rig. Venet.*

COMMENTARIUS.

carnem, quam habemus, fruituram non esse gloria resurrectionis, quoniam immutari debet, ut docet Apostolus. LE PR.

(a) *Sed liniamenta Petro agnoscibilia.* Transfiguratio Christi norma fuit resurrectionis nostræ; quare quisque lineamenta et formam suam reservabit, qua cognosci queat, cujus rationes reddit Justinus quæst. 60. LAC.

(b) *Alter in imagine carnis nondum receptæ.* Hæc Tertulliani sententia probatur a S. Thoma in *commentariis in Matth.* et 3 p. q. 45, art. 3 ad. 2; Lira *in Matth.* XVII, Abulensi *quæst.* 54 et 55. Tametsi Patrum et Interpretum plura suffragia suadeant etiam Moysen in veritate suæ carnis apparuisse, qui e mortuis ad tempus illud resurrexit. Approbat hanc sententiam Epiphanius ex Proclo et Methodio; August. lib. III de mirab. script. c. 10; Hieronymus in cap. XVII *Matth.* LAC.

(c) *In transitum substantiæ. Transitum* hic dicit Auctor quod antea, hoc capite, non semel *perditionem*; sicut *transitum* mortem appellare solemus. Quod confirmatur ex eo quod addit: *Ergo et Saul, in alium virum conversus, de corpore suo excessit.* PAM.

CAP. LVII. — (d) *Ut quis insignis excesserit.* Vox *insignis* pro *deformi* nonnunquam usurpatur, perinde ac græcis ἐκτερμος. LE PR.

(e) *Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem.* Hæc erit corporum mutatio in resurrectione, ut non quales mortui fuerint, resurgant, sed qualis erat primus parens antequam vetitum fructum attingeret. LE PR.

(f) *Quando magis homo debilis nisi cum totus?* Hoc est, *cum totus est debilis.* RIG.

Ut quærendum sit, quomodo corpus animale dicatur seminari. Plane accepit et hic spiritum (1) caro, sed arrhabonem; animam autem non arrhabonem, sed plenitudinem. Itaque etiam propterea majoris substantiæ nomine animale corpus nuncupata est, in qua seminatur, futura proinde per plenitudinem spiritus insuper spiritale, in qua resuscitatur. Quid mirum, si magis inde vocitata est, unde conferta est, quam unde respersa (2)?

CAPUT LIV.

Ita de vocabulorum occasionibus plurimum quæstiones subornantur, sicut et de verborum communionibus. Nam, quia et illud apud Apostolum positum est: *Uti devoretur mortale a vita:* caro scilicet; devorationem quoque ad perditionem, scilicet carnis, arripiunt: quasi non bilem et dolorem dicamur devorare, id est, abscondere, ac tegere (3), et intra nosmetipsos continere. Denique, cum et illud scriptum sit: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem;* ostenditur quomodo mortale devoretur a vita, dum indutum immortalitate absconditur, et tegitur, et intus continetur; non dum absumitur, et amittitur. Ergo et mors, inquis, salva erit, cum fuerit devorata. Ideo discerne pro sensibus communionem verborum, et (*a*) integre intelliges (4). Aliud enim mors, et aliud mortale. Aliter itaque devorabitur mors, et aliter mortale. Mors non capit immortalitatem, mortale autem capit. Denique et scriptum est, quod *necesse* sit *mortale hoc induere immortalitatem.* Quomodo ergo capit? Dum devoratur a vita. Quomodo devoratur a vita? Dum recipitur, et redigitur, et (*b*) includitur in ipsam. Cæterum, mors merito in interitum (5) devoratur, quia et ipsa in hoc devorat. (*c*) Devoravit, inquit, mors invalescendo, et ideo devorata est in contentionem. (*d*) *Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua?* Proinde et vita, mortis scilicet æmula, per contentionem devorabit in salutem, quod per contentionem (6) devoraverat mors in interitum.

CAPUT LV.

Quamquam igitur resurrecturam carnem probantes, A hoc ipso (*e*) non aliam resurrecturam probemus, quam de qua agitur; tamen singulæ quæstiones, et caussæ earum, proprios quoque (7) flagitant congressus, licet aliunde jam cæsæ. Interpretabimur itaque plenius et vim et rationem demutationis, quæ ferme subministrat alterius carnis resurrecturæ præsumptionem; quasi demutari, desinere sit in totum, et de pristino perire. (*f*) Discernenda est autem demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio. Porro non aliud, si ita demutabitur caro, ut pereat. Peribit autem demutata, si non ipsa permanserit in demutatione (8), quæ exhibita fuerit in resurrectione. Quemadmodum enim perit, si non resurgit; ita, etsi resurgit quidem, verum in demutationem subducitur, æque perit. Æque enim non erit, B ac (9) si non resurrexerit. Et quam ineptum, si in hoc resurgit, ut non sit! quæ potuit non resurrexisse, nec esse; quia non esse jam cœperat. Non (10) miscebuntur omnino diversa, mutatio atque perditio, operibus utique diversa: perdit hæc, illa mutat. Quomodo ergo, quod perditum est, mutatum non est; ita quod mutatum est, perditum non est. Perisse enim, est in totum non esse quod fuerit; mutatum esse, aliter esse est. (11) Porro, dum aliter est, idipsum potest esse: habet enim esse quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeo potest et demutari quid, et ipsum esse nihilominus; ut et totus homo in hoc ævo substantia quidem ipse sit, multifariam tamen demutetur, et habitu, et ipsa corpulentia, et valetudine, et condi- C tione, et dignitate, et ætate, studio, negotio, artificio, facultatibus, sedibus, legibus, moribus; nec quicquam tamen amittat hominis (12); nec ita alius (13) efficiatur (14), ut cesset idem esse: imo nec alius efficiatur (15), sed aliud. Hanc formam demutationis divina etiam documenta testantur. Mutatur Mosi manus et quidem ad instar emortuæ, exsanguis, et ex albida (16) frigida; sed et recepto calore, et refuso colore, eadem caro et sanguis est. Mutatur postea et facies ejusdem, incontemplabili (17) claritate. Sed Moses erat (18) proinde, qui non videbatur. Sic et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ex fide ut quær. sit, quom. corp. anim. dic. seminari. Plane acc. et hic spiritum *repetit Seml. mendose.*
(2) Dispersa est *Rhen. Smel.*
(3) Adtegere *Rhen.*
(4) Intelligis *Rhen. Seml. Venet.*
(5) Interitu *Rhen. Seml.*
(6) Tuam *add. Rhen. perperam.*
(7) Quosque *alii.*
(8) Demutationem *Rhen. Seml.*
(9) Ac *abest a Rhen. Seml.*
(10) Nonnisi *Franc.*
(11) Sed *inser. Rhen. Seml.*
(12) Admittat hominis *Seml.*
(13) Aliud *Fran. Pam.*
(14) Efficitur *alii.*
(15) Efficitur *Rhen. Seml.*
(16) Et albida *Fran.* et exalbida *Seml.*
(17) In contemplabili. *Paris. Fran.*
(18) Erant. *Venet.*

COMMENTARIUS.

CAP. LIV. — (a) *Integre intelligis.* Cyprianus, epist. 28: *Integre et cum disciplina.* Ric.

(b) *Includitur in ipsam.* Includere eo sensu accipit, quo lib. *de Pœnitentia* dixit nonnullos negligere *includere* pœnitentiam. Sensus igitur ejus, *mortale includitur in vitam:* hispanice exprimi potest, *engastose en la vida.* Lac.

(c) *Devoravit, inquit, mors invalescendo.* Nescio quem locum Scripturæ respiciat Auctor; nisi forte respiciat cap. V Rom.: *In omnes homines mors pertransiit,* ut putat Pamelius. Credo legendum potius *invadendo,* quam *invalescendo.* Lac.

(d) *Ubi est mors aculeus tuus?* Illud idem habet cap. 47, ubi ut hoc in loco scribit, *ubi est mors contentio tua?* Melius tamen vertit vulgatus interpres *victoria,* νίκη vel νῖκος græce. Le Pr.

CAP. LV. — (e) *Non aliam resurrecturam probemus,* etc. Valentinianos urget hic; hujus tantum carnis resurrectionem negabant, non autem alterius. Le Pr.

(f) *Discernenda autem est demutatio,* etc. Negabantur Marcionitæ *demutari* idem esse ac *perire,* ideoque

Stephanus angelicum jam fastigium induerat, sed non alia genua lapidationi (1) succiderant. Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat, (*a*) sed liniamenta Petro agnoscibilia servaverat: ubi etiam Moyses et Helias, (*b*) alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ, eamdem tamen habitudinem corporis etiam in gloria perseverare docuerant. De quo exemplo instructus et Paulus: *Qui transfigurabit* (2), inquit, *corpus humilitatis nostræ, conformale corpori gloriæ suæ*. Quod si et (3) transfigurationem et conversionem in transitum substantiæ (*c*) cujusque defendis, ergo et Saul in alium virum conversus, de corpore suo (4) excessit, et ipse Satanas, cum in angelum lucis transfiguratur, qualitatem suam amittit: non opinor. Ita et in resurrectionis eventum (5) mutari, converti, reformari licebit cum salute substantiæ.

CAPUT LVI.

Etenim quam absurdum, quam vero et iniquum (6), utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede (7) dispungi; ut hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur; item e contrario, hæc quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur! Nonne præstat omnem semel fidem a spe resurrectionis abducere, quam de gravitate atque justitia Dei ludere? Marcionem pro Valentino resuscitari! quando neque mentem, neque memoriam, neque conscientiam hominis hodierni credibile sit aboleri per indumentum illud mutatorium immortalitatis et incorruptelæ, vacaturo scilicet emolumento et fructu resurrectionis, et statu divini utrobique judicii. Si non meminerim me esse qui merui, quomodo gloriam Deo dicam? quomodo canam illi novum canticum, nesciens me esse qui gratiam Deo (8) debeam? Cur autem solius carnis demutatio excipitur, non et animæ simul, quæ in omnibus præfuit carni? quale est, ut (9) eadem anima, quæ in hac carne totum vitæ ordinem decucurrit, quæ in hac carne Deum didicit, et Christum induit, et spem salutis seminavit, in alia, nescio qua, metat fructum? Næ illa gratiosissima caro, cui gratis vita constabit. Quod si non et anima mutabitur, jam nec animæ resurrectio est; nec ipsa enim resurrexisse credetur, si non alia resurrexerit.

CAPUT LVII.

Hinc jam illa vulgaris incredulitatis argutia (10) est: Si, inquiunt, ipsa eadamque substantia revocatur cum sua forma, linea, qualitate, ergo et cum insignibus suis reliquis: itaque et cæci, et claudi, et paralytici, et (11) ut quis insignis excesserit (*d*), ita et revertetur. Quid hunc? et si ita, dedignaris tantam gratiam qualiscumque a Deo consequi? Non enim et nunc, animæ solius admittens salutem, dimidiatis hominibus eamdem (12) adscribis? Quid est credere resurrectionem, nisi integram credere? Si enim caro de dissolutione reparabitur, multo magis de vitiatione (13) revocabitur. Minoribus majora præscribunt. Cujuscumque membri detruncatio, vel obtusio, nonne mors membri est? Si universalis mors resurrectione rescinditur, quid portionalis? (*e*) Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem! Vitiatio corporum accidens res est; integritas propria est: in hac nascimur. Etiamsi in utero vitiemur (14), jam hominis est passio. Prius est genus, quam casus. Quomodo vita confertur a Deo, ita et refertur. Quales eam accipimus, tales et recipimus. Naturæ, non injuriæ reddimur. Quod nascimur, non quod lædimur, reviviscimus. Si non integros Deus suscitat, non suscitat mortuos. Quis enim mortuus integer, etsi integer moritur? Quis incolumis, qui exanimis? quod corpus inlæsum, cum interemptum, cum frigidum, cum expallidum, cum edurum, cum cadaver? (*f*) Quando magis homo debilis, nisi cum totus? quando magis paralyticus, nisi cum immobilis? Ita, nihil aliud est mortuum resuscitari, quam integrum fieri; ne ex ea parte mortuus adhuc sit, ex qua non resurrexerit. Idoneus Deus

LECTIONES VARIANTES.

(1) In lapidatione *Pæris. Fran.*
(2) Transfiguravit *Venet.*
(3) Etsi *Rhen. Seml.*
(4) Suo *del. Rig. Venet.*
(5) Eventu *alii.*
(6) Ethnicum *alii mendose.*
(7) Mercedem *Rhen. Seml.*
(8) Deo *del. Rhen. Seml.*
(9) Ut *abest a Rhen.*
(10) Illæ vulgaris in argutiæ *alii*
(11) Etsi *cæteri omnes.*
(12) Eadem *Rhen. Seml.*
(13) Vexatione *omnes præter Junium.*
(14) Vexemur *Rhen. Rig. Venet.*

COMMENTARIUS.

carnem, quam habemus, fruituram non esse gloria resurrectionis, quoniam immutari debet, ut docet Apostolus. LE PR.

(a) *Sed liniamenta Petro agnoscibilia.* Transfiguratio Christi norma fuit resurrectionis nostræ; quare quisque lineamenta et formam suam reservabit, qua cognosci queat, cujus rationes reddit Justinus quæst. 60. LAC.

(b) *Alter in imagine carnis nondum receptæ.* Hæc Tertulliani sententia probatur a S. Thoma in *commentariis in Matth.* et 3 p. q. 45, art. 3 ad. 2; Lira *in Matth.* XVII, Abulensi *quæst.* 54 et 55. Tametsi Patrum et Interpretum plura suffragia suadeant etiam Moysen in veritate suæ carnis apparuisse, qui e mortuis ad tempus illud resurrexit. Approbat hanc sententiam Epiphanius ex Proclo et Methodio; August. lib. III de mirab. script. c. 10; Hieronymus in cap. XVII *Matth.* LAC.

(c) *In transitum substantiæ. Transitum* hic dicit Auctor quod antea, hoc capite, non semel *perditionem;* sicut *transitum* mortem appellare solemus. Quod confirmatur ex eo quod addit: *Ergo et Saul, in alium virum conversus, de corpore suo excessit.* PAM.

CAP. LVII. — (d) *Ut quis insignis excesserit.* Vox *insignis* pro *deformi* nonnunquam usurpatur, perinde ac græcis ἐπίσημος. LE PR.

(e) *Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem.* Hæc erit corporum mutatio in resurrectione, ut non quales mortui fuerint, resurgant, sed qualis erat primus parens antequam vetitum fructum attingeret. LE PR.

(f) *Quando magis homo debilis nisi cum totus?* Hoc est, *cum totus est debilis.* RIG.

reficere quod fecit. Hanc suam et potestatem et liberalitatem satis jam in Christo spopondit, imo et ostendit non tantum resuscitatorem carnis, verum etiam redintegratorem. Atque adeo et Apostolus : *Et mortui*, inquit (I *Cor.*, XV), *resurgent incorrupti*. Quomodo, nisi integri, qui retro corrupti, (*a*) tam vitio valetudinis, quam et senio sepulturæ? Nam et supra, utrumque proponens, oportere et corruptivum istud induere incorruptelam, et mortale istud immortalitatem, non iteravit sententiam, sed differentiam demandavit. Immortalitatem enim ad rescissionem mortis, incorruptelam ad obliterationem corruptelæ dividendo, alteram ad resurrectionem, alteram ad redintegrationem temperavit. Puto autem, et Thessalonicensibus omnis substantiæ integritatem repromisit. Itaque nec in posterum timebuntur corporum labes. Nihil poterit amittere (1) integritas, vel conservata, vel restituta, ex quo illi etiam, si quid amiserat, redditur. Præscribens enim adhuc (2) easdem passiones obituram carnem, si eadem resurrectura dicatur, naturam adversus Dominum suum temere defendis, legem adversus gratiam impie asseris : quasi Domino Deo (3) non liceat et mutare naturam, et sine lege servare. Quomodo (4) ergo legimus (*Matt.*, XIX) : «*Quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum sunt* (5), et (I *Cor.*, I), *Stulta mundi elegit Deus, ut sapientiam mundi confundat?*» Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ flagellis et compedibus, et stigmatibus, obnoxiæ retro fuerant, idcircone illa (6) eadem pati oportebit? Non opinor. Atquin et vestis albæ nitore, et (*b*) aurei annuli honore, et (*c*) patroni nomine, ac tribu mensaque honoratur. Permitte hanc et Deo potestatem, per vim demutationis illius (7) conditionem, non naturam reformandi, dum et passiones auferuntur, et munitiones conferuntur. Ita manebit quidem caro etiam post resurrectionem, eatenus passibilis qua ipsa, qua eadem; ea (8) tamen impassibilis, qua in hoc ipsum manumissa a Domino, ne ultra pati possit

CAPUT LVIII.

Jocunditas (9), inquit Esaias (*Is.*, XXXV), *æterna super caput eorum*. Nihil æternum, nisi post resurrectionem. *Aufugit*, inquit, *dolor et mœror, et gemitus, ab illis*. Proinde et Joanni Angelus (*Apoc.*, XVII) : *Et delebit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*. Utique ex iisdem oculis qui retro fleverant, quique adhuc flere potuissent, si non omnem lacrymæ imbrem indulgentia divina siccaret. Et rursus (*Apoc.*, XI) : *Deus enim delebit omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors hactenus*. Igitur et corruptela hactenus; proinde per incorruptelam fugata, quemadmodum mors (10) per immortalitatem. Si dolor, et mœror, et gemitus, ipsaque mors ex læsuris et animæ et carnis obvenient, quomodo auferentur, nisi cessaverint caussæ, scilicet læsuræ carnis atque animæ? ubi casus adversi apud Deum (11), aut ubi incursus infesti apud Christum? ubi dæmonici (12) impetus apud Spiritum Sanctum, jam et ipso diabolo cum angelis suis ignibus merso? Ubi necessitas, aut quod dicitur fortuna, vel fatum? quæ resuscitatis plaga post veniam? quæ reconciliatis ira post gratiam? quæ infirmitas post virtutem? quæ imbecillitas post salutem? (*d*) Quod vestimenta et calciamenta filiorum Israelis quadraginta illis annis indetrita et inobsoleta manserunt; quod et in ipsis corporibus unguium et capillorum facilia crementa habilitatis et dignitatis justitia defixit, ne etiam enormitas corruptelæ (13) deputaretur : quod Babylonii ignes, trium fratrum (*e*) nec tiaras, nec saralaras (14), quamquam Judæis alienas (15), læserunt; quod Jonas devoratus a bellua maris, in cujus alvo naufragia digerebantur, triduo post incolumis expuitur; quod hodie

LECTIONES VARIANTES.

(1) Admittere *Rhen. Seml.*
(2) Ad hoc *Rhen Seml.*
(3) Deo *omitt. Rhen. Seml.*
(4) Quo *Rhen. Seml.*
(5) Sunt *omitt. Rhen. Seml.*
(6) Illos *Fran.* illas *Pam.*
(7) Illius demutationis *Rig. Venet.*
(8) Et *Fran.*
(9) Jucunditas *Venet.*
(10) Mors *abest. a Rhen.*
(11) Dominum *Rhen. Seml.*
(12) Dæmoniaci *Rig. Venet.*
(13) Corruptela *Rhen. Seml.*
(14) Saralara *Rig. Venet* saralocas *alii. Sarabas Rhen.* Saraballa *alii.*
(15) Aliena *Rig. Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Tam vitio valetudinis*, etc. Consentiens est Theologorum opinio, resurrecturos homines totos et integros; licet enim mutili mortui fuerint, mutilatio illa restaurabitur : ita Augustinus lib. XXII *de Civ.* cap. 19 et 20 : *Nec si aliqua martyribus amputata, et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est : capillus capitis vestri non peribit.* Porro Basilius Seleuciensis a restauratione membri hominis, totius resurrectionem colligit *orat.* 14, quæ est *in claudum sedentem ad portam speciosam*, ubi adversus Judæos : ἀνεκτάστως ἀνδριαντὰ τὸν χωλὸν ἐχάλκευσε, γλώττῃ ψευδομέναις ἀληθεύοντας ἀντιστρέφειν πόδας. *Resurrectionem in claudo seu in imagine adumbravit, linguisque mendacibus veraces pedes opposuit.* Le Pr.

(b) *Aurei annuli honore.* Dignitatis equestris erat prærogativa, quæ tamen adeo viluit, ut non modo liberti qui ad equestrem illum gradum evehebantur, illos annulos assumerent, verum ad infimam plebem id sensim prolapsum est. Le Pr.

(c) *Patroni nomine ac tribu mensaque*, etc. Servi heros et dominos, liberti patronos vocabant, eumque manumittebantur, binis nominibus tertium patroni præfigebant : solebant etiam in tribus urbanas referri qui libertate donabantur, et mensæ assidebant patronorum, quod non nisi manumissi audebant. Le Pr.

CAP. LVIII. — (d) *Quod vestimenta et calciamenta filiorum Israelis*, etc. Cur, inquit, Israelitici populi vestes per an. 40 in deserto non attritæ sunt, nisi ut incorrupta viderentur, credenturque a corruptione immunia, ita disponente Deo? De hoc miraculo egi in *animadv. in Prædamitas*, sub Eusebii Romani nomine, contra Peyrerii perversam sententiam, qui Scripturæ miracula non sine scelere et amentia deridet. Le Pr.

(e) *Nec Tiaras nec Sarabara.* Vox est persica Tiaras, ut Sarabara forsan Chaldaica. De hac lib. de Pallio, cap. 4. Le Pr.

Enoch et Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, qua tamen de orbe translati, et hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia immunitatem (1) carnis ediscunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documenta? Figuræ enim nostræ fuerunt, Apostolo auctore, quæ scripta sunt, ut et Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, et carnis magis utique (2) conservatorem, cujus etiam vestimenta, etiam calciamenta (3) protexit.

CAPUT LIX.

Sed futurum, inquis, ævum alterius est dispositionis et æternæ; igitur hujus ævi substantiam non æternam diversa possidere non posse. Plane, si homo propter dispositionem futuram, et non dispositio propter hominem. Sedenim Apostolus scribens (I *Cor.*, III, 22): *Sive mundus, sive vita, sive mors, sive futura, sive præsentia, omnia vestra sunt*, eosdem constituit hæredes etiam futurorum. Nihil tibi largitur Esaias dicens (*Is.*, XL, 5, 6): *Omnis caro fœnum;* et alibi : *Et videbit omnis caro salutare Domini* (4). Exitus, non substantias distinxit. Quis enim judicium Dei non in sententia duplici statuit, salutis et pœnæ? Omnis igitur caro fœnum, quæ igni destinatur; et omnis caro videbit salutare Domini (5), quæ saluti ordinatur. Ego me scio neque alia carne adulteria commisisse (*a*), neque nunc alia carne ad continentiam emiti. Si quis est bina pudenda circumferens, potest jam et demere fœnum carnis immundæ, et solam sibi reservare, quæ visura sit Domini (6) salutare. Sed cum idem Prophetes etiam nationes ostendat, nunc deputatas velut pulverem et salivam, nunc speraturas et credituras in nomen et in brachium Domini, numquid et de nationibus fallimur? et aliæ quidem sunt credituræ, aliæ in pulverem deputatæ, ex diversitate substantiæ? (*b*) Sed et Christus intra oceanum, et de isto cœlo quod nobis incubat (7), verum lumen nationibus offulsit (8); et ipsi Valentiniani hic errare didicerunt; nec alia erit forma nationum credentium, nisi quæ et non credentium, de carne, de anima. Sicut ergo easdem nationes non genere, sed sorte distinxit; ita et carnes, quæ in ipsis nationibus una substantia est, non materia, sed mercede disjunxit.

CAPUT LX.

Ecce autem, ut adhuc controversiam exaggerent (9), carni maxime eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut et ipsa dicentes permanere debere in suis operibus et fructibus, ut eidem corpulentiæ adscripta; aut, quia constet discessura esse officia membrorum, corpulentiam quoque eradant : cujus scilicet perseverantia credenda non sit utique sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. Quo enim jam, inquiunt, spelunca hæc oris, et dentium statio, et gulæ lapsus, et (*c*) compitum stomachi, et alvi gurges, et intestinorum perplexa proceritas, cum esui et potui locus non erit? Quo hujusmodi membra admittunt, subigunt, devolvunt, dividunt, digerunt, egerunt? quo manus ipsæ et pedes et operarii quique artus, cum victus etiam cura cessabit? quo renes conscii seminum, et reliqua genitalium utriusque sexus, et conceptuum stabula, et uberum fontes, decessuro (10) concubitu, et fœtu, et educatu? postremo, quo totum corpus, totum scilicet vacaturum? At hæc ergo præstruximus, non oportere committi futurorum atque præsentium dispositiones, intercessura tunc demutatione : et nunc superstruimus officia ista membrorum necessitatibus vitæ hujus eo usque consistere, donec et ipsa vita transferatur a temporalitate in æternitatem, sicut animale corpus in spiritale, dum *mortale istud induet immortalitatem, et corruptivum istud incorruptelam* (I *Cor.* XV); et ipsa autem liberata tunc vita a necessitatibus, liberabuntur et membra ab officiis; nec ideo non erunt necessaria. Licet enim officiis liberentur, (*d*) sed judiciis retinentur; ut *quis referat per corpus, prout gessit* (II *Cor.* V). Salvum enim ho-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Emunitatem *cod. Pithœ. Rig. Venet.*
(2) Et *add. Rhen.*
(3) Calceamenta *Seml.*
(4, 5, 6) Dei *Pam. Fran. Rig. Venet.*
(7) Incumbat *Rhen. Seml.*
(8) Effulsit *Pam. Fran. Paris.*
(9) Exaggeraut *Rhen. Seml.*
(10) Desessuro *Rig. Venet.* discessuro *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. LIX. — (a) *Ego me scio neque alia carne adulteria commisisse*, etc. Si de se loquatur Auctor, videtur in juventute sua ante matrimonium continentiam non servasse : sed cum in ipso matrimonio continentem fuisse subindicaverimus supra, lib. I *ad Uxorem*, et usque adeo continentiæ amator fuerit, ut ea occasione Montano postea adhæserit, videtur potius in genere loqui de quovis homine sub persona sua. PAM.

(b) *Sed et Christus intra oceanum, et de isto cœlo quod nobis incubat.* Hoc etiam delirabant Valentitiani, quod extra hunc ambitum terræ alios homines esse dicerent, ac diversæ substantiæ, eosque veros, teletos et abascantos et acinetos. Nostrates enim veros homines non esse, quos Demiurgus stillicidium situlæ, et pulverem areæ, et locustas deputavit. Qua de re Septimius noster apertius disputat lib. *de Scorpiace.* Ad hæc vero deliramenta non pertinere arbitror quod legitur in prima Clementis ad Corinthios Epistola de mundis extra oceanum positis, quos ἀπεράντους esse ait. Nam hoc viro Apostolico geographiæ potius imperitia exciderit, quam ullius dogmatis adserendi studio. RIG. — Ejusdem nobiscum naturæ fuit Christus; neque enim, quod hæreticorum commentum, carnem e cœlo, aut mundo præter Oceani terminos, traxit. LE PR.

CAP. LX. — (c) *Compitum stomachi.* Compitum stomachi vocat conventiculum et receptaculum; quod in hoc videlicet conveniat quidquid eduliorium per os inmittitur. Sumpta est metaphora ab iis viis competentibus ac convenientibus; nam hinc *compitum* deducunt Grammatici. RHEN.

(d) *Sed judiciis retinentur.* Sæpissime nititur Auctor hac ratione ad fulciendam resurrectionem, præcipue cap. 14; cui licet plurimum fidant Patres, et merito, Athenagoras, qui plenius eam persequitur, minus dedit, affert tres rationes ad probationem resurrectionis, sed huic de necessitate judicii divini derogavit

minem tribunal Dei exigit; salvum vero sine membris non licet (1) eum, ex quorum non officiis, sed substantiis constat. Nisi forte, et navem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate salvam adseverabis. (*a*) Et tamen navem procella dissipatam, vel carie dissolutam, redactis et recuratis omnibus membris, eamdem sæpe conspeximus etiam titulo restitutionis gloriantem. De Dei artificio, et arbitrio, et jure, torquemur? Porro, si dives Dominus et liberalis, adfectui aut gloriæ suæ præstans solam navis restitutionem, hactenus eam voluerit operari, idcirco tu (2) negabis necessariam illi compaginem pristinam, ut exinde jam vacaturam, cum soli saluti navis sine operatione conveniat? Igitur hoc tantummodo discere sufficit, an Dominus, hominem saluti destinando, carnem destinarit, an eamdem velit denuo esse, quam non debebis ex (3) futura membrorum vacatione præscribere denuo esse non posse. Licet enim esse quid denuo, et nihilominus vacare; nec potest autem dici vacare, si non sit. At enim si sit, poterit et non vacare: nihil enim apud Deum vacabit.

A

B

CAPUT LXI.

Sed accepisti, homo, os ad vorandum atque potandum: cur non potius ad eloquendum, ut a cæteris animalibus distes? cur non potius ad prædicandum Deum, ut etiam hominibus antistes? Denique, Adam ante nomina animalibus enuntiavit, quam de arbore decerpsit; ante etiam prophetavit, quam voravit. (*b*) Sed accepisti dentes ad macellum corrodendum (4): cur non potius ad omnem hiatum et rictum tuum coronandum? cur non potius ad pulsus linguæ temperandos (5), ad vocis articulos offensione signandos? Denique et edentulos (6) audi et vide, ut horrori (7) oris, et organum dentium quæras. Forata sunt inferna in viro et in fœmina, nimirum qua libidines fluitent: cur non magis qua potuum defruta (8) colentur (*c*)? Est adhuc (9) fœminis intus, quo semina congerantur: an quo sanguinis onera secedant, quem pigrior sexus discutere non sufficit? (*d*) Dicenda enim et hæc, quatenus, quæ volunt et quorum volunt, et qualiter volunt (10), officia membrorum ludibriose, de industria suffundendæ resurrectionis, oblatrant; non recogitantes, ipsas prius caussas necessitatis tunc vacaturas, cibi famem, et potus sitim, et concubitus genituram, et operationis victum. Sublata enim morte, neque victus fulcimenta ad præsidia vitæ, neque generis supparatura gravis erit membris. Cæterum, et hodie vacare intestinis et pudendis licebit. Quadraginta diebus Moses et Helias jejunio functi, solo Deo alebantur. Jam tunc enim dedicabatur, *Non in pane vivet homo, sed in Dei verbo* Ecce virtutis futuræ liniamenta. Nos quoque, ut possumus, os cibo excusamus; etiam sexum a congressione subducimus. Quot spadones voluntarii? quot virgines Christo maritatæ? quot steriles utriusque naturæ, infructuosis genitalibus structi? Nam si et hic (11) jam vacare est et officia et emolumenta membrorum temporali vacatione, ut in temporali dispositione, nec homo tamen minus salvus est; proinde homine salvo, et quidem magis tunc, ut in æterna dispositione, magis non desiderabimus, quæ jam hic non desiderare consuevimus.

C

CAPUT LXII.

Sed huic disceptationi finem Dominica pronuntiatio imponit. (*e*) *Erunt*, inquit (*Matth.* XXII), *tanquam angeli*. Si non nubendo, quia nec moriendo, utique nec ulli (*f*) simili necessitati succidendo corporalis

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Liquet *cod. Wouw. Rig. Venet.*
(2) Tunc *Rhen.*
(3) Et *rhen. Seml.*
(4) Coornandum *Ms. angl. Pam.*
(5) Temporandos *Fran. Pam.*
(6) Et edentulos *omitt. Seml.*
(7) Honorem *Rig. Venet. Seml.*
(8) Defluxura *Rhen. Seml.*
(9) In *add. Pam. Fran.*
(10) Et qualiter volunt, et quorum volunt *Pam. Rhen. Seml.*
(11) Nam *abest. a Pam. Paris. Fran.* nam etsi hic *Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

nonnihil. Verum secunda ejus ratio ex natura ipsa hominis, multo minus virium habet, neque prima ex fine, cui Deus creavit hominem, majoris ponderis est, etsi minime inefficacem censeam. Pam.

(a) *Et tamen navem procella dissipatam.* Alteni quoque sententia fuit, navem, si adeo sæpe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret quæ non nova fuisset, nihilominus eamdem navem esse existimari. L. Propœnebatur De jud. Itaque Athenienses, quo tempore Socrati cicutas miscuere, navem quotannis in Delon transmitti solitam eam ipsam esse dicebant, qua majores suos Theseus in Cretam vexerat. τοῦτο ἐστι τὸ πλοῖον, ὃ φασιν Ἀθηναῖοι, etc., inquit Platonicus *Phædon*. Rig.

CAP. LXI. — (b) *Sed accepisti dentes ad macellum corrodendum.* Quemadmodum Menius ille Horatianus.

Pernicies et tempestas barathrumque macelli. Rig.

(c) *Qua potuum defruta colentur.* Prima editio, *qua defluxura colentur*, magnopere placet Junio, qui miratur admissam alteram lectionem, cum tamen significantius sit *defruta*; nam potus decoctus colatur per infernos meatus. Defrutum enim est vinum decoctum a defervendo dictum, ut Palladius inquit, usque ad medietatem juxta Plinium: vel, juxta Nonium, dicebant defrutum, *si ex duabus partibus ad tertiam redegerant defervefaciendo.* Lac

(d) *Dicenda enim et hæc officia membrorum.* Circa hujusmodi officia membrorum nuira libertate lusit Hieronymus libro adversus Jovinianum primo. Rig.

CAP. LXII. — (e) *Erunt, inquit, tanquam Angeli.* Attigit hunc locum cap. 36. Hic tamen argumentum istud annecti potest antecedentibus, quasi augens vim. Dixerat in hac vita excusari homines a congressu carnali, ac propterea velut angelos cœlestem vitam vivere, ut Bernardus inquit serm. 2 *ad fratres*. Et Cyprianus lib. *de singul. cler.* Quare et in alia vita poterunt homines angelico ritu conversari, ut confirmat et definit Christus: *Erunt tanquam angeli.* Lac.

(f) *Simili necessitati succidendo.* Usus est supra eodem verbo, pro *succumbendo*. Quoad sententiæ rationem attinet, venuste Æneas Gazæus in Theophrasto. Lac.

conditionis. Quia et angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo et bibendo, et pedes lavacro porrigendo : humanam enim induerant superficiem, salva intus substantia propria. Igitur, si angeli, facti tanquam homines, in eadem substantia spiritus (*a*) carnalem tractationem susceperunt, cur non et homines, facti tanquam angeli, in eadem substantia carnis spiritalem subeant dispositionem, non magis solennibus carnis obnoxii sub angelico indumento, quam angeli tunc solennibus spiritus (1) sub humano? Nec ideo non permansuri in carne, quia non et in solennibus carnis : cum nec angeli ideo non et in (2) spiritu permanserint, quia non et in solennibus spiritus (3). Denique, non dixit, *Erunt angeli*, ne homines negaret : sed, *tanquam angeli*, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.

A

B

CAPUT LXIII.

(*b*) Resurget (4) igitur caro, et quidem omnis, et quidem ipsa, et quidem integra. In deposito est ubicumque apud Deum, per fidelissimum (*c*) sequestrem Dei et hominum Jesum Christum, qui et homini Deum, et hominem Deo reddet, carni spiritum, et spiritui carnem Utrumque jam in semetip o fœderavit, sponsam sponso, et sponsum sponsæ comparavit. Nam et si animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur a sponso : habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem; ut collactanea (5) comitabitur. Sed caro est sponsa, quæ et in Christo Jesu spiritum (6) sponsum per sanguinem pacta (7) est. Hujus interitum quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur; habet et caro secessus suos (8) interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis. Cum in hæc dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa repræsentetur Adam (9), auditurus a Domino : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* : vere tunc compos mali quod evasit, et boni quod invasit. (*d*) Quid, anima, invides carni? nemo tam proximus tibi, quem post Dominum diligas : nemo magis frater tuus, quæ tecum etiam in Deo nascitur. Tu potius illi exorare debueras resurrectionem; per te, si forte, deliquit. Sed nihil mirum si odisti, (*e*) cujus auctorem quoque respuisti; quam et in Christo, aut negare, aut mutare consuevisti. Proinde et ipsum Sermonem Dei, qui caro factus est, vel stylo vel interpretatione corrumpens, arcana etiam apocryphorum superducens, blasphemiæ fabulas. At enim Deus omnipotens, adversus hæc incredulitatis et perversitatis ingenia providentissima gratia sua *effundens in novissimis diebus de suo Spiritu in omnem carnem, in servos suos et ancillas* (*Joel.* II, 28, 29), et fidem laborantem resurrectionis carnalis animavit, et pristina instrumenta manifestis verborum et sensuum luminibus, ab omni ambiguitatis obscuritate purgavit. Nam quia *hæreses esse oportuerat, ut probabiles quique manifestarentur* (I *Cor.*, XI, 19); hæ autem sine aliquibus occasionibus Scripturarum audere non poterant; idcirco pristina instrumenta quasdam materias illis (10) videntur subministrasse, et ipsas quidem iisdem literis revincibiles. Sed, quoniam nec (11) dissimulare Spiritum Sanctum oportebat, quo minus et ejusmodi eloquiis superinundaret, quæ nullis hæreticorum versutiis semina subspargerent, imo et veteres eorum cespites vellerent; idcirco jam omnes retro ambiguitates, et quas volunt parabolas, aperta atque perspicua totius sacramenti prædicatione discussit, per novam prophetiam de Paracleto inundantem; cujus si hauseris fontes, nullam poteris sitire doctrinam, nullus te ardor exuret quæstionum; resurrectionem quoque carnis usquequaque potando, refrigerabis.

B

C

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritibus *Pam. Paris. Fran.*
(2) In *abest. a Rhen. Seml.*
(3) Carnis *Paris. Fran.*
(4) Resurgit *Seml.*
(5) Collatanea *Rhen Seml.* collectaneam *Pam. Fran. Paris.*
(6) Spiritum *abest Pam. a Paris. Fran.*
(7) Passa *Rhen. Seml.*
(8) Suos sinus *Pam. Paris. Fran.*
(9) Præsentetur *Rhen. Seml.*
(10) Illis *abest Seml. Oberth.*
(11) Necdum, *Paris. Fran.*

COMMENTARIUS.

(*a*) *Carnalem tractationem susceperunt.* Imo et post resurrectionem carnalem aliquando tractationem suscepturos angelos, assumpta humana figura et officiis, et solemnibus humanorum membrorum comites hominibus futuros affirmant nonnulli, ut orc ad laudandum Deum, uti superiori capite notavi, et pedibus ad nectendas choreas, et castissimas gravissimasque saltationes in exultationis signum affirmant Salas, tom. 1, in 1, 2, q. 5, art. 5, disp. 4, et Ægidius, lib. IV, q. 22, art. 4 et 6. Lac.

CAPUT LXIII. — (*b*) *Resurget igitur caro* Per anacephalæosin disputationem concludit, ἀναντίῤῥητον inquit, carnem aliquando resurrecturam, tam beatorum, quam reproborum, carnemque eamdem, non aliam resurrecturam. Le Pr.

(*c*) *Sequestrem Dei et hominum* Mediatorem et μεσίτην, nam sequester medius constitutus est inter actorem et adversarium, ut litem componat ac transigat. *L. ab execut. quorum appell.* Le Pr.

(*d*) *Quid, anima, invides carni?* Marcionistas præcipue et Valentinianos alloquitur istinc, qui tam male cogitabant, et pronuntiabant de carne, ac si eorum anima livore et invidia alius afficeretur. Inde etiam addit : *Sed nihil mirum si odisti, cujus auctorem quoque respuisti.* Quia Deum creatorem respuebat Marcion, et odio habebat. Lac.

(*e*) *Cujus auctorem quoque respuisti.* Deum creatorem rejiciebant Marcionitæ et alii tam gravi odio, ut a cibis interdum abstinerent in detestationem rerum Creatoris. Lac.

Series secunda.

LIBRI MORALES

POST SUSCEPTUM AB AUCTORE MONTANISMUM SCRIPTI.

DE VELANDIS VIRGINIBUS.
DE EXHORTATIONE CASTITATIS.
DE MONOGAMIA.
DE JEJUNIIS.
DE PUDICITIA.
DE PALLIO.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER DE VIRGINIBUS VELANDIS.

Prooemium.

Nullus fere est inter omnes Tertulliani montanistici liber, in quo majorem vim adhibeat ad defendendam disciplinam Montanistarum a culpa novitatis, quam tractatus *de Velandis Virginibus;* hinc inter primordia temporis ab ipso apud Montanistas acti exaratum fuisse merito creditur. Arbitratur quidem perdoctus Remigius Ceillierus librum *de Velandis Virginibus* omnium novissimum esse, quia in nullo alio opere, nequidem in *libro de corona*, ubi cap. 14 ipsa materia ibi pertractata id exegisse videtur, illum citat Tertullianus. Verum hæc conjectura nihil probat, eo quod liber *de Corona* ante hunc *de Velandis Virginibus* exaratus fuit, in aliis autem operibus hunc allegandi quampiam occasionem habuisse Tertullianum haud perspicimus; sed utut hæc sint, evidens saltem est, hoc opusculum in schismate scriptum fuisse; siquidem Montani genium nimis aperte sapit; mox enim cap. 1, ait : *Justitia primo fuit in rudimentis; dehinc per legem et prophetas promovit in infantiam : dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem : nunc per Paracletum componitur in maturitatem.* Occasionem hunc exarandi libellum Tertulliano dedit consuetudo ecclesiarum quarumdam tum Occidentis, tum plurium aliarum Græciæ seu Orientis virginum in Ecclesia velandi, cum e contra in Africana ecclesia pleræque virgines christianæ aperto capite incederent. Quare in hoc libro contra patriæ suæ morem, in qua solæ nuptæ velabantur, ostendit, eum contra veritatem præscribere non posse, quod quidem juxta adnotationem Cl. Dupinii verum est cum agitur de dogmate, non vero cum de disciplina parvi momenti. Lump.

Argumentum. — *Tertullianus, ob quamdam, ut videtur, cum græcis disputationem de virginibus velandis, conviciis exceptus, et pro hæretico exagitatus, in suos insectatores, consuetudinem jactitantes, ab initio invehitur, declamatque veritati consuetudinem præscribere non posse.*

Hinc asserit consuetudinem virgines velandi esse meliorem, nec in Scriptura sacra reprobatam, imo ab Apostolo commendatam, disciplinæ Ecclesiæ confirmatam, multis sanctorum exemplis suffultam, ipsismet virginum haud velatarum periculis sancitam. Edd.

CAPUT PRIMUM.

Proprium (*a*) jam negotium passus meæ opinionis, (*b*) latine quoque ostendam, virgines nostras velari oportere, ex quo (*c*) transitum ætatis suæ fecerint : hoc exigere veritatem, cui (*d*) nemo præscribe-

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Proprium jam negotium passus meæ opinionis.* Disputatione quadam adversus Græcos, cum et virgines velari oportere acrius forte adseruisset, Græcorum convitiis exceptus ac pro hæretico exagitatus fuisse videtur. Rig.

(b) *Latine quoque ostendam.*. Consentiunt interpretes Tertullianum hujus argumenti alterum Græce antea scripsisse. Le Pr.

(c) *Transitum ætatis.* Cum scilicet annos puerilcs excesserint. Qua de re illud Virgilii *Eclog.* 4, in laudem Pollionis :

Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas.

Cum scilicet in virum evaseris, et eris ἐν ἀνδρὶ τελείῳ, ἐν ἀνδρὶ ἐγηλάμενος scribit Synesius. Le Pr.

(d) *Nemo præscribere.* Multa adduxit Lacerda ut explicaret verbum *præscribere*, tanquam significans

re potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum, ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, et ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster (*a*) Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus, et prior omnibus : æque veritas sempiterna et antiqua res. Viderint ergo quibus novum est quod sibi vetus est. Hæresim non tam novitas quam veritas revincit. Quodcumque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Cæterum suo vitio quis quid ignorat. Quod autem ignoratur, fuit tam requirendum, quam recipiendum quod agnoscitur. Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato tertia (1) die resuscitatum a mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos per carnis etiam resurrectionem. Hac lege fidei manente, cætera jam (*b*) disciplinæ et conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei. Quale est enim ut diabolo semper operante et adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessaverit, aut proficere destiterit? cum propterea Paracletum miserit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur, et ordinaretur, et ad perfectum perduceretur disciplina, ab illo vicario Domini Spiritu Sancto. *Adhuc*, inquit, *multa habeo loqui vobis, sed nondum potestis ea bajulare : cum venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, et superveuientia renuntiabit vobis* (*Jo.* XVI, 12). Sed et A supra de hoc ejus opere pronuntiavit. Quæ est ergo Paracleti administratio nisi hæc, quod disciplina dirigitur, quod Scripturæ revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur? Nihil sine ætate, et omnia tempus expectant. Denique Ecclesiastes : *Tempus*, inquit, *omni rei* (*Eccles.* III, 17). Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promeveri. Granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula enititur : deinde rami et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur, (*c*) inde germinis tumor et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur ; is quoque rudis aliquandiu et informis, paulatim ætatem suam dirigens, (*d*) eruditur in mansuetudinem saporis. Sic et justitia (nam idem Deus justitiæ et creaturæ) primo fuit in rudimentis, natura Deum metuens : dehinc per Legem et Prophetas promovit in infantiam : dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem: nunc per B Paracletum componitur in maturitatem. Hic erit solus a Christo magister et dicendus et verendus. Non enim ab se loquitur (2), sed quæ mandantur a Christo. Hic solus antecessor, quia solus post Christum. Hunc qui receperunt, veritatem consuetudini anteponunt. Hunc qui audierunt usque nunc non olim prophetantem (3), virgines contegunt.

CAPUT II.

Sed nolo interim hunc morem veritati (4) deputare. Consuetudo sit tantisper, ut consuetudini etiam consuetudinem opponam. (*e*) Per Græciam et quasdam barbarias ejus, plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est et sub hoc cœlo institutum istud alicubi, ne qui gentilitati græcanicæ aut barbaricæ consuetudinem illam adscribat. Sed eas ego Ecclesias C proposui, quas et ipsi Apostoli vel (*f*) Apostolici viri condiderunt, (*g*) et puto ante quosdam. Habent igitur et illæ eamdem consuetudinis auctoritatem, tem-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tertio *Paris.*
(2) Loquetur *Rhen. Seml. Leop.*
(3) *Ita Rig. ex auctoritate cod. Wouw. et Ursini ; cod. Divion., Rhen. et alii :* usque non olim. *Sed probabiliter Rig. verb.* non olim *interpretandi caussa esse adscripta, ut sola verb.* usque nunc *sint retinenda, conjecit.*
(4) Veritatis *Seml.*

COMMENTARIUS.

excipere seu exceptiones producere ex usu Jurisconsultorum. Hic uno verbo putarim nihil aliud esse quam nihil de veritate detrahi posse quacumque ratione, nihil D illius splendorem abrogare posse aut majestatem.

Le Pa.

(a) *Christus veritatem se.* Christum veritatem esse ipse testatus est infinitis locis, quæ omitto. Unde sæpe miratus sum homines nonnullos pharisæorum fastum præ se ferentes, eo impietatis devenisse, ut mentitum aut saltem amphibologice locutum Christum dixerint octies, c. VIII Evangelii B. Joannis. Sed eam morum et disciplinæ christianæ eversionem deflere, non est hujus loci neque etiam temporis. Le Pa.

(b) *Disciplinæ et conversationis.* Severa semper disciplina conversationis nomine intelligitur. Apud Theodoretum ἀσκήσεις dicitur. S. Hieronymus, lib. I adversus Jovinianum : *armamur eadem conversatione qua Christus.* Le Pa.

(c) *Inde germinis tumor.* Tumor est omne quod concipitur ; germen autem et gemma idem hoc in casu. Le Pa.

(d) *Eruditur in mansuetudinem saporis.* Est enim velut sylvestris feritas succi et saporis in fructu adhuc rudi et inmaturo ; sed eruditur in mansuetudinem, cum paulatim coquitur in maturitatem. Ric.

CAP. II.—(e) *Per Græciam et quasdam barbarias ejus.* Barbarias Græciæ, dicit extra Græciam regiones quasdam, sed appositas Græciæ, quibuscum fuere Græcorum negotia seu bella. Horat.:

Græcia barbariæ lento collisa duello.

—*Per Græciam et quasdam barbarias ejus.* Græciæ urbes quasdam aut regiones intelligi puto; quamquam alii vicinas Græciæ urbes, finitimasque nationes notari existimant. Le Pa.

(f) *Apostolici viri.* Per viros apostolicos accipe christianæ religionis primores qui aut ab Apostolis instructi institutique fuerunt, aut qui Apostolorum doctrina digna gesserunt. De solis episcopis, aut summo tantum pontifice id explicare parum conveniens videtur, cum ea vox Constantino Magno etiam tribuatur multis in locis, ut apud Theodoritum, c. 25, lib. I : τὰς ἀποστολικὰς φροντίδας ἐν τῇ ψυχῇ περιφέρων, *Apostolicas curas animo versabat;* et alibi. Le Pa.

(g) *Et puto ante quosdam.* Parcit nominibus eorum,

pora et antecessores opponunt magis quam posteræ istæ. Quod observabimus, quid (1) deligemus? Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, utpote non extraneam, quia non extranearum, cum quibus scilicet communicamus jus pacis et nomen fraternitatis. Una nobis et illis fides, unus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lavacri sacramenta. (*a*) Semel dixerim, una Ecclesia sumus. Ita nostrum est, quodcumque nostrorum est. Cæterum dividis corpus. Tamen hic (2), sicut in omnibus varie institutis (3) et dubiis et incertis fieri solet, adhibenda fuit examinatio, quæ magis ex duabus tam diversis consuetudinibus disciplinæ Dei conveniret. Et utique ea deligenda (*b*) quæ virgines ineludit, soli Deo notas, quibus, præter quod (4) a Deo, non ab hominibus captanda gloria est, etiam ipsum bonum suum erubescendum est Virginem magis laudando, quam vituperando confundas quia delicti durior frons est, ab ipso et in ipso delicto impudentiam docta. Nam illam consuetudinem, quæ virgines negat dum ostendit, nemo probasset, nisi aliqui (5) tales quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo quæ videri volet. Invicem se eadem (6) oculorum genera desiderant. (*c*) Ejusdem libidinis est videri, et videre. Tam sancti viri est subfundi, si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si a viro visa sit.

CAPUT III.

Sed nec inter consuetudines dispicere voluerunt illi sanctissimi antecessores. Tamen tolerabilius apud nos usque ad proxime utrique consuetudini communicabatur. Arbitrio permissa res erat, ut quæque voluisset aut tegi aut prostitui, sicut et nubere : quod et ipsum neque cogitur neque prohibetur. Contenta erat veritas (7) pacisci cum consuetudine, ut tacite sub consuetudinis nomine frueretur se vel ex parte. Sed quoniam cœperat agnitio proficere, ut per licentiam utriusque moris, indicium melioris partis emergeret, statim (*d*) ille adversarius bonorum, multoque institutorum, opus suum fecit. Ambiunt virgines hominum adversus virgines Dei, nuda plane fronte in temerariam (8) audaciam excitatæ. Et virgines videntur quæ aliquid a viris petere possunt, nedum tale factum, ut scilicet æmulæ earum, tanto magis liberæ, quanto Christi solius ancillæ, dedantur illis. Scandalizamur, inquiunt, quia aliter aliæ incedunt : et malunt scandalizari, quam provocari. Scandalum, nisi fallor, non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Si bonum est modestia, verecundia, fastidium gloriæ soli Deo captans placere, agnoscant malum suum, quæ de tali bono scandalizantur. Quid enim si et incontinentes dicant se a continentibus scandalizari, continentia revocanda est? (*e*) et ne multinubi scandalizentur, monogamia recusanda est? Cur non magis hæ querantur scandalo sibi esse petulantiam, impudentiam (*f*) ostentatitiæ virginitatis? Propter ejusmodi igitur capita nundinatitia, trahantur virgines sanctæ in Ecclesiam, erubescentes quod cognoscantur in medio, (*g*) paventes quod detegantur accersitæ (9) quasi ad stuprum. (*h*) Non minus enim et hoc pati nolunt. Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est. Et tamen vim carnis pati, minus est; quia de officio naturæ venit. Sed cum spiritus ipse violatur in virgine, sublato velamine didicit amittere quod tuebatur. (*i*) O sacrilegæ manus!

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deligimus *Seml.*
(2) Tam hic sicut in omnibus *Seml:*
(3) Institutus *Fran. mendose.*
(4) Præterea *Seml*
(5) Aliquæ tales *Seml.*
(6) Ejusdem oculorum *Seml.*
(7) *Antea quidam male* paucis, si cum.
(8) Temerarie audaciam *Seml.*
(9) Arcessitæ *alii, Jun.*

COMMENTARIUS.

qui etsi Apostolis et Apostolicis viris posteriores, virginum minime velandarum consuetudini auctoritatem dedisse dicebantur. Rig.

(a) *Semel dixerim, una Ecclesia sumus.* Libro de Unitate Ecclesiæ B. Cypr. dictam etiam scripturam adfert ad eandem comprobandam, et alias præterea multas, ad quem librum Lectorem remittimus. Uterque autem illud : *unum corpus, unam Ecclesiam* interpretatur. Pam.

(b) *Quæ virgines includit.* Velamine. Rig.

(c) *Ejusdem libidinis est videri et videre.* Id propter et hac de re loquens Hieronymus *ad Eustoch.* : *Nullus*, ait, *tutus aspectus.* Quasi dicat : nec videre, nec videri tutum est. Et Ambrosius, *lib.* I *Offic. cap.* 18, ait : *Nec videre viros fœmina, nec videri velit.* Hæc præcepta eo tendunt, ut intelligat virgo quanti sit virginalis pudor. Ideo virgo dicitur a Cypriano, *lib. de Hab. virg.*, *candidata pudoris*, quasi hoc unicum ejus studium ; et Manil. lib. III :

Semper amare parum est, cupient et amare videri.
Lac.

CAP. III. — (d) *Ille adversarius bonorum, multoque institutorum.* Hoc est, sed præsertim bonorum institutorum, bonarum disciplinarum. Rig.

(e) *Et ne multinubi scandalizentur.* Omnino sic legendum, non ut ubique scriptum atque editum reperi, *Et ne multi nobis scandalizentur.* Rig.

(f) *Ostentatitiæ virginitatis.* Notat virginem ostentabundam, ut quæ non sibi vivat, sed populo et spectantibus, ut loquitur Seneca, *epist.* 9*h*, ad fin. Est enim *vitiosum*, non virtutis, ait ille, *monstrari et conspici.* Itaque ostentatitia virginitas tota est vitiosa.
Lac.

(g) *Paventes quod detegantur.* Pavor virginibus convenit, quæ ad quemlibet oculi jactum trepidare debent ; quæ autem denudantur, expavescunt, inquit Auctor, quasi ad stuprum vocarentur. Hac quippe disciplina illustris tunc erat, ut aliis in rebus vetus Ecclesia. Le Pa.

(h) *Non minus enim et hoc pati nolunt.* Et hoc, id est, publicari, detegi caput. Sed magis placet quorumdam exemplarium scriptura, *Non minus enim et hoc pati volunt*, ut hoc ad stuprum referatur, quod propius est. Rig.

(i) *O sacrilega manus!* Virgines istæ dicatum Deo habitum induerunt, et sacrilegium fuit maximum illum attigisse. Dionysius Exiguus in Vita Pachomii, ait, sacratum esse hunc habitum, *eumque suscipiens habitu monachi consecravit.* Et Hieronymus ad Marcellam : *tunicam fusiorem induta, se repente Domino consecravit.* Lac.

nus, quæ (*a*) dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! Quid pejus (1) aliquis persecutor fecisset, si hoc a virgine electum cognovisset? (*b*) Denudasti puellam a capite, (*c*) et tota jam virgo sibi non est : alia est facta. Exsurge igitur, veritas, exsurge, et quasi de patientia erumpe : nullam volo consuetudinem defendas; nam jam et illa (2), sub qua te fruebaris, expungitur (3). Te esse demonstra quæ virgines tegis (4) Ipsa Scripturas tuas interpretare, quas consuetudo non novit. Si enim nosset, nunquam esset.

CAPUT IV.

Quatenus autem et de Scripturis adversus veritatem argumentari consuetudo est, statim opponitur nobis, nullam mentionem virginum ab Apostolo factam ubi de velamine præfinit, sed tantum mulieres nominatas : cum, si voluisset et virgines tegi, de virginibus quoque cum mulieribus nominatis (5) pronuntiasset : quomodo illic, inquit, ubi de nuptiis tractat, quid observandum sit etiam de virginibus, declarat. Itaque non contineri eas lege velandi capitis, ut non nominatas in hac lege; imo ex hoc revelari (6), quia non jubentur, quæ nec nominantur. Sed et nos eamdem argumentationem retorquemus. Qui enim sciebat alias utriusque generis (7) facere mentionem, virginis dico, et mulieris, id est non virginis, ex caussa distinctionis, in his in quibus non nominat virginem, non faciens distinctionem, ostendit conditionis communionem. Cæterum potuit hic quoque constituere differentiam inter virginem et mulierem, sicut alibi dicit : *Divisa est mulier et virgo*. Igitur quas non divisit, tacendo (*d*) inalteravit (8). Nec tamen, quia illic divisa est et mulier et virgo, hic quoque patrocinabitur illa divisio, ut quidam volunt (9). Quanta enim alibi dicta non valent, ubi dicta scilicet non sunt, nisi eadem sit caussa, quæ alibi, ut sufficiat semel dictum? Illa autem caussa virginis et mulieris longe divisa est ab hac specie. *Divisa est*, inquit, *mulier et virgo* (I *Cor.* VII, 32). Quare? Quoniam *innupta*, id est virgo, *cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta, et corpore et spiritu. Nupta autem*, id est, non virgo, *cogitat quomodo placeat viro*. Hæc erit interpretatio divisionis illius, nullum habens locum in isto capitulo, in quo neque de nuptiis, neque de animo et cogitatu (*e*) mulieris (10) et virginis pronuntiatum, sed de capite velando. Cujus nullam volens esse discrepationem, Spiritus Sanctus, uno nomine mulieris, etiam virginem intelligi voluit, quam (*f*) proprie non nominando, a muliere non separavit, et non separando conjunxit ei a qua non separavit. Novum est nunc ergo principali vocabulo uti et cætera nihilominus in eo vocabulo intelligi, ubi nulla est necessitas singillatim distinguendæ universitatis? Naturaliter compendium sermonis et gratum et necessarium est : quoniam (*g*) sermo laciniosus, et onerosus et vanus est. Sic et generalibus vocabulis contenti sumus, comprehendentibus in se specialium intellectum. Ergo jam de vocabulo ipso. Naturale vocabulum est fœmina, (*h*) naturalis vocabuli generale mulier. Generalis etiam speciale, virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiam ætatis nomina accedunt. Subjectum igitur est generali speciale, quia generale prius est : et subsessivum antecessivo (11), et portionale universali : et in ipso intelligitur (12) cui subjicitur, et in ip-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prius *Fran. Rig. Seml.*
(2) Consuetudine *add. Seml.*
(3) Expugnatur *Seml. Leop.*
(4) *Ita Wouwer Rigalt. et melius, judic. Seml. qui legit* tegit.
(5) Nominatim *Jun.*
(6) *Additur* non *Fran. sed ejicit negationem Jun.* ex hoc velari *Seml.*
(7) Sciebat alios *cod. Wouwer. et Rig.*
(8) In altera ivit *Fran.* Iniit *alii.*
(9) Quidem *Fran.*
(10) Mulicbri *Seml.*
(11) Ut *cod. Wouw.* subcessivum *Paris. Venet.*
(12) Intelligetur *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Dicatum deo habitum.* Virginum, aliæ quidem capiti suo velamen induxerant, aliæ libero capite intectoque permanserant. Has Tertullianus hominum, illas Dei virgines appellat. Sed virgines intecti capitis, offensæ discrimine illo velatæ virginitatis, agebant querela scandali, postulabantque uti virginibus velamento interdiceretur, ne quid velatæ gestarent quod invidiam faceret non velatis. Et forte annuerat episcopus postulationi. Succensuit Tertullianus tanquam sacrilego. *Quid pejus*, inquit, *aliquis persecutor fecisset? Denudasti puellam a capite, et tota jam virgo sibi non est.* Rig.

(b) *Denudasti puellam a capite.* Indignatur, quasi adjecturus talos ad imos. Rig.

(c) *Et tota jam virgo sibi non est.* Etenim toto corpore suffunditur, quasi devirginata spectantium oculis procacibus. Rig.

CAP. IV. — (d) *Inalteravit.* Rectum esse puto; etsi manuscripti habeant, *in altera iniit.* Inalteravit, indidit alteri, conjunxit, confudit, ut jam ambo una sint, ac sese mutuo contineant. Ipse paulo post : *A muliere non separavit, et non separando conjunxit ei a qua non separavit.* Rig. — *Inalteravit.* Usurpat hoc Auctor, pro *non alteravit.* Sicut alibi, *incriminari*, pro *non criminari.* Pam.

(e) *Mulieris et virginis.* Discriminant vulgo ita, ut mulier proprie sit quæ nupsit, et quæ habet liberos; virgo quæ integra est, et vere incorrupta. Ex qua distinctione locutus est Hieronymus, enarrans illud Oseæ, *Sponsabo te mihi*, etc. Hoc tamen discrimen tantum abest ut sit perpetuum, ut potius sub mulieris nomine virgo quoque intelligatur, ut hic Tertullianus ait, et probabit infra, etc. Lac.

(f) *Proprie nominando.* Nota mihi hanc vocem, evertentem Grammaticorum distinctionem inter nomina propria et appellativa. Hic enim *proprie nominare* dicit Tertullianus de nomine quod ipsi vocant appellativum. Rig.

(g) *Sermo laciniosus.* Hoc est, diffusus. In libris adversus Marcionem hoc vocabulum etiam reperias : ita in *De cultu fœminarum : Cætera vero corporis, laciniosis pomparum, et deliciarum ineptiis occupare.* Rhen.

(h) *Naturalis vocabuli*, etc. Etiam apud Jurisconsultos, mulierem generale vocabulum esse, patet ex Ulpiano l. quæritur : D. de Ædilit. edicto. ubi mulier etiam dicitur ea, quæ virum non agnovit. Pam.

so significatur, quia in ipso continetur. Sic nec manus, nec pes, nec ullum membrorum desiderat significari, corpore nominato. Et si mundum dixeris, illic erit et cœlum, et quæ in eo, sol et luna, et sidera, et astra, et terra, et freta, omnis census elementorum. Omnia dixeris, cum id dixeris quod ex omnibus constat. Sic et mulierem nominando, quidquid est mulieris nominavit.

CAPUT V.

Sed quoniam ita mulieris nomen usurpant, ut non putent competere illud, nisi ei soli quæ virum passa sit; probari a nobis oportet, proprietatem ejus vocabuli ad sexum ipsum, non ad gradum sexus pertinere, (*a*) quod communiter etiam virgines censeantur. Cum hoc genus secundi hominis a Deo factum est in adjutorium hominis (*Gen.* II, 18); fœmina illa statim mulier est cognominata, (*b*) adhuc felix, adhuc digna paradiso, adhuc virgo. *Vocabitur*, inquit, *mulier* (*Gen.*, II, 23). Habes itaque nomen, non dico jam virgini commune, sed proprium, quod a principio virgo sortita est. Sed ingeniose quidam de futuro volunt dictum, *Vocabitur mulier*, quasi quæ hoc futura esset, cum virginitatem resignasset : quoniam et adjicit : *Propterea* (1) *relinquet homo patrem et matrem*, et (*c*) conglutinabitur mulieri suæ, et erunt duo in carne una (2). Ostendant igitur (3) primo ubi sit subtilitas ista, si de futuro mulier cognominata est quod interea vocabulum acceperit? Non potest enim sine vocabulo præsentis qualitatis suæ fuisse. Cæterum quale est, ut quæ in futurum vocaretur nomine designato, in præsenti nihil cognominaretur? Omnibus animalibus Adam nomina imposuit, et nemini (4) ex futura conditione, sed ex præsenti institutione, cui conditio quæcumque serviret, hoc appellata, quod a primordio voluit; quid ergo tunc vocabatur? Atquin quotienscumque in Scriptura nominatur, mulier appellatur, antequam nupta, et nunquam virgo cum virgo. Hoc nomen tum unum illi fuit, et quando nihil (*d*) prophetico modo dictum est. Nam cum Scriptura refert (*e*) fuisse nudos duos, Adam et mulierem ejus, nec hoc de futuro sapit quasi mulierem dixerit ejus in præsagio uxoris, sed quoniam et innupta illius mulier, ut de substantia ipsius : *Hoc*, inquit, *os ex ossibus meis, et* (*f*) *caro ex carne mea vocabitur mulier*. Hinc ergo tacita conscientia naturæ, ipsa divinitas animæ in usum sermonis eduxit, nescientibus hominibus (sicut et alia multa, quæ ex Scriptura fieri et dici solere alibi poterimus ostendere), uti mulieres nostras dicamus uxores. Quanquam et improprie quædam loquamur; nam et Græci qui magis vocabulo mulieris in uxore utuntur, (*g*) alia habent propria vocabula uxoris. Sed malo hunc usum ad Scripturæ testimonium deputare. Ubi enim duo in unam carnem efficiuntur per (*h*) matrimonii nexum, caro ex carne, et os ex ossibus, vocatur secundum originem mulier ejus, ex cujus substantia incipit censeri facta uxor. Ita mulier non natura nomen est uxoris, (5) sed uxor conditione nomen est mulieris. Denique mulier et non uxor dici potest, non mulier autem uxor dici non potest, quia nec esse. Constituto igitur nomine novæ fœminæ, quod est mulier, et explicito quod prius fuit, id est nomine assignato, convertit jam ad propheticam rationem, uti diceret : *Propter hanc relinquet homo patrem et matrem*. Adeo separatum est nomen a prophetia, quantum et ab ipsa persona, ut non utique de ipsa Eva dixerit, sed in illas fœminas futuras, quas in matrice generis fœminini nominarit. Alioqui, non Adam relicturus erat patrem et matrem, quos non habebat, propter Evam. Ergo non ad Evam pertinet, quia nec ad Adam, quod prophetice dictum est. De maritorum enim conditione prædictum, qui ob mulierem parentes suos erant relicturi : quod in Evam cadere non potuit, quia nec in Adam. Si ita res est, apparet non propter futurum mulierem cognominatam, ad quam futurum non pertinebat. Eo accedit, quod ipse rationem ejus nominis edidit. Cum enim dixisset : *vocabitur*

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Alii add.* adjicit.
(2) In carnem unam *Fran.*
(3) *Male in Venet. exstat* legitur.
(4) Neminem *Veneta male.*
(5) Ita mulier natura nomen est uxoris, et uxor conditione *Latin.*

COMMENTARIUS.

CAP. V. — (a) *Quod communiter etiam virgines censeantur.* Communi nomine mulieris comprehensæ. Rig.

(b) *Adhuc felix*, etc. Ita probat suam sententiam Tertullianus, cui institit Ambrosius lib. *de inst. virg.* c. 5 : *Denique virginitas primum hoc nomen*, id est nomen mulieris, *accepit. Nam cum sumpsisset Deus unam de costis Adæ, et supplevisset carnem in locum ipsius, ædificavit, inquit, eam in mulierem. Utique adhuc virum non cognoverat, et jam mulier vocabatur.* Lac.

(c) *Conglutinabitur mulieri suæ.* Ad verbum ex græco transtulit illud : καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, voce composita a κόλλη, quod gluten significat. Pam.

(d) *Prophetico modo dictum est.* Nam prophetæ solent de futuris seu de præsentibus loqui. Sensum eumdem habet, quod sequitur, ad propheticam rationem. Item, ad prophetiam interpretetur. Rhen.

(e) *Fuisse nudos duos, Adam*, etc. Verba vulgaris interpretis sunt II cap. Geneseos · *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus.* Sed Tertullianus conformis est in vertendo; nam cum in græco sit γυνὴ, semper reddit *mulier*, non ut interpres, qui jam *mulier*, jam *uxor*. Lac.

(f) *Caro ex carne mea vocabitur mulier.* Hic prætermisit voculam græcam, αὕτη, et proinde sine distinctione conjunxit duo commata, cum aliter græce et latine legatur, *hæc vocabitur*. Pam.

(g) *Alia habent propria vocabula.* Huc spectat imprimis quod uxor dicatur, Platoni lib. IX, γυνὴ γαμετὴ, quemadmodum Xenophonti in Œconomicis. Deinde hæc sunt ejusdem synonyma, σύγγαμος, ἄλοχος, ἄκοιτις, παράκοιτις. Pam.

(h) *Matrimonii nexum.* Didoni apud Poetam est vinculum jugale :

Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,

lib. IV Æneid. Gregorius Nyss., lib. *de Virg.* cap. 3, ἄρκυα, hoc est retia, vocat matrimonium, et ἀρρήκτοις πάγαις ἐμπεπλέχθαι, id est, *indissolubilibus laqueis irretiri*. Le Pr.

mulier, (1) addidit : *quoniam ex viro suo sumpta est*, (2) et ipso adhuc virgine. Sed dicemus et de viri nomine suo loco. Nemo itaque nomen ad prophetiam interpretetur, quod ex alia significatione deductum est : præsertim cum appareat, ubi de futuro nomen acceperit, illic scilicet, ubi Eva cognominatur, personali jam vocabulo, quia naturale præcesserat. Si enim Eva mater viventium est, ecce ex futuro cognominatur, ecce uxor et non virgo prænuntiatur. Hoc erit vocabulum nupturæ : ex nupta enim mater. Ita hic quoque ostenditur, non de futuro mulierem tunc nominatam, quæ postmodum acceptura erat futuræ conditionis suæ nomen. Responsum satis est ad hanc partem.

CAPUT VI.

Videamus nunc si et Apostolus formam vocabuli istius secundum Genesim observet (3), sexui deputans illud, sic (*a*) mulierem vocans virginem Mariam, quemadmodum et Genesis Evam. Scribens enim ad Galatas : *Misit*, inquit, *Deus Filium suum* (*b*) *factum ex muliere* (*Gal.* IV, 4) ; quam utique virginem constat fuisse, licet Hebion resistat. Agnosco et angelum Gabrielem ad virginem missum ; sed cum benedicit illam, inter mulieres, non inter virgines deputat : (*c*) *Benedicta tu inter mulieres* (*Luc.* I, 28). Sciebat et Angelus mulierem etiam virginem dici. Sed et ad hæc duo ingeniose quidam respondisse sibi visus est : quoniam quidem desponsata est Maria, idcirco et ab Angelo et ab Apostolo mulierem pronuntiatam : desponsata enim quodammodo nupta : tamen inter quodammodo, et verum, satis interest duntaxat in loco : nam alibi ita sane habendum est. Nunc vero non quasi jam nuptam mulierem Mariam pronuntiaverunt, sed quasi nihilominus fœminam, etiamsi non sponsam, quasi hoc a primordio dictam. Illud enim præjudicet necesse est, a quo forma descendit. Cæterum quod pertineat (4) ad hoc capitulum, si hic desponsatæ adæquatur, ut ideo mulier dicta sit Maria, non qua (5)fœmina, sed qua marita (6); jam ergo Christus non ex virgine natus est, quia ex desponsata, quæ virgo esse desierit hoc nomine. Quod si ex virgine natus est, licet ex desponsata, tamen integra, agnosce mulierem etiam virginem, etiam integram dici. Hic certe nihil prophetice dictum videri potest, ut futuram mulierem, id est, nuptam Apostolus nominarit dicendo, *factum ex muliere*. Non enim poterat posteriorem mulierem nominare, de qua Christus nasci non habebat, id est, virum passam : sed illa quæ erat præsens, quæ erat virgo, et mulier vocabatur per (7) vocabuli hujus proprietatem, secundum primordii formam, virgini, (*d*) et ita universo mulierum generi defensam.

CAPUT VII.

Convertamus (8) ad ipsas jam rationes recensendas, per quas Apostolus docet velari fœminam oportere, an eædem (9) etiam virginibus competant : ut ex hoc quoque vocabuli (10) communio (11) inter virgines et non virgines constet, dum eædem velaminis caussæ in utraque parte deprehenduntur. Si caput mulieris vir est, utique et virginis, de qua sit mulier illa quæ nupsit : nisi si virgo tertium genus est monstruosum aliquod sui capitis. Si mulieri turpe est radi sive tonderi (I *Cor.* XI, 5), utique et virgini. Proinde viderit (*e*) sæculum æmulum Dei, (*f*) si ita virgini cæsum capillum decori mentitur (12), (*g*) quemadmodum et puero (13) permissum. Ergo cui æque non convenit radi sive tonderi, æque convenit operiri. Si gloria

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Vocem* addidit, *quam Rig. post Wouw. e ms. inserait delev. Seml. post Rhen.*
(2) ait *inserit Jun.*
(3) Observat *Seml.*
(4) Pertinet *Fran.*
(5) Quæ *Seml.*
(6) Maritata *Seml.*
(7) Post *Seml.*
(8) Convertamur *Seml.*
(9) Eadem *Seml.*
(10) Vocabulo *Seml.*
(11) Communionis *Seml.*
(12) Metitur *Latin. nec displicet Rig.*
(13) Promissum *Latin.*

COMMENTARIUS.

CAP. VI. — (a) *Mulierem vocans virginem.* Ad quod cum adferat duntaxat duos locos, alterum *Lucæ* I, alterum *Gal.* IV, licebit illis addere illud *Joannis* II, *quid mihi tecum est mulier?* item ejusdem cap. X, 26, *Mulier ecce* filius tuus. Pam.

(b) *Factum ex muliere.* Pamelio adjunge etiam hæc Ulpiani ff. de ædilit. edicto : *Quæ mulieribus leguntur, etiam virginibus deberi certum est.* Lac.

(c) *Benedicta tu inter mulieres.* Expressior est hæc versio quam vulgata, *in mulieribus*, quam interim etiam habet interpres B. Hieronymus eodem c. in benedictione Elisabeth. Pam.

(d) *Et ita universo mulierum generi defensam.* Hoc est vindicatam. Rig.

CAP. VII.—(e) *Sæculum æmulum Dei* Sæculum intelligit Christianum. Nam æmulum et æmulari fere in bonam partem accipitur ab Auctore pro imitari et imitatore. Pam.—*Æmulum Dei.* Improbat Auctor hic morem ethnicorum qui puellarum comas tondebant, adeoque vocat ethnicorum sæculum Dei æmulum, hoc est, quoniam permiserat Deus tonderi adolescentes, tonderi quoque fœminas voluerunt. Intonsas autem esse debere puellas, et tonsos adolescentes, nemo dubitat. atque attendendus mihi videtur can. 17 Gangrensis conc.; verba sunt : *εἴ τις γυναικῶν διὰ νόμιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας, ἃς ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς ὑπόμνησιν τῆς ὑποταγῆς, ὡς ἀναλύουσα τὸ πρόσταγμα τῆς ὑποταγῆς, ἀνάθεμα ἔστω. Si quæ mulier severiorem cultum putans reddere, crines detondeat, quos in subjectionis memoriam Deus dedit, veluti subjectionis vinculum solvens, anathema sit.* Repetitur id dist. 50, quæcumque. Ornamentorum nempe affectatio in mulieribus damnabatur, et fucus omnis : *De consecr. dist.* 5, fucare, et 53, *quæst.* 5, *mulier.* Le Pr.

(f) *Si ita virgini cæsum capillum decori mentitur.* Sic habent editiones omnes, neque aliter exemplar Divionense. Sed laborat sensus in verbis, nisi ea sic explicentur : Viderit sæculum, inquit, si adeo mentitur decori, hoc est, si tam prave decori favet, ut cæsum virgini capillum decori esse mentiatur ; cum sit potius dehonestamento. Alium sensum quæsivit Latinius, litera detracta : *Si ita virgini cæsum capillum decori metitur;* ut sit sensus : Viderit sæculum, si talem tribuat mensuram decori cæsum virgini capillum, ut puero promissum. Quæ conjectura non displicet. Rig.

(g) *Quemadmodum et puero permissum.* Latinius scribit, *promissum.* Sed nihil est necesse, cum sit eadem utrique significatio. Rig.

viri est mulier, quanto magis virgo, quæ et gloria sibi est! Si mulier ex viro et propter virum, costa illa Adæ virgo primum fuit. (*a*) Si mulier potestatem habere super caput debet, vel eo justius virgo, ad quam pertinet quod in caussa est. Si enim (*b*) propter angelos (I *Cor.* XI, 8, 10), scilicet quos legimus a Deo et cœlo excidisse ob concupiscentiam fœminarum; quis præsumere potest tales angelos, maculata jam corpora et humanæ libidinis reliquias desiderasse, ut non ad virgines potius exarserint, (*c*) quarum flos etiam humanam libidinem excusat? Nam et Scriptura sic suggerit: *Et factum est*, inquit, *cum cœpissent homines plures fieri super terram, et filiæ natæ sunt eis; conspicati autem filii Dei filias hominum, quod pulchræ essent, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt.* Hic enim nomen mulierum græcum uxores sapit, quia de nuptiis mentio est. Cum ergo filias hominum dicit, manifeste virgines portendit, quæ adhuc apud parentes deputarentur. Nam nuptæ, maritorum nuncupantur, cum potuerit dixisse uxores hominum, æque non adulteros nominans angelos, sed maritos, dum innuptas sumunt filias hominum, quas natas supra dixit, sic quoque virgines (1) significavit supra natas. At hic angelis nuptas aliud eas nescio quam natas, et dehinc nuptas. (*d*) Debet ergo adumbrari facies tam periculosa, quæ usque ad cœlum scandala jaculata est, ut cum Deo assistens, cui rea est angelorum exterminatorum, cæteris quoque angelis erubescat, et malam illam aliquando libertatem capitis sui comprimat, jam nec hominum oculis offerendam. Sed et si contaminatas jam fœminas angeli illi appetissent, tanto magis propter angelos velari debuissent, quanto magis propter virgines angeli deliquisse potuissent. Si autem et (*e*) naturæ præjudicium adjicit Apostolus, quod honor sit mulieris redundantia capillorum, quia coma pro operimento est; utique hoc maxime virginis insigne est, quarum (2) et ornatus ipse (3) proprie sic est, ut cumulata in verticem, ipsam capitis arcem ambitu criniuum contegat.

CAPUT VIII.

Illorum certe omnium contraria efficiunt, ne vir caput velet: scilicet quia non sit naturaliter consecutus ambitionem capillorum, quia radi sive tonderi non sit turpe illi, quia non propter illum angeli exorbitarint, quia gloria et imago Dei sit, quia caput ejus Christus (I *Cor.* XI, 2, 7). Itaque cum de viro et muliere Apostolus tractet, cur illam oporteat velari, illum vero non, apparet cur et virginis silentium fecerit: eadem ratione scilicet virginem in muliere (4) intelligendam sinens, qua et puerum ut in viro deputandum non nominavit, totum ordinem utriusque sexus propriis vocabulis complexus, mulieris et viri. Sic Adam, etiam (5) adhuc integer, vir in Genesi est cognominatus: *Vocabitur*, inquit, *mulier, quia de viro suo sumpta est* (*Gen.* II, 23). Sic vir Adam ante nuptiarum congressum, quemadmodum et Eva mulier. De utraque parte satis ad universam speciem cujusque sexus Apostolus pronuntiavit, et breviter et plene, tam instructa definitione. *Omnis*, inquit, *mulier* (I *Cor.* XI, 5). Quid est *omnis*, nisi omnis generis, omnis ordinis? omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis. Siquidem omne totum est, et integrum, et nulla sui parte defectum. Pars autem mulieris et virgo est. Æque et de viro non velando: *Omnis*, inquit (I *Cor.* XI, 4). Ecce duo diversa nomina, vir et mulier, omnis uterque. Duæ leges obnoxiæ invicem, hinc velandi, inde nudandi. Igitur si eo quod dictum sit omnis vir, commune est nomen viri, etiam nondum viri, (*f*) masculi investis: commune autem cum sit nomen secundum naturam, communis est et lex non velandi ejus,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Significans. Supra natas: at hic *Fran. Rig. totum locum sic restituit Jun.* Cum p. d. v. hominum; æque n. a. n. angelos, sed maritos, d. i. s. f. h. q. n. s. d. sic quoque virgines significavit supra natas, at hic angelis nuptas...

(2) Quare *Semi.*

(3) Ipsa *MSS. Wouw. Rig.*

(4) Mulierem *Semi.*

(5) Etiam *delet Semi.*

COMMENTARIUS.

(a) *Si mulier potestatem habere super caput debet.* Hoc est, notam potestatis, cui subjecit mulierem Deus. Ejus vero potestatis nota est velamen capitis. Rig.

(b) *Propter Angelos.* Rursum hoc ad errorem Tertull. pertinet, cujus meminit supra libris de Idololatria, de Habitu mul. et de Cultu fœmin. B. vero Ambrosius angelos episcopos interpretatur, juxta Apocalypsim B. Joan. apostoli. Pam.

(c) *Quarum flos etiam humanam libidinem excusat.* Hoc est, recusat; quemadmodum alibi dicit, exponere vestem, quod est, deponere. Excusat libidinem virgo, quæ virginitatis suæ flore gaudet, ita ut nolit decerpi; qualis ille Catulli flos intactus et illibatus:

> Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
> Qui nondum tenuis carptus defloruit ungui, etc.

Credibile est, inquit Tertullianus, talibus puellis angelos potius, quam maculatis jam corporibus exarsisse. Rig.

(d) *Debet ergo adumbrari*, etc. Id est velari. Nam facies virginis aperta peccandi occasionem offerre posset pulchritudinem, quæ ideo Clementi Alexandr., cap. 2, lib. III Pædag. μοιχικὸν κάλλος *pulchritudo adulterii incitatrix* dicitur. Le Pa.

(e) *Naturæ præjudicium adjicit Apostolus.* Ne putet quis parum attentus B. Paulo contradicere Septimium; quamvis enim abundans coma quasi naturale sit ornamentum mulieris, nihil tamen etsi censentur, (quamquam, ut alio loco ostendimus, consuetudo contraria fuerit), attonsis enim capillis semper velandæ sunt fœminæ, adeo ut velum capillorum vices subeat. Quod in monialibus etiam nostris temporibus fieri solet. Le Pa.

CAP. VIII.—(f) *Masculi investis.* Ab aliis, antequam hisce annotatiunculis manum admovereamus, observatum vidi, investem esse impuberem, et puberem vesticipem esse. Ad eum significatum accipiendus forsan Lucretius lib. V:

> Impuberem molli pubescere veste.

qui inter viros virgo est secundum disciplinam : (a) cur non præjudicatum sit proinde et mulierem virginem omnem muliere nominata contineri consórtio nominis, ut contineatur et communione legis? Si viro mulier non est, nec vir investis est. Si non operitur virgo, quia mulier non sit, operiatur investis, quia vir non sit. Ejusdem virginitatis æqua sit venia. Sicut virgines non coguntur velari, ita pueri non jubeantur revelari. Cur (b) ex parte definitionem (1) Apostoli agnoscimus absolutam circa omnem virum, nec retractamus (2) quare non et puerum nominarit : ex parte autem prævaricamur, æque absoluta ea circa omnem mulierem? *Si quis*, inquit, *contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (I *Cor.* VI, 16). Ostendit contentionem aliquam de ista specie fuisse, ad quam exstinguendam toto compendio usus est : neque virginem nominans, ut ostenderet dubitandum de velanda non esse, et omnem nominans mulierem, cum nominasset virginem. Sic et ipsi Corinthii intellexerunt. Hodie denique virgines suas Corinthii velant; quid docuerint Apostoli, qui didicerunt, approbantes (3).

CAPUT IX.

Videamus nunc, an, sicut naturæ et caussæ argumenta virgini quoque competere monstravimus, ita etiam disciplinæ ecclesiasticæ præscripta de muliere in virginem spectent (4). (c) Non permittitur mulieri in ecclesia loqui (I *Cor.* XIV, 34; I *Tim.* II, 12), sed nec docere, nec tinguere, (d) nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum (5) sacerdotalis officii sortem vindicare. Quæramus an aliquid horum virgini liceat. Si virgini non licet (6), sed in omnibus eadem conditione subjicitur, et necessitas humilitatis cum muliere censetur, unde illi unum hoc licebit, quod omni fœminæ non licet? Quid prærogativæ meretur adversus conditionem suam, si qua virgo est, et (e) carnem suam sanctificare proposuit? Idcirco velaminis venia fit illi, ut in ecclesiam notabilis et insignis introeat, (f) ut honorem sanctitatis in libertate capitis ostendat? Potuit dignius honorari aliqua prærogativa virilis aut gradus, aut officii. Plane scio alicubi virginem (g) in viduatu ab annis nondum viginti collocatam. Cui si quid refrigerii debuerat episcopus, aliter utique salvo respectu disciplinæ præstare potuisset, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum, in Ecclesia denotaretur : virgo vidua, hoc quidem portentuosior, quod nec qua vidua caput texit : utrumque se negans, et virginem, quæ vidua deputetur, et viduam, quæ virgo dicatur. Sed ea auctoritate illic sedet intecta (7), qua et virgo. Ad quam sedem præter annos sexaginta (I *Tim.* V, 9) non tantum univiræ, id est nuptæ, aliquando eliguntur, sed et matres, et quidem educatrices filiorum, scilicet, ut experimentis omnium affectuum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Diffinitionem *Seml.*
(2) Detractamus *Seml.*
(3) Approbant *Seml.*
(4) Spectant *Seml. Leop. forte* speciant *Jun.*
(5) Ne duo sacerdotalis officii *Seml.*
(6) Si virgini non liceat sed *Seml.*
(7) Contexta *Seml. forte* non texta *Latin.*

COMMENTARIUS.

(a) *Cur non præjudicatum sit*, etc. Pergit in eo argumentandi modo, quo perpetuo hic utitur; ut *mulieris* nomen de virgine ac marito conjuncta promiscue usurpetur. LE PR.

(b) *Ex parte definitionem Apostoli.* Quamobrem parti uni præcepti illius potius hæreticus quam alteri. Cum enim *omnis mulier* scripsit, cujuscumque generis, conditionis, et ætatis fœminas comprehendit. LE PR.

CAP. IX.—(c) *Non permittitur mulieri in ecclesia loqui.* Moribus romanis receptum est, ut fœminæ civilibus officiis non fungantur; non quia non habent judicium, sed ne contra pudorem sexui congruentem virilibus officiis se immisceant. Propterea vero Ecclesia quoque ab virilibus muneribus removendas censuit. Etenim Apostoli edicto continetur : *Mulieres in ecclesia loqui nolo.* Quod verbum, cum sit generale, comprehendit omnia virilia, in quibus sunt et sacerdotalia. Non permittitur mulieri in ecclesia loqui; puta nec sciscitari, nec disputare : nam hæc virilium sunt munerum, et viris tantum conceduntur Sed nec docere, nec tinguere, nec offerre : quæ sane sunt officia sacerdotis, seu præsidis, aut præpositi ecclesiæ. Auctor Quæstionum ex veteri Test., quæst. 45, tom. IV Op. August., absurdum ait esse dicere, mulieri datum esse, ut quemadmodum vir, sic et ipsa imago Dei sit dominandi jure : *Quomodo enim potest de muliere dici, quæ imago Dei est, quam constat dominio viri subjectam, et nullam auctoritatem habere? Nec enim docere potest, nec testis esse, neque fidem dicere, neque judicare; quanto magis non potest imperare!* Denique, mulieri non permittuntur civilia nec virilia munera, multo autem minus sacerdotalia. RIG.

(d) *Nec offerre.* Post Rhenanum Pamelius explicat sacrificare; quod vix admitterem : quid enim sibi vult illa interpretatio, quæ mulieri missam celebrare non permittit? quis unquam permisit? *Offerre* intelligi debet de votis et orationibus. LE PR.

(e) *Carnem suam sanctificare.* Infra, *Ipsam naturam consecrare.* Hæc autem apud Isidorum leguntur, sed absurdissime in alium sensum detorta, lib. II de Offic. eccl. RIG.

(f) *Ut honorem sanctitatis in libertate capitis ostendat?* Ita dictitabant, qui de virginitate gloriam captabant humanam, bona ratione factam sibi fuisse velaminis veniam; neque sibi fraudi aut invidiæ esse debere datam sanctitati prorogativam. Sic enim fieri, ut honore isto conspicuæ et insignes, cum in ecclesiam intrarent, cæteras ad opus idem sanctificandæ carnis sollicitarent. Sed ineptum illis esse hujusmodi honorem contendit Tertullianus. Atque id revincit propositis honoribus aliis; majoribus quidem, sed virgini magis adhuc ineptis; potuit, inquit, dignius honorari aliqua prærogativa virilis aut gradus aut officii. Nam hæc per derisum dici apparet ex præcedentibus : *Non permittitur mulieri muneris ullius virilis, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.* Item ex sequentibus istis : *Adeo nihil virgini ad honorem de loco permissum est, sed nec de aliquibus insignibus.* — *Ut honorem sanctitatis.* Isidorus, *honorem sanctificati corporis.* RIG.

(g) *In viduatu collocatam.* Nempe ab episcopo; dixit autem, *in viduatu*, quemadmodum in diaconatu. Unde colligitur in Ecclesia tunc temporis christiana ordinem sive honorem fuisse viduarum. Itaque lib. I *ad Uxorem*, viduam adlegi in ordinem, nisi univiram, non concedit. Postea vero nec ullas quidem ordinari placuit conciliis Arausicano I, et Epaonensi. RIG.

structæ, facile norint cæteras et consilio et solatio juvare, et ut nihilominus ea decucurrerint, per quæ fœmina probari potest. Adeo nihil virgini ad honorem de loco permissum est.

CAPUT X.

Sic nec de aliquibus insignibus. Cæterum satis inhumanum, si fœminæ quidem per omnia viris subditæ, honorigeram notam virginitatis suæ præferant, qua (1) suspiciantur et circumspiciantur et magnificentur a fratribus, viri autem tot virgines, tot spadones voluntarii, cæco bono suo incedant, nihil gestantes, quod et ipsos faceret illustres. Debebunt etiam et ipsi aliqua sibi insignia defendere, aut (2) pennas Garamantum, aut (*a*) stropulos (3) Barbarorum, aut (*b*) cicadas Atheniensium, aut (*c*) cirros Germanorum, aut (*d*) stigmata Britonum: aut ex diverso fiat, capite velati in ecclesia lateant. Certi sumus Spiritum Sanctum magis masculis tale aliquid subscribere potuisse, si fœminis subscripsisset, cum præter sexus auctoritatem, etiam ipsius continentiæ nomine masculos potius honorari oportuisset; quorum quanto sexus avidior et calidior in fœminas, tanto continentia majoris ardoris laboratior, ideoque dignior omni ostentatione: si ostentatio, virginitatis est dignitas. Non enim et continentia virginitati antistat, sive viduorum, sive qui ex consensu (*e*) contumeliam communem jam recusaverunt? Nam virginitas gratia constat, continentia vero virtute. Non concupiscendi, cui concupiscendo inoleveris, grande certamen est. Cujus autem (*f*) concupiscendi ignoraveris fructum, facile non concupisces, adversarium non habens, concupiscentiam fructus. Quomodo ergo non magis viris aliquid tale Deus in honorem subscripsisset, vel quia familiariori, scilicet imagini suæ, vel quia plus laboranti? Si autem nihil masculo, multo magis fœminæ.

CAPUT XI.

Sed quod supra intermisimus, ex parte subsecutæ disputationis, ne cohærentiam ejus dispergeremus, nunc responso expungemus. Ubi enim gradum fiximus de Apostoli absoluta definitione, omnem mulierem etiam omnis ætatis intelligendam (I *Cor.*, XI, 5). responderi ex diverso habebat, ergo a nativitate et a primo nomine ætatis virginem operiri oportere. Non ita est autem, sed ex quo se intelligere cœperit, et censum naturæ suæ intrare, et de virginis (4) exire, et pati novum illud quod alterius ætatis est. Nam et principes generis Adam et Eva (*Gen.* II), quamdiu intellectu carebant, nudi agebant (*Gen.* II). At ubi de arbore agnitionis gustaverunt, nihil primum senserunt quam erubescendum. Itaque (5) sui quique sexus intellectum tegmine notaverunt. Sed et si propter angelos velanda est, sine dubio ab ea ætate lex velaminis operabitur, a qua potuerunt filiæ hominum concupiscentiam sui adducere, et (*g*) nuptias pati. Ex illo enim virgo desiit, ex quo potest non esse. Et ideo (*h*) penes Israel illicitum est ad virum tradere, nisi post contestatam sanguine maturitatem: ita ante hunc indicem acerba res est. Igitur si tamdiu virgo, quamdiu acerba est, desinit virginem cum matura (6) cognoscitur, et ut non virgo jam legi applicatur, sicut et nuptiis. Et desponsatæ quidem habent exemplum Rebeccæ (*Gen.* XXIV, 64), quæ cum ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognovit esse, quem de longinquo prospexerat (7), (*i*) non sustinuit dextera colluctationem, nec oculi congressionem, nec salutationis communicationem (8), sed confessa quod senserat, id est spiritu nuptam, negavit virginem velata ibidem. O mulierem jam de Christi disciplina! Ostendit enim

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quasi *Venet.*
(2) *Forte* ut *Jun.*
(3) Scropulos *Fran.* strobulos *Paris. Salmas. et Rig. lequnt* stroculos.
(4) Virgineis *Fran.*
(5) Ita *Seml.*
(6) Natura *Paris.*
(7) Perspexerat *Rhen.*
(8) Communionem *Franeq.*

COMMENTARIUS.

CAP. X. — (a) *Stropulos Barbarorum.* In antiquis exemplaribus et Rhenani editionibus, *Scrobulos*, seu *Strubulos*. Legendum, ut monuit Salmasius, *Stropulos*. Prisci Latini Strupos dixere tænias et fascias. Est autem græcum στρόφος et στρόφιον. Inde Stropi et stropiola, seu strophiola et stropuli. Rig. — *Stropulos.* Hæreo interpretationi Rigaltii; adde legi posse *crobylos*. Thucydidæ interpres in lib. I: κρωβύλος δ' ἐστὶν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν ἀπὸ ἐτέρου εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον *crobylus est intorti hinc et inde capilli genus, in acutum vergens.* In viris crobylus erat, corymbus in fœminis, et scorpius in pueris. Le Pr.

(b) *Cicadas Atheniensium.* Athenienses τεττιγοφορεῖς crines implexos fibula in cicadam conformata nectebant. Rig.

(c) *Cirros Germanorum.* Crinibus in nodum tortis. Tacitus, *de Moribus Germanorum: Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere.* Rig.

(d) *Stigmata Britonum.* Britannorum corpora variis figuris compuncta fuisse tradit Herodianus, lib. III, atque inde est quod apud Claudianum legitur:

Ferroque notatas
Perlegit exangues picto meriente figuras. Rig.

(e) *Contumeliam communem.* Pertinet illud ad nævos Tertulliani, qui tanto flagrabat virginitatis et continentiæ amore, ut ita legitimum viri et uxoris congressum appellet hoc loco, et infra cap. 2. Pro antidoto autem hic servire poterit, quod lib. *de Pud.* vocet *benedictionis concubitum.* Pam.

(f) *Concupiscendi ignoraveris fructum.* Oleum et operam perdunt qui aliter quam de vetita concupiscentia explicant. Id de liberis nequit dici, licet a Didonis sorore Anna *Veneris præmia* nominentur apud poetam Latinum, et δῶρ' Ἀφροδίτης apud Homerum. Le Pr.

CAP. XI. — (g) *Nuptias pati.* Sæpe hoc verbum occurrit in Tertull. de virgine jam matura et nubili. Petron. Satyr. *annis ad patiendum gestientibus.* Lac.

(h) *Penes Israel.* Quo loci hoc scriptum in sacris bibliis, quærit Pamelius; sed monet Junius id non haberi ex lege Dei, sed tantum ex consuetudine Judæorum fundata naturali jure, et cum aspectu ad ea quæ dicuntur Deuteron. XXII. Lac.

(i) *Non sustinuit dextræ colluctationem.* Id est, non exspectavit. Rig.

etiam nuptias de aspectu et animo fieri, quemadmodum stuprum. Nisi quod etiam (*a*) Rebeccam quidam adhuc velant. De cæteris vero, id est, quæ desponsatæ non sunt, viderit (1) parentum procrastinatio ex (*b*) angustiis (*c*) vel scrupulositate descendens, viderit et ipsum (*d*) continentiæ votum. Nihil pertinet ad ætatem sua spatia currentem, suaque debita maturitati luentem. Alia in occulto mater, natura, et alius in latenti pater, tempus, filiam suam legibus suis maritarunt. (*e*) Aspice nuptam jam illam tuam virginem, et animam expectatione, et carnem transfiguratione (2), (*f*) cui tu secundum paras maritum. Jam et vox obsolefacta est, et membra completa sunt, et pudor (*g*) ubique vestitur, (*h*) et menses tributa dependunt (3): ac tu mulierem negas, quam muliebria pati dicis! Si congressio viri mulierem facit, non tegantur, nisi post ipsam nuptiarum passionem. Atquin etiam apud ethnicos velatæ ad virum ducuntur. Si autem ad desponsationem velantur, quia et corpore et spiritu masculo mixtæ sunt per osculum et dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritus (4), per commune conscientiæ pignus, quo (*i*) totam condixerunt confusionem, quanto magis tempus illas velabit, sine quo sponsari non possunt, et quo urgente sine sponsalibus virgines desinunt esse! Tempus etiam ethnici observant, ut ex lege naturæ jura sua ætatibus reddant. Nam fœminas quidem a duodecim annis, masculum vero a duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non sponsalibus aut nuptiis decernentes. Materfamiliæ vocatur licet virgo, et paterfamiliæ licet investis. A nobis nec naturalia (5) observantur, quasi alius sit Deus naturæ quam noster.

CAPUT XII.

Agnosce et mulierem, agnosce et nuptam, de testimoniis et corporis et spiritus, quæ patitur et in conscientia et in carne. Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsalium et nuptiarum. Impone velamen extrinsecus, habenti tegumen intrinsecus. Tegantur etiam superiora, cujus inferiora nuda non sunt. Vis scire quæ sit ætatis auctoritas? Propone utramque, immaturo compressam in habitu mulieris, et quæ maturitate progressa in virginitate duret cum suo habitu, facilius illa mulier negabitur, quam ista virgo credetur. Tanta est adeo fides ætatis, ut nec habitu obstrui possit. Quid quod etiam hæ nostræ (6) etiam habitu mutationem ætatis confitentur, simulque se mulieres intellexerunt, (*j*) de virginibus educantur (7), a capite quidem ipso deponentes quod fuerunt: (*k*) vertunt capillum, et acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus a fronte divisis apertam professæ mulieritatem. Jam et consilium formæ a speculo petunt, et faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan et aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinsecus jactant, calceum stipant multiformem, (*l*) plus instrumenti ad balneas deferunt. Quid singula persequar? (*m*) Solæ (8) autem manifestæ patunt, pubertatem in annis, non sponsalibus aut nuptiis decernentes. Materfamiliæ vocatur licet virgo, et paterfamiliæ licet investis. A nobis nec naturalia (5) observantur, quasi alius sit Deus naturæ quam noster.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Viderint *plerique edd.*
(2) Expectationem transfigurationem *Seml. Rig.* ex spectatione.
(3) Defendunt *Seml.* dependunt: *hanc Ciacconi conjecturam auctoritate confirmatam cod. MS. prob. Rig.*
(4) Spiritu *Seml.*
(5) Naturalibus *Venet.*
(6) Quid quod et jam *Jun.*
(7) Educuntur *al.*
(8) Solemnem *Fran. Paris.* solæ enim *Latin. Jun.* sola enim manifesta paratura *Ciaccon.* solæ *in cod. Divionensi, quod Rig. præfert.*

COMMENTARIUS.

(a) *Rebeccam quidam adhuc velant.* Hoc est, virgines quidem desponsatas nonnulli adhuc velant, minime autem cæteras. At Tertullianus et cæteras quoque velandas esse contendit. Rig.

(b) *Ex angustiis.* Hoc est tenuitate facultatum sive fortunarum. Nam, ut est apud Satyrographum,

> Non facile emergunt, quorum virtutibus obstat
> Res angusta domi.

Hujusmodi puellæ pauperiores, difficilius etiam maritum inveniunt. Ruen.

(c) *Vel scrupulositate.* Hoc est morositate parentum, quibus nullus placet. Ruen.

(d) *Continentiæ votum.* Notetur hic locus diligentissime. Ecce enim scriptor antiquissimus meminit voti continentiæ, jam tum mitti soliti a fidelibus. Lac.

(e) *Aspice nuptam jam illam tuam virginem.* Virgo illa tua, inquit, jam nupta est animam exspectatione mariti, nupta est, et carnem transfiguratione pubis. Nupta carnem et animam, ut, *os humerosque Deo simile.* Rig.

(f) *Cui tu secundum paras maritum.* Sensus est, virgo tua quam tu virginem adhuc existimas, propter ætatem desiit esse virgo, non quidem a viro corrupta, sed ab ætate: proinde maritus, quem ei trades, secundus erit. Ruen.

(g) *Et pudor ubique vestitur.* Ipse libro *de Anima: Vestitior sexus est.* Rig.

(h) *Et menses tributa dependunt.* Sic legitur in codice Ful. Ursini. At in codice Divionensi et in editionibus Rhenani, *defendunt.* Rig.

(i) *Totam condixerunt confusionem.* Quam prope dixit: Totam condixerunt contumeliæ conjugalis impudentiam! Rig.

CAPUT XII. — (j) *De virginibus educuntur.* Educunt sese virginum censu. Rig.

(k) *Vertunt capillum.* Nolim affirmare idem hæc significare, ac crines intorquere. Cum enim lego lib. II de Cultu fœm. cap. 6, *Capitum croco vertere,* illud in memoriam revocat curam mutandis tingendisque crinibus apud veteres. Herodianus de Antonino: κόμας τε τὰ πρόσθεν ἐπετίθετο ξανθάς· *crines etiam capiti imposuit flavos,* et apud Clem. Alex. τρίχας ξανθὰς πλέον, *crines flavos reddens.* Capitolinus in Vero: *Dicitur sane tantum habuisse curam flaventium capillorum,* etc. Ea fuit flaventis capillitii affectatio, ut Lætam admoneat B. Hieronymus: *ne capillum irrufes.* Le Pr.

(l) *Plus instrumenti ad balneas deferunt.* Clemens, Paedag III, 5: τά τε ἀρτυρώματα μετ' ὧν ἐμπορεύονται ἀπέρισκολως ἐς τοὺς βαλανείους προτίθενται. Rig.

(m) *Solæ autem manifestæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem.* Sic omnino legitur in codice Divionensi, nec dubito talem fuisse Tertulliani manum. Hæ nostræ, inquit, virgines, christianæ videlicet, etiam habitu mutationem ætatis confitentur, simulque pubertatem subnasci suam sentiunt, jam se esse mulieres, atque ex virginibus excessisse intelligunt. Itaque a capite ipso deponunt habitum virginalem, vertunt capillum, acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus a fronte divisis apertam professæ mulieritatem. Deinde colligit: Imo solæ virgines

raturæ totam circumferunt mulieritatem. (a) Sed virginari volunt sola capitis nuditate, (b) uno habitu negantes quod toto suggestu profitentur.

CAPUT XIII.

Si (c) propter homines habitu abutuntur, impleant illum etiam in hoc, ut et apud ethnicos caput velent. Certe in ecclesia virginitatem suam abscondant, quam extra ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur et fratres : aut constanter audeant, et in vicis virgines videri sicut audent in ecclesiis. Laudabo vigorem, (d) si aliquid et apud ethnicos virginitatis nundinarent. Eadem natura foris quæ et intus, eadem institutio apud homines et apud Dominum eadem libertate constat. Quo ergo foris quidem bonum suum abstrudunt, in ecclesia vero provulgant? Exposco rationem; utrumne ut fratribus suis placeant, an ut ipsi Deo? Si ut ipsi Deo : tam idoneus est ad conspicienda quæ in occulto fiunt, quam justus ad remunerandæ quæ soli sibi fiunt. Denique præcipit, nihil debuccinemus eorum quæ apud illum mercedem merebuntur, nec ea ab hominibus compensemus. Quod si (e) unius victoriati, vel quamcunque eleemosynæ operationem, (f) sinistra conscia (1) facere prohibemur (*Matth. VI*), quantum tenebrarum circumfundere debemus, cum tantam oblationem Deo offerimus, ipsius corporis et ipsius spiritus nostri, (g) cum illam ipsam naturam consecramus. Ergo quod non potest videri propter Deum fieri, quia sic fieri Deus non vult, sequitur ut hominum gratia fiat : utique primo illicitum, ut gloriæ libidinosum. Gloria enim illicitum est eis, quorum probatio in omni humiliatione (2) constat. Et si a Deo confertur continentiæ virtus; *Quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? *Si vero non accepisti, quid habes quod datum tibi non est?* Hoc ipso autem constat a Deo datam (3) tibi non esse, quod illam non soli Deo præstas. Videamus ergo quod humanum est, an firmum sit et verum.

CAPUT XIV.

Referunt aliquando dictum a quadam (4), cum primum quæstio ista tentata est : Et quomodo cæteras sollicitabimus (*h*) ad hujusmodi opus. Scilicet felices nos facient, si plures erunt, et non Dei gratia vel merita cujusque. Virgines ecclesiam, an ecclesia virgines ornat Deo, sive commendat? Confessa est igitur gloriam (5) esse in caussa. Porro (*i*) ubi gloria, illic sollicitatio; ubi sollicitatio, illic coactio; ubi coactio, illic necessitas; ubi necessitas, illic infirmitas. Merito itaque dum caput non tegunt ut sollicitentur gloriæ caussa, (*j*) ventres tegere coguntur infirmitatis ruina. Æmulatio enim illas, non religio producit : aliquando et (*k*) ipse venter Deus earum, (*l*) quia facile virginis fraternitas suscipit. Nec tantum autem ruunt, sed et funem longum delictorum sibi adtrahunt. (*m*) Prolatæ enim in medium, et publicato bono suo elatæ, et a fratribus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sinistra conscientia *Seml.*
(2) In omni humilitate *affert Rhen.*
(3) Datum *Seml.*
(4) *Wowveri MS. et Rig.* quadam ; *cæteri* quodam.
(5) *Iidem* confessa ; *cæteri*, confessus.

COMMENTARIUS.

totam circumferunt manifestæ paraturæ mulieritatem. Etenim capite incedunt nudo, principali manifestæ paraturæ muliebris parte, quam regere solent mulieres. Itaque plus exhibent manifestæ mulieritatis, quam ipsæ mulieres. Rig.

(a) *Sed virginari volunt.* Virgines haberi volunt, inutilis mihi videtur eorum labor ac propudiosus, qui statim explicant devirginari esse contrarium, et obscœnitates mille obtrudunt ut scilicet gloriolam illam aucupentur qua eruditi credantur. Adeoque rerum venerearum et antiquæ impuritatis indagatoribus illud relinquo, devirginare est διαφθεῖραι imminuere, depudicare, ut glossæ docent, qua interpretatione nihil ad hunc locum, nihil minus conveniens : sed violo te, pudor! Le Pr.

(b) *Uno habitu.* Capitis videlicet aperti. Rig.

(c) *Si propter homines habitu abutuntur.* Totus iste locus sic est legendus ac distinguendus. *Si propter homines habitu abutuntur, impleant illum etiam in hoc, et, ut apud ethnicos caput velant, certe in ecclesia virginitatem suam abscondant, quam extra ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur et fratres. Aut constanter audeant et in vicis virgines videri, sicut audent in ecclesiis.* Christianæ virgines, quamvis in ecclesia capite essent intecto, tamen apud ethnicos et in vicis incedebant velatæ caput. Dicebant autem se abuti habitu, hoc est, se ambulare in alieno habitu : ne scilicet in virginali suo ab ethnicis appeterentur ardentius. Laudat consilium Tertullianus; sed præterea requirit, ut in hoc etiam impleant habitum illum non suum, cum in ecclesiam ventitant; nimirum propter fratres, qui etiam homines sunt. Rig.

CAP. XIII. — (d) *Si aliquid et apud ethnicos virginitatis nundinarint.* Si tantum illis in sua virginitate constantiæ suppetit, ut ejus etiam exempla proponere audeant unde ethnici sumant quod imitentur. Rig.

(e) *Unius victoriati.* Nummi genus ex Illyrico advectis, qui mercis loco erat; de eo Plin., lib. XXXIII, cap. 3. Le Pr.

(f) *Sinistra conscia.* Reducenda veterum exemplarium scriptura hujusmodi : *Sinistra conscientia.* Dixit autem sinistram conscientiam, pro sinistra conscia, quemadmodum libro de Pallio, sacerdotem suggestum, pro sacerdotali suggestu. Rig.

(g) *Cum illam ipsam naturam consecramus.* Codex Divion. *Cum illi ipsi naturam consecr.* Malim, *Cum illi ipsam naturam consecramus.* Rig.

CAP. XIV. — (h) *Ad hujusmodi opus.* Intellige operationem sanctificandæ carnis et consecrandæ virginitatis. Sic operationem eleemosynæ, et operationem jejunii. Rig.

(i) *Ubi gloria, illic sollicitatio.* Hæc indicio sunt, virgines illo ævo, etiam Deo fuisse consecratas, nec tamen velatas, neque reclusas. Rig.

(j) *Ventres tegere coguntur.* Ventres dicit, ut solent auctores juris, Uteros admisso viro gravidatos. Itaque, ventres tegere, hoc est, graviditates dissimulare. Rig.

(k) *Ipse venter Deus earum.* Hic vulgari sensu ventrem posuit pro gula. Rig.

(l) *Quia facile virgines fraternitas suscipit.* Retuli ad eleemosynam qua fratres christiani libenter accipiebant virgines; eo enim me ducunt verba, quæ præcedunt de ventre, ut dicat : Producit illas aliquando venter, id est, gula, quia vident fratres suppeditare cibos virginibus. Lac.

(m) *Prolatæ in medium et publicato bono suo.* Hæc fieri solebant in professione virginis religiosa. Ecclesia frequenti proferebatur in medium talis propositi virgo coram præside sive præposito, ab eoque publicabatur virginis bonum, nempe bonum consecrandæ

omni honore et caritatis operatione cumulatæ, dum non latent ubi quid (1) admissum est, tantum dedecoris cogitant, quantum honoris habuerunt. Si intectum caput virginitati adscribitur, si qua virgo exciderit de gratia virginitatis, ne prodatur, intecto permanet capite : et tunc jam alieno ambulat habitu, id est (*a*) quem sibi vindicat virginitas : permanet nihilominus in habitu, vel tunc saltem alieno, ne scilicet mutatione prodatur. Consciæ mulieritatis (2) jam indubitatæ, audent nudo capite ad Deum adire. Sed æmulator Deus et Dominus, qui dixit : (*b*) *Nihil occultum quod non revelabitur* (*Matth.* X, 26), plerasque etiam in conspectum deducit. Non enim confitebuntur, nisi ipsorum infantium suorum vagitibus proditæ. Quantum autem plures, non etiam de pluribus sceleribus suspectas habebis? Dicam, licet nolim, (*c*) difficile mulier semel fit (3), quæ non timet fieri, quæque jam facta potest virginem mentiri sub Deo. Quanta item circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur! Scit Deus (4) quod jam infantes et perfici et perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu a matribus. Facillime semper concipiunt, et felicissime pariunt hujusmodi virgines, et quidem similimos patribus. (*d*) Hæc admittit flagitia coacta et invita (5) virginitas. Ipsa concupiscentia non latendi non est pudica, patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi, utique et viris. Quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis et multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, (*e*) dum inter amplexus et oscula assidua concalescit. Sic A frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter jam placere desiderare.

CAPUT XV.

Sed enim vera, et tota, et pura virginitas nihil magis timet quam semetipsam ; etiam fœminarum oculos pati non vult ; alios ipsa oculos ; habet, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones, et susurros, et æmulationem, (*f*) ipsum quoque livorem. Nam est aliquid etiam apud ethnicos metuendum, (*g*) quod fascinum vocant, infeliciorem ludis et gloriæ enormioris eventum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur : ipsius est enim, boni odium, interdum Deo deputamus : illius est enim B superbiæ judicium, extollentis humiles, et deprimentis elatos. Timebit itaque virgo sanctior, vel in nomine fascini, hinc adversarium, inde Deum : illius lividum ingenium, hujus censorium (6) lumen : et gaudebit sibi soli et Deo nota. Sed et si cui innotuerit, sapit si tentationibus (*h*) gradum obstruxerit. Quis enim audebit oculis suis premere faciem clausam, faciem non sentientem, faciem, ut dixerim, tristem? Quicunque malus cogitatus ipsa severitate frangetur. Jam se etiam mulierem negat, quæ virginem celat.

CAPUT XVI.

In his consistit defensio nostræ opinionis secundum Scripturam, secundum naturam, secundum disciplinam. Scriptura legem condit, natura contestatur, disciplina exigit. Cui ex his consuetudo opiC nionis prodest, vel qui diversæ sententiæ color est? Dei est Scriptura, Dei est natura, Dei est disciplina.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Lat. conj.* dummodo lateat, ubi quid admissum est.
(2) *Rig.* consciæ mulieritatis jam indubitatæ *Rhen. ed.* I. conscientiæ muliebritatis jam indubitatæ, etc.
(3) Quæ timet fieri *Rhen.*
(4) *Rhen.* quot *pro* quod *supposuit.*
(5) *Non* invitata *ut Rhen. et cod. Divion.*
(6) Censorum *Venet. mend.*

COMMENTARIUS.

virginitatis consilium. Ac deinceps a fratribus, hoc est, ab Ecclesia. omni honore et caritatis operatione cumulabantur. Rig.

(*a*) *Id est quem sibi vindicat virginitas, permanet nihilominus in habitu vel tunc saltem alieno, ne scilicet mutatione prodatur.* Hæc omnia, quamvis reperiantur in antiquis exemplaribus, mihi videntur importuna, atque ex aliqua forte ad libri marginem interpretatione invecta. Rig.

(*b*) *Nihil occultum quod non revelabitur.* Græca exemplaria imitatur, ἀποκαλυφθήσεται. Sunt nihilominus etiam exemplaria latina Ms. editionis Vulgatæ, quæ sic legunt : *reveletur.* Pam.

(*c*) *Difficile mulier semel fit, quæ non timet fieri.* Vix est ut admittat semel, quæ semel admisso non timet fieri mulier, quæque jam facta potest virginem mentiri sub Deo, hoc est, in Ecclesia. Negationem reposui, quæ excidit etiam antiquis exemplaribus. Rig.

(*d*) *Hæc admittit flagitia coacta et invita virginitas.* In cod. Divionensi legitur, *Inritata*, quod respondere videtur *sollicitationi.* Coactam et invitatam dicit virginitatem earum, quas æmulatio, non religio produxit, et sollicitavit ad hujusmodi opus dicandæ consecrandæque Deo virginitatis. Male tuentur quod humanæ gloriæ studio, non sanctitatis amore susceperunt.

(*e*) *Dum inter amplexus et oscula assidua concalescit.* Hoc autem faciebat fraternitas. Nam osculo se quondam salutabant Christiani. Et ante dixit : *facile virgines fraternitas suscipit ;* fit autem susceptio per amplexum. Rhen.—*Inter oscula assidua concalescit.* Clemens de hoc osculo, lib. III *Pædag.* cap. 11 : ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἄναγνον φίλημα πλήρες ἰοῦ, ἀγκυλωτὴν ὑποκρινόμενον, *est aliud osculum incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans.* Et post pauca : φιλήματα δὲ πολλάκις ἐνῆκεν ἰὸν ἀκολασίας, *oscula sæpe immittunt virus impudicitiæ.* Atqui osculum non hac mente, religiosum D sit necesse est. Rig.

CAP. XV.—(*f*) *Ipsum quoque livorem.* Livorem accipit Auctor uti et seq. patet; pro odio, et mox lividum pro invidioso. Similiter et B. Cyprianus, qui librum scripsit *de zelo et livore*, et B. Hier. eumdem librum citans in Epistolam apostoli ad Galat. V. Pam.

(*g*) *Quod fascinum vocant.* Invidiæ quam Auctor, uti diximus, livorem nuncupat, magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cum eam sola voluntate, et ipso afflatu ac contagione maleficam et venenatam esse, et hominibus quibus male vellet obesse graviter censerent. Hanc ergo ab ethnicis fascinum dictam recte dicit auctor, et ad odium diaboli refert, atque adeo ad instar illorum, qui varia contra fascinum, præsertim in pueris, adhibebant remedia, *velamen capitis* virginibus proponit. Pam.

(*h*) *Gradum obstruxerit.* Gradum obstruere est antevertere et præoccupare. Lac.

raturæ totam circumferunt mulieritatem. (a) Sed virginari volunt sola capitis nuditate, (b) uno habitu negantes quod toto suggestu profitentur.

CAPUT XIII.

Si (c) propter homines habitu abutuntur, impleant illum etiam in hoc, ut et apud ethnicos caput velent. Certe in ecclesia virginitatem suam abscondant, quam extra ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur et fratres : aut constanter audeant, et in vicis virgines videri sicut audent in ecclesiis. Laudabo vigorem, (d) si aliquid et apud ethnicos virginitatis nundinarent. Eadem natura foris quæ et intus, eadem institutio apud homines et apud Dominum eadem libertate constat. Quo ergo foris quidem bonum suum abstrudunt, in ecclesia vero provulgant? Exposco rationem; utrumne ut fratribus suis placeant, an ut ipsi Deo? Si ut ipsi Deo : tam idoneus est ad conspicienda quæ in occulto fiunt, quam justus ad remunerandæ quæ soli sibi fiunt. Denique præcipit, nihil debuccinemus eorum quæ apud illum mercedem merebuntur, nec ea ab hominibus compensemus. Quod si (e) unius victoriati, vel quamcunque eleemosynæ operationem, (f) sinistra conscia (1) facere prohibemur (*Matth. VI*), quantum tenebrarum circumfundere debemus, cum tantam oblationem Deo offerimus, ipsius corporis et ipsius spiritus nostri, (g) cum illam ipsam naturam consecramus. Ergo quod non potest videri propter Deum fieri, quia sic fieri Deus non vult, sequitur ut hominum gratia fiat : utique primo illicitum, ut gloriæ libidinosum. Gloria enim illicitum est eis, quorum probatio in omni humiliatione (2) constat. Et si a Deo confertur continentiæ virtus; *Quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? *Si vero non accepisti, quid habes quod datum tibi non est?* Hoc ipso autem constat a Deo datam (3) tibi non esse, quod illam non soli Deo præstas. Videamus ergo quod humanum est, an firmum sit et verum.

CAPUT XIV.

Referunt aliquando dictum a quadam (4), cum primum quæstio ista tentata est : Et quomodo cæteras sollicitabimus (h) ad hujusmodi opus. Scilicet felices nos facient, si plures erunt, et non Dei gratia vel merita cujusque. Virgines ecclesiam, an ecclesia virgines ornat Deo, sive commendat? Confessa est igitur gloriam (5) esse in caussa. Porro (i) ubi gloria, illic sollicitatio; ubi sollicitatio, illic coactio; ubi coactio, illic necessitas; ubi necessitas, illic infirmitas. Merito itaque dum caput non tegunt ut sollicitentur gloriæ caussa, (j) ventres tegere coguntur infirmitatis ruina. Æmulatio enim illas, non religio producit : aliquando et (k) ipse venter Deus earum, (l) quia facile virginis fraternitas suscipit. Nec tantum autem ruunt, sed et funem longum delictorum sibi adtrahunt. (m) Prolatæ enim in medium, et publicato bono suo elatæ, et a fratribus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sinistra conscientia *Semi.*
(2) In omni humilitate *affert Rhen.*
(3) Datum *Semi.*
(4) *Wouveri MS. et Rig.* quadam ; *cæteri* quodam.
(5) *Iidem* confessa ; *cæteri*, confessus.

COMMENTARIUS.

totam circumferunt manifestæ paraturæ mulieritatem. Etenim capite incedunt nudo, principali manifestæ paraturæ muliebris parte, quam regere solent mulieres. Itaque plus exhibent manifestæ mulieritatis, quam ipsæ mulieres. Rig.

(a) *Sed virginari volunt.* Virgines haberi volunt, inutilis mihi videtur eorum labor ac propudiosus, qui statim explicant devirginari esse contrarium, et obscœnitates mille obtrudunt ut scilicet gloriolam illam aucupentur qua eruditi credantur. Adeoque rerum venerearum et antiquæ impuritatis indagatoribus illud relinquo, devirginare est διαφθεῖραι imminuere, depudicare, ut glossæ docent, qua interpretatione nihil ad hunc locum, nihil minus conveniens : sed violo te, pudor! Le Pr.

(b) *Uno habitu.* Capitis videlicet aperti. Rig.

(c) *Si propter homines habitu abutuntur.* Totus iste locus sic est legendus ac distinguendus. *Si propter homines habitu abutuntur, impleant illum etiam in hoc, et, ut apud ethnicos caput velant, certe in ecclesia virginitatem suam abscondant, quam extra ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur et fratres. Aut constanter audeant et in vicis virgines videri, sicut audent in ecclesiis.* Christianæ virgines, quamvis in ecclesia capite essent intecto, tamen apud ethnicos et in vicis incedebant velatæ caput. Dicebant autem se abuti habitu, hoc est, se ambulare in alieno habitu : ne scilicet in virginali suo ab ethnicis appeterentur ardentius. Laudat consilium Tertullianus; sed præterea requirit, ut in hoc etiam impleant habitum illum non suum, cum in ecclesiam ventitant; nimirum propter fratres, qui etiam homines sunt. Rig.

CAP. XIII. — (d) *Si aliquid et apud ethnicos virginitatis nundinarint.* Si tantum illis in sua virginitate constantiæ suppetit, ut ejus etiam exempla proponere audeant unde ethnici sumant quod imitentur. Rig.

(e) *Unius victoriati.* Nummi genus ex Illyrico advectis, qui mercis loco erat; de eo Plin., lib. XXXIII, cap. 3. Le Pr.

(f) *Sinistra conscia.* Reducenda veterum exemplarium scriptura hujusmodi : *Sinistra conscientia.* Dixit autem sinistram conscientiam, pro sinistra conscia, quemadmodum libro de Pallio, sacerdotem suggestum, pro sacerdotali suggestu. Rig.

(g) *Cum illam ipsam naturam consecramus.* Codex Divion. *Cum illi ipsi naturam consecr.* Malim, *Cum illi ipsam naturam consecramus.* Rig.

CAP. XIV. — (h) *Ad hujusmodi opus.* Intellige operationem sanctificandæ carnis et consecrandæ virginitatis. Sic operationem eleemosynæ, et operationem jejunii. Rig.

(i) *Ubi gloria, illic sollicitatio.* Hæc indicio sunt, virgines illo ævo, etiam Deo fuisse consecratas, nec tamen velatas, neque reclusas. Rig.

(j) *Ventres tegere coguntur.* Ventres dicit, ut solent auctores juris, Uteros admisso viro gravidatos. Itaque, ventres tegere, hoc est, graviditates dissimulare. Rig.

(k) *Ipse venter Deus earum.* Hic vulgari sensu ventrem posuit pro gula. Rig.

(l) *Quia facile virginis fraternitas suscipit.* Retuli ad eleemosynam qua fratres christiani libenter accipiebant virgines; eo enim me ducunt verba, quæ præcedunt de ventre, ut dicat : Producit illas aliquando venter, id est, gula, quia vident fratres suppeditare cibos virginibus. Lac.

(m) *Prolatæ in medium et publicato bono suo.* Hæc fieri solebant in professione virginis religiosa. Ecclesia frequenti proferebatur in medium talis propositi virgo coram præside sive præposito, ab eoque publicabatur virginis bonum, nempe bonum consecrandæ

omni honore et caritatis operatione cumulatæ, dum non latent ubi quid (1) admissum est, tantum dedecoris cogitant, quantum honoris habuerunt. Si intectum caput virginitati adscribitur, si qua virgo exciderit de gratia virginitatis, ne prodatur, intecto permanet capite : et tunc jam alieno ambulat habitu, id est (*a*) quem sibi vindicat virginitas : permanet nihilominus in habitu, vel tunc saltem alieno, ne scilicet mutatione prodatur. Consciæ mulieritatis (2) jam indubitatæ, audent nudo capite ad Deum adire. Sed æmulator Deus et Dominus, qui dixit : (*b*) *Nihil occultum quod non revelabitur* (*Matth.* X, 26), plerasque etiam in conspectum deducit. Non enim confitebuntur, nisi ipsorum infantium suorum vagitibus proditæ. Quantum autem plures, non etiam de pluribus sceleribus suspectas habebis? Dicam, licet nolim, (*c*) difficile mulier semel fit (3), quæ non timet fieri, quæque jam facta potest virginem mentiri sub Deo. Quanta item circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur! Scit Deus (4) quod jam infantes et perfici et perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu a matribus. Facillime semper concipiunt, et felicissime pariunt hujusmodi virgines, et quidem similimos patribus. (*d*) Hæc admittit flagitia coacta et invita (5) virginitas. Ipsa concupiscentia non latendi non est pudica, patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi, utique et viris. Quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis et multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, (*e*) dum inter amplexus et oscula assidua concalescit. Sic A frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter jam placere desiderare.

CAPUT XV.

Sed enim vera, et tota, et pura virginitas nihil magis timet quam semetipsam ; etiam fœminarum oculos pati non vult ; alios ipsa oculos ; habet, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones, et susurros, et æmulationem, (*f*) ipsum quoque livorem. Nam est aliquid etiam apud ethnicos metuendum, (*g*) quod fascinum vocant, infeliciorem laudis et gloriæ enormioris eventum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur : ipsius est enim, boni odium, interdum Deo deputamus : illius est enim B superbiæ judicium, extollentis humiles, et deprimentis elatos. Timebit itaque virgo sanctior, vel in nomine fascini, hinc adversarium, inde Deum : illius lividum ingenium, hujus censorium (6) lumen : et gaudebit sibi soli et Deo nota. Sed et si cui innotuerit, sapit si tentationibus (*h*) gradum obstruxerit. Quis enim audebit oculis suis premere faciem clausam, faciem non sentientem, faciem, ut dixerim, tristem? Quicunque malus cogitatus ipsa severitate frangetur. Jam se etiam mulierem negat, quæ virginem celat.

CAPUT XVI.

In his consistit defensio nostræ opinionis secundum Scripturam, secundum naturam, secundum disciplinam. Scriptura legem condit, natura contestatur, disciplina exigit. Cui ex his consuetudo opi- C nionis prodest, vel qui diversæ sententiæ color est? Dei est Scriptura, Dei est natura, Dei est disciplina.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Lat. conj.* dummodo lateat, ubi quid admissum est.
(2) *Rig.* consciæ mulieritatis jam indubitatæ *Rhen. ed.* I. conscientiæ muliebritatis jam indubitate, etc.
(3) Quæ timet fieri *Rhen.*
(4) *Rhen.* quot *pro* quod *supposuit.*
(5) *Non* invitata *ut Rhen. et cod. Divion.*
(6) Censorum *Venet. mend.*

COMMENTARIUS.

virginitatis consilium. Ac deinceps a fratribus, hoc est, ab Ecclesia, omni honore et caritatis operatione cumulabantur. Rig.

(*a*) *Id est quem sibi vindicat virginitas, permanet nihilominus in habitu vel tunc saltem alieno, ne scilicet mutatione prodatur.* Hæc omnia, quamvis reperiantur in antiquis exemplaribus, mihi videntur importuna, atque ex aliqua forte ad libri marginem interpretatione invecta. Rig.

(*b*) *Nihil occultum quod non revelabitur.* Græca exemplaria imitatur, ἀποκαλυφθήσεται. Sunt nihilominus etiam exemplaria latina Ms. editionis Vulgatæ, quæ sic legunt : *reveletur.* Pam.

(*c*) *Difficile mulier semel fit, quæ non timet fieri.* Vix est ut admittat semel, quæ semel admisso non timet fieri mulier, quæque jam facta potest virginem mentiri sub Deo, hoc est, in Ecclesia. Negationem reposui, quæ excidit etiam antiquis exemplaribus. Rig.

(*d*) *Hæc admittit flagitia coacta et invita virginitas.* In cod. Divionensi legitur, *Invitata*, quod respondere videtur *sollicitationi.* Coactam et invitatam dicit virginitatem earum, quas æmulatio, non religio produxit, et sollicitavit ad hujusmodi opus dicandæ consecrandæque Deo virginitatis. Male tuentur quod humanæ gloriæ studio, non sanctitatis amore susceperunt.

(*e*) *Dum inter amplexus et oscula assidua concalescit.* Hoc autem faciebat fraternitas. Nam osculo se quondam salutabant Christiani. Et ante dixit : *facile virginitatis fraternitas suscipit ;* fit autem susceptio per amplexum. Rhen.—*Inter oscula assidua concalescit.* Clemens de hoc osculo, lib. III *Pædag.* cap. 11 : Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἀναγνὸν φίλημα πλήρες νοῦ, ἀγιοσυνὴν ὑποκρινόμενον, *est aliud osculum incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans.* Et post pauca : φιλήματα δὲ πολλάκις ἐνίησιν ἰὸν ἀκολασίας, *oscula sæpe immittunt virus impudicitiæ.* Atqui osculum non hac mente, religiosum D sit necesse est. Rig.

CAP. XV.—(*f*) *Ipsum quoque livorem.* Livorem accipit Auctor uti et seq. patet; pro odio, et mox lividum pro invidioso. Similiter et B. Cyprianus, qui librum scripsit *de zelo et livore*, et B. Hier. eumdem librum citans in Epistolam apostoli ad Galat. V. Pam.

(*g*) *Quod fascinum vocant.* Invidiæ quam Auctor, uti diximus, livorem nuncupat, magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cum eam sola voluntate, et ipso afflatu ac contagione maleficam et venenatam esse, et hominibus quibus male vellet obesse graviter censerent. Hanc ergo ab ethnicis fascinum dictam recte dicit auctor, et ad odium diaboli refert, atque adeo ad instar illorum, qui varia contra fascinum, præsertim in pueris, adhibebant remedia, *velamen capitis* virginibus proponit. Pam.

(*h*) *Gradum obstruxerit.* Gradum obstruere est antevertere et præoccupare. Lac.

Quidquid contrarium est istis, Dei non est. Si Scriptura incerta est, natura manifesta est, et de ejus testimonio Scriptura incerta non potest esse. Si de natura dubitatur, disciplina quid magis Deo ratum sit ostendit. Nihil est illi carius humilitate, nihil acceptius modestia, nihil perosius (1) gloria, et studio hominibus placendi. Illud itaque sit tibi et Scriptura, et natura, et disciplina, quod ratum Deo inveneris, sicut juberis omnia examinare, et meliora quæque sectari (I *Thess.* V, 21). Superest etiam ut ad ipsa convertamur, quod libentius ista suscipiant. Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo, (*a*) secundum annorum nomina dixerim, vela caput : si mater, propter filios : si soror, propter fratres : si filia, propter patres ; omnes in te ætates periclitantur. Indue (2) armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat (*b*) oculos, nec admittat alienos. Adimple habitum mulieris, ut statum virginis serves. Mentire aliquid ex his quæ intus sunt, ut soli Deo exhibeas veritatem, quamquam non mentiris nuptam ; (*c*) nupsisti enim Christo : illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. Incede secundum sponsi tui voluntatem. Christus est, qui et alienas sponsas et maritatas (3) velari jubet, utique multo magis suas.

CAPUT XVII.

Sed et vos admonemus alterius pudicitiæ, mulieres quæ in nuptias incidistis, ne (4) sic a disciplina velaminis exsolescatis, ne quidem in momento horæ, ut quia rejicere illam non potestis, alio modo destruatis, neque tectæ, neque nudæ incendentes. (*d*) Mitris enim et lanis quædam non velant caput, sed coligant, a fronte quidem protectæ, qua proprie autem caput est, nudæ (5). Aliæ modice linteolis, credo, ne caput premant, nec ad aures usque demissis cerebro tenus operiuntur. Misereor, si tam infirmo auditu sunt, ut per tegmen audire non possint. Sciant quia totum caput mulier est (6). Limites et fines ejus eo usque porriguntur, unde incipit vestis ; quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipsæ enim sunt quas subjectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet (I *Cor.* X, 10) : velamen jugum illarum est. Judicabunt vos (7) Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput, sed (*e*) faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere, quas propterea infelicissimas ait romana quædam regina, (*f*) quod adamare magis quam adamari possint, cum sint vel ex alterius infelicitatis (8), et quidem frequentioris, immunitate felices, quia facilius adamari quam adamare fœminæ possint. (*g*) Et ethnicæ quidem disciplinæ meracior, et, ut ita dixerim, barbarior modestia. Nobis Dominus, etiam revelationibus, velaminis spatia metatus est. Nam cuidam sorori nostræ angelus in somnis cervices quasi applauderet verberans : (*h*) Elegantes, inquit, cervices, et merito nudæ ; bonum est usque ad lumbos a capite veleris (9),

LECTIONES VARIANTES.

(1) Operiosius *Rhen. Seml. Obert*
(2) Induc *Rhenan.*
(3) Maritas *Rhen. Seml. Oberth.*
(4) Nec *Seml.*
(5) Renudæ *Venet.*
(6) Mulieris *Jun.*
(7) Nos *Rhen. Seml. Obert.*
(8) Felicitatis *Rhen. Seml. Obert.*
(9) Reveleris *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI.—(a) *Secundum annorum nomina.* Subindicat olim fœminas christianas *sorores* nuncupari a fratribus, hoc est christianis, qui in nulla erant dignitate; filias vero a patribus, hoc est episcopis et presbyteris. Hinc patet nova nomina non esse in Ecclesia *patrum* et *fratrum*, item *filiarum* et *sororum*. Pam.

(b) *Emittat oculos.* Verbum est circensium, et metaphora inde est sumpta Sic Statius, lib. I. Sylv.:

Vix dum emissa dies, et jam socialia præsto
Omina.

Mire enim hic hallucinatus est Bernartius, qui *emissam diem* vesperum intelligit; cum proculdubio matutinum tempus signetur, ut bene contra illum notat Casperius. Sic Claud. paneg. Manlii :

. . . . Emisso quidquid sol imbuit ortu.

Nec illud Virgilii aliter intelligendum est :

Emissamque hyemem sensit Neptunus. Lac.

(c) *Nupsisti enim Christo.* Habitum monasticæ vitæ imprimis laudat : unde manifesto colligitur hujus vitæ rationem ante hunc virum floruisse in Ecclesia. Cyprianus enim integrum librum scripsit *de Habitu virginum.* Vide Ambros. ep. 81. Lac.

CAP. XVII.—(d) *Mitris enim et lanis.* Mitra capitis ornatus est muliebris, seu corona quæ fasciolis et redimiculis ligabatur; fasciæ autem illæ lanæ seu phylla vocabantur. Le Pr.

(e) *Faciem quoque ita.* Hieronymus ad Eustochium, ep. 22 : *Operta facie vix unum oculum liberant ad videndum ;* multo austeriores Chalcedonitis, de quibus Plutarchus in *Quæst. Græc.*: αὗται δ' αὐτῶν τέτρασιν ὅσον ὀφθῆναι παρὰ δικασταῖς καὶ ἄρχουσιν, ἀπαίρουσαι θατέρου μέρος τοῦ προσώπου τῆς καλύπτρας. Rig.

(f) *Quod adamare magis quam adamari possint.* Uno scilicet oculo liberato videre ipsis licet quod concupiscant, et videre quidem acutius, contributa et collecta in unum oculum omni videndi facultate. Adeoque puellis tarsensibus ne totam quidem faciem velatis fidendum esse censebat Dion Chrysostomus, cum ipsis audire ea liceret quæ libidinem permoverent; atque audire quidem attentius, mente tota, negatis sibi oculis omnem ad aures imaginandi vim conferente. τοιγάρουν ὀξύτερον βλέπουσι ἐνί τῶν ὀφθαλμῶν, ὥσπερ οἱ γεωμέτραι. Notum est in eam sententiam illud Persii:

Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno. Rig.

(g) *Et ethnicæ quidem disciplinæ meracior et barbarior modestia.* Sensus est : Sed ethnicæ istius modestiæ disciplina, prorsus agrestis, inurbana, incivilis, mera barbaries. Quæ sunt per derisum dicta. Rig.

(h) *Elegantes, inquit, cervices, et merito nudæ.* Grave monitum, neque indignum Angelo, si animum satis advertimus. Alloquitur Christianam. Elegantes, inquit, cervices, quas pretio tanto redemptas voluit Christus. Et merito nudæ; quibus scilicet dirissimæ servitutis jugum ademit idem Christus. Sed bonum est usque ad lumbos a capite veleris ; ne nuda pateas peccato, quo semel occupata, Satanæ mancipium fias ; ac deinceps ista tibi tanto manumissore parta cervicum libertas non prosit, vitio tuo in æternum sub asperrima tyrannide servitium recasura. Rig.

ne et tibi ista cervicum libertas non prosit. Et utique quod uni dixeris, omnibus dixeris. Quantam autem castigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter psalmos, vel in quacumque Dei mentione retectæ perseverant! Meritone (1) etiam quæ (2) in oratione ipsa (*a*) facillime fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt, et tectas se opinantur, tanti caput suum metiuntur (3)? Aliæ, (*b*) quibus plane major est palma omni fimbria et filo, non minus capite suo abutuntur, ut (*c*) bestia quædam magis quam avis, licet pennata, brevi capite, protracta cervice, cætera altegradia. Hanc aiunt, cum delitescendum habet, caput solum plane totum in condensum abstrudere, reliquam se in aperto relinquere. Ita dum in (4) capite secura est, nuda qua major est, (*d*) capitur tota cum capite. Tales erunt et istæ minus, quam utile est, tectæ. Oportet ergo omni tempore et omni loco memores legis incedere, paratas et instructas ad omnem Dei mentionem : qui si fuerit in pectore, cognoscetur et in capite fœminarum. Hæc cum bona pace legentibus, veritatem (5) consuetudini præponentibus, pax et gratia a Domino nostro Jesu redundet, cum Septimio Tertulliano, cujus hoc opusculum est.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Merituræ *proponit Rigaltius.*
(2) Quæ *omitt. Pam.*
(3) Mentiuntur *Rhen. Seml. Obert.*
(4) In *omitt. Jun.*
(5) Utilitatem *Rhen. Pam. Seml. Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) *Facillime fimbriam aut villum.* Facillime : hic accipiendum pro sæpissime, ut supra, *Quia facilius adamari quam adamare fœminæ possunt*, id est sæpius, ut plurimum. Rig.

(b) *Quibus plane major est palma omni fimbria et filo.* Longe ab recta ratione erravere, qui persuaderi sibi passi sunt palmam hic aliud es e quam manum. Triplicem notat impudentiæ gradum, virginibus absque velamine in ecclesiam convenientibus. Hic tertius est, earum quæ in oratione ipsa, vel in quacumque Dei mentione, non fimbriam aut villum filumve aliquod capiti superponebant ; sed manum : quæ etsi major erat omni aliarum fimbria et filo, tamen ne sic quidem dici poterant tectæ ; nec minus aliis capite suo abutebantur. Rig.

(c) *Bestia magis, quam avis.* Plinius, lib. V : *Grandissimi, et pene bestiarum generis struthio cameli.* Rig.

(d) *Capitur tota cum capite.* Idem Plinius, IX : *Mugilum natura ridetur, in meta capite abscondito totos se occultari credentium, iisdem tam incauta salacitas*, etc. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE EXHORTATIONE CASTITATIS (e)

LIBER.

Argumentum. — *Hic tractatus a Tertulliano Montanista exaratus est, in quo quemdam viduum fratrem, a secundis nuptiis dehortatur ; quas modo diserte vermittit nec a Sancto Paulo prohibitas asserit, modo damnat et tanquam adulterium traducit.* Edd.

CAPUT PRIMUM.

Non dubito, frater, te post uxorem in pace (1) præmissam, ad compositionem animi conversum, (*f*) de exitu singularitatis cogitare, et utique consilii indigere (2). Quamquam in (3) hujusmodi cum fide sua conloqui debet unusquisque, ejusque vires consulere ; tamen quoniam, in ista specie, carnis necessitas cogitatum movet (4), quæ fere (5) apud eamdem conscientiam (6) fidei resistit, opus est fidei extrinsecus consilio, tanquam advocato (7) adversus carnis necessitates (8). Quæ quidem necessitas facillime (9) circumscribi potest, si voluntas potius Dei, quam indulgentia conside-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pacem *Rig. Renet.*
(2) Consilium digere *Rhen. Seml.* dirigere *Fran. Paris.*
(3) De *Latin.* et *Rhen. Seml. Obert.*
(4) Monet *Jun.*
(5) Quærere *Rhen. Seml. Obert. Pam.*
(6) Quæ *add. Rhen. Seml. Obert. Pam.*
(7) Consilium t. advocatum *Rhen. Pam. Seml. Obert.*
(8) Necessitatem *Rhen. Seml. Obert.*
(9) Facillime *omitt. Rhen. Pam. Seml. Obert.*

COMMENTARIUS.

(e) *De exhortatione castitatis.* Titulum fecit huic operi Tertullianus, *De Exhortatione castitatis*, eadem forma qua legimus in catalogo eorum quæ vetustissimo codice Agobardi continentur, *De Scorpiace, De Præscriptione hæreticorum :* et apud Cyprianum *De Exhortatione martyrii.* Quæ sunt intelligenda, uti si concepta sic essent : Exhortatio ad castitatem, Scorpiace, Præscriptio adversus hæreticos, Exhortatio ad martyrium. Sic I. de Pudicitia, dixit, *De exhortatione sanctimoniarum*, pro exhortatione ad sanctimonias. Hæc vero nostra hujusce libri editio tam multis locis suppleta, refecta, atque castigata est, ut jam pro nova haberi debeat. Omnium Tertulliani scriptorum pessime istud habitum fuerat. Rig.

CAP. I. — (f) *De exitu singularitatis.* Hoc est de tuo eventu, qui jam singularis, et superstes conjugi tuæ degis. Rig.

retur. Nemo indulgentia utendo promeretur, sed voluntati obsequendo. *Voluntas Dei est sanctificatio nostra.* Vult enim imaginem suam nos etiam similitudinem (1) fieri, ut simus *sancti, sicuti ipse sanctus est.* Id bonum, sanctificationem dico, in species distribuit (2) complures, ut in aliqua earum deprehendamur. Prima species, virginitas a nativitate. Secunda virginitas, a secunda nativitate, id est (3) a lavacro, quæ aut in matrimonio purificat ex compacto, aut in viduitate perseverat ex arbitrio. Tertius gradus superest monogamia (4), cum post matrimonium unum interceptum (*a*) exinde sexui renuntiatur. Prima virginitas felicitatis (5) est, non nosse in totum (6) a quo postea optabis liberari. Secunda (7) virtutis est, contemnere cujus vim optime noris. Reliqua species hactenus nubendi post matrimonium morte disjunctum, præter virtutis (8), etiam (9) modestiæ laus est. Modestia est enim, ablatum non desiderare, et ablatum a Domino Deo; sine cujus voluntate nec folium de arbore delabitur, *nec passer assis unius ad terram cadit.*

CAPUT II.

Quam denique modesta illa vox est: *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job*, I, 21), ut Domino visum est, ita factum est: et ideo si nuptias sublatas restauremus, sine dubio contra voluntatem Dei nitimur, volentes habere rursus, quod habere nos noluit. Si enim voluisset, non abstulisset. Nisi si et hoc voluntatem Dei interpretamur, quasi et rursus nos voluerit habere quod jam noluit (10). Non est bonæ et solidæ fidei, sic omnia ad voluntatem Dei referre, et ita adulari sibi unumquemque, dicendo nihil fieri sine nutu (11) ejus, ut non intelligamus esse aliquid in nobis ipsis. Cæterum, excusabitur omne delictum, si contenderimus (12) nihil fieri in nobis sine Dei voluntate; et ibit definitio (13) ista in destructionem totius disciplinæ, etiam ipsius Dei, si aut quæ non vult de sua voluntate producit (14), aut nihil est quod Deus non vult. Sed quomodo (15) vetat quædam, quibus etiam supplicium æternum comminatur? utique enim (16) quæ vetat non vult, a quibus et offenditur: sicut et quæ vult, præcipit, et accipit (17), et æternitatis mercede dispungit. Itaque cum utrumque ex præceptis ejus didicerimus, quid velit, et quid nolit; tamen nobis est voluntas et arbitrium (18) eligendi alterum, sicut scriptum est: *Ecce posui ante te bonum et malum* (*Eccles.*, XV, 18), gustasti enim de arbore agnitionis. Et ideo non debemus quod nostro (19) expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem (20), quos vult ipse et velle (21), qui malum non vult. Ita nostra est voluntas, cum malum volumus adversus Dei voluntatem, qui bonum vult. Porro, si quæris unde venit ea voluntas, qua quid volumus adversus Dei voluntatem, dicam (22): ex nobis ipsis. Nec temere; semini enim tuo respondeas necesse est: siquidem ille princeps et generis et delicti, Adam, voluit quod deliquit. Neque enim diabolus voluntatem ei (23) imposuit delinquendi, sed materiam voluntati subministravit. Cæterum, voluntas Dei in obaudientiam (24) venerat. Proinde et tu, si non obaudieris Deo, qui te, proposito præcepto, liberæ potestatis instituit, per voluntatis libertatem volens deverges in id quod Deus (25) non vult, et ita te putas a diabolo subversum, qui etsi quid vult te velle quod Deus non vult, non tamen facit ut et velis; quia nec tunc istos (26) protoplastos ad voluntatem delicti subegit; imo neque invitos, neque ignorantes quid Deus nollet; utique enim nolebat fieri, cum admisso mortem destinabat. Ita diaboli opus unum est, tentare (27) quod in te est, an velis. At ubi voluisti, sequitur ut te sibi subigat (28), non operatus in te voluntatem, sed nactus occasionem (29) voluntatis. Igitur cum solum sit (30) in nobis velle, et in hoc probetur (31) nostra erga Deum mens, an ea velimus quæ cum voluntate ipsius faciant (32).

CAPUT III.

Alte (33) et impresse recogitandum esse dico Dei vo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Similitudine *Jun.*
(2) Distribuo *Rig. Venet*
(3) A secunda nativitate, id est *absunt a Rhen. Seml. Pam. Obert.*
(4) Monogamiæ *Rhen.*
(5) Primæ virginitatis *Jun.* Prima felicitas, primæ virginitatis — secundæ virginitatis est — rel. species hactenus non nubendi — præter virtutis etiam m. l. est, *cod. Wouw.*
(6) In totum *deest Rhen. Seml.*
(7) Secunda virginitatis est *Rhen. Seml.*
(8) Virtutes *Rhen. Seml.*
(9) Modestiæ enim laus est *Rig.*
(10) *Alii*, rursus vellet in nos, *cod. Wouw.* in nobis, quod jam noluit Deus.
(11) *Al.* jussione.
(12) Continuerimus *Rhen. Seml.*
(13) At ibi definitio istam destructiou. *Rhen. Seml.* at tibi definio *cod. Wouw.*
(14) Producat *Rig. Ven.*
(15) Quando *Rig. Ven.*
(16) Utique etiam *Seml. Leop.*
(17) Sicut e contrario .. et præcipit et accepto facit *Rig. Paris. Venet.*
(18) Et arbitrium *omitt. Pam.*
(19) Nostri *Rhen. Seml.*
(20) Voluntate *Rhen. Seml.*
(21) Nos quos vult ipse et velle est *Seml.*
(22) Dei voluntatem. Ut dicam *Seml. Rhenan.*
(23) Ejus *Rhen. Seml.*
(24) Obedientiam *cod. Wouw. Leop.*
(25) Volens te vergi sinit quod Deus *Rhen. Seml.* volens devergis in id quod *Fran. Paris. Pam.*
(26) Invitos *Seml.*
(27) Temperare *Rhen. Seml.*
(28) Ut et sibi subjungat *Fran. Venet. Rig.*
(29) Possessionem *Rhen. Seml.*
(30) Erit *Rhen. Seml.*
(31) Probat *iid.*
(32) Sapiant *iid.*
(33) A te impresse *MSS. Wouw. Paris.*

COMMENTARIUS.

(a) *Exinde sexui renuntiatur.* Sexus devoratur a virgine, inquit Hieronymus ad Principiam, epist. 3. Rac.

luntatem, quid etiam in occulto velit. Quæ enim in manifesto (1), scimus omnes; eaque ipsa qualiter in manifesto sint, perspiciendum est. Nam etsi (2) quædam videntur voluntatem Dei sapere, dum a Deo permittuntur, non statim omne quod permittitur, ex mera et tota voluntate procedit ejus qui permittit. (*a*) Ex indulgentia est, quodcumque permittitur; quæ etsi sine voluntate non est, quia tamen aliquam habet caussam in illo (3) cui indulgetur, quasi de invita venit voluntate, passa caussam sui, quæ cogit voluntatem. Vide qualis sit voluntas, cujus alter est caussa. Secunda item species (4) consideranda est non (5) puræ voluntatis. Vult nos Deus agere quædam placita sibi (6), in quibus non indulgentia (7) patrocinatur, sed disciplina dominatur. Si tamen alia istis (8) præposuit, utique quæ magis vult, dubiumne est ea nobis sectanda (9) esse, quæ mavult; cum quæ minus vult, quia (10) alia magis vult, perinde (11) habenda sint atque si nolit (12)? Nam ostendens (13) quid magis velit, minorem voluntatem majore delevit. Quantæque notitiæ tuæ utramque proposuit, tanto definiit id te sectari debere, quod declaravit (14) se magis velle. Ergo si ideo declaravit ut (15) id secteris quod magis vult, sine dubio nisi ita facis contra voluntatem ejus sapis, sapiendo contra potiorem ejus voluntatem; magisque offendis quam promereris (16), quod vult quidem faciendo, et quod mavult respuendo. Ex parte delinquis; ex parte, si non delinquis, non tamen promereris. Porro et promereri nolle, delinquere est. Secundum igitur matrimonium, si est ex illa Dei voluntate, quæ indulgentia vocatur (17), negabimus (18) meram voluntatem (19), cui indulgentia est caussa; si ex ea, cui potior alia præponitur continentiæ magis appetendæ, didicerimus non potiorem a potiore rescindi (20). Hæc præstrinxerim, ut jam Apostoli voces (21) decurram. In primis autem non videbor irre- A ligiosus, si, quod ipse profitetur, animadvertam; omnem illum indulgentiam nuptiarum, de suo, id est, de humano sensu, non de divino præscripto induxisse. Nam et cum de viduis et (22) innuptis definiit uti nubant, si continere non possunt, quia *melius sit nubere quam uri;* conversus ad (23) alteram speciem: *Nuptis autem denuntio*, inquit, *non quidem ego, sed Dominus* (1 *Cor.*, VII, 10). Ita ostendit, ex tralatione (24) personæ suæ in Dominum, id quod supra dixerat, non ex Domini persona, sed ex sua pronuntiasse. *Melius est nubere* (25) *quam uri.* Quæ vox licet ad eos pertineat, qui innupti (26), vel vidui (27) a fide deprehenduntur; quia (28) tamen omnes eam ad (29) nubendi licentiam amplectuntur, velim pertractare (30), (*b*) quale bonum ostendat, quod melius est B pœna: quod non potest videri bonum, nisi pessimo comparatum; ut ideo bonum sit nubere, quia deterius est ardere. Bonum ita est (31), si perseveret nomen obtinens sine comparatione, non dico mali, sed etiam boni alterius; ut et si bono alii comparatur, et alio *adumbratur* (32), nihilominus remaneat in boni nomine. Cæterum, si per mali conditionem (33) cogitur bonum dici, non tam bonum est quam genus mali inferioris, quod a superiore malo obscuratum ad nomen boni impellitur (34). Aufer denique conditionem comparationis, ut non dicas: *melius est nubere quam uri;* et quæro, an dicere audeas: *melius est nubere;* non adjiciens quid sit id, quod melius est. Ergo quod non melius, utique nec bonum; quia abstulisti et removisti conditionem comparationis, qua C dum melius illud facit, ita bonum haberi (35) cogis. Melius est nubere quam uri; sic accipiendum est, quomodo (36) melius est uno oculo quam duobus carere: si tamen a comparatione discedas, non erit melius unum oculum habere, (37) quia nec bonum. Nemo igitur captet ex hoc capitulo defensionem,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Enim manifesto *Rhen. Seml.*
(2) Nam si *ibid.*
(3) In loco *ibid.*
(4) Secunda species *Rhen. Seml.*
(5) Non *abest ab iisd.*
(6) Vult nos Deus quædam placita *Rhen. Seml.*
(7) Operatur patrocinatur *iid.*
(8) Ista proposuit *iid.*
(9) Taxanda esse *iid.*
(10) Qui alia *iid.*
(11) Proinde habenda sunt *iid.*
(12) Atque soli *omit. Seml.*.
(13) Ostendo *Seml.* ostendendo *Pam. Wouw.*
(14) Paravit te *Seml.*
(15) *Totum locum sic e MS. corrigit Wouwer.* aliquam habet caussam in illo cui — Vide quanta sit voluntas ea — consideranda ut non puræ voluntatis. Vult nos Deus sibi placita facere in quibus. — Si tamen et alia — magis vult. Nec dubium est ea nobis taxanda esse, quæ vult, cum ea, quæ minus vult, qui magis vult, perinde habenda sint, quasi nolit. Nam ostendendo.
(16) *Rhen. Seml. usque distinguni* promereris. Quod *ac simul continuo legunt* respuendo ex parte.
(17) Cogitur *Rhen. Seml.*
(18) Negavimus *iid.*
(19) Voluntatem *abest a Rhen.*
(20) Scindi *Rhen.*
(21) Voce *Rhen. Seml.*
(22) Et *deest in Rhen.*
(23) Aliam *Rhen. Seml. Pam.*
(24) Extra rationem *Rhen. Seml.*
(25) Nubi *impersonaliter Rhen. Paris.*
(26) Nupti *Rhen.*
D (27) Viduæ *Rhen. Seml.* a fido deprch. *absunt ab iisd.*
(28) Qui *Pam. Rhen. Seml.*
(29) Ad *abest ab iisd.*
(30) Retractare *Rig.*
(31) Si per se nomen hoc obtinet *Rhen. Pam. Seml.*
(32) Comparetur et ab illo adumbretur *cod. Wouw.*
(33) Per mali collationem *Seml. Rhen.*
(34) Impellitur; auferendique dictionem comparationis *iid.*
(35) Ita bonum, ita habere cogit *iid.*
(36) Ac si *iid.*
(37) Quam et bonum *iid.*

COMMENTARIUS.

CAP. III. — (a) *Ex indulgentia est.* Locum scilicet Apostoli I Cor. VII detorquet, *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Quod etiam idem præstat lib. *de Monog.* c. 3. Le Pa.

(b) *Quale bonum ostendat, quod melius est pœna.* Certissimum est priscis illis temporibus virginitatem pluris habitam, nuptiasque, si conferrentur cum ea, malum quoddam videri, licet revera non esset. Hujus opinionis fundus præter laudabilem eo tempore continentiam, locus Apostoli, *melius est nubere quam uri.* Quod ita a veteribus illis explicatum est, quasi dixisset Paulus, melius esse uno oculo carere quam duobus. Beatus ipse Hieronymus qui in Jovinianum stylum acuerat, eo quod inter cætera deliria virgini-

quod proprie ad innuptos et viduos (1) spectat, quibus nulla adhuc conjunctio numeratur. Quamquam ostenderim etiam illis intelligendam (2) esse permissi conditionem.

CAPUT IV.

Cæterum, de secundo matrimonio scimus plane Apostolum pronuntiasse, *Solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem : sed si duxeris, non delinquis.* Perinde tamen et hujus sermonis ordinem, de consilio suo, non de divino præcepto introducit. Multum autem interest inter Dei præceptum, et consilium hominis. *Præceptum Domini*, inquit, *non habeo ;* sed *consilium do, quasi misericordiam consecutus a Domino fidelis esse.* Cæterum, neque in Evangelio, neque in ipsius Pauli Epistolis, ex præcepto Dei invenias permissam matrimonii separationem. Unde unum habendum confirmatur ; quia quod a Domino permissum non invenitur, id ignoscitur. Adde quod et hæc ipsa humani consilii interjectio quasi jam recogitationem excessus sui passa, statim se refrænat et revocat, cum subjungit : *Verumtamen hujusmodi, pressuram carnis habebunt ;* cum *parcere se* eis dicit ; cum *tempus in collectum* (3) *esse* adjicit, quo oporteat etiam *habentes matrimonia pro non habentibus agere :* cum sollicitudinem nuptorum et innuptorum (4) committit. Per hæc enim docens, cur non expediat nubere, dissuadet ab eo quod supra indulserat. Et hoc de primo matrimonio ; quanto magis de secundo ? (*a*) Cum vero nos ad exemplum suum hortatur, utique ostendens quid nos velit esse, id est continentes, pariter declarat quid nos esse nolit, id est incontinentes (5). Ita et ipse cum aliud vult, id quod non vult nec sponte nec veritate permittit. Si enim vellet, non permisisset, imo imperasset. (*b*) Sed ecce rursus (1 *Cor.* VII), mulierem *marito defuncto dicit nubere posse, si cui velit, tantum in Domino. At enim felicior erit*, inquit, *si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem, et ego Dei spiritum habeo.* Videmus duo consilia, quo supra nubendi veniam facit, et quo postmodum continentiam nubendi indicit (6). Cui ergo, inquis, adsentabimur ? Inspice, et lege. Cum veniam facit, hominis prudentis consilium adlegat. Cum continentiam indicit, Spiritus Sancti consilium affirmat. Sequere admonitionem cui divinitas patrocinatur.

A Spiritum quidem Dei etiam fideles habent, sed non omnes fideles Apostoli. Cum ergo qui se fidelem dixerat (7), adjecit postea, Spiritum Dei se habere, quod nemo dubitaret etiam de fideli ; idcirco id dixit, ut sibi Apostoli fastigium redderet. Proprie enim Apostoli Spiritum Sanctum habent in operibus prophetiæ et efficacia virtutum, documentisque linguarum (8), non (9) ex parte, quod cæteri. Ita Spiritus Sancti auctoritatem ad eam (10) speciem adire fecit, cui nos magis obsequi voluit ; et factum est jam non consilium divini Spiritus, sed pro ejus majestate præceptum.

CAPUT V.

Ad legem semel nubendi dirigendam (11), ipsa origo humani generis patrocinatur, contestans quid Deus B in primordio (12) constituerit, in formam posteritati recensendam (13).

Nam cum hominem figurasset (14), eique parem necessariam propexisset, unam de costis ejus mutuatus, unam illi fœminam finxit ; cum utique nec artifex, nec materia defecisset, plures costæ in Adam, et infatigabiles manus in Deo, sed non plures uxores apud Deum et ideo homo Dei Adam, et mulier Dei Eva, unis inter se nuptiis functi sunt (15). Formam hominibus Dei, de originis auctoritate, et prima Dei voluntate sanxerunt. Denique, *erunt duo*, inquit, *in carne una ;* non tres, neque quatuor. Alioquin jam non una caro, nec duo in unam carnem. Tunc (16) erunt, si conjunctio et concretio in unitatem semel fiat. Si vero rursus C aut sæpius, jam una esse desiit ; et erunt non duo in unam carnem, sed una plane costa (17) in plures. At quam Apostolus in Ecclesiam et Christum interpretatur, *erunt duo in unam carnem*, secundum spiritales nuptias Ecclesiæ et Christi (unus enim Christus, et una ejus Ecclesia), agnoscere debemus duplicatam et exaggeratam esse nobis unius matrimonii (18) legem, tam secundum generis fundamentum, quam secundum Christi sacramentum. De uno matrimonio censemur utrobique, et carnaliter in Adam, et spiritaliter in Christo. Duarum nativitatum unum est monogamiæ præscriptum. In utraque degenerat, qui de monogamia exorbitat. Numerus matrimonii a maledicto viro cœpit. Primus Lamech, duabus maritatus, tres in unam carnem effecit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nuptos et viduas *Rhen. Seml.*
(2) Numerandam.
(3) In collecto *Rhen. Seml. Pam.*
(4) Et innuptorum, *hæc verba desunt ibid.*
(5) *Hæc ultima verba desunt apud Rhen. et Seml.*
(6) Inducit *alios.*
(7) Quod fidelem dixerit *Rhen. Pam. Seml.*
(8) Atque documentorum linguam.
(9) Quasi *addit Rhen.*
D (10) Auctoritate ad eam *Rhen. Seml.*
(11) Dirigam *Pam. Rhen. Seml.*
(12) Ab initio *iid.*
(13) Recensendum *al.*
(14) Figulasset *alii scribunt.*
(15) Nuptiis functi formam hominibus Dei, etc. *Rigal.*
(16) Jam non una caro tunc erunt, si conjunctio, *etc. Jun.*
(17) Caro *Seml. Rhen.*
(18) Legem *abest a Pam. Rhen. Seml.*

COMMENTARIUS.

tatem et nuptias pari merito donaret, eam aliquando sequi videtur hujus scriptoris mentem ; is tamen epist. de monog. ad Ageruchiam fatetur secundas, atque etiam tertias nuptias, si necesse forent, ab Apostolo concessas incontinentibus. Le Pa.

CAP. IV. —(a) *Cum vero nos ad exemplum suum hortatur.* Facit etiam hic locus pro continentia B. Apostoli Pauli a nuptiis. Pam.

(b) *Sed ecce rursus, mulierem defuncto marito dicit nubere posse.* Hic adhuc satis moderate agit Auctor, non prorsus prohibens digamiam, sed feliciorem probans monogamiam : quare et B. Hieronymus fatetur his verbis Apostolum secundas et tertias nuptias concedere in Domino. Pam.

CAPUT VI.

Sed (a) et benedicti, inquis, Patriarchæ non modo pluribus uxoribus, verum etiam concubinis conjugia miscuerunt. Ergo propterea nobis quoque licebit (b) innumerum nubere? Sane licebit, (c) si adhuc typi futuri alicujus sacramenta supersunt, quos nuptiæ tuæ figurent; vel si etiam nunc locus est vocis illius: *crescite et multiplicamini*, id est, si nondum alia vox supervenit, *tempus jam in collecto esse, restare ut et qui uxores habent, tanquam non habentes agant*; utique enim continentiam indicens, et compescens concubitum, seminarium generis, abolefecit (1) *crescite* illud et *multiplicamini*. Ut opinor autem, unius et ejusdem Dei utraque pronuntiatio et dispositio est: qui tum quidem in primordio sementem generis emisit, indultis conjugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec novæ disciplinæ materia proficeret; nunc vero sub extremitatibus temporum compressit quod emiserat, et revocavit quod indulserat, non sine ratione prorogationis in primordio, et pastinationis (2) in ultimo. Semper initia laxantur, fines contrahuntur (3). Propterea sylvam quis instituit, et crescere sinit, ut tempore suo cædat. Sylva erit vetus dispositio, quæ ab Evangelio novo deputatur, in quo et (*Matth.* XXI) *securis ad radices arboris posita est*. Sic et *oculum pro oculo, et dentem pro dente*, jam senuit, ex quo juvenuit (*Rom.* XII, 17) *malum pro malo nemo reddat*. Puto autem etiam in humanas constitutiones atque decreta posteriora (4) pristinis prævalere.

CAPUT VII.

Cur autem de pristinis exemplis non ea potius agnoscamus, quæ cum posterioribus (5) communicant, de disciplina et forma vetustatis ad novitatem transmittunt? Ecce enim in veteri lege animadverto castratam licentiam sæpius nubendi. Cautum in Levitico: *Sacerdotes mei non plus nubent* (*Lev.* XXI, 14). (d) Possum dicere, etiam illud plus esse quod semel non est. Quod non unum est, numerus est. Denique, post unum incipit numerus. Unum autem est, omne quod semel est. Sed Christo (6) servabatur, sicut in cæteris, ita in isto quoque legis plenitudo. Inde igitur apud nos plenius atque instructius (7) præscribitur, unius matrimonii esse oportere (*Tit.* I, 6) qui alleguntur (8) in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco dejectos. Sed dices: Ergo cæteris licet quos excipit (9). Vani erimus, si putaverimus quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: *Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit* (*Apoc.* I, 6). Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo (10) (e) ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, (f) et offers, et tinguis, et sacerdos es (11) tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim (12) *sua fide vivit, nec est personarum acceptio apud Deum*; quoniam *non auditores legis justificantur* (13) *a Deo, sed factores*, secundum quod et Apostolus dicit (*Rom.* II, 11, 13). Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est; habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse sit habere jus sacerdotis. (g) Digamus tinguis? digamus offers (14)? Quanto magis laico digamo capitale est agere pro sacerdote (15),

LECTIONES VARIANTES.

(1) Abolescit *Pam. Rhen. Seml.*
(2) Repastinationis *iidem.*
(3) Fines contrahuntur *absunt Venet.*
(4) Postera *Rhen. Seml. Leop.*
(5) Posteris *Rhen.*
(6) Uni Christo *Fran. Paris. Gelen.* in Christo *Seml.*
(7) Structius *Rhen. Seml.* strictius *Fran. Lat.*
(8) *Ita Rig.*; *Rhen. editio* quos alleget; *edit. Fran.* quos allegi liceat; *cod. Wonw.*; quos allegi in ord. sac. oportet: *leg. fortasse*: quos allegerint in ordinem sacerdotalem *Leop.*
(9) Licet eam quibus non liceat excipit vani *Rhen.* licet, cum, quibus non liceat excepit *Pam.* licet c. q. n. l. non excipit vani *Par.*
(10) Adeo *Rhen.* sanctificatus ideo ubi *cod. Wonw* adeo ubi *Fran. Par. Venet.* a Deo *Pam. Seml.* sanctificatus. Adeo *Leop.*
(11) *Sic Rig.* qui est tibi *Pam. Fran. Paris.*
(12) De sua fide *Rhen. Pam. Seml.*
(13) Justificabuntur *Rhen. Pam.*
(14) Tingues offeres *cod. Wonw.*
(15) *Vitiose prima ed. Rhen.* laico dicat quo apud salutem *sic et Fran.* ad salutem erit. *Pam. habet* quanto magis laico dicat quod ad salutem erit.

COMMENTARIUS.

CAP. VI. — (a) *Sed et benedicti, inquit, Patriarchæ.* Libro ad martyras: *Inter carnis alimenta benedicti martyres designati.* Quem loquendi usum habes etiam *lib.* IV *de Vita B. Martini.*

Et Fortunati benedicti martyris urnam. Le Pa.

(b) *Innumerum nubere.* Ipse alibi dixit: *Plurifariam matrimoniis uti.* Rig.

(c) *Si adhuc typi, futuri alicujus sacramenta, supersunt.* Sic legitur in exemplari, neque aliter legit Hieronymus *Ep. ad Gerontiam de Monog.* Typos sive figuras nuncupat sacramenta futurorum, signa sacra, signa a Deo præmissa futuri alicujus Rig.

CAP. VII. — (d) *Possum dicere, etiam illud plus esse quod semel non est.* Etenim semel, ut notat Asconius II Verr., *ex eodem sensu est*, inquit, *quod semel in vita risisse Crassum scribit Lucilius, et semel in vita pertimuisse Verrem Tullius.* Rig.

(e) *Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus.* Hunc ordinem constare episcopis, presbyteris, et diaconis dixit lib. *de Baptismo*: itaque diaconi in tertio sacerdotio constituti; presbyteri in secundo; apices et principes omnium episcopi: unde et summi sacerdotes, et simpliciter sacerdotes. Presbyteri autem secundi sacerdotes, sive, ut est apud Sidonium, antistites ordine in secundo. Denique laici, sive plebeii, sive plebs, cæteri omnes in Ecclesia nondum ulla dignitate suffulti, ut loquitur Optatus Milevitanus, lib. I, qui et lib. II ministros subjicit diaconis. *Certa membra sua*, inquit, *habet Ecclesia: episcopos, presbyteros, diaconos, ministros, et turbam fidelium.* Qui turbæ et consessui præerat, communi vocabulo dicebatur præses, sive præsidens, et præpositus, ὁ προεστώς. Rig.

(f) *Et offers, et tinguis, et sacerdos es tibi solus.* Sic omnino habet exemplar Agobardi. Hæc autem obscura videntur non advertentibus quid offerendi verbo, quid oblationum, quid orationum, quid sacrificiorum, quid denique sacramentorum vocabulis Tertullianus significare soleat. Ea vero cuncta ex Indice Glossarum colligentur. Rig.

(g) *Digamus tinguis!* Qui digami erant, Ecclesia hos non admittebat ad sacerdotium, neque etiam

cum ipsi sacerdoti digamo facto auferatur agere sacerdotem (1) ! Sed necessitati, inquis, indulgetur. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse. Noli denique digamus deprehendi, et non committis in necessitatem administrandi (2) quod non licet digamo. Omnes nos Deus ita vult (3) dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis (4) apti simus. Unus Deus, una fides, una et disciplina (5). Usque adeo, nisi et laici ea observent, per quæ presbyteri alleguntur, quomodo erunt presbyteri, qui de laicis alleguntur ? Ergo pugnare (6) debemus ante laicum jussum a secundo matrimonio abstinere (7), dum presbyter esse non alius potest, quam laicus qui (8) semel fuerit maritus (9).

CAPUT VIII.

Liceat nunc denuo nubere, si omne quod licet bonum est. Idem Apostolus exclamat : *omnia licent, sed non omnia prosunt* (10) (1 *Cor.* VI, 12). Quod non prodest, oro te, bonam potest dici ? Si licita sunt et quæ non pro salute, ergo et quæ non bona sunt, licita sunt. Quid autem magis velle debebis, quod ideo (11) bonum est, quia licet, an quod ideo (11) quia prodest ? Multum existimo esse inter licentiam et salutem (12). De bono non dicitur (13), licet, quia bonum permitti non exspectat, sed adsumi. Permittitur autem quod, an bonum sit, in dubio est, quod potest etiam non permitti, si non habeat aliquam sui causam primam. Propter incontinentiæ periculum permittitur nubere secundo ; quia nisi licentia alicujus non bonæ rei subjaceret, non esset in quo probaretur qui divinæ voluntati, et qui suæ potestati obsequeretur ; (*a*) quis nostrum utilitatis præsentiam (14) sectetur, et quis occasionem licentiæ amplexetur. Licentia plerumque tentatio est disciplinæ, quoniam A di ciplina per tentationem probatur, tentatio per licentiam operatur. Ita fit, ut *omnia liceant, sed non omnia expediant ;* dum tentatur cui permittitur, et judicatur (15) dum in permissione tentatur (*b*). Licebat et Apostolis *nubere, et uxores circumducere* (1 *Cor.* VI, 12) ; licebat et de Evangelio ali. Sed qui jure hoc usus non est in occasionem, ad exemplum nos suum provocat, docens in eo esse probationem, in quo licentia experimentum abstinentiæ præstruxit (16).

CAPUT IX.

Si penitus sensus ejus interpretemur, non aliud dicendum erit secundum matrimonium, quam species stupri. Cum enim dicat, maritos hoc in sollicitudine habere, quemadmodum sibi placeant ; non utique B de moribus (nam bonam sollicitudinem non sugillaret) ; et de cultu, et ornatu, et omni studio formæ, ad illecebras movendas (17) sollicitos intelligi velit ; de forma autem et cultu placere carnalis concupiscentiæ ingenium sit, quæ etiam stupri causa est : ecquid videtur tibi stupri adfine esse secundum matrimonium, quoniam ea in illo deprehendo quæ stupro competunt ? Ipse (18) Dominus : *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum, jam stupravit eam in corde suo* (*Matth.*, V, 28). Qui autem eam ad ducendum viderit, minus (*c*) an plus fecit (19) ? Quid, si etiam duxerit ? quod non faceret, nisi et ad ducendum concupisset, et ad concupiscendum vidisset. Nisi si potest duci uxor, quam non videris nec concupieris (20). Multum sane interest, maritus an cælebs aliam concupiscat (21). C Omnis mulier etiam cælibi alia est (22), quamdiu alicna ; nec per aliud tamen fit marita, nisi per quod et adultera. Leges videntur matrimonii et stupri differentiam facere per diversitatem illiciti, non per

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Prima Rhen. legeb.* sacerdoti dicitur quove facto communicatur (*pro quo Lat. reposuit* excommunicatur) actione sacerdotis; *Pam. legeb.* : qui eo facto communicatur actione sacerdotis.
(2) Necessitate administrantes *Fran.*
(3) Voluit *Rhen. Pam.*
(4) Sanctioni ejus obeundæ *al.* sanctiones ejus obeund. *Pam.*
(5) *ita edidit Rigalt. cæteri vel omiser. vel nihil habent sani.*
(6) Perferre *Rhen. Fran. Paris.* præferre *Pam. Fran.* proferre *cod. Wonc.*
(7) Retinere *Pam. Seml.* continere *cod. Wonc.*
(8) Qui *abest a Seml.*
(9) Maritatus *Rhen. Seml. Pam.*
(10) Pro salute *Rhen. Pam. Seml.*
(11) Ergo *Rhen. Pam.*
(12) Utilitatem *edit. Venet. cæteri* salutem.
(13) Non vincis scilicet *Rhen.*
(14) Præstantiam *forte Rig.*
(15) Cui permittitur et vinci *ms. Wonc.*
(16) Abstinentiam præstruxit *Jun.* præstruxerit *cod. Wonc.*
(17) Moliendas *Seml. ed. Venet.*
(18) Interim Dominus ipse *Rhen. Fran. Par. Pam.*
(19) Minus perfecit *Fran. Par.* minus par fecit *Rhen.*
(20) Etsi non videris, concupieris saltem, cum ipsam ducere cupieris *Rhen. Par. et al.*
(21) Maritus ab zelo non concupiscens *Fran. Paris.* multum sane abest maritus ab zelo *Pam.*
(22) Mulier zelivira est *Pam. Par. Fran.*

COMMENTARIUS.

χίρεν λαβίον, *hos non sinit Ecclesia præsidere*, inquit, hic idem, lib. I ad Uxorem, c. 7. Le. Pr.

CAP. VIII. — (a) *Quis nostrum utilitatis præsentiam sectetur.* Forte, *præstantiam*, quod vocabulum alibi usurpat, cum id significat quod est conducibilius. Ric.

(b) *Licebat et Apostolis nubere, et uxores circumducere.* Eas habebant pro sororibus, ut *Strom.* III, docet Clemens Alex. : unde Lutheranorum conatus abiit in fumos, qui ex Tertulliano conjugium clericorum adstruere nituntur. Post Magdeburgenses, Callistus insignis lutheranus hoc tuendum suscepit, librumque prægrandem edidit de conjugio clericorum. In eo autem errore deprehenduntur Socrates et Sozomenus qui Nicænum concilium aiunt liberum reliquisse clericis conjugium, quod quam falsum sit docet canon tertius, ἀτιμοῦσθαι καθόλου ἡ μεγάλη Σύνοδος μήτε ἐπισκόπου, μήτε πρεσβυτέρου, μήτε διακόνου, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν κλήρῳ ἐξεῖναι συνοίκητον ἔχειν· πλὴν εἰ μὴ ὄρα μητέρα, ἀδελφήν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα ἐστὶν ὑπεψίστου διατηρῆσαι. *Omnino prohibuit, magna synodus, ne episcopus, neque presbyter, neque diaconus, neque ulli ordinis ecclesiastici extraneam habere, præter matrem aut sororem aut amitam, aut eas tantum personas quæ a suspicione omni essent immunes.* Idem habes can. 3, conc Carthag. et ex jure civili, l. sacris, can. 45, c. de episc. et cler. Le Pr.

CAP. IX. — (c) *Minus an plus fecit ?* In exemplari legitur, *minus amplius fecit.* Forte autem vocula *an* cum sequenti coaluit adfinitate soni, *minus an plius fecit.*

conditionem rei ipsius. Alioquin quæ (1) res et viris et fœminis omnibus adest (2) ad matrimonium et stuprum? commixtio carnis scilicet, cujus concupiscentiam Dominus (3) stupro adæquavit. Ergo, inquis, jam et primas, id est, unas nuptias destruis. Nec immerito, quoniam et ipsæ ex eo constant, quo et stuprum. Ideo optimum est homini mulierem non attingere, et ideo virginis principalis sanctitas, quia caret stupri affinitate. Et cum hæc etiam de primis et unis nuptiis prætendi ad caussam continentiæ possint, quanto magis secundo matrimonio recusando præjudicabunt (4)! Gratus esto, si semel tibi indulsit Deus nubere; gratus autem eris, si iterum indulsisse illum tibi nescias. Cæterum, abuteris indulgentia, cum sine modestia uteris. Modestia a modo intelligitur. Non tibi sufficit de summo illo immaculatæ (5) virginitatis gradu in secundum recidisse (6) nubendo; sed in tertium adhuc devolveris, et in quartum, et fortassis in plures, postquam in secunda statione continens non fuisti: quia nec prohibere plures nuptias voluit, qui de secundis provocandis retractavit. Nubamus igitur quotidie, et nubentes ab ultimo die deprehendamur tanquam Sodoma et Gomorra: quo die, *Væ* illud super prægnantes [adimplebitur], (7) id est, super maritos et incontinentes: de nuptiis enim uteri, et ubera, et infantes. Et quando finis nubendi? (*a*) Credo post finem vivendi.

CAPUT X.

Renuntiemus carnalibus, ut aliquando spiritalia retractemus (8). Rape occasionem, etsi non exoptatissimam, attamen opportunam, non habere cui debitum solveres, et a quo exsolvereris: desiisti esse debitor. O te felicem! dimisisti debitorem; sustine damnum (9). Quid si, quod diximus damnum, lucrum sentias? Per continentiam enim negotiaberis magnam substantiam sanctitatis; parcimonia carnis, spiritum (10) adquires. Recogitemus enim ipsam conscientiam nostram, quam alium se homo sentiat: cum forte a sua fœmina cessat, spiritaliter sapit. Si orationem facit ad Dominum, prope est cœlo. Si scripturis incumbit, totus illic est. Si psalmum canit, placet sibi. Si dæmonem adjurat, confidit sibi. (*b*) Ideo Apostolus temporalem purificationem orationum commendandarum caussa adjecit; ut sciremus, quod ad tempus prodest (11) semper nobis exercendum esse, ut semper prosit. Quotidie (12), imo omni momento oratio hominibus necessaria est, utique et continentia, postquam oratio necessaria est. Oratio de conscientia procedit. Si conscientia erubescat (13), erubescit oratio. Spiritus deducit orationem ad Deum. Si spiritus reus apud se sit conscientiæ erubescentis, quomodo audebit orationem ducere ab illa (14), de qua erubescente et ipse suffunditur sanctus minister? Etenim est prophetica vox veteris Testamenti: *Sancti eritis, quia Deus sanctus* (*Lev.*, XI, 44, *sq.*; XIX, 2; I *Petr.*, I, 16); et rursus: *Cum sancto sanctificaberis, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus* (*Ps.*, XVIII, 26). Debemus enim ita ingredi in disciplina Domini, ut dignum est, non secundum carnis calentes concupiscentias (15). Ita enim et Apostolus dicit, quod sapere secundum carnem mors sit; secundum spiritum vero sapere (*c*) vita æterna sit in Christo Jesu Domino nostro. Si hæc obfusio (16), etiam cum in unis nuptiis res carnis exercetur, Spiritum Sanctum avertit, quanto magis cum in secundo matrimonio agitur?

CAPUT XI.

Duplex enim rubor est; quia in secundo matrimonio duæ uxores eumdem circumstant maritum; una spiritu, alia in carne: neque enim pristinam poteris odisse, cui etiam religiosiorem (17) reservas affectionem, ut jam receptæ apud Dominum, pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Dominum cum tot uxoribus, quot in oratione commemoras? et offeres pro duabus? et commendabis (18) illas duas per sacerdotem de monogamia ordinatum, aut etiam de virginitate sancitum, circumdatum virginibus ac univiris, et ascendet sacri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quæ *abest a Pam. Rhen. Seml.*
(1) Eadem imponit, est enim et matr. *Fran. Par. Pam.*
(3) Scilicet certandum cujus concupiscentia nos *Pam.*
(2) Prævidebuntur *Rhen. Pam.*
(3) Junxere *Rhen.* sinceræ *conjiciebat id.* inuxoræ *Pam. Par.*
(4) Deliquisse *Rhen. Pam.*
(5) *Hoc verb. intulit Rig.*
(6) Fructificemus *Rig.*
(7) Simile damnum *Rhen. Pam.*
(8) Carnis servientis *Fran. Par.* carni sævienti *Jun.*
(9) Purificationi orationem commendavit causatus id q. a. t. permiserat *Pam. Par. Fran.*
(10) *Cod. Wouveri:* Quot. imo si omni mom. *Rig.*: Quotidie, omni mom. *al.*: si quot., omni mom.
(11) *Cod. Wouveri:* si conscientia erubescit. *Rig.* conscientiæ erubescentis.
(12) *Cod. Aqobardi:* orat. deducere ab alia re. *Verba* de qua — minister *Rig. solus refert.*
(13) *Rhen. aliique:* ut deo dignum fructum, non sec. carnis ex squa lentio conc. *Rig.* calentes concupiscentias *Par. f.* squalentes. *Jun.*
(14) Obtusio *Fran. Par. Pam.*
(15) Carlorem *Jun.* clariorem *Fran. Par.*
(16) Commemorabis *Fran. Par.*

COMMENTARIUS.

(a) *Credo post finem vivendi.* Sic legebat Hieronymus, *Epist. ad Geruntiam*, non ut in vulgatis editionibus, *post finem subaudi. Adhinniamus*, inquit, *ad omnes fœminas, et in exemplum Sodomæ et Gomorrhæ, ab ultimo die deprehendamur vendentes et amentes; et nubentes et nuptui tradentes, ut tunc sit finis conjugii, quando terminus vitæ.* Ric.

CAP. X.—(b) *Ideo Apostolus temporalem purificationem orationum commendandarum caussa adjecit.* Religiosas nuptiarum inducias significat. Et aliquid ejusmodi etiam apud Gentiles fuisse testatur illud Juvenalis, in sexta sat:

Ille petit veniam, quotiens non abstinet uxor
Concubitu, sacris observandisque diebus. Ric.

(c) *Vita æterna sit in Christo Jesu Domino nostro.* Post hæc verba in antiquissimo exemplari leguntur plascula, quæ rejecta fuisse videntur, ob nimias laudes Priscæ illius montanicæ, cujus et verba citantur. Reddimus hic tamen, quo magis miremur hominem tantum etiam talibus decipi potuisse. Ric.

ficium tuum libera fronte? et inter cæteras voluntates bonæ mentis, postulabis tibi et uxori castitatem?

CAPUT XII.

Scio quibus caussationibus coloremus insatiabilem carnis cupiditatem : prætendimus necessitates administriculorum, domum administrandam, familiam regendam, loculos, claves custodiendas, lanificium dispensandum, victum procurandum, curas domesticas (1). Scilicet solis maritorum domibus bene est. Pericrunt cælibum familiæ, res spadonum, fortunæ militum, aut peregrinantium sine uxoribus. Non enim nos et milites sumus? eo quidem majoris disciplinæ, quanto tanti imperatoris. Non et nos peregrinantes in isto sæculo sumus? Cur autem ita dispositus es, o christiane, ut sine uxore non possis? Nunc et consors onerum domesticorum necessaria est. Habe aliquam uxorem spiritalem, adsume de viduis, fide pulcram, paupertate dotatam, ætate signatam : bonas nuptias feceris. Hujusmodi uxores etiam plures haberi Deo gratum est. Sed posteritatem recogitant christiani, quibus crastinum non est. Hæredes Dei servus desiderabit, qui semetipsum de sæculo exhæredavit? Et ideo quis repetat matrimonium, si de pristino non habeat liberos? Habebit itaque hoc primum, ut diutius velit vivere, ipso apostolo festinante ad Dominum? Certe expeditissimus in persecutionibus, constantissimus in martyriis, promptissimus in communicationibus, temperantissimus in acquisitionibus : postremo securus morietur, relictis filiis forsitan qui illi parentent. Numquid ergo hujusmodi et reipublicæ prospectu aguntur, ne civitates deficiant, si soboles non exerceantur: ne leges, ne jura, ne commercia delabantur; ne templa derelinquantur; ne non sint qui adclament : CHRISTIANI AD BESTIAS (2). Hæc enim audire desiderant, qui filios quærunt. Sufficiant ad consilium viduitatis vel ista, præcipue apud nos, importunitas liberorum, ad quos suscipiendos legibus compelluntur homines; quia sapiens quique nunquam libens filios desiderasset. Quid ergo facies si novam (3) uxorem de tua conscientia impleveris? dissolvas medicaminibus conceptum (4)? Puto nobis non magis licere nascentem necare, quam natum. Sed fortasse illo tempore prægnantis uxoris, remedium (a) tantæ sollicitudini (5) a Deo petere audebis, quod in te positum recusasti. Aliqua, opinor, sterilis prospicietur, jam vel frigidioris ætatis. Satis consulte, et in primis fideliter. Nullam enim credidimus, Deo volente, sterilem aut anum enixam; quod adeo magis evenire potest, si quis præsumptione hujus providentiæ suæ Dei æmulationem provocarit. Scimus denique quemdam ex fratribus, cum, propter filiam suam, secundo matrimonio sterilem captasset uxorem, tam iterum patrem factum, quam et iterum maritum.

CAPUT XIII.

Ad hanc meam cohortationem (6), frater dilectissime, (b) accedunt etiam sæcularia exempla, quæ sæpe nobis etiam in testimonio posita sunt, cum quid bonum, et Deo placitum ab extraneis quoque agnoscitur, et testimonio oneratur. Denique, monogamia apud ethnicos ita in summo honore est, ut et virginibus legitime nubentibus (c) univira pronuba adhibeatur; et si auspicii caussa, utique boni auspicii est. Item, ut in quibusdam solemnibus et officiis, prior sit univiræ locus. Certe flaminica nonnisi univira est, quæ et flaminis lex est. Nam prior cum ipsi pontifici maximo iterare matrimonium non licet, utique monogamiæ gloria est : cum autem Dei sacramenta Satanas affectat, provocatio est nostra; imo suffusio, si pigri sumus ad continentiam Deo exhibendam, quam diabolo quidam præstant, nunc virginitate, nunc viduitate perpetua (7). Novimus virgines Vestæ et Junonis apud Achaiæ oppidum, Apollinis apud Ephesos, et Minervæ quibusdam locis. Novimus et continentes viros (8), et quidem tauri illius ægyptii antistites. Fœminas vero Cereri Africanæ; cui etiam sponte abdicato

LECTIONES VARIANTES.

(1) Communiendas *Rig.*
(2) Christianis leonem *Rig.*
(3) Si nolens ux. *Ciuccon.* si nolis, si uxorem *Paris. Pam.*
(4) Dissoluturus es medicamine *Fran. Par.*
(5) Tanta solitudine *Rhen.*
(6) Contentionem *Fran. Par. Pam.*
(7) Qui antistant nunc virginitate, nunc vid. evirant *Fran.*
(8) Cum autem Dei sit simius tantum Satanas ad perficiendum provocatio est nostri — quia diabolo — noverimus (noverim *Par.*) virgines Vestæ apud Romam, et Junonis apud Achaiam, et Apollinis apud Delphos, et Minervæ et Dianæ omnibus locis. Noverimus (noveram *Par.*) continentes viros *cod. Wouw.*

COMMENTARIUS.

— Rig. in suo mscr. hæc inserta reperit, quæ non dubitat Aug. Neander quin ab ipso Tertull. sint scripta: *Item per sanctam prophetidem Priscam ita evangelizatur, quod sanctus minister sanctimoniam noverit ministrare. Purificantia enim concordat, ait, et visiones vident et ponentes faciem deorsum etiam voces audiunt, manifestas, tam salutares quam et occultas.*

CAP. XII.— (a) *Tantæ sollicitudine a Deo petere audebis*, etc. Legi hunc locum, sed immutatis tantisper verbis : *tanta sollicitudine petere audebis, quod in te positum recusabis?* Illud autem est quod ait Aristides de concord. ad Rhod. ἄτοπον τοῖς θεοῖς ἐνοχλεῖν, αὐτο ς δὲ μὴ βούλεσθαι πράττειν ἀφ' ἡμῖν εἶναι δοκεῖ τοῖς θεοῖς αὐτοῖς. *Ridiculum esse Deos fatigare, nolle tamen ea facere quæ in nostra potestate sita esse. Dii ipsi norunt* Sic objurgat Græcos Demosthenes, Philipp. III, quod facerent quemadmodum ii qui grandinem jamjam cadentem spectant, ab ea incolumes se optant, cum tamen nullus de ea avertenda laboret. LE PR.

CAP. XIII. — (b) *Accedunt etiam sæcularia exempla.* Etiam apud eos qui pecudes et boves immolabant, in summa commendatione castitatem fuisse tradidit Porphyrius, ἀγνὴν τε ταύτην νομίζοντα τὴν ἱερὰν ὄντων καὶ θεοῖς κεχαρισμένην. RIG.

(c) *Univira pronuba.* Pronuba, teste Donato, ex parte uxoris nuptiis præeundis et comitandis præerat : sicut auspex, cujus etiam hic meminit Auctor, ex parte viri, sic dictus quod auspicia sint dicta quasi avispicia pro nuptiis ex volatu avium captare soleret.

PAM.

matrimonio adsenescunt, aversantes exinde contactum masculorum (1), usque ad oscula filiorum. Invenit scilicet diabolus, post luxuriam, etiam castitatem perditricem (2), quo magis reus sit christianus, qui castitatem recusaverit conservatricem. Erunt nobis in testimonium et fœminæ quædam sæculares, ob univiratus obstinationem, famam consecutæ : ut Dido (3), quæ profuga in alieno solo, ubi nuptias regis ultro optasse debuerat, ne tamen secundas experiretur, (*a*) maluit e contrario uri quam nubere ; vel illa Lucretia quæ etsi (4) semel per vim, et invita, alium virum passa est, sanguine suo (*b*) maculatam (5) carnem abluit, ne viveret jam non sibi univira. (*c*) Plura exempla curiosius de nostris invenias (6), et quidem tanto potiora, quanto facilius (7) est vivere in castitate, quam pro ea mori ; hoc est, animæ id bonum misceri, quam non vivendo separari (8) Quanti igitur et quantæ in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui (9) Deo nubere maluerunt, qui carnis suæ honorem restituerunt, quique (10) se jam illius ævi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, et totum illud quod intra paradisum non potuit admitti ? Unde præsumendum est hos, qui intra paradisum recipi volent, tandem debere cessare ab ea re, a qua paradisus intactus est.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Exinde adempto contactu *Fran. Par.*
(2) Lux castitatis *Fran. Par.*
(3) Aliqua Dido *Rig.*
(4) Ut *Fran. Par. et Rhen.*
(5) Maculata *Rhen.* certo *Rhen. Semi. Pam.*
(6) Inveniam *Rhen. Semi. Pam.*
(7) Quanto majus est *Rhen. Pam. Rig.*
(8) Quam vivendo separari animam a malo *Jun* id bonum inseri, quam viventi separari *Lat.* quam non vivendo separari. Quantæ et quæ *cod. Wouw.* quam vivendo separari animam *Fran. Par.*
(9) Quæ *Fran.*
(10) Quæque *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Maluit e contrario uri quam nubere.* Igne contrario scilicet amoris ignem extinxit. Rig.

(b) *Maculatam carnem.* Animus enim immaculatus restiterat adulterio. Itaque splendide ac verissime dictum illud a declamatore quodam veteri. *Duo fuerunt, et unus adulterium commisit.* Præclare autem Augustinus hujus facinoris gloriam elevans, ut vanam, ut humanam, ut minime christianam, non esse ait in ea specie quod tantopere laudetur. *Lucretia violata*, inquit, *Lucretiam castam interemit. Cum interfectricem innocentis et castæ tanta prædicatione laudatis?* Rig.

(c) *Plura exempla curiosius de nostris invenias.* Totam periodum hic repræsentamus uti est in exemplari.... Agobardino. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
DE MONOGAMIA (*d*)
LIBER.

Argumentum. — *Montanum hic passim Paracletum nominat, hæreticumque negat, quamvis Cataphrygarum sectatorem. Mediam autem se viam tenere inter eos qui negant nuptias, et alios qui plures repetitas inducunt ; adeoque Monogamiam tuetur, docetque novam non esse hanc disciplinam, sed veterem et propriam Christianorum.*

CAPUT PRIMUM.

Hæretici nuptias auferunt (*e*), Psychici (11) ingerunt (*f*). Illi nec semel, isti non semel nubunt. Quid agis, lex Creatoris ? (*g*) Inter alienos spadones et (*h*) aurigas (12) tuos tantumdem quereris de domestico obsequio, quantum de fastidio extraneo ; proinde et

LECTIONES VARIANTES.

(11) Physici *Rhen.*
(12) Urigas *Priorius ;* origas *sive* perorigas conjicit *Rig.*

COMMENTARIUS.

(d) Aperte hoc libro, atque item sequentibus, Montani dogma tuetur. Credebat autem instare diem Domini, et fideles volebat esse ad martyria paratissimos. Itaque detrahenda putavit Christianis omnia vitæ humanioris retinacula, quæ solebant animos ad pericula reddere segniores. Cujusmodi sunt uxores et liberi, et curæ ex istis multiplices. Quod consilium, alias fortean excusabile, cum etiam detortis et Dei et Apostoli verbis, unde sibi plerique nimium blandiebantur, aggredi non dubitaverit, jure est ab Ecclesia reprehensum damnatumque. Rig.

CAP. I. — (e) *Hæretici nuptias auferunt.* Marcionitas hic tantum signat, qui conjugium condemnabant. Le Pr.

(f) *Psychici ingerunt.* Mediam viam tenere velle videtur, inter Marcionitas qui nuptias damnabant, et Psychicos qui nuptias repetere concedebant. Non est autem dubium quin per psychicos, orthodoxos intelligat, quorum e numero fuisse se testatur lib. adv. Prax. c. 1 : *et nos quidem postea agnitio Paracleti atque defensio disjunxit a Psychicis.* Psychicos vero, veluti animales dixit, quoniam ex quo Montani factus est assecla, *spiritalem* se vocavit, animalis vero homo ea non percipit quæ sunt spiritus Dei ut habet Apostolus I Cor. II, ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ. Rig.

(g) *Inter alienos spadones.* Hoc est, inter hæreticos, qui nuptias auferunt. Hæretici alieni et extranei sunt Catholicis. Spadones vocat osores nuptiarum. Rig.

(h) *Et aurigas tuos.* Legendum, *et perorigas tuos.* Varroni, lib. II de re rust. ubi de admissura equarum, Peroriga dicitur quisquis admittit. Itaque acutissime Perorigas, sive praurigas, sive prurigas vocat Psychicos, qui, ut ipse ait, nuptias ingerebant, et quasi pruriginem conciliabant. *Tuos*, dicit, legem compellans ; nam alieni ab ea non censebantur etiam

te lædunt qui abutuntur, quemadmodum qui non utuntur. Verum neque continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est ; neque licentia defendenda, quia psychica est. Illa blasphemat, ista luxuriat. Illa destruit nuptiarum Deum, ista confundit. Penes nos autem, quos spirituales merito dici facit agnitio (1) spiritalium charismatum, continentia tam religiosa est, quam licentia verecunda, quandoquidem ambæ cum Creatore sunt. Continentia legem nuptiarum honorat, licentia temperat. Illa non cogitur ; ista regitur. Illa arbitrium habet, hæc modum. Unum matrimonium novimus, sicut unum Deum. Magis honorem refert lex nuptiarum, ubi habet et pudorem. Sed Psychicis non recipientibus spiritum, ea quæ sunt spiritus non placent. Ita, dum quæ sunt spiritus non placent, ea quæ sunt carnis placebunt, ut contraria spiritui (2). *Caro*, inquit, *adversus spiritum concupiscit, et spiritus adversus carnem* (*Gal.*, V, 17). Quid autem concupiscet caro, quam quæ magis carnis sunt ? Propter quod et in primordio extranea spiritus facta est : *Non*, inquit (*Gen.*, VI, 3), *permanebit spiritus meus in istis hominibus in æyum, eo quod caro sint.*

CAPUT II.

Itaque Monogamiæ disciplinam in hæresim exprobrant (3). Nec ulla magis ex caussa Paracletum negare coguntur, quam dum existimant novæ disciplinæ institutorem, et quidem durissimæ (4) illis, ut jam de hoc primum consistendum sit in (5) generali retractatu. An capiat Paracletum aliquid tale docuisse, quod aut novum deputari possit adversus catholicam traditionem, aut onerosum adversus levem sarcinam Domini (6) ? De utroque autem ipse Dominus pronuntiavit. Dicens enim : *Adhuc multa habeo quæ loquar ad vos, sed nondum potestis portare ea : cum venerit Spiritus Sanctus, ille vos ducet in omnem veritatem* (*Jo.*, XVI, 12), satis utique prætendit ea acturum illum quæ et nova existimari possint, ut nunquam retro edita, et aliquanto onerosa, ut idcirco non edita. Ergo, inquis, hac argumentatione quidvis novum et onerosum Paracleto adscribi poterit, etsi ab adversario spiritu fuerit. Non utique. Adversarius enim spiritus ex diversitate prædicationis appareret (7), primo regulam adulterans fidei, et ita ordinem adulterans disciplinæ ; quia cujus gradus prior est, ejus corruptela antecedit, id est fidei, quæ prior est disciplina. Ante quis de Deo hæreticus sit necesse est, et tunc de instituto. Paracletus autem multa habens edocere, quæ in illum distulit Dominus, secundum præfinitionem, ipsum primo Christum contestabitur, qualem credimus, cum toto ordine Dei Creatoris, et ipsum glorificabit, et de ipso commemorabit ; et sic de principali regula agnitus, illa multa quæ sunt disciplinarum revelabit, fidem dicente pro eis integritate prædicationis, licet novis, quia nunc revelantur ; licet onerosis, quia nec nunc sustinentur ; non alterius tamen Christi, quam qui habere se dixit, et alia multa, quæ a Paracleto edocerentur ; non minus istis onerosa, quam illis a quibus nondum tunc sustinebantur.

CAPUT III.

Sed an onerosa monogamia, viderit adhuc impudens infirmitas carnis. An autem nova, de hoc interim constet. Illud enim amplius dicimus, etiamsi totam et solidam virginitatem sive continentiam Paracletus hodie determinasset, ut ne unis quidem nuptiis fervorem carnis despumare permitteret, sic quoque nihil novi inducere videretur ; ipso Domino spadonibus aperiente regna cœlorum (*Matth.*, XIX, 12), (*a*) ut et ipso spadone ; ad quem spectans et Apostolus, propterea et ipse castratus, continentiam mavult. Sed salvo, inquis, jure nubendi. Plane salvo ; et videbimus quousque ; nihilominus jam ex ea parte destructo, qua continentiam præfert. *Bonum*, inquit, *homini mulierem non contingere* (I *Cor.*, VII, 1). Ergo malum est contingere. (*b*) Nihil enim bono contrarium, nisi malum. Ideoque superesse, ut et qui habeant uxores sic sint, quasi non habeant ; quo magis qui non habent, habere non debeant. Reddit etiam caussas cur ita suadeat ; quod innupti de Deo cogitent : *nupti vero quomodo in matrimonio quis suo placeat* (I *Cor.*, VII, 32). Et possum contendere : non mere bonum esse, quod permittitur. Quod enim mere bonum est, non permittitur, sed ultro licet. Permissio habet caussam, aliquando et necessitatis (8). Denique, in hac specie non est voluntas permittentis nubere. Aliud enim vult : *Volo vos*, inquit, *omnes sic esse, quomodo et ego* (I *Cor.*, VII, 7). Et cum ostendit melius esse (9), quid utique se velle confimat, quam quod melius esse præmisit ? Et ita, si aliud quam quod voluit permittit, non voluntate, sed necessitate permittens, non mere bonum ostendit, quod invitus indulsit. Denique cum dicit, *Melius est nubere quam uri ;* quale id bonum intelligendum est, quod melius est pœna ? quod non potest videri melius, nisi pessimo comparatum ? Bonum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Agnitio *abest Rhen. Fran.*
(2) Contraria spiritus *Rhen.*
(3) Exprobant *Rhen.*
(4) Dirissimæ *Rhen.*
(5) Ut *Rhen.*
(6) Domini *abest Rhen. Par.*
(7) Apparet *Leop.*
(8) Necessitas *Seml.*
(9) Esse quid, utique *Seml.*

COMMENTARIUS.

Septimio Psychici, qui et Catholici. Rig.—*Urigas tuos.* Si legas urigas, quasi ab urendo, hoc est qui pruriginem veluti movebunt, quid juvabunt illa commenta Pamelii de aurigis in Circo Rom. ? Le Pr.

CAP. III.— (a) *Ut et ipso spadone.* Etsi vox illa qua Christus Dominus significatur, parum conveniat eximiæ illius integritati, nullus dubitat cum virginem et ex virgine natum fuisse. Le Pr.

(b) *Nihil enim bono contrarium nisi malum.* Paulo latius hic tractat quod præced. lib. attigit cap. 3, ex quorum utroque ipsa pene verba transcripsit B. Hieronymus, lib. I *adv. Jovin*, quæ quomodo intelligi possunt, non ut damnentur primæ nuptiæ, ostendit apolog. ad Pammachium. Pam.

illud est, quod per se hoc nomen tenet, sine comparatione non dico mali, sed etiam boni alterius; ut si et alii (1) bono comparatum adumbretur, remaneat nihilominus in boni nomine. Cæterum, si per mali collationem cogitur bonum dici, non tam bonum est quam genus mali inferioris, quod ab altiore malo obscuratum, ad nomen boni impellitur. Aufer denique conditionem, ut non dicas, *Melius est nubere quam uri;* et quæro an dicere audeas, Melius nubere; non adjiciens quo melius sit. Fit ergo jam non melius; et dum non melius, nec bonum, sublata conditione, quæ dum melius illud facit alio, ita bonum haberi cogit. Melius est unum oculum amittere, quam duos: si tamen discedas a comparatione mali (2) utriusque, non erit melius unum oculum habere; quia nec bonum. Quid nunc, si omnem indulgentiam nubendi, de suo, id est, de humano sensu accommodat ex necessitate qua diximus, *Quia melius sit nubere quam uri?* Denique, conversus ad alteram speciem dicendo, *Nuptis autem denuntio, non ego, sed Dominus*, ostendit illa quæ supra dixerat, non Dominicæ auctoritatis fuisse, sed humanæ æstimationis. At ubi ad continentiam reflectit animos, *Volo autem vos sic esse omnes: puto autem*, inquit, *et ego spiritum Dei habeo:* ut si quid indulserat ex necessitate, id Spiritus Sancti auctoritate revocaret. Sed et Joannes monens sic nos incedere debere quemadmodum et Dominus, utique etiam secundum sanctitatem carnis admonuit incedere, adeo manifeste. *Et omnis*, inquit, *qui spem istam in illo habet*, (*a*) *castificat se, sicut et ipse castus est* (*Jo.*, III, 3). Nam et alibi: *Estote sancti, sicut et ille sanctus fuit* (*Jo.*, II, 3), scilicet, carne. De spiritu enim non dixisset, quia spiritus ultro sanctus agnoscitur, nec exspectat sanctitatis admonitionem, quæ propria natura est ejus. Caro autem docetur sanctitatem, quæ et in Christo fuit sancta. Igitur si omnia ista obliterant licentiam nubendi, et conditione licentiæ inspecta, et prælatione continentiæ imposita, cur non potuerit post Apostolos idem spiritus superveniens ad deducendam disciplinam in omnem veritatem, per gradus temporum (secundum quod Ecclesiastes, *Tempus omni rei*, inquit), supremam jam carni fibulam imponere, jam non oblique a nuptiis avocans, sed exerte (*b*) cum magis nunc tempus in collecto factum sit, annis circiter 160 exinde producis? Nonne ipse apud te retractares? Vetus hæc disciplina est, præmonstrata jam tunc in carne Domini, et voluntate: A dehinc in Apostolorum ejus tam consiliis quam exemplis. Olim sanctitati huic destinabamur. Nihil novi Paracletus inducit. Quod præmonuit, definit: quod sustinuit, exposcit. Et nunc recogitans ista, facile tibi persuadebis multo magis unicas nuptias competisse Paracleto prædicare, qui potuit et nullas, magisque credendum temperasse illum, quod et abstulisse decuisset, si quæ velit Christus intelligas. In hoc quoque (*c*) Paracletum agnoscere debes advocatum, quod a tota continentia infirmitatem tuam excusat.

CAPUT IV.

Secedat nunc mentio Paracleti, ut nostri alicujus auctoris. Evolvamus communia instrumenta scripturarum pristinarum. Hoc ipsum demonstratur a nobis, neque novam, neque extraneam esse monogamiæ disciplinam, imo et antiquam, et propriam Christianorum; ut Paracletum restitutorem potius sentias ejus, quam institutorem. Quod pertineat ad antiquitatem, quæ potest antiquior forma proferri, quam ipse sensus generis humani? Unam fœminam masculo Deus finxit, una costa ejus decerpta, et utique ex pluribus. Sed et in præfatione ipsius operis: *Non est*, inquit, *bonum homini solum eum esse; faciamus adjutorium illi.* Adjutores enim dixisset, si pluribus eum uxoribus destinasset. Adjecit et legem de futuro. Siquidem prophetice dictum est: *Et erunt duo in carnem unam* (*Gen.* II, 18, 24), non tres, neque plures. Cæterum, jam non duo, si plures. Stetit lex. Denique, perseveravit unio conjugii in auctoribus generis ad finem usque; non quia non erant fœminæ aliæ, sed quia ideo non erant, ne primitiæ generis duplici matrimonio contaminarentur. Alioquin, si Deus voluisset, esse potuissent: certe de filiarum suarum numerositate sumpsisset, non minus ex ossibus et ex carne sua habens Evam, si hoc pie fieret. At ubi primum scelus, homicidium, in fratricidio dedicatum, tam dignum secundo loco scelus non fuit, quam duæ nuptiæ. (*d*) Neque enim refert duas quis uxores singulas habuerit, an pariter singulæ duas fecerint. Idem numerus conjunctorum et separatorum. Semel tamen vim passa institutio Dei per Lamech, constitit postea in finem usque gentis illius. Secundus Lamech nullus existit, quomodo duabus maritatus. (*e*) Negat Scriptura quod non notat. Aliæ diluvium iniquitates provocaverunt, semel defensæ qualescumque fuerunt; non tamen septuagies septies, quod duo matrimonia meruerunt. Sed et reformatio secundi generis humani monogamia matre

LECTIONES VARIANTES.

(1) Alio *Seml.*

(2) Mali *omitt. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Castificat se, sicut et ipse castus est.* Ex Epistola Joan., III, vertit liberius quam par est ἁγνίζει ἑαυτὸν per *castificat*, et ἁγνὸς *castus*, purus enim est et mundus. Le Pr.

(b) *Cum magis nunc tempus in collecto factum sit.* In eum plane sensum beatus Hieronym. epist. ad Gerontiam: *quid ad nos, in quos fines sæculorum devenerunt?* Le Pr.

(c) *Paracletum agnoscere debes advocatum.* Adludit ad significationem vocis παράκλητος quæ *advocatum* significat; sed ridicula est applicatio Auctoris. Pam.

CAP. IV. — (d) *Neque enim refert duas quis uxores singulas habuerit, an pariter singulæ duas fecerint.* Imo, quia plurimum refert, edicto prætoris infamia notatur, qui bina sponsalia binasve nuptias eodem tempore constitutas habuerit. Ric.

(e) *Negat Scriptura quod non notat.* Mihi primum hæc legenti, quamvis obiter et perfunctorie, duriuscula visa sunt in eo scriptore qui traditionem tantopere defenderat. At ibi orthodoxus, hic vero a vero devius. Le Pr.

censetur. Iterum duo in unicis nuptiis. Etiam in ipsis animalibus monogamia recognoscitur, ne vel bestiæ de mœchia nascerentur. *Ex omnibus*, inquit, *bestiis*, ex omni carne, duo induces in arcam, ut vivant tecum masculus et fœmina. Erunt de animalibus volatilibus secundum genus, et de omnibus serpentibus terræ, secundum genus ipsorum, duo ex omnibus introibunt ad te masculus et fœmina. Eadem forma et septena ex binis adlegi mandat ex masculo et fœmina, uno et una. Quod amplius dicam? Immundis quoque alitibus cum binis fœminis introire non licuit.

CAPUT V.

Hæc quantum ad primordiorum testimonium, et originis nostræ patrocinium, et divinæ institutionis præjudicium. Quæ utique lex est, non monumentum; quoniam si ita factum est a primordio, invenimus nos ad initium dirigi a Christo: sicut in quæstione repudii, dicens illud propter duritiam ipsorum a Moyse esse permissum, ab initio autem non ita fuisse, sine dubio ad initium revocat matrimonii individuitatem. Idcoque quos *Deus ab initio conjunxit in unam carnem duos, hodie homo non separabit* (*Gen.*, II, 24). Dicit et Apostolus scribens ad Ephesios: *Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis temporum, ad caput*, id est, *ad initium reciprocare universa in Christo, quæ sunt super cœlos et super terras in ipso* (*Eph.* I, 9,10). Sic et duas Græciæ literas, summam et ultimam, sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras: uti quemamodum α ad ω usque volvitur, et rursus ω ad α replicatur (*Apocal.* I, 8; XXII, 13), ita ostenderet in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium; ut omnis dispositio in eum desinens, per quem cœpta est, per Sermonem scilicet Dei, qui caro factum est, proinde desinat quemadmodum et cœpit. Et adeo in Christo omnia revocantur (1) ad initium, ut et fides reversa sit circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit; et libertas ciborum et sanguinis solius abstinentia sicut ab initio fuit: et matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit, et repudii cohibitio, quod ab initio non fuit; et postremo totus homo in paradisum revocatur, ubi ab initio fuit Cur ergo vel monogamum illo non debeat Adam referre, qui non potest tam integrum præstare, quam inde missus est? Quantum pertinet itaque ad initii restitutionem, id a te exigit et dispositionis et spei tuæ ratio, quod ab initio fuit, secundum initium quod tibi et in Adam censetur, et in Noe recenseatur. Elige in quo eorum initium tuum deputes. In ambobus te sibi monogamiæ censura defendit. Sed et si initium transmittit ad finem, ut α ad ω, quomodo finis remittit ad initium, ut ω ad α, atque ita census noster transfertur in Christum, animalis in spiritalem, quia non primo quod spiritale est, sed quod animale, dehinc quod spiritale: proinde videamus, an idipsum debeas huic quoque censui secundo; an in eadem te forma esse conveniat, in qua novissimus quoque Adam, in qua et primus; quando novissimus Adam, id est Christus, innuptus in totum, quod etiam primus Adam ante exsilium. Sed donato infirmitati tuæ carnis suæ exemplo, perfectior Adam, id est Christus, eo quoque nomine perfectior qua integrior, volenti quidem tibi spado occurrit in carne; si vero non sufficis, monogamus occurrit in spiritu, unam habens Ecclesiam sponsam, secundum Adam et Evæ figuram; quam Apostolus in illud magnum sacramentum interpretatur, in Christum et Ecclesiam, competisse carnali monogamiæ per spiritalem. Vides igitur quemadmodum etiam in Christo novans censum, non possis cum sine monogamiæ professione deferre, nisi carne sis quod spiritu ille est, licet et quod fuit in carne, æque esse debueris. Sed adhuc nobis quæramus aliquos originis principes. Non placent enim quibusdam monogami parentes, Adam et Noe, fortasse nec Christus. Ab Abraham denique provocant, prohibiti patrem alium præter Deum agnoscere. Sit nunc pater noster Abraham, sit et Paulus. *In Evangelio*, inquit, *ego vos genera vi* (*I Cor.*, IV, 16). Etiam Abrahæ te filium exhibe. Non enim (*a*) passivus tibi census est in illo. Certum tempus est, quo tuus pater est. Si enim ex fide filii deputamur Abrahæ, ut Apostolus docet, dicens ad Galatas: *Cognoscitis nempe, quia qui ex fide, isti sunt filii Abrahæ* (*Gal.* III, 7.); quando credidit Abraham Deo, et deputatum est ei in justitiam? Opinor, adhuc in monogamia, quia in circumcisione nondum. Quod si postea in utrumque mutatus est, et in digamiam per ancillæ concubinatum, et in circumcisionem per testamenti signaculum, non potes illum patrem agnoscere, nisi tunc, cum Deo credidit; siquidem secundum fidem filius ejus es, non secundum carnem. Aut si posteriorem Abraham patrem sequeris, id est digamum, recipe et circumcisum. Si rejicis circumcisum, ergo recusabis et digamum. Duas dispositiones ejus, binis inter se modis diversas, miscere non poteris. Digamus cum circumcisione esse orsus est, monogamus cum præputiatione. Recipis digamiam? admitte et circumcisionem. Tueris præputiationem? teneris et monogamiæ. Adeo autem monogami Abrahæ filius es, sicut et præputiati; ut si circumcidaris, jam non sis filius, quia non eris ex fide, sed ex signaculo fidei in præputiatione justificatæ. Habes Apostolum, disce cum Galatis. Proinde etsi digamiam tibi intuleris, non es illius Abrahæ filius, cujus fides in monogamia præcessit. Nam etsi postea pater multarum nationum nuncupatur, sed earum quæ ex fide digamiam præcedente filii habebant deputari Abrahæ. Exinde res viderint. Aliud sunt figuræ, aliud formæ. Aliud imagines, aliud definitiones. Imagines

LECTIONES VARIANTES.

(1) Revocarentur *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. V.—(a) *Passivus tibi census*, etc. Passivum censum, inquit Rhenanus, vocat censum infinitum, vagum, liberum, et licentem sive licentiosum. PAM.

transeunt adimpletæ, definitiones permanent adimplendæ. Imagines prophetant, definitiones gubernant. Quid digamia illa Abrahæ portendat, idem apostolus edocet, interpretator utriusque Testamenti, sicut idem semen nostrum in Isaac vocatum determinat. Si ex libera es, ad Isaac pertinens, hic certe unum matrimonium pertulit. Isti itaque sunt, ut opinor, in quibus censeor. Cæteros nescio. Quorum si exempla circumspicis, alicujus David etiam per sanguinem nuptias sibi ingerentis, alicujus Salomonis etiam uxoribus divitis; meliora sectari jussus, habes et Joseph unijugum, et hoc nomine, audeo dicere, patre meliorem; habes Moysen, Dei de proximo arbitrum; habes Aaronem, principalem sacerdotem. (*a*) Secundus quoque Moyses populi secundi, qui imaginem nostram in promissionem Dei induxit, in quo primo nomen Domini dedicatum est, non fuit digamus.

CAPUT VII.

Post vetera exempla originalium personarum, æque ad vetera transeamus instrumenta legalium Scripturarum, ut per ordinem (*b*) de omni nostra paratura retractemus. Et quoniam quidam interdum nihil sibi dicunt esse cum lege, quam Christus non dissolvit, sed adimplevit, interdum quæ volunt legis arripiunt; plane et nos sic dicimus decessisse legem, ut onera quidem ejus, quæ secundum sententiam Apostolorum nec Patres sustinere voluerunt, concesserint; quæ vero ad justitiam spectant, non tantum reservata permaneant, verum et ampliata: ut scilicet redundare possit justitia nostra super Scribarum et Pharisæorum justitiam. Si justitia, utique et pudicitia. Si ergo, quoniam in lege præcipitur, ut quis fratris sui uxorem sine liberis defuncti in matrimonium adsumat, ad suscitandum fratri suo semen, idque sæpius evenire in unam personam potest secundum callidam illam quæstionem Sadducæorum, ideo et alias putant permissam frequentiam nuptiarum; intelligere debebunt primo rationem ipsius præcepti, et ita scient illam rationem jam cessantem ex eis esse quæ evacuata sunt legis. Necessario succedendum erat in matrimonium fratris sine liberis defuncti. Primum, quia adhuc vetus illa benedictio decurrere habebat: *Crescite et redundate* (*Gen.* I, 28). Dehinc, quoniam patrum delicta etiam de filiis exigebantur. Tertio, quoniam spadones et steriles ignominiosi habebantur. Itaque, ne proinde maledicti judicarentur, qui non naturæ reatu, at mortis præventu orbi decessissent, ideo illis ex suo genere vicaria, et quasi postuma soboles supparabatur. At ubi et *Crescite et redundate* evacuavit extremitas temporum, inducente Apostolo (I *Cor.* VII, 29): *Superest, ut et qui habent uxores, sic sint, ac si non habeant, quia tempus in collecto est* (*Jer.* XXXI, 29); et: *Desiit uva acerba, a patribus manducata, filiorum dentes obstupefacere: unusquisque enim in suo delicto morietur*; et spadones non tantum ignominia caruerunt, verum et gratiam meruerunt, invitati in regna cœlorum, sepulta lege succedendi in matrimonium fratris, contrarium ejus obtinuit non succedendi in matrimonium fratris. Et ita, ut prædiximus (1), quod cessavit valere, cessante ratione, non potest alii argumentationem accommodare. Ergo non nubet defuncto viro uxor, fratri utique nuptura si nupserit. Omnes enim nos fratres sumus: et illa nuptura in Domino habet nubere, id est, non ethnico, sed fratri; quia et vetus lex adimit conjugium allophylorum. Cum autem et in Levitico cautum sit: *Quicumque sumpserit fratris uxorem, immunditia est, turpitudo, sine liberis morietur* (2) (*Lev.* XX, 31); sine dubio, dum ille prohibetur denuo nubere, et illa prohibetur, non habens nubere nisi fratri. Quomodo ergo Apostolo conveniet et Legi, quam non in totum impugnat, cum ad epistolam ipsius venerimus, ostendetur. Interim quod pertineat ad Legem, magis nobis competunt argumentationes ejus. Denique prohibet eadem, sacerdotes denuo nubere (*Lev.* XXXI, 14). (*c*) Filiam quoque sacerdotis jubet viduam vel ejectam, si semen non fuerit illi, in domum patris sui regredi, et de pane ejus ali. Ideo, si semen non fuerit illi, non, ut si fuerit, denuo nubat: quanto magis enim non nubet, si filios habeat! sed ut, si habuerit, a filio potius alatur quam a patre, quo et filius præceptum Dei exsequatur, *Honora patrem et matrem* (*Lev.* XXXI, 15). Nos autem Jesus summus sacerdos et magnus Patris, de suo vestiens (quia [*Gal.* III, 27] *qui in Christo tinguuntur, Christum induerunt*), (*d*) *sacerdotes Deo Patri suo fecit* secundum Joannem (*Apoc.* I, 6). Nam et illum adolescentem festinantem ad exequias patris ideo revocat, ut ostendat sacerdotes nos vocari ab eo, quos lex vetabat parentum sepulturæ adesse: (*e*) *Super omnem*, inquit, *animam defunctam sacerdos non introibit, et super patrem suum, et super matrem suam non contaminabitur* (*Lev.* XXII, 13). Ergo et nos hoc

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prædicimus *Venet.*

(2) Morientur *Fran. Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Secundus quoque Moses.* Jesum Nave significat, de cujus nuptiis nihil Scriptura tradidit. Itaque ex eo neque pro nuptiis, neque adversus nuptias, sive primas, sive secundas, quidquam colligitur. Et tamen Septimium sequitur Hieronymus lib. I adversus Jovinianum: *Ostende mihi*, inquit, *Jesum Nave, vel uxorem habuisse, vel filios.* Rig.

CAP. VII.— (b) *De omni nostra paratura.* Significat utriusque Instrumenti seu Testamenti Scripturas. Rig.

(c) *Filiam quoque sacerdotis*, etc. Clarius beatus Hieronymus: Sacerdotalis vidua in domo jubetur sedere patris sui, nec secundum nosse matrimonium. Sed Auctor sequitur verba scripturæ Levit. XXII. Pam.

(d) *Sacerdotes nos Deo Patri fecit.* De intellectu vero hujus loci et verborum quæ sequuntur vide lib. præced. cap. 7. Pam.

(e) *Super omnem*, inquit, *animam defunctam.* Comparat etiam in hoc legem Evangelicam cum Moysis lege, quod sepelire patrem suum prohibeatur sacerdos magnus, Lev. XXI. Quare etiam apud Auctorem subintelligi debet, quod paulo prius de Jesu dictum est, summus sacerdos sive magnus, nam alioqui sacerdotibus aliis licebat intrare super animam patris, matris, fratris, et sororis virginis, uti habetur initio

censetur. Iterum duo in unicis nuptiis. Etiam in ipsis animalibus monogamia recognoscitur, ne vel bestiæ de mœchia nascerentur. *Ex omnibus*, inquit, *bestiis*, ex omni carne, duo induces in arcam, ut vivant tecum masculus et fœmina. Erunt de animalibus volatilibus secundum genus, et de omnibus serpentibus terræ, secundum genus ipsorum, duo ex omnibus introibunt ad te masculus et fœmina. Eadem forma et septena ex binis adlegi mandat ex masculo et fœmina, uno et una. Quod amplius dicam? Immundis quoque alitibus cum binis fœminis introire non licuit.

A

CAPUT V.

Hæc quantum ad primordiorum testimonium, et originis nostræ patrocinium, et divinæ institutionis præjudicium. Quæ utique lex est, non monumentum; quoniam si ita factum est a primordio, invenimus nos ad initium dirigi a Christo: sicut in quæstione repudii, dicens illud propter duritiam ipsorum a Moyse esse permissum, ab initio autem non ita fuisse, sine dubio ad initium revocat matrimonii individuitatem. Ideoque quos *Deus ab initio conjunxit in unam carnem duos, hodie homo non separabit* (*Gen.*, II, 24). Dicit et Apostolus scribens ad Ephesios: *Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis temporum, ad caput*, id est, *ad initium reciprocare universa in Christo, quæ sunt super cœlos et super terras in ipso* (*Eph.* I, 9,10). Sic et duas Græciæ literas, summam et ultimam, sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras: uti quemamodum α ad ω usque volvitur, et rursus ω ad α replicatur (*Apocal.* I, 8; XXII, 13), ita ostenderet in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium; ut omnis dispositio in eum desinens, per quem cœpta est, per Sermonem scilicet Dei, qui caro factum est, proinde desinat quemadmodum et cœpit. Et adeo in Christo omnia revocantur (1) ad initium, ut et fides reversa sit circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit; et libertas ciborum et sanguinis solius abstinentia sicut ab initio fuit: et matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit, et repudii cohibitio, quod ab initio non fuit; et postremo totus homo in paradisum revocatur, ubi ab initio fuit Cur ergo vel monogamum illo non debeat Adam referre, qui non potest tam integrum præstare, quam inde missus est? Quantum pertinet itaque ad initii restitutionem, id a te exigit et dispositionis et spei tuæ ratio, quod ab initio fuit, secundum initium quod tibi et in Adam censetur, et in Noe recensetur. Elige in quo eorum initium tuum deputes. In ambobus te sibi monogamiæ censura defendit. Sed et si initium transmittit ad finem, ut α ad ω, quomodo finis remittit ad initium, ut ω ad α, atque ita census noster transfertur in Christum, animalis in spiritalem, quia non primo quod spiritale est, sed quod animale, dehinc quod spiritale: proinde videamus, an idipsum debeas huic quoque censui secundo; an in eadem te forma esse conveniat, in qua novissimus quoque Adam, in qua et primus; quando novissimus Adam, id est Christus, innuptus in totum, quod etiam primus Adam ante exsilium. Sed donato infirmitati tuæ carnis suæ exemplo, perfectior Adam, id est Christus, eo quoque nomine perfectior qua integrior, volenti quidem tibi spado occurrit in carne; si vero non sufficis, monogamus occurrit in spiritu, unam habens Ecclesiam sponsam, secundum Adam et Evæ figuram; quam Apostolus in illud magnum sacramentum interpretatur, in Christum et Ecclesiam, competisse carnali monogamiæ per spiritalem. Vides igitur quemadmodum etiam in Christo novans censum, non possis cum sine monogamiæ professione deferre, nisi carne sis quod spiritu ille est, licet et quod fuit in carne, æque esse debueris. Sed adhuc nobis quæramus aliquos originis principes. Non placent enim quibusdam monogami parentes, Adam et Noe, fortasse nec Christus. Ab Abraham denique provocant, prohibiti patrem alium præter Deum agnoscere. Sit nunc pater noster Abraham, sit et Paulus. *In Evangelio*, inquit, *ego vos genera*ui (I *Cor.*, IV, 16). Etiam Abrahæ te filium exhibe. Non enim (*a*) passivus tibi census est in illo. Certum tempus est, quo tuus pater est. Si enim ex fide filii deputamur Abrahæ, ut Apostolus docet, dicens ad Galatas: *Cognoscitis nempe, quia qui ex fide, isti sunt filii Abrahæ* (*Gal.* III, 7.); quando credidit Abraham Deo, et deputatum est ei in justitiam? Opinor, adhuc in monogamia, quia in circumcisione nondum. Quod si postea in utrumque mutatus est, et in digamiam per ancillæ concubinatum, et in circumcisionem per testamenti signaculum, non potes illum patrem agnoscere, nisi tunc, cum Deo credidit; siquidem secundum fidem filius ejus es, non secundum carnem. Aut si posteriorem Abraham patrem sequeris, id est digamum, recipe et circumcisum. Si rejicis circumcisum, ergo recusabis et digamum. Duas dispositiones ejus, binis inter se modis diversas, miscere non poteris. Digamus cum circumcisione esse orsus est, monogamus cum præputiatione. Recipis digamiam? admitte et circumcisionem. Tueris præputiationem? teneris et monogamiæ. Adeo autem monogami Abrahæ filius es, sicut et præputiati; ut si circumcidaris, jam non sis filius, quia non eris ex fide, sed ex signaculo fidei in præputiatione justificatæ. Habes Apostolum, disce cum Galatis. Proinde etsi digamiam tibi intuleris, non es illius Abrahæ filius, cujus fides in monogamia præcessit. Nam etsi postea pater multarum nationum nuncupatur, sed earum quæ ex fide digamiam præcedente filii habebant deputari Abrahæ. Exinde res viderint. Aliud sunt figuræ, aliud formæ. Aliud imagines, aliud definitiones. Imagines

B

C

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Revocarentur *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. V.—(a) *Passivus tibi census*, etc. Passivum censum, inquit Rhenanus, vocat censum infinitum, vagum, liberum, et licentem sive licentiosum. PAM.

transeunt adimpletæ, definitiones permanent adimplendæ. Imagines prophetant, definitiones gubernant. Quid digamia illa Abrahæ portendat, idem apostolus edocet, interpretator utriusque Testamenti, sicut idem semen nostrum in Isaac vocatum determinat. Si ex libera es, ad Isaac pertinens, hic certe unum matrimonium pertulit. Isti itaque sunt, ut opinor, in quibus censeor. Cæteros nescio. Quorum si exempla circumspicis, alicujus David etiam per sanguinem nuptias sibi ingerentis, alicujus Salomonis etiam uxoribus divitis; meliora sectari jussus, habes et Joseph unijugum, et hoc nomine, audeo dicere, patre meliorem; habes Moysen, Dei de proximo arbitrum; habes Aaronem, principalem sacerdotem. (*a*) Secundus quoque Moyses populi secundi, qui imaginem nostram in promissionem Dei induxit, in quo primo nomen Domini dedicatum est, non fuit digamus.

CAPUT VII.

Post vetera exempla originalium personarum, æque ad vetera transeamus instrumenta legalium Scripturarum, ut per ordinem (*b*) de omni nostra paratura retractemus. Et quoniam quidam interdum nihil sibi dicunt esse cum lege, quam Christus non dissolvit, sed adimplevit, interdum quæ volunt legis arripiunt; plane et nos sic dicimus decessisse legem, ut onera quidem ejus, quæ secundum sententiam Apostolorum nec Patres sustinere voluerunt, concesserint; quæ vero ad justitiam spectant, non tantum reservata permaneant, verum et ampliata: ut scilicet redundare possit justitia nostra super Scribarum et Pharisæorum justitiam. Si justitia, utique et pudicitia. Si ergo, quoniam in lege præcipitur, ut quis fratris sui uxorem sine liberis defuncti in matrimonium adsumat, ad suscitandum fratri suo semen, idque sæpius evenire in unam personam potest secundum callidam illam quæstionem Sadducæorum, ideo et alias putant permissam frequentiam nuptiarum; intelligere debebunt primo rationem ipsius præcepti, et ita scient illam rationem jam cessantem ex eis esse quæ evacuata sunt legis. Necessario succedendum erat in matrimonium fratris sine liberis defuncti. Primum, quia adhuc vetus illa benedictio decurrere habebat: *Crescite et redundate* (*Gen.* I, 28). Dehinc, quoniam patrum delicta etiam de filiis exigebantur. Tertio, quoniam spadones et steriles ignominiosi habebantur. Itaque, ne proinde maledicti judicarentur, qui non naturæ reatu, at mortis præventu orbi decessissent, ideo illis ex suo genere vicaria, et quasi postuma soboles supparabatur. At ubi et *Crescite et redundate* evacuavit extremitas temporum, inducente Apostolo (I *Cor.* VII, 29): *Superest, ut et qui habent uxores, sic sint, ac si non habeant, quia tempus in collecto est* (*Jer.* XXXI, 29); et: *Desiit uva acerba, a patribus manducata, filiorum dentes obstupefacere: unusquisque enim in suo delicto morietur*; et spadones non tantum ignominia caruerunt, verum et gratiam meruerunt, invitati in regna cœlorum, sepulta lege succedendi in matrimonium fratris, contrarium ejus obtinuit non succedendi in matrimonium fratris. Et ita, ut prædiximus (1), quod cessavit valere, cessante ratione, non potest alii argumentationem accommodare. Ergo non nubet defuncto viro uxor, fratri utique nuptura si nupserit. Omnes enim nos fratres sumus: et illa nuptura in Domino habet nubere, id est, non ethnico, sed fratri; quia et vetus lex adimit conjugium allophylorum. Cum autem et in Levitico cautum sit: *Quicumque sumpserit fratris uxorem, immunditia est, turpitudo, sine liberis morietur* (2) (*Lev.* XX, 31); sine dubio, dum ille prohibetur denuo nubere, et illa prohibetur, non habens nubere nisi fratri. Quomodo ergo Apostolo conveniet et Legi, quam non in totum impugnat, cum ad epistolam ipsius venerimus, ostendetur. Interim quod pertineat ad Legem, magis nobis competunt argumentationes ejus. Denique prohibet eadem, sacerdotes denuo nubere (*Lev.* XXXI, 14). (*c*) Filiam quoque sacerdotis jubet viduam vel ejectam, si semen non fuerit illi, in domum patris sui regredi, et de pane ejus alii. Ideo, si semen non fuerit illi, non, ut si fuerit, denuo nubat: quanto magis enim non nubet, si filios habeat! sed ut, si habuerit, a filio potius alatur quam a patre, quo et filius præceptum Dei exsequatur, *Honora patrem et matrem* (*Lev.* XXXI, 15). Nos autem Jesus summus sacerdos et magnus Patris, de suo vestiens (quia [*Gal.* III, 27] *qui in Christo tinguuntur, Christum induerunt*), (*d*) *sacerdotes Deo Patri suo fecit* secundum Joannem (*Apoc.* I, 6). Nam et illum adolescentem festinantem ad exequias patris ideo revocat, ut ostendat sacerdotes nos vocari ab eo, quos lex vetabat parentum sepulturæ adesse: (*e*) *Super omnem*, inquit, *animam defunctam sacerdos non introibit, et super patrem suum, et super matrem suam non contaminabitur* (*Lev.* XXII, 13). Ergo et nos hoc

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prædicimus *Venet.*

(2) Morientur *Fran. Venet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Secundus quoque Moses.* Jesum Nave significat, de cujus nuptiis nihil Scriptura tradidit. Itaque ex eo neque pro nuptiis, neque adversus nuptias, sive primas, sive secundas, quidquam colligitur. Et tamen Septimium sequitur Hieronymus lib. I adversus Jovinianum: *Ostende mihi*, inquit, *Jesum Nave, vel uxorem habuisse, vel filios.* Rig.

CAP. VII.— (b) *De omni nostra paratura.* Significat utriusque Instrumenti seu Testamenti Scripturas. Rig.

(c) *Filiam quoque sacerdotis*, etc. Clarius beatus Hieronymus: Sacerdotalis vidua in domo jubetur sedere patris sui, nec secundum nosse matrimonium. Sed Auctor sequitur verba scripturæ Levit. XXII. Pam.

(d) *Sacerdotes nos Deo Patri fecit.* De intellectu vero hujus loci et verborum quæ sequuntur vide lib. præced. cap. 7. Pam.

(e) *Super omnem*, inquit, *animam defunctam.* Comparat etiam in hoc legem Evangelicam cum Moysis lege, quod sepelire patrem suum prohibeatur sacerdos magnus, Lev. XXI. Quare etiam apud Auctorem subintelligi debet, quod paulo prius de Jesu dictum est, summus sacerdos sive magnus, nam alioqui sacerdotibus aliis licebat intrare super animam patris, matris, fratris, et sororis virginis, uti habetur initio

interdictum observare debemus? non utique. Vivit enim unicus pater noster Deus, et mater Ecclesia; et neque ipsi mortui sumus, qui Deo vivimus; neque mortuos sepelimus, quia et illi vivunt in Christo. Certe sacerdotes sumus a Christo vocati, monogamiæ debitores ex pristina Dei lege, quæ nos tunc in suis sacerdotibus prophetavit.

CAPUT VIII.

Nunc ad legem proprie nostram, id est, ad Evangelium, conversi, qualibus excipimur exemplis! Dum ad sententias pervenimus, ecce statim quasi in limine, duæ (1) nobis antistites christianæ sanctitatis occurrunt, monogamia et continentia: alia pudica, in Zacharia sacerdote; alia integra, in Joanne antecursore: alia placans Deum, alia prædicans Christum; alia totum prædicans sacerdotem, alia plus præferens quam propheten (2), scilicet eum, qui non tantum prædicaverit, aut demonstraverit coram, verum etiam baptizaverit Christum. Quis enim corpus Domini dignius initiaret (3), quam ejusmodi caro, qualis et concepit illud et peperit. (*a*) Et Christum quidem virgo enixa est, semel nuptura post partum, ut utrique titulus sanctitatis in Christi sensu dispungeretur, per matrem et virginem et univiram. At ubi infans templo exhibetur, quis illum in manus suscipit? quis in spiritu primus agnoscit? Vir justus et cautus, et utique (4) non digamus, vel ne dignius (5) mox Christus a fœmina prædicaretur vetere vidua et univira, quæ et templo dedita satis in semetipsa portendebat, quales spiritali templo, id est, Ecclesiæ deberant adhærere. Tales arbitros infans Dominus expertus, non alios habuit et adultus. Petrum solum invenio maritum, per socrum; monogamum præsumo, per Ecclesiam, quæ super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura. Cæteros cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes. Nec enim si penes Græcos communi vocabulo censentur mulieres et uxores, pro consuetudinis facilitate (cæterum, est proprium vocabulum uxorum), ideo Paulum sic interpretabimur, quasi demonstret uxores Apostolos habuisse. Si de matrimoniis disputaret (quod in sequentibus facit, ubi magis Apostolus aliquod exemplum nominare potuisset), recte videretur dicere: *Non enim habemus potestatem uxores circumducendi, sicut cæteri apostoli et Cephas* (I *Cor.* IX)? At ubi ea subjungit, quæ de victuaria exhibitione abstinentiam ejus, ostendunt, dicentis: *Non enim potestatem habemus manducandi et bibendi?* non uxores demonstrat ab Apostolis circumductas, quas et qui non habent, potestatem tamen manducandi et bibendi habent; sed simpliciter mulieres, quæ illo eodem instituto, quo et Dominum comitantes, ministrabant. Jam vero si Christus reprobat Scribas et Pharisæos, sedentes in cathedra Moysi, nec facientes quæ docerent, quale est ut ipse super cathedram suam collocaret (6), qui sanctitatem carnis præcipere magis, non etiam obire meminisset, quam illis omnibus modis insinuarat (7) et docendam et agendam, in primis de suo exemplo, tunc (8) de cæteris argumentis; cum *puerorum* dicit esse *regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 3; XXIX, 14); cum consortes illis facit alios post nuptias pueros; cum ad *simplicitatem columbæ* (*Matth.* XXIX, 16) provocat, avis non tantum innocuæ, verum et pudicæ, (*b*) quam unam unus masculus novit; cum samaritanæ maritum negat, (*c*) ut adulterum ostendat numerosum maritum (*Jo.* IV, 17); cum in revelatione gloriæ suæ de tot sanctis et prophetis, Moysen et Helian secum mavult, alterum monogamum, alterum spadonem! Non enim aliud fuit Helias, quam Joannes, *qui in virtute et spiritu venit Heliæ*; cum *ille vorator et potator homo, prandiorum et cœnarum cum publicanis et peccatoribus frequentator* (*Matth.* X; *Luc* XV, 13, 19), semel apud unas nuptias cœnat multis utique inhibentibus. Totiens enim voluit celebrare eas, quotiens et esse.

CAPUT IX.

Sed hæ argumentationes potius existimentur de conjecturis coactæ, si non et sententiæ adstiterint, quas Dominus emisit in repudii retractatu, quod permissum aliquando jam prohibet; in primis, quia *ab initio non fuit sic*, sicut matrimonii numerus; tum *quia quos Deus conjunxit, homo non separabit* (*Matth.* XIX, 6, 8); scilicet, ne contra Dominum faciat. Solus enim ille separabit, qui et conjunxit; separabit autem, non per duritiam repudii, quam exprobrat et compescit, sed per debitum mortis. Siquidem *unus ex passeribus duobus non cadit in terram sine patris voluntate* (*Matth.* X, 29). Igitur, *si quos Deus conjunxit, homo non separabit* repudio; æque consen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Duo *al.*
(2) Prophetans *Rhen.*
(3) Initiarit *Leop. contra omnes edd.*
(4) Uterque *alii.*
(5) Indignius *Fran. Obert.*
(6) Collocarat *Fran.*
(7) Insinuaret *Fran.*
(8) Tum *Lat.*

COMMENTARIUS.

ejusdem cap. Hinc etiam B. Hieronymus de magno sacerdote idipsum citat ep. 25, de obitu Blæsillæ ad Paulam. PAM.

CAP. VIII.—(a) *Et Christum quidem virgo enixa est, semel nuptura post partum.* Hanc Tertulliani sententiam asserenti Helvidio contra dixit Hieronymus, *Et de Tertulliano quidem*, inquit, *nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse.* Quibus verbis significat Septimium nonnulla scripsisse Catholicis minime consentanea. RIG.

(b) *Quam unam unus masculus novit.* Istud forte e Panti lib. X, c. 34 accipit, sed falsum esse tes-

tantur rerum naturalium diligentes historici. LE PA.

(c) *Ut adulterum ostendat numerosum maritum.* Istud ad hæresin pertinet Montani; quo fit ut etiam detorqueat verba Christi ad samaritanam Joann. IV, ad secundas nuptias, cum tamen ille loquatur de eo qui adhærebat illi non in nuptiis, sed in fornicatione, sicuti B. August. et græci commentarii interpretantur. B. Hieronymus cum simile quid dixisset, lib. I, adv. Jovin., postea apolog. ad Pammach. sic interpretatur, ut non referatur ad secundas, imo et sextas nuptias, sed ad prostitutam. PAM.

taneum est, ut quos Deus separavit morte, homo non conjungat matrimonio; proinde contra Dei voluntatem junctorus separationem, atque si separasset conjunctionem. Hoc quantum ad Dei voluntatem non destruendam, et initii formam restruendam. Cæterum, et alia ratio conspirat; imo non alia, sed quæ initii formam imposuit, et voluntatem Dei movit ad prohibitionem repudii : *Quoniam qui dimiserit uxorem suam, præterquam ex caussa adulterii, facit eam adulterari ;* et : *qui dimissam a viro duxerit, adulterat utique* (*Matth.* X, 22). Nam et nubere legitime non potest (1) repudiata ; et si quid tale commiserit sine matrimonii nomine, non capit elogium adulterii, qua adulterium in matrimonio crimen est? Deus aliter censuit, citra quam homines, ut in totum, sive per nuptias, sive vulgo, alterius viri admissio adulterium pronuntietur a Deo (2). Videamus enim quid sit matrimonium apud Deum, et ita cognoscemus quid sit æque adulterium. Matrimonium est, cum Deus jungit duos in unam carnem, aut junctos deprehendens in eadem carne, conjunctionem signavit. (*a*) Adulterium est, cum, quoquo modo disjunctis duobus, alia caro, imo aliena miscetur, de qua dici non possit : *Hæc est caro ex carne mea, et hoc os ex ossibus meis* (*Gen.* II, 23). Semel enim hoc et factum, et pronuntiatum, sicut ab initio, ita et nunc in aliam carnem non potest convenire. Itaque sine caussa dices, Deum vivo marito nolle repudiatam alii viro jungi, quasi mortuo velit ; quando si mortuo non tenetur, proinde nec vivo ; tam repudio matrimonium dirimente quam morte, non tenebitur ei, cui per quod tenebatur, abruptum est ; adeo non interest (3) vivo an mortuo viro nubat. Neque enim in illum delinquit, sed in semetipsam. *Omne delictum quod admiserit homo, extra corpus est ; qui autem adulteratur, in corpus suum delinquit* (I *Cor.* VI, 18). Adulteratur autem, sicut supra præstruximus, qui aliam carnem sibi immiscet super illam pristinam, quam Deus aut conjunxit in duos, aut conjunctam deprehendit. Ideoque abstulit repudium, quod ab initio non fuit ; ut, quod ab initio fuit, muniat duorum in unam carnem perseverantiam, ne necessitas vel occasio tertiæ concarnationis irrumpat, soli caussæ permittens repudium, si forte prævenerit, cui præcavetur. Adeo autem repudium a primordio non fuit, (*b*) ut apud Romanos post annum sexcentesimum Urbis conditæ id genus duritiæ commissum denotetur. Sed illi etiam non repudiantes adulteria commiscent ; (*c*) nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit.

CAPUT X.

Video jam hinc ad Apostolum nos provocari. Ad cujus sensum facilius perspiciendum, tanto instantius præculcandum est mulierem magis defuncto marito teneri, quominus alium virum admittat. Recogitemus enim repudium, aut discordia fieri, aut discordiam facere ; mortem vero ex lege Dei, non ex hominis offensa evenire. Idque omnium esse debitum, etiam non maritorum. Igitur si repudiata quæ per discordiam, et iram, et odium, et caussas eorum, injuriam vel contumeliam, vel quamlibet querelam, et anima et corpore separata est, tenetur inimico, ne dicam marito ; quanto magis, illa, quæ neque suo, neque mariti vitio, sed dominicæ legis eventu, a matrimonio non separata, sed relicta, ejus erit etiam defuncti, cui etiam defuncto concordiam debet! A quo repudium non audiit, non divertit ; cui repudium non scripsit, cum ipso est ; quem amisisse noluit, retinet. (*d*) Habet secum animi licentiam, qui omnia homini quæ non habet, imaginario fructu repræsentat. Ipsam denique interrogo fœminam : Dic mihi, soror, in pace præmisisti virum tuum? Quid respondebit? An in discordia? Ergo hoc magis ei vincta est, cum quo habet apud Deum caussam. Non discessit, quæ tenetur. (*e*) Sed in pace. Ergo perseveret in ea cum illo necesse est, quem jam repudiare non poterit, ne sic quidem nuptura si repudiare potuisset. Enim vero et pro anima ejus orat, et refrigerium interim adpostulat ei (4), et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus. Nam hæc nisi fecerit, vere repudiavit, quantum in ipsa est ; et quidem hoc iniquius, quanto quo modo potuit, quia non potuit ; et hoc indignius, quanto jam indignius, si quia non meruit (5). Aut numquid nihil crimus post mortem? Secundum aliquem Epicurum, et non secundum Christum. Quod si credimus mortuorum resurrectionem, utique tenebimur, cum quibus resurrecturi sumus, rationem de alterutro reddituri. Si autem in illo ævo *neque nubent neque nubentur, sed erunt æquales angelis* (*Matth.* XXII, 30) ; non ideo non tenebimur con-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non et nubere l. potest *Fran. Rig.* non *abest Paris.*
(2) A deo *addit Rhen. Pam. Seml. Leop. Obert. omis. Rig. edit. Venet.*
(3) Cui ergo tenebitur? Nihil Deo interest vivo, etc. *Seml. Obert. Rhen.* nihil adeo an *Leop.*
(4) Adpostulet offerat *Par.* adpostulat enim *Rhen Seml.*
(5) *Fr. Junius locum hunc corruptum sic emend.* : quanto jam iniquius, quia non potuit ; et hoc indignius, quanto jam indignius, quia non meruit.

COMMENTARIUS.

CAP. IX.—(a) *Adulterium est*, etc. Fornicationem hic quoque sub adulterii nomine comprehendit, veluti Græci qui sub μοιχείας nomine id intelligunt. LE PR.

(b) *Ut apud Romanos.* Servius Sulpitius, inquit Rhenanus in lib. quem composuit *de Dotibus*, tum primum cautiones rei uxoriæ necessarias esse visas scripsit, cum Sp. Carbilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, cum uxore divortium fecit, quia liberi, corporis vitio, ex ea non gignerentur. Anno V. C. 523, M. Attilio, P. Valerio Coss. PAM.

(c) *Nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit.* Nobis, id est, Paracletici Nam apud Psychicos alias nuptias post divortium fuisse permissas innuit principio libri I *ad uxorem*. RIG.

CAP. X. — (d) *Habet secum animi licentiam, qui omnia homini quæ non habet imaginario fructu repræsentat.* prælicenter hoc Septimius! etsi officia intelligantur Quam qualia describit libro *ad uxorem* secundo. RIG.

(e) *Sed in pace.* Hoc respondet illi quod præcessit, *An in discordia?* RIG.

jugibus defunctis, quia non erit restitutio conjugii. Atquin eo magis tenebimur, quia in meliorem statum destinamur, resurrecturi in spiritale consortium, agnituri tam nosmetipsos, quam et nostros. Cæterum, quomodo gratias Deo in æternum canemus, si non manebit in nobis sensus et memoria debiti hujus? si substantia, non conscientia reformabimur? Ergo qui cum Deo erimus, simul erimus, dum omnes apud Deum unum (licet merces varia, licet (*Jo.* XIV, 2) *multæ mansiones penes patrem eumdem*) uno denario ejusdem mercedis operati, id est vitæ æternæ, in qua magis non separabit quos conjunxit Deus, quam in ista minore vita separari vetat. Cum hæc ita sint, quomodo alii viro vacabit, quæ suo etiam in futurum occupata est? Utrique autem sexui loquimur, etsi ad alterum sermo est; quia una disciplina præest. Alium habebit in spiritu, alium in carne? Hoc erit adulterium, unius fœminæ in duos viros conscientia. Si alter a carne disjunctus est, sed in corde remanet (1); illic (ubi etiam cogitatus sine carnis congressu, et adulterium ante perficit (2) ex concupiscentia, (*a*) et matrimonium ex voluntate) usque adhuc maritus est, (*b*) ipsum illud possidens, per quod et factus est, id est animum: in quo si et alius habitabit, hoc erit crimen. Cæterum, non est exclusus, si a viliore commercio carnis decessit (3). Honoratior maritus est, quando mundior factus est.

CAPUT XI.

Ut igitur in Domino (4) nubas secundum Legem et Apostolum (si tamen vel hoc curas), qualis es id matrimonium postulans, quod eis a quibus postulas, non licet habere; ab episcopo monogamo, (*c*) a presbyteris et diaconis ejusdem sacramenti, a viduis, quarum sectam in te recusasti? (*d*) Et illi plane sic dabunt viros et uxores, quomodo buccellas. Hoc enim est apud illos: *Omni petenti te dabis.* Et conjungent vos in Ecclesia virgine, unius Christi unica sponsa. Et orabis pro maritis tuis, novo et vetere. Elige cui te adulteram præstes. Puto, ambobus. Quod si sapias, taceas defuncto. Repudium sit illi silentium tuum, alienis (*e*) jam dotalibus scriptum. Hoc modo novum promereberis maritum, si veteris obliviscaris. Debes magis illi placere, propter quem Deo placere non A maluisti. Hæc Psychici volunt Apostolum probasse, aut in totum non recogitasse, cum scriberet: *Mulier vincta est in quantum temporis vivit vir ejus; si autem mortuus fuerit, libera est: cui vult, nubat; tantum in Domino* (1 *Cor.* VII, 39). Ex hoc enim capitulo defendunt licentiam secundi matrimonii, imo et plurimi, si secundi: quod enim semel esse desiit, omni obnoxium est numero. Quo autem sensu Apostolus scripserit, ita relucebit, si prius constet, non hoc illum sensu scripsisse, quo Psychici utuntur. Constabit autem, si quis ea recordetur, quæ huic capitulo diversa sunt et apud doctrinam, et apud voluntatem, et apud propriam ipsius Pauli disciplinam. Si enim secundas nuptias permittit (5), quæ ab initio non fuerunt, quomodo adfirmat omnia ab initium recolligi B in Christo? Si vult nos iterare conjugia, quomodo semen nostrum in Isaac semel marito auctore defendit? Quomodo totum ordinem Ecclesiæ de monogamis disponit, si non hæc disciplina præcedit in laicis, ex quibus Ecclesiæ ordo proficit? Quomodo in matrimonio adhuc positos a fructu matrimonii avocat, dicens in collecto esse tempus, si per mortem matrimonio elapsos iterum in matrimonium revocat? Hæc si diversa sunt ei capitulo, de quo agitur, constabit, ut diximus, non hoc illum sensu scripsisse, quo Psychici utuntur. Quia facilius est, ut aliquam rationem habeat unum illud capitulum, quæ cum cæteris sapiat, quam ut Apostolus diversa inter se docuisse videatur. Eam rationem in ipsa materia poterimus recognoscere. Quæ ista materia Apostolo fuit C scribendi talia? Tyrocinium novæ et cum maxime orientis Ecclesiæ, quam lacte scilicet educabat, nondum *solido cibo* (1 *Cor.* III) validioris doctrinæ: adeo ut, præ illa infantia fidei, ignorarent adhuc quid sibi agendum esset circa carnis et sexus necessitatem. Cujus etiam ipsas species ex rescriptis intelligimus, cum dicit: *De his autem quæ scribitis, bonum est homini mulierem non attingere; (f) propter fornicationes autem, unusquisque uxorem suam habeat* (1 *Cor.* VII): ostendit fuisse qui in matrimonio a fide deprehensi, verebantur ne non liceret eis matrimonio suo exinde uti, quia in carnem sanctam Christi credidissent. Et tamen secundum veniam concedit, non secundum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Remanent *Fran.*
(2) Perficitur *Rhen.*
(3) Discessit *Rhen. Seml.*
(4) Deo *Rhen. Seml. Obert.*
(5) Admittit *al.*

D

COMMENTARIUS.

(a) *Et matrimonium ex voluntate*, etc. Istud confirmat communem patrum et Jureconsultorum sententiam, quod etiam sine congressu carnis matrimonium faciat voluntas, sive consensus; quo adeo etiam adprobatur B. Virginis et Joseph matrimonium apud August. lib. 1 *de nupt. et concupisc.* cap. 11 et disertis verbis etiam illud adfirmant B. Chrysost. hom. 32 *operis imp.* et B. Ambrosius lib. *de instit. virgin.*, c. 16; verum inde non sequitur quod præmisit Auctor. Pam.

(b) *Ipsum illud possidens per quod et factus est maritus, id est animum.* Eteniu, ut aiunt jurisconsulti, nuptias consensus facit, non concubitus. Rig.

CAP. XI. —(c) *A presbyteris et diaconis ejusdem sacramenti.* Hoc est, Monogamis. Le Pr.

(d) *Et illi plane sic dabunt viros et uxores quomodo buccellas.* Omnibus scilicet petentibus. Quasi etiam de conjugio sit dictum illud, *Omni petenti te dato*, quod suum habere titulum ad eleemosynam pertinentem ait libro *de baptismo*. Itaque hic verbis honestis nequiorem significatum involvit, quemadmodum in Salomonis proverbiis legimus: *Sic est via mulieris adulteræ; comedit, et tergit os suum.* Le Pr.

(e) *Alienis jam dotalib.* Dotalia græcis ἐγγράφατα et παράφερνα quæ mulier præter dotem constitutam secum affert. Le Pr.

(f) *Propter fornicationes.* Ad verbum transtulit quod græce est διὰ δὲ τὰς πορνείας; in quo etiam Auctorem imitatus est B. Hieronymus, lib. 1 adv. Jovin., ter quaterve. Pam.

imperium; id est, indulgens, non præcipiens ita fieri. Cæterum, malebat omnes id esse quod et ipse. Proinde et de repudio rescribens, demonstrat quosdam de isto quoque cogitasse : vel maxime, quia et in ethnicis matrimoniis non putabant post fidem sibi perseverandum. Quærebant et de virginibus consilium (præceptum enim Domini non erat), *bonum esse homini si sic permaneat*; utique quomodo a fide fuerit inventus. *Vinctus es* (1) *uxori, ne quæsieris solutionem. Solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem : si autem acceperis uxorem non deliquisti* : quia ante fidem soluto ab uxore, non numerabitur post fidem secunda uxor, quæ post fidem prima est. A fide enim etiam ipsa vita nostra censetur. Sed hic parcere se dicit illis : alioquin presseram carnis subsecuturam, præ angustiis temporum impedimenta matrimonii recusantibus; quin potius de Domino sollicitudinem habendam promerendo (2), quam de marito. Et (3) ita revocat quod permisit. Sic ergo in eodem ipso capitulo, quo definit unumquemque, in qua vocatione vocabitur, in ea permanere debere, adjiciens : *Mulier vincta est, quamdiu vivit vir ejus : si autem dormierit, libera est*; *cui volet nubat, tantum in Domino* (I *Cor.* VII, 39); hinc (4) quoque eam demonstrat intelligendam, quæ et ipsa sic fuerit inventa soluta a viro, quomodo et vir solutus ab uxore; per mortem utique, non per repudium facta solutione : quia repudiatis non permitteret nubere, adversus pristinum præceptum. Itaque mulier si nupserit, non delinquet, quia nec hic secundus maritus deputabitur, qui (5) est a fide primus, et adeo sic est, ut propterea adjecerit : *Tantum in Domino;* quia de ea agebatur, quæ ethnicum habuerat, et amisso eo crediderat; ne (6) scilicet etiam post fidem ethnico se nubere posse præsumeret; licet nec hoc Psychici curent. (*a*) Sciamus plane non sic esse in græco authentico, quomodo in usum exiit (*c*) per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem (7) : *Si dormierit* (8) *vir ejus*, quasi de futuro sonet, ac per hoc videatur ad eam pertinere, quæ jam in fide virum amiserit. Hoc quidem si ita esset, in infinitum emissa licentia, totiens virum dedisset, quotiens amissus esset, sine ullo pudore nubendi, etiam ethnicis congruente. Sed etsi ita esset quasi de futuro : *Si cujus maritus mortuus fuerit*, tantundem et futurum ad eam pertineret, cujus ante fidem morietur maritus Quævis (9) accipe, dum cætera non evertas. Nam cum et illa sententiæ cedant, *servus vocatus es, ne curaveris* : (*d*) *Impræputiatus vocatus es, ne circumciduris: Circumcisus vocatus es*, (*e*) *ne adduxeris;* quibus concurrit : *Vinctus es uxori, ne quæsieris solutionem : solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem;* satis manifestum est, ad eos hæc pertinere, qui in nova et recenti vocatione constituti, de his consulebant, in quibus a fide fuerant deprehensi. Hæc erit interpretatio capituli istius de hoc examinanda, tam et tempori, et causæ, et tam exemplis et argumentis præcedentibus, quam et sententiis et sensibus subsequen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Enim *Rhen. Seml.*
(2) Promendo *Fran.*
(3) Et *abest Fran*
(4) Hanc *Rhen.*
(5) Quia *Rig. Ven.*
(6) Ne *abest Rhen.*
(7) Emersionem *Seml.*
(8) Autem *inser. Rhen. Seml.*
(9) Quamvis *Seml. Pam.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sciamus plane non sic esse in græco authentico.* Cum omne et veteris et novæ Scripturæ instrumentum in latinum sermonem exinde translatum sit, multo purior manare credenda est fontis unda, quam rivi, ut ait adversus Helvidium Hieronymus. Itaque et *libro de præscript. hæreticor.* ad ecclesias apostolicas provocat, *apud quas authenticæ*, inquit, *literæ Apostolorum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem.* Sed græci illius authentici editiones haud fuisse omnes accuratissimas jam olim observavit Gregorius Nyssenus, *orat.* II, *de resurrectione Dom.* Etenim ait, ἐν τοῖς ἀκριβεστέροις ἀντιγράφοις, Evangelium Marci non pergere ultra hæc verba, ἐφοβοῦντο γάρ : cujusmodi nulla hodie exstare nondum est compertum, nisi quod in bibliotheca regia servatur exemplar literis descriptum majusculis, ubi post illa, ἐφοβοῦντο γάρ, nota *finis* adpingitur. Mox ab ejusdem librarii manu legitur, in quibusdam libris reperiri, Πάντα δὲ παραγγέλματα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν Μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλεν δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας. Tum altera librarii nota, in nonnullis etiam codicibus, post illa, ἐφοβοῦντο γάρ, sequi, Ἀναστὰς δὲ πρωΐ, et cætera quæ in vulgatis editionibus. Rig.

(b) *In græco authentico.* In græca veritate, in græca origine. Hieronymus *præf. in Evang. Augustinus, lib.* II, *de doctrina Christ., cap.* 13. Libros autem Novi Testamenti, si quid in latinis varietatibus titubat, Græcis cedere oportere non dubium est; et maxime, qui apud ecclesias doctiores et diligentiores reperiuntur. Et lib. *contra Faustum Manich.*, II, *cap.* 6, ubi de Pauli epistolis citat codicem Latinum emendatum, et codicem græcum etiam emendatum, authenticum dicit, quod est auctoritate dignius, tam in græcis quam in latinis. Nec piguit Augustinum plures inspicere codices, ut ipse testatur in psal. LXVII. *Plures autem codices latini*, inquit, *et maxime græci, ita distinctos versus habent*; et paulo post : *quæ distinctione multorum codicum, et auctoritate dignorum consonanti, sine dubio præferenda, etc.* Idem ad psal. eumdem : *Istam repetitionem non omnes codices habent, et eam diligentiores stella adposita prænotant.* Rig.

(c) *Per duar. syllabar. eversionem.* In authentico illo suo legisse videtur, ἐὰν κοιμᾷ δέ, si dormiat, si mortuus sit, maritus scilicet, antequam uxor ad fidem vocaretur. Ut ex illo ἐὰν κοιμᾷ δέ per eversionem duarum syllabarum factum sit ἐὰν κοιμηθῇ, si dormierit, si mortuus fuerit. Quod etiam de futuro sonat, inquit Septimius. Quasi Apostoli sensus extendatur etiam ad eum casum, quo virum post fidem ab uxore susceptam mori contigerit; quo etiam casu liceat uxori nubere alii viro. Et tamen in membranis illis vetustissimis, quas viri docti jam pridem ex ampliss. Cl. Puteani bibliotheca laudavere, disertissime scriptum legitur, ἐὰν δὲ κοιμηθῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, quod ibidem latine quoque redditur, *si vero dormitionem vir ejus acceperit.* Quæ sane loquendi forma christianum maritum significare magis videtur, quam ethnicum. Rig.

(d) *Impræputiatus vocatus es.* In præputiatu, ἐν ἀκροβυστίᾳ. Rig.

(e) *Ne adduxeris.* Præputium scilicet. Præputia ducere, dixit Juvenalis, sat. 6. Rig.

tibus; et in primis, an ipsius Apostoli et consilio proprio congruat et instituto : nihil enim custodiendum est, quam ne diversus sibi quis (1) deprehendatur.

CAPUT XII.

Audi et subtilissimam e contrario argumentationem. Adeo, inquiunt, permisit Apostolus iterare connubium, ut solos qui sunt in clero, monogamiæ jugo adstrinxerit: quod enim quibusdam præscribit, id non omnibus præscribit. Numquid ergo et quod omnibus præcipit, solis episcopis non præscribit; si quod episcopis præscribit, non et omnibus præcipit? An ideo omnibus, quia et episcopis? et ideo episcopis, quia et omnibus? Unde enim episcopi et clerus? nonne de omnibus? Si non omnes monogamiæ tenentur; unde monogami in clerum? An ordo aliqui seorsum debebit institui monogamorum, de quo adlectio fiat in clerum? Sed cum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus; tunc omnes sacerdotes; quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit (*Apocal.*, I, 6, V, 10) : cum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, (*a*) deponimus infulas, et impares (2) sumus : De ecclesiasticis ordinibus (3) agebatur, quales ordinari oporteret. (*b*) Oportebat igitur omnem (*c*) communis disciplinæ formam sua fronte proponi, edictum quodammodo futurum universis in præceptione (4), (*d*) quo magis sciret plebs cum ordinem sibi observandum, qui faceret præpositos, et ne vel ipse honor (5) aliquid sibi ad licentiam, quasi de privilegio loci blandiretur (6). Prospiciebat Spiritus Sanctus dicturos quosdam, « Omnia licent episcopis ; » sicut ille (*e*) vester Uthinensis nec Scantiniam timuit. Quot (7) enim et digami (8) præsident apud vos, insultantes utique Apostolo, certe non erubescentes, cum hæc sub illis leguntur ! Age jam, qui putas exceptionem (9) monogamiæ de episcopis factam, recede et a reliquis titulis disciplinæ, qui cum monogamia episcopis adscribuntur. Noli esse *irreprehensibilis, sobrius, bene moratus, hospitalis, docibilis; quin vero et vino deditus, et manu promptus ad cædendum, et pugnax* (10), *et pecuniæ amans, et domum non regens, nec filiorum curans disciplinam, sed nec ab extraneis bonam famam sectans* (1 *Tim.* III, 2, *seqq.*). Si enim suam labent episcopi legem circa monogamiam, etiam cætera quæ monogamiæ accedere oportebit, episcopis erunt scripta. Laicis vero, queis monogamia non convenit, cætera quoque aliena sunt. Evasisti, Psychice, si velis, vincula disciplinæ totius. Præscribe constanter non omnibus præcipi, quæ quibusdam sint præcepta; aut si cætera quidem communia sunt, monogamia vero solis episcopis imposita est, numquid illi soli christiani pronuntiandi, in quos tota disciplina collata est?

CAPUT XIII.

Sed et Timotheo scribens, (*f*) vult *juvenculas nubere, filios suscipere, matres familiæ agere* (1 *Tim.*, *v.* 14). Ad eas dirigit, quales supra denotat, juvenculas viduas, quæ in viduitate deprehensæ, et aliquandiu adsectatæ (11), postquam in deliciis habuerunt Christum, nubere volunt, habentes judicium quod primam fidem resciderunt : illam videlicet, a qua in viduitate inventæ, et professæ eam, non perseverant. Propter quod vult eas nubere, ne primam fidem susceptæ viduitatis postea rescindant, non ut toticns nubant, quotiens in viduitate tentata (12), imo et in deliciis habita noluerint perseverare. Legimus cum et ad Romanos scribentem : *Quæ autem sub viro est mulier, viventi viro vincta est; si autem obierit, evacuata est a lege viri. Nempe ergo vivente viro adulterare putabitur, si juncta fuerit alteri viro. Si vero obierit vir, liberata est a lege, quod non sit adultera facta alii viro*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quis *abest Seml.*
(2) *Sic Rig.e lib. Ursini Rhen.* pares *al.* partes *cod. Vaiav.* impares.
(3) Ord nibus *aberat in Cod. Divionensi Rig.*
(4) In præsessione *Rig. Ven.* impressione *Rhen. Seml. Leop. Obert.*
(5) Sonor *Rigalt.*
(6) Blandiatur *Seml. Obert. Cod. Wouw.*
(7) Quod *Rig.*
(8) Et ex digamia *Rhen.*
(9) Acceptionem *Rhen.*
(10) Pugnas *Rhen.*
(11) Affectatæ *Rhen.*
(12) Tentanda *Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. XII.—(a) *Deponimus infulas, et impares sumus.* Sic emendavimus ex libro Ursini. Ait igitur : Nos laici, cum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus personam sacerdotalem; et jam dicimus, alios esse laicos, alios sacerdotes. Rig.

(b) *Oportebat igitur communis disciplinæ formam sua fronte proponi.* Eleganter frontem Ecclesiæ vocat episcopos, presbyteros, diaconos. Oportebat, inquit, in fronte Ecclesiæ Christianæ proponi ac pendere formam, hoc est, Tabulas totius disciplinæ ecclesiasticæ; ut sic præcederet edictum quod universi sequerentur. Sic enim legitur in divionensi codice vetusto, *Edictum quodammodo futurum universis in præceptione.* Rig.

(c) *Communis disciplinæ formam.* Legem communem significat tam laicis quam sacerdotibus dictam, τύπον τοῦ πειρᾶν (*Petri* V). Rig.

(d) *Quo magis sciret plebs eum ordinem sibi observandum, qui faceret præpositos.* Ordinem monogamorum significat, unde sumuntur præpositi. Itaque omnem plebem volebat esse monogamos. Rig.

(e) *Vester Uthinensis nec Scantiniam timuit.* Uthina oppidum est Africæ, colonia Romanorum. Non agnoscebat autem, ut videtur, novam Montani prophetiam Uthinensis ecclesia. Notat autem episcopum de illicita venere, cum dicit nec Scantiniam timuit. P. Scantinius legem tulit qua pœderastæ gravi supplicio afficerentur. Rhen.

CAP. XIII.—(f) *Vult juvenculas nubere.* Locum hunc Auctor ad institutum suum detorquet, ut vix adsequi quis possit quid velit. Varia est etiam veterum expositio, inter quas placet maxime illa Epiphanii contra Montanistas ut priori loco cum dicit : *Juniores viduas devita*, etc., loquatur de iis quæ promisere, et promissis non stant, judicium habentes, eo quod primam fidem irritam fecerint; postea vero illis verbis : *Volo ergo juvenculas viduas nubere*, de iis, quibus per infirmitatem ad alteras transire nuptias permittit. Pam.

(*Rom.* VII, 2, 6). Sed et sequentia recognosce, quo sensus iste, qui tibi blanditur, evadat: *Itaque*, inquit, *fratres mei, mortificamini et vos legi per corpus Christi, ut efficiamini alteri, ei scilicet qui a mortuis resurrexit, uti fructum feramus Deo. Cum enim eramus in carne, passiones delictorum, quæ per legem efficiebantur in membris nostris ad fructum ferendum morti: nunc autem evacuati sumus a lege, mortui in quo tenebamur, ad serviendum Deo in novitate spiritus, et non in vetustate literæ.* Igitur, si mortificari nos jubet legi per corpus Christi, quod est Ecclesia, quæ spiritu novitatis constat, non per literam vetustatis, id est legis; auferens te a lege, quæ non tenet uxorem, marito defuncto, quominus alii viro fiat, ad contrariam te redigit conditionem, ne, amisso viro, nubas; quantumque non deputareris adultera facta alteri viro post mortem mariti, si adhuc in lege agere deberes, tanto ex diversitate conditionis adulterii te præjudicat post mortem mariti alii nubentem: quia jam mortificata es legi, non potest tibi licere, cum recessisti ab ea apud quam tibi licebat.

CAPUT XIV.

Nunc si et absolute Apostolus permisisset in fide, amisso matrimonio, nubere, proinde fecisset quemadmodum et cætera, quæ adversus formam regulæ suæ pro conditione temporum gessit, circumcidens Timotheum propter superinductitios (1) falsos fratres, et tasos quosdam inducens in templum propter observationem Judaeorum (*Act.* XVI, 3, XXI, 24), ille qui Galatas, in Lege volentes agere, castigat. Sed ita res exigebant (2), ut *omnibus omnia fieret, quo omnes lucrifaceret, parturiens illos, donec formaretur Christus in ipsis, et calefaciens tanquam nutrix parvulos fidei* (I *Cor.*, IX, 20; *Gal.*, IV, 9), docendo quædam per veniam, non per imperium, aliud est enim indulgere, aliud jubere: proinde temporalem licentiam permittens denuo nubendi propter infirmitatem carnis, quemadmodum Moyses repudiandi *propter duritiam cordis* (*Deuter.* XXIV, 1). Et hic itaque reddemus supplementum sensus istius. Si enim Christus abstulit quod Moyses præcepit, quia *ab initio non fuit sic* (*Matt.* XIX, 8), nec sic (3) ideo ab alio venisse virtute reputabitur Christus; cur non et Paracletus abstulerit, quod Paulus indulsit? Quia et secundum matrimonium ab initio non fuit, nec ideo suspectus habendus sit, quasi spiritus alienus, tantum ut Deo et Christo dignum sit quod superducitur (4)? Si (5) Deo et Christo dignum fuit duritiam cordis tempore expleto compescere, cur non dignius A sit et Deo et Christo infirmitatem carnis tempore jam collectiore discutere? Si justum est matrimonium non separari, utique et non iterari honestum est. Denique, apud sæculum utrumque in bona disciplina deputatur, aliud concordiæ nomine, aliud pudicitiæ. Regnavit duritia cordis usque ad Christum: regnaverit et infirmitas carnis usque ad Paracletum. Nova lex abstulit repudium, habuit quod auferret. Nova prophetia, secundum matrimonium, non minus repudium prioris. Sed facilius duritia cordis Christo cessit, quam infirmitas carnis. Plus hæc sibi Paulum defendit, quam illa Moysen; tamen defendit cum indulgentem eum captat, præscribentem recusat, quæ potiores sententias et perpetuas voluntates ejus eludit; quæ non sinit nos hoc Apostolo præstare, B quod mavult. Et quousque infirmitas ista impudentissima in expugnando meliora perseverabit? Tempus ejus donec Paracletus operaretur fuit, in quem dilata (6) sunt a Domino, quæ tunc sustineri (7) non poterant, quæ jam nemini competit portare non posse; quia per quem datur portare posse, non deest. Quamdiu causabimur carnem, quia dixit Dominus, *Caro infirma* (*Matth.*, XXV, 1)? Sed præmisit et, *Spiritus promptus;* ut vincat spiritus carnem, ut cedat quod infirmum est fortiori. Nam et: *Qui potest capere, capiat* (*Matth.*, XIX, 12), inquit; id est, qui non potest, discedat. Discessit et ille dives, qui non ceperat substantiæ dividendæ egenis præceptum, et dimissus est sententiæ suæ a Domino (*Matth.*, XIX, 16-22) Nec ideo duritia imputabitur C Christo de arbitrii cujuscumque liberi vitio (8) *Ecce*, inquit, *posui ante te bonum et malum* (*Deut.*, XXX, 15, *Eccli.*, XV, 18); elige quod bonum est; si non potes, quia non vis ((*a*) posse enim te, si velis, ostendit, quia tuo arbitrio utrumque proposuit), discedas oportet ab eo, cujus non facis voluntatem.

CAPUT XV.

Quæ igitur hic duritia nostra, si non facientibus voluntatem Dei renuntiamus? Quæ hæresis, si secundas nuptias, ut illicitas, juxta adulterium judicamus? Quid est enim adulterium, quam matrimonium illicitum? Notat Apostolus eos, qui in totum nubere prohibebant, qui et de cibis interdicebant, quos Deus condidit (I *Tim.*, IV, 3). Nos vero non magis nuptias auferimus, si secundas recusamus, quam cibos reprobamus, si sæpius jejunamus. Aliud D est auferre, aliud temperare, aliud est legem non nubendi ponere, aliud (9) modum nubendi statuere. Plane qui exprobrant nobis duritiam vel hæresim in hac causa (10), si in tantum fovent carnis infirmi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Superductitios *Rhen.*
(2) Exigebat *al.*
(3) Nec sic *abest Fran.*
(4) Superdicitur *al.*
(5) Sed *Seml. Obert.*
(6) Dilatata *Rhen.*
(7) Sustinere *Fran.*
(8) Servitio *Rhen.*
(9) Est *repetit. Rhen.*
(10) Æstimant *add. alii.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIV.—(a) *Posse enim te, si velis, ostendit.* Pugnat hic locus pro continentia, adeo ut in nostra potestate sita videatur, modo ad Deum recurramus. S. Augustinus, lib. de adult. conjug. II, c. 20: *Levis erit continentiæ sarcina, si Christi, erit, Christi erit, si fides aderit, quæ impetrata jubente Deo quæ jusserit.* Le Pu

tatem, ut in nubendo frequenter sustinendam putent: cur illam in alia causa neque sustinent, neque venia fovent, cum tormentis expugnata est in negationem? Utique enim illam magis excusari capit, quæ in prælio cecidit, quam quæ in cubiculo; quæ in equuleo succubuit, quam quæ in lectulo; quæ credulitati cessit, quam quæ libidini; quæ gemens devicta est, quam quæ lubens. Sed illam quidem a communicatione depellunt, quia non sustinuit in finem; hanc vero suscipiunt, quasi et hæc sustinuerit in finem. Propone quid utraque non sustinuerit in finem, et invenies ejus causam honestiorem, quæ sævitiam, quam quæ pudicitiam sustinere non potuit. Et tamen nec cruentam defectionem infirmitas carnis excusat, nedum impudicam.

A

CAPUT XVI.

Rideo autem, cum infirmitas carnis opponitur, quæ summa fortitudo dicenda est. Iterum nubere, est res virium; resurgere in opera carnis de continentiæ otio, substantia est laterum. Talis infirmitas, et tertio, et quarto, et usque septimo forsitan matrimonio sufficit; ut quæ toties fortior, quoties fuerit infirmior, habitura jam non Apostolum auctorem, sed Hermogenem aliquem, plures solitum mulieres ducere quam pingere, materia enim in illo abundat, unde et animam esse præsumens, multo magis spiritum a Deo non habet, jam nec psychicus, quia non de afflatu Dei psychicus. Quid, si inopiam quis causetur, ut carnem suam aperte prostitutam profiteatur, exhibitionis causa nubentem, oblitus (*Matth.*, VI, 25) *de victu et vestitu non esse cogitandum?* Habet Deum etiam corvorum educatorem, etiam florum excultorem. Quid si solitudinem domus obtendat (1)? Quasi una mulier frequentiam præstet homini ad fugam proximo: habet viduam utique, quam adsumat licebit. Non unam generis hujus uxorem, sed etiam (2) plures habere concessum est. Quid, si de posteritate quis cogitet iisdem animis, quibus oculis uxor Loth, ut

B

C

ideo quis repetat matrimonium, quia de priore liberos non habuit; hæredes scilicet christianus quæret, sæculi totius exhæres? Habet fratres, habet Ecclesiam matrem. Aliud est, (*a*) si et apud Christum legibus Juliis agi credunt, et existimant (3) cælibes et orbos ex testamento Dei solidum non posse capere. Nubant igitur hujusmodi in finem usque, ut in ista confusione carnis; sicut Sodoma et Gomorrha, et diluvii dies, ab illo ultimo exitu sæculi deprehendantur. Adjiciant tertium dictum (I *Cor.* XV, 32): *Manducemus, et bibamus, et nubamus: cras enim moriemur;* non recogitantes *Væ* illud prægnantibus et lactantibus, multo gravius et amarius eventurum in concussione totius mundi, quam evenit in vastatione unius particulæ Judææ. Satis opportunos novissimis temporibus fructus iteratis matrimoniis colligant, ubera fluitantia, et uteros nauseantes, et (*b*) infantes pipiantes (4). Parent Antichristo in quæ (5) libidinosius sæviat. Adducet illis carnifices obstetrices.

CAPUT XVII.

Habebunt plane Christo quod allegent, speciosum privilegium, carnis usquequaque imbecillitatem. Sed hanc judicabunt jam (6) non Isaac monogamus pater noster, nec Joannes aliqui Christi spado, nec Judith filia Merari, nec tot alia exempla sanctorum. (*c*) Solent ethnici judices destinari. Exsurget regina Carthaginis, et decernet in christianas, quæ profuga, et in alieno solo, et tantæ civitatis cum maxime formatrix, cum regis nuptias ultro optasse debuisset; ne tamen secundas eas experiretur, maluit e contrario uri quam nubere. Assidebit et illi matrona romana, quæ, etsi per vim nocturnam, nihilominus experta alium virum, maculam carnis suo sanguine abluit, ut monogamiam in semetipsam (7) vindicaret. Fuerunt et quæ pro viris mori mallent, quam post viros nubere. Idolis certe et monogamia et viduitas apparent. Fortunæ muliebri coronam non imponit, nisi

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ostendit *Rhen.*
(2) Jam *Rhen.*
(3) Æstimant *Rhen.*
(4) Pipantes *Fran. Jun.*
(5) In quo *Rhen Seml.*
(6) Tam *Rhen.* tum *Jun.*
(7) Semetipsa *Fran.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI.—(a) *Si et apud Christum legibus Juliis agi credunt.* Non dubium quin respexerit ad leges Julias, quæ cælibatus et orbitatis pœnas continebant. Quas auxit Augustus teste Dione lib. LV, unde lex Julia dicta est lex caducaria; nam cum cœlibes nihil caperent ex testamentis nisi ex proxime junctis, orbi vero dimidium tantum, legatum quod erat cælibi, caducum dicebatur, nisi intra dies centum pareret. Sozomenus id diligenter notat lib. I, *eccl. hist.* νόμος ἦν Ῥωμαίοις παλαιὸς, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν τῶν ἴσων ἀξιοῦσθαι κωλύων τοὺς ἀγάμους, *Lex erat antiqua apud Romanos, qua cœlibes ultra viginti quinque annos legatis frustrabantur.* Respicit autem ad pœnas illas Plutarchus *de amore liber.*: Ῥωμαίων πολλοὶ γαμοῦσι, γνησίων, καὶ οὐκ ἴνα κληρονόμους ἔχωσιν, ἀλλ' ἵνα κληρονομῶν οὐσιῶνται: *Plerique Romanorum uxores ducunt liberosque suscipiunt, non ut hæredes habeant, sed ut hæredes fieri ipsi possint;* unde Juvenalis adulterum inducit, qui hæc marito ogganuit:

Propter me scriberis hæres.
Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.

Solidum enim capere de quo hic agitur est ἴσων ἀξιοῦσθαι, quod idem est ac hæredem fieri ex asse, et omnem illam hæreditatem adire; quod ut dixi in cælibes non fiebat, nam legata fiebant caduca, ibantque in fiscum. lib. VI, de vulg. et pupill. substit. Propter Christianos tamen ἴσων ἀξιοῦσθαι παρέντων καὶ ἀτελείαν διὰ θείαν ἀκολουθίαν, Constantinus deinde cœlibatus pœnas sustulit. Euseb. de vitâ Const. et Sozom. lib. I. LE PR.

(b) *Infantes pipiantes.* Pipiare Oscorum lingua est vagire: ab eo fit pipilare, quo Catullus de passeris garritu utitur. LE PR.

CAP. XVII.—(c) *Solent Ethnici judices destinari.* Alludit ad judicia, quæ de Christianis apud Ethnicorum tribunalia peragebantur. Non erit novum, inquit, Christianos sisti pro tribunalibus Ethnicorum. Itaque et monogamiam suam evincere conatur etiam Ethnicorum judicio, hoc est, exemplis illis toties inculcatis; credo, quod ævi sui partem Fidelium majorem talibus capi sentiebat. Ea vero sunt Lucretiæ, Flaminicæ, Vestalium, et id genus aliorum exempla. RIG.

univira; sicut nec (*a*) matri Matutæ. (*b*) Pontifex Maximus et Flaminica nubent semel. Cereris sacerdotes, viventibus etiam viris et consentientibus, amica separatione viduantur. Sunt et quæ (1) de tota continentia judicent nos virgines Vestæ et Junonis Achaicæ, et Dianæ Scythicæ, et Apollinis Pythii. Etiam bovis illius ægyptii antistites, de continentia infirmitatem Christianorum judicabunt. Erubesce caro, quæ Christum induisti. Sufficiat tibi semel nubere, in quod a primordio facta es, in quod a fine (2) A revocaris. Redi in Adam vel priorem, si in novissimum non potes. Semel gustavit ille de arbore, semel concupiit, semel pudenda protexit, semel Deo erubuit, semel ruborem suum abscondit, semel de paradiso sanctitatis exsulavit, semel exinde nupsit. Si in illo fuisti, habes tuam formam; si in Christum transisti, melior esse debebis. Exhibe (3) tertium Adam, et hunc digamum, et tunc poteris esse, quod inter duos non potes.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qui *Rhen. Jun.*
(2) In quod et fine *Rhen. Jun.*
(3) Te *addit Rhen.* tu *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Matri Matutæ* Ino est alio nomine, inter deas marinas adscripta. Ovid. fast. VI.

Leucothoe gratis Matuta vocabere nostris.

Variis quippe nominibus insignitur. Le Pa.

(b) *Pontifex maximus et Flaminica.* Lib. de Exhort. cast. dixit Flaminem et Flaminicam. Le Pa.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
DE JEJUNIIS (4)

Argumentum. — *Orthodoxi quos hic vocat psychicos, Montani dogmata de jejuniis improbabant. Illius igitur assecla factus, jejunia montanica, xerophagias et stationes defendit.*

CAPUT PRIMUM.

Mirarer Psychicos (5) (*c*) si sola luxuria tenderentur (6), qua sæpius nubunt; et non etiam (*d*) ingluvie lacerarentur (7), qua jejunia oderunt, monstrum scilicet haberetur libido sine gula, cum duo hæc tam unita atque concreta sint, ut si disjungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, et una regio est. Denique (*e*) pro dispositione membrorum, ordo vitiorum; prior venter, et statim cætera saginæ substructa lascivia est. Per edacitatem salacitas transit. Agnosco igitur (*f*) animalem (8) fidem studio carnis qua tota constat, tam multivorantiæ quam multinubentiæ pronam; ut merito spiritalem disciplinam pro substantia æmulam, in B hac quoque specie continentiæ accuset, proinde gulæ frenos inducntem (9) per nullas interdum vel seras vel aridas escas, quemadmodum et libidini per unicas nuptias. Piget (10) jam cum (11) talibus congredi, pudet et (12) jam de eis altercari, quorum nec defensio verecunda est. Quomodo enim protegam castitatem et sobrietatem sine taxatione adversariorum? Quinam isti sint semel nominabo (*g*) exteriores et interiores botuli Psychicorum. Hi Paracleto controversiam faciunt; (*h*) propter hoc novæ prophetiæ (13) recusantur : non quod alium Deum prædicent Montanus et Priscilla et Maximilla, nec quod *Jesum Christum solvant* (1 *Joan.* IV, 5), nec quod aliquam fidei aut spei regulam evertant; sed quod plane docent sæpius jejunare, quam nubere. De modo quidem nubendi jam edidimus monogamiæ defensionem. Nunc de castigatione victus, secunda, vel magis prima (14) continentiæ pugna est. (*i*) Arguunt nos, quod jejunia propria custodiamus; quod stationes C

LECTIONES VARIANTES.

(4) De Jejunio adv. Psychicos *hic liber inscriptus est in edd. Gelen. Seml. all.*
(5) *Additur* istos *Fran.*
(6) Tenerentur *Rhen Leop.*
(7) Ducerentur *Seml. Leop.* laxarentur *cod. Ursini.*
(8) Ψυχικὴν.
(9) Imbuentem *Seml.*
(10) Pudet *al.*
(11) Cum *reficit Seml.*
(12) Et *abest Rhen. Leop.*
(13) Propheticæ *Seml.*
(14) Secundæ vel magis primæ *Seml. Leop.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(c) *Psychicos.* Id est, Catholicos, Montani adversarios; quos Psychicos seu animales vocat, abutendo verbis apostoli (1 *Cor.* II, 14). Edd.

(d) *Ingluvie lacerarentur.* Rumperentur. Rig.

(e) *Pro dispositione membrorum, ordo vitiorum.* Hinc illud Hieronymi : ad Amasidum epist. 147. Pro membrorum ordine, *ordo vitiorum est.* Rig.

(f) *Animalem fidem.* Psychicam. Rig. (V. supra n. (a). Edd.

(g) *Exteriores et interiores botuli Psychicorum.* Honorem auribus merito præfatus est. Etenim botulus, interior quidem, farciminis ingluvie stipatur, ut gasconis alicujus abdomen; exterior vero, in uteri mo- D dum inverecunde distenditur, ut Horatianus ille de ficulneo trunco deus,

Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus. Rig.

(h) *Propter hoc novæ prophetiæ recusantur.* Sic Praxeam queritur expulisse prophetiam Roma, initio libri adversus ipsum. Et Montanistæ catholicos vocabant προφητοφόνους (sive occisores prophetarum. Edd.), ut discere est ex Apollonii Hierapolitæ fragmentis quæ apud Nicephorum, lib. IV, cap. 5. Rig.

(i) *Arguunt nos quod jejunia propria custodiamus.* Propria scilicet montanistis seu Paracleticis, ex imperio novæ disciplinæ. Rig.—Ἴδια, aliis non usi-

plerumque in vesperam producamus; quod etiam xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, et omni jurulentia, et uvidioribus quibusque pomis, ne (1) quid vinositatis vel edamus vel potemus; lavacri quoque abstinentiam, congruentem arido victui. Novitatem igitur abjectant, de cujus inlicito præscribant, aut hæresim judicandam, si humana præsumptio est, aut pseudoprophetiam pronuntiandam, si (2) spiritalis indictio est, dum quaqua (3) ex parte anathema audiamus, qui aliter adnuntiamus (*Gal.* I, 8).

CAPUT II.

Nam quod ad jejunia pertineat, certos dies a Deo constitutos opponunt, ut cum in Levitico præcipit Dominus Moysi decimam mensis septimi diem placationis: *Sancta*, inquiens, *erit vobis dies, et vexabitis animas vestras; et omnis anima quæ vexata non fuerit illa die, exterminabitur de populo suo* (*Levit.* XVI, 29). (*a*) Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum christianorum, abolitis legalibus et propheticis vetustatibus. Ubi volunt enim, agnoscunt quid sapiat *lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* XVI, 16). Itaque de cætero indifferenter (4) jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus et causis uniuscujusque; (*b*) sic et Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum et in commune omnibus obeundorum jejuniorum (*Act.* XV, 10); proinde nec stationum, quæ et ipsæ suos quidem dies habebant (5) quartæ feriæ et sextæ (b), passive (6) tamen currant (*c*), neque sub lege præcepti, neque ultra supremam diei, quando et orationes fere hora nona concludat de Petri exemplo, quod Actis refertur (*Act.* III, 8); Xerophagias vero novum affectati officii nomen, et proximum ethnicæ superstitioni; quales castimoniæ Apim, Isidem, et magnam Matrem certorum eduliorum exceptione pa-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nec *Rhen.*
(2) Sic *Seml.*
(3) Quaque *Seml.*
(4) Differente *Rig. Venet.*
(5) Habeant *Seml.*
(6) Passim *cod. Wouwer.* : *illa est antiquior forma.*

COMMENTARIUS.

tata. Seml. — *Arguunt nos, quod jejunia propria custodiamus.* Non omnes hic xerophagias damnari credendum est, sed eas tantum quæ ex superstitiosa Montani disciplina servabantur. Canone 50, conc. Laodic habet: δεῖ τὰς ὅλας τεσσαρακοστὰς νηστεύειν ξηροφαγοῦντας, *oportet quadragesimam totam cum xerophagia jejunare.* Quod tamen non convenit cum iis quæ infra cap. 15, habet Tertullianus. Le Pr.

CAP. II.—(a) *Certe in evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus; et hos esse jam solos legitimos jejuniorum. In Evangelio*, hoc est, hodie, apud Christianos. *Putant*, nempe Catholici, quos Psychicos vocat. In eam vero sententiam *libro de oratione*, dixit, die Paschæ communem esse et quasi publicam jejunii religionem. Quasi apud Catholicos, extra diem Paschæ, sive extra illos dies, in quibus ablatus est sponsus, non essent legitimi jejuniorum dies, nec communis aut publica jejunii religio, sed ut ipse mox dicet, passive currens ex arbitrio cujusque. Et tamen auctoritatis esse debet maximæ, quod Hieronymus *Epistola ad Marcellam* testatur, Ecclesiam catholicam ex Apostolorum traditione unam toto anno quadragesimam tempore congruo jejunare. Nam quis audiat dicentem, dies illos in quibus ablatus est Sponsus, Parascevam et Sabbatum, tempus horarum quadraginta octo, unam illam quadragesimam fuisse? An verius fuerit priscos Christianos, divinis et Apostolicis formatos institutis, jejunia sua ab quadragesimali Christi jejunio Quadragesimam nuncupasse, ut significarent Judaica non esse, verum christiana, et abrogatas christianæ libertatis beneficio judaicæ legis morositates, cœnas puras, et dies magnos, et sabbatica jejunia? Itaque memores adeptæ Dominica passione libertatis, quæ in parasceve diem inciderat, parascevam quidem jejunio sacravere, ut esset eo die, quod ait Septimius *lib. de Oratione* communis et quasi publica jejunii religio. Cujusmodi jejunium mox, declarandi lucus e dominica passione concepti studio, in sabbatum produxere. Sic tamen ut et jejunia quidem alia commendandis orationibus suis utilia servarent, sed ex arbitrio cujusque diversa; maxime autem ritus illius sabbatici jugo libera. Adeo, ne quid judaizare viderentur, parascevæ christianæ, seu paschæ σταυρωσίμου, et sabbati sequentis jejunium, non parascevam, neque sabbatum appellavere, sed quadragesimam; ut jam esset christianum jejunium, non parascevæ neque sabbati, sed quadragesimæ illius, jejunio Christi plane divino transactæ, sacramentum. Hoc sane sensu, quod ab catholicis ævo Tertulliani dicebatur, *eos dies in quibus ablatus est Sponsus, esse dies jejuniis determinatos, ac de cætero differenter jejunandum, ex arbitrio, non ex imperio, pro temporibus et causis uniuscujusque*: *sic et apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum et in commune omnibus obeundorum jejuniorum*; Hieronymi sententia confirmabitur, ad Marcellam scribentis Ecclesiam Catholicam ex Apostolorum traditione unam toto anno Quadragesimam tempore congruo jejunare. Etenim quicquid Christiani jejunabant, quod Irenæus *apud Eusebium Hist.* V, tam varie ac differenter observatum fuisse tradidit, ut essent qui unum sibi diem jejunandum esse crederent, alii duos, alii plures, alii vero diem suum esurialem per quadraginta diurnas nocturnasque horas ducerent, quicquid, inquam, et quomodocumque jejunabant, Quadragesimam se jejunare profitebantur. Id vero Socrates, *quinto* etiam *Historiarum libro*, mirum sibi videri ait: minus certe quod miraretur habiturus, si meminisset, hoc fuisse apostolis consilium, ut obliteratis Judæorum sabbatis, jejunia sua Christiani, quæ Domino suo tantula pro tantis offerrent, de jejunii Dominici spatio vocitarent. Ut qui minus ea quirent assequi reapse, saltem memoria venerarentur. Sic illi unius diei, alii duorum, alii plurium jejunio Quadragesimam Christi, pacemque secum nihilominus colebant; Hoc enim ait Irenæus: ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν εὐσέβειαν τῆς πίστεως συνίστησι: Differentia jejuniorum concordiam fidei commendat. Ric. juxta Edd.

(b) *Sic et Apostolos observasse.* Nimirum quos supra dixit dies, in quibus ablatus est Sponsus. Hanc enim rationem inculcat hoc ipso opere, ubi de Parasceve dicata jejuniis, quæ ab Catholicis continuata fuisse ait in sabbatum, *nunquam nisi in Pascha, jejunandum, secundum rationem alibi traditam.* Notandus in hanc rem Augustini locus *epist. ad Casulanum*: in evangelicis et apostolicis litteris videre se præceptum esse jejunium: quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepta Domini vel apostolorum non inveniri definitum. Ric.

(c) *Passive tamen currant.* Hoc est passim, et pro arbitrio cujusque. Ric.

rificant; cum fides libera in Christo nec Judaicæ quidem legi abstinentiam quorumdam ciborum debeat, semel in totum macellum ab Apostolo admissa, detestatore eorum qui sicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abstinere a Deo conditis: et ideo nos esse jam tunc prænotatos *in novissimis temporibus abscedentes a fide, intendentes spiritibus mundi seductoribus, doctrinis mendaciloquorum, inustam habentes conscientiam* (I *Tim.* IV, 1). Quibus oro te ignibus? credo quibus nuptias sæpe deducimus, et cœnas quotidie coquimus. Sic et cum Galatis (*Gal.* IV, 10) nos quoque percuti aiunt, *observatores dierum, et mensium, et annorum.* Jaculantur interea et Esaiam pronuntiasse : *Non tale jejunium Dominus elegit* (*Is.* LVIII, 4 *et* 5); id est, non abstinentiam cibi, sed opera justitiæ quæ subtexit; et ipsum Dominum in Evangelio ad omnem circa victum (1) scrupulositatem compendio respondisse, non his *communicari* (2) *hominem, quæ in os inferantur, sed quæ ex ore proferantur* (*Marc.* VII. 15), cum et ipse manducaret et biberet usque in notationem : *Ecce homo vorator et potator* (*Matth.* XI, 19), sic et Apostolum docere, quod *esca nos Deo non commendet, neque abundantes si edamus, neque deficientes si non edamus* (I *Cor.* VIII, 8). His et hujusmodi sensibus eo jam subtiliter tendunt, ut unusquisque pronior ventri possit supervacua, nec adeo necessaria, existimare (*a*) sublati (3) vel diminuti (4) vel demorati cibi officia (*b*), præponente (5) scilicet Deo (6) justitiæ et innocentiæ opera. (*c*) Et scimus quales sint carnalium commodorum suasoriæ; quum (7) facile dicatur : Opus est de totis præcordiis credam, *diligam Deum et proximum meum* (8); *in his enim duobus præceptis tota Lex pendet et prophetæ*, non in pulmonum et intestinorum meorum inanitate.

CAPUT III.

Itaque nos hoc prius affirmare debemus, quod occulte subrui periclitatur, quantum valeat apud Deum inanitas ista, et ante omnia unde ratio ipsa processerit hoc modo promerendi Deum; (*d*) tunc enim agnoscetur observationis necessitas, cum eluxerit rationis auctoritas a primordio recensendæ. Accepérat Adam a Deo legem non gustandi de arbore agnitionis boni et mali, moriturus si gustasset. Verum et ipse tunc in psychicum reversus (9) post ecstasin spiritalem, in qua magnum illud sacramentum in Christum et Ecclesiam prophetaverat, nec jam capiens quæ erant spiritus, facilius ventri quam Deo cessit, pabulo potiusquam præcepto annuit; salutem gula vendidit. Manducavit denique, et periit : salvus alioquin, (*e*) si uni arbusculæ jejunare maluisset (10); ut jam hinc animalis fides semen suum recognoscat, exinde deducens carnalium appetitionem, et spiritualium recusationem. Teneo igitur a primordio homicidam gulam, tormentis atque suppliciis in die puniendam, etiamsi Deus nulla jejunia præcepisset; ostendens tamen unde sit occisus Adam, mihi reliquerat intelligenda remedia offensæ. qui offensam demonstrarat : ultro cibum quibus modis, quibusque temporibus potuissem, pro veneno deputarem, et antidotum famem sumerem, per quam purgarem mortis a primordio caussam (11) in me quoque cum ipso genere transductam, certus hoc Deum velle, cujus contrarium noluit, satisque confidens placituram illi continentiæ curam, a quo damnatam comperissem incontinentiæ culpam. Porro, cum et ipse jejunium mandet, et animam conquassatam proprie utique cibi angustiis sacrificium appellet (*Ps.* L, 18), quis jam dubitabit omnium erga victum (12) macerationum hanc fuisse rationem, qua rursus interdicto cibo, et observato præcepto, primordiale jam delictum expiaretur, ut homo per eamdem materiam caussæ satis Deo faciat, per quam offenderat, id est, per cibi interdictionem; atque ita salutem æmulo modo redaccenderet inedia, sicut exstinxerat sagina, pro unico illicito plura licita contemnens.

CAPUT IV.

Hæc ratio servabatur apud Providentiam Dei, pro temporibus omnia modulantis (13), ne quis ex diverso ad dejiciendam propositionem nostram, Cur ergo, dicat, non statim Deus aliquam victus constituit castigationem, quinimo et auxit permissionem? Nam in primordio quidem herbidum solummodo et arbo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Victus *Seml.*
(2) Coinquinari *Seml. Leop*
(3) Dilati *Seml.* delati *Jun.*
(4) Diminuti *Jun.*
(5) Præponentes *Jun.*
(6) Deo *abest Seml.*
(7) Quam *Seml.*
(8) Tanquam me *Seml.*
(9) Eversus *Jun.*
(10) Maluisset *Seml.*
(11) Casum *Seml.*
(12) Victus *Seml. forte* ergo *Jun.*
(13) Moderantis *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sublati vel diminuti.* Cibi sublati jejunio, diminuti xerophagia, demorati propter stationes quæ quoniam protendebantur, cibos morari consueverant. Le Pa.

(b) *Demorati cibi officia.* Demorati, hoc est, dilati. Sic infra hocce opusculo : *Stellæ auctoritatem demorantis suspirant.* Ric.

(c) *Et scimus quales sint carnalium commodorum suasoriæ.* Scimus, inquit, quales soleant a Psychicis nostris declamationes tractari commodis carnalibus suadendis. Apud Rhetores duo genera materiarum tractantur, Suasoriæ et Controversiæ. Suasoriæ, tanquam leviores, et minus prudentiæ exigentes, pueris delegantur, quasi rudimenta dicendi. Controversiæ, seu Judiciales, robustioribus assignantur. Ric.

CAP. III.—(d) *Tunc enim agnoscetur observationis necessitas, cum eluxerit rationis auctoritas.* Ipse, *libro de Corona*, consuetudinis sive observationis probandæ regulam præscripsit. Tunc videlicet colendam esse consuetudinem, cum rationi consentanea deprehenditur; et majorem effici rationem christianarum observationum, cum illas etiam natura defendit, quæ prima omnium disciplina est. Hic vero tantum rationis auctoritatem advocat. Ric.

(e) *Si uni arbusculæ jejunare maluisset.* Quale jejunium? quandoquidem Adamo Deus ex omni ligno comedere indulserat, unica tantum arbuscula excepta. Sane Adamum perdidit, non gula, sed præmaturæ divinitatis cupido. Ric.

reum homini pabulum addixerat : *Ecce dedi vobis omne fœnum sementivum seminans semen quod est super terram ; et omne lignum quod habet in semetipso fructum seminis sementivi vobis erit in escam* (*Gen.* IX, 29). Postea vero ad Noe enumerata subjectione omnium bestiarum terræ, et volatilium cœli, et moventium in terra, et piscium maris, et omnis viventis (1) : *Ernut*, inquit, *vobis in escam, velut olera fœni dedi vobis universa ; verum carnem in sanguine animæ suæ non editis* ; (*Gen.* IX, 2) nam et hoc ipso quod eam solam carnem esui (2) eximit, cujus anima non per sanguinem effunditur, omnis reliquæ carnis usum (3) concessisse manifestum est. Ad hæc respondemus, non competisse onerari hominem aliqua adhuc abstinentiæ lege, qui cum maximo tam levem interdictionem, unius scilicet pomi, tolerare non potuit ; remissum itaque illum libertate ipsa corroborandum. Æque (4) post diluvium in reformatione generis humani, sufficisse unam interim legem a sanguine abstinendi, permisso (5) usu (6) cæterorum. Jam enim judicium Dominus ostenderat per diluvium ; adhuc etiam comminatus fuerat per exquisitionem sanguinis de manu fratris, et de manu bestiæ. (*Gen.* IX, 5) Omnis (7) itaque justitiam judicii præministrans, materiam libertatis emisit, per veniam supparans disciplinam ; permittens omnia, ut demeret quidam ; plus exacturus, si plus commisi set ; abstinentiam imperaturus, cum indulgentiam præmisisset (8) ; quo magis, ut diximus, primordiale delictum expiaretur majoris abstinentiæ operatione, in majoris licentiæ occasione.

CAPUT V.

Denique, ubi jam et familiaris populus allegi Deo cœpit, et restitutio hominis imbui potuit, tunc leges disciplinæque omnes impositæ etiam quæ decerperent victum, ademptis quibusdam veluti immundis, quo facilius aliquando jejunia toleraret homo, perpetua in quibusdam abstinentia usus. (*a*) Nam et primus populus (*b*) primi hominis resculpserat crimen, pronior ventri quam Deo deprehensus ; cum de duritia Ægyptiæ servitutis valida manu Dei et sublimi brachio ereptus Dominus ejus visus (9) ; et terræ lacte et melle mananti destinatus ; statim autem solitudinis copiosæ circumspectu scandalizatus, saturitatis Ægyptiæ detrimenta (10) suspirans, in Moysen et Aaron mussitavit : *Utinam obtissemus percussi a Domino in terra Ægypti, quando super ollas carnium sedebamus, et panes in plenitudinem comedebamus ! Quomodo* (11) *eduxisti nos in hæc deserta ad interficiendum synagogam istam fame ?* (*Ex.* XVI, 2) Eadem ventris prælatione deploraturus erat eosdem duces suos et Dei arbitros, quos desiderio carnis et recordatu Ægyptiarum copiarum exacerbabat : *Quis nos* (12) *reseret* (13) *carne ? Venerunt in mentem nobis pisces quos in Ægypto edebamus gratis, et cucumeres, et pepones, et porri, et cepe, et alia. At nunc anima nostra arida, nihil nisi* (14) *manna vident oculi nostri.* (*Num.* XI, 4) Ita et illis (*c*) xerophagiæ panes (15) angelici displicebant : allium potius et cepe quam cœlum fragrare malebant. Et ideo tam ingratis gratiora et esculentiora quæque detracta sunt, pauiendæ simul gulæ et exercendæ continentiæ caussa, ut illa damnaretur, ista erudiretur.

CAPUT VI.

Nunc si temere rationes castigati a Deo victus, et castigandi propter Deum a nobis, ad primordiorum experimenta revocavimus, conscientiam communem consulamus, ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum et potum in virgine adhuc saliva exhibere consuerit rebus duntaxat sensus (16) agendis quo divina tractantur si multo pollentioris mentis, si multo vivatioris cordis, quam cum totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis jam stercoribus æstuans (17), (*d*) præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo plane nihil tam in proximo supersit, quam ad lasciviam sapere. *Manducavit populus et bibit, et surrexerunt ludere* (*Ex.* XXXII, 6). Intellige sanctæ Scripturæ verecundiam : lusum, nisi impudicum, non denotasset. Cæterum, quotusquisque meminerit religionis, occupatis memoriæ locis, impeditis sapientiæ membris ? Nemo ita ut decet, ita ut par est, ita ut utile est, recordabitur Dei in eo tempore (*e*), quo ipsum sibi hominem excidere solemne est. Omnem disciplinam victus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Serpentis *Seml.*
(2) Esui *tollit Seml.*
(3) Esum *Jun.*
(4) Atque *Seml. Leop.*
(5) Permissu *Seml.*
(6) Esu *Jun. videtur abfuisse.*
(7) De manu bestiæ omnes. Itaque *Jun. Leop.*
(8) Permisisset *Seml.*
(9) Ereptus dominus *Seml.* dominus ejus visus est *Jun.* et *add. cod. Wouw.* eis *conj. Pam.* et uncis utitur.
(10) Detrimento *Seml.*
(11) Quoniam *al.*
(12) Non *Venet.*
(13) Pascet *Jun.* Vescet *Leop.*
(14) Sine *Seml.*
(15) Penes *Fran.* panis *cod. Wouw.*
(16) Sensu *Gelen.*
(17) Exæstuans *al.*

COMMENTARIUS.

CAP. V.— (a) *Nam et primus populus*, etc. Primus appellatur populus Judaicus, ad distinctionem secundi Gentium. Hic vero videtur prorsus superfluum illud, quod adeo parenthesi inclusimus, *Dominus ejus*, seu potius *eis, visus est.* Pam.

(b) *Primi hominis resculpserat crimen.* Augustinus in Psal. VI : *Dum enim nos convertimur, id est, mutatione veteris vitæ, resculpimus spiritum.* Rufinus in eumdem Ps. *Dum convertimur, id est, dum commutatione veteris vitæ resculpimur.* Ric.

(c) *Xerophagiæ panes angelici.* Longe dissimiles athleticis illis aridæ hominum altilium sagitationi provisis. Ric.

CAP. VI.— (d) *Præmeditorium.* Hoc etiam imitatus B. Hieronymus : *Quale*, inquit, *jejunium est, aut qualis refectio post jejunium ? Pridianis epulis distendimus, et guttur nostrum meditatorium, seu potius præmeditatorium efficitur latrinarum.* Qui etiam adlegat Scripturas hic citatas, *Exod.* 31. ac *Deuter.* 33 et 8. Item *Psal.* 6. excepto quod ibi etiam legi debeat, *Deum*, quod græce sit θεὸν, et quod auctor sua utatur phrasi *salsificatorie*, pro *salutari.* Pam.

(e) *In eo tempore, quo ipsum sibi hominem excidere solemne est.* Etenim per ebrietatem aliquantisper sa-

ant occidit aut vulnerat. Mentior, si non Dominus ipse oblivionem sui exprobrans Israeli, causam plenitudini deputat (1) : *Incrassatus est dilectus, et pinguefactus, et dilatatus est, et dereliquit Deum qui fecit eum, et abscessit a Domino salutificatore suo* (*Deut.* XXXII, 15). Denique in eodem Deuteronomio eamdem causam præcaveri jubens : *Ne*, inquit, *cum manducaveris et biberis, et domos optimas ædificaveris, ovibus et bobus tuis multiplicatis, et argento et auro, extollatur cor tuum, et obliviscaris Domini Dei tui* (*Deut.*, VIII, 12). Præposuit corruptelæ divitiarum edacitatis enormitatem, cui ipsæ divitiæ procurant. Per illas scilicet incrassatum erat cor populi, ne oculis videret, et auribus audiret, et corde conjiceret adipibus obstructo, quas nominatim esui abstulit, dedocens hominem saginæ studere. Cæterum, cui cor erectum (2) potius inveniebatur quam impingnatum, (3) quadraginta diebus totidemque noctibus supra humanæ naturæ facultatem jejunium perennavit, spiritali fide virtutem subministrante; et vidit oculis Dei gloriam, et audivit auribus Dei vocem, et corde conjecit Dei legem jam tunc docentis *non in solo pane vivere hominem, sed in omni verbo Dei* (*Luc.*, IV, 4); cum quidem nec ipsum Moysen Deo pastum, inediamque ejus nomine (4) saginatam constanter contemplari valeret pinguior populus. Merito igitur etiam in carne se Dominus ei ostendit collegæ jejuniorum suorum, non minus et Heliæ. Nam et Helias hoc primum quod famem fuerat imprecatus, satis jam se jejuniis voverat : *Virit*, inquit, *Dominus, cui adsisto in conspectu ejus, si erit ros istis annis et imber* (III *Reg.*, XVII). Dehinc minantem Jezabel fugiens post unicum pabulum et potum, quem ab angelo expergefactus invenerat, et ipse, quadraginta diebus et noctibus vacuo ventre, arido ore, pervenit in montem Choreb; ubi cum in speluncam (5) devertisset, quam familiari congressu Dei exceptus est! *Quid tu, Helia, hic* (III *Reg.*, XIX, 9)? multo amicior ista vox, quam, *Adam, ubi es*, (*Gen.*, III, 9). Illa enim pasto homini minabatur, ista jejuno (6) blandiebatur. Tanta est circumscripti victus prærogativa, ut Deum præstet homini contubernalem, parem revera pari. Si enim *Deus æternus non esuriet* (Is., I, 11), ut testatur per Esaiam, hoc erit tempus quo homo Deo adæquetur, cum sine pabulo vivit.

CAPUT VII.

(*a*) Processimus itaque jam ad exempla, uti revolvamus utilitatis efficacia potestates (7) istius (8) officii, quod etiam iratum Deum homini reconciliat. Deliquerat Israel, in aquatione apud Maspha (9) congregatus a Samuele, sed (10) ita statim delictum jejunio diluit, ut periculum prælii simul fugerit (11). Cum maxime Samuel offerebat holocaustum (I *Reg.*, VII, 9), in nullo magis procuratam audimus Dei clementiam, quam abstinentia populi. Et Allophyli prælio (12) admovebant : ibi demum (13) Dominus intonuit voce magna super Allophylos, et confusi sunt, et corruerunt in conspectu Israelis; et processerunt viri Israel ex Maspha, et persecuti sunt Allophylos, et usque Betchor ceciderunt pastos impasti, armatos inermes. Hæ erunt vires jejunantium Deo : cœlum pro ejusmodi militat. Habes formam præsidii etiam spiritalibus bellis necessariam. Proinde cum rex Assyriorum Sennacherib, compluribus jam civitatibus captis, Israeli per Rapsacen blasphemias et minas intentaret (IV *Reg.*, XVIII, 19), nihil aliud illum a proposito in Æthiopias avertit. Dehinc, quid aliud (14) centum et octoginta millia de exercitu ejus per angelum absumpsit, quam Ezechiæ regis humiliatio? Siquidem, duritia hostis annuntiata, vestem scidit, saccum induit, eodemque habitu seniores sacerdotum ad Deum per Esaiam adire jussit, utique jejunio preces prosequente : neque enim cibi tempus in periculo, (*b*) nec saturitatis cultus in sacco. Semper inedia mœroris sequela est, sicut lætitia accessio saginæ. Per hanc mœroris sequelam et inediam, etiam civitas illa peccatrix, Ninive de exitio prædicato liberatur. Satis enim pœnitentia scelerum commendaverat (15) Deo jejunium triduo functa, etiam pecudibus enectis, quibus iratus Deus non erat (*Jon.* III). Sodoma quoque et Gomorra evasissent, si jejunassent. Hoc remedium agnoscit et Achab, cum illi post transgressionem et idololatriam et necem Nabuthæ, propter vineam interempti a Jezabel, exprobrasset Helias : *Qualiter occidisti, et hæreditatem possedisti? In loco, quo* (16), *sanguinem Nabuthæ canes delinxerant, tuum quoque delinquent* (III *Reg.*, XXI, 19). Destituit semetipsum, et saccum carni suæ imposuit, et jejunavit, et dormivit in sacco; et tunc sermo Domini ad Heliam : *Vidisti ut reveritus sit Achab a facie mea? Pro eo quod reveritus est, non inducam læsuram in diebus ipsius, sed in diebus filii*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Reputat *Seml.*
(2) Erectum *Fran.*
(3) Qui *add. Seml. Leop.*
(4) Numine *cod. Wouw. Leop.*
(5) Speluncam *Jun.*
(6) Jejuno *Ven.*
(7) Potestas *Ven.*
(8) Ipsius *Seml.*
(9) Masphat *Seml.*
(10) Sed *abest Fran.*
(11) Fuderit *Seml.*
(12) Ut Allophyli prælium *Jun. Lat.* admovebantur *conj. Leop.*
(13) Ibidem *Fran.*
(14) Quid aliud *tollit Seml.*
(15) Commendaret *cod. Wouw.* commendaverit *Seml.*
(16) In quo loco *Seml.*

COMMENTARIUS.

pientia moritur. Rig.

CAP. VII. — (a) *Processimus itaque.* Quid intemperantia præstat, docuit, ut jejunii effectus ostendat : quod variis hic exemplis exsequitur. Le Pa.

(b) *Nec saturitatis cultus in sacco.* Saturitatis cultum dicit, quia ex saturitate lætitia, ex lætitia autem cultus delicatioris cura, cui non convenit cum horrore cineris et asperitudine sacci. Rig.

ejus superducam eam (*ibid.*, 29), qui non erat jejunaturus. Ita jejunium in Deum reverentiæ opus est. Per quod Anna quoque ambiens uxor Helcanæ retro sterilis impetravit facile a Deo inanem cibo ventrem filio implere, et quidem prophetæ. Sed non modo naturæ mutationem, aut periculorum aversionem, aut delictorum oblitterationem; verumetiam (*a*) sacramentorum agnitionem, jejunia de Deo merebuntur. Adspice Danielis exemplum, circa somnium regis Babylonis (*b*) omnes turbantur sophistæ, negant ultro (1) de præstantia humana posse cognosci (*c*); solus Daniel Deo fidens, et sciens quod ad demerendam Dei gratiam faceret, spatium tridui postulat, cum sua fraternitate jejunat, atque ita orationibus commendatis, et ordinem et significationem somnii per omnia instruitur, tyranni sophistis parcitur, Deus glorificatur, Daniel honoratur; non minorem Dei gratiam et postea quoque relaturus anno primo regis Darii, cum ex recogitatu prædicatorum temporum ab Hieremia, (*d*) dedit faciem suam Deo in jejuniis et sacco et cinere. Nam et angelus missus ad eum, hanc statim professus est caussam divinæ dignationis: Veni, inquit, demonstrare tibi (*e*) quatenus miserabilis es; jejunando scilicet. Si Deo miserabilis, leonibus in lacu fuerat horribilis; ubi quidem illi sex diebus jejunanti prandium angelus procuravit.

CAPUT VIII.

Reddimus et cætera (2), ad nova enim nunc documenta properamus: in limine Evangelii (*Luc.* II, 37), Anna prophetis filia Phanuelis, quæ infantem Dominum et agnovit, et multa super eo prædicavit exspectantibus redemptionem Israelis, post egregium titulum veteris univiræ viduitatis, jejuniorum quoque testimonio augetur, ostendens in quibus officiis assideri Ecclesiæ debeat, et a nullis magis intelligi Christum, quam semel nuptis, sæpe jejunis. Ipse mox Dominus baptisma suum, et in suo omnium, jejuniis dedicavit, habens efficere panes ex lapidibus, etiam Jordanem vino fortasse manare, si ita vorator et potator fuisset. Imo novum hominem in veteris suggillationem virtute fastidiendi cibi initiabat, ut eum diabolo rursus A per escam tentare quærenti, fortiorem fame tota ostentaret. Præstituit exinde jejuniis legem siae tristitia transigendis. Cur enim triste quod salutare? Docuit etiam adversus diriora dæmonia jejuniis præliandum. Quid enim mirum, si (3) eadem operatione spiritus iniquus educitur, qua sanctus inducitur? Denique, ut in centurionem Cornelium, necdum tinctum, dignatio Spiritus sancti cum charismate insuper prophetiæ festinasset, jejunia ejus legimus exaudiri a. Puto autem, et Apostolus in secunda Corinthiorum inter labores suos et pericula et incommoda post famem ac sitim, jejunia quoque plurima enumerat (II *Cor.* XI, 27).

CAPUT IX.

B Principalis hæc species in castigatione victus, potest jam de inferioribus quoque abstinentiæ operationibus præjudicare, ut et (4) ipsis pro modo utilibus aut necessariis. Nam exceptio edulium quorumdam, portionale jejunium est. Inspiciamus igitur et (*f*) xerophagiarum novitatem aut vanitatem, si non et in his tam antiquissimæ quam efficacissimæ religionis operatio est. Redeo ad Danielem et fratres ejus leguminum pabulum, et aquæ potum ferculis et œnophoris regiis præferentes, atque exinde formosiores, (*g*) ne qui (5) de specie quoque corpusculi metuat; cæterum spiritu insuper cultos. Dedit enim Deus adolescentulis scientiam et intelligentiam in omni litteratura, et Danieli *in omni verbo, et in somniis, et in omni sophia* (*Dan.* I, 17) qua hoc ipsum quoque saperet, quibus modis C de Deo impetraretur agnitio sacramentorum. Anno denique tertio Cyri regis Persarum, cum in recogitatum incidisset visionis, aliam formam humiliationis prospexit. *In illis*, inquit, *diebus, ego Daniel eram lugens, per tres hebdomadas, panem suavem non edi, caro et vinum non introierunt in os meum, oleo unctus non sum, donec consummarentur tres hebdomades, quibus transactis angelus emissus est taliter adloquens: Daniel, homo es miserabilis; ne timueris, quoniam ex die prima qua dedisti animam tuam recogitatui et humiliationi coram Deo, exauditum est verbum tuum, et ego introivi verbo tuo.*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ultra *Jun.*
(2) Redidimus vetera; ad nova nunc *Lat.* c. v. ad nova etiam nunc, *Jun.*
D (3) Ex *add. Semi.*
(4) Ex *Semi.*
(5) Quis *Semi.*

COMMENTARIUS.

(a) *Sacramentorum agnitionem.* Sic vocat peritiam interpretandi figuras et imagines sacras, nempe divinitus objectas in somniis. Sacramenta igitur, somnia a Deo immissa. Rig.

(b) *Omnes turbantur Sophistæ.* Sophistas dicit, qui alias sapientes, somniorum interpretes, conjectores. Rig.

(c) *Negant ultro de præstantia humana posse cognosci.* Humano ingenio præstari posse somniorum scilicet regiorum interpretationem. Rig.

(d) *Dedit faciem suam Deo.* Conversus ad Deum. Rig.

(e) *Quatenus miserabilis es.* Quantæ miserationis gratiam adeptus es. Rig.

CAP. IX.—(f) *Xerophagiarum novitatem aut vanitatem.* Improbatur abstinentia a vino et carnibus, nisi continentiæ causa id fiat, *can. Apost.* 51 *et* 53. Le Pr.

(g) *Ne qui de specie quoque corpusculi metuat.* Sic *lib.* II *ad uxorem*: *Lutebiane tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas?* Hoc enim tandem loco notabimus, Septimium stoica forma sic passim loqui, ut corpusculum dicat, et lectulum, et arbusculam, et mulierculam, et canículam, motiunculas, et portiunculas, et cætera hujusmodi, quemadmodum illi σωμάτιον· ὀστάριον, ἀξιωμάτιον, ἀγρίδιον, πραγμάτιον, λεξίδιον, δουλάριον, ὀνάριον, ἀργυρωμανίδια, ἰκλάρια, et cætera id genus Epictetica. Rig.

lia xerophagiarum miseratio et humiliatio metum expellunt, et aures Dei advertunt, et occultorum compotes faciunt. Revertor etiam ad Heliam, cum corvi illum pane et carne saturare consuessent, cur postmodum apud Bersabee Judææ excitato ei de somno quidam ille (1) angelus sine dubio panem solum et aquam obtulit? defecerant corvi qui eum liberalius pascerent? an difficile angelo fuerat aliquem alicunde de convivio regis ministrum eum instructissimo ferculo raptum ad Heliam transferre; sicut Danieli (2) in lacum leonum esurienti prandium metentium exhibitum est? Sed constitui oportebat exemplum docens in tempore pressuræ, et persecutionis, et cujuscumque circumstantiæ, xerophagiis esse vivendum. Tali victu David exomologesin suam expressit, cinerem quidem edens velut panem, id est, panem velut cinerem aridum et sordidum, potum vero fletu miscens, utique pro vino. (*Ps.* CI, 10) Habet enim et abstinentia vini suos titulos, quæ et Samuelem Deo voverat, et Aaronem consecrarat. Nam de Samuele mater. *Et vinum*, inquit, *et ebriamen non bibet* (I *Reg.* I, 15): talis enim et ipsa Deum orabat. Et Dominus ad Aaron: *Vinum et siceram non bibetis, tu et filii tui post te* (3), *si quando ingrediemini tabernaculum, vel ascendetis ad altare, et non moriemini.* Adeo morientur qui non sobrii (4) in Ecclesia ministraverint. Sic et Israeli proximo exprobrat: *Et potum dabatis sanctificatis meis vinum.* (*a*) Et hæc autem strictura potus xerophagiæ portio est. Quanquam ubi abstinentia vini aut a Deo exigitur, aut ab homine vovetur, illic intelligatur etiam pabuli pressura formam præstruens potui. Qualis enim esus, talis et potus. Verisimile non est, ut quis dimidiam gulam Deo immolet, aquis sobrius, et cibis ebrius. An autem et Apostolus xerophagias norit, qui majora celebraverat, sitim et famem et multa jejunia, qui ebrietates et commessationes recusaverat, vel de discipulo Timotheo argumenti satis est, quem propter stomachum et assiduas imbecillitates modico vino monens uti, quo ille non ex institutione, sed ex devotione abstinebat (cæterum, stomacho magis consuetudo prodesset) hoc ipso abstinentiam vini dignam Deo suasit, quam (5) ex necessitate dissuasit (Cf. *Levit.* X, 9; *Amos.* XV, 13; II *Cor.* XI, 27; *Rom.* XIII, 13; *Tim.* V, 23).

CAPUT X.

(*b*) Æque (*c*) stationes nostras, ut indignas; quasdam vero et in serum constitutas, novitatis nomine incusant, hoc quoque munus et ex arbitrio obeundum esse dicentes, et non ultra nonam detinendum, de suo scilicet more. Sed quod pertineat ad interdictionis quæstionem, semel pro omnibus caussis respondebo. Nunc ad proprium hujus speciei articulum, de modo temporis dico, de ipsis prius expostulandum, unde hanc formam nova dirimendis stationibus præscribant. Si, quia Petrus, et qui cum eo, ad horam nonam orationis templum introgressi leguntur, quis mihi probabit (6) illos ea die statione functos, ut horam nonam ad clausulam et expunctionem stationis interpretetur? Atqui facilius invenias Petrum hora sexta capiendi cibi caussa, prius in superiora ad orandum ascendisse, quo magis (*d*) sexta diei finiri officio huic possit, quæ illud absolutura post orationem videbatur. Porro, cum in eodem commentario Lucæ, et tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu Sancto initiati, pro ebriis habebantur; et sexta, qua Petrus ascendit in superiora; et nona, qua templum sunt introgressi, cur non intelligamus salva plane indifferentia semper et ubique et omni tempore orandi (7), tamen tres istas horas ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, (*e*) quæ publice resonant, ita et solemniores fuisse in orationibus divinis? Quod etiam suadet Danielis quoque argumentum ter die orantis, utique per aliquarum (8) horarum exceptionem, non aliarum autem quam insigniorum, exinde Apostolicorum, tertiæ, sextæ, nonæ. Hinc itaque et Petrum dicam ex vetere potius usu nonam observasse, tertio orantem supremæ orationis munere. Hæc autem propter illos, qui se putant ex forma Petri agere, quam ignorant; non quasi respuamus nonam, cui et (9) quarta sabbati, et sexta plurimum fungimur: sed quia eorum quæ ex traditione observantur, tanto magis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quidem illi *Seml.* illi *ms. Wonner.*
(2) Danieli in sacra, *Lat.* Daniel *Seml.* in lacu *Leop.*
(3) Ut *Rigalt.* tu et filius tuus *Leop.*
(4) Sobrie *Pam.*
(5) Quam *Lat.*
(6) Probat *Seml.* probet *Jun.*
(7) Oraudum *Seml.*
(8) Aliarum *Seml.*
(9) Qua et *cod. Wonn.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et hæc autem strictura potus xerophagiæ portio est.* Ait Septimius, hac forma potus perstricta, etiam aridum pabulum significari. Rig.

CAP. X. — (b) *Æque stationes nostras, ut indignas.* Sensus Auctoris evincit legendum, *indictas*, ut et paulo post: *Sed quod pertinet ad indictionis quæstionem.* Psychici, inquit, stationes nostras accusant, ut indictas, et in serum constitutas, atque hoc munus quidem esse non indiscendum, sed ex arbitrio obeundum; et non in serum constitui, sed ad nonam dirimi stationes debere contendunt. Rig.

(c) *Stationes nostras ut indignas*, etc. Dixit de stationibus alibi, statio autem a jejunio differt, quamvis id non existimet Pamelius. Erat enim religiosus cultus, quod ad synaxim accedentes Christiani ad nonam usque jejunia producebant, duplex quippe erat olim jejunium, alterum quod ad vesperam tantum finiebatur, quale erat quadragesimale: alterum vero quod ad nonam tantum prorogabatur, cujusmodi erat jejunium feriæ 4 et 6. Hic autem Montanistas non vero Catholicos impugnat, quod perperam asseruit Pamelius. Le Pr.

(d) *Sexta diei finiri huic officio possit.* Hoc est, præfiniri, determinari. Rig.

(e) *Quæ publice resonant.* Ergo Septimii sæculo tres horæ tantum istæ insigniores publice resonabant, signo dato tuba vel tintinnabulo. Cæterum priscis quoque Romanis eadem diei spatia significari solita, accenso ubi Prætori videbatur ad populum pronuntiando horam esse tertiam, itemque meridiem, et horam nonam, discimus ex Varronis quinto de lingua latina.

Rig.

dignam rationem afferre debemus, quanto carent Scripturæ auctoritate, donec aliquo cœlesti charismate aut confirmentur, aut corrigantur. *Et si qua*, inquit, *ignoratis, Dominus vobis revelabit* (*Phil.* III, 15). Itaque, seposito confirmatore omnium istorum Paracleto, duce universæ veritatis, an indignior apud vos (1) ratio afferatur in nonam observandi requiro (2), ut etiam Petro ea ratio deputanda sit, si statione tunc functus est. Venit enim de exitu Domini, quem etsi semper commemorari oportet sine differentia horarum, impressius tamen tum ei secundum ipsum stationis vocabulum addicimur (3) : nam et milites nunquam immemores sacramenti, magis stationibus parent. Itaque in eam usque horam celebranda pressura est, in qua (4) a sexta contenebratus orbis defuncto domino lugubre fecit officium, ut tunc et nos revertamur ad jucunditatem, cum et mundus recepit claritatem. Hoc si magis ad religionem sapit christianam, dum magis Christi gloriam celebrat, possum æque seræ stationis ex eodem rei ordine statum figere, ut jejunemus ad serum, exspectantes tempus Dominicæ sepulturæ cum Joseph postulatum detulit corpus, et condidit. Inde et irreligiosum est ante famulorum (*a*) carnem refrigerare (5), quam domini. Sed hoc ex (6) argumentationum provocatione commiserim, conjecturas conjecturis, et tamen (7) puto fidelioribus, reperculiens. Videamus an aliquid tale nobis de vetustatibus quoque patrocinetur. In Exodo, habitus ille Moysis adversus Amalech orationibus prœliantis usque in occasum perseverans, nonne statio fuit sera ? Jesum Nave debellantem Amorrhæos, prandisse illa die existimamus, qua ipsis elementis stationem imperavit (8)? Stetit sol in Gabaon, et luna in Aialon : stetit (9) sol et luna instructione, donec ultus est populus de inimicis suis ; et stetit sol medio cœlo, et non accedebat (10) in occasum, et in finem diei unius. Non (11) fuit dies talis retro et in novissimo, utique tam prolixus ; ut, inquit, exaudiret Deus hominem, parem scilicet solis, instantem (12) tamdiu in officio, stationem etiam sera longiorem. Certe Saul et ipse in prælio constitutus, manifeste munus istud indixit (I *Reg*, XIV, 24) : *Maledictus homo qui ederit panem ad vesperam usque dum ulciscar de inimico meo ; et non gustavit totus populus ejus, et tota terra non prandebat* (13). Tantam autem Deus præstitit auctoritatem edicto stationis illius, ut Jonathan filius Saulis, quamquam ignarus jejunationis in serum definitæ gustum mellis admiserat, et sorte (14) mox de delicto sit traductus, et vix per preces populi periculo exemptus, gulæ enim, licet simplicis, reus fuerat. Sed et Daniel, anno primo regis Darii, cum jejunans in sacco et cinere exomologesin Deo ageret, et adhuc, inquit, loquente me in oratione, ecce vir quem videram in somnis initio, velociter volans adpropinquavit mihi quasi hora vespertini sacrificii. Hæc erit (15) statio sera, quæ ad vesperam jejunans, pinguiorem orationem Deo immolat.

CAPUT XI.

Omnia autem ista credo ignota eis, (*b*) qui ad nostra turbantur, aut sola forsitan lectione, non etiam intentione comperta, secundum majorem vim imperitorum, apud gloriosissimam scilicet multitudinem Psychicorum. Propterea per singulas direximus species jejunationum, xerophagiarum, stationum, ut dum recensemus secundum utriusque Testamenti paraturam, quantum proficiant recusati, vel recisi, vel retardati pabuli officia, eos retundamus (*c*) qui hæc velut vacantia infirmant. Item dum pariter ostendimus quo semper in ordine fuerint religionis, eos revincamus qui hæc ut nova accusant ; nec novum enim quod semper, nec vacuum quod utile. Sed et illud in medio est, quædam ex his officiis a Deo homini imperata, legem constituisse ; quædam ab homine Deo oblata, votum expunxisse ; tamen et votum, cum a Deo acceptatum est, legem in posterum facit (16), per auctoritatem acceptatoris, exinde enim faciendum mandavit, qui factum comprobavit. Itaque et hic (17) in alia specie altercatio diversæ partis obducitur, cum dicunt, aut pseudoprophetia est si spiritalis vox solemnia ista constituit ; aut hæresis, si humana præsumptio adinvenit. Eam enim formam reprehendentes qua et vetera decucurrerunt, et ex ea retorquentes quæ (18) adversarii veterum adversus illa poterant (19) retractare ; aut et illa recusare debebunt (20), aut certe (21) ista suscipere necessario, maxime (22) cum et ista, a quocumque Institutore sint, sive spiritali, sive tantum fideli, (*d*) eidem Deo

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dignior apud nos *Semler*.
(2) Require *Semler*.
(3) Cum eis s. i. s. v. addiscimus. *Semler*.
(4) Quam *Junius*.
(5) Refrigerari *Wouw*. *Leop*.
(6) Ut hæc ex *Semler*.
(7) Sed tamen *Lat*.
(8) Impetravit *Semler*.
(9) Stetit *cod*. *Wouw*.
(10) Ut autem accedebat *Semler*.
(11) In occasum, in finem dici unius, et non *Junius*.
(12) Instantis *Franc*.
(13) Terra prandebat *Semler*.
(14) Ut sorte *Junius*.
(15) Erat *mss*. *Wouw*.
(16) Sancit *Lat*.
(17) Hinc *Semler*.
(18) Et *add*. *Semler*.
(19) Poterunt *Semler*.
(20) Potuerunt... debuerunt *Lat*.
(21) Exerta *Semler*. exerte *Franc*.
(22) Maxime *abest a cod*. *Wouwer*.

COMMENTARIUS.

(a) *Carnem refrigerari*. Quiescere. Rig.

CAP XI.—(b) *Qui ad nostra turbantur*. Paraclelica scilicet Montanistarum instituta. Rig.

(c) *Qui hæc velut vacantia infirmant*. Tanquam inutilia et pretii nullius. Rig.

(d) *Eidem Deo currant*. Hoc est eidem Deo conveniant. De eodem Deo dicta intelligi debeant. Sic Baeticus dixit de Deo : *Vanum est præcepta dare quibus homines viverent, et ipsum jam quia homo esse dignatus est, sine præceptorum observatione cucurrisse*. Hoc est.

currant, cui et vetera. Indubitate enim et hæresis et pseudoprophetia divinitatis diversitate judicabuntur apud nos omnes unici Dei Creatoris et Christi ejus antistites, adeoque indifferenter hanc partem defendo, illis offerens in quo velint gradum figere. Spiritus diaboli est, dicis, o Psychice. Et quomodo Dei nostri officia indicit, nec alii offerenda quam Deo nostro? Aut contende diabolum cum Deo facere nostro, aut Satanas Paracletus habeatur. Sed hominem Antichristum adfirmas; hoc enim vocantur hæretici nomine penes Joannem. Et quomodo quisquis ille est in Christo nostro, hæc erga Dominum nostrum officia disposuit, cum et Antichristi erga Deum (1) adversus nostrum processerint Christum? Quo itaque putas laterum confirmatum apud nos spiritum, cum imperat, an cum probat quæ Deus noster et imperavit semper et probavit? Sed rursus (*a*) palos terminales figitis Deo, sicut de gratia, ita de disciplina; sicut de charismatibus, ita et (2) de solemnibus; ut proinde officia cessaverint, quemadmodum et beneficia ejus, atque ita negetis usque adhuc eum munia imponere, quia et hic Lex et Prophetæ usque ad Joannem: superest ut totum auferatis, quantum in vobis tam otiosum.

CAPUT XII.

Jam enim et in ista specie *ditati saturatique regnatis* (*I Cor.*, IV, 8), non delicta incusantes, quæ jejuniis elimentur, nec revelationum scientia indigentes, quæ xerophagiis extorqueantur, nec bella propria metuentes, quæ stationibus discutiantur. Ut ab Joanne Paracletus obmutuisset, ipsi nobis Prophetæ in hanc maxime caussam extitissemus: jam non dico ad exorandam Dei iram, nec ad impetrandam tutelam ejus aut gratiam, sed ad præmuniendam per nosmetipsos novissimorum temporum conditionem, indicentes omnem ταλαιπωρίαν, cum carcer ediscendus, et fames ac sitis exercendæ, et tam inediæ quam anxii victus tolerantia usurpanda sit, ut in carcerem talis introeat Christianus, qualis inde prodisset; non pœnam illic passurus, sed disciplinam; nec sæculi tormenta, sed sua officia; eoque fidentior (*b*) processurus ad certamen e custodia abusus, nihil habens carnis, sic ut nec habeant tormenta materiam; cùm sola et arida sit cute loricatus, (*c*) et contra ungulas corneus; (*d*) præmisso jam sanguinis succo, (*e*) tanquam animæ impedimentis, properante jam et ipsa, quæ jam sæpe jejunans mortem de proximo norit: (*f*) plane vestrum est in carceribus (*g*) popinas exhibere (*h*) martyribus incertis, (*i*) ne consuetudinem quærant, ne tædeat vitæ, (*j*) ne nova abstinentiæ disciplina scandalizentur, quam nec ille Pristinus vester non christianus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Erga Deum, *delet. Lat.*

(2) Et *delet Seml.*

COMMENTARIUS.

peregisse quæ de eo ordinata et prædicta fuerant. Rig.

(a) *Palos terminales figitis Deo.* Auctores finium regundorum palos pro terminis in quibusdam regionibus poni docent, iliceos, oleagineos, junipereos, etc., palos de ilice picatos. Rig.

CAP. XII. —(b) *Processurus ad certamen e custodia abusus.* Abusus, longo usu propemodum absumptus confectusque. Si quid juvarent exemplaria, mallem, *obesus*, quemadmodum vetus poeta apud Gellium, *obesum* dixit pro exili et gracilento. Rig.

(c) *Et contra ungulas corneus.* Inter tormenta erant ungulæ; ac primum quidem, ut ex vocabulo conjicere est, de ipsis bestiis decisæ; dein ad earum formam ferreæ: iis latera miserorum deradebant, vel, ut dixere quidam, scribebant, charaxabant. Ait igitur Septimius, cutem jejuniis aridam et corneam adversus hujusmodi tormenta constantiorem fore. Rig.

(d) *Præmisso jam sanguinis succo.* Præmisso scilicet ad Deum, quo jam et ipse totus properat. Sic alibi dixit præmissam uxorem, præmissos liberos, jam sæculo digressos. Rig.

(e) *Tanquam animæ impedimentis.* Impedimenta dicit militari significatu. Christianus jam plurimis emaciatus jejuniis præmisit ad Dominum hanc sui partem, sanguinem suum scilicet, tanquam impedimenta sua, tanquam vasa, tanquam supellectilem. Quam gravis hic paracleticus doctor, cum istis jejuniis tam austeris! Sane miror in libris exsanguibus et corneis tantum ingenii, tantum amœnitatis, tantum elegantiarum. Rig.

(f) *Plane vestrum est, in carceribus popinas exhibere martyribus incertis.* Principio libri adversus Valentinianos, *facilem* esse ait *Fratrum caritatem*; et l. adversus Praxeam, *majoris semper credentium partem simplices et idiotas.* Hic ergo hominibus id genus exprobrare videtur beneficentissimæ caritatis officia in Peregrinum illum impostorem collata, qui tandem agnitus, et christiana communione depulsus a Lu-

ciano describitur, cujus etiam inter Ethnicorum exempla meminit Septimius lib. ad Martyras.

(g) *Popinas exhibere.* Lucianus, συν-κάθευδον μετ' αὐτοῦ, διαρθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας, εἶτα δεῖπνα πολλὰ εἰσεκομίζετο.

(h) *Martyribus incertis.* Quorum fides minus spectata, neque satis explorata.

(i) *Ne consuetudinem quærant.* Ne consueta, ne sua desiderent, Ut lautius in carceribus vivant, quam domi.

(j) *Ne nova abstinentiæ disciplina scandalizentur, quam nec ille pristinus vester non christianus martyr attigerat.* Legendum arbitramur, *pristinum vester.* Hoc est quondam vester, quemadmodum initio libri adversus Praxean dixit *pristinum doctor.* In hanc vero historiam quam narrat Septimius, plurima quadrant eorum quæ Lucianus de Peregrino tradidit. Nam et istum apud Christianos in fama et pretio aliquandiu fuisse refert, ac propter habitos ab eo per oppida Syriæ de Christo sermones, comprehensum, missumque in carcerem, atque ibidem Christianorum charitate ac studio diligentissime curatum, cœnis omne genus illatis, mox per humanitatem præsidis emissum carcere. Postea vero ob delicta quædam, ab christiano consortio ejectum, varias urbes obiisse non sine gloria philosophantem, ac demum Athenis insana quærendi nominis cupidine percitum, convocata multitudine, postquam verba multa de contemptu mortis fecisset, in ardentem rogum insiliisse, nec visum amplius. Martyrem istum qualiscumque fuerit, psychicum, id est catholicum, fuisse ait Septimius, non christianum: quia tormentis admotus Christum negaverat. Peregrinum suum Lucianus scribit in carcerem conjectum, propterea quod Christum coleret, τὸν μέγαν ἐκεῖνον ἄνθρωπον ἐν παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, confestim accurrisse christianos, uti fratres, atque omnimoda solatia contulisse; quin etiam cum eo in carcere permansisse ac pernoctasse, corruptis custodiis. Rig.

martyr attigerat ; quem et (*a*) facultate (1) custodiæ liberæ aliquandiu fartum (2) omnibus balneis quasi baptismate melioribus et omnibus luxuriæ secessibus quasi Ecclesiæ secretioribus et omnibus vitæ istius illecebris quasi æternæ diguioribus, hoc puto obligatum (3) ne mori vellet, postremo ipso tribunalis die luce summa (*b*) condito mero tanquam antidoto præmedicatum, ita enervastis, (*c*) ut paucis ungulis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat, quem Dominum confiteretur interroganti præsidi respondere non potuerit amplius. (*d*) Atque ita de hoc jam extortus (4), (*e*) cum singultus et ructus solos haberet, in ipsa negatione digessit (5). Ideo sobrietatis disciplinam qui prædicant pseudoprophetæ, ideo hæretici qui observant. Quid ergo cessatis Paracletum, quem in Montano negatis, in Apicio credere? Præscribitis constituta esse solemnia huic fidei scripturis vel traditione majorum, nihilque observationis amplius adjiciendum, ob illicitum innovationis. State in isto gradu si potestis.

CAPUT XIII.

Ecce (*f*) enim convenio vos et præter Pascha jejunantes, citra illos dies quibus ablatus est sponsus, et stationum semijejunia interpouentes, et (*g*) vero (6) interdum pane et aqua victitantes, ut cuique visum est; denique respondetis hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio. Movistis igitur gradum excedendo traditionem, cum quæ non sint (7) constituta obitis. Quale est autem ut tuo arbitrio permittas quod imperio Dei non das? plus humanæ licebit voluntati quam divinæ potestati? Ego me sæculo, non Deo liberum memini : sic mecum est ultro officium facere Domino, sicut (8) indicere illius est ; non tantum obsequi ei debeo, sed et adulari ; illud enim imperio ejus, hoc arbitrio meo præsto. Bene autem quod et episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent ; non dico de industria stipium conferendarum, ut vestræ capturæ est ; sed interdum et ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticæ caussa. Itaque si et ex hominis edicto, et in unum omnes ταπεινοφρόνησιν agitatis, quomodo in nobis ipsam quoque unitatem jejunationum et xerophagiarum et stationum denotatis? nisi forte in senatus consulta, et in principum mandata coïtionibus opposita delinquimus. Spiritus Sanctus, cum in quibus vellet terris, et per quos vellet prædicaret, ex providentia imminentium, sive ecclesiasticarum tentationum, sive mundialium plagarum, qua paracletus, id est advocatus, ad exorandum judicem, hujusmodi officiorum remedia mandabat. Puta nunc ad exercendam sobrietatis et abstinentiæ disciplinam ; hunc qui recipimus, necessario etiam quæ tunc constituit observamus. Adspice ad Judaïcos fastos, et invenies nihil novum : si (9) quæ patribus sunt præcepta, omnis deinceps posteritas hæreditaria religione custodit. Aguntur præterea (*h*) (10) per Græcias illa (11) certis in locis concilia ex universis ecclesiis per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quam dignum fide auspicante congregari undique ad Christum! *Vide quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Ps.* CII) ; hoc tu psallere non facile nosti, nisi quo tempore cum compluribus cœnas. Conventus autem illi stationibus prius et jejunationibus operati ; dolere cum (12) dolentibus, et ita demum congaudere gaudentibus norunt. Si et ista solemnia quibus tunc præsens patrocinatus est sermo, nos quoque in diversis pro-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quam ex facultate *cod. Wouwer.*
(2) Farsum *Seml.*
(3) Oblegatum *Seml.*
(4) Exortus *Seml.*
(5) Discessit *Jun.*
(6) Et vos *Seml.*
(7) Sunt *Seml.*
(8) Sic *Seml.*
(9) Sit *Jun.*
(10) Præcepta *Fran.*
(11) Illas *Fran.*
(12) Sum *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Facultate custodiæ liberæ.* Lucianus διαφθείραντες τοὺς διαφυλακας. Rig.

(b) *Condito mero, tanquam antidoto, præmedicatum.* Vino myrrhato consopitum, myrrhæ præsumptione obfirmatum. In historia passionis Fructuosi, Augurii et Eulogii, legimus oblatum iis ab fraterna charitate condimentum ; admonitosque ut permixtum poculum sumerent, dixisse, nondum esse horam solvendi jejunii. Nempe agebatur hora diei quarta, feria vero quarta : qua feria illi, etiam in carcere, stationem de more celebrabant. Sed cur fraterna illa charitas feria quarta condimentum offerebat, cum sexta tantum feria ducti sint martyres, nisi quia putarent ipsa feria quarta ducendos? Cæterum, imposturam martyrio fecisse videntur, qui in ipso martyrii procinctu, corpora sic curabant sua, ut cruciatus et tormenta minime sentirent. Nam quæ constantia, quæve gloria medicatæ potionis crapula consopito, sensibus interceptis? Rig.

(c) *Ut paucis ungulis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat.* Ita consopitus fuerat, ut ungulas admotas quasi titillantis manum pateretur. Rig.

(d) *Atque ita de hoc jam extortus.* Quod interroganti præsidi non responderet. Peregrinum suum Lucianus extortum fuisse non tradit, imo dimissum. Rig.

(e) *Cum singultus et ructus solos haberet, in ipsa negatione digessit.* Honesto vocabulo fœdum negotium significat. Nam hic Pristinus nimia vini ac ciborum copia fartus, admotis tormentis Christum negavit, atque in ipsa negatione inter singultus et ructus, alvo perside laxata, fecit quod in Milesia fabula Lucius, cum ab asino suo carnifices abegit : seu quod moriens Claudius Cæsar, qua parte facilius, ut ait Seneca, loquebatur. Sed quomodo negavit, qui præ temulentia solos singultus et ructus haberet? Negasse Christum videtur, qui per ebrietatem eripuerat sibi martyrii sensum, et præclaræ confessionis gloriam. Rig.

CAP. XIII. — (f) *Ecce enim convenio vos.* Quasi contraria actione. Rig.

(g) *Vero interdum pane victitantes.* Hoc est, puro et mero pane, siccantes cibum ab omni carne, et omni jurulentia, ut ipse ait hoc lib. Rig.

(h) *Per Græcias.* Per varias Græciæ provincias, in quibus varia concilia coacta sunt. Legunt alii *Græcias illas* quod forsan non male. Le Pr.

vinciis fungimur in spiritu invicem repræsentati, (*a*) lex est sacramenti.

CAPUT XIV.

Horum igitur tempora observantes, et dies et menses et annos, (*b*) galaticamur. Plane si judaicarum cæremoniarum, si legalium solemnitatum observantes sumus : illas enim Apostolus dedocet compescens Veteris Testamenti in Christo (1) sepulti perseverantiam, et novi sistens. Quod si nova conditio in Christo jam nova et solemnia esse debebunt ; aut si omnem in totum devotionem temporum et dierum et mensium et annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? (*c*) cur stationibus quartam et sextam sabbati (*d*) dicamus, (*e*) et jejuniis parasceven? quanquam vos etiam sabbatum, si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum secundum rationem alibi redditam, nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur. Nec ergo apud Apostolum differentiæ ratio, distinguentem nova et vetera. Sed et hic inæqualitas vestra ridebitur, cum vetustatum formam nobis exprobratis, in quo (2) causam novitatis accusatis.

CAPUT XV.

Reprobat etiam illos qui jubebant (3) cibis abstinere, sed de providentia Spiritus Sancti (4), prædamnans jam hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda et despicienda opera Creatoris : quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Jovem, hodiernum de Pythagora hæreticum, non apud Paracletum. (*f*) Quantula est enim apud nos interdictio ciborum? (*g*) duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet sabbatis et dominicis offerimus Deo; abstinentes ab eis, quæ non rejicimus, sed differimus. Atquin ad Romanos scribens, vos nunc compungit detractatores (5) hujus officii : *Ne propter pabulum solveritis,*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sepulti perseverant *add. Seml.*
(2) Qua *Seml.*
(3) Jubeant *Seml.*
(4) Sanctus *Seml.*
(5) Retractatores *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Lex est sacramenti. Communionis Christianæ lex est, ut nostrum sit quodcumque nostrorum est; cæterum, dividis corpus.* Sic enim ait lib. de Virginibus velandis, ubi et alia præclara de christiani corporis partium consensu. Rig.

CAP. XIV.—(b) *Galaticamur.* Insaniunt ut Galatæ. sic ab ingenio Cilicum fraudulento verbum ἁλλαΐζειν formavit Pherecrates comicus, ad fraudes et impostu- C ras deorum gentilium significandas: ἀπὸ τοῦ ἡμῶν ἁλλαϊζουσι θεοί, imponunt et illudunt nobis cilicatim. Galaticamur, desipimus galaticatim; judaizamur ut Galatæ. Rig.

(c) *Cur stationibus quartam et sextam sabbati dicamus, et jejuniis parascevem.* Ait Tertullianus, sepultis Testamenti veteris solemnibus Christianos condidisse novas in Christo leges et nova solemnia, abrogatis jejuniis mosaicis instituisse stationes et jejunia christiana. Et stationibus quidem, dicatas fuisse feries cujusque septimanæ quartam et sextam, excepta feria sexta quæ esset παρασκευὴ τοῦ πάσχα, septimanæ scilicet authenticæ in quam incideret Pascha, sive dies Paschæ, sabbatum Paschale, quo die Christus Ecclesiæ sponsus ablatus est. Etenim eo die indicta fuisse jejunia, quæ non solum a Paracleticis, verum etiam a Psychicis in sabbatum continuabantur. Hic vero Tertullianus observat, sabbatum in Pascha jejunandum ; hoc est, sabbatum septimanæ in quam incidisset dies D Paschæ sive Passionis Dominicæ, quæ est νηστιμος ἡμέρα, cætera sabbata nunquam jejunanda. Ne judaizare aut galaticari videamur. Addit : *Nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur.* Quibus verbis consentanea sunt hæc Hieronymi Epis. 151: *Nobis qui in Christum credimus resurgentem, jugis et æterna festivitas est, nec putare debemus alios dies festos, alios non festos.* Adepta scilicet per Christum libertate, quæ nostris cervicibus exemit jugum mosaicarum cærimoniarum et legalium solemnitatum. Unde intelligimus, inquit Septimius noster adversus Jud. cap. IV, magis sabbatizare nos ab omni opere servili semper debere, et non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus. Denique omne tempus sabbatizat, hoc est sanctificat, qui sapit ad libertatem evangelicam, ac sese abstinet ab omni opere servili, nempe observationum ac cæremoniarum judaicarum. Rig.

(d) *Quartam et sextam sabbati*, etc. Difficilis plane locus est : nam parasceve est sexta sabbati. Sensus autem esse videtur : stationes fiebant feria 4 et 6 ; feria autem quarta ad nonam jejunium licebat solvere, unde semi-jejunium dicebatur; at feria 6 ad nonam jejunium dicitur Tertulliano. Verum non attigisse Pamelium crediderim, qui parasceven sabbatum nove appellari scribit. Le Pr.

(e) *Et jejuniis parascevem?* Eximie nuncupat parasceven quam Judæi vocabant parasceven paschæ. Joannis cap. XIX : παρασκευὴ τοῦ πάσχα, quasi sabbati paschalis sanctitas prosabbatum suum nobilitaret. Quia vero Christus ea feria sexta, sive ea parasceve, comprehensus fuerat a Judæis et crucifixus, Ecclesia Christiana, Tertulliani sæculo, sextam quamque feriam stationibus sive semi-jejuniis dicaverat, hancque anno vertente Paschæ diem antecedebat, et ob luctum ex ablato Sponso conceptum indicta solidi jejunii mœstitia notabiliorem fecerat. Itaque hanc parasceven solemnissimam Tertullianus, significandi modo excellenti, Parasceven vocat, jam non judaicam, sed christianam : nempe relicto aliis παρασκευαῖς ordinis vocabulo. Unde est apertissimum, ævo Tertulliani Psychicos, sic ille vocabat Romanos, et ipsos etiam Paracleticos, sive Montanistas, quartam et sextam et cujusque septimanæ feriam dicasse stationibus, quæ semiplena erant jejunia, et jejuniis parasceven, sextam videlicet feriam hebdomadæ majoris sive authenticæ. Paracleticos eo fuisse Romanis austeriores, quod duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec tamen totas, exceptis scilicet sabbatis et dominicis, offerrent Deo. Non dicit parasceven Paschæ, ut duas xerophagiarum hebdomadas Paschæ proximas : et tamen, haud aliter eum sensisse res ipsa clamat. Nam et statim de die Paschæ loquitur. Le Pr.

CAP. XV.—(f) *Quantula est enim apud nos interdictio ciborum?* etc. Duas hic xerophagiarum hebdomadas constituit, hoc est 14 dies, non autem hebdomadas 14, quod putavit Pamelius: non enim elevando tam exiguum spatium hæc proferret, *Quantula est enim*, etc. Le Pr.

(g) *Duas in anno hebdomadas xerophagiarum.* Hieronymus ad Marcellam; ubi de Montani sectatoribus : Illi tres in anno faciunt quadragesimas. Sic ingenia sunt mortalium, ubi semel ab regula descivere. Itaque jam quo Hieronymi supra magistrum erant discipuli, duabus montanicarum xerophagiarum septimanis tertiam addiderant. At sic eos

inquit, *opus Dei*. Quod opus? de quo ait : *Bonum est carnem non edere, et vinum non potare*. Nam qui in istis servit, placabilis et propitiabilis Deo nostro est. *Quidam credit omnia manducanda esse, quidam autem infirmus olera* (1) *vescitur; qui manducat, ne nullificet* (2) *non manducantem. Tu quis* (3) *es, qui alienum servum judicas? Et qui manducat, et qui non manducat, Deo agit gratias.* (*Rom.* XIV, 2, *et seqq.*) Cum autem humano arbitrio vetet (4) controversiam fieri, quanto magis divino! Ita sciebat quosdam castigatores et interdictores victus incusare, qui ex fastidio, non qui ex officio abstinerent; probare vero qui in honorem, non qui in convitium Creatoris. Et si claves macelli tibi tradidit, permittens esui omnia ad constituendam idolothytorum exceptionem, non tamen in macello regnum Dei inclusit. *Nec enim*, inquit, *esus aut potus est Dei regnum*, et, *Esca nos Deo non commendat;* non ut de arida dictum putes, sed potius de uncta et accurata. Siquidem subjiciens, *nec si manducaverimus, abundabimus* (5); *nec si non manducaverimus, deficiemus;* tibi magis insonat, qui abundare te existimas, si edas, et deficere si non edas, et ideo ista detractas. Dominum quoque quam indigne ad tuam libidinem interpretaris passim manducantem et bibentem, sed puto quod etiam jejunarit (7), qui beatos, non saturatos, sed esurientes et sitientes, pronuntiarit; qui escam profitebatur, non quam discipuli existimarant, sed paterni operis perfectionem, docens operari escam, quæ permanet in vitam æternam; in ordinaria etiam oratione panem mandans postulandum, non et attalicas divitias (*l*). Sic et Esaias, non negavit Deum elegisse jejunium, sed quale non elegerit, enumeravit. *In diebus enim*, inquit (*Is.*, LVIII, 3), *jejuniorum vestrorum inveniuntur voluptates* (8) *vestræ, et omnes subjectos vobis succutitis, aut convitia et lites jejunatis, et cæditis pugnis: non tale jejunium ego elegi;* sed quale subjecit, et subjiciendo non abstulit, sed confirmavit. Nam etsi mavult opera justitiæ, non tamen sine sacrificio; quod est anima conflictata jejuniis.

CAPUT XVI.

Ille certe Deus, cui nec populus incontinens gulæ placuit, nec sacerdos, nec prophetes. Manent adhuc monumenta concupiscentiæ, ubi sepultus est populus carnis avidissimus usque ad choleram ortygometras (9) cruditando. (10) Eliditur pro templi foribus senior Heli; filii ejus in acie ruunt; nurus exspirat in partu. Hanc enim meruerat (11) a Deo plagam domus impudens, sacrificiorum carnalium defraudatrix. (*a*) Sameas, homo Dei, cum exitum prophetasset idololatriæ introductæ a rege Hieroboam, post manum ejus regis arefactam, et statim restitutam, (*b*) post altare diffusum (12), ob hæc signa, et satisfactione (13) invitatus a rege, plane excusavit. Prohibitus enim a Deo fuerat, illic cibum in totum attingere; sed ab alio mox sene mentito prophetiam temere pastus, secundum verbum Dei ibidem factum super mensam, non est in paternis sepultus : leonis enim in via occursu prostratur, et apud exteros conditus, pœnam deserti jejunii luit. Hæc erunt exempla et populo et episcopis, etiam spiritalibus, si quam incontinentiam gulæ admiserint. Sed nec apud inferos admonitio cessavit, ubi in divite quidem convivia cruciantur, in paupere vero jejunia recreantur, habentia præceptores *Moysen et Prophetas* (*Luc.* XVI, 29). Nam et Joel exclamavit (*Joel*, I, 14) : *Sancite jejunium, et prædicate curationem* (14), prospiciens jam et tunc et alios apostolos et prophetas sancituros jejunium, et prædicaturos officia curantia Deum. Unde et qui in idolis comendis, et in aris ornandis (15), et ad singulas horas (*c*) salutandis (16) adulantur, curationem facere dicuntur. Sed et omnem ταχινεργάτην ethnici agnoscunt. Cum stupet cœlum et aret annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, hostiam instaurant. Apud quasdam vero colonias præterea annuo ritu saccis velati, (*d*) et cinere conspersi idolis suis inediam (17) supplicem objiciunt, balnea et (*e*) tabernacula (18) in nonam usque cludunt. Unus in publico ignis apud aras, aquæ nec in lancibus. Niniviticum (19) credo justitium. Judaicum certe jejunium ubique celebratur, cum omissis templis per omne littus quocunque in aperto aliquando jam precem ad cœlum mittunt; et licet cultu et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Olere *Seml.*
(2) Vilificet *Seml.*
(3) Qui *Seml.*
(4) Vitet *Seml.*
(5) Abundavimus *Par.*
(6) Jejunavit *Seml.*
(7) Divitias *abjicit Seml.*
(8) Voluntantes *Fran.*
(9) Octygometra *Seml.*
(10) Conditando *al.* eructando *Pam.*
(11) Metuerat *Seml.*
(12) Diffusum *al.*
(13) Ad satisfactionem *Lat.*
(14) Sanctificate jejunium et orationem *et nihil amplius Seml.*
(15) Et in hac re ornandis *Seml.*
(16) Diis *add. cod. Wouw.*
(17) Invidiam *Venet. Rhen.*
(18) Tabernæ.
(19) Niniviticum *Jun.* Niniviticam credo justitiam *al. leg.*;

COMMENTARIUS.

quoque putamus septimanas dixisse quadragesimas, quemadmodum Hieronymus dixit: *Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.* Rig.

CAP. XVI. — (a) *Sameas homo Dei.* Libro tertio Regum nomen hujus prophetæ non traditur, Josepho dicitur Jadon, Epiphanio Joam. Rig.

(b) *Post altare diffusum.* Etenim diruti altaris cineres diffusi ac dispersi. ἐχύνετο, καὶ ἐκχυθέντα ἡ πιότης ἐπ' αὐτῷ (II *Reg.* XII, 3). Rig.

(c) *Salutandis adulantur.* Liber Ursini, *Et in aris ornandis, et ad singulas horas salutandis diis adulantur.* Rig.

(d) *Et cinere conspersi.* Reorum hic habitus hic describitur, cui cinis inspersus erat aliquando, quo miserabiliores fierent. Apul. lib. VII, *Ambabus manibus trahens cinerosam.* In sacra Scriptura illud maxime obvium. Le Pr.

(e) *Tabernacula.* Tabernæ. Rig.

ornatu mæroris munus infament, tamen fidem abstinentiæ ad ectant, et (*a*) stellæ auctoritatem (*b*) demorantis suspirant. Sed bene, quod (1) in nostris xerophagiis blasphemias ingerens, (*c*) Casto Isidis et Cybeles eas adæquas. Admitto testimonialem comparationem. Hinc divinam (2) constabit, quam diabolus divinorum æmulator imitatur. Ex veritate mendacium struitur, ex religione superstitio compingitur. Hinc tu eo irreligiosior, quanto ethnicus paratior. Ille denique (3) idolo gulam suam mactat, tu Deo non vis. Deus enim tibi venter est, et pulmo templum, et aqualiculus altare, et sacerdos cocus, et Sanctus Spiritus nidor, et condimenta charismata, et ructus prophetia.

CAPUT XVII.

(*d*) Vetus es, vera (4) si velimus dicere, tu qui tantum gulæ indulges, et merito te priorem jactitas; semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum, ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimæ disciplinæ tuæ venis, ita spiritu deficis, si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero, (*e*) statim totos primatus tuos vendes; apud te (*f*) agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet. *Sed major his* (5) *est agape* (I *Cor.* XIII, 13), qui per hanc adolescentes tui cum sororibus dormiunt. Appendices scilicet gulæ, lascivia atque luxuria (6), quam societatem et Apostolus sciens, cum præmisisset : *Non in ebrietatibus, nec in comessationibus*; adjunxit : *nec in cubilibus et libidinibus.* (*Rom.* XIII, 14.) Ad elogium gulæ tuæ pertinet, quod (*g*) duplex apud te præsidentibus honor binis partibus deputatur; cum Apostolus duplicem honorem dederit, ut et fratribus et præpositis. Quis sanctior inter vos, nisi convivandi frequentior, nisi obsonandi pollucibilior, nisi calicibus instructior? Merito homines solius animæ et carnis spiritalia recusatis. Talibus si placerent prophetæ, mei non erant. Cur ergo non constanter prædicatis : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (I *Cor.* XV, 32)? Sicuti nos non dubitamus exerte mandare : jejunemus, fratres et sorores, ne fortè cras moriamur. Palam disciplinas nostras (7) vindicemus. Nos certi sumus, eos qui in carne sunt, Deo placere non posse; non utique in (8) substantia carnis, sed in cura, sed in affectione, sed in operatione, sed in voluntate. Macies non displicet nobis; neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, sicut nec *spiritum ad mensuram*, facilius si forte per angustam salutis januam introibit caro exilior, citius resuscitabitur caro levior, diutius in sepultura durabit caro aridior. Saginentur pugiles et pyctæ olympici : illis ambitio corporis competit, quibus et vires necessariæ. Et tamen illi quoque xerophagiis invalescunt; sed nostra alia robora, aliæque vires, sicut et alia certamina; quibus non est luctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi potestates, (9) adversus spiritalia malitiæ, adversus hæc, non carne et sanguine, sed fide et spiritu robusto oportet adsistere. Cæterum, saginatior (10) christianus ursis et leonibus forte, quam Deo, erit necessarius, nisi quod (11) et adversus bestias maciem exercere debebit.

LECTIONES VARIANTES.

vitiose ut Junius existimat.
(1) Tu *cod. Wouw.*
(2) Divina *Seml.*
(3) Deo, inserit *Seml.*
(4) Ructus. Prophetia vetus est vera *Fran.*
(5) Is *Ven.*
(6) Est, *add. Seml.*
(7) Vestras *Seml.*
(8) In *tollit Seml.*
(9) Potentes *Lat.*
(10) Saginator *Seml.*
(11) Quæ *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Stellæ auctoritatem demorantis suspirant.* Stellam significat, quam Plautus Vesperuginem, Ennius Vesperum, Virgilius Hesperon appellant. Auctoritatem vero præsentiam dicit. Etenim, quamvis famelici, nullum attingere audebant cibum ante Vesperi exortum. Rig

(b) *Demorantis.* Morantis, tardantis. Sic Plautinus Sosia Solem queritur obdormisse ebrium Rig.

(c) *Casto Isidis et Cybeles eas adæquas.* Casto, τῇ ἁγνείᾳ. Castimoniam dixit supra. Quod autem latini dicunt, in Casto Cereris esse, Græcus aliquis scriptor apud Suidam dixit, τὰς Μητραλοὰς κατὰ ἁγνείαν. Græco eas usu dixit Varro, pro Græco ritu. Rig.

CAP. XVII.—(d) *Vetus es, vera si velimus dicere.* Catholici adversus Montanistas eo maxime gloriabantur, quod essent veteris disciplinæ cultores, novos ritus, nova jejunia non admitterent. Septimius igitur, cum jam ad Montanum defecisset, catholicum alloquitur ludens in vetustatem illam catholicam. Vetus es, inquit, hoc sane fatemur, et ad vetera illa respicis, sed ut nobis inde exhibeas aliquem Esau venatorem ferarum, etc. Rig.

(e) *Statim totos primatus tuos vendes.* Ejus primatum dicit, cujus disciplina antedecebat tempore Montani disciplinam, ideoque supra dixit : *Et merito te priorem jactitas* Rig.

(f) *Agape in cacabis fervet.* Paull., l. XVIII. D instr. *nec multum refert inter cacabos et aenum, quod supra focum pendet : bis aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur.* Commentator Juvenalis cacabos bascaudas interpretatur ad satyr. XI, hoc est vasa in quibus calices lavabantur, nolim id optime dictum asserere. Est enim vas quod a Romanis miliarium dicebatur. Le Pr.

(g) *Duplex apud te præsidentibus honor binis partibus deputatur.* Binas partes intelligit ventrem et veretrum, hoc est, ingluviem et libidinem. Itaque episcopis apud Psychicos duplicem quidem honorem exhiberi ait, sed non ut fratribus et præpositis, quod Apostolus præceperit, verum ut gula et viro potentibus. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE PUDICITIA.

I. *Pudicitiæ amore Tertullianus in hæresim lapsus, libro hoc errorem Montani prosecutus de non recipiendis pœnitentibus, saltem mœchis et fornicatoribus; laude pudicitiæ præmissa, idipsum hujus libri argumentum paucis indicat (fassus, se retro, nempe cum librum de Pœnitentia scriberet, alterius fuisse sententiæ); maxime cum culmen criminum teneant mœchia et fornicatio.*

II. *Atque imprimis, Scripturis Scripturas opponens, inde colligere nititur, delicta quædam esse remissibilia, alia irremissibilia.*

III. *Non tamen propterea negligendam prorsus delictorum quorumdam pœnitentiam.*

IV. *Jam vero postquam docuit, mœchiæ et fornicationis nomine se comprehendere omnia libidinum delicta,*

V. *Mœchiam idololatriæ et homicidio comparari, ex Scripturis ostendit.*

VI. *Etsi vero in veteri Testamento extent exempla veniæ pro mœchis, inveniri etiam judicii; et aliam esse novi Testamenti rationem.*

VII. *Deinceps late disputat de parabola ovis et drachmæ perditæ.*

VIII. IX. *Item de duorum filiorum parabola.*

X. *Pœnitentiam enim etiam ethnicis competere.*

XI. *Exinde et facta Domini peccatoribus edita describit.*

XII. *Certe ab Apostolis cum idololatria et homicidio fornicationem interdici.*

XIII. XIV. *Porro et veniam fornicatori corinthio ab Apostolo concessam examinat.*

XV. XVI. *Afferens tam secundæ quam prioris ad Corinthios Epistolæ locos adversus fornicatores.*

XVII. *Item et similes aliarum apostoli Pauli Epistolarum sententias.*

XVIII. *Etiam tales, tum illius, tum veteris Testamenti, quæ communionem ecclesiasticam mœchis adimunt.*

XIX. *Similes quoque locos, ex Joannis apostoli et Apocalypsi, et Epistola.*

XX. *Ex Epistola deinde ad Hebræos olim (sententia ipsius) Barnabæ titulo, et Levitico, quasdam Scripturas affert, quamquam frustra pro suo instituto.*

XXI. *Atqui, non negans Apostolis competisse potestatem remittendi peccata, et proinde etiam Ecclesiæ, id suæ Ecclesiæ spirituali frustra arrogat.*

XXII. *Denique agit contra veniam criminum et pacem, quam martyres quidam mœchis donabant, negatoribus negabant.* PAM.

CAPUT PRIMUM.

Pudicitia flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis; quamquam rara, nec facile perfecta, vixque perpetua; tamen (*a*) aliquatenus in sæculo morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, censura compresserit. Siquidem omne animi bonum aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur. Sed ut mala magis vincunt, quod ultimorum temporum ratio est; bona jam nec nasci licet, ita corrupta sunt semina; nec erudiri, ita deserta sunt studia; nec cogi, ita exarmata sunt jura. Denique, de qua incipimus, eousque jam exolevit, ut non ejuratio, sed moderatio libidinum pudicitia credatur; isque satis castus habeatur, (*b*) qui minus castus fuerit. Sed viderit sæculi pudicitia (*c*) cum sæculo ipso, cum suo ingenio si nascebatur, cum suo studio si erudiebatur, cum suo servitio si cogebatur; nisi quod infelicior etiam, si stetisset, ut infructuosa, quæ non apud Deum egisset. Malim nullum bonum, quam vanum (*d*). Quid prodest esse, quod esse non prodest? Nostrorum bonorum status jam exigitur (1), christianæ pudicitiæ ratio concutitur: quæ omnia de cœlo trahit, et naturam per lavacrum regenerationis, et disciplinam per instrumentum prædicationis, et censuram per judicia ex utroque Testamento, et coacta constantius ex metu et voto æterni ignis et regni. Adversus hanc nonne (2) dissimulare potuissem? (*e*) Audio etiam edictum esse propositum, et quidem pe-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Mergitur *Oberth. Seml.*

(2) Nunc ne *Paris.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Aliquatenus in sæculo morabitur.* Habebat in mente principium satiræ Juvenalis :

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, visamque diu, etc. RIG.

(b) *Qui minus castus fuerit.* Fulvio Ursino legendum videbatur, *qui non nimis incestus.* Certe expeditior lectio fuerat, *qui nimis incestus.* RIG.

(c) *Sed viderit sæculi pudicitia.* De hac late habes tractatum *lib.* I *ad Uxorem*, lib. *de Exhortat. Castitatis*, et lib. *de Monogamia.* PAM.

(d) *Malim nullum bonum*, etc. Vanum hic dicit quod paulo ante *infructuosum.* Facit vero hoc, quod *pudicitiam sæculi bonum* vocet, contra eos qui omnia opera infidelium peccata faciant. PAM.

(e) *Audio etiam edictum esse propositum.* Si qua fuit edicti formula, eam fuisse his tantum verbis conceptam crediderim : *Episcopus episcoporum edicit : Ego et*

remptorium, Pontifex scilicet maximus (*a*), quod est (*b*) Episcopus Episcoporum, edicit : « Ego et mœchia et fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto (*c*). » O edictum, cui adscribi non poterit, Bonum factum (*d*) ! Et ubi proponetur liberalitas ista ? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmodi pœnitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur ; illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur. Sed hoc in Ecclesia legitur, et in Ecclesia pronuntiatur, et virgo est ? Absit, absit a sponsa Christi tale præconium. Illa quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, carebit etiam aurium maculis. Non habet quibus hoc repromittat ; et si habuerit, non repromittit : quoniam et terrenum Dei templum citius *spelunca latronum*, (*Matth.* XXI, 13), appellari potuit a Domino, quam mœchorum et fornicatorum. Erit igitur et hic *adversus Psychicos* (*e*) titulus, adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. Nunquam societatis repudium delicti præjudicium est, quasi non facilius sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur. (*f*) Atenim me non magis dedecorabit utilis (1) levitas, quam ornarit nocens. Non suffundor errore quo carui, quia caruisse delector, quia meliorem me et pudiciorem recognosco. Nemo proficiens erubescit. Habet et in Christo scientia ætates suas, per quas devolutus est et Apostolus. *Cum parvulus*, inquit, *essem*, *tanquam parvulus loquebar*, *tanquam parvulus sapiebam : at ubi vir sum factus*, *ea quæ parvuli fuerant*, *evacuavi* (I *Cor.* XIII, 11). Adeo divertit a sententiis pristinis, nec idcirco deliquit, quod *æmulator factus est*, non *paternarum traditionum* (*Gal.* I, 14), sed christianarum ; optans etiam ut præciderentur qui circumcisionem detinendam suadebant (*Gal.* V, 11, 12). Atque utinam et isti qui meram et veram integritatem carnis obtruncant, amputantes non summam superficiem, sed intimam effigiem pudoris ipsius, cum mœchis et fornicatoribus veniam pollicentur adversus principalem christiani nominis disciplinam, quam ipsum quoque sæculum usque adeo testatur, ut, si quando, eam in fœminis nostris inquinamentis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Inutilis *Rhen. Oberth.*

COMMENTARIUS.

mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. Illa autem, *Pontifex scilicet maximus*, addita esse videntur a Septimio, ut interpretationibus istis ambitionem et superbiam objiceret Catholicorum Episcopo, cujus cleri invidia et contumeliis offensus ad Montani dogma descivit, ut Hieronymus auctor est. Sic enim supra, magistrum quemdam apud Valentinianos insignem ridens, ait : *Ex pontificali sua auctoritate in hunc modum censuit*. Rig.

(a) *Pontifex scilicet maximus*, etc. Bene habet Septimius et annotatu dignum, quod etiam jam in hæresi constitutus, et adversus Ecclesiam scribens, Pontificem Romanum *Episcopum Episcoporum* nuncupet, et infra, cap. 13, *bonum pastorem et benedictum Papam*, et cap. 21, *apostolicum*, sicuti etiam supra annotavimus, de auctoritate agentes summi Pontificis, ad librum *de Præscriptionibus*, cap. 36..... Hic vero..... adjiciemus, non solum privilegiis ornatam fuisse Romanam sedem a Fl. Constantino imperatore, sed etiam sceptro et diademate imperatorio, imo et Urbe et ditionibus Italiæ amplissimis, uti ex edicto donationis Constantini, a B. Isidoro edito, constat, quod hodie exstat in tomis Conciliorum. Quod etiam authenticum esse (quamquam perperam multi in dubium vocent, etiam qui catholici haberi volunt), patet tum ex concilio romano sub Sylvestro Papa, can. I, ex synodo II Nicææ, generali VII, ubi, ob confirmationem imaginum in Ecclesia primitiva usitatarum, citantur ex actis ejusdem donationis imagines SS. Petri et Pauli, Constantino a Sylvestro ostensæ.... Si enim pars actorum citetur, etiam reliquorum iisdem contentorum fides probatur. Eodem pertinent quæ (ex iisdem actis haud dubie deprompta) tradunt B. Gregorius Turonensis *Hist.* lib. II ; Beda, in *Chronicis* ad annum mundi 4288 ; Adrianus Papa, *Epistola* ad Constantinum et Irenem ; Nicephorus, lib. VII, cap. 33, et B. Thomas, *Summæ* suæ part. III, quæst. 6, argum. 4, de curata lepra Constantini : quæque de baptismo ejusdem per beatum Sylvestrum Papam, scribunt, præter prædictos, dictæ duæ synodi, Damascus in Pontificali Liberii acta, cap. 6 ; Nicephorus, lib. VII, cap. 35, et lib. VIII, cap. 3 et 54 ; Marianus Scotus, in Chronico, et B. Thomas loco jam cit., utpote quæ iisdem Actis continentur.... Quid ? quod Ammianus Marcellinus, lib. XXVII, jam temporibus Damasi splendorem Romanorum Pontificum eumdem quem illa Acta describat ; et Laonicus Chalcondylas.... lib. *de Gestis Turcarum*.... insuper Suo lib. IV *de Dignitate et Privilegiis Romanæ Ecclesiæ.. ;* Gratianus, dist. 46, cap. *Constantinus*, et 12, qu. 1, cap. *Futurum* ;... Balsamon *in Photii Nomocanonem*, tit. VIII, de Parochiis :... Vincentius Bellovacensis, *hist.* suæ lib. XIII, cap. 51, 55, 56.... Quidquid itaque alii tradunt historici de munificentia erga romanam sedem Justiniani, Theodorici regis Longobardorum, Pipini, Caroli Magni, Othonis, Radulphi Habsburgii, aliorumque imperatorum, debet similiter intelligi de restitutione urbis Romæ, Ravennæ aliarumque Italiæ civitatum, per apostatam Julianum, Arianos et exarchos Ravennates, quantum apparet, occupatarum et ereptarum. Pam.

(b) *Episcopus Episcoporum*. Sic Ruffinus Jacobum Justum constitutum fuisse Apostolorum episcopum dicit, quem, apud Eusebium Hist. II, cap. 1, Clemens ἐπίσκοπον ἐπισκόπων dixerat. De Episcopo Episcoporum pervulgatus est Cypriani locus, in Præfatione Concilii Carthag. Rig.

(c) *Ego et mœchiæ et fornicationis*. etc. Cum tantopere hoc edictum elevet Auctor, mirum in modum hallucinari patet, vel ex apostolo Joanne, *Apoc.* II, 20 22, ubi de Jesabel, quæ docebat fornicari... dicitur : *Et dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret.... Et qui mœchantur cum ea*, *in tribulatione maxima erunt*, *nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint*. Quod ipse Auctor adhuc catholicus expressit... lib. de *Pœnitentia*, cap. 8 ; et post eum, B. Pacianus, epist. I, ad Sympron. novat. Eodem pertinet quod B. Cyprianus (dicit in) Epist. Antonian. Pam.

(d) *Bonum factum*. Hanc phrasin sic explicat Turnebus, *Adversor.* lib. III, cap. 12, quod veteres boni ominis caussa *bonum factum* præfari solebant in edictis, ex illo Plauti in *Penulo*.

Bonum factum est edicta ut servet mea. Pam.

(e) *Erit igitur et hic* Adversus Psychicos *titulus*. Cum hic indicet adhuc alterius tituli librum *Adversus Psychicos* a se editum, patet posterius scriptum hunc præcedenti libro, ad quem hic haud dubie alludit. Pam.

(f) *At enim me non magis dedecorabit utilis levitas*

potius carnis quam tormentis punire contendat, id volens eripere quod vitæ anteponant! Sed jam hæc gloria extinguitur, et quidem per eos quos tanto constantius oportuerat ejusmodi maculis nullam subscribere veniam, quanto propterea quotiens volunt, nubunt (1), ne mœchiæ et fornicationi succidere cogantur: quoniam *melius est nubere quam uri* (I *Cor.* VII, 9). Nimirum, propter continentiam incontinentia necessaria est, incendium ignibus exstinguetur. Cur ergo et crimina postmodum indulgent pœnitentiæ nomine, quorum remedia præstituunt multinubentiæ jure? Nam et remedia vacabunt, cum crimina indulgentur; et crimina manebunt, si remedia vacabunt. Itaque utrobique de sollicitudine et negligentia ludunt, præcavendo vanissime quibus parcunt, et parcendo ineptissime quibus præcaverunt; cum aut præcavendum non sit, ubi parcitur; aut parcendum non sit, ubi præcavetur. Præcavent enim, quasi nolint admitti tale quid; indulgent autem, quasi velint admitti; quando si admitti nolint, non debeant indulgere; si indulgere velint, non debeant præcavere. Nec enim mœchia et fornicatio de modicis et (*a*) de maximis (2) delictis deputabuntur, ut utrumque competat, et sollicitudo quæ præcavet, et securitas quæ indulget. Sed cum ea sint quæ culmen criminum teneant, non capit et indulgeri quasi modica, et præcaveri quasi maxima. Nobis autem maxima aut summa sic quoque præcaventur, dum nec secundas quidem post fidem nuptias permittitur nosse, nuptialibus et dotalibus si forte tabulis a mœchiæ et fornicationis opere diversas. Et ideo durissime nos infamantes Paracletum disciplinæ enormitate digamos foris sistimus, eumdem limitem liminis mœchis quoque et fornicatoribus figimus, (*b*) jejunas pacis lacrymas profusuris, nec amplius ab Ecclesia quam publicationem dedecoris relaturis.

CAPUT II.

Cæterum, Deus, inquiunt, bonus et optimus, *et misericors et miserator* (*Psal.* CXI, 4), *et misericordiæ plurimus* (*Joel* II, 13), quam omni sacrificio anteponit (I *Reg.* XV, 22; *Ose.* VI, 6; *Matth.* IX, 13, XII, 7); non tanti ducens *peccatoris mortem, quam pœnitentiam* (*Ezech.* XVIII, 23, 32, XXIII, 11) *salvificator* (3) *omnium hominum, et maxime fidelium* (I *Tim.* IV, 10). Itaque et filios Dei misericordes et pacificos esse oportebit (*Matth.* V, 9, 7), *donantes invicem, sicut et Christus donavit nobis* (*Coloss.* III, 13); non judicantes, ne judicemur (*Matth.* VII, 1). *Domino* enim *suo stat quis vel cadit: tu quis es, ut servum judices alienum?* (*Rom.* XIV, 4). *Dimitte, et dimittetur tibi* (*Luc.* VI, 37) (c) Talia et tanta futilia eorum quibus et Deo adulantur, et sibi lenocinantur, effœminantia magis quam vigorantia disciplinam, quantis et nos et contrariis possumus repercutere, quæ et Dei severitatem intentent, et nostram constantiam provocent? Quia, etsi bonus natura Deus, tamen et justus (*Psal.* VII, 12). Ex causa enim, sicut sanare novit, ita et cædere (*Deut.* XXXII, 39), faciens pacem, sed et condens mala (*Is* XLV, 7), pœnitentiam malens (*Ezech.* XVIII, 23, 32), sed et Hieremiæ mandans, ne pro populo peccatore deprecaretur: *Quoniam si jejunaverint*, inquit, *non exaudiam obsecrationem eorum;* et rursus: *Et tu ne adoraveris pro populo, et ne postulaveris pro his in prece et oratione, quoniam non exaudiam in tempore quo invocaverint me, in tempore afflictionis suæ* (*Jer.* VII, 16, XI, 14, XIV, 11, 12). Et adhuc supra, idem misericordiæ prælator quam sacrificii: *Et tu ne adoraveris pro populo isto;* et, *Ne postulaveris misericordiam consequi eos.* Et, *Ne accesseris pro his ad me, quoniam non exaudiam utique misericordiam postulantes* (*Ibid.*), utique ex pœnitentia flentes et jejunantes, et afflictationem suam offerentes Deo. *Deus enim zelotes* (*Exod.* X, 5, XXXIV, 14), (*d*) et qui naso non deridetur (*Galat.* VI, 7), adulantium scilicet boni ati ejus. Et qui licet patiens (*Psal.* VII, 12), tamen per Esaiam comminetur patientiæ finem: *Tacui, numquid et semper tacebo, et sustinebo? quievi, velut parturiens; exsurgam, et arcscere faciam* (*Isa.* XLII, 14, 15). *Iguis* enim *præcedet ante faciem ipsius, et exuret inimicos ejus* (*Psal.* XCVI, 3), non solum corpus, verum et animas occidens in gehennam (*Matth.* X, 28). Cæterum, judicantibus quomodo Dominus comminetur, ipse demonstrat: *Quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* (*Matth.* VII, 2). Ita non prohibuit judicare, sed docuit. Unde et Apostolus judicat, et quidem in causa fornicationis, dedendum *ejusmodi hominem Satanæ in interitum carnis* (I *Cor.* V, 3), increpans etiam quod fratres non apud sanctos judicarentur (I *Cor.* VI, 1, *sqq.*). Adjiciens enim inquit: *Ut quid mihi eos qui foris sunt, judicare?* (I *Cor.* V, 12.) Dimittis autem, ut dimittatur tibi a Deo (*Luc.* VI, 37). Delicta mundantur, quæ quis in fratrem, non Deum admiserit. Debitoribus denique dimissuros nos in oratione profitemur (*Matth.* VI, 12). Sed non decet ultra de auctoritate Scripturarum ejusmodi funem contentiosum alterno

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nubant *Oberth. Seml.*
(2) Mediis *Jun.*
(3) Salutificator *Fran.*

COMMENTARIUS.

quam ornavit nocens. Ut nemini gloriosa est levitas quæ secum adfert calamitates et damna, sic etiam nemini probrosa est levitas, ex qua sequitur utilitas ingens et honesta. Rig.

(a) *De maximis delictis*, etc. Modica delicta sunt quæ facile a Deo condonantur, maxima quæ difficulter, qualis est mœchia. Le Pr.

(b) *Jejunas pacis lacrymas.* Absque pacis spe. Sic *Jejunantes philosophia. Jejunantibus cæteris a salute.* Rig.

CAP. II. — (c) *Talia et tanta futilia eorum.* Sic edidit Rhenanus. Sed quo ore Septimius futilia diceret, quæ sunt ex sacris paginis petita? etsi, ut ipse sentiebat, in pravas argumentationes detorta. Itaque malim quod ex Anglicano cod. protulerat Pamelius, *sparsilia.* Nam et in Remensi, *sparsilia* legi Pithœus notaverat. Rig.

(d) *Et qui naso non deridetur.* Sic reddidit Pauli verbum ad Gal. VI. οὐ μυκτηρίζεται. Hesychius, Μυκτηρίζῃ, χλευάζῃ, καταγελᾷ ὑπὸ τοῦ μυζὸν τοῖς μυκτῆρσι. Rig.

ductu in diversa distendere, ut hæc restringere frænos disciplinæ, illa laxare videantur, quasi incertæ, et (1) pœnitentiæ subsidium illa prosternere per lenitatem, hæc negare per austeritatem. Porro et auctoritas Scripturæ in suis terminis stabit sine alterutra oppositione, si (2) et pœnitentiæ subsidium suis conditionibus determinatur sine passiva concessione, et ipsæ prius causæ ejus distinguantur sine confusa propositione (3). Causa pœnitentiæ delicta condicimus. Hæc dividimus in duos exitus : alia erunt remissibilia, alia irremissibilia; secundum quod nemini dubium est, alia castigationem mereri, alia damnationem. Omne delictum aut venia expungit, aut pœna : venia, ex castigatione; pœna, ex damnatione. De ista differentia jam et quasdam præmisimus altercationes Scripturarum, hinc retinentium, hinc dimittentium delicta. Sed et Joannes docebit : *Si quis scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postulabit, et dabitur vita ei* (1 *Joh.* V, 16); quia non ad mortem delinquit : hoc erit remissibile. *Est delictum ad mortem : non pro illo dico ut quis postulet* (*Ibid.*): hoc erit irremissibile. Ita, ubi est conditio vel ratio postulationis, illic etiam remissionis : ubi nec postulationis, ibi æque nec remissionis. Secundum hanc differentiam delictorum, pœnitentiæ quoque conditio discriminatur. Alia erit quæ veniam consequi possit, in delicto scilicet remissibili; alia quæ consequi nullo modo possit, in delicto scilicet irremissibili. Et superest specialiter de mœchiæ et fornicationis statu examinare, in quam delictorum partem debeant redigi.

CAPUT III.

Sed prius decidam intercedentem ex diverso responsionem ad eam pœnitentiæ speciem, quam cummaxime (*a*) definimus venia carere. Si enim, inquiunt, aliqua pœnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur pœnitentia, si caret venia. (*b*) Omnis autem pœnitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur; quia non erit agenda, si frustra agitur. Porro, frustra agetur, si venia carebit. Merito (4) utique (5) ita opponunt, quoniam hujus quoque pœnitentiæ fructum, id est veniam, in sua potestate usurpaverunt. Quantum enim ad illos a quibus pacem humanam consequitur (6); quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere (*c*) et utique mortalia, non frustra agetur. Ad Dominum enim remissa et illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam a solo Deo exorat (*d*), quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quod Ecclesiæ mavult erubescere quam communicare. Adsistit enim pro foribus ejus, et de notæ suæ exemplo cæteros admonet, et lacrymas fratrum sibi quoque advocat, et redit plus utique (7) negotiata, compassionem scilicet (8) quam communicationem. Et si pacem hic non metit, apud Dominum seminat : nec amittit, sed præparat fructum : non vacabit ab emolumento, si non vacaverit ab officio. Ita nec pœnitentia hujusmodi vana, nec disciplina ejusmodi dura est. Deum ambæ honorant; illa nihil sibi blandiendo facilius impetrabit, ista nihil sibi adsumendo plenius adjuvabit.

CAPUT IV.

Possumus igitur, demandata pœnitentiæ distinctione, ad ipsorum jam delictorum regredi censum, an ea sint quæ veniam ab omnibus consequi possint. In primis, quod mœchiam et fornicationem nominamus, usus expostulat : (*e*) habet et fides quorumdam nominum familiaritatem; ita in omni opusculo usum custodimus. Cæterum, si adulterium et si stuprum dixero (*f*), unum erit contaminatæ carnis elogium. Nec enim interest nuptam alienam an viduam quis incurset, dum non suam fœminam (9) : sicut nec locis refert, in cubiculis an in curribus (10) pudicitia trucidetur. Omne homicidium extra sylvam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *abest a Rhen. Oberth. Pam.*
(2) Si *abest a Rhen. Oberth.*
(3) Præpositione *Oberth. Seml.*
(4) Si venia carebit merito utique *Wouw. cod.*
(5) Utique *abest a Rhen. Seml. Oberth.*
(6) Frustra agitur *addit Ciacc.*
(7) Plusque *Pam.*
(8) Precibusque negotiata, compassionem elicit. *Lat.*
(9) *Ab* alienam *ad* fœminam *delet Ciacc.*
(10) Turribus *Lat. Rig. Ciac.*

COMMENTARIUS.

CAP. III. — (a) *Definimus venia carere.* De *Pœnit.* cap. 4 cum adhuc catholicus, in ea non erat sententia : *Omnibus ergo delictis,* inquit, *seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit.* Omnium enim peccatorum quantumvis gravium per pœnitentiam fit remissio, ut docent SS. Patres contra Novatianos. Le Pa.

(b) *Omnis autem pœnitentia agenda est.* Legendum videtur, *Omni autem pœnitentia agenda est.* Rig.

(c) *Qui solum Dominum meminimus delicta concedere.* Alludit ad illud Marc. II, 7, *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus...;* verum de hoc latius infra. Pam.

(d) *Quod eam a solo Deo exorat, etc.* Contra hoc... latius etiam infra, cap. 21. Hic solum dicemus quod videatur idem sensisse Auctor, quod de Novatiano scribit beatus Cyprianus (*epist.* 52 *ad Antonian.*). Atque adeo posset ipsi responderi verbis ejusdem : O frustrandæ fraternitatis irrisio! O miserorum lamentantium caduca deceptio! o hæreticæ institutionis inefficax et vana traditio! hortari ad satisfactionis pœnitentiam, et subtrahere de satisfactione medicinam! dicere fratri : plange, et lacrymas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo et purgando delicto frequenter et largiter operare; sed extra Ecclesiam, post omnia ista, morieris; quæcumque ad pacem pertinent facias, sed nullam pacem quam quæris, accipies. Etenim præmittit hic *actus publicos, pœnitentiæ* eosdem quos lib. *de Pœnit.* cap. 9; et tamen vult *a solo Deo exorari veniam,* non vero *Ecclesiæ communicare.* Et vero valde incerta est venia, et proinde (quantumvis id neget) pœnitentia vana, si quis a solo Deo veniam exspectare debeat. Pam.

CAP. IV. — (e) *Habet et fides quorumdam nominum familiaritatem.* Fidem hic dicit quam alias sectam, philosophiam, disciplinam, religionem, scilicet christianam. Supra dixit, *Habet et in Christo scientia ætates suas.* Rig.

(f) *Si adulterium, et si stuprum dixero,* etc. De adulterio idipsum docuit, *de Monogamia* lib. cap. 9; de stupro, lib. *de Exhortat.* cap. 9 : quod ipsum fre-

latrocinium est : ita et ubicumque, vel in quamcumque semetipsum adulterat et stuprat. qui aliter quam nuptiis utitur. Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est non prius apud Ecclesiam professæ (*a*) juxta mœchiam et fornicationem judicari periclitantur. Nec inde (1) consertæ obtentu matrimonii crimen eludant. Reliquas autem libidinum (*b*) furias impias et in corpora et in sexus ultra jura naturæ non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus; quia non sunt delicta, sed monstra.

CAPUT V.

Ergo mœchia, quod etiam fornicationis est res, secundum opus criminis quanti æstimanda sit sceleris (*c*) prima lex Dei præsto est. Siquidem post interdictam alienorum deorum superstitionem, ipsorumque idolorum fabricationem; post commendatam sabbati venerationem; post imperatam in parentes secundam a Deo religionem, nullum aliud in (*d*) talibus titulis firmandis monendisque substruxit præceptum, quam : *Non mœchaberis* (*Exod.* XX, 14). Post spiritalem enim castitatem sanctitatemque, corporalis sequebatur integritas. Et hanc itaque munivit, hostem statim ejus prohibendo mœchiam. Quale delictum jam intellige, cujus cohibitionem post idololatriæ (2) ordinavit. Nihil secundum longinquat a primo ; nihil tam proximum primo, quam secundum : quod fit ex primo aliud, quodammodo primum est. Itaque mœchia adfinis idololatriæ ; nam et idololatria mœchiæ nomine et fornicationis sæpe populo exprobrata (*Jer.* III, 1, *sq.*; *Ezech.* XVI, 15, *sq*), etiam sorte conjungetur illi, sicut et serie ; etiam damnatione cohærebit illi, sicut et dispositione. Eo amplius præmittens : *Non mœchaberis;* adjungit : *Non occides:* oneravit utique mœchiam, quam homicidio anteponit. In prima itaque (3) fronte sanctissimæ legis, in primis titulis cœlestis edicti, principalium utique delictorum proscriptione signata (4), de loco modum, de ordine statum, de confinio meritum cujusque dignoscas. Est et mali dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum collocatur. Pompam quamdam atque suggestum adspicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii insequentis. Inter duos apices facinorum eminentissimos sine dubio digna consedit, et per medium eorum, quasi vacantem locum pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus inclusam, talibus costis circumfultam, a cohærentium corpore divellet de vicinorum criminum nexu, de propinquorum scelerum complexu, ut solam eam secernat ad pœnitentiæ fructum ? Nonne hinc idololatria, inde homicidium, detinebunt ? et si qua vox (5) fuerit, reclamabunt : Noster hic cuneus est, nostra compago ? Ab idololatria metamur, illa distinguente conjungimur, illi de medio emicanti adunamur (6) ; concorporavit nos Scriptura divina, literæ ipsæ glutina nostra sunt, jam nec ipsa sine nobis potest. Ego quidem Idololatria sæpissime mœchiæ occasionem subministro. Sciunt luci mei et mei montes, et vivæ aquæ, ipsaque in urbibus templa, quantum evertendæ pudicitiæ procuremus (7). Ego quoque Homicidium nonnunquam mœchiæ elaboro. Ut tragœdias omittam (*e*) sciunt hodie venenarii, sciunt magi, (8) quot pellicatus ulciscar (*f*) quot rivalitates defendam, quot custodes, quot delatores, quot conscios auferam.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Periclitabitur, ne inde *Lat.*
(2) Idololatriam *Pam. Rhen. Oberth. Leop.*
(3) Ubique *Ms. angl.* utique *Rig.*
(4) Signatam. De loco *Oberth. Semi.*
(5) Vis *Ciacc.*
(6) Adulamur *Pam. Rhen. Oberth.*
(7) Procurem *Ciacc.*
(8) Quod *Fran. et in seqq.*

COMMENTARIUS.

quenter usurpat, non modo pro *mœchia*, sed et pro *fornicatione*... malim autem legere : *Omne homicidium intra sylvam*, pro *extra* ; sed nolui in contextu quid immutare. Pam.

(a) *Non prius apud Ecclesiam professæ.* Oblatis Ecclesiæ per presbyteros fidelibus conjugandis, ut communibus votis conjugio benedicere ur. Hoc enim significat in fine libri II *ad Uxorem*, cum ait : *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio ?* Dum *occultas conjunctiones* interpretatur *non prius apud Ecclesiam professas*, mirum in modum confirmat decretum concilii Tridentini de irritis talibus conjunctionibus, eo quod de illis subjicit : « Juxta mœchiam et fornicationem judicari periclitantur. Nec inde consertæ obtentu matrimonii crimen eludant. Pam. Sess. 24, *de sacram. Matrim*, cap. 1. Rig.

(b) *Reliquas autem libidinum furias impias*, etc. Eleganter distinguit inter *limine Ecclesiæ submovere*, et *omni tecto Ecclesiæ submovere ;* ac si velit fornicatores et adulteros admissos ad limen Ecclesiæ, uti cap. præced. inter pœnitentes (quamquam frustra, si veniam Ecclesia dare non possit, ut perperam adseruit) ; at monstrorum illorum reos neque ibi admissos, sed prorsus exclusos fuisse. Et vero etiam hinc confirmatur vetustas excommunicationis ecclesiasticæ; de qua supra..., *Apolog* cap. 39, et alibi non semel : ad quam iterum alluditur infra, cap. 7, illis verbis : « Ob tale quid extra gregem datus est » ac « de Ecclesia expellitur. » Plura vide cap. 14. Pam.

CAP. V. — (c) *Prima lex Dei præsto est.* Prima lex Dei per Mosem tradita, secunda per Christum. Alias primam seu primordialem Dei legem in principio mundi Adæ et Evæ datam fuisse ait, lib. *adversus Judæos.* Itaque convenientius interpretabimur : *Prima lex Dei præsto est*, hoc est, ante omnia occurrit lex Dei. Rig.

(d) *Talibus titulis firmandis monendisque.* Hoc in opere Septimiano prætentamus iter manibus, destituti veterum exemplarium luce. Aptius certe videatur, *Talibus titulis firmandis muniendisque.* Etenim post paulo sequitur, *Et hanc itaque munivit.* Titulos vocat, legis divinæ capita; eodemque significatu supra, *damnationis titulos* dixit. Rig.

(e) *Sciunt hodie venenarii, sciunt magi.* Magos a venenariis distinguere vix poteris; nam venenarii seu venelici, cum magis, chaldæis, genethliacis, thessalisque olim confundebantur, qui alios pharmacis malisque lædebant artibus, suisque incantationibus vitam etiam aliquando eripiebant. Apuleius in apol. *Amatricem eam, me magum et veneficum clamitaret, multis audientibus.* Le Pr.

(f) *Quot rivalitates defendam.* Etenim plerique amatores, amatas suas ab rivalibus defendunt homicidio, rivalibus vario mortis genere exinctis. Rig.

Sciunt etiam obstetrices, quot adulteri conceptus trucidentur. Etiam apud Christianos non est mœchia sine nobis : ibidem sunt idololatriæ, ubi immundi spiritus res est; ibidem est et homicidium, ubi homo, cum inquinatur, occiditur Igitur, aut nec illis, aut etiam nobis pœnitentiæ subsidia convenient. Aut detinemus eam, aut sequimur. Hæc ipsæ res loquuntur. Si res voce deficiunt, adsistit idololatres, adsistit homicida, in medio eorum adsistit et mœchus, pariter de pœnitentiæ officio sedent, in sacco et cinere inhorrescunt, eodem flatu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eamdem invocant matrem. (*a*) Quid agis, mollissima et humanissima disciplina? aut omnibus eis hoc esse debebis : *beati* enim *pacifici* (*Matth.* V, 6); aut, si non omnibus, nostra esse. (*b*) Idololatram quidem et homicidam semel damnas, mœchum vero de medio excipis, idololatriæ successorem, homicidæ antecessorem, utriusque collegam? Personæ acceptatio est, miserabiliores pœnitentias reliquisti.

CAPUT VI.

Plane, si ostendas de quibus patrociniis exemplorum, præceptorumque cœlestium, soli mœchiæ, et in ea fornicationi quoque, januam pœnitentiæ expandas, ad hanc jam lineam dimicabit nostra congressio Præscribam tamen tibi formam necesse est, ne ad vetera manum emittas, ne in terga respicias. *Vetera* enim *transierunt*, secundum Esaiam (*Isa.* XLIII, 18, 19), et *nova est jam novatio* secundum Hieremiam (*Jer.* IV, 3); et *obliti posteriorum, in priora porrigimur*, secundum Apostolum (*Philip.* III, 13); et *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*, secundum Dominum (*Matth.* XI, 13) : nam, et si cum maxime a lege cœpimus demonstrando mœchiam, merito ab eo statu legis, quem Christus non dissolvit, sed implevit (*Matth.* V, 17). Onera enim legis usque ad Joannem, non remedia; operum juga rejecta sunt, non disciplinarum : libertas in Christo non fecit innocentiæ injuriam. Manet lex tota pictatis, sanctitatis, humanitatis, veritatis, castitatis, justitiæ, misericordiæ, benevolentiæ, pudicitiæ. In qua lege *beatus vir qui meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I, 1). De qua idem David rursus : *Lex Domini invituperabilis, convertens animas; jura Domini directa, oblectantia corda; præceptum Domini longe lucens, inluminans oculos* (*Psal.* XVIII, 8 *et sqq.*). Sic et Apostolus : *Itaque lex quidem sancta est, et præceptum sanctum et optimum;* (*Rom.* VII, 12), utique, *Non mœchaberis* (*Ex.* XX, 14). Sed et supra, *Legem ergo evacuamus per fidem? Absit, sed legem sistimus* (*Rom.* III, 31), scilicet in his quæ et nunc novo Testamento interdicta etiam cumulatiore præcepto prohibentur. Pro *Non mœchaberis* : *Qui viderit ad concupiscentiam, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V, 27, 28); et pro *Non occides* : *Qui dixerit fratri suo racha, reus erit gehennæ* (*Id.* XXII). Quære an salva sit lex non mœchandi, cui accessit nec concupiscendi. Cæterum, si qua vobis exempla in sinum plaudent, non opponentur huic quam defendimus disciplinæ. Frustra enim lex suprastructa est, origines quoque delictorum, id est concupiscentias et voluntates, non minus quam facta condemnans, si ideo hodie concedetur mœchiæ venia, quia et aliquando (1) concessa est. Cur emolumento hodie pleniore disciplina coercetur, nisi ut majore forsitan lenocinio tuo indulgeatur? Dabis ergo et idololatriæ et omni apostatæ veniam, quia et populum ipsum totiens reum (*c*) istorum, totiens invenimus retro restitutum (*Judic.* III, *sqq.*). Communicabis et homicidæ; quia et Nabothæ sanguinem Achab deprecatione delevit (III *Reg.* XXI, 29); David Uriæ cædem, tum caussam ejus mœchiam (2) confessione purgavit (II *Reg.* XII, 13). Jam et incesta donabis, propter Loth (*Gen.* XIX, 33, 35); et fornicationes cum incesto, propter Judam (*Gen.* XXXVIII, 18), et turpes de prostitutione nuptias, propter Osee (*Ose.* I, 2, 3), et non tantum frequentatas, verum et semel plures propter patres nostros (*Gen.* XVI, 3, 4; XXIX, XXX). Utique enim dignum est peræquari nunc quoque gratiam circa omnia retro indulta, si de pristino aliquo exemplo venia mœchiæ vindicatur. Habemus quidem et nos ejusdem vetustatis exempla pro sententia nostra, non modo non indulti, verum etiam repræsentati judicii (*d*) fornicationis (*Gen.* XIX, 24, 28). Et utique sufficit tantum numerum viginti quatuor millium populi fornicantis in filias Moab una plaga ruisse (*Num.* XXV, 1, *sqq.*). Sed malo in gloriam Christi a Christo deducere disciplinam. Habuerint pristina tempora (*e*) omnis impudicitiæ, si volunt Psychici, etiam potestatem; luserit ante Christum caro, imo perierit antequam a Domino suo requisita est; nondum erat digna dono salutis, nondum apta officio sanctitatis. Adhuc in Adam deputabatur cum suo vitio, facile quod speciosum viderat concupiscens, et ad inferiora respiciens, et de ficulneis foliis pruriginem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliqua *Pam. Rhen. Oberth.*

(2) Cum causa ejus mœchia *Rhen. Pam. Oberth. Leop.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quid agis mollissima et humanissima disciplina.* Sic alibi dicit, *laxissimæ disciplinæ campum.* Ut contrario sensu Augustinus lib. *de Fide et operibus* : *Antiquum et robustum morem.* Ric

(b) *Idololatram quidem et homicidam semel damnas.* Ipse infra : *Neque idololatriæ, neque sanguini pax ab Ecclesiis redditur.* Ric. — Hic calumniatur auctor in orthodoxos, tanquam si idololatriam et homicidam ad pœnitentiam non admitterent. Pam.

CAP. VI. — (c) *Populum ipsum totiens reum*, etc. Utut eludere nitatur auctor, certe et his ipsis ntuntur B. Cyprianus, B. Pacianus et B Hieron... uti pœnitentiam omnium peccatorum quantumvis gravium confirment adversus Novatianos; et ipse Auctor quoque exemplis Achab et David, lib. V *adversus Marcionem*, cap. 11. Pam.

(d) *Repræsentati judicii.* Accipitur hic *repræsentati* pro *ad præsentiam adducti.* Pam

(e) *Habuerint pristina tempora*, etc. Etiam hic orthodoxos calomniatur. Pam

retinens. (*a*) Inhærebat usquequaque libidinis virus, et jactæ (1) sordes non ablui (*t*) idoneæ, quod nec ipsæ adhuc aquæ laverant. At ubi sermo Dei desndit in carnem, ne nuptiis quidem resignatam (*b*), et *Sermo caro factus est* (*Jo.*, I, 14), ne nuptiis quidem resignanda ; quæ ad lignum, non incontinentiæ, sed tolerantiæ accederet ; quæ non dulce aliquid, sed amarum aliquid (3) inde gustaret ; quæ non ad inferos, sed ad cœlum pertineret ; quæ non lasciviæ frondibus, sed sanctimoniæ floribus præcingeretur ; quæ munditias suas aquis traderet (*c*) ; exinde caro quæcumque in Christo reliquas sordes pristinas solvit, alia jam res est, nova emergit jam, non ex seminis imo, non ex concupiscentiæ limo, sed ex aqua pura et spiritu mundo. Quid itaque illam de pristino excusas ? Non (*d*) *corpus Christi*, non *membra Christi*, non *templum Dei* vocabatur (I *Cor.*, XII, 27; VI, 15, 19 ; II *Cor.*, VI, 16), cum veniam mœchiæ consequebatur. Itaque, si exinde quo statum vertit, et in Christum tincta induit Christum (*Gal.*, III, 27), et magno redempta est (I *Cor.*, VI, 20), sanguine scilicet Domini et Agni (I *Petr.*, I, 19), tenes aliquod exemplum, sive præceptum, sive formam, sive sententiam indultæ sive indulgendæ fornicationis atque mœchiæ ; habes etiam temporis a nobis definitionem, ex quo deputetur ætas quæstionis.

CAPUT VII.

A parabolis licebit incipias, ubi est ovis perdita a Domino requisita, et humeris ejus revecta (*Luc.* XV, 4 *et seqq.*). Procedant ipsæ (*e*) picturæ calicum vestrorum, si vel in iis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne christiano an ethnico peccatori de restitutione conliniet. Præscribimus enim ex naturæ disciplina, ex lege auris et linguæ, ex mentis sanitate ea semper responderi, quæ provocantur, id est ad ea quæ provocant. Provocabat, ut opinor, quod Pharisæi publicanos et peccatores ethnicos admittentem Dominum, et cum illis de victu communicantem indignati mussitabant (*Matth.*, IX, 11). Ad hoc Dominus pecudis perditæ restitutionem cui alii configurasse credendus (4) est, quam ethnico perdito, de quo agebatur ; non de christiano, qui adhuc nemo ? aut quale est, ut Dominus quasi cavillator responsionis, omissa specie præsenti quam repercutere deberet, de futura laboret ? Sed ovis proprie Christianus, et grex Domini Ecclesiæ populus, et pastor bonus Christus (*Jo.*, X, 11, 14 *et seqq.*) : et ideo christianus in ove (5) intelligendus (6), qui ab Ecclesiæ grege erraverit. Ergo nihil ad Pharisæorum mussitationem reapondisse vis Dominum, sed ad tuam præsumptionem. Et tamen ita eam vindicare debebis ut neges in ethnicum competere, quæ in christianum existimas convenire. Dic mihi, nonne omne hominum genus unus Dei grex est ? nonne universarum gentium idem Deus et Dominus et pastor est ? quis magis perit a Deo, quam ethnicus quamdiu errat ? quis magis requiritur a Deo, quam ethnicus, quando revocatur a Christo ? Denique, antecedit hic ordo in ethnicis, siquidem non aliter christiani ex ethnicis fiunt, nisi prius perditi, et a Deo requisiti, et a Christo reportati. Ita etiam hunc ordinem servari oportet, ut in eos tale aliquid interpretemur, in quibus prius est. At tu, opinor, hoc velles (7), ut ovem non de grege perditam faceret, sed de arca vel de armario. Sic etsi ethnicorum reliquum numerum justum ait, non ideo Christianos esse ostendit cum Judæis agens, et illos cum maxime obtundens, quod indignarentur spei ethnicorum (*Matth.*, XXI, 43) ; sed ut exprimeret adversus livorem Pharisæorum suam gratiam et benevolentiam etiam circa unum ethnicorum, præposuit unius peccatoris salu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Lactæ (lacteæ) *Pam. aliique.*
(2) Non habentes *Wouw. cod.*
(3) Aliquid *delet Jun.*
(4) Credendus est. *Ita editi fere omnes.* Restitutionem cum figurasset, cui alii reddendum est *Rhen. Pam.*
(5) Homo *Wouw. cod.*
(6) Non intelligendus *Gelen. Pam.*
(7) Velis *Rhen. Oberth. Leop.*

COMMENTARIUS.

(a) *Inhærebat usquequaque libidinis virus, et jactæ sordes non ablui idoneæ.* De fractis ficulneis foliis existit quasi venereæ prurigînis virus. Hac vero prurigine, primos homines Adamum et Evam exarsisse innuit Septimius, statim atque impermissæ arboris fructu degustato, intellectæ nuditati contegendæ ficulnea folia carpsere : hæsisse autem pudendis ipsorum, atque inde posterum, lacteas sordes, libidinis maculas, nec ablui potuisse, priusquam advenisset Christus ; quia scilicet nec ipsæ aquæ adhuc laverant, nondum baptismo Christi medicatæ fuerant : itaque nondum erant idoneæ sordibus id genus eluendis. Rig. —Prorsus obscurum, imo mendosum est illud *et lacteæ sordes.* Pam.—*Jactæ sordes non ablui idoneæ.* Hæc scriptura est veterum exemplarium quæ vidit Ursinus. Antea lege batur, *et jactæ sortes non habentes idoneæ.* Unde et Ursini exemplaria fortean emendari sic possint, *et lacteæ sordes.* Alludit enim Septimius ad humorem qui de foliis ficulneis, sive, ut mox dicet, de lasciviæ frondibus exsudat. Rig.

(b) *Carnem ne nuptiis quidem resignatam.* Elegans est Tertulliani cum illud, *carnem ne nuptiis quidem resignatam*, de B. Mariæ carne virgine, quamquam nuptæ, et *ne nuptiis quidem resignanda*, de carne Christi virgine. Opponit autem Christi facta factis Evæ. Pam.

(c) *Quæ munditias suas aquis traderet.* Hoc idem est quod dixit supra alicubi lib. *de Baptismo*, *Christum baptismo suo aquas sanctificasse* ; ubi etiam late de materia baptismi *aqua pura.*

(d) *Non corpus Christi*, etc. Hoc ad calumniam pertinet. Pam.

CAP. VII. (e) — *Picturæ calicum vestrorum.* Eodem pertinet quod infra dicitur cap. 10, *pastor quem in calice depingit*, etc. Unde colligitur tunc temporis calices... non solum depingi solere figuris historiarum novi Testamenti (unde confirmatur usus imaginum in Ecclesia.....), sed etiam vitreos fuisse : hoc est enim, *frangi faciles* (cap. 10). Atque hoc ipsum est quod citari in nostris liturgiis latinorum de B. Zepherino ejus ætatis romano pontifice ex Damaso, Walafrido et Rodulpho Tungrensi, quod ille statutum fecerit ut omnia vasa ecclesiæ essent vitrea ; addit Martinus Polonus : aut stannea. Verumtamen, non multo post etiam argentea et aurea vasa in usu fuisse patet ibid. ex passione B. Laurentii, apud B. Ambrosium (*Offic.*, *lib.* II, *cap*, 18), qui passus est circiter uno mense ante B. Cyprianum, item ex Optato milevit. (lib. I *contra Parmen.*). Rursum autem *pecudis* nomen usurpat pro *ove*, idque non semel. Pam. — Per picturas intelligit figuras quæ in scriptura cali-

tem ex pœnitentia, quam illorum ex justitia. Aut numquid non justi Judæi, et quibus pœnitentia opus non esset, habentes gubernacula disciplinæ et timoris instrumenta Legem et Prophetas? Posuit igitur illos in parabola, et si non quales erant, sed quales esse debuerant, quo magis suffunderentur, aliis et non sibi pœnitentiam audientes necessariam. Proinde in drachmæ parabola (1), ut ex eadem materia provocata, æque ethnicum drachmam (2) interpretamur; etsi in domo amissam, quasi in Ecclesia; etsi ad lucernæ lumen repertam, quasi ad Dei verbum. Atquin totus hic mundus una omnium domus est, in quo magis in ethnico gratia Dei inlucet, qui in tenebris invenitur, quam christiano, qui jam in Dei luce est. Denique, et ovi et drachmæ unus error adscribitur. Nam si jam in christianum peccatorem defingerentur, post fidem perditam et iterata amissio eorum et restitutio notaretur. Decedam nunc paulisper de gradu isto, quo magis cum etiam decedendo commendem, cum sic quoque obduxero diversæ partis præsumptionem. Condico christianum jam peccatorem in parabola utraque portendi, non tamen ideo eum affirmandum, qui de facinore mœchiæ et fornicationis restitui per pœnitentiam possit. Licet enim periisse dicatur, erit et de perditionis genere retractare; quia et ovis non moriendo, sed errando, et drachma non intercundo, sed latitando perierunt. Ita, licet dici perisse quod salvum est. Perit igitur et fidelis elapsus (*a*) in spectaculum quadrigarii furoris, et gladiatorii cruoris, et scenicæ fœditatis, et xysticæ vanitatis, in lusus, in convivia sæcularis solemnitatis, in officium, in ministerium alienæ idololatriæ aliquas artes adhibuit curiositatis; in verbum ancipitis negationis (3) aut blasphemiæ impegit, ob tale quid extra gregem datus est, vel et ipse forte ira, tumore, æmulatione, quod denique sæpe fit, dedignatione castigationis abrupit, debet requiri atque revocari. Quod potest recuperari, non aperit, nisi (4) foris perseveraverit. Bene interpretaberis parabolam, viventem adhuc revocans peccatorum. Mœchum vero et fornicatorem, quis non mortuum statim admisso pronuntiavit? Quo ore mortuum restitues in gregem ex parabolæ ejus auctoritate, quæ non mortuum pecus revocat? Denique, si meministi prophetarum, cum pastores increpantur, puto Ezechielis est vox: *Pastores, ecce lac devoratis et lanis vestimini; quod forte est, occidistis; quod infirmum est, non curastis; quod comminutum est, non ligastis; quod expulsum est, non convertistis; quod periit, non requisistis* (*Ezech.*, XXXIV, 2, 3). Numquid et de mortuo exprobrat, quod non et illud in gregem rellcere curaverint? Plane ingerit quod perire oves fecerint, et a bestiis agri comedi. Neque possunt nec perire in mortem, nec comedi, si relinquantur, ut non perditæ in mortem et comestæ resumantur. Juxta drachmæ quoque exemplum; etiam intra domum Dei Ecclesiam, licet esse aliqua delicta pro ipsius drachmæ modulo ac pondere mediocria, quæ ibidem delitescentia mox ibidem et reperta, statim ibidem cum gaudio emendationis transigantur. Mœchiæ vero et fornicationis non drachma, sed talentum (*b*), quibus exquirendis, non lucernæ spiculi lumine (5), sed (*c*) totius solis lancea (6) opus est. Simul apparuit, statim homo de Ecclesia expellitur, nec illic manet, nec gaudium confert repertrici Ecclesiæ, sed luctum; nec congratulationem advocat vicinarum, sed contristationem proximarum fraternitatum. Commissa itaque etiam hac nostra cum illorum interpretatione, eo magis in ethnicum spectabunt et ovis et drachmæ argumenta, quanto nec in ejus delicti christianum competere possunt, propter quod in christianum de diversa parte coguntur.

CAPUT VIII.

Sed enim plerosque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem (*d*) in vestibus purpura oculandis sæpissime evenire est; cum putaveris recte conciliasse temperamenta colorum, et credideris comparationes eorum inter se animasse (7), erudito mox utroque corpore, et luminibus expressis, errorem omnem traducta diversitas evomet (*e*). Eadem itaque caligine circa filiorum quoque duorum (*f*) parabolam (*Luc.* XV, 11 *et seqq.*), quibusdam ad præsens

LECTIONES VARIANTES.

(1) Parabolam *Rhen. Oberth. abest.*
(2) Drachmam *abest a Rhen. et Oberth.*
(3) Negotiationis *Jun.*
(4) Non poterit, si foris *Rig. Par.*
(5) Lumine *delet Lat.*
(6) Lanceo *Pam.*
(7) Amasse *Fran.*

COMMENTARIUS.

cum usum et ritum significant. Quod enim affert Pamelius de calicibus vitreis, stanneis, aureis, argenteis ex decretis Pontificum, ad hunc locum minime pertinere existimo. Le Pa.

(a) *In spectaculum*, etc. De quatuor his generibus spectaculorum vide ad lib. de Spectac. *De artibus curiositatis in ministerium alienæ idololatriæ*; lib. de Idolol., c. 4, 5, 6, 7, 8 et 9, *de ancipiti negotiatione*, ibidem et *de verbo blasphemiæ, quando quis jurat per idola*, cap. 20 ac 29. Mirum autem esset quod auctor vehementia animi blasphemiam inter remissibilia proponeret, cum infra cap. 9, et rursum 13, inter *irremissibilia* collocet; quare necessario illud, *aut blasphemiæ*, prætermisimus. Pam.

(b) *Non drachma, sed talentum.* Etiamsi talentum esset, non animadvertit Auctor aliam parabolam regis qui dimisit servo suo decem millia talentum. (*Matth.* XVIII).

(c) *Totius solis lancea.* Radio. Lanceam tribuit soli, quam opponat lucernæ spiculo, quod a Julio Polluce dicitur esse σκίπις στρατιωτικόν. Rig. — Quæ sequuntur, pertinent, non ad pœnitentes peccatores, sed ad eos qui non agunt pœnitentiam; nisi forte de sua Montanistarum loquatur Ecclesia. Pam.

CAP. VIII. — (d) *In vestibus purpura oculandis.* Illuminandis. Sic de sole Plinius: *Hic reliqua sidera oculat.* Propriæ autem purpuræ splendor seu fulgor lumen dicitur. Fabius *Instit.* VIII: *Afferent lumen clavus et purpuræ loco insertæ.* Horatius (*de Arte Poet.*):

Purpureus late qui splendeat unus et alter.

Arrhianus *Epict.*, I, 2: Ἐγὼ δὲ πορφύρα εἶναι βούλομαι, τό δλιγον ἐκεῖνο, καὶ στιλπνὸν, καὶ τοῖς ἄλλοις αἴτιον τοῦ εὐπρεπῶς φαίνεσθαι καὶ καλά.

(e) *Errorem omnem traducta diversitas evomet.* Ostendet male conciliata fuisse colorum temperamenta. Lanas dicit evomere colores quales imbibere. Rig.

(f) *Circa filiorum quoque duorum parabolam.* In qua certe ipse potius Auctor *in caligine a vero lumine exor-*

concolorantibus figuris, a vero lumine exorbitant ejus comparationis quam parabolæ materia prætexit. Duos enim populos in duobus filiis collocant (*a*), Judaicum majorem, Christianum minorem. Nec enim possunt exinde Christianum peccatorem in filio minore disponere veniam consecuturum, nisi in majore judaicum expresserint. Porro, si Judaicum ostendero deficere a comparatione filii majoris, consequenter (1) utique nec Christianus admittetur ad configurationem filii minoris. Licet enim filius audiat et Judæus, et major, quia prior in adoptione (*Rom.*, IX, 29); licet et Christiano reconciliationem Dei Patris invideat, quod vel maxime diversa pars carpit, sed non erit Judæi dictum ad Patrem : *Ecce quot annis tibi servio, et præceptum tuum nunquam præterivi* (*Luc.* XV, 29). Quando enim non transgressor legis Judæus, aure audiens, et non audiens ; odio habens traducentem in portis (*b*), et aspernamento (2) sermonem sanctum ? Sic nec patris ad Judæum erit vox : *Tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt* (*Luc.* XV, 31). Judæi enim apostatæ filii pronuntiantur ; generati quidem, et in altum elati, sed qui non computaverint Dominum, et qui dereliquerint Dominum, et in iram provocaverint Sanctum Israelis (*Isa.*, I, 2, 4). Omnia plane Judæo concessa dicemus, (*c*) cui etiam conditio gratior quæque de gula erepta est, nedum ipsa terra paternæ promissionis. Atque adeo non minus hodie Judæus, quam minor filius prodacta substantia Dei in aliena regione mendicat, serviens usque adhuc principibus ejus, id est sæculi hujus. Quærant igitur alium Christiani suum fratrem ; Judæum enim parabola non recepit. Multo aptius Christianum majori, et Judæum minori filio adæquassent, secundum fidei comparationem, si ordo utriusque populi ab utero Rebeccæ designatus (*Gen.* XXV, 22 *seqq.*) permitteret demutationem, nisi quod et clausula refragaretur. Christianum enim de restitutione Judæi gaudere, et non dolere conveniet ; siquidem tota spes nostra cum reliqua Israelis exspectatione conjuncta est (*Rom.* XI). Ita etsi quædam faciant, sed aliis contra sapientibus interimitur exemplorum peræquatio. Quamquam (*d*) et si omnia ad speculum respondere possint, unum sit præcipuum periculum interpretationum, ne aliorsum temperetur felicitas comparationum, quam quo parabolæ cujusque materia mandavit. Meminimus enim et (*e*) histriones cum allegoricos gestus adcommodant canticis, alia longe a præsenti et fabula et scena et persona (*f*), et tamen congruentissime exprimentes. Sed viderit ingenium extraordinarium (*g*). Nihil enim ad Andromacham. Sic et hæretici (*h*) easdem parabolas quo volunt tribuunt (3), non quo debent aptissime excludunt (*i*). Quare aptissime ? Quoniam a primordio secundum occasiones parabolarum, ipsas materias confinxerunt doctrinarum : (*j*) vacavit (4) scilicet illis solutis a regula veritatis ea conquirere atque componere, quorum parabolæ videntur.

CAPUT IX.

Nos autem, quia non ex parabolis materias commentamur, sed ex materiis parabolas interpretamur, nec valde laboramus omnia in expositione torquere, dum contraria quæque caveamus. Quare centum oves (*Luc.* XV, 4)? et quid utique decem drachmæ ?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Consequetur *Semi. Leop.*
(2) Aspernas *Wouw. cod Leop.*
(3) Trahunt *Lat. Nenad.*
(4) Vacuit *Pam. Rhen. Oberth. Leop.*

COMMENTARIUS.

bitat : atque adeo etiam illi magis (sicut omnibus etiam hæreticis) competit elegans illa metaphora, quam orthodoxis ; maxime cum ipse libro *de Pœnit.* cap. 8, et lib. *de Patientia*, cap. 12, hanc parabolam ad pœnitentiæ confirmationem adduxerit ; sicut etiam B. Dionysius Areop. *epist.* 8 *ad Demophil.*, B. Hieron. *epist.* 46 *ad Damasum* ; Ambrosius lib. I *de Pœnit.* cap. 3 ; August. *Quæst. Evang.* lib. I cap. 33. Edd. *ex* Pam.

(a) *Duos enim populos in duobus filiis collocant*, etc. Nullum hactenus vidi veterum qui expresse *duos filios, Judaicum majorem, Christianum minorem*, interpretentur ; quare non est quod eam defendamus sententiam, sed potius illam quæ justos et pe catores intelligit. Pam.

(b) *Odio habens traducentem in portis.* Hoc etiam torquet in Psychicos, qui in persecutione fugiebant, aut sese data concussoribus pecunia redimebant. Sic enim libro *de Fuga* : *Cum das, utique ne tradaris voluisti. Non traditus autem, trăduci habebas. Ergo dum nolendo tradi non vis traduci, nolendo negasti quod te esse, traduci noluisti.* Rig.

(c) *Cui etiam conditio gratior quæque de gula erepta est.* Conditionem dicit edulia quæque a Deo creata et condita. Rig.

(d) *Et si omnia ad speculum respondere possint.* Speculum dicit imaginem, exemplum, parabolam. Sic libro *de Resur. carnis : Servi igitur exemplo, et conserva speculum ejus carni.* Rig.

(e) *Histriones allegoricos gestus adcommodant canticis.* Ut jam non sit opus præcone, qui priscis temporibus saltante pantomimo pronuntiabat populis Carthaginis quid saltator vellet intelligi. Augustinus lib. II *de Doctrina Christiana*, cap. 25. Et parabolæ quæ in sacris Scripturis occurrunt, allegoriæ sunt et allegorica argumenta. Augustinus in Psal. CIII : *Videte autem ne putetis nominata allegoria, pantomimi aliquid me dixisse*, etc. Rig.

(f) *Et fabula, et scena, et persona.* De his late, lib. *de Spectac.*, cap. 10, 17. Pam.

(g) *Sed viderit ingenium extraordinarium.* Ingenium dicere amat pro *machina*. Hic vero extraordinarium histrionis ingenium dicit, quod minime convenit christiano, quod est extra ordinem christianæ disciplinæ. Ideoque adjicit : « Nihil enim ad Andromacham. » Hoc est, nihil ad Christum, nihil ad Ecclesiam Christianam. Rig.

(h) *Sic et hæretici.* Non soli Psychici. Rig.

(i) *Non quo debent, aptissime excludunt.* Pulchrum et istud de Scripturarum expositione apud *hæreticos solutos a regula* veritatis : de quo latius lib. de *Præscript.* cap. 17. Est autem ibi ironia, *aptissime excludunt. Quare aptissime ? quoniam*, etc. Sic enim prorsus distinguendus ille locus. Et vero *excludunt* (metaphora sumpta a gallinis aut avibus quæ pullos dicuntur *excludere*) accipitur pro *enucleant, exponunt, interpretantur*... Atqui videtur mihi agere contra Marcum et Colorbasum hæreticos, qui Deum suum ex numeris conficiebant, et inter cætera (Irenæo teste, lib. I, cap. 13) ex drachma perdita et ove. Pam.

(j) *Vacavit scilicet illis solutis a regula veritatis*, etc. Hæreticos omnes hic cum Psychicis notat, non tantum Colorbasianos qui Deum suum ex numeris conficiebant, ut putat Pamelius. Le P.

et quæ illæ scopæ (*Ibid.* 8)? Necesse erat, qui unius peccatoris salutem gratissimam Deo volebat exprimere, aliquam numeri quantitatem nominaret, de quo unum quidem perisse describeret; necesse erat ut habitus requirentis drachmam in domo, tam scoparum quam lucernæ adminiculo adcommodaretur. Hujusmodi enim curiositates et suspecta faciunt quædam, et coactarum expositionum subtilitate plerumque deducunt a veritate. Sunt autem quæ et simpliciter posita sunt ad struendam et disponendam et texendam parabolam, ut illuc perducantur cui exemplum procuratur. Et duo utique filii illuc spectabunt, quo et drachma et ovis. Quibus enim cohærent, eamdem habent causam, eamdemque utique mussitationem Pharisæorum erga commercium Domini ethnicorum: aut, si quis dubitat ethnicos fuisse publicanos apud Judæam, usurpatam (*a*) jam pridem Pompeii manu atque Luculli (*Deut.* XXIII, 19), legat Deuteronomium: *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel.* (*b*) Nec tam execrabile esset nomen publicanorum apud Dominum, nisi extrancum vendentium ipsius cœli et terræ et maris transitus. Peccatores autem cum adjungit publicanis (*Luc.* XV, 2), non statim Judæos ostendit, etsi aliqui fuisse potuerunt. Sed unum genus ethnicorum alios ex officio peccatores, id est publicanos, alios ex natura, id est non publicanos pariter ponendo distinxit. Cæterum, nec denotaretur cum Judæis (*c*) communicans victum, sed cum ethnicis, quorum mensam judaica disciplina depellit. Nunc de filio prodigo id prius considerandum est quod utilius: non enim admittetur exemplorum adæquatio, licet imagini congruentissima, si fuerit saluti nocentissima. Totum autem statum salutis, in tenore disciplinæ constitutum, subverti videmus ea interpretatione quæ ex diverso affectatur. Nam, si christianus est qui acceptam a Deo patre substantiam, utique baptismatis, utique Spiritus Sancti, et exinde spei æternæ, longe evagatus a patre prodigit ethnice vivens, si exutus bonis mentis etiam principi sæculi (cui alii quam diabolo?) servitium suum tradidit, et ab eo porcis alendis, immundis scilicet spiritibus curandis, præpositus, resipuit ad patrem reverti; jam non mœchi et fornicarii, sed idololatræ et blasphemi et negatores, et omne apostatarum genus, hac parabola patri satisfacient. Et elisa est verissime (1) hoc magis modo tota substantia sacramenti (*d*). Quis enim timebit prodigere quod habebit postea recuperari? quis curabit perpetuo conservare quod non perpetuo poterit amittere? Securitas delicti etiam libido est ejus. Recuperabit igitur et apostata vestem priorem, indumentum Spiritus Sancti, et annulum denuo signaculum lavacri, et rursus illi mactabitur Christus (*Luc.* XV, 22, 23), et recumbet eo in throno de quo indigne vestiti a tortoribus solent tolli, et abjici in tenebras (*Matth.* XXII, 12, 13), nedum spoliati. Plus est igitur, si nec expedit in Christianum convenire ordinem filii prodigi. Quod si nec in Judæum integre filii imago concurrit, ad propositum Domini simpliciter interpretatio gubernabitur. Venerat Dominus utique, ut quod perierat, salvum faceret, medicus languentibus magis quam sanis necessarius (*Matth.* XVIII, 11, IX, 12; *Luc.* XXIX, 10, V, 31). Hoc et in parabolis figurabat, et in sententiis prædicabat. Quis perit hominum? quis labat de valetudine, nisi qui Deum neseit? quis salvus ac sanus, nisi qui Deum novit? Has duas species de genere fraternas hæc quoque signabit parabola. Vide an habeat ethnicus substantiam in Deo Patre census et sapientiæ et naturalis agnitionis in Deum; per quam et Apostolus notat in sapientia Dei non cognovisse mundum per sapientiam Deum (1 *Cor.* I, 21), quam utique a Deo acceperat. Hanc itaque prodegit longe a Domino moribus factus inter errores et illecebras et libidines sæculi, ubi fame veritatis compulsus, tradidit se principi hujus ævi. Ille eum præfecit porcis (ut familiare id dæmonum pecus pasceret), ubi nec ille compos esset vitalis escæ, simulque alios videret in opere divino abundantes pane cœlesti. Recordatur patris Dei, satisfacto redit, vestem pristinam recipit; statum scilicet cum quem Adam transgressus amiserat; annulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opinitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet. Hic erit prodigus filius, qui nunquam retro frugi; qui statim prodigus, quod non statim Christianus. Hunc et Pharisæi de sæculo ad patris complexus revertentem, in publicanis et peccatoribus mœrebant. Et ideo ad hoc solum majoris fratris accommodatus est livor; non quia innocentes et Deo obsequentes Judæi, sed quia invidentes nationibus salutem, plane quos semper apud patrem esse oportuerat. Et utique Judæus ad primam statim vocationem Christiani gemit, non ad secundam restitutionem: illa enim etiam ethnicis relucet, hæc vero quæ in Ecclesiis agitur, ne Judæis quidem nota est. Puto me et materiæ parabolarum, et congruentiæ rerum, et tutelæ disciplinarum accommodatiores interpretationes reddidisse. Cæterum, si in hoc gestit diversa pars ovem et drachmam, et filii luxuriam christiano peccatori configurare, ut mœchiam et fornicationem pœnitentia donent, aut et cætera delicta pariter capi-

A

B

C

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Verissime *abest a Rig.*

COMMENTARIUS.

Cap. IX. — (a) *De judæa usurpata.* Usurpata manu Pompeii, vid. Joseph. Antiquit., lib. XIV, cap. 8, et de *Bello judaico*, lib. I, cap. 5, atque Hegesip. de Excid. Hierosol. lib. I, cap. 14, 17. Pam.

(b) *Nec tam execrabile esset nomen publicanorum.* Belli nervos Septimius execratur, qui libro *de Corona*, militem christianum discinxit. Rig.

(c) *Nec denotaretur cum Judæis communicans*, etc. Etiam in hoc fallitur Auctor, quia denotatus fuit Dominus peccatricis tactum admittens (*Luc.* VII), cum etiam judæa esset, non ethnica. Pam.

(d) *Et elisa est tota substantia sacramenti.* De baptismo intelligitur. Pam.

talia concedi oportebit, aut paria quoque eorum mœchiam et fornicationem inconcessibilia servari. Sed plus est, quod nihil aliud argumentari licet citra id de quo agebatur. Denique, si aliorsum parabolas transducere liceret, ad martyrium potius dirigeremus spem illarum, quod solum omni substantia prodacta restituere filium poterit, et drachmam inter omnia, licet in stercore repertam, cum gaudio prædicabit, et ovem per aspera quæque et abrupta fugitivam humeris ipsius Domini in gregem referet. Sed malumus in Scripturis minus si forte sapere, quam contra. Proinde sensum Domini custodire debemus atque præceptum. Non est levior transgressio in interpretatione, quam in conversatione.

CAPUT X.

Excusso igitur jugo in ethnicum disserendi parabolas istas, et semel dispecta vel recepta necessitate non aliter interpretandi quam materia propositi est, contendunt jam nec competere ethnicis pœnitentiæ denuntiationem, quorum delicta obnoxia ei non sint, ignorantiæ scilicet imputanda, quam sola natura ream Deo faciat. Porro, nec remedia sapere, quibus pericula ipsa non sapiunt, illic autem pœnitentiæ constare rationem, ubi conscientia et voluntate delinquitur, ubi et culpa sapiat et gratia, illum lugere, illum voluntari qui sciat et quid amiserit et quid sit recuperaturus, si pœnitentiam Deo immolarit, utique eam magis filiis offerenti, quam extraneis. Num (1) ergo et Jonas (*Jon.* III, 4) idcirco ethnicis Ninivitis non putabat pœnitentiam necessariam, cum cavillaretur in prædicationis officio? an potius misericordiam Dei providens etiam in extraneos profusam, quasi destructuram præconium, verebatur? atque adeo propter civitatem profanam nondum Dei compotem, adhuc ignorantia delinquentem, pene periit prophetes? nisi quod exemplum passus est Dominicæ passionis, ethnicos quoque pœnitentes redempturæ (*Luc.* XIII, 29, 30). Bene quod et Joannes Domini vias sternens, non minus militantibus et publicanis, quam filiis Abraham, pœnitentiæ erat præco (*Luc.* III, 13 *seqq.*). Ipse Dominus Sidoniis et Tyriis præsumpsit pœnitentiam, si virtutum documenta vidissent (*Matth.* XI, 21). Atquin ego illam naturalibus magis peccatoribus competere contendam, quam voluntariis. Magis enim merebitur fructum ejus qui nondum eo usus est, quam qui jam et abusus est; magisque sapient remedia prima, quam exoleta. Nimirum Dominus ingratis benignus magis quam ignaris, et citius reprobatis misericors, quam nondum probatis; ut non magis irascatur contumeliis clementiæ suæ, quam blandiatur; et non libentius extraneis eam impertiat, quam in filiis perdidit, cum gentes sic adoptaverit, dum Judæi de patientia ludunt (*a*). Sed hoc volunt Psychici, ut Deus justus judex ejus peccatoris pœnitentiam malit quam mortem, qui mortem pœnitentia maluit. Quod si ita est, peccando promeremur. Age tu, funambule pudicitiæ et castitatis, et omnis circa sexum sanctitatis, qui tenuissimum filium disciplina ejusmodi veri avia pendente vestigio ingrederis, carnem spiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans. Quid itaque in gradu totus es? Perge sane, si potueris, si volueris, dum tam securus et quasi in solido es. Nam, si qua te carnis vacillatio, animi avocatio, oculi evagatio de tenore decusserit, Deus bonus est: suis, non ethnicis, sinum subjicit; secunda te pœnitentia excipiet; (*b*) eris iterum de mœcho Christianus. Hæc tu mihi, benignissime Dei interpres. Sed cederem tibi, si scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni concilio Ecclesiarum etiam vestrarum inter apocrypha et falsa judicaretur, adultera et ipsa, et inde patrona sociorum; (*c*) a qua et alias initiaris; cui ille si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis, (*d*) prostitutorem et ipsum Christiani sacramenti, merito et ebrietatis idolum, et mœchiæ asilum post calicem subsecuturæ (*e*), de quo nihil libentius bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ (*f*). At ego ejus pastoris scripturas haurio qui non potest frangi: hunc mihi statim Joannes offert cum pœnitentiæ lavacro et officio dicentem: *Facite dignos*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non *Pam.* nam *Obert. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. X.—(a) *Judæi de patientia ludunt.* Toties læsa, offensis toties repetitis. Sic in III can. concil. Elib., ubi de Flaminibus post pœnitentiam mœchis: *Placuit ulterius eis non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominica communione videantur;* et can. 47: *Si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non ludere Deum communione pacis.* Rig.

(b) *Eris iterum de mœcho christianus.* Quasi post baptismum in mœchiam lapsus desierit esse christianus. Rig.

(c) *A qua et alias initiaris.* Ab illa nimirum apocrypha et falsa Pastoris scriptura, potius quam indubitatis et receptissimis. Rig.

(d) *Prostitutorem et ipsum Christiani sacramenti.* Eucharistiæ. Rig.

(e) *Et mœchiæ asilum post calicem subsecuturæ.* Scribendum est *asilum*, nam significat οἶστρον.

> . . . . . Cui nomen asilo
> Romanum est, œstrum Græci vertere vocantes

Plinius XI, 16: *Nascuntur aliquando in extremis favis apes grandiores, quæ cæteras fugant. Oestrum vocatur hoc malum.* Idem: *Asilo sive tabanum dici placet, aculeus in ore.* Hoc percussæ pecudes velut in rabiem aguntur. Atque inde est vocabulum ad venereos furores translatum. Hesychius, οἶστρος, ἐρεθισμός, ἡ λεγόμενος μῦα· μανία ἀφροδισίων, κύρωσις, ἦχος. Septimius igitur Catholicos qui xerophagias damnent, et mœchis pœnitentibus Ecclesiam reddant, Psychicos vocat, et Pastorem in eorum calice depictum, ebrietatis idolum et libidinis œstrum, unde scilicet corpore bene curato, velut furore perciti, in adulteria et omne lasciviarum genus ruant, blanda impetrandæ pœnitentiæ fiducia invitati. Quam sunt amarulenta hæc in Catholicos convicia! Rig.

(f) *Ovem pœnitentiæ secundæ.* Hoc est, ovem libidinosam, ovem adulteram; spem impetrandæ adulterio etiam post baptismum admisso veniæ. Rig.

pœnitentiæ fructus, et ne dixeritis : patrem habemus Abraham : et ne scilicet rursus blandimenta delinquentiæ de patrum resumerent gratia : *Potest enim Deus de lapidibus istis filios suscitare Abrahæ* (*Matt.* III, 8, 9). Sic et nos sequitur, (*a*) ut eos qui hactenus delinquant, facientes dignum pœnitentiæ fructum. Quid enim ex pœnitentia maturescit, quam emendationis effectus? Sed etsi venia potius est pœnitentiæ fructus, hanc quoque consistere non licet sine cessatione delicti. Ita cessatio delicti radix est veniæ, ut venia sit pœnitentiæ fructus.

CAPUT XI.

Exinde, quod ad Evangelium pertinet, parabolarum quidem discussa jam quæstio est. Si vero et factis aliquid tale pro peccatoribus edidit Dominus, ut cum peccatrici fœminæ etiam corporis sui contactum permittit lavanti lacrymis pedes ejus et crinibus detergenti, et unguento sepulturam ipsius inauguranti (*Luc.* VII, 37, *et seqq.*); ut cum Samaritanæ sexto jam matrimonio, non mœchæ, sed prostitutæ (*Jo.* IV, 7 *et seqq.*), etiam, quod nemini facile, quis esset ostendit, nihil ex hoc adversariis confertur, etsi jam Christianis veniam delictorum præstitisset. Nunc enim dicimus, soli Domino hoc licet, hodie potestas indulgentiæ ejus operetur. Ad illa tamen tempora quibus in terris egit, hoc definimus nihil adversum nos præjudicare, si peccatoribus etiam Judæis venia conferebatur. Christiana enim disciplina a novatione Testamenti et, ut præmisimus, a redemptione carnis, id est Domini passione censetur. Nemo perfectus ante repertum ordinem fide, nemo Christianus ante Christum cœlo resumptum, nemo sanctus ante Spiritum Sanctum de cœlo repræsentatum ipsius disciplinæ determinatorem.

CAPUT XII.

Itaque isti qui alium Paracletum in Apostolis et per Apostolos receperunt, quem nec in Prophetis proprius (1) aguitum, jam nec in Apostolis possident; age nunc, vel de apostolico instrumento maculas (*b*) doceant (*c*) carnis post baptisma respersæ, pœnitentia dilui posse: in apostolis quoque veteris legis formam salutamus, circa mœchiæ, quanta sit, demonstrationem; ne forte lenior existimetur in novitate disciplinarum, quam in vetustate. Cum primum intonuit Evangelium, et vetera concussit, ut de legis retinendæ necne statu disceptaretur, primam hanc regulam de auctoritate Spiritus Sancti Apostoli emittunt ad eos qui jam ex nationibus allegi cœperant : *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto et nobis, nullum amplius vobis adjicere pondus, quam eorum a quibus necesse est abstineri*, (*d*) *a sacrificiis, et a fornicationibus et sanguine, a quibus observando recte agitis* (*Act.* XV, 28 *et seqq.*), vectante (2) vos Spiritu Sancto. (*e*) Sufficit (3) et hic servatum esse mœchiæ et fornicationi locum honoris sui inter idololatriam et homicidium : interdictum enim sanguinis multo magis humani intelligemus. Porro qualia videri voluit Apostoli crimina, quæ sola in observatione de lege pristina excerpunt, quæ sola necessario abstinenda præscribunt? Non quod alia permittant, sed quod hæc sola proponant utique non remissibilia, qui, ethnicorum caussa, cætera legis onera remissibilia fecerunt. Cur ergo cervicem nostram a tanto jugo excusant, nisi ut illis (4) compendia ista disciplinæ semper imponant? Cur tot vincula indulgent, nisi ut perpetuo ad necessariora constringant? Solverunt a pluribus, ut nocentioribus observandis obligaremur. Compensatione res acta est : lucrati sumus multa, ut aliqua præstemus. Compensatio autem revocabilis non est (*f*) iisdemque revocabitur, iteratione mœchiæ utique, et sanguinis et idololatriæ. Tota enim jam lex sumetur, si veniæ conditio solvetur. Sed non leviter nobiscum pactus est Spiritus Sanctus, etiam ultro pactus quo magis honorandus. Sponsionem ejus nemo dissolvit nisi ingratus. Jam nec recipiet quæ dimisit, nec dimittet quæ retinuit. Novissimi Testamenti semper indemutabilis status est, et utique recitatio decreti consiliumque illud cum sæculo desinet. Satis denegavit veniam eorum quorum custodiam elegit, vindicavit quæ non proinde concessit. Hinc est quod neque idololatriæ, neque sanguini, pax ab Ecclesiis redditur. De qua finitione sua Apostolos excidisse, puto, non licet credere; aut si credere quidam possunt, debebunt probare.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Propius *Rhen. Oberth. Leop.*
(2) Vetante *Wouw. ms.*
(3) Spiritu Sancto, sufficit *Jun.*
(4) Illi *Rig. Ven.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ut eos qui hactenus delinquant.* Hactenus, hoc est, jam non amplius. Rig.

CAP. XII.—(b) *Vel de apostolico instrumento doceant.* non sequitur ex Actis Apostolorum (quod *instrumentum apostolicum* nuncupat) non docetur *maculas carnis post baptisma respersæ pœnitentia dilui*, ergo peccata post baptismum non delentur pœnitentia, quia aliis Scriptus satis comprobatur. Pam.

(c) *Carnis post baptisma respersæ. Respersæ* hic posuit pro *rursus sparsæ et maculatæ*, novis scilicet post pluris lavacrum sordibus. R.G.

(d) *A sacrificiis, a fornicationibus et sanguine.* Iren eus eumdem ordinem servat : *Præcipiendum eis uti abstinent a vanitatibus idolorum, et a fornicatione, et a sanguine, et quæcumque nolunt sibi fieri aliis ne faciant.* Idem paulo post, pro *vanitatibus idolorum*, dixit *idolothytis.* Hæc duo vocabula, εἰδωλόθυτον καὶ αἷμα, varias interpretationes sortita, etiam vetustos Actorum codices ambiguitate lectionum turbavere. Apertissima autem sunt quæ hic et apud Irenæum leguntur adversus tria hæc ἀλισγήματα præcipua, εἰδώλων, πορνείας, αἵματος. Rig.

(e) *Sufficit et hic servatum esse mœchiæ et fornicationi locum.* At Lucas ipse non servavit. Etenim Actor. XV, cum primo dixisset, τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πορνείας καὶ τοῦ αἵματος, postea ea edixit, εἰδωλοθύτων, καὶ αἵματος καὶ πορνείας. Itaque satis est frivolum Septimii argumentum de verborum ordine seu loco, et vana conjectura opinantium hæc ita debere necti : *Spiritui Sancto sufficit et hic servatum esse mœchiæ et fornicationi locum.* Reclamat Irenæus, neque hoc venit unquam in mentem Septimii nostri. Rig.

(f) *Iisdemque revocabitur.* Deest aliquid, quod nisi ope exemplaris sarciri nequit. Aut certe scribendum :

CAPUT XIII.

Novimus plane et hic suspiciones eorum. Revera enim suspicantur apostolum Paulum, in secunda ad Corinthios (II *Cor.* II, 5 11), (*a*) eidem fornicatori veniam dedisse, quem in prima dedendum Satanæ in interitum carnis pronuntiarit (I *Cor.* V, 3, *et seqq.*), impium patris de matrimonio hæredem; quasique (1) ipsum postea stylum verterit scribens : *Si quis autem contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ne vos onerem omnes. Satis est talis increpatio quæ a multis fit. Uti e contrario magis vos donare et advocare, ne forte abundantiore tristitia devoretur ejusmodi. Propter quod oro vos, constituatis in eum dilectionem. In hoc enim et scripsi, uti cognoscam probationem vestram quod in omnibus obauditis mihi. Si cui autem donaveritis, et ego. Nam et ego si quid donavi, donavi in persona Christi, ne fraudemur a Satana : quoniam non ignoramus injectiones ejus* (II *Cor.* II, 5, 11). Quid hic de fornicatore, quid de paterni thori contaminatore, quid de christiano ethnicorum impudentiam (2) supergresso intelligitur? cum proinde utique speciali venia absolvisset, quem speciali ira damnasset. Obscurius miseretur, quam indignatur; apertior est in austeritate, quam in lenitate : atquin facilius ira quam indulgentia obliqua est; magis tristiora cunctantur, quam lætiora. De modica scilicet indulgentia agebatur; quæ si forte nunc æstimaretur, quando maxima quæque non soleant etiam sine prædicatione donari, tanto abest sine significatione. Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in ecclesiam inducens, (*b*) conciliciatum et concineratum cum dedecore et horrore compositum prosternis (3) in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem, inque cum hominis exitum quantis potes misericordiæ inlecebris, bonus pastor et (*c*) benedictus Papa concionaris, et in parabola ovis, capras tuas quæris, tua ovis (4) ne rursus de grege exiliat, quasi non exinde jam hoeat quod nec semel licuit, cæteras etiam metu comples, cum maxime indulgens. Apostolus vero sceleratam libidinem fornicationis incesto onustam tam projecte ignovisset, ut nec hunc saltem (*d*) habitum legatum (5) pœnitentiæ quem ab ipso didicisse deberes, ab eo exegerit, nihil de postero sit comminatus, nihil de cætero allocutus? Quin imo, et ultro (6) obsecrat, constituerent in eum dilectionem, quasi satisfaciens, non quasi ignoscens : et tamen dilectionem audio, non communicationem. Quod et ad Thessalonicenses : *Si quis autem non obaudit sermoni nostro per epistolam, hunc notate, nec commisceamini illi, ut revereatur, non quasi inimicum deputantes, sed quasi fratrem objurgantes* (II *Thess.* III, 14). Adeo potuisset dicere et fornicatori dilectionem solummodo concessam, non et communicationem. Incesto vero nec dilectionem, quem scilicet auferri jussisset de medio ipsorum, multo magis utique de animo. Sed verebatur ne fraudarentur a Satana circa ejus personæ amissionem, quem Satanæ ipse projecerat; aut ne abundantia mœroris devoraretur, quem in interitum carnis addixerat. Hic jam carnis interitum in officium pœnitentiæ interpretantur, quod videatur jejuniis et sordibus et incuria omni et dedita opera malæ tractationis carnem exterminando satis Deo facere; ut ex hoc argumententur fornicatorem, imo incestum illum, non in perditionem Satanæ ab Apostolo traditum, sed in emendationem, quasi postea veniam ob interitum, id est conflictationem carnis, consecuturum, igitur et consecutum. Plane idem apostolus Hymenæum et Alexandrum Satanæ tradidit, ut emendarentur non blasphemare, sicut Timotheo suo scribit (I *Tim.*, I, 20). (*e*) Sed et ipse datum sibi ait sudem, angelum Satanæ, a quo colaphizaretur ne se extolleret. (II *Cor.*, XII, 7). Si et hoc tangunt ut traditos Satanæ ab illo, in emendationem, non in perditionem intelligamus, quid simile blasphemia et incestum et anima ab his integra, imo non aliunde quam ex summa sanctitate et ex omni innocentia elata, quæ in apostolo colaphis si forte cohibebatur, per dolorem, ut aiunt, auriculæ vel capitis. Incestum vero atque blasphemia totos homines in possessionem ipsi Satanæ, non angelo ejus tradidisse mernerunt. Et de hoc enim interest, imo et ad hoc plurimum refert, quod illos traditos ab Apostolo legimus Satanæ; Apostolo vero angelum datum Satanæ. Postremo, cum deprecatur Dominum Paulus,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quasive *Rhen. Oberth.* quasi vel *Leop.*
(2) Ethnicum impudentia *Par.*
(3) Prosternens *Pam. Oberth. Seml.*
(4) Tua ovis *delet Lat.*
(5) Legitimum *Leop. ex ms. Wouw.*
(6) Ultra *Oberth. Seml.*

COMMENTARIUS.

Nisi denique revocabitur iteratione, mœchiæ utique et sanguinis et idololatriæ. Rig.

CAP. XIII.—(a) *Eidem fornicatori veniam dedisse*, etc. Primæ scilicet ad Cor. V notabis fornicatorem vocari qui incesto se polluerat, unde postea *paterni thori contaminatorem* appellat, sicque fornicationis et incestus nomine promiscue utitur. Le Pr.

(b) *Conciliciatum et concineratum.* In cilicio et cinere pœnitentium squalore. Rig.

(c) *Benedictus Papa concionaris.* In vetustissimo hoc scriptore Papæ nomen occurrit, qui et *benedictus*, ut cap. 30 *de Præscript.*, ubi Eleutherium *benedictum* vocat, qui et pontifex fuit romanensis et martyr. Le Pr.

(d) *Habitum legatum pœnitentiæ.* Hoc est, gentium consensu delegatum, dicatumque et convenientissimum pœnitentium seu reorum mœstitiæ : vel habitum pœnitenti datum legatumque quasi per damnationem, in hæc verba : Qui mœchus, qui fornicator, Ecclesiæ pacem sibi reddi postulaverit, in luctu et squalore, in sacco et cinere fratrum genua premsare damnatus esto. Alias, quod proponi video, *legitimum*, non displiceret. Rig.

(e) *Sed et ipse datum sibi ait sudem, angelum Satanæ.* Aliquis haud sine caussa mirabitur, Tertullianum, postquam Paulinum illum σκόλοπα, angelum Satanæ, latine reddidit *sudem*, mox opinioni accedere existimantium iis vocabulis significari dolorem auriculæ vel capitis. Rig.

quid audit? *Satis habe gratiam meam; virtus enim in infirmitate perficitur* (II *Cor.*, XII, 9). Hoc, qui Satanæ deduntur, audire non possunt. Hymenæi autem et Alexandri crimen si et in isto et in futuro ævo irremissibile est, blasphemia scilicet; utique Apostolus non (*a*) adversus terminum Domini sub spe veniæ dedisset Satanæ, jam a fidei in blasphemiam mersos. Unde et naufragos eos juxta fidem pronuntiavit, non habentes jam solatium navis Ecclesiæ: illis enim venia negatur, qui de fide in blasphemiam impegerunt. Cæterum, ethnici et hæretici quotidie ex blasphemia emergunt. Sed etsi dixit: *Tradidi eos Satanæ, uti disciplinam acciperent non blasphemandi;* de cæteris dixit qui, illis traditis Satanæ, id est extra Ecclesiam projectis, erudiri haberent blasphemandum non esse. Sic igitur et incestum fornicatorem non in emendationem, sed in perditionem tradidit Satanæ, ad quem jam super ethnicos delinquendo transierat, ut discerent fornicandum non esse. Denique *in interitum*, inquit, *carnis*, non, in cruciatum; ipsam substantiam damnans per quam exciderat, quæ exinde jam perierat, (*b*) baptismate amisso; *ut spiritus*, inquit, *salvus sit in die Domini* (I *Cor.*, V, 5). Et de hoc enim quæratur si spiritus hominis ipsius salvus erit. Ergo salvus erit spiritus tanto scelere pollutus, propter hoc perdita carne, ut salvus sit in pœna. (*c*) Ergo pœnam sine carne censebit contraria interpretatio, si (1) resurrectionem carnis amittimus. Superest igitur ut eum spiritum dixerit, qui in Ecclesia censetur, salvum, id est integrum, præstandum in die Domini ab immunditiarum contagione, ejecto incesto fornicatore; siquidem subjungit: *Non scitis quod modicum fermentum totam desipiat conspersionem* (*Ibid.* 6)? Et tamen fornicatio incesta non erat modicum, sed grande fermentum.

CAPUT XIV.

Et his itaque discussis quæ intercesserant, regredior ad secundam Corinthiorum, ut probem illud quoque Apostoli dictum, *Sufficiat ejusmodi homini increpatio ista quæ a multis* (II *Cor.*, II, 6), non in fornicatoris personam convenire. Si enim dedendum Satanæ pronuntiaverat in interitum carnis, utique damnaverat eum magis, quam increpaverat. Alius ergo erat, cui voluit sufficere increpationem; siquidem fornicator non increpationem de sententia ejus retulerat, sed damnationem. Nam et hoc ipsum dispiciendum tibi offero, an fuerint in Epistola prima et alii qui Apostolum contristaverint incondite agentes; et contristati sint ab illo, increpationem referentes juxta sensum Epistolæ secundæ, ex quibus in ea veniam aliquis potuerit adipisci. Animadvertamus autem totam Epistolam primam, ut ita dixerim, non atramento, sed felle conscriptam, tumentem, indignantem, dedignantem, comminantem, invidiosam, (*d*) et per singulas caussas (*e*) in quosdam quasi mancipes earum figuratam. Sic enim exegerant schismata, et æmulationes, et dissensiones, et præsumptiones, et elationes, et contentiones; ut et invidia onerarentur, et correptione retunderentur, et superbia elimarentur, et austeritate deterrerentur. (*f*) Et qualis invidia humilitatis aculeus? *Deo gratias ago, quod neminem vestrum tinxerim, nisi Crispum et Gaium; ne qui dicat quod in nomine meo tinxerim* (I *Cor.*, I, 14, 15). *Nec enim judicavi scire aliquid in vobis, quam Jesum Christum, et hunc crucifixum* (I *Cor.*, II, 2). *Et puto, nos Deus apostolos novissimos elegit* (*g*) *velut bestiarios; quoniam spectaculum facti sumus huic mundo, et angelis, et hominibus, et purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema* (I *Cor.*, IV, 9, 13). Et: *Non sum liber, non sum apostolus, non Christum Jesum Dominum nostrum vidi* (I *Cor.*, IX, 1)? De quali (2) contra supercilio pronuntiare compulsus est: *Mihi autem in modico est ut a vobis interroger aut ab humano die: neque enim conscius mihi sum* (I *Cor.*, IV, 3, 4): et: *Gloriam meam nemo inaniet* (I *Cor.*, IX, 15). *Non scitis quod angelos sumus judicaturi* (I *Cor.*, VI, 8)? Cæterum libertas quam apertæ objurgationis, quam exerta acies machæræ spiritalis? *Jam ditati estis, jam saturati estis, jam regnatis* (I *Cor.*, IV, 8). Et: *Si quis*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Interpretatio. Sic *Leop. ex ms. Wouw.* (2) Vide quali *Lut.*

COMMENTARIUS.

(a) *Adversus terminum Domini.* Hoc est, adversus sententiam et determinationem Domini. Etenim Septimio *determinare* est *judicare, pronuntiare, definire judicio.* Rig.

(b) *Baptismate amisso.* Amisisse baptisma dicitur, qui post lavacrum in idololatriæ, vel mœchiæ, vel homicidii crimen inciderit, ut contra, can. 38 concil. Elib., *lavacrum suum integrum habere* dicitur qui post adeptum baptisma, nullius fuerit horumce criminum reus. Rig.

(c) *Ergo pœnam sine carne censebit contraria interpretatio, si resurrectionem carnis amittimus.* Erant qui Pauli verba, *Tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini*, sic accipienda esse dicerent, nempe, carnem facinorosi illius, quem Paulus tradidit Satanæ, variis cruciatibus extortam periisse, ut ita mundatus carne, spiritus salvus esset in die Domini. Hæc autem interpretatio contraria fuit Septimianæ, quæ ne sic quoque spiritum salvum fore concedebat. Ait igitur opinionem contrariam suæ, pœnam facinoroso illi adscribere, ut sine carne esset, hoc est, ut ejus caro non resurgeret. Ex eo vero rem absurdissimam sequi, ut carnis illius resurrectio non sit. *Sic resurrectionem carnis*, inquit, *amittimus.* Hanc enim ex libris Ursini scripturam proferri video. Unde fiat verisimile, et præcedentia, quæ sane alias perperam nobis fuisse tradita suspicarer, in iisdem exemplaribus ita se habere uti hic edita leguntur. Rig.

CAP. XIV. — (d) *Et per singulas caussas.* Hoc est, per certa crimina. Rig.

(e) *In quosdam quasi mancipes earum.* Mancipes dicit flagitiosorum insignes, qui patranda impudentissime crimina redemisse videantur, addicente Satana, magnario illo totius improbitatis negotiatore. Rig.

(f) *Et qualis invidia humilitatis aculeus?* Qualis aculeus humilitatis ad invidiam submissæ? Hoc est, adeo submissæ abjectæque, ut invidiam adversariis faciat. Rig.

(g) *Velut bestiarios.* Bestiarii sunt servi ad bestias damnati. Gloss. bestiarius, θηριομάχος: eadem voce utitur cap. 9 *Apolog* Le Pr.

se putat scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire (I *Cor.*, VIII, 2). Nonne et tunc in faciem alicujus impingens? *Quis* enim, inquit, *te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (I *Cor.*, IV, 7)? Nonne et illos in os cædit? Quidam autem in conscientia usque nunc quasi idolothytum edunt. Sic autem delinquentes, percutiendo conscientias fratrum infirmas, in Christum delinquent. Jam vero et nominatim: *An non habemus potestatem manducandi et bibendi, et mulieres circumducendi, sicut et cæteri apostoli, et fratres Domini et Cephas* (I *Cor.*, IX, 4, 5)? Et: *Si alii de potestate vestra consequuntur, non magis nos* (I *Cor.*, X, 12)? Æque et illos singulari stylo figit. *Propterea qui se putat stare, videat ne cadat* (I *Cor.*, XI, 16); et: *Si quis contentiosus videtur, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Domini* (I *Cor.*, XI, 16). Tali clausula maledicto detexta: *Si quis non amat Dominum Jesum, sit anathema, Maranatha* (I *Cor.*, XVI, 22), aliquem utique percussit. Sed illic magis stabo ubi Apostolus magis fervet, ubi ipse fornicator aliis quoque negotium fecit: *Quasi non sim venturus ad vos, inflati sunt quidem. Veniam autem citius, si permiserit Dominus, et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Et quid vultis veniam ad vos, in virga, an in spiritu lenitatis?* (I *Cor.*, IV, 18, 21)? Quid enim suberat? *Auditur in vobis in totum fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec in gentibus, ut uxorem patris sui quis habeat. Et vos inflati estis, et non luxistis potius, ut auferatur de medio vestrum qui tale facinus admisit* (I *Cor.*, V, 1, 2)! Pro quo lugerent? Utique pro mortuo. Ad quem lugerent? Utique ad Dominum. Quomodo ut auferatur (53) de medio illorum? Non utique ut (*a*) extra Ecclesiam detur; hoc enim non a Deo postularetur, quod erat in præsidentis officio, sed ut per mortem hanc quoque communem et propriam carnis (*b*) ipsius, quæ jam cadaver, quæ capulum (2) esset immunditiæ irrecuperabili tabidosum, plenius de Ecclesia deberet auferri. Et ideo, quomodo interim potuit auferri, judicavit dedendum ejusmodi Satanæ in interitum carnis. Maledici enim eam sequebatur, quæ diabolo projiciebatur, ut sacramento benedictionis exauctoraretur, nunquam in castra Ecclesiæ reversura. Videmus itaque hoc in loco divisam Apostoli severitatem in quemdam inflatum et in quemdam incestum; in alterum virga, in alterum sententia armatum: virga quam (3) minabatur, sententia quam exequebatur; illam adhuc coruscantem, hanc statim fulminantem, qua increpabat, quaque damnabat. Certumque e textinde increpitum quidem sub intentione virgæ tremuisse, damnatum vero sub repræsentatione pœnæ perisse: statim ille timens plagam abiit, ille lucns pœnam. Cum ad Corinthios ejusdem apostoli literæ iterant veniam, fit (4) plane, sed incertum cui, quia nec persona nec caussa proscribitur. Res cum sensibus conferam. Si incestus opponitur, ibidem erit et inflatus. Sane relatio (5) satis habetur, cum inflatus increpitus est, incestus vero damnatus est: inflato ignoscitur, sed increpito; incesto non videtur ignotum, ut damnato. Si ei ignoscebatur, cui devoratio ex mœrore nimio timebatur, devorari adhuc increpitus periclitabatur, deficiens ob comminationem et mœrens ob increpationem; damnatus vero et culpa et sententia, jam devoratus deputabatur, qui non mœrere haberet, sed pati quod ante passionem mœrere (6) potuisset. Si idcirco ignoscebatur, ne fraudaremur a Satana, in eo utique detrimentum præcavebatur quod nondum perisset: nihil de transacto præcavetur, sed de adhuc salvo. Damnatus autem, et quidem in possessionem Satanæ, jam tunc perierat Ecclesiæ, cum tale facinus admiserat, nedum cum et ab ipsa ejerabatur. Quomodo vereretur fraudem pati ejus, quem jam et ereptum amiserat, et damnatum habere non potuerat? Postremo, quid judicem indulgere conveniet, quod pronuntiatione deciderit? an quod interlocutione suspenderit? et utique eum judicem, qui non solet ea quæ destruxit, reædificare, ne transgressor habeatur. Age jam si non tot personas prima Epistola contristasset, si neminem increpuisset, neminem terruisset, si solum incestum cecidisset, si nullum in caussam ejus in pavorem misisset, inflatum consternasset; nonne melius suspicareris et fidelius argumentareris, aliquem potius longe alium apud Corinthios tunc in eadem caussa fuisse, ut increpitus et territus et mœrore jam saucius, propterea permittente modulo delicti, veniam postea ceperit, quam ut eam incesto fornicatori interpretareris? Hoc enim legisse debueras, et si non in epistola, sed (*c*) in ipsa Apostoli secta, a pudore clarius quam stylo ejus im-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quomodo auferatur *Pam.* — Ad Dominum, ut quo modo *Lat. Leop.*
(2) Captivum *alii.* — Quod corruptivum *Lat.*
(3) Qua *Obert. Seml.*
(4) Sit *Rig. Leop.*
(5) Rei ratio *Pam.* Reatio *Gelen.*
(6) Mœrore *Gelen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Extra Ecclesiam detur.* Nihil hic aliud quam excommunicatio, sive *censura divina*, ut dixit idem cap. 39 *Apol.*, hoc est, cum quibusdam propter scelera communione fratrum penitus interdicitur. De ea censura Act. III concilii Chalcedonensis in lit. concilii ad Dioscorum: κελεύει ἡ θεοσέβεια ὑμῶν τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς χρησώμενα κατ' αὐτοῦ· *flagitat pietas vestra, vel mulcta in eum ecclesiastica utamur.* Le Pr.

(b) *Carnis ipsius, quæ jam cadaver, quæ capulum esset in munditia irrecuperabili tabidosum.* Corpus describit quasi vaginam animæ vilissimæ, fœdis scilicet criminum sordibus inquinatissimæ. Rig. — *Immunditiæ irrecuperabili tabidosum.* Irrecuperabilem immunditiam dicit, unde recuperari nihil possit, immunditiam scilicet arte nulla curabilem. Sic infra, ubi de lepræ immunditia sanabili, *recuperationem et reformationem* dixit. Rig.

(c) *In ipsa Apostoli secta.* Sectam pro moribus posuit. Atque ita Justinianus sub finem tituli *de Legatis*, ubi de legatis probrosis: *Hujusmodi*, inquit, *testa-*

pressum; ne scilicet Paulum apostolum Christi, doctorem nationum in fide et veritate, vas electionis, Ecclesiarum conditorem, censorem disciplinarum, tantæ levitatis inficeres, ut aut damnaverit temere, quem mox esset absoluturus; aut temere absolverit, quem non temere damnasset, ob solam licet fornicationem simplicis impudicitiæ, nedum ob incestas nuptias, et impiam luxuriam, et libidinem parricidalem, quam nec nationibus comparat, ne consuetudini deputaretur; quam absens judicarat, ne spatium reus lucraretur; quam advocata etiam Domini virtute damnaverat, ne humana sententia videretur. Lusit igitur et de suo spiritu, et de Ecclesiæ angelo (*a*), et de virtute Domini, si quod de consilio eorum pronuntiaverat, rescidit.

CAPUT XV.

Si etiam sequentia illius Epistolæ ad intentationem Apostoli extendas, nec ipsa comparabuntur ad obliterationem incesti, ne et hic suffundatur Apostolus posteriorum incongruentia sensuum. Quale est enim ut cum maxime incesto fornicatori postliminium largitus ecclesiasticæ pacis, statim ingesserit de aversatione immunditiarum, de amputatione macularum, de exhortatione sanctimoniarum, quasi nihil contrarium Paulo ante decreverit? Compara denique an ejus sit dicere: *Propterea habentes ministrationem istam, secundum quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris* (II *Cor.*, IV, 1, 2); qui non dedecoris tantum, sed et sceleris manifestum dedamnaverit (1)(*b*): an ejusdem sit (2)excusare aliquam impudicitiam qui inter titulos laborum suorum, post angustias atque pressuras, post jejunia et vigilias, castimoniam quoque prædicarit (II *Cor.*, VI, 5, *seqq.*); an ejusdem sit recipere in communicationem reprobos quosque, qui scribat: *Quæ enim societas justitiæ et iniquitati? quæ autem communicatio luci et tenebris? Quæ consonantia Christo et Belial; aut quæ pars fideli cum infideli? Aut quis consensus templo Dei et idolis* (*Ibid.* 14-16)? Nonne constanter audire debebit: Et quomodo discernis quæ supra incesti restitutione junxisti? illo enim concorporato rursus Ecclesiæ, et justitia cum iniquitate sociatur, et tenebræ cum luce communicant, et Belial consonat Christo, et infidelis cum fideli sacramenta participat. Et viderint idola, ipse templi Dei vitiator in templum Dei convenit. Nam et hic: *Vos enim*, inquit, *estis templum Dei vivi; dicit enim: Quia inhabitabo in vobis, et inambulabo, et ego Deus illorum, et illi erunt mihi populus. Propter quod discedite de medio eorum, separamini, et immundum ne attigeritis* (*Ibid.* 1, 17). Hoc quoque evolvis, o Apostole, ut cum maxime ipse tanto immunditiarum gurgiti manum tradis, et adhuc superdicis: *Habentes igitur promissionem istam, dilecti, emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes castimoniam in Dei* (3) *timore* (II *Cor.*, VII, 1). Oro te, qui talia infigit mentibus nostris, revocaverat aliquem fornicatorem in Ecclesiam? an ideo scribit, ne tibi nunc revocasse videatur? Hæc, sicuti et præteritis præscribere, ita et sequentibus præjudicare debebunt; in finem enim Epistolæ dicens: *Ne rursus cum venero humiliet me Deus, et lugeam multos eorum qui ante deliquerunt, et pœnitentiam non egerunt super immunditia quam admiserunt, fornicatione et vilitate* (II *Cor.*, XII, 21); non utique recipiendos constituit, si pœnitentiam inissent, quos in Ecclesia inventurus erat, sed lugendos et sine dubio ejiciendos, (*c*) ut pœnitentiam perderent. Et cæterum non competit cum de communicatione aliquid hic ostendisse, qui eam supra luci et tenebris, justitiæ et iniquitati negarat. Sed ignorant Apostolum omnes isti, qui aliquid contra naturam atque propositum hominis ipsius, contra formam et regulam doctrinam ejus intelligunt ut sanctitatis omnis etiam ex semetipso magistrum, impuritatis omnis exsecratorem et expiatorem, et ubique talem, citius incesto, quam (*d*) alicui humaniori reo Ecclesiam reddidisse præsumat.

CAPUT XVI.

Necesse est igitur usque illis Apostolum ostendi, quem ego et in secunda Corinthiorum talem defendam, qualem in omnibus literis novi, qui et in prima, primus omnium templum Dei dedicavit: *Non scitis vos templum Dei esse, et in vobis Dominum habitare* (I *Cor.*, III, 16)? qui et templo sanciendo, purificandoque æditualem legem scripsit: *Si quis templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus: templum enim Dei sanctum est quod estis vos* (*Ibid.* 17). Age jam quis omnino vitiatum Deo redintegravit, id est *traditum Satanæ in interitum carnis*, cum idcirco substruxerit: *Nemo seducat semetipsum* (*Ibid.* 18), id est, nemo præsumat vitiatum Deo redintegrari denuo posse; sicut rursus inter cætera, imo et ante cætera, mœchos et fornicatores et molles et masculorum concubitores negans regnum consecuturos, præmisit: *Ne* (4) *erraveritis*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prædamnaverit *Lat.*
(2) Sit *abest a Par.*
(3) Fidei *Gelen.*
(4) Nec *Rhen. Oberth. Leop.*

COMMENTARIUS.

mentorum dispositiones valere secta meorum temporum non patitur. Sectam igitur Apostoli dicit quod paulo post naturam atque propositum Apostoli, formam et regulam doctrinarum ejus. Sic supra: *ex forma Petri.* RIG.

(a) *De Ecclesiæ angelo.* Tanquam angelus præsit congregationibus Ecclesiæ; nisi malit quis referre ad episcopum Corinthiorum, eadem phrasi quam ad septem Ecclesiarum angelos scribit B. Joannes apostolus, *Apo.* II et III. PAM.

CAP. XV. — (b) *Dedamnaverit.* Sententiam damnationis rescisserit. Infra dicet, *redintegrarit, concorporatum rursus Ecclesiæ.* RIG.

(c) *Ut pœnitentiam perderent.* Absque ulla spe reddendæ sibi unquam Ecclesiæ: quales supra dixit *jejunas pacis lacrymas*, quæ nihil amplius ab Ecclesiæ sinu relaturæ, quam publicationem dedecoris. RIG.

(d) *Alicui humaniori reo.* Quid quod peccavit, id peccasse humanitus videatur. RIG.

(I *Cor.*, VI, 9, 10), scilicet si putaveritis eos consecuturos. Quibus autem regnum adimitur, utique nec vita permittitur, quæ inest regno. Etiam ingerens : *Sed in hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri* (*Ibid.* 11). Quanto delicta ista ante lavacrum accepto facit, tanto post lavacrum irremissibilia constituit; siquidem denuo ablui non licet. Agnosce et in sequentibus Paulum, columnam immobilem disciplinarum : *Cibi ventri, et venter cibis ; Deus et hunc et illos conficit; corpus autem non fornicationi, sed Deo* (*Ibid.* 13). *Faciamus* enim *hominem*, ait Deus, *ad imaginem et similitudinem nostram : et fecit hominem Deus ad imaginem et similitudinem Dei fecit illum* (*Gen.*, I, 26, 27). *Dominus corpori* (I *Cor.*, VI, 13) ; *et sermo* enim, *caro factus est* (*Jo.* I, 14). *Deus autem et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam* (I *Cor.*, VI, 14) ; propter corporis scilicet nexum cum illo. Et ideo: *Non scitis corpora vestra membra Christi* (*Ibid.* 15)? quia et Christus Dei templum : *Evertite templum hoc, et ego illud in triduo resuscitabo* (*Jo.*, II, 19). *Auferens membra Christi, faciam membra fornicariæ ? Non scitis quod qui adglutinatur fornicariæ, unum corpus efficitur? Erunt enim duo in unam carnem. Qui autem adglutinatur Domino, unus est spiritus. Fugite fornicationem* (I *Cor.*, VI, 15-18). Si revocabilem venia, quomodo fugiam, mœchus denuo futurus? nihil profecero, si eam fugero ; unum ero corpus, cui communicando adglutinabor. *Omne delictum quod admiserit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*Ibid.* 18). Ac ne hoc dictum in licentiæ fornicationis invaderes, ut ia rem tuam, non Domini, delicturus, aufert te tibi, et Christo, sicut disposuerat, adjicit : *Et non estis vestri ;* statim apponens : *Empti enim estis pretio,* sanguine scilicet Domini ; *glorificate et tollite Dominum in corpore vestro* (*Ibid.* 19, 20). Hoc qui præcipit, vide an ignoverit ei qui dedecoravit Dominum, et qui ejecerit eum de corpore suo, et quidem per incestum. Si vis omnem notitiam Apostoli ebibere, ut intelligas quanta securi censuræ omnem sylvam libidinum cædat, et eradicet, et excaudicet, ne quidquam de recidivo (1) fruticare permittat, adspice illum a justa fruge naturæ, a matrimonii dico pomo, animas jejunare cupientem. *De quibus autem scripsistis, bonum est homini mulierem non contingere : sed propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat; vir uxori, et uxor viro debitum reddat* (I *Cor.*, VII, 1, *seqq.*). Hujus boni fibulam quis illum nesciat invitum relaxasse, ut fornicationi obviam isset, quam si cui indulsit vel indulget, utique consilium remedii sui infregit, et tenebitur jam frænandis continentiæ conjugiis, si fornicatio, ob quam permittuntur, non timebitur; non enim timebitur quæ ignoscetur. Et tamen ignovisse se profitetur matrimonii usum, non imperasse : vult enim omnes sibi adhærere (*Ibid.* 7). Si autem licita ignoscuntur, illicita qui sperant? Innuptis quoque et viduis bonum esse dicit exemplo ejus perseverare ; si vero deficerent, nubere, quia *præest* (2) *nubere quam uri* (*Ibid.* 8, 9). Quibus oro ignibus deterius est uri? concupiscentiæ, an pœnæ? Atquin, si fornicatio habet veniam, non urit concupiscentia ejus : Apostoli autem magis est pœnæ ignibus providere. Quod si pœna est quæ urit, ergo veniam non habet fornicatio, quam manet pœna. Interea et divortium prohibens, pro eo aut viduitatis perseverantiam, aut reconciliationem pacis dominico præcepto adversus mœchiam procurat, quia *qui dimiserit uxorem præter caussam mœchiæ, facit eam mœchari; et qui dimissam a viro ducit, mœchatur* (*Matth.*, V, 32). Quanta remedia Spiritus Sanctus instaurat, ne id scilicet denuo admittatur, quod ignosci denuo non vult! Jam si usquequaque *optimum* dicit *homini sic esse : Junctus es uxori, ne quæsieris solutionem*, ut mœchiæ locum non des. *Solutus es ab uxore, ne quæsieris uxorem*, ut opportunitatem tibi serves. *Quod et si duxeris uxorem, et si nupserit virgo, non peccat; pressuram tamen carnis habebunt hujusmodi* (I *Cor.*, VII, 26 28). Et hic *parcendo* permittit. Cæterum, tempus in collecto constituit, ut et *qui habent uxores, sic sint tanquam non habentes* (*Ibid.* 29); *præterit enim habitus hujus mundi* (*Ibid.* 31), jam scilicet non desiderantis : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.*, I, 28). Sic vult nos *præter sollicitudinem degere, quia innupti de Domino curent, quomodo placeant Deo; nupti vero de mundo recogitent, quomodo placeant conjugio* (I *Cor.*, VII, 32-34). Sic melius facere pronuntiat virginis conservatorem, quam erogatorem (*Ibid.* 40) ; sic et illam beatiorem decernit quæ, amisso viro, fidem ingressa (*a*), amaverit occasionem viduitatis ; sic (3) hæc omnia continentiæ consilia ut divina commendat: *Puto*, inquit, *et ego spiritum Dei habeo* (*Ibid.*). Quis iste est assertor audacissimus omnis impudicitiæ, mœchorum et fornicatorum et incestorum plane fidelissimus advocatus, quibus honorandis suscepit hanc caussam adversus Spiritum Sanctum, ut falsum testimonium recitet de apostolo ejus? Nihil tale Paulus indulsit, qui totam carnis necessitatem de probis etiam titulis obliterare conatur. Indulget sane non adulteria, sed nuptias : parcit sane matrimoniis, non stupris : tentat ne naturæ quidem ignoscere, ne culpæ blandiatur; studet compescere benedictionis concubitum, ne maledictionis excusetur. Hoc ei supererat, carnem vel a sordibus purgare ; a maculis enim non potest. Sed est hoc solemne perversis et idiotis et hæreticis, jam et psychicis universis, alicujus capituli ancipitis occasione, adver-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Reciduo *Obert. Seml.*
(2) Præstat *Lat.*
(3) Si *Oberth. Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI. — (a) *Fidem ingressa.* Montanizat Tertullianus, sic reprobans nuptias ejus quæ vidua post fidei ingressum facta est. Hunc esse sensum Auctoris patet ex libris *de Exhort. Cast. et de Monog.* EDD. ex PAM.

sus exercitum sententiarum instrumenti totius armari.

CAPUT XVII.

Provoca ad apostolicam aciem; adspice Epistolas ejus; omnes pro pudicitia, pro castitate, pro sanctitate prætendunt, omnes in luxuriæ et lasciviæ et libidinis negotia jaculantur. Quid denique et Thessalonicensibus scribit? *Advocatio enim nostra non ex seductione, nec ex immunditia* (I *Thess.*, II, 3); et: *Hæc est voluntas Dei, sanctimonia vestra, abstinere vos a fornicatione, scire unumquemque vas suum possidere in sanctimonia et honore, non in libidine concupiscentiæ, sicut nationes quæ Deum ignorant* (I *Thess.*, IV, 3-5). Quid Galatæ legunt? *Manifesta sunt opera carnis.* Quænam ista? (*a*) In primis posuit *fornicationem, immunditiam, lasciviam, quæ prædico vobis sicut prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei non sunt consecuturi hæreditate* (*Gal.*, V, 19). Romani vero quid magis discunt, quam non derelinquere Dominum post fidem? *Quid ergo dicemus? perseverabimus* (1) *in delinquentia, ut superet gratia? Absit. Qui mortui sumus delinquentiæ, quomodo vivemus in ea adhuc? An ignoratis, quod qui tincti sumus in Christo Jesu, in mortem ejus sumus tincti? Consepulti ergo illi sumus per baptismum in mortem: ut sicut Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ incedamus. Si enim consepulti* (2) *sumus simulacro mortis ejus, sed et resurrectionis erimus, hoc scientes quod vetus homo noster confixus est illi. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quod et convivemus cum illo, scientes quod Christus suscitatus a mortuis, jam non moriatur, mors non jam dominetur ejus. Quod enim mortuus est delinquentiæ, mortuus est semel, quod autem vivit, Deo vivit. Ita et reputate vosmetipsos mortuos quidem delinquentiæ, viventes autem Deo per Christum Jesum* (*Rom.*, VI, 1-11). Igitur semel Christo mortuo, nemo potest post (3) Christum mortuus delinquentiæ, et maxime tantæ, reviviscere: aut si possit fornicatio et mœchia denuo admitti, poterit et Christus denuo mori. Instat autem Apostolus, prohibens *regnare delinquentiam in corpore nostro mortali* (*Ibid.*, 12), cujus infirmitatem carnis noverat. *Sicut enim exhibuistis membra vestra famula immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita et nunc exhibete ea famula justitiæ in sanctimoniam* (*Ibid.*, 13). Nam, etsi *habitare bonum in carne sua* (*Rom.*, VII, 18) negavit, sed secundum legem literæ in qua fuit; secundum autem legem spiritus, cui nos adnectit, liberat ab infirmitate carnis: *Lex enim*, inquit, *spiritus vitæ manumisit te a lege delinquentiæ et mortis* (*Rom.*, VIII, 2). Licet enim ex parte ex Judaismo disputare videatur, sed in nos dirigit integritatem et plenitudinem disciplinarum, propter quos laborantes in lege per carnem *miserit Deus filium suum in similitudinem carnis delinquentiæ*, et *propter delinquentiam damnaverit delinquentiam in carne; ut jus legis*, inquit, *impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum incedimus. Qui enim secundum carnem incedunt, ea quæ carnis sunt sapiunt; et qui secundum spiritum, ea quæ sunt spiritus* (*Ibid.*, 3-5). *Sensum* autem *carnis mortem* adfirmavit esse (*Ibid.*, 6). Dehinc et inimicitiam et in Deum, et eos qui sunt in carne, id est in sensu carnis, Deo placere non posse (*Ibid.*, 7). Et: *Si secundum carnem vivitis*, inquit, *futurum est ut moriamini* (*Ibid.*, 13). Quid autem intelligimus carnis sensum et carnis vitam, nisi quodcumque pudet pronuntiare? cætera enim carnis et Apostolus nominasset. Proinde et Ephesiis pristina reputans, de futuro monet: *In quibus et nos conversati sumus, facientes concupiscentias et voluptates carnis* (*Ephes.*, II, 3). Notans denique illos qui se negassent, scilicet christianos, eo quod se tradidissent in operationem immunditiæ omnis: *Vos autem*, inquit, *non sic didicistis Christum* (*Eph.*, IV, 20.). Et iterum sic dicit: *Qui furabatur, jam non furetur* (*Ibid.*, 26-28). Sed et qui mœchabatur hactenus, non mœchetur; et qui fornicabatur hactenus, non fornicetur. Adjecisset enim et hæc, si talibus veniam porrigere consuesset, vel porrigi omnino voluisset, qui nec verbo pollui volens: *Omnis*, inquit, *sermo turpis non procedat ex ore vestro* (*Ibid.*, 29). Item: *Fornicatio autem et immunditia omnis ne nominetur quidem inter vos, sicut decet sanctos* (tanto abest ut excusetur), *hoc scientes quod omnis fornicator aut immundus non habeat Dei regnum. Nemo vos seducat inanibus verbis Propter hoc venit ira Dei super filios incredulitatis* (*Eph.*, V, 3-5). Quis seducit inanibus verbis, nisi qui concionatur remissibilem esse mœchiam? non intuens etiam fundamenta ejus ab Apostolo effossa; cum ebrietates et comessationes compescit, sicut et hic: *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ibid.*, 18). Demonstrat et Colossensibus, quæ *membra mortificent super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et turpiloquium* (*Coloss.*, III, 5). Concede jam tot ac talibus sententiis unum illud quod tenes: (*b*) pauca multis, dubia certis, obscura manifestis adumbrantur. Etiamsi pro certo Apostolus Corinthio illi fornicationem donasset, esset aliud quod semel contra institutum suum pro ratione temporis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Perferemus *Gelen*
(2) Consati *Rhen. Oberth. Leop.*
(3) Post *abest a Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVII. —(a) *In primis posuit fornicationem.* Fornicationis gravitatem hic expendit, maximumque dictum probat ex Apostolo. Quo nimirum testimonio convincuntur ii qui eam a peccato eximunt, ut morbo et vitio suo obsequantur. Qui quavis data occasione illud probare conatur, multiplici et ventosa verborum circuitione, neque tantum laici, verum etiam (quod pudet dicere) episcopi. Neminem hic indicare jubet modestia. LE PR.

(b) *Pauca multis, dubia certis, obscura manifestis adumbrantur.* Offuscantur, occultantur, ut jam pauca præ multis, dubia præ certis, obscura præ manifestis minime compareant. LE PR.

faceret (*a*). Circumcidit Timotheum solum, et tamen abstulit circumcisionem.

CAPUT XVIII.

Sed hæc, inquit, ad interdictionem pertinebunt omnis impudicitiæ (*b*) et addictionem omnis pudicitiæ, salvo tamen loco veniæ, quæ non statim denegatur, si delicta damnantur, quando veniæ tempus cum damnatione concurrat quam excludit. Sequebatur et hoc Psychicos sapere, et ideo reservavimus huic loco, quæ aperte ad communicationem ecclesiasticam caussis ejusmodi negandam etiam antiquitus caussa sunt. Nam et in Proverbiis Salomon, quæ *Parœmias* dicimus, specialiter de mœcho nusquam expiabili : *Mœchus autem*, inquit, *per indigentiam sensuum perditionem animæ suæ acquirit, dolores et dehonestationes sustinet. Ignominia autem ejus non abolebitur in ævum. Plena enim zeli indignatio viro non parcet in die judicii* (*Prov.*, VI, 32-36). Hoc si de ethnico putaveris dictum, certe de fidelibus jam audisti (*c*) per cassum (1) : *Excedite de medio eorum, et separamini, et immundum ne tetigeritis* (II *Cor.*, VI, 17). Habes statim in Psalmis *beatum virum qui non abierit in concilio impiorum, et in via peccatorum non steterit, et in cathedra pestilentiæ non sederit* (*Psal.* I, 1). Cujus et postea vox : *Non sedi cum consessu vanitatis, et cum inique agentibus non introibo* (*d*) (hoc de ecclesia male agentium) *et cum impiis non sedebo* : et, *lavabo cum innocentibus manus meas, et altare tuum circumdabo, Domine* (*Psal.* XXX, 4, 5), (*e*) ut solus plures (2), quoniam quidem, *cum sancto sanctus eris et cum electo electus eris*, et *cum perverso perversus eris* (*Psal.*, XVII, 26). Et alibi : *Peccatori autem dicit Dominus : Ut quid tu exponis justificationes meas, et assumis testamentum meum per os tuum ? Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* XLIX, 16, *seq.*). Hinc igitur informatus et Apostolus : *Scripsi*, inquit, *vobis in Epistola, non commisceri fornicatoribus, non utique fornicatoribus hujus mundi*, et reliqua : *Cæterum, oportebat vos exire de mundo : nunc autem scribo vobis, si qui frater nominatur in vobis fornicator, aut idololatra* (quid enim tam conjunctum ?), *aut fraudator* (quid enim tam propinquum ?), et cætera, *cum talibus ne cibum quidem sumere*, nedum Eucharistiam. *Modicum* (3) scilicet *fermentum totam desipit conspersionem* (I *Cor.*, V, 9, *seq.*). Item ad Timotheum : *Manus nemini cito imponas, neque communices delictis alienis* (I *Tim.*, V, 22). Item ad Ephesios : *Nolite ergo participes esse eorum ; fuistis enim aliquando tenebræ* (*Eph.*, V, 7, 8). Et adhuc pressius : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, imo et revincite ea : quæ enim in occulto ab eis fiunt, turpe est edicere* (*Ibid.*, 11). Quid turpius impudicitiis ? Si autem et ab otiose incedente fratre denuntiat subduci Thessalonicensibus (II *Thess.*, III, 6), quanto magis et a fornicatore ? Hæc enim consultata (4) sunt Christi Ecclesiam diligentis, qui *se pro ea tradidit uti eam sanctificet, emundans lavacro aquæ in verbo, ut sistat sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam*, utique post lavacrum, *sed sit sancta et sine opprobrio* (*Eph.*, V, 25-27), exinde scilicet (*f*) sine ruga vetustatis (5), ut virgo, sine macula fornicationis, ut sponsa, sine probro vilitatis, ut emundata. Quid (6) si et hic respondere concipias adimi quidem peccatoribus, vel maxime carne pollutis, communicationem, sed ad præsens restituendam, scilicet ex pœnitentiæ ambitu, secundum illam clementiam Dei qua mavult peccatoris pœnitentiam quam mortem (*Ezech.*, XXXIII, 11) ? hoc enim fundamentum opinionis vestræ usquequaque pulsandum est. Dicimus itaque, clementiæ divinæ si ita esse competisset (7) demonstrationem sui etiam post fidem lapsis, ita (8) Apostolus diceret : *Nolite communicare operibus tenebrarum*, nisi pœnitentiam egerint ; et : *Cum talibus ne cibum quidem sumere*, nisi posteaquam caligas fratrum volutando deterserint ; et : *Qui templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus*, nisi omnium focorum cineres in Ecclesia de capite suo excusserit : debuerat enim quæ damnaverat proinde determinasse, quoniam (9) usque (10) et sub conditione damnasset, si temporali et conditionali, et non perpetua severitate damnasset. Porro, cum in omnibus Epistolis et post fidem talem prohi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Per Isaiam *Lat. Leop.* per caussam *Oberth. Seml.*
(2) Et similes plores *Jun.* scilicet voces *Leop.*
(3) Eucharistiam medicam scilicet *Fran.*
(4) Consulta *Obert. Leop.*
(5) Vanitatis *Lat.* veritatis *Fran.*
(6) Quod *Ven.*
(7) *Sic emendat Lat.* Si ita competisset dari restitutionem suis etiam.
(8) Aut *Lat.*
(9) Quonam *Oberth. Seml. Leop.*
(10) Usque *abest a Ven.*

COMMENTARIUS.

(a) *Pro ratione temporis*, etc. Perperam affirmat veniam corinthio concessam, si admittamus id pro ratione temporis factum, sicut circumcisionem Timothei ; nihil enim habent inter se commune. Pam.

CAP. XVIII. — (b) *Et addictionem omnis pudicitiæ.* Addicit prætor, cum quid proprium alicui esse jubet. Rig.

(c) *Per cassum.* Latinius, *per Esaiam*, valde probabili conjectura, nisi illud, *per cassum*, veterum exemplarium auctoritate confirmetur, ut sit in cassum, frustra. Rig.

(d) *Hoc de ecclesia male agentium.* Citata Psalmi verba torquet in Psychicos suos. Atque hoc colore suam ab Ecclesia secessionem prætexit. Rig.

(e) *Ut solus plures.* Iterum persiringit Catholicos ; et schisma suum consolatur, quasi ipse solus innocentia sua cinctus instar plurium sit apud Deum. Quo sensu dixit alias non semel, Ecclesiam esse in uno et altero ; sic itaque se, licet cum paucis et licet solum, nihilominus, æque ac si plures, altare Domini circumdaturum. Et sic apud Theodoritum Liberius Episc. Rom. altercatione adversus Constantium Cæs. : οὐ διὰ τὸ εἶναι με μόνον ὁ τῆς πίστεως διαστροφεὺς λέγεις. Rig.

(f) *Sine ruga vetustatis.* Hoc etiam adversus Catholicos, qui de sua vetustate adversus Montani novitatem pugnabant, ut observavimus supra, eos igitur Septimius agnoscit priores et vetustiores, sed arguit rugas vetustatis. Rig.

beat admitti, et admissum a communicatione detrudat, sine spe conditionis ullius aut temporis, nostræ magis sententiæ adsistit eam pœnitentiam ostendens Dominum malle, quæ ante fidem, quæ ante baptisma morte peccatoris potior habeatur, semel diluendi per Christi gratiam, semel pro peccatis nostris morte functi. Nam hoc etiam in sua persona Apostolus statuit. Affirmans enim Christum ad hoc *venisse, ut peccatores salvos faceret, quorum primus ipse fuisset*, quid adjicit? *Et misericordiam sum consecutus, quoniam ignorans feci incredulitate* (I *Tim.*, I, 16). Ita clementia illa Dei, malentis pœnitentiam peccatoris quam mortem, ad ignorantes adhuc et adhuc incredulos spectat, quorum caussa liberandorum venerit Christus, non qui jam Deum norint, et sacramentum didicerint fidei. Quod si clementia Dei ignorantibus adhuc et infidelibus competit, utique et pœnitentia ad se clementiam invitat, salva illa pœnitentiæ specie post fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab episcopo consequi poterit, aut majoribus et irremissibilibus a Deo solo.

CAPUT XIX.

Sed quonam usque de Paulo, quando etiam Joannes nescio quid diversæ parti supplaudere videntur? quasi in Apocalypsi manifeste fornicationi posuerit pœnitentiæ auxilium, ubi ad angelum Thyatirenorum spiritus mandat habere se adversus eum, quod teneret *mulierem* (1) *Jezabel, quæ se propheten dicit, et docet atque seducit servos meos ad fornicandum et edendum de idolothytis. Et largitus sum illi temporis spatium, ut pœnitentiam iniret, nec vult eam inire nomine fornicationis. Ecce dabo eam in lectum, et mœchos ejus cum ipsa in maximam pressuram, nisi pœnitentiam egerint operum ejus* (*Apoc.* II, 20-22). Bene autem quod Apostolis et fidei et disciplinæ regulis convenit. *Sive enim ego*, inquit, *sive illi, sic prædicamus* (II *Cor.*, XV, 11) Totius itaque sacramenti interest nihil credere ab Joanne concessum, quod a Paulo sit denegatum. Hanc æqualitatem Spiritus Sancti qui observaverit, ab ipso deducetur in sensus ejus. Hæreticam enim fœminam, quæ quod didicerat a Nicolaitis docere suscepe- A rat, in Ecclesiam latenter introducebat, et merito ad pœnitentiam urgebat. Cui enim dubium est hæreticum institutione deceptum, cognito postmodum casu et pœnitentia expiato, et veniam consequi, et (*a*) in Ecclesiam redigi? Unde et apud nos ut ethnico par, imo et super ethnicum hæreticus (*b*) etiam per baptisma veritatis (*c*) utroque homine (2) purgatus admittitur. Aut si certus es mulierem illam, post fidem vivam, in hæresin postea exspirasse, ut non quasi hæreticæ, sed quasi fideli peccatrici, veniam ex pœnitentia vindices (3), (*d*) sane agat pœnitentiam, sed in finem mœchiæ, non tamen et restitutionem consecutura. Hæc enim erit pœnitentia, quam et nos deberi quidem agnoscimus multo magis, sed de venia Deo reservamus. Denique ea Apocalypsis in posterio- B ribus propudiosos et fornicatores, sicut timidos et incredulos et homicidas et veneficos et idololatras, (*e*) qui tale quid in fide fuerint (4), in stagnum ignis sine ulla conditionali damnatione decrevit. Non enim de ethnicis videbitur sapere cum de fidelibus pronuntiarit: *Qui vicerint, hæreditate habebunt ista* (5), et *ero illis Deus, et illi miki in filios;* et ita subjunxerit: *Timidis autem et incredulis et* (*f*) *propudiosis et fornicatoribus et homicidis et veneficis et idololatris particula in stagno ignis et sulphuris, quod est mors secunda* (*Apoc.*, XXI, 78). Sic et rursus: *Beati qui ex præceptis agunt, ut in lignum vitæ habeant potestatem, et in portas ad introeundum in sanctam civitatem. Canis, veneficus, fornicator, homicida, foras* (*Apoc.*, XXII, 14, 15); utique qui non ex præceptis agant: illorum est C enim foras dari qui intus fuerunt. Cæterum, *quid miki eos qui foris sunt judicare* (I *Cor.*, V, 12)? præcesserat. De epistola quoque Joannis carpunt statim. Dictum est: *Sanguis Filii ejus emundat nos ab omni delicto* (I *Joan.* I, 7). Semper ergo et omnifariam delinquemus, si semper et ab omni delicto emundat nos ille; aut si non semper, non etiam post fidem; et si non ab omni delicto, non etiam a fornicatione. Unde autem exorsus est? Lumen prædixerat Deum, et tenebras non esse in illo, et mentiri nos si dicamus nos communionem habere cum eo, et in tenebris

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quod mulier Jezabel *Paris.*
(2) Nomine *Jun. Lat.*
(3) Vindicet *Sem. Oberth.*
(4) Fuerit *Fran.*
(5) Hæreditatem... istam *Par.*

D

COMMENTARIUS.

CAP. XIX. — (a) *In Ecclesiam redigi.* In Ecclesiam redactus dicitur cui Ecclesia redditur, hoc est ecclesiasticæ pacis communicatio. Rig.

(b) *Per baptisma veritatis.* Etsi recte *hæreticum institutione deceptum, cognito postmodum casu et pœnitentia expiato, veniam consequi* asserat, tamen addit *per baptisma veritatis purgatum*, atque adeo... sequebatur eorum errorem qui hæreticos ad Ecclesiam venientes baptizandos putabant. Pam.

(c) *Utroque homine purgatus.* Nam ethnici ab hæreticis baptizati, pro ethnicis habebantur, hoc est, super ethnicum hæreticus. Itaque in orthodoxorum Ecclesiam recipi si postularent, denuo baptizabantur, ita ut homine utroque purgarentur, ethnico illo veteri, et superducto hæretico. Rig.

(d) *Sane agat pœnitentiam, sed in finem mœchiæ.* Sic agat pœnitentiam, ut a mœchia cesset: etenim, ut supra dixit, *cessatio delicti radix est veniæ.* Hujus autem delicti veniam a Deo sperandam esse ait Septimius, non ab Ecclesia, uti nec idololatriæ, nec homicidii. Hoc tam rigide, ut mœcho illo extra Ecclesiam projecto, fideles cæteri disciplinam habeant non mœchandi. Sic enim ipse Apostoli verba interpretatur. Rig.

(e) *Qui tale quid in fide fuerint.* Hoc est, qui tale quid post baptismum peccaverint. Rig.

(f) *Propudiosos. Propudiosos* vertitur ab Auctore quod græce est ἀθεσμοποιοῖς, pro quo Vulgatus interpres *exsecrandis*, et caute prætermisit *peccatoribus* et *mendacibus*, eo quod non multo post iterum quædam peccata remissibilia agnoscat, et inter ea aut *verecundia aut necessitate mentiri.* Pam.

incedamus. *Si vero*, inquit, *in lumine incedamus, communionem cum eo habebimus, et sanguis Jesu Christi Domini nostri emundat nos ab omni delicto* (*Ibid.*, 5, *sqq.*). Ergo in lumine incedentes delinquimus, et in lumine delinquentes emundabimur? Nullo pacto. Qui enim delinquit, non in lumine est, sed in tenebris. Unde et ostendit quomodo emundabimur a delicto, in lumine incedentes, in quo delictum agi non potest, adeo sic emundari nos ait, non qua delinquamus, sed qua non delinquamus. Incedentes enim in lumine, tenebris vero non communicantes, emundati agemus, non deposito, sed non admisso delicto. Hæc est enim vis Dominici sanguinis, ut quos jam delicto mundarit, et exinde in lumine constituerit, mundos exinde præstet, si in lumine incedere perseveraverint. Sed subjicit, inquis : *Si dicamus nos delictum non habere, seducimus nosmetipsos, et veritas non est in nobis. Si confitemur delicta nostra, fidelis et justus est ut dimittat ea nobis, et emundet nos ab omni injustitia* (*Ibid.*, 8, 9) : numquid ab immunditia? Aut si ita est, ergo et ab idololatria. Sed aliud in sensu est. Ecce enim et rursus : *Si dicamus*, ait, *nos non deliquisse, mendacem facimus illum, et sermo ejus non est in nobis* (*Ibid.* 10). Eo amplius : *Filioli, hæc scripsi vobis, ne delinquatis; et si deliqueritis, advocatum habemus apud Deum Patrem Jesum Christum justum, et ipse placatio est pro delictis nostris* (I *Joan.*, II, 1, 2). Secundum hæc, inquis, et delinquere nos et veniam habere constabit. Quid ergo fiet, cum procedens aliud invenio? negat enim nos omnino delinquere, et in hoc plurimum tractat, ut nihil tale concedat, proponens semel a Christo delicta deleta, non habitura postea veniam : in quo (1) nos sensus ad admonitionem castimoniæ demandat. *Omnis*, inquit, *qui habet spem istam, castificat semetipsum, quia et ille castus est. Omnis qui facit delictum, et iniquitatem facit, et delictum est iniquitas. Et scitis quod ille manifestatus sit, ut auferat delicta*; utique hactenus admittenda; siquidem subjungit : *Omnis qui manet in illo, non delinquit : omnis qui delinquit, neque vidit, neque cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat : omnis qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit delictum, ex diabolo est, quoniam diabolus a primordio delinquit. In hoc enim manifestatus est filius Dei, ut solvat opera diaboli.* Nam et solvit, liberans hominem per lavacrum, donato chirographo mortis. Et ideo *omnis qui ex Deo nascitur, non facit delictum, quia semen Dei manet in illo; et non potest delinquere, quia ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli* (I *Joan.*, III, 3, 10). In quo, nisi illi non delinquendo, ex quo de Deo nati sunt; isti delinquendo, quia de diabolo sunt; perinde atque si nunquam sint ex Deo nati? Quod si dicit : *Qui non est justus, ex Deo non est*, qui non pudicus, quomodo rursus ex Deo fiet, qui jam esse desiit? Juxta est igitur ut excidisse sibi dicamus Joannem in prima quidem Epistola (I, 8) negantem nos sine delicto esse, nunc vero præscribentem non delinquere omnino : et illic quidem aliud de venia blandientem, hic vero districte negantem filios Dei quicumque deliquerint. Sed absit. Nam nec ipsi excidimus a qua digressi sumus distinctione delictorum. Et hic enim illam Joannes commendavit, quod sint quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes simus objecti. Cui enim non accidit, aut irasci inique, et ultra solis occasum; aut et manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere; aut verecundia aut necessitate mentiri? (*a*) in negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur, ut si nulla sit venia istorum, nemini salus competat! Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Christum. Sunt autem et contraria istis, ut graviora et exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique et mœchia et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei. (*b*) Horum ultra exorator non erit Christus; hæc non admittet omnino qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, si admiserit. Ita Joanni ratio constabit diversitatis, distinctionem delictorum disponenti (2), cum delinquere filios Dei nunc adnuit, nunc abnuit. Prospiciebat enim clausulam literarum suarum, et illi præstruebat hos sensus, dicturus in fine manifestius : *Si quis scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postulabit, et dabit ei vitam Dominus, qui non ad mortem delinquit. Est enim delictum ad mortem? non de eo dico ut quis postulet* (I *Joan.*, V, 16). Memineram et ipse Hieremiam prohibitum a Deo deprecari pro populo mortalia delinquente (*Hier.*, VII, 16, XI, 14, XIV, 11). *Omnis injustitia delictum est, et est delictum ad mortem. Scimus autem quod omnis qui ex Deo natus sit, non delinquit* (I *Joan.*, V, 17, 18); scilicet delictum quod ad mortem est. Ita nihil jam superest, quam aut neges mœchiam et fornicationem mortalia esse delicta, aut irremissibilia fatearis, pro quibus nec orari permittitur.

CAPUT XX.

Disciplina igitur Apostolorum propric quidem instruit ac determinat principaliter sanctitatis omnis erga templum Dei antistitem, et ubique de Ecclesia eradicantem omne sacrilegium pudicitiæ (3), sine

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quæ *Seml. oberth.*
(2) Joannis... disponentis *Wouw. cod.*
(3) Impudicitiæ *Lat.*

COMMENTARIUS.

(a) *In negotiis, in officiis, in quæstu.* Hinc igitur manifestum est etiam priscos illos Christianos, homines fuisse, nempe humanioribus istis peccatis obnoxios. Rig.

(b) *Horum ultra exorator non erit Christus.* Humanior fuit Augustini sententia, lib. *de Fide et operibus.* Nam et his pœnitentiam non negat : *Qui autem opinantur*, inquit, *et cætera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitent excommunicatione, donec pœnitentia humiliore sanetur, impudicitiam, idololatriam, homicidium.* Rig.

ulla restitutionis mentione. Volo tamen (1) ex redundantia (*a*) alicujus etiam comitis Apostolorum testimonium superducere, idoneum confirmandi de proximo jure disciplinam magistrorum. Exstat enim et Barnabæ titulus ad Hebræos, adeo satis auctoritatis viro (2), ut quem Paulus juxta se constituerit in abstinentiæ tenore : *Aut ego solus et Barnabas non habemus hoc* (3) *operandi potestatem* (I *Cor.*, IX, 6)? (*b*) Et utique receptior apud Ecclesias Epistola Barnabæ (*c*) illo apocrypho Pastore mœchorum. Monens itaque discipulos, omissis omnibus initiis, ad perfectionem magis tendere, nec rursus fundamenta pœnitentiæ jacere ab operibus mortuorum : *Impossibile est enim*, inquit, *eos qui semel inluminati sunt, et donum cœleste gustaverunt, et participaverunt Spiritum Sanctum, et verbum Dei dulce gustaverunt, occidente jam ævo cum exciderint, rursus revocari* (4) *in pœnitentiam, refigentes cruci in semetipsos Filium Dei et dedecorantes. Terra enim quæ bibit sæpius devenientem in se humorem, et peperit herbam aptam his propter s et colitur, benedictionem Dei consequitur : proferens autem spinas, reproba et maledictioni proxima, cujus finis in exustionem* (*Hebr.*, VI, 4, 8). Hoc qui ab Apostolis didicit et cum Apostolis docuit, (*d*) nunquam mœcho et fornicatori secundam pœnitentiam promissam ab Apostolis norat; optime enim legem interpretabatur, et figuras ejus jam in ipsa veritate servabat. Ad hanc denique speciem disciplinæ de leproso cautum fuit : *Si autem varietas efflorucrit in cutem, et totam cutem texerit a capite usque ad pedes per omnem conspectum, et sacerdos cum viderit, emundabit eum, quoniam convertit in album, mundus est. Qua vero die visus fuerit in ejusmodi color vivus, inquinatus est* (*Levit.*, XIII, 12, 13). Conversum enim hominem de pristino carnis habitu in candorem fidei, quæ vitium et macula æstimatur in sæculo, et totum novatum mundum voluit intelligi, qui jam non sit varius, non sit de pristino et novo adspersus. Si vero post abolitionem in vetustatem aliquid ex illa revixerit, rursum in carne ejus quod emortuum delicto habebatur, immundum judicari, nec expiari jam a sacerdote. Ita mœchia de pristino recidiva et unitatem novi coloris, a quo fuerat exclusa, commaculans, immundabile est vitium. Item de domo : *Si quæ maculæ et cavositates annuntiatæ in parietibus sacerdoti fuissent, priusquam introiret ad inspiciendam eam, jubet auferri de domo omnia, ita immunda non futura quæ domus essent. Dehinc introgressus sacerdos, si invenisset cavositates viridicantes vel rubescentes, et adspectum earum humiliorem citra parietinam formam ; exiret ad januam et secerneret domum illam septem diebus. Dehinc, die septima regressus, si animadvertisset diffusum in parietibus tactum illum, imperaret extrahi eos lapides in quibus lepra fuisset, et abjici extra civitatem in locum immundum, et sumi alios lapides politos et solidos, et reponi loco pristinarum, et pulvere alio inlini domum* (*Levit.*, XIV, 34-42). Oportet enim cum pervenitur ad summum sacerdotem Patris Christum, de domo hominis nostri in tempore hebdomadis auferri omnia impedimenta prius, ut munda sit quæ remanet domus, caro et anima ; et ubi introierit eam sermo Dei, et invenerit maculas ruboris et viroris, extrahi statim, et abjici foras sensus mortiferos et cruentos ; nam et Apocalypsis viridi equo mortem, russeo autem prælatorem imposuit (*Apoc.*, VI, 4, 8) : proque illis politos et in compaginem aptos et firmos substruit lapides, (*e*) quales in Abrahæ fiunt, ut ita homo habilis Deo sit. *Quod si post recuperationem et refor-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Redundanti *Lat.*
(2) Auctoritati viri *Fran.*
(3) Hoc *abest Par.*
(4) Renovari *Lat.*

COMMENTARIUS.

CAP. XX. — (a) *Alicujus etiam comitis apostolorum.* Quasi Petrus et Paulus adeo præ cæteris fuerint apostoli, ut cæteri ipsorum comites ac discipuli censeantur. Sic autem et Barnabas ipse Apostolus, a Clemente Alexandrino, lib. II, *Strom.* apostolicus nuncupatur, καὶ συνεργὸς τοῦ Παύλου. Et lib. V, συρκηρύξας τῷ Ἀποστόλῳ. Sed et Hieronymus in Epistolam ad Galatas, hæc verba, *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem*, oblique in Petrum et in cæteros dicta videri posse ait, quod non ab apostolis Paulo sit traditum Evangelium, sed ab ipso Jesu Christo, qui et illos Apostolos elegerat. Rig.

(b) *Et utique receptior apud Ecclesias Epistola Barnabæ.* Hæc Tertulliani de Epistola ad Hebræos sententia refertur ab Hieronymo Catal. Script. Eccl. in Paulo. Ipse autem Hieronymus in Barnaba, scriptam fuisse ait a Barnaba Epistolam quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertineret, verum inter scripturas apocryphas relatam. Hæc ab Eusebio quoque recensetur ἐν τοῖς νόθοις. Et tamen pro legitima Barnabæ citatur a Clemente Alex. : et ab Origene, lib. I *contra Celsum*, catholica dicitur. Vidimus eam græce, fere integram, penes doctissimum virum Jac. Sirmondum, cum latina quoque interpretatione antiqua. Tota autem constat argumentis iisdem quibus utitur Septimius noster libro *adversus Judæos*, et lib. *adversus Marcionem* tertio. Rig. — Hanc autem epistolam detexerat noster Hugo Menardus inter Mss. codices monasterii Corbeiensis, primusque illam publici juris fecit. Edd.

(c) *Illo apocrypho Pastore mœchorum.* Mœchos appellat psychicos, qui *Pastoris* librum receperant, de quo supra.

(d) *Nunquam mœcho et fornicatori*, etc. Quem Auctor perperam de pœnitentia secunda interpretatur locum jam citatum (*Hebr.*, VI), alii veteres de iteratione baptismi intelligunt, et nominatim B. Ambrosius, lib. *de Pœnit.*, cap. 2, et in comment... ; Epiphanius (*Hæres.*, 59). Quo etiam accedit Chrysostomus, cum aliis Græcis ejus assecliis, dum eodem modo interpretatur illud Hebr. X : *Postquam accepimus veritatis agnitionem, non relinquitur hostia pro peccatis...* Et certe pro hac sententia faciunt phrases latinæ, *eos qui semel illuminati sunt.* et : *rursus renovari;* et græcæ voces, φωτισθέντας ἀνακαινίζειν, quas usurpare solent veteres de baptizatis. Pam.

(e) *Quales in Abrahæ fiunt.* Aut mente concipiendum, aut supplendum scriptura vocabulum *filios* : alludit enim ad illud : Posse *Deum de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.*, III, 9). Rig.

incedamus. *Si vero*, inquit, *in lumine incedamus, communionem cum eo habebimus, et sanguis Jesu Christi Domini nostri emundat nos ab omni delicto* (*Ibid.*, 5, *sqq.*). Ergo in lumine incedentes delinquimus, et in lumine delinquentes emundabimur? Nullo pacto. Qui enim delinquit, non in lumine est, sed in tenebris. Unde et ostendit quomodo emundabimur a delicto, in lumine incedentes, in quo delictum agi non potest, adeo sic emundari nos ait, non qua delinquamus, sed qua non delinquamus. Incedentes enim in lumine, tenebris vero non communicantes, emundati agemus, non deposito, sed non admisso delicto. Hæc est enim vis Dominici sanguinis, ut quos jam delicto mundarit, et exinde in lumine constituerit, mundos exinde præstet, si in lumine incedere perseveraverint. Sed subjicit, inquis : *Si dicamus nos delictum non habere, seducimus nosmetipsos, et veritas non est in nobis. Si confitemur delicta nostra, fidelis et justus est ut dimittat ea nobis, et emundet nos ab omni injustitia* (*Ibid.*, 8, 9) : numquid ab immunditia? Aut si ita est, ergo et ab idololatria. Sed aliud in sensu est. Ecce enim et rursus : *Si dicamus*, ait, *nos non deliquisse, mendacem facimus illum, et sermo ejus non est in nobis* (*Ibid.* 10). Eo amplius : *Filioli, hæc scripsi vobis, ne delinquatis; et si deliqueritis, advocatum habemus apud Deum Patrem Jesum Christum justum, et ipse placatio est pro delictis nostris* (I *Joan.*, II, 1, 2). Secundum hæc, inquis, et delinquere nos et veniam habere constabit. Quid ergo fiet, cum procedens aliud invenio? negat enim nos omnino delinquere, et in hoc plurimum tractat, ut nihil tale concedat, proponens semel a Christo delicta deleta, non habitura postea veniam : in quo (1) nos sensus ad admonitionem castimoniæ demandat. *Omnis*, inquit, *qui habet spem istam, castificat semetipsum, quia et ille castus est. Omnis qui facit delictum, et iniquitatem facit, et delictum est iniquitas. Et scitis quod ille manifestatus sit, ut auferat delicta*; utique hactenus admittenda; siquidem subjungit : *Omnis qui manet in illo, non delinquit : omnis qui delinquit, neque vidit, neque cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat : omnis qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit delictum, ex diabolo est, quoniam diabolus a primordio delinquit. In hoc enim manifestatus est filius Dei, ut solvat opera diaboli.* Nam et solvit, liberans hominem per lavacrum, donato chirographo mortis. Et ideo *omnis qui ex Deo nascitur, non facit delictum, quia semen Dei manet in illo; et non potest delinquere, quia ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli* (I *Joan.*, III, 3, 10). In quo, nisi illi non delinquendo, ex quo de Deo nati sunt; isti delinquendo, quia de diabolo sunt; perinde atque si nunquam sint ex Deo nati? Quod si dicit : *Qui non est justus, ex Deo non est*, qui non pudicus, quomodo rursus ex Deo fiet, qui jam esse desiit? Juxta est igitur ut excidisse sibi dicamus Joannem in prima quidem Epistola (I, 8) negantem nos sine delicto esse, nunc vero præscribentem non delinquere omnino : et illic quidem aliud de venia blandientem, hic vero districte negantem filios Dei quicumque deliquerint. Sed absit. Nam nec ipsi excidimus a qua digressi sumus distinctione delictorum. Et hic enim illam Joannes commendavit, quod sint quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes simus objecti. Cui enim non accidit, aut irasci inique, et ultra solis occasum; aut et manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere; aut verecundia aut necessitate mentiri? (*a*) in negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur, ut si nulla sit venia istorum, nemini salus competat! Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Christum. Sunt autem et contraria istis, ut graviora et exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique et mœchia et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei. (*b*) Horum ultra exorator non erit Christus; hæc non admittet omnino qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, si admiserit. Ita Joanni ratio constabit diversitatis, distinctionem delictorum disponenti (2), cum delinquere filios Dei nunc adnuit, nunc abnuit. Prospiciebat enim clausulam literarum suarum, et illi præstruebat hos sensus, dicturus in fine manifestius : *Si quis scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postulabit, et dabit ei vitam Dominus, qui non ad mortem delinquit. Est enim delictum ad mortem? non de eo dico ut quis postulet* (I *Joan.*, V, 16). Meminerat et ipse Hieremiam prohibitum a Deo deprecari pro populo mortalia delinquente (*Hier.*, VII, 16, XI, 14, XIV, 11). *Omnis injustitia delictum est, et est delictum ad mortem. Scimus autem quod omnis qui ex Deo natus sit, non delinquit* (I *Joan.*, V, 17, 18); scilicet delictum quod ad mortem est. Ita nihil jam superest, quam aut neges mœchiam et fornicationem mortalia esse delicta, aut irremissibilia fatearis, pro quibus nec orari permittitur.

CAPUT XX.

Disciplina igitur Apostolorum proprie quidem instruit ac determinat principaliter sanctitatis omnis erga templum Dei antistitem, et ubique de Ecclesia eradicantem omne sacrilegium pudicitiæ (3), sine

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quæ *Semi. Oberth.*
(2) Joannis... disponentis *Wouw. cod.*
(3) Impudicitiæ *Lat.*

COMMENTARIUS.

(a) *In negotiis, in officiis, in quæstu.* Hinc igitur manifestum est etiam priscos illos Christianos, homines fuisse, nempe humanioribus istis peccatis obnoxios. Rig.

(b) *Horum ultra exorator non erit Christus.* Humanior fuit Augustini sententia, lib. *de Fide et operibus.* Nam et his pœnitentiam non negat : *Qui autem opinantur*, inquit, *et cætera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitent excommunicatione, donec pœnitentia humiliore sanetur, impudicitiam, idololatriam, homicidium.* Rig.

ulla restitutionis mentione. Volo tamen (1) ex redundantia (*a*) alicujus etiam comitis Apostolorum testimonium superducere, idoneum confirmandi de proximo jure disciplinam magistrorum. Exstat enim et Barnabæ titulus ad Hebræos, adeo satis auctoritatis viro (2), ut quem Paulus juxta se constituerit in abstinentiæ tenore : *Aut ego solus et Barnabas non habemus hoc* (3) *operandi potestatem* (I *Cor.*, IX, 6)? (*b*) Et utique receptior apud Ecclesias Epistola Barnabæ (*c*) illo apocrypho Pastore mœchorum. Monens itaque discipulos, omissis omnibus initiis, ad perfectionem magis tendere, nec rursus fundamenta pœnitentiæ jacere ab operibus mortuorum : *Impossibile est enim*, inquit, *eos qui semel inluminati sunt, et donum cœleste gustaverunt, et participaverunt Spiritum Sanctum, et verbum Dei dulce gustaverunt, occidente jam ævo cum exciderint, rursus revocari* (4) *in pœnitentiam, refigentes cruci in semetipsos Filium Dei et dedecorantes. Terra enim quæ bibit sæpius devenientem in se humorem, et peperit herbam aptam his propter s et colitur, benedictionem Dei consequitur : proferens autem spinas, reproba et maledictioni proxima, cujus finis in exustionem* (*Hebr.*, VI, 4, 8). Hoc qui ab Apostolis didicit et cum Apostolis docuit, (*d*) nunquam mœcho et fornicatori secundam pœnitentiam promissam ab Apostolis norat; optime enim legem interpretabatur, et figuras ejus jam in ipsa veritate servabat. Ad hanc denique speciem disciplinæ de leproso cautum fuit : *Si autem varietas efflorucrit in cutem, et totam cutem texerit a capite usque ad pedes per omnem conspectum, et sacerdos cum viderit, emundabit eum, quoniam convertit in album, mundus est. Qua vero die visus fuerit in ejusmodi color vivus, inquinatus est* (*Levit.*, XIII, 12, 13). Conversum enim hominem de pristino carnis habitu in candorem fidei, quæ vitium et macula æstimatur in sæculo, et totum novatum mundum voluit intelligi, qui jam non sit varius, non sit de pristino et novo adspersus. Si vero post abolitionem in vetustatem aliquid ex illa revixerit, rursum in carne ejus quod emortuum delicto habebatur, immundum judicari, nec expiari jam a sacerdote. Ita mœchia de pristino recidiva et unitatem novi coloris, a quo fuerat exclusa, commaculans, immundabile est vitium. Item de domo : *Si quæ maculæ et cavositates annuntiatæ in parietibus sacerdoti fuissent, priusquam introiret ad inspiciendam eam, jubet auferri de domo omnia, ita immunda non futura quæ domus essent. Dehinc introgressus sacerdos, si invenisset cavositates viridicantes vel rubescentes, et adspectum earum humiliorem citra parietinam formam; exiret ad januam et secerneret domum illam septem diebus. Dehinc, die septima regressus, si animadvertisset diffusum in parietibus tactum illum, imperaret extrahi eos lapides in quibus lepra fuisset, et abjici extra civitatem in locum immundum, et sumi alios lapides politos et solidos, et reponi loco pristinarum, et pulvere alio inlini domum* (*Levit.*, XIV, 34-42). Oportet enim cum pervenitur ad summum sacerdotem Patris Christum, de domo hominis nostri in tempore hebdomadis auferri omnia impedimenta prius, ut munda sit quæ remanet domus, caro et anima; et ubi introierit eam sermo Dei, et invenerit maculas ruboris et viroris, extrahi statim, et abjici foras sensus mortiferos et cruentos; nam et Apocalypsis viridi equo mortem, russeo autem prælialorem imposuit (*Apoc.*, VI, 4, 8) : proque illis politos et in compaginem aptos et firmos substruit lapides, (*e*) quales in Abrahæ fiunt, ut ita homo habilis Deo sit. *Quod si post recuperationem et refor-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Redundanti *Lat.*
(2) Auctoritati viri *Fran.*
(3) Hoc *abest Par.*
(4) Renovari *Lat.*

COMMENTARIUS.

CAP. XX. — (*a*) *Alicujus etiam comitis apostolorum.* Quasi Petrus et Paulus adeo præ cæteris fuerint apostoli, ut cæteri ipsorum comites ac discipuli censeantur. Sic autem et Barnabas ipse Apostolus, a Clemente Alexandrino, lib. II, *Strom.* apostolicus nuncupatur, καὶ συνεργὸς τοῦ Παύλου. Et lib. V, συρκηρύξας τῷ Ἀποστόλῳ. Sed et Hieronymus in Epistolam ad Galatas, hæc verba, *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem*, oblique in Petrum et in cæteros dicta videri posse ait, quod non ab apostolis Paulo sit traditum Evangelium, sed ab ipso Jesu Christo, qui et illos Apostolos elegerat. Rig.

(*b*) *Et utique receptior apud Ecclesias Epistola Barnabæ.* Hæc Tertulliani de Epistola ad Hebræos sententia refertur ab Hieronymo Catal. Script. Eccl. in Paulo. Ipse autem Hieronymus in Barnaba, scriptam fuisse ait a Barnaba Epistolam quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertineret, verum inter scripturas apocryphas relatam. Hæc ab Eusebio quoque recensetur ἐν τοῖς νόθοις. Et tamen pro legitima Barnabæ citatur a Clemente Alex. : et ab Origene, lib. I *contra Celsum*, catholica dicitur. Vidimus eam græce, fere integram, penes doctissimum virum Jac. Sirmondum, cum latina quoque interpretatione antiqua. Tota autem constat argumentis iisdem quibus utitur Septimius noster libro *adversus Judæos*, et lib. *adversus Marcionem* tertio. Rig. — Hanc autem epistolam detexerat noster Hugo Menardus inter Mss. codices monasterii Corbeiensis, primusque illam publici juris fecit. Edd.

(*c*) *Illo apocrypho Pastore mœchorum.* Mœchos appellat psychicos, qui *Pastoris* librum receperant, de quo supra.

(*d*) *Nunquam mœcho et fornicatori*, etc. Quem Auctor perperam de pœnitentia secunda interpretatur locum jam citatum (*Hebr.*, VI), alii veteres de iteratione baptismi intelligunt, et nominatim B. Ambrosius, lib. *de Pœnit.*, cap. 2, et in comment... ; Epiphanius (*Hæres.*, 59). Quo etiam accedit Chrysostomus, cum aliis Græcis ejus asseclis, dum eodem modo interpretatur illud Hebr. X : *Postquam accepimus veritatis agnitionem, non relinquitur hostia pro peccatis...* Et certe pro hac sententia faciunt phrases latinæ, *eos qui semel illuminati sunt*, et : *rursus renovari*; et græcæ voces, ἀνακαινίζειν, quas usurpare solent veteres de baptizatis. Pam.

(*e*) *Quales in Abrahæ fiunt.* Aut mente concipiendum, aut supplendum scriptura vocabulum *filios* : alludit enim ad illud : Posse *Deum de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.*, III, 9). Rig.

mationem (*a*) *rursus sacerdos animadverterit in eadem domo de pristinis caussis* (1) *aliquid et maculis* (*b*), *immundam eam pronuntiavit, et jussit deponi materias et lapides et omnem structuram ejus, et abjici in locum immundum* (*Levit.*, XIV, 43-45). Hic erit homo caro atque anima, qui post baptisma et introitum sacerdotum reformatus, denuo resumit scabra et maculas carnis, et abjicitur extra civitatem in locum immundum; deditus scilicet Satanæ in carnis interitum (I *Cor.*, V, 4, 5); nec amplius reædificatur in Ecclesia post ruinam. Sic et de famulæ concubitu, quæ homini esset reservata, necdum redempta, necdum liberata : *Prospicietur*, inquit, *illi, et non morietur* (*Levit.*, XIX, 20), quia nondum est manumissa cui servabatur. Nondum enim caro a Christo manumissa, cui servabatur, impune contaminabatur, ita jam manumissa non habet veniam (*c*).

CAPUT XXI.

Hæc si Apostoli magis norant, magis utique curabant. Sed et in hunc jam gradum decurram, (*d*) excernens inter doctrinam Apostolorum et potestatem. (*e*) Disciplina hominem gubernat, potestas adsignat, seorsum quod potestas, spiritus autem Deus. Quid autem docebat? non communicandum operibus tenebrarum (*Ephes.*, V, 11). Observa quod jubet. Quis autem poterat donare delicta? (*f*) hoc solius ipsius est. (*g*) *Quis enim dimittit delicta, ni solus Deus* (*Marc.*, II, 7)? et utique mortalia quæ in ipsum fuerint admissa et in templum ejus; nam tibi quæ in te reatum habeant, etiam septuagies septies juberis indulgere in persona Petri (*Matth.*, XVIII, 22). Itaque, si et ipsos beatos Apostolos tale aliquid indulsisse (2) constaret, cujus venia a Deo, non ab homine, competeret, non ex disciplina, sed ex potestate fecisse. Nam et mortuos suscitaverunt, quod Deus solus; et debiles redintegraverunt, quod nemo nisi Christus; imo et plagas inflixerunt, quod noluit Christus. Non enim decebat eum sævire, qui pati venerat. Percussus est Ananias et Elimas, Ananias morte, Elimas cæcitate (*Act.*, V, 5, XIII, 11), ut hoc ipso probaretur (3) Christum et hæc facere potuisse. Sic et prophetæ eædem et cum ea mœchiam pœnitentibus ignoverant, quia et severitatis documenta fecerunt. (*h*) Exhibe igitur et nunc mihi, apostolice, prophetica exempla, (*i*) et agnoscam divinitatem, et vindica tibi delictorum ejuscemodi remittendorum potestatem. Quod si disciplinæ solius officia sortitus es, nec imperio præsidere, sed ministerio, quis aut quantus es indulgere? qui neque prophetam, nec apostolum exhibens, cares ea virtute cujus est indulgere? Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono, qui ipsum Paracletum in prophetis novis habeo dicentem : Potest Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia delinquant. (*j*) Quid, si pseudopropheticus spiritus pronuntiavit? Atqui magis eversoris fuisset, et semetipsum de clementia commendare, et cæteros ad delinquentiam temperare. Aut si et hoc secundum spiritum veritatis adfectare gestivit, ergo spiritus veritatis potest quidem indulgere fornicatori-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cavis *Lat.*
(2) Si et ipsis beatis apostolis... indulsisset *Par.*
(3) Ipsum probaret *Par.*

COMMENTARIUS.

(a) *Post recuperationem et reformationem.* Itaque *recuperationem* hic dicit pro *curatione et sanatione*, ut supra *immunditiam* dixit *irrecuperabilem.* Rig.

(b) *De pristinis caussis aliquid et maculis.* Latinius scribendum monuit *cavis.* Non temere; nam supra legimus *maculas et carositates.* Visum tamen retineri *caussis*, quia hoc vocabulo Septimius frequenter et labes et vitia significat. Sic supra quas dixerat caussas, explicat schismata, æmulationes, dissensiones, præsumptiones, etc. Rig.

(c) *Jam manumissa non habet veniam.* Atqui neque hic recte concludit Auctor post manumissionem non haberi veniam adulterii, eo quod illa famula reservata, id est desponsata erat alteri viro; quod non incurreretur, si manumissa tantum esset; et sic nihil ad institutum Auctoris. Pam.

CAP. XXI. — (d) *Excernens* pro *discernens.* Pam.

(e) *Disciplina hominem gubernat; potestas adsignat, seorsum quod potestas, spiritus autem Deus.* Hæc corrupta esse nemo negaverit. Quis autem absque veterum exemplarium auctoritate certi quidquam repromittat? Tamen et juvabit nonnihil interim tentasse. Nam et sensus et verba redire videntur si legimus, *Disciplina hominem gubernat : potestas adsignat. Seorsum, quid potestas? Spiritus, Spiritus autem? Deus.* Rig. — Latinius hunc locum sic emendat : *Potestas assignat; sed rursum, quid potestas, spiritus. Spiritus autem Deus est* (*Joan.*, IV, 24). Edd. — Potestas hominem adsignat, demonstrat, eximium ostendit, χαρακτηρίζει. Itaque, data Petro potestas Petri personam adsignat, ut ad Petri duntaxat personam potestas pertinuerit. Hoc vero ait Tertullianus. Sed visum aliter Patribus plerisque omnibus. Rig.

(f) *Hoc solius ipsius est.* Dei scilicet, sive Spiritus. Rig.

(g) *Quis enim dimittit delicta, nisi solus Deus?* In primis non Christi, sed Pharisæorum hæc fuit affirmatio (*Marc.*, II, 7; *Luc.*, V, 21). Deinde sibi etiam tanquam homini communicatam eam potestatem Christus asserit, cum addit : *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, etc. Et vero eamdem potestatem Apostolis communicavit, *Matth.*, XVIII, 18, et maxime *Joan.*, XX, 23 : *Quorum remiseritis*, inquit, *peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Qua veritate Auctor convictus, etsi eam scripturam ex proposito omittat, quia sibi contrariam, tamen negare non potest *ipsos beatos Apostolos tale aliquid indulsisse...* Sed depravat, dum adjicit : *non ex disciplina, sed ex potestate fecisse*; cum tamen... suæ ecclesiæ montanisticæ eam potestatem concessam fateatur. Pam.

(h) *Exhibe igitur et nunc mihi, apostolice.* Apostolicum vocat eadem forma qua supra, Pontificem maximum, et Episcopum Episcoporum, et Pastorem bonum, et benedictum Papam. Rig. — Cum haud dubie de Romano Pontifice loquatur, vel hinc Ecclesiæ Romanæ confirmat auctoritatem, quod ejus caput *apostolicum* vocet, utpote apostolorum successorem, sicuti ipse apertius lib. IV *Carminum adversus Marcionem*, cap. 8. Remansit autem ea appellatio in hodiernum diem. Pam.

(i) *Et agnoscam divinitatem.* Et agnoscam te divina virtute ac potestate adsignatum. Rig.

(j) *Quid si pseudopropheticus spiritus pronuntiavit?*

bus veniam, sed cum plurium malo non vult. De tua nunc sententia quæro, unde hoc jus Ecclesiæ usurpes. Si, quia dixerit Petro Dominus : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; tibi dedi claves regni cœlestis*, vel : *Quæcumque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata vel soluta in cœlis* (*Matth.*, XVI, 18, 19); idcireo præsumis et ad te (*a*) derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri (*b*) propinquam; qualis'es evertens atque (*c*) commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem : *Super te*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam;* et : *Dabo tibi claves*, non Ecclesiæ; et : *Quæcumque solveris vel alligaveris*, non quæ solverint vel alligaverint. Sic enim et exitus docet. In ipso Ecclesia exstructa est, id est per ipsum, (*d*) ipse clavem imbuit; vide quam : *Viri Israelitæ, auribus mandate quæ dico; Jesum Nazarenum virum a Deo vobis destinatum* (*Act.*, II, 22), et reliqua. Ipse denique primus in Christi baptismo reseravit aditum cœlestis regni, quo solvuntur alligata retro delicta, et alligantur quæ non fuerint soluta, secundum veram salutem; et Ananiam vinxit vinculo mortis; et debilem pedibus absolvit vitio valetudinis (*Act.*, III, 7). Sic et in illa disceptatione custodiendæ necne legis, primus omnium Petrus Spiritu instinctus, et de nationum vocatione præfatus : *Et nunc*, inquit, *cur tentatis Dominum de imponendo jugo fratribus quod neque nos neque patres nostri sufferre valuerunt? Sed enim per gratiam Jesu credimus nos salutem consecuturos sicut et illi* (*Act.*, XV, 10, 11). Hæc sententia et solvit quæ omissa sunt legis, et alligavit quæ reservata sunt. Adeo nihil ad delicta fidelium capitalia potestas solvendi et alligandi Petro emancipata. Cui si præceperat Dominus etiam septuagies delinquenti in eum fratri indulgere (*Matth.*, XVIII, 22); utique nihil postea alligare, id est retinere mandasset, nisi forte ea quæ in Dominum, non in fratrem quis admiserit; præjudicatur enim non dimittenda in Deum delicta, cum in homine admissa donantur. Quid nunc et ad Ecclesiam, et quidem tuam, psychice? Secundum enim Petri personam (*e*) spiritalibus potestas ista conveniet aut apostolo, aut prophetæ. Nam et Ecclesia proprie et (*f*) principaliter ipse est (*g*) Spiritus in quo est trinitas unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit. Atque ita exinde etiam numerus omnis qui in hanc fidem conspiraverint, Ecclesia (1) ab auctore et consecratore censetur. Et ideo Ecclesia quidem delicta donabit; sed Ecclesia Spiritus per spiritalem hominem, (*h*) non ecclesia numerus episcoporum : Domini enim, non famuli est jus et arbitrium; Dei ipsius, non sacerdotis.

CAPUT XXII.

At tu jam et in martyras tuos effundis hanc potestatem, (*i*) ut qui-que ex consensione (2) vincula induit adhuc mollia, in novo custodiæ nomine, statim am-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ecclesiæ *alii*.

(2) Confessione *Lat. Neand. Leop.*

COMMENTARIUS.

Verba sunt catholici, quem psychicum vocat. Rig.

(a) *Et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem.* Major fides habenda Auctori cum adhuc catholicus esset, quam nunc hæretico et contra Ecclesiam ex proposito maxime hoc capite scribenti. Proinde antidoti loco sufficient loci Auctoris quibus non semel *super Petrum* (non modo *in ipso*, id est *per ipsum*, sicut hic calumniatur) exstructam Ecclesiam fatetur, nempe lib. *de Præscript.*, cap. 22, et lib. IV *adversus Marcionem;* vel cum in hæresim lapsus esset, lib. *de Monogamia*, cap. 8... Et vero non personaliter B. Petro duntaxat id dictum, sed derivatum quoque in ejus successores, atque adeo Ecclesiam romanam ibidem videre est ex Patribus Pam.

(b) *Ad omnem Ecclesiam Petri propinquam.* Hoc est, quæ originem suam ad Petrum referre possit. Sed et aliæ quæ licet nullum ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ. Sic ipse libro *de Præscript. hæreticorum.* Rig.

(c) *Commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem : Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam.* Non recte citantur a Septimio verba Christi, quæ sunt apud Matth. XVI, 18. Ad ea vero sapientissimæ sunt observationes Chrysostomi. Rig.

(d) *Ipse clavem imbuit.* Primus seræ clavem inseruit; clave a Deo concessa uti cœpit. Sic lib. *de Jejuniis : Ubi jam restitutio hominis imbui potuit.* Rig.

(e) *Spiritalibus potestas ista conveniet.* Paracleticis, quos opponit Psychicis. Rig.

(f) *Principaliter ipse est spiritus, in quo trinitas.* Spiritus est quem Montano tribuit, et trinitatem, ut putat Pamelius, intelligit non sine stupore et dementia, Montanum, Priscam et Maxillam. Le Pa.

(g) *Spiritus, in quo est trinitas unius divinitatis.* Hæc adjecisse videtur in opprobrium Pontificis Romani, quasi de Trinitate cum Praxea sentiret. Sic enim *adversus Prax.: Duo negotia diaboli Praxeas Romæ procuravit : prophetiam expulit, et hæresim intulit; Paracletum fugavit, et Patrem crucifixit.* Rig

(h) *Non Ecclesia numerus episcoporum.* Ecclesia, inquit, delicta donabit, sed Ecclesia Spiritus, hoc est Ecclesia quæ Spiritu gloriatur, qui Deus est, qui solus delicta donare potest; non ecclesia quæ vincit numero episcoporum. Paracleticam sive Montanicam suam paucitatem opponit multitudini Catholicorum. Sic enim ait libro *de Jejuniis*, majorem vim imperitorum, apud gloriosissimam scilicet multitudinem psychicorum. Rig.

CAP. XXII. — (i) *Ut-quisque ex consensione vincula induit adhuc mollia.* Notat quorumdam psychicorum technas, qui ex compacto sese in carcerem dabant, et vincula inducbant, ut incœpti martyrii fama simplices fidelium, seu viros, seu fœminas, ob fornicationem forte ab Ecclesia relegatos, consolandi martyris affectu in carcerem ventitantes, fallerent, ac novis libidinum maculis contaminatas ad Ecclesiam remitterent cum literis pacis et communicationis. Quales pacis literæ ab ejusmodi nebulonibus, qui de sua ipsi pace periclitabantur? Hæc Septimius de Catholicis sub *psychicorum* nomine, sed jam infensus auctoritati Catholicæ. Rig. — Ex eo quod sequitur : *Illam Ecclesiam congregat quam Dominus in tribus posuit*, et proinde *non Ecclesia numerus episcoporum*, videor mihi colligere, etiam eo dementiæ venisse Auctorem, ut *trium* nomine in quibus consistit Ecclesia, intellexerit Montanum, Priscam et Maximillam. Pam.

biunt mœchi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lacrymæ circumstaguant maculati cujusque; (*a*) nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt. (*b*) Violantur viri ac fœminæ in tenebris plane ex usu libidinum notis, et pacem ab his quærunt qui de sua periclitantur. (*c*) Alii ad metalla confugiunt, et inde communicatores revertuntur, ubi jam aliud martyrium necessarium est delictis post martyrium novis. Quis enim in terris et in carne sine culpa? quis martyr sæculi incola, (*d*) denariis (1) supplex, medico obnoxius et fœneratori? (*e*) Puta nunc sub gladio jam capite (2) librato, puta in patibulo jam corpore expanso, puta in stipite (*f*) jam leone (3) concesso, puta in axe, jam incendio adstructo (4), in ipsa, dico, securitate et possessione martyrii, quis permittit homini donare quæ Deo reservanda sunt? a quo ea sine excusatione damnata sunt; quæ nec apostoli, quod sciam, martyres et ipsi, donabilia judicaverunt. Denique jam ad bestias depugnaverat Paulus Ephesi (I *Cor.* XV, 32), cum interitum decernit. incesto (I *Cor.* V, 3 *sqq.*). Sufficiat martyri propria delicta purgasse (*g*). Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius? Nam et in ipsa passione liberavit latronem (*Luc.* XXIII, 45). Ad hoc enim venerat, ut ipse a delicto purus, et omnia sanctus pro peccatoribus obiret (5). Proinde, qui illum æmularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro me : si vero peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere et tibi et mihi poterit? (*h*) Habeo etiam nunc quo probem Christum. Si propterea Christus in martyre est, ut mœchos et fornicatores martyr absolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, et Christus est; sic enim Dominus Jesus Christus potestatem suam ostendit : *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? quid* enim *facilius est dicere paralytico, Dimittuntur tibi peccata, an, Surge et ambula? Igitur, ut sciatis Filium hominis habere dimittendorum peccatorum in terris potestatem, tibi dico*, paralytice, *Surge et ambula* (*Matth.* IX, 4, *sqq.*). Si Dominus tantum de potestatis suæ probatione curavit, uti traduceret cogitatus et ita imperaret sanitatem, ne non crederetur posse delicta dimittere, non licet mihi eamdem potestatem in aliquo sine eisdem probationibus credere. Cum tamen mœchis et fornicatoribus a martyre expostulas veniam, ipse confiteris ejusmodi crimina nonnisi proprio martyrio diluenda, qui præsumis alieno. Quod si est, jam et martyrium aliud erit baptisma *Habeo* enim, inquit, *et aliud baptisma* (*Luc.* XII, 50). Unde et ex vulnere lateris Dominici aqua et sanguis, utrinsque lavacri paratura, manavit (*Joan.* XIX, 34). Debeo ergo et primo lavacro alium liberare, si possum secundo (*i*), ingeramusque (6) in sinum necesse est. Quæcumque auctoritas, quæcumque ratio mœcho et fornicatori pacem ecclesiasticam reddit, eadem debebit et homicidæ et idololatræ pœnitentibus subvenire, certe negatori, et utique illi quem in prælio confessionis tormentis colluctatum sævitia dejecit. Cæterum, indignum Deo et illius misericordia, qui pœnitentiam peccatoris morti prævertit, ut facilius in Ecclesiam redeant, qui subando, quam qui dimicando ceciderunt. Urget nos dicere indignitas. Contaminata potius corpora revocabis quam cruentata? quæ pœnitentia miserabilior, titillatam prosternens carnem, an vero laniatam? quæ justior venia in omnibus caussis, quam voluntarius, an quam invitus peccator implorat? Nemo volens negare compellitur, nemo nolens fornicatur : nulla ad libidinem vis est, nisi ipsa; nescit quod libet cogi. (*j*) Negationem porro

A

B

C

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Donariis *Lat.*
(2) Capiti *Lat.*
(3) Leoni *Lat.*
(4) Adstricto *Seml. Obert.*
(5) Obediret *Seml. Oberth.*
(6) Ingeram usque *Lat.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt.* Maluit Latinius, *Ecclesiæ*, ut de Ecclesiæ aditu intelligatur. Perdidisse Ecclesiam, sive Ecclesiæ aditum dicuntur, qui Ecclesia sunt ejecti; ut contra, reddi Ecclesia dicitur quibus redduntur jura pacis sive communionis ecclesiasticæ. Rig.

(b) *Violantur viri ac fœminæ in tenebris.* Quæ ab ethnicis olim adversus Christianos jactabantur, atrociora non erant istis quæ Septimius Psychicis suis infligit. Rig.

(c) *Alii ad metalla confugiunt.* Alii, inquit, ob mœchiam aut fornicationem ejecti, ethnicis procuratoribus metallorum corruptis, ad metalla confugiunt, ac pro Christi nomine raptos ad ea se fuisse simulant: unde mox, tanquam degustato martyrio, ad ecclesiasticæ communionis pacem revertuntur. Inde autem revertuntur ubi jam aliud martyrium necessarium est, ob ea nimirum delicta quæ dum apud metalla per fraudem illicitæ pactionis agerent, forma negationis non levissima contraxere. Quis martyr! in sæculo agens inter ethnicos, *damnatis supplex*, nempe hostibus Dei et Christi, *mœcho obnoxius et fornicatori*, hoc est, idolorum cultoribus, vel iisdem quoque re ipsa mœchis et fornicatoribus, a quibus tamen suam ipse cum Ecclesia pacem redimit! Rig.

(d) *Denariis supplex, medico obnoxius et fœneratori.* Conjecturam protuli, quam tanti facio, quanti esse per exemplaria videbitur. Rig.

(e) *Puta nunc sub gladio.* Quasi diceret : Demus autem istos de quibus supra dictum est, veros esse et indubitatos martyres. Rig.

(f) *Jam leone concesso.* Circo videlicet conclamante *Christianis leonem.* Sic lib. de Spectaculis : *Illic in nos quotidiani leones expostulantur.* Rig.

(g) *Sufficiat martyri*, etc. Aut loquitur de martyribus qui suo martyrio baptizabantur, aut intelligit de omnimoda purgatione delictorum quam solis martyribus tum ipse non semel, supra, tum B. Cyprianus, *Epistola* 52, ad Antonianum adscribit, ita ut nihil restet post hanc vitam purgandum. Pam.

(h) *Habeo nunc quo probem Christum.* Hoc est, habeo nunc quo probem Christum peccata dimittere, non martyrem. Rig.

(i) *Ingeramusque in sinum necesse est.* In sinum Psychicorum, ut eorum contumaciam confundamus. Rig.

(j) *Negationem porro quanta compellunt*, etc. Quid hoc est? fornicationem idololatria majorem facere? πορνεία quidem peccatum est et grave et lethale; at

quanta compellunt ingenia carnificis et genera pœnarum? Quis magis negavit, qui Christum vexatus, an qui delectatus amisit? qui cum amitteret (1), doluit? an qui cum amitteret lusit? Et tamen illæ cicatrices christiano prælio insculptæ, et utique (*a*) invidiosæ apud Christum, quia vicisse cupierunt, et sic quoque A gloriosæ, quia non vincendo cesserunt, in quas adhuc et diabolus ipse suspirat, cum sua infelicitate, sed casta; cum pœnitentia mœrente, sed non erubescente ad Dominum de venia. (*b*) Denuo dimittitur eis qui piaculariter negaverunt; (*c*) solis illis caro infirma est. Atqui nulla tam fortis caro, quam quæ spiritum elidit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Averteret *Seml. Oberth.*

COMMENTARIUS.

idololatria gravissimum, pro quo tot supplicia in veteri Ecclesia, utique instituti ritus pœnitendi. Le Pr.

(a) *Invidiosæ apud Christum.* Invidiam facientes Christo. Sic lib. de Fuga, *Malo invidiam ei facere per voluntatem ipsius pereundo.* Diximus supra. Rig.

(b) *Denuo dimittitur eis qui piaculariter negaverunt.* Cedat veritati pudor, et mutare sententiam nobis liceat, si negare non licet in authentico scriptum fuisse, *Denuo dimittitur eis qui peculiariter negaverunt.* B Nam id clausula sequens evincit. Ludit Afer ambiguo vocabuli, et jaculum torquet in Psychicos, quale supra, cum exteriores botulos iisdem objecit, qui luxuria tenderentur, et nuptias repetitas probarent: *Denuo*, inquit, *dimittitur eis qui peculiariter negaverunt.* Quasi diceret: Hominibus bene vasatis et bene peculiatis favent Psychici, qui pœnitentiam indulgent mœchis, vase ac peculio suo abutentibus, adeoque Christum negantibus, quoties membra sua, quæ fuere Christi, faciunt membra meretricis. Peculiariter Christum negant qui de peculio suo ludunt, adversus datam Christo fidem. Rig.

(c) *Solis illis caro infirma est.* Libidinosis, mœchis, fornicatoribus. Psychicorum disciplinam vituperat, qui de tribus delictis mortiferis, idololatria sive negatione, homicidio, et mœchia, solis mœchis Ecclesiam redderent, quæ magis reddenda videretur idololatris, sive negantibus, post expressam violentia tormentorum idololatriam sive negationem pœnitentibus, cum isti, non nisi asperitate tormentorum coacti, at mœchi et fornicatores, per libidinem et voluptatem sponte ipsi suapte, peccaverint. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE PALLIO (*d*)

LIBER.

Argumentum. — *Hoc opusculum pro pallio apologiam esse, satirico sale inspersam, apud Carthaginienses habitam eruditi consentiunt. Cum enim a popularibus suis reprehenderetur, quod togam pallio commutasset, hoc est, quod Christi militiæ nomen dedisset, satirica hac apologia illi occurrit: noluitque sibi inconstantiæ crimen adhærere, fuisseque semper in orbe universo ab ipsius conditu officiorum commutationes.*

CAPUT PRIMUM.

Principes semper (*e*) Africæ (*f*), viri Carthaginienses, vetustate nobiles, novitate felices, gaudeo vos tam prosperos temporum, cum ita vacat ac juvat, (*g*) habitus denotare. Pacis hæc et annonæ (2) otia: ab imperio et a cœlo bene est. Tamen et vobis habitus aliter olim; tunicæ fuere, et quidem in fama (*h*) de subteminis studio, et (*i*) luminis concilio (3), et mensuræ temperamento; quod neque trans crura prodigæ, nec intra genua invereciindæ, nec brachiis paræ (*j*) (4), nec manibus arctæ, (*k*) sed nec cingulo sinus dividere (5) expetitum: (*l*) quadrata justitia C

LECTIONES VARIANTES.

(2) Et annona et otia *Salmasius.*
(3) Consilio *Rhen. Fruneq. Paris.*
(4) Parcæ *Fræn. Par.* pare *Rhen.*
(5) Dividente expedita *Rhen.* expeditum *Salm.*

COMMENTARIUS.

(d) *De Pallio.* Multa in hanc rem, adeoque ad totius opusculi lucem præclara tradidit Cl. Salmasius, editione ad veterum exemplarium fidem accuratissima. Eam vero nos ubique fere hic sequimur. Rig.

CAP. I.—(e) *Principes semper Africæ.* Cum Tertullianus toto hoc libello de variis totius orbis, urbium, aliarumque rerum mutationibus tractare debeat, deque ipsorum etiam Carthaginiensium habitus et πολιτείας mutatione, nihil tamen eos quantum ad primatum attinet mutasse, initio libelli hujus statim contestatur. Salm.

(f) *Principes semper Africæ.* Africæ principatum penes Carthaginienses solos fuisse nemo ambigit; in hunc sensum ita locutus est Apuleius, lib. III *Florid.* cap. 1, illudque bis repetit: quod forte aliis observari potuit Merc.

(g) *Habitus denotare.* Denotare Tertullianus usurpat pro notare sive taxare. Rhen.

(h) *De subteminis studio.* Commendat eas tunicas de subteminis studio, quod studiose nimirum diligenterque textæ essent. Per subtemen fortasse totam texturam intelligit. Salm. D

(i) *De luminis concilio.* Hoc est, ob bene commissa et comparata colorum temperamenta. Ipse apertissime interpretatur, lib. *de Pudicitia.* Lumen de purpura dicitur Plinius, IX, ubi de purpura: *Omnem vestem illuminat*, et apud Trebellium Pollionem, *Chlamides veri luminis.* Concilium autem intellige conciliamentum, seu conciliationem. Rig.

(j) *Nec brachiis parœ.* Verissimum est quod notavit Salmasius ex veteribus libris legendum, *paræ*, ut dicatur *parus* (quemadmodum, *rarus*). Rig. — A quo adjectivo ortum esse adverbium *parum*, ut a *nimis* nimium, videtur Salmasio. Leop.

(k) *Sed nec cingulo sinus dividere expetitum.* Sic veteres libri. Hoc est, Olim non expetebant nec curabant Carthaginienses sinus vestis dividere. Leop.

(l) *Quadrata justitia beatæ in viris stabant.* Justitiam tunicarum dicit eo sensu, quo (*advers. Hermogenem*), justitiam motationis neutram in partem inclinantis. Leop. — Justitiam vocat τὴν συμμετρίαν. Salm.

beatæ in viris stabant. Pallium (1), extrinsecus (2) habitus, et ipse quadrangulus, ab utroque laterum regestus, et cervicibus circumstrictus (3), (*a*) in fibulæ morsu (*b*) humeris adquiescebat. Instar ejus hodie, (*c*) Æsculapio jam vestro sacerdotium est. Sic et in proximo soror civitas (*d*) vestiebat, et sicubi alibi (*e*) in Africa Tyros. At cum sæcularium sortium variavit urna, et (*f*) Romanis Deus maluit, soror quidem civitas suopte arbitrio mutare properavit, ut adpulsum Scipionem ante jam de habitu salutaret (4), (*g*) Romanum (5) præcoqua (*h*). Vobis vero post injuriæ beneficium, ut senium, non fastigium (6) exemptis, post Gracchi obscœna omnia, et Lepidi violenta ludibria, post trinas Pompeii aras, et longas Cæsaris moras, ubi mœnia Statilius Taurus imposuit, (*i*) solemnia Sentius Saturninus enarravit, cum concordia juvat, toga oblata est. Pro! quantum circummeavit, a Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos, ut ab humeris sublimioris populi Carthaginienses complecteretur! Exinde tunicam longiorem cinctu arbitrante suspenditis, et (*j*) pallii jam teretis redundantiam (*k*) tabulata congregatione fulcitis : et si quid præterea conditio, vel dignitas, vel (*l*) temporalitas vestit, pallium tamen generaliter vestrum immemores etiam denotatis. Equidem haud miror præ documento superiore. Nam et arietem, non quem Laberius reciprocicornem, lanicutem, testitrahum (7), sed trabes machina est, (*m*) quæ muros frangere militat, nemini unquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago,

A Studiis asperrima belli.
(*Virg. Æneid., lib.* I, 18).

Prima omnium (*n*) armasse in (*o*) oscillum penduli impetus, commentata vim tormenti debile (8) pecoris caput vindicantis. Cum tamen ultimam tempora patriæ, et (*p*) aries jam Romanus in muros quondam suos audet, stupuere illico Carthaginienses, ut novum, (*q*) extraneum ingenium :

Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.
(*Æn. lib.* III, *v.* 415).

Sic denique nec pallium agnoscitur.

CAPUT II.

Sit nunc aliunde res, ne Pœnicum inter Romanos aut erubescat, aut doleat. Certe habitum vertere na-
B turæ totius solemne munus est. Fungitur et ipso mundus interim iste quem incumbimus. Viderit Anaximander, si plures putat : viderit si quis uspiam alius ad Meropas, ut Silenus, penes aures Midæ blatit, aptas sane grandioribus fabulis. Sed et si quem Plato æstimat cujus imago hic sit, etiam ille habeat necesse est proinde mutare. Quippe si mundus, ex diversis substantiis officiisque constabit ad formam ejus quod mundus hic est : neque enim mundus, si non ut mundus proinde. Diversa in unum, ex demutatione diversa sunt. Denique diversitatis discordiam vices fœderant. (*r*) Ita mutando erit mundus omnis, qui et diversitatibus corporatus, et vicibus temperatus. (*s*) Nostra certe metatio, quod clausis vel in to-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pallii *cod. mss.*
(2) Dividente atque quadrata instita in viris autem extrinsecus *Fran.*, etc.
(3) Circumstructus *Fran. Par.*
(4) Salutasset *Venet. Salm.*

C (5) Romana *Fran.*
(6) Fastidium *Rhen.*
(7) Et lanientem et testitrahum *Leop.*
(8) De bile *Salm.*

COMMENTARIUS.

(a) *In fibulæ morsu.* In fibulæ morsu est per fibulæ morsum. Sic Græci ἐν ξίφει pro διὰ ξίφους. Salm.

(b) *Humeris adquiescebat.* Hoc de pallio communi græcanico, quod in humeris fibula nexum sedebat, et utrumque humerum advelabat. Salm.

(c) *Æsculapio jam vestro.* Nam prius erat Pergamenorum duntaxat. Rig.

(d) *Soror civitas.* Utica, quam Strabo secundam Tyriorum coloniam esse tradit. Rhen.

(e) *Sicubi alibi.* Hoc est, si in aliqua Africæ regione jacet alia Tyros. Aliam vero Tyrum præter Uticam, Adrumetum, et ipsam Tyri coloniam, significat. Edd.

(f) *Romanis Deus maluit.* Aliquanto enim tempore mutavit inter utrumque populum, Romanum et Carthaginensem, fuitque cum variis casibus immixtis in
D ancipiti spe ac metu uterque versaretur. Merc.

(g) *Romanum præcoqua.* Præcoci ac præfestinata romani habitus susceptione. Rig.

(h) *Præcoqua.* Quæ cum secundo bello Punico ab altero Scipione, istius avo qui Carthaginem evertit, frustra tentata expugnari non potuisset, ultro se Romanorum ditioni subjecit, stantibus adhuc Africæ rebus. Merc.

(i) *Solemnia enarravit.* Hoc est, solemnia effatus est inaugurandæ coloniæ verba. Rig.

(j) *Pallii jam teretis.* Pallium vestrum quadratum tereti seu rotundo pallio mutavistis, hoc est, toga romana. Cui interpretationi appositissimum testem Salmasius adhibuit veterem Persii scholiasten, qui togam esse ait purum pallium forma rotunda, fusiore atque inundante sinu. Rig.

(k) *Tabulata congregatione.* Umbone ex pluribus tabulatis coacto, seu multiplici contabulatione ædificato. Rig.

(l) *Temporalitas.* Tempestas anni. Rig. — Quia (scilicet) aliter in pace, aliter in bello, hyeme aliter atque æstate. Salm.

(m) *Quæ muros frangere militat.* Cujus militia est muros frangere. Rig.

(n) *Carthago prima omnium*, etc. Machina illa quæ aries dicitur punicum est inventum ; illud autem in oppugnatione Gaditana adinvenerunt. Quæ de oscillo postea Rigaltius, a Salmasio desumpta sunt. Le Pr.

(o) *Oscillum.* Libratio, αἴωρα, machinæ ad incussionem et impetum libratæ. Sic describitur ab Athenæo Mechanico Pephasmeni cujusdam Tyrii commentum adversus Gaditanos : ἐστὸν στηλοὰς, καὶ ἄλλον ἀπ' αὐτοῦ πλάγιον ἀρτήσας παραπλησίως ταῖς τῶν ζυγῶν φάλαγξι, ἔστησε τὸ τεῖχος ἕλκων ἐξ ἀντιστάσεως τὸ πλάγιον. Rig. — Id est : *Malum cum erexisset, et ex illo ulterum transversum, phalangum librarum instar, suspendisset, murum ferire cœpit, modo reducens transversum illum, modo promovens.* Edd.

(p) *Aries jam Romanus.* Qui olim fuit Carthaginiensium. Eodem sensu dixit ante : *Æsculapio jam vestro*, qui nimirum antea Pergamenorum erat et Romanorum. Salm.

(q) *Extraneum ingenium* : διὰ τὸ ξένον τοῦ μηχανήματος. Rig.—Scilicet, propter machinæ insuetum genus. Edd.

CAP. II.—(r) *Ita mutando mundus erit omnis.* Hoc est, nisi mutaretur mundus non esset, ex diversis quippe substantiis compositus et compactus est. Salm.

(s) *Nostra certe metatio.* Hic mundus quem incumbimus, in quo metamur. Salm.

tum homericis oculis liquet, totum versiforme est. Dies et nox invicem vertunt. Sol stationibus annuis, luna modulationibus menstruis variat. (*a*) Siderum distincta confusio (*b*) interdum dejicit quid, interdum resuscitat. Cœli ambitus, nunc (*c*) sub divo splendidus, nunc nubilo sordidus : aut imbres ruunt, aut si qua missilia cum imbribus, dehinc (*d*) substillum, et denuo sudum. Sic et mari (1) fides infamis, dum et flabris æque mutantibus, (*e*) de tranquillo probum, (*f*) de flustris temperatum, et extemplo (*g*) de decumanis inquietat. Sic et terram si recenseas temporatim vestiri amantem, prope sis eamdem negare memor viridem cum conspicis flavam, mox risurus et canam. Cæteri quoque ejus ornatus quid (2) non aliud ex alio mutant, et (*h*) montium scapulæ decurrendo, et (*i*) fontium venæ cavillando (3), et (*j*) fluminum viæ obhumando (4). Mutavit et totus orbis aliquando, aquis omnibus obsitus. Adhuc maris conchæ, et buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse. Sed et enatando rursus, in forma (5) mutavit rursus orbis, alius (6) idem. Mutat et nunc localiter habitus, cum situs læditur; cum inter insulas nulla jam Delos, harenæ (7) Samos (*k*), et (si ille (*l*) non mendax) (8) cum (9) in Atlantico Libyam aut Asiam adæquans quæritur (10); cum Italiæ quondam latus, Hadria Tyrrhenoque quassantibus mediotenus inter ceptum, reliquias Siciliam facit; cum tota illa plaga discidii, contentiosos æquorum coitus angustis (11) (*m*) retorquens, novum vitii (*n*) mari imbuit (12), non exspuentis naufragia, sed devorantis. Patitur et continens de cœlo, aut de suo. Aspice ad Palæstinam, qua Jordanes amnis finium arbiter, vastitas ingens, et orba regio, et frustra ager; at (13) urbes retro, et populi frequentes, et (*o*) solus audiebat; dehinc, ut Deus censor est (14), impietas ignium meruit imbres. Hactenus Sodoma, et nulla Gomorrha, et cinis omnia, et (*p*) propinquitas maris juxta cum solo (*q*) mortem vivit (15). Ex hujuscemodi nubilo et Tuscia Vulsinios (16) deusta, quo magis de montibus suis Campania speret, erepta (*r*) Pompeios. Sed absit. Utinam et Asia secura jam sit de soli ingluvie! Utinam et Africa semel voraginem paverit, (*s*) unicis castris fraudatis

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Forte* maris, *quo sensu dicitur mare infidum. Edd.*
(2) Si quid *Ven. Seml.*
(3) Ebullando *Par. Rhen.*
(4) Obumbrando *Franeq. Rhen.*
(5) Infirma *Rhen.* infima *al.*
(6) Aliud *Ven.*
(7) Rhene *Pam.* : *insulam exiguam Delo vicinam, cui nomen Rhene, commemorat Stephanus.*
(8) Et si ille non mendax *Fran.* et Sibylla non mendax *Seml. Ven. Rig. Leop.*
(9) Æon *Fran. Pam. Leop.*
(10) Quæritur nunc *Fran. Leop.* nunc *pro* cum *seq.*
(11) Angustiis *Fran.*
(12) Induit *Pam. Leop.*
(13) Ager est et *Fran.*
(14) Esset *Fran.*
(15) Bibit *Fran.* mortuum ivit *Salm.*
(16) *Add.* pristinos *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Siderum distincta confusio.* Optimus erit ipse sui interpres, libro de Resurrectione Carnis: *Redaccenduntur et stellatorum globi, reducuntur et siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat.* Rig.

(b) *Interdum dejicit quid, interdum*, etc. Nihil aliud intellexit Auctor, quam ortum et occasum stellarum, quæ dejici et decidere dicuntur cum occidunt, resuscitari cum oriuntur. Salm.

(c) *Sub divo splendidus.* Subdivum ὑπαιθρίον, serenum. Rig.

(d) *Substillum.* Cum aqua de cœlo casitat guttatim. Glossæ, *Substillat*, στράγγιζει. Rig.

(e) *De tranquillo probum.* Tranquillitate probum, tranquillum, ut de eo queri nemo jure possit. Rig.

(f) *De flustris temperatum.* Ventis agitatum, modo violentis, modo remissioribus. Rig. — An flustra hic temperato mari opponuntur? nequaquam, nam flustra malaciam maris significant. Salm.

(g) *De decumanis inquietat.* Fluctibus decumanis inquietatur. Ipse Tertullianus, infra, *De paradiso exterminat*, pro exterminatur. et, *Positis exuviis novus explicat*, hoc est, explicatur. Salm.

(h) *Montium scapulæ decurrendo.* Cum abrupta torrentium impetu de scapulis montium saxa in imum devolvuntur. Salm.

(i) *Fontium venæ cavillando.* Cavillari dicuntur fontes, cum sui copiam facere desinunt, cava telluris subeundo : tunc enim circumpositos incolas fallunt, frustrantur, et fraudant. Salm.

(j) *Fluminum viæ obhumando.* Alluvione fluminis alveus limo sive humo oppletur; ita ut, occupato alveo, flumen divertere, et viam sibi novam facere cogatur. Obhumatio igitur est alluvio, πρόσχωσις. Salm.

(k) *Samos.* Hæc insula, Plinio teste, repente e mari emerserat. Pam.

(l) *Ille.* Scilicet Plato qui in *Timæo* scribit in mari Atlantico insulam ingentem submersam. Atqui de harum aliarumque insularum interitu ac Sicilia, insula ex continente, latius in *Apolog.* (c. 40, col. 480 et 481), ubi iisdem pene verbis Tertullianus utitur. Et vero *nomen vitii quod plaga illa discidii mari induit*, aut (ut vatic. codex) *imbuit*, intelligo *Rhegium*, quippe quod græce obrutum significet (a ῥήγνυμι). Fretum nempe inter Siciliam et Italiam ita dictum, quod, cum antea conjunctæ essent, medium illud spatium aquis obrutum esset, et per angustiam scissum, sicuti ex Sallustio citat Isidor. Etym. lib. IV, in vocem : *Sicilia*, a Servio mutuatus. Pam. et Edd.

(m) *Angustis*, id est angustiis. Edd. — Angusta dicit, sicut Græci, στενά. Rig.

(n) *Novum vitii.* Novum vitium. Sic ipse infra, *endormidis solocem*, pro *endormidem solocem*. Rig.

(o) *Solus audiebat.* Ager ille qui nunc frustra est cum nihil ferat, olim in ore omnium erat ob fertilitatem, et vix de alio sermones erant. Rig.

(p) *Propinquitas maris.* Hoc est, mare propinquum, quod dicitur mare Mortuum. Rig.

(q) *Mortem vivit.* Veram putamus hanc lectionem, etsi in Carmine de Sodoma legatur : *Nec mare vivit ubi mors est maris illa quieti.* Mare illud etiamnum visitur et vivit, sed mortuum vocatur, itaque non vitam vivit, sed mortem. Rig.

(r) *Pompeios.* Hanc urbem, Vesuvii obrutam cineribus, excitatam e ruinis tandem nostris prope temporibus fuisse, cuique satis notum est. Edd.

(s) *Unicis castris fraudatis.* Non potest ambigi quin

expiata ! Multa et alia hujusmodi detrimenta habitum orbis mutavere (1), situsque movere. Bellis quoque plurimum licuisse et tristitia perget (2), non minus quam regnorum vices recensere. Quoties et ista mutaverunt (3), jam inde a Nino Beli progenie ! si tamen Ninus regnaret (4) primus, (*a*) ut autumat superiorum profanitas : ferme apud vos ultra stylus non solet. Ab Assyriis, si forte, ævi historiæ patescunt ; qui vero divinas lectitamus, ab ipsius mundi natalibus compotes sumus. Sed læta jam malo : quippe et læta mutant. Denique, si quid mare diluit, cœlum deussit, terra subduxit, gladius detotondit, (*b*) alias versura compensati redit. Nam et primitus majorem ambitum (5) terra cassa, et vacans hominum, et sicubi aliqua gens occuparat, sibimet soli erat. Itaque colere (6) omnia (si demum (7) intelligis alibi stipantem copiam, alibi deserentem), runcare atque (*c*) rustare instituit, ut inde velut ex surculis et propaginibus, populi de populis, urbes de urbibus, per ubique orbis pangerentur. Transvolavere redundantium gentium examina. Scythæ exuberant Persas : Phœnices in Africam eructant ; Romanos Phryges pariunt ; Chaldæum semen in Ægyptum educatur ; dehinc, inde cum transducitur, Judæa gens est. Sic et Herculea posteritas, Temeno pariter Peloponesum occupando producunt (8). Sic et Iones Nelei comites Asiam novis urbibus instruunt. Sic et Corinthii cum Archia mœniunt Syracusas. Sed vanum jam antiquitas, quando (*d*) curricula nostra coram. Quantum reformavit orbis æculum istud ! quantum urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis imperii triplex virtus (*e*), Deo tot Augustis in unum favente ! quot census transcripti ! (*f*) quot populi repugnati (9) ! quot ordines illustrati ! quot barbari exclusi ! Reverà orbis, cultissimum hujus imperii rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, et (*g*) cacto, et rubo subdolæ familiaritatis, (*h*) concultus et amœnus (10) (*i*) super Alcinoi pometum, et Midæ rosetum.

CAPUT III.

Laudans igitur orbem mutantem, quid denotas hominem ? Mutant et bestiæ pro veste formam : quamquam et pavo pluma (*j*) vestis, et quidem de cataclistis (11) ; imo (*k*) omni conchylio pressior (12), (*l*) qua colla florent ; (*m*) et omni patagio inauratior, qua terga fulgent ; et (*n*) omni syrmate solutior, qua caudæ jacent ; multicolor, et discolor, et versicolor ; nunquam ipsa, semper alia ; et si semper ipsa quando alia, toties denique mutanda, quoties movenda. Nominandus est et serpens, licet pone pavum : nam et iste quod sortitus est convertit, corium et ævum. Siquidem ut senium persensit, (*o*) in angustias (13) stipat, pariterque specum ingrediens, ab

LECTIONES VARIANTES.

(1) Novavere *Fran.*
(2) Licuit. Sed piget tristia *Fran. Leop.*
(3) Mutaverint *Leop.*
(4) Regnavit *Fran.* regnare *Salm.*
(5) Majore ambitu *Fran.*
(6) Colore... deferentem *Ven.*
(7) Cogitans omnia si domum *Fran.* colere omnia sibi, domum *Leop.*
(8) A Temeno pariter Peloponesum o. producuntur *Leop.*
(9) Repurgati *Salm.* propaginati *Fran.*
(10) Consitum et amœnum *Fran.* consultus et amœnus, *codex.*
(11) Cataclitis *Fran. Leop.*
(12) Depressior *Fran.*
(13) Angusta se *Fran.* angustias se *Leop.*

COMMENTARIUS.

ista sint capienda de Cambysæ exercitu in Lybicis Syrtibus, immensis arenarum cumulis cooperto atque obruto. Plut. in Alex. Salm.

(a) *Ut autumat superiorum profanitas.* De Nino, a quo Assyriorum repetenda origo, diximus olim in animadversionib. contra Præadam. De eo autem loquitur Diodorus lib. II. πρῶτος τὴν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδόμενον, Νῖνος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων ; *primus omnium qui in historiam et memoriam transierint, Ninus rex Assyriorum.* Le Pr.

(b) *Alias versura compensati.* Versura hic non est usura vel fœnus, ut perperam vulgo interpretantur, sed τὸ ἀντιστροφον vel ἡ ἀντιστροφὴ, ut Græci calcimones vocant. Salm.—Id est, fit compensatio alia conversione. Edd.

(c) *Rustare.* Rustum seu ruscus sunt rubi et sentes ; unde ruscare, sive rustare : unde et rustariæ falces, sentibus eradendis paratæ, apud Varronem, lib. I de re rustica. Sic in Apologetico, *Edictorum securibus rustatis et cæditis*, c. 4, col. 286. Rig.

(d) *Curricula nostra.* Sæculum nostrum, annis currentibus. Rig.

(e) *Triplex virtus.* Id est, tres imperatores seu Augusti, de quibus statim, nempe Severus pater, Antoninus et Geta filii. Rig.

(f) *Quot populi repugnati.* Florus, *Pœnos mari repugnavit.* Rig.

(g) *Cacto.* Cactos folio spinoso describitur, Plinio lib. XXI, I, cap. 16, et veteribus Glossis, *Cactum*, ἀκάνθας εἴδος. Hesychius, Κακτος ἄκανθα, ὑφ' ἧς ἂν τύπτῃ, ὑδρὸς ἀχρεῖα ἔχει τὰ ὀστᾶ εἰς αὐλούς. Rig.

(h) *Concultus et amœnus.* Concultum dicit, quod alias simpliciter, cultum ; et est contrarium inculto. Rig.

(i) *Super Alcinoi pometum.* Pomaria Alcinoi regis in Corcyra insula celebrantur a Plinio, lib. XIX, cap. 4. Meminit etiam Homerus, lib. VII Odyss., cujus verba citantur a Justino mart. adv. gen. Pam.

CAP. III.—(j) *Vestis de cataclistis.* De pretiosis ac diligentius adservatis. Sic Apuleio lib. XI : *Chorus veste nivea et cataclista prænitens* ; et Sexto Empirico : τέμενη καὶ κατάκλειστον. Hesych. Κατάκλειστοι, ἐν Κρήτῃ ἄτιμοί τινες, quæ scilicet vulgo minime parerent, qualis illa Catulli,

Servanda nigris diligentius uvis. Rig.

(k) *Omni conchylio pressior.* Pressa purpura dicitur, quæ purius et meracius lucet. Etenim laus ei summa color sanguinis pressi et concreti, nigricans adspectu, idemque suspectu refulgens. Plin. IX, 38. Rig.

(l) *Qua colla florent.* Florere, de purpura dicitur. Ipse Tertull. libro de Idol. : *Qualis de humeris ejus purpura floreret.* Rig.

(m) *Et omni patagio.* Patagium, unde patagia vestis, nihil aliud est quam clavus aureus, qui ad summam tunicam assuebatur : vulgo in matronis patagium dicebatur, et clavus in viris. Le Pr.

(n) *Omni syrmate solutior.* Tragica vestis : inde et mulieres tragicæ quoque induebantur solutius et laxius. Lac. — Ita vocabatur a verbo græco σύρω, quia a tergo fluebat et pone talos humi protrahebatur. Edd.

(o) *In angustias stipat.* Ipse, lib. ad Martyras : *Regulus in arcæ genus stipatus.* Rig.

ipso statim limine erasus, exuviis ibidem relictis novus explicat (1): cum squamis (*a*) et anni recusantur (2). Hyæna, si observes, sexus annalis est; marem et fœminam alternat. Taceo cervum, quod et ipse ætatis suæ arbiter, serpente pastus, veneno languescit in juventutem. Est et quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera; testudinem pacuvianam putas? non est: capit et (*b*) aliis bestiola versiculum, de mediocribus oppido, sed nomen grande; chamæleontem qui audieris, haud ante gnarus, jam timebis aliquid amplius cum leone, at cum offenderis apud vineam ferme sub pampino totum, ridebis illico (*c*) audaciam et (*d*) græciam (3) nominis; quippe nec succus est corpori, (*e*) quo minutioribus multo liquet (4). (*f*) Chamæleon, (5) pellicula, vivit: capitulum statim a dorso, nam deficit cervix; itaque durum reflecti, sed circumspectu ethissitii ocelli, imo luminis puncta vertiginant: hebes, fessus vix a terra suspendit, molitur incessum stupens et promovet, gradum magis demonstrat quam explicat, jejunus scilicet semper et indefectus (6), oscitans vescitur, (*g*) follicans ruminat, de vento cibus. Tamen et chamæleon mutare totus (7) nec alius, valet. Nam cum illi coloris proprietas una sit, ut quid accessit, inde suffunditur. Hoc soli chamæleonti datum, quod vulgo dictum est, (*h*) de corio suo ludere. Multa dicendum fuit, (*i*) ut ad hominem præstructim perveniretur. Hunc quoquo primordio accipitis, nudus certe et investis figulo suo constitit; post demum sapientiam, haud dum (*j*) licitum præreptam, potitur. Ibidem quod in novo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans, in ficulneis foliis interim circumdat: dehinc cum de originis loco exterminat (*k*), pellitus orbi ut metallo (*l*) datur. Sed arcana ista nec omnium nosse. Credo jam de vestro, (*m*) quod Ægyptii narrant, et Alexander digerit, et mater (8) legit (*n*) ea tempestate Osiridis, (*o*) qua ad illum ex Libya Ammon facit, ovium dives. Denique cum ipsi (9) Mercurium autumant forte palpati arietis mollitie delectatum, diglubasse (10) oviculam; dumque pertentat, et (*p*) quod facilitas materiæ suadebat, tractu prosequente filum eliquat (11) in restis pristini modum, (*q*) quem philyræ tenus junxerat, exisse (12).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Novus se explicat *Leop.* nomis explicat *Seml.* novum se explicat *Pam.*
(2) Recursantur *al.* recurantur *al.*
(3) Et græci jam *Rhen.* egregiam *Salm.*
(4) Qui minutioribus multo licet *Fran.*
(5) Si *inserit Salm.*
(6) Indefessus *Paris*
(7) Totus, nec aliud *Fran.*
(8) Afer *Fran.* — Vasit ovium.
(9) Ipsis *Leop.*
(10) Deglubasse *Leop.*
(11) Eliquasse *Fran.*
(12) In restis pristinæ modum, quam philyra tenui vinxerat, texuisse *edd. vet.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et anni recusantur.* Derelinquuntur una cum exuviis. Modo lectum fuit *explicat*, pro *explicatur*. Edd.

(b) *Aliis.* Pro alia, usurpatum etiam Catullo. Rig.

(c) *Audaciam et græciam nominis.* Quid supra audaciam, nisi impudentiam? Itaque, ut etiam aliquid supra impudentiam diceret, dicit græciam. Vulgatum est illud Martialis,

Sed Græci, quibus est nihil negatum.

et Juvenalis,

Et quidquid Græcia mendax
Audet in historia. Rig.

(d) *Græciam nominis.* Sic legitur in codice Divionensi.

(e) *Quo minutioribus multo liquet.* Sic habent libri veteres, nisi quod scribunt, *licet*, pro *liquet*, nec video cur aliud mutari quicquam debuerit. Non est, inquit, chamæleontis corpori succus, quo minutioribus multo insectis plerisque liquet: hoc est, cujus liquore minutiora multo non carent. Liquet succo, impersonaliter dicitur, ut in prodigiis, pluit lacte, sanguine, etc. Rig.

(f) *Chamæleon, pellicula vivit.* Etsi nihil sit aliud quam pellicula, tamen vivit. Rig.

(g) *Follicans.* In modum follis inflatus. Rig.

(h) *De corio suo ludere.* Martialis, in Cerdonem quemdam tam ambitiose fatuum, ut de pecunia sarciendis pellibus quæsita gladiatores populo daret:

Ebrius es, nec enim faceres id sobrius unquam,
Ut velles corio ludere, Cerdo, tuo. Rig.

(i) *Ut ad hominem præstructim perveniretur.* Præstruenda fuere multa, ut ad hominem perveniretur. Rig.—*Multa dicendum fuit.* Est græcismus, sive imitatio formæ in verbalibus τεος, α, ον, adhibitæ: v. g. πολλὰ πρᾶκτεον ἐστι, id est, *multa agenda sunt*, de verbo ad verbum, *multa agendum est*. Edd.

(j) *Haud dum licitum.* Adam enim, fructum vetitum gustare volendo, sapientiam, qua ipsi nondum licitum erat potiri, præripere adtentavit. Edd.

(k) *Exterminat.* Id est, exterminatur, expellitur *de originis loco*, nempe de paradiso. Edd.

(l) *Orbi ut metallo.* Ut servus ad metalla, ita ad spinas et tribulos damnatus est protoparens. Edd.

(m) *Quod Ægyptii narrant, et Alexander digerit.* Hæc de Alexandro Polyhistore, quem Suidas milesium fuisse refert, et bello captum in Cornelii Lentuli familia pædagogum egisse, posteaque manumissum Cornelii nomine vocitatum; scripsisse autem quamplurima, unde illi cognomentum Polyhistori. Is frequens apparet inter auctores a Plinio citatos, libris Historiæ naturalis. Atque ipsius quidem fuisse videntur libri de rebus Phrygiorum et Ægyptiorum ad matrem suam, unde hæc sumpta quæ de Mercurio Septimius hoc loco notat: Unde etiam sumpta, quæ Athenagoras in Apol., quæ Cyprianus de Idol., quæ Minutius in Octavio, quæ et Augustinus, libris de Civ. Dei, lib. VIII, cap. 5 et 27, et lib. XII, cap. 10. Alexandro macedoni Magno, Philippi filio tribuunt, decepti fortasse titulo, Alexandri de rebus Ægyptiorum ad matrem, quam statim interpretati sunt Olympiadem. Itaque iis nasutior fuit Tertullianus. Rig.

(n) *Ea tempestate Osiridis qua ad illum ex Libya Hammon facit.* Hygynus in Ariete, ex Leone qui res Ægyptias conscripsit, Hammonem refert ex Africa venisse ad Liberum. Liber autem apud Ægyptios (*V.* lib. de Corona). Rig.

(o) *Qua ad illum ex Libya Ammon facit.* Facit, hoc loco est facessit, iter vadit, proficiscitur. Sic lib. de Patientia, *Alterum ad alterum non facit*, id est non admittit. Rig.

(p) *Quod facilitas materiæ suadebat.* Materiæ scilicet sequacis in illa lentitiæ. Rig.

(q) *Quem philyræ tenus junxerat.* Prisci illi restes

Sed vos omnem lanicii dispensationem, structuramque telarum Minervæ maluistis, cum penes Arachnen diligentior officina. Exinde materia; nec de ovibus dico Milesiis, et Selgicis (1), et Altinis, aut quis Tarentum vel Bætica cluit, natura colorante, sed queniam et arbusta vestiunt, et lini herbida post virorem lavacro nivescunt; (a) nec fuit satis tunicam pangere et serere, ni etiam piscari vestitum contigisset : (b) nam et de mari vellera, quo muscosæ l nositatis (c) plautiores (2) conchæ comant. Prorsus haud latet bombycem, vermiculi genus est, quæ per aerem liquando (3) aranearum horoscopis idonius sedes tendit, dehinc devorat, mox alvo (4) reddere, (d) proinde si necaveris, animata jam stamina (5) volves. Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque vestificinæ prosecuta, primum tegendo homini, qua necessitas præcessit, dehinc et ornando, imo et inflando qua ambitio successit, varias indumentorum formas promulgavere; quarum pars gentilitus inhabitantur, cæteris incommunes; pars vero passivitus omnibus utiles, ut hoc pallium, et si græcum magis, sed lingua jam penes Latium est : cum voce vestis intravit. Atque adeo ipse qui Græcos (e) præter urbem (6) censebat, litera eorum vocemque senex jam eruditus, idem Cato (f) juridicinæ suo in tempore (g) humerum exertus, haud minus palliato habitu Græcis favit. (h) Quid nunc, si est Romanitas omni salus, nec honestis tamen modis ad Graios estis (7)? Aut, ni ita est, unde gentium in provinciis melius exercitis, quas natura agro potius eluctando commodavit, studia palæstræ (i) male senescentia, et cassum laborantia, et lutea unctio, et pulverea volutatio, et (j) arida saginatio? (k) Unde apud aliquos Numidas, (l) etiam equis cæsariatos, (m) juxta cutem tonsor, et cultri vertex solus immunis? Unde apud hirtos et hirsutos, (n) tam rapax a culo resina, (o) tam furax a mento volsella? Prodigium est hæc sine pallio fieri. Illius est hæc tota res Asiæ. Quid tibi Libya et Europa cum (p) xistycis (8) munditiis, quas vestire non nosti? Revera enim quale est græcatim depilari (9) magis quam amiciri?

CAPUT IV.

(q) Habitum transferre ita demum culpæ prope (10) est, si non consuetudo, sed natura mutetur. Sat refert inter honorem temporis et religionem. (r) Det (11) consuetudo fidem tempori, natura Deo. Naturam ita-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Salgicis *Fran.*
(2) Lautiores *Fran.*
(3) Aliquando *Fran.*
(4) Vacuo *Salm.* æque *Fran.*
(5) stamine *Fran.* nematam jam stamen evolves *Salm.*
(6) Pellendos urbe *Fran. Rig.*
(7) Admodum græcis estis *Fran.* græci estis *al.*
(8) Exoticis *Fran.* rusticis *Rhen.*
(9) Depellari *Fran.*
(10) Cultus probrum *Fran.* culæ prope *Sanl.*
(11) Religionem Dei *edd. vet.*

COMMENTARIUS.

de philyra, hoc est, de tiliæ membrana fasciatim dissecta intorquebant. Tenus philyræ, est tenia seu laqueus et vinculum ex philyra. Tenus autem et Tenia, Græca sunt. Hesychius, Τίνια ζῶνα. Item, Τενία, ζῶναι στέφανοι, δεσμοὶ, διαδήματα Item, Τίνιος, ὑράντος ἐλαίνης ἢ ἐρίου πεπλεγμένος. Rig.

(a) *Nec fuit satis tunicam pangere, ni etiam piscari vestitum contigisset.* Est in hunc sensum præclara Plinii indignatio : Quid mari, inquit, cum vestibus; si tanta ventri cum eo societas, quid tergori? Parum sit, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur, etc. lib. IX, cap. 35. Is tamen de muscosa ista concharum lanositate nihil. Rig.

(b) *Nam et de mari vellera.* Marinum vellus Græci πίννινον, seu πινικὸν ἔριον dicunt. Rig.

(c) *Plautiores conchæ, πλατύτεραι,* ad plausum aptiores : unde etiam formatum est latrans Plauti nomen. Rig.

(d) *Proinde si necaveris.* Sequenda videtur Salmasii lectio hæc, *proinde si necaveris, nematam jam, stamen evolves.* Hoc est, si animalculum illud necaveris antequam nema suum reddiderit, ex ima alvo postea evolves stamen quo oppletur. Le Pr.

(e) *Præter urbem censebat.* Ex urbe pellebat. Rig.

(f) *Juridicinæ suæ tempore.* Hoc est, Præturæ. Rig.

(g) *Humerum exertus.* Cinctu Gabino. Le Pr.

(h) *Quid nunc si est Romanitas omni salus,* etc. Hic vero ante Salmasium erant tenebræ caliginosissimæ. Sequimur accensa face præeuntem. Tertullianus Carthaginienses suos alloquitur : Si Romanos mores amplecti cunctis populis utile est et gloriosum, quid nunc per studia prorsus inhonesta atque inutilia ad Græcos abitis? Aut ni sic facitis, unde gentium palæstra quæ solet effœtum corpus tradere senectuti, et in cassum laborare, vestras provincias invasit melius exercitas, et ab natura telluri potius subigendæ comparatas? Unde gentium, nisi ex Græcia ad nos venit lutea illa unctio, et pulverea volutatio, et arida saginatio? Rig.

(i) *Male senescentia.* Duplex hic est interpretatio : Aut enim palæstræ studia male senescentia apud Carthaginienses dicuntur, qui cum in desuetudinem fere abirent, ea renovavit Severus. Aut ideo male senescentia dicuntur, quia raro senescunt pugiles. Le Pr.

(j) *Arida saginatio.* Errat vir maximus qui aridam saginationem ξηραλοιφὴν interpretatur, cum sit ξηροφαγία, quæ athletarum propria erat. Salm.

(k) *Unde apud aliquos Numidas.* Carthaginienses dicit esse quadamtenus Numidas, quia scilicet Numidarum affines. Rig.

(l) *Etiam equis cæsariatos.* Quibus equina ad galeam erat cæsaries. Rig.

(m) *Juxta cutem tonsor, et cultri vertex solus immunis.* Barba juxta cutem rasa, acriore tonsura, solo capite inton-o. Verticem pro capite posuit. Rig.

(n) *Tam rapax ab ala resina.* Hinc alipilarius qui resina et dropace alas pilabat. Nam alipila resina erat, qua alæ pilabantur. Salm.

(o) *Tam furax a mento volsella.* Canis intercipiendis, suffurandis, intervellendis. Rig.

(p) *Xysticis munditiis.* Athletæ et palæstritæ exercebantur in xystis et porticibus nudi; ideoque summa illis fuit cura corporis et munditiarum. Rig.

CAP. IV. — (q) *Habitum transferre.* Idem est ac si diceret, habitum transferre, ita demum habitus probrum est, atqui vestimentum vestimenti probrum non est, sed hominis. Salm.

(r) *Det consuetudo fidem tempori.* Præclare hæc restituit Salmasius ad sensum et manum Tertulliani. Sane debet consuetudo fidem tempori, cum ipsa nihil sit aliud quam temporis usus diuturni. Ita qui consuetudinem mutat, tempus tantum spernit. At natura fidem debet Deo, nempe auctori suo; naturam enim

que concussit Larissæus heros in virginem mutando : ille ferarum medullis educatus, (*a*) unde et nominis concilium, quandoquidem labiis vacuerat ab uberum gustu ; ille (*b*) apud rupicem, et sylvicolam, et (*c*) monstrum eruditorem scrupea schola eruditus. Feras, si in puero matris sollicitudinem patiens, certe (*d*) jam histriculus (1), certe jam virum alicui (*e*) clanculus (2) functus, adhuc sustinet (*f*) stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effœminatus, quod i li apud Sigæum (*g*) strongyla (3) servat. Plane postea miles est : necessitas enim reddidit sexum. De prælio somuerat, nec arma longe. Ipsum, inquit, ferrum virum attrahit. Cæterum si post incentivum quoque puellam perseverasset, potuit et nubere. Ecce itaque mutatio, monstrum equidem geminum, de viro fœmina, mox de fœmino vir, quando neque veritas negari debuisset, neque fallacia confiteri. Uterque habitus mutandi malus : alter adversus naturam, alter contra salutem. Turpius adhuc libido virum cultu transfiguravit, quam aliqua materna formido, tametsi adoratur a vobis qui potius erubescendus est, scytalo-agitti pelliger ille, qui totam epitheti sui sortem cum muliebri cultu compensavit. Tantum Lydiæ clanculariæ licuit, ut Hercules in Omphale, et Omphale in Hercule prostitueretur. Ubi Diomedes, et cruenta præsepia ? ubi Busiris et bustuaria altaria ? ubi Geryon ter unus ? Cerebris adhuc eorum clava fœtere malebat, cum unguentis offunderetur. Vetus jam Hydræ Centaurorumque sanguis in sagittis (*h*) pumice speculi excludebatur, insultante luxuria, ut post monstra transfixa coronam forsitan suerent. Ne sobriæ mulieris quidem aut viraginis alicujus scapulæ, sub exuvias bestiæ tantæ introire potuissent, nisi diu mollitas, et evigoratas, et exeduratas (4), quod apud Omphalem balsamo aut telino spero factum. Credo et jubas pectinem passas. Ne cervicem enervem inureret (*i*) sciria (5) leonina, hiatus crinibus infarsus, (*k*) genuini inter antias adumbrati (6). Tota oris contumelia mugiret, si posset : Nemea certe, si quis loci genius, ingemebat : tunc enim se circumspexit leonem perdidisse. Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit, jam Omphale in Herculis scorto designata descripsit. Sed et qui (*l*) ante Tirynthium accesserat pugil Cleomachus, post Olympiæ cum incredibili mutatu (*m*) de masculo fluxisset, intra cutem cæsus et ultra, inter fullones jam Novianos coronandus, meritoque mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus, utique sicut (*n*) vestigia (7) cestuum viriis (8) occupavit, ita et (*o*) endromidis solocem aliqua (*p*) multicia synthesi extrusit (9). Physconem et Sardanapalum tacendum est, qui nisi insignes libidinum, alias reges nemo nosset. Tacendum autem, ne quid et illi de Cæsaribus quibusdam vestris obumssitent, pariter propudiosis : ne caninæ (10) forte constantiæ mandatum sit, impuriorem Physcone, et molliorem Sardanapalo Cæsarem designare, et quidem (*q*) Subnerone. Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ustriculas *Fran.*
(2) Alicujus clanculo *Fran.*
(3) Statua *Fran.*
(4) Exodoratas *Fran.*
(5) Stiria *Fran.* ciria *Semi.*
(6) Genuinos i. a. adumbratos *Fran.*
(7) Fastigia *Fran.*
(8) Viriosa *Fran.*
(9) Extruxit *Fran.*
(10) Nec magnæ *Fran.*

COMMENTARIUS.

condidit Deus, impressa est naturæ mannum divinarum majestas. Homo ipse est portio principalissima naturæ. Ipsa igitur hominis natura fidem Deo conditori suo debet. Si fidem fallit, si naturam suam viri sui effœminatione, aut alio quovis plagio violat fraudative, tum vero naturæ ac divinæ majestatis reus est. Rig.

(a) *Unde et nominis concilium.* Unde sibi nomen adscivit et conciliavit. Rig

(b) *Apud rupicem et sylvicolam.* Rupex non a rupibus, nam prima corripitur sed a Græco ῥύπαξ, incultus, sic petrones a petris. Salm.

(c) *Monstrum eruditorem.* Hoc est, monstrosum præceptorem sive doctorem. Chironem significat, ex equo et homine Centaurum. Rig.

(d) *Jam histriculus.* In Glossis *histriculus*, et *hirticulus.* δασύχρωτος. Rig.

(e) *Clanculus functus.* Clanculum. Rig.

(f) *Stolam fundere.* Id est stola fusiore uti. Salm.

(g) *Strongyla*, στρογγύλη, statua in clypeo expresso cum thorace vultu. Inde est quod apud nos etiam plebecula usurpat, *La trogne d'un tel.* Rig.

(h) *Pumice speculi excludebatur.* Scio specula olim de argento atque ære fieri vulgo solita. quæ pumice tergeri, polirique recte possunt ; sed non video quid similitudinis sit inter speculum et sagittas. Salm.

(i) *Sciria leonina.* σκίρρα. σκληρύτης, pellis leonina, quæ minime subacta est, sed crudo gestatu exarefacta inhorruit. Rig.

(k) *Genuini inter antias adumbrati.* Antiæ sunt comæ διὰ τῶν κροπάρων κρεμάμεναι, seu ut gloss. aliud habet τρὶχες μεταξὺ τῶν κεράτων τῶν βοῶν. Didici autem a Salmasio comas alias esse τὰς ὑπὲρ τὸ μέτωπον quæ capronæ dicuntur, alias ἐπὶ πλαγίου quæ antiæ et remulsæ ac antependulæ Apuleio, alias denique κατάκομοι nutritas fuisse. Le Pr.

(l) *Ante Tirynthium.* Auctor certe Hercules gymnicorum certaminum, sed ille vi, non arte pugillabat et luctabatur ; hinc vires corporis, et genitivum robur, non artem ejus in certaminibus veteres commendarunt. Salm.

(m) *De masculo fluxisset.* Pugilem significat in mulichris patientiæ mollitiem solutum, unguento delibutum, vestitu affluentem. Rig.

(n) *Vestigia cestuum viriis occupavit.* Loco cestuum armillas induit brachiis. Rig.

(o) *Endromidis solocem.* Endromidem solocem, soloci, hoc est, rudi et crasso filo contextam. Rig.

(p) *Multicia synthesis.* Dicuntur etiam multicia, vestes quælibet molles, delicatæ, ac pellucidæ, ut solent esse fœminarum. Quod satis innuunt illa Juvenalis,

.....Sed quid
Non facient alii, cum tu multicia sumas,
Cretice ?

Et in VI :

Humida suspectis referens multitia rugis. Rig.

(q) *Subneronem.* Domitianum, qui portio Neronis dicitur, Apolog. col 293. Subnero, ut Submarius, Cic. X, ep. 1. Rig. — *Subneronem.* Hoc est qui ad Neronem proxime accederet, Domitianus enim sui temporis Nero dictus. Sic Tull. ep. 1, lib. X, ad Attic. Submarium dixit pro homine sua crudelitate Marium adæquante. Le Pr.

induviis, et jam viro salvo. Calor est omnis affectus : verum cum in affectationem flabellatur, jam de incendio gloriæ ardor est. Habes igitur ex isto fomite æstuantem magnum regem, sola gloria minorem. Vicerat Medicam gentem, et victus est Medica veste. Triumphalem (*a*) cataphracten amolitus, (*b*) in captiva sarabara decessit : pectus squamarum signaculis disculptum, textu pellucido tegendo nudavit, et anhelum adhuc ab opere belli, ut mollius, ventilante serico extinxit. Non erat satis animi tumens Macedo, ni illum etiam vestis inflatior dejectasset. Nisi quod et philosophi puto ipsi aliquid ejusmodi affectant. Audio enim in purpura philosophatum. Si philosophus in purpura, (*c*) cur non et in baxa ? Tyrium (1) calciari nisi auro, minime græcatur. Dicet (2), atquin alius et sericatus, et crepidam æratus incessit ? digne quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid subtinniret, cymbalo incessit. Quod si jam tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cænulentis pedibus, ut rhori platonici sciunt, sed omnino totum Empedoclem (*d*) in adyta cloacinarum detulisset, ut qui se cœlitem delirarat, (*e*) sorores prius suas, dehinc homines deus (3) salutaret. Tales igitur habitus qui de natura et modestia transferunt, et acie figere, et (*f*) digito destinare, et nutu tradere merito sit. Prorsus si quis Menandrico fluxu delicatam vestem humi protrahat, audiat penes se et comicus, qualem demens iste chlamydem disperdit ? A Enimvero jamdudum censoriæ intentionis (*g*) episcynio disperso quantum denotatui, passivitas offert libertinos in equestribus (*h*), subverbustos in liberalibus, dediticios in ingenuis, rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus : vespillo, leno, lanista tecum vestiuntur. Converte et ad fœminas, habes spectare quod Cæcina Severus graviter senatui impressit, matronas sine stola in publico. Denique (*i*) Lentuli auguris consultis, quæ ita sese exauctorasset, (*j*) pro stupro erat pœna : quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quædam desuefeceraut. At nunc in semetipsas lenocinando, quo planius adeantur, (*k*) et stolam, et supparum, et crepidulam, et caliendrum, ipsas quoque jam lecticas, B et sellas, queis in publico quoque domestice ac secrete habebantur, ejeravere. Sed alius extinguit sua lumina, alius non sua accendit. Aspice lupas popularium libidinum nundinas, (*l*) ipsas quoque fictrices, et si præstat oculos abducere ab ejusmodi propudiis occisæ in publico castitatis, aspice tamen (*m*) vel sublimis, jam matronas videbis. Et cum latrinarum antistes sericum ventilat, et (*n*) immundiorem loco cervicem monilibus consolatur, et armillis quas ex virorum fortium donis ipsæ quoque matronæ temere usurpassent, omnium pudendorum conscias manus inserit, (*o*) impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum : cur istos non spectas, vel illos

LECTIONES VARIANTES.

(1) Baxea tyria *Fran.*
(2) Nisi aurum minime græcatos decet *Fran.* C
(3) Deas *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Cataphracten amolitus in captiva sarabara decessit.* Detracto sibi cataphracte in quo triumpharat, de fastigio illo decessit, ac pene subegit sese, cum induit captiva sarabara. Ea sunt vestimenta barbarorum, quos ille prælio superaverat, easeratque. LE PR.

(b *In captiva sarabara decessit.* Annon ridiculi sunt interpretes, qui Alexandrum in suis braccis decessisse volunt ? Ita enim hoc verbum *decessit* acceperunt, quasi in sarabaris suis mortuus sit. SALM.— *In captiva sarabara* Putarem hic legendum *saraballa*, locus enim Danielis III, habet saraballim סרבלים, hoc est chlamydes fert vel pallia. LE PR.

(c) *Cur non et in baxa ?* Ipse lib. de Idololatria, pag. 108 : *Soccus et baxa quotidie inaurantur.* RIG. — Baxa genus calceamenti deaurati et muliebris. SALM. D

(d) *In adyta cloacinarum.* In cloacas quarum præsides Cloacinæ, tot igitur Cloacinæ quot cloacæ. At Venerem Cloacinam Plinius, non a cloacis quibus præesset sed a cluendo, id est purgando denominatam asserit ; hic autem ideo Afer Cloacinas dixit, non Cloacinam. SALM.

(e) *Sorores prius suas.* Convenienter sane putido illi Deo Empedocli sorores putidissimas dedit Cloacinas deas. RIG.

(f) *Digito destinare.* Idem est quod directo digito aliquem monstrare ac denotare. SALM.

(g) *Episcynio disperso.* Supercilio minus adstricto contractoque, minus severo, quantum ad denotationem et increpationem. RIG.

(h) *Subverbustos in liberalibus.* Masligias adhuc verberum quibus usti sunt vibicibus notatos, in liberalibus vestimentis videas, hoc est, hominum liberorum vestibus indutos. RIG.

ὁ μαστιγίας seu στιγματίας, stigmaticus Tullio, stigmosus Plinio. LE PR.

(i) *Lentuli auguris consultis.* Gn. Lentulus augur cum Publ. Lentulo primum, iterum cum M. Crasso consul fuit Augusti tempore : ejus consulti quod de matronarum habitu sub eo factum est, nulla mentio apud Senecam et Suetonium qui de eo locuti sunt. MERC.

(j) *Pro stupro erat pœna.* Tam fœdæ exauctorationi eadem pœna, quæ stupro. RIG.

(k) *Et stolam et supparum*, etc. Turnebus crepidulam legit, sed magis placet vulgata lectio. Nam crepitulum Festo significat ornamentum capitis, quod in capitis motu crepitum facit. Caliendrum, inquit, Turnebus, operimentum capitis significat a græco καιγγιον ; usurpatum etiam Arnobio lib. VI adv. gentes. PAM.

(l) *Ipsas quoque fictrices.* Fictricem adjungit lupæ, lenam meretrici. Fictrix, simulatrix, quæ conciliando amori exitiove cerea simulacra fingit, venefica, lena. RIG.

(m) *Vel sublimis.* Oculis scilicet transversum tuentibus. RIG.

(n) *Immundiorem loco cervicem monilibus consolatur.* Cervices suas infelici latrinæ lavandæ ministerio damnatas absurdissimi luxus impudentia consolatur. RIG.

(o) *Impuro cruri purum*, etc. Quoniam calcei apud Romanos cruris partem velabant, cothurni, unde Ovid. lib. III, de arte.

Pes malus in nivea semper celetur aluta.

Mullei autem calcei, alii perones erant, alii uncinati, qui magistratibus functi fuerant, gestabant mullcos, milites fulmentatos, cæteri perones gerebant et calceos ἐμβατηρους. LE PR.

item habitus qui novitati suæ stare religionem mentiantur ? cum obcultum omnia candidatum, et (*a*) ob notam vittæ, et privilegium galeri Cereri initiantur : cum ob diversam affectionem (*b*) tenebricæ vestis, et (*c*) tetrici supra caput velleris, (*d*) in Bellonæ, mentes (1) fugantur : cum (*e*) latioris purpuræ ambitio, et (*f*) galatici ruboris superjectio Saturnum commendat : cum ipsum hoc pallium morosius ordinatum, et (*g*) crepidæ græcatum (2) Æsculapio adulantur. Quanto tunc magis arguas illud, et urgeas oculis, etsi jam simplicis et inaffectatæ, tamen superstitionis reum ? Enimvero cum hanc primum sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissime pallium super omnes exuvias et peplos augusta vestis superque omnes apices (3) et tutulos (*h*) sacerdos suggestus. Deduc oculos suadeo, reverere habitum unius interim erroris tui renuntiatorem.

CAPUT V.

Tamen, inquis, ita a toga, ad pallium ? quid enim si a diademate et a sceptro ? an aliter mutavit Anacharsis, cum regno Scythiæ philosophiam prævertit ? Nulla in melius transgressi (4) sint signa, est habitus iste quod faciat. Prius etiam (*i*) ad simplicem captatelam (5) ejus, nullo tædio constat : adeo nec artificem necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, et inde (*j*) deducat in talias (6), totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus assignet, dehinc diluculo tunica prius cingulo correpta, quam præstabat moderationem (7) texuisse, recognito rursus umbone, et si quid exorbitavit reformato, partem quidem de lævo promittat, ambitum vero ejus ex quo sinus nascitur jam deficientibus tabulis, retrahat a scapulis, (*k*) et exclusa dextra in lævam adhuc congerat cum alio pari tabulo (*l*) in terga devoto, atque ita hominem sarcina vestiat. Conscientiam denique tuam perrogabo, quid te prius in toga sentias indutum, anne onustum ? Si negabis, domum consequar, videbo quid statim a limine properes. Nullius profecto alterius indumenti expositio quam togæ gratulatur. (*m*) Calceos nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, verum et falsam, quem enim non expediat in algore et ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem (8) ? magnum incessui munimentum (*n*) sutrinæ venetiæ prospexere, perones effœminatos. At enim pallio nihil expeditius, etiam si duplex, quod Cratetis mora nusquam vestiendo cum ponitur (9) : quippe (*o*) tota molitio ejus (*p*) operi habitus.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Montes *Fran.*
(2) Cretatæ græcatim *Fran.*
(3) Apices et titulos *Seml.*
(4) Transgressus *Fran.*
(5) Spectatilam *Fran.*
(6) Tilias *Fran.*
(7) Moderatiorem *Seml.*
(8) Uncipedem *Fran.*
(9) More u. v. componitur *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ob notam vittæ et privilegium galeri.* Notæ matronales, seu privilegia matronalia, vitta et galerus, et matronarum quidem Cereri initiatarum. Galerum autem intellige candidum. Rig.

(b) *Tenebricæ vestis.* Nigræ Rig.

(c) *Tetrici supra caput velleris.* Tetri, Bellona seu Minerva calceata furvis galeam formis. Ipse Tertull. de Testim. An. pag. 82. Rig.

(d) *In Bellonæ mentes fugantur.* Mentem fugatur fanaticus, qui in æde Bellonæ furore corripitur. Bellonarius, ὁ θεοφορούμενος. Rig. —Vulgo legitur in Bellonæ montes fugantur, et antequam prima Tertulliani prodiret editio nostra, sciebamus apud Augustinum in actis purgationis Cæciliani, mentionem fieri montis Bellonæ, juxta Carthaginem, quo nonnulli sese tunc in persecutione contulerant. Sed cum aut montes Bellonæ complures, aut Bellonarios in Bellonæ montes fugatos fuisse nemo hactenus monstraverit ; imo fanaticos vehementi furore in fano Bellonæ correptos, ideo Bellonarios dici auctores antiquissimi tradiderint, facile passi sumus persuaderi nobis, vulgatam lectionem hoc loco defendi nullo modo posse, adeoque legendum, in Bellonæ mentes fugantur. In Bellonæ, scilicet fano, mentes fugantur, illi nempe queis mens et ratio per furorem eripitur, eodemque modo, mentes fugari dicuntur, quemodo et ratio fugere, et mentes vagari, alienari, moveri, præcipitari, agitari, et contrario sensu redire. Salmasio placet, *mentes fugantur*, qua forma Græci dicunt ἐξίστην δὲ φρενός. Mentes fugantur dixit Septimius, ut col. 1054. Campania erepta Pompeio. Le Pr.

(e) *Latioris purpuræ ambitio.* Saturnum ambit et vestit latior purpura. Rig.

(f) *Galatici ruboris.* Coccinei. Plinius, *Coccum Galatiæ rubens granum.* Rig.

(g) *Crepidæ græcatum.* Crepidæ græcatus, est crepida græcanica. Rig.

(h) *Sacerdos suggestus.* Sacerdotalis ornatus, sic Persius Sat. 1.

> Ecce modo heroas sensus adferre docemus
> Nugari solitos Græce,

hoc est, heroos, seu heroicos sensus. Rig.

CAP. V.—(i) *Ad simplicem captatelam.* Sic restituit Salmasius ex veteris scripturæ vestigiis, hoc est, simplicem capiendi vestiendique commoditatem. Noluit Tertullianus dicere *capturam :* nam hoc ad prædas pertinet. Noluit *captionem;* nam hoc ad fraudes. Noluit *captum;* nam hoc ad ingenium. Qua forma igitur alibi dicit, peccatelam, et monelam, et fovelam ; qua forma item vulgus tutelam, et cautelam, et loquelam, maluit dicere captatelam. Rig.

(j) *Deducat in talias.* In rugas et plicaturas, quasi scissuras. Taleas et taleolas dixere scriptores rerum rusticarum. Rig.

(k) *Et exclusa dextera in lævum adhuc congerat.* Apud veteres Romanos, manus intra vestem seu togam continebantur, at vero postea factum ut toga sub brachio dextro conjiceretur, manum liberam relinqueret, de posteriori ratione hic Septimius. Ita Græciæ philosophi pallium gestabant. Le Pr.

(l) *In terga devoto.* Dedicato ac reservato in eum usum, ut etiam terga ornentur. Rig.

(m) *Calceos proprium togæ tormentum.* Etenim calceos simul cum toga sumebant. Itaque togam bajulabant in calceo vincipedes. Rig.

(n) *Sutrinæ venetiæ prospexere.* Veneriæ olim male legebatur ; sunt autem sutrinæ venetiæ, in quibus venetæ pelles ad conficiendos calceos accommodarentur. Ut enim in Venetorum tractu magna armentorum copia, ita et pellium ad calceos. Le Pr.

(o) *Tota molitio ejus,* etc. Philosophicum pallium uno circumjectu liberum ac solutum corpus adstringit et circumdat. Le Pr.

(p) *Operire solutim.* Ambitione soluta, uno circumjectu. Rig.

rire est solutim. Id ex uno circumjectu licet equidem nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit. Humerum velans exponit vel includit, cæteroquin humerum adhæret; nihil circumfulcit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat, facile se e regit, facile reficit: etiam cum expunitur (1), (*a*) nulli cruci (2) in crastinum demandatur. Si quid interulæ subter est (3), vacat zonæ tormentum: si quid calceatus inducitur, mundissimum opus est: aut pedes nudi magis, certe viriles magis quam in calceis. Hæc pro pallio interim, (*b*) quantum nomine comitiasti (4). (*c*) Jam vero et de negotio provocat. Ego, inquit, nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo: nulli officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo: (*d*) canales non odoro, (*e*) cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, caussas non clatro, non judico, non milito, secessi de populo, (*f*) in me unicum negotium mihi est, nisi aliud non curo quam ne curem. Vita meliore magis in successu fruare quam in promptu, sed ignavam infamabis (5). Scilicet patriæ et imperio, reique vivendum est. Erat olim ista sententia. Nemo alii nascitur moriturus sibi. (*g*) Certe cum ad Epicuros et Zenonas ventum esset, sapientes vocas, totum quietis magisterium, qui eam summæ atque unicæ voluptatis nomine consecravere. Tamen propemodum nihil quoque licebit in publicum prodesse. Soleo (*h*) de qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere, quæ felicius publicis rebus, et civitatibus et imperiis bonas valetudines conferent, quam tuæ operæ. Quippe (*i*) si pergam ad acuta tecum, plus togæ læsere rempublicam, quam loricæ. Atquin nullis vitiis adulor, nullis veternis parco, nulli impetigini. Adigo cauterem ambitioni qua M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit: quas bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritianæ numerat. Hem quantis facultatibus æstimavere ligneas maculas! item qua lances centenarii ponderis Sulla molitur! Vereor sane ne porra sit ista trutina, cum Drusillanus, equidem servus Claudii, (*j*) quingenariam promulsidem ædificat, suprascriptis fortasse mensis necessariam, cui si officina extructa est, debuit et triclinium. Immergo æque scapellum acerbitati ei qua Vedius Pollio servos murænis invadendos objectabat. (*k*) Nova scilicet sævitia delectato (*l*) terrenæ bestiæ, et edentulæ, et exunguis, et excornis, (*m*) de piscibus placuit feras cogere, utique statim coquendis, ut in visceribus earum, aliquid de servorum suorum corporibus et ipse gustaret. Præcidam gulam, qua Hortensius orator primus pavum cibi caussa potuit occidere: qua Ausidius Lurco primus sagina corpora vitiavit, et (*n*) coactis alimentis in adulterinum provexit saporem: qua Asinius Celer (*o*) mulli unius obsonium sex ses-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Reponitur *Fran.*
(2) Cippo *Fran.*
(3) Super est *Fran.*
(4) Concitasti *Fran.*
(5) Sed ignava infamique *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nulli in crastinum cruci demandatur.* Idem est quod supra dixit. Nullis forcipibus assignatur custodibus. Rig.

(b) *Quantum nomine comitiasti.* Quantum mihi pallii nomine in comitio exprobrasti. Incomitiare dixit Plautus in Curculione, et opposuit inforare, obsceno sensu. Rig.

(c) *Jam vero et de negotio provocat.* Pallium deinceps loquitur, vel potius philosophus in pallio. Rig.

(d) *Canales non odoro.* Prima editio Rhenani, *canales non adoro.* Recte emendavit Salmasius, *Odoro:* Canales forenses dicti auctore Festo, quod, circa canales fori consisterent. Verum hæc de foro, ubi mercimonia emuntur venduntur que. Rig.

(e) *Cancellos non adoro.* Proba forsan lectio, nescio tamen an pariter legi posset *non adorior.* Nam causidici dum caussam suscipiunt et sistunt se apud judices, cancellos dicuntur adoriri. Le Pr.

(f) *In me unicum negotium est.* Totus in eo sum, ne quid peccem. Satis negotii mihi circa meipsum. Sic ille Epicteticæ sapientiæ studiosus, cavendum sibi esse novit a semetipso, tanquam ab inimico et insidiatore, ἐνί τε λόγῳ, ὡς ἐχθρὸν ἑαυτὸν φυλάσσει, καὶ ἐπίβουλον. Rig.

(g) *Certe cum ad Epicuros*, etc. Meminisse oportet attentum lectorem pallium Cratetis, hoc est, cynicum ista loqui, non christianum. Salm.

(h) *De qualibet margine vel ara.* Nempe hic in pallio loquitur philosophus, non christianus. Non enim puto christianum ullum adduci tunc potuisse, ut in aram saliret concionis ergo, quippe aras et sacrificia detestabantur et exsufflabantur transeuntes tunc temporis Christiani. Rig.

(i) *Si pergam ad acuta.* Si pergam acutis et decretoriis armis tecum pugnare, non prolusoriis et hebetibus. Ovid. *Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis* Salm.

(j) *Quingenariam promulsidem.* Lancem quingentarum libr. argenti. Lancem vocat Plinius quem hic Tertullianus promulsidem. Quantum est hodie eruditorum, promulsidem volunt esse ante cœnam aut gustationem. Sed omnis antiquitas semper hoc verbi pro vase ac lance usurpavit. Rig.

(k) *Nova scilicet sævitia delectato.* Hanc sævitiam notat Seneca, simul et historiam narrat, III de Ira, caput 40. Fregerat unus ex servis crystallinum: rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte, murænis objici jubebatur, quas ingens piscina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuriæ caussa facere? sævitia erat, etc. Plinius IX. 23. Rig.

(l) *Terrenæ bestiæ.* Terrenos pisces vocat Plinius, degentes in cavernis aquas habentibus. Rectissime conjecit, qui hæc in primo casu plurali a Septimio dici censuit, adeoque sequentia sic legenda, *exungues et excornes* Plin. 12, 25: tanquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, et quia in alio genere totum pariter hominem distrahi spectare non poterat. Rig.

(m) *De piscibus placuit feras*, etc. Includere vivariis piscinis, Plinius, quas ingens piscina continebat. Rig.

(n) *Coactis alimentis.* Sic habent libri veteres; coactis alimentis, hoc est, objectis in pastum quæ animalium natura minime appeteret. Rig.

(o) *Mulli unius obsonium.* Sciunt rei nummariæ veteris periti, singula sestertia mille sestertios nummos æquare: sed vel duo vel nemo illud scit, cum *sestertii* dicuntur, subintelligi numnos; cum *sestertia*, subaudiri pondo: sic unum sestertium pondo duas argenti libras cum semisse valebat, ut unus sestertius assis, duos asses et semissem, et sestertius pes et similia, sed sestertius nummus postea quatuor

tertiis detulit : qua Æsopus histrio (*a*) ex avibus ejusdem pretiositatis, ut canoris et loquacibus quibusque, (*b*) centum (1) millium patinam confiscavit. Filius ejus post tale pulpamentum potuit sumptuosius esurire : margarita namque vel ipso nomine pretiosa dehausit, credo ne mendicus patre cœnasset. Taceo Nerones et Apicios et Rufos : dabo catharticum impuritati Scauri, et aleæ Curii, et vinolentiæ Antonii : (*c*) et memento istos interim ex multis togatos fuisse. Quales apud pallium ? Haud facile has purulentias civitatis quis eliciet, et exsuppurabit (2), ni sermo palliatus.

A

CAPUT VI.

Sermone, inquit, me suasisti, medicamine sapientissimo. Verum, et si eloquium quiescat aut infantia subductum aut verecundia retentum, nam et elinguis philosophia vita contenta est, ipse habitus sonat. Sic denique auditur philosophus, dum videtur. De occursu meo vitia suffundo. Quis

B

non æmulum suum cum videt, patitur ? Quis oculis in eum potest, in quem mentibus non potest ? Grande pallii beneficium est, sub cujus recogitatu improbi mores vel erubescunt. Viderit nunc philosophia quid prosit : nec enim sola mecum est. Habeo et alias artes in publico utiles. De meo vestiuntur et primus informator literatum, (*d*) et primus edomator (3) vocis, (*e*) et primus numerorum arenarius, et grammaticus, et rhetor, et sophista, et medicus, et poeta, et qui musicam pulsat, (*f*) et qui stellarem conjectat, et qui volaticam spectat. Omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis tegitur. Plane post romanos equites, verum et (*g*) accendones, et omnis gladiorum ignominia togata producitur. Hæc nimirum indignitas erit, a toga ad pallium, sed ista pallium loquitur. At ego jam illi etiam divinæ sectæ ac disciplinæ commercium confero. Gaude, pallium, et exulta, melior jam te philosophia dignata est, ex quo christianum vestire cœpisti.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sexcentorum *Fran.*
(2) Exvaporavit *Fran.*
(3) Enodator *Venet.*

COMMENTARIUS.

assibus permutari cœpit, qui duobus tantum assibus et semisse olim permutabatur. SALM.

(*a*) *Ex avibus canoris et loquacibus.* Cantu aliquo aut humano sermone vocalibus, Plinius. RIG.

(*b*) *Centum millium patinam confiscavit.* Centum millia in confiscato habuit, quæ pro patina illa numeraret. RIG.

(*c*) *Et memento istos interim.* Omnino legendum, sicut edidit Rhenanus : *Et memento istos interim ex multis togatos fuisse ; qualis apud pallium haud facile. Has purulentias civitatis quis eliciet et exsuppurabit ni sermo palliatus.* RIG.

CAP. VI.—(d) *Et primus edomator vocis.* Edomatorem vocis de phonasco accipiunt, non recte, nec enim phonasco pueros olim dedisse operam credidérim, inter prima illa rudimenta literarum, nisi si qui cantores tragici vellent esse aut comœdi. SALM.

(*e*) *Et primus numerorum arenarius.* Arithmeticum significat varias numerorum compositiones in abaco pulvere consparso discipulis suis monstrantem. RIG.

(*f*) *Et qui stellarem conjectat.* Stellarum interpres lib. I de Cultu fœm. RIG.

C

(g) *Accendones.* Sic habent veteres libri. Accendones dicit lanistas, qui gladiatores ad certamen accendunt. Sic Laberius appetones dixit, qui alienum appetant ; eademque forma Varro, comedones ; Ammianus Marcellinus, reposcones. Sed cur non accedones Septimius dixerit parasitos ; qui etiam invocati accedere solent ? Nam et adsectæ dicuntur et scurræ. SALM.

APPENDICES

AD GENUINA Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI OPERA.

Appendix prima.

CARMINA TERTULLIANO ADSCRIPTA.

Inter eruditos, nemine refragante, hodiedum receptum est suppositicia esse ac perperam Tertulliani nomen præ se ferre, carmina quæ in operum ejus libro Pamelius inserenda censuit. Sic, inquit Lumper, quinque libri contra Marcionem carminibus conscripti, Tertulliani non sunt. 1° Indignos namque esse tam præstantis ingenii viro, satis evincit *stylus, toties violatæ prosodiæ reus, toties rebus tractandis impar, toties telis in hostem stringendis hebes.* 2° Tertullianus ipse lib. I contra Marcionem, cap. 1, secundo

D

ac tertio, adornatum a se opus contra illum hæresiarchain præfatur, ac deinde pleniore compositione rescissum : certe eodem orationis genere opus illud rescis um est, quo properatum fuerat. Cum itaque opus contra Marcionem, quo priorem compositionem Tertullianus rescidit, sit disputatio, non poema ; sequitur et prius opus disputationem fuisse properatam, non poeticam lucubrationem. 3° Versus illi fuerunt a Fabricio, unius codicis, ignoti quidem et obscuri, auctoritate, Tertulliano inscripti. 4° Tertullianum

inter veteres poetas connumeravit veterum scriptorum nemo. 5° Horum librorum auctor aperte contradicit Tertulliano. Nam Tertullianus lib. *de Anima*, cap. 57, asserit non Samuelem ipsum, sed phantasma a Pythonissa fuisse malis artibus excitatum. *Absit* alioquin, inquit, *ut animam cujuslibet sancti, nedum prophetæ, a dæmonio credamus extractam, edocti quod ipse Satanas transfiguratur in angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum se adseveraturus*, etc. At contraria habet auctor libri III carminum adversus Marcionem his versibus :

Mirificus Samuel, cui reges ungere primum
Præceptum, dare chrisma viros ostendere christos ;
Talibus in vitæ spatio laudabilis egit,
Ut quoque post mortem prophetica jura teneret.

Tertullianus, seriem successorum sancti Petri in Sede Romana describens lib. *de Præscriptione hæreticorum*, cap. 32, Clementem Petro successisse immediate docet. At contrarium habet auctor libri III carminum contra Marcionem his versibus :

Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse locatum
Maxima Roma Linum primum considere jussit,
Postquam Cletus et ipse gregem suscepit ovilis.
Hujus Anacletus successor sorte locatus,
Quem sequitur Clemens.....

Quis credat Tertullianum ita sui oblitum, ut tam contraria tamque sibi invicem repugnantia dixerit ? Quis porro fuerit auctor illius poematis, incertum est. Cæterum hoc poema contra Marcionem commendari meretur ob quædam tum historica, tum dogmatica puncta. In primis æternitatem Verbi, et duplicem in Christo Jesu naturam adstruit, Apocalypsin sub nomine Joannis discipuli citat, Jesum Christum eadem die, eodemque loco, in quo Adamus lapsus fuit, passum fuisse tradit ; Jesu Christo nomen Spiritus Sancti adtribuit, Hermam cognomine Pastorem fratrem Pii Papæ putat, atque denique Esdram plenum spiritu divino deperditos Prophetarum libros adjuvante solum sua propria memoria iterum dictasse, et Canoni SS. Scripturarum restituisse.

Tertulliano etiam falso adscripta sunt poemata de *Judicio Domini*, de *Genesi*, et de *Sodoma*. Neque enim tantum virum tam iratas unquam habuisse musas, credendum est (ut elegenter ait *Rigaltius*). Eodem loco habendum est carmen de *Jona et Ninive*, quod ex Codice V. Cl. P. *Pithœi* edidit *Margarinus Bigneus* ad calcem Tom. VIII Bibliothecæ Patrum. Carmen tandem ad *Senatorem*, quod inter Cypriani Opera, tomo III, legitur, ante Constantini tempora conscriptum arbitratur *Alixius*, a viris doctis omnino Tertulliano abjudicatur. Quod autem spectat librum Gennadii de definitionibus fidei et dogmatum Ecclesiasticorum, olim Tertulliano adscriptum, nemo eruditorum hodie eidem adjudicat, cum ibi multa reperiantur sæculo tertio posteriora eidemque haud convenientia.

De suppositiis Tertulliani operibus consulendi sunt Natalis Alexandri *Histor. eccles. Sæculo secundo*; D. Rem. Cellier, *Histoire des écrits ecclésiastiques* ; Dupin, *Biblioth. eccl.*, t. I, p. 252 Tillemont, *Mém. Ecclésiast. t.* III, *ad vit. Tertull.*, *art.* 14 ; P. Allix. *Dissert. de vita et scriptis Tertul.* X, 31 ; Walchii, *Biblioth. Patrist. cap.* 4, § 46 ; *cap.* 7, § 70. P. Alixius, in Dissert. præfata, carmen de *Judicio* ait esse Verecundi, episcopi africani, qui circa medium sæcul. VI floruit. Libros contra Marcionem idem suspicatur post Hieronymi tempora exaratos.

Prodiere multoties opera Tertulliani poetica, nempe ut et plures poetæ christiani in Ge. Fabricii *Poetar. vetust. opp. Christ. Basileæ* 1564 ; Mich. Maittarii *opp. et fragmm. vett. Poetur. latinor. Lond.* 1715. — *In collect. Pisaur. omn. poemat. latinor. Pesaur.* 1766. *t.* V. *p.* 1-16. Carmen de *Jona et Ninive* cum castigationibus Francisci Jureti in *Biblioth. PP. t.* VIII, *et Lips.* 1681. *in*-8, ad calcem Paulini Petrocorii ed. Daumianæ 1681. Tertulliani demum omnia opera poetica edid. Andreas Rivinus, ac post Pamelium, Junium, Barthium, breves notas addidit. Goth. 1651.— Non tanti momenti visa fuere hæc poemata, quam ut ea amplis adornaremus commentariis ; Pamelii igitur adnotationes, utcumque exiguas et leves, satis fuit edidisse. EDD.

ADVERSUS MARCIONEM

Libri quinque.

AD LECTOREM.

Adversus Marcionem poemata quæ sequuntur, omitti placuerat ; non tantum quod parum digna Tertulliano videantur, sed præsertim quod ea minime esse Tertulliani Septimius ipse testetur. Plane indigna esse tam excellentis ingenii viro satis indicat stylus, toties violatæ prosodiæ reus, toties rebus tractandis impar, toties telis in hostem stringendis hebes et inficetus. Denique ipse Tertullianus principio suarum adversus Marcionem disputationum, unde adserendis versibus istis argumenta video peti, manifeste prælatur iterum ac tertio curatum abs se opus ; earum vero curarum poeticam fuisse ullam non tradit, imo nullam fuisse poeticam significat, qui primum se opusculum quasi properatum pleniore postea compositione rescidisse ait. Nam si quid versibus in Marcionem præluserat, id properatum quidem dici potuit et prælusum; sed quod pleniore postea compositione rescidit, si poesis fuit, poesi pleniore rescindi debuit; non rhetorica dissertatione, non disputatione dialectica : etenim diverso scribendi genere diversa manserit ejusdem argumenti tractatio ; partes egerit suas poeta, suas dialecticus, suas rhetor. Quæ *de Virginibus velandis*, quæ *de Corona*, quæ *de Spectaculis* græco stylo vulgaverat, edidit postea latino. Latinis autem græca non rescidit, sed græcis addidit latina. Quod si græca rescindere voluisset, sane posterioribus quoque græcis priora illa retractando reformasset. Ita quidquid scriptionis adversus Marcionem suæ rescidit, disputatio fuit, non poema. Disputationem properatam, nec satis absolutam, pleniore postea disputatione rescidit, et prioris exilitatem posterioris abundantia mersit. Hæc de primo ac secundo fœtu dixisse sufficiat : nisi hoc etiam adjecisse profuerit, quod in editione tertii Septimius necessario de tribus illis præfandum sibi esse duxit, ne quem varietas operis in disperso reperta confunderet. Quæ verba fidem sane faciunt iis quæ supra diximus, trium scilicet adversus Marcionem curarum nullam fuisse

poeticam. Nam, si ulla fuisset, ea utique de reliquarum conditione excipienda fuerat, quam styli diversitas ab omni confusione vindicabat. Illud etiam observandum, quod primam illam fœturam se rescidisse ait Septimius, nec in vulgus exisse eam queritur; ut jam credibile non sit ejus superfuisse quicquam præter ea quæ ipse in secundam plenioremtransfudit. Transfudisse autem poetica si credimus, hoc etiam fateamur necesse est sic disjectum fuisse poetam, ut jam membra ejus inveniri nequeant ulla; imo, si quid poeticum in præclaris istis disputationibus notabitur, qualis ea forte Ponti, quæ præfationem sequitur, descriptio, ejus vestigium in totis quinque Carminum libris non apparet. Postremo, quod omnem adimat dubitationem, si prima fœtura versus in Marcionem fudit Septimius, eam cum rescidit, versus ipse suos pessumdedit; et frustra quærimus. Secundam vero non fuisse poeticam tertia declarat, quam de secundæ emendatione et amplificatione compositam Septimius profitetur. Sic igitur absolvimus: Versus istos qualescumque Tertulliani nomine fuisse a Fabricio, sola manuscripti codicis nescio cujus auctoritate adducto, inscriptos. Quod quam leve ac frivolum haberi debeat, præsertim cum neminem codicis illius notorem satis idoneum Fabricius dederit, sciunt hujusmodi rerum periti, quorum manibus versata quæsitissimi auctoris exemplaria vetera nihil poeticum renuntiavere. Sed nec veterum scriptorum quisquam inter poetas christianos Tertullianum connumeravit. Cæterum, hæc poemata, quamvis inæquali versificatore male depexa, non adeo spernimus, ut in iis esse boni aliquid negemus: imo plerisque locis utiliter cum Septimianis Marcionibus committi et componi affirmamus. Itaque et hic conspici patimur tanquam appendices. At quia certum nescimus auctorem, damus nomen Incerti. Ed. Venet.

LIBER PRIMUS.

DE DEO UNICO.

Adjecit istud titulo, brevis instar argumenti, sicuti etiam primi libri adversus Marcionem, Pamelius, qui solus totum hocce carmen adnotavit, opuscula ista metrica Tertulliano nec abjudicanda existimavit. Edd.

ARGUMENTUM LIBRI PRIMI, EX IPSO TERTULLIANO, AD LIBRI QUINTI AUSPICIUM.

Primus erit referens inimici ex ordine verba,
Quæ refuga illicite molitus protulit amens;
Hinc etiam carnis spes et victoria Christi,
Et species breviter falsarum dicta viarum.

Cæterum libros hos quinque qui primus inter poetarum veterum ecclesiasticorum opera christiana in lucem edidit Georgius Fabricius, eos esse existimat (in quo et ego non dissentio) quorum facit mentionem Tertullianus initio libri primi adversus Marcionem in hæc verba: *Si quid retro gestum est nobis* ADVERSUS MARCIONEM, *jam hinc viderit. Novam rem adgredimur ex vetere. Primum opusculum quasi properatum, pleniore postea compositione rescideram. Hanc quoque nondum exemplariis suffectam, fraude tunc fratris dehinc apostatæ amisi; qui forte descripserat quædam mendosissime, et exhibuit frequentiæ.* Quod ipsum de hoc opere verissimum cum Fabricio confiteor; qui conqueritur, quot pene verba, tot fuisse menda, quot versus, tot maculas, addens, quamquam plurimos errores sustulerit e vestigiis antiquæ scriptionis (vides fuisse illi MS. exemplar a Joanne Heroldo secum communicatum), tamen in reliquiis, inquit, lector videbit quantum adhuc supersit quod emendatione indigeat. In quo nos etiam aliquid conatos ex adnotationibus nostris deprehendet lector, et eramus plusculum aliquid facturi, si ad manum fuisset codex aliquis MS. Addit idem: « Tertulliani hoc opus imperfectum esse, rem declarare. Nam impetum suum, inquit, secutus, donec emendationis tempus daretur, multa contra præcepta metrica fecit; quorum aliqua excusationem temporis habent, aliqua possunt excusari grammaticorum figuris; aliqua festinationi auctoris tribuenda sunt, qui cogitaverit opus suum quasi delineatum sub incudem, ut dicitur, revocare. Qualia sunt quod cæsuram libenter facit, item quod ablativum primæ declinationis corripit, item quod collisionibus non usitatis indulget. Imitandi itaque gratia non proponuntur hæc carmina, sed agnoscendi propter pietatem, quæ in isto viro singularis et gravis fuit, et studium quod in res sacras ad doctrinam universæ posteritatis collocavit. » Hactenus ille. Si quis licentiam poetarum veterum christianorum, atque adeo auctoris nostri desideret nosse exactius, legat Vener. Bedæ librum *de Arte metrica*. Pam.

CAPUT PRIMUM.

Impietas profunda mali (*a*), mens invida vitæ,
Seductos homines spe postquam cepit inani,

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (*a*) *Impietas profunda mali, mens invida vitæ*, etc. Caput hoc inscripsimus: *De prima hominis seductione, deinde et ad idololatriam per diabolum*; tum enim more Tertullianico *malum* appellat. Castigavimus vero paulo post *posse videre*, pro *videri*.

Nudavit, suadendo nefas sibi credere falsum,
Non impune quidem ; facti nam protinus ille
Ut reus, et tanti sceleris temerarius auctor
Accepit maledicta merens. Sic postea demens
Amplius aggressus, desperatissimus hostis,
Infudit mentes hominum caligine mersas ;
Oblitos Dominum, docuit spem linquere certam,
Idola vana sequi (*a*), turbam sibi fingere divum ;
Sortes, auguria, stellarum nomina falsa,
Nascentum geneses constringere (*b*), posse videre
Extorum inspiciis, resque exspectare futuras ;
Terribilis magicæ refugarum (*c*) audacia ductos (*d*),
Conflictam molem mirantes, spernere vitam,
Impulit in præceps, scelerata insania mersos,
Sanguine gaudentes, homicidia sæva minari,
Corpore in alterius tunc carnis vulnus amare ;
Ardentes etiam, calida dulcedine captos,
Fœdera naturæ transcendere, corpora munda
Complexu infando sexum maculare virilem ;
Fœmineos usus vulgi contamine (*e*) mixtos
Illicitos ; castosque sinus, generique dicatos,
In coitum obscœnum pro luxu suasit haberi.
Talia, præterito grassatus tempore, gessit
Per latebras animæ, sepis manante veneno (*f*).
Non quia culparent homines, nam sponte secuti,
Ille dolo suasit, homo libertate perégit.

CAPUT II.

Hæc dum continuo per sæcula perfidus halat (*g*),
Consiliumque suum seductis cordibus infert ;
A Sperans, heu ! scelerisque viam, se stultus habere,
Ignarus qualis maneat sententia facti.
Turba prophetarum tectis sapientia verbis
Spiritu deque Dei (*h*) præsaga voce loquentum
Publice non audens Dominum maledicere nude,
Secreto ingenio sperans se posse latere ;
Tandem lux animæ carnis captiva tenetur,
Desperatorum certat spes fortior hoste,
Ipse figurator, renovator corporis ipse ;
Gloria vera Patris, Dei Filius, unicus Auctor,
Judex et Dominus venit, rex inclytus orbis,
Oppressis veniam dare promptus, solvere vinctos,
Cujus amicitia auxilio, patientia pœnæ,
Et Deus et renovatus homo miscetur in unum (*i*).
Virgo sancta parit, patuit (1) nova janua vitæ ;
B Dicta prophetarum factis impleta probantur ;
Templa sacerdotes linquunt ; stellæ quoque ductu
Mirantur Dominum, tantum secernere partum.
In vinum vertuntur aquæ, memorabile visu ;
Lumina reddumtur cæcis, jussuque tremendes
Dæmones expulsi clamant, Christumque fatentur.
Omnia sanantur verbo jam tabida membra,
Jam graditur claudus, surdus spem protinus audit,
Dat dextram mancus, loquitur magnalia mutus ;
Fit mare tranquillum jussu, ventique quiescunt.
Omnia cognoscunt Dominum ; confunditur hostis,
Jamque triumphatus ferus armis paret iniquis.

CAPUT III.

C Omnia cum revocata videt quæ ceperat ipse (*a*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Patefit. *Pam. Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) *Idola vana sequi*, etc. *Idolum*, Beda teste libro *de Arte metrica*, medio correpta semper. Ecclesiastici, fortassis indulgentes consuetudini vulgi, usurparunt : atque adeo est contra fidem vetustæ lectionis, quod quidam in Prudentio, Sedulio et Aratore loca aliquot ita mutarint, ut producatur.

(b) *Nascentum geneses constringere*, etc. Adversus Genethliacos, qui *nascentium geneses*, id est ortus, *constringere* nituntur ad certos eventus ; plures locos habes supra.

(c) *Refugarum*, etc. Similiter infra cap. 6. Terribilis refuga attribuit fera munera mortis, accipiens *refugam* pro *transfuga*, sicuti etiam Prudentius Peristephanos. Et rursum lib. II, initio, *refugis spirantibus*, et cap. 4, *refugarum immane tropæum*, ac lib. V, *quæ refuga*, etc., *protulit amens*.

(d) *Audacia ductos*, etc. Illud aliter paulo post, *scelerata insania mersos*, et cap. seq., *tectis sapientia verbis* ; item, *patientia pœnæ*, denique cap. 7, *magicæ dementia plenos*, ac cap. 9, *sua parte relicta*, etc. : *sapientia fecit et arte*, ac, *sua gloria vestit*, et frequentissime his libris quinque, corripiens ablativos in *a*, qui a veteribus produci solent, more christianorum poetarum, sicuti tradidit Beda, lib. *de Arte metrica*.

(e) *Contamine*, etc. Eadem voce utitur infra, lib. IX, cap. 4, *plebem contamine plenam*, pro re contaminata, sive spurcitia et ignominia.

(f) *Sepis manante veneno*, etc. Sepe, *inquit Epiph., Hæres.* 36, est reptile quadrupes, stellioni simile, cujus morsus detrimentum pro nihilo reputatur, sputum autem in cibum aut potum ejaculatum, statim mortem sumentibus inducit. Unde aptissima est comparatio cum serpente diabolo, qui per nemi vetiti sumptionem, veneno infecit hominem. Atqui ibi, *non quia culparent homines*, etc., obscurum est illud, *culparent*, nisi subintelligatur *diabolum*.

CAP. II. — (g) *Hæc dum continuo per sæcula perfidus halat*, etc. Titulum huic capiti dedimus, *de Christo hominis lapsi redemptore*. *Halat* vero hic accipitur pro *halitu inficere et corrumpere* Atqui est hic locus mutilus ad versum illum : *Turba prophetarum*, etc., cum sequenti, quasi voluerit dicere auctor : Quanquam speraret hostis humani generis se sceleris viam perpetuo retenturum apud homines, primum per prophetarum verba impeditum, et cum nihilominus quod publice non audebat, secreto pergeret attentare, venisse Christum redemptorem.

(h) *Spiritu deque Dei*, etc. Non hic modo, sed frequenter postea in libris carminum corripit, ut literam ancipitem in fine versuum. Tale est illud lib. II, infra, c. 5, *pignusque suo de spiritu fudit*, ac, *de spiritu vita*, et lib. IV, cap. 2, *nullus locus ambitu claudit*. Quale quid et ab aliis poetis christianis usurpari annotat Beda. Ejusdem farinæ est quod *e* in fine corripitur in voce *publice*, et *i* paulo post in illo, *Dei Filius*. Atqui ad phrasim Tertullianicam jam antiquatam pertinet : *Dominum maledicere*, tum hic, tum infra, cap. 6. Item, *figurator* mox accipitur pro eo qui figuram indidit, sicuti etiam infra, cap. 4 :

Quique figuravit carnem spiramine vivam.

Et alicubi supra.

(i) *Et Deus et renovatus homo miscetur in unum*, etc. Veram de incarnatione Christi et duabus ejus naturis divina et humana sententiam, habes supra, lib. *adv. Praxeam*, cap. 27.

CAP. III. — (a) *Omnia cum revocata videt, quæ*

Cladis in interitum, mersam jam surgere carnem (*b*),
In cœlos hominem devicta morte levari,
Signari populos, effuso pignore sancto,
Mirandæ virtutis opus, invisaque facta;
Audit extremas flammarum in gurgite pœnas
A Domino sibi perpetuas, tenebrasque paratas,
Irrevocata Dei sententia, nudus, inermis,
Damnatus, victus, periturus morte perenni,
Jam reus, et nullam veniam se certus habere;
Protinus extremum nefas ausus (*c*), spargere passim
Auribus horrendum verbum, neque voce loquendum
Abjectos a plebe Dei, sine luce vagantes,
Inventos sine mente viros, terrena sequentes,
Aggressus pravi pravos docet esse magistros.

CAPUT IV.

Prædicat his duos esse patres, divisaque regna (*d*);
Esse mali caussam Dominum, qui condidit orbem,
Quique figuravit carnem spiramine vivam,
Quique dedit legem, et vatum qui voce locutus;
Hunc negat esse bonum, justum tamen esse fatetur,
Crudelem, durum, belli cui sæva voluptas,
Judicio horrendum, precibus mansuescere nullis.
Esse alium suadens, nulli qui cognitus umquam,
Qui non est usquam, falsum sine nomine numen,
Constituens nihil, et nulla præcepta locutus;
Hunc ait esse bonum, nullum qui judicat, æque
Sed spargit cunctis vitam, non invidet ulli.
Judicium negat esse reis, dulcique cruentum
Circumfert miseris mixtum cum melle venenum.
Surgere posse negat carnem, cui caussa ruinæ
Ipse fuit, quam contemptam spoliavit inique:
Propterea maledictus habet sine fine dolorem;
Hostis huic semper, vario quia vulnere vitam
Nititur excutere, et de qua ruit ipse salutem.
Inque hoc et Christum terris venisse repente,
Sed nulla socium carnis compagine factum,
Spiritus at forma, et fictum sub imagine corpus,
Fallere vult homines, quod non est, esse videri.

CAPUT V.

Hoc docet ergo Deum, caligine ludere suasos (*e*),
Mentiri, nefas, aut hominem se dicere falso.
Portatur, graditur, vestitur, rite quiescit,
Tractatur, patitur, suspenditur et sepelitur;
Omnia sunt hominis quæ sancto in corpore versans,
A Patre vero Deo missus, qui cuncta creavit,
Perfecit proprie, sua, non aliena requirens.
Cognitus ipso opere, populis sperantibus olim,
Perque prophetarum vocem notissimus orbi;
Et nunc errantem manifesto in limine mortis
Ignotum Dominum quærunt, notumque relinquunt;
Quorum falsa fides, falsus Deus, irrita merces (*f*),
Falsa resurrectio, mortis devictio falsa,
Martyria et vacua, et Christi quoque nomen inane;
Quem magicæ nebulæ similem venisse docentes,
Mendacem facti dementes esse fatentur;
Ne quidquam passum, populum sine crimine fictum.
Sic verax Deus, hi Domino referuntur honores?
Heu miseri! gratis ingrata morte perempti,
Qui cæco duce præcipites in fossa ruistis (*g*);
Et velut in somnis thesauri munere dives
Exsultat, manibusque tenet, spe lusus inani,
Decepti, vacuam speratis muneris umbram.

CAPUT VI.

(*h*) Ah! tabidi, rictus, funestave præda draconis,
Speratis pro pace truces homicidia blanda;
Audetis culpare Deum, qui tanta creavit;
In cujus terris, nimia pietate profusa,
Immemores, large laudatis dona ruentes,
Ipsum factorem reprobatis, facta probantes,
Artificem mundi, cujusve (1) opus estis et ipsi?
Qui vobis magnos parvis donavit honores,
Prosevit fruges, animalia cuncta subegit,
Tempora qui certis fœcundat mensibus anni,
Dulcores, potus varios, pingues et odores,
Jucundos flores, nemorumque umbracula grata,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cujusne. *Obert.*

COMMENTARIUS.

ceperat ipse, etc. Inscriptionem huic capiti fecimus : *De hæreseon aspersione per diabolum.*

(b) *Mersam jam surgere carnem*, etc. Istud ad baptismi cæremonias pertinet, de quibus supra latius, lib. *de Baptismo*, sicuti et illud : *signari populos*, ad confirmationis sacramentum, de quo etiam ibidem, cap. 8, ac. lib. *de Præscript. adv. hær.*, cap. 40.

(c) *Extremum nefas ausus*, etc. Peculiare est Tertulliano *nefas* ultima brevi, tum hic, tum in illo, cap. 5 :

Mentiri nefas aût hominem se dicere falso.

Cui simile est initio cap. seq., *duos esse patres*, quale quid de litera *i* in fine dictionum correpta annotavit Beda ex Prudentio, Sedulio et Fortunato. Atqui mox castigavimus :

Aggressus pravi, pravos docet esse magistros,

pro *docet*.

CAP. IV. — (d) *Prædicat his duos esse patres, divisaque regna*, etc. Caput hoc inscripsimus : *De hæresibus Marcionis*, utpote istis, *prædicat his duos esse patres*, id est, Deos; *esse mali caussam Dominum; judicium negat esse reis*; contra quæ infra est liber, *de Judicio Dei*, *surgere posse negat carnem*, denique *Christum, fictum sub imagine corpus*, de quibus omnibus in genere latius supra dicto, lib. *de Præscript. adv. hær.*, c. 51, hær. 17, et peculiariter de singulis librum V *adv. Marc.* Atqui paulo post castigavimus, *falsum sine nomine numen*, pro *nomen*.

CAP. V. — (e) *Hoc docet ergo Deum, caligine ludere suasos*, etc. Titulum huic capiti imposuimus : *Confutatio hæreseos de ficta Christi corpore.* Quod argumentum tractavit latius supra auctor, lib. *de Carne Christi.* Hic vero castigavimus *quæ sancto in corpore versans*, pro *versis. A patre vero Deo missus*, etc., pro eo quod erat, *Deo vero*, maxime cum et a Tertulliano et ab aliis christianis poetis corripi solcat *o* in fine dictionis, etiam adjectivorum.

(f) *Irrita merces*, etc. Pertinet hoc ad *mercedem operum*, de qua supra non semel; in sequentibus alludit ad cap. XV prioris Epist. *ad Cor.*

(g) Atqui illud, *in fossa ruistis*, recte interpretatur Fabricius, *in defossa*, in sentes latentes.

CAP. VI.—(h) *Ah! tabidi rictus*, etc. Inscriptionem huic capiti fecimus : *Adversus hæresin de Deo malorum auctore*, contra quam habes supra, lib. II *adv. Marc.* Necessario autem castigavimus *tabidi*, pro *tacidi*, maxime quod illud draconis epithetum sit.

Mirificos tribuit succos pubentibus herbis,
Fontes et fluvios diffundit dulcibus undis,
Sideribus cœlum, totumque illuminat orbem,
Immensus solus Dominus, justusque bonusque,
Cognitus ex opere, aspectu non cognitus ulli :
Quem stultæ quamvis gentes errore copertæ, (a)
Florentes opibus, alieno nomine laudent,
Factoremque tamen gnari culpare verentur.
Nec quisquam tantum, nisi vos, nova porta gehennæ,
Ingrati eligitis Dominum maledicere vestrum.
Hæc vobis per Marcionem, Cerdone magistro, (b)
Terribilis refuga adtribuit fera munera mortis;
Nec venit in mentem quod vos, a nomine Christi
Seductos, ad Marcionis tulit infima nomen.
Dicite, de multis quid vobis displicet unum?
Quidve Deus fecit quod non sit laude vehendum?
Aut illud, quod vos, nimium patientia larga
Indignos, dulcem permittit cernere lucem?
Qui legitis vera, et concisa ea falsa docetis,
Quæ sunt postque futura, prius hæc facta probatis :
Aut incredibile quid differt credere vestrum?

CAPUT VII.

Nec mirum si vos versutus cepit inermes, (c)
Persuadens duos esse patres, damnatus ab uno,
Esse Deos, qui principio seduxerat omnes.
Postea multiplici manantem vulnere pestem
Distribuit multis, et inemendabile crimen.
Infandos omni magicæ dementia plenos, (d)
Persuasit (1) sese virtutem dicere summam;
Fingere cum meretrice, nefas peragrare, volare,
A Namque Valentino (e) Deus est insanus, et ævo
Triginta tribuit cœlos, patremque Profundum;
Bis docuit tingui (2), transducto corpore flamma. (f)
Tantos esse deos Basilidem credere jussit. (g)
Quantos et dies annus habet; tot denique mundos.
Marcus per numeros argumentatus acute, (h)
Tradidit in magicæ formam violare pudicam,
Offerri calicem, precibusque in sanguine verti.
Hebioni Christum suasit de semine natum, (i)
Et circumcidi docuit, legique vacare,
Fontibus amissis elementa resumere legis.
Extremum facinus verbis extendere nolo,
Aut omnes caussas, aut nomina dicere cuncta.
Est per pauca satis crudelia multa notare,
Infandosque homines atque organa sæva draconis,
B Per quos nunc tautum sceleris sine teste locuti,
Semper factorum mundi culpare laborant.

CAPUT VIII.

Sed revocate pedem (j) sævi latronis ab antro,
Dum spatium datur, et patiens pietate perennis
Facta per errorem miseris Deus omnia donat.
Credite vero Patri vero, qui condidit orbem,
Verum qui Dominum misit renovare ruinam
Imparibus legi, peccati in gurgite mersis,
Per vates olim promissam afferre salutem.
Qui mandata dedit, hic et peccata remittit.
Exigit hic aliquid merito, quia credidit ante,
Aut donat large Dominus, quasi debita servis.
Denique conclusos populos pœnamque merentes
C Delcto (3) elogio (k) cunctos jubet ipse lavari.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pervasit *Pam. Obert.*
(2) Tingi *Obert.*
(3) Delecto *Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) *Copertæ* pro *coopertæ*, sicuti etiam infra lib. II, cap. 1. *Hastæ mucrone coperto;* ac lib. V, cap. 9, *Fluctuque fretoque copertis;* qua figura etiam in præteritis utitur lib. III, cap. 4,

Peccati votum violenta morte coperuit.

(b) *Cerdone magistro*, etc. *De Cerdonis magistri Marcionis* hæresibus vide dicti lib. *de Præscript. advers. hær.*, cap. 51, hær. 16.

CAP. VII. — (c) *Nec mirum si vos versutus cepit inermes*, etc. Castigavimus : *Nec mirum*, pro *nimirum*. Est autem notatu dignum quod hæresin vocet *inemendabile crimen*, quippe cum experientia quotidiana id verissimum esse comperiamus in eis qui semel hæretici fuerint.

(d) *Infandos omni magicæ dementia plenos*, etc. Alludit ad Simonem Magum, de quo, quod *virtutem sese summam dixerit*, vide dicti lib. *de Præscript. advers. hær.*, cap. 46, hær. 1 : simul etiam *de Helena* ejus *meretrice*, lib. *de Anima*, cap. 34. *De volatu* autem ejus vide Egesippum *de excidio Hieros.*, lib. II, cap. 2, et B. Maximum serm. de SS. Petro et Paulo.

(e) *Namque Valentino*, etc. De hoc vide dictum librum, cap. 49, hær. 12, et integrum librum *adversus Valentinianos*.

(f) *Bis docuit tingui, transducto corpore flamma*, etc. Intelligit hæreticos quosdam qui bis baptizarent, semel in aqua, semel in igne, quorum tamen alibi nullam mentionem reperi; præterquam quod Philastrius, quamquam adhuc subobscure, lib. *de Hæres.*, Herminianis et Seleucianis attribuere videatur quod non in aqua, sed in igne baptizarent prætextu illius Joannis Baptistæ, *Matth.* III : *Ille vobis baptizabit in spiritu et igne*. Substituimus autem more Tertullianico *tingui* pro *tingi*.

(g) *Tantos esse deos Basilidem credere jussit*, etc. De hac hæresi Basilidis late Epiphan. *Hær.* 31, ubi *deos* 365, *quantos et dies annus habet*, nominatim enumerat. De eadem etiam aliquid supra diximus dicto lib. *de Præscript. adv. hær.*, cap. 46, hær 4. Peculiare vero est illud auctori, quod addit : *tot denique mundos*.

(h) *Marcus per numeros argumentatus acute*, etc. Prorsus sic castigandum *hic Marcus* pro *Marcion;* neutrum enim *de Marcione* scribitur, sed de hæresi D *Marci* ex *Græcorum alphabetico* composita, in qua *per numeros argumentatus est* usque ad 888... De præstigiis vero *magicæ*, quibus utebatur in *oblatione calicis*, lib. *adv. Valent.*, cap. 4. Atqui facit pro confirmatione *sacrificii christiani* etiam istud, quod *offerri calicem* dicat auctor.

(i) *Hebioni Christum suasit de semine natum*, etc. De hac hæresi Hebionis vide supra lib. *de Carne Christi*, toto cap. 18, et de eo quod *legem proposuerit cum Evangelio*, dicto lib. *de Præscr. adv. hæret.*, cap. 48, hær. 11.

CAP. VIII. — (j) *Sed revocare pedem*, etc. Necessario castigavimus : *Revocate*, pro *revocare*, et *dum spatium datur*, pro *detur*. Usurpatur deinde vero conjunctio ultima brevi, dum legitur : *Credite vero Patri vero*, et ibi, *quia credidit ante*, accipitur *credere* pro *concredere*. Videtur vero corruptum illud, *denique conclusos*. Sed emendavimus *pœnamque merentes* pro *merentem*, eo quod præcedat *populos*.

(k) *Delcto elogio cunctos jubet ipse lavari*, etc. Ac-

CAPUT IX.

Ergo totus homo credit, totusque lavatur.
Abstinet aut patitur pro nomine vulnera vere,
Verus surgit homo, vere mors victa silebit;
Sed non pars hominis anima, sua parte relicta,
Percipiet palmam, (*a*) socia quam carne laborans
In stadio luctata, simul conjuncta meretur.
Grande nefas, portare duos per vincula pondus,
Quorum sit locuples unus atque alter egenus,
Et miserum sperni, fœlici præmia reddi.
Non facit hoc justus, mercedis redditor æquus,
Et bonus, et dives, quem credimus omnia posse,
Suavis in ingratos, miserandi plena voluntas.
Quin potius, cui major inest mortalis egestas,
Possit ut æquari, socio prælatus, id ultro
Quicquid eget, tribuet locuples; sic credere jussum.
Nec velle illicite Dominum culpare docendo
Suscitet, aut quem animam, tanquam sit passa ruinam,
Liberet a morte, et viventi facta maneret
Copia de solo merito, quia fortiter egit.
Et caro communem semper sortita laborem,
Linquatur terræ, mortis sit præda perennis.
Ergo hominis anima placuit Deo fortibus actis?
Nullo sola modo potuit sine carne placere.
Vincla tulit, pœnas, caro membris vincula gessit,
Contempsit mortem, sed carnem morte reliquit.
Illa dolens genuit, hæc vita a vulnere cæsa est:
A Illa petit requiem, hæc ferro in pulvere fusa,
Piscibus, alitibus, tabo cinerique relicta est.
Frangitur infelix laniata, sparsa liquescit,
Surgere non meruit? quid enim committere sola
Exanimis potuit? quæ sic caussa invida vitæ
Impedit aut prohibet Dei dona capessere carnem,
Cumque sua socia conjunctam vivere semper?
Cernere quid fuerit conversa in pulvere quondam?
Post meritos renovata ferat Deo laudis honores,
Non ignara sui, fragilis, mortalis et ægra·
Certatis, magni possit quid vivida virtus,
Qui bonus atque potens vitam non invidet ulli.
Hæc captiva fuit mortis, hæc victa peribit,
Quam Dominus mira sapientia fecit et arte?
Hanc virtute sua miranda suscitat ipse,
B Hanc revocat dux ipse, et hanc sua gloria vestit.
Ergo Dei aptavit ars et sapientia corpus,
Quod cupit, his fieri; deest hoc virtute reduci?
Caussa potest pietati nulla resistere sanctæ;
Ne major sit caussa mali, quam summa potestas,
Ut cognoscat homo jam nunc Dei munere salvus,
Mortalis quondam, nunc inviolabile et ingens
Vestitus lumen, vivus cum corpore totus,
Immensum virtute Deum, pietate perennem,
Per Christum regem, per quem via lucis aperta est;
Et jam luce nova, jam dono plenus utroque,
Fructibus et vivæ paradisi lætus amœnis
C Laudet in æternum cœlesti dives in aula.

COMMENTARIUS.

cipi hic *elogium* ab auctore pro certa alicujus rei institutione annotavit Fabricius, nec male si retineatur vetus lectio : *Deleto elogio*, sed cum locis supra citatis Apolog. c. 2, et alibi, quantum memini semper, in malam partem pro accusationum titulo, hæc vox ab auctore accipiatur, putavimus potius esse legendum : *Deleto elogio*, non aliter atque ibidem lib. *ad Scapulam* c. 4, dixit : *scisso elogio*, ut alludat ad illud Apostoli *Coloss.* II : *Delens quod adversus nos erat chirographum delicti.*

CAP. IX. — (a) *Percipiet palmam*, etc. Facit istud ad confirmandam mercedem pro meritis operum, sicuti et illud, *præmia reddi*, ac *mercedis redditor æquus*, et, *de solo merito*, denique, *post meritos*, etc., *honores*. *Atqui corrupti videntur illi versus :*

Nec velle illicite Dominum culpare docendo,
Suscitet, aut quem animam tanquam sit passa ruinam, etc.

Item et ille :

Cernere quid fuerit conversa in pulvere quondam.

Ubi videtur locus mutilus.

LIBER SECUNDUS.

DE CONCORDIA VETERIS ET NOVÆ LEGIS.

ARGUMENTUM LIBRI II, ETIAM IPSIUS AUCTORIS.

Inde sequens conjuncta docet mysteria legis,
Inque novo Deus quæ fœdere tradidit unus.

Porro his verbis, satis obscuris, indicat auctor scriptum esse hunc librum de consonantia veteris et novæ legis, quod adeo recens titulo adjecimus. Prout etiam castigavimus Deus, *pro* divis *tum quod non semel libris producat priorem syllabam dictionis* Deus, *tum quod non soleant veteres aliquos divos vocare, tum denique quod ad institum faciat* Deus unus *contra plures Marcionis Deos.* PAM.

CAPUT PRIMUM.

Postquam fracta fides refugis spirantibus hostis, (*b*)
D Et glomerata dolis, emersit pestis operta
Sponte sua, mendax contempto Numine sensus

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (b) *Postquam fracta fides refugis spirantibus hostis*, etc. Emendavimus *emersit pestis*

Confixit plagas, fallaci tramite pallens
Sanctorum dictis sua miscuit impia verba,
Inque bonum semen lolium miserabile sevit.
Inde volens omnem caussam constare ruinæ
Scilicet ut sua facta Deo subsignet iniqua
Ocius, et possit suasos infigere pœnis;
Veris falsa tegens, et lenibus aspera vertens;
Et roseis sertis hastæ mucrone coperto,
Improvise necans incautos morte suprema.
Supremum nefas, in tantum dementia mersos
Abruptos homines, Numen sine fine tremendum
Dividere in partes; Christi sublimia facta
Falsa laude sequi, culpareque gesta priora,
Innumerata Dei miracula, visa nec unquam, (*a*)
Ante nec audita, contentaque (1) corde nec ullo.
Tam temere scelus illicitum componere verbis,
Adversum sese duo Testamenta sonare,
Contra prophetarum Domini committere verba,
Dissimili longe sententia velle probare,
Omnem Legis (2) et infamem deducere caussam;
Sanctorumque patrum vitam reprobare priorem,
Quos in amicitiam adlexit Deus, ad sua dona.
Accipitur sine principio pro parte minori,
Quattuor ex uno cum sint, ex quattuor unum;
Iis tamen una placet, reprobat tres denique partes,
Auctoremque sui Paulum per multa capessunt.
Necnon ex ipso fariebat in extima verba,
Omnia quæ veteri de fœdere cumque locutus,
Dura videntur eis, merito quia corde gravatis.
Pondus apostolicum, fulgentis gratia verbi,
Lumina præducit menti, neque cernere possunt;
Spiritu lata putant hebetes, animalia digna.

CAPUT II.

Sed vos, qui nondum penitus, duce Numine falso
Mente ipsa reprobi, penetrastis ad intima mortis,
A Discite de fonte fluvium manare perennem,(*b*)
Qui nutrit illum, bissenos gratia fructus,
Exit et in terram, ventosque in quattuor orbis,
Tot fluit in partes fontis color et sapor unus.
Sic et apostolico decurrit Ecclesia verbo,
Ex utero Christi, Patris omnis gloria plena,
Sordes diluere et fata mortua vivificare.
Quattuor in numero diffusum in gentibus unum,
Electaque fide susceptum, docior opimus
Tradit Evangelium Paulus sine crimine mundum,
Absque hoc et Galatas vetuit discedere sanctos,
Quos falsi fratres se circumcidere suasos,
Atque elementa sequi, nova libertate relicta,
Umbra futurorum veteri servire docebant.
Has habuit Galatis caussas conscribere Paulus,
B Non ut Evangelii partem pro corpore toto
Exciperent modicam, majori parte relicta.
Atque adeo non verba libri, sed missus in orbem
Ipse Christus, Evangelium est, si cernere vultis,
A Patre qui venit, solus bona nuntia portans
Testificata prius; cujus ingens gloria complet,
Ostendens opere quantus sit conditor orbis.
Cujus facta, simul dictis conjuncta, fideles
Illi, Matthæus, Marcus, Lucasque, Joannes,
Conscripsere, mera, non extera verba locuti,
Spiritu sancta Dei, tanto præsente magistro.

CAPUT III.

Hic agnus Paschæ suspenditur hostia ligno; (*c*)
Hunc Paulus phase, conscribens decreta Corintho,
Occisum tradit vitamque, Deumque futurum
C Promissum patribus, quos illectaverat ante.
Cernite quid virtus, quis paschæ possit imago,
Sic verum quid sit poteritis pascha videre.
Ne fidus pater, et vates (*d*) cui pignus et hæres
Charus erat, quem forte Deus donaverat illi,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Contemptaque *Oberl.*

(2) Et *non legit Oberl.*

COMMENTARIUS.

operta, pro *pectis*; quod vitio typographico videlatur irrepsisse; sicuti etiam paulo post :

Improvise necans incautos morte suprema,

pro *Improvisa negans*. Atqui pertinet ad phrasin Tertullianicam illud : *ut sua facta Deo consignet iniqua*, et *suasos*, pro *persuasos*, *infigere pœnis*, et paulo post : *Domini committere verba*.

(*a*) *Innumerata Dei miracula, visa nec unquam*, etc. *Isti versui conjunximus :*

Ante nec audita, contentaque corde nec ullo,

et post posuimus illum :

Tam temere scelus illicitum componere verbis;

eo quod illic alludat ad illud Isai. LXIV et I Cor., II : Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quo fit ut etiam castigaverimus : *contentaque*, pro *contemptaque :* sicuti etiam paulo post : *quia corde gravatis*, pro *gravati*. Porro etiam ibi mendum subesse videtur :

Spiritu lata putant habetes, animalia digna,

aut locus mutilus, cui absque MS. cod. mederi non licuit.

CAP. II. — (*b*) *De fonte fluvium manare perennem*, etc. Solemne esse, Beda teste, poetis christianis, ut *e* in fine producant, duabus in dictione altera consonantibus sequentibus; sicuti, exempli gratia, tum hic auctori, et non semel postmodum, tum, Juvenco, l. IV : *Aspicite scribas*; et Prudentio Cather. *cæde stupenda*. Alludit autem ad bissenos apostolos, quorum sonus *exivit in omnem terram et in ventos quatuor orbis*, id est in fines orbis terrarum, sicuti legitur Psal. XVIII. Atqui emendavimus : *Sordes diluere*, pro *sordide*, ubi nonce accipit *fata mortua*, pro *mortuis hominibus*, et mox : *Electaque fide*, pro *electoque*.

CAP. III. — (*c*) *Hic agnus Paschæ suspenditur hostia ligno*, etc. Alludit ad illud I Cor. V : *Pascha nostrum immolatus est* Christus; et illud : *vitamque Deumque futurum*, refertur ad id quod sequitur : *Promissum*, ubi sequitur vox antiqua *illectaverat*, et mox poetico more producta in penultima vox, *poteritis*.

(*d*) *Ne fidus pater, et vates*, etc. Abrahamum intelligit, cui (Gen. XXII) pro Isaac ejus filio ad immolandum,

Connexus capite spinis ostenditur agnus,

sicuti in eo quod sequitur :

Cujus de mort pi ti
Esset ut in signum,

Hunc Deo mactaret, merito tentatus amore;
Supplicium magnum, sanctus pro sanguine sanguis
Connexus capite spinis ostenditur agnus
Hostia sancta Deo. Cujus de morte piati
Esset ut in signum et vastatæ pignora gentis,
Sanguine signantur postes et limina multa,
Immane auxilium, caro testis creditur esca.
Jesus transgressus Jordan terraque potitus,
Lege dedit pascham, gaudens atque immolat agnum.
Et reliqui magni reges sanctique prophetæ,
Non ignorantes certæ promissa salutis,
Ingentemque, metu pleni, transcendere legem,
Venturam summæ virtutis imagine molem,
Inspectam e speculo celebrarunt ordine pascham.
Denique, si celeri primordia mente recurras,
Invenies funesta nimis, post impia verba :
Credulus heu ! facile nudatus tegmine vitæ,
Pellibus ut tegeretur homo, suspenditur agnus,
Aut peccata necat, aut sanguine funera delet,
Aut coperit nudos, fovet aut suo vellere vulnus (*a*),
Non pecoris sanguis humano sanguine pluris,
Ut pro peccatis oblatus dirimat iram,
Aut multæ plebis, veluti si carior agnus.
Auxilium immane, tantæ tutela salutis,
Oblatus potuit pretium satis esse redemptis. (1)
At Deus omnipotens, cœli terræque creator,
Immensus, vivus, perfectus, luce perennis,
Iis non placatur, pecudum neque sanguine gaudet.
Omnia mactentur pecora, grex omnis in aras
Decremet, ut veniam vel peccati expiet unus :
Nequaquam Domini sapiens maculata figura,
Tam vili pretio caro fœda paravit honores ;
Sed spes et promissa fides mortalibus olim,
Hæc operata tulit, magnæ rationis imago,
Præmeditata Patris, nimia pietate parata
Venturum Christum terris, hominemque futurum ;
Quem visum Joannes, baptismi primus apertor,
Et vatum socius, necnon et apostolus ingens,
Præcursor missus certus, testisque fidelis,
Augustus vita, sublimi laude notatus,
Olim pascha Dei, verum quærentibus agnum,
Ostendit tandem venisse, piacula facti
Qui delicta suo multorum sanguine solvat,
Pro reprobis probus, et charus, pro vilibus unus,
Corpore homo vitaque Deus, mactatus ut agnus,
Acciperet nos et nobis se effunderet ipsum.

A Sic placuit Domino mortem spoliare superbam ;
Sic poterit miserandus homo sperare salutem.
Hunc paschain Paulus mactatum prædicat agnum ;
Nec species Domini pecoris sublimis inertis
Consimilis patitur, quapropter dicitur agnus ;
Sed quia lanities renovata hæc corpora vestit,
Dat tegimen multis, unquam nec deficit ipse.

CAPUT IV.

Sic Dominus virtute Patris, quos morte redemit. (*b*)
Exutos sua luce tegit, quæ semper in illo est.
Ergo Pastor ovem qui perdidit, ipse requirit.
Is robur spinasque uvæ calcare paratus,
Aut rabiem superare lupi, pecudumque potiri.
Eripere fortis, contemptis dentibus ultro,
B Objectat sese leo pelle obtectus ovili,
Decipiens habitu, rapturus sanguine fauces:
Adam vi captum sic quærit Christus ubique,
Ipse viam gradiens, qua mors operata ruinam est
Omnia perlustrans veterum monumenta virorum,
Singula perspiciens, exemplis omnibus unus,
Ex utero incipiens inimicam expellere mortem,
Conceptæ simul in gremio cum semine carnis
Ætates omnes tacita sapientia lustrans,
Debita suscipiens, cunctos mundare paratus,
Reddere factori multos, quos sparserat unus.
Et quia terribilis puteo demersus iniquo
Vir cecidit, suasit virgo subducta dracone ;
Consilio placuit, tegmen cœleste reliquit ;
Arguit hos lignum nudos, mors atra coegit,
C Ex eadem massa simili ratione refecta
Jam renovata, redit flos carnis, et hospita pacis (2)
Virgine desponsa caro, non ex semine nato
Artifici conjuncta suo, sine debito mortis
Angelus hæc mandata Patris, per sidera defert
Lucida, ut angelica credantur nuntia fama,
Virginis ut virgo; carnis caro debita solvat.
Talibus ingressus sequitur vestigia mortis
Parvulus immanis, senior puer et juvenis vir.
Post, ubi justa viri completa est roboris ætas,
Paulatim solitus socia deperdere vita ;
In fœdas etiam rugas et inertia membra
Mutari specie vacuatis sanguine venis
Constitit, haud habitum passus veterascere carnis,
Quave manum extendit temere contingere lignum.
D Qua die quove loco cecidit clarissimus Adam (*c*),

LECTIONES VARIANTES.

(1) Salutis *Pam. Venet.*

(2) Paucis *Pam.*

COMMENTARIUS.

ad Exod. c. XII, ubi *sanguine agni* paschalis jubentur *signari postes et limina multa*, pro quo malim legere *multa ;* sed nihil immutavi. Quibus adjicit et *Pascham* celebratam, Jos. V. Castigavimus autem paulo post, *aut sanguine funera delet*, pro *dolet*.

(a) *Fovet aut suo vellere vulnus*, etc. Hic per licentiam poeticam corripitur *o* litera in fine dictionis *suo*, sicut etiam frequenter postea in hisce libris, de aliis christianis poetis idipsum vide apud Bedam. Emendavimus etiam *ut pro peccatis*, pro *aut*, ut id quod præcedit, *non pecoris*, sit interrogatio, et accipiatur more Tertullianico, *Non*, pro *Nonne*. Porro *agnum Christum* probat etiam ex Evangelio Joan. I.

CAP IV. — (b) *Sic Dominus virtute Patris*, etc. Tertullianicum est *pecudumque potiri*, et *eripere fortis ;* sic enim legimus *e* in fine producta, pro eo quod erat *eriperet*. Item, *virgo subducta dracone ;* item non multo post *sine debito mortis*, sic enim castigavimus pro *debita*, sicuti etiam *vestigia mortis*, pro *mortem*. Rursus vero ad stylum auctoris pertinet *manum extendit*, etc., *contingere lignum*.

(c) *Qua die, quove loco cecidit clarissimus Adam*, etc. Sic emendavimus, pro *carissimus*. Atqui quod hic dixit, et mox clarius repetit his verbis :

Hac eadem redeunte die volventibus annis
In stadio ligni, fortis congressus athleta ;
Extenditque manus, pœnam et pro laude secutus
Devicit mortem. quia mortem sponte reliquit,
Exuit exuvias carnis et debita mortis ;
Serpentis spolium, devicto principe mundi,
Adfixit ligno, refugarum immane trophæum.
In cujus signum Moses suspenderat anguem,
Et quotquot fuerant multis serpentibus icti,
Adspicerent ipsum fictum fixumque draconem
Post, ubi secretas inferni venit ad undas,
Atque suum victor captivum luce retexit,
Adstanti jussumque Patris virtute peregit,
Sponte suum corpus quod liquerat, ipse recepit.
Caussa hæc mortis erat, eadem via facta salutis;
Nuntius ille doli, sed pacis nuntius iste ;
Sponsa virum necuit, genuit sed sponsa leonem.
Virgo viro nocuit, sed vir de virgine vicit.
Cujus in exemplum, sopito corpore somno,
Sumitur ex latere mulier, quæ costa mariti;
Quam carnem de carne sua deque ossibus ossa,
Evigilans dixit, præsaga mente locutus.
Mira fides, merito Paulus certissimus auctor,
Christum de cœlis Adam docet esse secundum.
Veritas ipsa suis exemplis usa refulget ;
Nec cupit ex alieno acres ostendere gressus :
Pauperis hoc opus est, propriæ virtutis egeni :
Hæc Paulus docuit magnus mysteria docta,
Scilicet in Christo esse decus, tuum, Ecclesia, cer-
[nens (*a*)
Hujus de latere, ligno pendentis in alto
Corporis exanimi sanguis manavit et humor.
Fœmina sanguis erat, aquæ erant nova dona lavacri,
Hæc populi vera est viventis Ecclesia mater,
De Christi nova carne caro, deque ossibus ossum (1).
Golgotha locus est, capitis calvaria quondam (*b*);
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit ;
Hic medium terræ est, hic est victoria signum :
Os magnum hic veteres (2) nostri docuere repertum
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum,

A Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christ
Commixtus, stillantis aquæ virtute levari (3).
Hæc ovis est una quam se per sabbata vivam (*c*)
Inferni e puteo statuit subducere pastor.
Propterea cunctæ carnis præmortua membra
Curabat sabbathis, aut cæci a germine nati
Lumina, quæ nondum dederat, cernendo peregit;
Aut hominem totum exanimem, per sabbata vivum
Deque sepultura, præsenti plebe, vocavit;
Ipse novi factor, veteris bonus ipse refector,
Aut quæ defuerunt supplens, aut perdita reddens.
Hæc ineunte die sancto sperantibus in se
Facturus plene pro pacto, posse docebat.

CAPUT V.

B Quid? caro si moritur, nec spes datur ulla salu-
[tis (*d*),
Quas habuit caussas hominem se fingere Christus,
Et medicare homines, aut curam carnis habere?
Corruptela potens liquefactum solvere corpus:
Non poterit virtus Domini revocare solutum?
Credunt interitu qui non sua corpora solvi,
Non credunt Domino, sua qui vult mersa levare,
Aut nolle præstare bonum, neque posse potentem
Dicunt, ignari quanto de crimine lactent,
Infirmas ausi caussas præponere morti.
In grano latet arbor, et hoc nisi terra sepultum
Putrescat, non dat decoratos arbore fructus.
Jam liquidæ stringentur aquæ; stridente rigore
Saxa fient, et semper erunt, nisi magna potestas
C Solverit inducto molli spirante tepore.
Viticulæ in gracili latet ingens corpore botrus;
Si quæras, non est : cum vult Deus, esse videtur.
Arboribus folia, spinis rosa, germina campis
Mortua deficiunt, et rursus viva resurgunt.
Hæc homini Deus ante oculos revocata reformat,
Propter quem locuples primus largo omnia fecit.
Omnia nuda cadunt, suo corpore singula vestit :
Cur hominem solum, cui tantos fudit honores,
Non tantum revocet sibi, quem super omnia fecit?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ossa *Venet.*
(2) Veteris *Obert.*
D (3) Levare *Obert.*

COMMENTARIUS.

Golgotha locus est, capitis Calvaria quondam, etc.
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum, etc.

Habes etiam apud B. Cyprianum tract. *de Resurr. Christi*, ubi vide similes veterum locos in annotationibus nostris, num. 3. Auctori peculiare est quod etiam *eodem die passum* scribit *Christum quo Adam cecidit*.

(a) *Scilicet in Christo esse decus, tuum Ecclesia cernens*, etc. Corruptus est hic versus, cui, quod deessent MS. codd., medere non potui; ubi interim prima syllaba vocis *Ecclesia* corripitur, quod peculiare est auctori tum supra hujus l. VI, c. 2, *Decurrit Ecclesia verbo*, tum hic, tum paulo post :

Hæc populi vera est viventis Ecclesia mater,

et lib. III; infra, cap. 7.

Esse caput Christum, sunt cujus Ecclesia membra.

Suspicor autem etiam ibi mendum subesse : *fœmina sanguis erat*,

(b) *Golgotha locus est*, etc. Producitur hic media hujus vocis syllaba, quæ Hymno de Pascha Domini, apud Cyp. corripitur :

Est locus, est omni medius quem cernimus orbi,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt.

sicuti etiam a Juvenco, lib. IV. *Ubi ruris Golgotha nomen*. Castigavimus autem mox : *stillantis aquæ virtute levari*, pro *levare*.

(c) *Aut hominem totum exanimem per Sabbata vivum*, etc. Peculiare est hoc auctori, quod insinuet resuscitationem Lazari (Joan. 11) factam in *sabbato*; nam de illo illum loqui manifestum fit ex eo quod sequitur : *Hæc ineunte die sancto*, etc.

CAP. V. — (d) *Quid caro si moritur, nec spes datur ulla salutis*, etc. Emendavimus : *Quid?* pro *quod*, et *salutis*, pro *saluti*. Est autem Tertullianicum, *medicare*, etc. : *Non poterit*, etc., pro; *Nonne*.

Ergo caro et sanguis Dei regno digna negatur (*a*),
Tamquam sit Paulus proprie de carne locutus.
Ille quidem magna docuit, sed inania corda.
Carnali sermone putent; nam pristina facta
Sanguinis et carnis voluit sub nomine dicta,
Cœlestis magni memoratus verba magistri,
Qui per aquam de se genitis sui nomen honori
Donavit, pignusque suo de spiritu fudit;
Ut cujus fuerant homines virtute redempti,
Hujus et acciperent renovati nomen honoris.
Ergo, quia populis, nondum suo fonte renatis,
Sordibus antiquis tectis, et debito mortis
Ex veteri caussa regnum cœleste negavit,
Dicens humanum rursus debere renasci;
Quod natum est de carne, caro est, de spiritu, vita.
A Radicis veteris nova germina gloria mutans
Ablutum corpus jam non de carne vocari;
Hoc sequitur Paulus, sic est de carne locutus,
Denique dixit oportere superindui vestem (*b*),
Hunc habitum fragilem, mortalem contegi formam.
Non aliud corpus dari, sed prius illud inermem
Undique regno Dei lato circumdari totum,
Momento aspectus oculi mutabitur, inquit,
Ut rufæ ceræ facies dispanditur herba,
Et mutat proprium candenti sole colorem:
Sic eadem caro fulgenti de gloria sumens,
Gaudebit semper gaudens et morte carebit,
Devictum clamans crudelem corporis hostem,
Glutitam mortem, fortis victoria Christus,
B Ingentes Deo summa ferens ad sidera laudes.

COMMENTARIUS.

(a) *Ergo caro et sanguis Dei regno digna negatur*, etc. Pulchre interpretatur illud Apost. I Cor. IV: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*; de quo latius supra L. de Resurr. carn. c. 46, 49, 51. Castigavimus autem mox *Carnali sermone putent*, ut derivetur a *putere*, pro *putant*, ac paulo post rursum *et debito mortis*, pro *debita*. Item *humanum* (nempe genus) *rursus debere renasci*, pro *humano*.

(b) *Denique dixit: Oportere superindui carnem*, etc. De hoc Apost. II Cor., V, loco etiam supradicto lib. latius, cap 41, 42 et 43; sicuti etiam de illo: *in Atomo, in momentaneo motu oculi*, ibidem. Atqui *rufam ceram* more suo rubeam intelligit, et *glutitam* usurpat pro *deglutitam*.

LIBER TERTIUS.

DE CONCORDIA PATRUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

ARGUMENTUM, ETIAM IPSIUS AUCTORIS.

Tertius, ingenua gentem de matre creatam,
Vatibus et patribus sacratos esse ministros.

Ubi subintelligi debet TRADIT, *aut quid simile: tractat enim libro tertio* (*quod adeo etiam titulo adjecimus*) *de concordia patrum veteris et novi Testamenti, occasione illius Apostoli* (Gal. IV, ex Isa. c. LIV): SCRIPTUM EST ENIM: LÆTARE, STERILIS QUÆ NON PARIS; ERUMPE ET CLAMA, QUÆ NON PARTURIS, *etc. Et illius:* ILLA QUÆ SURSUM EST JERUSALEM LIBERA EST, QUÆ EST MATER NOSTRA. *Hoc enim* (*est*) *quod in dicto argumento dicitur:* INGENUA GENTEM DE MATRE CREATAM. *Plura autem habet auctor initio libri V, sed ita obscura, ut præstet suo loco duntaxat tractare.*

CAPUT PRIMUM.

Jam genuit, quondam sterilis cognomine, ma-
[ter (*c*),
Jamque novus gaudet populus de libera natus,
Expulsa famula merito cum prole superba;
Viventis quoque fontis aquas ingrata reliquit,
Et tepidis errans ardenti sidere potat.
Jam possunt gentes Abraham clamare parentem,
Quæ vocem Domini simili ratione secutæ,
Omnia liquerunt peregre se sistere vitæ.
C Lætare, o sterilis, promissam concipe plebem;
Erumpe et clama, qua nulla prole beata.
De qua dicebat per vates Spiritus olim:
Hæc genuit gentem multis ex gentibus unam,
Cujus principio semper pia membra laborant:

CAPUT II.

Hujus Abel justus, pastor pecudumque magister,
Fraternæ occidit quem olim violentia dextræ;
Hujus Enoch, insigne decus, de corpore mem-
[brum (*d*)

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (c) *Jam genuit, quondam sterilis cognomine mater*, etc., *veterumque Patrum et nostra Ecclesia.* (*Gal.* IV) in carnem redegit, ita cum subdit: *Viventis quoque fontes aquas*, etc., alludit ad illud Gen. XXI, ubi Agar legitur utre aquæ in scapulis imposito errasse in solitudine. Videtur interim alia aliqua vox substituenda pro *tepidis*, sed non licuit D ob inopiam cod. MS. corrigere.

CAP. II.—(d) *Hujus Enoch*, etc. Peculiare hoc est Auctori, quod scribat: *Enoch a Deo digressos populos consilio revocasse*, qui etiam per præoccupationem *gigantes* nuncupat impios civitatis diaboli ministros, de quibus Gen. VI sub Noe primum fit mentio in Scripturis.

A (1) Deo digressos populos facinusque sequentes,
Deum furit in terris refugarum turba latronum;
Sacrilegum genus ut fugeret crudele gigantum,
Consilio revocabat, in omnibus ipse fidelis.
Ingenti gemitu placuit, meritoque labore
Translatum magno pignus servatur honore.
Perfectus laude et sine culpa Noe repertus (*a*)
Testificante Deo justus in adultera plebe,
Bis quinquagenis arcam qui texuit annis,
Venturum excidium factis et voce ferebat;
Promeruit tantis ereptus mortis ab undis,
Et cum prole sua servatus. Gente sequente
Est Abraham, cujus gnatos vos esse negatis,
Qui primus, genere et patria et genitore relicto,
Voce Dei suasus, secessit in extera regna,
Tanto Dei meruit sublimis dignus honore (2),
Gentibus ut pater et populis credentibus esset.
Cum patribus Jacob, quorum pater ipse, per omne
Vitæ suæ spatium lætissima tempora Christi
Præcecinit verbis, actu, virtute, labore.
Hunc sequitur Joseph, fœdæ sine sordo juventæ,
Carceris et duræ conficta calumnia pœnæ:
Gloria post gemitus, regnique secunda corona,
Inque fame panis tribuendi larga potestas.
Tam propria Christi, tam lucida lucis imago
Omnibus est manifesta, quibus sunt lumina menti,
Ut speculo vultus firmam spem cernere possint.
Judas ipse pater, regalis sortis origo,
Unde duces geniti, cujus de semine reges
Nunquam defuerunt, donec ventura potestas
Gentibus expectata diu promissa veniret.

CAPUT III.

Dux populi Moses, qui limina regia liquit,
Spernens divitias florentes tempore parvo,
Maluit adflictus populi portare labores
Subnixa cervice, minis non territus ullis,
Quam sibi delicias multasque remittere pœnas,
Pro magnaque fide, pro tanto mirus amore,
Armatus virtute Dei magnalia gessit:
Percussit gentem plagis, terramque reliquit,
confundit regem durum, populumque reducit;
Calcavit fluctus, hostes demersit in undis;
Fecit aquam dulcem per lignum, semper amaram,
Cum Christi populo manifeste multa locutus,
Cujus de facie lux et nitor ore refulsit;
Acceptam legem per paucos fudit in orbem,
A Exempla implicita propriorum certa laborum,
Percussit petram, jussus quoque flumina fudit;
Extenditque manus, ut signo vinceret hostem.
Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.
Hic probus et magnus cum laudis pace quievit.
At Jesus Nave filius, Auses ante vocatus,
Spiritus hunc sanctus socium sibi nomine junxit
Hinc fluvium scidit, et populum transire coegit;
Distribuit terram gratis, promissa paterna;
Solem cum luna statuit, dum vinceret hostem;
Expulit externas gentes prolemque gigantum;
Excidit lucos, aras et templa subegit;
Omnia legitima solemnia mente peregit;
Nominis exemplum Christi, virtutis imago.

CAPUT IV.

B Quid de Judicibus populi per singula dicam?
Quorum virtutes si conscribantur in unum,
Verborum spatio numerosa volumina complent.
Attamen ex multis paucorum dicere vitam,
Corporis explendi verborum postulat ordo.
Ex quibus ut Gedeon dux aguinis, acer in hostem,
Non virtute sua tutelam acquirere genti,
Firmatusque fide signum petit excita menti,
Quo vel non posset vel posset vincere bellum,
Vellus ut in noctem positum de rore maderet,
Et tellus omnis circum siccata jaceret,
Hoc inimicorum palmam coalescere mundo;
Atque iterum solo remanenti vellere sicco (3),
Hoc eadem tellus roraret nocte liquore;
C Hoc etenim signo prædonum stravit acervos,
Congressus populo Christi, sine milite multo,
Tercenteno equite (numerus Tau littera Græca) (*b*)
Armatis facibusque et cornibus ore canentum.
Vellus erat populus ovium de semine sancto;
Nam tellus variæ gentes fusæque per orbem;
Verbum quod nutrit, sed nox est mortis imago,
Tau signum crucis, et cornu præconia vitæ,
Lucentesque faces in ulychno, spiritus ardens
Scilicet hoc testamen erat virtutis imago,
Non prius angelica mortis fera prælia vinci,
Quam populo indocili merito sua culpa relicto,
Florentesque fide gentes in laude receptæ.
Debbora quia mulier super omnem maxima formam,
Pro patria quæ belligero subnixa labori,
D Stipite sub palmæ populum vicisse canebat (*c*),

LECTIONES VARIANTES.

(1) A *abest. ap. Obert.*
(2) Tantos honores *Obert.*
(3) Fuco *Puris.*

COMMENTARIUS.

(a) *Perfectus laude et sine culpa Noe*, etc. Quod de Noe tradit, magis cum Scriptura convenit, ubi cum legatur: *Erunt dies illorum centum viginti annorum*, tacite interpretatur (omissis duntaxat 20 annis, forte quod in carmen non tam commode posset referri) de spatio pœnitentiæ impiis relicto, dum dicit:

Bis quinquagenis arcam qui texuit annis.

CAP. IV.—(b) *Numerus Tau litera Græca*, etc. Hoc sibi vult, *Tau literam græcam*, exprimere *numerum tercentenum*, quod, præterquam quod notius sit quam ut probatione indigeat, etiam supra ostensum est ex Tertulliano, Irenæo, et aliis lib. *de Præscript. adv. hær.*, cap.. 50, hær. 15, *de hæresi Marci* ex Græcorum Alphabeto. Hic vero propterea hunc illud affert, ut probet *Gedeonem* in figura *Tau signi crucis tercenteno equite* (ubi accipit equitem carminis gratia, pro omni milite. Nam Jos. VII solum legitur de 30 viris) *stratisse prædonum acervos*. De quo signo *Tau* plura supra lib. III adv. Marc., cap. 25 et lib. adv. Jud., cap. 11. Atqui paulo post *testamen* usurpat Auctor, pro *testamento*.

(c) *Stipite sub palmæ populum vicisse canebat*, etc. Alludit ad Canticum Debboræ, quo celebrat Sisaram in temporibus clavo, sive, uti habent LXX, palo tabernaculi, quos ex palma olim confici solere indicat Auctor, qui etiam istud tradit signum fuisse *Christi*

Quapropter victi simul hostes terga dedere :
Sisara dux fugit, cui non vir, nec manus ulla
Restitit. Hic Baal Christi victoria signo
Exemplo refuga, devicit fœmina ligno.
Jephtha fide firma, qui duro vulnere votum
Ausus mercedem belli Deo dicere grandem,
Hic quia quæ non vult Dominus promiserat amens.
Occurrit primo charum sibi pectore pignus :
Nulli sperata cecidit quod sorte repente,
Promissum ut staret, solvit pia jura parentis,
Peccati votum violenta mente coperuit (*a*)
Immanis timor orbatæ solatia vitæ
Pro scelere obtinuit famam, pro crimine laudem,
Necnon Sansonis super omnia corpora vires,
Spiritus hoc donum capiti concessa potestas,
Pro populo solus, nullo mucrone, nec armis,
Os retinens asini, prostravit corpora mille :
Vincula nulla virum vinctum potuere tenere ;
Gloria sed postquam captivi mota recessit,
Occidit, atque hostes victus sua morte redemit.

CAPUT V.

Mirificus Samuel (*b*), cui reges ungere primum
Præceptum, dare chrisma viros ostendere christos
Talibus in vitæ spatio laudabilis egit,
Ut quaque (1) post requiem prophetica jura teneret.
Psalmographus David, magnus rex atque propheta (*c*),
Passurum Christum submissa voce canebat,
Sponte quod ingratus populus sine lege peregit,
Cui Deus ex utero fructum promiserat olim,
Prolem sublimi solio suo ponere sanctam :
Fixa fides Domini quæ sponderat, omnia fecit.
Æmulus Ezechias, populi corrector inertis,
Oblitis (2) legem qui restauravit iniquis,
Hæc olim mandata Dei prior omnia jussit,
Qui precibus bellum, non ferri cuspide solvit.
Hic moriens, lacrymis annos ac tempora vitæ
Accepit, merito talem tulit actus honorem.
Ingenti zelo Josias, rector et ipse,
Tantum nemo supra nec postea taliter egit :
Idola destituit, destruxit templa nefanda,
Atque sacerdotes super aras igne cremavit,
Ossa prophetarum falsorum cuncta refodit,
A Incenditque aras adolenda cadavera lignis.
Insignis fidei in laudem (memorabile) tactus
Nobilis Helias, qui nondum debita mortis
Gustavit, quoniam rursum venturus in orbem est :
Ergo infracta fides, populum regemque furentem,
Militiam Domini qui deseruere beatam,
Verberibus flammis castigans hostes amaris,
Sidera conclusit, tenuitque in nubibus imbrem.
Esse Deum ostendit cunctis, apparuit error :
Nam madidæ partes hostiæ fluvio, super aras
De cœlo precibus, veniens vi, flamma comedit ;
Et quotiens voluit, totiens ruit ignis ab alto :
Divisit fluvium transgressus et avia fecit,
Sublatus curru paradisi vectus in aulam est.
Hujus discipulus sortis successor Heliseus,
B Qui duplicem Heliæ petiit sibi sumere sortem
Ad castigandam violento verbere plebem ;
Tantum pro Domino et talem spiravit amorem :
Jordane percusso, pedibus via facta regressus,
Demersam fluvio relevavit virga securim ;
Mortiferumque cibum in vitalem transtulit escam
Detinuit pluvias iterato tempore duplo ;
Mundavitque lepras ; hostes caligine cepit :
Cujus post obitum jam condita membra sepulchro,
Abjectus quidam, mactatus cæde latronum,
Mortuus ut tetigit, revocata luce revixit.

CAPUT VI.

Esaias, locuples vates, cui fontes aperti,
Tam manifesta fides, verbum Dei ore profudit,
Largaque per Christum Patris est promissa voluntas,
C Prætestata viam vitæ atque probata per ipsum est :
Quem populus sectum ligno sine labe repertum,
Inmeritum demens crudeli morte peremit.
Sanctus Hieremias quem gentibus esse prophetam
Æterni virtus jussit, dixitque futurum ;
Qui quoniam plebis facta inlaudanda revolvit,
Et fore captivam, nisi pœnituisset iniquos,
In famulos fieri præsaga voce locutus,
Vincula dura tulit, squalenti (3) carcere clausus,
Inque luto putei fames hausit tabida membra :
Sed postquam quæ noluerant (4) audire probavit,
D Atque hostes vinctum populum duxere triumphis,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quoque *Obert.*
(2) Ablatis *Venet.*
(3) Currere *alii.*
(4) Voluerant *alii.*

COMMENTARIUS.

victoriæ in ligno, verbis licet obscurioribus, et quantum apparet mendosis.

(a) *Peccati votum violenta mente coperuit*, etc. Eodem pertinet quod sequitur :

Pro scelere obtinuit formam, pro crimine laudem

de *Jephte*, qui *ex voto quod amens Deo promiserat*, filiam suam immolavit in holocaustum. Quomodo autem *crimen* illi imputetur, cum tamen ab Apostolo (*Hebr.*, II) in justorum recenseatur catalogo, tractat late auctor Quæst. et Respons. inter opera B. Justini Martyris, dicens permisisse Deum illud criminis, ut posteri documentum acciperent, ne unquam vota sua Deo indefinite nuncuparent, et in justorum nomenclaturam nomen ejus esse insertum, quod pietatis suæ erga Deum observationem filiæ suæ mactatione declaraverit. Quale quid etiam habet B. August, *Quæst. in lib. Jud.*, cap. XLIX, et ex parte lib. I *de Civitate Dei*, cap. 21. Pertinet vero etiam ad licentiam poeticam illud : *coperuit*, in fine carminis heroici. Atqui paulo post de *Samsone* castigavimus : *hostes victus sua morte redemit*, pro : *hostia victos* ; ipse enim jam victus, in vinculis utpote constitutus, hostes suos concussione columnarum una secum peremit.

CAP. V. — (b) *Mirificus Samuel*, etc. Intelligit unctionem regum Saulis et Davidis, I Reg., X et XVI ; deinde alludit ad I Reg., XII, de innocentia Samuelis, et XXV, de morte ejusdem.

(c) *Psalmographus David, magnus Rex, atque Propheta*, etc. Paucis comprehendit omnes Davidis qua-

Horrida vix tandem carnit sua dextra catenis;
Nulla morte virum constat, neque cæde peremptum.
Ezechiel fidus (1), dives cui gratia verbi
Concessa est; peccatorum secreta videre,
Afflictus lugere suos, veniamque precari,
Cernere vindictam sanctorum cæde futuram,
Sanctorumque locum regni, carnisque salutem
Spiritu implicitus, gressus aditusque videre.
Osea, Amos, et Micheas, Joel (2), Abdia, Jonas (*a*),
Atque Naum Habacuc, Sophonias, Aggæusque,
Zacharias vim passus, et angelus ipse Malachim;
Illi vates Domini, quorum chorus usque canentum,
Ac pariter laudis propriam meruere coronam.
Quam magnus Daniel! qualis vir! quanta potestas!
Qui falsos testes ipsorum prodidit ore (*b*),
Servavitque animam damnatam crimine ficto,
Somnia secreta et regis prior ore resolvit;
Prævidit Christum regnorum solvere membra;
Pro Domino reus est, factus quoque præda leonum;
Servatisque palam cunctis, in pace quievit.
Hujus tres socii vix digna laude canendi (*c*),
Ex numero tanto decretum regis iniquum
Contempsere pii, quorum data corpora flammis,
Tradere se pœnis potius pro nomine magno,
Quam genibus nixi simulacro pandere palmas:
Jam præclara fides, jam spes super omnia fulgens
Extinxit rabidos ignes, et vicit iniquos.
Esdras vates, legis doctor et ipse sacerdos,
Qui populum captum post tempora plena reduxit,
Ignibus et multa consumpta volumina vatum (*d*)
Spiritus completus, memori omnia reddidit ore.

CAPUT VII.

Grandis Joannes super omnes semine natos;
Cujus difficile poterimus dicere laudes:
Abluter carnis, Domini præcursor apertus,
Ablutor Christi, prior ipse renatus ab illo,
Fœderis ille novi primus veterisque supremus,
Proque via vera prior hostia cæsus obivit.
Ecce Deus Christus; pariter bissena juventus,
Omnibus una fides, amor unus et una potestas,
Flos hominum, mundo lucentes lumine Christi,
Et comites et apostolici, qui vera locuti,
Auribus audivere, oculis videre salutem,
Tractavere manu corpus de morte receptum,
Convixere cibo assidue, testantur ut ipsi.
Hunc Paulus, prælectus apostolus in vice missus (*e*),
In cœlos raptus vidit quoque; missus ab illo,
Barnaba cum comite, sociisque prioribus, uno
Fœdere conjunctis, per gentes tradit ubique
Esse caput Christum, sunt cujus Ecclesia membra,
Corporis ipse salus, membrorum vita perennis;
Ipse caro factus, pro cunctis ipse peremptus,
Ipse resurrexit primus, spes una salutis;
Discipulisque suis formam dedit: hi simul omnes
Indignas varie pœnas pro nomine passi.

CAPUT VIII.

Talia membra gerit specioso corpore mater
Libera, quod nunquam Domini præcepta reliquit,
Inque domo senuit, Domino lectissima semper,
Invidiam, pœnas ejus pro nomine passa:
Nam sterilis quoniam, nondum secura futuri,
Ediderit populum cœlesti, semine natum.
Atque suæ famulæ, portavit spreta dolorem,
Hanc sterilem quondam, nunc tempus cernere matrem
Hæredem natum suæ libertatis habere,
Non similem famulæ, quanquam de semine cœli
Conceptum genuit, sibi conditione jugatum:
Absit ut illicitis verbis, temeraria voce
Egregios homines, ardentia sidera cœli,
Semine conjunctos tantum, vel sanguine plebi,
In solidum passim famulum dicatis atrocem,
Aut populum Domini legis mandata secutum,
Servili specie quisquam putet esse loquendum.
Sed peccatorum vacuam sine mente catervam,
Qui promissa Dei, dubia spe, corde locarunt,
Præsentis vitæ misera dulcedine victos,
Debita servitio capitis sua culpa subisset,
Si legem plebi peccati caussa jugabit.
Nam servire Deo, toloque incumbere corde
Intemerata fides, libertas sponte paratur.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sidus *alii.*

(2) Simul *Obert.*

COMMENTARIUS.

litates, de quo sequentem versum castigavimus:

Passurum Christum submissa voce canebat,

pro *cujus se voce canebat:* sicuti et de *Ezechia* illud,

Ablatis legem qui restauravit, iniquis,

pro *oblitis;* per *iniqua* enim intelligit quæ excelsa vocantur in Scripturis. Paulo post obscurum est illud de Josia:

Incenditque aras adolenda cadavera liguis,

nisi subintelligatur: *ad adolenda.*

CAP. VI. — (a) *Oseas, Amos et Micheas, Joel, Abdia, Jonas*, etc. Similiter et hic necessario substituimus: *Joel*, pro *simul*, utpote cum inter 12 Prophetas minores, quos commemorat, ille unus sit.

(b) *Qui falsos testes ipsorum prodidit ore*, etc. Etiam hinc confirmatur historia Susannæ, Danielis XIII, quam cum Græcis inter prima Daniel.s facta recenset Autor, de cujus auctoritate latius supra tom. II, lib. de Corona milit. cap. 4, nu. 43. Est autem obscurus, et fortassis mendosus ille versus:

Servatisque palam cunctis in pace quievit.

(c) *Hujus tres socii*, etc. Intellexit Ananiam, Azariam et Misaelem, de quibus ubi dicit: *Tradere se pœnis*, etc., subintelligendum: malentes, aut quid simile.

(d) *Ignibus et multa consumpta volumina vatum*, etc. De *omni instrumento judaicæ literaturæ per Esdram instaurato*, vide supra tom. II, lib. de Habit. mulieb., cap. 3, num. 33. Quibus adde quod id satis judicetur his verbis, I Esdr., VII: *Esdras* paravit cor suum ut quæreret legem Domini, et: *Esdræ sacerdoti*, scribæ libri sermonum mandatorumque Domini.

CAP. VII. — (e) *Hunc Paulus prælectus apostolus*, etc. Sic castigavimus hunc versum, pro eo quod erat: *Hinc.* Loquitur enim de Christo, quem Paulus in cœlos raptus vidit, item: *missus ab illo.* Rursum autem ibi; *pro nomine*, accipitur Christi nomen.

Ergo patres justi, sancti, sine labe prophetæ,
Adventum Domini multi cecinere futurum;
Testanturque fide cœlestia jussa profanis,
Cum quibus immanes satiati gloria Christi,
Consortes virtutis, verba sacrata replentes
Firmavere fidem, factis prædicta probando.

CAPUT IX.

Quorum discipuli, qui successere per orbem,
Conflati virtute viri, nostrique magistri,
Conjunctos operis nobis tribuere honores.
Ex quibus electum magnum plebique probatum
Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum, primum considere jussit.
Post quem Cletus et ipse gregem suscepit ovilis.
Hujus Anacletus successor sorte locatus:
Quem sequitur Clemens; is apostolicis bene notus.
Evaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ovile:
Post expleta sui qui lustri tempora tradit
A Telesphoro; excellens hic erat, martyrque fidelis;
Post illum socius legis, certusque magister;
Cum vestri sceleris socius, præcursor et auctor
Advenit Romam Cerdo, nova vulnera gestans:
Detectus, quoniam voces et verba veneni
Spargebat furtim; quapropter ab agmine pulsus,
Sacrilegum genus hoc genuit spirante dracone.
Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ
Composita a Petro, cujus successor et ipse
Jamque loco nono cathedram suscepit Hyginus.
Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater
Angelicus pastor, quia tradita verba locutus:
Atque pio suscepit Anicetus ordine sortem:
Sub quo Marcion hic, veniens, nova pontifica pestis,
Nondum secretum facinus suo corde reclusum,
B Passim vulgo loquens latebrosa perfidus arte.
Sed postquam cœpit mortis proferre sagittas,
Abjectus merito tam sævi criminis auctor,
A sanctis reprobus, patuit mirabile monstrum.

LIBER QUARTUS,

INCERTI AUCTORIS, DE MARCIONIS ANTITHESIBUS.

Quartus et ipse refert obscura piacula Legis
Esse typum veteris, quæ paruit hostia vere.
Jamdudum exspectata piis cum semine sancto.

Quibus verbis, alias satis obscuris, indicat piacula, id est sacrificia veteris legis, fuisse typum veræ hostiæ, christi. Qua explicatione cum antitheses Marcionis dissolvat, quas hoc libro æmulamenta nuncupat; libri hujus titulo adjecimus : DE MARCIONIS ANTITHESIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Hæc populo juveni, qui dives, liber et hæres (*a*)
Possidet æternam spem laudis jure dicatam,
Non ut doctores (solus daret omnia Christus),
Sed famulos Christi, jubet inviolata potestas
Ingenti zelo flagrantes, pacis amore
Armatos, molem belli deducere terræ
Excelsas turres, et mœnia sæva malorum,
Surgentesque minas, populi contra agmina sancti
Detrahere, vacuas voces dissolvere vento.
Quapropter merito nos æmulamenta locuti
Ipsius ex verbis, etiam monumenta salutis
Nitimur exprimere, quæ gratia larga profudit,
Prædonisque plagam sanctis aperire opertam
C Ex improviso ne quis rudis, inscius, auda
Incidat, et captus cœlestia dona relinquat.

CAPUT II.

Ergo Deus cunctis mortalibus unus ubique est (*b*),
Æternum regnum, profundæ lucis origo,
Fons vitæ, potus sapientia conditus omni.
Protulit ipse orbem, cujus sinus omnia cingit:
Nulla illum regio, nullus locus ambitu claudit;
Materies nulla est facta, ut si sponte perennis,
Quæ fuerit semper, nullo facto recreata;
Cœlorum, terræ, maris infernique locator.
Spiritus aeris est divisor, conditor, auctor,
Solus perpetuus Deus est, immensa potestas.
D Hunc lex esse Deum populo monstraverat unum,

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Hæc populo juveni*, etc. Obscurissimum est illud, et fortassis mendosum:

Non ut doctores (*solus daret omnia Christus*). Correximus vero:

Excelsas turres, et mœnia sæva malorum, etc.

Detrahere, pro : *Detraheret*. Accipit autem, uti in argumento quoque dictum est : *æmulamenta*, pro *Antithesibus:* quarum frequens mentio supra, l. III, libris quinque adv. Marcion.

CAP. II.— (b) *Ergo Deus cunctis mortalibus unus*, etc. Hic distinximus : *potus sapientia conditus omni*, ut *sapientia* Ablativus sit more Auctoris, correpta ultima syllaba : ubi castigavimus : *conditus*, pro *creditus*. Legimus etiam : *Ut sit sponte perennis*, pro, *perenni*, etc.: *infernique locator*, pro *locatur*.

Cujus vox Mosi pollens in monte locuta est.
Illius hæc virtus, sapientia, gloria, verbum,
Filius, immenso genitum de lumine lumen,
Per vatum voces hunc unum clamitat esse.
Ordine suscipiens Paulus, sic tradit et ipse
Unum hunc esse Patrem, per quem sunt omnia facta;
Atque unum Christum, per quem Deus omnia fecit,
Ad quem se curvare genu plane omne fatetur,
Ex quo omnis patria in cœlo terraque vocatur (*a*);
Qui zelat populum summo pietatis amore
Ut pater, et sancte vult omnem vivere carnem,
Apparere sibi mundam sine crimine plebem,
Hoc zelo nostram custodit lege salutem,
Legitimos monet esse, jubet, castigat et instat,
Corripiens Galatas fratres et apostolus idem,
Talem se Paulus zelum se scripsit habere

CAPUT III.

Reddidit ergo Deus gratis peccata paterna
In cataclysmo enecans pariter cum prole parentes;
Genteque jam quarta genitos de stirpe nepotes,
Cum fere nongentos hos tunc adjuverit annos.
Judicium durum, sententia sæva videtur,
Parvulus et Sodomis adhuc insons, mollis, inermis,
Ut careat vita; quid enim peccaverat infans?
Quod crudele putes, hoc est pietatis honestum
Auctores sceleris, facinus ne cresceret ultra,
Exstinxit sobolemque patrum peccata sequentum.
Sed non cum patribus pœnas innoxius infans
Perpetuas luit; ignarus, neque criminis auctus,
Ne fieret sceleris, consors ætatis adultæ,
Sponte futura mala, mors immatura resolvit.

CAPUT IV.

Cur Deus ergo jubet pecorum sibi sanguine [fundi (*b*)?
Legeque constringit, ne quis transcenderet errans
In populo, lapidum præsenti morte minatus.
Atque iterum hæc reprobat, negat hæc sibi munera [grata.
Corripiens plebem peccati examine pressam.
Ipse jubet verax, justus simul ipse repellit:
Si quæris causas, errans desiste moveri;
Causa etenim fidei rationis imagine major.
Aspice per speculum fulgentis luminis umbram,
Quid vitulis sanguis, vitulæ cinis, hircus uterque;
Hic dimissus abit, cadit alter at hostia templo:
Sanguine nam vituli populum, simul omnia vasa,
Atque sacerdotes et scripta volumina legis,
A Sparsit aquæ mixto vates sic jussus ab alto,
Non (1) propriam spem, nec speciem virtute vacan- [tem,
Exemplo vituli passurum in corpore Christum;
Qui juga dura ferens humeris, temonis aratro
Fortiter abrupit sua pectora vomere ferri,
Infundens sulcis animæ sui sanguinis undam:
Nam templi vasa hæc designant corpora nostra.
Ipse Dei templum verum, non ante dicatum,
Namque suo socios homines sibi sanguine fecit
Atque sacerdotes voluit sui corporis esse (*c*),
Ipse patris summi perfectus jure sacerdos.
Auditum, visum, gressum mandavit inertem,
Aspersitque libro testes præsaga locutus,
Demonstrans legem suo vinctam sanguine sancto.
B Hanc et per vitulam manifestat victima caussam,
Sanguine de cujus pro plebe piacula sumens
Intra velamen primus levita ferebat,
Castrorum extra fores corpus jussuque cremavit,
Cujus de cinere mundabat corpora lapsa
Hoc Dominus noster, qui nos sua morte redemit,
Extra castra, volens populi vim passus iniqui,
Implevit legem, factis prædicta probando,
Qui vere mundat plebem contamine plenam,
Omnia concedens, quasi dives corporis auctor,
Intra velamen cœli cum sanguine gressus,
Effundit quem pro multorum mortibus unus.
Ergo sacerdotem magnum decet hostia sancta,
Quam digne perfectus habens, offerre probetur:
Corpus habet, hæc est mortalibus hostia viva:
C Hanc dignam magnis, pro cunctis obtulit unam,
Hircorum species homines dicat esse repulsos
Ex duobus populis steriles, sine fructibus ambos,
Quos in Evangelio Dominus quoque dixit, et hædo
Abs ovibus cerni stantes in parte sinistra,
Esse quidem quosdam Domini pro nomine passos;
Sic actum sterilem, fructum velasse, supremo
Hos merito dignos aræ, decet esse prophetas:
Abjectos alios, Lazaro ut dives iniquus.
In sua duritie qui permansere repulsi.

CAPUT V.

Nam velum in medio pendens cernebat utrosque (*d*),
Inque duas partes ædem diviserat unam.
Interiora quidem sanctorum sancta vocata.
Isthic ara sita effulgebat nobilis auro,
D Testamenta simul, tabularum legis et arca,
Pellibus agnotum cœli contecta colore,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nam *Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ex quo omnis patria in cœlo terraque vocatur.* Reservata est ab Auctore in hæc scriptura Ephes. III vox græca πατριὰ, de qua B. Hieronymus adv. Helvid. scribens fatetur Latinos paternitates vocare, quas Græci vocant πατριὰς, cum ex una radice multa generis turba diffunditur.

CAP. IV. — (b) *Cur Deus ergo jubet pecorum sibi sanguine fundi*, etc. Pulchre explicat sacrificia, *vituli, vitulæ*, et *hirci utriusque*: alludens iterum ad c. 9 Epist. ad Hebr.

(c) *Atque sacerdotes voluit sui corporis esse*, etc. Illis verbis confirmari *veritatem corporis et sanguinis Domini*, supra annotavimus l. IV, adv. Marc. c. 40, nu. 662, ubi ea de re latius. Rursus autem paulo post, dum *vitulæ victimam* explicat, utitur voce: *contamine*, pro *contaminatione*. Atqui deinceps, de *duobus hircis agit.*

CAP. V. — (d) *nam velum in medio pendens cernebat utrosque*, etc. Accipitur *cernebat*, pro: *discernebat;* ut pote quod distingueret inter *sancta sanctorum*, quo solus ingrediebatur summus Pontifex, et sancta sive Tabernaculum, in quod intromittebantur cæteri sacerdotes.

Interius vestita auro, media omnia ligno.
Hic tabulæ legis, hic manna est urna repleta,
Hic Aaron est virga, crucis quæ germina profert (*a*),
Ipsi dissimilis, styracis tamen arbore nata.
Atque super Cherubin per formam quattuor unam (*b*)
Pandebant pennas, et sagmina jussa tegebant.
Exterius velum, pars ædis aperta patebat (*c*),
In faciem lato gravis æris stabat aheno,
Et candelabrum bis ternis undique ramis
Connexis medio calamo, totidemque lucernæ.
Aurea materies complebat lumine templum.

CAPUT VI.

Ergo prior templi facies communis, aperta,
Declarat ritum populi sub lege morantis,
In cujus tenebris septemplex Spiritus, unus
Lucebat sanctus semper plebemque tegebat;
Hoc candelabrum verum vivæque lucernæ.
Per legem et vates perlucens corde subactis,
Inde typum terræ facta ara creditur esse,
Hic operæ populi, quas non sine sanguine sempe
Obtulit, effuso, vitam sine lege, cruore,
In patulo passim comparuit omnibus olim;
Isthic et Dominus pro cunctis hostia factus
Totam designat terram, specialiter aram.
Fœderis hinc etiam novi inenarrabilis auctor (*d*),
Discipulus Joannes animas pro nomine passas
Testatur tali sese vidisse sub ara,
Clamantes Dei vindictam pro cæde potentis;
Isthic interdum requies; sub corpore terræ
In parte ignota quidam locus exstat apertus,
Luce sua fretus, Abrahæ sinus iste vocatur (*e*),
Altior a tenebris, longe semotus ab igne,
Sub terra tamen: hæc ara vocatur ahena,
In qua velamen pullum memoravimus esse;
Dividit hæc partes ambas, unaque recludit
A Dissitam ab æterna, cultura et temporis usu.
Non inimica sibi quamvis distantis amoris,
Tempore divisa et spatio, et ratione ligata;
Una domus, quamvis velo partita videtur,
Atque adeo passo Domino, velamine rupto,
Cœlestes patuere plagæ, cælataque sancta
Atque duplex quondam facta est domus una per-
[ennis.

CAPUT VII.

Interius templum (*f*), populum de nomine Christi
Cœlesti cultu, ipsa Dei mandata sequentem
(Personæ hic propriæ vere non umbra ligatur),
Perfectis rebus completum tradidit ordo.
Arca, sub exemplo, corpus venerabile Christi
Ostendit, sacro per lignum spiritu junctum.
B Aeriæ pelles caro, non ex semine nata,
Extensa in ligno, simul intus spiritus ardens
Aurigera specie conflatus, jungitur illi,
Ut caro pace data, cum spiritu mixta vigeret.
Carnis et urna typum Domini fert aurea plena,
Fœderis ipsa novi Dominum declarat aperte;
Manna, quod est panis cœlestis verus, in illum
Traditus a Patre, quem tribuit pro pignore sanctis,
Perfecte dabit hunc illis, qui vincula pacis
Semper amatores operum tenuere bonorum.
Et tabulæ duplices conscriptæ legis, in arca,
Significant simul hæc in Christo condita semper,
Qui vetus atque novum mandatum pertulit ipse:
Arca Patris summi, per quem dedit omnia dives.
Et virga styracis fructus nucis adtulit ipsa
C (Virginis hæc species, genuit quæ sanguine corpus),
Conjuncta in ligno, sedabit mortis amarum
Interius fructum dulcem, de Spiritu sancto,
Sicut Esaias virgam de semine Jesse
Prædixit Mariam, de qua flos exit in orbem.

COMMENTARIUS.

(a) *Hic Aaron est virga*, etc. In eo quod additur: *crucis quæ germina profert*, videtur esse mendosum illud: *crucis*; vocem autem græcam καρύα, quam Numer. XVII interpres Vulgatus vertit ex hebræo *amygdala*, auctor *styracis nuces* interpretatur. Et vero communis est vox græca ad utrumque: utpote qua omnis generis nuces significet. Quod vero significavit *Mariam virginem virga Aaron*, habes infra cap. 7.

(b) *Atque super Cherubin per formam quattuor unam*, etc. Alludit partim ad *Cherubim* duo obumbrantia propitiatorium, de quibus Exod. XXV, partim ad quatuor animalia, Ezech. I, quæ *Cherubim* nuncupantur, Ezech. X, et quæ auctor c. 7 infra, quatuor Evangelistas interpretatur. Correximus proinde ex his Scripturæ locis: *Pandebant pennas*, pro: *pinnas*, sicuti rursus: *et sagmina jussu tegebant*, pro: *jussa*, quamquam interim vox: *sagmina*, quid sibi velit, non intelligam, neque enim apta est significatio verbenarum, quas *sagmina* vocabant, in indicendis bellis aut pace usitatarum, ad latera propitiatorii.

(c) *Exterius velum*, etc. Accipitur *exterius* adverbialiter, pro *extra*. Cum autem dicit, *totidemque lucernæ*, septem intelligit; nam et *candelabrum bis ternis ramis constans cum medio calamo* septenarium conficit, unde fit ut cap. seq. de *spiritu septemplici*, *candelabrum* interpretetur.

CAP. VI. — (d) *Fœderis hinc etiam novi inenarrabilis auctor, discipulus Joannes*, etc. Etiam hic eidem *Joanni* adscribit et Evangelium (quod *fœdus novum* nuncupat) et Apocalypsin (de qua latius lib. IV adv. Marcion. cap. 5), utpote cum citet Apoc. cap. VI. Atqui hic per cesuram absumi debet litera ultima in dictione *discipulus*, juxta morem christianis poetis, et auctori supra usitatum.

(e) *Abrahæ sinus iste vocatur*, etc. De hoc vide supra, l. IV adv. Marc., c. 34. Hic, præterquam quod etiam *sinum Abrahæ ab inferni tenebris et igne longe semotum* scribit, sicuti ibi, addit: *sub terra tamen*, et magis ad communem accedit theologorum sententiam in eo quod habet: *passo Domino, ex duplici domo* (nempe *sinu Abrahæ, et æterna gloria*) *factam esse unam domum perennem*, cum

Cœlestes patuere plagæ, cælataque sancta.

Atqui adeo, cum scriberet, nondum in errorem millenariorum inciderat, de quo latius inter prolegomena.

CAP. VII. — (f) *Interius templum*, etc. Illud vero:

Personæ hic propriæ vere, non umbra ligatur,

parenthesi inclusimus, quamquam adhuc mendosum sit et mutilum. Atqui castigamus: *Aeriæ pelles*, pro: *Aeria*; nam explicat *pelles agnorum, quibus cœli colore arca contecta fuit*, uti caput. 5 dictum est. Quæ denique de *urna mannæ* subjungit, paulo obscuriora sunt.

Ara nitens auro cœlum declarat in alto,
Quo sanctæ subiere preces, sine crimine missæ :
Hanc aram Dominus dixit, qua munera si quis
Offert, ut primum pacem cum fratre retractet,
Sic demum flagrare preces ad sidera possunt.
Hoc Christus, victor solus primusque sacerdos,
Obtulit incensum, precibus non arbore natum.
Nam Cherubin cum sit bis binis vultibus unum,
Est unum verbum, per quattuor ordine ductum,
De Patre quæ Christus plenissima pertulit ipse
Mandata sperata novi, solatia vitæ.
Ast quater alæ sex (a), veteris præconia verbi,
Testificantis ea quæ postea facta docemur ;
His alis volitant cœlestia verba per orbem ;
Illis etiam Christi sanguis contextus habetur,
Obscuræ vatum præsago dictus ab ore.
Alarum numerus antiqua volumina signat,
Esse satis certa viginti quattuor ista,
Quæ Domini cecinere vias et tempora pacis.
Hæc cohærere novo cum fœdere cuncta videmus :
Sic quoque Joannes, sic pandit spiritus illi
Tot numero solio senioribus insuper albis,
Atque coronatis cohibentibus omnia mitra,
Ad solium Domini, vitreum et mare, stare sub igne,
Quattuor aligera atque oculis animalia plena
Intus et exterius, quæ sunt arcana patere,
Significat verbo simul omnia clausa videri ;
Nam vitreum flammæ mixtum mare, dona lavacri
A Spiritu conflato credentibus esse tributa.
Quæ pietas Domini ! quis tantum dicere possit,
Ante tribunale, ante, pavimentum quæ (1) paravit
Ut fora judiciumque sibi anticipare volentes,
Et fugerent, esset properanti copia lata !

CAPUT VIII.

Sic igitur Lex et miri cecinere prophetæ,
Omnia sic conjuncta vigent, veterisque novique
Fœderis, illa sacra et verborum immania dicta.
Sic et apostolicæ voces testantur ubique,
Nec quidquam veteris non est novo denique junctum.
Sic errant, et dictorum sic facta retorquent,
Qui falsas finxere vias ; Dominumque Deumque
Æternum regem, qui tantum protulit orbem,
Detrectant ; aliud quærunt sub nomine ficto ;
B Mentibus orbati, quas amisere furentes ;
Externum legi Christum affirmare volentes,
Nec mundi Dominum, carnis neque velle salutem,
Nec virtute Patris, factorem corporis ipsum ;
Quos obturatis fugiendum est auribus ultro,
Ne sermone suo maculent innoxia corda.
Nos igitur, quos tanta Dei perfudit honestas,
Veraque doctoris cœlestia verba magistri
Instituere bonis, recta et monumenta dedere,
Semper honoremus Dominum, sine fine canamus,
Gaudentes puraque fide certaque salute
(Nati vero Deo nutrimur pane perenni)
C Æternam toto speranles pectore vitam.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pavimentumque *Oberl. Paris.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ast quater alæ sex*, etc. Rursus hic more suo ex tribus locis, sicut supra cap. 5 (uti ipsius verbis loquar), centenario more unam facit : nam illud *de quater sex alis* sive pennis legitur Ezech. I. Cum autem subnectit : *alarum numerus*, etc., adludet ad veteris Testamenti volumina viginti quatuor hebraïca et græca quoque litterarum elementa.

LIBER QUINTUS.

DE VARIIS MARCIONIS HÆRESIBUS.

ARGUMENTUM.

Hic quintus nexus nodosque resolvit,
In planum mala convolvit quæcumque latebant.

Tractat enim pene omnes Marcionis hæreses, et ad argumenta ejus paucis respondet : quo fit ut titulo adjecerimus : DE VARIIS EJUS HÆRESIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Primus erat (b) referens inimici ex ordine verba,
Quæ refuga illicite molitus protulit amens ;
Hinc etiam carnis spes et victoria Christi,
Et species breviter falsarum dicta viarum.
Inde sequens conjuncta docet mysteria legis,
Inque novo Deus quæ fœdere tradidit unus.
Tertius ingenua gentem de matre creatam,
Vatibus et patribus sacratos esse ministros,
D Quos numero bis sex de cunctis, Christe, legebas ;
Majorum natu cum nomine tempora lustri
Tempora servati, sceleris cui paruit auctor
Ignotus, sine lege, vagus, cum prole relictus.
Quartus et ipse refert obscura piacula legis
Esse typum veteris, quæ paruit hostia vere,
Jamdudum expectata piis cum semine sancto.
Hic quintus multos nexus nodosque resolvit ;
In planum mala convolvit quæcumque latebant ;
Argumenta trahens, sed non sine teste prophela.

COMMENTARIUS.

CAP. I. —(b) *Primus erat referens*, etc. *Marcionem refugam* non semel his libris appellat, quod a fide catholica desciverit, quemadmodum latius videre est lib. *de Præscript. advers. hær.* cap. 30. et lib. 1 *adv. Marc.* Castigavimus autem tum in argumentis singulis libris præfixis, tum hoc loco : *Inque novo Deus quæ fœdere*, etc. pro *Divis*, et *piacula legis*, pro *regis*. Optassemus etiam MS. exemplaria ad recognoscendum quod hic affert de *libro tertio* ; quod adeo cum obscurum esset, et fortassis corruptum, argumento supra non adjunxi.

Et quamvis hostes muniti fortibus armis (*a*)
Vincamus ; tamen inlicita, polluta, nefanda,
Commaculata simul, sic miscuit omnia serpens,
Cæcorum sine luce viam, contamine vocem ;
Ut, dum factorem mundi contendimus ipsum
Esse Deum solum, vatum quoque voce locutum,
Ignotumque alium quemquam non esse probamus;
Vix mundum linguam sermonis culpa reservet,
Complexu vario notum dum laude sequentes
Culpamusque alias ignoti tempora sera ;
Sed cogunt nos multa doli cælata venena,
Ancipiti quamquam cum crimine, pandere verba.

CAPUT II.

Quisnam ergo Deus ? quem verum dicitis esse
Ignotum populis, alienum denique mundo ?
Hunc quem nemo prius norat, hic venit ab alto ?
Si sua, cur tam sera petit ? si non sua, quare
Ut prædo rapit, et populum sub lege morantem
Ignotis totiens per legem vocibus opplet ?
Si misereri etiam venit et succurrere cunctis,
Et relevare gravi devictos funere mortis,
Carnis et obsceno spiramen solvere vinclo,
Qui cohibetur homo interior, concisus inique,
Cur tam sero pius (1) vigilans, semperque benignus
Qui numquam prius omnino se præbuit ulli
Transmissis numero alienos ore requirens,
Numquam expectatus, non notus, missus in orbem.

CAPUT III.

Pastor ovem quærens, (*b*) quam non amiserat ante
Debuit exutus carnem, quasi victor et (2) ipse
Spiritus, ut fuerat semper, talesque volebat,
Omnes expulsas animas sine corpore passim
Eripere, et carnem spoliatam linquere terræ ;
Una die pariter complere cadavere mundum,
Evacuare orbem, atque animas adtollere cœlo.
Progenies hominum nasci cessasset in unum,
Et nulla posthac generis prosapia vestri.
Nata foret, postemque novam fudisset in orbem.
Vel quia tunc nihil ex his factum ostenditur esse,
Debuerat finem generi statuisse futuro,
Connubii solido complexus corde replesset,
Fecisset corpore viros, sine germine fructus,
Fœminei sexus cubitus fœdere dedisset,
Clausisset penitus carnis genitalia membra,
A Nulla voluntas nostro animo, neque posse facultas.
Post hæc posset et interior homo sanguine junctis
Hærere infusus carni, semperque periret.
Semper ovis perit, ergo nec est servare potestas ?
Cum semper nascatur homo, sub crimine mortis
Quod pastoris opus, si sic inventa docentur ?
Inquæsita ergo, sed non erepta probatur.
Nunc vero delectus adest connubia adire,
Ut semper fuit, quem junxit certa propago,
Nascuntur gentes et vix numerabile vulgus,
Accipiunt animas nascentum corpora viva ;
Nec Paulum decuit, quamvis pro tempore quosvis (3)
Hortari, velut ipse fuit, pari sorte manere,
Temporis angusti cernens instantia multa ;
Nam teneras alias ætates nubere jussit,
B Nec se fraudari, sed debita reddere pacto.
Vos autem astuta quis suasit fraude manere,
Divisio prolis securos degere amore,
Crimen adulterii committere, perdere vitam ?
Et quamquam perit, id falsare agnomine verbi ?
Quapropter vocis tam dulcia cuncta profundit
Impavidi quidquid placet, ut faciatis oportet,
In faciem casti, maculati crimine furtim,
Hac caussa vos connubio privavit honesto.
Sed quid plura ? bene est disjunctos scilicet esse,
Expedit et mundo, ne vestri germinis ullus
Nascatur, tandem cessabunt organa mortis.

CAPUT IV.

Partem hominis, dum speratis retinere salutem,
C Totus homo vester deperdit monte prophana,
Interior simul et veterem quem dicitis hostem ;
Sed et (4) homo solum spiramen dicitur esse ;
Nec vetus est homo dicta caro, nec sunt inimica
Spiritus et caro, verus homo (5) sociatus in uno,
Nec sibi privatos sensus ceruuntur habere,
Hæc (6) regitur, regit ille, gemit, gaudetque, doletque ;
Diligit, ipse suæ carni carissimus idem,
Per quam paret homo (*c*), cum qua commixtus habetur ;
Vulneribus curas adhibet, lacrymasque profundit.
Nutrimenta cibi cupide per membra resumit,
Hanc optat secum immortalem semper habere,
D Quam frangi gemit, et dolet evacuare per artus ;

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prius *Paris.*
(2) Ut *Obert.*
(3) Quosdam *Obert.*
(4) Nec *Obert.*
(5) Est *addit Obert.*
(6) Nec *Obert.*

COMMENTARIUS.

(a) *Et quamvis hostes*, etc. Pulcher locus contra eos qui libenter versantur in libris hæreticorum, cum vel in argumentis eorum confutandis, hic teste Tertulliano :

Vix mundam linguam sermonis culpa reservet.

Quo pertinet etiam illud : *Ancipiti quamquam cum crimine*. Sunt autem rursus Tertullianica *illicita*, producta ultima, et *contamine*.

CAPUT III.—(b) *Pastor ovem quærens*, etc. Quasi aliud agens, adhuc persistens in absurditate, quæ oritur ex deo novo, transit ad confirmationem *connubiorum*, quæ Marcion respuebat, de quibus supra lib. I *adv. Marc.* cap. penult.

CAP. IV.—(c) *Per quam paret homo*, etc. Accipitur etiam hic phrasi Tertullianica *paret* pro *apparet* ; cui est simile et illud infra, c. 9 :

Hic patribus sanctis parens ab origine mundi.

Pertinet etiam ad licentiam poeticam illud, *ipse dives aperuit*, sicuti etiam infra, c. 8 : *nox atra coperuit*. Est autem obscurus versus, et quantum videtur, mendosus :

Visus ab inciso, missus patiendo peregit.

Illi mors miseræ dominatur tempore certo,
Quo renovata levi de pulvere mors inimica
Deficiat tandem, caro cum resoluta resurgit,
Hæc erit exspectata diu victoria summa,
Quam fecit virtute Patris venerandus in ævum
Factus verus homo, hominis qui membra redempta
In cœlos tulit atque aditus spe dives aperuit
Principio gentis in linguis omnibus, inde
Hic ubi semper opus, patria pietate minister.
Visus ab inciso, missus patiendo peregit.

CAPUT V.

Quid nunc infandæ voces ? quid perdita turba ?
Si non ipse dedit leges, (a) Deus ipse Creator,
Ægypti de calle viam qui stravit in undis,
Et sedes gratis dedit has quas dixerat olim;
Ipsa cur in gente venit terraque dicata ?
Non alios populos aut altera regna petivit ?
Cur jam per vates, prædicto nomine toto,
Non proprio suo, se vocitatum tradidit esse
Unde etiam potuit baptismi dona benigna
Promissa abs alio tamquam sua promere facta.
Hæc mandata Dei transgressi, sorde reperti
Optabant, veniamque fera de morte petebant;
Exspectata diu merito, venere, sed illis
Qui prius audita, at nunc agnovere reperta,
Hoc det vera manus Christi, Pater ipse Creator
Semper ab æterno manet, et pia voce requirit;
Quodque figuravit, fovet atque figurat et armat,
Et jam despectum victor sua luce revestit,
Ut maneat virtutis opus cum laude perenni.

CAPUT VI.

Quid præstare Deus, quid possit homo pati ut om-
[nes
Agnoscant, vivant, quod fecit viva potestas?
Sed quia nec prædicta prius, nec facta suprema
Dementes homines possunt suadere furentes (1)
Esse hominem factum Deum, passumque, sepultum,
Surrexisse, ut eis tantis clamantibus olim
Cœlesti verbo complexis testibus, ambo
Terrestri saltem rationi credere discant.
Cum Dominus Christus caro nasci, venit in orbem
Augusti regis Romani tempore, primum
Decreto gentes censu numerantur ubique;
Idem hoc rex forte tulit, quia summa voluntà
In cujus manu, regnantis cor, legibus esset,
Fecit primus, et in numerum scriptura redacta est.
Tunc etiam Joseph, Maria cum conjuge fœta,
Cœlesti pariter gnato numerantur, et ipsi.

A Hinc instrumentis humana astutia nisa
Qui testes sancti verbi, præbere probantes
Inquirant, vel sic invento postea victi
Pœniteant, veniamque rogent, dum tempus habetur.

CAPUT VII.

Judæi grave qui scelus admisisse fatentur,
Dum detractantes (2) ardent, nobisque resistunt,
Nec genus ignotum dicunt, neque dicere possunt
Suspendisse hominem se ligno, vera locutam
Ignari Domino carnem sine semine victam.
Sed pro parte quidem reticent, pro parte triumphant,
Namque Deum populis hominem vulgare laborant.
Aspicite errorem qui vos expugnat utrosque;
Pro nobis hic erit, dum vobis certa probamus.
Illi Deum, vos falso hominem sine corpore corpus
B Dicitis, et varia heu mentis vesania mergit,
Quod qui præsumpsit, mergentes spargitis ambo
Namque hominem pariterque Deum, tunc facta pro-
[babunt
Commixtum, nec pauca dabit signacula mundus.

CAPUT VIII.

Filius ipse Dei dum carnis membra requirit,
Jam prætextatus palmarum sustinet ictus,
Conspuitur vultus, spinis innexa corona
Compungit caput, et ligno suffigitur ipse,
Potatur scriblita (b) et fel miscetur aceto,
Dividitur vestis, sortes mittuntur in illa;
Quod rapuit sibi quisque tenet; caligine multa,
Exspirante Deo tacite de corpore carnis,
In tenebris tremefacta dies cum sole refugit;
C Bis fuit una dies, mediam nox atra coperuit:
A fundamentis montes agitantur in orbem,
Commota est tellus, patuere sepulchra piorum,
Cunctaque quem norunt, passum timuere videre.
Exanimum telo miles latus haurit aperto;
Profluit et sanguis, nec aqua minus inde secuta.
Hæc illi pacto celant, noluntque fateri
Admissi factum, nefas occultare volentes.
Spiritus ergo potest gerere sine corpore vestem,
Aut pœnam capit, aut fert violentia vulnus?
Aut moritur, surgitque, et sanguis funditur inde
De qua carne, quia illum vos habuisse negatis?
Aut finxit potius, si vos dicere tutum est?
Quamquam præcipites dicatis, plura tacendo.
Non ergo manifesta fides, non omnia fixa
D Ante diem, quam cum pateretur pascha celebrans,
Discipulisque suis tradens memorabile factum;
Acceptum panem pariter vitisque liquorem,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ferentes *Obert.*

(2) Detractantes *Obert.*

COMMENTARIUS.

CAP. V.—(a) *Si non ipse dedit leges Deus ipse Creator.* Sic castigamus, pro : *Si non ipse Deus*, etc. Atqui hic locus hoc velle videtur quod alibi non semel dixit, et infra prosequitur, c. 9 : Christum (non Deum patrem) semper retro visum esse, atque adeo eumdem esse Deum qui et in Veteri Testamento et in Novo apparuerit; de quo interim latius inter Paradoxa auctoris in Prolegomenis; sicuti etiam de eo quod videatur et *Christum* appellare *Deum creatorem*, non solum *Deum patrem*.

CAP. VIII.—(b) *Potatur Scriblita*, etc. *Scriblita* etiam penultima contra naturam correpta, abutitur auctor pro potione amara Christo a Judæis propinata, cum alioqui Plauto et Catoni potius sit cibi seu placentæ genus. Sequitur etiam græcorum lectionem, qui *acetum* legunt *cum felle* mixtum, pro eo quod latini plerique *vinum*; quæ varietas nata ex vicinia vocum ὄξος et οἶνος. Rufinus in Symbolo utrumque expressit, vinum myrrhatum et acetum.

Corpus ait, sanguisque meus qui funditur hic e
Pro vobis; fieri semper quod postea jussit.
Quave creatura panem vinumque putatis
Esse suum corpus cum sanguine? quæque fatenda?
Non se factorem mundi per facta probavit,
Et portare simul de carne et sanguine corpus?

CAPUT IX.

Hic Deus, hic et homo verus, verumque locutus,
De Patre principium, genitum de lumine lumen,
Spiritus et Verbum, Patris imagine (1) virtus;
Cum Patre semper erat, unitus gloria et ævo;
Omnitenentis enim solus quia verba ministrat,
Quem capit in terris, et per quem cuncta creavit.
Filius ipse Dei, charissimus ipse minister:
Hinc genus, hinc et nomen habet, hinc denique regnum,
De Domino Dominus, fluvius de fonte perenni,
Hic patribus sanctis parens ab origine mundi,
Teste Deo, quicumque Deum vidisse fatetur.
Promissa et memoranda Patris patefecit ab alto,
Eduxit populum, gentem percussit iniquam;
Ipse columna fuit lucis nubisque rigoris;
Siccavitque mare, et populos jubet ire per undas,
Hostibus implicitis, fluctuque fretoque copertis;
Per deserta viam fecit sua jussa secutis;
De cœlo populo panem dimisit in umbris;
Erupitque petram, sitientes unda rigavit,
A Deo mandatum legis Mosique locutus
Cum tonitru cantuque tubæ, flammæque columna
Terribili visu, tremebundo corde virorum.
Post bis vicenos completis mensibus annos,
Jordane diviso, patuit via, constitit unda;
Partirique tribus terram promissa paterna.

A Ipse prophetarum Verbum Patris ore locutus,
Esseque venturum terris, hominemque futurum
Prædixit, Christum terris manifeste profatus.

CAPUT X.

Exspectatus in auxilium, spes unica vitæ,
Mundatur carnis feræ, mortisque fugator:
Tandem venit ab imperio Patris omnipotentis,
Humanis sese vestivit et artubus ille.
Adam, virgo, draco, lignum, quæ caussa ruinæ,
Et via qua nos mors temeraria vicerat omnes,
Hac eadem gradiens pastor, pecudemque requirens;
Angelo, virgine, carne sua, lignique medela.
Ex quo victus homo, victos periturus obibat;
Hinc interpositus pro captis omnibus unus,
Sustinuit patiens inimicam in corpore pœnam,
B Morte sua spolians mortem, fit caussa salutis,
Nec non in terris suo postquam corpore sancto
Omnia perpessus, persolvit debita nostra;
Infernum petit; hic animas pro crimine vinctas,
Quæ sine præsidio, conclusæ pondere legis,
Olim promissa, et sperata, et tarda rogabant,
Sanctorum in requiem dedit, et cum luce retraxit.
Tertia namque die subiens cum corpore victor,
Immani virtute Patris, via facta salutis;
Inque creatura portans hominemque Deumque,
Conscendit cœlos, captivas ille reducens
Primitias, munus Domino charamque figuram;
Conseditque Patri lucis virtute recepta,
Gloria qua munitus erat, dum vinceret hostem,
Spiritu conjunctus, de nobis carne ligatus,
Hunc Pater et Dominum et Christum Regemque
C Deumque.
Judicio regnoque dato missurus in orbem est.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Christi sub imagine *Obert.*

Sequentia quoque Poemata sub Tertulliani nomine vulgo traduntur. Nos tantum virum tam iratas unquam habuisse Musas non credimus. Ea tamen qualiacumque sunt, hic subjici patimur; quia lucis etiam nonnihil Tertulliano conferunt; nec procul ab illius ævo Carthagine condita videntur. Et miratores habeat etiam cum fæcibus suis amphoræ Punicæ senectus. Rig.

INCERTI AUCTORIS.

DE JUDICIO DOMINI.

CAPUT PRIMUM.

Quis mihi ruricolas aptabit carmine Musas?
Et verni roseas titulabit floribus auras?
Æstivæque graves maturas messis aristas?
Quis dabit et tumidas autumni vitibus uvas?
Quisve hyemi placidas semper laudabit olivas?
Recludetque ipsis renovatas fontibus undas?
Frondentesque vago cædet de gramine flores?
Protinus ætherei modulabor luminis auras.
Jam mihi luciferas liceat contingere Musas,
Pandere secretas fluviali vertice lymphas;
Et lætas alio positas sub sidere sylvas,
Æternasque simul modulabor carmine flammas,
Unde mare tumidum, immensa fluctuet unda,

D Quæ virtus solidas moveatque tremiscere terras,
Et lux unde novo præfulserit aurea mundo,
Quisve hominem læto potuisset fingere limo,
Unde genus vacuo potuisset crescere sæclo;
Et quæ vivendi populo sit multa cupido,
Quæve creata malo, moriendi quæve propago,
Unde bonus roseis sit odorque ruborque coronis.
Quid faciat lætis ut vitis abærtuet uvis,
Et plena e teneris tendantur ut horrea culmis,
Arbor ut in glacie nigris pubescat olivis.
Germinibus quis det varii incrementa vigoris,
Mollibus et matrem pullorum protegat umbris.
Omnia nosse bonum quæ sint miracula rerum,
Ut Dominum liceat per cuncta agnoscere verum,

Qui lucem, maria, et cœlum, terramque paravit,
Ornavitque novum variato sidere mundum;
Et pecudes primum et volucres procedere jussit,
Et dedit æquoreas compleri piscibus undas,
Et fœcundatas animabus cogit arenas.
Talia compositis deducam carmina Musis,
Atque salutares exponam fontibus undas,
Et lætum placidis venientem nubibus imbrem,
Inque animas hominum penitus, ultroque fluentem,
Excipiat plenis in nostra novalia rivis.

CAPUT II.

Nunc age, securam vivamque adtingere lymphan,
Et celeres vitam amissam reparare per undas
Si velit, æternæ et pœnas evadere flammæ,
Ignarusque Dei, venturique inscius ævi,
Et potius venturæ adipisci præmia vitæ;
Hunc unum meminisse Deum, solumque precandum,
Qui totum in libra posuit sub limine mundum,
Æternumque manens, semperque futurus in ævum,
Sæcula cuncta tenens, ante omnia sæcula solus
Ingenitus, sine fine Deus, sedemque supernam
Solus habens, solus cœlos supereminet altos,
Omnipotens solus, cui parent omnia rerum;
Qui sibi complacitum hominem formavit in ævum,
Pastorem pecudum, et dominum dedit esse ferarum;
Qui sermone tenus potuit protendere cœlum,
Et solidam verbo potuit suspendere terram,
Et dicto citius disjunxerat æquoris undam,
Ac manibus charam dilexit fingere formam,
Atque suam voluit faciem quoque inesse decoram,
Spiritumque adflavit vivendi vultibus auram.

CAPUT III.

Immemor ille Dei, temere committere tale
Non ultra monitum quidquam contingeret unum
Unde malum sciret, pariter dignosceret æquum,
Protinus inlicitum vetuit contingere pomum.
Quanta Deus homini permisit munera mundi?
Et prædulce sui signavit pignus amoris?
Jusque dedit volucrum, pontumque solumque domandum,
Utilia et charæ tribuit mandata salutis.
Sub ditione dedit terras, animasque volantum,
Pennatumque genus, pecudum genus omne ferarum
Et genus æquoreum, et deformia monstra natantum.
Sed quoniam primo transgressus crimine legem,
Jamjam primus homo Domini mandata reliquit,
Conjuge quæ mala cuncta suasit, morte peribat.
Peccatique malum commisit fœmina primum,
Transgressaque suum decepit lege maritum,
Eva inducta dolo patefecit limina letho,
Et sibi cum genere procreavit funera toto,
Illinc nefas incautum, mors hinc quasi semen in ævum
Spargitur, inde magis facinus percrebuit atrox,
Atque labor corruptum agitavit sævior orbem.
Callidus hoc zelo serpens inlexit in ipso,
Inde magis populi accersunt commissa malorum.
Atque nefanda malis pepererunt semina factis.

CAPUT IV.

Idcirco Dominus solus, cui summa potestas,
A Et super alta tenens summi fastigia cœli,
Altum in præcelsis habitans in sæcula lumen,
Præsentisque memor, quoque præscius ante futuri,
Progeniem meriti decretum servat in ævum,
Et cunctas animas, tum corpora tarda gubernans,
Quæ ratione movent hominem per multa vagantem;
Ut primum positi membrorum pondera cedunt;
Terrenisque leves resolutis nexibus ibunt,
Ac proprias capient diversis partibus oras
Aut alias lætis revocari protinus auris,
Servari penitus decretæ ad præmia legis,
Dum motis iterum revirescant corpora membris.
Illic occultis claudentur prava tenebris.
Tunc homines primæ pensare præmia vitæ
Incipient, crimenque suum culpasque putare,
B Et pœnis retinere, procul de morte futuris,
Judiciisque Dei memores adstare piorum,
Exspectare suam suorumque ex crimine pœnam;
Funditus aut pecorum sine nomine vivere vitam,
Incassumque Deo jam surdo fundere fletum.

CAPUT V.

An Deus omnipotens, cujus sub lege reguntur
Omnia, non valeat post mortem reddere vitam?
Aut aliquid Dominus rerum non posse videtur?
Si potuit tenebris pulsis extendere lucem,
Atque omnem verbo subito componere molem,
Omnia de nihilo quoque voce potente parare,
Cur non ex aliquo possit componere notam,
Quæ fuerat quondam, quam finxerat ante, figura?
Adsimilemque sibi jubeat resurgere formam?
C Cum sint cuncta Dei, reddit magis omnia tellus,
Jussa retexet enim quidquid contexerat olim.
Si quem forte rogis abolevit flamma sepultum,
Aut aliquem cæcis dejecerit æquor in undis,
Si cujusque fame satiarunt viscera pisces,
Aut fixere feræ crudelia funera membris,
Alitibus jacuit raptato corpore sanguis,
Ultima non Domino rapient sua munera magno
Apparere Deo vivos de morte necesse est,
Resumptisque suis homines adstare figuris.
Arida sic vacuis redduntur semina terris,
Et penitus fixis putrescunt mortua sulcis,
Nonne animatur et hinc reparatis culmen aristis,
Atque iterum vivis flavescunt fortia granis,
Consurguntque novæ vario cum fœnore messes?
D Sidera cuncta cadunt, iterumque renata nitescunt.
Et dies in densa moritur cum lumine nocte,
Occidit et jam nox rebus mox luce retectis,
Jamque suis alia atque alia dies surgit ab astris,
Solque cadit, splendorifero qui lumine clarus;
Lux perit umbrato venienti vespere mundo
Et renovata suo vivit fuligine phœnix,
Et sua mox volucris (mirum) post busta resurgit.
Tempore nuda suis foliis quoque fruticat arbor,
Pomorumque iterum curvantur germine rami.

CAPUT VI.

Ad vocem ergo Dei mundo per cuncta tremente,
Et motis penitus virtutibus aeris alti,
Tunc fragor insolitus, tunc maxima murmura cœli,

Adveniente Deo, totius judice mundi
Protinus innumeri concurrunt ire ministri,
Convallantque Deum cum majestate superna;
Angelica in terras descendent agmina cœlo;
Omnes, turba Dei, quibus est divina facultas,
Vultibus et forma virtutis spiritus omnes.
Igneus his vigor est, rutilantia corpora, cœli
Vis divina micat, hinc totus murmurat orbis,
Hinc trepidans penitus, vel quanta est, terra remugit,
Parturiens homines, quos reddere jussa docebit.
Omnes mirantur, turbantur denique nimbi,
Astraque mota pavent, subitæ virtutis ab alto.
Sic veniente Deo, sonitus cum voce potentis;
Omnia continuo ruptis per regna sepulcris,
Omnis humus latis effundit hiatibus ossa,
Viventesque patens populos eructat arena,
Hærent membra comis, nectunturque ossa medullis,
Consertique regunt spirantia corpora nervi,
Et simul infuso miscentur sanguine venæ,
Dimissisque cavis, animæ redduntur apertis,
Organa quæque sua repetunt surgentia parte.
Proh, miranda fides, hinc omnis pullulat ætas (*a*);
Pullulat antiquo mortuorum pulvere turba;
Matres atque patres repetita luce resurgunt,
Magnanimi juvenes, pueri, innuptæque puellæ,
Defunctique senes animis vitentibus adstant,
Infantumque gemens resonat vagitibus orbis
Tam variæ gentes venient de sedibus imis,
Eoumque manus, et quas videt ultima tellus,
Quæque colunt medii devexo in climate mundi,
Riphæasque tenent algentis sideris arces.
Omnis adest, pavidus finis cujusque; colonus,
Rusticus, Atrides posito diademate regni,
Pauperibus mixtus coæqualis in agmine dives.
Altus ubique tremor, precibus tunc ingemit orbis,
Tendentesque manus populi clamore stupescunt.

CAPUT VII.

Ipse sedens Dominus, sublimi lumine clarus,
Atque potens cunctis micat in virtutibus ignis,
Excelsoque throno cœlestis sede coruscat;
Martyribus septus, numero candente virorum,
Delectisque suis comitatus vatibus exstat,
Clara quibus niveis effulgent corpora stolis.
Jamque sacerdotes nitidis in vestibus adstant,
A Gestantes rutilas insigni fronte coronas;
Submissique omnes genibus veneranter adorant.
Hagie, hagie, sancte Deus; vox omnibus una est.
Hic Dominus geminam mandabit sistere plebem;
Imperat et juxta numerum discernere pravos,
Appellans placidis verbis sua jussa secutos,
Indutosque jubet, devicta morte, vigorem,
Semper inexstinctas habitare ad luminis auras:
Ire per antiquum semper florentia regna,
Promissas per opes, per semper amœna vireta,
Degere perpetuam præclaro in corpore vitam.

CAPUT VIII.

Est locus Eois Domino dilectus in oris,
Lux ubi clara, nitens, spiratque salubrior aura,
Æternusque dies, atque immutabile tempus;
B Est secreta Deo regio, ditissima campis,
Atque beata nimis, sudæque in cardine sedis.
Aer lætus ibi, semperque in luce futurus,
Lenis et adspirans vitalia flamina ventus.
Omnia fert fœcunda, solo prædivite, tellus,
Flores in pratis fragrant, et purpura campis
Omnia prærutila miscet non invida luce.
Flos alium lætus suo lumine vestit amictus,
Roscidaque hic multo variantur semine rura,
Et roseis nivea crispantur floribus arva.
Nescitur quibus usque locis felicior aura,
Quæ melior specie, vel plus præcellat honore.
Talia florigeris numquam nascuntur in hortis
Lilia, nec nostris efflorent talia campis,
Nec sic nata rubent, mox ut rosa panditur aura
C Purpura nec Tyrio sic est intincta rubore.
Gemma coloratis fulget speciosa lapillis;
(*b*) Inde nitet prasinus, illinc carbunculus ardet,
Herbosaque viret prægrandis luce smaragdus;
Hic et odoriferis nascuntur cynnama virgis (*c*),
Et spisso lætum folio conflagrat amomum.
Hic jacet ingenitum radiantis luminis aurum,
Et nemora alta tenent florenti tempore cœlum,
Virentesque gravant uberrima germina ramos.
Porrexit similes non illis India lucos,
Non ita densa levat in monte cacumina pinus,
Nec sic alticoma est umbra crispata cupressus;
Nec vernus melius floret cum tempore ramus.
Hic abietes celso florent in vertice nigræ.

COMMENTARIUS.

(a) *Hinc omnis pullulat ætas*, etc. Eodem spectat D quod subjicit Auctor: *pueri*, et:

Infantumque gemens resonat vagitibus orbis.

Sed sane hæc intelligenda sunt, quod nempe etiam *pueri* et *infantes resurgent;* non tamen in eadem ætate, sed (juxta quod Apostolus scribit *Ephes.* II) in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quia unusquisque (inquit B. Aug. lib. XXII de Civ. Dei c. 15) suam recipiet mensuram corporis, quam vel habuit in juventute, etiam si senex obiit, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Ætas vero erit illa, ad quam pervenit Christus, citra 30 annos.

(b) *Inde nitet Prasinus*, etc. Appellatur Plinio *Prasius*, sive uti Auctor: *Prasinus*, e gemmarum viridantium genere, lib. XXXVII, cap. 8: at *Prasinus* colorem viridem significat. De *carbunculo et smaragdo* vide supra lib. II, adv. Marc. cap. 10, num. 64.

(c) *Hic et odoriferis nascuntur cynnama virgis, Et spisso lætum folio conflagrat amomum*, etc. Auctorem non modo in cæteris hujus capitis, sed maxime in hoc loco videtur imitatus Lactantius carmine de Phœnice, ubi dixit:

Cynnama *dehinc, auramque procul spirantis* amomi
Congeriit....

De *Cynnamo* vero, sive Cynnamomo, vide Plinium lib. XII, cap. 19. De *Amomo* ejusdem lib. cap. 13. Emendavimus vero *virentesque*, etc. *ramos*, pro: *viventesque*, sicuti post aliquot lineas:

Et pulchre redolet munus medicabile Cretæ,

pro: *pulchræ redolent;* ubi alludit ad herbarum *Cretensium* varia genera, quorum in medicinis usus est præcipuus, utpote quod in ea insula nullum venenatum nascatur animal.

Æternumque virent solæ sine grandine sylvæ.
Nulla cadunt folia, et nullo flos tempore defit.
Flos quoque floret ibi rubeus, ceu purpura Tarsi,
Flos hic credo, rosa est, rubor atque odor acer in ipso,
Sic foliis speciem præfert, sic spirat odorem.
Arbos stat, cum flore novo, pulcherrima pomis,
Vitalem et frugem felicia robora densant.
Mella viridanti conflagrant pinguia canna,
Lac etiam plenis manat potabile rivis;
Vitam aspirat ibi quicquid pia terra virescit,
Et pulchre redolet munus medicabile Cretæ.
Fons illic placidis levi fluit agmine campis;
Quattuor inde rigant partitas flumina terras.
Ver puto semper agit vestitus floribus hortus,
Non frigus variat hiberni sideris auram,
Et reficit fœtam meliori flamine terram.
Nox ibi nulla, suas defendunt astra tenebras;
Iræque insidiæque absunt, et dira cupido,
Exclususque metus, pulsæ de limine curæ.
Illic malus extorris, dignas exivit in oras.
Nec vetitos unquam datur huic contingere lucos,
Illic prisca fides electa in sede quiescit,
Insistit gaudens æterno in fœdere vita,
Et secura salus placidis lætatur in arvis,
Semper victura, semperque in luce futura.
Illic quicumque pius, æquique bonique colonus,
Quique Deum metuit sincera mente tonantem,
Atque suos coluit sacra pietate parentes,
Et degit reliquam semper sine crimine vitam,
Aut inopem fidis opibus solatus amicum est,
Atque laboranti nimium subvenit egeno,
Pauperis adjutor, pupillorumque patronus,
Eruit innocuos, subvenit crimine pressis,
Hospitibus largæ tribuit sua pignora mensæ,
Omnia divine gessit, pia munera jussit,
Non alicui nocuit, non unquam aliena cupivit,
Illi exultantes divinis laudibus omnes,
Hortantesque simul referunt ad sidera voces,
Psallentes Domino celebrant per gaudia grates,
Innocuamque viam nuntiis comitantibus ibunt.

CAPUT IX.

Hæc postquam Dominus felicia dona peregit,
Et pariter justos æterna in regna remisit;
Tum miseranda venit, lugens sua crimina turba,
Effundit gemitus lacrymis arentibus omnes,
Et sua testatur crebris ululatibus acta,
Flammas pro meritis, stagnantia tela tremiscunt.
Corripit angelicus cœtus, prohibetque precari,
Et prohibet seras clamando fundere voces;
Sublata venia, fundum jaciuntur in imum.
O miseri, quoties majestas cognita vobis!
Audistis sonitus, vidistis fulgura cœli,
Assiduas pluvias, ventorum et grandinis iras
Experti! quoties noctesque diesque sereni
Tempora fœcundant pulcris Dei munera donis,
Vernabantque rosæ, frugum nec defuit æstas,
Autumnus varie fundebat mollia poma,
A Aspera hyems quamvis glaciales fregit olivas;
Cuncta Deus tribuit, bonitas nec defuit ejus,
Terra Deum tremuit, pontus de voce pependit,
Et fluvius siccas trepidus refugit arenas;
Et genitura Deum quævis per cuncta fatetur;
Vos miseri, Dominum cœli terræque negastis,
Præconesque Dei (horrendum) sæpe fugastis,
Et justos potius crudeli cæde necastis,
Et fraus in vobis post crimen semper inhæsit.
Ergo sementis fructum capietis iniquæ:
Noscitis esse, Deumque tamen ridere solebis;
Ibitis in tenebras ignis et sulphuris altas,
Passuri ardentes justas (1) cruciatibus iras,
Æternæ Deus ossa jubet descendere pœnæ,
Ire sub ardorem rabidæ sine fine gehennæ,
B Urgeri molem per stagna rotantia flammæ,
In flammamque jubet converti elementa minantem,
Atque omnem cœli descendere nubibus ignem.

CAPUT X.

Tunc avidus rapido est inclusus tartarus igne,
Atque procellosis flamma intus fluctuat undis,
Totaque vertentes confundit terra favillas.
Fammeus est sulcus, dentes verluntur acuti,
Omnibus et torrens armabitur igneus annis.
Impetu (2) tartareo frendent incendia mundo,
Illic præcipiti cursu torrentur in æstu,
Hinc fugiunt, illinc cursu referuntur acuto;
Obvia fit sævæ flammæ fugientibus ira,
Agnoscuntque suam jam tum de crimine pœnam.
C Jamque vaga a nullo tellus possessa colono,
Æquoris extremo pressa et sub fine profundo,
Qua sol emenso radio disterminat orbem,
Et qua transacto conduntur sidera mundo;
Æther gliscit, atris obstrusa luce tenebris,
Ultima secretis stagnant flammantia rivis.
Et natura loci signatis ignea pœnis,
Infernisque palus candens ardoribus atrox.
Intonat horrificis facinus pœnale caminis,
Æstuat, et rapitur lato de vortice flammæ,
In tormenta ruens, fluctuque et gurgite sævo,
Turbida cœnoso fundo miscetur arena.
Huc captiva gemens mittetur turba malorum,
Arsurumque nefas, scelerati corporis agmen,
Magnus plangor ibi, luctus sociante boatu,
D Et stridor rabidus, ululatus et inde dolentum.
Exurgent flammæque procul, artusque sonori,
Ignis inardescet gemitusque feretur ad auras.
Tunc humana mali pendet commissa propago,
Incipietque suas ad cœlum tendere palmas,
Et Dominum tunc nosse volet, quem nosse volebat
Antea non, cum nosse illis foret utile tempus;
Illic quisque suæ profitebitur effera vitæ,
Injustasque manus, et sævæ crimina mentis,
Horrescetque suæ quæ moverit impia vitæ.
Jam primum quicumque Deum male senserit ante,
Et vaga mentito coluisset numine saxa,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Justis *fortasse melius.*

(2) *Amnon potius* impete.

Atque cruentiferis signis sacraverit aras,
Et picturatas timuit sine voce figuras,
Ac falsi tenues veneratus numinis umbras,
Et quoscumque malus seduxit protinus error.
Si quis adulter erat, si natos ense necarat,
Si raptor grassatus erat, si fraude clientes
Distulerat, si mente parum versatus amica;
Sive suas hominum macularat sanguine palmas,
Miscueratve latebrosa si morte venenum;
Aut si vestitus scelerato pectora fuco,
Sive malo alterius, lucro et gaudebat iniquo;
Admisit quicumque nefas quodcumque malorum;
Ingens ardor eum, atque ignis torquebit amarus.
Suppliciumque dabunt peracerbo funere cuncti.
Plurima sic hominum mœrentum turba jacebit.

CAPUT XI.

Hoc quoties olim sancti cecinere Prophetæ,
Flatu et Sæpe Dei moniti dixere futura;
Nemo suas (miserum) nemo, eheu! præbuit aures.
Sed Deus omnipotens voluit sua præmia nosci,
Atque minas positæ per plurima talia legis.
Mittendo statuit plures, et verba sonantes
Divina; excitosque jubet prodire sepulcris
Secum, cum fracto surrexerat ipse sepulcro.
Obstupuere quidem plures patuisse sepulcra,
Et cerni in clara præmortua corpora luce;
Miratique pios sermones, dulcia dicta,
Ipsa voce suas tendunt ad sidera palmas,
Gratanturque Deo, et victori talia Christo,
Illos non tumulos certum est repetisse silentes,
Amplius aut terræ retineri viscere clausos;
Relliqua sed recubat nunc turba cubilibus imis;
A Ille dies donec, completo tempore, magnus
Adveniat. Cuncti Dominum jam agnoscite verum (a),
Qui solus facit hanc animam sua cernere luce,
Eamdemque potest in tartara subdere pœnis,
Et cui cuncta patet vitæ mortisque potestas,
Posse Deum, nam velle sat est, factumque loquendo
Implet, et obstando plane nihil impedit illum.
Ille meus solus, cui credo sensibus imis.
At quoniam leto cursus concluditur omnis,
Quicumque est hodie, secum putet omnia mente,
Atque ideo dum vita manet, dum cernere lucem,
Dum vitam mutare licet; quam terminus ævi
Obruat incautos, et nescia lumina solvat
Ultimus ille dies, mortis quia lege tenetur;
Quod pretium superest, caræ invigilate saluti,
B Et faciles certique bonum decurrite cursum.
Abstergete piis commissa piacula sacris,
Atque vagas nimium mundi vitate procellas;
Tum rectas et adite vias, et sancta tenete.
Hinc lætis animis pravum depellite crimen;
Et concreta diu proluatur pectore culpa,
Commissasque mali labes abolete nefandas.
Æternisque Deum precibus placate tremendum.
Pessima cuncta bonis cedant mortalia vivis,
Et servate novam jamjam sine crimine vitam,
Incipiantque bonis verisque assuescere mentes,
Laudibus et faciles divinis reddite voces.
Sic meliora piis flagrabunt omnia vobis,
Sic quoque cœlestis capietis munera vitæ,
Cumque Deo longum semper vivetis in ævum,
C Aurea siderei cernentes gaudia regni.

COMMENTARIUS.

CAP. XI. — (a) *Cuncti Dominum jam agnoscite verum. — Castigamus vero :* sua cernere luce, *pro :* suam cernere lucem. *E more suo accipit Auctor :* quam, *pro : antequam, cum subjicit :*

.... Quam terminus ævi,
Obruat incautos, et nescia lumina solvat.

Ultimus ille dies ; *ubi in eo quod sequitur, emendamus :* mortis quia lege tenetur, *pro :* qui. *Incipientes novam periodum ibi.*

Quod pretium superest, caræ invigilate saluti ; *quanquam vox :* pretium, *corrupta sit, nisi accipiatur pro :* precum.

INCERTI AUCTORIS GENESIS.

Principio Dominus cœlum terramque creavit (1)
Namque erat informis, fluctuque abscondita tellus,
Immensusque Deus super æquora vasta meabat,
Dum chaos et nigræ fuscabant cuncta tenebræ.
Has dum dijungi jussit de cardine, fatur :
Lux fiat, claro et (2) nituerunt omnia mundo.
Cum Dominus primi complesset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus axem,
Accipit immensus verrentia (3) littora pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulva retexit,
Arida mox posito narratur nomine terræ,
Florea ventosis consurgunt germina campis,
D Pomiferique simul procurvant brachia rami.
Quarta dies generat solis cum lampade lunam,
Et stellas tremulo radiantes lumine fingit,
Hæc elementa dedit subjecto insignia mundo,
Tempora quæ docent varios mutanda per ortus.
At quinta accipiunt liquentia flumina pisces,
Et volucres varias suspendunt aere (4) pennas.
Sexta prægelidos in spiras lubricat angues,
Quadrupedumque greges totos diffundit in agros ;
Cunctaque multiplici mandavit crescere passim
Germine, et immensis errare et pascere terris.
Hæc ubi constituit divina potentia jussu,
Rectorem inspiciens mundanis defore rebus,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Locavit*, cod. Victorinus.
(2) *Claro*. Sic Pamelius post Fabricium. *Clari* Morel. et cod Victor.
(3) *Errantia*, Baluz. ex cod Vict.
(4) *Corpore*, Morel. cod. Victor.

Hæc memorat: Nostris hominem faciamus ad (1) unguem
Vultibus adsimilem, toto qui regnet in orbe.
Et licet hunc uno posset componere verbo,
Ipse tamen sancta dignatus ducere dextra,
Inspirat brutum divino a pectore pectus.
Quem postquam effigie formatum, ceu sua (2) vidit,
Metitur (3) solum mordaces solvere curas.
Ilicet irriguo persuadit lumina somno,
Mollius ut vulsa formetur fœmina costa,
Atque artus mixtu gemino substantia firmet.
Inditur et nomen vitæ, quod dicitur Eva.
Quapropter nati linquunt de morte parentes.
Conjugibusque suis positis cum sedibus hærent :
Septima quando Deus factorum, fine quievit,
Sacrata statuens venturi gaudia (4) sæcli ;
Ilicet exhibitus animantum ex ordine turbis,
Viritim (5) cunctis nomen quod permanet indit,
Adami a Domino donata scientia (6) solers.
Quem Deus alloquio, junctam dignatur et Evam :
Crescite multimodo ventura in tempora partu.
Ut polus et plenæ vestro sint germine terræ,
Hæredesque mei, varios decerpite fructus.
Quos nemora et pingui reddunt (7) de cespite campi.
Hæc ubi disseruit, læta paradisus in aula
Instruitur, primique aspectat lumina solis.
Gignitur hæc inter, pomis letalibus arbor,
Conjunctum generans vitæ mortisque saporem.
Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quod rigat insignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidesque serat undante ex fonte meatus.
Phison auriferis prædives fluctuat undis,
Conspicuasque terit rauco de gurgite gemmas ;
Prasinus huic nomen, illi est carbunculus ardens,
Perspicuusque vadis terram prælambit Evilat.
Post hunc Æthiopas Gæon adlapsus opimat.
Tertius est Tigris, Euphrati adjunctus amœno,
Assyriam celeri discretim flumine sulcans.
Hic positus custos Adamus cum conjuge fida,
Atque opifex, tali formatur voce Tonantis :
Ne trepidate simul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonsum ramo frondente creavit :
Solliciti ne forte malum noxale legatis,
Quod viret ex gemino discreto ad munia succo.
Nec minus interea cæcos nox alta tenebat,
Ac modo formatos nec vestis texerat artus.
Has inter sedes, et baccis mitibus ortus,
Spumeus astuto vincens animalia sensu,
Serpebat tacite spiris frigentibus anguis ;
Livida mordaci volvens mendacia sensu,
Fœmineo tentat sub pectore mollia corda.
Dic mihi cur metuas felicia germina mali ?
Numquid poma Deus non omnia nota sacravit ?
E queis si studeas mellitos carpere victus,
Aureus astrigero remeabit cardine mundus.

A Illa negat, vetitosque timet contingere ramos ;
Sed tamen infirmo vincuntur pectora sensu.
Illicet ut niveo jam mitia dente momordit,
Adfulsit nulla maculatum nube serenum.
Tum sapor illecebram mellitis faucibus indens,
Compulit insueto munus deferre marito.
Quod simul ac sumpsit, detersa nocte, nitentes
Emicuere oculi, mundo splendente, sereni.
Ergo ubi nudatum prospexit corpus uterque,
Cumque pudenda vident, ficulnis frondibus umbrant.
Forte sub occiduo Domini jam lumine solis
Agnoscunt sonitum, trepidique ad devia tendunt.
Tum Dominus cœli mœstum compellat Adamum :
Dic ubi nunc degas ? Respondit talia supplex :
O Domine, adfatus pavido sub corde tremisco,
B Magne, tuos ; nudusque metu frigente fatigor.
Tum Dominus ; Quis poma dedit noxalia vobis ?
Tradidit hæc mulier, dum dicit lumina promptim
Candenti perfusa die, liquidumque serenum
Adfulsisse sibi solemque et sidera cœli.
Protinus ira Dei turbatam territat Evam,
Auctorem vetiti dum quærit maximus acti.
Illa sub hæc pandit : Serpentis suasa loquentis
Accepi, fallente dolo, blandoque rogatu ;
Nam sua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis narravit dulcia pomis.
Ilicet omnipotens condemnat gesta draconis,
Præcipiens cunctis invisum visere monstrum,
Pectore mox fuso prorepere, tum sola morsu
Mandere, mansuro quæcunque in tempora bello,
C Humanos inter sensus, ipsumque labantem ;
Vertice ut abjecto pronus post crura virorum
Serperet, ut calcet dum labens cominus instat.
Fœmina fraudigeris misere decepta loquelis,
Præcipitur duro discrimine ponere partum,
Servitiumque sui studio perferre mariti.
Tu vero cui visa fuit sententia verax
Conjugis, immiti cessit quæ victa draconi,
Deflebis miserum per tempora longa laborem,
Nam tibi triticeæ surget pro germine messis
Carduus, et spinis multum paliurus acutis :
Ut cum visceribus lassis et pectore mœsto,
Plurima sollicitos præstent suspiria victus :
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Unde geris corpus terræ reddare jacenti.
D Iis actis, Dominus trepidis dat tædia vitæ,
Dejectosque procul sacratis dimovet hortis,
Obversosque locat, medioque eliminat igni,
In quo perceleri Cherubin evolvitur æstu,
Dum calidus defervet apex, flammasque volutat.
Queis Dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
Consuit evulsas pecudum de viscere pelles,
Operiens nudos calidis de vestibus artus.
Ergo ubi conjugio sese jam fidus Adamus

LECTIONES VARIANTES.

(1) *In*, Morel. cod. Victor.
(2) *Artificis formatum in imagine*, editor Oxoniensis, Baluz.
(3) *Non patitur* conjic. Baluzius.
(4) *Sacratam s. v. ad gaudia*, cod. Victor. Bal.
(5) *Distinctim* edit. Oxon.
(6) *Prudentia* Morel. Pamel. *Adamus donata sibi prudentia*, cod. Vict.
(7) *Reddent* Vict.

Esse virum sensit, nomen genitricis amatæ
Exhibet uxori. Bino qui germine factus (1)
Continuo genitor, diversis nuncupat orsis :
Atque Cain hic nomen habet, cui junctus Abelus.
Innocuas hujus servabat cura bidentes,
Ast alius curvo terram vertebat aratro.
Hi cum perpetuo ferrent sua dona Tonanti,
Dissimiles fructus sensu suadente dedere.
Nam prior uberibus fuerant quæ prosata glebis,
Obtulit; ast alius miti se devovet agno,
Exta manu sincera gerens, adipemque nivalem ;
Confestimque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelida Cain incanduit ira.
Quem Deus adloquio dignatus, talibus insit :
Dic mihi, si rectum vivas, et noxia cernas,
Degere non possis contracto a crimine purus ?
A Desine mordaci fratrem disperdere sensu ;
Qui tibi ceu Domino subjectus colla daturus.
Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arva,
Atque ubi deprehensum deserto in gramine vidit,
Elidit geminis frangens (2) pia guttura palmis.
Quod factum Dominus cœlo speculatus ab alto;
Disquirit, quonam terrarum degat Abelus ?
Ille negat positum custodem se fore fratris.
Cui Deus effatur : Numnam (3) vox sanguinis ejus
Ad me missa sonat, celsumque ascendit ad axem ?
Nosse igitur mansura tibi pro crimine tanto :
Nam modo quæ maduit germani sanguine terra,
Inviso maledicta tibi commissa negabit
Semina, et adsumptis fructum non proferet herbis,
Torpidus ut multo collidens membra tremore.
B

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Binos g. g. factos*, cod. Vict.
(2) *Fraudant*, Morel.
(3) *Nonne* Morel.

INCERTI AUCTORIS SODOMA.

CAPUT PRIMUM.

Jam Deus omnipotens primævi tempora sæcli,
Vindice diluvio, cunctis aboleverat undis,
Quas cœlum sparsit terræ, maris exspuit æquor;
Hactenus, haud liquido pœnas decernere pactus
Excidio, quoties hyemes induceret aer;
Frænandis varium pluvii mandaverat arcum,
Purpureo et viridi signantem nubila limbo.

CAPUT II.

Sed recidiva hominum pariter cum gente secunda
Impietas, iterumque mali nova pullulat ætas,
Excidio jam non imbres sortita, sed ignes.
Sic Sodomum meruit tellus ardentibus uri
Roribus (4) et finis portendere signa futuri.
Effera luxuries illic, inimica pudoris,
Instar legis erat, fugeret quam præscius hospes;
Ante vel ad Scythicas, vel apud Busiridis aras
Exoptans per sacra necem, cæsusque crucem
Fundere Bebrycium, et Libycas satiare palæstras,
Anteque vel Circæa novas per pocula formas
Sumere, quam læsum Sodomis amittere sexum.
Pulsabant cœlum invidia, connubia mixta
Incesta parili, generis natura rebellis.
In sese, læsumque viri cum corpore nomen.
Tempore sed certo Deus omnia perspeculatus,
Judicat injustos patiens, ubi criminis ætas
Cessandi spatium vis nulla coegerit iræ.
Jamque dies ultrix aderat, duo de grege missi
Angelico (5) forma juvenes, qui spiritus ambo
Diva ministerio Domini mandata ferebant,
Succedunt Sodomis; illic de stirpe piorum
Transvena Loth aderat, sapiens, justique colonus,
Unus erat, meminisse Deum ; solet utilis arbor
In sylvis latitare feris (6) velut hospita fructu.
Is tunc pro porta residens (vix mœrenia adibant
Cœlicolæ) quanquam divinos nescius, ultro
Advocat, appellat, patrio veneratur honore,
Hospitioque vocat, longe stabulare parantes;
C Enisus longis precibus, pia pignora mensa
Officiisque probis studio dispungit amicos.
Nox requiem dederat, lux solverat altera noctem,
Et Sodoma in foribus strepitat conquesta rudendum (7).
Loth contra supplex : Ne vos nunc pacta (8) libido
Incendat, juvenes, ipsam fædare juventam ;
Quo luxus genitura vocat ? quo semina frustra ?
Quo nullæ nuptant animæ ; non lustra colentes ;
Non stabulis reduces, non undis subter hiantes ;
Nec quæ pennarum modulis prope nubila pendent,
Nec quæ per terram protracto corpore manant.
Omne genus, luxus genus est ; nisi fœmina conjux
Omnibus, et nunquam cuiquam nisi fœmina mater.
Nunc si fas juvenilis habet vastare pudorem,
Sunt intus natæ bijuges mihi, nubilis ætas,
D Virginitas in flore tumet, jam dedita messi,
Digna cupido viris, tulerit quam vestra voluptas ;
Cedo pater proque hospitibus pensabo dolorem.
Vulgus ad hæc demens : Quis nam tu, quantus, et [unde ?
Qui nobis domineris, ait, legesque recondas,
Transvena corrector (9) Sodomorum ? duplicat (10) iras:

LECTIONES VARIANTES.

CAP. II. — (4) *Flammis* Fabric. Pamel. *fascibus* Cauchius, *fontibus* cod. Vict. *facibus* Morel at *roribus* Baluz. ex cod. Colb.
(5) *Angelica* duo mss. codices.
(6) *Feras* alii.
(7) *Cum lege pudenda* Baluz. ex cod. Colb. *cum lege rudendam* Vict. *congesta rudentum* Oxon.
(8) *Pasta* ed. Oxon.
(9) *Num rector* Baluz. *conrector* cod. Vict. *non rector* Colbert.
(10) *Ut ingerat* Baluz. ex cod. Vict. et Morel, *atque ingerit* ed. Oxon.

Nunc igitur tute ipse lues, quod nostra cupido est
Pro natis, quoque hospitibus; satis unus in omnes.
Dicta et facta simul, vulgi mora nulla furentis.
Turbidus hiberno ut dum volvitur impete torrens,
Rivorum in numeros (1) uno pede fertur in omnes (2),
Si qua illic arbor rapidis offenditur undis,
Haud mansura diu; quantum radice licebit
Crinitas durare moras, ubi subter adesam
Perdit humum circumfosso cum caudice pendens,
Huc illuc certam differt incerta ruinam:
Haud aliter Loth in media vertigine vulgi,
Nutabat vinci prope jam; sed diva potestas
Subvenit; angelici juvenes de limine raptum
Restituunt tectis, demens sed vulgus ibidem
Pœnarum auspiciis multatur lumine diro (3).

CAPUT III.

Tunc decreta (4) Dei reserant, dignam adfore pœnam
Pe cœlo Sodomis, ipsum meruisse salutem
Justitiæ titulo. Quin ergo accingeris isthinc
Festinare fugam, pariterque educere si quid
Gentis habes? nos exitium jam inducimus urbi.
Loth generos citus adloquitur, sed dura hominum [mens,
Credere despexit monitum, risitque timorem.
Tempore mox quo lux tenebras conscendere tentat,
Et bicolor cœli facies de nocte dieque est,
Instabant juvenes Chaldæam educere gentem
Ex Sodomis, justamque domum donare saluti:
Eia, age, Loth, exsurge tuamque adsume jugalem,
Et natas duplices, atque hinc exterminus ito.
Prævenient Sodomum pœnas (manibus quoque amicis
Producunt trepidos) atque hæc tibi cætera mando;
Serva Loth animam, ne visum in terga retrorsum
Vertere forte velis, cœptum vel sistere gressum,
In montem propera. Timuit Loth ardua tardo
Ereptare gradu, cœlestes ne prius iræ
Opprimerent, alios igitur deposcere portus
Adgreditur, parvam quam contra aspexerat urbem.
Huc, inquit, contendo fugas, vix mœnibus (5) exstat
Nec longe, nec magna. Illi favere petenti (6),
Urbis et ipsius pariter gessere salutem.
Inde Segor vico: nomen vox barbara novit.
Tunc Loth ingreditur Segor; simul exoritur sol,
Ultimus ille quidem, in Sodomamque incendia fervens
Infert; nam totos radios armaverat igni,
Æmula subsequitur caligo includere lucem
Cœptans, atque globos confuso intexere cœlo;
Fumantes coeunt nubes, novus irruit imber,
A Sulphura cum flammis flagrantibus æstuat æther,
Exustus crepitat liquidis ardoribus æther
Hinc habet in falso de vero fabula famam
Solis progeniem currus optasse paternos,
Nec valuisse levem puerum frenare superbos
Ignis equos, arsisse orbem; tunc fulmine raptum
Aurigam; illicitum planctum mutasse sorores.
Viderit Eridanus, si qua illic populus albet,
Aut si quis plumat senio modulatior ales.
Hic aliter versæ mœrent miracula formæ.
Namque comes conjux, heu me, male tum quoque [legis
Fœmina non patiens, divina ad murmura cœli
Audaces oculos nequicquam sola retorsit,
Nec habitura loqui quod viderit; et simul illic
B In fragilem mutata salem stetit ipsa sepulcrum,
Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans (7).
Durat adhuc etenim nuda statione sub æthram,
Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis.
Quia etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur et vivens alio jam corpore, sexus
Munificos solito dispungere sanguine menses.
Nusquam sunt Sodomi, nusquam illorum impia [lucent
Mœnia; cum dominis domus omnis inops ita nusquam
Tota rogus regio est, hinc atro horrore favillæ,
Hinc que situ cano cineres incendia signant,
Occidit illa prior feritas (8) quam prospiciens Loth,
Nullus arat frustra piceas fulgine glebas.
C Semiperempta etiam si qua illic jugera lætas
Autumni conantur opes, facile optima sese
Promittunt oculis, pira, persica, et omnia mala,
Donec carpantur; nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum (9).
Sic igitur cœlo pariter terraque sepultis,
Nec mare vivit ibi, mors est maris illa quieti,
Quod nullus animal (10) per anhela volumina fluctus;
Quodquod etiam patrio nunquam suspirat ab austro,
Quodque nequit proferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram, lævive cuti vel cortice septam,
Vel crispam concham, aut duplici compagine clausam.
Solum illic proprio mentitur fruge bitumen,
Exusti fuligo maris; quod vividus ardor
Subter stagna coquens, de sulphuris et salis æstu
D Temperat inque picem dat terræ hærere marinam.
Invehitur proprio cum tempore pingue crematæ
Virus aquæ, spumisque cutis super æquora nigra

LECTIONES VARIANTES.

(1) *In numeros*, sic Baluz. ex cod. Colb. *numeros* alii.
(2) *Annes*, sic Baluz. ex cod. Vict. *omnes* alii, pro *fertur, vehitur* cod. Vict. Colb.
(3) *Interdum lumine multant*. Morel. et duo codices mss. nisi quod Victorinus habet *lumina*. *Interdiu* legendum videtur Baluzio.
CAP. III. — (4) *Secreta* Colbert.
(5) *Fuga, si certe manibus* Colb.
(6) *Mihi est: favere precanti* Colb. Vict. Morel, nisi quod iste legit, *favete*.
(7) *Carne reservans* cod. Colb. *forma* Morel, pro *formam*.
(8) *Occidit ille prior feritas*. Obscurus versus, ubi si *feritas* pro *fortitate* accipiatur ratione carminis, constabit sensus, uti *feritas* a *ferendo* dicatur. Vox eo significatu nunc obsoleta. PAM.
Corruptum locum sic emendari et expleri posse putat editor Oxonensis:

Occidit illa prior species, quam prospiciens Loth
Deservisse pii fertur commercia fratris.
BALDE.

(9) *Vacui favillaque pomi* duo cod. mss.
(10) *Quod nullos animat* Colb. Morel. *Idque anima*

Texitur; appellunt queis est ea captio mercis.
Adclinant leves laterum libramine lembos,
Ut semel impositam doceant conscendere venam.
Nam se sponte leçans aduabit mercis ad ora
Navigii, pretiumque dabit pro munere largo,
Ni plaga contigerit, quam mensi fœmina vestit.
Ecce aliud monstrum pelagi de clade natatur;
Cuncta illic immissa (1) natant; natura recessit
A Mergendis data corporibus; si denique teste
Luciferam narem insistens, qua spiritus igni est,
Velificavit apex, flammæ si flamma perempta est,
Ibit subter aquas destructio naufraga lucis.
Hæ Sodomum et Gomorum signatæ in sæcula pœnæ,
Gentibus injustis, queis pectora dura (2) timorem
Deseruere Dei; de cœlo jura tueri,
Inque unum rerum Dominum spectare docebunt.

LECTIONES VARIANTES.

nullus Fabric. et edit. Oxon.
(1) *Invita* duo cod. mss.
(2) *Corda obdura* Balnz. cod. Colb. *corpora dura*
B Morel. cod. Victor. Paulo post *jura vereri* Colb.

ARGUMENTUM LIBRI AD SENATOREM,

EX CHRISTIANA RELIGIONE AD IDOLORUM SERVITUTEM CONVERSUM; PER JACOBUM PAMELIUM.

Senatorem graviter increpat, quod antea Christianus et Consul, Isidis seu Matris Deum sacerdos fieri non sit veritus; hortatur itaque ut talem in senectute resipiscat. Porro cum etiam hic quædam sint Tertullianica, ego illi adscribere malui quam B. Cypriano.

AD SENATOREM

Ex Christiana religione ad idolorum servitutem conversum.

CAPUT PRIMUM.

Cum te diversis iterum vanisque viderem
Inservire sacris, priscoque errore teneri;
Obstipui (*a*) monitus; quia carmina semper amasti,
Carmine respondens, properavi scribere versus;
Ut te corriperem, tenebras præponere luci.
Quis patiatur enim, te Matrem credere magnam
Posse Deam dici, rursusque putare colendam,
Cujus cultores infamia turpis inurit?
(*b*) Namque sacerdotes tunicis mulieribus iidem
Interius ritum cultu interiore fatentur;
Idque licere putant, quod non licet; unde per orbem
Leviter incedunt, mollita voce loquentes,
Lapsatosque tenent extenso pollice lumbos,
Et proprium mutant vulgato crimine sexum.
Cumque suos celebrant ritus, (*c*) his esse diebus
Se castos memorant; at si tantummodo tunc sunt,
Ut perhibent, casti; reliquo jam tempore quid sunt?
Sed quia coguntur saltem semel esse pudici,
Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem.
Quale sacrum est vero, quod fertur nomine sanguis?

CAPUT II.

Nunc etiam dicis, quod te non fecerit ætas.
Sed tua religio calvum, (*d*) caligaque remota
Gallica, sit pedibus molli redimita papyro.
Res miranda satis dejectaque culmine summo.
Si quis ab Isiaco Consul procedat in urbem,
Risus oris erit: quis te non rideat autem,
Qui fueris Consul, nunc Isidis esse ministrum?
Quodque pudet primo, te non pudet esse secundo:
Ingeniumque tuum turpes damnare per hymnos
Respondente tibi vulgo et lacerante Senatu.
Teque domo propria pictum cum fascibus ante,
Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam.
Hæc non humilitas, sed humilitatis imago est.
C Ædibus illa tuis semper monumenta manebunt.
Rumor et ad nostras pervenit publicus aures,
Te dixisse: Dea, erravi, ignosce, redivi.
Dic mihi si valeas, cum talia sæpe rogares,
Et veniam peteres; quæ tecum verba locuta est?
Vere mente cares, sequeris qui mente carentes.
Hæc iterum repetis, nec te delinquere sentis.
Quid mereare vide; minus esses forte notandus,
Si tantum hoc scires, et in hoc errore maneres;
At cum vericolæ penetraveris ostia legis,
Et tibi nosse Deum paucis accesserit annis;
Cur linquenda, tenes aut cur retinenda relinquis?
Nilque colis, dum cuncta colis, nec corde retractas
Vera quid a falsis, quid ab umbris lumina distent.
Philosophum fingis, cum te sententia mutet;
D Nam tibi si stomachum popularis moverit aura;
Et Judæus eris, totusque incertus haberis.
Indulge dictis, sapientia non placet alta;
Omne quod est nimium, contra cadit, unum ope-
[rantur

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) Obstipui monitus, etc. *Est hæc phrasis non modo Cyprianica, qua alibi dixit*: mens obstipuit, *sed et Tertullianica, sicuti supra videre est lib. de Judic. Domini, cap.* II, *ubi legitur:*

Obtipuere quidem plures, patuisse sepulchra.

Castigavimus autem monitus, *pro* motus.

(b) Namque sacerdotes, etc. *Emendavimus* iidem *pro* idem, *et paulo post:* reliquo jam tempore quid sunt, *pro* corpore. *Atqui de sacerdotibus Isidis et ipsa Isidæ, supra non semel satis dictum est. Hic illis tribuit* tunicas muliebres, mutatum sexum, lacerationem orporis, *ac* fusionem cruoris, calvitiem, et pedes Gallicana papyro redimitos, *denique* cum sistro faciem caninam.

(c) His esse diebus se castos memorant, etc. *D: Castis Isidis sacris, vide infra Tertullianum tom.* V *lib. de jejuniis adv. Psychicos. Est ante etiam ille versus obscurus, et forte mendosus:*

Quale sacrum est vero, quod fertur nomine sanguis?

CAP. II. — (d) Caligaque remota, etc. *De* militia caligata, *vide supra tom.* II, *lib. de Idolol. cap.* 19, *num.* 147. *Atqui corripitur etiam a in ablativo qui sequitur:*

Gallica, sit pedibus molli redimita papyro

Et calor et frigus ; sic hoc, sic illud adurit ;
Sic tenebræ visum, sic sol contrarius aufert ;
Et pariter lædunt gelidum fervensque lavacrum ;
Esca alitur corpus, corpus corrumpitur esca ;
Vimque suam minuit, si quid protenditur ultra.
Denique si sedeas, requies est magna laboris :
Si multum sedeas, labor est. Maro namque poeta
Pro pœna posuit : Sedet (*a*), æternumque sedebit
Infelix Theseus ; semper nocet utile longum ;
Prandia longa nocent, jejunia longa fatigant ;
Sic nimium sapere stultum facit improba secta.
Me dea sic docuit, moderamen amabile, dixit.
Sed tu nec sectam modo, nec moderamina curas
Mens autem stabilis nullo pervertitur æstu,
Ipsaque simplicitas nunquam mala cogitat ulla.
Hinc sincera fides æterna fide fruetur ;
Et contra dolus longo cruciabitur igni.

A Elige quid velis, ut digna piacula vites.
Sic tamen hanc veniam mereatur creditor inquam ;
Ut leve crimen erit, si nolis noscere vera ;
Non leve crimen erit, si cognita vera relinquas.
Sed te correctum forsan matura senectus
In melius revocat satiatum erroribus istis :
Tempus enim mutat mala, digerit omnia tempus.
Tunc igitur cum te consulta reduxerit ætas,
Disce Deo servare fidem, ne forte bis unum
Incurras lapsum, quia vere dicitur illud
Qui pedis offensi lapidem vitare secundo
Nescit, et incautus iterum vexaverit artus :
Imputet ipse sibi, nec casibus imputet ullis.
Corrige (*b*) delictum fidamine, corrige mentem.
Suffecit peccare semel, desiste vereri :
B Non erit in culpa, quem pœnitet ante fuisse.

COMMENTARIUS.

Castigavimus vero recens : Consul procedat in urbem, *pro* orbem. *Et mox* : Hæc non humilitas, *pro* Hæc tua humilitas.

(a) Sedet æternumque sedebit infelix Theseus, etc. *Istud Virgilianum est ex* VI *Æneidos. Prorsus autem lego :* Nec casibus imputet ullis.

(b) Corrige delictum fidamine, etc. Fidamen *pro* fiducia *seu* spe *magis haud dubie Tertullianicam phrasin sapit quam Cyprianicam.*

CARMEN DE JONA ET NINIVE,

CUM ADNOTATIONIBUS FRANCISCI JURETI.

ARGUMENTUM. — *Carmen hoc nunquam antea visum nec lectum, repertum fuit in vetusto codice manuscripto, cujus copiam mihi fecit P. Pithœus i. c. saluti priscorum auctorum natus. Tertulliani vero genuinum esse opus, duæ res docent : primum, quia in eodem v. c. Tertulliano tribuitur, quemadmodum etiam aliud carmen de Sodomis quod postremum olim prodiit in lucem sub nomine divi Cypriani, sed nuper assertum Tertulliano, ex conjectura, a Jac. Pamelio viro multæ lectionis et judicii. Unde obiter confirmabo sententiam ipsius Pamelii, et monebo studiosos ne amplius addubitent de vero auctore carminis de Sodomis. Deinde prorsus redolet phrasim Tertullianicam, ut obscuram et asperam, sic etiam eruditam. Illud dolendum est quod in membranis imperite opus descriptum extitit ab antiquario. Proposui igitur bona fide lectionem v. c. et cunjunctim emendationes, ne cui fucum facerem, donec aliud exemplar manuscriptum erui possit, unde cæteræ labeculæ eluantur. Quod attinet ad titulum, inscribebatur in v. c.* de Ninive. *Sed cum tota narratio pertineat ad Jonam, visum est inscribere etiam :* de Jona. *Suspicio tamen est Tertullianum expressisse carmine integram historiam Jonæ, ut in sacris bibliis exstat.*

C

D

Post Sodomum et Gomorum viventia funera in æ-
[vum,
Et cinerum senio signata (*c*) incendia, pœnæ,
Et frustra solis oculis nascentia pauca,
Et pariter facti mortem maris (*d*) et solis illic
Si quid homo est pœnam mutato corpore servans :
Pene alios ignes (*e*) superi decusserat imbris,
Urbs æqui justique fuerant (*f*) transgressa Ninive.
Nam quis subversæ menti metus omnia vulgo
Pœnarum documenta vacant, ubi possidet error.
At bonus (*g*), et nostri patiens, et plectere serus,
Omnipotens Dominus nullam jaculabitur iram,
Ni prius admoneat, durataque pectora pulset
Præsagos agitans angusta mente, prophetam (*h*)
Namque Ninivitum meritis mandarat Jonam
Præfari exitium Dominus ; sed conscius ille

COMMENTARIUS.

(c) *Cinerum senio signata.* Ita correxi, pro quo erat in v. c. *cinerum senios ignara.* Conjecturam meam confirmat aperte alter ejusdem Tertulliani versus de Sodomis, ubi sic :

Tota rogus regio est, hinc atro borrore favillæ.
Inde situ cano cineres incendia signant.

Sic enim obiter lego ex vestigiis v. c. in quo : *hinc de situ ;* vulgo est : *hincque situ.*

(d) *Facti mortem maris.* Intelligit Mare Mortuum, de quo ipsemet in carmine de Sodomis :

Nec mare vivit ibi, mors est maris, illa quieti.

(e) *Pene alios ignes.* Placet hæc emendatio, ducta conjectura P. Pithœi : accedit enim prope ad vestigia scripturæ v. c. in quo :

Pane alio ignes superis decesserat imbris.

(f) *Justique fuerant.* Varias recipit conjecturas ; dubium enim est an auctor scripserit *justique forem*, vel *justi fines*, ut censet idem Pithœus : statim scripsi, *transgressa Ninive* pro quo v. c. *transgressi Niniviæ.*

(g) *At bonus.* v. c. *at boni.*

(h) *Mente prophetam.* Forte *prophetas*, ut conjungatur, cum voce *præsagos.*

Parcere subjectis, et debito cedere pœnæ (*a*)
Supplicibus; facilemque boni, cessabat abire (*b*),
Ne vanum caneret, cessura pace minarum.
Mox fuga consilium, si qua est tamen ista facultas,
Evitare Deum, Dominique evadere dextram,
Quo subter (*c*) totus trepidans compescitur orbis
At ratus est (*d*) quod agit sancto de corde prophetes.
Littoris in labio (*e*) portu celeberrima fido
Urbs ora est Cilicum, contra libratur Joppen.
Inde igitur Tharsos (*f*) properus rate scandit Jonas.
Ejusdem fert acta Deus, nec denique mirum,
Si Dominum in terris fugiens, invenit in undis.
Parvula nam subito maculaverat æra nubes,
Feller sulfureo de semine concita venti (*g*),
Paulatimque globus pariter cum sole cohæsit,
Deceptumque diem (*h*) caliginis agmine clusit.
A Fit speculum cœli pelagus, niger ambitus undas
Inficit, in tenebras ruit æther, et mare surgit.
Nequidquam medios fluctus dum nubila tangunt,
Gloria ventorum quos omnes turbine miscet.
Diversus furor in profugum frendebat Jonam.
Una ratis certamen erat cœloque fretoque,
Tunditur hinc illinc, tremit omnis sylva sub ictu
Fluctifrago (*i*) subter concussa est spira carinæ.
Palpitat antemna stridens (*j*), labor horret ab alto (*k*),
Ipsa etiam infringi dubitans inflectitur arbor.
Nauticus interea geminus clamor (*l*) omnia tentat,
Pro rate proque anima, spiras (*m*) mundare morantes
Oblaqueare mithram (*n*), clavorum stringere nisus,
Vel reluctantes impellere pectore gyros (*o*):
Pars maris interni puteum graveolere (*p*) vicissim.
B Egregias rapiunt (*q*) tunc merces atque onus omnes

COMMENTARIUS.

(a) *Debita cedere pœnæ.* Ita emendavi, cum corrupte esset in v. c. *debitum cedere pœnam*, *cedere* posuit pro *remittere*.

(b) *Cessabat obire.* Id est, recusabat Jonas implere officium admonendi. Plane eodem colore Prudentius excusat Jonam, hymno 7 *Cathem.*, ubi hæc historia describitur:

Jonam prophetam mitis ultor excitat
Pœnæ imminentis iret ut prænuncius,
Sed nosset ille cum minacem Judicem
Servare malle quam ferire ac plectere,
Tectam latenter vertit in Tharsos figuram.

Verum alii scriptores aiunt Jonam contemptu id fecisse. D. Hieronymus *comment. in Jonam: Conscius erat fugæ et peccati quo Domini præcepta neglexerat.* D. Gregorius lib. VI *in Job.* c. 15: *Illic gestante bellua* C *pervenit quo ire sponte contempsit. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, sors litigat, mare suscipit, bellua includit, et quia auctori suo obedire nititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur.* Isidorus lib. *de vita et morte sanctor.*, cap 45: *Jonas ad gentium præconia mittitur, missus contemnit, contemnens fugit, fugiens dormit*, etc.

(c) *Qua subter.* Erat in v. c. *super*.

(d) *At ratus est.* Corrupte rursus in exemplari, *an rati*. Statim reposui *de corde*, pro quo v. c. *de corpore*. Removet auctor a propheta culpam, ut excuset factum.

(e) *Littoris in labio.* Similis phrasis Sisennæ apud Nonium Marcel.: *sistique in labro summo fluminis.* Et M. Tullius *os portus* similiter dixit; nam sic *de suppliciis in Verrem: Nam in ipso aditu atque ore portus.*

(f) *Tharsos.* V. c. *Tharros properus rate conscendit.*

(g) *Concita venti.* Puto, vere ita correxi, pro quo D v. c. *conotia venti*.

(h) *Deceptumque diem.* Pro *ereptum* posuit.

(i) *Fluctifrago.* Alias v. c. *fluctivago*.

(j) *Antemna stridens.* Non hic dicam produci ultimam, in *antenna*, propter pentemimerim, sed potius observandam monebo veterum consuetudinem, qui vocalem longam faciebant cum sequerentur duæ consonantes. Quem morem tamen neoterici nec intellexerunt nec viderunt, qui sæpe locos in auctoribus corruperunt contra fidem et consensum omnium v. c. Id ego prolatis et restitutis testimoniis docui ad Paulinum, Sedulium, Marium Victorem, Juvencum et cæteros. Addam tantum verba vetustissimi grammatici Terentiani Mauri, cap. de carmine heroico:

Spondæum geminæ possunt firmare sonoræ,
Exemplis an prava sequar, vel recta, probabo.
Quisque scire cupit, vel quisque scribere curat.
Antestare decet cum dico, et separo verbum.
Ante Stesichorum vatem natura creavit.

(k) *Labor horret ab alto.* P. Pithœus subolet voco laboris hic significari vexilli seu veli speciem. Sane Gregorius Nazianzenus, *Oratione in Julian.*, ait vexillum esse quod a Latinis dicatur *labor*, quia vim habeat solvendorum laborum. Exstat in cod. Theodos. L. VI, tit. 25. de præpositis laborum, *ubi sic præpositi laborum nostro et stipendiorum sudoribus promoventur.* Sed et in cod. Justinia. lib XII, tit. 18, constantissima fide in omnibus libris manuscriptis inscribit: *De præp. laborum.* Quæ tamen scriptura quibusdam insolens visa fuit, adeo ut Accursius notet fuisse sua ætate qui pro *laborum*, reponerent *labiorum* ridicule. Nunc alii putant legendum potius *labarorum*, exemplo quo Constantinus imperator vexillum illud nobile quo utebatur in bello, labarum appellavit. Ego non temere discedendum arbitror a scriptura veterum codicum.

(l) *Geminus clamor.* Primam in *clamor* contraxit Tertullianus, non solus inter priscos. Nam Paulinus, libris *de vita Martini*, ea licentia usus, ... *Clamor* autem in tempestate marina locum habent Ovidius lib. II. *Metam.*

Qnippe sonant clamore viri, stridore rudentes,
Undarum incursu gravis unda.

Sed et ipse Tertullianus paulo post subdit:

Sunt miseræ voces ad singula fragmina Ponti.

(m) *Anima spiras.* Erat in v. c. *animas spiras.* Isidorus (*Etym.* lib. IX, cap. 3) ait *spiras* funes esse quibus nautæ utuntur in tempestatibus, a Sparto dictas.

(n) *Oblaqueare mithram.* Felicissima hujus loci restitutio debetur et acumini et judicio P. Pithœi. Depravate erat in v. c. *oblaquearem vibram.* Isidorus lib. XIX, *Etym.*, *cap.* 4, scribit mithram esse funem D quo navis media vincitur. Quæ vox rara est et a paucis alibi electa.

(o) *Pectore gyros.* Corrupte erat in v. c. *nigyros*, et fortassis totum verius sic melius legetur; *Veli eluctantes impellere pectore gyros.*

(p) *Puteum graveolere.* Arbitror auctorem verbum hoc active usurpasse, et *graveolere puteum* idem valere ac facere ut puteus gravem odorem exhalet. Intelligo igitur hunc locum de sentina navis, quæ tum gravius olet cum sedimentum aquæ quiescentis movetur et exhauritur. Paulinus in carm. *ad Cytherium*:

Quo cymba multam duxerat rimis
Aquam olente sentinæ lacu.

Quintilianus (lib. VIII) observat a Cicerone dictam reipublicæ sentinam, significante fœditatem hominum; Tertullianus vero partem maris interni vocat, quia sentinæ aqua e mari est.

(q) *Egregias rapiunt.* Erat in v. c. *Egregias tunc rapiunt.*

Præcipitant, certantque pericula vincere damnis
Sunt miseræ voces ad singula fragmina ponti,
Expenduntque manus nullorum (a) ad lumina divum,
Quos maris et cœli vis non timet, haud minus il-
[los (b)
Puppibus obtrusos irato turbine mergens.
Nescius hæc reus ipse cavo sub fornice puppis
Sternentem (c) inflata resonabat nare soporem,
Jam tunc in somno Domini formando (d) figuram.
Hunc simul undicesæ qui cogit munia proræ (e),
Pace soporatum placida, requiete superbum (f)
Institit impulsans : Quid, ait (g), discrimine in isto
Somnia re capit (h), tantoque in turbine portum
Solus habes? non unda (i) operit, spes unica divum
[est.
Tu quoque, quisquis tibi Deus est, dic vota precesque.
Exim quis (j) culpæ propriæ, quis caussa procellæ
Discere sorte placet, nec sors mentitur Jonam.
Tunc cogitant : quis, et unde hominum, quis denique
[rerum,
Quo populo, qua sede cluis (k)? famulum ille fatetur
Prætimidum fidumque Dei, qui sustulit altum (l),
Qui terram posuit, qui totam corpore fudit :
Ipsius sese profugum, caussasque revelat.
Diriguere metu. Quid nos (m) igitur tibi culpæ.
Quid fore nunc, quonam placabimus æquora facto?

A Namque magis multoque magis freta sæva tumebant.
Ea ego tempestas, ego tota insania mundi,
In me, inquit, vobis æther ruit, et mare surgit :
In me terra procul, mors proxima, nulla Dei spes.
Quin date præcipitem caussam, navemque levantes(n).
Unum onus hoc magnum pelago jactate volentem.
Ast isti frustra nituntur vertere cursum
In reditum, nec clavus enim torquere sinebat,
Dura nec antemnæ mutari libra volebat.
Postremo ad Dominum : Ne nos in mortis hiatum,
Unam animam propter, dederis, ne sanguine justi (o)
Respersisse velis, si sic tua dextera ducit.
Jamque illic imo exoriens de gurgite cetus
Squamosum e conchis evolvere corporis agmen,
Urgebat proprios concusso marmore fluctus
B Sponte sua (p) prædam rapiens, quam puppis ab arce
Provolutatam limosis faucibus hausit,
Viventemque dapem longam percepit in alvum,
Cumque viro cœli rabiem pelagique voravit.
Sternitur æquoris unda, resolvitur ætheris umbra.
Huic fluctus, illinc flatus redduntur amici,
Securamque viam placida signante carina,
Candida cæruleo florent vestigia sulco,
Nautæ tum Domino læti venerando timorem
Sacrificant grates * * * * * * *
Navigat et vates alio susceptus Jonas

COMMENTARIUS.

(a) *Nullorum.* In v. c. ad hanc vocem recentiore quadam manu superadditum erat, *multorum.* Sed bene vocat *nullos* divos, quia gentium dii revera nulli C sunt, vel quia nullius opus et auxilii. Hinc illa vox apud veteres comicos : *Nullus sum.* Et Paulinus :

Nullus eram, et faciente
Deo sum natus ut essem.

(b) *Haud minus illos.* Ita emendo, pro quo v. c. *aut munus illos puppibus abstruso Siratos.* Quibus verbis non dubito quin alludat ad morem veterum qui in navibus deos portabant, tanquam tutelares. Vi gil.

Ingentes a pupe Deos.
Laurato fulgebat Apolline puppis.
(*Id. l.* X. *Æn.*)

Monte nec inferior proræ puppique recurvæ
Insilit, et pictos verberat unda Deos.
(*Ovidius, l.* I *Tristium.*)

Auctores appellant tutelas quasi proprio nomine, Silvius Italicus :

Tutelæque deum fluitant.

Seneca *epist.* 76, eo alludit dicens : *Navis bona dicitur,* etc., *nec cujus tutela ebore cælata est.* Ea imitatione dicunt etiamnum hodie Venetos sanctum Marcum attollere in puppi, suæ civitatis tutelarem divum.

(c) *Sternentem.* Placet Philip. Roberto J. C. *stertentem.* Et quidem Jonæ cap. 1 ubi Vulgata editio habet : *et dormiebat sopore gravi*, D. Hieronymus ex Septuaginta vertit : *et dormiebat et stertebat.* Divus quoque Ambrosius *in Psalm.* XLIII : *de Jona legimus qui dormiebat in ventre navis et stertebat.* Et ipse Hieronymus in *commentar. in Jonam* : *Quasi securus,* ait, *dormiret, et profundissimum somnum ronchonare sonaret.*

(d) *Domini formando.* Erat in v. c. *in se formando;* locum autem intelligit Matthæi cap. VIII, ubi de Christo dormiente in navi et a suis excitato.

(e) *Undicesæ qui cogit munia proræ.* Si quid veri auguror, ita non male emendavi depravatissimam scripturam v. c. habentis : *Undis ita qui cogit mœnia proræ* : nisi malis, *undisicæ,* facilis autem mutatio *undisis* ita, *undisica* pro *undicesæ.* Sed et potest retineri illud, *mœnia.* Nam Festus Pompeius adnotat veteres dixisse *mœnia* pro *officiis.*

(f) *Requiete superbum.* Sosipater Charisius lib. I : *Quies,* ait, *facit quietem, requies* accusativo non facit, *requietem* sed *requiem* : licet Cicero dixerit *requietem* ad Hostilium. Idem Charisius alio loco id repetit : *Cicero,* ait, *aliter declinavit secutus numerum,* requietem *enim dixit;* superbum autem vocat pertinacem in somno, qui quasi dedignaretur moveri clamore nautarum periclitantium, nimium securus.

(g) *Quid ait.* Corrupte erat in v. c. *quid aiunt discriminis in isto.*

(h) *Somniare capis.* Locus hic varias recipit conjecturas : sunt verba Fr. Jureti; nos vero sequimur lectionem quam exhibet collectio Pisauricensis ac Londonensis, poetarum scilicet latinorum. Edd.

(i) *Nos unda.* Vocem *nos* addidi, quæ videtur desiderari.

(j) *Exim quis.* Depravatissime erat in v. c. *Indicit exin quis.*

(k) *Qua sede cluis.* Valde mihi placet hæc emendatio quam eruit P. Pithœus ex vestigiis v. c., in quo *qua sede civis.* Vox *clue,* non ignota apud veteres, quam restitui aliis auctoribus temere vulgo corruptam. Itaque non repetam.

(l) *Qui sustulit altum.* Redundabant verba in v. c., in quo ita scriptum reperi : *Qui cælum sustulit alto.* Videbatur quidem corruptum carmen glosa : *altum* autem pro *cœlo* poni scimus, ut apud Virgilium :

Et Maia genitum cœlo demittit ab alto.

Lactantius (lib II, c. 1) : *Oculos suos dejiciunt soloque figunt.*

(m) *Quid nos.* V. c. *quos* vel quod,

(n) *Navemque levantes unum.* Male in v. c. navem *levantes unus.*

(o) *Ne sanguine justi.* Sic lego, pro quo v. c. *justum,* idque confirmatur textu Biblico.

(p) *Sponte sua.* Ut explerctur hiatus v. c. addidi *sua* nisi malis *sponte novam.*

Navigio fluctumque secat sub fluctibus imis,
Sisara velificans, anima inspirata ferina,
Conclusus, neque tinctus aquis (a), maris intimus
[exter (b)

A Inter semesas classes resolutaque corpora putri
Digesta, sua jam vel va... (c) funera discens.
In signum sed enim Domini quandoque futurus,
Non erat exitio, sed cœli gloria factus.

COMMENTARIUS.

(a) *Neque tinctus aquis.* Videbatur posse legi *tactus*, quod minus est. Nam et Paulinus in carm. ad Cyterium de eodem Jona loquens :

Mensus æquore intactus undis fluctuat.

Sic Sedulius de eodem :

. . . . . ceto sorbente voratus
In pelago non sensit aquas.

Sed tamen illud, *tinctus* retinui quia scio familiare esse Tertulliano uti eo verbo, et tinctionem usurpare pro baptismis aquis.

(b) *Maris intimus exter inter semesas classes.* V. c. habebat *classes.* Sed superiora ut reponi debeant non satis liquet. Placet doctissimo Phil. Roberto ut legatur : *Maris inter et exter. Semesa*, etc., nisi, mutato ordine, malis : *Maris exter, et inter Semesas*, ut versus sibi cohæreant. Sic autem Paulinus exterum maris, Jonam intra mare eleganter dixit :

Nam liber undis intra mare exter maris.

(c) *Vel va.* Robertus legit *vel vatis.* Quid si potius : *vel vivus?*

Et quidem quæ ad emendationem corruptissimi exemplaris proferre potui.

DE LIGNO VITÆ.

Est locus ex omni medius, quem cernimus, orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt:
Hic ego de sterili succisum robore lignum
Plantatum, memini fructus genuisse salubres.
Non tamen hos illis, qui se posuere, colonis
Præbuit: externi fructus habuere beatos.
Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos:
Sicut plena graves antennæ carbasa tendunt,
Vel cum disjunctis juga stant ad aratra juvencis,
Quem tulit hoc primo maturo semine lapsum
Concepit tellus: mox hinc (mirabile dictu)
Tertia lux iterum, terris superisque tremendum
Extulerat ramum, vitali fruge beatum.
Sed bis vicenis firmatus et ille diebus
Crevit in immensum, cœlumque cacumine sumino
Contigit, et tandem sanctum caput abdidit alto.
Dum tamen ingenti bissenos pondere ramos
Edidit, et totum spargens porrexit in orbem:
Gentibus ut cunctis victum vitamque perennem
Præberent, mortemque mori qui posse docerent.
Expletis etiam mox quinquaginta diebus,
Vertice de summo divini nectaris haustum
Detulit in ramos, cœlestis spiritus auræ:
Dulci rore graves manabant undique frondes (1
Ecce sub ingenti ramorum tegminis umbra
Fons erat: hic, nullo casu turbante, serenus,
Perspicuis illimis aquis, et gramina circum
Fundebant lætos vario de flore colores.
Hunc circum innumeræ gentes, populique coibant.
Quam varii generis, sexus, ætatis, honoris,
Innuptæ, nuptæque simul, viduæque, nurusque,
Infantes, puerique, viri, juvenesque, senesque!
Hic ubi multigenis flexos incumbere pomis
Cernebant ramos, avidisque adtingere dextris

B Gaudebant, madidos cœlesti nectare fructus:
Nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
Quam lutulenta viæ vestigia fœda prioris
Detererent, corpusque pio de fonte lavarent.
Ergo diu circum spatiantes gramine molli,
Suscipiunt alta pendentes arbore fructus.
Tum si quis ex illis delapsa putamina ramis,
Et dulces, multo rorantes nectare, frondes
Vescuntur, veros exoptant sumere fructus.
Ergo ubi cœlestem ceperunt ora saporem,
Permutant animos, et mentes perdere avaras
Incipiunt, dulcique hominem cognoscere sensu,
Insolitum multis stomachum movisse saporem
Vidimus, et fellis commotum melle venenum
C Rejecisse bonos turbata mente sapores:
Aut avide sumptum non dilexisse, diuque
Et male potatum tandem evomuisse saporem.
Sæpe quidem multi, renovatis mentibus, ægros
Restituere animos: et quæ se posse negabant,
Pertluerant, fructumque sui cepere laboris.
Multi etiam sanctos ausi contingere fontes,
Discussere iterum subito, retroque relapsi,
Sordibus et cœno misti volvuntur eodem.
Multi vero bono portantes pectore, totis
Accipiunt animis, penitusque in viscera condunt.
Ergo qui sacros possunt adcedere fontes,
Septima lux illos optatas (2) sistit ad undas,
Tingit et in liquidis jejunos fontibus artus.
Sic demum illuviem mentis, vitæque prioris
D Deponunt labem; purasque a morte reducunt
Illustres animas, cœlique ad limen ituras.
Hinc iter ad ramos, et dulcia poma salutis:
Inde iter ad cœlum per ramos arboris altæ.
Hoc lignum vitæ est cunctis credentibus. Amen.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Frontes *Oberth.*

(2) Optata *Oberth.*

Præcipitant, certantque pericula vincere damnis
Sunt miseræ voces ad singula fragmina ponti,
Expenduntque manus nullorum (*a*) ad lumina divum,
Quos maris et cœli vis non timet, haud minus il-
[los (*b*)
Puppibus obtrusos irato turbine mergens.
Nescius hæc reus ipse cavo sub fornice puppis
Sternentem (*c*) inflata resonabat nare soporem,
Jam tunc in somno Domini formando (*d*) figuram.
Hunc simul undicesæ qui cogit munia proræ (*e*),
Pace soporatum placida, requiete superbum (*f*)
Instituit impulsans : Quid, ait (*g*), discrimine in isto
Somnia re capit (*h*), tantoque in turbine portum
Solus habes? non unda (*i*) operit, spes unica divum
[est.
Tu quoque, quisquis tibi Deus est, dic vota precesque.
Exim quis (*j*) culpæ propriæ, quis caussa procellæ
Discere sorte placet, nec sors mentitur Jonam.
Tunc cogitant : quis, et unde hominum, quis denique
[rerum,
Quo populo, qua sede cluis (*k*)? famulum ille fatetur
Prætimidum fidumque Dei, qui sustulit altum (*l*),
Qui terram posuit, qui totam corpore fudit :
Ipsius sese profugum, caussasque revelat.
Diriguere metu. Quid nos (*m*) igitur tibi culpæ.
Quid fore nunc, quonam placabimus æquora facto?

A Namque magis multoque magis freta sæva tumebant.
Ea ego tempestas, ego tota insania mundi,
In me, inquit, vobis æther ruit, et mare surgit :
In me terra procul, mors proxima, nulla Dei spes.
Quin date præcipitem caussam, navemque levantes(*n*).
Unum onus hoc magnum pelago jactate volentem.
Ast isti frustra nituntur vertere cursum
In reditum, nec clavus enim torquere sinebat,
Dura nec antemnæ mutari libra volebat.
Postremo ad Dominum : Ne nos in mortis hiatum,
Unam animam propter, dederis, ne sanguine justi (*o*)
Respersisse velis, si sic tua dextera ducit.
Jamque illic imo exoriens de gurgite cetus
Squamosum e conchis evolvere corporis agmen,
Urgebat proprios concusso marmore fluctus
B Sponte sua (*p*) prædam rapiens, quam puppis ab arce
Provolutatam limosis faucibus hausit,
Viventemque dapem longam percepit in alvum,
Cumque viro cœli rabiem pelagique voravit.
Sternitur æquoris unda, resolvitur ætheris umbra.
Huic fluctus, illinc flatus redduntur amici,
Securamque viam placida signante carina,
Candida cæruleo florent vestigia sulco,
Nautæ tum Domino læti venerando timorem
Sacrificant grates . . . . . .
Navigat et vates alio susceptus Jonas

COMMENTARIUS.

(a) *Nullorum.* In v. c. ad hanc vocem recentiore quadam manu superadditum erat, *multorum.* Sed bene vocat *nullos* divos, quia gentium dii revera nulli C sunt, vel quia nullius opus et auxilii. Hinc illa vox apud veteres comicos : *Nullus sum.* Et Paulinus :

Nullus eram, et faciente
Deo sum natus ut essem.

(b) *Haud minus illos.* Ita emendo, pro quo v. c. *aut munus illos puppibus abstruso Siratos.* Quibus verbis non dubito quin alludat ad morem veterum qui in navibus deos portabant, tanquam tutelares. Virgil.

Ingentes a pupe Deos.
Laurato fulgebat Apolline puppis.
(*Id. l.* X. *Æn.*)

Monte nec inferior proræ puppique recurvæ
Insilit, et pictos verberat unda Deos.
(*Ovidius, l.* I *Tristium.*)

Auctores appellant tutelas quasi proprio nomine, Silvius Italicus :

Tutelæque deum fluitant.

Seneca *epist.* 76, eo alludit dicens : *Navis bona dici-* D *tur*, etc., *nec cujus tutela ebore cælata est.* Ea imitatione dicunt etiamnum hodie Venetos sanctum Marcum attollere in puppi, suæ civitatis tutelarem divum.

(c) *Sternentem.* Placet Philip. Roberto J. C. *stertentem.* Et quidem Jonæ cap. 1 ubi Vulgata editio habet : *et dormiebat sopore gravi*, D. Hieronymus ex Septuaginta vertit : *et dormiebat et stertebat.* Divus quoque Ambrosius *in Psalm.* XLIII : *de Jona legimus qui dormiebat in ventre navis et stertebat.* Et ipse Hieronymus in *commentar. in Jonam* : *Quasi securus*, ait, *dormiret, et profundissimum somnum ronchonare sonaret.*

(d) *Domini formando.* Erat in v. c. *in se formando;* locum autem intelligit Matthæi cap. VIII, ubi de Christo dormiente in navi et a suis excitato.

(e) *Undicesæ qui cogit munia proræ.* Si quid veri auguror, ita non male emendavi depravatissimam scripturam v. c. habentis : *Undis ita qui cogit mœnia proræ* : nisi malis, *undisicæ*, facilis autem mutatio *undisis* ita, *undisica* pro *undicesæ.* Sed et potest retineri illud, *mœnia.* Nam Festus Pompeius adnotat veteres dixisse *mœnia* pro *officiis.*

(f) *Requiete superbum.* Sosipater Charisius lib. I : *Quies*, ait, *facit quietem, requies* accusativo non facit, *requietem* sed *requiem* : licet Cicero dixerit *requietem* ad Hostilium. Idem Charisius alio loco id repetit : *Cicero*, ait, *aliter declinavit secutus numerum*, requietem *enim dixit;* superbum autem vocat pertinacem in somno, qui quasi dedignaretur moveri clamore nautarum periclitantium, nimium securus.

(g) *Quid ait.* Corrupte erat in v. c. *quid aiunt discriminis in isto.*

(h) *Somniare capis.* Locus hic varias recipit conjecturas : sunt verba Fr. Jureti; nos vero sequimur lectionem quam exhibet collectio Pisauricensis ac Londonensis, poetarum scilicet latinorum. Edd.

(i) *Nos unda.* Vocem *nos* addidi, quæ videtur desiderari.

(j) *Exim quis.* Depravatissime erat in v. c. *Indicit exin quis.*

(k) *Qua sede cluis.* Valde mihi placet hæc emendatio quam eruit P. Pithœus ex vestigiis v. c., in quo *qua sede civis.* Vox *clue*, non ignota apud veteres, quam restitui aliis auctoribus temere vulgo corruptam. Itaque non repetam.

(l) *Qui sustulit altum.* Redundabant verba in v. c., in quo ita scriptum reperi : *Qui cælum sustulit alto.* Videbatur quidem corruptum carmen glosa; *altum* autem pro *cælo* poni scimus, ut apud Virgilium :

Et Maia genitum cœlo demittit ab alto.

Lactantius (lib II, c. 1) : *Oculos suos dejiciunt soloque figunt.*

(m) *Quid nos.* V. c. *quos* vel quod,

(n) *Navemque levantes unam.* Male in v. c. navem *levantes unus.*

(o) *Ne sanguine justi.* Sic lego, pro quo v. c. *justum*, idque confirmatur textu Biblico.

(p) *Sponte sua.* Ut explerctur hiatus v. c. addidi *sua* nisi malis *sponte novam.*

Navigio fluctumque secat sub fluctibus imis,
Sisara velificans, anima inspirata ferina,
Conclusus, neque tinctus aquis (a), maris intimus
[exter (b)
Inter semesas classes resolutaque corpora putri
Digesta, sua jam vel va... (c) funera discens.
In signum sed enim Domini quandoque futurus,
Non erat exitio, sed cœli gloria factus.

COMMENTARIUS.

(a) *Neque tinctus aquis.* Videbatur posse legi *tactus*, quod minus est. Nam et Paulinus in carm. ad Cyterium de eodem Jona loquens :

Mensus æquore intactus undis fluctuat.

Sic Sedulius de eodem :

. . . . . ceto sorbente voratus
In pelago non sensit aquas.

Sed tamen illud, *tinctus* retinui quia scio familiare esse Tertulliano uti eo verbo, et tinctionem usurpare pro baptismis aquis.

(b) *Maris intimus exter inter semesas classes.* V. c. habebat *classes.* Sed superiora ut reponi debeant non satis liquet. Placet doctissimo Phil. Roberto ut legatur : *Maris inter et exter. Semesa*, etc., nisi, mutato ordine, malis : *Maris exter, et inter Semesas*, ut versus sibi cohæreant. Sic autem Paulinus exterum maris, Jonam intra mare eleganter dixit :

Nam liber undis intra mare exter maris.

(c) *Vel va.* Robertus legit *vel vatis.* Quid si potius : *vel vivus ?*

Et quidem quæ ad emendationem corruptissimi exemplaris proferre potui.

DE LIGNO VITÆ.

Est locus ex omni medius, quem cernimus, orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt :
Hic ego de sterili succisum robore lignum
Plantatum, memini fructus genuisse salubres.
Non tamen hos illis, qui se posuere, colonis
Præbuit : externi fructus habuere beatos.
Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos :
Sicut plena graves antennæ carbasa tendunt,
Vel cum disjunctis juga stant ad aratra juvencis,
Quem tulit hoc primo maturo semine lapsum
Concepit tellus : mox hinc (mirabile dictu)
Tertia lux iterum, terris superisque tremendum
Extulerat ramum, vitali frugo beatum.
Sed bis vicenis firmatus et ille diebus
Crevit in immensum, cœlumque cacumine summo
Contigit, et tandem sanctum caput abdidit alto.
Dum tamen ingenti bissenos pondere ramos
Edidit, et totum spargens porrexit in orbem :
Gentibus ut cunctis victum vitamque perennem
Præberent, mortemque mori qui posse docerent.
Expletis etiam mox quinquaginta diebus,
Vertice de summo divini nectaris haustum
Detulit in ramos, cœlestis spiritus auræ :
Dulci rore graves manabant undique frondes (1
Ecce sub ingenti ramorum tegminis umbra
Fons erat : hic, nullo casu turbante, serenus,
Perspicuis illimis aquis, et gramina circum
Fundebant lætos vario de flore colores.
Hunc circum innumeræ gentes, populique coibant.
Quam varii generis, sexus, ætatis, honoris,
Innuptæ, nuptæque simul, viduæque, nurusque,
Infantes, puerique, viri, juvenesque, senesque !
Illic ubi multigenis flexos incumbere pomis
Cernebant ramos, avidisque adtingere dextris
Gaudebant, madidos cœlesti nectare fructus :
Nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
Quam lutulenta viæ vestigia fœda prioris
Detererent, corpusque pio de fonte lavarent.
Ergo diu circum spatiantes gramine molli,
Suscipiunt alta pendentes arbore fructus.
Tum si quis ex illis delapsa putamina ramis,
Et dulces, multo rorantes nectare, frondes
Vescuntur, veros exoptant sumere fructus.
Ergo ubi cœlestem ceperunt ora saporem,
Permutant animos, et mentes perdere avaras
Incipiunt, dulcique hominem cognoscere sensu,
Insolitum multis stomachum movisse saporem
Vidimus, et fellis commotum melle venenum
Rejecisse bonos turbata mente sapores :
Aut avide sumptum non dilexisse, diuque
Et male potatum tandem evomuisse saporem.
Sæpe quidem multi, renovatis mentibus, ægros
Restituere animos : et quæ se posse negabant,
Perfluerant, fructumque sui cepere laboris.
Multi etiam sanctos ausi contingere fontes,
Discussere iterum subito, retroque relapsi,
Sordibus et cœno misti volvuntur eodem.
Multi vero bono portantes pectore, totis
Accipiunt animis, penitusque in viscera condunt.
Ergo qui sacros possunt adcedere fontes,
Septima lux illos optatas (2) sistit ad undas,
Tingit et in liquidis jejunos fontibus artus.
Sic demum illuviem mentis, vitæque prioris
Deponunt labem ; purasque a morte reducunt
Illustres animas, cœlique ad limen ituras.
Hinc iter ad ramos, et dulcia poma salutis :
Inde iter ad cœlum per ramos arboris altæ.
Hoc lignum vitæ est cunctis credentibus. Amen.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Frontes *Oberth.*

(2) Optata *Oberth.*

Appendix secunda.

CANDIDO LECTORI

JOSEPHUS MARIA SUARESIUS AVENIONENSIS SALUTEM.

Candide Lector. Patet mihi facilis aditus ad bibliothecam Vaticanam, benignitate cardinalis Amplissimi Francisci Barberini bibliothecarii, atque Mæcenatis mei, qui vere bibliotheca vivens vocari posset; et benevolentia Felicis Contelorii custodis, viri scientiis omnibus instructi. Illic ego dum singula lustro, incidi peropportune in pervetustum codicem e membrana, perscriptum literis longobardicis, qui præfert ætatem sexcentorum aut septingentorum annorum; cumque Bedæ Chronicon, et alia quæ continebat, percurrissem, in calce inveni fragmentum librorum Tertulliani de execrandis gentium Divis, cujus ultimi versus fuerant erasi, et quod in Jovis elevanda divinitate solum insumitur. Id ego cum semel, iterum que perlegissem, ac deinde contulissem, assentimus cum his quæ de Jove scribit idem Tertullianus in libris *adversus Nationes* et in *Apologetico*; diversum penitus reperi stylum, tamen purum putum Tertullianæum et ego agnovi, et amici, quibus ostendi, omnes consenserunt. Hoc igitur, quamvis fragmentum, diutius latere nolui, et nunc in commune et in publicum emitto auspiciis Urbani Octavi Pont. max. quo in Cathedra Petri felicissime sedente, non Musæ tantum, politioresque literæ, ac disciplinæ, poetis et historicis passim exundantibus et exsudantibus quasi reddita juventute revirescunt; verum etiam sanctorum Patrum operibus undique prodeuntibus in lucem, orthodoxa Religio ubique terrarum caput adtollit et reflorescit. Deum precor ut ipsum, et illustrissimum cardinalem Franciscum Barberinum Atlantis tanti Herculem ad Ecclesiæ suæ decus diutissime sospitem esse velit. Tu, Lector, apprecare, et hoc meo munusculo gratus utere, fruere.

EX LIBRIS TERTULLIANI
DE EXECRANDIS GENTIUM DIIS
FRAGMENTUM ERUTUM E BIBLIOTHECA VATICANA,
A JOSEPHO MARIA SUARESIO AVENIONENSI.

Tantum cæcitatis invasit genus humanum, ut inimicum suum Dominum vocent, et ablatorem bonorum adeo datorem sibi esse prædicent, atque illi gratias agant; vocant ergo illos nominibus humanis, non propriis, nesciunt enim eorum nomina, quia sint dæmones intelligunt; sed historias veterum regum legunt, quorum actum cum videant fuisse mortalem, deifico honorificant eos nomine. Jovem, quem vocant, quemque putant summum Deum, quando natus est, a constitutione mundi erant ad illud tempus anni ferme tria millia. Hic in Græcia nascitur de Saturno et Ope. Et ne a patre interficeretur, aut si fas est dicere, denuo pareretur, Cretam delatus, consilio matris in antro Idæo nutritur, a Cretibus (*a*) hominibus natis arma quatientibus occultatur, capræ ubera sugit, cujus excoriatæ pelle amictus utitur, nutricis suæ scilicet a se interfectæ: sed tres cincinnos aureos ei assuit, centenum bonum singulos pretium valentes, sicut meminit auctor eorum Homerus, credere si æquum est. Hic adulta ætate cum patre annis compluribus bellum gessit, superavit, parricidio domum invasit, sorores virgines stupravit, quarum unam in connubio elegit, patrem armis fugavit: cætera autem actus illius scripta sunt. Ex connubiis alienis, aut virginibus violatis, filios sibi adulteros generavit, pueros ingenuos attaminavit, tyrannico regalique imperio oppressit populos sine lege: hunc pater, quem initialem deum fuisse opinantur errantes, celari in insula Creta ignoravit; filius quoque, quem potentiorem deum credunt, fugatum a se patrem latere in Italia nescit: si erat in cœlo, cur non videbat quid in Italia gereretur? Non enim in angulo est terra Italia. Quamquam si fuisset deus, latere eum nihil debebat: latuisse autem ibi, quem Itali Saturnum vocitaverunt, liquido adprobatum est, a cujus latitatione lingua hesperia latina nominata est usque in hodiernum: sicut etiam auctor eorum Virgilius meminit (*b*): ergo in terra generatus dicitur, dum et ne ab eo regno pellatur timet, et tamquam æmulum quærit necare, et subreptum nescit latere, et postea deus filius patrem prosequitur, interficere quærit immortalis immortalem (credi potest), et intervallo pelagi fallitur, et fugisse ignorat, et cum hæc agerentur inter duos deos in terris, cœlum desertum est. Nemo administrabat pluvias, nemo tonabat, nemo gubernabat tantam molem orbis. Nec enim possunt dicere actum illorum et bella in cœlo esse facta: hæc enim in monte Olympo fiebant, in Græcia: sed nec cœlum Olympum (*c*) vocatur, cœlum enim cœlum est. De quibus ergo actibus eorum primum tractabimus, de nativitate, de latitatione, de ignorantia, de parricidio, de adulteriis, de obscenis acti-

COMMENTARIUS.

(a) *Cretibus*, Forte *Curetibus*. SUAR.

(b) . . . . Latium que vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Æneid. l. VIII, *v.* 322 *et* 325.

(c) *Olympum*, Forte *Olympus*. SUAR.

bus, de rebus non a Deo, sed ab hominibus immundissimis, et truculentissimis commissis, qui si essent in his temporibus, omnibus legibus rei subjacerent, quæ multo justiores, et severiores, quam actus illorum. Patrem armis pulsavit: lex Falcidia et Sempronia parricidam in culeo cum feris ligaret. Et sorores corrupit: lex Papinia omnibus pœnis per singula membra probrum puniret. Connubia aliena invasit: lex Julia adulterum suum capite afficeret. Pueros ingenuos attaminavit: lex Cornelia transgressi fœderis amissum novis exemplis novi coitus sacrilegum damnaret. Hic nec divinitatem habuisse ostenditur: erat enim homo: latuit cum fuga patris. Huic tali homini, tam nefando regi, tam obscœno tamque crudeli, Dei assignatus est honos ab hominibus, qui utique cum sit in terra natus, et per incrementa ætatum adultus, in qua omnia hæc mala admisit, et modo non sit in ea, quid putatus nisi mortuus, aut numquid putat stultus error pennas ei natas in senectute, unde ad cœlum volaret? Sed possunt et hæc credere orbati sensu homines, si tamen credunt A eum cygnum factum esse, ut generaret Castores; et aquilam, ut contaminaret Ganymedem; et taurum, ut violaret Europam; aurum, ut violaret Danaen; et equum, ut generaret Pirithoum; hircum, ut generaret Egyppam (*a*) de capra; satyrum, ut opprimeret Antiopam. Hæc, qui adulteria spectant, ad quæ proni sunt peccatores, ideo facile credunt, ut malefacti auctoritatis, et omnis spurcitiæ de ficto deo mutuentur. Num cætera, quæ credi possunt actus illius, quæ et vera sunt, quæque sine transfiguratione eum aiunt gessisse, quam sint inemendata, animadvertunt: ex Semele generat Liberum, ex Latona Apollinem et Dianam, ex Maia Mercurium, ex Alcmena Herculem. At cæteras ejus corruptelas, quas ipsi confitentur, nolo conscribere, ne rursus fœditas jam sepulta auribus renovetur: sed horum paucorum B mentionem feci, quos deos et ipsos credunt errantes, scilicet de incesto patre generatos, adulterinos, supposititios, et Deum viventem, æternum, sempiterni numinis (*b*), præscium futurorum, immensum, talibus cum nefandis criminibus diffuderunt.

COMMENTARIUS.

(a) *Egyppam.* Forte *Ægivana.* Suar.
(b) *Sempiterni numinis.* Forte *filium* deest. Suar. Imo potius nihil deesse videtur. Edd.

Appendix tertia.

GRÆCORUM OPERUM FRAGMENTA ET NOTULÆ, CUM ADNOTATIONIBUS JACOBI PAMELII.

APOLOGETICI ADVERSUS GENTES PRO CHRISTIANIS GRÆCI, FRAGMENTA, ex Eusebio Cæsariensi, cum translatione triplici.

PRÆFATIUNCULA IN FRAGMENTA GRÆCA APOLOGETICI

Tertulliani Apologeticum adversus gentes, uti paraphrasticôs vertit Rufinus, sive pro Christianis, uti ad verbum ex græco transtulerunt Christophorsonus apud Eusebium, et Langius in Nicephoro, latine conscriptum fuisse, sed in græcum sermonem translatum disertis verbis Eusebius et Nicephorus affirmant: an vero ab auctore ipso, an alio quovis factum sit, non satis (*c*) quanquam priori sententiæ magis faveat, C quod etiam alios quosdam libros latine et græce conscripserit. Quo fit ut operæ pretium duxerim, separatim fragmenta græca publicare; eaque ad majorem intellectum cum versione triplici; Eusebii quidem interpretum duorum, Rufini et Christophorsoni; Nicephori vero, qui ad verbum ex illo hæc descripsit, Langii. Pam.

COMMENTARIUS.

(c) *Forte* liquet. Edd.

I.

Ex Apologetici cap. 11, juxta Eusebium (*Hist. Eccles. lib.* III) et Nicephorum (*l.* III, *c.* 17).

Καίτοι εὑρήκαμεν καὶ τὴν εἰς ἡμᾶς ἐπιζήτησιν κεκωλυμέ- D νην. Πλίνιος γὰρ ὁ Σεκοῦνδος ἡγούμενος τῆς ἐπαρχίας, κατακρίνας χριστιανούς τινας, καὶ τῆς Ἀζίας ἐκβαλὼν, ταραχθεὶς τῷ πλήθει, ἠπόρει τί αὐτῷ εἴη πρακτέον. Τραϊανῷ οὖν τῷ βασιλεῖ ἀνεκοινώσατο, λέγων, ἕξω τοῦ μὴ βούλεσθαι αὐτοὺς εἰδωλολατρεῖν, οὐδὲν ἀνόσιον ἐν αὐτοῖς εὑρηκέναι. Ἐμήνυσε δὲ τοῦτο, ἀνίστασθαι ἔωθεν τοὺς Χριστιανοὺς, καὶ τὸν Χριστὸν Θεοῦ δίκην ὑμνεῖν· καὶ πρὸς τὸ τὴν ἐπιστήμην αὐτῶν διαφυλάσσειν, κωλύεσθαι φονεύειν, μοιχεύειν, πλεονεκτεῖν, ἐξαπατᾶν, καὶ τὰ ὅμοια. Πρὸς ταῦτα ἀπέγραψε Τραϊανὸς, τὸ τῶν χριστιανῶν ζῆλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἐμπεσὸν δὲ κολάζεσθαι

RUFINI.

Persecutionum vero extrinsecus pondus urgebat Ecclesiam, et tam immensæ catervæ martyrum quotidie jugulabantur, ut Plinius secundus, qui tunc provinciam administrabat, multitudine interemptorum permotus, referret ad imperatorem, quod innumera hominum millia

CHRISTOPHORSONI.

Atqui invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim secundus, cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tandem multitudine perturbatus, et quid de cætero ageret nescius, consuluit tunc Trajanum im-

LANGII.

Atqui, invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim secundus, cum provinciam regeret, quibusdam Christianis damnatis, quibusdam gradu pulsis ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Trajannum imperatorem, al-

RUFINI.

quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium humanis legibus gestum, nisi hoc solum, quod antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo : adulteria vero, vel cætera hujusmodi crimina apud eos ut illicita haberi, et penitus arceri; cætera vero secundum leges eos agere communes. Ad quæ tunc Trajanus rescripti sui auctoritate decernit ut Christiani quidem non requirantur; si qui tamen inciderint, puniantur, Per quod ex parte aliqua persecutionis sedatum putabatur incendium.

CHRISTOPHORSONI.

peratorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil se scelerati de eis reperisse. Insinuans quoque et illud : Surgere atque convenire summo mane christianos, et Christum tanquam Deum carminibus laudare ; et ad conservandam eorum disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cætera scelera prohibere. Ad quæ Trajanus rescripsit : Christianos inquirendos non esse, oblatos autem puniendos.

LANGII.

legans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo ut Deo, et ad conservandam disciplinam homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cætera prohibentes. Tunc Trajanus rescripsit: hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere.

II.

Ex Apologetici cap. V, juxta Eusebium (*Hist. Eccles. lib.* II) et Nicephorum (*lib.* II, *cap.* 8).

Ἵνα δὲ καὶ ἀπὸ τῆς γενέσεως διαλεχθῶμεν τῶν τοιούτων νόμων· παλαιὸν ἦν δόγμα, μηδένα θεὸν ὑπὸ βασιλέως καθιεροῦσθαι, πρὶν ὑπὸ τῆς συγκλήτου δοκιμασθῆναι. Μάρκος Αἰμίλιος οὕτως περί τινος εἰδώλου πεποίηκεν Ἀλβούρνου· καὶ τοῦτο ὑπὲρ τοῦ λόγου ἡμῶν πεποίηται, ὅτι παρ' ὑμῖν ἀνθρωπείᾳ δοκιμῇ ἡ θειότης δίδοται· ἐὰν μὴ ἀνθρώπῳ, θεὸς (οὐ γίνεται) οὐκ ἔσται· οὕτως κατάγει τοῦτο ἄνθρωπον θεῷ ἵλεων εἶναι προσῆκεν. Τιβέριος οὖν (ἐφ' οὗ τὸ τῶν χριστιανῶν ἔνομα εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθεν), ἀγγελθέντος αὐτῷ ἐκ Παλαιστίνης τοῦ δόγματος τούτου, ἵνθα πρῶτον ἔξατο, τῇ συγκλήτῳ ἀνεσείνωσατο· δῆλος ὢν ἐκείνοις ὡς τῷ δόγματι ἀρέσκοιτο· ἡ δὲ σύγκλητος, ἐπεὶ ἐκ αὐτῆ δεδοκιμάκει, ἀπώσατο, ὁ δὲ Καῖσαρ ἐν τῇ αὐτοῦ ἀπορήσει ἔμεινεν, ἀπειλήσας θάνατον τοῖς τῶν χριστιανῶν κατηγόροις.

RUFINI.

Ut de origine aliquid retractemus ejusmodi legum, vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus; sicut Marcus Æmilius de deo suo Alburno. Facit et hoc ad caussam nostram, quod apud vos humano arbitratu divinitas pensitatur. Et nisi homini Deus placuerit, deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen christianum in sæculum intravit, adnuntiata sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem istius divinitatis revelaverant, detulit ad senatum, cum prærogativa suffragii sui. Senatus quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.

CHRISTOPHORSONI.

Ut de origine retractemus ejusmodi legum, vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probaretur; ut M. Æmilius de deo suo Alburno. Facit et hoc ad caussam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini deus placuerit, deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debebit. Tiberius, ergo, cujus tempore nomen christianum in sæculum introivit, adnuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem ipsius divinitatis revelaverat, detulit ad senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.

LANGII.

Ut de origine aliquid retractemus ejusmodi legum, vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu comprobaretur. Tiberius ergo, cujus tempore nomen christianum in sæculum introivit, adnuntiatam sibi ex Palæstina veritatem dogmatis istius (ibi enim prima initia sumpserat), ad senatum retulit, cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia ipse non probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus mortem Christianorum accusatoribus.

III.

Ex eodem Apologetici V cap. juxta Eusebium (*Hist. Eccles. lib.* II. *cap.* 24) et Nicephor. (*lib.* II, *cap.* 37).

Ἐντύχετε τοῖς ὑπομνήμασιν ὑμῶν· ἐκεῖ εὑρήσετε πρῶτον Νέρωνα τοῦτο τὸ δόγμα, ἐνίκα μάλιστα ἐν Ῥώμῃ, τὸν ἀνατολὴν πᾶσαν ὑποτάξας, ὡμὸς ἦν εἰς πάντας, διάφανται. Τοιούτῳ τῆς κολάσεως ἡμῶν ἀρχηγῷ καυχώμεθα. Ὁ γὰρ εἰδὼς ἐκεῖνον, νοῆσαι δύναται, ὡς οὐκ ἂν, εἰμὴ μέγα τι ἀγαθὸν ᾖ, ὑπὸ Νέρωνος κατεψηφίσθη.

RUFINI.

Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum quoque Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, cæsareo gladio ferocisse. Tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.

CHRISTOPHORSONI.

Consulite vestros commentarios, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, cæsareano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi aliquod bonum grande a Nerone damnatum.

LANGII.

Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, cæsareano gladio ferociisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim illud scit, intelligere potest non nisi aliquod bonum a Nerone damnatum.

IV.

Ex eodem V Apolog., juxta Euseb. (*Hist. Eccl. lib.* III, *c.* 20) et Niceph. (*l.* III, *c.* 10).

Πεπείραμαί ποτε καὶ Δομετιανὸς ταὐτὰ ποιῶν ἐκείνῳ, μέρος δὲ τῆς τοῦ Νέρωνος ὠμότητος. Ἀλλ' εἶμαι, ὅτε ἔχων τι συνέσεως τάχιστα ἐπαίσατο, ἀναπαλαίσαντος οὐδὲ ἐξηλάκει.

RUFINI.

Tentavit aliquando et Domitianus simile aliquid, portio Neronis, de crudelitate. Sed quasi homo cito destitit, ita ut etiam eos quos in exilium miserat, revocaret.

CHRISTOPHORSONI.

Tentaverat et Domitianus, portio Neronis, de crudelitate. Sed qua et homo, facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat.

LANGII.

Tentaverat et Domitianus, portio Neronis, de crudelitate, eadem quæ ille facere. Sed, ut opinor, aliquid habens rationis et prudentiæ, mature destitit, revocatis etiam iis quos in exsilium egerat.

LIBRI DE SPECTACULIS GRÆCI CITATIO,

EX LIB. DE CORONA MILITIS (*cap.* 6).

Sic itaque et circa voluptates *Spectaculorum* infamata conditio est ab eis qui natura quidem, Dei omnia sentiunt, ex quibus spectacula instruuntur,

A scientia autem deficiunt. Sed et huic materiæ, propter suaviludios nostros, græco quoque stylo satisfecimus.

Amplissime eamdem materiam tractatam habes ab ipso auctore libro latine conscripto de Spectaculis. *Et vero loqui hic auctorem de dict. lib.* de Spectaculis *non* *de lib.* de Corona militis, *etiam ante me Rhenanus ad notavit.*

LIB. DE VIRGINIBUS VELANDIS GRÆCI, NOTULÆ,

EX EJUSDEM TITULI LIBRO (*cap.* 1).

Proprium jam negotium passus meæ opinionis, latine quoque ostendam Virgines nostras velari oportere, ex quo transitum ætatis suæ fecerint; hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest.

Ex eo quod dicit auctor latine quoque, *recte meo judicio colligit Rhenanus, antea græce scriptum fuisse* *librum ejusdem tituli*, de Virginibus velandis.

DE BAPTISMO LIBRI MENTIO,

EX EJUSDEM TITULI LIBRO (*cap.* 15).

Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, B digne quis retractet : ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere quod mihi præceptum est, quia non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est idem. Idcoque nec baptismus unus, quia non idem. Quem cum rite non habeant, sine dubio non habent; nec capit numerari quod non habetur; ita nec possunt accipere, quia non habent. Sed de quo plenius jam nobis *in græco* digestum est.

His verbis etiam materia præcipua commemoratur græci de Baptismo. Quandoquidem vero nos hic tractaturos pollicitli sumus, quæ sit Tertulliani sententia de *hæreticorum baptismo*, certe negare non possumus idipsum sensisse quod B. Cyprianus; et fortassis propterea suppressum possit quis dicere hunc libellum, cum per Nicenum concilium retractata est ea Africanorum quorumdam episcoporum sententia. Nec vero mirandum si illud paradoxon amplexus sit Tertullianus cum eodem fere tempore celebratum fuisse videatur concilium illud sub Agrippino episcopo Carthaginiensi, cujus meminit B. Cypr. Epist. 71, ad Quintum; quod ipsum quoque et coætaneos episcopos Africanos in eam pertraxit opinionem. Hæc enim satis indicare videtur ille Epist. 70, ad Januar., cum dicit sententiam illam jam pridem ab antecessoribus statutam, et apertius Epist. 73, ad Jubaianum, multos dicens annos intercessisse ex quo sub Agrippino episcopi plurimi hoc statuerunt. Atqui inter tempus quo Tertullianus ante omnem hæresim librum *de Baptismo* conscripsit, et Africanum primum de *Hæreticorum Baptismo* concilium episcoporum 72 quod celebratum fuit anno Domini 255, annos intercessisse circiter 50, laius in vita auctoris comprobatur.

Appendix quarta.

OPERUM Q. S. F. TERTULLIANI

QUÆ DESIDERANTUR, FRAGMENTA, MENTIO ET NOTULÆ.

I. AD AMICUM PHILOSOPHUM DE NUPTIARUM ANGUSTIIS LIBRI,

NOTULÆ EX B. HIERON.

Et in principio libelli præfatus sum me *de Angustiis Nuptiarum* aut nihil omnino aut parum dicturum, et nunc eadem admonco; ut si tibi placet scire quot molestiis virgo libera, quot uxor adstricta sit, legas Tertullianum *ad Amicum philosophum* scribentem, et *de Virginitate* alios libellos, et B. Cypriani volumen egregium; et Papæ Damasi super hac re versu ac prosa composita, et Ambrosii nostri quæ nuper scripsit ad sororem opuscula (*Epist.* 28. *ad Eustoch.*). C Non est hujus loci *Nuptiarum angustias* describere, et quasi in communibus locis rhetorico exsultare sermone; plenius super hac re contra Helvidium, et in eo libro quem ad Eustochium scripsi, arbitror absolutum. Certe Tertullianus, cum adhuc esset adolescens, lusit in hac materia, et præceptor meus Gregorius Nazianzenus, *Virginitatem et Nuptias* disserens græcis versibus explicavit (*Adv. Jovin.*, *l.* I).

Hactenus B. Hieronymus, cujus integras periodos adduximus in medium, tum ne quid mutilum esset, tum ut intelligat lector qui veterum de Virginitate, hodie tantopere controversa, scripserint; quocirca magnopere optarim exstare hunc auctoris libellum, sive prosa conscriptum, sive potius, quod per verbum *lusit* indicari videtur, carmine. Quo fit magis, ut mihi non probetur cujusdam viri eruditi censura, qui existimabat hunc eumdem esse librum, cum illo qui inscribitur EXHORTATIO AD CASTITATEM. Præterquam enim quod *illum adolescens scripsisse* dicitur, et hunc sub finem vitæ scriptum constet; etiam ex proposito minime tractat *de molestiis nuptiarum*. Neque vero etiam illorum placet sententia qui duos diversos libros A Tertulliani dictis locis videri volunt, cum utrumque disertis verbis B. Hieron. inscriptum significet *de molestiis nuptiarum*. Atqui an B. Hieronymus adscribat Tertulliano etiam *alios*, quorum meminit de *Virginitate libellos*, poterat fortassis dubitari, juxta priores illius editiones, si legeretur : *legas Tertulliani ad amicum philosophum et de Virginitate alios libellos*. Certe ejusdem pene sunt argumenti *ad Uxorem* libri duo, ac dicta *Exhortatio ad castitatem*, et non aliud tractat liber *de Velandis Virginibus;* alios insuper *de Virginitate*, continentia et castitate servanda locos complures apud Tertullianum, ex indice nostro inveniet lector.

II. DE FATO LIBRI

MENTIO ET FRAGMENTUM EX EJUSDEM LIB. DE ANIMA (*cap.* 20)

et Fulgentio Placiade, *de Vocibus Antiquis.*

Potestates enimvero præsunt. Secundum nos quidem, Dominus Deus, et diabolus æmulus; secundum communem autem opinionem, et Providentia, B et *Fatum*, et necessitas, et fortuna, et arbitrii libertas. Nam hæc et philosophi distinguunt, et nos secundum fidem disserenda, suo jam novimus titulo.

Hactenus auctor, cujus cum nullum exstet opus, ubi de quatuor illis tractet, mihi prorsus videtur alludere ad librum suo titulo *de Fato*, utpote quem ab eo conscriptum pateat ex citatione Fulgentii Placiadis, jam olim excusi cum Hygini Mythologiis per verba sequentia : « Nam et Tertullianus in libro quem de Fato scripsit, ita ait : *Redde huic fati primum problematis mancipatum*, in dict. problema, lib. *de Vocibus Antiquis.* » *De Fato* præterea sub nomine Minutii Felicis olim, extitisse *libellum* tradit B. Hieron., *Catal. scripsit Eccles.*, sive *contra Mathematicos;* qui tamen, cum et ipse diserti sit hominis, non videtur cum stylo Octavii Dialogi ejus convenire. Fortassis is ipse liber est quem Tertulliano hic adscribimus, utpote quem non modo disertum, sed eloquentissimum alicubi nuncupat.

III. DE MUNDIS ET IMMUNDIS ANIMALIBUS QUÆSTIONUM

CITATIO EX B. HIERONYMI EPIST. 125, AD DAMASUM.

Quærit Damasus inter cæteras quæstiones, *quæst.* III : « Si omnia Deus fecit bona valde (*Gen.*, I), quare *Noe de mundis et immundis animalibus* præcepit (*Gen.*, VIII), cum immundum nihil bonum esse possit. Et in Novo Testamento post visionem quæ Petro fuerat ostensa, dicenti : *Absit, Domine, a me, quoniam commune et immundum numquam introivit in os meum;* vox de cœlo respondit : *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Act.*, X). » Respondere B. Hieron. se scribit, duabus tantum quæstiunculis prætermissis (nempe hac et ea de qua in sequenti fragmento) : « Non, inquit, quo non potuerim et ad C illas aliquid respondere, sed quod ab eloquentissimis viris, Tertulliano nostro et Novatiano latino sermone sunt editæ; et si nova voluerimus adferre, sit latius disputandum, etc. Nam et Origenes de mundis et immundis animalibus in Levitico plura disseruit. »

An istud referatur ad peculiarem aliquem librum ejus tituli, quod magis tamen probatur, an vero ad tractatum ea de re per aliquot lineas Tertulliani, l. II, *adv. Marc.*, c. 18, lectori liberum relinquimus judicium. Hic dumtaxat adferemus ipsam responsionis summam in hæc verba : *Et si lex aliquid cibis detrahit, et immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando bene-dicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige, et frenos impositos*; etc. Quod ipsum cum afferatur, sed longe aliis verbis libro *de Cibis judaicis*, vel inde constat, sicuti et ex reliquo totius libri stylo, non esse Tertulliani, sed potius *Novatiani*, utpote ad quem jam dictis verbis adludere videtur B. Hieronymus. Ubi de hac materia latius.

IV. DE CIRCUMCISIONE QUÆSTIONUM

CITATIO, EODEM B. HIERON. LOCO.

Ad quæstionem Damasi penultimam : « Cur Abraham fidei suæ signum in circumcisione suscepit (*Gen.*, XVII), respondet B. Hieron. verbis jam citatis altera præcedenti se illam prætermittere, D quod a Tertulliano nostro et Novatiano latino sermone sint editæ. Addens etiam Origenem in IV ad Rom. ἐξηγήσεων Τόμῳ *de Circumcisione* magnifice disputasse.

An peculiariter scripserit Tertullianus librum *de Circumcisione*, non tam constat atque de Novatiano, cui nominatim liber *de Circumcisione* inscribitur a B. Hieron. *Catal. Script. Eccles.* Atqui etiam latissimum tractatum videre est apud auctorem, tom. I, l. *adv. Jud.*, c. 5. Exstat quidem tom. IV, nunc IX. Operum B. Hieron. liber *de vera Circumcisione*, quem Erasmus conjicit esse Tertulliani; sed, præterquam quod stylus non correspondeat, contrarium convincitur tum ex Scripturis ibidem citatis juxta versionem B. Hieron., tum quod Manichæorum mentionem faciat; quo fit ut neque Novatiano adscribi possit, sed potius (quod vir quidam eruditissimus censuit) Paulino adscribendus sit.

V. DE VESTIBUS AARON LIBRI

MENTIO EX B. HIER. EPIST. 128, AD FABIOLAM, DE VESTE SACERDOTALI.

Fertur in indice Septimii Tertulliani liber *de vestibus Aaron*, qui interim usque ad hanc diem a me non est

repertus. Si a vobis propter celebritatem Urbis fuerit inventus, quæso ne meam stillam illius fluminis com-

A paretis. Non enim magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus æstimandus.

Vestes Aaronis octo ex cap. XXVIII Exod. recitantur, et explicantur latissime a B. Hieron. dicta Epist. *de Veste sacerdotali*; quarum quatuor, femineliæ nempe, linea tunica, baltheus et cidaris etiam sacerdotibus erant communes; reliquæ vero propriæ Pontificum, utpote, tunica talaris hiacinthina cum tintinnabulis, superhumerale sive ephod, rationale, et lamina aurea. Quo adeo lectorem remittimus.

VI. DE TRINITATE LIBRI

NOTULA.

Scripsit, *inquit B. Hieron. Catal. Script. Eccles.*, Novatianus *de Trinitate* grande volumen, quasi ἐπιτομὴν operis *Tertulliani*, quod plerique nescientes Cypriani existimant.

An Tertullianus præter librum *adversus Praxean*, alium *de Trinitate* scripserit, merito dubitationem injiciunt hæc B. Hieronymi verba: cum enim ἐπιτομὴ grandioris sit operis compendium, et Novatiani de Trinitate liber, utpote grande volumen, vel ipso teste, prolixius multo sit lib. *adv. Praxean*; oportebit, si mendosi non sint B. Hier. codices, alium de Trinitate librum a Tertulliano conscriptum confiteri. Sin vero legamus (quod lectum forte ab illo fuit) ἔκτασιν, censebitur Novatiani liber, dilatio argumenti a Tertulliano tractati lib. *adv. Praxean*. Idipsum censendum erit, si legamus μίμησιν, id est imitationem, cum Tertullianum aliquoties imitetur. Nos itaque, quia non libenter absque MS. codicibus lectionem veterum

B immutamus, maluimus etiam librum *de Trinitate* inter ea quæ desiderantur Tertulliani opera collocare: maxime, cum, etsi idem argumentum latius tractet Novatianus *de Patre Deo et Deo Filio*; tamen vicissim latius tractetur a Tertulliano *adv. Praxean et Monarchianos*, de Filio alio a Patre, quem illi eumdem faciebant; sicuti postea et Sabellius, contra quem paucioribus agit Novatianus. Deinde latius ibi tractatur et verius de Spiritu sancto, utpote de quo Novatianus unicum caput habeat. Usque adeo ut, si proprie loquamur, neque ἐπιτομὴ, quia grandius est opus, nec ἔκτασις, quia in quibusdam succinctius; nec μίμησις, quia non per omnia imitatur, dici possit operis Tertulliani liber Novatiani.

VII. DE CENSU ANIMÆ

LIBRI ADVERSUS HERMOGENEM ARGUMENTUM ET FRAGMENTA,

ex libro de Anima, cap. 1, 3, 22 et 24.

De solo *Censu animæ*, *inquit Tertullianus*, congressus Hermogeni, quatenus et istum ex materiæ potius suggestu, quam ex Dei flatu constitisse præsumpsit; nunc ad reliquas conversus quæstiones, plurimum videbor cum philosophis dimicaturus.

Una jam congressione decisa *adversus Hermogenem*, ut præfati sumus, quia animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus; muniti et illic divinæ determinationis inobscurabili regula: *Et flavit*, inquit, *Deus flatum vitæ in faciem hominis, et factus est homo in animam vivam* (*Gen.*, II; I *Cor.*, XV), utique ei Dei flatu. De isto nihil amplius revolvendum; habet suum titulum et suum hæreticum.

Cæterum *adversus Hermogenem*, qui eam (nempe animam) ex materia, non ex Dei flatu, contendit, flatum proprie tuemur. Ille enim, adversus ipsius Scripturæ fidem flatum in Spiritum vertit; ut dum incredibile est Spiritum Dei in delictum, et mox in judicium devenire, ex materia potius anima credatur,

C quam ex Dei Spiritu. Idcirco nos et illic flatum eam defendimus, non spiritum, secundum Scripturam et secundum spiritus distinctionem; et hic spiritum ingratis pronuntiamus, secundum spirandi et flandi conditionem; illic de substantia quæstio est, spirare enim substantiæ actus est.

Cætera animæ naturalia jam a nobis audiit Hermogenes, cum ipsorum defensione et probatione, per quæ Dei potius quam materiæ propinqua cognoscitur.

Nos autem, qui nihil adpendimus, hoc ipso animam longe infra Deum rependimus, quod natam eam agnoscimus; ac per hoc dilutioris divinitatis, exilioris felicitatis; ut flatum, non ut spiritum; etsi immortalem, ut hoc sit divinitatis; tamen passibilem, ut hoc sit nativitatis; ideoque et a primordio exorbitationis capacem, et inde etiam oblivionis adfinem. Satis de isto cum Hermogene.

His quinque locis auctor in primis titulum et argu- D mentum indicat: *de Censu animæ adversus Hermogenem*, ubi *censum* accipi pro origine, præterquam quod priori loco, etiam vel inde patet, quod refutetur hæresis Hermogenis, qua non ex Dei flatu, sed ex materia animæ originem constitisse contendebat. Haud aliter atque mundum factum dicebat non ex nihilo, sed ex materia Deo coæterna, adversus quam hæresim supra disputat auctor, l. *adv. Hermog.* Jam vero etiam duas scripturas affert, quibus animam Dei flatum probasse se significat, Gen. II et I Cor., XV, in quibus cum ille, uti suæ hæresi videretur favere, vertisset *spiritum vitæ*, pro eo quod alii *flatum*; contra Scripturæ fidem, utpote cum græce legatur πνοήν, quod plerique malunt (vel B. Aug. teste, lib. XIII, *de Civit. Dei*, c. 24) interpretari *flatum*, *inspirationem*, aut *adspirationem*, aut *animam*, quam *spiritum*; significat tertio loco hic citato auctor se hoc egisse dicto libro, ut *flatum* potius tueretur quam *spiritum*. Quamquam interim alio sensu etiam spiritum agnoscens animam, a spirando, lib. *de Anima*, non per omnia consentiat cum Catholicorum sententia Tertullianus, qui spiritum proprie animam dicunt, non tamen Spiritum sanctum; atque adeo etiam dicto loco Geneseos et alibi, πνοὴν *spiritum* interpretantur. Verum de hoc illius paradoxo lectorem remisimus ad nostra Prolegomena... Deinde sese ad institutum propius cætera naturalia animæ pertractasse insinuat *adv. Hermog.*, ut Dei potius quam materiæ propinqua anima probaretur. Denique fortassis propterea quis animam cum Deo compararet, eam longe infra Deum defendisse se scribit dicto libro, quod nata sit,

quod passibilis, quod exorbitationis capax, et inde etiam oblivionis adfinis sit. Usque adeo ut totius pene libri argumentum, et quasi fragmenta quædam ipsis iisdem verbis repetita hic videre sit apud auctorem.

VIII. ADVERSUS APELLETIANOS LIBRI

CITATIO, EX LIBRO DE CARNE CHRISTI (*cap.* 8).

Sed quoniam et isti *Apelletiani* carnis ignominiam prætendunt maxime, quam volunt, ab igneo illo præside mali, sollicitatis animabus adstructam, et idcirco indignam Christo, et idcirco de sideribus illi substantiam competisse, debeo illos de sua paratura repercutere. Angelum quemdam inclytum nominant, qui mundum hunc instituerit, et instituto eo pœnitentiam admiserit. Et hoc suo loco tractavimus. Nam est nobis *adversus illos libellus*, an qui spiritum et voluntatem et virtutem Christi habuerit ad ea opera, dignum aliquid pœnitentia fecerit, cum angelum etiam de figura erraticæ ovis interpretentur. Teste igitur pœnitentia institutoris sui, delictum erit mundus, siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti, quia locum non habet nisi in delicto. Si mundus delictum est, quia corpus, et membra delictum, erit proinde et cœlum, et cœlestia cum cœlo. Si cœlestia, et quidquid inde conceptum prolatumque est, mala arbor malos fructus edat necesse est. Caro igitur Christi de cœlestibus structa, de peccati constitit elementis, peccatrix de peccatorio censu, et par erit ipsius substantiæ, id est, nostræ, quam ut peccatricem Christus dedignatur induere. Ita, si nihil de ignominia interest, aut aliam purioris notæ materiam excogitent Christo, quibus displicet nostra, aut eam cognoscant, qua etiam cœlestis melior esse non potuit.

An liber iste, *adversus Apellem*, an *adversus Apelletianos* inscribi debeat, aliquamdiu me dubitare fecit, quod inter cæteros hæreticos, adversus quos scripsit Tertullianus, enumeret Vincent. Lirinens. Apellem, ex quo etiam hæsitavimus num plures essent libelli ab auctore adversus ipsum et discipulos ejus conscripti. Verum, cum toties facta Apellis mentione atque nullius alterius, nullam tamen libri cujuspiam adversus eumdem mentionem præterquam hoc loco faciat, fit mihi credibile, et unicum esse ab eo conscriptum, et *adversus Apelletianos* inscriptum. Maxime cum etiam *Apelletianos* B. Cyprian. nuncupet Apellis discipulos, Epist. 73, *ad Jubaianum*. Atqui obscuriora quidem sunt verba Tertulliani jam citata, sed hoc sibi vult : Argumentum libri adversus Apelletianos potissimum fuisse : an angelus, ille igneus mali præses, qui et mundum hunc (juxta illos) instituerat, et sollicitatis animabus carnem adstruxerat, ad quod tamen spiritum et voluntatem et virtutem Christi habuerit; dignum aliquid pœnitentia fecerit. Utpote qui dicerent, sicuti legitur, lib. *de Præscript. adv. hæret.*, cap. 51, Hæres. 19 : Illum mundo inferiori permisculsse pœnitentiam, quia non illum tam perfecte fecisset, quam superior mundus institutus fuisset. Quod ipsum interim pulchre contra illos retorquet, illic ubi loquitur : de sua paratura repercutiens. Verum quod vocat hunc angelum mali præsidem, sic explicat Epiph., Hær. 44, ex sententia Apellis : « Evasit autem non bonus, et quæ ab ipso facto sunt, non bene facta sunt, sed secundum malam ipsius mentem ab ipso creata sunt. » De sollicitatis autem animabus ab igneo illo deo angelo juxta Apellem, vide supra, tom. III, lib. *de Anima*, c. 23 et 36, ubi addit ex consequenti auctor constituisse eum ante corpora animas viriles ac muliebres. De mundo ab illo instituto, lib. *de Præscript. adv. Hær.*, cap. 34 et 51, Hær. 19. De carne hominis proinde ab eodem exstructa, c. 8, lib. *de Carne Christi*, ex quo hæc verba desumpta sunt, et lib. *de Resurr. Carn*, c. 5. De Christi denique carne, non ab illo angelo creata, sed ex cœlestibus sideribus structa, contra Apellem late disputat auctor dicti lib. *de Carne Christi*, c. 6. Consentit in his omnibus Epiphanius, præterquam quod inferiorem deum nuncupet, quem auctor angelum igneum; quem interim agnoscunt B. Aug., *Hær.* 23, B. Isidor., lib. *adv. Marc.*, Rabanus noster, B. Honorius et Gratianus in Catalogis hæret. Hoc peculiare auctori, quod de pœnitentia angeli Creatoris jam dictum est; sicuti et illud, quod figuram erraticæ ovis (*Luc*, XV) de illo interpretati sint; quasi gaudium fuerit in cœlo apud angelos Dei de illo uno peccatore ad pœnitentiam converso. Quam contra maluit auctor interpretari de homine lapso et per Christum requisito, sicuti etiam alii veteres omnes. Hactenus de iis quæ ad intellectum hujus fragmenti faciunt.

Quia vero promisimus integram nos historiam hic edituros de Apelle et ejus hæresibus, faciemus id quam paucissimis licebit. *Apelles* itaque discipulus Marcionis, uti verbis auctor utar dicti lib. *de Præsc. adv. Hær.*, c. 6, 30 ac 51, lapsus in fœminam, desertor continentiæ marcionensis (quam ille simulabat) ab oculis magistri Alexandriam secessit. Inde in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenen, postea vero immane prostibulam; cujus signis et prodigiis inductus, librum edidit, quem *Phaneroseis Philumenes* inscripsit, quam quasi prophetissam sequebatur. Neque vero desertor dumtaxat, sed et emendator Marcionis, ac discipulus supra magistrum appellatur ab auctore, lib. IV, *adv. Marc.*, c. 17 : neque vero in hoc solum quod, uti illic diximus, unum Deum superiorem faceret, alterum Dominum dicat, sed angelum faciat, verum et in reliquis paulo prius recensitis hæresibus, quas seductus a Philumene novas induxit. In hoc nihil differens a Marcione, quod et Deum Moysi et legem ac prophetas repudiarit, sicuti lib. *de Præscript.* habetur, c. 51. De animarum solarum salute ac negata resurrectione carnis quam adeo impugnat auctor lib. *de Resurr. carn.*, item quod solo Apostolo uteretur, sed Marcionis, id est non toto. De quibus plerisque videre etiam est Epiph., Theod. et Damasc. Sed hoc auctori peculiare : Habet præterea libros suos quos inscripsit *Syllogismorum*, in quibus probare vult, quod omnia quæcumque Moyses de Deo scripserit, vera non sint, sed falsa sint. Quo fit ut de iis aliud nihil adnotandum occurrat. Hoc unum adjiciam, non mirum esse si auctor *adversus Apelletianos* scripserit quod sæpedicto lib. *de Præsc. adv. hær.*, cap. 30, afferat adhuc superfuisse proprios discentes et successores Apellis.

X. LIBRI DE PARADISO ARGUMENTUM,

EX LIB. DE ANIMA (*cap.* 55).

Sed in æthere habitatio nostra, etc. Imo, inquis, in paradiso, quo jam tunc et patriarchæ et prophetæ, appendices Dominicæ resurrectionis, ab inferis migraverint. Et quomodo Joanni in spiritu, paradisi re-

gio revelata, quæ subjicitur altari, nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit? quomodo Perpetua, fortissima martyr, sub die passionis, in revelatione paradisi solos illic commartyras suos vidit? nisi quia nullis romphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint? Nos in Adam nova mors pro Deo, extraordinaria pro Christo, alio et privato excipitur hospitio? Agnosce itaque differen- A tiam ethnici et fidelis in morte. Si pro Deo occumbas, etc., non in mollibus febribus et in lectulis, sed in martyriis; si crucem tuam tollas, et sequaris Dominum, ut ipse præcepit; tota paradisi clavis tuus sanguis est. Habes etiam *De Paradiso* a nobis *libellum*, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.

Hactenus auctor, sed saniori modo intelligendus, uti adnotavimus latius in Prolegomenis inter Paradoxa, ubi ad omnia ipsius argumenta respondebimus. Hoc hic annotandum, auctorem librum hunc conscripsisse non modo de paradiso terrestri, in quo Adam fuit conditus, et quo Enoch et Helias translati feruntur, sed etiam et magis ex proposito de paradiso spirituali, quo apostolus Paulus raptus legitur II Cor. XII. Quamquam in hoc ab aliis Patribus dissentiat, quod illi cœlestem nuncupent illum paradisum, et nominatim B. Ambr. in dicti loci Commentario, auctor vero illum non distinguit a sinu Abrahæ, quem sublimiorem tamen inferis confitetur : verum etiam de hoc in Prolegomenis inter Paradoxa. Terrestrem vero paradisum disertis verbis de Adam loquens, agnoscit lib. *adv. Jud.* cap. 2, lib. *de Patientia*, cap. 5, et lib. *de Resurr. carn.* cap. 26, et lib. II *adv. Marc.* cap. 2 et 10. Rursus lib. *adv. Valent.*, cap. 20, ubi Ptolomæum Valent. irridens, quod paradisum archangelum quartum somniaret, sic jocatur: « Quoniam et hunc supra tertium cœlum pangunt, ex cujus virtute sumpserit Adam, deversatus illic inter nubeculas et arbusculas. Satis memineral Ptolomæus puerilium dicibulorum, in mari poma nasci, et in arbore pisces, sic et in cœlestibus nuceta præsumpsit. Operatur demiurgus ignorans, et ideo fortassis non scit arbores in sola terra institui oportere! » Omnium autem apertissime hoc ipso Tom. Carm. lib. *de Judicio Domini*, cap. 8, et *Genes.* cap. II ac III. Eumdem C agnoverat jam antea etiam B. Iren. lib. III *adv. Hær.* cap. 55, et apertius lib. V, cap. 5, ubi ait dixisse presbyteros Apostolorum discipulos Enoch et Heliam translatos esse in paradisum, ubi primus homo positus fuit, de quo Scriptura (nempe Gen. II) : *Et plantavit Deus Paradisum in Eden contra Orientem, et posuit ibi hominem.* Consentit etiam B. Justin. Mart. B *Apol.* I, ubi Homerum scribit ad paradisi imitationem a Moyse descripti, confinxisse Alcinoi hortum; Theophilus item lib. II *ad Autolyc.* et Novatianus lib. *de Trinitate*, et Lactant. Carm. *de Phœnice*, ad dicta verba Scripturæ alludentes, paradisum in Oriente constitutum referunt. Denique Epiph. *in Anchorato* et *adv. Origenistas*, ac *Epist. ad Joan. Episc. Hieros.* a B. Hieron. in latinum translata, latissime ex Scriptura (Gen. II ac III) disputat contra Origenem, paradisum de terreno ad cœlestia transferentem, idipsum probans ex quatuor illis (quorum aquam se bibisse scribit) fluminibus, ex paradiso profluentibus; et sustinens, apud Apost. II Cor. XII, aliud esse cœlum tertium, aliud paradisum. Eamdem hæresin attribuit B. August. lib. *de Hær.* Seleucianis et Herminianis. Quorum omnium deliramenta jubet conticescere etiam B. Hieron. *Comment. in Danielem*, alicubi. Porro ubi sit paradisus, varias diversorum sententias hic recensere superfluum existimo, quod scribat B. August. lib. II contra Pelag. et Cœlest. cap. 23, hoc ad quæstiones quæ sunt præter fidem, pertinere.

DE SPE FIDELIUM LIBRI

ARGUMENTUM, EX LIB. III ADV. MARC. CAP. ULT.

et B. Hieron. in cap. XXXVI Ezech. et alibi, ac Gennadio.

De restitutione Judææ, inquit Tertullianus, quam et ipsi Judæi, ita ut describitur, sperant, locorum et regionum nominibus inducti, quomodo allegorica interpretatio in Christum et in Ecclesiam, et habitum et fructum ejus, competat, et longum est persequi, et in alio opere digestum, quod inscribimus DE SPE FIDELIUM; et in præsenti vel eo otiosum, quia non de terrena, sed de cœlesti promissione sit quæstio. Nam et confitemur in terra nobis regnum repromissum; sed ante cœlum, sed alio statu; utpote post resurrec- D tionem in mille annos (*Apoc.* XX *et* XXI), in civitate divini operis Jerusalem cœlo delata; quam et Apostolus matrem nostram sursum designat (*Gal.* IV); et πολίτευμα nostrum, id est municipatum, in cœlo esse pronuntians (*Philipp.* III), alicui, utique cœlesti, civitati eum deputat. Hanc et Ezechiel novit (*Ezech.* XLVIII), et Apostolus Joannes vidit (*Apoc.* XXI).

Neque enim, inquit B. Hieron., juxta judaicas fabulas, quas illi δευτέρωσεις appellant, gemmatam et auream de cœlo exspectamus Jerusalem, nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum et arietum victimas, nec sabbati otio dormiemus. Quod et multi nostrorum, et præcipue Tertulliani liber qui inscribitur DE SPE FIDELIUM, et Lactantii *Institutionum* volumen septimum pollicetur, et Victorini Pictabionensis episcopi crebræ expositiones, et nuper Severus noster in Dialogo cui *Gallo* nomen imposuit; et ut græcos nominem, et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinarius.

Nec ignoro, inquit idem *Præfat. lib.* XVIII *in Isaiam*, ad eumdem librum alludens, quanta inter homines sententiarum diversitas sit, etc., de repromissionibus futurorum, et qua ratione intelligenda sit Apocalypsis Joannis; quam si juxta literam accipimus, judaizandum est; si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire; latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii; græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantum, Lugdunensis episcopi, faciam mentionem, adversum quem vir eloquentissimus Dionysius, Alexandrinæ ecclesiæ pontifex, elegantem scribit librum; irridens mille annorum fabulam, et auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias et cunctarum gentium servitutem; rursusque bella, exercitus ac triumphos, et superatorum neces, mortemque centenarii pecca-

Præcipitant, certantque pericula vincere damnis
Sunt miseræ voces ad singula fragmina ponti,
Expenduntque manus nullorum (*a*) ad lumina divum,
Quos maris et cœli vis non timet, haud minus il-
[los (*b*)
Puppibus obtrusos irato turbine mergens.
Nescius hæc reus ipse cavo sub fornice puppis
Sternentem (*c*) inflata resonabat nare soporem,
Jam tunc in somno Domini formando (*d*) figuram.
Hunc simul undicesæ qui cogit munia proræ (*e*),
Pace soporatum placida, requiete superbum (*f*)
Institit impulsans : Quid, ait (*g*), discrimine in isto
Somnia re capit (*h*), tantoque in turbine portum
Solus habes? non unda (*i*) operit, spes unica divum
[est.
Tu quoque, quisquis tibi Deus est, dic vota precesque.
Exim quis (*j*) culpæ propriæ, quis caussa procellæ
Discere sorte placet, nec sors mentitur Jonam.
Tunc cogitant : quis, et unde hominum, quis denique
[rerum,
Quo populo, qua sede cluis (*k*)? famulum ille fatetur
Prætimidum fidumque Dei, qui sustulit altum (*l*),
Qui terram posuit, qui totam corpore fudit :
Ipsius sese profugum, caussasque revelat.
Diriguere metu. Quid nos (*m*) igitur tibi culpæ.
Quid fore nunc, quonam placabimus æquora facto?

Namque magis multoque magis freta sæva tumebant.
Ea ego tempestas, ego tota insania mundi,
In me, inquit, vobis æther ruit, et mare surgit :
In me terra procul, mors proxima, nulla Dei spes.
Quin date præcipitem caussam, navemque levantes(*n*).
Unum onus hoc magnum pelago jactate volentem.
Ast isti frustra nituntur vertere cursum
In reditum, nec clavus enim torquere sinebat,
Dura nec antemnæ mutari libra volebat.
Postremo ad Dominum : Ne nos in mortis hiatum,
Unam animam propter, dederis, ne sanguine justi (*o*)
Respersisse velis, si sic tua dextera ducit.
Jamque illic imo exoriens de gurgite cetus
Squamosum e conchis evolvere corporis agmen,
Urgebat proprios concusso marmore fluctus
Sponte sua (*p*) prædam rapiens, quam puppis ab arce
Provolutatam limosis faucibus hausit,
Viventemque dapem longam percepit in alvum,
Cumque viro cœli rabiem pelagique voravit.
Sternitur æquoris unda, resolvitur ætheris umbra.
Huic fluctus, illinc flatus redduntur amici,
Securamque viam placida signante carina,
Candida cæruleo florent vestigia sulco,
Nautæ tum Domino læti venerando timorem
Sacrificant grates * * * * * * *
Navigat et vates alio susceptus Jonas

COMMENTARIUS.

(a) *Nullorum.* In v. c. ad hanc vocem recentiore quadam manu superadditum erat, *multorum.* Sed bene vocat *nullos* divos, quia gentium dii revera nulli sunt, vel quia nullius opus et auxilii. Hinc illa vox apud veteres comicos : *Nullus sum.* Et Paulinus :

Nullus eram, et faciente
Deo sum natus ut essem.

(b) *Haud minus illos.* Ita emendo, pro quo v. c. *aut nunus illos puppibus abstruso Siratos.* Quibus verbis non dubito quin alludat ad morem veterum qui in navibus deos portabant, tanquam tutelares. Virgil.

Ingentes a pupe Deos.
Laurato fulgebat Apolline puppis.
(*Id. l.* X. *Æn.*)

Monte nec inferior proræ puppique recurvæ
Insilit, et pictos verberat unda Deos.
(*Ovidius, l.* I *Tristium.*)

Auctores appellant tutelas quasi proprio nomine, Silvius Italicus :

Tutelæque deum fluitant.

Seneca *epist.* 76, eo alludit dicens : *Navis bona dicitur*, etc., *nec cujus tutela ebore cælata est.* Ea imitatione dicunt etiamnum hodie Venetos sanctum Marcum attollere in puppi, suæ civitatis tutelarem divum.

(c) *Sternentem.* Placet Philip. Roberto J. C. *stertentem.* Et quidem Jonæ cap. 1 ubi Vulgata editio habet : *et dormiebat sopore gravi*, D. Hieronymus ex Septuaginta vertit : *et dormiebat et stertebat.* Divus quoque Ambrosius *in Psalm.* XLIII : *de Jona legimus qui dormiebat in ventre navis et stertebat.* Et ipse Hieronymus in *commentar. in Jonam* : *Quasi securus*, ait, *dormiret, et profundissimum somnum ronchonare sonaret.*

(d) *Domini formando.* Erat in v. c. *in se formando;* locum autem intelligit Matthæi cap. VIII, ubi de Christo dormiente in navi et a suis excitato.

(e) *Undicesæ qui cogit munia proræ.* Si quid veri auguror, ita non male emendavi depravatissimam scripturam v. c. habentis : *Undis ita qui cogit mœnia proræ* : nisi malis, *undisicæ*, facilis autem mutatio *undisis* ita, *undisica* pro *undicesæ.* Sed et potest retineri illud, *mœnia.* Nam Festus Pompeius admonet veteres dixisse *mœnia* pro *officiis.*

(f) *Requiete superbum.* Sosipater Charisius lib. I : *Quies*, ait, *facit quietem, requies* accusativo non facit, *requietem* sed *requiem* : licet Cicero dixerit *requietem* ad Hostilium. Idem Charisius alio loco id repetit : *Cicero*, ait, *aliter declinavit secutus numerum*, requietem *enim dixit;* superbum autem vocat pertinacem in somno, qui quasi dedignaretur moveri clamore nautarum periclitantium, nimium securus.

(g) *Quid ait.* Corrupte erat in v. c. *quid aiunt discriminis in isto.*

(h) *Somniare capis.* Locus hic varias recipit conjecturas : sunt verba Fr. Jureti; nos vero sequimur lectionem quam exhibet collectio Pisauricensis ac Londonensis, poetarum scilicet latinorum. Edd.

(i) *Nos unda.* Vocem *nos* addidi, quæ videtur desiderari.

(j) *Exim quis.* Depravatissime erat in v. c. *Indicit exin quis.*

(k) *Qua sede cluis.* Valde mihi placet hæc emendatio quam eruit P. Pithœus ex vestigiis v. c., in quo *qua sede civis.* Vox *clue*, non ignota apud veteres, quam restitui aliis auctoribus temere vulgo corruptam. Itaque non repetam.

(l) *Qui sustulit altum.* Redundabant verba in v. c., in quo ita scriptum reperi : *Qui cælum sustulit alto.* Videbatur quidem corruptum carmen glosa; *altum* autem pro *cælo* poni scimus, ut apud Virgilium :

Et Maia genitum cœlo demittit ab alto.

Lactantius (lib II, c. 1) : *Oculos suos deficiunt soloque figunt.*

(m) *Quid nos.* V. c. *quos* vel quod.

(n) *Navemque levantes unam.* Male in v. c. navem *levantes unus.*

(o) *Ne sanguine justi.* Sic lego, pro quo v. c. *justum*, idque confirmatur textu Biblico.

(p) *Sponte sua.* Ut explerctur hiatus v. c. addidi *sua* nisi malis *sponte novam.*

Navigio fluctumque secat sub fluctibus imis,
Sisara velificans, anima inspirata ferina,
Conclusus, neque tinctus aquis (*a*), maris intimus
[exter (*b*)
A Inter semesas classes resolutaque corpora putri
Digesta, sua jam vel va... (*c*) funera discens.
In signum sed enim Domini quandoque futurus,
Non erat exitio, sed cœli gloria factus.

COMMENTARIUS.

(a) *Neque tinctus aquis.* Videbatur posse legi *tactus*, quod minus est. Nam et Paulinus in carm. ad Cyterium de eodem Jona loquens :

Mensus æquore intactus undis fluctuat.

Sic Sedulius de eodem :

. . . . . ceto sorbente voratus
In pelago non sensit aquas.

Sed tamen illud, *tinctus* retinui quia scio familiare esse Tertulliano uti eo verbo, et tinctionem usurpare pro baptismis aquis.

(b) *Maris intimus exter inter semesas classes.* V. c. habebat *classes.* Sed superiora ut reponi debeant non satis liquet. Placet doctissimo Phil. Roberto ut legatur : *Maris inter et exter. Semesa*, etc., nisi, mutato ordine, malis : *Maris exter, et inter Semesas*, ut versus sibi cohæreant. Sic autem Paulinus exterum maris, Jonam intra mare eleganter dixit :

Nam liber undis intra mare exter maris.

(c) *Vel va.* Robertus legit *vel vatis.* Quid si potius : *vel vivus ?*

Et quidem quæ ad emendationem corruptissimi exemplaris proferre potui.

DE LIGNO VITÆ.

Est locus ex omni medius, quem cernimus, orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt :
Hic ego de sterili succisum robore lignum
Plantatum, memini fructus genuisse salubres.
Non tamen hos illis, qui se posuere, colonis
Præbuit : externi fructus habuere beatos.
Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos :
Sicut plena graves antennæ carbasa tendunt,
Vel cum disjunctis juga stant ad aratra juvencis,
Quem tulit hoc primo maturo semine lapsum
Concepit tellus : mox hinc (mirabile dictu)
Tertia lux iterum, terris superisque tremendum
Extulerat ramum, vitali fruge beatum.
Sed bis vicenis firmatus et ille diebus
Crevit in immensum, cœlumque cacumine summo
Contigit, et tandem sanctum caput abdidit alto.
Dum tamen ingenti bissenos pondere ramos
Edidit, et totum spargens porrexit in orbem :
Gentibus ut cunctis victum vitamque perennem
Præberent, mortemque mori qui posse docerent.
Expletis etiam mox quinquaginta diebus,
Vertice de summo divini nectaris haustum
Detulit in ramos, cœlestis spiritus auræ :
Dulci rore graves manabant undique frondes (1
Ecce sub ingenti ramorum tegminis umbra
Fons erat : hic, nullo casu turbante, serenus,
Perspicuis illimis aquis, et gramina circum
Fundebant lætos vario de flore colores.
Hunc circum innumeræ gentes, populique coibant.
Quam varii generis, sexus, ætatis, honoris,
Innuptæ, nuptæque simul, viduæque, nurusque,
Infantes, puerique, viri, juvenesque, senesque !
Hic ubi multigenis flexos incumbere pomis
Cernebant ramos, avidisque adtingere dextris
B Gaudebant, madidos cœlesti nectare fructus :
Nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
Quam lutulenta viæ vestigia fœda prioris
Detererent, corpusque pio de fonte lavarent.
Ergo diu circum spatiantes gramine molli,
Suscipiunt alta pendentes arbore fructus.
Tum si quis ex illis delapsa putamina ramis,
Et dulces, multo rorantes nectare, frondes
Vescuntur, veros exoptant sumere fructus.
Ergo ubi cœlestem ceperunt ora saporem,
Permutant animos, et mentes perdere avaras
Incipiunt, dulcique hominem cognoscere sensu,
Insolitum multis stomachum movisse saporem
Vidimus, et fellis commotum melle venenum
C Rejecisse bonos turbata mente sapores :
Aut avide sumptum non dilexisse, diuque
Et male potatum tandem evomuisse saporem.
Sæpe quidem multi, renovatis mentibus, ægros
Restituere animos : et quæ se posse negabant,
Pertluerant, fructumque sui cepere laboris.
Multi etiam sanctos ausi contingere fontes,
Discussere iterum subito, retroque relapsi,
Sordibus et cœno misti volvuntur eodem.
Multi vero bono portantes pectore, totis
Accipiunt animis, penitusque in viscera condunt.
Ergo qui sacros possunt adcedere fontes,
Septima lux illos optatas (2) sistit ad undas,
Tingit et in liquidis jejunos fontibus artus.
Sic demum illuviem mentis, vitæque prioris
D Deponunt labem ; purasque a morte reducunt
Illustres animas, cœlique ad limen ituras.
Hinc iter ad ramos, et dulcia poma salutis :
Inde iter ad cœlum per ramos arboris altæ.
Hoc lignum vitæ est cunctis credentibus. Amen.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Frontes *Oberth.*

(2) Optata *Oberth.*

Præcipitant, certantque pericula vincere damnis
Sunt miseræ voces ad singula fragmina ponti,
Expenduntque manus nullorum (*a*) ad lumina divum,
Quos maris et cœli vis non timet, haud minus il-
[los (*b*)
Puppibus obtrusos irato turbine mergens.
Nescius hæc reus ipse cavo sub fornice puppis
Sternentem (*c*) inflata resonabat nare soporem,
Jam tunc in somno Domini formando (*d*) figuram.
Hunc simul undicesæ qui cogit munia proræ (*e*),
Pace soporatum placida, requiete superbum (*f*)
Institit impulsans : Quid, ait (*g*), discrimine in isto
Somnia re capit (*h*), tantoque in turbine portum
Solus habes? non unda (*i*) operit, spes unica divum
[est.
Tu quoque, quisquis tibi Deus est, dic vota precesque.
Exim quis (*j*) culpæ propriæ, quis caussa procellæ
Discere sorte placet, nec sors mentitur Jonam.
Tunc cogitant : quis, et unde hominum, quis denique
[rerum,
Quo populo, qua sede cluis (*k*)? famulum ille fatetur
Prætimidum fidumque Dei, qui sustulit altum (*l*),
Qui terram posuit, qui totam corpore fudit :
Ipsius sese profugum, caussasque revelat.
Diriguere metu. Quid nos (*m*) igitur tibi culpæ.
Quid fore nunc, quonam placabimus æquora facto?

A Namque magis multoque magis freta sæva tumebant.
Ea ego tempestas, ego tota insania mundi,
In me, inquit, vobis æther ruit, et mare surgit :
In me terra procul, mors proxima, nulla Dei spes.
Quin date præcipitem caussam, navemque levantes(*n*)
Unum onus hoc magnum pelago jactate volentem.
Ast isti frustra nituntur vertere cursum
In reditum, nec clavus enim torquere sinebat,
Dura nec antemnæ mutari libra volebat.
Postremo ad Dominum : Ne nos in mortis hiatum,
Unam animam propter, dederis, ne sanguine justi (*o*)
Respersisse velis, si sic tua dextera ducit.
Jamque illic imo exoriens de gurgite cetus
Squamosum e conchis evolvere corporis agmen,
Urgebat proprios concusso marmore fluctus
B Sponte sua (*p*) prædam rapiens, quam puppis ab arce
Provolutatam limosis faucibus hausit,
Viventemque dapem longam percepit in alvum,
Cumque viro cœli rabiem pelagique voravit.
Sternitur æquoris unda, resolvitur ætheris umbra.
Huic fluctus, illinc flatus redduntur amici,
Securamque viam placida signante carina,
Candida cæruleo florent vestigia sulco,
Nautæ tum Domino læti venerando timorem
Sacrificant grates * * * * * * *
Navigat et vates alio susceptus Jonas

COMMENTARIUS.

(a) *Nullorum.* In v. c. ad hanc vocem recentiore quadam manu superadditum erat, *multorum.* Sed bene vocat *nullos* divos, quia gentium dii revera nulli C sunt, vel quia nullius opus et auxilii. Hinc illa vox apud veteres comicos : *Nullus sum.* Et Paulinus :

Nullus eram, et faciente
Deo sum natus ut essem.

(b) *Haud minus illos.* Ita emendo, pro quo v. c. *aut munus illos puppibus abstruso Siratos.* Quibus verbis non dubito quin alludat ad morem veterum qui in navibus deos portabant, tanquam tutelares. Virgil.

Ingentes a pupe Deos.
Laurato fulgebat Apolline puppis.
(*Id. l.* X. *Æn.*)

Monte nec inferior proræ puppique recurvæ
Insilit, et pictos verberat unda Deos.
(*Ovidius, l.* I *Tristium.*)

Auctores appellant tutelas quasi proprio nomine, Silvius Italicus :

Tutelæque deum fluitant.

Seneca *epist.* 76, eo alludit dicens : *Navis bona dicitur,* etc., *nec cujus tutela ebore cælata est.* Ea imitatione dicunt etiamnum hodie Venetos sanctum Marcum attollere in puppi, suæ civitatis tutelarem divum. D

(c) *Sternentem.* Placet Philip. Roberto J. C. *stertentem.* Et quidem Jonæ cap. 1 ubi Vulgata editio habet : *et dormiebat sopore gravi*, D. Hieronymus ex Septuaginta vertit : *et dormiebat et stertebat.* Divus quoque Ambrosius *in Psalm.* XLIII : *de Jona legimus qui dormiebat in ventre navis et stertebat.* Et ipse Hieronymus in *commentar. in Jonam* : *Quasi securus,* ait, *dormiret, et profundissimum somnum ronchonare sonaret.*

(d) *Domini formando.* Erat in v. c. *in se formando;* locum autem intelligit Matthæi cap. VIII, ubi de Christo dormiente in navi et a suis excitato.

(e) *Undicesæ qui cogit munia proræ.* Si quid veri auguror, ita non male emendavi depravatissimam scripturam v. c. habentis : *Undis ita qui cogit mœnia proræ* : nisi malis, *undisicæ*, facilis autem mutatio *undisis* ita, *undisica* pro *undicesæ.* Sed et potest retineri illud, *mœnia.* Nam Festus Pompeius adnotat veteres dixisse *mœnia* pro *officiis.*

(f) *Requiete superbum.* Sosipater Charisius lib. 1 : *Quies,* ait, *facit quietem, requies* accusativo non facit, *requietem* sed *requiem* : licet Cicero dixerit *requietem* ad Hostilium. Idem Charisius alio loco id repetit : *Cicero*, ait, *aliter declinavit secutus numerum*, requietem *enim dixit;* superbum autem vocat pertinacem in somno, qui quasi dedignaretur moveri clamore nautarum periclitantium, nimium securus.

(g) *Quid ait.* Corrupte erat in v. c. *quid aiunt discriminis in isto.*

(h) *Somniare capis.* Locus hic varias recipit conjecturas : sunt verba Fr. Jureti; nos vero sequimur lectionem quam exhibet collectio Pisauricensis ac Londonensis, poetarum scilicet latinorum. Edd.

(i) *Nos unda.* Vocem *nos* addidi, quæ videtur desiderari.

(j) *Exim quis.* Depravatissime erat in v. c. *Indicit exin quis.*

(k) *Qua sede cluis.* Valde mihi placet hæc emendatio quam eruit P. Pithœus ex vestigiis v. c., in quo *qua sede civis.* Vox *clue*, non ignota apud veteres, quam restitui aliis auctoribus temere vulgo corruptam. Itaque non repetam.

(l) *Qui sustulit altum.* Redundabant verba in v. c., in quo ita scriptum reperi : *Qui cœlum sustulit alto.* Videbatur quidem corruptum carmen glosa; *altum* autem pro *cælo* poni scimus, ut apud Virgilium :

Et Maia genitum cœlo demittit ab alto.

Lactantius (lib II, c. 1) : *Oculos suos deficiunt soloque figunt.*

(m) *Quid nos.* V. c. *quos* vel quod,

(n) *Navemque levantes unam.* Male in v. c. navem *levantes unus.*

(o) *Ne sanguine justi.* Sic lego, pro quo v. c. *justum,* idque confirmatur textu Biblico.

(p) *Sponte sua.* Ut explerctur hiatus v. c. addidi *sua* nisi malis *sponte novam.*

Navigio fluctumque secat sub fluctibus imis,
Sisara velificans, anima inspirata ferina,
Conclusus, neque tinctus aquis (a), maris intimus
[exter (b)

A Inter semesas classes resolutaque corpora putri
Digesta, sua jam vel va... (c) funera discens.
In signum sed enim Domini quandoque futurus,
Non erat exitio, sed cœli gloria factus.

COMMENTARIUS.

(a) *Neque tinctus aquis.* Videbatur posse legi *tactus*, quod minus est. Nam et Paulinus in carm. ad Cyterium de eodem Jona loquens :

Mensus æquore intactus undis fluctuat.

Sic Sedulius de eodem :

. . . . . ceto sorbente voratus
In pelago non sensit aquas.

Sed tamen illud, *tinctus* retinui quia scio familiare esse Tertulliano uti eo verbo, et tinctionem usurpare pro baptismis aquis.

(b) *Maris intimus exter inter semesas classes.* V. c. habebat *classes.* Sed superiora ut reponi debeant non satis liquet. Placet doctissimo Phil. Roberto ut legatur : *Maris inter et exter. Semesa*, etc., nisi, mutato ordine, malis : *Maris exter, et inter Semesas*, ut versus sibi cohæreant. Sic autem Paulinus exterum maris, Jonam intra mare eleganter dixit :

Nam liber undis intra mare exter maris.

(c) *Vel va.* Robertus legit *vel vatis.* Quid si potius : *vel vivus?*

Et quidem quæ ad emendationem corruptissimi exemplaris proferre potui.

DE LIGNO VITÆ.

Est locus ex omni medius, quem cernimus, orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt :
Hic ego de sterili succisum robore lignum
Plantatum, memini fructus genuisse salubres.
Non tamen hos illis, qui se posuere, colonis
Præbuit : externi fructus habuere beatos.
Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos :
Sicut plena graves antennæ carbasa tendunt,
Vel cum disjunctis juga stant ad aratra juvencis,
Quem tulit hoc primo maturo semine lapsum
Concepit tellus : mox hinc (mirabile dictu)
Tertia lux iterum, terris superisque tremendum
Extulerat ramum, vitali fruge beatum.
Sed bis vicenis firmatus et ille diebus
Crevit in immensum, cœlumque cacumine summo
Contigit, et tandem sanctum caput abdidit alto.
Dum tamen ingenti bissenos pondere ramos
Edidit, et totum spargens porrexit in orbem :
Gentibus ut cunctis victum vitamque perennem
Præberent, mortemque mori qui posse docerent.
Expletis etiam mox quinquaginta diebus,
Vertice de summo divini nectaris haustum
Detulit in ramos, cœlestis spiritus auræ :
Dulci rore graves manabant undique frondes (1)
Ecce sub ingenti ramorum tegminis umbra
Fons erat : hic, nullo casu turbante, serenus,
Perspicuis illimis aquis, et gramina circum
Fundebant lætos vario de flore colores.
Hunc circum innumeræ gentes, populique coibant.
Quam varii generis, sexus, ætatis, honoris,
Innuptæ, nuptæque simul, viduæque, nurusque,
Infantes, puerique, viri, juvenesque, senesque !
Hic ubi multigenis flexos incumbere pomis
Cernebant ramos, avidisque adtingere dextris

B Gaudebant, madidos cœlesti nectare fructus :
Nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
Quam lutulenta viæ vestigia fœda prioris
Detererent, corpusque pio de fonte lavarent.
Ergo diu circum spatiantes gramine molli,
Suscipiunt alta pendentes arbore fructus.
Tum si quis ex illis delapsa putamina ramis,
Et dulces, multo rorantes nectare, frondes
Vescuntur, veros exoptant sumere fructus.
Ergo ubi cœlestem ceperunt ora saporem,
Permutant animos, et mentes perdere avaras
Incipiunt, dulcique hominem cognoscere sensu,
Insolitum multis stomachum movisse saporem
Vidimus, et fellis commotum melle venenum
C Rejecisse bonos turbata mente sapores :
Aut avide sumptum non dilexisse, diuque
Et male potatum tandem evomuisse saporem.
Sæpe quidem multi, renovatis mentibus, ægros
Restituere animos : et quæ se posse negabant,
Pertluerant, fructumque sui cepere laboris.
Multi etiam sanctos ausi contingere fontes,
Discussere iterum subito, retroque relapsi,
Sordibus et cœno misti volvuntur eodem.
Multi vero bono portantes pectore, totis
Accipiunt animis, penitusque in viscera condunt.
Ergo qui sacros possunt adcedere fontes,
Septima lux illos optatas (2) sistit ad undas,
Tingit et in liquidis jejunos fontibus artus.
Sic demum illuviem mentis, vitæque prioris
D Deponunt labem ; purasque a morte reducunt
Illustres animas, cœlique ad limen ituras.
Hinc iter ad ramos, et dulcia poma salutis :
Inde iter ad cœlum per ramos arboris altæ.
Hoc lignum vitæ est cunctis credentibus. Amen.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Frontes *Oberth.*

(2) Optata *Oberth.*

Appendix secunda.

CANDIDO LECTORI

JOSEPHUS MARIA SUARESIUS AVENIONENSIS SALUTEM.

Candide Lector. Patet mihi facilis aditus ad bibliothecam Vaticanam, benignitate cardinalis Amplissimi Francisci Barberini bibliothecarii, atque Mæcenatis mei, qui vere bibliotheca vivens vocari posset; et benevolentia Felicis Contelorii custodis, viri scientiis omnibus instructi. Illic ego dum singula lustro, incidi peropportune in pervetustum codicem e membrana, perscriptum literis longobardicis, qui præfert ætatem sexcentorum aut septingentorum annorum; cumque Bedæ Chronicon, et alia quæ continebat, percurrissem, in calce inveni fragmentum librorum Tertulliani de execrandis gentium Divis, cujus ultimi versus fuerant erasi, et quod in Jovis elevanda divinitate solum insumitur. Id ego cum semel, iterumque perlegissem, ac deinde contulissem, assentimus cum his quæ de Jove scribit idem Tertullianus in libris *adversus Nationes* et in *Apologetico*; diversum penitus reperi stylum, tamen purum putum Tertullianæum et ego agnovi, et amici, quibus ostendi, omnes consenserunt. Hoc igitur, quamvis fragmentum, diutius latere nolui, et nunc in commune et in publicum emitto auspiciis Urbani Octavi Pont. max. quo in Cathedra Petri felicissime sedente, non Musæ tantum, politioresque literæ, ac disciplinæ, poetis et historicis passim exundantibus et exsudantibus quasi reddita juventute revirescunt; verum etiam sanctorum Patrum operibus undique prodeuntibus in lucem, orthodoxa Religio ubique terrarum caput adtollit et reflorescit. Deum precor ut ipsum, et illustrissimum cardinalem Franciscum Barberinum Atlantis tanti Herculem ad Ecclesiæ suæ decus diutissime sospitem esse velit. Tu, Lector, apprecare, et hoc meo munusculo gratus utere, fruere.

EX LIBRIS TERTULLIANI
DE EXECRANDIS GENTIUM DIIS
FRAGMENTUM ERUTUM E BIBLIOTHECA VATICANA,
A JOSEPHO MARIA SUARESIO AVENIONENSI.

Tantum cæcitatis invasit genus humanum, ut inimicum suum Dominum vocent, et ablatorem bonorum adeo datorem sibi esse prædicent, atque illi gratias agant; vocant ergo illos nominibus humanis, non propriis, nesciunt enim eorum nomina, quia sint dæmones intelligunt; sed historias veterum regum legunt, quorum actum cum videant fuisse mortalem, deifico honorificant eos nomine. Jovem, quem vocant, quemque putant summum Deum, quando natus est, a constitutione mundi erant ad illud tempus anni ferme tria millia. Hic in Græcia nascitur de Saturno et Ope. Et ne a patre interficeretur, aut si fas est dicere, denuo pareretur, Cretam delatus, consilio matris in antro Idæo nutritur, a Cretibus (*a*) hominibus natis arma quatientibus occultatur, capræ ubera sugit, cujus excoriatæ pelle amictus utitur, nutricis suæ scilicet a se interfectæ: sed tres cincinnos aureos ei assuit, centenum bovum singulos pretium valentes, sicut meminit auctor eorum Homerus, credere si æquum est. Illic adulta ætate cum patre annis compluribus bellum gessit, superavit, parricidio domum invasit, sorores virgines stupravit, quarum unam in connubio elegit, patrem armis fugavit: cætera autem actus illius scripta sunt. Ex connubiis alienis, aut virginibus violatis, filios sibi adulteros generavit, pueros ingenuos attaminavit, tyrannico regalique imperio oppressit populos sine lege: hunc pater, quem initialem deum fuisse opinantur errantes, celari in insula Creta ignoravit; filius quoque, quem potentiorem deum credunt, fugatum a se patrem latere in Italia nescit: si erat in cœlo, cur non videbat quid in Italia gereretur? Non enim in angulo est terra Italia. Quamquam si fuisset deus, latere eum nihil debebat: latuisse autem ibi, quem Itali Saturnum vocitaverunt, liquido adprobatum est, a cujus latitatione lingua hesperia latina nominata est usque in hodiernum: sicut etiam auctor eorum Virgilius meminit (*b*): ergo in terra generatus dicitur, dum et ne ab eo regno pellatur timet, et tamquam æmulum quærit necare, et subreptum nescit latere, et postea deus filius patrem prosequitur, interficere quærit immortalis immortalem (credi potest), et intervallo pelagi fallitur, et fugisse ignorat, et cum hæc agerentur inter duos deos in terris, cœlum desertum est. Nemo administrabat pluvias, nemo tonabat, nemo gubernabat tantam molem orbis. Nec enim possunt dicere actum illorum et bella in cœlo esse facta: hæc enim in monte Olympo fiebant, in Græcia: sed nec cœlum Olympum (*c*) vocatur, cœlum enim cœlum est. De quibus ergo actibus eorum primum tractabimus, de nativitate, de latitatione, de ignorantia, de parricidio, de adulteriis, de obscenis acti-

COMMENTARIUS.

(a) *Cretibus*. Forte *Curetibus*. SUAR.

(b) . . . . Latium quo vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Æneid. l. VIII, *v.* 322 *et* 323.

(c) *Olympum*. Forte *Olympus*. SUAR.

bus, de rebus non a Deo, sed ab hominibus immundissimis, et truculentissimis commissis, qui si essent in his temporibus, omnibus legibus rei subjacerent, quæ multo justiores, et severiores, quam actus illorum. Patrem armis pulsavit: lex Falcidia et Sempronia parricidam in culeo cum feris ligaret. Et sorores corrupit: lex Papinia omnibus pœnis per singula membra probrum puniret. Connubia aliena invasit: lex Julia adulterum suum capite afficeret. Pueros ingenuos attaminavit: lex Cornelia transgressi fœderis amissum novis exemplis novi coitus sacrilegum damnaret. Hic nec divinitatem habuisse ostenditur: erat enim homo: latuit cum fuga patris. Huic tali homini, tam nefando regi, tam obscœno tamque crudeli, Dei assignatus est honos ab hominibus, qui utique cum sit in terra natus, et per incrementa ætatum adultus, in qua omnia hæc mala admisit, et modo non sit in ea, quid putatus nisi mortuus, aut numquid putat stultus error pennas ei natas in senectute, unde ad cœlum volaret? Sed possunt et hæc credere orbati sensu homines, si tamen credunt A enm cygnum factum esse, ut generaret Castores; et aquilam, ut contaminaret Ganymedem; et taurum, ut violaret Europam; aurum, ut violaret Danaen; et equum, ut generaret Pirithoum; hircum, ut generaret Egyppam (*a*) de capra; satyrum, ut opprimeret Antiopam. Hæc, qui adulteria spectant, ad quæ proni sunt peccatores, ideo facile credunt, ut malefacti auctoritatis, et omnis spurcitiæ de ficto deo mutuentur. Num cætera, quæ credi possunt actus illius, quæ et vera sunt, quæque sine transfiguratione eum aiunt gessisse, quam sint inemendata, animadvertunt: ex Semele generat Liberum, ex Latona Apollinem et Dianam, ex Maia Mercurium, ex Alcmena Herculem. At cæteras ejus corruptelas, quas ipsi confitentur, nolo conscribere, ne rursus fœditas jam sepulta auribus renovetur: sed horum paucorum B mentionem feci, quos deos et ipsos credunt errantes, scilicet de incesto patre generatos, adulterinos, supposititios, et Deum viventem, æternum, sempiterni numinis (*b*), præscium futurorum, immensum, talibus cum nefandis criminibus diffuderunt.

COMMENTARIUS.

(a) *Egyppam.* Forte *Ægivana.* Suar. Imo potius nihil deesse videtur. Edd.
(b) *Sempiterni numinis.* Forte *filium* deest. Suar.

Appendix tertia.

GRÆCORUM OPERUM FRAGMENTA ET NOTULÆ, CUM ADNOTATIONIBUS JACOBI PAMELII.

APOLOGETICI ADVERSUS GENTES PRO CHRISTIANIS GRÆCI, FRAGMENTA, ex Eusebio Cæsariensi, cum translatione triplici.

PRÆFATIUNCULA IN FRAGMENTA GRÆCA APOLOGETICI

Tertulliani Apologeticum adversus gentes, uti paraphrasticôs vertit Rufinus, sive pro Christianis, uti ad verbum ex græco transtulerunt Christophorsonus apud Eusebium, et Langius in Nicephoro, latine conscriptum fuisse, sed in græcum sermonem translatum disertis verbis Eusebius et Nicephorus affirmant: an vero ab auctore ipso, an alio quovis factum sit, non satis (*c*) quanquam priori sententiæ magis faveat, C quod etiam alios quosdam libros latine et græce conscripserit. Quo fit ut operæ pretium duxerim, separatim fragmenta græca publicare; eaque ad majorem intellectum cum versione triplici; Eusebii quidem interpretum duorum, Rufini et Christophorsoni; Nicephori vero, qui ad verbum ex illo hæc descripsit, Langii. Pam.

COMMENTARIUS.

(c) *Forte* liquet. Edd.

I.

Ex Apologetici cap. 11, juxta Eusebium (*Hist. Eccles. lib.* III) et Nicephorum (*l.* III, *c.* 17).

Καίτοι εὑρήκαμεν καὶ τὴν εἰς ἡμᾶς ἐπιζήτησιν κεκωλυμέ- D δὲ τοῦτο, ἀνίστασθαι ἔωθεν τοὺς Χριστιανοὺς, καὶ τὸν Χριστὸν
νην. Πλίνιος γὰρ ὁ Σεκοῦνδος ἡγούμενος τῆς ἐπαρχίας, κατα- Θεοῦ δίκην ὑμνεῖν· καὶ πρὸς τὸ τὴν ἐπιστήμην αὐτῶν διαφυ-
κρίνας χριστιανούς τινας, καὶ τῆς Ἀζίας ἐκβαλὼν, παραχθεὶς λάσσειν, κωλύεσθαι φονεύειν, μοιχεύειν, πλεονεκτεῖν, ἁρπα-
τῷ πλήθει, ἠπόρει τί αὐτῇ εἴη πρακτέον. Τραϊανῷ οὖν τῷ τᾷν, καὶ τὰ ὅμοια. Πρὸς ταῦτα ἀπέγραψε Τραϊανὸς, τὸ τῶν
βασιλεῖ ἀνεκοινώσατο, λέγων, ἕξω τοῦ μὴ βούλεσθαι αὐτοὺς χριστιανῶν ζῆλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἐμπεσὸν δὲ κολάζεσθαι
εἰδωλολατρεῖν, οὐδὲν ἀνόσιον ἐν αὐτοῖς εὑρηκέναι. Ἐμήνευε

RUFINI.

Persecutionum vero extrinsecus pondus urgebat Ecclesiam, et tam immensæ catervæ martyrum quotidie jugulabantur, ut Plinius secundus, qui tunc provinciam administrabat, multitudine interemptorum permotus, referret ad imperatorem, quod innumera hominum millia

CHRISTOPHORSONI.

Atqui invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim secundus, cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tandem multitudine perturbatus, et quid de cætero ageret nescius, consuluit tunc Trajanum im-

LANGII.

Atqui, invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim secundus, cum provinciam regeret, quibusdam Christianis damnatis, quibusdam gradu pulsis ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Trajannum imperatorem, al-

RUFINI.

quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium humanis legibus gestum, nisi hoc solum, quod antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo : adulteria vero, vel cætera hujusmodi crimina apud eos ut illicita haberi, et penitus arceri; cætera vero secundum leges eos agere communes. Ad quæ tunc Trajanus rescripti sui auctoritate decernit ut Christiani quidem non requirantur; si qui tamen inciderint, puniantur, Per quod ex parte aliqua persecutionis sedatum putabatur incendium.

CHRISTOPHORSONI.

peratorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil se scelerati de eis reperisse. Insinuans quoque et illud : Surgere atque convenire summo mane christianos, et Christum tanquam Deum carminibus laudare ; et ad conservandam eorum disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cætera scelera prohibere. Ad quæ Trajanus rescripsit : Christianos inquirendos non esse, oblatos autem puniendos.

LANGII.

legans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo ut Deo, et ad conservandam disciplinam homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cætera prohibentes. Tunc Trajanus rescripsit: hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere.

II.

Ex Apologetici cap. V, juxta Eusebium (*Hist. Eccles. lib.* II) et Nicephorum (*lib.* II, *cap.* 8).

Ἵνα δὲ καὶ ἀπὸ τῆς γενέσεως διαλεχθῶμεν τῶν τοιούτων νόμων· παλαιὸν ἦν δόγμα, μηδένα θεὸν ὑπὸ βασιλέως ἀνθισταμένου, πρὶν ὑπὸ τῆς συγκλήτου δοκιμασθῆναι. Μάρκος Αἰμίλιος οὕτως περί τινος εἰδώλου συνοίκησεν Ἀλβούρνου· καὶ τοῦτο ὑπὲρ τοῦ λόγου ἡμῶν συνοίκησαι, ὅτι παρ' ὑμῖν ἀνθρωπείᾳ δοκιμῇ ἡ θεότης δίδοται· ἂν μὴ ἀνθρώπῳ, θεὸς (οὐ γίνεται) οὐκ ἔσται· οὕτως κατάγε τοῦτο ἀνθρωπον θεῷ ἵλεων εἶναι προσῆκεν. Τιβέριος οὖν (ἐφ' οὗ τὸ τῶν χριστιανῶν ὄνομα εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθεν), ἀγγελθέντος αὐτῷ ἐκ Παλαιστίνης τοῦ δόγματος τούτου, ἵνα πρῶτον ἔσχατο, τῇ συγκλήτῳ ἀνακοινόσατο· δῆλος ὢν ἐκείνοις ὡς τῷ δόγματι ἀρέσκεται· ἡ δὲ σύγκλητος, ἐπεὶ ἐκ αὐτῆ δεδοκιμάκει, ἀνώσατο, ὁ δὲ ἐαυτῇ αὐτοῦ ἀπορέσει ἔμεινεν, ἀπειλήσας θάνατον τοῖς τῶν χριστιανῶν κατηγόροις. A

RUFINI.

Ut de origine aliquid retractemus ejusmodi legum, vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus; sicut Marcus Æmilius de deo suo Alburno. Facit et hoc ad caussam nostram, quod apud vos humano arbitratu divinitas pensitatur. Et nisi homini Deus placuerit, deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen christianum in sæculum intravit, adnuntiata sibi ex Syris Palæstina, quæ illic veritatem istius divinitatis revelaverant, detulit ad senatum, cum prærogativa suffragii sui. Senatus quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.

CHRISTOPHORSONI.

Ut de origine retractemus ejusmodi legum, vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probaretur; ut M. Æmilius de deo suo Alburno. Facit et hoc ad caussam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini deus placuerit, deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debebit. Tiberius, ergo, cujus tempore nomen christianum in sæculum introivit, adnuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem ipsius divinitatis revelaverat, detulit ad senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.

LANGII.

Ut de origine aliquid retractemus ejusmodi legum, vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu comprobaretur. Tiberius ergo, cujus tempore nomen christianum in sæculum introivit, adnuntiatam sibi ex Palæstina veritatem dogmatis istius (ibi enim prima initia sumpserat), ad senatum retulit, cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia ipse non probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus mortem Christianorum accusatoribus.

III.

Ex eodem Apologetici V cap. juxta Eusebium (*Hist. Eccles. lib.* II. *cap.* 24) et Nicephor. (*lib.* II, *cap.* 37).

Ἐντύχοτε τοῖς ὑπομνήμασιν ὑμῶν· ἐκεῖ εὑρήσετε πρῶτον Νέρωνα τοῦτο τὸ δόγμα, ἐνίκα μάλιστα ἐν Ῥώμῃ, τὸν ἀνατολὴν πᾶσαν ὑποτάξας, ὠμὸς ἦν εἰς πάντας, διώξαντα. Τοιούτῳ τῆς κολάσεως ἡμῶν ἀρχηγῷ καυχώμεθα. Ὁ γὰρ εἰδὼς ἐκεῖνον, νοῆσαι δύναται, ὡς οὐκ ἂν, εἰμὴ μέγα τι ἀγαθὸν ᾖ, ὑπὸ Νέρωνος κατεγνώσθη. B

RUFINI.

Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum quoque Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, cæsareo gladio ferocisse. Tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.

CHRISTOPHORSONI.

Consulite vestros commentarios, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, cæsareano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi aliquod bonum grande a Nerone damnatum.

LANGII.

Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, cæsareano gladio ferociisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim illud scit, intelligere potest non nisi aliquod bonum a Nerone damnatum.

IV.

Ex eodem V Apolog., juxta Euseb. (*Hist. Eccl. lib.* III, *c.* 20) et Niceph. (*l.* III, *c.* 10).

Πεπείραται ποτε καὶ Δομετιανὸς ταὐτὰ ποιῶν ἐκείνῳ, μέρος ὢν τῆς τοῦ Νέρωνος ὠμότητος. Ἀλλ' οἶμαι, ὅτι ἴχνη τι συνέσεως τάχιστα ἐκαίσατο, ἀναπαλασάμενος οὓς ἔβλαπτε.

RUFINI.

Tentavit aliquando et Domitianus simile aliquid, portio Neronis, de crudelitate. Sed quasi homo cito destitit, ita ut etiam eos quos in exilium miserat, revocaret.

CHRISTOPHORSONI.

Tentaverat et Domitianus, portio Neronis, de crudelitate. Sed qua et homo, facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat.

LANGII.

Tentaverat et Domitianus, portio Neronis, de crudelitate, eadem quæ ille facere. Sed, ut opinor, aliquid habens rationis et prudentiæ, mature destitit, revocatis etiam iis quos in exsilium egerat.

LIBRI DE SPECTACULIS GRÆCI CITATIO,

EX LIB. DE CORONA MILITIS (*cap.* 6).

Sic itaque et circa voluptates *Spectaculorum* infamata conditio est ab eis qui natura quidem, Dei omnia sentiunt, ex quibus spectacula instruuntur, A scientia autem deficiunt. Sed et huic materiæ, propter suaviludios nostros, græco quoque stylo satisfecimus.

Amplissime eamdem materiam tractatam habes ab ipso auctore libro latine conscripto de Spectaculis. *Et vero loqui hic auctorem de dict. lib.* de Spectaculis *non de lib.* de Corona militis, *etiam ante me Rhenanus ad notavit.*

LIB. DE VIRGINIBUS VELANDIS GRÆCI, NOTULÆ,

EX EJUSDEM TITULI LIBRO (*cap.* 1).

Proprium jam negotium passus meæ opinionis, latine quoque ostendam Virgines nostras velari oportere, ex quo transitum ætatis suæ fecerint; hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest.

Ex eo quod dicit auctor latine quoque, *recte meo judicio colligit Rhenanus, antea græce scriptum fuisse librum ejusdem tituli,* de Virginibus velandis.

DE BAPTISMO LIBRI MENTIO,

EX EJUSDEM TITULI LIBRO (*cap.* 15).

Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, B digne quis retractet : ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere quod mihi præceptum est, quia non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est idem. Ideoque nec baptismus unus, quia non idem. Quem cum rite non habeant, sine dubio non habent; nec capit numerari quod non habetur; ita nec possunt accipere, quia non habent. Sed de quo plenius jam nobis *in græco* digestum est.

His verbis etiam materia præcipua commemoratur græci de Baptismo. Quandoquidem vero nos hic tractaturos polliciti sumus, quæ sit Tertulliani sententia de *hæreticorum baptismo*, certe negare non possumus idipsum sensisse quod B. Cyprianus; et fortassis propterea suppressum possit quis dicere hunc libellum, cum per Nicenum concilium retractata est ea Africanorum quorumdam episcoporum sententia. Nec vero mirandum si illud paradoxon amplexus sit Tertullianus cum eodem fere tempore celebratum fuisse videatur concilium illud sub Agrippino episcopo Carthaginiensi, cujus meminit B. Cypr. Epist. 71, ad Quintum; quod ipsum quoque et coætaneos episcopos Africanos in eam pertraxit opinionem. Hæc enim satis indicare videtur ille Epist. 70, ad Januar., cum dicit sententiam illam jam pridem ab antecessoribus statutam, et apertius Epist. 73, ad Jubaianum, multos dicens annos intercessisse ex quo sub Agrippino episcopi plurimi hoc statuerunt. Atqui inter tempus quo Tertullianus ante omnem hæresim librum *de Baptismo* conscripsit, et Africanum primum de *Hæreticorum Baptismo* concilium episcoporum 72 quod celebratum fuit anno Domini 255, annos intercessisse circiter 50, laius in vita auctoris comprobatur.

Appendix quarta.

OPERUM Q. S. F. TERTULLIANI
QUÆ DESIDERANTUR, FRAGMENTA, MENTIO ET NOTULÆ.

I. AD AMICUM PHILOSOPHUM DE NUPTIARUM ANGUSTIIS LIBRI,

NOTULÆ EX B. HIERON.

Et in principio libelli præfatus sum me *de Angustiis Nuptiarum* aut nihil omnino aut parum dicturum, et nunc eadem admoneo; ut si tibi placet scire quot molestiis virgo libera, quot uxor adstricta sit, legas Tertullianum *ad Amicum philosophum* scribentem, et *de Virginitate* alios libellos, et B. Cypriani volumen egregium; et Papæ Damasi super hac re versu ac prosa composita, et Ambrosii nostri quæ nuper scripsit ad sororem opuscula (*Epist.* 28. *ad Eustoch.*). C Non est hujus loci *Nuptiarum angustias* describere, et quasi in communibus locis rhetorico exsultare sermone; plenius super hac re contra Helvidium, et in eo libro quem ad Eustochium scripsi, arbitror absolutum. Certe Tertullianus, cum adhuc esset adolescens, lusit in hac materia, et præceptor meus Gregorius Nazianzenus, *Virginitatem et Nuptias* disserens græcis versibus explicavit (*Adv. Jovin.*, *l.* I).

Hactenus B. Hieronymus, cujus integras periodos adduximus in medium, tum ne quid mutilum esset, tum ut intelligat lector qui veterum de Virginitate, hodie tantopere controversa, scripserint; quocirca magnopere optarim exstare huc auctoris libellum, sive prosa conscriptum, sive potius, quod per verbum *lusit* indicari videtur, carmine. Quo fit magis, ut mihi non probetur cujusdam viri eruditi censura, qui existimabat hunc eumdem esse librum, cum illo qui inscribitur EXHORTATIO AD CASTITATEM. Præterquam enim quod *illum adolescens scripsisse* dicitur, et hunc sub finem vitæ scriptum constet; etiam ex proposito minime tractat *de molestiis nuptiarum*. Neque vero etiam illorum placet sententia qui duos diversos libros A Tertulliani dictis locis videri volunt, cum utrumque disertis verbis B. Hieron. inscriptum significet *de molestiis nuptiarum*. Atqui an B. Hieronymus adscribat Tertulliano etiam *alios*, quorum meminit de *Virginitate libellos*, poterat fortassis dubitari, juxta priores illius editiones, si legeretur : *legas Tertulliani ad amicum philosophum et de Virginitate alios libellos*. Certe ejusdem pene sunt argumenti *ad Uxorem* libri duo, ac dicta *Exhortatio ad castitatem*, et non aliud tractat liber *de Velandis Virginibus;* alios insuper *de Virginitate*, continentia et castitate servanda locos complures apud Tertullianum, ex indice nostro inveniet lector.

II. DE FATO LIBRI

MENTIO ET FRAGMENTUM EX EJUSDEM LIB. DE ANIMA (*cap.* 20)

et Fulgentio Placiade, *de Vocibus Antiquis*.

Potestates enimvero præsunt. Secundum nos quidem, Dominus Deus, et diabolus æmulus; secundum communem autem opinionem, et Providentia, B et *Fatum*, et necessitas, et fortuna, et arbitrii libertas. Nam hæc et philosophi distinguunt, et nos secundum fidem disserenda, suo jam novimus titulo.

Hactenus auctor, cujus cum nullum exstet opus, ubi de quatuor illis tractet, mihi prorsus videtur alludere ad librum suo titulo *de Fato*, utpote quem ab eo conscriptum pateat ex citatione Fulgentii Placiadis, jam olim excusi cum Hygini Mythologiis per verba sequentia : « Nam et Tertullianus in libro quem de Fato scripsit, ita ait : *Redde huic fati primum problematis mancipatum*, in dict. problema, lib. *de Vocibus Antiquis*. » *De Fato* præterea sub nomine Minutii Felicis olim, extitisse *libellum* tradit B. Hieron., *Catal. script Eccles.*, sive *contra Mathematicos;* qui tamen, cum et ipse diserti sit hominis, non videtur cum stylo Octavii Dialogi ejus convenire. Fortassis is ipse liber est quem Tertulliano hic adscribimus, utpote quem non modo disertum, sed eloquentissimum alicubi nuncupat.

III. DE MUNDIS ET IMMUNDIS ANIMALIBUS QUÆSTIONUM

CITATIO EX B. HIERONYMI EPIST. 125, AD DAMASUM.

Quærit Damasus inter cæteras quæstiones, *quæst.* III : « Si omnia Deus fecit bona valde (*Gen.*, I), quare *Noe de mundis et immundis animalibus* præcepit (*Gen.*, VIII), cum immundum nihil bonum esse possit. Et in Novo Testamento post visionem quæ Petro fuerat ostensa, dicenti : *Absit, Domine, a me, quoniam commune et immundum numquam introivit in os meum;* vox de cœlo respondit : *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Act.*, X). » Respondere B. Hieron. se scribit, duabus tantum quæstiunculis prætermissis (nempe hac et ea de qua in sequenti fragmento) : « Non, inquit, quo non potuerim et ad illas aliquid respondere, sed quod ab eloquentissimis C viris, Tertulliano nostro et Novatiano latino sermone sunt editæ; et si nova voluerimus adferre, sit latius disputandum, etc. Nam et Origenes de mundis et inmundis animalibus in Levitico plura disseruit. »

An istud referatur ad peculiarem aliquem librum ejus tituli, quod magis tamen probatur, an vero ad tractatum ea de re per aliquot lineas Tertulliani, l. II, *adv. Marc.*, c. 18, lectori liberum reliquimus judicium. Hic dum taxat adferemus ipsam responsionis summam in hæc verba : *Et si lex aliquid cibis detrahit, et immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando bene-dicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige, et frenos impositos*; etc. Quod ipsum cum afferatur, sed longe aliis verbis libro *de Cibis judaicis*, vel inde constat, sicuti et ex reliquo totius libri stylo, non esse Tertulliani, sed potius *Novatiani*, utpote ad quem jam dictis verbis adludere videtur B. Hieronymus. Ubi de hac materia latius.

IV. DE CIRCUMCISIONE QUÆSTIONUM

CITATIO, EODEM B. HIERON. LOCO.

Ad quæstionem Damasi penultimam : « Cur Abraham fidei suæ signum in circumcisione suscepit (*Gen.*, XVII), respondet B. Hieron. verbis jam citatis altera præcedenti se illam prætermittere, D quod a Tertulliano nostro et Novatiano latino sermone sint editæ. Addens etiam Origenem in IV ad Rom. ἐξηγήσεων Τόμῳ *de Circumcisione* magnifice disputasse.

An peculiariter scripserit Tertullianus librum *de Circumcisione*, non tam constat atque de Novatiano, cui nominatim liber *de Circumcisione* inscribitur a B. Hieron. *Catal. Script. Eccles.* Atqui etiam latissimum tractatum videre est apud auctorem, tom. I, l. *adv. Jud.*, c. 5. Exstat quidem tom. IV, nunc IX. Operum B. Hieron. liber *de vera Circumcisione*, quem Erasmus conjicit esse Tertulliani; sed, præterquam quod stylus non correspondeat, contrarium convincitur tum ex Scripturis ibidem citatis juxta versionem B. Hieron., tum quod Manichæorum mentionem faciat; quo fit ut neque Novatiano adscribi possit, sed potius (quod vir quidam eruditissimus censuit) Paulino adscribendus sit.

V. DE VESTIBUS AARON LIBRI

MENTIO EX B. HIER. EPIST. 128, AD FABIOLAM, DE VESTE SACERDOTALI.

Fertur in indice Septimii Tertulliani liber *de vestibus Aaron*, qui interim usque ad hanc diem a me non est

repertus. Si a vobis propter celebritatem Urbis fuerit inventus, quæso ne meam stillam illius fluminis com-

A paretis. Non enim magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus æstimandus.

Vestes Aaronis octo ex cap. XXVIII Exod. recitantur, et explicantur latissime a B. Hieron. dicta Epist. *de Veste sacerdotali*; quarum quatuor, feminalia nempe, linea tunica, baltheus et cidaris etiam sacerdotibus erant communes; reliquæ vero propriæ Pontificum, utpote, tunica talaris hiacinthina cum tintinnabulis, superhumerale sive ephod, rationale, et lamina aurea. Quo adeo lectorem remittimus.

VI. DE TRINITATE LIBRI

NOTULA.

Scripsit, *inquit B. Hieron. Catal. Script. Eccles.*, Novatianus *de Trinitate* grande volumen, quasi ἐπιτομὴν operis *Tertulliani*, quod plerique nescientes Cypriani existimant.

An Tertullianus præter librum *adversus Praxean*, alium *de Trinitate* scripserit, merito dubitationem injiciunt hæc B. Hieronymi verba: cum enim ἐπιτομὴ grandioris sit operis compendium, et Novatiani de Trinitate liber, utpote grande volumen, vel ipso teste, prolixius multo sit lib. *adv. Praxean*; oportebit, si mendosi non sint B. Hier. codices, alium de Trinitate librum a Tertulliano conscriptum confiteri. Sin vero legamus (quod lectum forte ab illo fuit) ἔκτασιν, censebitur Novatiani liber, dilatio argumenti a Tertulliano tractati lib. *adv. Praxean*. Idipsum censendum erit, si legamus μίμησιν. id est imitationem, cum Tertullianum aliquoties imitetur. Nos itaque, quia non libenter absque MS. codicibus lectionem veterum

B immutamus, maluimus etiam librum *de Trinitate* inter ea quæ desiderantur Tertulliani opera collocare: maxime, cum, etsi idem argumentum latius tractet Novatianus *de Patre Deo et Deo Filio*; tamen vicissim latius tractetur a Tertulliano *adv. Praxean et Monarchianos*, de Filio alio a Patre, quem illi eumdem faciebant; sicuti postea et Sabellius, contra quem paucioribus agit Novatianus. Deinde latius ibi tractatur et verius de Spiritu sancto, utpote de quo Novatianus unicum caput habeat. Usque adeo ut, si proprie loquamur, neque ἐπιτομὴ, quia grandius est opus, nec ἔκτασις, quia in quibusdam succinctius; nec μίμησις. quia non per omnia imitatur, dici possit operis Tertulliani liber Novatiani.

VII. DE CENSU ANIMÆ

LIBRI ADVERSUS HERMOGENEM ARGUMENTUM ET FRAGMENTA,

ex libro de Anima, cap. 1, 3, 22 et 24.

De solo *Censu animæ, inquit Tertullianus*, congressus Hermogeni, quatenus et istum ex materiæ potius suggestu, quam ex Dei flatu constitisse præsumpsit; nunc ad reliquas conversus quæstiones, plurimum videbor cum philosophis dimicaturus.

Una jam congressione decisa *adversus Hermogenem*, C ut præfati sumus, quia animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus; muniti et illic divinæ determinationis inobscurabili regula: *Et flavit*, inquit, *Deus flatum vitæ in faciem hominis, et factus est homo in animam vivam* (*Gen.*, II; I *Cor.*, XV), utique ei Dei flatu. De isto nihil amplius revolvendum; habet suum titulum et suum hæreticum.

Cæterum *adversus Hermogenem*, qui eam (nempe animam) ex materia, non ex Dei flatu, contendit, flatum proprie tuemur. Ille enim, adversus ipsius Scripturæ fidem flatum in Spiritum vertit; ut dum incredibile est Spiritum Dei in delictum, et mox in judicium devenire, ex materia potius anima credatur, quam ex Dei Spiritu. Idcirco nos et illic flatum eam defendimus, non spiritum, secundum Scripturam et secundum spiritus distinctionem; et hic spiritum ingratis pronuntiamus, secundum spirandi et flandi conditionem; illic de substantia quæstio est, spirare enim substantiæ actus est.

Cætera animæ naturalia jam a nobis audiit Hermogenes, cum ipsorum defensione et probatione, per quæ Dei potius quam materiæ propinqua cognoscitur.

Nos autem, qui nihil adpendimus, hoc ipso animam longe infra Deum rependimus, quod natam eam agnoscimus; ac per hoc dilutioris divinitatis, exilioris felicitatis; ut flatum, non ut spiritum; etsi immortalem, ut hoc sit divinitatis; tamen passibilem, ut hoc sit nativitatis; ideoque et a primordio exorbitationis capacem, et inde etiam oblivionis adfinem. Satis de isto cum Hermogene.

His quinque locis auctor in primis titulum et argu- D mentum indicat: *de Censu animæ adversus Hermogenem*, ubi *censum* accipi pro origine, præterquam quod priori loco, etiam vel inde patet, quod refutetur hæresis Hermogenis, qua non ex Dei flatu, sed ex materia animæ originem constitisse contendebat. Haud aliter atque mundum factum dicebat non ex nihilo, sed ex materia Deo coæterna, adversus quam hæresim supra disputat auctor, l. *adv. Hermog.* Jam vero etiam duas scripturas affert, quibus animam Dei flatum probasse se significat, Gen. II et I Cor., XV, in quibus cum ille, uti suæ hæresi videretur favere, vertisset *spiritum vitæ*, pro eo quod alii *flatum*; contra Scripturæ fidem, utpote cum græce legatur πνοήν, quod plerique malunt (vel B. Aug. teste, lib. XIII, *de Civit. Dei*, c. 24) interpretari *flatum*, *inspirationem*, aut *adspirationem*, aut *animam*, quam *spiritum*; significat tertio loco hic citato auctor se hoc egisse dicto libro, ut *flatum* potius tueretur quam *spiritum*. Quamquam interim alio sensu etiam spiritum agnoscens animam, a spirando, lib. *de Anima*, non per omnia consentiat cum Catholicorum sententia Tertullianus, qui spiritum proprie animam dicunt, non tamen Spiritum sanctum; atque adeo etiam dicto loco Geneseos et alibi, πνοὴν *spiritum* interpretantur. Verum de hoc illius paradoxo lectorem remisimus ad nostra Prolegomena... Deinde sese ad institutum propius cætera naturalia animæ pertractasse insinuat *adv. Hermog.*, ut Dei potius quam materiæ propinqua anima probaretur. Denique fortassis propterea quis animam cum Deo compararet, eam longe infra Deum defendisse se scribit dicto libro, quod nata sit,

Hactenus B. Hieronymus, cujus integras periodos adduximus in medium, tum ne quid mutilum esset, tum ut intelligat lector qui veterum de Virginitate, hodie tantopere controversa, scripserint; quocirca magnopere optarim exstare hunc auctoris libellum, sive prosa conscriptum, sive potius, quod per verbum *lusit* indicari videtur, carmine. Quo fit magis, ut mihi non probetur cujusdam viri eruditi censura, qui existimabat hunc eumdem esse librum, cum illo qui inscribitur EXHORTATIO AD CASTITATEM. Præterquam enim quod *illum adolescens scripsisse* dicitur, et hunc sub finem vitæ scriptum constet; etiam ex proposito minime tractat *de molestiis nuptiarum*. Neque vero etiam illorum placet sententia qui duos diversos libros A Tertulliani dictis locis videri volunt, cum utrumque disertis verbis B. Hieron. inscriptum significet *de molestiis nuptiarum*. Atqui an B. Hieronymus adscribat Tertulliano etiam *alios*, quorum meminit de *Virginitate libellos*, poterat fortassis dubitari, juxta priores illius editiones, si legeretur : *legas Tertulliani ad amicum philosophum et de Virginitate alios libellos*. Certe ejusdem pene sunt argumenti *ad Uxorem* libri duo, ac dicta *Exhortatio ad castitatem*, et non aliud tractat liber *de Velandis Virginibus;* alios insuper *de Virginitate*, continentia et castitate servanda locos complures apud Tertullianum, ex indice nostro inveniet lector.

II. DE FATO LIBRI

MENTIO ET FRAGMENTUM EX EJUSDEM LIB. DE ANIMA (*cap.* 20)

et Fulgentio Placiade, *de Vocibus Antiquis*.

Potestates enimvero præsunt. Secundum nos quidem, Dominus Deus, et diabolus æmulus; secundum communem autem opinionem, et Providentia, B et *Fatum*, et necessitas, et fortuna, et arbitrii libertas. Nam hæc et philosophi distinguunt, et nos secundum fidem disserenda, suo jam novimus titulo.

Hactenus auctor, cujus cum nullum exstet opus, ubi de quatuor illis tractet, mihi prorsus videtur alludere ad librum suo titulo *de Fato*, utpote quem ab eo conscriptum pateat ex citatione Fulgentii Placiadis, jam olim excusi cum Hygini Mythologiis per verba sequentia : « Nam et Tertullianus in libro quem de Fato scripsit, ita ait : *Redde huic fati primum problematis mancipatum*, in dict. problema, lib. *de Vocibus Antiquis*. » *De Fato* præterea sub nomine Minutii Felicis olim, extitisse *libellum* tradit B. Hieron., *Catal. script Eccles.*, sive *contra Mathematicos;* qui tamen, cum et ipse diserti sit hominis, non videtur cum stylo Octavii Dialogi ejus convenire. Fortassis is ipse liber est quem Tertulliano hic adscribimus, utpote quem non modo disertum, sed eloquentissimum alicubi nuncupat.

III. DE MUNDIS ET IMMUNDIS ANIMALIBUS QUÆSTIONUM

CITATIO EX B. HIERONYMI EPIST. 125, AD DAMASUM.

Quærit Damasus inter cæteras quæstiones, *quæst.* III : « Si omnia Deus fecit bona valde (*Gen.*, I), quare *Noe de mundis et immundis animalibus* præcepit (*Gen.*, VIII), cum immundum nihil bonum esse possit. Et in Novo Testamento post visionem quæ Petro fuerat ostensa, dicenti : *Absit, Domine, a me, quoniam commune et immundum numquam introivit in os meum;* vox de cœlo respondit : *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Act.*, X). » Respondere B. Hieron. se scribit, duabus tantum quæstiunculis prætermissis (nempe hac et ea de qua in sequenti fragmento) : « Non, inquit, quo non potuerim et ad C illas aliquid respondere, sed quod ab eloquentissimis viris, Tertulliano nostro et Novatiano latino sermone sunt editæ; et si nova voluerimus adferre, sit latius disputandum, etc. Nam et Origenes de mundis et immundis animalibus in Levitico plura disseruit. »

An istud referatur ad peculiarem aliquem librum ejus tituli, quod magis tamen probatur, an vero ad tractatum ea de re per aliquot lineas Tertulliani, l. II, *adv. Marc.*, c. 18, lectori liberum relinquimus judicium. Hic dum taxat adferemus ipsam responsionis summam in hæc verba : *Et si lex aliquid cibis detrahit, et immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige, et frenos impositos*; etc. Quod ipsum cum afferatur, sed longe aliis verbis libro *de Cibis judaicis*, vel inde constat, sicuti et ex reliquo totius libri stylo, non esse Tertulliani, sed potius *Novatiani*, utpote ad quem jam dictis verbis adludere videtur B. Hieronymus. Ubi de hac materia latius.

IV. DE CIRCUMCISIONE QUÆSTIONUM

CITATIO, EODEM B. HIERON. LOCO.

Ad quæstionem Damasi penultimam : « Cur Abraham fidei suæ signum in circumcisione suscepit (*Gen.*, XVII), respondet B. Hieron. verbis jam citatis altera præcedenti se illam prætermittere, D quod a Tertulliano nostro et Novatiano latino sermone sint editæ. Addens etiam Origenem in IV ad Rom. ἐξηγήσεων Τόμῳ *de Circumcisione* magnifice disputasse.

An peculiariter scripserit Tertullianus librum *de Circumcisione*, non tam constat atque de Novatiano, cui nominatim liber *de Circumcisione* inscribitur a B. Hieron. *Catal. Script. Eccles.* Atqui etiam latissimum tractatum videre est apud auctorem, tom. I, l. *adv. Jud.*, c. 5. Exstat quidem tom. IV, nunc IX. Operum B. Hieron. liber *de vera Circumcisione*, quem Erasmus conjicit esse Tertulliani; sed, præterquam quod stylus non correspondeat, contrarium convincitur tum ex Scripturis ibidem citatis juxta versionem B. Hieron., tum quod Manichæorum mentionem faciat; quo fit ut neque Novatiano adscribi possit, sed potius (quod vir quidam eruditissimus censuit) Paulino adscribendus sit.

V. DE VESTIBUS AARON LIBRI

MENTIO EX B. HIER. EPIST. 128, AD FABIOLAM, DE VESTE SACERDOTALI.

Fertur in indice Septimii Tertulliani liber *de vestibus Aaron*, qui interim usque ad hanc diem a me non est

repertus. Si a vobis propter celebritatem Urbis fuerit inventus, quæso ne meam stillam illius fluminis com-

A paretis. Non enim magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus æstimandus.

Vestes Aaronis octo ex cap. XXVIII Exod. recitantur, et explicantur latissime a B. Hieron. dicta Epist. *de Veste sacerdotali*; quarum quatuor, feminalia nempe, linea tunica, baltheus et cidaris etiam sacerdotibus erant communes; reliquæ vero propriæ Pontificum, utpote, tunica talaris hiacinthina cum tintinnabulis, superhumerale sive ephod, rationale, et lamina aurea. Quo adeo lectorem remittimus.

VI. DE TRINITATE LIBRI

NOTULA.

Scripsit, *inquit B. Hieron. Catal. Script. Eccles.*, Novatianus *de Trinitate* grande volumen, quasi ἐπιτομὴν operis *Tertulliani*, quod plerique nescientes Cypriani existimant.

An Tertullianus præter librum *adversus Praxean*, alium *de Trinitate* scripserit, merito dubitationem injiciunt hæc B. Hieronymi verba: cum enim ἐπιτομὴ grandioris sit operis compendium, et Novatiani de Trinitate liber, utpote grande volumen, vel ipso teste, prolixius multo sit lib. *adv. Praxean*; oportebit, si mendosi non sint B. Hier. codices, alium de Trinitate librum a Tertulliano conscriptum confiteri. Sin vero legamus (quod lectum forte ab illo fuit) ἐπίτασιν, censebitur Novatiani liber, dilatio argumenti a Tertulliano tractati lib. *adv. Praxean*. Idipsum censendum erit, si legamus μίμησιν, id est imitationem, cum Tertullianum aliquoties imitetur. Nos itaque, quia non libenter absque MS. codicibus lectionem veterum

B immutamus, maluimus etiam librum *de Trinitate* inter ea quæ desiderantur Tertulliani opera collocare: maxime, cum, etsi idem argumentum latius tractet Novatianus *de Patre Deo et Deo Filio*; tamen vicissim latius tractetur a Tertulliano *adv. Praxean et Monarchianos*, de Filio alio a Patre, quem illi eumdem faciebant; sicuti postea et Sabellius, contra quem paucioribus agit Novatianus. Deinde latius ibi tractatur et verius de Spiritu sancto, utpote de quo Novatianus unicum caput habeat. Usque adeo ut, si proprie loquamur, neque ἐπιτομὴ, quia grandius est opus, nec ἐπίτασις, quia in quibusdam succinctius; nec μίμησις, quia non per omnia imitatur, dici possit operis Tertulliani liber Novatiani.

VII. DE CENSU ANIMÆ

LIBRI ADVERSUS HERMOGENEM ARGUMENTUM ET FRAGMENTA,

ex libro de Anima, cap. 1, 3, 22 et 24.

De solo *Censu animæ, inquit Tertullianus*, congressus Hermogeni, quatenus et istum ex materiæ potius suggestu, quam ex Dei flatu constitisse præsumpsit; nunc ad reliquas conversus quæstiones, plurimum videbor cum philosophis dimicaturus.

Una jam congressione decisa *adversus Hermogenem*, ut præfati sumus, quia animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus; muniti et illic divinæ determinationis inobscurabili regula: *Et flavit*, inquit, *Deus flatum vitæ in faciem hominis, et factus est homo in animam vivam* (*Gen.*, II; I *Cor.*, XV), utique ei Dei flatu. De isto nihil amplius revolvendum; habet suum titulum et suum hæreticum.

C

Cæterum *adversus Hermogenem*, qui eam (nempe animam) ex materia, non ex Dei flatu, contendit, flatum proprie tuemur. Ille enim, adversus ipsius Scripturæ fidem flatum in Spiritum vertit; ut dum incredibile est Spiritum Dei in delictum, et mox in judicium devenire, ex materia potius anima credatur, quam ex Dei Spiritu. Idcirco nos et illic flatum eam defendimus, non spiritum, secundum Scripturam et secundum spiritus distinctionem; et hic spiritum ingratis pronuntiamus, secundum spirandi et flandi conditionem; illic de substantia quæstio est, spirare enim substantiæ actus est.

Cætera animæ naturalia jam a nobis audiit Hermogenes, cum ipsorum defensione et probatione, per quæ Dei potius quam materiæ propinqua cognoscitur.

Nos autem, qui nihil adpendimus, hoc ipso animam longe infra Deum rependimus, quod natam eam agnoscimus; ac per hoc dilutioris divinitatis, exilioris felicitatis; ut flatum, non ut spiritum; etsi immortalem, ut hoc sit divinitatis; tamen passibilem, ut hoc sit nativitatis; ideoque et a primordio exorbitationis capacem, et inde etiam oblivionis adfinem. Satis de isto cum Hermogene.

His quinque locis auctor in primis titulum et argumentum indicat: *de Censu animæ adversus Hermogenem*, ubi *censum* accipi pro origine, præterquam quod priori loco, etiam vel inde patet, quod refutetur hæresis Hermogenis, qua non ex Dei flatu, sed ex materia animæ originem constitiase contendebat. Haud aliter atque mundum factum dicebat non ex nihilo, sed ex materia Deo coæterna, adversus quam hæresim supra disputat auctor, l. *adv. Hermog.* Jam vero etiam duas scripturas affert, quibus animam Dei flatum probasse se significat, Gen. II et I Cor., XV, in quibus cum ille, uti suæ hæresi videretur favere, vertisset *spiritum vitæ*, pro eo quod alii *flatum*; contra Scripturæ fidem, utpote cum græce legatur πνοήν, quod plerique malunt (vel B. Aug. teste, lib. XIII, *de Civit. Dei*, c. 24) interpretari *flatum*,

D *inspirationem*, aut *adspirationem*, aut *animam*, quam *spiritum*; significat tertio loco hic citato auctor se hoc egisse dicto libro, ut *flatum* potius tueretur quam *spiritum*. Quamquam interim alio sensu etiam spiritum agnoscens animam, a spirando, lib. *de Anima*, non per omnia consentiat cum Catholicorum sententia Tertullianus, qui spiritum proprie animam dicunt, non tamen Spiritum sanctum; atque adeo etiam dicto loco Geneseos et alibi, πνοὴν *spiritum* interpretantur. Verum de hoc illius paradoxo lectorem remisimus ad nostra Prolegomena... Deinde sese ad institutum propius cætera naturalia animæ pertractasse insinuat *adv. Hermog.*, ut Dei potius quam materiæ propinqua anima probaretur. Denique fortassis propterea quis animam cum Deo compararet, eam longe infra Deum defendisse se scribit dicto libro, quod nata sit,

quod passibilis, quod exorbitationis capax, et inde etiam oblivionis adfinis sit. Usque adeo ut totius pene libri argumentum, et quasi fragmenta quædam ipsis iisdem verbis repetita hic videre sit apud auctorem.

VIII. ADVERSUS APELLETIANOS LIBRI

CITATIO, EX LIBRO DE CARNE CHRISTI (*cap.* 8).

Sed quoniam et isti *Apelletiani* carnis ignominiam prætendunt maxime, quam volunt, ab igneo illo præside mali, sollicitatis animabus adstructam, et idcirco indignam Christo, et idcirco de sideribus illi substantiam competisse, debeo illos de sua paratura repercutere. Angelum quemdam inclytum nominant, qui mundum hunc instituerit, et instituto eo pœnitentiam admiserit. Et hoc suo loco tractavimus. Nam est nobis *adversus illos libellus*, an qui spiritum et voluntatem et virtutem Christi habuerit ad ea opera, dignum aliquid pœnitentia fecerit, cum angelum etiam de figura erraticæ ovis interpretentur. Teste igitur pœnitentia institutoris sui, delictum erit mundus, siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti, quia locum non habet nisi in delicto. Si mundus delictum est, quia corpus, et membra delictum, erit proinde et cœlum, et cœlestia cum cœlo. Si cœlestia, et quidquid inde conceptum prolatumque est, mala arbor malos fructus edat necesse est. Caro igitur Christi de cœlestibus structa, de peccati constitit elementis, peccatrix de peccatorio censu, et par erit ipsius substantiæ, id est, nostræ, quam ut peccatricem Christus dedignatur induere. Ita, si nihil de ignominia interest, aut aliam purioris notæ materiam excogitent Christo, quibus displicet nostra, aut eam cognoscant, qua etiam cœlestis melior esse non potuit.

An liber iste, *adversus Apellem*, an *adversus Apelletianos* inscribi debeat, aliquamdiu me dubitare fecit, quod inter cæteros hæreticos, adversus quos scripsit Tertullianus, enumeret Vincent. Lirinens. Apellem, ex quo etiam hæsitavimus num plures essent libelli ab auctore adversus ipsum et discipulos ejus conscripti. Verum, cum toties facta Apellis mentione atque nullius alterius, nullam tamen libri cujuspiam adversus eumdem mentionem præterquam hoc loco faciat, fit mihi credibile, et unicum esse ab eo conscriptum, et *adversus Apelletianos* inscriptum. Maxime cum etiam *Apelletianos* B. Cyprian. nuncupet Apellis discipulos, Epist. 73, *ad Jubaianum*. Atqui obscuriora quidem sunt verba Tertulliani jam citata, sed hoc sibi vult : Argumentum libri adversus Apelletianos potissimum fuisse : an angelus, ille igneus mali præses, qui et mundum hunc (juxta illos) instituerat, et sollicitatis animabus carnem adstruxerat, ad quod tamen spiritum et voluntatem et virtutem Christi habuerit; dignum aliquid pœnitentia fecerit. Utpote qui dicerent, sicuti legitur, lib. *de Præscript. adv. hæret.*, cap. 51, Hæres. 19 : Illum mundo inferiori permiscuisse pœnitentiam, quia non illum tam perfecte fecisset, quam superior mundus institutus fuisset. Quod ipsum interim pulchre contra illos retorquet, illic ubi loquitur : de sua paratura repercutiens. Verum quod vocat hunc angelum mali præsidem, sic explicat Epiph., Hær. 44, ex sententia Apellis : « Evasit autem non bonus, et quæ ab ipso facto sunt, non bene facta sunt, sed secundum malam ipsius mentem ab ipso creata sunt. » De sollicitatis autem animabus ab igneo illo deo angelo juxta Apellem, vide supra, tom. III, lib. *de Anima*, c. 23 et 36, ubi addit ex consequenti auctor constituisse eum ante corpora animas viriles ac muliebres. De mundo ab illo instituto, lib. *de Præscript. adv. Hær.*, cap. 34 et 51, Hær. 19. De carne hominis proinde ab eodem exstructa, c. 8, lib. *de Carne Christi*, ex quo hæc verba desumpta sunt, et lib. *de Resurr. Carn*, c. 5. De Christi denique carne, non ab illo angelo creata, sed ex cœlestibus sideribus structa, contra Apellem late disputat auctor dicti lib. *de Carne Christi*, c. 6. Consentit in his omnibus Epiphanius, præterquam quod inferiorem deum nuncupet, quem auctor angelum igneum; quem interim agnoscunt B. Aug., *Hær.* 23, B. Isidor., lib. *adv. Marc.*, Rabanus noster, B. Honorius et Gratianus in Catalogis hæret. Hoc peculiare auctori, quod de pœnitentia angeli Creatoris jam dictum est; sicuti et illud, quod figuram erraticæ ovis (*Luc*, XV) de illo interpretati sint; quasi gaudium fuerit in cœlo apud angelos Dei de illo uno peccatore ad pœnitentiam converso. Quam contra maluit auctor interpretari de homine lapso et per Christum requisito, sicuti etiam alii veteres omnes. Hactenus de iis quæ ad intellectum hujus fragmenti faciunt.

Quia vero promisimus integram nos historiam hic edituros de Apelle et ejus hæresibus, faciemus id quam paucissimis licebit. *Apelles* itaque discipulus Marcionis, uti verbis auctor utar dicti lib. *de Præsc. adv. Hær.*, c. 6, 30 ac 51, lapsus in fœminam, desertor continentiæ marcionensis (quam ille simulabat) ab oculis magistri Alexandriam secessit. Inde in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenen, postea vero immane prostibulam; cujus signis et prodigiis inductus, librum edidit, quem *Phaneroseis Philumenes* inscripsit, quam quasi prophetissam sequebatur. Neque vero desertor dumtaxat, sed et emendator Marcionis, ac discipulus supra magistrum appellatur ab auctore, lib. IV, *adv. Marc.*, c. 17 : neque vero in hoc solum quod, uti illic diximus, unum Deum superiorem faceret, alterum Dominum dicat, sed angelum faciat, verum et in reliquis paulo prius recensitis hæresibus, quas seductus a Philumene novas induxit. In hoc nihil differens a Marcione, quod et Deum Moysi et legem ac prophetas repudiarit, sicuti lib. *de Præscript.* habetur, c. 51. De animarum solarum salute ac negata resurrectione carnis quam adeo impugnat auctor lib. *de Resurr. carn.*, item quod solo Apostolo uteretur, sed Marcionis, id est non toto. De quibus plerisque videre etiam est Epiph., Theod. et Damasc. Sed hoc auctori peculiare : Habet præterea libros suos quos inscripsit *Syllogismorum*, in quibus probare vult, quod omnia quæcumque Moyses de Deo scripserit, vera non sint, sed falsa sint. Quo fit ut de iis aliud nihil adnotandum occurrat. Hoc unum adjiciam, non mirum esse si auctor *adversus Apelletianos* scripserit quod sæpedicto lib. *de Præsc. adv. hær.*, cap. 30, afferat adhuc superfuisse proprios discentes et successores Apellis.

X. LIBRI DE PARADISO ARGUMENTUM,

EX LIB. DE ANIMA (*cap.* 55).

Sed in æthere habitatio nostra, etc. Imo, inquis, in paradiso, quo jam tunc et patriarchæ et prophetæ, appendices Dominicæ resurrectionis, ab inferis migraverint. Et quomodo Joanni in spiritu, paradisi re-

gio revelata, quæ subjicitur altari, nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit? quomodo Perpetua, fortissima martyr, sub die passionis, in revelatione paradisi solos illic commartyras suos vidit? nisi quia nullis romphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint? Nos in Adam nova mors pro Deo, extraordinaria pro Christo, alio et privato excipitur hospitio? Agnosce itaque differen- A tiam ethnici et fidelis in morte. Si pro Deo occumbas, etc., non in mollibus febribus et in lectulis, sed in martyriis; si crucem tuam tollas, et sequaris Dominum, ut ipse præcepit; tota paradisi clavis tuus sanguis est. Habes etiam *De Paradiso* a nobis *libellum*, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.

Hactenus auctor, sed saniori modo intelligendus, uti adnotavimus latius in Prolegomenis inter Paradoxa, ubi ad omnia ipsius argumenta respondebimus. Hoc hic annotandum, auctorem librum hunc conscripsisse non modo de paradiso terrestri, in quo Adam fuit conditus, et quo Enoch et Helias translati feruntur, sed etiam et magis ex proposito de paradiso spirituali, quo apostolus Paulus raptus legitur II Cor. XII. Quamquam in hoc ab aliis Patribus dissentiat, quod illi cœlestem nuncupent illum paradisum, et nominatim B. Ambr. in dicti loci Commentario, auctor vero illum non distinguit a sinu Abrahæ, quem sublimiorem tamen inferis confitetur : verum etiam de hoc in Prolegomenis inter Paradoxa. Terrestrem vero paradisum disertis verbis de Adam loquens, agnoscit lib. *adv. Jud.* cap. 2, lib. *de Patientia*, cap. 5, et lib. *de Resurr. carn.* cap. 26, et lib. II *adv. Marc.* cap. 2 et 10. Rursus lib. *adv. Valent.*, cap. 20, ubi Ptolomæum Valent. irridens, quod paradisum archangelum quartum somniaret, sic jocatur: « Quoniam et hunc supra tertium cœlum pangunt, ex cujus virtute sumpserit Adam, deversatus illic inter nubeculas et arbusculas. Satis memineram Ptolomæus puerilium dicibulorum, in mari poma nasci, et in arbore pisces, sic et in cœlestibus nuceta præsumpsit. Operatur demiurgus ignorans, et ideo fortassis non scit arbores in sola terra institui oportere! » Omnium autem apertissime hoc ipso Tom. Carm. lib. *de Judicio Domini*, cap. 8, et *Genes.* cap. II ac III. Eumdem B agnoverat jam antea etiam B. Iren. lib. III *adv. Hær.* cap. 55, et apertius lib. V, cap. 5, ubi ait dixisse presbyteros Apostolorum discipulos Enoch et Heliam translatos esse in paradisum, ubi primus homo positus fuit, de quo Scriptura (nempe Gen. II) : *Et plantavit Deus Paradisum in Eden contra Orientem, et posuit ibi hominem.* Consentit etiam B. Justin. Mart. *Apol.* I, ubi Homerum scribit ad paradisi imitationem a Moyse descripti, confinxisse Alcinoi hortum; Theophilus item lib. II *ad Autolyc.* et Novatianus lib. *de Trinitate*, et Lactant. Carm. *de Phœnice*, ad dicta verba Scripturæ alludentes, paradisum in Oriente constitutum referunt. Denique Epiph. *in Anchorato* et *adv. Origenistas*, ac *Epist. ad Joan. Episc. Hieros.* a B. Hieron. in latinum translata, latissime ex Scriptura (Gen. II ac III) disputat contra Origenem, paradisum de terreno ad cœlestia transferentem, idipsum probans ex quatuor illis (quorum aquam se bibisse scribit) fluminibus, ex paradiso profluentibus; et sustinens, apud Apost. II Cor. XII, aliud esse cœlum tertium, aliud paradisum. Eamdem hæresin attribuit B. August. lib. *de Hær.* Seleucianis et Herminianis. Quorum omnium deliramenta jubet conticescere etiam B. Hieron. *Comment. in Danielem*, alicubi. Porro ubi sit paradisus, varias diversorum sententias hic recensere superfluum existimo, quod scribat B. August. lib. II contra Pelag. et Cœlest. cap. 23, hoc ad quæstiones quæ sunt præter fidem, pertinere. C

DE SPE FIDELIUM LIBRI

ARGUMENTUM, EX LIB. III ADV. MARC. CAP. ULT.

et B. Hieron. in cap. XXXVI Ezech. et alibi, ac Gennadio.

De restitutione Judææ, inquit Tertullianus, quam et ipsi Judæi, ita ut describitur, sperant, locorum et regionum nominibus inducti, quomodo allegorica interpretatio in Christum et in Ecclesiam, et habitum et fructum ejus, competat, et longum est persequi, et in alio opere digestum, quod inscribimus DE SPE FIDELIUM; et in præsenti vel eo otiosum, quia non de terrena, sed de cœlesti promissione sit quæstio. Nam et confitemur in terra nobis regnum repromissum; sed ante cœlum, sed alio statu; utpote post resurrectionem in mille annos (*Apoc.* XX *et* XXI), in civitate divini operis Jerusalem cœlo delata; quam et Apostolus matrem nostram sursum designat (*Gal.* IV); et πολίτευμα nostrum, id est municipatum, in cœlo esse pronuntians (*Philipp.* III), alicui, utique cœlesti, civitati cum deputat. Hanc et Ezechiel novit (*Ezech.* XLVIII), et Apostolus Joannes vidit (*Apoc.* XXI). D

Neque enim, inquit B. Hieron., juxta judaicas fabulas, quas illi διντερώσεις appellant, gemmatam et auream de cœlo exspectamus Jerusalem, nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum et arietum victimas, nec sabbati otio dormiemus. Quod et multi nostrorum, et præcipue Tertulliani liber qui inscribitur DE SPE FIDELIUM, et Lactantii *Institutionum* volumen septimum pollicetur, et Victorini Pictabionensis episcopi crebræ expositiones, et nuper Severus noster in Dialogo cui *Gallo* nomen imposuit; et ut græcos nominem, et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinarius.

Nec ignoro, inquit idem *Præfat. lib.* XVIII *in Isaiam*, ad eumdem librum alludens, quanta inter homines sententiarum diversitas sit, etc., de repromissionibus futurorum, et qua ratione intelligenda sit Apocalypsis Joannis; quam si juxta literam accipimus, judaizandum est; si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire; latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii; græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantum, Lugdunensis episcopi, faciam mentionem, adversum quem vir eloquentissimus Dionysius, Alexandrinæ ecclesiæ pontifex, elegantem scribit librum; irridens mille annorum fabulam, et auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias et cunctarum gentium servitutem; rursusque bella, exercitus ac triumphos, et superatorum neces, mortemque centenarii pecca-

toris. Cui duobus voluminibus respondit Apollinarius.

Papias, inquit idem *Catal. Script. Eccles.*, dicitur mille annorum judaicam edidisse διηγήσεις, quem secuti sunt Irenæus et Apollinarius et cæteri, qui post resurrectionem aiunt in carne in sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro DE SPE FIDELIUM, et Victorinus Pictabionensis et Lactantius hac opinione ducuntur.

In divinis, inquit Gennad. lib. *de Dogmat. Eccl.* inter opera B. Augustini, ad eumdem librum alludens,

A repromissionibus nihil terrenum vel transitorium exspectamus, sicut Melitani sperant : non nuptiarum copulam, sicut Cerinthus et Marcus delirant; non quod ad cibum vel ad potum pertinet, sicut Papiæ auctori, Irenæus, et Tertullianus, et Lactantius adquiescunt : neque per mille annos post resurrectionem regnum Christi in terra futurum, et sanctos cum illo in deliciis regnaturos speramus, sicut Nepos docuit, qui primam justorum resurrectionem et secundam impiorum confinxit.

Hactenus plura testimonia de argumento libri *de Spe Fidelium*, quorum postremum ea potissimum de caussa adjecimus, quod cuique auctori sua paradoxa attribuat, qua B. Hier. prima facie omnibus in genere videtur impingere : quamquam interim ipse opiniones appellet, non hæreseis aut errores, reverentiæ gratia; in quo illum etiam imitatus est Gennadius. Verum de aliorum sententia, ne hic prolixiores simus, uti de responsione ad omnia Tertulliani quæ ex Scripturis loco hoc citat argumenta ; videat lector nostra Prolegomena inter Paradoxa. Hic dumtaxat dicemus videri nobis sententiam Tertulliani esse mitiorem reliquis, nempe eam de qua scribit B. Aug., lib. XX *de Civit. Dei*, cap. 7. Hæc opinio esset utique tolerabilis, si aliquæ deliciæ spirituales, in illo sabbato, scilicet mille annorum, adfuturæ sanctis per Domini præsentiam crederentur. « Nam etiam nos, inquit ille, hoc aliquando fuimus opinati. » Usque adeo ut potius Tertulliano competat id quod Gennadius Melitanis tribuit, quod terrenum regnum Christi speraverit, et descripserit libro *de Spe Fidelium*, quam quod illi impingit de cibo et potu; quo factum fortasse, ut præ aliis Melitonem commendet auctor libris illis pro Montano scriptis, quorum fragmenta sequuntur, juxta quod ibi ex B. Hieron. citabitur; utpote cum

etiam Montani fuisse hoc paradoxon ipse his verbis dicto loco significet : « Hanc, etc., et qui apud fidem nostram est novæ prophetiæ sermo testatur, ut etiam effigiem civitatis, ante repræsentationem ejus, conspectui futuram in signum prædicarit. » Verba auctoris quibus quod dixi confirmatur, sunt in primis illa supra citata : « De restitutione Judææ, quomodo allegorica interpretatio in Christum et Ecclesiam, et habitum et fructum ejus competat; et longum est persequi, etc. » Si enim allegorica, ergo non literalis, et proinde perperam illi impingeret quis (quod in Cerinthum magis competit et Dimœritas, juxta Epiphan.) instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium sabbati et circumcisionis injuriam. Eodem pertinet quod paulo post eodem loco subjungit : « Hanc (nempe Jerusalem civitatem cœlo delatam) dicimus, excipiendis resurrectione sanctis, et refovendis omnium bonorum, utique spiritualium, copia, in compensationem eorum quæ in sæculo vel despeximus vel amisimus, a Deo prospectam. » Nam, si spiritualium bonorum copia, ergo non temporalium, quam alii somniant. In hoc interim cum aliis ille consentit (quamquam etiam erronee), quod confiteatur, in terra quidem regnum nobis repromissum, sed ante cœlum.

LIBRORUM SEX DE ECSTASI

MENTIO, EX B. HIER. CATAL. SCRIPT. ECCLES.

et Nicephoro, lib. IV Hist. eccles., cap. 22 ac 34.

Hic, inquit B. Hieron. de Tertulliano, et ipsis iisdem verbis Nicephorus, cum usque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset, invidia postea et contumeliis clericorum romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ prophetiæ meminit; specialiter autem adversus Ecclesiam texuit volumina, *de Pudicitia*, *de Fuga in persecutione*, *de Jejuniis*, *de Monogamia*, DE ECSTASI *libros sex*.

Tertullianus, inquit idem, sex voluminibus adversus Ecclesiam editis, quæ scripsit περὶ Ἐκστάσεως, etc.

Melitonis, inquit idem in *Melitone*, elegans et declamatorium ingenium, laudans Tertullianus in Libris VII adversus Ecclesiam pro Montano, dicit eum a plerisque nostrorum prophetam putari.

Hactenus ille. Quorum ex posteriori loco apparet græce potius quam latine hos libros fuisse conscriptos, sicuti dicemus in sequenti fragmento latius.

Nos autem, promissis ut stemus, quid Ecstasis auctori, quidve aliis scriptoribus antiquis ecclesiasticis, paucis subjungendum duximus. Definitio in genere invenitur lib. *de Anima*, c. 45. « Ecstasin dicimus excessum sensus et amentiæ instar. Sic et in primordio somnus cum ecstasi dedicatus : *Et misit Deus ecstasin in Adam* (*Gen.*, II, 21), *et obdormivit*. Somnus enim corpori provenit in quietem, ecstasis animæ accessit adversus quietem; et inde jam forma somnum ecstasi miscens. » Et paulo post : « Hic erit proprietas amentiæ hujus, quia non fit ex corruptela bonæ valetudinis, sed ex ratione naturæ; non enim exterminat, sed avocat mentem. Aliud est concutere, aliud movere, aliud evertere, aliud agitare. Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est; quod sanitas mentis, salva memoria, stupet, amentiæ genus est. Ideo non dicimur furere, sed somniare; ideo et prudentes, si quando sumus; sapere enim nostrum, licet obumbretur, non tamen extinguitur, nisi quod et ipsum potest videri vacare tunc. Ecstasin autem hoc quoque operari de suo proprio, ut sic nobis imagines sapientiæ inferat, quemadmodum et erroris. » Brevior vero et instituto auctoris magis conformis est illa quæ habetur ejusdem lib. cap. 2, ubi de eodem Adamo loquitur : « Cecidit, inquit, ecstasis super illum, Sancti Spiritus vis, operatrix prophetiæ, » et cap. 21 : « In illum Deus amentiam immisit, spiritalem vim qua constat prophetia. » Atqui prius illud *ecstaseos* genus aliquo modo in Adamo agnosci potuit, posterius hoc non item; utpote quod pertinere videatur ad Montani, Priscæ ac Maximillæ enthusiasmos comprobandos : quos in *ecstasi* et ut amentes loqui solere confitebantur ipsorum discipuli, et inter eos post mediam ætatem ipse Tertullianus. Huc pertinet illud de Prisca aut Maximilla ejusdem lib. *de Anima*, c. 9 : « Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in ecclesia, inter dominica solemnia, per *ecstasin* in spiritu patitur. » Hoc est enim quod sibi vult lib. IV *adv. Marc.*, c. 22,

ubi explicans illud, *Luc.* IX de Petro : *Sed nesciens quid diceret :* « Quomodo, inquit, nesciens? utrumne simplici errore, an irratione (qua significatione etiam dixit, lib. *adv. Praxean*, cap. 15, neque Petrum et Joannem et Jacobum visionem Dei sine irratione et amentia expertos esse) quam defendimus in causa novæ prophetiæ, gratiæ ecstasin, id est amentiam convenire. In spiritu enim homo constitutus, præsertim cum gloriam Dei conspicit, vel cum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divina; de quo inter nos et Psychicos est quæstio. » Ubi (sicuti latius, lib. *de Jejuniis*, *adv. Psychicos*) per *psychicos* intelligit Catholicos, et ad hos sex *de Ecstasi* libros alludit, quos contra Ecclesiam scripsisse certum est. At pulchre contra Montanistas Epiph. *Hær.* 48, postquam Scripturis probavit veros prophetas cum constanti ratione et intelligentia locutos ex instinctu Spiritus Sancti, sana mente et corpore, ad Montani prophetiam veniens, probat cum neque stabili mente vaticinatum, neque intelligentiam mentis habuisse, ex propriis ipsius Montani verbis. Eodem pertinere videtur quod B. Hier. *Quæst. hebr. in Genesim* adnotavit, pro *ecstasi*, id est mentis excessu, in hebræo haberi תרדמה, quod Aquila *καταφοράν*, Symmachus *κάρον*, id est gravem et profundum soporem interpretati sunt. Denique sequitur : *Et dormivit.* Idipsum verbum et in Jonæ stertentis somno positum est. Atqui nihil pro Montani insana prophetia facere illud de Petro : *Nesciens quid diceret.* Alii illud referri malunt ad locutionem inconsideratam, uti solent animo consternati, eo quod addatur apud Marcum : *Erant enim timore exterriti;* et illud certum est, nihil ibi Petrum prophetasse. Porro nititur quidem etiam auctor ad ejusdem novæ prophetiæ confirmationem detorquere locum Apost. I *Cor.* XIV, his verbis, lib. *adv. Marc.*, cap. 8 : « Edat aliquem psalmum, aliquam visionem, aliquam orationem dumtaxat spiritalem in *ecstasi*, id est amentia; si qua linguæ interpretatio accesserit. Probet etiam mihi mulierem apud se prophetasse, ex illis suis sanctioribus fœminis, magnidicam. » Verum, præterquam quod illud, *in ecstasi*, ibi non legatur apud Apostolum, ac quod dicatur ibidem : *Et spiritus prophetarum prophetis subjectus est;* ex proximis Apostoli verbis Montanum et proinde Tertullianum refutat B. Hieron. *Prolog. Comment. in Habacuc :* « Prophetæ, inquit, visio est, et, adversus Montani dogma perversum, intelligit quod videt, nec ut amens loquitur, nec in morem insanientium fœminarum, dat sine mente sonum. Unde et Apostolus jubet, ut si prophetantibus aliis, alii fuerit revelatum, taceant qui prius loquebantur. » Ex quo intelligitur, cum quis voluntate reticet, et alteri locum dat ad loquendum, posse et loqui et tacere cum velit. Qui autem in *ecstasi*, id est invitus, loquitur, nec tacere, nec loqui in sua potestate habet. Eodem pertinet etiam illud ejusdem Prologo in Nahum prophetam : « Non enim loquitur in *ἐκστάσει*, ut Montanus et Prisca Maximillaque delirant, sed quod prophetat, liber est visionis intelligentis universa quæ loquitur. »

LIBRI ADVERSUS APOLLONIUM

NOTULÆ, EX B. HIER. CATAL. ET NICEPHORO.

Specialiter autem adversus Ecclesiam, inquiunt illi locis supra citatis de Tertulliano, texuit volumina, *de Ecstasi* libros sex, et septimum ADVERSUS APOLLONIUM.

Apollonius, inquit B. Hieron., vir disertissimus, scripsit adversus Montanum, Priscillam et Maximillam insigne et longum volumen, in quo asserit Montanum et insanas vates perisse suspendio, et multa alia. In quibus de Priscilla et Maximilla refert: « Si negant eas accepisse munera, confiteantur non esse prophetas qui accipiunt; et mille hoc testibus probabo. Sed et ex aliis fructibus probantur prophetæ; dic mihi, crinem fucat propheta, stibio oculos linit? propheta vestibus et gemmis ornatur? propheta tabula ludit et tesseris? propheta fœnus accipit? Respondeant, utrum hoc fieri liceat, an non. Meum est probare (*sic enim lego, pro* approbare) quid fecerint. » Dicit in eodem libro quadragesimum esse annum, usque ad tempus quo ipse scribebat librum, ex quo hæresis Cataphrygarum habuerit exordium. *Tertullianus* sex voluminibus adversus Ecclesiam editis quæ scripsit *περὶ ἐκστάσεως*, septimum proprie *Adversus Apollonium* elaboravit, in quo omnia quæ ille arguit, conatur defendere. Floruit autem *Apollonius* sub Commodo Severoque imperatoribus.

Duabus de caussis mihi persuasum est librum hunc *adversus Apollonium* cum sex præcedentibus, non modo latine, sed et primo græce editos. Primum, quod græcus fuerit et græce scripserit Apollonius, utpote alius ab eo quem deinceps B. Hieron. romanum senatorem commemorat, tum quod is græce titulum recitet *περὶ ἐκστάσεως*. Noluit tamen in primis fragmentis conjungere quod contra Ecclesiam scripti sint.

Porro cum asserat B. Hieron. Tertullianum omnia quæ Apollonius arguit, conatum defendere, invenimus verissimum esse quod scripsit de illo B. Aug. lib. *de Hæres. ad Quodvultdeum*, quod transierit Tertullianus ad Cataphrygas, quos ante destruxerat. In primis enim supra lib. *de Præscr. adv. hær. c.* 52, hær. 21, disertis verbis hæreticos vocat, « qui dicuntur secundum Phrygas, etc., qui dicebant in apostolis quidem Spiritum sanctum fuisse, Paracletum non fuisse; et Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse; nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora. » Adversus fucos crinium et oculorum stibio infectionem, quam tamen in prophetissis istis videtur defendisse, agit nominatim lib. *de Habitu muliebri*, c. 4, et apertius lib. *de Cultu fœminarum*, c. 5, agens contra eas « quæ oculos fuligine collinunt, » reprehendentes artificem Deum quem emendant; et cap. 6 « eas quæ croco capillum vertunt, male sibi flammeo capiti auspicantes, et cerebro perniciem afferentes. » Adversus vestium et gemmarum ornatum, quem etiam in illis tolerabat, agit idem et lib. *de Pallio*, cap. 4, et toto libro *de Habitu muliebri*, peculiariter vero de gemmis, cap. 6. Tabularum ludum et tesserarum, quem hic non reprobat, quasi aliud agens, in prophetis sive doctoribus tacite reprehendit lib. *de Carne Christi*, c. 7, in hæc verba : « Oro te, Apelles, vel te, Marcion, si forte tabula ludens, etc., tali nuntio avocaretis, etc. » Denique de fœnoris fructu a Christo, quod tamen accipiebat Montanus, interdicto *Luc.* VI, agit latissime lib. IV *adv. Marc.* c. 17.

OPERUM PLURIUM QUÆ DESIDERANTUR

MENTIO, EX IISDEM B. HIERONYMI ET NICEPHORI LOCIS, AC VINCENTIO.

Fertur, inquit de Tertulliano B. Hieron., vixisse usque ad decrepitam ætatem, et multa quæ non exstant, opuscula condidisse.

Sed et alii plures, inquit Nicephorus, christiano plane animo pro fide nostra decertarunt, et adversus hæreseis depugnarunt; Ecclesiæque statu ac mori-

bus receptis, aliisque quæ vel scriptis vel sine scriptis a majoribus accepissent, in literas relatis, libros plurimos posteritati reliquerunt. Quibus Caius et Tertullianus merito sunt adnumerandi, qui plurima certe et pulcherrima ediderunt scripta, quæ sigillatim recensere præsentis instituti non est. Scripsit autem *de Pudicitia*, etc., et plures alios.

Hactenus illi. Et vero utinam exstaret *Index Septimii Tertulliani*, cujus supra fit mentio in fragmento libri *de Vestibus Aaron!* non dubium quin multorum præterea scriptorum ejus fleret mentio. An vero plura scripserit adversus hæreticos, dubitare me fecit aliquando, quod de eo scribit Vincentius Lirinensis: « Sciunt *Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici*, cæterique quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. » Verum, cum animadverti omissos ibi *Valentinianos et Quintillam*, aliosque numero 25, quorum catalogum recenset lib. *de Præscript. adv. hæret.*, a cap. 45, usque ad finem; cosque adversus quos scripsit libri *de Anima* partem posteriorem, *Simonem Samaritam, Carpocratem, Menandrum* et alios, persuasum habeo nihil tale hodie desiderari. Quare et B. Optatum Milevit., lib. I *advers. Parmenianum*, corruptum esse existimo, dum legitur: « *Marcio, Praxeas*, Sabellius et cæteri temporibus suis a Victorino Pictaviensi, et Zepherino Urbico, et *Tertulliano Carthaginiensi usque ad Cataphrygas*, et ab aliis adsertoribus Ecclesiæ catholicæ superati sunt. » *Sabellius* enim multo post tempore hæresin suam cœpit, intermedio nempe inter Novatianos et Donatistas, quod vel ex ætate Dionysii Alexandrini manifestum fit, qui primus adversus Sabellium scripsit, B. Cypriano coætaneus, sed junior. Atque adeo aut aliquis alius hæreticus in locum ejus suppleri debet, aut certe castigandus sit Optatus, *Praxeas*, *Sabellianus*, eo quod Sabellius eam hæresin ex parte resuscitarit, cum contendit Patrem, Filium et Spiritum Sanctum unicam divinitatis οὐσίαν et hypostasin fuisse. Cæterum, ut de iis libris etiam aliquid dicamus qui perperam *Tertulliano* adscribuntur ab *Erasmo*, IX tomo operum B. Hieron., in primis, cur illi adscribi non possit liber *de vera Circumcisione*, supra diximus in fragmentis, *Quæst. de Circumcisione*. Multo vero minus adridet stylus libri *ad amicum ægrotum*, et etiam ibi Scripturæ citantur juxta editionem B. Hieronymi; denique nullum dialogum scripsisse legitur Tertullianus.

FRAGMENTUM.

In quo discreparet a Psychicis Tertullianus montanista.

Auctor libri cui titulus *Prædestinatus*, lib. I, qui est *de hæresibus*, n. 26, hæc ad verbum refert: « Scripsit contra eos (Montanistas seu Cataphrygas) librum sanctus Soter, papa Urbis, et Apollonius Ephesiorum antistes. Contra quos scripsit Tertullianus, presbyter carthaginiensis. Qui cum omnia bene et prime et incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem, supra dictum Urbis papam, asserens falsa esse de sanguine infantis, Trinitatem in unitate deitatis, pœnitentiam lapsis, mysteriis eisdem unum pascha nobiscum. *Hoc solum discrepamus*, inquit, *quod secundas nuptias non recipimus, et prophetiam Montani de futuro judicio non recusamus.* Objiciunt quidam Tertulliano, quod animam ex traduce, id est animam dixerit ita gigni ex anima, sicut ex corporibus corpus; quod catholica fides vehementer execratur. »

Verba Tertulliani, quæ modo exscripsimus, in operibus ejus quæ exstant non reperiuntur. Hinc concludere licet cum Dællingero (*Origin. du Christian.* T. I, *c.* 27, *trad. L. Boré*), ea excerpta fuisse ex opere quodam nostri auctoris montanistæ jampridem amisso. At quilibet, nemine monente, facile videt Tertullianum non fuisse Soteris Papæ impugnatorem coævum, nec, ut quidam asseruerunt, Tertullianistas fuisse a S. Papa damnatos, siquidem liquido constat, Tertullianum post triginta prope annos ab obitu Soteris hæresin Montani amplexatum fuisse. — Edd.

Appendix quinta.

IN LIBROS TERTULLIANI

DE BAPTISMO ET DE PŒNITENTIA,

ADNOTATIONES R. P. D. CORBINIANI THOMÆ, MONACHI BENEDICTINI, E CONGREGATIONE S. SPIRITUS IN BAVARIA.

MONITUM.

Domnus Corbinianus Thomas, Augustæ Vindelicorum, anno 1694. natus, monachum induit in imperiali monasterio Elchingensi, anno 1715.

Multos annos in universitate Salisburgensi, magna doctrinæ fama, mathematicas tradidit disciplinas. Postea sacræ theologiæ professor cooptatus, omnium, sicut prius, sibi conciliavit admirationem. Dum his rite obeundis muneribus insudaret, plurima nihilominus elegantissima doctissimaque opera diversi generis in lucem edidit, quorum catalogum repræsentat D. Ziegelbauer, in sua *Hist. rei litt.*

Ord. S. Bened., t. II, p. 220; t. IV, p. 265, 304, 311. Vid. etiam *Biblioth. génér. des écrivains de l'Ord. de S. Benoît*, t. III, p. 134.

Nec his contentus fuit Thomas noster; namque attendens, ut ipse ait, « quod ea (SS. Patrum lectio) clericis præsertim in omnem ætatem summe proficua ac delectabilis... esset, » Tertullianum aggressus est, et librum *de Præscriptionibus*, atque *de Baptismo et Pœnitentia* publici juris fecit (Salisburgi, 1752, 1755). Sed, « ut (1) afer ejusdem (Tertulliani) stylus velut exustæ illius Carthaginis favillis nonnunquam obsitus et obscuratus est, quamquam ii quoque qui eumdem carpunt, mire se ab eodem capi nonnunquam ipsi fatentur; ita pleræque ejus sententiæ lucem sibi infundi jure postulant: idque eo magis, quod hic auctor vetustissimus, ac ex latinis unus sit quem sibi ex reconditissima illa ætate prope integrum vindicavit posteritas, ex quo disciplina illorum temporum, maximeque in ecclesiis africanis, quæ primam originem suam debent Romanæ, atque adeo ab hac primitus illam acceperant, ad nostram usque notitiam profecta fuit: quæ res sane in theologia dogmatica haud parvi momenti æstimanda est. » Inde adnotationes quam plurimæ, quibus Tertulliani tres hos libros adornavit D. Thomas, quasque ad calcem hujus tomi secundi rejicere debuimus, siquidem tardius in nostras manus pervenerunt, ut suo quæque loco insererentur. Si quis forte queratur quod notæ illæ « velut spiculo minuta quæque conquirant, » respondet D. Thomas se « non doctis hæc scripsisse, sed docendis »; quibus addit « etiam multo leviora quandoque sat negotii facessere posse. » Aliquot tamen notulas passim omisimus, brevitatis caussa; at, lectoris utilitati simul et voluptati consulentes, intercalarem retinuimus dissertationem ad Baptismum et Pœnitentiam spectantem, duasque alias *de usu et auctoritate Tertulliani*, breviores tantum ac jejuniores, interdum etiam extra scopum vagantes, utcumque licuit, procemio refundendas curavimus.

Cur autem speciatim libros *de Baptismo et de Pœnitentia* vulgaverit et adnotaverit D. Thomas noster, ab ipso discimus, in supra dicta præfatione: « Hunc igitur auctorem, inquit, studiosorum manibus inserere volui, tum ut quis Baptismi et Pœnitentiæ sacramentorum, ad salutem maxime necessariorum, in primitiva Ecclesia ejusque altero mox sæculo, cum traditiones adhuc recentes erant minimeque suspectæ esse poterant, usus fuerit, nonnihil accuratius perspiciant; tum ut antiquorum Patrum scripta non cursim nimisque properanter transmittere, sed iisdem paulo magis immorari, non tamen uni eidemque penitus immori, discant; sic enim illis debita æstimatio, hisque ipsis ingens utilitas voluptasque accedet. » EDD.

(1) *Præfat. ad lib. de Bapt. et Pœnit.*

ELENCHUS
CAPITUM
LIBRI DE BAPTISMO.

Caput I. *Utilitatem et occasionem hujus scriptionis aperit.*

II. *Increduli simplicitate Baptismi et magnitudine effectus offenduntur, quæ magis admirationi ipsis esse deberent.*

III. *Elemento aquæ jam in mundi primordiis singularem vim et efficaciam* animandi *insertam fuisse demonstrat.*

IV. *Elementum aquæ præ cæteris, ut ad sanctificandam animam assumeretur, idoneum fuisse ostendit.*

V. *Majori utique jure a Christianis, quam gentilibus, vim expiandi peccata, in aqua constituti docet.*

VI. *In aqua per Baptismum emundatos ad majora Spiritus Sancti dona nos præparari docet.*

VII. *De unctione post Baptismum adhiberi consueta.*

VIII. *De impositione manuum post Baptismum, illiusque significatione.*

IX. *Variis Baptismus figuris in Veteri Testamento præmonstratur, et in Novo confirmatur.*

X. *Quomodo Christi Baptismus differat a Baptismo Joannis?*

XI. *Christum non quidem per semet, attamen per Apostolos baptizasse.*

XII. *An Apostoli etiam ipsi, et quo Baptismo abluti fuerint?*

XIII. *De necessitate Baptismi omnibus hominibus inducta.*

XIV. *Quomodo intelligendum sit illud S. Pauli* I *Cor. c.* 1, 17, Non misit me Christus baptizare, *etc.?*

XV. *Unum aquæ Baptismum esse, ac proinde iterari non posse.*

XVI. *De Baptismo sanguinis.*

XVII. *De ministro Baptismi, ordinario et extraordinario.*

XVIII. *De subjecto Baptismi.*

XIX. *De tempore Baptismi conferendi.*

XX. *De præparatione ad Baptismum necessaria.*

Notæ ad caput primum.

Aquæ nostræ. Vulgaris nimirum ac elementaris, ceu quotidianis *nostris usibus* ubivis obviæ, et pro Baptismo, ad salutem nostram tam necessario, paratu facillimæ.

Quia. Prope est ut malim *quæ*, videlicet *aquæ*.

Delictis. Non peccati tantum *originalis* (unum enim idemque id in omnibus est), sed *personalium* quoque, ut infra *cap.* V.

Cæcitatis. Sicut enim *cæcitas* est quædam *mors* oculi carnalis, eumdem omni suo vigore ac velut vita orbans, sic e contrario per Baptismum animæ oculo, per pec-

catum excæcato, *visus* restituitur, isque nova gratiæ *luce* perfunditur, ut adeo de baptizatis illud Apostoli *ad Eph.* 5, *v.* 8, vere dici possit : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem* LUX *in Domino.* Unde facile intelligitur illud Clementis Alex. *Lib.* I *Pædagog. cap.* 6, dictum : Βαπτιζόμενοι φωτιζόμεθα, φωτιζόμενοι υἱοποιούμεθα, υἱοποιούμενοι τελειούμεθα, τελειούμενοι ἀπαθανατιζόμεθα, i. e. *Baptizati illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur.* Et mox Baptismum φώτισμα, *illuminationem*, appellat, *per quam, sanctam illam et salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam id quod est divinum, perspicimus ;* sed de hoc fortasse alibi.

Liberamur. Atque ideo hoc Sacramentum *felix* esse dixit, quod nos nimirum sic *felices* reddat.

Digestum. Substantive hic accipitur, ut apud JCtos *Digestum Vetus et Novum ;* sic etiam Noster, *L.* IV *adv. Marc. c.* 3, Literas *Digesta* vocat, eo quod in illis fidei nostræ Doctrina suo ordine distributa atque *digesta* habeatur.

Cum maxime. Seu *quam maxime*, ut apud Cic. *pro Cluentio* et alibi.

Formantur. Pro *informantur*, seu pleniori quadam mysteriorum fidei notitia imbuuntur.

Portant. Loquitur de iis qui in fide adhuc rudes sunt, neque rationes, cur credant, dare possunt, ac fontes, ex quibus fides ipsa profluit et vias traditionum, per quas ad nos veritates credendæ defluxere, ignorant : itaque fidei *intentatæ* (nondum satis examinatæ), attamen *probabili* (ab aliis, nimirum magistris suis, *approbatæ*, et reipsa etiam a cunctis approbandæ), a prima pueritia eidem innutriti, *per imperitiam*, seu ex defectu plenioris notitiæ, *simpliciter* inhærent.

Istic. Carthagine nimirum in Africa, ubi Tertullianus hæc scribens agebat.

Caiana hæresi. De propudiosissima hac hæresi vide Tertullianum nostrum *de Præscript. cap.* XXXIII et XLVII. Hos autem *Caianæos*, seu *Caianitas*, inter alios suos errores omnem baptismi vim sustulisse, S. Aug. in *L. de Hæresi ad Quodvult. hær.* 15, perhibet.

Venenatissima. Virulentissimum reptile, Latinis *vipera*, quasi *vivipara*, appellatum, quod non, aliorum serpentum instar, ova, sed *vivos fœtus* excludat : vel, ut Martinius in *Lexic.* ait, quod *vepreta* (namque Veteres *vipre*, pro *vepre*, dixisse ferunt) amet : vel quod *vi pariat*, sobole tam laboriosi partus velut pertæsa, ac ipsum proin matris uterum, quasi per summam impietatem, erodente : ut adeo Pierius *L.* XIII. *Tit. de Vipera*, ab Ægyptiorum sacerdotibus filios, adversus matrem conspirantes, per *viperæ hieroglyphicum* denotatos fuisse testetur. Sed et apud Græcos quidam *viperam* ideirco ἔχιδναν dictam esse volunt, παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὸν γονέα ἄχρι θανάτου : quod *in utero suo fœtum usque ad interitum suum contineat.* At nimiæ huic veterum credulitati experientia, ut jam olim Theophrastus advertit, reclamat. Cæterum textum illum sic quidam, nec male, interpungunt : *viperæ, venenatissima doctrina sua*, etc. Denique autem, quam *viperæ* nomine denotat, mox inferius aperte, nomineque suo prodit.

Rapuit. Corripuit, vel *ad se*, suamque pestilentissimam hæresin, *rapuit.*

Naturam. Viperarum scilicet.

Fere. Alii *fera*, quod Junio jure displicet. Itaque *fere* hic pro *plerumque* omnino retinendum.

Aspides. Ἀσπὶς, ίδος, *Græcis clypeum* proprie significat. Atque inde Aristophanis Scholiastes *aspides* quoddam serpentum genus dictum putat, διὰ τὸ εἰς κύκλους πολλοὺς ἑλισσόμενον, *propterea quod in multos circulos convolvi soleat*, hacque sua convolutione *orbicularem* figuram, qualis tunc communiter *clypeis* erat, induere. Quanta autem veneni vis aspidibus sit, vel solum id documento esse potest, quod Kircherus *Mun. subterr. L.* IX, *sect.* I, *c.* 3, de sodalium suorum quodam refert : « qui cum *aspidem* in arbore sedentem percuteret, illa vel solo halitu ita percutientem « intoxicavit, ut sideratione quadam hominem toto « triennio immobilem redderet, ex qua et, nullo re- « medio tali veneno pari, postmodum occubuit. » Hæc ille. Sane etiam Cleopatram morsu *aspidis*, suamet manu pectori admotæ, nec jam amplius proficientibus *Psyllorum* remediis, interiisse, Suetonius *in Augusto c.* 17, author est. Non igitur mirum, quod *Deut.* XXXII, *v.* 33, *venenum aspidum insanabile*, et *Ps.* XIII, *v.* 3, universim de impiis, *Linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum*, dicatur. De insuperabili hujus veneni potentia vide quæ reverendiss. noster Calmetus *in Psalm.* XC, *v.* 13, et Bochartus in *Hierozoito P.* II, *L.* III, *c.* 5 *et* 14, habent.

Reguli. Regulus serpens, Græcis Βασιλίσκος, ideo dictus esse fertur, quod candida in fronte macula, velut *regio* quodam diademate, præfulgeat, vel quod, cum admodum parvus sit, immanitate tamen veneni, reliquos etiam maximos serpentes vincat, et hominem, ni fugerit, solo *halitu*, quin et si prior ille hunc viderit, vel *aspectu* enecare soleat. Et hæc veterum communis persuasio erat, ut apud Ælian. *de Hist. anim. L.* II, *c.* 5 *et* 7, nec minus Plin. *H. N. L.* VIII, c. 21, videre est. Certe autem Deus per Jeremiam c. VIII, *v.* 17, velut maximam plagam Judæis comminatur : *Ecce ego mittam vobis* צפעונים כהשים (quod Vulgata per *regulos serpentes*, LXX vero per ὄφεις θανατοῦντας, *serpentes lethiferos*, reddunt) *quibus non est incantatio*, seu contra quos nullum magicæ artis carmen proficit.

Ex galli gallinacei, jam annosi, ovo excludi aiunt. Exhibentur enimvero in quibusdam Museis, ut ipse non semel vidi, *basilisci*, bipedes, alati, serpentina cauda insignes, et a forma galli gallinacei non valde, nisi quod implumes sint, alieni : quos tamen alii *rajas* pisces ex minorum genere esse, ac in illam figuram artificioso dolo accommodari solere, affirmant. Certe autem a veteribus, *Plinio, Æliano, Solino*, etc., non inter *aves*, sed veros *serpentes* referri constat. Denique vero insigniores nostrorum temporum Medici et Philosophi *Basiliscos*, eorumque præcipue natales, ad fabulas amandare non verentur.

Sectantur. In arenosis enim desertis, saxosis montibus, ac maxime in veterum ædificiorum ruinis, præcipue stabulari dicuntur.

Nascimur. Inter Sibyllina oracula circumfertur *Sibyllæ Erythreæ*, vel, ut alii malunt, *Cumanæ*, carmen quoddam *acrostichum*, viginti septem versibus comprehensum, cujus initium hoc est :

ΙΧΘΥΣ.

Cum ergo ἰχθὺς Græcis *piscem* significet, quidam antiqui PP. Christum ἰχθὺν appellarunt : *In quo nomine* (ait S. Aug. *L.* XVIII, *de C. D. c.* 23) *mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, vivus, hoc est, sine peccato, esse potuerit.*

Licet autem hæc oracula ab antiquis PP. *Justino M., Theophilo Antioch., Athenagora, Clem. Alexandr., Eusebio, Lactantio*, etc., magni habita, atque contra Gentiles, fortium telorum instar, contorta fuerint, attamen ipsis quoque gentilibus, non tantum Celso apud *Orig. L.* V *contr. eumd.*, sed et Dionysio Halicarnass. *L.* IV *Ant. Rom. c.* 70, et huic quidem Terentii Varronis authoritate nixo, illas *Sibyllarum acrostichides* mere supposititias esse persuasum erat : quin et longe communior jam criticorum sententia habet, diu post Sibyllas, et quidem circa *A. C.* 130 sub Hadriani imperio a quodam Christiano, ut nostram Religionem gentilibus commendaret (cujusmodi pius fraudibus nec Apostolicam ætatem caruisse ex Euseb. *L.* III *H. E.* c. 7, aliisque constat), afficto *Sibyllæ* nomine procusas fuisse. S. Aug. eod. *L.* XVIII, *c.* 45, de illis subdubitare visus est, inquiens : *Nisi forte quis dixerit, illas prophetias Christianos finxisse de Christo, quæ Sibyllæ nomine, vel aliorum, proferuntur*, etc. Similia *cap.* 47 habet.

Num vero, oppones, *acrostichis* hæc, jam ante Christum natum a Cic. *l.* II *de Divin.* laudata Christ-

tiano adscribi possit? Repono: Equidem Tullio ejusmodi carmen, nomine *Sibyllæ*, nequaquam tamen illud, quod tam clare Christum, sed aliud, quod obscure nescio quem regem Romanis imperaturum præsagiebat, notum fuisse, multorum opinione in *Julio Cæsare*, Regis titulum tacite ambiente, implendum. Et jam *percrebuerat fama* (ait Sueton. *in Jul. Cæs. c.* 79) *L. Cottam XV—virum sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus* (Sibyllinis nempe, quorum custodiam et inspectionem uni Collegio XV — virali demandatam fuisse constat) *contineretur, Parthos, nisi a rege, non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur;* quod idem Suet. mox *c.* 80, luculentius confirmat. Atqui illud ipsum carmen eujusdam Sibyllæ, divino œstro percitæ, fuisse, Tullio incredibile videbatur: *hoc scriptoris est*, inquienti, *non furentis: adhibentis diligentiam, non insani. Atque ego quidem citius adulatoris cujusdam, sibi Cæsaris gratiam aucupaturi, fuisse credidorim.* Neque autem acrostichum hoc carminis genus tunc ignotum erat, quippe jam ab *Ennio*, qui Cicerone plusquam 60 annis antiquior erat, frequentatum, atque ab eodemmet Tullio *ibid.* celebratum.

Quid vero? ais, an ab antiquis Patribus spuria illa oracula contra Judæos ac gentiles, ad persuadendum veri Messiæ adventum adducta, aut verius per eadem illis illusum fuisse, credamus? Resp. id bona fide, nec inepte, contra gentiles præsertim, factum fuisse, nimirum non ut authoritatem hujusmodi oraculis conciliarent, sed ea, qua apud illos jam alias pollebant, instar *argumenti*, ut vocamus, *ad hominem* uterentur. Et denique primis illis Ecclesiæ Patribus, unice nimirum in Religione vera, quoquo poterant modo, propaganda defixis, non vacabat, critico examine ejusmodi scripta dijudicare. Quare et *Hystaspis*, et *Mercurii Trismegisti* libris, *Actis Pilati*, quibusdam *Evangeliis*, omnium jam judicio apocryphis, non raro usos fuisse constat. Quid miremur igitur, Tertullianum quoque ad illud putatitiæ cujusdam Sibyllæ acrostichum alludere, et nos *pisciculos*, ἰχθύας nostri, velutque magni *Piscis*, Christi, æmulos, ab eodem appellari, ad cujus exemplum Baptisma suscipimus, et *in aquis* ejus ad spiritualem animæ vitam *nascimur*. Cæterum, qui de Sibyllis plura volet, apud Dupin *Bibl. Nov. T. I. p. m.* 28. etc., Caveum *de Script. Ecc. v. Sibylla*, Basnage *ad An. ante Chr.* 4, Isaac Vossium, Blondellum, Marckium, Crassetum, aliosque plures, reperiet.

Salvi sumus. In fide, quam per Baptismum suscepimus, atque professi fuimus, perseverando; nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth.* 24. *v.* 13.

Quintilla. Obscura cæteroquin mulier, nisi ejusdem venenum, nomenque ipsum, etiam viri (*Quintillani*, pro pudor! appellati) sibi alliniri passi fuissent. Cæterum S. Epiph. *Hær.* 49. Quintillam hanc *Priscillæ* et *Maximillæ*, *Montani* prophetissarum collegio accenset: at Basnag. in *Annal. Politico-Eccles. ad A. C.* 200. *n.* 5, duas ejusdem nominis fœminas solerter distinguit, hanc que Montani, in Phrygia Asiæ *Pepuzianorum* magistram, illam vero Tertulliani nostri, in sola Africa collocat, *Caianæ hæresi*, ut supra jam monuerat, addictam.

Monstrosissima. Quippe in *virorum* choro principem, et jam supra *viperæ*, *aspidi*, et *regulo* comparatam.

Jus erat. Universim mulieribus hoc jus adimit S. Paulus *1. Cor.* 14, *v.* 34 *et seq.*, garrulo huic generi, et sacros fidelium cœtus nimium interturbaturo, districte silentium imponens: *Mulieres autem in ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse viris suis*, etc. adeo *ut ne integre quidem*, id est, cæteroquin *incorrupte*, docendi, munus illis permittat. Vide infra *Cap. XVII, sub fin.* Constat autem ex hoc loco, Tertullianum, cum hæc scriberet, nondum inter *Montanistas* fuisse, apud quos mulieribus publice prophetandi, ac viros ipsos (indignum!) docendi, facultas etiam cum plausu concessa erat, ut *Quæst. Crit. V*, Libro Tertulliani *de Præscr.* a nobis præmissa, ostendimus.

Auferens. Baptismum subtrahens, sine quo tamen nemo *Christianus* fieri potest.

Notæ ad caput II.

Constat. Hæc sententia hæreticorum perversitatem *admirantis* est, proindeque θαυμαστικῶς accipienda, quod scilicet ex ipsis Fidei nostræ elementis tela sibi contra nos fabricare laborent.

Obduret, i. e. *pertinaces* ac *refractarios* reddat.

In actu, seu *actione* ipsa, et *opere exteriori.*

In effectu. Interiori nempe, ac *spirituali*, qui est *Gratia Sacramentalis*, omnem totius naturæ vim, captumque exsuperans.

Repromittitur. Simpliciter pro *promittitur*, ut passim *retractare* pro *tractare*, aliaque ejusmodi composita, pro simplicibus Noster usurpare solet.

In aqua. In aquam putant alii; sed quid vetat retinere *in aqua?* Namque Tertullianus de *Baptismo immersivo* loquitur, tunc temporis non in Africanis solum Ecclesiis, sed ferme ubilibet usitato, in quo baptizandi non tantum *in aquam immitti*, sed etiam in ea *demitti* toto corpore solebant. Sed nos de hoc Baptismo alibi.

Tinctus. Noster perpetuo pro græco baptizare tingere ait.

Resurgit. Subita enim immersio, atque ex aqua Baptismi emersio, non eam, quam alias balnea solent, munditiem corpori, at multo majorem animæ conciliat.

Eo, pro *eapropter.*

Æternitatis. Seu *salutis æternæ*, cui per baptismum *initiamur.*

Solemnia. Sacrum solemne Festo (veteri Grammatico) dicebatur, *quod certis temporibus annisque* (unde et *anniversaria*, quasi *anno* quolibet *vertente* præcipue celebranda) fieri *solebat*, pro populo maxime, et publico sumptu, ut erant *Agonalia, Carmentalia, Quirinalia*, etc.

Arcana. Sacra seclusa vocabant veteres, Græci Μυστήρια, seu *abscondita. Arcanum* autem, genus quoddam Sacrorum erat, quod, teste rursus Festo, *fiebat ab Auguribus, adeo remotum a notitia vulgari, ut ne literis quidem vulgetur, sed per memoriam successorum celebretur.* Talia erant, quæ seclusa plebe celebrabantur, ut *Nyctelia*, apud S. August. L. VI *de C. D. c.* 9. Item *Samothracia* Cabirorum, seu deorum potentium, de quibus Noster in *Apol. cap.* 7, *Eleusinia* in Attide, etc. ob suam turpitudinem ἄῤῥητα (*infanda*) dicta: quibus accenseri merentur ea, quæ apud Romanos *Bonæ Deæ* fiebant. Inter arcana quoque erant sacra *Mithriaca*, de quibus Noster in *L. de Corona Milit. c. ult.*, et nos in *L. de Præscript. c.* XI, *Not. h.* et infra *Cap.* V. Maxime autem Tertullianus hic intelligit illa sacra, ad quæ *ablutionibus* quibusdam sacrificantes initiari opus erat: ut erant *Dei Æsymnatis*, de quibus Pausanias *in Achaic. c.* 226, aliasque passim.

Suggestu. Suggestus proprie est locus quidam editior, ex multarum rerum congeric aut aliarum *super* alias *gestione*, factus. Itaque demum *suggestum* appellabant Latini quemcunque locum editiorem, ut erat ille in *Campo Martio*, ex quo Magistratus concionabantur: imo et ipsa ejusmodi oratio *suggestio* nominabatur, de qua Vopiscus c. 19: *Referimus ad vos, P. C., pontificum suggestionem.* Accipitur etiam generaliter pro *apparatu*, ut apud Nostrum L. de Spect. c. 7: *Circensium paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen pompa præcedit*, etc. Et ibid. c. 12: *Idem de apparatibus interpretabimur, in ipsorum honorum suggestu deputandis*, etc. Item in L. de Idol. c. 18: *Jam vero de solo suggestu et apparatu honoris retractandum*, etc. Sic etiam Cæsarum *imagines aureæ et argenteæ*, quæ super hastam aliæ super alias affixæ legionibus præferebantur, *suggestus* nomine veniebant, ut rursus apud Nostrum Apol. adv. gent. c. 16: *Omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt.* Sumitur et pro *ornatu muliebri* in vestibus, ut in L. de Veland. Virg. c. 12: *Solæ autem manifestæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem*

..... *uno habitu negantes, quod toto suggestu profitentur.* Et in L. de Cult. Fœm. c. 2 : *Jam non tantum conflctæ et elaboratæ libidinis suggestum recusandum a vobis sciatis*, etc. Singulariter vero pro ornatu capitis, et capillorum convolutis cirrhis ponitur, ut est illud *Statii, l.* I, *Sylv.* :

..... Celsæ procul aspice frontis honorem,
Suggestumque comæ.

Nonnunquam etiam pro *subministratione* accipitur, ut rursus apud Tertull. L. adv. Hermog. c. 16 : Si *mali auctor est ipse, qui fecit, plane socia materia per substantiæ suggestum.*

Exstruunt. Indigitat autem hic præcipue immanem illum *ludorum, vestium, conviviorum*, etc. luxum, qui in quibusdam sacris gentilium adhiberi consueverat.

Potestatem. Enimvero hæc Dei attributa sunt, quæ se invicem maxime commendant, cum in infinita Potentia tanta relucet operum Divinorum simplicitas, in tanta simplicitate infinita Potestas. Sane vero Author naturæ brevissima via, nec multo instrumentorum apparatu utitur, nihil facit frustra, non multiplicat entia sine necessitate, etc., sed suam Potentiam quam paucissimis mediis adstringit ; quin et ea ipsa, quæ ad merum *ornatum* universi condita fuisse videntur, suam tamen *simplicitatem* habent; neque ipsius etiam ornatus Deus operibus suis plus adhibet, quam necessarium sit ad finem, a Summa Sapientia præfixum, obtinendum. At ferme contraria omnia in humanis eveniunt; nam infirmitatem *potentiæ* vel ipse *simplicitatis* defectus, magnusque instrumentorum apparatus arguit. *Domus* quo amplior ædificanda est, eo majorem congestionem *materiæ*, majoremque *opificum* numerum requirit : at universa hæc mundi machina ab Architecto suo sine alieno adjutorio, sine tumultuoso molimine, per unicum *Fiat* condita *ex nihilo* est. Aurum *natura* tacitis simplicissimisque viis perficit : *Ars*, inter tot suscepta tentamina, *genuinum aurum* (nil dicam de *adamantibus*, etc.) fortassis ægre raroque, aut verius nunquam, producere potuit. *Viribus motricibus*, ut vocant, Ars mechanica mirandum in modum, sed nonnisi per multiplicatas *trochleas* aliasque operosas machinas, et eo majori successus *tarditate*, succurrit. Quot pharmacis ad pellendam gravioris morbi pertinaciam opus est? quot morbi sunt, nulla medicorum arte expugnabiles? Atqui Christus (ut vel hæc pauca commemorem) leprosum duabus vocalis : *Volo, mundare* (Matth. 8. v. 3), filiam mulieris Chananææ per unicum *Fiat* (Matth. 9. v. 25), cæcum a nativitate per solam *luti* inunctionem, et *lotionem* in natatoria Siloe (Joan. 9); socrum Petri febricitantem (Matth. 8, v. 15), duos cæcos (Matth. 20, v. 34), solo *attactu*, et Centurionis paralyticum etiam *absens* (Matth. 8, v. 13), sanitati, imo Archisynagogi filiam omnino mortuam, *tenens manum puellæ* (Marc. 5, v. 41 et seq.) ipsi vitæ restituit, per media nimirum penitus improportionata.

Mortem. Quis enim humanis viribus et superinfuso lavacro mortuos unquam suscitasse legitur? At vero animam per Baptismum in aqua ubilibet obvia, simplici, etc. a *morte peccati* ad *vitam gratiæ* resuscitare, id multo *simplicius* est, ac humana omni infirmitate majoris *potentiæ*.

Non creditur. Ea enim homines *admirari* solemus, quæ captum nostrum exsuperant : igitur hæc eo magis *credere* debemus, quo plus Divinitatis in illis relucet, quæ et quanto ab humana virtute agendique modo remotiora sunt.

Non credit. Duplex ergo admiratio est. Una orta *ex fide*, quando de rei existentia, proprietatibus, etc. minime quidem dubitamus, attamen *quomodo* illa res se habeat, aut *causas* ejus, ceu captum nostrum superantes, interius nosse ac perspicere volumus, et non valemus, ut adeo nonnisi eam *admirari* debeamus. Atque hoc sensu *admiratio* (quod Aristot. alicubi dixit) *est filia ignorantiæ*. Altera *sine fide* est, quando miramur, ab altero id credi, aut prædicari, quod nostram fidem superat, eo quod hanc alterius, imo ipsius DEI authoritati accommodare renuamus.

Vana, i. e. *inania ;* incredulitas enim omnia ex *sensibus* metiri solet : quæ ergo exterius *simplicia* apparent, talia quoque interius esse existimat.

Impossibilia. Quæ intus *magnifica* esse, seu *magnos effectus* edere dicuntur, quoniam sensibus attingi non possunt, infidelis neque fieri posse credit; etenim ut Ap. I Cor. II, 14, ait, *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus* DEI, *stultitia enim est illi, et non potest intelligere.* Sunt igitur rursus tales, qui ex solis *sensibus*, sed parum *sensate* judicant.

Penes Deum. Illud utique Christi apud *Matth.*, XIX, 26, innuit : παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι. Quæ Vulgatus noster ad verbum reddit : *Apud homines* (id est, in hominum opinione) *hoc* (salvum esse, seu æternam salutem consequi) *impossibile est : apud* DEUM *autem omnia possibilia sunt.* Fors autem Tertullianus in suo codice *prædifficilia* legerit, ea nimirum ratione, qua Cicero illum Platonis in *Timæo* locum : ἀδύνατον Θεῶν παισὶν ἀπιστεῖν, ita transtulit : *Difficile factu est, a diis ortis* (deorum filiis) *fidem non habere.* Et sane quæ *prædifficilia*, seu *valde difficilia* sunt, *moraliter*, seu in æstimatione hominum, *impossibilia* dicere solemus. Hanc autem Tertulliani mentem ea, quæ mox subjiciuntur, manifestant.

Prætereuntes eum, i. e. *obiter*, ac velut *transeuntes considerantes.*

Adversariis, seu *contrariis.*

Causam, i. e. *esse causæ*, seu, si Scholasticorum more loquamur, *virtutem causativam.* Potest quoque accipi pro *causa*, seu *ratione*, quod sit, seu existat, id est, pro *principio*, seu *origine.* Idem modus loquendi etiam apud Nostrum in *L. de Spect. c.* 12, occurrit : *Necesse est, quidquid dignitatis nomine administratur, communicet etiam maculas ejus, a quo habet causas.* Quanquam quid vetat, causam hic pro *statu* ac *conditione* rei accipere ; hoc enim sensu etiam Cic. *de Fin.* usus est : *Morte qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua ante quam nati ;* nec minus lib. *de Offic.* inquit, cum *vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex captivus*, etc.

Provocatur, seu *efficitur*, ac velut ex statu *possibilitatis* ad ipsam *existentiam* evocatur. Sensus igitur est, omne opus, statum ac conditionem suam accipere ab eo, a quo progignitur, proindeque efficaciam Baptismi, non ex exteriori apparatu, sed a Sapientia ac Potentia DEI, intus ac spiritualiter operante, dumetiendam esse.

Notæ ad caput III.

Reformari. Per aquam reformari dicimur, cum *formam* gratiæ Divinæ, per peccatum amissæ, *postea* in Baptismo *recuperamus.*

Quid. Pro *cur*, ut Ovid. in *Ep. Oenon. ad Parid.*

. . . . . *Quid avenæ semina mandas?*

Auctoritas. Præstantia quædam, ac velut insita *dignitas.*

Exigenda est. Aliquibus tota hæc sententia implexa videtur, ac propterea cum *Junio* ita legendum censent : .... *aqua reformari tractamus, quid utique*, etc. *meruerit officium. Ut opinor, auctoritas, etc.* At quæ sic interpungendi necessitas? aut cur non potius has voculas *ut opinor* ironice, pro *scilicet*, accipiamus, ut sensus sit : quasi vero DEUS nihil *posset*, quod supra vires, et exigentiam *aquæ*, aut alterius creaturæ, esset?

A primordio, ipsius *mundi* videlicet.

Suggestum, i. e. *ornatum*, seu in suas species evolutionem. *Suggestus.* Vid. *Cap. præc.* col. 1142. D.

Impolita. Seu *rudia* adhuc et *informia.*

Penes Deum. Pro *apud* DEUM seu *in* DEI *potestate ac voluntate*, sita erant, quidnam ex quolibet efficere vellet; quo ferme sensu idem noster in *L. de Patient.* c. 1, ait : *Quod maxime bonum, id maxime* penes DEUM, *nec alius id quam qui possidet, dispensat, ut cuique dignatur.*

Quiescebant. Velut *inertia* adhuc, nullaque agendi facultate prædita.

Inquit. Moyses nimirum. *Genes.* I, *v.* 1.

Invisibilis. Hebr. תהו, in Vulgata *inanis*, Aquilæ est

κένωμα, *inanitas* : Symmacho ἀεργόν, *otiosum* ac iners : Theodotioni κενόν, *vacuum* ; LXX vero per ἀοράτους, *invisa*, seu *invisibilis* (meris utpote tenebris adhuc involuta) transferunt : prout idem noster Vulgatus locum quem dam *Sap.* II, 18, ita reddidit : *Creavit orbem terrarum ex materia* INVISA, ubi Græcus: ἐξ ἀμόρφου ὕλης, *ex* INFORMI *materia*, habet.

Incomposita. Hebraicam vocem בהו Vulgata nostra per *vacua* : Aquila et Theodot. per οὐθέν, *nihil* : Symmachus per ἀδιάκριτον, *indiscretum* seu *confusum* ; LXX per ἀκατασκεύαστος, *imparata*, *inelaborata*, INCOMPOSITA, seu *confusa*, reddunt.

Abyssum. Hebraicum תהום Græcis omnibus ἄβυσσος, nimirum, ut Eustachius hoc nomen interpretatur, *aqua nimia infinitum habens profundum*, seu fundo carens, vel, ut Corn. a Lap. exponit, *moles aquarum tunc terram omnem operientium*, et demum Reverendiss. Calmeto nostro *aquarum materia*, *terræ adhuc immixta*, seu limus, est.

Spiritus Dei. Quis vero hic רוח אלהים, SPIRITUS DEI ? Non parva hæc difficultas triplicem præcipue opinionem peperit. B

Prima tenet, intelligendum hic esse *ventum*, seu *aerem* super aquas *vehementius commotum*. Ita sentit *Severianus*, Gabalensis Ep. Sæc. IV Scriptor, quem Theodoretus *Interrog. VIII*, *in Gen.* discrtius exponit : *Verius putaverim, quod hic* aerem *vocet* spiritum ; *nam cum dixisset*, DEUM *creasse* CŒLUM (scilicet *Empyreum*, ab IGNE, qui Græcis est πῦρ, appellatum) *et* TERRAM, *et Aquarum meminisset sub nomine* ABYSSI, *necessario* AERIS *mentionem fecit*, etc. Neque hæc sententia a SS. *Basilio*, *Ambrosio*, *Augustino*, etc. improbatur. Sane autem constat, quod Hebræi, quorum lingua *superlativis* destituitur, inter alia ad eosdem exprimendos adminicula non raro nomen quodpiam DEI proprium adhibere soleant, ut *Gen.* XXXV, 5. חתת אלהים TERROR DEI (id est *maximus*, ac velut a DEO ipso immissus) *invasit omnes*. Sic *Psal.* XXXV, 7, habetur : *Justitia tua* כהרי־אל SICUT MONTES DEI, i. e. *montes altissimi*. Et *Psal.* LXXIX, 11 : *Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus* ארזי־אל CEDROS DEI, maxime nimirum sublimes ac proceras. Accedit quod iisdem, quibus Moyses *Gen.* I, 2, etiam Isaias XL, 7, vocibus utatur : *Exsiccatum est fœnum, quia* רוח יהוה SPIRITUS DOMINI *sufflavit in eo* : quod palam est de *vento* intelligendum esse.

Secunda sententia multorum est, qui per *spiritum* illum, teste S. Aug. *de Gen. ad lit. imp. c.* 4, intelligunt VITALEM CREATURAM, *qua universus visibilis mundus, atque omnia corporea continentur, et moventur*, etc., aut, ut S. Joan. Chrysost. *Hom.* III *in Gen.* affirmat, *quod adfuerit efficax quædam et* VITALIS OPERATIO *aquis* (scilicet occulta ipsis impressa *fœcunditas* ad progenerandas viventes creaturas, *pisces* nempe ac *volucres Gen.* I, 21), *et non fuerit simpliciter aqua stans, et immobilis, sed mobilis, et* VITALEM *quamdam* VIM habens.

Tertia opinio de SPIRITU SANCTO exponit : in quam me adigit longe major SS. Patrum numerus. *Verius est* (ait S. Basil. *Hom.* II *in Hexaëm.*), *et a majoribus nostris probatum, quod* spiritus *ille* SPIRITUS DEI SANCTUS *dictus est*, etc. Et S. Ambr. *L.* I *in Hex. c.* 8, inquit : *Nos cum sanctorum et fidelium sententia congruentes, Spiritum S. accipimus*, etc. Nec minus S. Hier. *de Trad. Hebr. in Gen.* affirmat. *non de spiritu mundi dici, sed de* Spiritu S. *qui et* Vivificator *omnium a principio dicitur*. Atque idipsum in *Ep. ad Ocean.* confirmat, inquiens : *Incompositam et invisibilem materiam abyssorum magnitudine et deformibus tenebris opprimebat : solus* Spiritus DEI *in aurigæ modum super aquas ferebatur, et nascentem mundum in figura* Baptismi *parturiebat*. Quid vero S. Augustinus ? Præclare et hic in *L.* XIII *Conf. c.* 3, mentem suam aperit : *Tenebam*, inquiens, *jam* PATREM *in* Dei *nomine*, qui *fecit hæc* (cœlum et terram) *et* FILIUM *in* Principii *nomine*, in quo *fecit hæc : et* TRINITATEM *quærens*, *quærebam in eloquiis Scripturarum ejus : et ecce* SPIRITUS *tuus superferebatur super aquas*, etc. Unde non mirum, quod ex tanto consensu Patrum hanc quoque sententiam adoptaverit Ecclesia in Benedictione Fontis Baptismalis ita canens : DEUS, *cujus* Spiritus *super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet*, etc. A

Sed quid vetat, tres has opiniones quasi in unam compingere ? Dicamus igitur, per SPIRITUM DEI imprimis intelligi *ventum*, seu *aerem* elementarem, et hunc *singulari virtute* DEI *commotum*, perfluendo aquas, his velut incorporatum fuisse, sicque eas ad progeneranda viventia fœcundasse, et Spiritum Sanctum sub hoc aere invisibiliter latentem, easdem aquas virtute, per Baptismum olim animam sanctificandi quodammodo initiasse.

Ferebatur. Hebraicum מרחפת quod LXX per ἐπεφέρετο, *superferebatur*, exponunt, arcanioris nonnihil significationis apud Hebræos esse dicitur. Enimvero S. Basilius in *Hexaem.* c. 1, Syri cujusdam interpretis (quem communiter putant fuisse *S. Ephrem*, Basilii insignem amicum) testimonium adducens, sic profatur : *Illud itaque* ἐπεφέρετο, SUPERFEREBATUR, *ait* (Syrus ille), *interpretatur pro* συνεθαλπε, CONFOVEBAT *secundum similitudinem* ἐζωογόνει ANIMABAT *secundum similitudinem* ἐτοιαζούσης ὄρνιθος, OVIS INCUBANTIS GALLINÆ, *et vitalem quamdam virtutem immittentis* τοῖς ὑποθαλπομένοις, CONCALEFACTIS, nimirum ovis illis. Consonat Diodorus Tars. in præfatum Genes. loc. ita disserens : *Vult enim Hebraica dictio* (מרחפת) *verbo* ἐπεφέρετο *respondens*, *significare*, *quod*, *sicut gallina ovis incubat, alis suis ea tanquam animanda molliter contingens, sic etiam* Spiritus *aquis* superferebatur, *eas vitali calore imbuens*. Atque hoc ipsum S. Hieron. in *Ep. ad Ocean.* et *L. de Trad. Hebr.* nec minus S. Ambr. *L.* I. *in Hexaem. c.* 8. confirmant, ut apud Natal. Alex. *T.* I. *Æt. M.* I. *Diss.* I. *Art.* 2. *Prop.* 2. diffusius videre est. Et denique adhuc subtilius id S. Aug. de Gen. ad Lit. c. 4. explicat : *Sicut* superfertur *voluntas artificis ligno*, etc.. *vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum movet*. Atque ita etiam individuus Augustini sectator S. Thomas. I. *p. q.* 66. *a.* I. exponit. C

Substantia. Subaudi *sit*.

Dignationem, pro *dignitatem*.

Sedes. Igitur Tertullianus jam Patribus illis, de quibus supra : *Spiritus Dei*, facem prætulit, non minus *L.* IV *adv. Marc.* XXVI, eandem sententiam insinuans : quanquam, si verum dicere velimus, parum constanter ; nam. *L. adv. Hermog. c.* 32, in illud *Amos* IV, 13 (ut quidem LXX legunt) στερεῶν βροντὴν, *qui solidat tonitruum*, καὶ κτίζων πνεῦμα, *et condit spiritum*, etc., ita disserit : *Eum spiritum* conditum *ostendit, qui in terras conditas deputabatur, qui super aquas ferebatur, librator, et adflator, et animator Universitatis, non, ut quidam putant, ipsum* DEI *significari* SPIRITUM (*neque enim* aquæ *Dominum sustinere sufficerent*) ; *sed eum* spiritum *dicit, de quo etiam* venti *consistunt*, etc. D

Aut igitur prioris suæ sententiæ immemor hæc scripsit, aut in gratiam *Montani* sui (tunc enim huic jam se, heu ! plene addixerat) qui ipsemet se Spiritum S. sacrilege jactasse quorumdam relatione perhibetur, imo et ab ipsomet Tertull. in *L. de Monog. c.* 1, compellatione *Paracleti* salutatur, veterem suam sententiam fortasse expunxit.

Liquor. Liquidum *aeris* elementum.

Semper. Inde jam a primordio creationis suæ.

Læta. Opponitur *tristi abysso*.

Simplex. Uniformis per omnia substantiæ.

Subjiciebat. In quo Spiritus S. *aurigæ in modum* super aquas veheretur, ut S. Hier. in *Ep.* 83 *ad Ocean.* explicat. Vide supra.

Modulatricibus. Modulari est rem concinne, ad certum *modum*, seu elegantiorem *modulum* ac *mensuram* disponere. Unde *modulatrices aquæ* hic vocantur, quo-

niam ex ipsis, velut *modulantibus*, ac præscriptos *modulos* cuilibet rerum speciei *præbentibus*, Universum hoc digestum aque coordinatum fuit.

Deo constitit. Alii *a* DEO *constitit*. Quanquam non est, quod ordinariam lectionem omnino damnem. Nam et DEO Græca phrasi, pro *per* DEUM : *constitit* vero pro *firmiter stetit*, aut potius pro *constitutum est*, intelligi potest.

In medietate distinctis, seu *in medio* per hoc ipsum *firmamentum* separatis. Ita enim *Gen.* I, 6 et 7, sacer textus inquit : *Fiat firmamentum* בתוך המים IN MEDIO AQUARUM ויהי מבדיל ET FIAT DIVISIO, vel, ut Vulg. noster habet, *dividat aquas ab aquis. Et fecit* DEUS *firmamentum, divisitque aquas*, etc. *Gen.* I, 6 et 7.

Suspenderet, in centro Universi nimirum ; namque inibi DEUS *appendit tribus digitis molem terræ. Is.* XL, 12.

Habili, ad recipiendas ejusmodi figuras *tractabili*, seu *idonea*.

Succida, pro *succulenta*, ut idem Varr. *L.* II, *c.* 11, ait : *A sudore ovium recens lana tonsa* succida *appellata est.*

Limo. Græca phrasi pro *in limum*, in quem *terra* ex superstite humore aqueo emollita fuerat.

Aut gratia. Ut Cic. *L.* II, *Ep.* 3. *ad Quint* ait : *Cætera quæ sunt in rebus nostris hujusmodi, plena dignitatis et gratiæ*, id est, venustatis.

Ingenia. Ingenium de inanimatis quoque rebus, saltem improprie, dicitur, pro vi iisdem *innata*, seu *intus genita*, quam alias quoque *indolem* dicere solemus. Ego autem pro *ingenia* legendum *ingenita* i. e. ingenerata, suspicor.

Instrumentum, ad infinitos prope usus et effectus.

Parere, pro *apparere*, ut in *L. de Spec. c.* 8, idem Noster : *Ante has tres Aræ trinis diis parent.* Vid. et *L.* I *adv. Marc. c.* 15, et alibi.

Æternam. Ex contextu vehementer suspicor *terrenam* legendum esse. Quanquam *æternam* tolerari posse existimem, ut sensus sit : *ex cujus velut nutu vita æterna dependat*, etc., cum vim sanctificandi vel in ipso sui primordio quodammodo consecuta sit, ut supra dictum fuit, partimque *Cap. seq.* amplius exponetur. Cæterum vero *Aquam* quoddam *Vitæ æternæ* symbolum esse, Christus ipse mulieri Samaritanæ *Jo.* IV, 10, etc. ac præsertim *v.* 14, præmonstravit, inquiens : *Aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

In cœlesti, i. e. *per* aliquid *cœleste*, scilicet Sacramentum Baptismi, ceu medium ad salutem nostram, quam *in cœlis* denique adipiscimur, summe necessarium.

Notæ ad caput IV.

Ipso habitu, seu, per illam, quam mox post sui creationem in se receptam *habebat*, *initialem* quamdam vim sanctificandi.

Super aquas. Ut *Cap. præc. Not. Spiritus* et *ferebatur.*

Reformaturum. Ib. Not. Reformari.

Mutuabatur. Sic etiam *Exod.* III, 2, mons *Horeb*, in quo *apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi*, ex præsentia DEI singulari quamdam sanctitatem contrahebat, atque ideo ad illum DEUS : *Solve*, inquit, *calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas*, TERRA SANCTA *est.* Ib. v. 5. Simile exemplum occurrit *Jos.* III, 5, et alibi plura.

Rapiat. Contrahat, velut vi quadam *ad se rapiens.*

Insidere facilem. Hellenismus est; sic enim Græcus diceret : εὐεδῦναι καὶ ἐμπαθίζεσθαι πρόχειρον, cum Latinus, *facile penetrantem et insidentem.*

Subtilitatem. Similitudine quadam corporali, et ad sensus accommodata uti videtur, de *oleis* quibusdam ac *tincturis*, solidissimas etiam substantias penetrantibus. Quomodo autem substantia, aut qualitas spiritualis, in subjecto corporeo recipiatur, id enimvero Philosophis multo difficilius explicatu est.

Concepit, pro *incepit* fortasse : aut sensus est : *vim sanctificandi concepit*, i. e. in se *recepit*.

Ex ea parte qua, i. e. *in tantum*, *in quantum* genus quidem, etc.

In specie. Fors legendum *in speciem.*

Diluatur. Quidam Codices *deluatur* habent; veteres enim *deluere* pro *eluere*, et apud Festum *deluviam* pro *diluvio* dicebant.

In Tiberi. Romæ nimirum, quam utique per *Tiberim*, flumen huic Urbi interfluum, designat. *Petrum* igitur *Romæ fuisse* illicque cum *Paulo* passum, Tertullianus non hoc duntaxat, sed aliis quoque locis, ceu rem penitus indubitatam supponit. Sic enim *L. IV adv. Marc. c.* 5, ait : *Videmus, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus, sanguine suo signatum reliquerunt.* Huic gemina sunt, quæ in *L. de Præscript., cap.* 36, habet : *Sed et Romanorum Ecclesia Clementem a Petro* (ubinam vero nisi Romæ? nam Clemens *Romanus* ortu fuerat, nec *Roma*, nisi jam *Romanorum* Episcopus, et a Trajano in exilium actus, discesserat) *ordinatum edit.* Rursus autem in *Scorp. c.* 15, ita loquitur : *Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur : tunc Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate.* Igitur jam sub initium *sæculi* III, hæc in *Carthaginiensi Ecclesia*, quin et per totam late *Africam*, invaluerat traditio, nemine, ne hæreticorum quidem, quos tam acriter, et ubilibet, insectatus fuerat Tertullianus, eamdem quidquam convellere auso.

Sed neque ita seclusa a *Romanis* erat *Carthago*, ut nonnisi tardius, ac incerto rumore, res paulo magis insignes, noviterque gestas, ultro citroque perferri opus fuerit ; nam et a *Julio Cæsare* traducta illuc integra *Romanorum civium* colonia, et ab *Augusto* successore ipsa *Africa* Senatus potestati tradita, et ceu *Provincia romana* per annuos *Proconsules* deinceps administrata, et ab Italis navibus ob frumenti propequotidianam exportationem (Africam enim *Italiæ horreum* illis temporibus audiisse, ex Tacito *l.* III *Hist., cap.* 48, ac plerisque tum Græcis, tum Latinis rerum Romanarum Scriptoribus nimis quam notum est) tum aliorum mercimoniorum causa perpetuo frequentata fuerat. Oro igitur, obtestorque, quo Authore non *Carthago* tantum, sed tota *Africa*, sibi tantum, tamque constans mendacium alliniri passa fuisset, aut quomodo veritatis ipsius, per innumeras occasiones melius explorandæ, tam incuria esse potuisset, ut non saltem *Tertullianus*, alias in Romanam Ecclesiam, præsertim postquam ad *Montanum* suum, impius desertor, transfugerat, convitiorum minime parcus, traditioni illi mendacem suam larvam detraxisset, non utique cessaturus, Romano Clero hanc imposturam objicere, si in ejus saltem suspicionem unquam perductus fuisset? Aut annon ipsi Proconsules, ac imprimis, qui, teste Tacito, *Hist. l.* I, *cap.* 7, ultimis Neronis temporibus Africæ præerat, *Clodius Mater*, aut qui eum consecuti sunt, *Vipsanus Apronianus*, *Vigellius Saturninus*, etc., et maxime *Scapula*, ad quem Africanæ Ecclesiæ persecutorem, Tertullianus tam animose pro Christianis scripserat, traditionem his tam gloriosam, et ad eosdem in sua fide confirmandos tam validam, deprehensa falsitate evellere dubitassent? Ac deinde si Petrus alibi, an solus Apostolorum tam obscuro in loco martyrium subiisse credendus est, ut ne quidem rumor illius ad *Tertullianum*, aut quemvis ante vel postea alium, seu *Carthagine*, seu *Romæ*, aut ubilibet demum versantem pertigerit? Aut denique Ecclesia Romana sola tam ignotæ originis est, ut cum cæterarum prope omnium et longe ignobiliorum, primi fundatores ex

probabili saltem notitia designentur, in Romanæ autem illius ortu assignando tota antiquitas decepta fuerit?

Itaque hæc Carthaginensis Ecclesiæ traditio non temere illic exorta, aut subdole conficta, sed ab iis omnibus qui *Petram Romæ* viderant, prædicantem audierant, martyrio ejusdem oculati testes interfuerant, ad posteros propagata, *Carthagini* indeque reliquis *africanis* Ecclesiis, una cum *Evangelio*, quod hæ a *Romana Ecclesia*, ut S. Aug. in *Ep.* 162 testatur, acceperant, illata fuisse, indubitato credi debet, tam fortiter per omnes ubivis terrarum Ecclesias stabilita, ut contra tot testium, et publicorum monumentorum, lapidum, templorum, etc., fidem nunquam deinceps vacillare potuerit.

Vides ergo, vel solum hoc *Tertulliani* testimonium (nil enim jam dicam de aliorum antiquissimorum Patrum, et partim quoque ipsi Petro cævorum, accedente prorsus unanimi consensu) ad traditionem hanc ipsis a suis fontibus accersendam, et sectariorum audaciam, qua rem tam apertam, et cui ne alias quidem hæreticorum aut schismaticorum ullus ante XVI Ecclesiæ Sæc. vel minimum contradicere ausus est, in controversiam jam pertrahunt frangendam. Nimirum moderni demum nostri tam nasuti, aut nasutuli potius sunt, ut, quæ veteres omnes subolfacere non potuerant, ipsi jam odorari incipiant. Atque si mihi quidem contra hos tales pluribus agere collibitum, aut operæ pretium esset, eos etiam, qui, ut a nostris sacris maxime alieni, ita apud illos alias maxima authoritate sunt, *Pearsonium*, *Grotium*, *Usserium*, *Chamierium*, *Blondellum*, *Petrum Molinæum*, aliosque, quorum vel solis nominibus pauculi alii, et nuper nati, facile opprimi possent, longo agmine adducerem. Nunc ex illis vel duos, *Samuelem Basnagium*, et *Guil. Caveum*, attulisse sufficiat : quorum prior, licet in *Annal.* suis *Politico-Eccles.*, *ad an.* 42, *n.* 8, pertinaciter neget, Petrum Romæ *Episcopum* fuisse, attamen *Romæ fuisse*, ad *A. C.* 64. *num.* 9, in hæc verba inconcusse affirmat : « Nulla unquam traditio « fuit, quæ majore testium numero cingatur; ut de « Petri in Urbem adventu dubitari non possit, quin « omnia historiæ monumenta convellantur. » Alter vero in *Script. Ecclesiastic.*, *Historia Litteraria*, *p.* 5, ita ait : *Petrum Romæ fuisse, sedesque in ea aliquamdiu tenuisse, cum toto antiquitatis cœtu intrepide affirmamus.* Postquam deinde testes produxisset omni exceptione majores, et ex ultima antiquitate petitos, *S. Ignatium Antiochenum*, ipsius *S. Petri* discipulum, *Papiam Hierapolit.*, *Irenæum*, S. Polycarpi, Viri Apostolici, discipulum, *Dionysium Corinthium*, *Tertullianum*, *Caium*, presbyterum Romanum, et *Origenem* laudasset, ita pergit : « Post tot veneranda nomina, tam clara primæ vetustatis monumenta, quis rem, tam perspicue, tam constanter traditam, in dubium revocabit? Certe si tam densa testium nubes, tam concors veterum sententia, pro cujusvis ingenii pruritu sit vellicanda, actum erit penitus de primorum Sæculorum memoria, nec cuiquam ultra suam ætatem sapere licebit. » Ita nimirum quidam ex heterodoxis nostris, cum propria sua judicia ubilibet pro veritate obtrudant, cum tot contumeliosas contra Religionem nostram fabulas undique corradant, partim ipsi quoque excogitent; fidem sibi dari illico postulant, quibus neque tota antiquitas par est, ad fidem ab illis mutuo impetrandam. Verum cum hactenus ferme extra instituti nostri limites abrepti fuerimus, si quis insuper plura desideret, apud Calmetum nostrum in Diss. peculiari *de itinere Romano S. Petri* abunde inveniet.

Philippus, qui communius creditur non *Apostolus*, sed unus ex septem primis *Diaconis*, *Act.* 6, *v.* 5, electis, fuisse.

Fortuita, i. e. *fortuito oblata*.

Retulit. Hæc utique sententia ironiam sapit. Cæterum non hic Tertullianus Baptismum a *Petro* collatum cum Baptismo *Joannis*, qui prioris duntaxat prævia A quædam figura, et quasi *præcursio* fuerat, penitus exæquare (manifestam enim, neque unicam, inter utrumque illum differentiam infra *cap.* 10, ponit); sed id duntaxat confirmare voluit, quamcunque aquam, per orbem hunc nostrum diffusam, utpote cum primigenia illa prorsus eamdem, æque a Spiritu Sancto jam nunc adaptatam fuisse, ad salutem hominibus quocumque demum modo conferendam : etsi utique negandum non sit, Baptismum nostrum, utpote Sacramentum a Christo ipso institutum, longe efficacioris virtutis fuisse, quam *Baptismum Joannis*, qui non *per se* conferebat remissionem peccatorum, sed solum ad actus pœnitentiæ, per quos illa flebat remissio, excitabat : qua de re Interpretes ac Theologi nostri passim videri possunt, nosque suo loco uberius confirmabimus.

Prærogativa. Participantes nimirum, velut per transfusionem, privilegium illud, et aquæ illius primitivæ indolem.

B *Sacr. sanctificationis*, seu *occultam* illam, ac *spiritualem* virtutem sanctificandi animam.

Invocato Deo. Quæ *invocatio* fit in *benedictione fontis baptismalis* : quem ritum jam Tertulliani temporibus adhibitum fuisse, et verisimiliter ab ipsis Apostolis descendisse, vel ex solo hoc loco satis colligitur.

Aquis superest, seu *super* aquas *est*, iisque velut supernatat.

Combibunt. An hæc virtus sit vere *realis* ac *physica* a Spiritu S. aquis impressa, et *physice* causans gratiam baptismalem, an *moralis* duntaxat, in *Tr. de Baptismo* vehementer disputant Scholastici.

Ad simplicem actum, pro *simplici actui*, *ablutionis* videlicet.

Vice sordium, i. e. *instar;* vel *loco sordium*.

In spiritu, seu *in anima;* peccatum enim, sola voluntate perpetratur, et in anima *maculam spiritualem*, quæ Scholasticis *peccatum habituale* dici solet, relinquit.

Reatum. Equidem nullam *caro*, seu *corpus*, culpam proprie dictam contrahit, neque *fomes* ille, quo *caro* C *concupiscit adversus spiritum* (*ad Gal.* 5, *v.* 17) peccati, nisi improprie dicti, rationem habet; quia tamen, ut rursus in scholis loquuntur, *actiones sunt suppositorum*, ac proinde non sola *anima*, sed totus *homo*, ceu ipsum suppositum, ex *corpore* et *anima* constans, in *carne*, ac *per carnem* peccat, inde etiam, propter intimam animæ cum corpore unionem nimirum, tum *culpæ*, tum *pœnæ* reatus quodammodo ad ipsum *corpus*, seu *carnem*, protenditur, adeo ut non quidem corpus *per se*, et *propter se*, sed anima in *corpore*, et *per corpus*, itaque totus *homo*, qui peccavit, puniatur.

Ob ministerium. Igitur antea dicta præcipue vera sunt in *peccatis carnalibus*, seu quæ carne, eaque quomodolibet demum concurrente, perficiuntur.

Medicatis quod aquis, i. e. *virtute medica imbutis*, ut in naturalibus sunt *thermæ*, et *acidulæ*. Alias etiam, sed rarius, pro *venenatis* sumi solet, ut Suetonius *Claudium* imp. *boleto medicato* e vivis sublatum esse refert, et Silius *L.* VI, tela *medicata veneno* canit.

D *Interventum*. Alludit ad *Piscinam probaticam*, de qua *Joan.* 5, et Noster *cap. seq.* apertius.

Diluitur, scilicet propter eam culpam quam *per corpus*, et *corporales* ac *sensibiles voluptates*, incurrit.

Mundatur. Ab ea videlicet macula, quam *in anima*, sibi intime innexa, contraxit.

Notæ ad caput V.

Spiritualium, i. e. *destituta omni intellectu*, etc., et nonnisi *carnalia* sapientes. Fors hæc sententia ita interpungi posset : *extraneæ ab omni intellectu, spirituajium potestatem*, seu virtutem, *eadem efficacia*, etc.

Subministrant, seu *attribuunt*.

Viduis, i. e. *inanibus*, ac omni ejusmodi virtute destitutis.

Initiantur. *Initiare*, verbum in sacris præcipue usitatum, est *consecrare*, seu *sacris imbuere*, aut potius ad eadem idoneum reddere. « Erant (inquit Casaubon. in *Athenæi l.* VI, *c.* 15) quidam gradus in participatione mysteriorum observandi. Prima

omnium fuit ἡ κάθαρσις (*purificatio* quædam, per certas nimirum *ablutiones* faciendæ) deinde sequebantur *mysteria parva*, quibus instituebantur et præparabantur ad majora; postremus erat actus Mysteriorum majorum, et illa, quæ dicebantur ἐποπτεία, scilicet *inspectio* secretiorum quorumdam sacrorum, ad quæ initiati nonnisi exacto anno admittebantur, ut Plutarch. in *l. de defect. orat.* perhibet.

Hactenus autem dicta egregie confirmat Clem. Alexandr. *l.* V. *Strom.*, ita disserens : *Non abs re ergo in mysteriis quoque, quæ fiunt apud Græcos, primum locum tenent τὰ καθάρσια* (purificationes, seu lustrationes) *sicut etiam apud Barbaros τὸ λοῦτρον, Lavacrum. Post hæc autem sunt μικρὰ μυστήρια* (parva mysteria (*quæ habent aliquod fundamentum doctrinæ*, et προπαρασκευῆς, præparationis, seu initiationis) *futurorum*, etc. Et *Strom.*, *l.* VII, inquit : *Ante mysteriorum quoque*, seu sacramentorum, *traditionem oportere καθαρμούς τινας προσάγειν τοῖς μυεῖσθαι μέλλουσιν ἀξιοῦσιν, expiationes*, seu purificationes, *quasdam adhibere iis, qui sunt initiandi, mysteriis*, etc. Cicero autem in II de LL. ait : *mysteria* illa appellari *initia*. Imo et apud nos Christianos dici vulgo solet, SS. Ordinibus aliquem *initiare*, *et prima tonsura* quædam ad eosdem *initiatio* appellatur.

Isidis alicujus. Io, Inachi filia, post *Epaphi*, sui e Jove filii, partum, agente *Junone* zelotypa, in *vaccam* conversa, et, postquam humanam formam recuperasset, *Apidi*, Ægyptiorum Regi, sub novo *Isidis* nomine nupta, ob maxima beneficia huic genti impensa, post mortem, una cum marito, ab Ægyptiis in deorum numerum adscita fuit. Nonnulli credunt, perfabulosam hanc deam (quod *Isis* Cimbrica lingua EST, EST, significet), infinitam DEI SAPIENTIAM adumbratam fuisse, quæ *Proverb.* 8, *v.* 14, de se inquit : *Meum EST consilium et æquitas, mea EST prudentia, mea EST fortitudo.* Certe autem in Isidis templo sequentem olim inscriptionem repertam fuisse, Plutarchus in *l. de Osiride* et *Iside* commemorat :

Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον.
Ego sum OMNE quod FUIT, et quod EST, et quod ERIT.

Alii credunt, sub Iside *Terram*, aut *Lunam*, aut *Caniculæ* sidus (eo quod ad hujus exortum *Nilus* Ægyptum inundare soleat), aut *Cererem*, aut *Minervam*, aut aliam ex deastris aliquam, latere; quidam vero apud illustrissimum et eruditiss. Huetium, Ep. Abrincinensem, in *Demonstr. Evang.*, *Prop.* IV, *cap.* 10, *num.* 1. Nulla jam sexus ratione habita, cum *Osiride*, *Astarte*, *Saturno*, *Cybele*, etc., penitus confundunt. Quid autem? quod idem Huetius *Moysen* in *Osiridem*, conjugem ejus *Sephoram*, imo et sororem *Mariam*, in *Isidem*, apud idololatras Ægyptios migrasse contendat?

Cæterum, quæcumque hæc *Isis* fuerit, constat tamen, non a *Romanis* modo, aliisque multis populis, sed, ut Tacitus *de Moribus Germ.* refert, etiam a Suevis olim *Isidi* sacrificatum fuisse, idolo ejus ex Ægypto in *Pontum Euxinum*, indeque per *Danubium* illuc sursum advecto. Plura apud Plutarch. in *L. de Iside*, Pitisc. in *Lexic.* Natal. Com. *Mythol.*, *l.* VIII, *c.* 18. Demsterum *de Ant. Roman. l.* II, *c.* 22, aliosque reperies.

Quod vero jam ad *Sacra Isidis* attinet, ea admodum arcana, ac nonnisi *nocturna* fuisse, a solis fœminis peragi solita, perhibentur. Testatur autem Herodot. *in Euterpe*, *l.* II, Sacerdotes Isidis quotidie frigida, *interdiu ter*, *noctu bis*, *lavari* consuevisse, et inter mysteria ejus *amphoram aquæ* deferri solitam, Lucianus *de Dea Syria* narrat. Sed et Juvenalis, *Sat.* 6, de ejusmodi fœmina sacerdote Isidis, canit :

Hybernum fracta glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsis
Vorticibus timidum caput abluet....

Et mox postea :

..... Si candida jusserit Io,
A Meroë portabit aquas, quas spargat in æde
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

Mithræ. Qui Mithræ initia (seu mysteria) *tradunt* (ait S. Justin. M. *in dialog. cum Tryph.*) *e petra eum natum esse memorant*, et Spelæum *nominant eum locum, ubi initiari in eum credentes perhibent.* Unde in vetusto quodam marmore Rosinus in *Paralip.* ad Demsteri *Antiq. Rom.*, *l.* II, *c.* 8, legit :

DEO. SOLI. MITRÆ. FL. SEPTIMIUS. ZOSIMUS. U. P. SACERDOS. DEI. BRONTONTIS. ET ÆCATÆ. HOC. SPELÆUM. CONSTITUIT.

Hæc vero Mithriaca sacra, quæ in speluncis abditis fieri solebant, Persarum propria erant, qui nomine *Mithræ*, ut testatur Macrob., *l.* I *Saturn.*, *cap.* 17, *Solem* colere, eique bovem, ex antro cornibus eductum, inter hymnorum concentus immolare consueverant. Erat igitur hoc idolum leonis vultu cum tiara, Persico habitu, utraque manu *bovis* cujusdam reluctantis cornua comprimens, ut ex Statio *l.* I *Thebaid.* discimus, ubi :

..... seu te roseum *Titana* vocari,
Gentis Achemeniæ ritu, seu præstat *Osirim*
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua *Mithram.*

Porro de ablutionibus quæ in *initiis* hujus numinis adhiberi consueverant, testatur Tertul. in *l. de Coron. Mil.*, *c. ult.*, et in *l. de Præscript.*, *cap.* 40, ubi nos plura in *Notis*, *g*.

Cæterum autem generaliter sacrificiis gentilium præmissas fuisse ejusmodi ablutiones, veterum monumenta passim testantur. Sic enim Hesiodus :

Nunquam vina Jovi, superisve, rubentia libes,
Ante manus fluvii quam pura laveris unda.

Audiendus quoque Thucydides *l.* II *Pelopon.*, ita loquens : *Fonte etiam* Calirrhoë *in maximi momenti rebus usi sunt, ac etiamnum a priscis inde temporibus aqua illa ante nuptialia, et aliis in sacris assolet adhiberi.* Sed et Pausanias in *Eliac.*, *l.* I, *cap.* 164, eadem de re ita testatur : *Neque vero aut XVI Fœminæ* (erant hæ *sacris* et *ludis Junoniis* in *Elide* præfectæ) *aut ædiles Eliorum, ullam attingunt muneris sui partem, priusquam se peculiari* lue *et* aqua (ex *Piera* fonte hausta) *lustrarint.* Certe autem *Timarchides* apud Natal. Com., *l.* I *Mythol.*, *cap.* 4, memorat, *Asterium* quemdam fulmine percussum interiisse, quod manibus impuris (quia illotis) aram *Jovis* attigisset. Quid vero, quod nonnisi præmissis ejusmodi lotionibus preces ad deos fundi oportuerit? Apud Romanos cum sacrificandum erat (ut Dionys. Halicarn., *l.* VIII *Antiq. Roman*, *cap.* 71, locuples testis est) *lotis manibus, et lustratis aqua pura victimis*, etc... *POSTEA PRÆCATI, tum demum ministros illas mactare jubebant.* Salse autem hos tales Lact. *l.* V *Instit.*, *c.* 20, irridet : *Flagitiis*, inquiens, *omnibus inquinati veniunt ad precandum, et se pie sacrificasse opinantur, si cutem laverint : tanquam libidines, intra pectus inclusas, ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.*

Vide autem superstitiosi hujus ritus originem, et *spiritus* illos *nequam ubique* SPIRITUS Divini nimium legas simias! *Lavationem hanc* (ait S. Just. M. in *Apol.* II, de Baptism. nostro loquens) *cum audissent dæmones per Prophetam promulgatam, effecerunt, ut et ingressuri in delubra eorum, et accessuri ad illos*, etc.. *seipsos aquæ adspersione lustrarent; quin ut toto quoque corpore laventur prodeuntes, priusquam ad templa, ubi illi collocati sunt, veniant, instinctu suo et opera cerant.* Cæterum illa pars templi, in qua sacrificaturi se *abluebant*, seu *deluebant* (vide *cap. præc.*, *not.* in specie), proprie *delubrum* appellata fuit, significatione deinceps ad templum ipsum prorogata. Quanquam alii de vocis illius etymo aliter.

Efferunt. Ita cum Matre deum (quam Græci, et ex his Noster, *l. de Spec.*, *cap.* 8, μεγάλην Μητέρα, *Magnam Matrem* : Phryges vero *Rheæ*, et *Cybeles* : Assyrii, teste Macrob. *Sat.*, *l.* I, *c.* 23, *Adergatis* : Ægyptii, authore Servio in VIII Æneid. *Isidis*,

Afri apud S. Aug., *l.* II. *de C. D.*, *cap.* 4. *Deæ cœlestis*, Germani vero apud Tacit., *l.* VII. *Hist. c.* 20. *Herthæ* (Ἔρθε) nomine appellabant) ad *Almonem* fluvium factitatum fuisse, ex Ovid., *l.* IV. *Fast.* et Lucano, *l.* I. *de Bell. Pharsal.* constat. Insignis pariter apud Tacit. *l.* XV. *Annal. c.* 44. locus est : *Propitiata* Juno *per matronas, primum in Capitolio, deinceps apud proximum mare. Unde hausta aqua templum et simulacrum Deæ prospersum est.*

Cæterum *efferre* hic significare videtur *e templo ferre* idola, ac antea aquis lota in publicis *supplicationibus*, seu *processionibus* (quales gentilibus multæ erant, ac in Asia etiamnum sunt) per urbis vicos, et plateas *circumferre.*

Villas. Villæ, quasi *vehillæ*, initio dicebantur casæ quædam in agris, ad *convehendas* ac recondendas illic fruges, recipiendos noctu colonos, et pastores cum gregibus suis, etc., nonnisi ex cespite, aut alia materia, quam necessitas imperabat, constructæ; postea cum in statas rusticorum habitationes transiissent, nonnihil firmius structæ, tandem in voluptuaria quoque ac æstiva Nobilium receptacula transiere, lustralibus illius modi sacrificiis, et aspersionibus, eo solemnius deinceps inaugurari consueta.

Huc quoque pertinebant Festa *Palilia*, mense Aprili in honorem *Palis* dei celebrari solita, de quibus Ovid. *Fast.* IV. *v.* 735.

> Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustret,
> Unda prius spargat, etc.

adhibita nimirum agresti illa et condigna apud Caton. *de Re rust.*, *c.* 141, ad rusticum illum deum invocandum formula : *Uti tu morbos visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiesque prohibessis, defendas, averruncesque*, etc. Quin pastores quoque ipsos et *igne* et *aqua* lustrari oportebat, de quibus Ovid. *ib. vers.* 725 :

> Certe ego transilui positas ter in ordine flammas,
> Virgaque rorantes laurea misit aquas.

Sed quid vetat, huc quoque reducere adspersiones illas *ambarvales*, inter quas *ambarvalis hostia* circum agros, velut *ambiens arva*, ducebatur? etc.

Domos. Vel unum hanc in rem adduco Theocritum *Idyl.* 24, ubi *Tiresias* vates domum *Amphitryonis* a serpentibus, quos *Hercules* in cunis utraque manu compressos suffocarat, expiari jubens, ait,

> Καθαρῷ δὶ πυρόσατι δόμα θυίαν
> Πρῶτον, ἔπειτα δ' ὕδατι μαιμάξανον (ὡς νενόμισται)
> Θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστιμένον ἀδάβεϊ ὕδωρ.

Templa. De lustratione templorum insigne rursus testimonium exstat apud Tacit., l. IV, c. 53, ubi cum *Jovis Capitolini* templum, a *Vitellianis* militibus destructum, a *Vespasiano Imp.* restaurandum erat, ut area ejus solemni ritu dedicaretur, *Virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque* (aream illam omnem) *aqua, rivis et fontibus omnibusque hausta, perluere*, etc. Longe autem antiquior hic ritus ab ipso Numa rege petitur, de quo Plutarchus in ejus *Vita* inquit, *fontem, qui locum irrigat* (campum videlicet, ubi cum Egeria nympha versari solebat) *aquam sacram Virginibus Vestæ attribuisse, ut ex eo haurientes purificarent, et aspergerent sacram ædem.*

Urbes. Erant et sacra *Amburbalia*, cum scilicet urbs, ejusque pomœrium lustrabatur, ut apud Lucan., I *Phars.*, v. 593 :

> Mox jubet et totam pavidis a civibus *urbem*
> *Ambiri*, et festo celebrari mœnia lustro:
> Longa per extremos pomœria cingere fines
> Pontifices sacri, etc.

Fiebat autem hæc lustratio quotannis mense Februario, hunc enim secundum mensem Numa dicavit (ut ait Macrob., L. I *Saturn.*, c. 13) Februo deo, qui lustrationum potens creditur; lustrari (quod antiquis erat *februari*) *autem eo mense* civitatem *necesse erat, ut justa diis Manibus solveret.*

A *Aspergine.* Legendum putat Junius *aspargine.* At quid hac mutatione opus? Asperginem dicunt politiores Latini, ut Virgil., *Æn.* III :

> ..... Salsa spumant aspergine cautes.

Equidem in *L.* 4, *ff. ad leg. Rhodiam de jactu*, a Callistrato *asparginem* dictum invenio ; at alia significatione, scilicet pro vitio rei ex aqua, maxime pluvia, contracto : quanquam non desint, qui ibi quoque *aspergine* legant.

Apollinaribus. Hi ludi, cum *Hannibal* esset in Italia, monitu carminum *Martii* vatis, tum forte inventorum, primum ex SCto celebrati fuere, ut ex Livio, l. XXV, c. 12 et Macrob., l. I *Saturn.*, c. 17, constat. Hic autem Noster potius sacrum illud apud Ægyptios celeberrimum, quod *Horo* (nam ut testatur Herod. in *Euterpe*, hoc nomine *Apollo* illis designabatur) ad *Butum* in insula *Chemmi* fiebat, respicit, aut ludos *Apollini Triopio* a *Doriensibus* sacratos, de quibus idem Herod. in *Clio.*

B *Pelusiis. Pelusium*, nunc *Damiata*, ad ostium Nili maxime orientale sita est, civitas olim nobilis, a *Peleo*, Achillis patre, ut fertur, postquam ob interfectum fratrem *Phocum* in lacu vicino lustrari jussus, a Furiis, quibus ob illam cædem agitabatur, ad sanam mentem rediisset, condita, ubi in honorem *Dianæ*, quæ Ægyptiorum lingua, indeque ipsa civitas alio nomine *Bubastis* dicebatur, ludos quondam celeberrimos quotannis actos fuisse, iterum Herod. in *Eut.*, c. 49, fuse memorat. Quanquam non ignoro, a Vulg. nostro Interprete *Ezech.*, XXX, 16 et 17. *Bubasten* inter ac *Pelusium* distingui : *Quasi parturiens dolebit* סין (Sin) PELUSIUM, *juvenes* פי־בסת (*Phibeseth*) BUBESTI *gladio cadent.*

Tinguntur. Dubio procul ludos hos, ut alios ejusmodi omnes, sacrificia, præmissis utique ablutionibus, ac lustrationibus comitabantur.

Præsumunt. Sicut rerum omnium *generationem* ab *Aqua*, ceu primo principio, proficisci, Philosophi non C postremæ olim authoritatis, ac inter hos præcipue *Thales Milesius*, credebant, ita *perjuri*, velut ob jamjam et ubilibet imminentem deorum iratorum vindictam prope jam mortui, se ejusmodi ablutionibus, crimina illa, ut falso credebant, expiantibus, impetrata velut impunitate, ad novam vitam, ejusque securitatem redire, ac quasi regenerari sibi videbantur. Ut ergo apud Græcos magna *perjuriorum* frequentia erat, ita ante ludos, ne in iis, velut in illorum publicam vindictam, turpiter succumberent, maxime de diis antea per ablutiones ejusmodi propitiandis solliciti erant.

Se expiabat. Exempla rei hujus plurima apud Græcos imprimis prostant; sic apud Herod., l. I, c. 7, *Adrastus*, fratricidii reus, a *Cræso*, Lydorum rege, expiatus fuit. Apollinem *item et* Dianam, ut Pausan. *Corinth.*, cap. 51, memorat, *Pythone cæso, ut se expiarent, Ægialam venisse tradunt.* Idem Pausan., l. I, c. 74, refert : *Prius quam materni sanguinis maculam expiationibus* Orestes *eluerat, de Trazeniis nemo cum tecto recipere voluit*, etc. D Sed, si Virgilio credimus, jam apud Trojanos hic ritus obtinuit; ita enim Æneas ad Anchisen, *Æneid.* II, v. 717 :

> Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque penates:
> Me bello e tanto digressum, et cæde recenti,
> Attrectare nefas, donec me flumine vivo
> Abluero.....

Et Senec. in Herc. fur., *Act.* IV, *Sc.* I, *vers.* 918 :

> ..... Nate, manantes prius
> Manus cruenta cæde, et hostili expia.

Hunc enimvero gentilium morem ipse ridet Ovid., II Fast.

> Ah! nimium faciles, qui tristia crimina cæde
> Fluminea tolli posse putatis aqua.

Atqui constat expiationum et lustrationum nomine tunc nonnisi lotiones aqua factas intelligi consuevisse.

Singulare autem est exemplum, quod exstat apud Halicarn., l. V, *Ant. Rom.*, c. 58, ubi cum ex Senatus decreto publica justaque cædes conjuratorum Romæ facta fuisset, *SC. tum factum est, ut tota lustraretur civitas, quod necessitate coacta essel civilis cædis auctor fieri : cum nefas esset ad sacra accedere, et victimas immolare, antequam facinus expiatum esset, luesque lustrationibus abolita.*

Naturæ aqua, i. e. *aquæ naturali*, suæque naturæ relicta.

Emundationis. Pro *auspicato faciendæ*, ac feliciter, ipsoque cœlo annuente, suscipiendæ emundationis. Itaque non video cur cum *Junio* legendum sit *auspicii et mundationis.*

Medicari, i. e. *medica virtute imbui.* Quanquam et alio sensu, qui communior est, et hic melior, id intelligendum esse putem, ut l. XI *Æneid.* :

> Sed non Dardaniæ *medicari* (*sanare*) cuspidis ictum
> Evaluit.

Æmulum Dei, Diabolum videlicet.

Sacramento, Seu mysterio, ac etiam extra usum, et applicationem aquæ ad ablutiones hactenus descriptas.

Sciunt. Alii *sunt*, nec male; quanquam *sciunt* mihi elegantius esse videtur, ideoque retinendum.

Quique fontes. Fontes ex specubus, aliisve umbrosis locis erumpentes, aliquid divinitatis, aut diabolicæ potius virtutis, habere credebantur; unde et divinus honor a cæca gentilitate ipsis impendi consueverat. De his Senec., *Ep.* 41, ait : *Magnorum fluminum capita veneramur : subita ex abdito vasto eruptio* aras *habet : coluntur aquarum calentium* fontes, et stagna *quædam vel* opacitas, *vel immensa altitudo sacravit.* Erat etiam Romæ fons, *Egeriæ* Nymphæ, ad radices montis Aventini, sacer, de quo Livius, l. I, c. 19, refert : *Lucus erat, quem medium ex* opaca specu *perenni rigabat aqua : quo quia se persæpe* Numa *sine arbitris... inferebat,* Camœnis *eum lucum consecravit.* Addit Plutarchus *in Numa*, fontis hujus curæ *Vestales* virgines ab eodem præfectas fuisse, etc., ut supra *Not. Templa* retulimus.

Itaque fontes hujusmodi, ex horrida, nescio qua, locorum, unde scaturiebant, majestate omnino inter deos reponebant, ipsorumque adeo honoribus peculiaria quædam sacra, ut erant Romæ *Fontinalia*, III Octob. celebrari solita, aliaque multa alibi, instituebant.

Neque vero *beneficiis* solum, sed *malignis* quoque fontibus arcanum quoddam numen inesse credebant, divinis cultibus propitiandum, ut exitialem illorum vim, quam tamen natura sibi inditam habebant, averruncarent; cujusmodi erant aquæ *Alcyoniæ* paludis apud Pausan. *in Corinth. ad fin.*, quibus innatantes *ad imum fundum* trahebantur : fontes item *Aciduntis* fluminis, e *Lapitha*, Arcadiæ monte, oriundi, atque adeo tetrum odorem efflantis, ut hominibus vel solo halitu interficiendis par fuerit, teste eodem Pausan., *in Eliac.* l. Tacco plures ejusmodi alios, de quibus Polemon, in l. *de miris Siciliæ*, item auctor lib. *de Mirab.*, qui vulgo *Aristoteles* creditur, Plin., lib. XXXI, Solinus, c. 31 et alii.

Rivi. Rivus, ait Festus, *vulgo appellatur tenuis fluor aquæ, non spe, consiliove factus, verum naturali suo impetu.* Alii alia hoc nomen significatione usurpant.

Piscinæ. Piscinæ dicebantur non sola *ἰχθυοτροφεῖα*, seu vivaria piscium, sed etiam aquæ frigidæ, ad natationes aut ablutiones voluptuarias in locum satis amplum et undique clausum, velut artificialem quemdam lacum, collectæ, licet cæteroquin *piscibus* destitutæ. Ita vero *de Alexandro Imp.* in *Vita* Lampridius : *Unctus lavabatur, ita ut caldariis nunquam, vel raro,* piscina, *semper uteretur;* et de *Arriano Olympio* Victor, Tunnunensis Episcopus, in *Chronico* ait : *In piscina frigidæ aquæ vitam impie finiit.* Talis quoque erat *Probatica* illa *piscina*, de qua *Joan.*, V, et *natatoria Siloe* apud eumd., cap. IX; de quibus nos infra.

Porro *balnea*, et, quæ horum pars quædam, et nihil aliud quam *balnea frigida* erant, *piscinas*, diis, seu malis dæmonibus, ac idolis sacras fuisse, Tertullianus ipse in lib. *de Spect.*, c. 8, perhibet : *Et plateæ, et forum, et* balneæ, *et stabula, et ipsæ domus nostræ sine idolis omnino non sunt. Totum sæculum* (mundum) *Satanas et angeli ejus repleverunt.* Quin et in lib. *de Idol.*, c. 15, testatur : *Et ostia in balneis adorari videmus... Idolo feceris, quidquid ostio feceris.* Igitur inter cæteras idolorum sordes etiam *balnearii*, et *ostiarii lares*, et nescio quæ alia cœnosa numina, gentilibus erant, sub quorum turpissimis auspiciis lavarentur, vel verius multo fœdiori sordilie contaminarentur.

Euripi. Euripus peculiariter dictum erat fretum illud vorticosum inter *Eubœam* et *Atticam*, septies per diem, totiesque per noctem reciprocans, seu aquas per vices evomens, iterumque resorbens : cujus causas cum frustra perscrutatus fuisset *Aristoteles*, præ mœrore contabuisse, aut, ut alii (sed parum vere) narrant, omnino illuc se præcipitasse fertur. Extendi postmodum hæc appellatio cœpit *ad fossas et incilia* (ut Lips. in Senec., *Ep.* 83, ait) *cum aquis, quælia hortis et prætoriis ex more erant :* imo et universim aquarum ex aquæductibus receptacula (*παρὰ τοῦ εὐριπίζεσθαι*, quod per hos *facile* illuc aquæ *præcipitarentur*, et in tumultuosos vortices circumagerentur, aut verius, terræ cujusdam portionem velut insulam circumfluerent) *εὔριποι* dicta sunt, de quibus Pausanias in *Lacon.*, cap. 96 : *Campus is, in quo suas ephebi committunt pugnas*, euripo *circumquaque, non aliter, quam mari insula, cingitur.* Et Dionys. Halicarn., l. III, c. 91. *Circum maximum*, a Tarquinio exstructum, ita describit : *εὔριπος εἰς ὑποδοχὴν ὕδατος ὀρώρυκται, βάθος τε καὶ πλάτος δεκάπους.* l. c. : *Euripus ad recipiendas aquas circumfossus est, decempedali profunditate, pariterque latitudine.* De hoc item Suetonius, *in Julio*, c. 39 : *Circensibus, spatio Circi ab utraque parte producto, et in gyrum euripo addito, quadrigas, bigasque, et equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes.* In his quoque editi ludi navales, aqua per *euripos* (sic enim etiam *canales* grandiores, et *aquæductus* appellabantur) in ipsum circum immissa; quin et eo excreverat quorumdam Imperatorum luxuria, ut de *Heliogabalo* Spartianus memoret : *Fertur in euripis vino plenis navales Circenses exhibuisse.* Cæterum et hi euripi certis quibusdam diis sacrati erant, ut Tertull., lib. *de Spect.*, c. 10, perhibet : *Ea itaque* (Mater magna, scilicet *Ops, Tellus*, vel *Cybele*) *illic præsidet euripo.*

Cisternæ. Ita vocantur subterranea aquæ pluviæ receptacula, quæ Festus ita dicta putat, quod *cis* seu infra *terram* sint.

Putei. Putei sunt profunda aquæ vivæ, et ex abditis quibusdam venis assiduo scaturientis, receptacula, quæ Æoles olim *ποτήρια*, *ἀπὸ τοῦ ποτοῦ*, dicebant; unde et *putcos* nostros a *potu*, quasi *poteos*, i. e. saluberrimum nobis *potum* subministrantes, appellatos volunt : qualis erat ille puteus apud Homer. *Odys.* X, ex quo Ulysses *Tiresiæ* vatis manes erat ab inferis evocaturus.

Rapere. Illi nimirum, qui, ut S. Justin. M. in *Apol.* II, loquitur, *a mortuorum manibus* (seu spiritibus) *λαμβανόμενοι, καὶ ῥιπτούμενοι, correpti, atque humi præcipitati, quos δαιμονιολήπτους, arreptitios, et μανομένους, furentes, nominant omnes.*

Nocentis. Omnibus his *fontibus, rivis, piscinis, euripis, cisternis, puteis*, etc., certi quidam genii a gentilibus præfecti erant, qui, quoniam muliebri specie illic dæmones apparebant, hac quoque forma colebantur, atque antra illa, fontium scatebris irrigua, inhabitare credebantur. Unde Virgil., l. Æneid., Lybicum illud :

> ..... scopulis pendentibus antrum,

Nympharum domum vocat. Sic etiam Pausanias in *Bœotic.* antri cujusdam *Cithæronidum Nympharum* meminit. Et in *Phocic.*, *antrum Corycium* describens

ait : *Multi hinc illic e vivis fontibus fluitant rivi. Parnassi accolæ sacrum Coryciarum Nympharum putant.* Sic etiam, ut idem rursus in *Bœotic.* perhibet, ad *Libethriadem* fontem *Libethridæ Nymphæ* colebantur. Erant quoque fontibus aliis aræ suæ, ædiculæ, aut omnino templa, *Nymphis* sacrata, quæ et *Nymphæa* dicebantur, ut illud supra fontem *Cytheri* fluvii apud Pausan. in *Eliac.* II. In specie vero illæ Nymphæ, *fluminum, stagnorum, et puteorum* præsides, *Naiades*, aut *Ephydriades*, etc., dicebantur. Sed et *Comatas* apud Theocr., *Idyll.* 5, per *Nymphas* λιμνάδας, *palustres*, jurat. Ut autem Orpheus Nymphas *Oceani* et *Thetidos* filias appellat, ita has Virgilius, *Æneid.* VIII, fluviorum matres putavit, quod fluvii e mari oriantur :

Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est.

Cæterum vero hæ Nymphæ nequaquam propitia semper habebantur numina, sed sacrificiis, *ne nocerent*, placanda; unde Theocrito, *Idyll.* XIII : δειναὶ θεαὶ ἀγρώσται, *dira rusticis numina* erant, ut mox videbimus. Interea si quis forte plura desideret, apud Natal. Comit. *Mythol.* l. V, c. 2, tum et Eruditiss. nostrum Montfauconium, *L'Antiquité expliquée*, tom. I, p. II, l. IV, c. 7, reperiet.

Enectos. Laut. Valla, l. IV, c. 27, appellat *enectos*, qui non jam *enecati* sunt, atque mortui, sed qui propemodum tales. Unde cum Noster in lib. *de Jejuniis*, c. 7, de severo illo jejunio *Ninivitarum*, quod etiam *pecudibus enectis* fiebat, mentionem facit, recte *Junius* hæc verba de illis non jam *mortuis*, sed fame per hoc jejunium, quod *Dan.*, III, 7, ex edicto Regis Ninive ad pecora usque extendebatur, ita maceratis, ut jam mortuis propiores, quam vivis, essent, explicat, hocque proprie per verbum *enecare* significari ait.

Lymphatos. Dan. Heinsius in suis *Lection. in Theocr.*, *Idyl.* V, ita inquit : « Nympharum quoties meminisset antiquitas, earum iram deprecabantur, hoc est, insaniam, seu βλεπεδαιμονίαν (quibus enim deæ illæ conspiciebantur, mentis statu excidisse putabantur) quod etiam vatibus accidere existimabant, quos νυμφολήπτους (hos autem Latini nostri non *nymphatos*, sed *lymphatos* appellare solent) dicebant. » Unde et Noster in lib. *de Anima*, c. 50, ait : *Lymphaticos efficit Colophonis scaturigo dæmonica.* De hoc Eus., in *Præp. Evang.*, lib. II, c. 5.

Hydrophobos. Ὑδροφόβοι appellantur παρὰ τὸ φεβεῖσθαι τὸ ὕδωρ, quod *aquam timeant.* Atque id maxime accidit a cane rabido admorsis, quibus id miserrimum est, extremo aquæ timore, parique simul siti vexari. Terribiles morbi hujus effectus, cæteraque huc pertinentia, vide apud Kirch., *Mundi sub.*, lib. IX, sect. II, c. 5. Hæc autem omnia gentiles, malis geniis, aquam insidentibus, olim imputabant,

Profanus. In S. Script. קדש *sanctum*, et חול *profanum*, opponi solent; *profanus* ergo hic appellatur, qui cum *sanctitate* nihil quidquam commune habet.

Piscinam. In Græco textu κολυμβήθρα est, per quam *piscina*, eo sensu, quo supra *Not. Aspergine*, lavacrum vel natatoria significatur.

Betsaidam. Græcus textus *Joan.*, V, 2, ita habet : Ἔστι δὲ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, ἡ ἐπιλεγομένη ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα, κ.τ.λ., quæ Vulgatus noster ita reddit : *Est autem Jerosolymis* Probatica piscina, *quæ cognominatur Hebraice* Bethsaida, *quinque porticus habens*, etc. Ubi notandum, piscinam hanc non appellari *probaticam* a *probando*, sed ἀπὸ τῶν προβάτων, seu *ab ovibus*; τὸ πρόβατον enim Græcis *ovem* significat. *Probaticam* ergo idem hic ac *ovinam* aut *ovilem* dicere est. Vocabatur autem *piscina ovium*, quod in ea oves, aliaque animalia sacrificiis destinata, ablui, aut jam immolatorum exta detergi consueverint. Alii non ipsam piscinam, sed portam, ad quam illa sita erat (legitur enim in Græco ἐν, vel ut alii codices habent, ἐπὶ τῇ προβατικῇ, *in* vel potius *apud probaticam*, forte eamdem, quæ II *Esdr.*, III, 1, appellatur *Porta gregis*), *probaticam* appellatam fuisse aiunt. Verum hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Cæterum piscina hæc, quæ in Græco textu *Bethesda* (alia Græca exemplaria habent *Bethseda*), *domus misericordiæ*, appellatur, in latinis exemplaribus *Bethsaida*, *domus piscatus*, dicitur, forte quod olim *piscium vivarium* fuerit.

Commovebat. Credidere quidam hunc Archangelum fuisse *Raphael*, qui interpretatur *Medicina DEI*, ut olim peculiariter a DEO ad *Tobiam* a sua cæcitate liberandum missus, ita ad aliorum quoque hominum graviores infirmitates curandas destinatus. Quisquis is fuit, non visibili quadam forma descendisse, sed solum aquam, virtute medica eidem quasi transeunter impressa, singulari DEI jussu imbuisse, sicque signum suæ præsentiæ visibile edidisse putandus est.

Antecedunt. Figura enim semper debet esse notior, et captui accommodatior; unde ad præfiguranda *spiritualia* semper solemnis *carnalia*, seu *sensibilia* signa eligere, per quæ ad spiritualium rerum, altiorumque mysteriorum, quæ alias omnem captum humanum excedunt, intelligentiam velut manuducamur.

Cæterum vero *piscinam* hanc BAPTISMI nostri figuram fuisse, inter cæteros SS. PP. maxime S. Ambros., lib. I *de Spir. S.*, cap. 7, asserit : *Habes etiam in Evangelio, quia Angelus secundum tempus descendebat in natatoria, et movebatur aqua, et qui prior descendisset in natatoria, sanus fiebat. Quid in hoc typo* Angelus, *nisi descensionem* S. Spiritus *nuntiabat, quæ nostris futura temporibus, AQUAS* (Baptismi utique) *sacerdotalibus invocatæ precibus, consecraret? Ille ergo* Angelus *S. Spiritus erat* nuntius, *eo quod per gratiam spiritualem medicina nostris esset animi ac mentis languoribus deferenda.* Et in lib. *de his, qui init. Myster.*, c. 4, non minus eleganter inquit : *Illis* Angelus (in piscinam illam) *descendebat : tibi Spiritus Sanctus. Illis creatura movebatur, tibi CHRISTUS operatur ipse, DOMINUS creaturæ. Tunc curabatur* unus : *nunc* omnes *sanantur. Ergo et illa* piscina *in figura, ut credas, quia in hunc Fontem vis Divina descendit. Denique paralyticus ille expectabat hominem. Quem? nisi illum Dominum Jesum natum ex Virgine, cujus adventu jam non* umbra *sanaret singulos, sed* veritas *universos.*

Gratia Dei. Scilicet post Christi, Auctoris gratiæ, adventum.

Remediabant. Eodem quoque verbo Noster *ad Scapul.*, c. 4, utitur : *Quanti honesti viri aut a dæmoniis, aut valetudinibus remediati sunt.* Vide etiam in lib. *de Præscr.*, c. 38. Quanquam autem verbum hoc Ciceronianum non sit, adhibuisse tamen id noscitur S. Hieron. in *Vita Hilarii.*

Spiritum. Quidam legunt : *Spiritui medentur.* Sed quid vetat *spiritum* retinere? nam et Terent. in *Phormione* habet : *Quas, cum res adversæ sint, minus mederi possis.*

Reformant. Simpliciter pro *formant*, ut sæpius *retractare* pro *tractare*, et aliis ejusmodi *compositis* pro *simplicibus* utitur.

Liberabant. Singulis igitur annis nonnisi *semel* Angelus ille, ut censet Tertullianus, descendebat : itaque voces illas *Joan.* V, 3, κατὰ καιρὸν, *secundum tempus*, pro annua temporis revolutione accipit.

Deleta morte, spirituali scilicet *animæ.*

Scilicet reatu. Reatus (Ciceroni ignota vox, primumque a *Messala*, ut Quintilianus, *l.* 8. *c.* 3, testatur, usurpata) debitum aliquod, cujus nempe quis *reus*, seu obnoxius est, designans. A Theologis autem duplex *reatus* distingui solet, scilicet *culpæ*, ad *satisfaciendum* : et *pœnæ*, ad *satispatiendum.* Unde vulgo dicitur : *Qui non habet in ære* (quo nimirum *satisfacere* possit), *luat in cute*, qua *satispatiatur.*

Pœna. Potest autem Noster hic dupliciter intelligi, scilicet de *reatu pœnæ* : quo sublato utique ipsa *pœna* locum non amplius habet, vel quod verius arbitror, de *reatu culpæ* : et tunc hæc sententia nequaquam generaliter intelligenda erit ; cum inter Theologos omnes certum sit, per *pœnitentiam* deleta culpa mortali nihilominus remanere *reatum pœnæ* ; attamen, cum antea *æterna* fuisset, nonnisi *temporaliter* in purgatorio persolvendæ. Uni autem Baptismo proprium est, quod sublato per eumdem *reatu* omnis *culpæ* antecedentis, simul omnis *reatus pœnæ* auferatur.

Ad imaginem Dei. Alludit sine dubio ad id, quod Deus *Gen.* I. v. 26, dixit : *Faciamus hominem* בצלמנו *ad imaginem nostram, et* כדמותנו *ad similitudinem nostram.* — *Et creavit Deus hominem* בצלמו *ad imaginem suam*, בצלם *ad imaginem Dei creavit illum.* Ubi omnes Interpretes Græci צלם per εἰκόνα, *imaginem* et דמות per ὁμοίωσιν, *similitudinem*, reddunt. Inter hæc duo autem, si stricte loqui velimus, discrimen intercedere, S. August. in l. LXXXIII. QQ. q. 51, pridem notavit, inquiens : *Sunt, qui non frustra intelligant, duo dicta esse, ad* imaginem, et similitudinem : *cum, si una res esset, unum nomen sufficere potuisset.* Imprimis autem, ut S. Th. 1 p. q. 93. art. 9, *in* § explicat, *similitudo consideratur ut præambulum ad imaginem, in quantum est communius, quam imago.* Nam, ait in *cit. q. a. i. in* §, *Dicendum sicut S. Aug. dicit in l.* 83, *QQ. q.* 74, Ubi est imago, continuo est similitudo : sed ubi est similitudo, non continuo est imago. *Ex quo patet,* pergit S. Thomas, *quod* similitudo *est de ratione* imaginis, et imago *aliquid addit supra rationem* similitudinis, *scilicet quod sit* ex alio *expressa. Imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius. Unde ovum, quantumcumque sit alteri ovo simile, et æquale, quia tamen non est expressum ex illo, non dicitur imago ejus.* At vero aliam quoque *similitudinis* significationem aperit *cit. q.* 93. *a.* 9. ita loquens : *Consideratur etiam ut subsequens ad* imaginem *in quantum significat aliquam* imaginis perfectionem ; *dicimus enim, imaginem alicujus* esse *similem, vel non esse similem ei, cujus est imago.* Atque sic צלם *Ps.* 39, *v.* 7, pro *imagine* quadam fugitiva id est imperfecta, sumitur : *Verumtamen* בצלם *in imagine pertransit homo.* At vero דמות *similitudo*, apud Græcos sumi solet pro *imagine*, quæ presse ac velut ad unguem exprimit suum prototypon. Unde et *Gen.* V, *v.* 3, voces illæ adhibentur ad perfectam similitudinem, quæ est inter *Patrem* et *Filium*, exprimendam : *Adam genuit* בדמותו בצלמו *ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.*

Est igitur homo factus *ad imaginem*, non quoad *corpus* (hoc enim commune habet cum aliis animalibus, quæ tamen non *ad imaginem* Dei creata sunt), sed quantum ad *animam*, quæ natura sua est *spiritualis, simplex, immortalis, intellectu* et *voluntate*, ejusque *libertate* pollens, etc. Itaque anima attributa Dei in se, velut speculo quodam, relucentia exhibet. Unde S. Aug. *l.* II *de Gen. adv. Man. c.* 7, pulchre observat : *cum finxit Deus hominem de limo terræ, propterea non additum esse, ad imaginem et similitudinem suam, quoniam nunc de* corporis *formatione dicitur. Tunc autem homo interior* (i. e. anima, quæ *intra corpus* est) *significabatur, quando dictum est : Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem* Dei.

Atque hæc *similitudo* est velut *imaginis* illius perfectio et complementum ; quoniam non Dei perfectiones duntaxat, sed ipsa quoque velut ultima earumdem lineamenta exprimit, ipsiusque etiam SS. Trinitatis symbolum quoddam existit, ut eleganter explicat author *Libri de Dignitate hominis, c.* 2, qui alias S. Ambrosio adscriptus fuit. Ait autem : *Sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus S., ita ex* intellectu *generatur* voluntas, *et ex his item ambobus procedit* memoria, etc. Sed quid præclarius illo, quod S. Aug. *l.* XIII *Conf. c.* 2, habet? *Trinitatem* ait, *Omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam, si tamen intelligit eam? Rara anima, quæ, cum de illa loquitur, sciat quid loquatur. — Vellem ut hæc tria cogitarent in se homines,* esse, nosse, velle. *Sum enim, et* novi, *et* volo ; sum, sciens *et* volens : *et* scio *me* esse, *et* velle *ut sim : et* volo esse, *et* scire. Aurea confessio !

Est autem et alia *imago* Dei in anima, eaque longe excellentior, quia penitus supernaturalis, qua videlicet Deo multo perfectius, quam per dotes nobis *naturaliter* ingenitas, appropinquamus, scilicet gratia sanctificans, quæ, ut scholastici nostri ostendunt, est *formalis participatio divinæ essentiæ et naturæ*, per quam *filii Dei nominamur, et sumus* : præterea autem fide intellectus noster cognoscit, et eum, ad quem spe tendit, charitate complectitur. Atque de hac imagine intelligendus est Apostolus *ad Coloss.* III, *v.* 9 *et seq.* dicens : *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Porro de utraque imagine pulchre copioseque disserit S. Ambros. *l.* VI *Hexaem. c.* 8.

Denique vero homo singulariter factus est ad imaginem, Christi nimirum, qui, ut S. Thomas, I. *p. q.* 93. *a.* I. *ad* 2 notat, *Primogenitus omnis creaturæ est imago* Dei *perfecta*, perfecte implens illum, cujus imago est, *Homo*, non similis Deo, sed ipse Deus ; et ideo dicitur *imago*, et nunquam *ad imaginem.* Nam Apostolus *ad Rom.* 8. *v.* 29 ait : *Eos autem, quos præscivit et prædestinavit, conformes fieri* imagi is *Filii sui.* Itemque I. *Cor.* 15, *v.* 49, ita loquitur : *Sicut portavimus* imaginem *terreni* (Adam), *portemus et imaginem Cœlestis*, Christi videlicet, quem mox antea *v.* 49 dixerat *novissimum Adam in Spiritum vivificantem.* Sic ergo per *Baptismum* ad *imaginem Dei*, restituitur homo, non *naturalem* illam (quam per peccatum in Adam amittere non potuit) sed *supernaturalem Gratiæ*, quam per *peccatum* Adami deperdidit.

In æternitate censetur. Imago Dei homines sumus in *effigie*, quamdiu *videmus eum per speculum in ænigmate : similitudo* efficimur, *cum facie ad faciem* I. Corinth. 13. v. 12. Nam *scimus* (ait Jo. *I. Ep. c.* 3. *v.* 2.) *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus ; quoniam videbimus eum, sicuti est ;* nimirum tunc, quando nos *omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem* imaginem *transformamur, a claritate in claritatem, tanquam Spiritu Domini*, II Cor. 3, v. 18. Atque sic demum intelligendum est istud Tertulliani : Imago *in effigie*, similitudo *in æternitate.*

De afflatu ejus. Haud dubie ad illud *Genes.* 2, *v.* 7, alludit : *Formavit igitur Deus hominem de limo* terræ, ויפח באפיו *et inspiravit in faciem ejus* (ad literam *in nares ejus*, ceu præcipuum respirationis organum) נשמת חיים *spiraculum vitæ, et factus est homo* לנפש חיה *in animam viventem.* Porro per *animam viventem* literaliter intelligitur *vita corporis* ; et quidam ex SS. Patribus in sensu mystico de vita animæ, quæ est gratia sanctificans, exponunt, ut S. Ambr. in l. de Paradiso c. 5 : *Erat autem vita, sicut Apostolus* (ad Coloss. V, 3) *dixit, abscondita cum Christo in Deo. Homo ergo sive in umbra* vitæ *erat, propter figuram* futuram, etc., *sive in quodam pignore* vitæ *erat, quia habebat* insufflationem Dei, etc.

Notæ ad caput VI.

Sub angelo. Innuere videtur *ministrum baptismi*, alludens ad angelum illum in *piscina Bethsaida*, *Cap. præced.*

Præparamur. An non autem paulo ante dixerat, *recipere* nos per baptismum *Spiritum S.* quem *per peccatum* amiseramus ? Verum hic sedulo notandum, in S. Scriptura sæpe inter *Spiritum S.* et *Gratiam* sanctificantem, quam per peccatum amissam in baptismo recipimus, distingui. Certum imprimis est, Apostolos ante diem *Pentecostes* jam baptizatos, aut certe aliunde Spiritus S. gratiam consecutos fuisse :

et tamen primum in die Pentecostes de illis, *Act.* II, v. 4. dicitur; *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Deinde Act. V, 14 et seq. *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos* Petrum et Joannem. *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam ipsorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini.* Baptizati ergo erant, et a peccatis suis per baptismum emundati, utique *gratiam* Spiritus S. vivificantis habebant; nondum autem Spiritum Sanctum habuisse dicuntur. *Tunc imponebant manus super illos,* et *accipiebant Spiritum Sanctum.* Apostoli igitur in die Pentecostes acceperunt Spiritum S. non quomodocunque, sed *plenitudinem* ejus, quæ non solam inundabat animam, sed in corpus ipsum per certa quædam signa visibilia redundabat: *Repleti sunt* Spiritu Sancto, *et cœperunt loqui variis linguis, prout* Spiritus Sanctus *dabat eloqui illis.* Sic et Samaritæ illi *Act.* V, 17, jam baptizati per impositionem manuum *accipiebant* SPIRITUM SANCTUM, id est, *plenitudinem* ejus.

Atque hic est ille Spiritus S. quem *pecunia* sibi mercari impius ille *Simon* voluerat, ibid. v. 18: *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur* SPIRITUS SANCTUS, *obtulit eis pecuniam,* etc. Ita quoque alius locus, *Act.* XIX, 5 *et seqq.* exponendus est: *Illis auditis baptizati sunt* (Ephesiorum quidam) *in nomine Domini* JESU. *Et cum imposuisset illis* (post Baptismum utique) *manus Paulus, venit* SPIRITUS SANCTUS *super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.*

Porro illa *impositio manuum,* recens baptizatis facta erat ipsissimum *Sacramentum Confirmationis.* Sicut enim per Baptismum a Spiritu S. per quasdam velut gratiæ suæ primitias ad Fidem initiamur, sic per Confirmationem ipsum *Robur Fidei,* ac illius Spiritus plenitudinem, ceu per novam gratiam in fide jam adultiores facti, consequimur. Spiritus ergo ille, qui per Baptismum erat invisibiliter datus, per Confirmationem ab Apostolis dabatur quoque visibiliter, cum annexis videlicet *gratiis,* ut appellamus *gratis datis,* scilicet *curandi* ægrotos, *prophetandi, interpretandi,* diversis linguis *loquendi,* etc., aliisque ejusmodi donis, sacramentali gratiæ tunc adhærentibus. Hæc ante signa diu quoque postea in Ecclesia perseverasse, S. Justinus, qui *A.* C. 166, et S. *Irenæus,* qui 12 annis (*a*) postea martyrium subierat, et ille quidem in *Apol.* I. *et Dialogo cum Tryph.,* hic vero *L. V. hæres. c.* 6 et alibi, perhibent. Sed satis constat, etiam versus finem II. *Sæc.* in aliquibus Ecclesiis ejusmodi *gratias gratis datas* adhuc viguisse; multosque nimium credulos, aut alias incautos, propterea quod inter veras ac pseudo-prophetias non recte distinxissent, a *Montano,* ejusque mulierculis, donum prophetiæ ac Spiritus Sancti afflatum temerarie et fallaciter jactantibus, seductos fuisse, ipsumque cumprimis *Tertullianum* nostrum fœdissime in *Montani* hæresin prolapsum, ut in *QQ. Crit.* Libro de Præscr. præmissis, *Q.* 4, ostendimus. Vide etiam ea, quæ in *Spicil. Theol. de Ecclesia Christi Diss.* VI. *Num.* XIII. *et seqq.* diximus.

Sic ergo per Baptismum jam recepto, sed *invisibiliter,* Spiritus Sanctus per gratiæ infusionem a peccatis mundamur, simulque ad eumdem in *sacramento Confirmationis plenius* (non quidem jam sub ejusmodi signis *visibilibus,* sed cum invisibili plenitudine ac fidei contra internas et externas tentationes *robore*) recipiendum præparamur.

Baptismi arbiter. Ministrum hic intelligo, in cujus velut *arbitrio* ac *potestate* administratio Baptismi posita est. Quo sensu in *lib. de Monog. c.* 6, Noster inquit: *Habes Moysen, Dei de proximo arbitrum.* Non obscure autem hic rursus alludit ad sæpius jam memoratam historiam *Piscinæ Probaticæ Joan.,* V, eo quod, sicut Angelus illic descendebat de cœlo, commovens aquas, etc, et sicut *S. Joan. Baptista,* tanquam *Angelus missus* est ad prædicandum et administrandum Baptismum pœnitentiæ in *Jordanis* flumine: ita nunc sacerdos, tanquam alter *Angelus* ex *officio* suo ad hoc deputatus, seu *missus,* per ministerium Baptismi *viam præparet* Spiritui Sancto per confirmationem, ut diximus, *plenius* infundendo.

Fides impetrat. Non ipsius *baptizantis,* aut *baptizandi* (neque enim affectus Baptismi dependet ab opere *operantis,* aut *subjecti* recipientis; quis enim a parvulo *fidem,* seu actum fidei, exigere poterit?) sed fides intrinseca ipsi Sacramento, ceu *operi operato,* in quantum scilicet Baptismus a Christo institutus fuit ut administraretur in *fide* et *nomine* totius SANCTÆ TRINITATIS: quæ fides est *intrinseca forma* hujus Sacramenti.

Spiritu Sancto. Igitur ad *formæ hujus* substantiam et valorem requiritur *distincta* invocatio *trium Personarum* Divinitatis, per quam *Fides* illa *in Baptismo obsignatur,* ut idem Noster in *l. de Idol. cap.* 12, ait. Unde ab antiquis Patribus a *forma* sua *Sacramentali* appellatur Baptismus *sigillum, signaculum, obsignatio fidei, Sacramentum Trinitatis, Fidei,* etc., ut apud Tourn. *in Tr. de Bapt. Q.* 1. *a.* 1. *p.* 146, videre est. Cæterum autem ex hoc loco manifeste colligitur, jam *Tertulliani* tempore in forma Baptismi tres Personas Divinas necessario exprimendas fuisse, et nequaquam Baptismum tunc *in nomine* solius *Christi* collatum fuisse, ut idem in *l. adv. Prax. c.* 26, habet, dicens: *Nec semel, sed* TER, *ad singula nomina* in PERSONAS *singulas tingimur.*

Per benedictionem. Nomine *benedictionis* intelligit *formam* Sacramentalem Baptismi.

Arbitros fidei. Multum hic nonnulli interpretes circa hanc vocem ex ipso *Tertulliano* laborant; etenim in *Apol. advers. Gent. c.* 7, *arbitros* pro testibus, qui rei cuipiam gerendæ intersunt, accipere videtur, inquiens: *Semper etiam impiæ initiationes arcent profanos* (id est, ab impiis illismet superstitionibus alienos) *et arbitros* (scilicet ne illis tanquam *testes* intersint) *cavent.* Et *ib. c.* 16, ait: *Verebatur extraneos arbitros* (testes, aut inspectores) *vanæ culturæ.* Et in *l. de carne Christi, c.* 24, de Christo transfigurato loquens, *in secessu montis in ambitu nubis sub tribus arbitris clarum* dicit. At in eod. *lib. cap.* 21. arbitrum pro *Auctore* videtur sumere, de Christo ita inquiens: *Hujus igitur gratiæ disciplinæ.* Arbiter *et Magister, illuminatorque, ac deductor generis humani, Filius Dei annuntiabatur.* Vid. etiam, quæ supra de hac voce *arbiter* diximus. Cæterum hoc loco *arbitros* pro *testibus* videtur sumere, fortasse ad illud 1 *Joan.* III, 7, alludens: *Tres sunt, qui* testimonium *dant in cœlo:* PATER, VERBUM, *et* SPIRITUS SANCTUS.

Sponsores salutis. Hoc nempe sensu, quo in Epist. ad Hebr. VII, 22, *Melioris Testamenti Sponsor factus esse Jesus* dicitur. Igitur etiam PATER, mittens FILIUM, et SPIRITUS SANCTUS missus a Filio, *Sponsores* erunt; namque Pater per *Filium,* Filius ipse *in Spiritu Sancto* nobis salutem promisit.

Nominum divinorum, id est, *Personarum Divinarum* ne quis inde Sabellianismum extundere conetur, qua si solorum *nominum,* nulla *rerum* in Divinis distinctio esset. Ut autem ternus est numerus *Personarum,* ita *nominum* quoque, scilicet in grammaticali sensu; at in Theologico *unum Nomen* est, id est, in tribus illis Personis una eademque *dignitas* et *auctoritas.* Quare irritus esset Baptismus in tribus *nominibus Patris, Filii,* etc. collatus; necessarium ergo est, ut in *Nomine Patris et Filii,* etc. fiat. Qua de re videndi Theologi, ubi *de forma Baptismi* tractant.

Pignerentur. Non male pro *pignorentur;* nam et apud Cic. in *Philipp.* IV, et activo quidem sensu, invenio: *Mars ipse fortissimum quemque pig-*

(*a*) *Duodecim annis.* Error est commentatoris facile emendandus, confundentis martyrium S. Irænei, quo coronatus est an. C. 202, cum martyrio prædecessoris ejus S. Pothini, quod revera ad an. 178 refertur. EDD.

nerari (seu sibi vindicare ac velut in pignus sumere) *solet*. Cæterum a Nostro hic in passivo sensu, pro *oppignorari*, sumitur, ut sensus sit : quod et *testatio fidei* et *sponsio salutis* per Baptismum, cui hæc duo velut innectuntur, ceu quo jam dato *pignore*, obfirmentur.

Ecclesiæ mentio. Fortasse sic intelligendum est, quod necessario etiam Ecclesiæ *implicita* mentio fiat, tanquam *cui* hæc fiat *oppignoratio*.

Trium corpus est, scilicet in *tribus Personis Divinis*, earumque *Fide* adunatum.

Notæ ad caput VII.

Unctione. Nequaquam hic loquitur de *Unctione confirmatoria* (de hac enim *cap. seq.*); sed de ritu etiam hodie Baptismum mox subsequente. Nam post hunc fit *osculum pacis*, dein baptizatus inungitur chrismate *in vertice*. Imo sanctus Hieron. in *Dial adv. Luciferianos* ait, Presbyteris non licere, sive subjuncta unctione chrismatis baptizare.

Non possum autem non hic adscribere ritum hujus unctionis, prout is in *Pontificali* antiquo Metropolitanæ hujatis Ecclesiæ apud nostrum Edmundum Martene *de antiquis Ecclesiæ ritib. l.* I, *cap.* I, *art.* 13, § 6, reperitur: « Cum infantes elevati fuerint a fonte, — Episcopus, vel Presbyter, chrisma requirens, faciat crucem cum pollice in vertice eorum, ita dicendo : *Deus Pater Omnipotens — ipse te liniat chrismate salutis in C. J. D. N. in vitam æternam. Pax tibi.* »

Erat et alia unctio præcedens Baptismum, qua baptizandi ungebantur oleo in *pectore* et *scapulis*. Hujus unctionis jam Auctor *L. Recognitionum* (quisquis ille fuerit, certe vetustissimus) in *l.* III. meminit : *Baptizetur unusquisque vestrum in aquis perennibus, nomine Trinæ Beatitudinis super se invocato, peruncti primum oleo, per orationem sanctificato.* Hujus unctionis meminit etiam S. Joan. Chrysost. *Hom.* 6. *in c.* 2 *Ep. ad Coloss.* dicens : *Inungitur baptizandus athletarum more, qui studium jam ingressuri sunt.* Vide etiam Auctorem *l.* I *de Sacram. c.* 2 et *l.* II, *c.* 7. inter opera *sancti Ambrosii*. Attamen hæc unctio non fiebat per *chrisma*, sed *oleum catechumenorum*. De duplici hac unctione idem Martene *ibid.* ex antiquis Latinorum ita appellatis *Ordinibus*, ac *Ritualibus*, nec non Græcorum *Euchologiis*, abunde dabit.

Cæterum neque illam unctionem Baptismo subjunctam Confirmationis Sacramentalis rationem habuisse, vel ex eo patet, quod Confirmatio a solis (apud *Latinos* saltem) Episcopis collata fuerit : unctio illa, licet *chrismate*, etiam a *Presbyteris*, nec in *fronte*, sed *vertice* data fuerit.

A Moyse unctus est. Sic enim de Aarone in Sacerdotem consecrando Deus ipse, *Exod.* XXIX, 7, Moysi præcepit : *Oleum benedictionis fundes super caput ejus*, etc. Cæterum *cornibus* olim vasorum instar, veteres utebantur. Sic etiam unctio Regum fiebat per oleum ex *cornu*. *Imple* cornu *tuum oleo*, etc., dixit Deus ad Samuelem I *Reg.* XVI, 1, mittens eum ad *David*, in Regem inungendum. *Tulit ergo Samuel* CORNU OLEI, *et unxit eum in medio fratrum ejus* (*ib. v.* 13). Sic etiam unctus fuerat Salomon a *Sadoc*, summo Sacerdote (III *Reg.* 1, *v.* 39).

A chrismate. Christus a κέχρισται, 3. pers. præt. pass. verbi χρίω, *ungo* : χρίσμα autem a 1. pers. ejusd. præter. κέχρισμαι dictum, et ἀπὸ τοῦ χρίσματος, factum est χριστὸς, *unctus*. Unde *Is.* XLV, *v.* 1 : *Hæc dicit Dominus* (לִמְשִׁיחוֹ UNCTO MEO, a מָשַׁח *unxit*) *Christo meo Cyro*, etc.

Unctio. Alias χρίσμα ipsum *unguentum*, quo fit *unctio*, significat ; unde et Latini Theologi in Sacramento Confirmationis inter *Chrisma*, et ipsam *chrismationem*, seu *inunctionem*, ipsiusque Chrismatis applicationem, quæ alias a Græcis proprie χρίσις dici solet, distinguunt. Quanquam a Patribus promiscue τὸ χρίσμα pro *unguento* et *unctione* accipi invenio. Sic Clemens Alexandr. *l.* I. *Strom.* de veter. Legedemeriis, dicit quod *dolosas quidem vestes, et* A *dolosas* (τὰ χρίσματα) *unctiones, recte existimaverint, appellaverintque*. Et Pæd. l. II. cum paulo ante dixisset : οὐ θέμις δολερὰ εἵματα, καὶ χρίσματα εἰς τὴν ἀληθείας εἰσιέναι πόλιν : *nefas est vestes dolosas, et* unguenta *in civitatem veritatis ingredi;* paulo post ita habet : *Fœmina semper* τῷ τῆς σωφροσύνης χρίσματι σωαλειφέσθω, *divina pudicitiæ* unctione *ungatur, sancto delectata* μύρῳ, unguento, *nempe Spiritu*. Et in l. IV, τὸ χρίσμα τῆς εὐαρεστήσεως, *unctionem beneplaciti* (id est, mentis Deo bene placentis) dicit. Quid multis autem, quando et in novo Testam. τὸ χρίσμα pro unctione sumitur ? ut 1 Joan, II, vers. 20 : *Et* vos χρίσμα, *unctionem habetis a sancto*. Rursusque vers. 27: *Et* vos (τὸ χρίσμα) *unctionem qua accepistis ab eo, in vobis manet.*

A Deo Patre. Unctus est autem Christus, tanquam *Propheta, Sacerdos, et Rex;* hæc enim sola tria hominum genera antiquitus jungi consueverant : Hæc unctio autem non *chrismate* quodam *visibili*, sed *spirituali*, ab ipsomet Spiritu S. facta est, quando scilicet Christus B baptizatus in Jordane, *confestim ascendit de aqua; et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit SPIRITUM DEI descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlo dicens : HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI COMPLACUI. Matt.* III *v.* 16 *et seq.* Non autem hoc ita intelligendum est, quasi Spiritus S. gratiæ suæ plenitudine in Baptismo unxerit Christum (hanc enim jam a primo conceptionis suæ instanti habuit, nullius jam amplius augmenti capace), sed quod Spiritus S. unctionem Christi, præcipue in *Gratia CAPITIS et UNIONIS HYPOSTATICÆ* consistentem, signo aliquo visibili, tanquam pridem jam factam, demonstrare voluerit. Et hoc sensu Christus illud Isaiæ LXI, *v.* 1: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me*, ad se ipsum *Luc.* IV, *v.* 18, transtulit. Sic et Petrus *Act.* XVIII, 8, de Christo prædicavit : *Quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto*, etc. ; quod S. Aug. L. *XV de Trinit. c.* 26, sic explicat : *Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ,* C *quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu S. quando super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam, præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum : sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Caro factum est, etc.* Vide eumdem porro.

Liberamur, cum hac tamen differentia, quod *Baptismus* Sacramentum sit, peccata, tanquam *maculas* animæ, abluens : unctio illa solum ad *ritum* subsequum hujus Sacramenti pertineat, liberationem illam vi gratiæ Baptismalis, spiritualiter *inungentis*, factam, solum tanquam in symbolo rei præteritæ exhibens, non ipsamet novum gratiæ augmentum conferens.

Locus huic parallelus est in *L. de Resurr. carn. c.* 8, ubi Noster : *Caro* abluitur, *ut anima* emaculetur. *Caro* ungitur, *ut anima* consecretur. *Caro* signatur, *ut anima* muniatur. *Caro* manuum impositione adumbratur, D *ut et anima Spiritu* illuminetur. Verum de his mox explicatius.

Notæ ad caput VIII.

Imponitur. Duæ olim *impositiones manuum* celebrabantur in Baptismo : una, non Baptismum modo, sed illam ipsam quoque unctionem, quæ est inter Baptismi ritus prævios (vide *Cap. præc. Not. Unctione*) *præcedens*, cujus mentio inter *Ordines Baptismi* Latinos, quos Edm. Martene *de Rit. Antiq. Ecclesiæ*, *l.* 1, *c.* 1, *v.* 8, profert, frequenter occurrit. Altera erat Baptismum *subsequens*, nonnisi ab *Episcopo* facienda.

Ubi sciendum, primis Ecclesiæ sæculis *Baptismum, solemnem* nimirum, qui scilicet nonnisi in *Sabbato sancto, et pervigilio Pentecostes* dabatur, ab ipsismet Episcopis administratum, moxque ab iisdem Sacramentum CONFIRMATIONIS, velut instar complementi subjunctum fuisse. Unde de S. Ambrosio in

ejus vita S. Paulinus scribit : *In rebus etiam Divinis implendis fortissimus labor, in tantum ut quod implere solitus erat circa baptizandos, 5 postea Episcopi, a tempore, quo decessit, vix impleret.* Perseveravit mos ille multis in Ecclesia sæculis ; sed cum in singulis Ecclesiis nimium increvisset fidelium turba, atque Episcopi in Evangelio prædicando nimis necessarii fuissent, idemque quoque obtinere inceperat, quod *I Cor.* 1, *v.* 17, Paulus dixit : *Non misit me Christus* baptizare, *sed EVANGELIZARE.* Atque inde factum est, ut non semper in Baptismo, etiam solemni, *Episcopi* præsentes esse potuerint, qui baptizatos statim *confirmarent.* Hinc MStum Pontificale *Ecclesiæ Apamensis* in Syria, *an.* 1214 exaratum, quod noster Martene *de Antiq. Eccl. Rit. L.* I, *c.* 2, *art.* 1, § 3, exhibet, post omnes Baptismi ritus præscribit, ut, *SI EPISCOPUS ADEST, statim oporteat eum* (baptizatum) *confirmari chrismate,* etc. Imo jam *Sæc. VII*, pauci Episcopi munus Baptismi obierant, scilicet aliis curis nimium distenti. Interim praxin hanc, neo-baptizatos statim confirmandi, in aliquibus saltem Ecclesiis, etiam Latinis, ferme ad nostra usque sæcula perductam fuisse, idem Martene *l. c.* § 1, testatur. Quod vero ad Græcos attinet, idem mos etiamnum apud ipsos perseverat, ut Sacramentum Confirmationis mox Baptismo, non autem ab Episcopo, sed ipso Presbytero baptizante, subjungatur : qua de re videndus Jucnin *Diss. VII, de Confirm. q. V, a.* 2. § 1 *et seqq.*

Per benedictionem, i. e. Certam quamdam verborum *formam,* qualis alias etiam in quibuslibet ferme Sacramentis ex mandato Salvatoris adhibenda est, quam etiam supra, *Cap. VI.* Noster per *benedictionis* vocabulum expressit.

Invocans Spir. S. Cæterum totus locus hic favere videtur illorum sententiæ, qui solam *impositionem manuum* (non etiam *unctionem chrismatis*) pro *materia* Confirmationis adstruunt : qua de re Theologi Dogmatico-Scholastici multis altercantur, imprimisque Touru. *Tr. de Sacr. Confirm. q.* 1, *a.* 3.

Ingenio, i. e. *Invento* quodam *artificiose excogitato :* ut idem Noster in *L. de Spect. c.* 10, ait, *dæmones ab initio prospicientes sibi, inter cætera idololatriæ, etiam spectaculorum inquinamenta, ejusmodi quoque artium ingenia inspirasse.* Eo nimirum sensu, quo in L. *de Pall. c.* 1, *arietem Romanum* (machinam bellicam) Carthaginienses obstupuisse dicit, *ut novum, extraneum, ingenium,* i. e. inventum.

Licebit spiritum. Certe non bonum ; de *hydromantis* enim loquitur, qui ex aqua futurarum rerum vaticinia capiebant. Hujus artis studiosissimus fertur fuisse Rex *Numa Pompilius,* qui res ritusque religionis apud Romanos suos ordinaturus, quoniam aliter sibi consulere non posse videbatur, *hydromantiam facere compulsus est, ut in aqua videret imagines deorum, vel potius ludificationes dæmonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere atque observare deberet.* Ita S. Aug. *L. VII de C. D. c.* 35, et *ibid.* post alia quædam : *Quod ergo aquam* egesserit, *id est, exportaverit, Numa Pompilius, unde hydromantiam faceret, ideo Nympham* Egeriam (frigida sane nomenclatura) *dicitur conjugem habuisse. Ita enim solent res gestæ aspersione mendaciorum in fabulas verti.*

Concorporationem eorum, i. e. intimam eorum conjunctionem, *aquæ* scilicet et *spiritus* illius.

Accommodatis des. manibus. Seu *impositis* desuper *manibus ;* hic enim ritus erat *hydromantarum,* aquas incantantium, ac velut potestati spiritus mali tradentium.

Animare. Tota sententia hæc ironiam sapit, atque ad magicos ritus alludit, quibus aquam ad usus magicos adhibere *Hydromantæ* solent. Dicit autem *alio,* id est, *superiore* quodam ac potentiore *spiritu, tantæ claritatis* (sicut nimirum *Hydromantæ* jactare solent, ab illo spiritu tam gloriosos ac illustres effectus produci) *animare,* seu eam incitare, ac velut *viventem* reddere.

Organo. Id est, ministro, tanquam instrumento sibi, ut Scholastici loquuntur, *obedientialiter,* in ordine ad quoscunque effectus patrandos, subjecto.

Per manus sanctas, per earundem videlicet impositionem.

Modulari. Modulari est aliquid ad certum *modum* ac *mensuram* componere, ut jam supra *Cap.* III, *Not. Modulatricibus,* diximus. Per *sublimitatem* autem *spiritualem* facile intelligit vim producendi gratiam Sacramentalem Confirmationis, Episcopi confirmantis manibus quasi inditam, ac inhærentem.

Referam hic, quod non prorsus a nostro proposito alienum esse videtur, et ab *Eunapio* Sardiano, gentili, qui circa *A. C.* 380, inter suos non inceleb̃ris Sophista erat, de *Jamblicho,* insigni Platonicæ Philosophiæ sectatore, in *Vit. Philosoph.* narrat : *Aliquanto post tempore placuit cunctis, stato anni tempore accedere ad* Gadara, *qui locus est thermarum in Syria,* etc. *Isthic cum lavaret* (Jamblichus), *pariterque cæteri darent lavationi operam, nata de balneis disputatione subridens Jamblichus : Tametsi religione, inquit, impediar, quominus ista aperiam, vestra tamen causa id fiet. Simulque jussit discipulos sciscitari a popularibus indigenis, quibus jam olim nominibus donati fuissent duo e calidis fonticulis minores, sed cæteris elegantiores, venustioresque. Illi postquam imperata fecissent, significarunt, uni* Amori *nomen esse, alteri* Anteroti, deo amantium injuriæ vindici. *Confestim ipse contacta manu aqua, paucis admurmuratis verbulis, de fonte imo pusionem excivit candidum, commoda statura, capillitio in fulvum aurum tincto, dorsi cute nitida, qui totus lavanti aut loto assimilis erat. Attonitis rei novitate comitibus : Transeamus, inquit, ad proximum fonticulum, simulque exurgens, præcedebat, in cogitatione defixus, ac suspenso vultu, ibique eadem, quæ prius, peragens,* Amorem *evocavit, prioris per omnia similem, extra comas, nigrantes huic magis, et rutilas, et per collum sparsas. Ambo pueruli circumfusi arctis complexibus Jamblicho velut naturali patri inhærebant : quos ille in proprias suas sedes e vestigio restituit, totusque excessit,* etc. Hæc ille.

Nimirum evanidæ hæ imagines erant infernalium geniorum, et quantumlibet hi se lotos ac baptizatos simulabant, manibus per maguin illum ex aquis extracti : non tamen manus illis imponere valuit, quibus eos in solido quodam statu confirmaret.

Deformantes, pro *præformantes,* seu figurantes, aut simpliciter *formantes.* Hoc certe posteriori sensu etiam apud *Vitruv. L.* VI, hoc verbum usurpatum invenio : *Tragica scena deformantur* (non utique in sequiori sensu, sed magis pro *exornantur,* accipiendum) *columnis, signis,* etc. Cæterum totus hic locus ex *Gen.* XLVIII, *vers.* 13 *et seqq.* petitur, ubi, *Posuit* (Joseph) *Ephraim ad sinistram Israël* (seu *Jacob,* qui illud nomen ab Angelo, quocum colluctatus fuerat, sibi impositum *Gen.* XXXII, v. 28, acceperat), *Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris* (Jacob), *applicuitque ambos ad eum. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim, minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus. Benedixitque Jacob filiis Joseph,* etc. Joseph videlicet ambos filios suos coram Jacob, patre suo, constituit, et quidem primogenitum *Manassen* ad sinistram suam, quæ scilicet directe respiciebat dexteram Jacob : Ephraim vero ad dexteram suam, et consequenter ad sinistram ejusdem Jacob, haud utique dubius, Jacob *dexteram* suam impositurum ei, qui ad dexterum quoque ejus latus collocatus fuerat, ipsi nimirum *Manassi, sinistram* vero alteri, scilicet *Ephraim.* Cum vero Jacob commutatas manus *decussatim,* id est, sese mutuo intersecantes, adeoque dexteram (quæ natura sua dignior est, quia fortior) Ephraim, *secundo genito,* Manassi vero *primogenito,* sinistram imposuisset, Joseph, velut errorem, quem putabat, correcturus, dexteram patris a capite *Ephraim* removere, atque in caput *Manassis* transferre contendit : *Jacob* vero, altioris haud dubie

Mysterii conscius, in proposito suo perseverans, semel anspicatam benedictionem eodem ritu perfecit.

In Christum futuram. Manus ergo illæ in formam crucis decussatæ ipsam Crucem Christi prænotabant. MANASSES nimirum *Veteris Testamenti* figura erat, tanquam (tempore nimirum) *primogenitus*: et quoniam illud ipsum figura erat Novi Testamenti, sic Manasses IN FIGURAM ipsius Christi erat, qui Coloss. I, v. 15, *Primogenitus omnis creaturæ* dicitur. EPHRAIM vero, secundo genitus, exhibebat *Novum Testamentum*, eratque FIGURA ipsius Christi, et Ecclesiæ, tanquam *posterioris* (sed nonnisi tempore rursus) ac quasi in Christo *secundo genitæ*, sed meritis ac privilegiis longe amplioris, in qua non *figura Crucis* esset, sed *crux ipsa*, CHRISTUS CRUCIFIXUS. Itaque cum alii legant IN CHRISTO *futuram*, obnixe retineo *in Christum futuram*, scilicet, quæ esset IN CHRISTUM, seu ejus Ecclesiam PER CHRISTUM redundatura.

Emundata. Per *ablutionem* nimirum, quæ fit in Baptismo Christi.

Benedicta, scilicet et per *Baptismum*, ejusque *formam sacramentalem* sanctificata, et per *impositionem manuum* deinceps *confirmata*. Cæterum non male fortasse videbitur hæc sententia tacitam *comparationem* continere, ut adeo sic exponi possit: Sicut Spiritus S. in filios Joseph, *Ephraim* et *Manasse*, a Jacob per *impositionem manuum* benedictos, certo modo delapsus est: sic etiam in baptizatos, Episcopo iisdem manus imponente, Confirmationis gratia descendit.

Descendit. Copulativa *et* videtur excidisse, ideoque hic supplenda.

Columba. Ita veterum quidam credidere; at ex ipsis quoque veteribus Aristoteles, *L. II de Hist. animal.* et Plin. *L. XI, c. 27*, et recentiores Anatomici omnes, contrarium asseverant. Licet autem columbis quoque, aliorum instar animalium, *fel* sit, omnis *iræ* et acerbitatis origo, istud tamen valde temperatum esse, et nonnisi vehementer irritatum effervescere, in comperto est. Atque hoc sensu S. Aug. *Tr. VII, in Ep. S. Joan.* ait: *Fel columba non habet, tamen rostro et pennis pro nido pugnat: sine amaritudine sævit.*

Figuræ. Illum enim descensum Spiritus S. præfigurabat alia *columba*, illius Noe in Vet. Testam. simulque hæc nostri Baptismi prævia quædam figura erat.

Mundi. Sic eleganter Diluvium illud Nocticum appellat, a S. Gregor. Naz. *Oration. 40, de Bapt.* vere *peccati diluvium* nominatum: eo quod totus mundus, peccatis ac sceleribus antea repletus, ac velut inundatus, superveniente diluvio sub *Noe*, universo prope genere humano in aquis misere suffocato, a peccatorum sordibus expurgatus fuerit. Ita etiam per Baptismum Christi ab originali et cæteris quoque omnibus, quæ ante baptismum insunt, peccatis eluimur. Sane autem hunc ipsum *Baptismum* nostrum per *Diluvium* illud præfiguratum fuisse, ex ipsis SS. Literis I *Petri* 3, v. 20, *et seq.* liquet: *In diebus* Noë, *cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos* (pergit Apostolus) *nunc similis forma salvos facit* BAPTISMUS, *non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per Resurrectionem J. C.* Idque amplius declarat S. Aug. *L. XII. contra Faust. c. 14*, ita inquiens: *Noë cum suis per aquam et lignum* (arcam) *liberatur: sicut familia Christi per Baptismum crucis passione signatur.* Et *ibid., c. 17*, ait: *Post septem dies, ex quo Noë ingressus est in arcam, factum est diluvium, quia spe futura quietis, qua septimo die significata est, baptizamur.* Sed et S. Basilius M. *Hom. I, in Ps. XXVIII*, 10, Baptismum diluvio comparat, inquiens: *Baptismi itaque gratiam* Diluvium *nominat* (Propheta), *quo fit, ut anima peccatis abluta et purgata, excusso a se veteri homine, domicilium deinceps fiat accommodum Deo in Spiritu.* Sed et similia in *Hom. II, in eund. Psalm.* habet.

Cælestis iræ præco. Locus hic admodum impeditus est; numquid enim columba, *pacis oleam* afferens, *præco cælestis iræ* fuit? Aliqui igitur putant pro *iræ* restituendum esse *gratiæ*. Cum enim in quibusdam MStis reperitur abbreviate *græ*, ab imperito librario voculam hanc in *iræ* deformatam fuisse aiunt. Quanquam putem, etiam *iræ* sustineri posse, si ita legamus: *pacem cœlestis iræ* (id est, *pacatam cœli*, antea nimirum irati, *iram*) *præco* (ejusdem iræ jam pacatæ) *columba* (scilicet eamdem annuntians, atque præconis instar toti mundo promulgans) *terris adnuntiavit.*

Prætenditur. Nil vulgatius, quam ipsis olim gentilibus *Oleam* pacis figuram fuisse: hucque imprimis pertinet illud Maronianum:

Paciferæque *manu ramum prætendit* olivæ.

Sic etiam in *Hadriani Imp.* nummo quodam simulacrum cernitur flexo genu, dexteram ipsi Imperatori porrigens, sinistra vero *oleæ ramum* præferens, cum inscriptione: RESTITUTORI HISPANIÆ, scilicet eam *pacatam* reddenti. Pariter nummus quidam *Severi Pii Aug.* togatam exhibet figuram, similiter cum oleæ ramo, addita epigraphe: FUNDATORI PACIS. Non minus etiam in *Maximiani*, et *Philippi*, patris, *nummis*, ejusmodi simulacrum cernitur, et prior quidem PAX AUGUSTI, posterior vero PAX ÆTERNA inscribitur. Plurima ejusmodi exempla, si locus foret, huc congeri possent.

Eadem dispositione, pro *eodem modo*, aut *eadem ordinatione.*

Carni nostræ. Hæc enim, quoniam *de terra* formata est (*formavit enim Dominus Deus hominem de limo terræ*) Gen. II, v. 7, recte *terra* dicitur.

Pacem Dei adferens. De hac columba S. Ambr. *L. II, in Luc. c. 3*, ait: *Simplicitatem lavacri requirit gratia, ut simus* simplices *sicut columbæ. Pacem lavacri requirit gratia, quam in typo veteri* columba *quondam ad illam Arcam, qua sola fuit diluvii immunis, advexit. Docuit me, cujus typus columba illa fuerit, qui nunc descendere dignatus est* IN SPECIE COLUMBÆ. *Docuit, in illo* ramo, *in illa Arca, typum fuisse Pacis Ecclesiæ: quod inter ipsa Mundi diluvia* SPIRITUS S. *ad Ecclesiam suam* PACEM *efferat fructuosam.* Hæc S. Ambr. Columba hæc ergo tunc, cum terra jam a sordibus suis expurgata fuit, *ramum olivæ* attulit; nunc Spiritus S. per Baptismum ablutis, pacem et gratiam animæ in Sacramento Confirmationis affert, eamque oleo inungens ad luctam *confirmat.*

Arca figurata. Atque in hac allegorica *Arcæ* significatione Antiqui Patres, atque Interpretes passim concordant: ex quibus vel duos proferam, *Origenem*, et *S. Augustinum.* Prior ergo in *Hom. II, in Gen.* prolixe id confirmat, ex qua nonnisi paucula decerpo: *Sicut tunc dictum est ad illum* Noë, *ut faceret* Arcam, *et introduceret in eam non solum filios et proximos suos, sed etiam diversi generis animalia: ita etiam ad nostrum* NOE, D. N. J. C. *in consummatione sæculorum dictum est a* PATRE, *ut faceret sibi* ARCAM *ex lignis quadratis, et mensuras ei daret cœlestibus Sacramentis repletas*, etc. S. Aug. autem in *L. XV de Civit. Dei, c. 26*, ita pulchre disserit: *Quod Noe, homini justo, — imperat Deus, ut arcam faciat, — in qua cum suis liberaretur a diluvii vastitate, procul dubio est figura peregrinantis in hoc sæculo Civitatis Dei, hoc est,* ECCLESIÆ, *quæ fit salva per* LIGNUM, *in quo pependit Mediator Dei et hominum, Homo* CHRISTUS JESUS. Vide eumdem porro tum hoc, tum *seq. c. 27.* Item in *Expos. Evang. S. Joan. Tr. VI, QQ. Evang. L. II, q. 44. L. De catechiz. rudib., c. 19*, maxime autem *L. XII, contra Faust., c. 14, et seqq.* ubi copiosissime Arcam, ceu figuram Ecclesiæ, exponit. De eodem quoque argumento legi possunt S. Gregor. *M. Hom. XVI in Ezech.* Rupertus Tuit. *L. IV. Comment. in Genes., c. 71, et seqq.* multique passim alii.

Diluvio. Mendosus *Junio* videtur hic locus, quem proin ita restituendum credit: *Si et mundus rursus deliquit, quo male comparatur Baptismus; di-*

luvio itaque ignis destinatur, etc. Ut proinde hunc sensum huic loco attribuat : « Quod si mundus « post oblatam Dei, singularem Baptismo, gratiam, « in peccata fertur, atque in ea ruit totus præceps ; « quo facto in Baptismum est iniquissimus, et Bap- « tismus male est comparatus : itaque, id est, prop- « terea *diluvio ignis* destinatur mundus, ut quem- « admodum olim aquis exundantibus periit, sic etiam « olim igne judicii Divini consummetur. »

At ego quidem malim retinere textum, obscuriusculum quidem, at qui hoc sensu, satis utique commodo, intelligi potest : *Sed mundus* nihilominus *rursus deliquit*, in peccata pristina recidivus (maxime in progenie *Cham*, in patrem suum tam contumeliosi, cujus filius *Chanaan*, posterique ejus *Chananæi* a Deo ipso *maledicti* fuerant (*Gen.* IX, v. 25) quo (i. e. *qua re*, vel *ut adeo*) *male comparetur* (non quod comparatio prior *mala* seu inepta sit, sed quod non solum *bene* Baptismus, tanquam peccatorum omnium sordes ex anima cujuslibet hominis, sicut diluvium ex universo mundo, expurgans, comparetur, sed etiam *in malo*, seu alteri diluvio, ignis, qui mundo in extremo Judicio superventurus est, recte comparandus sit. *Diluvio itaque* (seu *eapropter*) *ignis destinatur*, etc. Recole, quæ *supra* (*Not. Mundi*) diximus.

Igni destinatur. *Mundus* videlicet : qua de re S. Justinus M. in *Apol. II. p. m.* 51. ita ait : Καὶ Σίβυλλα δὲ καὶ Ὑστάσπις, γενήσεσθαι τῶν φθαρτῶν ἀνάλωσιν διὰ πυρὸς ἔφασαν. Οἱ λεγόμενοι δὲ Στοϊκοὶ φιλόσοφοι, καὶ αὐτὸν τὸν Θεὸν εἰς πῦρ ἀναλύεσθαι δογματίζουσι, καὶ αὖ πάλιν κατὰ μεταβολὴν τὸν κόσμον γενέσθαι λέγουσι, i. e. *Et Sibylla vero, et Hystaspis, futurum rerum corruptibilium consumptionem per ignem dixerunt. Qui vero appellantur Stoici Philosophi, ipsum etiam Deum in ignem dissolutum iri docent, ac novum per mutationem mundum fore dicunt.*

Quid vero, quod Joseph. *Lib.* I *Ant. Jud. c.* 3, affirmet, *Adam universalem rerum interitum prædixisse, unum INCENDIO, alterum DILUVIO?* Reliqua de duabus communis, *lateritia* una, altera *marmorea*, ac alterutra saltem, aut *ignem*, aut *aquas* evasura, lubens prætermitto, nimium vulgata, et solius ferme Josephi hujus, quantum quidem constat, testimonio nixa.

Interea tamen certum est, hanc de mundi interitu igneo opinionem, universam prope Antiquitatem pervasisse, ac ab ipsis quoque gentilibus, *Zenone*, *Pythagora*, *Heraclito*, *Sophocle*, etc. propagatam fuisse.

Sed vide hanc rem gravibus S. Script. testimoniis nixam : ex quibus vel unum, cæteris luculentius ex II *Petri* 3. *v.* 5, profero : *Cœli erant prius et terra, de aqua, et per aquam insistens Dei verbo : per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autem, qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum.* Et post pauca : *Adveniet autem Dies Domini ut fur; in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Eruditissimus hac in materia est reverendiss. Calmetus noster in prolegomenis suis *Dissert. de fine mundi*, etc.

Restaurat. *Sic* enim *erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem : et mittent eos in caminum ignis. Matth.* XIII, 40 *et seq.*

Debeat accipi. Illæ ipsæ nimirum figuræ baptismi nostri (nimirum et DILUVIUM, et IGNIS) admonere nos debent, quid post BAPTISMUM lapsos, nec postea per *Pœnitentiam* redintegratos (minime enim *Montano* aut *Novatiano* adstipulandum, peccata post Baptismum commissa, pariter irremissibilia esse) in altera vita maneat.

Notæ ad caput IX.

Patrocinia naturæ, dotes scilicet *naturales*, Aquam præ cæteris elementis commendantes, de quibus *Cap. III, per tot.*

Privilegia gratiæ. Gratuita, atque ejusdem naturæ superaddita, de quibus *Cap. IV* itidem *per tot.*

Solennia disciplinæ, ritus videlicet, in Baptismo ex *Ecclesiæ ordinatione* adhiberi soliti : ut supra *Cap.* VII et VIII.

Præstructiones, seu *præparationes*, et cæremoniæ antecedentes. Hoc enim sensu noster hanc vocem in L. *adv. Hermog. c.* 16, usurpat : *Igitur in præstructione hujus articuli*, etc. Nec minus in L. *de Resur. carn. c.* 4 : *Deinde hæretici inde statim incipiunt, et inde præstruunt.* Vide etiam *L. de Præscr. Cap. XV.*

Precationes, precum formulæ, præsertim in benedictione fontis baptismalis, aut in ipso Baptismo adhiberi solitæ. Vide supra *Cap.* IV (*Not. Invocato Deo*).

Religionem aquæ. Religionem hic vocat sanctitatem illam, quæ ipsi aquæ baptismali, tanquam rei sacræ, et ad Sacramentum Baptismi destinatæ, inest.

Expeditus. Expeditos proprie dicimus, quorum pedes e vinculis, ceu *impedimentis*, exempti ac liberati sunt.

Sacramento. Sententia, quidquid reclamet Junius, ἱερατικῶς legenda.

De sæculo. In sequiori sensu hic *sæculum*, ut S. Jacobus *Ep.* suæ IV, 4, sumit : *Quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus DEI constituitur.* Et S. Paulus ad *Gal.* I, 4, de Christo inquit : *Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam.*

Dominatorem pristinum, velut alterum, longeque immitiorem *Pharaonem*, qui per peccatum humano generi sævissime dominatus fuit, ac peccatoribus singulis etiamnum dominatur, donec per aquam Baptismi ab ejusdem tyrannide liberati fuerint. *Cum servi essetis peccati*, ait Apost. (*ad Rom.* VI, 20), *liberi fuistis justitiæ*. Lege totum hoc Apostoli caput.

Derelinquunt, *Satanæ* nimirum et *pompis* ejus in Baptismo renuntiantes. Cæterum transitum maris Rubri figuram nostri Baptismi fuisse, ipsemet Apostolus I *Cor.* X, 1, *et seq.* satis declarat : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes* mare *transierunt, et omnes in Moyse* baptizati *sunt in nube, et mari*; in quæ verba S. Aug. *L.* XX *contra Faust. c.* 29, *ait : Nubes, et mare rubrum Baptismus utique. Hostes sequuntur a tergo : morimur peccata præterita.* Et S. Ambr. *L. de his qui initiantur*, etc. *c.* 3, ita habet : *Advertis quod in illo Hebræorum transitu jam tunc sacri Baptismatis figura præcesserit, in quo Ægyptius periit, et Hebræus evasit? Quid enim aliud in hoc quotidie Sacramento docemur, nisi quia culpa mergitur, et error aboletur?* Itaque Christiani per *Baptismum*, tanquam *mare rubrum*, ad novam vitam transeunt. *Mare* (ait Theodoretus apud Calm. in I. *Cor.* X, 2) sacrum referebat LAVACRUM, quod baptizandi ingrediuntur : *Nubes* GRATIAM SPIRITUS *S. Moyses*, SACERDOTEM baptizantem : *virga* hujus legislatoris Jesu Christi CRUCEM : *Israelita* in mari CHRISTIANOS qui baptizantur : *Ægyptii* demersi, et dux eorum *Pharao, dæmones*, de imperio quod in nos exercebant, dejectos.

Commodum. Latinius *in usum commodum* legit : cui non reluctor. Potest autem et vulgaris lectio, etsi duriuscula, retineri, atque in *suum commodum* intelligi pro *in suam utilitatem*, quam suavitate sua ac limpiditate hominibus afferre solet.

Mosei, pro *Mosis*, gignendi casu.

Remediatur. De hoc verbo vide supra *Cap.* XV. Cæterum historia hæc *Exod. v.* 23, *et seq.* ita narratur : *Et venerunt* (מָרָתָה) IN MARA, *et non poterant bibere aquas* (מִמָּרָה) DE MARA, *eo quod essent* (מָרִים) AMARÆ ; *unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illum* (מָרָה) Mara, *id est* amaritudinem. . . . Et *ostendit ei* (Dominus) *lignum : quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.*

Retro, pro *antea*, ut alibi sæpius.

Remedians. Ita etiam antiqui patres, ac inter hos S. Ambr. *L. de his qui init. c.* 3, exponunt : *Marath*, inquit, *fons amarissimus erat; misit in eum*

Moyses Lignum, et dulcis est factus. Aqua enim sine A *prædicatione Dominicæ crucis* (ecce lignum) *ad nullos usus futuræ salutis est; cum vero salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri et salutaris poculi, temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est Propheta: ei in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ Crucis mittit, et aqua fit* DULCIS *ad* GRATIAM.

Cæterum *Junius* hunc Tertulliani locum ita legendum putat: *venas insaluberrimas aquas Baptismi scilicet ex sese remedians.* At obnixe retineo nostram lectionem; non enim aqua Baptismi erat remedians illas *aquas amaras*, ceu *venas insaluberrimas*, sed *lignum* (seu Christus in ligno crucifixus) illas aquas, ad Baptismum destinatas, ac alias insalubres, seu nihil salutare, ac proficiens ad salutem nostram continentes, in dulcedinem, *ex sese*, seu propria sua virtute, in *remedium peccatorum* et salutem animæ nostræ convertit.

Defluebat. Cum enim populus Israel ex deserto B Sin pervenisset in *Raphidim*, atque ob acerbam sitim, qua vexabatur, contra Moysen murmurasset, jussit Deus illam ipsam virgam, qua antea mare rubrum diviserat, tollere, petramque, ad eliciendam inde aquam, percutere, etc. *Exod.* XV, 1 *et seq.* Simile quoque prodigium accidit in *Cades*, ut *Num.* XX, 13 *et seqq.* videre est. Utrumque respexit S. Paulus I. *Cor.* X, 4, ita exponens: *Omnes eundem potum spiritalem biberunt* (ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας. *Bibebant autem de spiritali, consequente* eos, petra: PETRA *autem erat* CHRISTUS); *sed non in pluribus*, etc. Atque inde non Rabbini solum, sed et ex Christianis interpretes non pauci contendunt, *Petram* illam, aut certe petræ illius *aquas*, Israelitas deinceps in deserto semper comitatas fuisse. Ita enim Noster in *L. de Pat. c.* 5, ait: *Post Mannæ escatilem pluviam, post petræ aquatilem sequelam*, etc. At quæ prodigii tam immanis, et a Moyse neutiquam significati, hic adstruendi necessitas? Non enim Apostolus hic *de petra* illa *materiali*, quæ erat in Raphidim, C sed de *petra spirituali* (proindeque etiam in sensu solum spirituali, seu mystico) loquitur, Christo videlicet, per petram illam præfigurato, qui tanquam PETRA VIVA *Christianos* (meliores *Israelitas*) per desertum hujus mundi assiduo comitatur, factus iisdem *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Joan. V, 14. Atque ideo Noster hanc aquam, in Raphidim ex petra profluentem, merito inter Baptismi nostri figuras ponit.

Benedici. Locus sane obscurus. Excidisse videtur quidpiam, quod omnino supplendum. Itaque sic legendum puto: *Aqua in Christo*, in quo *Baptismum videmus benedici*; qui sensus satis planus est. Quid vero istud, *Baptismum benedici?* Enimvero vel de antiquissimo illo ritu, ad nostra usque tempora perseverante, scilicet benedictione ipsius fontis Baptismalis, quæ in Sabbatho S. et Vigilia Pentecostes fieri solet (vide supra *Cap.* IV, *Not. Invocato Deo*), vel de ipsa *forma Baptismi* (ut *Cap.* VI, *Not. Per benedictionem*) intelligi potest.

Aquæ gratia, pro *venustate* aut *dignitate*, ut *Cap.* III, *Not. Aut gratia*, vel pro *benignitate*, *favore*, aut *æstimatione* apud seu *penes Deum*, cui præ cæteris elementis Aqua semper acceptior fuit, etc.

Confirmationem, ut nimirum per aquam, ceu materiam suam, *stabiliatur* vel magis *commendetur* Baptismus.

Aqua auspicatur, eamdem in vinum commutando, quod primum ejus miraculum fuerat. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ*, etc. Joan. II, 11.

Ad aquam suam invitat. Sic enim Jesus ad mulierem Samaritanam, *Joan.* IV, 44, sermocinatur: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et Joan. VII, 37: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

De agape. Ἀγάπη Græcis *dilectionem* significat. Alias etiam *Agapæ* significant illa primorum Christianorum *convivia charitatis*, quæ ante S. Eucharistiæ consecrationem, tum in memoriam ultimæ Cœnæ Christi, in qua Sacramentum istud instituit, tum ad fovendam mutuam dilectionem, celebrare solebant: quorum apud nonnullos abusum Paulus I *Cor.* II, 20 *et seqq.* acriter reprehendit.

Probat. Sic enim *Matth.* X fraternam charitatem commendans, *vers. ult.* ait: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

Libenter. Quarta autem vigilia noctis venit (Jesus) *ad eos* (discipulos suos) *ambulans super mare.* Matth. VIX, 25.

Transfretat. Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam. Matth. IX, 1. Similiter *cum transfretassent* (discipuli cum Jesu), *venerunt in terram Genasar.* Matth. XIV, 34.

Lancea. Unus militum lancea latus ejus aperuit, et B *continuo exivit sanguis et aqua.* Joan. XIX, 34. Per hanc autem aquam Baptismum præfiguratum fuisse, S. Ambr. *in Luc*, XXIII, docet: *Ex illo incorrupto licet corpore, sed defuncto, omnium vita manebat. Aqua enim et sanguis exivit: illa, quæ diluat: iste qui redimat.* Et S. Aug. *Tr.* 120. *in Jo.* ideo ait in cruce apertum fuisse latus Christi, *ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde* SACRAMENTA *manarunt, sine quibus ad vitam, quæ vera* VITA *est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum: hæc et* LAVACRUM *præstat, et potum.*

Notæ ad caput X.

Constanter, scilicet pro *continuo*, seu *statim*: ut idem Noster in *L. de Pat. cap.* 3, de Christo ait: *Parum est, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec* constanter *denotavit.* At alibi pro *audacter* et *intrepide* usurpat, ex. gr. in *L. de Spect. cap.* 26, ubi dæmon ex obsessa quadam muliere, *Constanter et* C *justissime quidem* (inquit) *feci.*

Credentes. Alludit utique ad id, quod Is. VII, 9, habetur; ubi quidem Hebræus textus ita sonat: אם לא תאמינו כי לא תאמנו ad literam: *Si non credideritis, neque fideles eritis*, vel *confidetis.* Symmachus autem ita transfert: Ἐὰν μὴ πιστεύητε, οὐ διαμενεῖτε; atque ex hoc Vulgatus noster: *Si non credideritis, non permanebitis.* Paulo aliter Theodoret. οὐδ' οὐ μὴ πιστευθείητε, *nequaquam credetur vobis*; demumque LXX: ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδὲ μὴ συνῆτε, *si non credideritis, neutiquam intelligetis*; secundum quem tenorem Joan. Chrysost. Cypr. August. et alii Patres sæpius hunc locum allegant. Videtur huic quoque consonare illud Joan. VI, 9, ubi Petrus ad Christum: Καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν, ἐγνώκαμεν κ. τ. λ. *et nos* credidimus, *et* cognovimus, *quia tu es Christus*, etc. Et *Joan.* X, 38: ἐὰν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε, τοῖς ἔργοις πιστεύετε, ἵνα γνῶτε, καὶ πιστεύσητε ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ Πατὴρ κ. τ. λ. *Si mihi non vultis credere, operibus* credite, *ut* cognoscatis, *et credatis quia Pater in me est.* D

Itaque si voluimus mysteria a Deo revelata intelligere, antea debemus credere, ut adeo *fidem* præcedere oporteat, et ex fide sequi *intelligentiam*; quod Tertullianus etiam alibi confirmat, ut in *L. de Cor. mil. cap.* 2, ubi: *Laudo fidem, quæ ante* credit *observandum esse, quam* didicit. Et *L.* IV, *adv. Marc. c.* 20, ubi, cum illo Isaiæ testimonio similiter usus fuisset, mox subjungit: *Hæc erat* fides, *quæ contulerat etiam* intellectum. Denique *ibid. c.* 25, idem confirmat: *Abscondit*, inquiens, *præmisso obscuritatis prophetico instrumento, cujus* intellectum fides *mereretur; nisi enim credideritis, non intelligetis.* At quid Protestantes nostri? Prius nimirum *intelligere* volunt, deinde *credere*, propriæ suæ rationis lumini fidem suam commensurantes, et nequaquam vulgatum illud attendentes: *Discentem oportet credere*, antequam nimirum id, quod discit, intelligat. Vide ergo quid inter nos, illosque intersit. Illi *non credunt, nisi*

intelligant : nos *credimus*, *ut intelligamus*. Atque hoc est illud, quod Apostolus nos II *Cor.* X, v. 5, monet, ut simus *consilia* (humana) *destruentes*, *et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei* (seu adversus ea, quæ nobis *per fidem* de Deo innotescunt) *et in captivitatem redigentes omnem* intellectum *in obsequium Christi*.

Mandatu tamen. *Mandatus*, *us*, quartæ Declin. legitur apud JCtos : quæ proin vox Tertulliano facile ex Jurisprudentia civili hærere potuit ; nam civilium Legum apprime peritum fuisse, in Epitome Vitæ ejusdem, Libro *de Præscr.*, a nobis præfixa docuimus.

Conditione. Seu secundum intrinsecam suam naturam, aut, ut alias loquimur, *secundum substantiam*. Erat ergo Baptismus ille tantum *extrinsece*, scilicet quantum ad mandatum illud Dei, ex quo fuit a Joanne administratus : non vero *intrinsece*, et quantum ad naturam suam, *Divinus*, sed omni virtute, sibi indita, destitutus.

Præstabat. Baptismus ergo Joannis nullam habebat efficaciam ad aliquid *supernaturale* in anima producendum, sicut tamen Christus baptismo suo vim inseruit ad producendam gratiam sanctificantem, et peccata per eamdem abolenda. Hanc Baptismi utriusque differentiam ipsemet Joannes, *Marc.* I, v. 8, luculenter significavit, inquiens : *Ego baptizavi vos* Aqua, *ille vero baptizabit vos* SPIRITU SANCTO.

Præministrabat. Sicut enim ipse Joannes tantum erat Præcursor Domini, *præparans nimirum viam ejus*, *Marc.* I, 2, ita etiam Baptismus Joannis tantum erat prodromus quidam Baptismi Christi, velut ad eumdem per excitatos actus pœnitentiæ a peccatis avocans, et ad meliorem vitam disponens, non ipsam vitam conferens. Ita enim Author 22 *ad orthodox. Respons. ad* 2, XXXVII, ait : *Baptismus Joannis prœmium fuit Evangelii gratiæ*. Et S. Basil. *Hom.* 13, *de Exhort. ad Baptismum*, inquit : *Initiatorum erat Joannis Baptisma : istud vero perfectorum. Ac peccato illud avocabat : istud cum* DEO *conjungit, et familiarem reddit.*

Potestate, seu *libertate*, scilicet per vites gratiæ adjuta.

Egere. Est enim Fides, ut Concil. Trident. *Sess.* VI, *de Justific. cap.* docet, dispositio quædam, ipsam pœnitentiam necessario antecedens, ut ibi latius. Cum ergo Luc. VII, v. 29, *Omnis populus audiens*, *et publicani justificaverunt Deum* (credentes nimirum Christo, *Joannis* dotes tam insigniter commendanti) *baptizati Baptismo Joannis*. Et mox pergit Evangelista : *Pharisæi autem et Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos* (incredduli nimirum Joanni, Baptismum pœnitentiæ prædicanti, et ipsi Christo eumdem tam efficaciter suadenti), *non baptizati sunt ab eo*, neque digni hoc *pœnitentiæ Baptismo*, quoniam *Fide*, tam pertinaciter nimirum repulsa, destituti.

Humanum. Seu res ab arbitrio hominis, ejusque liberis actibus necessario dependens.

Necesse est. Pariter scilicet *humanus*, ut supra dixit. Vide *Not. Conditione*. Baptismus ergo Joannis nonnisi ad pœnitentiam excitabat, gratiæ auxilia ad eamdem necessaria largiendo, non ipsa peccata delendo : utpote quod per actum perfectæ pœnitentiæ seu contritionis, tanquam *opus* ipsius *operantis*, perfici necesse erat.

Si cœlestis fuisset. Sicut Baptismus ipsam *gratiam sanctificantem* et *remissionem peccatorum*, Divina siliique intrinseca virtute, seu, ut loquimur, *ex opere operato*, conferebat, ut jam alias diximus.

Deus solus. Atque id quidem intelligendum est de *potestate principali* et *authoritativa*. Cæterum autem hanc etiam hominibus, velut *instrumentis*, *per quos* peccata *nomine Christi* dimittantur, et Spiritus S. conferatur, communicabilem esse, itaque etiam a Christo Apostolis, eorumdemque successoribus Episcopis, et per hos Presbyteris, communicatam fuisse, ex *Joan* XX, v. 22, *et seq.* constat, ubi Christus Apostolis insufflavit et dixit : *Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*, etc. Nihilominus vero, ut S. Pacianus *Ep.* 1, *ad Sympronianum* ait, *quod per suos Sacerdotes facit Christus*, *sua Potestas est*. Et Ep. 3. *Quod ego facio*, *non meo jure*, *sed* DOMINI ; *Dei enim sumus adjutores*. *Quare*, pergit, *sive baptizamus*, *sive ad pœnitentiam cogimus*, *seu veniam petentibus relaxamus*, *Christo id auctore tractamus*. Atque hæc contra Protestantes nostros notanda erant, Sacerdotibus non *veram potestatem* remittendi, sed nonnisi mere *declarativam* jam factæ a Deo *remissionis*, asserentibus.

Descensurum. *Si non abiero* (ait Christus *Joan.* XVI, v. 7), *Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero*, *mittam eum ad vos*. Quo testimonio Tertullianus utitur ad probandum, quod Baptismus Joannis gratiam Spiritus S. nondum conferre potuerit, eo quod Spiritus S. ante Christi in cœlos Ascensum nondum se in Ecclesiam effuderit. Ex quo non pauci etiam ex nostris contendunt, neque Baptismum, a Christo institutum, ante *Passionem* et *Resurrectionem*, imo et ejus *Ascensionem*, efficaciam conferendæ gratiæ obtinuisse. Verum hac de re potius *Cap. seq.*

Ne auditu quidem noverant. *Act.* XIX, 2, *et seqq.* Paulus ad discipulos suos ait : *Si* SPIRITUM S. *accepistis credentes ? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si* Spiritus Sanctus *est*, *audivimus*. *Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis ? Qui dixerunt : In Joannis Baptismate*. *Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum*, etc. Ex quibus facile infertur, Baptismum Joannis non collatum fuisse in nomine S. TRINITATIS ; alias enim SPIRITUM S. ignorare non potuissent, utpote in quem antea credere debuissent, tanquam per cujus gratiam remissio peccatorum fieri debebat, et animæ sanctificatio conferri. Erant igitur hi ex Judæis *Ephesiis*, qui a Joanne aliquando in Jordane baptizati fuerant, intereaque *Ephesum* reversi, nihil, antequam *Paulus* illuc pervenisset, de *Baptismo Christi*, hactenus ab Apostolis collato, neque de *impositione manuum*, seu *Sacramento Confirmationis*, quod tunc Baptismo mox subjungebatur, donisque Spiritus S. illud comitantibus, quidpiam audierant. Et vero Paulus minime putabat, ipsis sufficisse Baptismum Joannis, eo quod per eumdem nondum *Christi Ecclesiæ* initiati fuissent. Quare *loc. cit.* v. 5 et 6, subjungitur : *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu*. *Et cum imposuisset illis manus Paulus*, *venit* SPIRITUS *S. super eos*, *et loquebantur linguis*, *et prophetabant*. Vide igitur quam multo infirmior fuerit Baptismus Joannis præ altero Christi.

Spiritus prophetiæ. Propheta enim erat Joannes, imo (quod Christus *Matth.* XI, v. 9, ad turbas dixit) *plusquam Propheta*. Vide et c. XXI, v. 26. Prophetabat enim, non ut antiqui illi Christum *diu posteu*, sed *mox* post se venturum.

Translationem. Scilicet quando Christus, a Joanne baptizatus, *vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam*, *et venientem super se*, Matth. III, v. 16.

Sciscitatum. Nimirum *Matth.* XI, v. 3, cum Joannes ad Christum *mittens duos de discipulis suis*, *ait illi : Tu es, qui venturus es, an alium expectamus ?* Ex hoc autem credidit Tertullianus, Joannem de Christo, quem *Messiam venturum* toties tamque aperte prædicaverat, postea, Christo ipso suum prædicationis munus obeunte, de eodem, an verus esset Messias, dubitare incœpisse, ut idem Noster *L. de Præscr.*, *Cap.* VIII, satis prodit, et in *L.* IV, *advers. Marc.*, *c.* 18, adhuc apertius et prolixius significat, ubi in hæc verba ait : *Ipso Domino virtutum sermone et Spiritu Patris operante in terris*, *et prædicante*, *necesse erat portionem Spiritus Sancti*, *quæ ex forma prophetici moduli in* Joanne *egerat præparaturam viarum Dominicarum*, *abscedere jam ab* Joanne, *reductam* (revocatam) *scilicet in Dominum*, *ut in massulam suam summam* (in quo nimirum tota massa et plenitudo Gratiæ residebat). *Itaque Joannes communis jam homo* (quia jam a spiritu prophetico sibi ipsi relictus) *et*

unus jam de turba, etc. Hactenus et porro Tertullianus. Verum probabilius alii et Patrum et Interpretum existimant, Joannem nunquam de Christo dubitasse, sed discipulos suos, quos de miraculis Christi sibi nuntiantes, fortasse tamen de Divinitate ejus dubitantes invenerat, ad Christum misisse, interrogaturos; ut sic ex ejus præsentia, et miraculis coram patratis de ejus Divinitate plane convincerentur. Vide etiam S. Ambros. in *Luc. Cap.* VII, ubi præterea mysticas et allegoricas *missionis* illius significationes affert.

Candidatus remissionis. Qui apud Romanos ad honores publicos aspirabant, et in Comitiis singulas tribus circuibant, suffragia pro se exorantes, *Candidati, a candida* sua veste, appellabantur. Unde Tertull. in *L. de Idol.*, *c.* 18, ait : *Qui familiaritate Regum utebantur, Purpurati Regum vocabantur, sicut apud nos a toga candida Candidati.* Extendi postmodum cœpit hæc appellatio latius, non ob vestis quidem, sed muneris similitudinem. Sic enim, qui Principis epistolas et decreta in senatu recitabant, itidem *Candidati* appellabantur; quia per hoc munus ipsis erat aditus ad altiores honores, ipsosque magistratus, ut Ulp. in *L. un.* § 4, *ff. de Off. quæst.* docet. Sic etiam qui ætate juniores in tyrocinio exercebantur, paulo post ex ephebis egressuri, *Candidati* appellabantur; quo ferme sensu *Quintil.* Instit. L. V. *Candidatos eloquentiæ* nuncupat. Proinde et Noster in *L. de Orat.*, *c.* III, eos ANGELORUM CANDIDATOS nominat, qui *meruerant cœlestem illam in Deum vocem, et officium futuræ claritatis ediscunt;* quia ejusmodi secundum promissionem Christi, *Matth.* XXII, v. 30, *erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Sic et *L. ad Uxor.*, *c.* 7, velut in tyrocinio timoris Dei agentem, *Candidatum Timoris* appellat, et alibi ejusmodi alia habet. Ita igitur etiam Noster Baptismum Joannis vocat *candidatum remissionis,* quod eo initiati, ad Baptismum Christi, per quem fit plena peccatorum remissio, præparati ac dispositi fuerunt. Cæterum et in sequiori sensu *L. de Coron. c.* 7, idololatras *candidatos diaboli*, et in *L. de Anim. c.* 39, proles quasdam adhuc in utero matris *genimina dæmoniorum candidata* appellat.

In Christo. Scilicet *in Baptismate Christi.*

Enuntiatum est. Quæ nimirum fieret non in ipsius Baptismi *Joannis*, sed Baptismi *Christi*, postea secuturi, virtute; sic enim solus *ex operato*, seu intrinseca sua virtute, remittebat peccata, ut jam sæpe alibi diximus.

Spiritu et igni. Ita enim *Luc.* III, v. 16, Joannes ait : *Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem fortior me, ipse vos baptizabit in* SPIRITU SANCTO et IGNI. Non utique exclusit *aquam* a Baptismo Christi, sed id solum significare intendit Joannes, suam ablutionem solum simplicem esse, simplici nimirum aqua exterius factam; at illam in futuro Christi Baptismo fore ad altius mysterium et ad interiorem quoque ablutionem animæ, quæ sine gratia Spiritus Sancti nequit, elevandam.

Quis vero sit ille Baptismus, ὁ Πνεύματι ἁγίῳ, καὶ πυρὶ, *in Spiritu Sancto et igni*, multos exercuit, quin et quibusdam vehementer errandi occasionem præbuit. Fuere enim veterum hæreticorum quidam, qui *ignem* illum simpliciter, ac de vero et elementari igne nostro intelligendum, ideoque in Baptismo non minus ignem quam aquam adhibendam putarunt. Sic enim Clemens Alexandr. vel quisquis alius hujus scripti author est, in *Eclogis Propheticorum* testatur : Ἕνιοι δέ, ὡς φησιν Ἡρακλέων, πυρὶ τὰ ὦτα τῶν σφραγιζομένων κατεσημήναντο, hoc est : *Quidam, ut ait Heracleon, igne aures sigillatorum* (baptizatorum) *adurebant.* Sed et Author *Carm. in Marcion. L. I*, de igneo quodam *Valentini* hæresiarchæ baptismo memorat, ceu qui *Bis docuit tingi, traducto corpore flamma.*

S. Aug. quoque *de Hæres. ad Quodvult. hær.* 59, Seleucianos hæreticos *igne* Baptismum contulisse perhibet. Quidquid vero de his sit, certum est, ab Apostolis nunquam ignem ad Baptismum adhibitum, adeoque id a Christo minime præceptum fuisse, ac proin Ecclesiam ab hac praxi semper abhorruisse.

Quare Catholicorum Interpret. nonnulli rectius putant, per illud *in spiritu et igni* denotari ipsum Baptismum Christi, in quem supervenit Spiritus S. in *specie columbæ*, simulque (ut S. Justinus M. in *Dial. cum Tryph. p. m.* 246, perhibet) κατελθόντος τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τὸ ὕδωρ, καὶ πῦρ ἀνήφθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ, h. e. *Cum Jesus* in aquam *descendisset, etiam* ignis in *Jordane accensus fuit.* Sed et in nostro Baptismo accenditur *invisibilis* quidam *ignis*, cum *gratia Spiritus* S. cordibus nostris illabitur, et, ut S. Ambr. in *L. de Elia* et *jejun. cap. ult.* loquitur, *peccata nostra consumit*, animamque ab horum scoriis purgat. Sunt dein, qui cum S. Aug. *in Ps.* 65, de *exorcismis*, Baptismo nostro cummuniter præmitti solitis, intelligunt; ait namque : *Unde plerumque immundi spiritus clamant : Ardeo; si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi venitur ad Baptismum.* Alii per Baptismum illum ignis cum Authore *Operis imperf. in Matth. Hom.* 3, *designant* (metaphorice nimirum) *tribulationes* et *persecutiones*, quibus fidelium justorum in fide constantia, et in adversis patientia, velut aurum in fornace ignis, probatur. S. Basil. in *Hom. de Bapt.* intelligendum contendit *ignem* illum de *verbo doctrinæ, quod et peccatorum malitiam arguit, et justificationum gratiam manifestat :* quæ quidem expositiones satis commodæ, sed nonnisi *metaphoricæ* sunt. Denique autem Tertullianus noster de *die judicii*, atque *igne infernali* damnatorum expouit, ut paulo post videbimus.

Interea mihi, fateor, præplacet eorum sententia, qui ad literam intelligunt de Spiritus S. non in Apostolos duntaxat, sed in eorumdem discipulos quoque, recens baptizatos, visibili descensu *in forma ignis :* cujus exemplum sat fulgidum et illustre *Act.* XI, vers. 11, habetur, ubi ita S. Petrus : *Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus S. super eos,* SICUT ET IN NOS IN INITIO, adeoque etiam in forma *ignis*, sicut cecidit in Apostolos in die Pentecostes. Sensus igitur dictorum S. Joannis Baptistæ hic esse optimus, planeque literalis videtur : *Ego quidem aqua* (sterili scilicet elemento, nec vim gratiæ in se habente) *baptizo vos*, etc. *Ipse* autem *vos baptizabit* (non sola aqua) sed *in Spiritu S.* (aquam Baptismi ad progenerandam gratiam fœcundante) et *igni*, scilicet gratiis Spiritus S. in igne per impositionem manuum superventuris. Atque hic est ille Baptismus *igneus*, quem Christus ipse *Act.* I, v. 5, prænuntiavit. *Joannes quidem baptizavit* aqua, *vos autem baptizabimini* SPIRITU SANCTO *non post multos hos dies.* Et paulo post v. 8 : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos*, etc., quæ mox 10 diebus postea, *cum complerentur dies Pentecostes*, adamussim impleta esse novimus.

Aquæ fides. I. e. illa fides, quæ est *in aquam* seu Baptismum aquæ, est *stabilis, firmiter perseverans*, ac perpetuo largiens id, quod ad nostram salutem necessarium est. Aut : *aqua* illa *fidelis* est, servans promissa, eo nimirum sensu quo *Isa.* XXXIII, v. 16, dictum fuit : *Aquæ ejus fideles sunt.* Aut denique sensus est : sola fides *vera* et *sincera* est, in qua ad salutem abluimur, etc., *simulata* vero et *instabilis* seu *non seria*, moxque iterum deserenda, tingitur in judicium.

In judicium. Hunc supra prolixius expositi textus sensum Tertullianus ex illo S. Pauli 1. *ad Cor.* III, v. 13, *et seqq.* hausisse videtur, *Uniuscujusque opus manifestum erit;* DIES *enim* DOMINI *declarabit; quia in* IGNE *revelabitur : et uniuscujusque opus quale sit,* IGNIS probabit. *Si cujus opus manserit — mercedem accipiet : si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit : sic tamen, quasi* PER IGNEM. Idque ipsum est, quod ab Isaia *c.* IV, v. 4, prædictum fuerat : *Abluet Dominus sordes filiarum Sion — in* SPIRITU JUDICII, ET SPIRITU ARDORIS, seu ignis; in quem locum S. Basilius ait :

Baptismus Joannis erat expurgatio sordium, hæc autem ipsa regeneratio per Spiritum S. id quod examen fit per IGNEM JUDICII. Et in *L. de Spir. S. ad Amphil. c.* XXXV, inquit: IGNIS BAPTISMUM *illam esse probationem, quæ fiet in* JUDICIO.

Notæ ad caput XI.

Quasi revera. Mea quidem editio *quia* habet, obscuro certe ac mendoso sensu; malui ergo ex aliis editionibus *quasi* repouere: ut adeo sententia hæc ironiam potius exprimat.

Prædicasset. Cum scilicet Joannes apud *Matth. cap.* III, v. 11, de Christo dixit: *Ipse vos baptizabit*, etc., nequaquam addidit: *per semet*, aut *propriis suis manibus.*

Proposuit, i. e. *promulgavit*, aut ad valvas curiæ *affixit*, etc., cujus utique sensus est: *promulgari*, vel *affigi jussit*, aut *fecit*, per alium nempe.

Dicitur facere. Secundum vulgatam illam JCtorum regulam: *Quod quis per alium facit, per se ipsum facere censetur.* Cæterum *præministratur* eodem sensu Noster, quo in *L. de Orat. cap.* I, Joannem *præministrum* Christi, quasi præeuntem, seu prævie ministrantem, dixit. Ita et Apuleius in *Apolog.* linguam *mendaciorum et amaritudinum præministram* nominavit.

Per ipsum. Ejus nimirum *nomine* ac *authoritate.*

In ipsum. Seu *in* ejus *virtutem* ac *nomen*, ut scilicet transeatis in nomen *Christi.*, deinceps *Christiani* appellandi. Sic enim S. Paul. *Galat.* III, v. 27, *et seq.* ait: *Quicunque in Christo* (Græce εἰς Χριστὸν, *in Christum*) *baptizati estis, Christum induistis.* — *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Vide plura apud S. Basil. in cit. *Hom. de Baptismo.*

Non ipse tingebat. Sunt tamen ex Patribus, qui verisimiliter opinantur, a Christo Apostolos, vel saltem eorum principem, Petrum, Christi propria manu baptizatos fuisse. Ita enim S. August. in pereleganti illa *Ep.* 108 (nunc 265) *ad Seleucianam de Baptismo et pœnit. Petri*, ait: *Neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos alios baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis lavit pedes, et petenti Petro, ut non tantum pedes, verum etiam manus et caput ei lavaret, respondit*, QUI LOTUS EST, *non indiget*, etc. Legi sane in rem hanc tota meretur Epistola.

Verbo dabat. Neque enim ullo alio exteriori ritu adhibito paralyticum *Matth.*, IX, v. 2, neque mulierem *Luc.* VII, v. 28, nisi paucis, simplicibusque verbis absolvit, dicens: *Remittuntur tibi peccata tua.*

Humilitate celabat. Sic enim Christus de se ipso directe loquens, nunquam aperte se FILIUM DEI, sed *Filium hominis* dicebat, ut *Matth.* VIII, v. 20, et cap. IX, v. 6, et alibi passim. Unde cum *Luc.*, IV, v. 41, a multis exilissent dæmonia *clamantia et dicentia: Quia tu es* FILIUS DEI, *increpans, non sinebat ea loqui.* Et *Jo.*, VIII, v. 54, dicebat: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.*

Struxerant. Hæc enim primo ædificata fuerat ab Apostolis, postquam acceperant Spiritum S. in die Pentecostes, quando post primam prædicationem Petri, *qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et apposita sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Act., II, v. 41.

Baptismo Joannis. Itaque in ea opinione erat Tertullianus, Apostolos ante Passionem et Resurrectionem nonnisi Baptismum Joannis dispensasse, Baptismum vero Christi primum postea institutum fuisse, ut post pauca explicatius affirmat.

Sane autem non defuere ex SS. Patribus, qui hanc Tertulliani opinionem sectarentur, et maxime S. Chrysost. *Hom.* XXVIII, *in cap.* 3; *Evang. S. Joan.* Itemque S. Leo M. qui in *Epist.* IV, *ad Episcopos Siciliæ* ita scribit: *Ipse Dominus J. C. postea quam resurrexit a mortuis, Discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, et formam, et potestatem tradidit baptizandi, dicens:* Euntes docete omnes gentes, etc., *de quo utique eos etiam ante Passionem potuisset instituere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse.* Atque hanc sententiam Theologorum nonnulli deinceps secuti sunt, et Illustriss. Melch. Canus, *L.* VIII, *de Locis Theol., c.* 5, in eamdem valde inclinat.

Verum S. Thomas Aq. 3, *p. q.* 66, *a.* 2, contrarium docet, secutus Augustinum suum, qui in cit. *Ep. ad Seleuc.* ita fatur: *Baptizabat Christus, non per seipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus jam fuisse baptizatos, sive baptismo Joannis, sive, quod magis credibile est, baptismo Christi*; quod posterius etiam in *Tract.* V *et* XIII in *Joan.* et in *L. de Orig. animæ, lib.* III, *c.* 9, absolute affirmat. Si igitur Apostoli baptismum Christi hoc adhuc vivente acceperant, haud dubium est eos porro nonnisi eodem baptismo alios quoque abluisse. Igitur et Apostolos, sentit, hunc, quem acceperant, baptismum Christi suis porro, etiam ante passionem, dispensasse.

Nec instructa. Id est, *lavacro aquæ nondum sua efficacia*, et virtute, peccata per gratiam baptismalem abluendi, *instructo.*

Resurrectionem. Namque baptismus institutus est a Christo, tanquam memoriale *Passionis* ejus et *Resurrectionis* futurum, ut mox confirmabimus.

Sine resurrectione ejus. Sic enim Ap. *ad Rom.* VI, 3, *et seq.* ait: *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus,* IN MORTE *ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum* IN MORTEM, *ut quomodo Christus* SURREXIT A MORTUIS *per gloriam Patris, ita et nos* IN NOVITATE VITÆ *ambulemus*, etc., etc. Vide etiam *Coloss.* II, 12, *et seq.* Unde et Christus *Jo.* XI, 25, de semetipso: *Ego sum* RESURRECTIO *et* VITA. Nobis sane erat resurrectio a *morte peccati* ad *Vitam gratiæ.* Verum in hanc rem audire quoque juvat S. Ambr. *L.* I. *de Sp. S., c.* 6, ita eleganter disserentem: *In illo aquarum* sepelimur *elemento, ut renovati per Spiritum* resurgamus. *In aqua enim est imago* mortis, *in Spiritu* pignus *est* vitæ, *ut per aquam moriatur corpus, quæ quasi quodam tumulo corpus includit, et per virtutem Spiritus renovamur a morte peccati.* Vide plura ibi.

Notæ ad caput XII.

Præter Paulum. Qui ab *Anania* baptizatus memoratur, *Act.* IX, 18. De cæteris autem Apostolis id in SS. Literis proditum non invenimus. Attamen vide quæ *Cap. præced. Not. Struxerant*, diximus.

Induerit. Jam enim *Cap. præc. Not. Baptismo Joannis*, Noster docuerat, cæteros Apostolos non Baptismo Christi, sed solo Joannis baptizasse, consequenter et illos nonnisi baptismum Joannis obtinere potuisse.

De cæterorum periculo. Locus mihi quidem obscurior, fors tamen ex I *Tim.* V, 21, nonnihil elucidandus, ubi ita Apostolus: *Testor coram* DEO... *ut hæc custodias* (χωρὶς προκρίματος) *sine præjudicio, nihil faciens* (κατὰ πρόκλισιν) *ad alterum partem declinando.* Πρόκλησις autem proprie *advocationem* significat, qua uni parti magis assistitur quam alteri, quod fit in *acceptione personarum.* Ubi quidem non dissimulandum in multis sane exemplaribus, teste Calmeto, legi προκλίσεων, quod proprie *inclinationem*, seu *propensionem*, maxime autem *animi*, significat, et æque ad rem nostram est. Hoc enim ipso sensu locus ille intelligi posse videtur: Cæteros Apostolos per *prævium* quoddam *judicium*, ac singularem animi *propensionem* et favorem a communi illa lege exemptos fuisse, ut adeo jam aliunde eorumdem salus ex carentia et defectu Baptismi non periclitaretur, proindeque *præscriptio*, seu lex illa de Baptismo *Jo.* III, 5, Apostolos, utpote jam prævia a Deo *exemptos*, numquam afficerit, sed solum quoad alios deinceps immobilis perseveret. Sed quid tam sollicito verborum circuitu opus? aut quidni potius *præjudicatum*, pro *præcautum*, ac singulari quodam privilegio *provisum* esse contra salutis periculum, intelligi queat?

Rescindi. Seu infirmari ac revelli illam legem.

Statuta est. Vis ergo totius argumenti contra Ba-

ptismum objecti hæc esse videtur : si Apostoli Baptismum non susceperunt, et nihilominus salutem consecuti fuere, aut eos specialiter a Christo exemptos fuisse oportuit (de qua tamen exemptione nullibi in Evangelio legimus), aut etiam aliis non baptizatis salutis januam patere, sicque legem illam de Baptismo suscipiendo nullum robur habere.

Ejusmodi. Homines nimirum, qui scilicet hoc argumentum ad evertendam necessitatem Baptismi procuderant.

Libidinem stigli, i. e. ut, velut ex petulantia ingenii novaturientis, argumenta ejusmodi ultro confingam.

Perfundi volenti. Istud enim longe malo, quam *nolenti*, quod meus codex habet ; cum enim initio, velut nimirum indignus, renuisset, sane mox postea eo promptius annuit.

Destinabantur. Namque Apostolis Christus post Resurrectionem mandaturus erat : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Erat autem Baptismus Christi janua ad Ecclesiam, et via proximior, magisque directa, quam Baptismus Joannis, ad salutem.

Tinctus est. Et Baptismo quidem Joannis, qui in aliis non erat nisi *Baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (Marc. I, 4) : jam vero a Christo institutore ad rationem Sacramenti elevabatur, ut communius Theologi nostri tenent.

Non fuit necesse. Neque enim Apostoli, *homines* nimirum, tunc omni *peccato*, quod per Baptismum elui posset, caruisse dicendi sunt, ut neque ipsi essent *Baptismi pœnitentiæ* subjectum.

Æmuli, i. e. *adversarii*, *inimici*, aut *invidi*, quos mox postea *adversantes Domino* appellat. Sic etiam Noster in *Apolog. c.* 21, de fabulis loquitur, tanquam *æmulis ad destructionem veritatis :* sicque alibi sæpius. Alias autem hanc vocem in bonam quoque partem, pro sedulis *imitatoribus*, accipi constat.

Suggeritur, i. e. *subministratur* argumentum, scilicet a contrario doctum, ferme sicut secundum Jesum Christum flatum, *exceptio firmat regulam in oppositum.*

Disciplina religionis, i. e. *secundum disciplinam*, aut ritum, seu ordinationem *Religionis.* Ad *disciplinam* autem pertinent quæcumque ad Dei cultum, sive ab hominibus Ecclesiæ gubernandæ præfectis, sive ab ipsomet Deo, ad communem observantiam, ordinata sunt ; quanquam ea, quæ nonnisi humanæ ordinationis sunt, *res meræ disciplinæ* appellentur. Licet autem Tertulliano alias *disciplina* etiam *doctrinam* significet, videtur tamen, in pressiori sensu, *doctrinam* dici, quæ a *docente* egreditur, tum vero hanc in *discentibus* receptam, horumque moribus efformatam, *disciplinam* appellari.

Per patientiam. Dissimulationem, ac *permissionem*, qua *patitur*, seu sinit, hæc evenire. Hoc sensu Tullius in *Act.* VIII *contr. Verr.* ait : *non feram, non patiar, non sinam ;* et in I *de Offic.* de iis loquitur, qui, *quos tutari debeant, desertos esse patiuntur.*

In ultimis. Hellenismus est ; sic enim Græci dicere solent ἐπ' ἐσχάτων, *in ultimis* : quod Latini per *tandem*, *ultimato*, vel *denique*, efferre solent.

Tantumodo spectet. Ad Petrum enim *Jo.* XIII, 10, dixit Christus : *Qui* LOTUS *est, non indiget nisi ut pedes lavet ;* ostendens fortasse, *nobis* nonnisi *uno* corporis *lavacro* seu baptismo opus esse, neque Baptismum semel acceptum deinceps iterari posse.

Æstimare. Pro *judicare* aut *decernere*, verbo *æstimare* hic uti videtur ; quasi *temerarium* foret, de Apostolorum salute (etsi forte Baptismum non accepissent) sinistri quidpiam *judicare.*

Adlectionis. Seu assumptionis ad Apostolatum.

Compendium baptismi. Ita scilicet singularis illa prærogativa *Baptismi instar* illis esset, ac velut *compendio*, et breviori via, anticipato hunc suppleret.

Conferre posset. Totum hunc locum ab imperito librario per ineptam verborum transpositionem mire luxatum, proindeque sic restituendum censet Junius : *Et exinde individuæ familiaritatis* CUM LLO *prærogativa compendium Baptismi conferre posset. Opinor, sequebantur illum*, etc. Quanquam autem hoc loci illius medicamen minime respuendum arbitrer, puto tamen et vulgatam lectionem sustineri posse, ita ut novæ periodi sensus sit : *Cum illo* (compendioso scilicet Baptismi supplemento) *sequebantur illum*, etc.

Salvum fecit. Iis enim verbis usus fuerat ad *mulierem*, quam a fluxu sanguinis, *Matth.* IX, 22, liberaverat : *Confide, filia,* FIDES *tua te salvam fecit.* Iis etiam *Samaritanum*, *Luc.* XVII, 19, a lepra mundatum : et mox, *c.* XVIII, 42, *cæcum* illum Jerichuntinum, cui visum restituit, affatus fuerat. Et hi quidem non *corporis* duntaxat, sed multo magis *animæ salutem* per *fidem* illam tam vivam consecuti fuerunt, cui jam aliunde ac multoties, a Christo salus adpromissa fuerat, ut Jo. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et ibid. v. 36 : *Qui* credit *in Filium hominis, habet vitam æternam.* Nec mirum ; quoniam et ipsi Baptismo Christi nonnisi cum fide suscepto salus promissa fuerat : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit* (etsi jam baptizatus), *condemnabitur.*

Non tamen tincto. Nullibi enim legimus, illos antea a Christo, aut Apostolis, baptizatos fuisse.

Quorum fides. Seu *in quibus*, aut *apud quos* alios fides requirenda *sit.* Mox autem exempla subjicit.

Suscitatus. Junius ita legit : *Qui uno verbo*, etc. Et sane videtur id contextus postulare ut vocula illa saltem subintelligatur, hac quidem ratione : Ille, qui *uno verbo Domini suscitatus fuit*, etc.

Teloneum. Τελώνιον, vel, ut Suidas habet, τελωνεῖον, stricte sumendo, locus est, ἐν ᾧ, ut idem ait, καθίζεται ὁ τελώνης, *in quo sedet telones*, seu *telonarius*, sic dictus ἀπὸ τοῦ τέλους (Græcis enim τέλος aliquando etiam *vectigal* aut *tributum* significat) et ὠνεῖν, quod iisdem *emere* est ; illis namque temporibus vectigalia sub annuis plerumque censibus sibi *redempta* possidebant, indeque proprie τελῶναι, *Redemptores vectigalium*, apud Romanos vero *Publicani*, nominabantur, ceu *publicæ pecuniæ*, publico nimirum ærario inferendæ, vel ab eodem redimendæ, aut præfecti, aut sub his exactores : quod posterius hominum genus, ob importunitatem suam et avaritiam, pessimasque hinc conjunctas artes, ferme ubilibet, *Judæis* vero maxime, invisum erat, qui præ cæteris se ingenuos ac libertati natos credebant, *Joan.* VIII, 33, contra Christum ipsum vociferantes : *Semen Abrahæ sumus : nemini servivimus unquam.* Atque hinc ejusmodi *telonarii* seu *publicani* velut *publici peccatores*, imo velut *ethnici* habebantur, a quorum communione *pariter* abstinendum esset. Atque inde Pharisæi contra Christum ejusque discipulos insurgebant, *Matth.* IX, 11, dicentes : *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester ?* Et apud eumd., *c.* XVIII, 17, ipse Christus ad discipulos suos, de fraterna correctione disserens, ait : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus.*

Patrem. Innuit hic *Petrum* et *Andream*, quibus cum Christus dixisset : *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum*, Matth. IV, 20. Maxime autem cum vocasset *Jacobum* et *Joannem*, *illi statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* Ibid. v. 22. Quin et *matrem* simul reliquerant, quæ postea *Matth.* XX, 20, tantopere circa illos sollicita erat de primatu in regno cœlorum obtinendo.

Despexit. Hunc Clem. Alexandr. *Lib.* III *Strom.* credidit fuisse *S. Philippum* Apostolum, qui Domino vocanti *Matth.* VIII, 21, *et seq.* aiebat : *Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi :* SEQUERE ME, *et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Sed quid vetat integrum illum Tertull. locum ex *L. de Idolol. c.* 12 hic attexere, qui etiam supra adductis exemplis congruit ? *Jam*, inquit, *hunc demonstratum est nobis, et pignera, et artificia, et negotia propter Dominum derelinquenda, cum Jacobus et*

Joannes, *vocati a Domino et patrem navemque derelinquunt : cum* Matthæus *de telonio suscitatur : cum etiam sepelire patrem tardum fuit fidei.* Neque autem pœnitebit, spondeo, integrum hoc caput legisse.

Quam audivit. Nam jam antea (scilicet *Matth.* VIII, 21) superior illa vocatio discipuli contigit ; at primum postea (nimirum *Matth.* X, 37) sententia hæc : *qui patrem*, etc. a Christo prolata fuit.

Notæ ad caput XIII.

Provocant, i. e. *agitant*, aut *proliciunt*.

Nisi. Clarius esset *sed nonnisi*.

Placuit. Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Gen. XV, 6. In quæ ipsa verba Apostolus *ad Gal.* XXX, 6. ait : *Cognoscit ergo, quia qui ex* fide *sunt ii sunt filii Abrahæ*, etc., etc. Hæc autem fides utique non fuit proprie dictum Sacramentum.

Prævalent. Est hoc instar responsionis ad objectum argumentum. Innititur autem vulgatæ Juris regulæ : *Posteriora derogant prioribus.*

Aucta, i. e. ampliata, et latius extensa, ad plura objecta videlicet.

Resurrectionemque ejus. Nimirum tanquam non amplius futuras, sed jam præteritas.

Sacramento, i. e. *mysterio*, seu *fidei*.

Obsignatio baptismi. Hic enim ab eodem Nostro *L. de Spect. c.* 24, SIGNACULUM FIDEI appellatur. Et in *L. de Pœnit. c.* 6. ait : *Lavacrum illud obsignatio est fidei :* et sic etiam fides reciproce est obsignatio Baptismi ; nam, ut S. Basil. *in L. de Spirit. S. ad Amphil. c.* 12. ait : *Fides perficitur per Baptismum, Baptismus vero fundamento fidei nititur*, etc. Sed et in *L.* III. *de Spir. S. adv. Eunom.* Baptismum SIGILLUM FIDEI appellat.

Vestimentum quoddam fidei. Sic S. Greg. Naz. *in Orat.* 40. *de Bapt.* hoc Sacramentum ἀφθαρσίας ἔνδυμα, *incorruptionis indumentum*, appellat, ceu, ut paulo post loquitur, αἰσχύνης κάλλυμα, *ignominiæ velamentum*. Sed et S. Cyrillus Hierosolymitan. *vestimentum candidum* appellat, a candore illo, quem abstersa peccatorum fuligine inducit animæ, tum a ritu illo, quo baptizati mox *veste candida* induebantur, eamdem per certum tempus gestaturi, sicut etiamnum tum in Baptismo infantium, tum adultorum, hoc Ritualia certo modo præscribunt, isque mos adhuedum in Ecclesia retinetur.

Retro. Pro *antea*, scilicet in Veteri Testamento.

Nuda. Fides enim illa Veteris Legis in se erat nuda, inanis, et vacua, omnique *intrinseco* vigore ad salutem æternam destituta.

Potentiam, i. e. *virtutem*, et *efficaciam*.

Sine sua lege. Antequam scilicet Lex illa vetus per novam Christi impleretur.

In nomen. Matth. XXVIII, 19, ubi Græcus textus omnino habet εἰς τὸ ὄνομα, *in nomen*, Vulgatus autem : *in nomine*. Notum autem est apud Græcos εἰς interdum pro ἐν poni, ut apud *Æschinem : εἰς τὴν ἐκκλησίαν καθίζομαι, in concione sedeo :* nec minus apud *Demost.* et *Xenophont.* Hoc ergo sensu etiam Vulgatus noster Interpres intellexit εἰς τὸ ὄνομα, atque cum eo Theologi ac Interpretes communiter.

Quæri autem hic posset : valeretne Baptismus sub hac forma : *Ego te baptizo in nomen Patris*, etc. collatus? Resp. saltem dubium videri posse, adeoque citra grave peccatum, utpote in materia pariter gravi, verba *in nomine* non posse commutari *in nomen ;* unde talis Baptismus saltem conditionate repetendus esset.

Cæterum autem aliqui hic mendum subesse putant, ac revera in aliis exemplaribus ἐν τῷ ὀνόματι. *in nomine*, reperiri, ut adeo difficultas omnis sponte evanescat. Porro autem lex illa Baptismi non Apostolis tantum, ut illum ministrarent, sed gentibus quoque, ut susciperent, *Marc. ult. v.* 16, a Christo imposita fuit his verbis : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, ut sensus sit, non alia ratione, nisi per Baptismum in nova Lege salutem obtineri posse.

Notæ ad caput XIV.

Stephanæ domum. Paulo enim ante præmiserat : *Gratias ago* DEO, *quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Cajum, Baptizavi autem et Stephanæ domum.* I Cor. I, 14 et 16. *Stephanas* autem hic inter discipulos S. Pauli fuerat.

Deputat, i. e. *adscribit* Baptismum suum, velut auctori aut largitori suo. Hoc ferme sensu in *l. de Exhort. ad castit. c.* 16, ait : *Erat vetus dispositio, quæ in Evangelio deputatur.* Et Solinus : *Propter dies impares diis superis Januarius dicatur : Februarius, quasi abominosus, diis inferis deputatur.*

Apollo. Cum quidam in Corinthiorum Ecclesia a *Paulo*, alii a *Petro*, alii ab *Apollo* baptizati fuissent, contentio inter illos, ac velut schisma obortum fuerat, dum alii baptismum suum aliis præferebant, ceu a præstantiore datum : *Ego quidem*, dicentes, *sum Pauli, ego autem Apollo : ego vero Cephæ : ego vero Christi.* I. Cor. 1, v. 12. At Paulus eos omnes satis acriter reprehendit, non *ministris* Baptismi efficaciam, sed uni Christo, tanquam unico ejusdem auctori ac institutori, adscribendam esse contendens : *Divisus est Christus ? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis ? aut in nomine Pauli baptizati estis ?* Atque hæc etiam *c.* III, 4 *et seqq.* multo magis exaggerat. Cæterum *Apollo* hic (ut *Act.* XVIII. 24 *et seq.* describitur) erat *Judæus quidam, Alexandrinus genere, vir eloquens, et potens in Scripturis.* Hic cum nondum Christi, sed solo Joannis Baptismate initiatus fuisset, attamen *fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu* : postmodum *Aquila et Priscilla diligentius exponentibus ei viam Domini* (Act. XVIII, 25 et 26) et verisimiliter etiam Baptismo Christi cum initiantibus. Itaque cum deinceps, in *Achaiam Corinthumque* perrexisset (*ibid. v.* 27. *et c.* XIX, 1), illicque multos Ecclesiæ per Baptismum adjunxisset, hac occasione nonnulli Corinthiorum studiosius, quam par erat, pro ejus gloria decertabant. Quæ res adeo non placuerat ipsi *Apollo*, ut potius inde offensus in *Cretam* cum *Zena*, legisperito, confugerit (ut sanctus Hieron. *Comm. in Ep. ad Tit. cap.* 3, testatur) neque prius inde redire voluerit, donec dissidentes *Corinthii* invicem reconciliati essent : quibus postmodum Episcopus datus creditur : quanquam alii *Cæsareæ*, aut *Iconii*, aut *Duræ*, etc. Episcopum factum fuisse velint.

Cæterum nomen hoc *Apollo* non est idem ac *Apollinis* dei ; istud enim apud Græcos Ἀπόλλων, ωνος quintæ declinat. est, illud vero Ἀπολλώς (sic enim in Græcis exemplaribus scriptum habetur) quartæ Atticorum, cujus genitivus est Ἀπολλῶ ; quin etiam in accus. eamdem *Act.* XIX, 1. terminationem servare deprehenditur : Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν Ἀπολλὼ εἶναι ἐν Κορίνθῳ ; et *ad Tit.* III, 13 : Ζηνᾶν, τὸν νομικὸν, καὶ Ἀπολλὼ σπουδαίως πρόπεμψον. Aut fortasse penitus indeclinabile fuerit.

Pacificus. Unice enim ejus correptio spectabat ad pacem et animorum consensum inter *Corinthios* reducendum.

Defendere. Facile hic pro *vindicare*, aut *attribuere* sumitur. Potest etiam exponi pro *se suamque causam tueri ;* ne ergo id agere videri posset, hinc gratias agit Deo, quod neminem baptizaverit. Vide supra *Not. Stephanæ domum.*

Tingere. Nam *Matth. ult. v.* 19, Christus ipse Apostolis præcepit : *Euntes ergo* DOCETE *omnes gentes*, BAPTIZANTES, etc. Et *Marc. ult. v.* 15 : PRÆDICATE *Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit* et BAPTIZATUS *fuerit*, etc. Prius est ergo (*dignitate* et *auctoritate institutionis*) *docere :* posterius *baptizare*, at vero cæteroquin major est præstantia Baptismi, velut ad quem ipsa *prædicatio* unice disponit.

Notæ ad caput XV.

Ventilatur, i. e. si quid ulterius contra Baptismum, ultra eas scilicet quæstiones, quas jam *agitavimus*, atque discussimus, obmoveri queat.

Retexam. Retexere non est hic *texturam rursus*

dissolvere, ut olim a *Penelope* actitatum fuisse legimus : sed *denuo texere*, aut *pertexere*, id est, in re semel cœpta, atque tantisper abrupta, pergere.

Omisi. Puto *cap.* XII, ubi de unitate Baptismi verbum facere incœperat. Illic enim *omisit* ; seu *intermisit*, quo sensu Horat. *in l. de Arte Poet. dixit :*

Pleraque differat, et præsens in tempus omittat.

Intercidere. Id est, ne *imminentes sensus*, seu *porro dicenda* penitus dissociarem, itaque telam omnem, velut *intercidendo*, abrumperem.

Baptismum. Ut Græci τὸ βάπτισμα, ita et ex Latinis quidam, nec tantum Tertullianus noster, sed etiam S. Ambr. passim neutro genere *Baptismum*, *mi*, dicere solent.

Una Ecclesia in cœlis. Innuit sine dubio id, quod Apost. *ad Ephes.* IV, 5, inquit, *Unus* DOMINUS, *una* FIDES, *unum* BAPTISMA. *Etenim*, ut idem Apost. I, *ad Corinth.* XII, 13, loquitur, *in* UNO SPIRITU *omnes*, *in* UNUM CORPUS *baptizati sumus*. Atque hinc etiam Clem. Alexand. *l.* IV *Strom. p. m.* 326. ait : *Credentes per unum Baptisma ad consuetudinem omni ex parte perfectam abluit Dominus, qui etiam multa Moysis baptismata per unum comprehendit Baptismum.*

Cæterum nonnulla transpositione verborum noster hic usus est, *Baptismum* secundo, *Fidem vero* (quam per *Ecclesiam*, cujus illa utique velut anima, hæc vero veræ *Fidei* ac *Religionis* propria sedes est, denotare videtur) tertio loco commemorans.

Non mirum autem est, quod *Ecclesiam in cœlis* dixerit, cum hæc passim in Evangeliis *Regnum cœlorum* appelletur, ut Matth. XIII, 44 : *Simile factum est Regnum cœlorum homini qui seminavit*, etc., etc.; et v. 31 : *Simile est Regnum cœlorum grano sinapis*, etc. Et sic eodem cap. sæpius, ubi certum est *Ecclesiam* nostram designari, quæ a Deo *in cœlis* ab æterno ordinata, a Christo in terris plantata, et in unitate *Baptismi* coadunata, demum *in cœlis* per visionem ac fruitivam dilectionem consummatur.

Ad nos enim editum est. Sic quidam intelligunt : Ad nos enim illud sanctæ Scripturæ effatum (videlicet de *Unitate Baptismi*, ut mox supra) *directum est*, seu *nos*, Christi fideles, *respicit.*

Communicationis. Vel ex hoc solum loco manifestum est, morem ab hæreticorum communione abstinendi, in Ecclesia antiquissimum esse. Adde etiam *l. de Præscr. cap.* XXX.

Nobis et illis. Cerdonem, Marcionem, Apellem, Hermogenem, ejusdemque furfuris alios hic suggillat, qui duos Deos, imo, ut *Valentinus*, integrum eorumdem examen ex deliro suo cerebro emisere. Vide *lib. de Præscr. cap.* VII. *cap.* XXX. *cap.* XXXIII. *cap.* XL. *ad fin.* et in *Append. cap.* XLIX. *per tot.*

Id est, idem. Valentinum singulariter hic insectatur, qui Christum ex *Demiurgo* et *Sophia* editum impiissime asserit, rursus de *Præsc. cap.* VII.

Non habent. Sunt quidem, qui Tertullianum hic ab omni erroris labe purgare contendunt, quasi de iis tantum hæreticis eidem sermo fuisset, qui Baptismi legitimam formam adulterabant, ut erant temporibus Tertulliani *Gnostici*, *Marcitæ*, *Cataphryges*, etc. At vero clarum est, eumdem loqui de hæreticis universim, idemque in *l. de Pudic. c.* 19, confirmat : *Apud nos*, inquiens, *ut ethnico par, imo et super ethnicum, hæreticus etiam per Baptismum veritatis* (verum Baptismum) *utroque homine, nempe ethnico illo, et superinducto hæretico, purgatus admittitur*, ad Ecclesiam videlicet.

Manet ergo, graviter hoc, quem præ manibus habemus, loco errasse Tertullianum ; neque etiam ejus argumentum concludit. Licet enim hæretici illi, de quibus supra circa Deum et Christum enormiter erraverint, quamdiu tamen in ipso Sacramento administrando non errarunt, sed eamdem adhibuere *materiam et formam*, quam noster verusque *Christus* in sua veraque *Ecclesia* instituit, idem hic Baptismus erat, iisdem partibus essentialibus, ut vocamus, constans, eumdemque Auctorem habens. Potest ergo idem Baptismus noster etiam extra Ecclesiam nostram conferri, si rite eodemque modo, sicut in nostra Ecclesia, conferatur. Nam, ut S. Aug. *l.* V *contra Donatist. c.* 26, discurrit : *Sicut dicitur Una Ecclesia, Unus Baptismus, ita dicitur Una Spes* (respicit autem S. D. illud Ephes. IV, 4 : *Unum corpus, et Unus Spiritus, sicut vocati estis in Una Spe vocationis vestræ*, et quod mox sequitur : *Unus Dominus, Una fides, Unum Baptisma*, etc.) *Atqui*, pergit, *tamen Unum habuere Baptismum, qui Unam non habuere Spem ; quomodo enim Unam Spem habebant cum sanctis et justis, qui dicebant : Manducemus et bibamus, cras enim moriemur, dicentes quod non esset resurrectio mortuorum ?*

Possunt igitur unum nihilominus habere, dareque Baptismum, qui unam non habent fidem, nec in una nobiscum Ecclesia sunt, Baptismus enim *janua et ostium* Ecclesiæ est, per quod solum ad eamdem ingressus patet ; non igitur datur ei *qui est*, sed *ut sit* in Ecclesia. Sicut autem malus Baptismi minister in se non habet gratiam, et tamen eamdem per Baptismum alteri confert : sic et hæreticus, etiamsi forte ipsemet Baptismum valide non susceperit, tamen alteri valide conferre potest, eique ostium illud Ecclesiæ reserare, ac per id alium intromittere, ipsemet extra januam manens. Sed hac de re nos suo loco commodius exactiusque dicemus.

Interea verò ex dictis manifestum est opinionem contrariam jam *Sæc.* II senescente in Ecclesia Carthag. ortam, ac deinceps ab *Agrippino*, ejusdem Episcopo, susceptam, a sancto Cypriano multo fortius confirmatam fuisse : qua de re illorum temporum Historia plena est, a Theologis nostris dogmaticis prolixius exhiberi solita.

At vero novum hic exurgit dubium, an *Agrippinus* ex *Tertulliano*, anve hic ex illo (coævos enim fuisse constat) hunc errorem hauserit ? quanquam autem res hæc in tanta incertitudine Agrippini, Episcopatum suum auspicantis, satis clare definiri non possit, verisimilius tamen existimamus, *Tertullianum* ab *Agrippino* in hanc sententiam inductum, ac proin hunc erroris illius in Africa primum, quem noscimus, Auctorem fuisse. Imo quia *Vincentius Lirinensis*, *Sæc.* V scriptor, *Commonitorii* sui *cap.* 2 de Agrippino in hæc verba diserte testatur : *Omnium mortalium primus* (in *Africa* intelligo ; nam in Oriente morem rebaptizandi hæreticos jam diu antea viguisse constat) *contra divinum Canonem, etc. rebaptizandum esse censebat.* 2° accedit, quod sanctus Cyprianus quoque in *Ep. ad Jubaianum*, Agrippinum, tanquam omnium primum commemoret : *Apud nos autem*, inquiens, *non nova et repentina res est, ut baptizandos censeamus vos qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt ; quando multi jam anni sint, et longa ætas, ex quo sub* Agrippino *convenientes in unum Episcopi plurimi, hoc statuerint*, etc. 3° S. Aug. L. II *de Bapt. c.* 7, de antiqua Ecclesiarum consuetudine loquens ait : *Verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, quam corrigi.* Atqui Tertulliano potius hæc corruptio imputanda fuisset, si ille ante Agrippinum errorem hunc propalasset. 4° denique Tertullianus ipse mox *initio hujus cap.* per verba illa : *ad nos enim editum est*, satis significat, id se, tanquam solemni quodam decreto in africanis Ecclesiis constitutum, accepisse, nec proin suomet ingenio adinvenisse.

Contra autem obmovent alii, cum Tertullianus *Lib.* suum *de Bapt.* adhuc Catholicus, et ut in *QQ. Crit. ad lib. de Præscript. Q.* VII, diximus, circa *A. C.* 197 (quo fortasse *Agrippinus* nondum sedi *Carthag.* admotus fuerat) scripserit, et *Persecutio an.* 202 cœpta contra Christianos ferme usque ad *an.* 213 perduraverit, sane ante hunc annum (quippe sub ipsa persecutione conventus Christianorum publici Imperatorio Edicto nimis severe prohibiti fuerant), adeoque nonnisi annis ab edito *Libro de Baptismo* ferme 18, reddita demum pace Ecclesiæ, celebrari non potuisse.

At vero quid vetat in tanta incertitudine Africanorum Præsulum, Agrippiniani Episcopatus initium, ipsumque sub *Agrippino* Concilium *ante an.* 166 consignare? certe enim id magis *Cypriani* superius allato testimonio congruere videtur : namque in allata illa *ad Jubaianum Epistola* diserte testatur, *multos jam annos*, et *longam ætatem* fuisse, *ex quo sub Agrippino convenientes Episcopi*, etc. Atqui si Conc. hoc primum post persecutionem, anno nimirum 215 celebratum, et Epistola illa nonnisi *an.* 256 scripta fuerit, non adeo *multi anni* (quippe solum 41), nec proin *longa ætas*, a Conc. illo Carthag. *Agrippini* excurrisset. Si vero hoc ipsum Concil. ad *A. C.* 194 reponamus, saltem 62 annis, qui *ætatem* denique conficere possunt, a Cypriani scribentis tempore removebitur. Sed præstat rem totam, ex Chronologia *Pagii*, quam alias jam in *Lib. de Præsc.* amplexi fuimus, velut sub unum intuitum redigere.

CHRONOTAXIS HISTORIÆ REBAPTIZANTIUM.

ANNI CHRISTI.	PONTIFICES.	IMPERATORES.	RES AD HISTORIAM PERTINENTES.
193.	S. VICTOR continuat ab an. 185.	Septimius Severus.	
195.	— —	— — —	Agrippinus *circa hunc ann. fit* Episc. Carth.
196.	— —	— — —	Concil. Carthag.
197.	S. ZEPHYRINUS.	— — —	Tertullianus *scribit* lib. de Baptismo.
198.	— —	Septim. Sever. *cum Fil.* Antonin. Caracal.	
201.	— —	— — —	Tertullian. *sensim deficit ad Montanum.*
203.	— —	*Initium Persecut. Christian.*	
208.	— —	Severus *cum Filiis*, Caracalla *et* Geta.	
211.	— —	Caracalla *et* Geta soli.	
213.	— —	Caracalla *solus.*	
217.	S. CALLISTUS.	Macrinus.	
218.	— —	Heliogabalus.	
222.	S. URBANUS.	Alexander Severus.	*Circa h. ann.* Donatus factus *Episc. Carthag.*
230.	S. PONTIANUS.		
233.	S. ANTERUS.	Maximinus.	
236.	S. FABIANUS.		
237.	— —	Balbinus *et* Pupienus.	
238.	— —	Gordianus.	
244.	— —	Philippus.	
247.	— —	Philippus *cum Fil.* Philippo.	
248.	— —	— — —	*Circa h. ann.* S. Cyprianus *fit Episc. Carth.*
249.	— —	Decius.	
250.	Sedes vacat.		
251.	S. CORNELIUS.		
251.	S. LUCIUS.	Gallus, Volusianus *et* Hostilianus.	
253.	S. STEPHANUS.	Valerianus *et* Gallienus.	
255.	— —	— — —	*Resuscitatur lib. de Rebapt. hæret.* I. Conc. Carth. *sub S. Cypriano.*
256.	— —	— — —	II *et* III. Conc. Carthag. *sub eod.* S. Cypr. *scribit* Ep. ad Jubaianum.
257.	S. SIXTUS.		
258.	Sedes vacat.	— — —	S. Cyprianus *Martyrio coronatur.*

Vides ergo, Lector Benevole, in hoc systemate Agrippinum neque Cypriano nimis prope admoveri, neque justo longius ab eodem removeri, facileque spatium illud per *Donatum*, Ep. intermedium (forte autem et unus insuper alterve intercesserat) impleri potuisse. Denique vero ut nec *sancto Cypriano* et *Agrippino*, ita nec *Tertulliano* error hic quidpiam labis intulit : quippe cum Dogma illud de hæreticis non rebaptizandis nondum ab Ecclesia definitum, imo res hæc ad solam Ecclesiæ *disciplinam* pertinere etiam aliis Patribus, vitæ sanctitate insignibus, visa fuerit, Unde neque post mortem *sancti Stephani* Pont. et *sancti Cypriani*, hæc opinio et praxis, hæreticos, seu ab hæresi ad Ecclesiam venientes, rebaptizandi, quin neque post *Concilium Arelatense* I, an. 315 habitum, et *Con. Nicænum* an 325 celebratum (quorum tamen alterutrum fuisse creditur *Concilium* illud *Plenarium*, in quo S. Aug. *l.* 1 *de Bap. c.* 7, et alibi, litem hanc plene diremptam ait) illico exoleverat ; quando etiam sanctus Basilius, nonnisi an. 379, mortuus, eam unicuique Ecclesiæ liberam reliquit, ipsemet adhuc rebaptizantium praxim in sua Ecclesia secutus, ut Tournel. *Tr. de Sacram. in genere q.* 7, *Art.* 2, *p. m.* 100 *et seq.* confitetur. Verum nos hac de re suo tempore alibi.

In græco. Sane Tertullianum Græci quoque sermonis apprime peritum, et ab eodem jam antea alium librum *de Baptismo*, in quo præcipue de eodem ab hæreticis invalide suscepto, proindeque, cum ad Ecclesiam nostram accedere voluerint, iterando, egerat, scriptum fuisse, dubium esse non potest. Insuper vero in *l. de Cor. Mil. c.* 6, testatur, se materiæ (de Spectaculis) propter suaviludios Græco quoque sermone satisfecisse, et mox ad init. Libri *de velandis Virginib.* luculenter insinuat, se hoc ipsum argumentum jam prius *Græce* tractasse. Dolendum vero est, hæc et alia ejus Græca monumenta vetustate pridem consumpta interiisse.

Peccata diluuntur. Per Baptismum nempe ; deinceps autem commissa per lacrymas utique Pœnitentiæ eluenda sunt.

Israel judæus. ISRAEL, ut idem Noster in l. IV. *adv. Marc. c.* 39, interpretatur, est : *cum Deo invalescens*, aut secundum alios quasi שרה אל *dominatus est Deo.* Sed et ipse context. *Gen.* XXXII, 28, apprime consonat, ubi Angelus ad Jacob : *Nequaquam* Jacob *appellabitur nomen tuum, sed* (ישראל) ISRAEL; quia si (שרית) FORTIS FUISTI, seu *prævaluisti* (עם אלהים) CONTRA DEUM, *quanto magis contra homines prævalebis!*

Inquinatur. Erant Judæis innumeræ lotiones tum in libro *Exodi*, *tum Levitici*, præscriptæ, quas singulas recensere, sane redundantis operæ esset. Omnia autem hæc lavacra nihil ad animam abluendam ex se poterant, sed solis maculis ac impuritatibus legalibus et corporalibus medebantur. Præterea vero plurimæ illis aliæ erant, ex vanissimis traditionibus ad ostentationem usque observari solitæ, ut *Marc.* VII, *v.* 6, *et seq.* habetur : *Pharisæi, et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non mandu-*

cant, tenentes traditionem seniorum : et a foro nisi baptizentur, non comedunt : et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, etc. Contra quos proin *ib.*, *v.* 6, Christus ipse invehitur : *Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. - - - - Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum*, etc. At Apostolus *ad Hebr.* IX *et seq. v.* 9, de veteri tabernaculo et oblatis in eo *muneribus* et *hostiis* loquens, ait : *Quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis, et in potibus, et in variis baptismatibus, et justitiis carnis*, etc.

Quæ ludibrio peccatoribus non est. Sensus esse videtur : *quæ peccatoribus*, casso videlicet effectu, *non illudit*, in se nimirum sperantes destituens, et commerito *ludibrio* exponens, ut ab illis Pharisæorum sordidis ablutionibus fiebat.

Inquinat. Ejusmodi lotiones superstitiosæ corpus abluebant, sed simul animam nova macula, *hypocrisi*, inficiebant. Vide *Not. Inquinatur.*

Notæ ad caput XVI.

Unum et ipsum. Neque enim *iterari* potest.

Baptismo tingi. Luc., XII, 50, ubi de instante Passione sua loquitur : quam etiam *Marci*, X, 38, nomine *Baptismi* designat, ita ad *filios Zebedæi* inquiens : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari ?*

Scripsit. I *Joan.*, V, 6, ubi : *Hic est qui venit per AQUAM et SANGUINEM, Jesus Christus, non in Aqua solum, sed in AQUA et SANGUINE.* Ubi quidam codices habent : δι' ὕδατος, καὶ αἵματος, καὶ πνεύματος : i. e. *per aquam, et sanguinem, et Spiritum.* Postremam autem hanc vocem alii superfluam, rectequ omissam existimant, eo quod mox sequatur : *Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est Veritas. Quoniam Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi Tres Unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra :* Spiritus, *et* Aqua, *et* Sanguis, *et hi tres unum sunt.*

Glorificaretur. Sic enim S. Petrus, *Act.* III, 13, Judæis exprobrans perfidiam suam, ait : *Deus* glorificavit *Filium suum Jesum, quem vos tradidistis..., et Auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis*, etc. Ilis enimvero mire consonant ea, quæ S. Ambr., *Comm. in Luc., c.* 22, eleganti compendio complexus est : *Tres testes sunt*, Aqua, Sanguis, et Spiritus ; *Aqua ad lavacrum : Sanguis ad pretium : Spiritus ad resurrectionem.* Itemque in lib. I *de Spir. Sanct.*, c. 6 : Aqua *testis est* sepulturæ : Sanguis *testis est* mortis : Spiritus *testis est* vitæ. Atque hæc procul dubio ex ipso Apostolo hausit, qui ad *Rom.* VI, 4, ita ait : Consepulti *enim sumus cum illo per* Baptismum *in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a* mortuis, *ita et nos in novitate* vitæ *ambulemus.* Et cap. II, v. 12, ita *Colossenses* suos alloquitur : Consepulti *estis in* Baptismum, *in quo et* resurrexistis *per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum* a mortuis. Ita igitur nonnisi post passionem et sanguinis effusionem Christus in Resurrectione glorificatus est, ut ipsemet discipulis euntibus in Emmaûs, *Luc.*, XXIV, 26, declaravit : *Nonne hæc oportuit Christum* pati, *et ita intrare in* gloriam *suam ?*

Electos. Utique ad illud *Matth.*, XX, 16, et XXII, 14, alludit : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Emisit. Quando nimirum *unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis et Aqua.* Joan., XIX, 34. Vide supra, cap. IX, *Not. Lancea.*

Quia. Pro *ut.*

Lavissent, i. e., peccata sua abluissent. Vide autem quid intersit (si stricte loqui velimus) inter *lavare* et *lavari. Nos in balneis* (ait Varro, lib. VIII, *de Ling. Lat.*) *et* lavamus, *et* lavamur. *Sed consuetudo alterutrum cum satis haberet, in toto corpore potius utimur* lavamur, *in partibus* lavamus, *quod dicimus* lavo manus, *sic et* pedes, *et cætera. Quare in balneis non recte dicunt* lavi : lavi manus *recte, sed, quoniam in balneis lavor*, lavatus sum.

Sanguinem potarent. Mihi quidem dubium non est, innui hic Sacramentum S. Eucharistiæ, in quo haurimus Sanguinem D. N. J. C., non figuram sanguinis ; neque enim figuris liquidorum potari dicimur. Censuit ergo Tertullianus, in Sacramento illo vere sanguinem a nobis potari, illum ipsum, qui in passione Christi, præcipue ex ejusdem sacratissimo latere, profluxit ; de hoc enim ipsemet Joan. VI, 55 et seq., dixit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meum carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet*, etc. Meretur quoque hic adduci locus ex lib. *de Resur. carn.*, cap. 8, ubi Noster : *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima Deo saginetur.* Idem quoque supponit in lib. *de Carne Christi*, c. XIII.

Baptismus. Cum enim sanguine eucharistico os potatur, etiam anima interius abluitur. Potius autem hic intelligit Baptismum martyrii, in quo sanguis noster profunditur, et *in virtute* sanguinis Christi, in passione et cruce pro nobis effusi, animam, non secus ac ipse Baptismus aquæ, ab omnibus culpæ et pœnæ maculis emundat. *Effusio sanguinis pro Christo* (ait S. Thomas, III p., q. 66, a. 12, *in Corpore*) *et operatio interior Spiritus Sancti dicuntur* Baptismata, *in quantum efficiunt effectum Baptismi aquæ ; Baptismus autem aquæ efficaciam habet a passione Christi, et Spiritu Sancto.*

Repræsentat. Non in mera imagine ac symbolo, sed in *præsenti* effectu ; hoc enim proprie *repræsentare* est, id est, rem *præsentem* reddere ; unde et a Jesu Christo pecunia *repræsentari* dicitur, cum *exhibetur*, atque *præsens* numeratur. Et ipsemet quoque Noster in lib. de Cor. mil. c. ult. *repræsentationem* visioni, seu meræ apparentiæ, opponit : *Si talis imagines*, inquiens, *in visione, quales veritates in repræsentatione ?*

Quomodo vero Baptismus sanguinis vicem suppleat, effectumque præstet Baptismi aquæ, mox antea diximus in *Not. Baptismus.* Adde, quod Baptismus martyrii multo efficacius virtutem passionis Christi participet. Hæc enim (ait S. Th., III p., q. 66, a. 12, in *Corpore*) *operatur quidem in Baptismo aquæ per quamdam figuralem repræsentationem, sed in Baptismo sanguinis per imitationem operis ;* quæ utique non est *simplex* repræsentatio, sed mire efficax rei ipsius in virtute sua atque effectu exhibitio. Huc pertinet illud Apoc., VII, 14 : *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

Reddit. Perditur Baptismus, quoad *effectum* scilicet suum, cum baptizatus innocentiam, quam in Baptismo consecutus est, per peccatum mortale rursus amittit : recuperatur autem per martyrium, quo pristina innocentia plenarie restituitur, ut supra *Not. Baptismus* diximus.

Notæ ad caput XVII.

Materiolam. Perbrevem hunc tractatum.

Accipiendi. De *Ministro*, et *subjecto*, de quo tamen posteriori in cap. seq. loquitur.

Episcopus. In sua nimirum Ecclesia supremum sacerdotium obtinens, dignitateque potestatis reliquis omnibus præfulgens. Cum enim veri ac genuini Apostolorum successores sint soli Episcopi, hi in illorum quoque jus transiere, quibus a Christo peculiariter demandatum fuerat : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Matth. ult. v. 19. Itaque in primis Ecclesiæ sæculis Episcopi, jure tanquam sibi solis proprio Baptismum, *publice* nimirum, seu in ipsa ecclesia, administrabant, quamdiu silicet in solis ecclesiis cathedralibus baptisteria erecta fuerant. Quanquam etiam tunc Presbyteri astitisse, imo et hi ipsi (cum nempe nimia baptizandorum multitudo, quam ut a solo Episcopo expediri potuisset, confluxisset) baptizasse legantur, Episcopo scilicet expresse jubente, atque baptizatis mox sacramentum Confirmationis impertiente. Postquam vero, adhuc latius increscente fidelium multitudine, in amplioribus præsertim Diœcesibus, difficilior quibusdam ad

cathedrale baptisterium accessus erat, ut saluti animarum eo certius consuleretur, in singulis quoque Parochialibus Ecclesiis baptisteria erigebantur, cujusque pastoris curæ et administrationi deputata, Episcopis vero solum Baptismum solemnem, nonnisi bis in anno conferendum, sibi reservantibus, alias vero pleno jure baptizandi Parochis relicto.

Itaque hæc disciplina variis temporibus, quin et eodem tempore, diversis autem in locis, semper varia fuerat. Sic *sæc.* II, S. Ignatius, Ep. Antiochenus, in *Ep. ad Smyrnenses*, ait : Οὐκ ἔξόν ἐστι χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, κτλ. I. e. : *Licitum non est sine Episcopo* (id est ejus præsentia, aut mandato) *baptizare, neque oblationem facere*, etc. Igitur jam tunc Presbyteri baptizabant, sed nonnisi Episcoporum suorum auctoritate instructi. *Sæc.* IV, S. Ambrosius, ut Paulinus in ejus *Vita* testatur, tam tenax erat hujus consuetudinis, *ut, quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi, tempore quo decessit, vix implerent.* Item Sæc. V, in *Instructione Cleri Edesseni ad Photium et Eustathium, Episcopos*, quæ habetur in *Conc. Chalced.*, *Act.* X, Iban, Episcopum suum, sibi quantocius remitti rogant, *maxime festivitate salutifera S. Diei Paschalis imminente, in qua et propter catechismos* (καὶ διὰ τοὺς ἐξεσομένους τοῦ ἁγίου βαπτίσματος χρεία τῆς αὐτοῦ παρουσίας), *et propter eos, qui digni sunt S. Baptismate, opus ejus præsentia.* Pariter *Sæc.* VI, in *Ep. a Clericis Italiæ ad Legatos Francorum, anno* 552, perscripta, *Dacium*, Episcopum mediolanensem, tandem post 15 aut 16 annos remitti postulabant, *quia cum pene omnes Episcopi, quos ordinare solet, mortui sint, immensa populi multitudo sine baptismo moritur.* Eodem Sæculo S. Greg. M. in *Ep. ad Rom. Patricium*, contra hunc graviter conqueritur *Blondum*, Episcopum Hortensem, ab eodem Ravennæ longo jam tempore detineri. Præcipua autem quæstus hujus causa erat, *quod ibidem infantes pro peccatis absque Baptismate moriantur.* Sic etiam *Sæc.* VII, *in Conc.* II *Hispalensi, an.* 619 celebrato, *can.* 7, sancitum fuit, *neque eorum Episcopo licere Presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Episcopo infantem tingere*, etc. Videmus ergo, quam nimis tenaces illis temporibus quarumdam Ecclesiarum Episcopi sui juris fuerint, ut neque in absentia istud Presbyteris communicandum censuerint, ea fortasse de causa, quod Baptismum sine Confirmatione, seu impositione manuum Episcopi, non recte confiteri existimaverint.

Interea tamen sensim factum fuit, in Parochialibus quoque Ecclesiis baptisteria publica erigerentur, et Episcopi jam passim solius Baptismi solemnis, scilicet in *Sabbato sancto*, et pervigilio *Pentecostes* conferendi, potestatem sibi reservarent, Presbyteris vero extra illa tempora Baptismi conferendi generale quoddam jus, ac ipsi sacræ ordinationi, quam ab Episcopis consequebantur, velut annexum, facerent. Neque vero etiam hæc *disciplinæ* species diu permansit, sed tandem ampliatis Diœcesibus, et nimium accrescente multitudine catechumenorum, etc., etiam solemnis Baptismus Presbyteris transcriptus fuit, et ferme in sola mediolanensi Ecclesia deinceps (fortasse in memoriam insignaris illius, quem S. Ambrosius illic, ut supra memoravimus, tam insigniter comprobavit, zeli ac exempli) penes Episcopum perseveravit, ut noster Eruditiss. Edm. Martene, lib. I, *de Ant. Eccl.*, cap. I, art. III, n. 3, *ex Conc.* IV, *Mediol., an.* 1575, sub *S. Carolo Borromæo* celebrati, *Constit.* II, perhibet.

Et diaconi. Licet solis Apostolis a Christo impositum fuerit munus baptizandi, constat tamen ex *Act.*, VIII, 12, Philippum, licet nonnisi Diaconum, in Samaria baptizasse, utique demandantibus ei id munus ipsis apostolis. Cæterum *diaconis*, ceu qui immediate *Presbyteris* subordinati sunt, absque eorumdem jussione licitum non fuisse baptizare, veterum monumenta testantur. Sic enim *Sæc.* V, Gelasius papa, in *Ep.* V, *ad Episc. Lucaniæ*, cap. 5, de diaconis habet : *Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant nisi prædictis fortasse officiis longius constitutis* (quam scilicet ad eos opportunus recursus pro impetranda facultate fieri posset) *necessitas extrema compellat.* Illis enim sæculis antiquioribus non tanta erat sacerdotum copia, ut quilibet particulari cœtui in pagis, et oppidis, imo et in quibusvis civitatibus, semper aliquis præsto esset. Quid vero etiam hoc præsente, sed ægrotante, aut aliter impedito, vel in subitaneis atque extraordinariis casibus, fieri opus erat? nempe diaconi (quorum unus saltem, teste Martene, lib. I, cap. I, a. 3, in Ecclesia una cum Presbytero residere debebat) id munus, facile demandante Presbytero, subire debebant.

Honorem. Quem scilicet quælibet Ecclesia Episcopo, tanquam suo *Hierarchæ*, detulerat, vel verius tanquam divinitus in eum collatum honorem sponte agnoverat.

Salva pax est. Non esset autem PAX salva, si Episcopis sua auctoritas non servaretur, Presbyteris propria mox auctoritate quælibet Ecclesiæ munia promiscue involantibus; Episcopi enim sunt, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, etc. Igitur hæc auctoritas temporibus Tertulliani, tanquam satis recens ab Apostolis profecta, Episcopis, et in his potius Apostolis ipsis, servata fuerat, ut nihil, nisi demandantibus legitimis, ac immediatis, ut loquimur, et directis *Apostolorum* successoribus, id est, *episcopis*, circa *sacramentorum* (qui Ecclesiæ *thesauri* sunt, a Christo per ipsos Apostolos *repositi*, et a successoribus illis *custodiendi*) administrationem liceret, maxime in Baptismo, de quo solis Apostolis dictum fuerat : *Ite, docete, baptizate.*

Alioquin, i. e. *alias*, vel *sin vero*; ut adeo sensus sit : « Si vero non servatus fuerit suus Ecclesiæ honor, et eorum, qui ad officia divina vocati ac deputati sunt, auctoritas, æque jus illud laicis concedendum erit, omni jam ordine turbato, etc.

Dari potest. Neque enim laici minus perfectum Baptismum suscipiunt, quam antea susceperint Episcopi, etc., baptizantes.

Abscondi ab ullo. Hunc locum misere confractum sanaturus *Latin.* ita legit : « *Nisi Episcopi jam*, etc., *vocantur discentes*, seu discipuli (id est, nisi singulariter ad hoc munus vocati sint, *tanquam discipuli Domini*, aut saltem eorum veri successores) *Domini sermo non debet abscondi ab ullo*, sed ad omnes æqualiter pertinebit illud Domini præceptum (Matth., XXVIII, 19): *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Atque hæc Latinii conjectura non inepta est. *Iwius* vero, retenta voce *dicentes*, solum interpunctiones mutat, ita inchoans : *Nisi Episcopi jam*, etc., *vocantur dicentes : Domini sermo non debet abscondi ab ullo; proinde et Baptismus, æque Dei census, ab omnibus exerceri potest. Sed quanto magis*, etc. Itaque totum hunc contextum ita intelligi vult : « Nisi forte (quod absurdum est) pro Episcopis, Presbyteris et Diaconis haberi promiscue eos omnes placuerit, qui ita dicunt et affirmant : Quorum est proferre verbum Dei, et non abscondere, eorum est et baptizare; omnium autem esse proferre verbum Dei : ergo et baptizare, etc. » Quæ conjectura sane mihi felicior, magisque arguta, quam superior illa *Latinii*, videtur. Ita igitur vox *dicentes* ad laicos referenda esset, quasi hos loquentes introducat Tertullianus, sibique Baptismum æque ac verbi divini prædicationem vindicantes, quinimo fortasse illud Christi apud *Matth.*, X, 27, sibi quoque dictum existimantes : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta;* quasi et ille sermo Domini : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, singulariter ad solos Apostolos dictus, ad quoscunque alios præcepti instar pertinuisset, itaque etiam his ex ejusmodi mandato prædicatum fuisset.

Æque. Nimirum verbum Dei, ejusque prædicatio.

Dei census. *Census* proprie non est proventus annuus, sed *æstimatio bonorum* cujuslibet, in tabulas publicas relata, secundum quam, observata certa proportione, tributa imponebantur. Postea vero

cant, tenentes traditionem seniorum : et a foro nisi baptizentur, non comedunt : et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, etc. Contra quos proin *ib.*, *v.* 6, Christus ipse invehitur : *Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. - - - - Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum*, etc. At Apostolus *ad Heb.* IX *et seq. v.* 9, de veteri tabernaculo et oblatis in eo *muneribus* et *hostiis* loquens, ait : *Quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis, et in potibus, et in variis baptismatibus, et justitiis carnis*, etc.

Quæ ludibrio peccatoribus non est. Sensus esse videtur : *quæ peccatoribus*, casso videlicet effectu, *non illudit*, in se nimirum sperantes desituens, et commerito *ludibrio* exponens, ut ab illis Pharisæorum sordidis ablutionibus fiebat.

Inquinat. Ejusmodi lotiones superstitiosæ corpus abluebant, sed simul animam nova macula, *hypocrisi*, inficiebant. Vide *Not. Inquinatur.*

Notæ ad caput XVI.

Unum et ipsum. Neque enim *iterari* potest.

Baptismo tingi. Luc., XII, 50, ubi de instante Passione sua loquitur : quam etiam *Marci*, X, 38, nomine *Baptismi* designat, ita ad *filios Zebedæi* inquiens : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari ?*

Scripsit. I Joan., V, 6, ubi : *Hic est qui venit per AQUAM et SANGUINEM, Jesus Christus, non in Aqua solum, sed in AQUA et SANGUINE.* Ubi quidam codices habent : δι' ὕδατος, καὶ αἵματος, καὶ πνεύματος : i. e. *per aquam, et sanguinem, et Spiritum.* Postremam autem hanc vocem alii superfluam, rectequo omissam existimant, eo quod mox sequatur : *Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est Veritas. Quoniam Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi Tres Unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra :* Spiritus, *et* Aqua, *et* Sanguis, *et hi tres unum sunt.*

Glorificaretur. Sic enim S. Petrus, *Act.* III, 13, Judæis exprobrans perfidiam suam, ait : *Deus* glorificavit *Filium suum Jesum, quem vos tradidistis..., et Auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis*, etc. Illis enimvero mire consonant ea, quæ S. Ambr., *Comm. in Luc., c.* 22, eleganti compendio complexus est : *Tres testes sunt*, Aqua, Sanguis, et Spiritus ; *Aqua ad lavacrum : Sanguis ad pretium : Spiritus ad resurrectionem.* Itemque in lib. I *de Spir. Sanct.*, c. 6 : Aqua *testis est* sepulturæ : Sanguis *testis est* mortis : Spiritus *testis est* vitæ. Atque hæc procul dubio ex ipso Apostolo hausit, qui ad *Rom.* VI, 4, ita ait : Consepulti *enim sumus cum illo per* Baptismum *in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a* mortuis, *ita et nos in novitate* vitæ *ambulemus.* Et cap. II, v. 12, ita *Colossenses* suos alloquitur : Consepulti *estis in* Baptismum, *in quo et* resurrexistis *per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum* a mortuis. Ita igitur nonnisi post passionem et sanguinis effusionem Christus in Resurrectione glorificatus est, ut ipsemet discipulis euntibus in Emmaûs, *Luc.*, XXIV, 26, declaravit : *Nonne hæc oportuit Christum* pati, *et ita intrare in* gloriam *suam ?*

Electos. Utique ad illud *Matth.*, XX, 16, et XXII, 14, alludit : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Emisit. Quando nimirum *unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis et Aqua.* Joan., XIX, 34. Vide supra, cap. IX, *Not. Lancea.*

Quia. Pro *ut.*

Lavissent, i. e., peccata sua abluissent. Vide autem quid intersit (si stricte loqui velimus) inter *lavare* et *lavari. Nos in balneis* (ait Varro, lib. VIII, *de Ling. Lat.*) *et* lavamus, *et* lavamur. *Sed consuetudo alterutrum cum satis haberet, in toto corpore potius utimur* lavamur, *in partibus* lavamus, *quod dicimus* lavo manus, *sic et* pedes, *et cætera. Quare in balneis non recte dicunt* lavi : lavi manus *recte, sed, quoniam in balneis lavor*, lavatus sum.

Sanguinem potarent. Mihi quidem dubium non est, innui hic Sacramentum S. Eucharistiæ, in quo haurimus Sanguinem D. N. J. C., non figuram sanguinis ; neque enim figuris liquidorum potari dicimur. Censuit ergo Tertullianus, in Sacramento illo vere sanguinem a nobis potari, illum ipsum, qui in passione Christi, præcipue ex ejusdem sacratissimo latere, profluxit ; de hoc enim ipsemet Joan. VI, 55 et seq., dixit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meum carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet*, etc. Meretur quoque hic adduci locus ex lib. *de Resur. carn.*, cap. 8, ubi Noster : *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima Deo saginetur.* Idem quoque supponit in lib. *de Carne Christi*, c. XIII.

Baptismus. Cum enim sanguine eucharistico os potatur, etiam anima interius abluitur. Potius autem hic intelligit Baptismum martyrii, in quo sanguis noster profunditur, et *in virtute* sanguinis Christi, in passione et cruce pro nobis effusi, animam, non secus ac ipse Baptismus aquæ, ab omnibus culpæ et pœnæ maculis emundat. *Effusio sanguinis pro Christo* (ait S. Thomas, III p., q. 66, a. 12, *in Corpore*) *et operatio interior Spiritus Sancti dicuntur* Baptismata, *in quantum efficiunt effectum Baptismi aquæ ; Baptismus autem aquæ efficaciam habet a passione Christi, et Spiritu Sancto.*

Repræsentat. Non in mera imagine ac symbolo, sed in *præsenti* effectu ; hoc enim proprie *repræsentare* est, id est, rem *præsentem* reddere ; unde et a Jesu Christo pecunia *repræsentari* dicitur, cum *exhibetur*, atque *præsens* numeratur. Et ipsemet quoque Noster in lib. de Cor. mil. c. ult. *repræsentationem* visioni, seu meræ apparentiæ, opponit : *Si tales imagines*, inquiens, *in visione, quales veritates in repræsentatione ?*

Quomodo vero Baptismus sanguinis vicem suppleat, effectumque præstet Baptismi aquæ, mox antea diximus in *Not. Baptismus.* Adde, quod Baptismus martyrii multo efficacius virtutem passionis Christi participet. Hæc enim (ait S. Th., III p., q. 66, a. 12, in *Corpore*) *operatur quidem in Baptismo aquæ per quamdam figuralem repræsentationem, sed in Baptismo sanguinis per imitationem operis ;* quæ utique non est *simplex* repræsentatio, sed mire efficax rei ipsius in virtute sua atque effectu exhibitio. Huc pertinet illud Apoc., VII, 14 : *Ili sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

Reddit. Perditur Baptismus, quoad *effectum* scilicet suum, cum baptizatus innocentiam, quam in Baptismo consecutus est, per peccatum mortale rursus amittit : recuperatur autem per martyrium, quo pristina innocentia plenarie restituitur, ut supra *Not. Baptismus* diximus.

Notæ ad caput XVII.

Materiolam. Perbrevem hunc tractatum.

Accipiendi. De *Ministro*, et *subjecto*, de quo tamen posteriori in cap. seq. loquitur.

Episcopus. In sua nimirum Ecclesia supremum sacerdotium obtinens, dignitateque potestatis reliquis omnibus præfulgens. Cum enim veri ac genuini Apostolorum successores sint soli Episcopi, hi in illorum quoque jus transiere, quibus a Christo peculiariter demandatum fuerat : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Matth. ult. v. 19. Itaque in primis Ecclesiæ sæculis Episcopi, jure tanquam sibi solis proprio Baptismum, *publice* nimirum, seu in ipsa ecclesia, administrabant, quamdiu silicet in solis ecclesiis cathedralibus baptisteria erecta fuerant. Quanquam etiam tunc Presbyteri astitisse, imo et hi ipsi (cum nempe nimia baptizandorum multitudo, quam ut a solo Episcopo expediri potuisset, confluxisset) baptizasse legantur, Episcopo scilicet expresse jubente, atque baptizatis mox sacramentum Confirmationis impertiente. Postquam vero, adhuc latius increscente fidelium multitudine, in amplioribus præsertim Diœcesibus, difficilior quibusdam ad

cathedrale baptisterium accessus erat, ut saluti animarum eo certius consulerctur, in singulis quoque Parochialibus Ecclesiis baptisteria erigebantur, cujusque pastoris curæ et administrationi deputata, Episcopis vero solum Baptismum solemnem, nonnisi bis in anno conferendum, sibi reservantibus, alias vero pleno jure baptizandi Parochis relicto.

Itaque hæc disciplina variis temporibus, quin et eodem tempore, diversis autem in locis, semper varia fuerat. Sic *sæc.* II, S. Ignatius, Ep. Antiochenus, in *Ep. ad Smyrnenses*, ait : Οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, κτλ. I. e. : *Licitum non est sine Episcopo* (id est ejus præsentia, aut mandato) *baptizare, neque oblationem facere*, etc. Igitur jam tunc Presbyteri baptizabant, sed nonnisi Episcoporum suorum auctoritate instructi. *Sæc.* IV, S. Ambrosius, ut Paulinus in ejus *Vita* testatur, tam tenax erat hujus consuetudinis, *ut, quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi, tempore quo decessit, rix implerent.* Item Sæc. V, in *Instructione Cleri Edessani ad Photium et Eustathium, Episcopos*, quæ habetur in *Conc. Chalced., Act.* X, Iliam, Episcopum suum, sibi quantocius remitti rogant, *maxime festivitate salutifera S. Diei Paschalis imminente, in qua et propter catechismos* (καὶ διὰ τοὺς ἐξευμένους τοῦ ἁγίου βαπτίσματος χριὰν τῆς αὐτοῦ παρουσίας), *et propter eos, qui digni sunt S. Baptismate, opus ejus præsentia.* Pariter *Sæc.* VI, in *Ep. a Clericis Italiæ ad Legatos Francorum, anno* 552, perscripta, *Dacium*, Episcopum mediolanensem, tandem post 15 aut 16 annos remitti postulabant, *quia cum pene omnes Episcopi, quos ordinare solet, mortui sint, immensa populi multitudo sine baptismo moritur.* Eodem Sæculo S. Greg. M. in *Ep. ad Rom. Patricium*, contra hunc graviter conqueritur *Blondum*, Episcopum Hortensem, ab eodem Ravennæ longo jam tempore detineri. Præcipua autem quæstus hujus causa erat, *quod ibidem infantes pro peccatis absque Baptismate moriantur.* Sic etiam *Sæc.* VII, in *Conc.* II *Hispalensi, an.* 619 celebrato, *can.* 7, sancitum fuit, *neque coram Episcopo licere Presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Episcopo infantem tingere*, etc. Videmus ergo, quam nimis tenaces illis temporibus quarumdam Ecclesiarum Episcopi sui juris fuerint, ut neque in absentia istud Presbyteris communicandum censuerint, ea fortasse de causa, quod Baptismum sine Confirmatione, seu impositione manuum Episcopi, non recte confiteri existimaverint.

Interea tamen sensim factum fuit, in Parochialibus quoque Ecclesiis baptisteria publica erigerentur, et Episcopi jam passim solius Baptismi solemnis, scilicet in *Sabbato sancto*, et pervigilio *Pentecostes* conferendi, potestatem sibi reservarent, Presbyteris vero extra illa tempora Baptismi conferendi generale quoddam jus, ac ipsi sacræ ordinationi, quam ab Episcopis consequebantur, velut annexum, facerent. Neque vero etiam hæc *disciplinæ* species diu permansit, sed tandem ampliatis Diœcesibus, et nimium accrescente multitudine catechumenorum, etc., etiam solemnis Baptismus Presbyteris transcriptus fuit, et ferme in sola mediolanensi Ecclesia deinceps (fortasse in memoriam insignaris illius, quem S. Ambrosius illic, ut supra memoravimus, tam insigniter comprobavit, zeli ac exempli) penes Episcopum perseveravit, ut noster Eruditiss. Edm. Martene, lib. I, *de Ant. Eccl.*, cap. I, art. III, n. 3, *ex Conc.* IV, *Mediol., an.* 1575, sub S. *Carolo Borromæo* celebrati, *Constit.* II, perhibet.

Et diaconi. Licet solis Apostolis a Christo impositum fuerit munus baptizandi, constat tamen ex *Act.*, VIII, 12, Philippum, licet nonnisi Diaconum, in Samaria baptizasse, utique demandantibus ei id munus ipsis apostolis. Cæterum *diaconis*, ceu qui immediate *Presbyteris* subordinati sunt, absque eorumdem jussione licitum non fuisse baptizare, veterum monumenta testantur. Sic enim *Sæc.* V, Gelasius papa, in *Ep.* V, *ad Episc. Lucaniæ*, cap. 5, de diaconis habet : *Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant nisi prædictis fortasse officiis longius constitutis* (quam scilicet ad eos opportunus recursus pro impetranda facultate fieri posset) *necessitas extrema compellat.* Illis enim sæculis antiquioribus non tanta erat sacerdotum copia, ut quilibet particulari cœtui in pagis, et oppidis, imo et in quibusvis civitatibus, semper aliquis præsto esset. Quid vero etiam hoc præsente, sed ægrotante, aut aliter impedito, vel in subitaneis atque extraordinariis casibus, fieri opus erat? nempe diaconi (quorum unus saltem, teste Martene, lib. I, cap. I, a. 3, in Ecclesia una cum Presbytero residere debebat) id munus, facile demandante Presbytero, subire debebant.

Honorem. Quem scilicet quælibet Ecclesia Episcopo, tanquam suo *Hierarchæ*, detulerat, vel verius tanquam divinitus in eum collatum honorem sponte agnoverat.

Salva pax est. Non esset autem PAX salva, si Episcopis sua auctoritas non servaretur, Presbyteris propria mox auctoritate quælibet Ecclesiæ munia promiscue involantibus ; Episcopi enim sunt, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, etc. Igitur hæc auctoritas temporibus Tertulliani, tanquam satis recens ab Apostolis profecta, Episcopis, et in his potius Apostolis ipsis, servata fuerat, ut nihil, nisi demandantibus legitimis, ac immediatis, ut loquimur, et directis *Apostolorum* successoribus, id est, *episcopis*, circa *sacramentorum* (qui Ecclesiæ *thesauri* sunt, a Christo per ipsos Apostolos *repositi*, et a successoribus illis *custodiendi*) administrationem liceret, maxime in Baptismo, de quo solis Apostolis dictum fuerat : *Ite, docete, baptizate.*

Alioquin, i. e. *alias*, vel *sin vero ;* ut adeo sensus sit : « Si vero non servatus fuerit suus Ecclesiæ honor, et eorum, qui ad officia divina vocati ac deputati sunt, auctoritas, æque jus illud laicis concedendum erit, omni jam ordine turbato, etc.

Dari potest. Neque enim laici minus perfectum Baptismum suscipiunt, quam antea susceperint Episcopi, etc., baptizantes.

Abscondi ab ullo. Hunc locum misere confractum sanaturus *Latin.* ita legit : « *Nisi Episcopi jam*, etc., *vocantur discentes*, seu discipuli (id est, nisi singulariter ad hoc munus vocati sint, *tanquam discipuli Domini*, aut saltem eorum veri successores) *Domini sermo non debet abscondi ab ullo*, sed ad omnes æqualiter pertinebit illud Domini præceptum (Matth., XXVIII, 19): *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Atque hæc Latinii conjectura non inepta est. *Junius* vero, retenta voce *dicentes*, solum interpunctiones mutat, ita inchoans : *Nisi Episcopi jam*, etc., *vocantur dicentes : Domini sermo non debet abscondi ab ullo ; proinde et Baptismus, æque Dei census, ab omnibus exerceri potest. Sed quanto magis*, etc. Itaque totum hunc contextum ita intelligi vult : « Nisi forte (quod absurdum est) pro Episcopis, Presbyteris et Diaconis haberi promiscue eos omnes placuerit, qui ita dicunt et affirmant : Quorum est proferre verbum Dei, et non abscondere, eorum est et baptizare ; omnium autem esse proferre verbum Dei : ergo et baptizare, etc. » Quæ conjectura sane mihi felicior, magisque arguta, quam superior illa *Latinii*, videtur. Ita igitur vox *dicentes* ad laicos referenda esset, quasi hos loquentes introducat Tertullianus, sibique Baptismum æque ac verbi divini prædicationem vindicantes, quinimo fortasse illud Christi apud *Matth.*, X, 27, sibi quoque dictum existimantes : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta ;* quasi et ille sermo Domini : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, singulariter ad solos Apostolos dictus, ad quoscunque alios præcepti instar pertinuisset, itaque etiam his ex ejusmodi mandato prædicatum fuisset.

Æque. Nimirum verbum Dei, ejusque prædicatio.

Dei census. Census proprie non est proventus annuus, sed *æstimatio bonorum* cujuslibet, in tabulas publicas relata, secundum quam, observata certa proportione, tributa imponebantur. Postea vero

etiam vox hæc ad ipsa illa *tributa* pendenda translata fuerat. Unde apud *Matth.*, XVII, 25, illud Christi est : *Reges terræ a quo accipiunt* (τίνα ἢ κῆνσον) *tributum* vel *censum?* Similiter ubi, *Luc.*, XX, 22, Pharisæi Christum tentantes interrogant : *Licet nobis φόρον, tributum, dare Cæsari, an non?* loco φόρον *Matthæi*, XXII, 17, et *Marc.*, XII, 14, κῆνσον (*censum*) habetur, pariterque a Vulgato nostro per *tributum* redditur.

Aliter quoque sensus significat ipsam *censionem*, seu *recensionem* bonorum cujuslibet, in qua quilibet *profitebatur* nomen atque bona sua, ut apud *Luc.*, II, 1, dicitur : *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur* (censeretur, seu in tabulas censorias referretur) *universus orbis.* Et mox, v. 3 : *Ibant omnes ut profiterentur singuli, in suam civitatem.* Et quoniam ex illo censu, seu recensione, *oriebatur* tributorum proportionata impositio, hinc census etiam a nostro in lib. *Apol.*, c. 7, pro *ortu* aut *origine* vel *professione* accipitur : *Census istius disciplina a Tiberio est.* Et in lib. I *adv. Marc.*, c. 21, similiter : *Nullam autem apostolici census Ecclesiam invenias, quæ in Creatore christianizet.* Vide etiam lib. *de Præscript., cap.* 32. Itemque in lib. IV *adv. Marc.*, cap. 40, de tribu Juda loquens ait : *Ex cujus tribu carnis census Christi processurus*, etc. Rursusque *Apol.*, c. 10, inquit : *Ab illo* (Saturno) *census totius, vel potioris, vel notioris divinitatis.* Aliquando etiam pro *numero*, qui recensione determinari solebat, accipi constat; quo sensu in lib. *de Veland. Virg.*, c. 4, ait : *Omnis census elementorum*, etc.

Tandem vero pro *substantia* vel *facultatibus*, seu *bonis* alicui *propriis*, accipitur, ut in lib. *de Carne Christi*, c. 25, ait : *Ita utriusque substantiæ* census *hominem et Deum exhibuit;* sequitur enim mox postea : *Quæ proprietas conditionum, divinæ et humanæ, æquæ utique naturæ veritate cujusque dispuncta est.* Et hoc utique censu commodo intelligi potest noster, cum Baptismum *Dei censum*, tanquam inter *bona Dei* propria numerandum, vocat.

Dicatum. Episcopi proprium, eique peculiariter *attributum*, ac a Deo ipso sanctificatum.

Episcopi officium. Argumenti vis in eo posita est, quod laici eo minus baptizandi jus vindicare debeant, cum neque *diaconis*, neque ipsis *presbyteris*, illud sine auctoritate *Episcopi* competat.

Æmulatio. Quidam ita interpungendum putant hunc locum : *Dicatum Episcopis officium episcopatus. Æmulatio schismatum*, etc. At alius hæc ταυτολογία merito displicet. Retinenda igitur textus hujus ordinatio est, quam contra meum codicem reposui.

Schismatum mater est. Plurima, satisque tristia, in Ecclesia prostant hujus rei exempla, quæ commemorare hujus loci non est. Vide etiam Tertull. nostrum, in lib. *de Præscript. Q. Crit.* IV.

Expedire. Quasi dicere vellet : « Etiamsi et laicis potestas baptizandi competat, tamen non expedire, ut eadem utantur, in præjudicium honoris Episcopis debiti, sed præstare, ut ab illius exercitio in reverentiam præeminentiæ Episcoporum abstineant. »

Utaris. Hæc solis presbyteris et diaconis dicta putat Junius. Quin vero S. Basil. a laicis datum baptisma omnino invalidum, ideoque repetendum in *Ep.* I. *Can. ad Amphiloch. Can.* I, censuisse videtur. Ex hoc enim ipso argumento probare contendit, hæreticorum baptisma invalidum esse (namque huic sententiæ post S. Cyprianum cum Orientalibus aliis inhæserat), quod hi ab Ecclesia abrupti (etsi alias Episcopi aut presbyteri, etc.) in laicorum statum reinciderint. *Qui autem abrupti sunt*, inquit, *laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem.* Quare eos, *qui ab ipsis baptizati erant*, tanquam a laicis *baptizatos, jusserunt ad Ecclesiam venientes vero Ecclesiæ baptismate expurgari.* Verum superiora illa a Tertulliano de laicis esse dicta, vel ipse contextus evincit, cum mox postea a Baptismo, in necessitate administrando, nonnisi fœminas excludat. Et certe vetustissimus semper in Ecclesia mos fuit, ut in casu necessitatis, absentibus *Episcopo, presbyteris et diaconis*, etc., etiam laici baptizarent.

Aut loci. Cum in illo loco non *Episcopus*, aut *presbyter*, aut neque *diaconus* præsens est, aut alio impedimento detentus vocari non potest.

Aut temporis. Cum scilicet in mora, morituri interea baptizandi, præsens periculum esset.

Conditio. Si scilicet alia legitima causa baptismum mox impertiendum urgeat.

Constantia. Videtur *constantia* hic sumi pro *animositate, animi firmitate*, ut sensus sit : *Tunc enim licebit animose ac intrepide succurrere*, etc., ut nimirum, lib. V *adv. Marc.*, c. 1 : *Tanta constantia alium deum edicere*, ait. Potest etiam pro *libertate* aut *convenientia* accipi : qui sensus plane congruit cum eo, quod mox subjungitur. Vide etiam quæ supra, ad cap. 10, de voce *constanter* diximus. Quidquid vero de his sit, malim certe constantiam hic accipere pro stabili et canonice constituto ordine ac regula, ad personam ministrantis spectante : quæ regula utique in casu necessitatis, ut aliæ leges ecclesiasticæ et humanæ, locum non habent.

Docere. Alludit rursus ad ea quæ supra cap. 1, *de Quintil.*, ejusque virulenta doctrina, commemoravit. De hac item petulantia mulierum in lib. *de Præscript.*, cap. 41, acerbe queritur.

Cæterum ex hoc loco quidam, nec inepte, colligunt, a Tertulliano, cum adhuc vere orthodoxus *esset*, hunc librum *de Baptismo* conscriptum fuisse, propterea quod deinceps Montanista factus, longe majori indulgentia, quin et nimium molli reverentia, in loquacem illum sexum fuerit, quem Paulus ipse 1 *Cor.*, XIV, 34, ad perpetuum in Ecclesia silentium damnavit, et neque sic satis compescere potuit. Huc pertinent etiam ea, quæ in *Q. Crit., ad lib. de Præscript.*, *Q.* IV *et* V, diximus.

Sibi pariet. Non inelegans, neque autem sine sarcasmo, in mulieres, passim res novas in sacris parturientes, metaphora. Cæterum cum de *jure* loquitur, non illico omnem a fœminis, saltem in casu extremæ necessitatis, baptizandi facultatem excludit; quin vero baptizare ipsis licet, tenenturque, si scilicet vir non adfuerit, aut verecundia prohibeat, ab eo baptismum administrari. Sane autem casum necessitatis (saltem extremæ) neque antiquis illis temporibus exclusum fuisse, satis patet ex Jo. Moschi (qui *Sæc.* VII floruit) *Prato Spir.*, c. 3, ubi asserit, contra Canones esse, diaconissas baptizare, *excepta scilicet strictissima necessitatis causa;* in qua utique illud ipsum Tertulliani principium subingredi necesse est : *Quoniam reus erit perditi hominis*, etc.

Notæ ad caput XVIII.

Pristinæ. Scilicet *Quintillæ*, quam paulo ante sugillavit, nunc autem *pristinam* dicit, quod de ea mox ad initium hujus libri locutus esset, et ipsa jam diutius antea Baptismum impetere ausa fuisset.

Auferebat, i. e. e medio tollere *conata* fuerat.

Per se. Suomet jure : quod neque in viris *laicis* hactenus toleratum fuit.

Perperam scripta, i. e. ψευδεπιγραφα, seu *falso* ejus nomine, *Periodi Pauli et Theclæ*, inscripta, quæ quidem supposititia esse nemo jam criticorum amplius dubitat. Continentur in his actis quædam doctrinæ sancti Pauli omnino adversa, pleraque alia penitus fabulosa, *ex. gr.* quod *Thecla* a Paulo ad apostolicum prædicandi Evangelii, et baptizandi munus evocata fuerit, ac utrumque plusquam viriliter exercuerit, etc. de quibus tamen sanctus Hier. *de Script. Eccl.* ita ait : *Periodos Pauli et Theclæ, et totam baptizati Leonis* (hactenus autem nescitum cujus) *fabulam, inter apocryphas Scripturas computamus;* in quarum omnino classem a *Gelasio Papa* in Conc. rom. *an.* 494 habito, rejectas novimus.

At vero spurius hic liber diligenter distinguendus est a libris aliis, communiter *Basilio*, Ep. Seleuciæ, qui medio sæc. V floruit, adscriptis : in quibus una-

versam de *sanctæ Theclæ* gestis et miraculis narrationem Basnagius in *Annal. politico eccles.* ad *A. C.* 46 penitus eversam cupit, attamen jam diu a Baronio ad *A. C.* 47 nimis fortiter stabilitam. Sed hæc operosius disquirere minime hujus loci est.

De Suo, i. e. proprii sui ingenii adinventione congerens.

Cumulans. Equidem non id ex malitia ab eodem factum, sed pia fraude, nimioque zelo, id est minus discreto, qui et alios quoque circa illa tempora invaserat, maxime *Evangeliorum* quorumdam scriptores, quibus ut auctoritatem conciliarent, *Apostolorum* quorumdam nomina, ceu putidis his mercibus pretium factura, suspenderant.

Loco decessisse, id est a Presbyteratu abdicatum fuisse, atque in laicorum ordinem *quodammodo* redactum. Cæterum hanc historiam primus propalavit Tertullianus, deinceps a plurimis aliis assertam.

Proximum. Fidei proximum hic appellat, quod magnam verisimilitudinem habet, ut fide humana prudenter credi possit.

Constanter, seu *libere*, ac *intrepide*. Vide supra *not. Constantia*, et *cap.* 10, *not Constanter.*

Consulant. Mulieres in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Ita sanctus Paulus (I *Corinth.* 14 v. 34, *et seqq.*) Igitur si quid in Ecclesia didicerint, ad viros suos ablegantur, ab eis, sicubi hæsitaverint, plenius edocendæ, aut in doctrina alias rite percepta contra nativam suam volubilitatem magis stabiliendæ.

Notæ ad Caput XVIII.

Temere credendum, seu *inconsiderate* cuivis *administrandum.* Instar enim *pignoris* ad salutem est, quod et in securitatem *debiti*, et *creditori*, secure asservaturo, dari solet.

Officium est, scilicet eumdem aliis administrare.

Petenti dato. Omni petenti te tribue, ait Christus Luc. VI, v. 30.

Titulum. Titulus est alias quædam *nota* ac velut *inscriptio* cujusvis operis, qua id honestum ac laudabile efficitur. Ita ergo ut et *petitio*, et *largitio* laudabilis fiat, utraque titulum habere debet, seu rationem et caussam tum *petendi*, tum *dandi*. Titulus autem dandi est *petitio indigentis*, titulus accipiendi *indigentia petentis.* Itaque et baptismus non nisi petentibus, nec simpliciter petentibus, sed ad accipiendum debite præparatis tum per instructionem doctrinæ, tum per fervorem voluntatis ardenter illum desiderantibus, conferri debet.

Ad eleemosynam. Sat ex mox dictis patet, ut eleemosynam, ita et baptismum indigentibus, hunc autem nonnisi serio petentibus, dandum esse. Atque id quidem de baptismo adultorum necesse est, ut nimirum is *licite* alicui ministretur; cæterum ad *valorem* non requiritur nisi intentio recipiendi, ut vocant, *habitualis.* Sed hac de re alibi pluribus.

Exertam, i. e. *apertam*; ita enim Noster in *L. de Spect. cap.* 3 ait : *Plane nusquam invenimus, quemadmodum aperte positum est : Non occide, etc. ita exerte definitum : Non in Circum ibis, etc.*; Et *l.* II *ad Uxor., cap.* 1, ita habet : *Jam non suadet, sed* exerte *jubet.* Itemque ait : *Detractata et* exerta *sententia est.*

Dignationem. Pro *gratia* posuisse videtur, exemplo Livii, L. II, ita de Appio dicentis : *Haud ita multo in principum dignationem pervenit.*

Intercessisse. Totam hujus historiæ seriem *Act. cap.* 8 accurate pertextam vide.

Prætendere. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens : Surge et vade contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam. Act. VIII, v. 26. Cæterum *prætendere*, est hic *prius tendere* seu *antea proficisci*, ac velut viam ex adverso ad occursum præoccupare : aut simpliciter pro *tendere* A ponitur, ut sæpius Noster composita pro simplicibus solet.

Impressus, Venerat adorare in Jerusalem, et revertebatur, sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. Ib. v. 27. *et seqq.* Erat ergo *in ejus lectionem maxima attentione defixus*, ac velut eidem *impressus*, ut Scriptura ipsum legentem quasi in se arctissime reciperet. Simili ferme sensu *Apol. cap.* 18 idem Noster dixit : *Sed quo plenius et impressius tam ipsum* (DEUM) *quam dispositiones ejus et voluntates adirenus*, etc. Et in *L. de Exhort ad Castit.* c. 3, *ait, alte impresse recogitandum esse voluntatem* DEI.

Apostolum. Ex hoc ipso loco quidam asseruere, Philippum hunc *Apostolum* fuisse; at alii communius eum inter septem illos *Diaconos* reponunt, qui *Act.* VI, 5, ab Apostolis electi fuerant. Quid enim, si Apostolus fuerat, necessarium erat, ut ad Samariæ incolas, a Philippo hoc recens conversos, mitterentur Petrus et Joannes, *ut imponerent manus super illos, et reciperent Spiritum Sanctum? Act.* VIII, 17. Annon B enim ipse Philippus, si *Apostolus* erat, æque illum dare poterat, *Sacramentum Confirmationis*, cujus administratio tunc solis *Apostolis*, seu *episcopis*, propria fuerat, illis per *manuum impositionem* impartiendo? *Apostolus* ergo dictus fuerat, quasi ab Apostolis proprie sic dictis peculiariter *ablegatus*, eo nimirum sensu, quo etiam Andronicus et Junias *nobiles in Apostolis* a Paulo *ad Rom.* XVI, 7, appellantur.

Jussit. Dixit autem Spiritus Philippo : Accede, et adjunge te ad currum istum. Act. VIII, 29.

In tempore. Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic : Tanquam ovis ad occisionem ductus est, etc. *Ib.* 32.

Exhortatus. Quis vero? An eunuchus a Philippo post exhortationem ad baptismum assumitur? An vero Philippus ab eunucho in curru? Si prius intelligamus, vox *exhortatus* passivo sensu capienda erit; neque id adeo insolens est, cum et apud Cicer. in *Catone* legam : *Exhortatus est in convivio a scorto, C ut securi feriret*, etc. At malim posterius : postquam enim Philippus eunuchum *exhortatus* fuisset, hic *rogavit Philippum, ut ascenderet, et sederet secum. Act.* VIII, 31.

Ostenditur. Aperiens autem Philippus os suum et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit ipsi Jesum. Ib. 35.

Non moratur. Ecce aqua : quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait : CREDO *Filium Dei esse Jesum Christum. Ib.* 36 *et seqq.*

Exspectatur. Et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. Ib. 38.

Eripitur. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus, etc. *Ib.* 39.

Tinctus est, Scilicet mox tribus post conversionem suam diebus, ut liquet ex *Act.* IX, 9 *et* 18.

Hospes, Namque Ananias eum jussus erat quærere *in domo Juda.* Ibid., 11. Quisnam vero hic fuerat, D præterea nil notum.

Notæ ad Caput XVIII.

Dignatis, i. e. *gratia.* Vide supra.

Prærogativas, i. e. singulares *prævias dispositiones*, mirabilesque circumstantias, ex quibus facile perspiciatur, quid et quomodo Deus ab hominibus extra communem ordinem ac regulam fieri velit.

Decipi. Potest enim inordinate petens baptismum, ejus ministrum *decipere*, sine legitima videlicet dispositione, neque vero, sed simulato duntaxat animo accedens. Potest et ipse *decipi*, dum ex immaturo zelo accedit, et ab ipso Deo se impulsum credit, nondum tamen necessaria rerum credendarum cognitione instructus, ut illum *fructuose* suscipiat.

Utilior est. Olim baptismus a plerisque differebatur in adultam, et aliquando ad extremam ferme ætatem. Sic sanctus Martinus jam anno ætatis suæ

10 factus catechumenus, nonnisi 8 annis postea fuit baptizatus, ut testatur Sev. Sulpit. in ejus *Vita l.* 1 *cap.* 2. Aliqui ad 30 annum differebant, exemplo Christi innixi, ut videre est apud S. Greg. Naz. *Orat. in sanctum Lavacrum*. De *Constantino imp.* communis jam opinio est, cum paulo ante mortem *Nicomediæ* baptizatum fuisse. Sic etiam *Constantius imp.* ultimis demum suis temporibus ab *Eusoio* Antiochiæ baptizari voluit. Quid vero, quod etiam *Theodosius M.* post superata in bellis plurima pericula, ultimo demum in gravem morbum incidens ab *Ascholio*, Ep. Thessalonicensi, se ablui petierit? Forte idem Noster, baptismum *cunctando* longius differri jubens, in causa fuerat, ut multi, ex nimia religione et conscientiæ formidine, baptismum antea, et bona utique fide, recusarent.

Erant autem, qui eo pejori fide cunctabantur baptismum suscipere, ne videlicet severitati legum ecclesiasticarum deinceps adstringerentur, sicque interea eo liberius peccare possent. Hoc autem consilium, tanquam temerarium, *sancti Gregorius Nazianzenus* et alter *Nyssenus*, itemque *sanctus Joannes Chrysostomus* et alii Patres, merito, acerrimeque perstrinxere.

Quod vero aliorum, ex aliis causis baptismum nimium diu olim procrastinantium, *exempla* attinet, ea *imitationi* nostræ minime proposita sunt. Sufficiat nobis inde gravitatem negotii metiri, ad quod non subito irruere, nec taliter irruentes suscipere, sed eousque, donec desiderium satis creverit, et sufficiens probatio præcesserit, differre oportet. Hoc idem vero facere cum quis jam se satis præparatum senserit, id vero periculo non vacat, subrepentis interea s mnolentiæ, aut occasionis deinceps amittendæ. Novimus certe, Valentinianum Jun. Imp. violenta morte præventum, cum nimis diu distulisset baptismum, adhuc catechumenum ex hac vita ereptum fuisse.

Audiendus denique in hanc rem est sanctus Basilius in *Exhort. ad bapt.* ubi inter alia multa sic loquitur : *Si aurum Ecclesia distribueret, non profecto diceres :* Cras mitte, cras dabis ; *verum tuam sedulus portionem velociter peteres, differri autem ægre ferres. Quoniam vero non materiæ alicujus fœnum, sed animæ purgationem tibi rex munificus pollicetur, moras excusationesque nectis, impedimenta causasque affers, qui debebas ad hoc donum accurrere.* Et post alia : *Enimvero si publicis tributis obnoxius esses, debitorum autem remissio reis circumquaque nuntiaretur, deinde quispiam te hoc publico munere privare conaretur, doleres clamaresque, communis gratiæ parte te per injuriam privari. Postquam vero non solum præteritorum remissio, sed etiam futurorum dona palam proponuntur, non audis, sed te ipse lædis, quantum nec inimici forte læderent.* Iterumque post pauca : *Si quis medicus commentis ac machinis quibusdam te juvenem et sene reddere in se receperit, ad eam profecto diem omni studio venire curares, in qua ætati floridæ te restituendum videres. At nunc cum anima tua, quam omni scelere contaminatam reddidisti, per baptismum renovari ac regenerari nuntietur, tantum despicis beneficium, nec ultro properas, aut id pollicenti, Fis obviam.* Et denique : *Cunctatio ad baptismum, nihil aliud clamare videtur, quam : In me ante regnet peccatum, donec aliquando regnet etiam Dominus ; adsint mihi membra injustitiæ, et iniquitatis arma, deinde assumam etiam arma justitiæ Deo*, etc. Atque hæc contra eos *Basilius*, qui, jam antea debite instructi, baptismum (atque idem est etiam de sacramento Pœnitentiæ) assiduo differre cogitant.

Circa parvulos. Hæc equidem sententia uni Tertulliano (sicut etiam, adhuc catholicus, in nimiam semper religionem atque severitatem propensus erat) propria, neque ab ullo antiquorum Patrum adoptata fuerat, multo minus autem *Henricianis, Petro Abeillardo, Petro de Brixia*, aut *Anabaptistis*, aliisve hæreticis, quidpiam præsidii in ea collocatum erat, quippe qui infantes baptismi valide suscipiendi omnino incapaces, ideoque hunc, cum ad usum rationis illi pervenissent, repetendum esse censebant. Dissuadentis autem solum Tertulliani illa vox fuerat, et hæc ipso contrariam, etiam in ipsis Africanis Ecclesiis, et iisdem illis temporibus, consuetudinem haud ambigue significantis, uno, quem scimus, Tertulliano eidem contranitente, et ex rationibus quidem nulli coævorum, aut etiam alteri sanctorum Patrum, neque *sancto Cypriano*, alias circa baptismum tam delicato, qui tamen Tertullianum, tanquam *magistrum* suum assiduo volutasse perhibetur, probatis. Etenim is, cum *Fidus*, episcopus, ea de re quæstionem excitasset, atque parvulos nonnisi post octavam diem baptizandos esse contendisset, nulla jam amplius *Tertulliani* ratione habita *in Conc. Carthag.* 66 *episcoporum*, *anno* 253 ita conclusit : *Infantes debere baptizari tantum post octavum a nativitate diem, nemo consensit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam esse denegandam.* Ita ille in sua *Ep.* 69 *ad Fidum*.

Porro *Pædobaptismum*, seu *parvulorum ablutionem*, ab ipsa praxi et traditione apostolica descendisse testis locuples est sanctus Augustinus, qui in *Serm.* X *de Verb. apost.* de parvulis loquens ait : *Ipsi portantur ad Ecclesiam, et, si pedibus illuc currere non possunt, alienis currunt, ut sanentur ; accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur ; ut quoniam qui ægri sunt, alio* (videlicet) *peccante prægravantur, sic cum hi sani sunt, alio* (patrino nimirum) *pro eis confitente salventur. Nemo ergo vobis susurret doctrinas alienas. Hos Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percipit, hoc usque in finem perseveranter custodit.* Et in *l.* X *de Gen. ad Lit.*, c. 23 idem confirmat, inquiens : *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica esse traditio.* Cujus quoque testis est multo antiquior Origenes, qui in *cap.* XIII *Ep. ad Rom.* : diserte ait : *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare baptismum.*

Quapropter saluberrime, et quidem sub gravibus pœnis in pluribus conciliis sancitum fuit, ne parvulorum baptismus (quia nempe repentina sæpe mortis pericula iisdem supervenire possunt) diutius differatur. Singulariter vero sanctus Carolus Borromæus in *Concil. mediol.* I constituit, *ut natum infantem ii, quorum est ea cura, ante nonum diem ad suscipiendum baptismum in Ecclesiam deferendum curent. Quod si neglexerint, excommunicationis pœnam subeant.*

Necesse. Hæc verba : *Si non tam necesse*, tuto abesse posse putat Junius, reque ipsa in multis exemplaribus deesse testatur. At cur non æque retineri possint? Sane enim sensum satis commodum faciunt : *Si non aliunde urget necessitas.*

Sponsores. Alias *patrini* dicuntur, quoniam nimirum velut *patres spirituales* sunt, aut *fidejussores*, de quibus sanctus Chrysostomus *in psalm.* XIV, ait : *Statim sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conventa, et minoris ætatis fidejussorem susceptorem interrogat*, etc. Quia nimirum pro infante *spondere*, et *respondere* debent, etc.; unde *sponsorum* quoque supradicta appellatio ipsis imposita est.

Ex hoc sane loco Tertulliani patet, patrinos jam ex antiquissimo usu, et ab ipsis Ecclesiæ velut incunabulis, in baptismo adhiberi solitos, ut etiam sanctus Basilius, *Ep.* 128, et sanctus Augustinus, compluribus in locis, aliique passim testantur.

Possunt. Si scilicet sponsores ipsi moriantur, antequam infans baptizatus ad usum rationis pervenerit, ut ab illis admoneri possit, quam obligationem in baptismo contraxerit, aut quid patrini illi pro ipso sponponderint.

Fulli. Si infans interea adultus factus baptismi gratiam per vitam pravam expellat, porroque renuat illas sponsiones per seipsum, cum jam posset, implere, etc.

Christiani. Per baptismum tales futuri, per quem scilicet fit *initiatio* in Christianos.

Innocens ætas. Sane autem ætas illa satis *nocens* est, quippe peccati originalis rea, quod anima mox cum prima sua in corpus infusione contrahit. Neque autem verisimile est, quod Tertullianus per hoc *parvulos* ab illo peccato immunes facere cogitaverit, qui in *Tr. de Testim. animæ*, *c.* 3, tam diserte ait: *Homo a primordio* (per diabolum) *circumventus, ut præceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde* TOTUM GENUS *de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.*

Peccatorum. Eapropter ergo parvulorum ætatem *innocentem* dixit quod sint immunes a peccatis *actualibus*, seu propria voluntate commissis, in quorum remissione, quoad *culpam* simul et *pœnam*, præcipuum esse finem ac vim baptismi esse crediderat. Cum ergo nonnisi *unus* sit *baptismus*, isque deinceps repeti nequeat (*cap.* XV, *not. Non habent*) ac proin in adultis per Pœnitentiam quidem omnis *culpa*, non tamen æque *pœna*, deleri queat (*cap.* V, *not. Pœna*) satius esse arbitratus est Tertullianus, baptismum ad adultæ ætatis tempus reservari, ut tunc simul cum originali etiam omnia peccata *actualia*, omnisque reatus pœnæ eisdem debitæ, una tolli possit, ad quem tollendum alias diuturnis pœnitentiæ laboribus et satisfactionis operibus opus esset. Interea tamen non attendit idem Noster, parvulis, sine baptismo mortuis, omnem porro spem salutis adimi, damno utique nulla jam amplius ratione reparabili.

In sæcularibus, i. e. *Rebus* hujus *sæculi*, seu *temporalibus.*

Substantia terrena, seu hæreditatis ac bonorum temporalium administratio non committitur, sed neque committi potest.

Divina credatur. Probat Junius *Latinium*, hæc εἰρωτικῶς legentem, cui facile adstipulor. Cæterum imbecille hoc Tertulliani argumentum est; nam pupillis committi non potest rerum suarum administratio, quoniam hujus penitus incapaces sunt; at bona tamen ex hæreditate ad illos transeunt. *Quanto tempore* (ait Ap. ad Gal. IV, 1) *hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus*, etc. Bona autem illorum vel maxime interea administratione indigent, atque omnimodo necesse est, ut sit, qui ea tueatur, qui ab injuriis aliorum vindicet, etc. At vero gratia semel parvulo credita, quæ deinceps contra omnem vim secura quiescit, qua administratione opus habet? Quis enim parvulo acceptam semel gratiam adimet? Quis eidem vim afferet? Nihil enim contrarium *gratiæ* est, nihil eidem adversum, præter peccatum, propria deinceps voluntate commissum; at quomodo id in parvulo, quamdiu usu rationis caret, locum habebit? Nihil ergo insidiarum gratiæ in parvulo, at ex bonis ejusdem temporalibus interea metuendæ sunt; quare hæc alienæ tutelæ, ipsaque illius persona, utique aliorum injuriis vehementer exposita, committi opus habent.

Dedisse videaris. Quidni etiam *non petenti*, quamdiu petere per sese non potest, eodem tamen ad salutem suam æque indiget, ac adultus, qui petere potest? Sic ergo parvulo quoque denegabitur cibus, quoniam, utcumque sibi necessarium, *petere* non potest?

Procrastinandi. Insolens hæc Tertulliani sententia est, rigidamque ejus indolem demonstrat, a nemine unquam alio asserta, et eodem infirmo argumento, quod supra exposuimus, nixa.

Permaturitatem. Cum nimirum *nubiles* sunt, maturæque viro.

Pervagationem. Non assequor, nisi ita intelligat Tertullianus, quod nimirum comite, ac velut pudicitiæ suæ præsidio, destituta, sola sit, et sic inter viros *vagetur.*

Corroborentur, seu diuturniori tempore in vidui tate permanserit, ciqne aliam custodiam, se videlicet consortio penitus subtrahens, circumdederit, ac statum suæ viduitatis diutius servando, firmiorem quemdam continentiæ habitum contraxerit, porroque nuptiis serio penitusque renuntiaverit.

Pondus, i. e. *momentum* ac *gravitatem* negotii.

Consecutionem. Ea, quæ baptismum consequi possunt, scilicet periculum amittendæ gratiæ per peccata (quæ, singulariter ratione adjunctæ *ingratitudinis*, graviora erunt post baptismum, quam ante eum commissa), et difficultas ejusdem gratiæ recuperandæ. Et fortasse hic respexit Noster illud Apostoli *ad Hebr*, VI, 4: Ἀδύνατον τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου.... καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας. Id est, *impossibile est, eos, qui semel sunt* ILLUMINATI (seu *baptizati*, ut *cap.* I, *not. Cæcitatis*), *gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt* SPIRITUS SANCTI, . . . *et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* Ubi τὸ ἀδύνατον, non quod absolute impossibile est, sed quod *difficulter* (id est non humanitus quidem, attamen divinitus, sed nonnihil ægrius, et cum periculo relapsus, *fieri* potest) significat, ut *Marc.* X, 17, ubi quærentibus discipulis, *quis possit salvus fieri?* Respondit Christus: Παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατον, ἀλλ οὐ παρὰ τῷ Θεῷ· πάντα γὰρ δυνατά ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ, i. e. *Apud homines* (nimirum *humanis viribus*) *hoc impossibile est, sed non apud* DEUM; *omnia enim possibilia sunt apud Deum;* ubi non dixit, DEO, sed *apud* DEUM, id est, viribus divinæ gratiæ, qua nobis adjutis nihil jam tam arduum est, quod a nobis superari ac perfici nequeat. *Omnia possibilia sunt credenti*, ait Christus *Marc.* IX, 22. Cæterum ergo iis, qui adhuc infantes baptizati sunt, securior utique est gratiæ per baptismum *consecutio*, quam fuisset ejusdem dilatio: quippe cum in hac perdendæ, neque jam amplius recuperandæ salutis, periculum sit: in baptizatis gratia difficilius amittatur, et amissa saltem per Pœnitentiam reparari queat.

Integra, i. e. per baptismum obtenta integre, et sine contaminatione deinceps servata.

De salute. Qui autem perseveraverit usque in finem, salvus erit Matth. X, 22.

Notæ ad Caput XIX.

Præstat. Initio Ecclesiæ nullum tempus baptismo præstitutum erat. *Primum omnes docebant* (ait auctor *Comm. in Epist. ad Eph.* c. IV) *et omnes baptizabant, et quibuscumque diebus vel temporibus esset occasio. Nec enim* PHILIPPUS (Act. cap. VIII) *tempus quæsivit, aut diem quo eunuchum baptizaret. Neque* PAULUS *et* SILAS (Ib. IX, 10) *tempus distulerunt, quo custodem carceris baptizabant cum omnibus ejus. Neque* PETRUS *diem quæsivit, quando* Cornelium (Act. X, 47 et seqq.) *cum omni domo ejus baptizavit. Ut ergo crescerel plebs, et multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, et evangelizare, et baptizare, etc. At ubi autem omnia loca circumplexa est Ecclesia . . . cœpit alio ordine et providentia gubernari Ecclesia. Hinc ergo est, unde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici vel laici baptizant, neque* quocumque die *credentes tinguntur, nisi ægri.* Itaque ex his videmus, non mirum esse, quod etiam passim in aliis rebus disciplina, quæ apostolicis temporibus fuerat, atque ab ipsis Apostolis ordinata, tuncque usurpata, in plerisque tamen (scilicet quibus *præceptum divinum* non annexum erat) successu temporum ab Ecclesia commutata, aut aliorum insuper ordinationum accessione aucta fuerint, temporum scilicet aliarumque circumstantiarum rationibus varie sapienterque accommodata, semper tamen iis, quæ ad substantiam sacramentorum, utpote quæ longe altioris, prorsusque divinæ institutionis esse noscuntur, inconcusse retentis.

Sed, ut ad nostrum argumentum revertamur, jam

ab antiquissimis temporibus obtinuit, ut solemnis baptismus PASCHÆ et PENTECOSTES temporibus celebraretur : quam observationem ab ipsis usque apostolicis temporibus profectam fuisse, *sanctus Siricius*, et *sanctus Gregorius M.* summi pontifices, testantur. Et prior quidem in *epist. ad Himmerium* Tarraconensem episcopum, *omnium Ecclesiarum consuetudinem* allegat; posterior vero *in ep.* 136 *ad episcopos Siciliæ*, tanquam *regulam ab apostolis institutam et continua successione in Ecclesia traditam*, ponit. Duravit autem hic tam late patens usus, teste Theophylacto, *Com. in Luc.* X, ferme usque ad fin. *Sæc.* XI, tandemque penitus abrogatus, baptismum in arbitrio ministrantium posuit, ut *quandocumque* illis rationabili ex causa visum esset, cumdemque impertirentur : quæ consuetudo tandem etiam apud Græcos, et multis quidem abhinc sæculis, invaluit.

Passio Domini. Existimavit noster in *l. adv. Jud.* c. 10, PASCHA Græcæ originis esse, deductum a Græcorum πάσχω, patior : qua in re præeuntem habuit *S. Irenæum l.* IV *adv. Jud. c.* 23, et nonnullos sequaces, præsertim Lactantium in *l.* IV *Instit. c.* 26, ubi ita ait : *Immolatio pecudis* (agni paschalis) *ab iis ipsis, qui faciunt*, PASCHA *nominatur*, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, *quia* PASSIONIS *figura est*, etc. At in hoc nominis etymo illos vehementer deceptos fuisse, et Hebræis hanc vocem asserendam nemo dubitat. Est enim *Exod* XII, 12, פֶּסַח (PESACH) a Rad. פָּסַח atque inde Chaldæi suum א sufligendo, ut frequenter solent, fecerunt פִּסְחָא, PISCHA vel PASCHA, quam vocem etiam LXX adoptarunt, ponentes πάσχα, maxime quod ejusdem terminatio græca sit, in gen. per ατος flectenda. Vulgatus autem noster PHASE posuit, quoniam Latinis literæ gutturalis ח asperitas parum grata est, unde idem Vulgatus etiam in aliis nominibus propriis, præsertim dissyllabis, illud passim detruncavit, ut pro נֹחַ NOACH, תֹּרַח THORAC, קֹרַח CORACH, posuit *Noe*, *Thare*, *Chore*, etc.

Porro autem *pesach*, *phase*, vel *pascha*, TRANSITUM significant : unde etiam Aquila *pascha* vertit ὑπέρβασιν, *transgressionem*, vel *transcensum*, *Symmachus* vero ὑπερμάχησιν, *propugnationem* : nemo autem Interpretum Græcorum *Passionem* vertit. Et denique Latinus noster *Exod.* XII, 12, ita interpretatur : *Est enim* PHASE (*id est* TRANSITUS) *Domini*, in cujus memoriam, scilicet Angeli primogenita Ægypti percutientis, et solas domos Hebræorum intactas *transeuntis*, seu prætereuntis, annuum ab Hebræis Pascha celebrandum erat.

Tingimur. Baptismum Christi omnem suam efficaciam a *Passione* ejusdem habere, jam *cap.* XVI, *Not. Baptismus*, 1188 A. ostendimus. Vide etiam *cap.* XI, *Not. Resurrectionem*, 1178 B. — *Sine resurrect.* Ibid.

Interpretabitur. Passive hic accipitur, ut apud Auctorem *ad Herennium*, *l.* II.

Pentecoste. Πεντηκοστή (subaudi ἡμέρα) significat *Diem* quinquagesimum. Nempe *ab altero die sabbati* (*Lev.*, XXIII, 15), seu a secunda die azymorum numerandæ erant 7 hebdomades, quæ faciunt 49 dies : die autem quinquagesima celebrandum erat חַג שָׁבֻעוֹת FESTUM HEBDOMADARUM, quod in nostra Ecclesia dicitur FESTUM PENTECOSTES; et sicut olim a Judæis celebratur in memoriam Legis, in monte Sinai Moysi datæ (quod quinquagesima a Festo Paschatis, seu Exitu ab Ægypto, factum creditur, *Exod.*, XIX, 1 et 11), ita nunc etiam in Ecclesia nostra celebratur Festum Pentecostes, id est quinquagesimus dies a Festo Paschatis, in memoriam Spiritus S. super Apostolos *in linguis igneis* descendentis. *Act.*, II, 1, *etc.*

Igitur quoniam Baptismus, Spiritus S. in columbæ specie in Christum, in Jordane baptizatum, descendentis, ac singulariter aquas sanctificantis (vide supra *cap.*, X, *Not. nn.*) opus est, non mirum, etiam Pentecostes, non minus ac Paschatis tempus Baptismo solemniter conferendo a primitiva Ecclesia destinatum fuisse. *Atque hanc regulam* (ait Siricius Papa, supra in *Not. Præstat.* laudatus) *omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ* PETRÆ, *super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli.*

Cæterum, quoniam hæc res meræ disciplinæ erat, nil mirum, etiam post *Siricii* tempora, aliam aliqui consuetudinem servatam et in Die NATALI DOMINI, qua *Clodovæum*, primum Francorum regem, baptizatum fuisse, Avitus, Ep. Viennensis, in sua ad eumdem Epist. testatur; aut in EPIPHANIA Domini (propterea quod hac die Christus ipse a S. Joanne baptizatus fuerit), rursusque aliis in locis in Festo S. JOANNIS BAPTISTÆ, similem ob causam : quin et in *Natalitiis Apostolorum* ac *Martyrum*, non sine Ecclesiæ Romanæ contranisu, administratum fuisse, donec tandem, temporibus nimirum ita ferentibus, hac in re quibuslibet Ecclesiis sua libertas data fuerat, attamen benedictione Fontis Baptismalis ad SABBATUM SANCTUM Paschatis, et VIGILIAM PENTECOSTES, ex usu totius ferme Ecclesiæ adstricta. Sed hac de re latius videri possunt Martene *de Rit. Eccl.*, l. I, *c.* 1, *art.* 1; Juenin *de Bapt. Q.* X, *c.* 2, aliique passim.

Aquis. Ut, scilicet solemniter antea sint benedictæ (*cap.* IV, *not. Invocato Deo*) semperque paratæ, ad Baptismum *ex ordine* cunctis *administrandum*.

Spatium est. Inde videtur recte colligi, toto illo intermedio tempore, a *Paschate* nimirum usque ad *Pentecosten*, Baptismum olim administrari consuevisse; quod sic intelligendum reor, quod in Paschate et Pentecoste *solemniter* conferretur, tempore autem intermedio iis duntaxat, qui prius impedimento, ex. gr. morbo, etc., detinebantur, aut alia caussa absentes essent, aut etiam infantes, intermedio illo tempore nati, etc., abluerentur.

Frequentata est, seu annua illius memoria, crebra et vivaciori recordatione celebrata.

Dedicata, i. e. *consecrata*, aut religioso cultu inter *hymnos*, *orationes*, *gratiarum actiones*, etc., celebrata. Ex hactenus autem dictis clare perspicimus, Festa PASCHATIS et PENTECOSTES ab ipsis Apostolis instituta fuisse, sub aliis autem, quam apud Hebræos, ritibus, aliisque, tanquam rerum scilicet præteritarum, symbolis; et *Pascha* quidem in memoriam RESURRECTIONIS Christi, nos a morte peccati ad vitam gratiæ resuscitantis : *Pentecoste* vero, in commemorationem SPIRITUS SANCTI, super Apostolos in Ecclesiam primitus effusi, celebranda.

Adventus. De secundo Adventu Domini, quo veniet *judicare vivos et mortuos*, id est intelligendum.

Subostensa. Id est nonnihil *obscurius*, ac velut *remotius ostensa*.

Recuperato. Aliqui *reciperato malunt*, quod a *recipiendo* dictum est. Sed hanc grammaticorum litem sub judice relinquere præstat. Sufficit hic ASCENSIONEM CHRISTI, seu ejusdem in cœlos *receptionem*, significari.

In Pentecoste. Hoc Nomen nostro etiam totum complexum 50 dierum inter Pascha et Pentecosten significat, ideoque in *l. de Idol., c.* 14, inquit : *Excerpe singulas solemnitates nationum, et in ordinem texe*, Pentecosten *implere non poterunt*. Et hoc sensu etiam hic intelligendus videtur; non enim Christus in *Pentecoste*, si *diem* intelligas, cœlos conscendit, at vero intermedio illo tempore, scilicet die quadragesima post Resurrectionem.

Cæterum diem judicii in Pentecoste futurum, Tertulliani conjectura est, verbis *Act.*, I, 11, *supr. cit.*, infirmiter nixa; nam ibi solum dicitur QUEMADMODUM, ubi *modus veniendi*, non *tempus* significatur. Sicut enim in gloria ascendit, et *nubes* suscepit eum (*Act.*, I, 9), sic olim *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate* (*Matth.*, XXIV, 30). Sed quid de *illa* determinanda laboremus, de qua *nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater* (*Ibid.*, *v.* 36).

Festo. Jerem., XXXI, 8, ubi Septuaginta addunt ἐν ἑορτῇ φασεκ, *in solemnitate Phase*, seu *Paschæ*; quæ voces in Hebræo textu, et ab omnibus aliis Græcis (ut notat ipse S. Hier. *Comm. in Jerem.*

h. l.) proindeque etiam in Vulgata nostra Latina absunt, neque etiam ulla *Esdræ*, aut *Nehemiæ*, alterius-ve Scriptoris sacri testimonio constat, Judæos ex captivitate Babylonica, ut olim ex servitute Ægypti, in festo *Paschæ* reversos fuisse; de quo tamen reditu ex Babylone hic Jeremiæ sermo est. Quare illud LXX Senum additamentum solum mysticæ cujusdam significationis gratia accessisse videtur, in Christi utique Paschate et Passione verificatum, etc.

Festus. Dicta enim fuit SOLEMNITAS HEBDOMADARUM, ut supra *Not. Pentecoste.*

Nihil refert. Tempus enim effectui Baptismi, seu *gratiæ*, nihil addit, nihil demit, neque plus gratiæ adipiscitur, qui in die festo, quam qui quocunque alio, Baptismum consequitur. *Tempus aliud alii accommodatum: somni proprium, aliud vigiliæ, belli item et pacis. Baptismi tempus tota hominis vita est*, ait S. Basil., *Hom.* 13, *de Exhortat. ad Bapt.*

Notæ ad Caput XX.

Crebris. Adulti nonnisi tunc demum (extra casum scilicet urgentis necessitatis) ad Baptismum admittebantur, cum antea per varia pietatis, ac præcipue pœnitentiæ opera, in Catechumenatu suo (erat hoc tempus probationis, ac velut quidam ante Baptismum novitiatus) se dignos cœlesti hoc munere exhibuissent, necnon futuræ suæ in accepta semel gratia perseverantiæ magnam spem fecissent. De Catechumenis autem, eorumque classibus jam in *L. de Præscr.*, *cap.* XLI, diximus, quæ hic repetere non vacat. Licebat autem Catechumenis intra Ecclesiam, ac cum reliquis *orare*, ibique coram DEO suum Baptismi flagrans desiderium explicare, etc. Tum vero dimittebantur ex Ecclesia, Diacono, ut in *L.* VIII *Constit. Apost.*, *c.* 5 (quarum non S. Clemens, a tamen alius antiquissimus Author est) perhibetur, pro ipsis Deum orante: *Dominus clementer exaudiat obsecrationes et preces ipsorum, et recipiens eorum supplicationes tribuat eis auxilium, et concedat petitionem cordis ipsorum ad utilitatem*, etc.

Jejuniis. Ita rursus Author *Constitut. Apost.*, *l.* VII, 23, habet: *Ante Baptismum* JEJUNET, *qui baptizandus est.* Et infra: *Qui vero in ejus* (Christi) *mortem initiatur* (consepeliendus ei in Baptismo) *primum* JEJUNARE *debet, et postea baptizari.* Et S. Aug. in *L. de Fide et oper.*, *c.* 6, ait: *Sine dubio ad Baptismum non admitterentur, si per ipsos dies, quibus, eamdem gratiam percepturi, abstinentia,* JEJUNIIS, *exorcismisque purgantur*, etc. Sed et *Conc. Carthag.* IV, *Can.* 85, statuit: *Baptizandi diu abstinentia vini et carnium, et manus impositione crebra examinati, Baptismum recipiant.* Quanto enim corpus, jejuniis attenuatum, magis constringitur, tanto anima amplius dilatatur, capaciorque evadit, ad gratiam Baptismi eo copiosius recipiendam.

Geniculationibus. Geniculationes sunt, quas Græci γονυκλισίας vel γονυκλισίας, *genuflexiones*, appellant, jam antiquissimis temporibus in oratione adhiberi solitæ. Unde in *L. de Cor. mil. c.* 3. Noster *de geniculis adorare* dicit. Et in *L. ad Scap.*, *c.* 4, ait: *Quando non geniculationibus, et jejunationibus nostris, etiam siccitates sunt depulsæ?* etc.

Est ergo *geniculatio* signum *reverentiæ, submissionis*, aut *adorationis*; atque sic S. PETRUS, resuscitaturus Tabitham, *ponens genua oravit. Act.*, IX, 40. S. PAULUS, Mileto discessurus, *positis genibus oravit cum omnibus*, etc. (*Act.*, XX, 36). Idemque in *Ep. ad Ephes.*, III, 14, ait: *Hujus rei gratia* flecto genua *mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Quin et in Veteri Testam. inter orationes flectebantur genua. Nam et SALOMON in dedicatione templi prolixam illam orationem III *Reg.* 8, peragens, *utrumque genu in terram fixerat* (*Ib.*, v. 54). Et DANIEL, VI, 10, *orans flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat.* Sic et ESDRAS, (IX, 5) de se ipso dixit: *Curvavi genua mea, et expandi manus meas ad Dominum.* Sic et illi in Novo Testam. qui gratiam sanationis petituri ad Christum accedebant, genu flexu rogabant, ut *Matth.*, XVII, 40, *accessit ad eum homo* γονυπετῶν αὐτῷ, genibus provolutus *ante eum*, etc. Et Marci (I, 40), *Accessit ad eum leprosus, deprecans eum, et* γονυπετῶν αὐτόν, genu flexo, *dicit ei*, etc. Et sic alii alibi. Quid vero, quod Christus ipse in monte Oliveti (*Luc.*, XXII, 41) θεὶς τὰ γόνατα προσηύχετο, *positis genibus orabat?* Et hic est, quem DEUS *exaltavit... ut in Nomine* JESU πᾶν γόνυ κάμψῃ, *omne genu flectatur*, etc. (*Philipp.*, II, 10).

Maxime igitur convenit, etiam baptizandos in genua procumbere, et DEUM orare pro tam illustri dono, per quod, cum antea in peccatum lapsi fuissent, de-nuo erigantur ad salutem; namque, ut Author *QQ. ad Orthodox.* in *Resp. ad Q.* 115, ait: γονυκλισία σύμβολόν ἐστι τῆς ἐν ταῖς ἁμαρτίαις πτώσεως. *Genuum flexio signum est lapsus in peccata.*

Pervigiliis. Pervigilium, Græcis παννυχισμός, proprie loquendo, est longius durans, ac per totam noctem, vel saltem magnam ejus partem, protracta vigilia; cum alias *vigilia* simpliciter dicta, sit somni etiam per brevius tempus repressio. Utriusque discrimen accurate notavit Martialis, *l.* V, *Epig.* 70:

Nam *vigilare* leve est, *pervigilare* grave.

Unde et Arnob., *l.* IV *Instit.*, inquit: *Quibus sancta illa pervigilia consecrata sunt, et pannychismi graves*, etc.

Minime autem hic nobis sermo est de gentilium pervigiliis, de quibus *Cic.*, *l. II de LL.*, *ait: Novos Deos, et in his colendis* pervigilationes, *sic Aristophanes vexat*, etc. De his etiam Tacitus (*l.* V *Annal.*, *c.* 44) loquitur: *Lectisternia et* pervigilia *celebravere fœminæ, quibus mariti erant.* Sed apage ista, cum maximis plerumque obscœnitatibus conjuncta! nobis enim de longe sanctioribus pervigiliis agendum est, jam in prima Ecclesia, ut satis vel ex ipso *Tertulliano* nostro discimus, frequentatis. Erant autem hæc *pervigilia* aut *publica*, quæ ab integro cujuslibet Ecclesiæ cœtu, aut *privata*, quæ a singulis domi suæ celebrabantur. Illa singulis festis solemnioribus, atque *Martyrum* etiam memoriis, præmittebantur: hæc inter privata pœnitentium opera erant, præsertim, et frequentius, a baptizandis suscipienda: unde S. Greg. Naz. *Orat. in S. Lavacr.* ita Catechumenum instruit: *Bona tibi auxilia erunt ad ea, quæ desideras, consequenda*, vigiliæ, *jejunia, chameuniæ* (humi dormitiones) *orationes, lachrymæ, ærumnæ, indigentium opitulatio*, etc. Atque his *vigiliis* in Antiqua Ecclesia semper *jejunia* innectebantur, postea autem, ob subreptentes abusus abrogatis vigiliis, una cum solo eorumdem nomine, *jejunia* retenta fuere.

Delictorum. Sicut peccata nulli hominum in hac providentia remittuntur, absque prævia eorum per actum quemdam pœnitentiæ retractatione, ita et adultis ad remissionem peccatorum actualium, quam Baptismus præstabat, adeoque ad hunc ipsum *fructuose* suscipiendum, necessarii erant actus quidam pœnitentiæ, et quidem exteriori quodam signo manifestati, publica videlicet peccatorum confessione; ita enim antiquissima quoque monumenta testantur. Sic enim S. Justin. M. *in Dial. cum Tryph. p. m.* 177, dicit, etiam in antiquo Testam. ablutiones non profuisse, nisi antea pœnitentibus, ita inquiens: τοῦτο ἐκεῖνο πάλαι τὸ σωτήριον λουτρὸν ἦν ὃ εἶπετο τοῖς μετανοοῦσι, i. e. *Hoc illud olim* salutare *lavacrum erat, quod consequebatur eos* qui pœnitentiam *agebant.* Et cum istud *Isaiæ* prolixo testimonio confirmasset, subjungit: τοῦτ' ἐκεῖνο τὸ βάπτισμα, τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δύναμενον, *hoc est illud Baptisma, quod solum* pœnitentes *purificare potest.* Quanto autem id rectius ad Baptismum nostrum *Apol.* II. requirit, *p. m.* 73. ita inquiens: Εὐχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκομαι ὑμῶν συνευχομένων, καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς· ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστί, κ. τ. λ. *Orare autem et petere* jejunantes *a* DEO *præcedentium peccatorum remissio-*

nem (quomodo autem petent, nisi illa confitentes?) *docentur nobis una precantibus et jejunantibus. Deinde ducuntur a nobis in illum locum, ubi aqua est.* Atque hoc conforme est iis, quæ antiquissimus Author (qui olim credebatur fuisse S. Hieronymus) *Sermonis in Psal.* 41 *ad Neophytos* habet : *Per omnem quadragesimam vacaverunt orationi, atque jejuniis, in sacco et cinere dormierunt, futuram* (per Baptismum) *vitam* peccatorum suorum confessione *petentes*, etc. Atque ita quoque præparatum CONSTANTINUM M. IMP. ad Baptisma suscipiendum accessisse, Euseb. *in Vita ejusd.*, *c.* 61, perhibet : *Hæc cum secum reputasset, genuflexo humi procumbens, veniam a* DEO *supplex poposcit, peccata sua confitens in martyrio*, etc., loco videlicet, in quo monumenta, seu *sepulchra Martyrum*, visebantur.

Et ne putemus, exemplum tam augustum sequela destitutum fuisse, audiamus Socratem, Sæc. V. Scriptorem, qui *L.* V *Hist. Eccl.*, *c.* 17, de *Serapidis* templo subverso agens, ait : *Multo plures ad Christianam Religionem se contulerunt, et* peccata sua confitentes, *Baptismum Christi susceperunt.* An vero hæc confessio, Baptismo ab adultis præmittenda, fuerit peccatorum *in specie*, an *generalis* duntaxat, etiamnum inter Criticos controvertitur. Certum autem est, *Sacramentali* nostræ Pœnitentiæ in *Baptizandis* locum non fuisse, cum Baptismus ipse ad reliqua Ecclesiæ nostræ Sacramenta initiatio quædam sit, ad illa *valide* suscipienda, et conficienda, homini *capacitatem* tribuens.

Exponant, i. e. *exhibeant* in se *exemplum*, sumpta, ut ait Junius *in h. l. propolis*, merces suas exponentibus, metaphora. » Itaque in Baptismo nostro a nobis quoque exhibendus est *Baptismus Joannis*, velut Baptismi Christi prodromus. Vide supra, *cap.* X, *not. Præministrabat.*

Delicta sua. Nunc pro *non* hic legit Junius, ut etiam *l. I. de Veland. virg.*, *c.* 1, ubi plerique codices habent : *Hunc* (Christum) *qui audierunt, usque* NON *olim prophetantem, virgines contegunt*, substituendum NUNC censet : quod sane ipsa ratio postulare videtur, præsertim quod is librariorum error in aliis quoque scriptis sæpenumero occurrere soleat, ut critici perhibent.

Enim. Facit hæc particula, ut emendationem *Junii* probem; quæ enim alias *conflictatio carnis et spiritus*, si NON opus est *publica* illa *confessione?* Cæterum autem ex hoc ipso prope inducor, ut credam, confessionem illam tunc temporis, non generalem duntaxat, sed *particularem* quoque, saltem peccatorum alias jam *publice* patratorum, fuisse; quæ enim alias in illa difficultas fuisset? Vide supra *Not. Delictorum.*

Conflictatione, i. e. *mortificatio*, quæ ex illa ipsa *conflictatione* gravem naturæ nostræ molestiam parit; *caro* enim *concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur*, ad Gal. V, 17. Utrique enim humiliatio ista gravis accidit: spiritui quidem ob nativam suam nobilitatem ac præstantiam, imo et innatam ex peccato superbiam : carni vero ob nativam suam inertiam, generosos ejusmodi ausus refugientem; nam et ad hos *spiritus* quandoque *promptus est, caro autem infirma.* Matth., XXVI, 41.

Conseculturum. Sic enim Christus, in monte prædicans, *beatos* eos dixit, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Beati estis* (sic pergit), *cum maledixerint vobis, et dixerint omne malum adversum vos*, etc. *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis; sic enim persecuti sunt Prophetas*, etc. *Matth.*, V, 10 et seqq. Atque hoc est, quod *Paulus* et *Barnabas* tam sollicite suis inculcarunt documentum : *Quoniam per multas tribulationes* (tentationes) *oportet nos intrare in regnum* DEI. Aliqui credunt, a Tertulliano potius hic illud *Matth.*, XIX, 20, respici : *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum.*

A Lavacro, seu *post lavacrum.*

Jejunare oportet. Sicut Christus non ante, sed post Baptismum, jejunium suum incœpit.

Salutis. Intelligit hic festum *Paschatis*, quod *Sabbato sancto*, tanquam dici ad solemnem Baptismum singulariter olim deputato (*Cap. præc.*) immediate succedit; est enim ipse Paschalis jubilus gratulatio mutua nostræ salutis, quam in Adam mortui, cum Christo autem ad novam vitam resurgentes, recuperavimus. Ecce igitur jam antiquissimam originem *gratulationum Paschalium*, quas, charitatis mutuæ inter Christianos olim tesseram, sæculi hujus vafer genius mendacibus plerumque verborum formulis et inanibus cæremoniis, involvere solet.

Porro autem Paschali lætitiæ jejuniorum tristitia minus convenit, atque adeo Ecclesia ex his solemnibus, quin et toto Paschali tempore, jejunia expuncta voluit. Insuper vero et diem quamlibet Dominicam (quoniam et hanc Christi Resurgentis memoriæ sacram esse voluit) jejunio obnubilandam haud esse, Ecclesia constituit, ut ex *Can.* 15 S. Petri Alexandrini, qui Sæc. III. cadente floruit, constat, in quo cum jejunia Dierum *Mercurii et Veneris* probasset, ait : *sed, quoad Diem Dominicam, est dies hilaris, quia Jesus Christus in illa die resurrexit.* Quid vero quod in Conc. Gangrensi, A. C. 570 habito, Can. 18, etiam *anathemate* perculsos eos inveniamus, *qui vitam austeriorem prætexentes Die Dominica jejunant?* Neque id mirum videri debet; quoniam *Manichæis et Priscillianistis*, qui Dominicam jejunio velut diem legitimum statuebant, communicasse censebantur. Unde S. *Aug. in Ep.* 86. *ad Casulanum de jejunio Sabbati*, etc., agens, ejusmodi jejunia *magnum scandalum*, et *horribile* appellat.

In ipsum, nempe tentatorem diabolum.

Divinis copiis, scilicet *Manna* de cœlis quotidie depluo. *Exod.* XVI, 4 *et seqq.*

Quam Dei. Quando nempe ingratus ille et gulosus populus identidem lamentabatur : *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?... Anima nostra arida est : nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Num.*, XI, 4 et 6.

Aquam, i. e. Baptismum suum in Jordane.

Dei. Hæc vox merito redundare visa fuit Junio.

Verbo. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI. Matth., IV, 4. Atqui hæc sententia a Christo ex *Deut.* VIII, 3, huc translata fuerat, ubi Moyses ad populum, beneficia DEI, et afflictiones eidem in deserto immissa, commemorans : *Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum Manna; ... ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore* DEI. Atque hæc est illa *figura Israelis*, ex qua supra Noster dicit, *exprobrationem* a Christo in diabolum *retortam* fuisse.

Elidi. Elegans metaphora! *Elidi* autem proprie dicuntur, quibus venæ colli majores (quæ alias *lisæ*, Græcis σφαγιτίδες appellari solent) incidunturSic enim Celsus *l. IV de re medica*, *c.* 1, ait : *Sunt autem lisæ, teste Donato, venæ majores gutturis, quibus intersectis animal confestim emoritur; unde* elisum, *quod ex tali caussa mortuum est.* Et sic de aliis quoque violenta morte sublatis, eos *elisos* esse dicimus, ut Suetonius *in Caligula*, *c.* 26, dicit : *Elisaque sunt per eum tumultum* 20 *amplius equites Romani.* Quin etiam *ægritudine elidi* Tullius, *Tuscul. QQ. L. V*, habet.

Natalis. Est enim *lavacrum regenerationis*, secundum illud Christi ad Nicodemum : *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum* DEI (Jo. III, 3). Hominis ergo primus *Natalis* est ex *matre*, quoad *corpus* : secundus ex DEO, quoad *animam*, quæ mortua per peccatum, renascitur per Baptismum. Atque hi sunt, *qui non ex sanguinibus*, etc., *sed* EX DEO NATI *sunt.* (Joan. I, 13).

Matrem. Commode hic Ecclesia intelligi potest, *quæ sursum est Jerusalem, quæ est* MATER NOSTRA, *ad Gal.* IV, 17.

Fratribus. Nos *autem* FRATRES, *secundum Isaac*

promissionis FILII *summus*. Ib. v. 28.

Peculia. Non *temporalia* tantum, sed *spiritualia* maxime, novæ huic vitæ sustentandæ necessaria, aut mire conducentia.

Apertum est vobis. *Matth*. VII, 10 *et seqq*. Tandemque ibi Christus subjicit: *Si ergo vos, cum mali sitis, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis* PATER *vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se*.

Peccatoris. Insigne humilitatis specimen! Quam autem alius a se ipso Tertullianus, deinceps *Montani* sui *spiritu* (non *afflante* utique, sed *inflante*) tumens!

DISSERTATIO,

DE AFFINITATE INTER BAPTISMUM ET PŒNITENTIAM, SEQUENTIS LIBRI AUTHORE, ET EJUSDEM SCRIPTI TEMPORE.

I. Postquam ergo Tertulliani *Librum de Baptismo* absolvimus, non recto quidem et communi Sacramentorum nostrorum ordine, attamen neque *per saltum*, ad ejusdem *Librum de Pœnitentia*, pariter notis quibusdam illustrandum, deferimur; nam et ipse Author Sacramenta intermedia, *Confirmationem* et *Eucharistiam*, non penitus transiliit, sed illam quidem in prioris sui Libri *Cap*. VI et VII velut quoddam *Baptismi* complementum, haud perfunctorie tractavit: hanc vero *Cap*. XVI (ut ibi notavimus) saltem leviter attigit.

II. Est autem præterea singularis quædam, vel ipsius necessitatis ratione, inter *Baptismum* et *Pœnitentiam* connexio. Cum enim rerum omnium Creator DEUS Primum Hominem in hoc Universum, ceu patentissimum mare quoddam, effudisset, ac toti humano generi deinceps velut *Archithalassum* dedisset, is vero noxiæ cupiditatis suæ fluctibus abreptus, navim suam in durissimum scopulum *Peccati originalis* allisisset, ac non sui solius, sed nostrum omnium miserrimum naufragium fecisset, immensa SALVATORIS nostri BONITAS *primam* nobis porrexit *tabulam*, BAPTISMUM, qua arrepta in portum salutis denuo emergeremus. At vero cum in ipso hoc *portu* plurima hominum, novis rursus fluctibus involvendorum, *naufragia* futura prænosceret, labefactatæ nimiumque instabili voluntati nostræ, idem Sacramentorum Institutor Christus *secundam post naufragium tabulam* POENITENTIAM, nobis projecit, qua adjuti denuo in securum littus enataremus. Atque hic quidem ille BAPTISMUS est, quem Conc. Trid. *Sess*. XIV, *Cap*. 2. LABORIOSUM appellat; in quo sane per ardua Pœnitentiæ opera vehementer elaborandum est, ut delicta non jam alieno aquarum fonte, sed propriis nostris lacrymis eluamus.

III. Itaque sequens Liber priori eo aptius a nobis subjungitur, quod prior ille in ipsam Pœnitentiam, tanquam præparationem Baptismo in adultis necessariam, desierit, hic vero, idonea velut commissura, eandem latius prosequatur, et illam quoque Pœnitentiam, quæ post Baptismum relapsis superest, enucleatius pertractet.

IV. Non una autem inter Baptismum et Pœnitentiam differentia est. 1° quidem ratione *finis*; est enim Baptismus institutus præcipue ad delendum *peccatum originale*, et reliqua in adultis eidem adhærentia; deinde ut per illum homo aggregetur Populo DEI, fiatque membrum Ecclesiæ; neque enim alius ad eamdem, quam per hanc Baptismi, omnium Sacramentorum primi, et cum primis necessarii, *januam*, ingressus patet. At vero Pœnitentia adhibenda est ad delenda peccata *actualia*, ac præcipue ea, quæ post Baptismum deinceps commissa sunt. 2° ratione *effectus*; nam in Baptismo una cum *culpa* auferitur quoque omnis *reatus pœnæ*, tam *æternæ*, quam *temporalis*: Pœnitentiæ autem quoad posteriorem hunc, non jam eadem efficacia est: remanet enim pœna temporalis in purgatorio persolvenda, nisi in hac vita pro peccatis plena *satisfactio* per opera pœnitentiæ præstita fuerit. 3° ratione intrinsecæ suæ *naturæ*; Baptismus enim est *regeneratio*, spiritualis nimirum, et secundum *animam*, quæ, sicut generatio *carnalis*, nonnisi semel fieri potest; atque ideo Baptismus in eo, qui eumdem semel valide suscepit, *reiterari* nequit, hinc velut impresso quodam sigillo, *charactere* videlicet, obsignatus. At Pœnitentia fit in forma *judicii* in quo homo tanquam *reus*, suique simul *accusator*, a delictis suis absolvitur. Sicut autem reus post novum quodlibet delictum, atque relapsum, ad tribunal humanum pertrahi potest, ita post Baptismum lapsus, cum semel pœnitentiam egit, eadem, cum denuo relapsus fuerit, toties eidem iteranda est, ideoque nunquam charactere quodam obsignatur, quoniam nec misericordia DEI deinceps eidem occluditur. 4° ratione *necessitatis*; Baptismus enim omnibus hominibus, etiam *parvulis* (qui tamen nonnisi *peccato originali* coinquinati sunt) ad salutem necessarius est: pœnitentia vero solis *adultis*, qui peccatis propria voluntate, seu ante, seu post Baptismum commissis, obnoxii sunt; nec de *peccato originali* vera ac proprie dicta pœnitentia, sed nonnisi in latiori sensu, cujuslibet nimirum displicentiæ ac detestationis mali præteriti, agi potest. Consulto autem prætereo alias differentias; cum impræsentiarum de *Sacramento Pœnitentiæ* abstrahere animus sit.

V. Nunc ad AUTHOREM hujus Libri veniendum est: quem quidem *Tertullianum* esse, nemo neque olim dubitavit, neque nunc dubitat. Unus erat *Erasmus Roterodamus*, eumdem Tertulliano detrahere conatus, quem nonnisi *Beatus Rhenanus* secutus est, uterque uni huic argumento, satis utique imbecilli, innixus, *styli diversitati*. Atque hunc quidem non nego in hoc libro paulo *floridiorem* esse, sed non magna a reliquorum, etiam quos extrema ferme ætate scripsit, diversitate, et solum in quibusdam *allegoriis* ac *metaphoris* paulo illustrioribus sita. Quod si vero similes flosculos ex aliis ejusdem areolis decer-

pere vacaret, facile integras corollas nectere possem.

VI. Cæterum ex sola et quacumque *styli* discordantia, nisi aliorum, et graviorum quidem, argumentorum adminicula concurrant, vix authorem suspectum fieri, ne dicam, aliquid contra eumdem decerni posse, pridem sensere alii optimæ notæ Critici, ex quibus vel unum adduco *Guilielmum Cavum*, qui in *Hist.* suæ *Liter. Prolegomenis Sect.* IV, *n.* 64. tum demum νοθεύσεως seu suppositionis, argumentum præberi ait, *si stylus, totiusque orationis contextus, sit* LONGE DIVERSUS *ab eo dicendi charactere, quo in genuinis suis usus est auctor.* Atquin vero adeo non *longe diversum* quivis legens deprehendet, ut potius præter paucas quasdam phrases, paulo excitatiores, et in aliis Tertulliani scriptis vix occurrentes, Afrum illud, ac concisum eloquii genus, uni ferme Tertulliano proprium, illa deinde styli velut quædam majestas, sensuumque in singulis prope verbis ubertas, illa grandis eloquentia, quæ, utut dura sit, nescio quomodo tamen lectorem vel invitum ad se rapere potest, non minus in hoc libro triumphet: ut nil dicam de aliis phrasibus, ex aliis ejusdem libris tam sedulo expressis, quas suis locis studio e annotabo.

VII. Fatetur dein ipse Beatus Rhenanus, *authorem hujus libri verbis et figuris iisdem uti, et quisquis fuerit, ejus indubie esse sæculi, et Tertulliani studiosissimum*; quidni vero TERTULLIANUM ipsum? quis enim alius stylum ejus, certe *singularem*, et vix a quopiam imitabilem, tam scite expresserit, ut apud *S. Pacianum*, Sæc. IV. scriptorem, omnesque alios per plus quam XI Sæcula ad *Erasmum* usque, pro ipso *Tertulliano* fefellerit, et nulli unquam ex styli diversitate quidpiam de alio Libri hujus authore subluerit?

VIII. Tandem ergo ex illa qualicunque demum styli discordantia plus argui non posse censemus, quam Tertullianum, cum adhuc vegetiori esset ætate vivaciorique ingenio, hanc scriptionem suscepisse. Solent enim ingenia ejusmodi fervida ac agilia, instar apum per varios flores circumvolitare, atque ex alienis etiam rebus allegorias et metaphoras exsugere, suumque in alvear comportare, etc. Solet item ætate sensim provectiori subsidere stylus, temperatiorque et robustior fieri. Sic quoque ipse Oratorum Princeps ULLIUS Orationes suas *pro P. Quinctio*, et *Roscio Amerino* (quarum priorem, omniumque primam, annos, ut A. Gell. *Noct. Attic.* lib. XV. cap. 28. perhibet, natus 26, alteram mox anno seq. in judicio dixerat) floridis ejusmodi elegantiis, posteriorem præsertim, nonnihil intemperantius conspersisse (nimirum *a Malone*, ultimo magistro suo ab hac sermonis ubertate frustra cohibito illius tam vivido florentique ingenio) quibusdam videtur, ab aliis vero laudatur etiam; nam adultiori sensim ætate, sponteque decido hoc florum ornatu in fructus eo constantiores maturescebat, atque velut consolidabatur virilior deinceps eloquentiæ gravitas ac majestas.

IX. Et denique haud facile scriptorem quisquam reperiet, qui perpetuo sibi constet, præsertim si non uno continuo opere protraxerit, sed per varias, neque cohærentes materias, variis temporibus, annisque ipsis interpolatas, circumduxerit calamum. Est enim quædam suapte natura tristior aut humilior, atque exsucca magis, quæ juvenilis quoque ingenii vigorem satis retundat atque deprimat, et ad quam succulenta cæteroquin virorum eloquentia exarescat: est autem alia rursus materia suavior, amœniorque, et ipsius auctoris genio accommodatior, quæ languidius cæteroquin ingenium satis excitare ac stimulare queat: est denique ita vivax, ac radiosum quidpiam diffundens, quæ scribentem penitus incendere, ac inflammare, quin et ex senectute jamjam cineritia diu consopitos igniculos quandoque suscitare valeat. Sunt deinde alia quoque, scribenti aliunde, ac velut per obliquum, advenientia, quæ tamen ad ejus ingenium, ut ita dicam, alterandum, quandoque multum possunt. Quid mirum igitur, si neque Tertullianus undequaque sibi constet, sed, cum primitus, licet jam adultiori ætate, se ad scribendum contulit, nonnihil alacriori stylo usus fuerit, deinceps in aliis ejus libris nonnihil magis subsidente, majorique eruditionis apparatu ornatum velut compensante. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, quanquam nonnihil prolixius, dicta sunto.

X. Si jam vero TEMPUS ipsum scriptionis, paulo propinquius (quamquam id præcise fieri nequeat) designandum sit, ita opinor, hanc tractationem certo ante *A. C.* 200, et verisimiliter anno 197, aut fortasse maturius, literis consignatam fuisse, certe autem et hujus, et alterius de Baptismo scripti, tempus haud procul invicem distare.

XI. An vero librum *de Baptismo* huic *de Pœnitentia*, an hunc illi, scribendi ordine, subjunxerit, vix quidquam determinari potest. Verisimilius tamen, mihi quidem videtur, subjunxisse; si enim hunc de Pœnitentia præmisisset, credo, in cap. ultim. de Baptismo, ubi de Pœnitentia Baptismo instar præparationis præmittenda, agit, hujus, ceu jam alibi fusius pertractatæ, nonnullam mentionem facturum fuisse. Certe autem, in ipso libro de Baptismo, ad finem cap. 15, Lectores suos ad alium de eodem tractatum, jam antea græco sermone exaratum, solerter remittit. Quis ergo male videbitur opinari, si materiam hanc de Pœnitentia, quam ad calcem libri de Bapt. nonnihil brevius perstrinxerat, novo consilio, et in peculiari libro ampliorem ejus tractationem postea suscepisse dicatur, et quidem partim in Catechumenorum gratiam, ut hi eo majorem de Baptismi pretio æstimationem conciperent, quem intelligerent tam laboriosis pœnitentiæ operibus comparandum esse? Quidni ergo in his se eo ardentiori deinceps studio exercerent, ut tam largiter propositum Baptismi præmium, ejusque gratiam, eo certius consequerentur, eoque tutius deinceps conservarent?

XII. Denique vero præclarum de hoc libro judicium audiendum est, quod ipse beatus Rhenanus, vir magni judicii, in præmisso ad eumdem argumento tulit, nempe *Commentarium hunc esse ejusmodi, ut theologi eum debeant ad unguem ediscere; nam egregium*, pergit, *monumentum est antiquitatis; tam sancte*

docet, tam pie suadet, tam instanter urget rem ecclesiasticæ disciplinæ summopere necessariam, exomologesin, *hoc est, actum, et ministerium Pœnitentiæ*. Certe autem ut passim ex Tertulliano veteris Ecclesiæ traditiones et disciplinam addiscimus, ita etiam hic, insigni contra novatores nostros utilitate, modum agendæ pœnitentiæ, prout ea primis mox sæculis, et utique ex Apostolica institutione, agi consueverat, pulchre solideque docemur. Sed jam potius ad rem ipsam pergamus.

LIBER DE PŒNITENTIA.

Caput I. *Pœnitentiam de malis tantum, non de bonis operibus, esse oportere.*

II. *Veram Pœnitentiam esse, quæ de malis, seu offensis* DEI, *est.*

III. *De omnibus peccatis, seu* externis, *seu mere* internis, *pœnitentiam agendam esse.*

IV. *Adhortatur ad Pœnitentiam amplectendam, tam necessariam delinquentibus, quam utilem.*

V. *Pœnitentiam novis peccatis non obliterandam, neque animo solum, sed ipso quoque opere perficiendam esse.*

VI. *Non propterea Catechumenis non opus esse pœnitentia, quod per Baptismum ipsum peccata denique delenda sint.*

VII. *Post Baptismum lapsis rursus pœnitentiam agendam esse.*

VIII. *Toties Pœnitentiam agendam, quoties quis peccaverit, exemplis S. Scripturæ confirmatur.*

IX. *Quid sit Exomologesis, et quæ præcipua ejusdem opera?*

X. *Confessionem peccatorum publicam non erubescendam, nec differendam esse.*

XI. *Neque corporis incommodis nos ab agenda pœnitentia absterreri oportere.*

XII. *Adhortatio ad pœnitentiam, propositis exemplis confirmatur.*

Notæ ad Caput primum.

Pœnitentiam. Pœnitentia S. Isid., Ep. Hispal., lib. IV. Orig., c. 19, *appellata* fuit *quasi* punientia, *eo quod ipse homo in se* puniat *pœnitendo, quod male admisit.* Idem ferme ait auctor lib. *de Vera et falsa pœnit.* (olim S. Augustino adscripti), c. 19, inquiens : Pœnitere *idem est ac* pœnam tenere, *ut nempe homo semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando.* Græcis dicitur μετάνοια, *mutatio mentis*, seu *prioris sententiæ*, a μετανοεῖν, quod est *post intelligere*, seu *post factum sapere.* Hoc eodem sensu dicitur quoque μετάγνωσις, μετάγνοια et μεταμέλεια.

Hoc genus hominum. Gentiles, eorumque præcipue philosophos hic taxat.

Retro fuimus. Nam Tertullianus, gentilibus parentibus ortus, atque in gentilismo educatus, nonnisi jam sat grandis natu ad Christiana sacra se contulit, ut in *Vitæ* ejus *epitome*, lib. *de Præscript.* præmissa, suomet testimonio, ex *Apolog.*, c. 18, deprompto, indicavimus.

Dei lumine. Fide nimirum, quæ supernaturale *lumen* animæ est.

Natura tenus, i. e., secundum *rationis naturalis* ductum duntaxat, seu quousque se extendit ipsum lumen intellectui nostro innatum.

Sententiæ prioris. Generalis hæc definitio est, ex philosophia morali petita. Itaque pœnitentiam esse ait *motum, alterationem*, vel *affectum* quemdam animi, cum *molestia* quadam conjunctum, ortumque ex *sententiæ*, seu *opinionis* prioris, ex qua quidpiam actum est, aversatione. Cum enim quis jam intelligit, se antea minus recte egisse, itaque etiam detrimentum aliquod vel incommodum incurrisse, in animo deinceps quidam motus exurgit, ex sensu illius *molestiæ*, seu *offensæ* ortus. Itaque sententiam suam priorem jam mutat, et retractat, concepta in eamdem displicentia et odio quodam, in quo veram rationem pœnitentiæ positam esse, philosophi illi arbitrantur. Atque sic *pœnitere* (quidam apud A. Gell., lib. XVII *Noct. Att.*, c. 1, aiunt) *tum dicere solemus, cum quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus.*

Ratione, seu vera *notione*, ac *definitione.*

Auctore. Supple : *recte cognoscendo.* Et quomodo cognoscerent, qui adeo excæcato intellectu erant, ut Divinitatem in sideribus, hominibus, brutis, et vilissimis quibuslibet creaturis, reponerent?

Ordinavit. Omnia enim hæc fecit secundum consilia infinitæ SAPIENTIÆ suæ.

Extraneis, i. e., *Extra* veri Dei cognitionem *positis*, ac ab eadem alienis.

Procellam. De florida hac allegoria jam in *Diss. Interc.* diximus.

Deversentur. Hoc quoque verbo utitur in lib. *adv. Valentin.*, c. 30, ubi : *Qui deversatus in mundo*, etc. At alii codices, et utique melius, *diversentur* habent. Cæterum utrumlibet a Tertulliano dictum credamus, semper hæc dictio per *conversentur* magis latine exponetur.

Expedire. Pro refellere, aut extra dubium collocare.

In ingratiam, seu *ingratum, molestum*, aut *injucundum* accidit. *Ingratia* ergo (obsoleta vox) hic sumitur pro *displicentia* de facto alterius. Hac quoque voce mox, *cap.* 2, utitur. Cæterum geminus huic locus est *l.* II *adv. Marc.*, *cap.* 24, ubi ita : *Non enim si hominem ex recordatione plurimum delicti, interdum et ex alicujus boni operis ingratia pœnitet, ideo et Deum proinde.*

Irrogatur. Pro *adhibetur*, vel *impenditur*, aut *imponitur, infertur*, etc, ut Plautus in *Captiv.*

His diem dicam, et irrogabo malitiam.

Et *pro domo sua* Cicero : *Vetant* XII *Tabulæ, leges privatis hominibus irrogari.* Sed et Tacitus *l.* IV. *Annal. c.* 10, de *Druso* ait, exhausto veneno suspicionem auxisse, *tanquam sibimet irrogaret mortem, quam patri struxerat.* Kursus Cic. pro Rabirio, *mulctæ irrogationem* dixit. Alii *irrogare* pro *erogare* accipiunt, cujus idem ferme cum priori sensus est. De voce *erogandi* jam in *l. de Præscr. Cap.* II, *Not. In actu*, sed alio sensu, diximus. Sed hæc grammaticorum sunto.

Contra, omnino accentu notandum, ut significet *e contrario*, vel *ex adverso.*

Notæ ad Caput II.

Rationis. Quippe *res Dei ratio*, et divino munere nobis data, ut supra Noster dixit.

Merita, i. e. *momenta*; quo sensu jurisperiti *merita causæ* dicere solent. Potest etiam pro *utilitate*

hic accipi, aut pro *beneficio*.

Exponerent. Seu velut ad stateram *ponderarent*.

Tenerent. Non parantes sibi materiam, toties et tamdiu pœnitendi.

Saluti. *Quæ secundum Deum tristitia est*, PŒNITENTIAM in SALUTEM stabilem operatur. II. Cor. VII, 10.

Auspicata. Etiam alibi hoc verbo *auspicor* passive utitur Noster, ut in *l. de Pat. c.* 5. ait : *Patum cum sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam*. Et in L. de Cor. Mil. c. 1 : *Ibidem gravissimas penulas posuit, relevari auspicatus*. *Auspicari* est autem proprie *aves spicere* (sic enim veteres dicebant pro *aspicere*) cum ex earumdem *volatu, cantu*, aut *pastu, auspicabantur*, seu *auspicia* capiebant, nihil enim nisi consultis *avibus* aggredi solebant, tum demum *auspicato* ac *feliciter*, *bonisque auspiciis* et *avibus* se negotium suum incœpisse rati.

Invenitur quoque apud veteres activum *auspico*, ut apud Plautum in *Persa : Ego auspicavi hunc diem :* et in Catonem de Consul. suo : *Postquam auspicavi, et exercitum*, etc. Sed utique nimius sum in his tricis grammaticis.

Dote. Paradisum cæteraque dona temporalia, Adamo collata, intelligit.

Maturavisset, i. e. se *mature*, seu *tempestive*, ac congruo tempore recepisset Deus. Inter *maturare* et *properare*, seu *accelerare* interesse videtur, quod istud meram *celeritatem*, illud vero *celeritatem cum consilio* significet. Itaque nulla celeritati *mora*, at maturationi admixta est. Sic etiam nocet quandoque *celeritas*, nunquam *maturatio ;* unde illa *Augusti Cæsaris* Græca vox erat : ΣΠΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ, FESTINA LENTE. Nimirum maturare velut ex duobus, alias inter se adversis, coalescere putabat, *industriæ celeritate*, et *diligentiæ tarditate ;* quæ utraque si rite attemperata fuerit, *maturum* esse negotium dicimus, jamque *tempestive* fieri. Sic etiam fructus nimium celeres, naturaque velut properante protrusos, *præcoces* dicimus, raro sapidos, atque durantes : qui vero lentioribus, quam par esset, incrementis crescunt, rarius *maturescunt*, sed plerumque *cruda* manent, nec usui au esui apti sunt.

Propterea vero non nego, *maturare* aliquando pro *properare* ac celeriter agere, accipi. Adduci hic meretur elegans illa sententia, quam S. Cypr. in *Ep. ad Donatum* habet : *Accipe, quod sentitur, antequam discitur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur, sed compendio gratiæ* maturantis *hauritur*.

Dedicavit. De hoc verbo vide *l. de Bapt. c.* XIX, *not. Dedicata*. Plerumque autem Noster hoc verbo utitur, cum novam quamdam rem significare vult, ut in *Apol. c.* 12, ait : *In patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur ;* et in *l. de Anim. c.* 19. de infante recens nato : *Omnes*, inquit, *simul dedicans sensus, et luce visum, et sono auditum*, etc. Item in l. *de Resurr. carn. c.* 11, A *Deo universitatem* (mundum hunc) *dedicatam* dicit. Videtur ergo in his et similibus pro *initiare* accipi ; quo sensu ait, Deum in *semetipso pœnitentiam*, nobis velut in exemplum, *dedicasse*.

Cæterum *pœnitere* de Deo, ut alia ejusmodi affectuum humanorum propria, ἀνθρωποπαθῶς dicitur. *In hominibus* (ait S. Augustin. *L.* II. *ad Simplic. q.* 2.) *opus pœnitendi est, cum reperitur voluntas mutanda: sed in homine cum* dolore *animi est ; reprehendit enim in se, quod temere fecit. Auferamus ergo ista*, pergit, *quæ de humana infirmitate, atque ignorantia veniunt, et remaneat solum* VELLE, *ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat ; sic potest intimari menti nostræ, qua regula intelligatur, quod* pœniteat DEUM. *Cum enim* pœnitere *dicitur*, vult non esse *aliquid, sicut fecerat, ut esset ; sed tamen id, cum esset, ita esse debebat, et cum ita esse jam non sinitur, jam non debet ita esse, perpetuo quodam et tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta* mutabilia INCOMMUTABILI VOLUNTATE *disponit*. Et rursus *in Ps.* 151 : *Cum* mutat *opera sua per* incommutabile *consilium suum, propter ipsam non* consilii, A *sed* operis *mutationem*, pœnitere *dicitur*. Similia invenies apud eumd. in *L* LXXXIII. *QQ. q.* 52 et apud authorem *L. de essentia Divinit.* inter opera S. Aug.

Irarum, Enimverò *irascitur* Deus quoque : minime vero sicut homo. *Ira hominis* (rursus ait S. Aug. *L.* II. *ad Simpl. q. cit.*) *turbulenta est : ira vero Dei, illo in* TRANQUILLITATE *jugiter manente, in creaturam subditam exercet admirabili æquitate vindictam... De ira hominis detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictæ vigor, atque ita utcunque assurgo in notitiam illius, quæ apellatur* IRA DEI. Vin'etiam adjungam ea, quæ *L.* I. *contr. Advers. Legis et Proph. cap.* 20, habet? *Quando Deus pœnitet*, NON MUTATUR, *et* mutat; *sicut quando irascitur*, NON MUTATUR, *et* vindicat.

Imagini suæ, i. e. homini *ad imaginem suam* creato. *Gen.* I, *v.* 26. sqq. Recole, si lubet ea quæ *c. V de Bapt. Not. Ad imag. Dei*, 1159 A. sat copiose diximus.

Congregavit. Ut Exod. 6. v. 7. *Deus dixit : Assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus*, etc. Sic B et plurimis in locis alibi.

Hortatus est. Ilis pleni sunt sacræ Historiæ Libri, præsertim vero Liber *Exodi* et *Judicum* ejusmodi exemplis scatent.

Prophetando. Dativum esse ait *Rhenanus*, idemque esse ac *ad prophetandum*.

Emisit. *Emittere* vel simpliciter *mittere* Nostro significat, vel cum majori emphasi *ex se mittere*, ut *nomine suo*, Dei nempe, prophetarent.

Illuminaturus. Hoc in die Pentecostes per *linguas* illas *igneas* impletum fuit, Petro mox ad concionem, *Act.* 2, *v.* 17 et 18, in hæc verba disserente: *Hoc est, quod prædictum est per Prophetam Joel : Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus), effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, et *prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ*, etc. Hoc ipsum, quod ante prædictum fuit *Is.* 44. *vers.* 3, ubi Deus: *Effundam Spiritum meum super semen tuum*, etc. Cæterum *universo orbi illuminare*, ex Græca phrasi depromptum videtur, qua in Cantico C Zachariæ. *Luc.* 1, *vers.* 79, habetur : ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, i. e. ILLUMINARE (lumen afferre) HIS, *qui in tenebris et umbra mortis sedent*.

Intinctionem, seu *Baptismum pœnitentiæ*, quem *prædicabat* Joannes *in remissionem peccatorum*. Marc. 1, v. 4.

Destinatam. Nimirum *Gen.* 12, *v.* 3, ubi Deus ad Abraham : *In te benedicentur universæ cognationes terræ*. Et Is. 41, v. 8: *Semen Abrahæ, amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terræ,... et dixi tibi: Servus meus es tu, ego elegi te, et non abjeci te*, etc. Et sic sæpissime alibi.

Subsignationem, i. e. *subscriptionem*, quæ instar conditionis illi promissioni annexa fuit, ut et populus Israel ad pactum illud servandum pariter se obligaret.

Componeret, pro *disponeret*, aut *adaptaret*, monente S. Joanne: *Parate viam Domini*, etc. Marc. 1, v. 3.

Adpropinquabit. Sic enim *Matth.* 3, *v.* 2, Joannes ad populum in deserto: *Pœnitentiam agite; appropinD quavit enim regnum cœlorum*.

Error vetus. Peccatum Originale.

Ignorantia. Peccata per *ignorantiam* (*vincibilem* nimirum ac *culpabilem*) commissa.

Verrens. Ac quasi *scopis* (his enim proprie *verrimus*) *expurgans;* ut *Matth.* 12, *v.* 24, dicitur : *Invenit eam scopis mundatam*.

Radens. *Raduntur* eæ maculæ, aut alia, quæ nonnihil profundius insedere; hinc et barbam *radere* dicimus, etc.

Putet. Ad eumdem in *Baptismo*, plenius autem per subsequentem *Manuum impositionem*, recipiendum.

Libens. Nihil jam in hoc suo hospitio indecorum, quin vero omnia munda, seque digna inveniens.

Causa. Finalis nimirum.

Hæc opera. *Opera* hic sumitur pro *labore*, ut in *L. de Pat. c.* 16, idem Noster : *Hæc patientiæ ra-*

tio, hæc disciplina, hæc opera *cœlestis, et vera*, etc. Et in L. *de Resurr. carn.* c. 15 : *Negent* operarum *societatem, ut merito possint etiam mercedem negare.*

Homini proficit, i. e. ad profectum ejus conducit, ut in *L. de Bapt. Cap.* VII.

Ratio ejus, Pœnitentia videlicet.

Discimus. Hoc enim ignorato veram pœnitentiæ rationem ignorari necesse est : Vid. supra Cap. I, ubi : *Igitur ignorantes quique Deum*, etc.

Injiciatur. Pœnitentiam etiam ad *opera bona* violenter, ac contra naturam suam, detorquendo, deinceps per illam impedienda.

Et, pro *etiam.*

Viderit. Formula loquendi passim Nostro frequens ; ut *Apol. cap.* 16, ait : *Viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem sit ; viderit forma, dum idipsum Dei corpus sit*, etc. et in L. *de Pat.* cap. 16 : *Viderint suam sui.* L. *de Spect.* c. 15 : *Viderit principalis titulus idololatria*, etc. Itaque hac phrasi plerumque utimur, cum alterum in quoddam discrimen adductum, de eodem cavendo præmonemus, ut rei suæ curam habeat. Sic *Cic. in Bruto* ait : *De hoc tu videris:* i. e. hujus rei curam tibi relinquo, ne, si quid secus acciderit, mihi imputes. Et Terentius in Adelph. *Ego isthoc videro;* quasi diceret : *Isthoc mihi curæ erit.*

In ingratiam. Vide *Cap.* I. *Not. Ingratia.* Quid si vero sententiam sic explicem: « Viderit perversa opinio hominum, aliis utique *ingrata*? etc. Vel si il, quibus benefecimus, displicere nobis, ac ingrati, seu exosi esse incipiunt. »

Pœnitentiam cogit. Sensus esse videtur: « Si etiam ad malefacta pœnitentiam, velut reluctantem, ac contra naturam suam, *cogit, adigit*, ac *detorquet.* »

Captatio ejus. Gratiæ captatio est appetitus alienæ gratiæ et benevolentiæ sibi conciliandæ, ut alteri placeamus, eique *grati*, id est, *accepti* simus. Raro enim reperitur, qui, cum alteri beneficium faciat, aut non placere cupiat, aut non aliquod speret, captetque emolumentum, ad se rediturum. Ita nostrum ubilibet nimiumque amantes sumus.

Mortalis, i. e. temporalis, et aliquando desitura, tam *gratia* nempe, quam *ingratia.*

Compendii. Seu *quæstus* et *lucri;* ut optimi Authores passim habent.

Debitorem, Mercedis nimirum.

Malum, Pœnæ utique.

Remunerator, i. e. *retributor.*

Sanciat, pro *statuat ;* est autem *sancire*, aliquid, quod impune violari nequit, constituere.

Præstandam esse. Supremum Jus ejus, per peccata læsum, satisfactione reparando.

Privatum. Latinius *privatum* delet, tanquam insigni alias loco obscuritatem afferens: at ego citra offendiculum retineri posse existimo, et *privatum* hic tanquam *proprium* intelligo, ut Noster in *L. de Spect. c.* 10, explicatius dicit : *quæ* privata *et* propria *sunt scenæ*, etc. Et Cic. *L.* III *de Finib.* ait: *Verbis tamen in dicendo quasi* privatis *utuntur, ac* suis.

Officium. Quod autem malitiæ *officium* esse potest, nisi in iis, de quibus in *L.* 1 *de Offic. sub init.* ait Tullius: *Sunt nonnullæ disciplinæ, quæ propositis bonorum et malorum finibus* officium *omne perturbant.* Secutus autem hic Noster potius videtur etymon nominis, de quo S. Ambr. *L.* 1 *de Off. cap.* 8, ait : Officium *ab* efficiendo *dictum putamus, quasi* officium, *etc*, quo sensu etiam malitiæ suum *officium* est, sed improprie, et nonnisi *secundum nomen* dictum, *re* vacuum. Quamquam potius, ut mox sequentia suadent, sic intelligendum putem : « Proprium erga malitiam officium (ut scilicet de malo pœniteamus) etiam impendit bonitati, seu *bonis operibus*, ac beneficiis alteri impensis. »

Negligatur. Vide dicta *Cap.* I. *ad fin.*

Notæ ad Caput III.

Spiritus. Anima, seu ejus *intellectus.*

Respectus. Velut radiis a Deo, omnis Lucis fonte, in eum emissis.

Præcepta, scilicet *cognoscenda.*

Deputandum. Inter peccata referendum.

Homo sit. Tanquam ex *corpore* et *anima* constans.

Duo unum efficiunt. Sic enim *anima* conjuncta *corpori* unum efficit *hominem.*

Materiarum. Seu *partium* componentium, quæ *totius* velut *materia* sunt.

Dei res. Ut supra, *Cap.* I, dixit: *Res Dei ratio.*

Expressa. Formavit enim Deus hominem (id est corpus ejus) *de limo terræ.* Gen. 2. vers. 7.

Ad flatum ejus. Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est HOMO *in animam viventem.* Ibid.

Offendit. Non ideo Tertullianus voluit *peccata* omnia, ut Stoici putabant, *paria* esse, sed id solum, ex hoc, quod alia *carnalia* sint, alia *spiritualia*, seu alia *corpore* perpetrentur, alia in anima et ejus voluntate sola subsistant, non inde majorem peccati unius præ altero *gravitatem* dimetiendam esse.

In judicium. Ignis videlicet æterni ; namque *judicium* hic opponit *vitæ*, æternæ nimirum. Vide quæ diximus in *L. de Bapt. Cap.* X. *Not. In judicium.*

Eo. Pro *eapropter.*

Impendere. Itaque ad pœnitentiam quoque corpus concurrat necesse est, per *sensibiles* nimirum ac *externos* actus et afflictiones corporales: anima vero per *internum* dolorem, etc.

Amborum est. Ut enim *actiones* dicuntur esse *suppositorum*, sic nec corpus peccat solum, neque anima sola, sed *Homo*, qui compositus est ex corpore et anima, in unum *suppositum*, seu *personam*, exsurgens; huic enim actiones, tam bonæ, quam malæ, imputantur.

Agitur. Scilicet opere quodam *externo* ac sensibili.

Cogitatur. Mereque *intra mentem* retinetur.

Contingi habet. Contingi hic non sumitur pro solo sensu *tactus*, sed aliorum quoque sensuum perceptione. Cæterum *contingi habet*, pro *contingi* potest, Hellenismus est; solent enim Græci dicere ex. gr. οὐδεὶς ἅπτειν ἔχει, *nullus dicere potest.*

Neque tenetur. Nullo videlicet sensu attingitur.

Voluntatis delicta. Mere *interna* scilicet.

Mediocritas. Quæ velut in confiniis posita, ulterius penetrare, ipsumque rei *meditullium* attingere nequit. Hæc igitur *humana mediocritas* est, ut solos actus *externos* (et ne hos quidem semper, satisque tuto) *perspiciat*, internos vero neque *inspicere* valeat.

Par non est. Etenim ipse quoque *Prætor non judicat de internis.*

Sub Deo. Nullo videlicet Dei respectu habito.

Unde, i. e. *per quod*, et quomodocunque demum.

Decernat in judicium. Decernit enim prius *in judicium* ire, antequam *in* ipso *judicio* decernat, feratque sententiam. Aut fortasse *judicium* hic pro ipsa *damnatione*, et pœna ignis æterni, accipit, ut supra exemplum occurrit; aut denique cum eo congruit, quod *Cap. seq.* initio habetur: *Pœnam* PER JUDICIUM *destinavit.*

Origo est. Alias enim *nostrum* esse censeri, nobisque imputari nequit.

Cum ergo. Subaudi *voluntas*

Liberatur. Potest hoc intelligi de voluntate, quæ *a culpa liberatur*, seu *absolvitur:* vel de ipsa *culpa*, quæ *liberatur*, id est, *tollitur.* Sic etiam *liberare promissa* dicimur, quando eorum obligationem tollimus, ac evacuamus, eadem implendo.

Intercipit. Quo minus scilicet in opus ipsum exire, et consummari queat ; *perpetrat* enim, ut Festus ait, qui opus ipsum paragit, ac perficit. Potissimum autem de *malis* dicitur; quamquam etiam de *bonis* nonnunquam dictum inveniamus.

Suum fuerat. Quantum erat in ipsa voluntate efficaciter aliquid volente, jam perfecit. Atque hinc, ut Theologi nostri communiter dicunt, actus externus interno novam peccati *speciem* non superinduct, sedi

prior ille hujus merum *complementum* est.

Adjectionem legis. Namque præcepto 6 Decalogi, quo prohibentur *adulteria*, etc., etiam novum adjecit, quo etiam *interna voluntas*, licet opere completa non fuerit, culpæ subjicitur.

Cominus. Seu *actu ipso.*

Contaminasset. Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo, ait Christus *Matthæi*, 5. *v.* 28.

Administrare, i. e. *agere*, vel quomodocunque ad *agendum* concurrere.

Expungit. Hæc vox nonnihil diligentius expendenda est, qua Noster crebro utitur, et quæ, nisi rite intellecta fuerit, subinde magnas obscuritates creare potest. Imprimis autem notandum, *creditores* olim nomina suorum *debitorum* in tabulis cereis stylo quodam descripsisse; cum vero eadem debita exsoluta fuissent, sicque jus creditoris dissolutum, nomina illa aut *punctis* configere, aut inverso stylo *delere*, atque sic *expungere* solitos fuisse. Ex quo factum est, ut vox hæc per metaphoram inde ductam, pro *implere*, ac *perficere* usurparetur.

Verum exempla jam ex ipsomet Tertulliano nostro proferamus, et imprimis illud, quod in *L. adv. Jud. c.* 11. habet, cæterisque luculentius est: *Neque in dubium deducant, vel negent, quæ scripta proferimus, — ut, quæ post Christum futura prædicebantur*, adimpleta *cognoscantur. Neque enim* (pergit) *dispositio* expuncta *inveniretur, nisi ille venisset, post quem habebant* expungi, *quæ nuntiabantur, quæ* completa *esse etiam probarentur.* Sic et *ibid. c.* 4. habet: *Circumcisionis carnalis, et Legis veteris abolitio* expuncta (impleta ac consummata) *suis temporibus demonstratur.* Rursusque cap. 9: *Tam intelligitur prophetia renuntiata, quam creditur expuncta*, i. e. impletas. Item *Cap.* 12: *Non erunt in alium prophetata, quam per quem* expuncta *consideramus.* Sed et in *Apologet. adv. Gent.* aliquoties recurrit, ut c. 2: *Debito pœnæ nocens expungendus est* (i. e. debitum illud ab eo implendum est, seu sententia in eum lata executioni mandanda) *non eximendus.* Et cap. 15. *libidinem expungi*, id est, *expleri*, seu *perfici*, ait. Item cap. 20: *Unum est tempus divinationi, futura præfanti apud homines, si forte distinguitur, dum* expungitur, *etc.* Et *cap.* 21. de Christo ait, *qui jam expunctus est* (implevit) *in humilitate conditionis humanæ.* Nec non c. 35; *Cur enim vota et gaudia Cæsarum casti, et sobrii, et probi expungimus?* Denique Cap. 48: *Tunc restituetur omne humanum genus ad expungendum, quod in isto ævo boni vel mali meruit.*

Sed de reliquis ejusdem Libris pariter videamus. Sic ergo in *L. de Pat. c.* 14, habet: *Omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expunxit.* Et in L. de Cor. mil. c. 1: *Expungebantur in castris milites laureati;* cum enim per numeros suo ordine transirent, donativum accepturi, eo accepto, singulorum nomina vel puncto notabantur, vel penitus expungebantur, velut in quibus illa largitio jam *absoluta* ac *completa* esset. In L. de Exhort. ad Mart. c. 6: *Quot a latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce, extincti sunt, torti prius, quin et omni contumelia expuncti?* i. e. omni contumelia in illis velut *consummata.* Et in L. II adv. Marc. c. 20: *Suum populum in tempore expeditionis angusto, aliquo solatio tacitæ compensationis expunxit*, seu implevit. Sic in L. de Orat. cap. 1, Evangelium *expunctorem totius retro vetustatis* appellat, in quo scilicet per Christum impleta, et consummata sunt ea omnia, quæ in Veteri Lege præsignificata. Tandem etiam in *L. de Idol. c.* 16, ait: *Si nec invocatu, nec in sacrificio sit titulus officii et operæ meæ expunctio* (id est, exhibitio, et officii impletio), *quid tum?* etc. Ubi vides omnia hæc loca fere ad eamdem significationem redire. Igitur etiam hac phrasi *per voluntatem expungit effectum*, voluit dicere, quod ipsa voluntas aliquid efficiendi pro ipso facto jam impleto habeatur, ut contextus ipse demonstrat. Vide etiam *de Præscript. Cap. X.*

A *Saturans.* Pro *explens* ac *perficiens.*

Pro facto cedat, i. e. *pro facto habeatur.*

Notæ ad Caput IV.

Spopondit. Nullum ergo genus peccati, quantumcumque gravis, a spe veniæ, et fructu pœnitentiæ excludit; quod claro rursus indicio est, Tertullianum, dum hæc scriberet, nondum a Montano corruptum fuisse. Nullam enim hic, ut in *Libro de Pudicitia, cap.* 2. (tunc jam apertus Montanista) distinctionem facit inter peccata *remissibilia* et *irremissibilia. Et secundum hanc*, pergit, *differentiam delictorum pœnitentiæ quoque conditio discriminatur. Alia erit, quæ veniam consequi possit, in delicto scilicet remissibili: alia quæ consequi nullo modo possit, in delicto scilicet irremissibili.* Et sic porro ad examinandas varias peccatorum species descendit. Quanquam hac de re fortasse alibi pluribus agemus.

B *Pœnitere*, i. e. *pœnitentiam age;* nam secundum hanc phrasin Vulgatus noster Interpres *pœniteor* verbi deponentis sensu bis utitur; nimirum *Marci* I, 15, ubi Christus: *Pœnitemini* (Græcus habet μετανοεῖτε), *et credite Evangelio.* Item *Act.*, III, 19, ubi S. Petrus ad populum: *Pœnitemini* (μετανοήσατε) *et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Latini verbo *pœnitet*, tanquam *impersonali*, rarius *personali*, vix unquam ceu *deponenti* utuntur.

Vivo. Formula Dei sæpius ita jurantis per semetipsum.

Præstantiam. Hac voce in malam partem pro *excellentia* utitur, quo sensu nimirum S. Paulus I *Tim.*, I, 5, se inter peccatores *primum* dixit, quasi omnes alios peccatorum suorum gravitate superantem.

Agnosco. Hæc Tertulliani, adhuc humiliter de se sentientis, non superbi *Montanistæ*, ac insolenter contra Ecclesiam ipsam insurgentis, vox fuerat.

C *Fidem*, seu *fidelitatem* in salvando. Atque inde pœnitentia, *secunda post naufragium tabula* deinceps dicta fuit. Hunc loc. S. Ambr. vel alius author in *Ep. ad Virg. lapsam* pulchre imitatus est, ita eamdem alloquens: *Sed tu, quæ jam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera fortiter, inhære tanquam* NAUFRAGUS TABULÆ. Sed nec minus S. Hier. in *Ep.* VIII *ad Demetriadem* itidem *de Pœnitentia* loquens: *Illa, quasi* SECUNDA POST NAUFRAGIUM *miseris tabula, etc.* Atque sic deinceps alii SS. Patres hanc phrasim adoptarunt.

Perlevabit. Aliqui Codices *perlavabit* legunt: vi nis inepte; an enim, qui fluctibus immersus subsedit, porro *perluendus*, aut non potius *prolevandus*, et *extrahendus* est?

D *Protelabit.* Protelare est aliquid *protelo*, seu *continuo tractu*, promovere aut propellere, ut nempe boves, eidem jugo adstricti, pari et æquabili impulsu procedere solent. Unde etiam lorum illud oblongum, quod eos jugo illigat, *protelum* appellari olim consuevit. Et hinc est illud Catonis de Re rust. *Protelo trini boves aratrum unum ducent.* Haud dubium autem est, hanc vocem græcæ originis esse, et quidem, ut *Donatus* vult, a πρό, et ἕλκειν, quod est *ante* et *trahere*, deductam. Alii vero a πῆλαι, seu πηλόω, quod est *longe*, derivant, eo quod protelo *longior* quædam tractio fiat. Variæ insuper vocis illius sunt translationes, de quibus, si otium, videndi sunt Grammatici.

Inopinatæ. Tabula enim a naufrago frustra quæritur, nisi jamjam desperantibus *subito* se offerat.

Animorum, i. e. *voluntatum.* An enim id famuli *obsequium* quis æstimabit, quod alieni sui voluntate discordat?

Per hoc, i. e. *propterea.* Alii codices *pro hoc*, seu pro tanta argumenti amplitudine, habent.

Angustiis. Ingenii videlicet, aut *temporis*, vel quomodolibet præfinitæ descriptionis.

Bonum est. Nobisque *utile.*

Auscultare. Pro *obedire* hic accipit. Sed frustra

lectorem hic moneo.

Utilitas servientis. Postponenda ergo *utilitas* præcepto. Quamquam etiam istud ipsum infinitæ utilitatis ac mercedis multo magis plenum sit, *obedisse* DEO *præcipienti* etiam nullo utilitatis intuitu.

Revolvis. Seu tecum nimis *anxie deliberas;* ita enim scrupulosi solent.

Præcipit. Duabus his vocibus quid potentius, ac ad nos penitus, ut mandata ejus impleamus subigendos, efficacius esse potest?

Hortatur. An vero *hortari* (tam populare verbum) majus est, quam PRÆCIPERE? Et vero etiam; quoniam qui præcipit, pro imperio suo facit, qui *hortatur*, etiam cum præcipit, simul benignus est, urgens quidem, simul autem infirmitati nostræ illud ipsum imperium accommodans, unaque ostendens, se in eo ipso, quod *præcepit*, nos, ut adimpleatur, *adjuvare* paratum esse.

Salutem. Istud vero omnino DIVINUM soliusque DEI CLEMENTIÆ proprium esse potest.

Vivo dicens. Infinita sunt apud *Prophetas* præcipue ejusmodi loca.

Dejeratione. Pro jurejurando.

Asseveratione, i. e. *promissione*, aut fortasse melius pro *consecutione.*

Notæ ad Caput V.

Resignari. Postquam nimirum pœnitentia illa a Deo per gratiam suam ratihabita, et obsignata fuerat, nunquam per nova peccata *sigillum* illud, expellendo rursus illam gratiam, *denuo solvi* debere.

Prætextum. Prætextum neutro genere etiam dicit in *L. de Cultu fœm., cap.* 9, ubi ad easdem: *Ne totis habenis licentiam usurpetis* prætexto *necessitatis*, etc. Et in *L. adv. Valent., c.* 9, ait: *sub* prætexto *dilectionis in putrem*, etc.

Segregaris, i. e. ab ea *recedis*, scilicet ad cognitionem Dei.

Adglutinaris. Eo *pertinacior* factus, quo minus *ignorant.*

Timete Timor enim *Domini* sicut est *initium* SAPIENTIÆ (*Psal.* CX, 10), sic *pœnitentiæ* quoque. Ita enim de hac Concil. Trid. *Sess.* VI *de Justif., c.* 6, ait: *Disponuntur ad pœnitentiam, dum* peccatores *se esse intelligentes, a* JUSTITIÆ DIVINÆ *timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam* DEI MISERICORDIAM *convertuntur*, etc. Et in *Sess.* XIV, c. 4, rursus: *Attritionem, ex pœnarum metu conceptum, esse* SPIRITUS S. impulsum, *quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.*

Contumacia. Contumaciam hic vocat, *perseverantiam in malo*, qua sensim obrigescit cor, Deique timorem penitus eliminat. Nam (ut *Eccli.* XXVII, 4, dicitur), *si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua;* utinam æque faciliter citoque ex miserrimis his ruinis restauranda.

Ignorari non licet. Nihil sane elegantius hanc in rem, quam Tertulliani nostri *de Testimonio animæ* libellum, sensuum mole sane ponderosum, leges.

Dei dono. Denuo illud, quod supra *cap.* I, dixerat, respicit: RES DEI RATIO.

Æmulo ejus. Infelicem nimisque impudentem *simiam Dei* voluit dicere. Qualiter autem insidiator hic generis humani jam olim Dei mysteria æmulari nisus fuerit, *L. de Præscr., cap.* XL, leges.

Regressu. Seu *relapsu* in antiqua peccata.

Malus. Velut κατ' ἐξοχὴν sic dictus diabolus, ut apud Græcos Πονηρός. Sic etiam in *L. de Pat., c.* 14, ait: *Læta atque diffusa est operatio Mali;* ubi significari *diabolum*, contextus suadet, et *ib., c.* 14, rursus de eodem: *Dissecabatur* Malus, *quem Job... magna æquanimitate distringeret.* Et sic alibi quoque. Non minus in oratione Dominica, ubi *Matth.*, VI, 13, Christus ipse nos inter alia orare docuit: *sed libera nos a malo*, græcus textus habet: ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, qua voce plerique tum Latini tum Græci Patres *diabolum* intelligunt.

Periculosum est. Tanquam vix sine legentium offensa et scandalo proferendum.

Ædificationem. Opposita hæc est *scandalo;* quod enim istud destruit, illa reparat.

Judicato. Idem videtur ac *in judicio*, quod nonnisi præmissa seria deliberatione, et re in utramque partem perpensa, fieri oportet.

Pœnitentiam. Qua ipsum pœnitentiæ anteactæ jam pœnitet.

Actu. Exteriori nimirum, ut supra *cap.* III, *not. Agitur.*

Fide, i. e. illæso, retentoque Dei *metu*, et *fidelitate*, ac *sine* horum *præjudicio.*

Salvo metu. Amara irrisio!

Patrocinium est. Pertexit hucusque sarcasmum illum.

Hypocritarum. Ὑπόκρισις est alias simulatio histrionis, alienæ personæ gestus imitantis; unde ejusmodi histrio ὑποκρίτης quoque dicitur. At phrasi S. Scripturæ ille est, qui moribus suis probitatem præ se fert, intus autem et in cute, ut aiunt, nequam est, simulator improbus; de cujusmodi hominibus Poeta:

Qui *Curios* simulant, et *Bacchanalia* vivunt.

Tales maxime erant, contra quos Christus *Matth.*, VII, 15, nos præmonuit: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis* ovium, *intrinsecus autem sunt* lupi *rapaces;* de quibus plura Evangelistæ.

Notæ ad Caput VI.

Mediocritas, i. e. *mediocre* nostrum *ingenium*, ut modeste de se sentientes dicere solent. Vide etiam supra *cap.* III.

Ut omnis. Junius *omnis* hic pro *omneis*, ut veteres pro *omnes* solebant dicere, accipiendum vult. Verum qui omnis ad τὸ *salutis* referendum existimant, alio se Tertulliani loco (*Lib. de Virgin. velund. cap.* 8.) tuentur: OMNE *totum est, et integrum, et nulla sui parte defectum.*

Novitiolis. Catechumenos hic intelligit, recens ad primum gradum admissos, adeoque in fide adhuc imbecilles.

Istis imminet, seu ad eosdem destinatum est, atque directum.

Aures rigare. Floridior metaphora de iis, qui ad audiendum Dei verbum in Ecclesiam admissi erant in *Auditorum* gradu inter Catechumenos constituti, de quibus paulo inferius.

Catuli. Catulus proprie est *canis minor* seu *canicula;* quamquam de omnibus brutis (solis autem viviparis), cum adhuc tenera sunt, recte dictum inveniam.

Perfectis, i. e. visu nondum perfecto, sicut nimirum in proverbio est: *Canis festinans cæcos parit catulos.*

Reptant. Hellenismus autem est, ut ex gr. ἀδηλα ἕρπουσι, incerta, seu *in incertum* (nullibi certa et firma vestigia figentes) *reptant.* Tale est etiam illud in *L. de Pat.*, c. 1: *Qui cæca* (pro *cæci*) *vivunt.*

Quidem. Aut subintelligendum *se*, aut omnino hic interserendum.

Includere, i. e. *concludere*, ac quasi *communire.* Sic enim canes catulos suos intra cubilia sua continere student, ne temere dilapsi, cæcitate sua in aliquod offendiculum incurrant, inde lædendi.

Desiderandi. Eo quod malis suis *desideriis finem* propediem facturi sint, iisdem in Baptismo renuntiaturi, ac ex veteri in novum transformandi hominem.

Senescere. Apposita ac elegans ad *pœnitentiam* similitudo.

Adulantur, i. e. pomorum *venustati*, quam ex parte adhuc retinuere, *adulantur*, in eadem sibi complacendo. Vide *L. de Bapt., cap.* III, *not. Aut gratia*, 1147 B, et *cap.* IX, *Aquæ gratia* 1171 D.

In tinctionis, i. e. *Baptismi*, ut alias passim.

Medium tempus. Seu *intermedium*, nempe inter conversionem suam, et ipsum Baptismum, dum scilicet adhuc inter Catechumenos agunt.

Commeatum. Castrensis vox, *veniam* militibus da-

tam, qua valetudinis, aut aliorum negotiorum causa, aliquamdiu a castris abesse ipsis licet, significans. Aliquando etiam ipsum illud *spatium temporis*, quo miles, aliquorsum profectus, a castris abest, denotat: imo et pro ipsa annona, in *viaticum* data, nonnunquam accipitur. Exempla apud Nostrum complura exstant: ut Apol., c. 32: *Vim maximam universo orbi imminentem... Romani Imperii commeatu (spatio temporis*, quod Deus, velut summus Imperator, eidem concessurus est) *scimus retardari.* Eodem sensu in *L. adv. Prax.*, *c.* 1, sumitur: *Sed et denuo eradicabitur in isto* commeatu, etc. Sic in Apol., cap. 46, *commeatum deliberandi sæpe frustratum* dicit. Et in L. de Fuga in Persec., c. 9, *lucrari nos vult commeatum.* Rursusque *in L. II. adv. Marc.*, *c.* 10, ait: *Commeatum operationibus ejus admetiendo, rationem bonitatis suæ egit.* Denique in *L. de an. c.* 30: *Quia nec pariasset* (par fuisset, et ex æquo congruens) commeatus *hic vitæ milliario, tempori longe scilicet brevior.* Cæterum post commeatum subintellige *magis* vel *potius*; et fortasse hæc vocula excidit ex hac comparatione, aut per *ellipsin*, Græcis frequentem, abest.

Quam pœnitentiam. Delenda videtur hæc particula *quam*, quæ fors oscitantis librarii fuit.

Sustinere. Pro *expectare* positum videtur ut *l. adv. Jud.*, c. 6 de Christi futuro adventu ait: *sinecdum venit*, sustinendus (*expectandus*) *est*, *dummodo* (usque dum) *manifestus sit adventus ejus.*

Manum emittere. Facile hoc exemplum (hic etiam porro continuatum) occurrere poterat Tertulliano, quippe antea *causidico*, et in rebus forensibus gnaviter exercitato.

Addicere. Pro *dare.* Proprium rursus foro vocabulum -est, ut Samuel Pitiscus in suo *Lexico* ad illam solemnem juris Prætorii formulam DO, DICO, ADDICO, quamdam ex veteribus legem recitat: *Quicumque magistratus in ea colonia juredicundo præerit, ejus magistratus de ea re jurisdictio, judiciique* datio, ADDICTIO *esto.* Alias autem *addicere* proprie venditoris est.

Instituit. Pro *constituit.*

Compensatione. Sane autem per pœnitentiam jus Divinum, peccato læsum, reparatur, injuriaque eidem illata compensatur, in quantum nempe actus pœnitentiæ ipsam Christi pro nobis satisfactionem, ejusdemque merita sibi intime conjuncta habet. Sane multi deinceps ex Scholasticis fuere, neque hodie desunt, docentes, *rationem formalem*, ut vocant, *pœnitentiæ* in *compensatione* prædictæ *injuriæ* consistere.

Ne adulter. Per ellipsin utique subaudiendum *sit.*

Veritatem. Ceu inferius magis examinandam.

Absolvimur. Ironica hæc locutio est; quasi vero ipsa absolutio veræ pœnitentiæ, aut jam actæ, aut agendæ, demonstratio esset.

Pendente, i. e. *adhuc suspensa.*

Prospicitur. Tanquam adhuc imminens.

Mutatus est. In statum jam alium translatus. Hoc sensu idem Noster in *L. de Resurr. carn.* c. 57, ait: *Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris*, etc.

Sibi imputat. Tanquam horum se amplius reum agnoscens, et ea propter pœnitentiam acturus. Quid autem in furaci hoc, fugitivoque hominum genere olim frequentius?

Emissus. Milites confectis *legitimis* (certorum nempe annorum) *stipendiis*, e castris *mittebantur*, seu e militia *dimittebantur*, juramento suo militari deinceps soluti: quæ *missio honesta*; alia vero, ob morbum, aliudve corporis vitium facta, *caussaria* appellabatur, *honestæ* æquiparata.

Pro notis, id est *delictis militaribus*, quibus male *notatus* erat. Si mavis, *notas* hic accipies, pro iis *punctoris*, seu *stigmatibus*, quibus *tirones*, militiæ recens adscripti, signabantur, ut, si qua fugissent, ex iis agnosci, atque sub *signa* sua, ac *vexilla* retrahi possent, ex militiæ legibus suppliciis militari subjiciendi.

De notis his ita *Vegetius*, *l.* II *c.* 5 habet: *Victuris* (duraturis, neque jam amplius delendis) *in cute punctis milites scripti, et matriculis inserti, jurare solent.* Et *Aetius*, Græcus quidam Medicus, apud Lipsium de *Militia Rom. l.* I, *Dial.* 9, ita loquitur: Στίγματα καλεῖσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου, ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος, ἐγγραφόμενα. οἷα τῶν στρατευομένων ἐν τοῖς χερσί. Hoc est: *stigmata vocant, quæ in facie, aut alia corporis parte, inscribuntur, qualia sunt militum in manibus.* His ergo *notis* milites, quandiu ipsis militandum erat, suorum officiorum continuo admonebantur, et eorumdem transgressoribus gravissimæ utique pœnæ metuendæ erant.

Inituris aquam, seu *baptizandis.* Tunc temporis autem Baptismus communiter fiebat per immersionem, ut late Dogmatici nostri. Igitur aqua tunc non *adeunda*, sed plane *ineunda* fuerat.

Salvum. Securum, *ac certum.*

Asperginem. Aliqui *Asparginem* malunt. Plura de hac voce diximus in l. *de Baptis. c.* 5. Cæterum videtur Tertullianus hic alludere ad Baptismum, olim etiam per aspersionem, maxime *clinicis* seu *grabatariis*, collatum: qua de re rursus videndi Dogmatici, de *Materia proxima* Baptismi agentes. Potest autem et sic intelligi: *vel asperginem unam duntaxat* (aquam scilicet *stillatim* aspersam), *ne dicam integram copiam aquæ*, etc.

Commodabit. Pro *impertietur*; non enim in forensi sensu, quo quis rem suam alteri ad tempus *commodat*, porro reddendam, sed prout significat, *commodum* alteri seu utilem operam *præstare*, hic usurpatur.

Furto. Pro *furtive* ac *clanculum.*

Circumduci. Seu *fallaciis* atque *astutiis obtegi;* quo sensu etiam aliquis ab altero *circumscribi* aut *circumveniri* dicitur. *Omnis* enim, ut in *l. de Baptis. c.* XVIII ait, *petitio et decipere, et decipi potest.*

Deus lumen est. Elegans sane sententia!

Symbolum mortis, i. e. Baptismum, a Christo institutum in signum *rememorativum Mortis* suæ et *sepulturæ*, imo et *Resurrectionis*, ut et nos in Adam *mortui, Christo consepulti per Baptismum*, a morte peccati in VITAM GRATIÆ resuscitaremur. Vide *l. de Bapt. c.* XI, *n. Sine resurrect. ejus, et c.* XVI, *n. Glorificaretur.*

Permittit. Recte Junius legit *promittit;* quamvis etiam *permittit*, quod in meo Codice est, tolerari posse existimem.

Excidunt. A *Gratia* nimirum, in Baptismo obtenta; quando etiam ab obtinenda multos, morte non raro præventos, et frustratos fuisse novimus. Vide *l. de Bapt.*, *c.* XVIII, *n. Utilior est.*

Aggressi, i. e. *infidelem*, ac *inconstantem*, idcoque nec *seriam*, nec *sinceram* pœnitentiam agentes.

Ruituram. Talis nimirum *similis erit viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam*, etc. Matth. c. VII, 26.

Auditorum. Certus hic *Catechumenorum* gradus est, de quo supra et alibi fortasse pluribus. Quanquam hic simpliciter pro *Catechumenis* vocem hanc accipiendam putem, quam toties eodem sensu repetit.

Eo. Seu *ea de causa*, vel *propterea.*

Simul. Pro *quamprimum.*

Simul inspexeris. Seu mox ac propius, *penitiusque* eum *cognoveris.*

Incubas. Porroque, velut ex nimium tenaci habitu et consuetudine, *incumbis.* Vide *l. de Bapt. c.* XI, *n. Resurrectionem.*

Ignarus, i. e. cum adhuc Deum non cognovisses.

Separat. Pamelius, teste *Junio*, ex tribus MSS. legit *a perfecto Dei verbo.* Quodnam vero istud? Annon autem præstat lectionem mei codicis retinere, satis commode sic exponendam: Quid te a *servo Dei*, per Baptismum jam *perfecto*, separat, seu *distinguit*, ac *discriminat?* Nec autem *Catechumenus* præ *baptizato* eximium quidpiam habet, quasi ille *sine pœnitentia*

de peccatis suis propriis mox in Baptismum irruere posset, eninivero huic saltem prævia *attritione* opus est, ad eumdem *fructuose* suscipiendum.

Fide, i. e. *fideli* ac *vera* pœnitentia, non ut *c. præc., n. Hypocritarum.*

Loti sumus. Interne nimirum : quæ tamen non semper est ablutio *perfecta*, sed plerumque *inchoata* duntaxat. Pœnitentia enim illa *ex metu* profecta, quam dicimus *attritionem*, ex se non justificat ante Baptismum actu susceptum, sed sola *contritio* perfecta ex *amore Dei super omnia*. Attamen in tam diuturna, quæ olim a *Catechumenis* Baptismo præmittenda erat, pœnitentia vix fieri poterat ut non aliquando in contritionem perfectam velut per gradus quosdam transiret, adeo ut aliquis peccatis deletis jam interne justificatus esset, antequam ipsum Baptismum actu susciperet. Videri hic possunt ea quæ Conc. Trid. *supra cit.* a *sess.* 6. *de Justif. c.* 6. dilucide exponit.

Integer. Sincerus et perfectus, quem *primam*, id est, *initialem* ac *inchoatam*, ut mox antea diximus, *intinctionem*, seu *baptismum* vocat.

Quoad. Pro *mox ac* ut supra.

Senseris, seu *cognoveris*.

Ab aquis, i. e. *post Baptismum*, seu postquam *ab aquis* rursus *egressi* fuimus.

Induimus. Hic namque Baptismi necessarius ac, ut vocamus, *ex opere operato* effectus est; Sacramenta enim, instar causarum naturalium, in subjecto recte disposito necessario operantur.

Obstructi, i. e. undequaque impediti.

Alligatus. Ad Novam scilicet Legem Christi, post *renuntiationem diabolo et omnibus pompis ejus* a baptizato factam.

Qui enim optat. Antitheses sequuntur sane insignes.

Timidiorem. Timore Dei nonnihil magis concussum. Vide supra.

Repromitterit. Simpliciter pro *promitteret*, ut noster similia composita passim.

Præstaturus. Recte omnino pro *præstiturus*, cum *præstare* pro *implere*, aut *perficere* accipitur.

Notæ ad Caput VII.

Audientibus. Satis significat Author, quæ hactenus præmisit, spectare pœnitentiam, *ante Baptismum* ab *Audientibus*, seu a *Catechumenis*, agendam. Jam vero ad eam pœnitentiæ speciem convertitur, quæ relapsis *post Baptismum* amplectenda superest ceu jam, ut supra diximus, *secunda* post naufragium *tabula*.

Nihil jam. Vel *nihil jam* spectat ad eos, qui post Baptismum nullius *jam amplius* rei pœnitentia dignæ sibi conscii sunt; vel ad parvulos referendum est, peccati *actualis*, proindeque *pœnitentiæ* incapaces.

Retractantes, id est, *tractantes :* ut jam pigeat toties annotasse.

Demonstrare, i. e. velut *designare*, quasi ad porro peccandum invitatis.

Eo. Pro *eousque*, aut *propterea*.

Jam nunc pateat. Spatium subintellige (*temporis* nimirum) aut *janua*, simileve aliquid.

Evadendi habebit. Præclusa scilicet evadendi via.

Non habebit. Ipse nimirum *offendendi finem* sibi non faciens.

Hactenus. Hactenus, seu *eousque.* Aut forte Christiani exspectabimus, ut ipsi Gentiles nobis Deum suum *Terminum* (vah! neque sine impietate nominandum!) peccatis nostris præstituant?

Periculosis. Periculis legunt alii; planius quidem id est, non vero tanti, ut meum propterea codicem deserere cogar.

Mari dicunt. Improbe Neptunum accusat, qui bis naufragium patitur, ait Publius Mimographus.

Memoria periculi honorant. Sane perquam eleganter dictum!

Oneri esse. Emphaticum, id est acciendo affectui idoneum.

Inculcare. In id *calcare.* Quid vero multis? *inculcare* hic simpliciter pro *calcare*, seu calcibus per summum contemptum insultare, accipio : et quis refragabitur?

Modus, i. e. *coercitio*, seu *cohibitio*.

Dum extinguitur. Pulcherrima antithesis.

Mortis opera. Ejus nimirum, quæ inter ipsas *mortes* est *omnium terribilissima*, mors animæ.

Retro suæ. Antea suæ, id est, peccatoris.

Judicaturus est. Ita enim sanctus Paulus 1. *Cor.* VI, 3, ait : *Nescitis, quoniam angelos judicabimus?* Quod de *malis* seu damnatis spiritibus communiter Interpretes intelligunt. *Hi nempe sunt* (ait Noster in *l. de Hab. mul, c.* 2) *quos judicaturi sumus : hi sunt angeli, quibus in lavacro renuntiamus.* Et in *l. de fuga in persec. c.* 10, ita loquitur *: Times hominem, Christiane, quem timeri oportet ab angelis (siquidem angelos judicaturus es), quem timeri oportet a dæmoniis*, etc. De his igitur angelis etiam hic Tertullianus loquitur.

Traditionibus. Alii legunt *conditionibus* : quod probare non possum : Junius traductionibus, quo vocabulo noster in *l. de Præscr. c.* 22. utitur. Et sane hæc lectio contextui magis congruere videtur, proprie enim dicimus de via, aut *recto tramite* aliquem *traducere in avia*, etc.

Sera obstructa. Neque autem vox *obstructa* ad seram, sed ad *januam* referenda est, ut sensus sit : *janua* per *intinctionis*, seu baptismi *seram obstructa.* Recte autem ita dictum, eo quod baptismus reiterari nequeat, atque adeo hæc janua semel baptizato jam non amplius pateat ad veniam et remissionem peccatorum, per quam bis ingrediatur.

Frustra. Duriuscula hæc locutio: ac si vero etiam pœnitentia a baptizatis post iteratos relapsus iterari non posset, adeoque deinceps omnis spes veniæ denuo consequendæ præclusa esset. Verum plus dicere fors Tertullianus non voluit, quam quo sæpius quis peccaverit, eo difficiliorem fieri seriam pœnitentiam, ac venia toties dignam. Sane autem in sequentibus mox benignius loquitur. Sed vide potius infra *c.* IX, *Patrocinia naturæ*, 1169 D.

Quod acceperas. Gravis profecto sententia, alteque imprimenda animo.

Accommodat. Pro commodat, et concedit *usui* tuo.

Restituas, seu *recuperes;* aut *restaures.*

Nedum ampliato. Nedum hic exponendum est *multo magis.* Scio autem etiam alias significationes, et quandoque *negativam* huic voculæ, satis alias ambiguæ, tribui. Sed hæc Grammaticorum sunto. *Ampliato* autem pro *aucto* vel *extenso*, facile quispiam hic sumet. Quid multis igitur? *Nedum* idem mihi hic erit ac *ne dicam* ampliato.

Quam dare. Quoniam qui *restituit bis* dat, alterum in eandem conditionem, qua excidit, *rursus statuendo.*

Non accepisse. Neque enim ab eo, qui nihil accepit, quidquam auferri potuit, ideoque nec ex damno quodam *miseriam* sentit.

Iteratæ. Sinistræ nimirum; ambiguum enim valetudinis nomen esse nemo nescit. Sic etiam in *l. de Bapt. c.* V, ait : *Observabant qui valetudinem querebantur.*

Notæ ad Caput VIII.

Id. Pro *de eo.*

Idolothyta dicuntur carnes victimarum, *idolis immolatæ*, ab εἴδωλον et θύω, quod est *immolo*, seu *sacrifico*. Ex his ergo immolatis quicumque comedissent, *participes sacrificii* illius, indeque *polluti* censebantur, velut ipsius quoque religionis tam sacriilegæ communionem cum gentilibus habentes Quapropter in Concil. Hierosolymit. *Actor* 15, etiam inter alia *idolothytorum* esus prohibebatur, quoniam

tunc sine scandalo fieri vix poterat; hoc autem sublato, privatim ejusmodi cibis vesci nullatenus prohibitum fuerat; quoniam hi revera ab idolis pollui ac impuritatibus contaminari nunquam poterant. Atque hæc est ipsa S. Pauli doctrina 1. *Cor.* X, 27 *et seqq.* ita dicentis: *Si quis vocat vos infidelium* (ad epulas nimirum) *et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis; nolite manducare, propter illum, qui indicavit* (ne is videlicet putet, in idolorum suorum gratiam manducari) *et propter conscientiam: conscientiam autem dico non tuam, sed alterius*, ne scilicet scandalo alteri fias, ejusque conscientiam lædas.

Dubium. Subintelligo *id esset*, vel *videri posset.* Nam pristinis temporibus *Apocalypsis S. Joannis* nondum ubique in Ecclesia inter Libros Canonicos, seu indubitatæ fidei, recepta erat; cum ipse adhuc *Sæcul.* IV de eadem dubitasset Eusebius *l.* III, *H. E. c.* 33, credens cum aliis quibusdam, Libri hujus Authorem non *Joannem Evangelistam*, sed alium quemdam *Joannem*, cognomento *Theologum*, fuisse. De hoc igitur cum non sat constitisset, quis, aut an Spiritu S. afflatus fuisset, plerœque diu cunctabantur Ecclesiæ, *Apocalypsin* inter Scripturas Divinas annumerare. Quin vero et *Conc. Laodicenum*, circiter *A. C.* 372 habitum, nondum in Canonem suum recipere ausum fuerat, idque primum a *Conc. Carthag.* An. 397 factum, postea Innocentio I Papa plenarium demum S. Scripturæ Canonem proponente.

Errando laboraverat. Ovicula nimirum, circumerrando lassata.

Relevat, id e. *Extenuat.*

Dissimulatio. Videtur hic pro *reticentia* poni.

Exaggerat. Pro *auget.*

Notæ ad Caput IX.

Unius. Mox autem antea *Cap.* VIII, imo jam *Cap.* V. nonnisi *unius* post Baptismum *pœnitentiæ* ab Ecclesia indultæ, meminit Tertullianus, ulteriorem districte excludens: quod cum hoc loco rursus inculcet, nonnihil id accuratius, pro instituti tamen nostri modulo, expendendum videtur.

Sane autem nemo existimet, aut Tertulliani duntaxat *temporibus*, aut in solis *Ecclesiis Africanis*, hanc disciplinæ severitatem viguisse. Imprimis enim S. Augustinus, magnum illud non *Africanæ* tantum, sed totius Ecclesiæ lumen, *in Ep.* 54 *ad Macedonium*, inquit: *Quamvis eis* (de his autem loquitur, *qui*, ut paulo ante ait, *etiam post actam pœnitentiam, post Altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora, committunt*) *in Ecclesia locus* humillimæ pœnitentiæ *non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur.* Rursusque paulo inferius: *Quamvis caute salubriterque provisum sit, ut locus illius* humillimæ pœnitentiæ semel *in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto minus contemptibilis fuerit*, etc. Igitur IV etiam et V *Sæculo*, non in *Hipponensi* solum, sed reliquis etiam *Africæ* Ecclesiis, is rigor fuerat, ut nemo in peccata gravia recidivus, ad secundam *exomologesin*, publice nimirum, et in facie Ecclesiæ, et eo modo, quem hoc ipso Cap. Noster deinceps describit, et S. Aug. supra *humillimam* appellavit, agendam admitteretur.

Quid vero Clemens de Ecclesia sua *Alexandrina*, aliisque eidem subjectis? Ita enim vero is *l.* II *Strom.* inquit: *Dedit Deus, cum sit multæ misericordiæ, iis etiam, qui* fide (post susceptam in Baptismo *fidem*) *in aliquod peccatum incidunt, μετάνοιαν δευτέραν*, Pœnitentiam secundam, *quam, si quis tentatus fuerit post vocationem, violentia quadam adactus, et callide circumventus, μὴν ἔτι μετάνοιαν ἁμαρτάνοντον λάβῃ*, unam *adhuc, non pœnitendam* (post quam pœnitentiam, si rursus peccaverit, deinceps non amplius *pœnitere* poterit) *accipiet* Pœnitentiam. Ipse etiam *Origenes*, Clementis discipulus, pœnitentiæ post Baptismum secundæ locum non fecit, ut Dupinus in Biblioth. scrip. eccl. t. I. p. m. 216, testatur.

Ut vero etiam de Occidentis Ecclesiis loquamur, sanctus Ambrosius, in *l.* II *de Pœnit. c.* 10, ita profatur: *Merito reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo; nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent; quia sicut* unum baptisma, *ita* una pœnitentia, *quæ tamen* publice *agitur.*

Itaque certorum gravioruinque criminum reis, nonnisi in agone (imo, ut quidam probabiliter existimant, ne quidem tunc) absolutio, *solemnis* nimirum et *publica* (secundum plerarumque Ecclesiarum disciplinam) impendi consueverat.

Neque autem hic rigor, spectata temporum aliarumque circumstantiarum ratione, nimius, ac velut crudelitatis speciem præ se ferens, videri debet; namque major tunc naturæ vigor, et ejusdem nimia, præsertim in gentibus ad Christi Ecclesiam recens conversis, depravatio, ac ad certas quasdam delictorum species, in calidioribus præsertim regionibus, propensio, indigebat, salutari quodam terrore ab illis porro perpetrandis, et pœnitentia segnius agenda, cohiberi, quam alias ad novos frequentioresque relapsus noxia tunc futura Ecclesiæ laxitas, et sæpius impetrandæ ab eadem veniæ spes, animare potuisset, exemplis ejusmodi facile apud alios quoque perniciosa scandala parituris.

Deinde vero eorum pœnitentia, qui post hanc semel actam relapsi erant, non satis seria et efficax fuisse censebatur, ideoque nec secundæ pœnitentiæ, quibusvis operibus demonstratæ, tuto jam amplius fidi posse Ecclesiarum Præpositi rebantur. *Δέχηεῖς τοίνυν μετανοίας, οὐ μετάνοια, τὸ τολλάκις αἰτεῖσθαι συγγνώμην, ἐφ' οἷς πλημμελοῦμεν τολλάκις.* *Opinio namque pœnitentiæ* (ait Clem. Alex. rursus II *Strom.*), *non pœnitentia est, sæpe petere veniam de iis, per quæ sæpius peccamus.* Ac propterea factum est, ejusmodi relapsis nonnisi in exitu vitæ, imo, in aliquibus saltem Ecclesiis, neque tunc, ut multi probabiliter opinantur, absolutionem impensam fuisse. Non tamen propterea peccatoribus illis, secundo jam recidivis, desperandum fuerat, tanquam necessario perituris; quoniam, ut ex S. Aug. supra legimus, *patientiæ* ac *misericordiæ Dei* relinquebantur, utique per contritionem perfectam adhuc, si vere ac serio pœnituissent, a peccatis suis liberandi, porroque salvandi. Quin vero admodum probabile est, iis, non tantum in agone, sed et sanis adhuc, et valentibus, per privatam *absolutionem Sacramentalem*, pro ratione et exigentia circumstantiarum, subventum fuisse.

Haud dubie autem hi sat adhuc miseræ, neque ab aliis invidendæ, conditionis manebant; quoniam publicis Ecclesiæ precibus, quæ alias super publice pœnitentes fundebantur, et maxime S. Eucharistiæ communione deinceps quoque carituri erant, denique eo gravius, ac diuturnius in purgatorio *satispassuri*, nisi eo studiosius in id incubuissent, ut per internos pœnitentiæ actus, et externa pœnitentiæ opera, voluntarie, aut ex judicio Sacerdotum suscepta, etiamnum in hac vita *satisfacerent.*

Cæterum illa disciplinæ severitas ut non in quibuslibet Ecclesiis eadem fuerat, ita nec æqualiter perduraverat. Et quidem in Ecclesia Orientali cum labente Sæc. IV a Nectario, Patriarcha CP. *no*, abrogata fuisset confessio et pœnitentia *publica peccatorum occultorum*, idemque, licet serius, in Ecclesia Occident. obtinuisset, peccata occulta soli quoque *confessioni secretæ* subdebantur, quæ sæpius, et post quoslibet relapsus, iterari poterat, cum spe *absolutionis privatæ* rursus consequendæ.

Tandem vero *Pœnitentiæ publicæ usus* ferme penitus exoleverat, quando etiam pro *publicis* et atrocioribus delictis in S. Confessione nonnisi pœnitentia privata et occulta, ita exigente temporum ratione, dictabatur, cæterum vero illa Judici Ecclesiastico *censuris canonicis*, etc., vindicanda reliu-

quebantur. Nimirum cum primitivus ille fervor fidelium plurimum jam refrigiuisset, et laxata eorumdem conscientia perrupisset illa publicæ pœnitentiæ repagula, neque jam pristinus Ecclesiæ rigor, politico, ac præsertim imperantium statui, ob *duritiam cordium* adaptari posse videbatur, pia providaque Mater Ecclesia immorigerorum filiorum suorum saluti saltem lenitate, et præsertim *Indulgentiarum*, quibus pœnitentia illa publica suppleri ac compensari posset, thesauro jam eo liberalius recluso, succurrendum esse censebat. Atque hæc pauca in tanta materiæ hujus amplitudine pro instituto nostræ Scriptiunculæ, et velut occasione facta, dixisse sufficiat, cæteris apud Theologos nostros Dogmaticos plenius addiscendis.

Ex his autem manifestum jam est antiquam illam Ecclesiæ, secundam pœnitentiam excludentis, severitatem neutiquam aut *Montanistarum*, aut *Novatianorum* erroribus quicquam patrocinii attulisse; hi enim ipsam Ecclesiæ *potestatem*, dimittendi post Baptismum relapsorum peccata, aggressi, eamque penitus subvertere moliti fuerant: at vero hæc, quæ et *solvendi*, et *ligandi* POTESTATEM, a Christo *Matth.* XVIII, 18, et *Jo.* XX, 23, acceperat, utriusque duntaxat USUM, tanquam in suo arbitrio positum, ita moderabatur, ut *tunc, et toties, et eo modo, quo, et quando, et quoties* id expedire judicasset, peccata a pœnitentibus rite exposita, pro sua Authoritate, ac per suos Sacerdotes, aut *dimitteret*, aut *retineret*, cæteris, quæ ex ipsius Christi institutione ad hoc Sacramentum requisita erant, inviolate observatis.

Quanto in arcto, pro *quanto arctius.*

Tanto operosior probatio est, i. e. eo per plura magisque ardua pœnitentiæ opera debet demonstrari, ut fidem facere possit, eam seriam esse sinceramque.

Sola conscientia, id est solo *animo*, seu actu *interno.*

Proferatur. Junius legit *perferatur*: quod improbare non possum; malo tamen vulgatam lectionem retinere.

Aliquo etiam actu. Exteriori scilicet, ac *sensibili; actum* enim hic pro *facto* accipit, ut ex *Cap.* III, *Not. Agitur*, colligitur.

Exomologesis. Ἐξομολόγησις dicitur ab ἐξομολογέω, quod SS. Scriptoribus proprie *confiteri* significat. Est autem, ut idem Tertullianus, *L. de Orat. c.* 6, definit, *petitio veniæ*; quia qui veniam petit, delictum confitetur. Juvat autem quædam exempla proferre; sic enim *Psal.* XXVII, 7, ubi in Hebræo habetur: ומשירי אודנו, Aquila sic vertit: Καὶ ἀπὸ ᾄσματός μου ἐξομολογήσομαι αὐτῷ, *Et de cantico meo* confitebor *ei*; LXX vero: Καὶ ἐκ θελήματός μου ἐξομολογήσομαι αὐτῷ, quod Vulgatus noster: *Et ex voluntate mea confitebor ei.* Non dicit IN, sed EX *voluntate* mea, ut non sit confessio mere *intra voluntatem* retenta, sed *exterius* quoque manifestata. Sic *Ps.* XXIX, 10, ubi Hebr. היודך עפר היגיד אמתך Symmachus ita reddit: μὴ ἐξομολογήσεταί σοι κόνις, ἢ ἀπαγγελεῖ τὴν ἀλήθειαν σου; *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Significat ergo hic *confessionem*, quæ *annuntiatio* quædam est, in actu *externo* posita, ac per metaphoram *pulveri* applicata. Quam in rem multa alia exempla ex Vet. Lege proferri possent.

Ut autem ad Novum quoque Test. veniamus, *Matth.* III, 6, de *Joanne* dicitur: *Baptizabantur ab eo*, confitentes (ἐξομολογούμενοι) *peccata sua*; quæ utique externa quædam confessio erat, externis scilicet actibus demonstrata; neque enim temere Joannes administrabat Baptismum suum, sed iis duntaxat, quorum seria pœnitentia ex operibus externis nosci poterat. Sic et *Act.* XIX, 18, habetur: *Multique credentium veniebant*, confitentes (ubi rursus ἐξομολογούμενοι) et annuntiantes (externe nimirum) *actus suos.* Quid autem clarius eo, quo *Rom.* XX, 10, Apostolus ait: *Corde creditur ad justitiam*, ORE *autem* FIT CONFESSIO (στόματι δὲ ὁμολογεῖται) *ad salutem.* Quamquam autem non nesciam, apud profanos scriptores nonnunquam alio sensu sumi, attamen in S. Scriptura ἐξομολόγησις perpetuo per *confessionem*, quæ *ore* perficitur, exprimi solet. Cæterum etiam singulariter pro *confessione peccatorum* accipitur 1 *Jo.* I, 9: Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, κ. τ. λ. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Item *Jac.* V, 16, Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα ὑμῶν. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, etc. Unde a Græcis Theologis etiam *Exomologesis* simpliciter posita pro *confessione peccatorum*, imo pro *tota pœnitentiæ actione*, prout etiam *satisfactionis* opera includit, plerumque sumitur, hacque ipsa significatione ad Latinos quoque translata, eodemque usu hactenus retenta fuit.

At vero Sæc. VIII paulo latius etiam ad *Litanias*, seu *supplicationes publicas*, extendi cœpit, ut S. Isidorus *Etymol. l.* VI, *cap.* 19, *circa fin.* testis est: *Inter* LETANIAS et EXOMOLOGESIN, inquiens, *hoc differt, quod* exomologeses *pro sola* confessione *peccatorum agantur*, Letaniæ *vero dicuntur propter rogandum Dominum, et impetrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una significatione habetur, nec distat vulgo, utrum* letaniæ, *an* exomologesis *dicantur.* Interea vero apud Orientales antiqua illa significatio permansit, ut ex *Cap.* II *prioris Epist.* ab *Hieremia*, Patriarcha CP, ad *Lutheranos* an. 1574 datæ, colligitur: imo et a Latinis nostris Theologis usque hodie frequentatur.

Neque vero absque causa huic vocabulo paulo longius immorati fuimus; cum enim Theologi nostri hac voce potissimum contra *Calvinianos* uti soleant, « caute et prudenter, ut Petavius *in Animadvers. in S. Epiph. ad Hær.* 89, observat, in hujus vocis « interpretatione versandum est, ut ex ipso narra« tionis contextu, quo sensu a Patribus usurpata « sit, dijudicare possimus. »

Confessione, i. e. *per confessionem*; hæc enim satisfactioni prævia est. Neque enim per *satisfactionem* alterius læsi *injuria* reparatur, nisi hæc ipsa satisfactio *a corde pœnitente*, ac *ore confitente* processerit.

Pœnitentia nascitur. Loquitur hic de operibus pœnitentiæ, quæ mox postea accuratius enumerat.

Prosternendi. Quatuor olim erant Pœnitentium *ordines* ac veluti *gradus*, scilicet *Flentium, Audientium, Substratorum, et Consistentium.*

FLENTES (προσκλαίοντες) dicebantur, qui extra januam Ecclesiæ, sub porticu, seu humiliori quodam illius tecto, ciliciis induti, cineribus conspersi, etc., genuflexi, vel, pro magnitudine criminum, etiam toto corpore prostrati, amaras inter lacrymas, inter singultus et ejulatus nonnunquam, ab in et egredientibus precum subsidia, quibus apud Episcopum pro sua in Ecclesiam receptione intercederent, implorabant.

AUDIENTES (ἀκροώμενοι, seu *auscultantes*) jam intra Ecclesiæ januam admissi eo in loco, qui ῥάβδῳ seu *ferula* (quasi pro iis proprie, qui adhuc sub ferula *disciplinæ Ecclesiasticæ* erant, destinatus) appellabatur, et ab ipsa Ecclesia per tabulas vel cancellos quosdam separatus erat, stabant, ad Divinas Scripturas aliasque Lectiones sacras *audiendas* illuc intromissi, at vero incipiente *Missa catechumenorum* rursus expellendi, ceu nondum digni, qui de precibus reliquorum fidelium participarent.

SUBSTRATI (ὑποπίπτοντες) erant, quibus intra ipsam Ecclesiam usque ad *ambonem* (locum *Epistolæ* et *Evangelio* legendo destinatum) locus indulgebatur: ita quidem ut et preces suas cum reliquis fidelibus conjungerent, et frequentes manuum impositiones (ex quibus, saltem ultimam, *sacramentalem*, seu a peccatis *absolutoriam*, fuisse aliqui opinantur) genuflexi, aut in terram prostrati reciperent, incipiente autem Oblatione, quam nos *Offertorium* vocamus, ab Ecclesia exire compelle-

rentur. Atque hic *Ordo substratorum* a Patribus Latinis sæpe absolute et simpliciter *Pœnitentia*, et *substrati* ipsi *pœnitentes* dicebantur; quoniam priores duæ classes, nonnisi velut dispositiones ad ipsam pœnitentiam habebantur; in tertia vero hac ipsa *satisfactio* per laboriosa pœnitentiæ opera, jejunia, vigilias, aliaque carnem excruciantia, non jam sponte, et proprio arbitrio, sed ex ipsius Ecclesiæ, tanquam illa suis delictis commensurantis, ordinatione suscipienda, peragebatur, ut in pulcherrima illa S. Paciani *Paræneси ad pœnitentiam*, et apud Jucnin. in *Tr. de Pœnit. Cap.* IV, *art.* 3, aliosque videre est.

Consistentes (συνιστάμενοι) denique vocabantur, quibus inter *ambonem et sanctuarium* consistentibus, cum cæteris fidelibus ipsi etiam Sacrificio interesse licebat, solum a sacræ Mensæ, seu Eucharistiæ, participatione, ad probandam eorum constantiam, seclusis.

Atque hos demum ordines cum emensi fuissent pœnitentes, publicam et *solemnem* a delictis *absolutionem*, quæ denique *sacramentalis* fuerat, ab Episcopo, aut hujus jussu a Presbytero dandam, consequebantur, porro S. Mensæ et totius Ecclesiæ Communioni restituti.

Sicut autem dubium non est, jam ab Apostolorum temporibus omnes passim Ecclesias magna severitate usas fuisse, ut nonnisi eos, quos vere et ex animo pœnitentes esse diutius comprobassent, reciperent, ita modum, seu *ordinem* recipiendi, nec semper, nec ubilibet, eumdem observatum fuisse constat. Certe autem *Tertullianus* noster, in recensendis suorum temporum traditionibus, et disciplinæ, præsertim Africæ Ecclesiarum, jam tunc præ cæteris rigidarum, observantiis, alias tam sedulus, nullibi tamen illarum classium apertam distinctionem facit.

Sed neque in Ecclesiæ Romanæ usu tunc fuisse videntur; namque Eusebius *H. E.* L. V, *Cap.* 27, de *Natalio* pœnitente ita duntaxat loquitur: *Mane surrexit, cilicio et sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore et lacrymis ad pedes* Zephyrini *Pontificis* (is autem ipsis Tertulliani temporibus, ab an. 197 ad 217 sederat) *se supplicem abjecit, et non modo ad Cleri, sed ad Laicorum quoque genua provolutus est, ita ut Christi misericordis Ecclesia, illum magnopere commiserata, lamentis una se dederet.* Attamen ille (vide rigorem disciplinæ illorum temporum), *licet multis precibus uteretur, et plagarum vibices, quas pertulerat* (quippe ab Angelo per noctem quamdam, dum in hæreticorum consortio versabatur, tam acriter castigatus fuerat) *ostenderet, vix tandem in Ecclesia ad communionem receptus fuit.* Nullus autem hic prædictarum *classium* ordo observatus fuisse legitur.

Vide autem, quis tempore S. Cypriani, Tertulliano posterioris, pœnitentiæ agendæ mos in Ecclesia Carthagin. vigucrit. Ita ergo in *Tr. de Lapsis* inquit: *Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari et sordibus, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere*, etc., ubi rursus nulla classium illarum successio observatur, quam utique S. Cyprianus dissimulaturus non fuisset, tam solerter allis quoque in locis, et ex instituto quidem, de *pœnitentiæ publicæ* usu verba faciens. Verisimilius tamen est, illas pœnitentium classes circa ipsa Cypriani tempora, non in Africa quidem, sed Oriente introductas fuisse; primus enim easdem *S. Gregorius*, Neocæsareensis in Ponto Episcopus (qui vulgo ob vitæ suæ sanctitatem et miraculorum a se patratorum multitudinem *Thaumaturgus* nuncupatus) *A. C.* 265 in cœlum abiit, in sua *Epist. canonica*, enumerasse reperitur: si tamen *canon* ejus *ult.* ipsius Gregorii (de quo nonnulli dubitare volunt), et non potius a Græco quodam juniore assutus est.

Saltem vero ex S. Basilio M. Cæsar. Episc. *Epist. Canon. ad Amphiloch. can. ult.* illam pœnitentiæ in quatuor gradus (πρόκλαυσις, *fletum*: ἀκρόασις, *auditionem*: et ὑπόπτωσις, *substrationem*: et σύστασις, *consistentiam*) divisionem jam *Sæculo* IV (namque S. Basilius an. 379 ad Superos migrasse noscitur) obtinuisse constat. Sed ita occasio tulit, ut rursus, præter consilium susceptæ hujus opellæ, nonnihil prolixior essem. Quamquam longe plura dabunt Dogmatici nostri, præcipue vero *P. Joan. Morini*, Presbyteri Congreg. Orator. Eruditissimus ille *Commentarius Historicus de Disciplina Pœnitentiæ*, etc. quo vastissimum hoc argumentum vel solus prope exhausisse videtur.

Humilificandi. Magis latine quis diceret *humiliandi.*

Conversationem. Sumitur hic pro ratione, ac modo *cum* hominibus *versandi*, atque inter eos agendi, quam Græci ἐμπολιτεύεσθαι dicere solent.

Misericordiæ illicem, scilicet quæ misericordiam Dei *allicere* ac provocare possit. Est autem *illex, illicis*, ab *illiciendo*, ut Festus ait, ducta vox. Atque hoc sensu Noster, *Apol. c.* 41, gentiles *malorum illices* appellat; et in *L. de Pat. cap.* 13, dicit, quod *patientia Dei clementiam eliciat.* Dicitur etiam *illex, illegis*, qui *sine lege* vivit: sed hoc non ad rem nostram.

Habitu, seu *vestimentis.*

Sacco. Saccus erat pannosa vestis, ex *caprorum, asinorum*, vel *camelorum* horridioribus pilis contexta, quæ in signum luctus induebatur. Est autem vox ipsa Hebraicæ originis, qua lingua ejusmodi vestis lugubris שק dicitur. Sic II *Reg.* III, 31, dixit David ad Joab, et ad omnem populum: *Scindite vestimenta vestra, et accingimini* (שקים) saccis. Et III *Reg.* XXI, 27, Achab, *auditis sermonibus Eliæ Prophetæ, operuit* שק cilicio *carnem suam, jejunavitque et dormivit* בשק in sacco, etc. Vide etiam IV *Reg.* XIV, 1, et II *Esdr.* IX, 1, alibique pluries.

Porro ab Hebræis vox hæc ad Græcos, indeque ad Latinos defluxit. Sic enim S. Joan. Evang. (utique *græce* scribens) *Apoc.* VI, 12, ait: *Sol factus est niger tanquam σάκκος τρίχινος*, seu, ut Vulgatus noster reddit, saccus cilicinus. Quid vero? annon id singulare, quod eadem vox ad *Italos, Gallos, Hispanos, Anglos, Flandros, Hungaros*, etc. penetraverit, et in ipsam quoque *Germaniam* eadem vox Hebræa שק **Sack** se effuderit?

Cineri incubare. Cinerem quoque, id est, *pulverem terræ*, in signum publicum luctus adhibitum fuisse, prope innumera, Veteris etiam Testam. exempla commonstrant, præsertim ea, quæ in *Lib. Esther* habentur, ut *c.* IV, 1, est illud de Mardochæo: *Scidit vestimenta sua, et indutus est* שק ואפר sacco, et cinerem *spargens capiti.* Et ib. v. 3: *Planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, et fletus,* שק ואפר sacco et cinere *multis pro strato utentibus.* Item II *Esdr.* IX, 1, ubi: *Convenerunt filii Israel cum jejunio in saccis,* ואדמה et humus (i. e. pulvis terræ) *super eos.*

Corpus sordibus obscurare, nitorem ejus obscurando.

Quæ peccavit. Neque autem *peccandi* verbum *accusandi* casu jungere Latinis insolens est. Sic enim apud Plaut. in *Bacchide*: *Si unum peccavisses syllabam*, etc. Simile est apud Cic. *L.* I *de Off.* ubi ait: *In Republica multa peccantur.* Et in Paradoxis: *Quidquid peccatur, in perturbatione peccatur rationis*, etc.

Tractationi mutare, pro *retractare*, ut passim alibi.

Pura, i. e. *simplicia*; sic enim in *L. de Pat. c.* 13, ait: *Contenta* simplici *pabulo*, puroque *aquæ potu.*

Jejuniis preces alere. Elegans translatio, per antithesin *jejuniis* adjuncta. Et sane, quæ *corpori* detrahuntur, eo magis nutriendæ, ac velut impinguandæ *animæ* sunt.

Mugire. Mugitus, boum alias proprius, hic pro *ejulatione*, maximam doloris vim exprimente, accipitur.

Charis. Aliqui *aris* habent; atqui retinui *charis*, seu, ut a veteribus scribi consueverat, *caris*, i. e. *amicis Dei*, piis nimirum fidelibus, maxime *Confessoribus* et *Martyribus*.

Legationes dep. suæ injungere. Ut videlicet tanquam apud Deum pro pœnitentibus intervenirent. Quidni autem id magis possint ii, qui extra hanc mortalitatem propiores jam Deo sunt, quin vero intime conjuncti? Aut cur isti preces nostras non *audiant?* cur horum pro nobis preces minus, quam vivorum, *exaudiat* Deus?

Timore Dominum honoret. Jam enim supra *cap.* VII dixerat: *Timor hominis* (salubriter Deum offensum timentis) *Dei honor est.*

Pronuntians sententiam, tanquam in reum ferendam.

Pro Dei indignatione fungatur, i. e. *Iræ*, et *vindictæ* Dei, eam præveniendo, vices expleat.

Afflictione. Afflictio animum afficit; *afflictatio*, ut ait Cic., IV *Tusc.*, est *ægritudo cum vexatione corporis.*

Non modo frustretur, sed expungat. Frustratur, qui evitat, et declinat: *expungit*, qui prorsus delet, atque *abolet*, omni præcluso reditu. Sed quam elegantes sunt, quæ mox sequuntur *antitheses!* Cæterum de *expungendi* verbo copiosius supra *cap.* III, *not. Expungit*, diximus.

Notæ ad Caput X.

Præsumo ponitur hic pro *existimo*, aut *suppono*, vel *anticipato judicio.* Sic Noster in *Apol.*, *c.* 2, ait: *Cum* præsumatis *de sceleribus nostris ex nominis confessione*, etc.

Conscientiam, seu ex manifestatione haustam notitiam.

Prodactæ, i. e. temere projectæ, aut profusæ. Sic enim in *L. de An.*, *c.* 48, ait: *Certiora et evolutiora somniari affirmant sub extimis noctibus, quasi jam emergente animarum vigore, producto sopore.*

Reformari, scilicet ad *salutem*, eandem in se restaurando.

Næ tu verecundia bonus. Ironia satis amara.

Expandens frontem. Frons, animi index, expanditur *audacia.*

Ad deprecandum vero subducens. Eadem remittitur dejectione et *pusillanimitate.*

De detrimento ejus. Ὑστερολογία est, ita suo ordini restituenda: *plus de eo detrimenti*, aut *plus de detrimento, quod ab eo inferri solet, acquiro.*

In risiloquio. Græci σαρκασμὸν, aut εἰρωνείαν, Latini *irrisionem*, dicere solent.

Prostrato superscenditur. Nihil sane vilius, ignobiliusve dici potest, quam ex aliorum depressione crescere velle, cum propria quis virtute non possit.

Spes. Ita obnixe pro *species* lego, voce sane hinc expellenda, nimisque hic absurda.

Plausores, i. e. *irrisores.* Ita enim in *Apolog.*, *c.* 35, etiam habet: *Plausores quotidie revelantur.*

Ad remedium conlabor et necesse est. Utique ad illud Pauli I *Cor.*, XII, 26, alludit: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.*

Ecclesia vero Christus. Nam ut rursus Apostolus *Ephes.*, V, 23, inquit: *Christus est Caput Ecclesiæ;* et *Coloss.*, I, 18, ait: *Ipse est* CAPUT *corporis* ECCLESIÆ.

Christum exoras. Nam aliquando Christus non pro *capite* tantum *Ecclesiæ*, sed pro *capite* et *membris* simul, id est, pro universo *corpore Ecclesiæ* sumitur. Sic enim S. Aug. in *L.* XXXIII *QQ. q.* 69, ait: *Christum etiam recte appellari universum, hoc est*, Caput *cum* corpore *suo, quod est* ECCLESIA. Unde idem in *Ep. ad Honorat. de Gratia Nov. Test.*, *c.* 7, ait: *Ecclesia in Christo patiebatur, quando pro Ecclesia patiebatur; sicut in Ecclesia patiebatur ipse, quando pro illo Ecclesia patiebatur.* Rursusque in *Psal.* 88, ita disserit: *Cum jam sederet in cœlo, non de cœlo clamabat*, Saule, Saule, quid persequeris *servos meos*: *nec*: Quid persequeris sanctos meos, *nec*: quid persequeris *discipulos meos: sed* Quid ME persequeris? *Sicut ergo, cum eum sedentem in cœlo nemo persequeretur, clamavit:* Quid ME persequeris, *cum* CAPUT membra *sua cognosceret, et a compage* corporis *sui* CAPUT *charitas non separaret: sic*, etc. Sic nimirum, aio ad rem nostram, quæ *fratribus*, quæ *Ecclesiæ membris*, CHRISTO fiunt. Numquid enim ipse *Matth.*, XXV, 40, ait: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis*, MIHI *fecistis?*

Pollicetur. Ironia, etiam per sequentem sententiam continuata.

Conscientia, pro *scientia* simpliciter.

Pervenire. Est præoccupatio cujusdam objectiunculæ.

Malo, per peccatum videlicet.

Cauterio. Cauterium non a *cavendo* derivatum, sed græcæ originis est, ἀπὸ τοῦ καίειν dictum καυτήριον, quod *urendi* vim habet, sicut pulvis, quo caro, in *fonticulis* (*fontanelles*) corpori humano inserendis, erodi solet. Unde et *cauteriatum* dicitur, quod est velut *cauterio* inustum, atque resectum. Sic I *Tim.*, IV, 2, Apostolus dicit: κεκαυτηριασμένοι τὴν συνείδησιν, *cauteriatam habentes conscientiam*, quæ cum putris fuisset, et peccatis corrupta, *cauterio* inusta, atque resecta est. Vide Calm., in *h. l.*

Commendat. Quo sane nihil elegantius dicere potuit.

Notæ ad Caput XI.

Potiorem, i. e. præcipuam causam, quæ a pœnitentia deterrere possit, tanquam ad animam pertinens, quæ multo delicatior est, sæpeque a levioribus quibusdam longe acrius, quam corpus a doloribus, longe gravioribus, ipsisque tormentis, irritari solet.

Sordulentos. Horridiuscula quidem in Latinis auribus vox. Sed quis eam tantopere execretur, cum apud Plautum in *Pœnulo* etiam *sorditudinem* pro *sordities* reperiat?

Deversari. Simpliciter pro *versari*, ut jam sæpius alibi de ejusmodi *compositis* monuimus.

In asperitudine. Nominis hujus asperitatem cultius Latii solum ægre tolerabit, tanquam in exustis Africæ desertis natam. Nimirum, quod in proverbio est, *Africa semper aliquid novi*, et sua vocum monstra jam olim trans maria alienis nonnunquam terris invehens.

Vanitate. Contracta enim ex nimiis jejuniis macie, quasi omnis e vultu attenuato decor *evanescere* seu *evanidus* fieri, solet. At vero quæ hæc jactura, cum *animæ*, velut per alluvionem, eo plus decoris accrescit?

In coccino. Veste *cocco* tincta: quæ vox cum in genere alias Græcis omne *granum* significet, singulariter tamen arboris cujusdam, ilici non absimilis, fructus denotat, in cujus granis vermiculum rubri coloris nasci dicunt, ex quo lana, aut sericum, *coccineo* seu *purpureo* colore imbui solet.

Certe autem *coccineus* et *purpureus* color in Evangelio confundi videntur; etenim cum Matthæus, *cap.* XXVII, 28, de Judæis, Christo tanquam Regi suo illudentibus, dixisset: *Circumposuerunt ei* χλαμύδα κοκκίνην, *chlamydem* COCCINEAM: Marcus, *cap.* XV, 7, ait: ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν, *induerunt eum* PURPURA; cui et Joannes, *c.* XIX, consentit: *Imposuerunt ei* ἱμάτιον πορφυροῦν, *vestimentum purpureum.*

Cæterum vero alias *purpuram* et *coccineum*, si strictius loquamur, distingui, dubium non est; *purpuram* enim dicimus, quæ *rubri*, sed *violaceo* suffusi, coloris est, cum *coccineo* vividior, ac hilarior sit, qualis in sanguine adolescentum præcipue efflorescere solet.

Tyrio. Qui color proprie *purpureus* est, omnium olim pretiosissimus. De inventore ejus ita *Pollux* apud Sam. Pitisc. in *Lex. verb.* PURPURA habet: *Tyrii ferunt*, Herculem *captum amore Nymphæ indigenæ.* Tyro *vero nomen erat Nymphæ. Sectabatur autem*

Herculem canis, qui per scopulos adrepentem PURPURAM (pretiosi conchylii genus) *conspicatus, ipsius prominentem caruncul*am *mordicus arripuit, et pro cibo usus est, cruorque labra canis puniceo colore infecit. Ut vero herus rediit ad puellam, illa conspicata labra canis insueta tinctura infecta, negavit sibi quidquam posthac cum illo fore, nisi ad se afferret vestem canis illius labris splendidiorem. Sic itaque Hercules, animante inventa, collectoque cruore, munus puellæ detulit, primus, ut* Tyrii *dictitant, inventor puniceæ tinctur*æ. Verum S. Greg. Naz. *Orat.* III *adv. Julian.* pastori cuidam hujus *purpuræ* inventionem tribuit, ita inquiens : *Quid? annon eam Tyriis relinques, a quibus ἡ ποιμενικὴ κύων, ἡ τῇ κόχλῳ βρωθεῖσα, καὶ τὰ χείλη καθαιμαξᾶσα, τῷ ποιμένι τὸ ἄνθος γνωρίσασα* (*pastoralis ille canis fuit, qui exeso murice, labiisque cruore perfusis, pastori florem notum reddens*) *per os vobis Imperatoribus pannum illum improbis luctuosum et superbum porrexerit?*

Cæterum vestis *purpurea* olim propria Regum fuerat, deinceps etiam familiæ suæ, et Optimatibus Regni cómmunicata, ut indicio esset, eos in Majestatis regiæ participium admissos fuisse. Reges *Madian* purpureis vestibus usos, similesque ab illis *Gedeoni*, Israelitarum Judici, dono missas fuisse, ex *Judic.* VIII, 26, liquet. *Daniel*, cum arcanum Scripturæ, Balthasari regi in somnio ostensæ, sensum prophetico suo spiritu revelasset, *purpuram* et aureum torquem, sibi in regium munus obvenisse, ipsemet *cap.* V. 4, testatur. Sic, ut alia ejusmodi exempla præteream, *Alexander Bala*, Syriæ rex, *Jonatham Macchabæum* aurea corona et *purpura* remuneratus fuisse I *Mach.* X, 20, legitur.

Cedo. Adverbialiter pro *da*, aut *exhibe mihi*.

Acum crinibus distinguendis. Instrumentum mundi muliebris, ab officio suo *acus crinalis* appellatum, ac ad capillorum cincinnos figendos excogitatum : de quo Martialis *L.* XIV, *Epigr.* 24 :

> Figat acus sparsas, sustineatque comas.

Et *L.* II, *Epigr.* 66 :

> Unus de toto peccaverat orbe comarum
> Annulus, inserta non bene fixus acu.

Erat et *discriminalis* alia, a crinibus velut singillatim, improbaque, saneque improbanda industria *discriminandis* dicta. Hoc autem inter *virgines* et *mulieres crinium* discrimen erat, quod illæ *cirratis*, hæ vero a fronte *divisis* uterentur. Unde Noster in *L. de vel. virg., c.* 12, ait : *Simulque se mulieres intellexerunt... vertunt* (prope scripsissem *verrunt*) *capillum, et in acu lasciviore comam sibi inferunt* (quidni potius *inserunt?*) *crinibus a fronte divisis apertam professæ mulieritatem.*

Dentibus elimandis. Pulvere olim quoque dentes detergi solebant; et hinc sunt illi apud Apuleium, quos *Apol., l.* I ex Catullo depromptos recitat, versiculi :

> Misi, ut petisti, mundicinas dentium,
> Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum,
> Complanatorem tumidulæ gingivulæ,
> Converritorem pridianæ reliquiæ;
> Ne qua videatur tetra labes sordium,
> Restrictis forte si labellis riseris.

Bisulcum. Forficem intelligit, ferreum, aut æneum instrumentum, bifurcum, etc., a sartoribus mutuatum.

Repastinandis. Rusticum verbum, et *vinitorum* maxime proprium, qui *repastinare* dicunt, agrum *pastino* (bifurco pariter, sed longe alterius generis, instrumento) refodere **den Acker umhacken**. Quoniam vero repastinatione, fruticibus alienis aut lapidibus erutis, purgatus ager, ideo etiam quælibet purgamentorum, ipsaque unguium resectio per verbi translationem *repastinatio* appellari solet. Hoc fermo sensu etiam de rerum superfluarum, aut noxiarum amputatione in *L. de Cult. fœm., c.* 9, usus reperitur : *Quomodo humilitatem poterimus, non repastinantes divitiarum vestrarum vel elegantiarum usum*, etc. Itemque in *L. de An., c.* 50 : *Non magiæ tantum dabit quisquam, ut eximat mortem, aut* REPASTINET, *vitis modo* (pro *ad instar*) *vitam, ætate* RENOVATA. Item L. II adv. Marc., c. 18 : *Ut commissio injuriæ metu vicis statim occurs*urÆ REPASTINARETUR. Sed et in *Exhort. ad cast.*, c. 6, *repastinationis* vocabulo pro *revulsione*, aut *rescissione* utitur.

Coacti roboris. Suggillat hic mollium ac effœminatorum hominum pigmenta, quibus veterem (imo jam vetustam) et velut effœtam suam formositatem, novo mendacio relinire, itaque *cogere* ac velut *extorquere* jamjam invitam rubedinem *purpurissa* solent.

Balneas. Nomen hoc in plurali fœminino ipse etiam Cicero effert, ut in Orat. pro M. Cœlio *balnearum Xeniarum* meminit.

Hortulani, pro *hortensis.* Hoc adjectivo autem sensu vox *hortulanus* apud veteres alios vix occurret.

Senectutem vini. Elegans ad vinum vetustum significandum metaphora, quod ob lenitatem suam, jam exutam *mordacitatem*, *edentulum*, quasi dentibus carens, veteres dixere, ut iterum Plaut. *in Pen., Act.* III, *Sc.* 3.

> Vetustate vino edentulo ætatem irriges.

Ut autem senectus vini cognosceretur, e vasis vinariis tabellæ suspensæ erant, quo anno quibusve consulibus quodlibet vinum conditum fuisset, præ se ferentes. Atque hinc est illud Tibulli :

> Nunc mihi fumosos *veteris* proferte Falernos
> Consulis.

Unde *Vinum Consulare* pro vetustissimo optimoque usurpatum habetur : inter quæ maxime *Opimianum*, a Consulatu *L. Optimii* (sub quo, ut testatur Plin., *l.* XIV, *c.* 14, optimus vini proventus erat) olim, et maxime a Petronio Arbitro *c.* 34 celebratum fuerat; cujus etiam Cicero in *L. de claris Orat. c.* 83 meminit, de *falerno* vino agens, *sed eo nec ita novo, ut proximis Consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut* Optimium et Anicium *Consulem quærat.* At vero cum consulatus *Optimii* in *an. U. C.* 632, *ante Chr.* 119, inciderit, Petronius vero circa *A. C.* 66, seu *U. C.* 818 obierit, patet, tempore *Petronii* vinum illud facile 180 *annorum* fuisse.

Sed quid hoc ad vinum illud, quod in vetusta arce, **Schrofenstein** appellata, prope **Landeck** in Tyrolensi Comitatu, asservatur, et plusquam 400 annorum senectutem ferre dicitur. Certe dolium jam vietum ac carie exesum, vinumque ipsum tartareo suo cortice, ne qua effluere possit, undique conclusum esse perhibent. Atque vinum hoc (namque ab insigni quodam in vicinia Amico propinatum gustare licuit) tartarei odoris ac saporis est de quo jure dixeris illud ejusdem Cic. *loc. cit. Nimia vetustas nec habet eam quam quærimus suavitatem, nec est jam sane tolerabilis* : spiritus excipio, plane heroicos, et ultimis senectutis scintillis denuo accendendis aptos. Atque hæc per digressionem, ex occasione natam, memorasse libuit.

Animæ largiaris. Seu in eandem tam *liberalis et largus sis.* Aliunde autem constat, crasse nimis de *Anima* sensisse Tertullianum, quippe quam in *L. de Anim.* passim, præsertim *c.* 38, asserit, non minus quam corpus, in pubertate adolescere, ciborum quoque in anima concupiscentiam esse, certo quodam colore concupicuam, etc., *c.* 9 affirmat.

Delinquendo læsi. Hæc abs dubio ironica sunt, contra eos dicta, qui etiam tunc, cum corpori omnia indulgent, satisfacere se pro peccatis posse arbitrantur.

Ambitu obeunt, i. e. *perambulant*, vel *circumambulant.*

Magistratus. Est *Magistratus* munus quoddam in

republica cum potestate juris dicundi : et aliquando ipsas etiam personas ejusmodi potestate fulgentes, Romanis significabat. Erat autem multiplex genus Magistratuum : erant *urbani*, qui in ipsa Urbe, deinde *Provinciales*, qui provinciis Reipublicæ Rom. subjectis jus dicebant : ut *Proconsules*, *Prorœptores*, *Legati Proconsulum*, et *Propræturum Quæstores provinciales*, etc. Erant item ex Urbanis *majores*, qui *comitiis centuriatis* creabantur, ut *Consules*, *Censores*, *Prætores*, etc. Alii *minores tributis comitiis* creari soliti, ut *Quæstores urbani*, *Tribuni plebis*, *Ædiles plebis*, etc. Ex utroque hoc genere erant *ordinarii* et *extraordinarii*. De his diffuse et accurate tractat Thomas Demsterus *L. V. Antiq. Rom. c.* 5 *per tot.*

Neque pudet, neque piget. De Candidatis jam quædam in *l. de Bapt. c.* X, *not. Candidatus remissionis*, attigimus : nunc autem de iis, quasi ab origine sua revocandis, breviter nonnulla dicenda videntur. Cum igitur Magistratus in comitiis per suffragia populi creari mos esset, ex populo autem plerique ipsas personas, quæ ad illos honores aspirabant, ex vultu et meritis suis ignorarent, opus erat illis, suffragia populi meritorum suorum commemoratione, personæque ipsius ostensione conquirere. Primo igitur, ut dignosci possent, *candida* veste (erat autem inter hanc et *album* id discriminis, quod illa ope cretæ cujusdam ad illustrem quemdam ac majorem nitorem expolita fuerit) induti, per *trinundinum* (quod erat tempus 27 dierum, nam nono quolibet die *nundinæ* in foro agi consueverant) in campo Martio comparebant super *collem hortulorum* dictum, ut magis conspicui essent, considentes : tum vero populo adventante circuibant, obvios quosque salutando, ac omnis generis officiis demerendo.

Hæc autem populi sibi conciliandi ratio 4 præcipue partibus conficiebatur : *nomenclatione*, *blanditia*, *assiduitate*, et *benignitate*.

Nomenclatio in eo posita erat, ut quemlibet civium (alias enim se hactenus neglectos, aut non parem cum aliis eorum rationem habitam fuisse, conqueri poterant) nomine suo compellare nossent. Cum vero id in tanta populi multitudine nimis arduum esset, quivis candidatus suos sibi adsciscebat, qui petitori singulorum prætereuntium nomina suggererent, *nomenclatores* dicti, a Cic. vero in Orat. pro Muræna *monitores*, a Festo *fartores*, quod in candidatorum aures nomina civium clam velut *infarcirent*, appellati. *Blanditia* dicebatur, cum non proprio duntaxat nomine, sed blandiori etiam, *patrum*, *fratrum*, *patronorum*, etc. ceu quibus arctissime adstricti essent, compellatione salutabant. *Assiduitas* præcipue in *ambiendo*, *prensando*, et *rogando*, consistebat. *Ambibant* autem, seu *circuibant* in plateis quoque ac vicis, et non *Romæ* solum, sed in aliis quoque *Italiæ* civitatibus, in quibus cives multos negotiandi causa versari noverant. Circuibant vero aut per semet, aut alios amicos, ad hujus officii partem adscitos, illucque missos, aut alias ibidem constitutos. *Prensatio* fiebat, singularum dexteras *prehendendo*, *osculando*, *dissuaviando*, etc. *Rogatio* dicebatur, cum inter preces, non raro prorsus putide humiles, commemorabant beneficia jam alias a populo accepta, denudabant etiam cicatrices suas, quas forte pro patria adverso pectore in acie acceperant, etc., tum vero ut hujusmodi rerum intuitu suffragia sibi deferrent, rogitabant, etc. Atque in his cum soli sufficere non possent, etiam alios claros viros adhibebant *suffragatores* dictos, qui virtutes potentium populo commemorabant, etc. His quoque officiis accedebat *benignitas*, qua populum per *congiaria*, *missilia*, *convivia*, *ludos gladiatorios*, *pecuniarum*, prius apud *sequestros*, fidei causa, deponendarum, divisionibus, etc., demerebantur, cujusmodi muneribus aliquos integra sua patrimonia nonnunquam exhausisse compertum fuit.

Ne vero nimium hæc a nobis exaggerata fuisse quisquam existimet, sane non abs re videtur nonnulla ex *Cicerone* huc transferre, *Q. Tullium*, fratrem suum in L. de *Petit. Consulat.* ita instruentis : *Multi homines urbani, industrii, multi libertini, gratiosi in foro quaviique versantur, quos per te, quos per communes amicos poteris sumere : cura, ut tui cupidi sint : elaborato, appetito, allegato, summo beneficio te affici ostendito. Deinde habeto rationem urbis totius, collegium omnium pagorum, vicinitatum : ex iis principes ad amicitiam tuam si adjunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis. Postea totam Italiam fac ut in animo et memoria tibi tributim* (per Tribus) *descriptam comprehensamque habeas, ne quod* municipium, coloniam, præfecturam, *locum denique Italiæ ne quem esse putare in quo non habeas firmamentum quantum satis esse possit. Perquiras etiam, et investiges homines ex omni regione, eosque cognoscas, appelas, confirmes, cures, ut in suis vicinitatibus tibi petant, et tua causa quasi* candidati *sint.* Putasne vero, his denique negotium hoc rite absolutum fuisse ? imo multo superarant plura, quæ ex eodem Cicerone *ibid.* exactius discces, quem legisse volupe erit.

Sed quorsum hæc omnia, et tam prolixe commemorata? Nimirum ut eo magis penetrari vis argumenti valeat, quod Tertullianus hic tantopere urget. Hæc nimirum tam gravia, tam molesta, tam diuturna, tam ferme insuperabilia, Viris in Republica Romana gravissimis, de eadem jam alias diu et optime meritis, subeunda, et tam industrie, tam laboriose, tam lubenter quoque, exantlata fuisse, omnem erubescentiam facile honorum spe pervincente, et nullo alio præmio, quam terreno, et inconstanti, et subin nimis cito transeunte, et tam multis, tam gravibus molestiis, et adversis cincto, ac ut ita dicam, *redimito*, invitatam ; Nos contra CHRISTIANI erubescimus Christum sequi, quem *oportuit* hæc *pati, et ita intrare in gloriam suam*, Luc. XXVI, 26. Atqui vero cum candidati illi nil peccavissent in Rempublicam, qui de ea potius optime meriti fuissent, nobis de venia *peccatorum* agendum est, de *gratia* in nobis restauranda, de GLORIA CŒLESTI, per hanc consequenda, et *in æternum* possidenda.

Contumeliis. Quis enim credat, *candidatos* hos a quibusdam, forte *inimicis*, aut *minus amicis*, non aliquando (pro ea tunc populi licentia) contumeliosius, aut aspernantius, aut ab amicis alioquin, inter tanta, tamque divisa studia, negligentius habitos fuisse? Sed audiamus Sanctum Cyprianum, in *Ep. ad Donatum* hæc elegantissime, ut solet, describentem : *Qui amictu clariore conspicuus fulgere sibi videtur in purpura, quibus hoc sordibus emit, ut fulgeat ! quos arrogantium fastus prius pertulit ! quas superbas fores matutinus salutator obsedit ! quot tumentium contumeliosa vestigia, stipatus clientium cuneis ante, præcessit, ut ipsum etiam salutantem comes postmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, sed potestati ?* Et sic ibidem porro.

Votorum, i. e. *desideriorum*.

Ignobilitates vestium. At ego quidem nihil ignobile in ipso hoc vestitus genere deprehendo; quin vero etiam alias, qui honestiori inter Romanos conditione, et non e vulgo censebantur, in vestibus *candidis* esse solebant, quæ non in Magistratuum duntaxat petitione, sed etiam in *sacris*, in *conviviis* solemnioribus, in *nuptiis*, in *militia*, in *triumphis* tanquam *morum puritatis*, *innocentiæ*, *lætitiæ*, *integritatis*, ac *victoriæ* symbolum adhiberi consueverant, ut apud Jo. Guil. Stukium in *Antiquit. convival. l.* II, *c.* 26, prolixe legere est. Potius ergo crediderim, aut reliquam vestimenti hujus, quo *candidati* utebantur formam ab aliorum aliis discordasse aut ex viliori, quo ignobile vulgus uti solebat, panno fuisse, aut quod sane verisimilius existimo, Tertullianum de iis temporibus loqui, quibus jam candidatorum conditio apud ipsos Romanos eviluerat, atque ignobilis habita fuerat, tanquam *ambitione* omnia jam nimium depravante, et in publicam Reipublicæ corruptelam declinante, quam publicis quoque legibus contra *ambitum* latis vindicari opus fuerat.

Affectant. Aliud omnino est erga rem aliquam *affici*, *moderateque* eamdem *appetere* : aliud *affectare*, seu *immodico* in illam *desiderio* ferri, ipsumque *affectum* ultra æqui limites nimium curiose urgere, ut ii solent, qui paria desideratis merita, aut dotes idoneas non afferunt, et tamen desiderata omnibus modis consequi student, haud absimiles avium pullis qui nondum sat pennatis, ac intempestive sibi plaudentibus alis, nimiumque immatura fiducia, volatum *affectare* cernuntur.

Salutationibus occupant. Ita ergo nocturnis quoque et nimis pertinacibus studiis patronos suos sectabantur, etiam atriis, si quæ patula invenissent, se infundendo, aut intrudendo verius, et tantum non irrumpendo. *Crudas* autem dicit *salutationes*, scilicet cibis e cœna nondum bene excoctis, effusas, aut verius eructatas.

Decrescentes. Non jam *capite*, sed toto etiam *corpore*, ejusdem profundis inflexionibus, a semetipsis *diminuti*, ac chamæleontum instar captandæ populi auræ inhiantes.

Nullis conviviis celebres. Enimvero jam supra *not.* B *Neque pudet, neque piget*, insinuavimus candidatos (florente scilicet eorum adhuc conditione) larga populo sumptuosaque quandoque exhibuisse convivia, etc. At postea, cum etiam plebeii candidatis admisceri cœperant, in tenuiore nimiumque famelica illorum fortuna ipsæ etiam culinæ frigidiores erant.

Congreges. Ut *segrex* dicitur, qui in grege non est, sed solitarius agit, ita *congreges* hic appellat, qui una cum aliis *congreganlur*, seu *in grege* sunt, ut Apuleius *l.* VIII *de Asino aureo* habet : *Me congregem pastor egregius aliquando permisit.*

Unius anni volaticum gaudium. Magistratus enim apud Romanos, Atheniensium exemplo, nonnisi *annuos*, raro et ferme nonnisi sub *Tiberio Imp.* (vide Tacit. *l.* I *Annal. c.* 80) ad plures annos prorogatos fuisse constat. *Imperandi enim* (ait Dion. Halicarn. *Antiq. Rom. l.* IV, *c.* 79) *parendique vicissitudo, et potestatis, antequam corrumpat animum, depositio, cohibet ingenia contumacia, nec sinit mores* (imperantium) *inebriari nimia* C *licentia.*

Securium virgarumque petitio, i. e. Consulatus, aut aliorum Magistratuum petitio; ponitur enim hic metonymice *signum pro re.*

Virgæ autem erant bacilli aliquot teretes, loro in fascem colligati, cui *securis* infixa erat, inde prominens. Iii ergo fasces insignia *Magistratibus* majoribus dati sunt, quibus eorumdem *potestas* vitæ et necis per *securim*, leviorum criminum, et flagra commeritorum per *virgas* castigatio significabatur. Consulibus autem cum in publicum procedendum ipsis erat, *fasces* cum *securibus* a totidem *lictoribus* præferebantur, porro cum illi jus in foro dicerent, pone abstantibus : quo more prima creditur usa fuisse *Vetulonia*, Hetruriæ civitas, de qua Sil. Ital. *l.* VIII :

> Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis,
> *Bissenos* hæc prima dedit præcedere *fasces*,
> Et junxit totidem tacito terrore *secures.*

Æternitatis. Pœnæ nimirum æternæ, nisi per pœ- D nitentiam in tempore resipuerimus addicendi.

Castigationem victus. Quæ fit per frequentiora *jejunia.*

Cultus, i. e. culturæ vestium, quæ per *saccos et cilicia* aretatur.

Sibi irrogant. Ita ergo Christiani nonnunquam erga homines, quibus sæpe nullo gratitudinis vinculo, nullo læsionis reparandæ debito adstringimur, multo liberaliores, atque adeo prodigi, in rebus nostris profundendis esse solemus, ut nostris beneficiis non tam cumulati, quam onerati videri possint; imo nos nobismet ipsis nimio oneri sumus, interim illud Christi *jugum suave et onus leve* (Matth. XI, 30) nimis impatienter ferentes, aut omnino detrectantes. Neque autem, si quis Deo pro injuria debitor fuerit, eidem desperandum est, tanquam solvendo non esset. Enimvero *plura* (ut S. Ambr. *l.* II *de Pœn. c.* 9 ait) *solvendi habet subsidia, qui Deo, quam is, qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia reposcit, quæ non semper debitori præsto est : Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est, qui* DEO *debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit. Et si non habet, quæ vendat; habet, quæ solvat. Oratio, lacrymæ, jejunia, debitoris boni census est, multoque uberior, quam si quis ex pretiis fundorum pecuniam sine fide deferat.* Itaque nulla debitorum conditio melior, quam quibus Deo obnoxii sumus. Non, propterea ut creditori Deo satisfacias, *venumdari* te, omniaque tua necesse est. Orandus est autem Deus cum servo Evangelico Matth. XVIII, 26 : *Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi ?* Quid ergo? *Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.* Quomodo ergo *redditurus* erat, qui *non habebat unde redderet ?* Redditurus erat non *ex suo*, sed *ex alieno*, ex Christi nostri meritis et satisfactione, et neque *aliena*, sed quam *nostram* esse voluit.

Itaque cum ambitiosi illi Romanorum Candidati tam lubenter tantos labores pro adipiscenda *fugitiva dignitate* subierint, quanto melius et benignius nobiscum agitur, eadem opera, multoque leviore, et satisfacere, nobis simul fœnerari possimus gratiam, regnum cœleste, et GLORIAM SEMPITERNAM. *Eant nunc magistratus* (sic cum S. Cypriano in alleg. *Ep. ad Donat.* concludo), *et Consules, sive proconsules :* annuæ dignitatis *insignibus, et* 12 *fascibus glorientur.*

Procero quasi fune nectunt. Forte illud *Prov.* V, 22 (1) respicit : *Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Preceri sane hi funes sunt et vix jam amplius disrumpendi. *Ex voluntate perversa* (ait Sanctus Augustinus *l.* VIII *Conf. c.* 5 proprio experimento hæc nimis comprobans) *facta est libido : et dum servitur libidini, facta est consuetudo : et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, nullis utique humanis viribus, sed per solam D. N. Jesu Christi* GRATIAM *superanda.*

Notæ ad Caput XII.

Retractas, pro *tractas*, ut sæpissime alias. Mente autem tractat, qui de peccatorum suorum confessione cogitat, jamjamque animum suum ad eamdem serio et efficaciter applicat.

Gehennam. Gehenna minime, ut quidam putarunt, nomen Græcum est, sed Hebraicum, idemque cum גיא הנם quod significat *Vallem Ennom*, de qua *Jerem.* VII, 30 *et* 31 habetur : *Ædificaverunt excelsa Tophet, quæ est in* גיא VALLE *filii* (הנם) *Ennom, ut incenderent filios suos et filias suas igni*, etc. *Ideo ecce dies veniunt, et non dicetur amplius Tophet, et* גיא VALLIS *filii* הנם ENNOM, *sed vallis interfectionis*, etc. *Tradunt autem Hebræi* (ait S. Hier. in hunc ipsum Jerem. textum) *ex hoc loco* גיא הנם (ge hinnom) *appellatam* GEHENNAM, *quod scilicet omnis populus Judæorum ibi perierit, offendens Deum.* Explicatius autem in *Matth. c.* X commentatur, inquiens : *Hæc vallis et parva campi planities, irrigua erat, et nemorosa, plenaque deliciis, lucusque in ea idolo* (MOLOCH, toties a S. Scriptura execrato) *consecratus erat. In tantam autem dementiam populus venerat, ut deserta* TEMPLI *vicinia* (erat enim vallis hæc *Hierosolymæ* proxima), *ibi hostias immolarent, et rigorem* (immanem utique prorsusque nefandam crudelitatem) *religionis* (idololatricæ nimirum) *deliciæ* (loci illius TOPHETH a DELICIIS dicti) *vincerent, filiosque suos dæmoniis incenderent, vel initiarent. Et appellabatur* (addit) *locus ille* GEHENNON, *id est* VALLIS *filiorum* HENNON. Ita ibi S. Hier. « Alii ferunt » (ait interpres Latinus Calmeti nostri in Diction. Bibl. *verb. Gehennom*) « in ea valle cloacam urbis extitisse, ubi « *perpetuus ignis* morticiniis et immunditiis absumen- « dis detineretur. »

Non dubites. Sensus est : *ut* non *diu tecum* delibores *de remedio hoc arripiendo, aut diutius differendo.*

(1) Imo potius *Isai., c.* V, *v.* 18. Vide Lacerdam in hunc locum, hujus operis, tom. I, col. 1247. ED.

Thesaurum ignis æterni. Ita *gehennam*, seu *infernum* appellat, quem pariter in *Apol. adv. gen. c.* 47 *ignis arcani subterraneum ad pœnam* THESAURUM nominat. Neque id mirum, cum omnes res, in reconditoriis quibusdam asservatæ, *thesauri* quandoque nomine veniant; sic enim Cicero de Oratore, memoriam *rerum omnium thesaurum* appellat. Quin et apud Plautum *thesaurum mali* dictum invenio. Est enim vox hæc Græcorum alias propria, quibus θησαυρίς juxta nonnullos a τιθέναι εἰς ἄφιον (*reponere in crastinum*, seu futura tempora), aliis ἀπὸ τῆς θέσεως, *positione auri* nimirum, deducta videtur, quod aurum præcipue, aliæque ejusmodi res pretiosæ abscondi ab oculis et notitia hominum aliorum, arctiusque custodiri soleant. Atque etiam formicas, aliaque *animalia*, sibi *alimenta* in hyemem parantia ac defodientia, θησαυριστικὰ τῆς τροφῆς ζῶα, a Græcis dicta reperio. Esse autem circa centrum terræ ingentem cavernam, igneo quodam velut Oceano, perpetuis turbinibus furente, repletam, communis Physicorum persuasio est. Porro autem hunc ipsum esse *Inferni* locum, omnes illi SS. Patres innuunt, qui credidere, animas damnatorum vero ac materiali igne torqueri, nempe, ut ait S. Cypr. in L. de Laude Martyrii, *cruciantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, et sæva semper incendia camini fumantis*, etc. Lege vel solum S. Aug. *l.* XXI. *de Civ. D. c.* 10.

Certe autem illum ignis infernalis *thesaurum* in subterraneo quodam loco, ipsisque terræ visceribus reconditum esse, tamdiu dicendum erit, quamdiu aptior locus non occurrit alius, quam hic, a Sede illa Suprema lucidissimaque Beatorum quam remotissimus, ubi nonnisi *umbra mortis et sempiternus horror inhabitat* (*Job*, X, 22). Sane autem cum ipse patrum limbus in quem Christus *descendit ad inferos*, subterraneus quidam locus fuerit, quidni omnium intra terræ viscera infimum, et profundissimum *inferno* assignemus, ubi materiali igne non *spiritus* illi *et animæ* damnatæ duntaxat, jam nunc *miris* sed *veris* modis torquentur, sed olim quoque hæ in receptis suis corporibus per omnem æternitatem ardebunt, semper urendi, et nunquam comburendi?

Fumariola. Ita per *ironiam* vocat *Montes ignivomos* per terram dispersos, et jam Tertulliam temporibus terribiles, *Vesuvium* præcipue ac *Ætnam*, quos pro *caminis inferni* ex Physicis haud pauci habent. Aiunt enim, centralem terraquæ nostræ ignem per *pyragogos* canales in varia alia receptacula, seu *pyrophylacia*, sursum protrudi, indeque porro per alios ejusmodi ductus, varie implexos, ad usque telluris nostræ superficiem urgeri, donec tandem per montium illorum cavernosa spiracula exitum reperiat, ac incredibili nonnunquam vi sese in apertas auras exoneret. Sunt etiam qui dicunt, nonnunquam in his montibus *animarum damnatarum* ejulatus audiri: quod aliis omnino fabulosum. Facile autem fieri potuisse judico, ut subterranei horum montium mugitus sæpenumero etiam remotius auditi, credulis ac terrore perculsis mentibus terrificum hoc phasma inculterent.

Ut autem *fumariola* hæc penitius noscamus, quædam ex oculato teste, immortali viro *Athanasio Kirchero*, ejusque *Præfat. ad Mundum* suum *subterran.* propriis ejusdem verbis, ne quid addidisse videar, depromere juvabit. Cum igitur rei visendæ desiderio stimulatus, post superatas ingentes difficultates in VESUVII, *Campaniæ* montis, summitate eluctatus fuisset: « Craterem, ait, totum igne (horrendum dictu!) illuminatum vidi, cum intolerabili sulphuris et bituminis ardentis mephiti. Hic prorsus ad inusitatum rei spectaculum attonitus, *Inferorum domicilium* me intueri credebam, in quo præter *dæmonum* horrenda phasmata nil adeo aliud deesse videbatur. Horrendi percipiebantur montis mugitus et fremitus, putor inexplicabilis, fumo subfuscis ignium globis mixto, quos ex 11 diversis locis tum fundus, tum latera montis, continuo eructabant. » Cum vero *pantometrum* suum ad terribilis illius *Crateris* dimensionem expedisset, illius ambitum 30 *ferme passuum millia*, profunditatem 800 *passus* continere deprehendit.

Pergit deinde: « Mons undique præruptus in excavati cylindri formam, πρὸς τὰς ὀρθὰς ambitu suo descendebat. In centro fundi natura suum veluti focum constituisse videbatur, vere Vulcaniæ culinæ officinam, sempiterno fumi flammarumque profluvio fervidam, etc., in decoquendis *sulphure, bitumine*, cæterisque mineralium speciebus eliquandis, exurendisque, occulto quodam molimine, funestisque stragibus, paulo post edendis, occupatam; siquidem halitus intus conclusi, uti contineri nescii, ita tanto impetu et vehementia, horrendis fragoribus sociata, impositum sibi onus discutiebant, ut mons terræ tremore agitari videretur; quod quandocunque accidebat, partes superiores montis molliores, tremore concussæ solutæque, collium instar in barathri fundum concidentes, ex varia soni reflexione eum fragorem, quantum quispiam etiam imperterriti pectoris vir sustinere vix posset, concitabant. Materia, quæ ex centro montis continuo eructabatur, novum veluti montem efficiebat, mira striarum varietate prædictum, quem varia mineralium liquefactorum ebullitio in omnes circumferentiæ partes fluxu suo coloreque, nunc *viridi* ex *ære*, modo *fulvo* ex *sulphure, arsenico*, et *sandaracha*, jam *rubro* ex *cinnabari minioque*, jam *nigro* ex *vitriolo* aquis mixto, vel ex ipsis *cineribus cinericio*, ingenioso naturæ penicillo efformabat, etc. » Atque hæc de *fumariolo* illo *Vesuviano* Kircherus. Non mirum autem videri debet, ab aliis aliter crateris illius amplitudinem et internam constitutionem descriptam fuisse, cum post singula incendia, ut fieri necessum erat, aliam faciem induisse deprehensus fuerit.

Sed vide jam aliud ejusmodi *fumariolum*, ÆTNAM *Siciliæ*, ab eodem *Athanasio*, teste rursus αὐτόπτῃ, descriptum; de quo *L.* IV, *M. S. Sect.* I. *c.* 8 *et* 9, sic loquitur: « Ad summum verticem per vastissimum 12 *milliarium Ital.* in ambitu craterem fatiscit » (alii 30, rursumque alii 40 *millia passuum*, aliqui vero pauciora circumferentiæ ejusdem assignant, scilicet craterem hoc infernali, pro variis temporibus, ac horribilis sui furoris circumstantiis et effectibus, magis minusve hiante atque distento) « qui arduo introrsum clivo sese in « tartara usque angustat; præcipitium visu horribile, « flammis, fumo, tum ex imo, tum ex latere montis, « cum horrendo mugitu, tonitruis non absimili, erumpentibus, adeo formidandum, ut vel ipsa imaginatio « jamjam instantis *ignis* ac ruinæ, neminem, quamtumvis audacissimum et intrepidum, non primo statim consternet, atque a quodam velut infernali barathro avertat. »

Et post aliam immensi hujus hiatus descriptionem sic prosequitur: « Vorago tam profunda est, ut omnem visum effugiat, scopulis in modum pyramidum « ex lateribus exsurgentibus metuenda: et cum latera, « recto et perpendiculari scopulorum ductu deorsum « parallelo descensu vergant, juxta opticas tamen leges, ex nimia distantia, in centro coire videntur, etc. « In fundo (mirum dictu!) ex continua materiæ mineralis eructatione, etc., veluti lacunam quamdam, « liquefacto metallo coruscam, semper me observasse « memini. Latera passim per correspondentes meatus « perpetuum fumum in plurimis locis evomunt, quem « noctu flammam accensam deprehendimus. Vorago « nunquam sine fremitu et mugitibus est, quos subinde « tam horrendos edit, ut vel ipsum montem tremefaciant. Verbo, qui admirandam DEI Opt. Max. potentiam intueri desiderat, is hujusmodi montes « adeat, et naturæ miraculorum effectibus ineffabilibus attonitus stupefactusque, identidem intimo « cordis affectu pronuntiare cogetur: O ALTITUDO DIVITIARUM SAPIENTIÆ *et* SCIENTIÆ DEI! *quam incomprehensibilia sunt judicia tua, et quam investigabiles « viæ tuæ*, etc.! » (*Ad Rom.* XI, v. 33.)

Ictus suscitant. Terribiles sane ab ejusmodi montibus, integra incendia nonnumquam eructantibus, ac velut infernum ipsum evomentibus (quanquam

rectius a Nostro inferni nonnisi *scintillæ* paulo post dicta fuerint) strages datas fuisse, omnium retro sæculorum historiæ testantur. Sic enim Diodorus Siculus *Histor. L.* V, refert, cum olim *Sicilia* per SICANOS habitata fuisset, incendio Ætnæi montis omnes eorum messes exustas, cineribusque universam viciniam tam alte oppletam fuisse, ut porro desperata soli sui cultura, se in insulæ occidentales partes procul a montis illius furoribus se recipere coacti fuerint, donec multis postea sæculis nova Italiæ gens, SICULI, præteritorum malorum velut ignara, novam trans fretum coloniam in desertam Ætnæ viciniam deduxisset. Vide dein, quæ de immensa cinerum vi ex ejusdem montis exustis visceribus ejecta, ac toti late viciniæ adeo spissas tenebras inducente, *ut per biduum nemo hominem homo agnosceret*, Cic. *L.* II. *de Nat. Deor.* commemorat. Sed et S. August. *L.* III. *de C. D. c. ult.* ita testatur: *Legimus, apud eos Æthnæis ignibus, ab ipso montis vertice usque ad littus proximum decurrentibus, ita ferbuisse mare, ut rupes exurerentur, et pices navium solverentur*, etc. *Eodem rursus æstu ignium tanta vi favillæ oppletam esse Siciliam, ut Catinensis urbis tecta obruta et oppressa diruerit. Qua calamitate permoti misericorditer ejusdem anni tributum ei relaxaverant Romani.* Qui autem temporibus utriusque *Plinii*, id est, *Sæc.* I, *an.* 76, horribiles Ætnæi montis furores fuerint, ex *Nepotis* duabus epistolis ad *Tacitum* (quæ *L.* VI, *sexdecima* et *vigesima* sunt) discimus, utique non sine ingenti mentis commotione legendis, nisi spectaculi illius atrocitatem styli elegantis lenitas mitigaret.

Non autem memoro hic illud incendium, quod *an.* 812, CAROLUM M. imperterriti pectoris IMPERATOREM, e *Sicilia* in *Italiam* propulit; alterum deinde quod an. 1537, tam immanem favillarum et cinerum copiam evomuit, ut etiam trans mare in Italiam pervaserint, et, si Varentio *L.* I. *Geogr. c.* 10, *prop.* 5, credimus, « naves in mari, cum 200 leucis a Sicilia « abessent, et ad *Venetias* tenderent, damnum passæ « fuerint. » Sed nec quidquam de pluribus ejusmodi aliis, certeque non imparibus, commemoro. Duo autem, quæ proximo Sæculo accidere, exempla præterire non possum. Ac primum quidem ex *D. Petri Squillacii*, catanæensis Sacerdotis, qui calamitati huic ipse interfuit, enarratione, ut apud Kircherum *Lib.* IV *Section.* I, *cap.* 9, habetur, excerpo. « Cum « igitur omnis late vicinia horrendis terræ succussioni- « bus jamjam avertenda videbatur, tandem 11 mensis « *Martii* (annus autem erat a *C. N.* 1669) subito in « tres terribiles hiatus fatiscente monte, primus eo- « rum evomebat plurimum ignis, multosque lapides, « quorum vel minimi æqnabant pondus 3 cantarum, « seu totidem centenariorum. Materia vero ignis in « altum projecta ad 2 milliarium (semper nonnisi « *Italica* intelligo) distantiam dividebatur in minu- « tissimas particulas, et specie ignei imbris sæviebat « in subjectam sibi tellurem. Quando dictus mons ra- « bidus debiscebat, tantum inferebat fragorem, et « terræ motum, ut nequeam ullis verbis ejus horro- « rem exprimere. » Fragorem augebat vociferatio lamentantis populi *Catanæensis*, cui videbatur mundus interire. Ignem et arenam tanta copia hiatus illi evomebant, ut campi vivo incendio ruberent, et oppidum « (*Catanea*, 4 milliaribus ab Ætna distans) quasi « denigratis arenis operiretur.—Omnis vero ille ignis « abibat in 2 rivos (flumina rectius dixisset), medium « amplectentes ac circumlambentes *Montempilierum*» (cujus tamen ambitum *semimilliaris* esse antea dixerat) « qui instar insulæ, vel rupis, in medio flamina- « rum prominebat.—Primariorum vero rivorum alter « obruebat villam *Montispilieri*, ut omnia ejusdem ve- « stigia abolita fuerint.—Tota massa ignea protende- « batur in latitudinem 6 *milliarium* et circa initia duo- « rum altitudinis *cannı* 4, plus minus, pro locorum « diversitate. »

Sed præstat totam hanc enarrationem, multa alia huc pertinentia prolixius exponentem, apud *Kircherum* perlegere, quod, spondeo, non sine animi, si quis in te pius est, tremore facies, maxime autem, si tum *Pauli Bocconii*, Siculi Panormitani, tum *Petri Michonii*, aut mutato nomine *Abb. Bourdelotii*, Epistolas de eodem illo incendio conjunxeris. Tum enimvero Mantuanum vatem, non œstro nimio percitum, terribile suum de hoc monte carmen, *Æneid. L.* III, effudisse fateberis:

> ..... horrificis tonat Ætna ruinis,
> Interdumque etiam prorumpit in æthera nubem,
> Turbine fumantem piceo, et candente favilla,
> Attollitque globos flammarum, et sidera lambit.
> Interdum scopulos, avulsaque viscera montis
> Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
> Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.

Et tamen illi nonnisi *rivi* erant fornacis hujus subterraneæ, immensa vi liquefactorum mineralium repletæ. Quid autem, si alios quoque montes, Ætna non minus quandoque terribiles, adjunxeris? Non dico *Vesuvium* Campaniæ, sed *Strongylum* et *Vulcanum* in insulis *Liparitanis*, et præterea alios ejusmodi fulmineos montes in *Terzeris* et *Canariis*, Maris Atlantici insulis, innumeros alios, si denique ultimæ Islandiæ, quasi ipsa *glacie* concretæ, terribilem illum *Heclam* evocaveris? quanta credis ignium immensitate opus esse ad totidem capacissimas fornaces inflammandas, quas si omnes in unum conjunxeris, quid aliud *Ætnam*, quid *Vesuvium*, quam illius ignei Oceani, in abditioribus terræ recessibus, intimisque visceribus furentis, *fumariola* dixeris? Quanta autem jam, obsecro, tanta tamque immensa *metallorum*, *mineralium* (quæ singula per sese summum calorem excitare solent), aliarumque combustibilium materiarum, velut in unam massam coacervatarum vis, quantus furor, æstusque hujus Oceani erat! quantillus (quod stupendum sane!) apud multos peccatores ejusdem timor est! Vide autem, quid apud miseros illos *Catanæenses* mortis duntaxat temporalis metus potuerit! « *Planctus* (ita enim historiam suam prosequitur « Squillacius), *disciplina*, *orationes*, *processiones*, *jeju- « nia*, *abstinentia*, *expositiones* 40 *horarum*, in nullis « Ecclesiis cessabant, tantumque dolorem ingerebant, « ut saxa lacrymarentur. » Et jam induratorum quorumdam peccatorum plusquam saxea corda sunt, quæ mortis æternæ formidine ne commoventur quidem.

Sed ecce rursus aliud *fumariolum*, atque ex eo erumpens incendium, cui restinguendo ne quidem Oceanus ipse par fuerat. Incredibili huic spectaculo maximam tamen fidem facit *P. Ricciardus S. J.* qui, ut Kircherus *L.* IV *Mund. subter.*, in hæc verba testatur: *Præsens omnia oculis suis vidit, et Roma totius rei eventum mihi ore tenus postmodum retulit, et scripto testimonio posteritati notum esse voluit.* Ita vero *P. Ricciardi*, ut eam laudatissimus *Kircherus* suo calamo posteritatis memoriæ commendavit, narratio habet: « Si unquam ignes illi conclusi in terræ visceribus « vim suam exercuerunt, tum maxime, quando *Anno* « 1650, *Die* 24 *Sept.* usque ad 9 *Octob.* tot ingen- « tibus et tam frequentibus terræ motibus Insulam « illam » (*Santerinium* fuit, a *S. Irena* V. et M. cujus nomini sacra est, sic dicta) « concusserunt, ut *San- « terinenses*, ruinam proximam sibi metuentes, diu « noctuque aris supplices advolverentur. At nec dici, « nec explicari potest, quantus timor omnes invaserit, « cum ruptis obicibus victrices illæ flammæ viam sibi « facere per medias æquoris undas contenderunt 4 « circiter milliaribus Italic. ab Insula *Santerinensi* « versus Orientem; siquidem repente mare intumuit « ad 30 sursum *cubitos*, lateque per vicinas terras se « extendens obvia quæque vertit, adeo ut in ipso *Can- « diæ* portu, qui tamen 80 *milliar.* inde distat, et tri- « remes et naves repentino impetu confregerit. Aer « vero vaporibus illis maleolentibus et sulphureis in- « fectus, et obtenebrescere, et innumeras formas cœ- « pit induere. Hinc lanceas igneas, et enses flammi-

« vomos vibrari, illic coruscantes sagittas emitti, hinc « velut terribiles serpentes et dracones volitare, illinc « fulmina et fulgura cieri, etc., etc. » Tantam autem, pergit, pumicum vim ignea illa vorago evomuit, ut totam pelagi superficiem contegerent. Smyrnam usque et CPlim delatos fuisse, littoraque omnia complevisse certissimum est. Vis autem incendii primis *duobus mensibus* erat maxima; quandoquidem et bullire vicinum mare instar ferventis ollæ videbatur, et diu noctuque ingentes flammarum globi fumique densissimi emergebant, etc., etc.

Quid vero? an dissimulandam putem Catastrophen alteram, priori similem, imo omnium multo truculentissimam, quam Oceanus ipse, qua Insulas *Azores* interfluit, priori sæculo præbuerat? En igitur rursus ipsius Kircheri *L.* II. *M. S. Cap.* XII, § 4, verba: « A « Pico (vulgo *Pico delle Camerine*) 6 milliaribus dis- « situs est locus, dictus *la Ferreria*, in cujus Oceani « districtu die Sabbati mensis *Julii Anno* 1638 ignis « cum tam inexplicabili violentia, non obstante di- « cti loci Oceani 120 *pedd. Geometr.* a piscatoribus « antehac sæpius explorata profunditate, erupit, ut « ad tantum extinguendum incendium ne Oceanus « quidem sufficeret. Spatium, quod ignis ebulliens « occupabat, tantum erat, quantum 2 *modiis* fru- « menti disseminandis sufficiebat, cum tanta violentia « erumpens, ut, non obstante dicta Oceani profundi- « tate, nubibus sese æquaret, in supernam aeris re- « gionem elatus, evecta secum ipsa aqua, arena, ter- « ra, saxis, aliisque ingentibus molibus, quæ eminus « (triste intuentibus spectaculum!) comparebant floc- « corum ad instar gossipinorum; in mare vero reversa « materia liquefacta pultis præ se ferebat speciem. « Subinde adeo immensæ magnitudinis saxa in 3 lan- « cearum altitudinem projiciebat sævientis naturæ « vis, ut non saxa, sed montes integros ejectos di- « ceres. Accedebat ad horrorem id, quod recidentes, « in altum projecti saxei montes, in alios, e vi- « sceribus maris eviratos, illisi, cum terribili fragore « in 1000 partes dissilirent, quæ postea manibus « acceptæ in arenam nigram conterebantur. Porro ex « varia immensaque rejectamentorum multitudine, « saxorumque innumerorum congeries, insula « nova in medio, eoque profundissimo Oceano, in « principio quidem parva, 5 *jugerum*, at in dies au- « gmentata in tantum excrevit, ut abhinc 14 diebus « spatium longitudinis 5 *milliarium* occuparit. Tanta « autem hoc incendio multitudo piscium periit, quan- « tum vix 8 naves onerariæ Indicæ capere possent, « qui longe lateque per Insulam dispersi, ne putrefa- « ctione contagionem aliquam causarent, ab indigenis « in profundissimis foveis, ad 18 milliar. circum- « circa collecti, sepulti sunt. Odor autem sulphuris « spatio 24 milliar. sentiebatur. » Ita Kircherus ex fideli Patrum S. J. *κατ' αὐτοψίαν* relatione.

Jam nullæ extent. Inter has utique *Pompeia* erat, ut fertur, ab *Hercule* condita, olimque Romanorum colonia de qua idem Noster in *L. de Pall. c.* 2, ait: *Ex hujuscemodi nubilo et Thuscia* Volsinios *pristinos densa, quo magis de montibus suis Campania speret, erepta* Pompeios. Item in *Apol. cap.* 40, ubi: *Sed nec Thuscia, atque Campania de Christianis querebatur, cum Volsinios de cœlo, Pompeios de suo monte perfudit.* De his item Tacit. *L.* XV *Annal. c.* 22, in hæc verba testatur: *Motu terræ celebre Campaniæ oppidum*, Pompeii, *magna ex parte proruit.* Sed qui hæc exactius nosse cupit, apud Dionem Cass. *Hist. Rom. L.* XVI *in Tito*, reperiet. Quid prohibet autem, quoniam semel prolixus esse cœpi, Notarumque angustias jam perrupi, hæc ex ipso Authore excerpere, quæ et supradictis fidem faciunt, cum viderint, hæc non nova esse, sed jam ferme XVII inde Sæculis accidisse. Ita ergo ex suo *Dione* Xiphilinus habet: *Dein mare simul fremere, omne cœlum una sonare, ingensque et repentinus fragor, quasi montes simul considerent, exaudiri. Tum exilire primum immensi lapides, et ad summos vertices pervenire, deinde magna copia* ignis A *fumique, ita ut omnem aerem obscuraret, occultaretque solem, non aliter, ac si defecisset, etc. Alii existimabant, aut mundum in chaos redigi, aut igne consumi, etc., etc. Tanta vero erat copia cineris, ut terram, mareque, atque adeo ipsum aerem compleret: quæ res multa damna importavit, non solum hominibus, prædiisque, ac pecoribus, sed etiam pisces, volucresque omnes peremit, duasque integras urbes,* HERCULANUM, *et* POMPEIOS, *populo sedente in theatro* (non utique spectaculi cujusdam, sed speratæ securitatis causa, locique contra ruinas magis communiti fiducia) *penitus obruit.*

Atque hoc ipsum jam est illud, seu *Herculanum*, seu *Herculaneum*, quod ab *Hercule* post expeditionem suam Hispanicam conditum Dionysius Halic. *L.* I. *Antiq. Rom. cap.* 44. refert, ac cum A. C. 63, sub Nerone vehementer convulsum, magna sui parte concidisset, et circa A. C. 80 penitus absorptum fuisset, jam anno 1713, adeoque post integra XVI Sæcula detectum, ingentem Veteri Historiæ lucem accendit, ac Neapolitanarum Antiquitatum gazophylacium novi B inæstimabilisque thesauri ditissimis accessionibus locupletavit, cujus, jam sub prælo sudantis, plenissimam communicationem totus literarius Orbis ingentibus desideriis exspectat.

De die. Voluit dicere *in dies*, seu *quotidie*, aut, ut alias dicere solemus, *de die in diem:* quo sensu etiam Noster in *Apol. cap.* 16, inquit: *Nove de die vivitis.* Atque sic etiam Terentius, in Adelphis, *Apparare de die* (singulis nimirum diebus) *convivium* dixit.

Sperent, seu *timeant.* Nam *sperare* (ut alias *spes* cum *timore* suapte natura conjungitur) in deteriori quoque hoc sensu apud Veteres accipi consuevit: ut est illud Maronis, I *Æneid.*:

> Si genus humanum, aut mortalia temnitis arma,
> At sperate Deos, memores fandi atque nefandi.

Itemque *L.* IV:

> Hunc ego si potui tantum sperare dolorem

Ignis intrinsecus fœta. An *montes* ipsi sunt *fœta?* At C quis tantum Grammaticus lapsum Tertulliano impingere ausit? An legendum, *ignis intrinsecus fœti?* at sic rursus ambiguum foret, an *fœti* ad *montes*, qui *ignis*, aut potius *igne fœti* sunt, an ad *ignis* referendum esset, quasi ipse *ignis* sulphure, etc., *fœtus* esset. An vero cum Latinio magis placet *fœtu*, seu *fœtura*, legere? Enimvero sic ipse puto.

Nobis judicii, i. e. *supplicii*, seu pœnæ infernalis. Vide supra *Cap.* III, *Not. In judicium.*

Nunquam tamen finiuntur. Nullum sæculum est, cujus historia tales montium furores non enarret, ut de Vesuvii quidem incendii Kircherus ejusmodi Chronicon habet, ubi a primo ingressu *Janigenarum* in Siciliam 18 tumultuantis *Ætnæ* exempla recenset. Alii vero ejusmodi tristia *Vesuvii* exempla, a Christi tempori- bus usque ad nostra hæc, ultra 20 recensent. At vero immanes hos caminos perpetuo igne succensos esse, *fumi* continua, densaque, etiam in quiete sua, eructata volumina omni luce clarius manifestant.

D Cæterum gravis hic quæstio jam diu exercuit Philosophos, unde sempiterna illa ejusmodi montium incendia, et inexhausta, tantis incendiis per tot sæcula fovendis, pabula. Videri enim posset, omnia subterrestria pyrophylacia, ipsumque infernum, quantumvis immensum, per ignivoma illa spiracula jam pridem exoneratum fuisse. Nos, quoniam longior rei hujus tractatio extra præsens institutum est, mentem nostram nonnisi breviter aperimus. Ac 1° quidem notamus, horrendis illis Ætnæ concussionibus egestam materiam maxime in crepidine ipsius *crateris* accumulari, et aliquando in tantam altitudinem, ut novus quandoque mons, aut certe montis non contemnenda pars, videri possit. 2° Hic cinerum, aliorumque rejectamentorum cumulus jam per sese variis salibus imbutus, novis quoque ac subterraneis accessionibus per occultos, ex mari præcipue, nec non ex resolutis nivibus, quibus, vertices horum

montium ferme assiduo candent, ex circumfluo ac halinitroso aere, etc., fœcundari solet, usque donec subjecti ignis æstu excocta, ac velut in pultem liquefacta materia, per subterranea ventorum spiracula, aut etiam aquæ ex hydrophylaciis illapsu, in summum furorem agatur, etc. Quantum vero vel unica aquæ gutta, metallo in fornacibus fusoriis fluido aspersa, et quam incredibilem tumultum excitare, quam horrendam omnium rerum stragem edere valeat, non pauci, et haud modico suo damno, nonnunquam experti sunt.

Supplicia interim montium. Supplicia montium vocat, damna ab ipsis his montibus illata, præsertim ad peccatorum castigationem, etc.

Non judicii. Haud obscure innuit illud JUDICIUM extremum, in quo universus orbis, ut in *L. de Bapt. c.* VIII. *Not. Igni destinatur*, diximus, conflagrabit, auditurique sunt damnati terribilem illam sententiam: *Discedite, maledicti, in* IGNEM ÆTERNUM, *etc.*, quem jam nunc SUPREMUS JUDEX per flammivomorum montium incendia comminatur.

Deputabit. Simpliciter pro *putabit*, seu æstimabit. Ita Noster quoque in *Exhort. ad Castit. c.* 6, ait: *Erat vetus dispositio, quæ in Evangelio nova deputatur, etc.* Sic et Plautus dudum antea in *Amphitr.* dixerat: *Nec quidquam sit, quin me omnes esse dignum deputent.* Quem et Terentius in *Hecyra* secutus est, ubi:

Ædepol, næ meam herus operam deputat parvi pretii.

Scintillas. Eodem jure, quo immensos illos montium ignivomorum crateres *fumariola* dixerat, nunc illorum incendia *scintillas* appellat. Et sunt sane, si cum immenso illo INFERNI incendio comparata fuerint. Nunc vero *scintillæ* nostræ cum forte adurunt manus, hæ vel ad primum attactum præ dolore retrahuntur: nondum autem, non dicam plumbo liquefacto (quam leve enim id esset!) sed neque illis *Ætnæ* aut *Vesuvii* torrentibus igneis (id est *scintillis*) manus immersere peccatores, in illo infernali barathro, et propria ignei Elementi sede, fors æternum exurendi, et nunquam comburendi.

Inæstimabilis foci. Cujus scilicet ardoris immensa vis omnem, non dico *æstimationem* nostram, sed omnes *imaginationis* vires longissime transcendit.

Missilia. Missilia olim dicebantur ea auri argentique signati munera, quæ nonnunquam ab Imperatoribus, aut a Senatu et Magistratibus, in populum, ad ejusdem plausus ac favores sibi quæstuose conciliandos, ac, ut barbare dicam, collectandos, spargi solebant. Quin vero et aliarum rerum subinde missilia fiebant, ut apud Sueton. *in Calig.* habetur: *Sparsit et missilia variarum rerum.* Postea vero hæc vox ad militiam quoque transiit, ut tela in hostes *missa*, pariter *missilia* vocarentur. Sed et fulmina *missilium* nomine Noster in *L. de Pall. cap.* 2, appellare non dubitavit.

Exercitoria. Exercitor proprie est, qui alterum docet *exercendo*, ut ex Plauto in *Trinum.* colligitur: *Ilis quisquis est, Curculio, est* exercitor; *is hunc hominem cursuram docet.* Unde et tela illa, quæ in exercitiis militaribus, et umbraticis emittebantur, *exercitoria*, et apud Senecam *L.* II. *QQ. Natt. lusoria* vocantur.

Intinctionis dominicæ. Seu Baptismi, a Christo Domino instituti.

Monimenta. Monimenta dicuntur, quæ posita sunt ad *monendam* nostram *mentem*, ut memoriam præteritarum rerum conservet. Junius hic *munimenta* legit, quod adversus gehennam *præmuniant.*

Secunda subsidia. Eleganter dictum; nam *subsidia* veteribus proprie erant *tertium* illud in acie agmen, ex *triariis* ac *emeritis*, fortissimisque constans, qui proin in extremo collocati, sub vexillis suis in genua *subsidebant*, laboranti fors exercitui subvenire, labantemque aciem novo subsidio restaurare parati. Vide Varron. *de Ling. Lat. L.* IV.

A *Mutæ quidem. Mutas* dicit, quæ *articulata voce* destituuntur.

Animæ. Animas hic pro *animalibus* ponit, velut partem pro toto.

Agnoscunt. Ita enim ipsius naturæ instinctu, divinitus sibi indito, noxia vitant, salubria quærunt, et cum ægrotare incœperint, sibi ocius de remediis circumspiciunt. Instinctum autem illum habere aliquid humanæ rationi analogum, dubium non est.

Moras. Mora apud Chirurgos dicitur canalis quidam, arte excavatus, in quem crus fractum, ac jam fasciis circumligatum, reponitur, ut ibidem immotum permaneat, *moram* que trahat. Sic et sagittæ, cuti altius infixæ, suas ibidem *moras* trahunt, et aliquando *irrevocabiles*, cum scilicet nimis profunde insederint, quam ut ab ipsis animalibus vulneratis extrahi aut excuti, sicque e vulnere *revocari* possint.

Dictamno. Ita quidem de capreis Arist. *L.* IX *Hist. animal. c.* 6, in hæc verba affirmat: *In Creta Insula capreas sylvestres sagitta transfixas*, dictamnum *herbam* B *quærere aiunt: hoc enim spicula ex corpore ejiciuntur.* Atque idem in *L. de Admir. audit. n.* 4, confirmat. Unde Virg. *L.* XII. *Æneid.*:

Dum Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, et flore comantem
Purpureo. Non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.

At Plinius *L.* VIII *H. N. c.* 27, hæc ad *cervos* transfert. At quam multa subin finguntur, aut nimis credule *narrantur*, quæ non verificantur! Certe hodiernis naturæ scrutatoribus hac de re altum silentium est, utique nec ex sua nec aliorum sufficienti experientia quidquam habentibus, quo huic veterum persuasioni fidem rite facere possent.

Illos oculare, i. e. *visum* illis *dare.* Sic enim idem Noster in *Apol. c.* 21, habet: *Jam expolitos, et ipsa urbanitate deceptos, in agnitionem veritatis ocularet:* quod verbum cæteroquin ab Antiquis vix usurpatum. C S. Cypr. in *Tract. de Idol. vanit. ad fin.* ex Tertulliano suo mutuatus fuit, de Apostolis loquens, *qui cæcos et ignaros ad agnitionem veritatis oculârent.*

De sua Chelidmia. Quod *hirundines* cæcos pullos pariant, Aristoteles *L.* IV. *de Gen. anim. c.* 6, asserit, cæterum de *chelidonia* nihil; at vero Plinius *loc. cit.* id affirmat, narrationibus alienis plerumque nimium fidens. Adeo autem ad vulgus persuasio illa transiit, tamque tenaciter hæsit, ut etiam ipsum *hirundinum* nomen (Græcis enim hæc avis χελιδὼν dicitur) ad plantam illam transierit, non minus Germanis nostris *Schwalben-Kraut*, aut *Schwalben-Wurtz* appellatam. Sed et illa non hirundinum duntaxat, sed omnium prope volucrum, si *aquatilium* species excipiamus, recens exclusarum cæcitas proprie talis non est, sed mera palpebrarum obductio, quæ post aliquot dies sensim diduci, suisque oculos velaminibus liberare solent.

Sibi institutam, i. e. pro se, rursus per pœnitentiam in gratiam Dei restituendo, institutam.

Babylonium regem. Est hic non ille Nabuchodonosor, (alias *Saosduchin* appellatus, qui *A. M.* 3547 in D campo *Ragau* Medorum Regem *Arphaxad* profligavit; nec alter Nabuchodonosor, alias *Nabopolassar* dictus, qui *A. M.* 3378 Regnum Chaldæorum condidisse creditur: sed hujus filius *Nabuchodonosor*, cognomento *Magnus*, et in Regno *A. M.* 3399 successor, qui *Joakim*, Regem Juda, in servitutem redegit (IV. *Reg.* XXIV, 1.), qui obsessa Jerusalem, *Jonchin* sponte cum omnibus suis se dedentem, in captivitatem abduxit (*loc. cit. vers.* 12 *et seqq.*); qui *Sedeciæ*, ultimi Regis *Juda*, expugnata Jerusalem, *filios occidit coram eo, et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem* (IV. *Reg. c. ult. v.* 7), denique per *Nabuzardan*, Principem exercitus sui, *succendit Domum Domini, et domum Regis, et domos Jerusalem omnemque domum combussit igni* (ib. v. 9.), sicque totum regnum Juda penitus extinxit, funditusque evertit.

Ex hac ergo, et plurimis aliis victoriis, quas de *Syris*, *Phœniciis*, *Ægypto*, etc. reportaverat, cum multo jam elatior, suique nimium impotens factus esset, demum ad castigandam ejus superbiam, nulla jam alia ratione expugnabilem, Deus ipsi per somnium arboris procerissimæ, et pulcherrimæ, sed per manum angeli succisæ, omni ornatu suo spoliatæ, radicis ejus *vinculo ferreo* et *æreo* alligatæ, etc., futuras superbiæ suæ pœnas ostendit, somnium hoc exponente *Daniele*, regemque ad pœnitentiam efficaciter adhortante : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum : forsitan ignoscet delictis tuis.* At vero cum monitis tam salutaribus Rex obtemperare nimis pertinaciter recusasset, tandem, indulto etiam *duodecim mentium* spatio, *in aula Babylonis deambulans* dixit : *Nonne hæc est* BABYLON MAGNA, *quam* EGO *ædificavi in* DOMUM REGIS, *in robore fortitudinis* MEÆ, *et in gloria decoris* MEI? Quid ergo? *Cumque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit* : TIBI DICITUR, *Nabuchodosor rex : Regnum tuum transibit a te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te donec scias, quod dominetur* EXCELSUS *in regno hominum, et cuicunque voluerit, det illud.* Quid autem porro? *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, et ex hominibus ejectus est, et fœnum ut bos comedit, et rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues ejus quasi avium.* Cum vero in miserrimo hoc statu per septem omnino annos inter bestias egisset, satisque jam humiliatus esset, quid porro acciderit, ipsemet deinceps vers. 33 enarrat : *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni decoremque perveni, etc. et Magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum, et magnificentia amplior addita est mihi.*

Unguium aquilinum in morem. Vulgata nostra ungues *avium*, rapacium videlicet, memorat, inter quas utique *aquilæ* eminent.

Horrorem leoninum. Ubi Vulgata nostra *in similitudinem* AQUILARUM, LXX, λέοντων, LEONUM, habent, indeque nonnulli olim in eam opinionem prolapsi erant, regem hunc in *leonem* mutatum fuisse.

Præferente. Multa in terribilis hujus metamorphosis historia sunt, quæ inter Interpretes sat contentiose disceptantur, accuratius utique discutienda, si multo arctiores instituti nostri limites denuo (nam id jam alibi satis factum) transgredi liceret. Quoniam vero Tertullianus noster tristissimum hoc exemplum præ cæteris proposuit, cujus terrore peccatores, de se nimium superbe præsumentes, ad seriam pœnitentiam compelleret, non omnino abstinere possumus, quin eidem paulo aliquid immoremur. Igitur tanquam omnino certum

Suppono I° contra *Origenem*, sensibus allegoricis alias nimis justo deditum, ac a S. Hieron. in suo *ad Daniel. Comment.* cæterisque deinceps Interpretibus male notatum, non meram hanc *allegoriam*, sed veram omnino *historiam* esse ; quamquam non ignorem, quæ *Is. c.* 14 *a v.* 8 de *Nabuchodonosore* (ut quidam volunt) dicuntur, pleraque etiam in allegorico sensu, ex mente SS. Patrum, ipsiusque Ecclesiæ de LUCIFERI, sed mox extincti, et nunc *tenebrarum regis*, miserrimo a cœlis exterminio intelligenda esse. Rursus autem

Suppono II° nihil in hac re tuto asseri posse, nisi quod ipse tenor historicus apud Danielem exigit, qui rem hanc secundum circumstantias etiam minutas, ex afflatu utique Spiritus Sancti, ad nos præscripsit, proindeque Deus ipse plura a nobis certo nosci non voluit.

III° autem *aio* : Regem illum Babylonium non revera in *bovem*, aliamve bestiam, commutatum fuisse ; neque enim ipsa *hominis* anima converti potuit in animam *bovis* : quod utique fuisset essentias rerum mutare ; neque in corpus ejus, expulsa anima *hominis*, velut per quamdam μετεμψύχωσιν, subintravit anima *bovis* ; non enim id naturaliter fieri potuisset, et ad miraculum confugere, sacri textus tenor nullatenus compellit, significans tantum, quod *comederit fœnum* UT BOS, non quod in *verum bovem* transierit. An enim bobus *capilli in similitudinem aquilarum*, aut *ungues quasi avium* sunt? Accedit deinde, quod, si veram *bovis* animam induisset, nullam sane pœnam inde *Nabuchodonosor* sensisset, neque ex ea ad veri Dei cognitionem adduci potuisset, solo nimirum corpore, nulla vi intelligendi relicta, superstes. Aut forte animam bruti ab anima regis in consortium ejusdem corporis (novo scilicet miraculo) admissam fuisse quis dixerit? Aut denique animam hominis, interea alio fugitivam, et alicubi extra omne corpus exulem, aut penitus in nihilum redactam, deinde vero aut postliminio reversam, aut reproductam, seu de novo creatam, pristinum corpus subiisse, ac regem sibimetipsi reddidisse dicemus? Quis ejusmodi monstra opinionum comminisci ausit? Igitur denique

IV° *aio* : Immutationem regis non in sola ejusdem phantasia, qua se *bovem* esse credens, *fœnum comederit*, sed in exteriori plane corporis habitu et figura, *capillos quasi aquilarum*, et *ungues avium*, etc., induente, factam fuisse, cujus rei hypothesin sic adorno : 1° Nabuchodonosor *ex hominibus*, id est, eorundem consortio, *abjectus*, non propterea tamen *homo* esse desiit, sed repentina phrenesi atque amentia correptus, *humanæ rationis usum* amisit, suorum præsentiam, et omnem custodiam effugiens, aut perrumpens, ac in campos et sylvas se proripiens, vestibus suis paulo post maceratis, aut, ut amentes solent, rescissis, palabundus circumerravit, ac humanis jam cibis deficientibus, bovis imaginatione totus jam alias correptus, ad hujus quoque pabula se convertit, et *fœnum comedit* UT BOS. 2° Ex assiduo hoc, et homini tam exotico alimento, sanguinis, cæterorumque humorum, ac spirituum animalium, istiusque temperamenti penitissimam immutationem fieri, tandemque etiam totius corporis exteriorem habitum depravari necessum fuit, et ex ferino ac tam diuturno alimento, in horridum aliquid, scilicet *capillos in similitudinem aquilarum*, et *ungues quasi avium*, efferari, ut ita denique Nabuchodonosor non solos homines, sed ipsa quoque boum agmina quasi ἀνθρωποτύραννος exterrere potuisset. Et sic denique satisfieri posse videtur Danieli, ut *Caput* ejus *quartum* accurate perpendenti manifestum erit.

At vero quid durante funestissimo hoc suo septennio rex? an interea rationis usu retento calamitatis suæ magnitudinem sensit, ferme ut Apuleius in fabuloso suo *Asino* de seipso testatur? Ita quidem sensisse *Tertullianus* noster videtur, dum DIU (*quamdiu* nimirum infelix ille status regis perduraverat) *pœnitentiam immolasse, et septennali squalore exomologesin operatum* fuisse ait. Alii autem haud pauci saltem intervalla rationis regi non infrequenter illuxisse credunt, ut conditionis suæ miseriam subinde agnosceret: Neque enim, aiunt, statum illum *pœnalem* futurum fuisse, si nil quidquam molestiæ inde sensisset, neque eam cum pristinæ dignitatis suæ felicitate comparare potuisset, sed potius in depravato hoc alienatæ mentis statu per campos et sylvas inter fera animalia etiam cum voluptate circumerrasset.

Verum, si mentem meam ingenue profari licet, in eam propendeo sententiam : regem per totum illud 7 annorum tempus usu rationis plane destitutum fuisse; neque enim aliud nos sentire sacer Textus compellit : *Igitur*, ait, POST FINEM DIERUM *ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi* (levasset autem sæpius, si per quædam rationis intervalla status sui infelicitatem agnovisset), *et* SENSUS MEUS (quo verbo utique *usus rationis*, seu sensus ac perceptio mentis, denotatur) *redditus est mihi, et Altissimo benedixi*, etc. Quod ipsum per patheticam illam orationem, qua DEI *laudes, gloriam, potestatem*, et *regnum* celebrans, pergit : IN ILLO TEMPORE *sensus meus reversus est ad me, et figura mea reversa est ad me*, etc. Igitur tunc

demum cognovit Deum, cum et *intellectum*, et pristinam hominis *figuram* recuperavit.

Hanc vero rem ulterius sic explicare juvat : Septennio illo elapso rex veluti ex alto sopore evigilans, discussis (neque autem sine miraculo id tam subito fieri poterat) atris illis spiritibus, hactenus animum undique obsidentibus, recurrenteque immanis superbiæ suæ, rerumque ex eadem sceleratissime actarum memoria, totaque tam diuturnæ miseriæ infelicitate, omnibusque ejusdem circumstantiis vivaciter intellectui objectis, edomita tandem illa superbia sua, ad Dei veri agnitionem, et tum JUSTITIÆ, tum CLEMENTIÆ, professionem adactus, denique conversus fuit, etc.

Proh malæ tractationis! Hellenismus est ; nam Græci signis exclamationis frequenter genitivum jungere solent.

Deus recipiebat. An rex hic egerit pœnitentiam, veram, salutique æternæ proficuam, qua scilicet peccata ejus deleta fuerint? an dein in ea perseverans denique salutem ipsam inter vere pœnitentes consecutus fuerit? res multum ambigua est. Equidem S. Hieron. in *Ep.* VII, *ad Lætam*, nec non S. Aug. in *Ep.* CXXII (nunc CXI), *ad Victorianum*, maxime vero auctor *Libri* (olim S. Augustino adscripti) *de Prædest. et grat.*, *c.* 15, eidem favere videntur : aliis autem pœnitentia illa vehementer suspecta est, eandem ex inconstanti regis hujus genio dimetientibus.

Sane quidem cum somnii sui de STATUA illa, ex 4 metallis conflata, interpretationem a *Daniele* accepisset, totus stupefactus in has voces prorupit : *Vere Deus vester* DEUS DEORUM *est*, *et* DOMINUS REGUM, *et revelans mysteria*, etc. Dan., III, 47. Verum quam in sua Dei veri agnitione parum stabilis fuerit, quanto autem deinceps quoque fastu intumuerit, succedens alterum illud arboris pulcherrimæ, sed mox succidendæ, etc. (*Dan.*, IV) somnium, tum vero vibrata in regem terribilis illa sententia de septenni inter bestias exilio demonstrat. Cum enim integrum adhuc annum indulsisset Deus, *peccatis* per eleemosynas, aliaque bona opera *redimendis*, nil horum quidquam fecisse, quin potius nova inflatus superbia de rebus a se gestis proterve gloriatus fuisse legitur. Quid vero insuper? cum integrum septennium inter feras in miserrimo illo corporis habitu exegisset, postquam pristinam non tantum formam, séd et *regnum* ipsum, et quidem *ampliori magnificentia* auctum, recepisset, quid tandem? demum exclamasse legitur : *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico regem cœli : quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare.* De pœnitentia vero, de *dolore* animi, de anteactæ vitæ *detestatione*, de novæ melioris *proposito*, etc., nihil legimus. Atqui hæc sunt, in quibus veræ sinceræque pœnitentiæ ratio consistit.

Sed et illa Dei agnitio, illa humilitas quantilli temporis fuit? Ecce multo jam majorem, prorsusque, nisi Propheta id testaretur, incredibilem animi de novo intumescentis vesaniam ! Vix annus elapsus erat (ut interpretes computant), *cum Nabuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum* 60, *et statuit in campo Dura* (*Dan.*, III, 1, *etc.*), vel *Nabopolassari*, patris sui, vel *Beli*, apud Babylonios tunc deorum maximi, vel ipsius *Nabuchodonosoris*, simulacrum præseferentem, eamque severissimo edicto proposito voluit adorari; at sacrilegum nefas cum tres illi pueri, *Sidrach*, *Misach*, et *Abdenago*, admittere renuissent, jussit eos in fornacem igneam conjici ; unde cum salvi fuissent educti, rex novo ingentique miraculo attonitus exclamavit : *Benedictus* DEUS DEORUM, *qui misit Angelum suum*, *etc.* (Ib., v. 95). Quin et publico ac severissimo decreto blasphemos in Deum Israel compescuit, publice contestatus : *Signa et mirabilia apud me fecit* DEUS EXCELSUS. *Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia* MAGNA *sunt, et* MIRABILIA *ejus, quia* FORTIA : *et regnum ejus* REGNUM SEMPITERNUM, *et* POTESTAS *ejus in generationem et generationem* (ib., v. 10). Hoc ipsum vero id Edictum est, in quo Nabuchodonosor deinceps enarrat ea, quæ supra de suo in sylvis tam tristi septennio ex *Dan. c.* IV, attulimus, ut adeo necesse sit, metamorphosin illam regis (quod probe notandum) ante hanc *trium Puerorum* historiam contigisse.

Quis jam, oro, sibi de rege tam inconstante sinceram stabilemque pœnitentiam polliceri queat, de cujus operibus, dignisque pœnitentiæ fructibus, et maxime ipsa morte felici, tam altum porro apud Danielem silentium est? Quam alia autem fuit *Manassis*, regis Juda, pœnitentia ! Enim vero impiissimus, et forte etiam ipso *Nabuchodonosore* multo sceleratior Rex, attamen *postquam coangustatus est, oravit Dominum suum, et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, et obsecravit intente .. et abstulit deos alienos, et simulacrum de domo Domini... Porro instauravit altare Domini, et immolavit super illud victimas, et pacifica, et laudem : præcepitque Judæ ut serviret Domino Deo Israel.* Quæ, obsecro, similia de Nabuchodonosore commemorata legimus? Equidem is Deum *laudavit*, *magnificavit*, etc.; num vero *oravit*, *deprecatus est*, *obsecravit intente*, etc. ?

Et quid denique, si ea, quæ *Isaiæ cap.* 14 habentur : *Infernus subter te conturbatus est in occursum adventus tui... Detracta est ad inferos superbia tua*, etc., etc., præstantes nonnulli interpretes, ac ipse etiam S. Hieron. de *Nabuchodonosore* intelligenda esse velint? Sed præstat regis hujus, seu pœnitentiam et salutem, seu damnationem, inter ea relinquere quæ Deus, ut multa ejusmodi alia, ad salutarem metum et penitentiæ eo majorem constantiam nobis ignota esse voluit.

Ægyptius imperator. Pharao nimirum, rex Ægypti, qui hic latiori significatione *Imperator* dicitur, tanquam instar aliorum regum in suos *summum imperium* exercens.

Diu Domino suo denegatum. Jussus enim fuerat a Deo Moyses Pharaoni in hæc verba denuntiare : *Dominus Deus Hebræorum misit me, ad te dicens : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto : et usque ad præsens tempus audire noluisti.*

Discidio maris. I. e. ea *divisione*, quam Græci διχοστασίαν appellant. Atque sic etiam in *L. de Pall.*, *c.* 2, *de plaga discidii*, et in *L. de Resurr. carn.*, *c.* 19, de *discidio carnis et animæ*, loquitur. Hac voce *Solinus* quoque *cap.* 56, usus est, inquiens : *Atlanticus æstus in nostrum mare discidium* (seu discissionem) *orbis immittit.*

Pervium licebat. Liceo, antiquum verbum, passivam significationem habet, proprieque dicitur res quæpiam *licere*, cum certo *æstimatur* pretio ac venum exponitur : *liceri* autem est *æstimare*, ac pretium ei imponere, ut emptores faciunt. Unde est illud Poetæ :

Non *licet* asse mihi, qui me non asse *licetur*.

Licebat ergo mare, cum Israelitis a Deo offerebatur, tanquam transituris pervium. Alibi Tertullianus *licere* etiam pro *liquere* seu *patere* dicit, ut in *L. adv. Hermog.*, *c.* 36, ubi : *Sed de motu et alibi licebit*, i. e. *liquebit.* Sic et supra *cap.* VI, pro *emendatos liquebit*, quidam codices *licebit* reponunt.

Revolutis fluctibus. De transitu *Maris Rubri*, tam felici ac prodigioso *Israelitis*, quam fatali *Ægyptiis* ac *Pharaoni* suo, Historia ex Exodi cap. 14, etiam in vulgus notissima est.

Exomologesi restitutus Differt autem *exomologesis* a *pœnitentia*, sicut actus *externus* ab *interno* ; pœnitentia enim in *animo dolentis*, exomologesis vero in *ore confitentis*, aliisque operibus, internam illam pœnitentiam etiam externe exhibentibus ac demonstrantibus, collocata est : de quibus Noster jam supra *cap.* IX *per tot.*

Quasi Pharis. Pharos dicebatur Ægyptiorum turris illa altissima, quam inter septem orbis miracula habendam, in Pharo insula, a portu Alexandriæ septem stadiis distante, et seu ponte, seu aggere, continenti conjuncta, *Ptolemæus Philadelphus* (vel denique *Ptolemæorum* aliquis) immani, ac teste Plinio (*L.* XXXIII, *c.* 12), 800 talentorum (quæ si rite calculum subduxi, 1,200,000 thaleros nostros adæquant) sumptu erexit, ut *nocturno navium cursu ignes ostenderet, ad prænuntianda vada, portusque introitum.* Ex hoc jam omnes turres, ut erat illa *Capreis* in Sicilia, quæ paulo ante mortem *Tiberii Cæsar.*, terræ motu concidit (Sueton. in *Tib.*, *c.* 74), alia, quæ a *Claudio Imp.* (teste eod. in *Vit. Claud. c.* 21) *in exemplum Alexandrinæ Phari* in portu Ostiensi, a se effosso, suscitata fuerat, et quotquot demum in maritimis civitatibus hodie durant, et nocturnis ignibus, navigantium causa, collustrari solent, generali nomine *Phari* appellantur, quod nomen non quidem, ut putavit Isidorus (*L.* XV *de Orig.*, *c.* 2) græcæ, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ὁρᾶν, a *videnda* illic *luce*, derivatum, sed verisimilius *ægyptiæ* originis est, ab ipsa insula, cui jam dudum antea *Phari* nomen hæserat, in turrim illam translatum.

Omnium notarum. I. e. *pessime notatus*, totidem scilicet peccatis, velut instar stigmatum animæ inustis. Vide aliud ejusmodi humilitatis specimen, quod ad finem *cap. ult. de Bapt.* Tertullianus de se ediderat.

Super illa tacere. Quasi ægre huic tractatui se finem imponere, eumdemque velut invitus abrumpere significat.

Princeps Adam, i. e. *auctor*, omniumque *primus.*

In paradisum. In *Apol. c.* 47, Tertullianus noster Paradisum nominat *locum divinæ amœnitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum.* Credidit autem Paradisum etiamnum exstare, ac sub Æquatore situm esse, et utrinque zona torrida ac velut muro quodam igneo cohiberi, sicque mortalibus inaccessum reddi. A qua opinione non multum abhorrere videtur S. Thom. 2. 2. *q.* 164, *art.* 2. *ad* 5. Vox autem hæc non inter Græcos a παρὰ et δεύω, ab *irrigando*, ut Suidas vult, nata est, sed Persicæ, imo Hebraicæ, vel potius Chaldaicæ originis, ex פַּרְדֵּס et פָּרַס in פַּרְדֵּס *pardes*, quod secundum vim vocabulorum *hortum myrtorum*, vel denique omnem locum singulariter amœnum, significat, confluens.

Sed quomodo restitutus Adam per *pœnitentiam* in *Paradisum*? Non utique terrestrem illum, e quo ejectus fuerat, et in quem omnis præclusus reditus, postquam *Deus collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ* (Gen., III, 24). Itaque *paradisus* ille spiritualiter ac mystice intelligendum est de *statu gratiæ*, in quem Adam per pœnitentiam repositus fuit.

Non tacet. Exemplo suo nobis adhuc dum prædicans, qui in *laboribus*, inter *spinas* et *tribulos in sudore vultus sui*, tanquam perpetua pœnitentiæ opera, terram coluit, et ex ea *comedit* panem suum, ut scilicet nobis documento esset, nonnisi per laboriosæ pœnitentiæ opera ad PARADISUM CŒLESTEM, sed perpetuo deinceps incolendum, perveniri posse.

INDEX
LATINITATIS TERTULLIANEÆ.

Cujusnam sit pretii Tertulliani latinitas, nova licet, nemine diffitente, inconcinna plerumque et horrida, paucis jam ab ipso hujus editionis limine præfando eginus; plura paulo infra habuit D. Lumper, quæ vide, si lubet, t. I, col. 93, 94. Hæc autem iterum fusiusque referre nec nobis animus est, nec in extremis operis nostri finibus novæ dissertationi locum opportunum dari quisquam opinabitur. Meminerint tantum lectores illud præsertim ad nova Tertulliani glossemata attendendum esse, in iis enasci ac velut primo germine erumpere novam Ecclesiæ latinæ linguam, nec jam adeo despicienda esse prima rudimenta eloquii per tot hominum ac sæculorum ora, in toto orbe christiano, ad usque usus nostros decurrentis, atque haud sine magna Dei laude animarumque salute permanentis. Meminerint insuper ex tribus præcipue caussis repetenda esse insolita Tertullianeæ latinitatis vocabula: nempe primo ex ardua et novissima fidei christianæ expositione; deinde ex audaci hellenismorum usu apud Septimium libentius græcizantem frequentiori; demum ex forensi ejusdem consuetudine ac trita veterum legum romanorum peritia, qua sæpe sæpius jurisconsultorum effata usurpasse deprehenditur. Quibus addere est, ut in cæteris viris egregie a natura comparatis, innatam indolem Tertulliani ultro ad insolita propensioris, nimia multarum doctrinarum copia diffluentis et, ut pene dicam, satietate ructantis, quadam demum ingenita rubigine africana libenter rusticantis. « Quid mirum, inquit recens auctor, Tertulliani rigidi, impetuosi, ardentis, luxuriantis phantasiæ, acutique ingenii viri scripta, hujus suæ indolis luculentissimæ referre indicia, habitumque induisse haud vulgarem? Horridum scribendi genus et obscurum Afris proprium fuit. Hoc itaque sponte ipsi quoque adhæsit. Attamen in eo ipso est vere unicus semperque suus. Difficili verborum structura, obsoletis novisque passim adhibitis vocabulis, ejus oratio lectoribus sæpe molesta accidit. Mox tumore inflata nauseam creat; mox concinnitate abrupta obscuritatem parit. Illa vero si excuses, sæpius virum mihi audire videor, quem, orationis gravitate et fervore, ne aurei quidem ævi oratori cedere putem. Legas librum Apologeticum. Attendas imprimis, quomodo jam inde ab initio vehementi oratione, sed majestate plena, adversarios adeat, acumine pungat, conscientiam sollicitet, misericordiam movcat, animum denique in admirationem rapiat et sui ipsius magnanimitatis et religionis quam defensurus est sublimitatis; hæc attendas, et, nisi me fallant omnia, inde tibi abunde erit persuasum, Tertullianum, quantiscumque laboraverit orationis vitiis, dicendi facultate valuisse egregie. » Hæc habet J. A. Cœssen *in Commentat.* de Tertulliano, Christi et relig. christ. adversus gentes apologeta (Annal. academ. Rheno-traject. ann. 1823-1824).

Nemini proinde mirum videbitur adeo diligenter ab omnibus Tertulliani editoribus digestum fuisse proprium ipsi glossarium. Porro, ex multis istius modi indicibus, quos exhibent veteres editiones, ac præcipue Rigaltianæ, præ omnibus seligendum esse duximus eum quem Halensi editioni subjecit Christ. Godofred. Schutzius, in Academia Ienens. litterar. human. et eloquentiæ professor, qui egregiam opem Salom. Semlero in concinnanda Septimii editione contulit. Hujus autem indicem cæteris anteposuimus eo potissimum nomine, quod, etsi brevior aliquatenus sit, seu pauciora vocabula recenseat, tamen rerum copia, verborum descriptione, definitionum

ac commentationum eruditione, apertius sane Tertullianei eloquii arcana rimatur nec immerito ab ipsomet auctore, annuentibus plerisque rei patristicæ peritissimis, perpetui commentarii vicem sustinere reputatur. Verba autem quæ hinc et inde vel deficiunt vel minus explicantur, suam plerumque secum habent explanationem sive in contextus subtemine, sive in uberrimis variorum notis. Quædam vero tantum excitata videntur, ut appareant, nec inconsulto, quippe cum abs re non sit intueri quasnam loquendi formulas emiserit Tertullianus, qualemve loquelam ab ortu suo literæ christianæ sibi efformaverint.

EDD.

Prima signa tomum designant; secunda, columnam; tertia, literam verbis adlegatis intra columnas appositam.

A

A et Ω. II, 935 B, *Sic et duas Græciæ litteras, summam et ultimam, sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras*, etc.

ABDICARE. II, 928 C, *Sponte abdicato matrimonio, adsenescunt.* I, *Filium jam subjectum pater retro patiens*, qui filium ante patiebatur immorigerum et contumacem, *abdicavit.*

ABDICERE, abdicare, rejicere. II, 394 C, *Ita totum quod ab homine captatur, abdixit Creator.*

ABHINC, deinceps, ab hoc loco. II, 564 A, *Quod abhinc scriptum.*

ABIRE. I, 1283 B, *Ut cujus maritus de rebus abiit*, i. e. e vita discessit. Sic Græci uti his verbis solent, οἴχεσθαι, κατοίχεσθαι, ἀπέρχεσθαι, ὑπογίνεσθαι, hoc est *mori*: quæ omnia abitum excessumque significant. — I, 615 C, *Abiit jam, et reverti debet*, proverbium. Quis ejus sensus, I, 209 B, 616 D.

ABLUERE, baptisare. II, 806 A, *Caro abluitur.* II, 1011 A, *Denuo ablui non licet.*

ABNOCTARE. II, 749 B, *Celtas apud virorum fortium busta... adnoctare.*

ABOLEFACERE, abolere. I, 452 B, *Civitatem tabernæ habitu abolefacere*, i. e. civilem ordinem honestumque tabernaria confusione commutare. Scaliger corrigit *abolefacere*, κνίσσειν. I, 1308 A, *Perinde potuit abolefactam eam*, etc.

ABOMINAMENTUM. II, 637 A, *Projecit homo abominamenta sua aurea.*

ABORTIVUS. II, 564 A, *Defectiva scilicet et abortiva genitura.* Iren. *Informis et sine specie quasi abortus.* II, 331, C, *Præcoquos et abortivos quodammodo Marcionitas.*

ABRUMPERE. II, 47, *De Ecclesia authenticæ regulæ abrumpit* nimirum sese, dictum ἀμεταβάτως.

ABRUPTE. II, 165 C, *Si tam abrupte in præsumptionibus nostris hac sententia utamur.*

ABRUPTUM. II, 507 A, *Salio et hic, amplissimum abruptum intercisæ Scripturæ.* Locutio ab iis sumpta, qui malunt compendium facere itineris saltu, quam dispendium commodiore ambulatione. Sic, *Maximum campum levissimo saltu transvolas*, Scaliger ad Cardanum. Explicat se mox Tertullianus, II, 507 D: *Ademisti tanta de Scripturis*, hoc est, intercidisti, rejecisti et abrupisti, ut lacunæ in librorum contextu permagnæ extent; lib. V. adv. eumdem: *Quantas foveas in epistola fecerit, auferendo quæ voluit.*

ABRUPTUS, præfractus, pervicax. II, 77 A, *Ut de abrupto, præcipiti, et mori cupido.* II, 247 B, *Caucaso abruptior.* Caucasus mons Scythiæ vastissimus, cujus, ut ait Plin. (*H. N., lib.* VI, *cap.* 5), juga in Colchica Ponti regione ad Riphæos montes torquentur, altero latere in Euxinum et Mæotim devexo, altero in Caspium et Hyrcanium mare, variis nominibus. Virgil. *Æneid.*, IV: *Duris genuit te cautibus horrens Caucasus*, etc. Quibus verbis *abruptum* explicatur, in hominem agrestem, durum, intractabilem et inhospitalem. II, 432 C, *Cæterum nihil tam abruptum quam ut alius præstet.* II, 657 B, *Abruptum alioquin et absurdum.*

ABSOLESCERE. II, 921 C, *Seminarium generis absolescit*, i. e. ut desinat de solito et consuetudine.

ABSOLVERE. II, 76 B, *Speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit*, h. e. deponit. Apud Romanos militibus, cum exauctorantur, ut militiæ privilegiis et honore indigni, inter cætera, calcei solebant detrahi. Balduin. *De Calc.* cap. 24. Vid. et SPECULATORIA. I, 572 A, *Absolutum est de infirmitate et mediocritate eorum*, i. e. apertissime probatum est eos nullarum esse virium.

ABSTINERE. I, 302 A, *Cum mulieres usque adeo a vino abstinerentur*, pro *abstinerent.*

ABSTRUERE, objecta strue auferre lucem. II, 38 C (15). Vid. OBSTRUERE. II, 428 A, *Et negat lucernam obstruendam.*

ABUSUS. II, 970 B, *Processurus ad certamen e custodia abusus*, i. e. longo usu propemodum absumptus confectusque. Rigalt. mavult *obesus*, sed deest codd. auctoritas. Nonius: *Obesus, gracilis et exilis et circumrosus macilentusque.* Nævius: *Corpore pectoreque undique obeso, mente exsensa, tardigemulo senio oppressum.* Gell. N. A., lib XIX, cap. 7.

ACACIA. I, 13, *Quam acacia pollicetur*, i. e. ἀκακία, integritas. Rigalt. præfert alteram lectionem: *Hanc incorruptibilitatem habemus superinduere ad novum hominem, quam monarchia pollicetur.* Alludit autem ad illa Pauli, I Cor. XV, et II Cor. V, jubentis Christianos bene de resurrectione sperare, quæ mortalia corpora induet immortalitate. Tunc enim futurum ut beatorum animæ ad corpora redeant sua, tanquam ad domicilia nova; quippe jam æterna, quippe superinduta immortalitate, tanquam vestimento novo, nullis unquam posthac ætatibus deterendæ. *Monarchiam* dicit Deum optimum maximum, quo sensu vocabulum istud frequentissime usurpavit *adv. Praxeam* disputatione.

ACATUS, navicula. II, 469 A, *Si nunquam furtivas merces vel illicitas in acatos tuos recepisti*, etc., ἄκατος navis agendis mercibus comparata. Inde diminutivum ἀκάτιον, acatium (Plin., *H. N., lib.* IX, *cap.* 31). Persequitur hic auctor accuratissime rationem totam rei nauticæ, ut Marcionem gravius tangeret. Nam ex symbolo negotiatorum nautæ suscipiunt merces, tituli alicujus charactere percussæ traduntur, vel notatæ signo transmittuntur, imponuntur, etc.

ACCEDERE, parem esse. II, 1042 A, *Sed et qui ante Tyrinthium accesserat pugil Cleomachus.* II, 76 A, *Et persona jam ex ordine accesserat.* Legendum cum Rigalt. *decesserat.* Nempe miles ille cæteris constantior fratribus, h. e. commilitonibus christianis, qui divulgari noluerant, arbitrati non esse in tantula dissimulatione prævaricationem.

ACCENDERE. II, 82 B, *Visum in oculis accendit.*

ACCENDONES, lanistæ, qui gladiatores ad certamen accendunt, II, 1050 A.

ACCEPTABILIS. I, 585 A, *Attamen quanto acceptabilior nostra præsumptio est.*

ACCEPTO. I, 347 A, *Accepto ferent dii vestri.* I, 569 A, *Tacent igitur et accepto ferunt.* II, 1011 A, *Quanto magis delicta ista ante lavacrum accepto facit.*

ACCESSIBILITAS. II, 174, A. *Ut et contraria ipsi Filio adscriberemus, mortalitatem, accessibilitatem.*

ACCIDENTIA. II, 498 B, *Accidens enim est quod adscribitur; accidentia autem antecedit ipsius rei ostensio, cui accidunt.* II, 655 B, *Accidentiam spiritus passus est, cecidit enim extasis super illum*, etc.

ACCURATUS. I, 407 A, *Quæ illis accuratior pascua est*, i. e. pastus qui magis curæ illis est.

ACERBUS. II, 901 B, *Ita ante hunc indicem, acerba res est*, i. e. immatura. II, 229 A, *Sicut fici arbor...*

acerba sua amittit, ex Apocalyps. VI, 13: τοὺς ὀλύνθους A αὐτοῦ. *grossos suos* habet Vulgata. Grossus autem est ficus dura atque acerba. Theodorus Gaza, in opere *de Plantis*, ὄλυνθον vocat caprificum.

ACERBATUS. I, 533 A, *Flagella acerbata*, i. e. duplicata.

ACERRA. I, 324 A, *Ut poculum, ut acerram.*

ACERVUS. II, 103 C, *Confusum acervum fidelium eventilans.* I, 1271 A, *Ad omnem acervum nuntiorum.*

ACESCERE. I, 474 A, *Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus acescit aer;* quod præ multitudine hominum in theatris et spectaculis accidere solet.

ACIES. II, 1043 B, *Et acie figere*, est acute, intentis et quasi defixis in rem oculis intueri, ἀτενὲς ὁρᾶν. Ut qui vestibus a naturæ moderatione alienis, hominesque transversos de recto statu agentibus induti, palam conspiciendos se, aut potius deridendos præbent, omnium oculos in se convertere velle videantur. Ut tamen hujusmodi inspectio sive spectatio, quam captant, cum probro contumeliaque eorumdem gestantium, sit conjuncta, ut non laudi, sed vitio vertat. Huic subjungitur (*Ibid.*): *Digito destinare, nutu tradere.* II, 1006 C, *Quam exerta acies machæræ spiritalis.* Vid. EXERTUS. II, 1013 A, *Provoca ad apostolicam aciem.* II, 669 A, *Tot acies tibiarum.*

ACONITUM. Herba virulenta, quodcumque venenum. II, 1030 A, *Eradicato omni aconito hostilitatis.*

ACOR. II, 249 A, *Modico fermento totam fidei massam hæretico acore decepit.* I, 1237 A, *Velut poma cum jam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt.*

ACTOR, qui negotia agit aliena, procurator. II, 434 B, *Proponit actorum similitudinem.*

ACTORIUM de anima, II, 668 C.

ACTRIX. I, 650 B, *Quod si tragœdiæ et comœdiæ scelerum et libidinum actrices.*

ACTUS. II, 564 B, *Enthymesis de actu fuit*, nempe quo prorupit sophia in patrem inquirere, ut auctor loquitur, cap. 9. I, 1313 A, *Sic ergo et circa actum materiarum. Actum* vocat Tertullianus rerum a Deo C creatarum usum, cum ex iis aliquid agimus, cum iis utimur ad actum sive actionem, cujusmodicumque sit. I, 496 B, *Vestros enim jam contestamur actus* de judicibus. II, 439 C, *Secundum servi illius exemplum, qui ab actu summotus.* I, 670 B, *Minor merces frequentiore actu repensatur.*

ACUS. I, 1246 A, *Cedo acum crinibus distinguendis.* II, 906 B, *Et acu lasciviore comam sibi inferunt.*

ACUTUS. II, 1048 A, *Si pergam ad acuta*, i. e. si pergam acutis et decretoriis armis tecum pugnare, non prolusoriis et hebetibus.

AD, apud. I, 527 A, *Profani vero et qui non integre ad Deum.*

ADDICERE. II, 120 A, *Melius est turbas tuas aliquando non videns, quam addicas*, nempe tributariæ servituti. I, 1237 A, *Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit:* proprium venditoris verbum. I, 438 A, *Et ita nos crimini addicite.*

ADDICTIO. II, 1015 A, *Et addictionem omnis pudicitiæ.* Addicit prætor, cum quid proprium esse alicui D jubet.

ADGENICULARI, ad genua accidere. I, 1244 A, *Et aris Dei adgeniculari.* Rectius alii: *Charis Dei.* Intelliguntur autem per *charos Dei* sine dubio martyres, quos pœnitentes rogare solebant, ut se Ecclesiæ redderent. Vid. Tertull. *Ad martyr.: Quam quidam*, pacem nimirum, *non habentes, a martyribus petere consueverunt.*

ADGLUTINARE. I, 1235 A, *In tantum contumaciæ adglutinaris.* II, 665 B, *Et adglutinabit se uxori suæ.* II, 684 B, *Et adglutinabitur mulieri suæ.*

ADHÆRERE. II, 1047 A, *Cæteroquin humerum adhæret.*

ADHUC. II, 54 A, *Etsi adhuc memini*, i. e. insuper, præter communem ritum.

ADITUS, qui adiit. II, 540 A, *Idcirco ei aditum* (nempe ad ista sacra) *prius cruciant.*

ADJUNGERE. II, 17 A, *Quod malis adjungat.* Jun. mavult *adjugat*, i. e. constringit eodem jugo, ut *palmites adjugari* Columella dicit.

ADJURARE. I, 692 A, *Jures per idola, an ab alio adjuratus acquiescas.* I, 448 A, *Cæterum dæmonas, id est genios, adjurare consuevimus.* II, 122 A, *Difficultia signandi statim et adjurandi et ungendi bestiæ calcem.*

ADOLARI. II, 806 B, *De bonis carnis Deo adolantur*, i. e. cultum religiosum exhibent.

ADOLATIO, i. e. adulatio, more veterum. Cultus deorum non verus, sed fictus.

ADORARE. II, 550 A, *Ne gravitate adorentur*, i. e. probentur. Jun. mavult *adornentur.* Nam si ad rem vanam adhibueris gravitatem, videberis adornare, decet eam festivitatis. II, 218 A, *Adoro Scripturæ plenitudinem.*

ADSACRIFICIUM. I, 686 A, B, *Sim vocatus, nec adsacrificii sit titulus officii, et operæ meæ expunctio, quid tum? si libet.* Solvit his verbis objectionem: *Sed his accommodantur sacrificia*, sumpta persona servi B seu liberti christiani, quem dominus gentilis adesse aut apparere sibi jussit, filiove ob togæ puræ vel sponsalium solemnia sacrificanti. Sim vocatus, inquit, dum officium meum et opera mea non possit haberi pro adsacrificio, i. e. administratione seu participatione aut consensu sacrificii, utatur ille et opera mea, et officio meo, quid hoc ad me? integra est hac in re conscientia mea; si libet, adesse possum.

ADSIGNARE, ADSISTERE, vid. per litter. Ass.

ADSOLARE. I, 363 B, *n.* (1); 577 A, *Si majestatis fastigium adsolant*, deprimunt, allidunt solo.

ADVERSIO. II, 299 C, *Jam secundum adversionem dirigendæ bonitatis*, i. e. dirigendæ bonitatis prout mentem quisque suam ad Dei bonitatem advertit. *Adversionem* jureconsulti vocant jus fructuum percipiendorum, et in suos usus accommodandorum. Sic vector navem conducere *in adversionem* dicitur, qui ea lege conducit, ut obventiones ad ipsum conductorem C redeant.

ADVIVERE. I, 748 A, *Qui in ipsis tunc fuerunt, cum adviverent*, i. e. adhuc cum ipsis viverent. II, 87 A, *Quod ipsa sibi idola fecerunt cum adviverent*, i. e. una viverent cum iis qui istum cultum exhiberent ipsis.

ADULARI. II, 972 A, *Non tantum obsequi ei debeo, sed et adulari.* Vid. ADOLARI. II, 976 B, *Et ad singulas horas salutandis adulantur.* II, 722 B, *Ei* (corpori) *soli quies finem operis adulatur*, i. e. adulans tribuit.

ADULTER. II, 50 A, *Tantum veritati obstrepit adulter sensus*, i. e. perversa interpretatio. II, 52 A, *adulter stilus.* II, 198 A, *Totus adulter et prædicationis et carnis:* adultera Hermogenis caro, quæ assidue nubebat; adultera prædicatio, quia hæresi sua fidem pacemque Ecclesiæ corruperat. I, 665 C, *Nam qui falsis deis servit, sine dubio est adulter veritatis, quia omne falsum adulterium est.* I, 519 A, *Expedite autem præscribimus adulteris nostris*, hæreticis. II, 1000 C, *Adultera et ipsa*, de scriptura Pastoris. II, 156 B, *Colligantur omnes adulteræ fruges.* I, 580 C, *Quod adulteram noctem commenti sumus.*

ADULTERARE. I, 632 A, *Qui autem adulterat et affectat*, scil. veritatem. I, 519 A, *Ad philosophicas sectas adulteraverunt.* II, 987 A, *Semetipsum adulterat et stuprat.*

ADULTERIUM. I, 519 B, *Adulteria salutaris disciplinæ.* II, 51 A, *Adulteria Scripturarum.* II, 401 A, *In hoc solo adulterium Marcionis manus stupuisse miror*, i. e. adulteratione et corruptione Scripturarum velut obstupefactas caruisse sensu. I, 1312 B, *De adulterio colorum injustorum.*

ADUMBRARE. II, 899 B, *Debet ergo adumbrari facies tam periculosa*, i. e. velari. I, 645 A, *Postea placuit impietatem voluptate adumbrare.* II, 1014 D, *Obscura manifestis adumbrantur.*

ADVOCARE est græce παρακαλεῖν. II, 590 C, *Advocare languentes.*

ADVOCATIO proprie est turba patronorum et amice-

ac commentationum eruditione, apertius sane Tertullianei eloquii arcana rimatur nec immerito ab ipsomet auctore, annuentibus plerisque rei patristicæ peritissimis, perpetui commentarii vicem sustinere reputatur. Verba autem quæ hinc et inde vel deficiunt vel minus explicantur, suam plerumque secum habent explanationem sive in contextus subtemine, sive in uberrimis variorum notis. Quædam vero tantum excitata videntur, ut appareant, nec inconsulto, quippe cum abs re non sit intueri quasnam loquendi formulas emiserit Tertullianus, qualemve loquelam ab ortu suo literæ christianæ sibi efformaverint.

EDD.

Prima signa tomum designant; secunda, columnam; tertia, literam verbis adlegatis intra columnas appositam.

A

A et Ω. II, 935 B, *Sic et duas Græciæ litteras, summam et ultimam, sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras*, etc.

ABDICARE. II, 928 C, *Sponte abdicato matrimonio, adsenescunt.* I, *Filium jam subjectum pater retro patiens*, qui filium ante patiebatur immorigerum et contumacem, *abdicavit.*

ABDICERE, abdicare, rejicere. II, 394 C, *Ita totum quod ab homine captatur, abdixit Creator.*

ABHINC, deinceps, ab hoc loco. II, 564 A, *Quod abhinc scriptum.*

ABIRE. I, 1283 B, *Ut cujus maritus de rebus abiit*, i. e. e vita discessit. Sic Græci uti his verbis solent, οἴχεσθαι, κατοίχεσθαι, ἀπέρχεσθαι, ὑπογίνεσθαι, hoc est *mori*: quæ omnia abitum excessumque significant. — I, 615 C, *Abiit jam, et reverti debet*, proverbium. Quis ejus sensus, I, 209 B, 616 D.

ABLUERE, baptisare. II, 806 A, *Caro abluitur.* II, 1011 A, *Denuo ablui non licet.*

ABNOCTARE. II, 749 B, *Celtas apud virorum fortium busta... adnoctare.*

ABOLEFACERE, abolere. I, 452 B, *Civitatem tabernæ habitu abolefucere*, i. e. civilem ordinem honestumque tabernaria confusione commutare. Scaliger corrigit *abolefacere*, κίσσυβιν. I, 1308 A, *Perinde potuit abolefactam eam*, etc.

ABOMINAMENTUM. II, 637 A, *Projecit homo abominamenta sua aurea.*

ABORTIVUS. II, 564 A, *Defectiva scilicet et abortiva genitura.* Iren. *Informis et sine specie quasi abortus.* II, 331, C, *Præcoquos et abortivos quodammodo Marcionitas.*

ABRUMPERE. II, 47, *De Ecclesia authenticæ regulæ abrumpit* nimirum sese, dictum ἀμεταβάτως.

ABRUPTE. II, 165 C, *Si tam abrupte in præsumptionibus nostris hac sententia utamur.*

ABRUPTUM. II, 507 A, *Salio et hic, amplissimum abruptum interciæ Scripturæ.* Locutio ab iis sumpta, qui malunt compendium facere itineris saltu, quam dispendium commodiore ambulatione. Sic, *Maximum campum levissimo saltu transvolas*, Scaliger ad Cardanum. Explicat se mox Tertullianus, II, 507 D: *Ademisti tanta de Scripturis*, hoc est, intercidisti, rejecisti et abrupisti, ut lacunæ in librorum contextu permagnæ extent; lib. V. adv. eumdem: *Quantas foveas in epistola fecerit, auferendo quæ voluit.*

ABRUPTUS, præfractus, pervicax. II, 77 A, *Ut de abrupto, præcipiti, et mori cupido.* II, 247 B, *Caucaso abruptior.* Caucasus mons Scythiæ vastissimus, cujus, ut ait Plin. (*H. N., lib.* VI, *cap.* 5), juga in Colchica Ponti regione ad Riphæos montes torquentur, altero latere in Euxinum et Mæotim devexo, altero in Caspium et Hyrcanium mare, variis nominibus. Virgil. *Æneid.*, IV: *Duris genuit te cautibus horrens Caucasus*, etc. Quibus verbis *abruptum* explicatur, in hominem agrestem, durum, intractabilem et inhospitalem. II, 432 C, *Cæterum nihil tam abruptum quam ut alius præstet.* II, 657 B, *Abruptum alioquin et absurdum.*

ABSOLESCERE. II, 921 C, *Seminarium generis absolescit*, i. e. ut desinat de solito et consuetudine.

ABSOLVERE. II, 76 B, *Speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit*, h. e. deponit. Apud Romanos militibus, cum exauctorantur, ut militiæ privilegiis et honore indigni, inter cætera, calcei solebant detrahi. Balduin. *De Calc.* cap. 24. Vid. et SPECULATORIA. I, 572 A, *Absolutum est de infirmitate et mediocritate eorum*, i. e. apertissime probatum est eos nullarum esse virium.

ABSTINERE. I, 302 A, *Cum mulieres usque adeo a vino abstinerentur*, pro *abstinerent.*

ABSTRUERE, objecta strue auferre lucem. II, 58 C (15). Vid. OBSTRUERE. II, 428 A, *Et negat lucernam obstruendam.*

ABUSUS. II, 970 B, *Processurus ad certamen e custodia abusus*, i. e. longo usu propemodum absumptus confectusque. Rigalt. mavult *obesus*, sed deest codd. auctoritas. Nonius: *Obesus, gracilis et exilis et circumrosus macilentusque.* Nævius: *Corpore pectoreque undique obeso, mente exsensa, tardigemulo senio oppressum.* Gell. N. A., lib XIX, cap. 7.

ACACIA. I, 13, *Quam acacia pollicetur*, i. e. ἀκακία, integritas. Rigalt. præfert alteram lectionem: *Hanc incorruptibilitatem habemus superinduere ad novum hominem, quam monarchia pollicetur.* Alludit autem ad illa Pauli, I Cor. XV, et II Cor. V, jubentis Christianos bene de resurrectione sperare, quæ mortalia corpora induet immortalitate. Tunc enim futurum ut beatorum animæ ad corpora redeant sua, tanquam ad domicilia nova; quippe jam æterna, quippe superinduta immortalitate, tanquam vestimento novo, nullis unquam posthac ætatibus deterendæ. *Monarchiam* dicit Deum optimum maximum, quo sensu vocabulum istud frequentissime usurpavit *adv. Praxeam* disputatione.

ACATUS, navicula. II, 469 A, *Si nunquam furtivas merces vel illicitas in acatos tuos recepisti*, etc., ἄκατος navis agendis mercibus comparata. Inde diminutivum ἀκάτιον, acatium (Plin., *H. N., lib.* IX, *cap.* 31). Persequitur hic auctor accuratissime rationem totam rei nauticæ, ut Marcionem gravius tangeret. Nam ex symbolo negotiatorum nautæ suscipiunt merces, tituli alicujus charactere percussæ traduntur, vel notatæ signo transmittuntur, imponuntur, etc.

ACCEDERE, parem esse. II, 1042 A, *Sed et qui ante Tyrinthium accesserat pugil Cleomachus.* II, 76 A, *Et persona jam ex ordine accesserat.* Legendum cum Rigalt. *decesserat.* Nempe miles ille cæteris constantior fratribus, h. e. commilitonibus christianis, qui divulgari noluerant, arbitrati non esse in tantula dissimulatione prævaricationem.

ACCENDERE. II, 82 B, *Visum in oculis accendit.*

ACCENDONES, lanistæ, qui gladiatores ad certamen accendunt, II, 1050 A.

ACCEPTABILIS. I, 585 A, *Attamen quanto acceptabilior nostra præsumptio est.*

ACCEPTO. I, 347 A, *Accepto ferent dii vestri.* I, 569 A, *Tacent igitur et accepto ferunt.* II, 1011 A, *Quanto magis delicta ista ante lavacrum accepto facit.*

ACCESSIBILITAS. II, 174, A. *Ut et contraria ipsi Filio adscriberemus, mortalitatem, accessibilitatem.*

ACCIDENTIA. II, 498 B, *Accidens enim est quod adscribitur; accidentia autem antecedit ipsius rei ostensio, cui accidunt.* II, 665 B, *Accidentiam spiritus passus est, cecidit enim extasis super illum*, etc.

ACCURATUS. I, 407 A, *Quæ illis accuratior pascua est*, i. e. pastus qui magis curæ illis est.

ACERBUS. II, 901 B, *Ita ante hunc indicem, acerba res est*, i. e. immatura. II, 229 A, *Sicut fici arbor...*

acerba sua amittit, ex Apocalyps. VI, 13: τοὺς ὀλύνθους αὐτοῦ, *grossos suos* habet Vulgata. Grossus autem est ficus dura atque acerba. Theodorus Gaza, in opere *de Plantis*, ὄλυνθον vocat caprificum.

ACERBATUS. I, 555 A, *Flagella acerbata*, i. e. duplicata.

ACERRA. I, 324 A, *Ut poculum*, *ut acerram*.

ACERVUS. II, 103 C, *Confusum acervum fidelium eventilans*. I, 1271 A, *Ad omnem acervum mantiorum*.

ACESCERE. I, 474 A, *Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus acescit aer*; quod præ multitudine hominum in theatris et spectaculis accidere solet.

ACIES. II, 1043 B, *Et acie figere*, est acute, intentis et quasi defixis in rem oculis intueri, ἀτενὲς ὁρᾶν. Ut qui vestibus a naturæ moderatione alienis, hominesque transversos de recto statu agentibus induti, palam conspiciendos se, aut potius deridendos præbent, omnium oculos in se convertere velle videantur. Ut tamen hujusmodi inspectio sive spectatio, quam captant, cum probro contumeliaque eorumdem gestantium, sit conjuncta, ut non laudi, sed vitio vertat. Huic subjungitur (*Ibid.*): *Digito destinare*, *nutu tradere*. II, 1006 C, *Quam exerta acies machæræ spiritalis*. Vid. EXERTUS. II, 1013 A, *Provoca ad apostolicam aciem*. II, 669 A, *Tot acies tibiarum*.

ACONITUM. Herba virulenta, quodcumque venenum. II, 1050 A, *Eradicato omni aconito hostilitatis*.

ACOR. II, 249 A, *Modico fermento totam fidei massam hæretico acore decepit*. I, 1237 A, *Velut poma cum jam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt*.

ACTOR, qui negotia agit aliena, procurator. II, 434 B, *Proponit actorum similitudinem*.

ACTORIUM de anima, II, 668 C.

ACTRIX. I, 650 B, *Quod si tragœdiæ et comœdiæ scelerum et libidinum actrices*.

ACTUS. II, 564 B, *Enthymesis de actu fuit*, nempe quo prorupit sophia in patrem inquirere, ut auctor loquitur, cap. 9. I, 1313 A, *Sic ergo et circa actum materiarum*. *Actum* vocat Tertullianus rerum a Deo creatarum usum, cum ex iis aliquid agimus, cum iis utimur ad actum sive actionem, cujusmodicumque sit. I, 496 B, *Vestros enim jam contestamur actus* de judicibus. II, 439 C, *Secundum servi illius exemplum*, *qui ab actu summotus*. I, 670 B, *Minor merces frequentiore actu repensatur*.

ACUS. I, 1246 A, *Cedo acum crinibus distinguendis*. II, 906 B, *Et acu lasciviore comam sibi inferunt*.

ACUTUS. II, 1048 A, *Si pergam ad acuta*, i. e. si pergam acutis et decretoriis armis tecum pugnare, non prolusoriis et hebetibus.

AD, apud. I, 527 A, *Profani vero et qui non integre ad Deum*.

ADDICERE. II, 120 A, *Melius est turbas tuas aliquando non videas*, *quam addicas*, nempe tributariæ servituti. I, 1237 A, *Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit:* proprium venditoris verbum. I, 438 A, *Et ita nos crimini addicite*.

ADDICTIO. II, 1015 A, *Et addictionem omnis pudicitiæ*. Addicit prætor, cum quid proprium esse alicui jubet.

ADGENICULARI, ad genua accidere. I, 1244 A, *Et aris Dei adgeniculari*. Rectius alii: *Charis Dei*. Intelliguntur autem per *charos Dei* sine dubio martyres, quos pœnitentes rogare solebant, ut se Ecclesiæ redderent. Vid. Tertull. *Ad martyr.*: *Quam quidam*, pacem nimirum, *non habentes*, *a martyribus petere consueverunt*.

ADGLUTINARE. I, 1235 A, *In tantum contumaciæ adglutinaris*. II, 665 B, *Et adglutinabit se uxori suæ*. II, 684 B, *Et adglutinabitur mulieri suæ*.

ADHÆRERE. II, 1047 A, *Cæteroquin humerum adhæret*.

ADHUC. II, 54 A, *Etsi adhuc memini*, i. e. insuper, præter communem ritum.

ADITUS, qui adiit. II, 540 A, *Idcirco ei aditum* (nempe ad ista sacra) *prius cruciant*.

ADJUNGERE. II, 17 A, *Quod malis adjungat*. Jun. mavult *adjugat*, i. e. constringit eodem jugo, ut *palmites adjugari* Columella dicit.

ADJURARE. I, 692 A, *Jures per idola*, *an ab alio adjuratus acquiescas*. I, 448 A, *Cæterum dæmonas*, *id est genios*, *adjurare consuevimus*. II, 122 A, *Diffidentia signandi statim et adjurandi et ungendi bestiæ calcem*.

ADOLARI. II, 806 B, *De bonis carnis Deo adolantur*, i. e. cultum religiosum exhibent.

ADOLATIO, i. e. adulatio, more veterum. Cultus deorum non verus, sed fictus.

ADORARE. II, 550 A, *Ne gravitate adorentur*, i. e. probentur. Jun. mavult *adornentur*. Nam si ad rem vanam adhibueris gravitatem, videberis adornare, decet eam festivitatis. II, 218 A, *Adoro Scripturæ plenitudinem*.

ADSACRIFICIUM. I, 686 A, B, *Sim vocatus*, *nec adsacrificii sit titulus officii*, *et operæ meæ expunctio*, *quid tum? si libet*. Solvit his verbis objectionem: *Sed his accommodantur sacrificia*, sumpta persona servi seu liberti christiani, quem dominus gentilis adesse aut apparere sibi jussit, filiove ob togæ puræ vel sponsalium solemnia sacrificanti. Sim vocatus, inquit, dum officium meum et opera mea non possit haberi pro adsacrificio, i. e. administratione seu participatione aut consensu sacrificii, utatur ille et opera mea, et officio meo, quid hoc ad me? integra est hac in re conscientia mea; si libet, adesse possum.

ADSIGNARE, ADSISTERE, vid. per litter. Ass.

ADSOLARE. I, 363 B, *n.* (1); 577 A, *Si majestatis fastigium adsolant*, deprimunt, allidunt solo.

ADVERSIO. II, 299 C, *Jam secundum adversionem dirigendæ bonitatis*, i. e. dirigendæ bonitatis prout mentem quisque suam ad Dei bonitatem advertit. *Adversionem* jureconsulti vocant jus fructuum percipiendorum, et in suos usus accommodandorum. Sic vector navem conducere *in adversionem* dicitur, qui ea lege conducit, ut obventiones ad ipsum conductorem redeant.

ADVIVERE. I, 748 A, *Qui in ipsis tunc fuerunt*, *cum adviverent*, i. e. adhuc cum ipsis viverent. II, 87 A, *Quod ipsa sibi idola fecerunt cum adviverent*, i. e. una viverent cum iis qui istum cultum exhiberent ipsis.

ADULARI. II, 972 A, *Non tantum obsequi ei debeo*, *sed et adulari*. Vid. ADOLARI. II, 976 B, *Et ad singulas horas salutandis adulantur*. II, 722 B, *Ei* (corpori) *soli quies finem operis adulatur*, i. e. adulans tribuit.

ADULTER. II, 50 A, *Tantum veritati obstrepit adulter sensus*, i. e. perversa interpretatio. II, 52 A, *adulter stilus*. II, 198 A, *Totus adulter et prædicationis et carnis:* adultera Hermogenis caro, quæ assidue nubebat; adultera prædicatio, quia hæresi sua fidem pacemque Ecclesiæ corruperat. I, 665 C, *Nam qui falsis deis servit*, *sine dubio est adulter veritatis*, *quia omne falsum adulterium est*. I, 519 A, *Expedite autem præscribimus adulteris nostris*, hæreticis. II, 1000 C, *Adultera et ipsa*, de scriptura Pastoris. II, 156 B, *Colligantur omnes adulteræ fruges*. I, 580 C, *Quod adulteram noctem commenti sumus*.

ADULTERARE. I, 632 A, *Qui autem adulterat et affectat*, scil. veritatem. I, 519 A, *Ad philosophicas sectas adulteraverunt*. II, 987 A, *Semetipsum adulterat et stuprat*.

ADULTERIUM. I, 519 B, *Adulteria salutaris disciplinæ*. II, 51 A, *Adulteria Scripturarum*. II, 401 A, *In hoc solo adulterium Marcionis manus stupuisse miror*, i. e. adulteratione et corruptione Scripturarum velut obstupefactas caruisse sensu. I, 1312 B, *De adulterio colorum injustorum*.

ADUMBRARE. II, 899 B, *Debet ergo adumbrari facies tam periculosa*, i. e. velari. I, 645 A, *Postea placuit impietatem voluptate adumbrare*. II, 1014 D, *Obscura manifestis adumbrantur*.

ADVOCARE est græce παρακαλεῖν. II, 590 C, *Advocare languentes*.

ADVOCATIO propric est turba patronorum et amico-

rum qui alicui in judicio adsunt. I, 270 A. C, *Secuturæ Scripturarum quoque advocationi*, i. e. defensioni. II, 393 A, *Quoniam recepistis advocationem vestram*, i. e. consolationem, παράκλησιν. I, 1267 A, *Itaque talibus et advocatio et risus promittitur*. II, 865 B, *Voces exhortationis et advocationis*, i. e. consolationis, auxilii. II, 93 B, *Quibus familiarissima est advocatio necessitatis*, i. e. allegatio, excusatio. I, 270 A, *Advocatione mercenaria utuntur*.

ADVOCATOR, παράκλητος. II, 393 A, *Sicut probavi mendicorum advocatorem*.

ADVOCATUS. II, 931 A, *In hoc quoque paracletum cognoscere debes advocatum*. Alludit ad significationem vocis παράκλητος; sed ridicula est applicatio auctoris. II, 972 A, *Qua paracletus, id est advocatus*. I, 695 A, *Non jam advocatorum, sed angelorum*. Advocatos dicit, qui amico præsentiam suam commodabant signando, subscribendo, testimonium dicendo. Sic Varro, lib. II *de Re rust.*, cap. 5 : *Tu vero, Murri, veni mi advocatus, dum asses solvo Palilibus, si postea a me repetant, ut testimonium perhibere possis.* B

ÆDIFEX, pro ædificatore. I, 678 A, *Ex similitudine providentissimi ædificis illius*.

ÆDIFICARE, proposito exemplo invitare. II, 540 A, *Ut opinionem suspendio cognitionis ædificent*. II, 139 C, *Ad quarum tolerantiam ædificans monet*. I, 1310 B, *Solum hunc mulierum stuporem ædificare noverunt*, i. e. operi inservire faciendo atque exhibendo quod stupeant mulieres et admirentur. II, 14 B, *Ædificari in ruinam*. I, 624 B, *Ut robori ædificando vacent*.

ÆDIFICATIO. I, 1256 A, *Loquacitas in ædificatione nulla turpis*.

ÆDIFICATORIUS. II, 782. B, *In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis*.

ÆMULATIO, invidia, odium, dolor, quo ethnici afficiebantur, quum viderent numerum suorum decrescere, et religionem christianam in dies majora capere incrementa. I, 277 A. *Absolutus post tribunal de vestra rideat æmulatione*. I, 308 A, *Ex æmulatione Judæi*. II, 52 A, *Veniens utique ex caussa æmulationis* I, 536 A, C *Æmulatio divinæ rei et humanæ*, i. e. aliter sentit Deus, aliter homo. II, 408 A, *Æmulatio legis*. II, 928 A, *Si quis præsumptione hujus providentiæ suæ æmulationem provocarit*. Sensus est, eo magis fieri posse, ut gravida fiat fœmina providentia Dei, si quis præsumptionem de ea conceptam (quod sit sterilis) provocaverit concubitu, quasi æmulaturus Deum, qui de sterilibus fœtas facit.

ÆMULUS. I, 277 B, *Quædam ratio æmulæ operationis*, i. e. operose æmula. Vid. RATIO. II, 958 C, *Æmulo modo*, i. e. contrario. II, 278 B, *Qui non alias plene bonus sit, nisi mali æmulus*.

ÆNIGMA, figura. II, 448 C, *Ubi in lapidis ænigmate*. II, 820 A, *Obtentu figurarum et ænigmatum*. II, 811 A, *Ut non possit altera species admittere ænigmata*.

ÆNEIUS. II, 251 C, *Tanquam æneiæ scrofæ*. Rigalt. emendat *æneiæ*. Vid. SCROFA.

ÆQUIPARANTIA. II, 570 B, *In æmulas æquiparantias corpulentiarum*.

ÆSCULAPIUS. II, 1031 A, *Æsculapio jam vestro.* D *Vestrum* appellat eo quod præcipue in Africa coleretur et Pœna matre genitus crederetur, nam prius erat Pergamenorum dumtaxat. Sensus: Pallia quibus olim usi estis, fuere qualia etiam hodie Æsculapii sacerdotes in usu habent.

ÆSTIMARE. II, 82 B, *Contactum in manibus æstimavit*. Melius Rigalt. legit *extimavit;* quod vide infra.

ÆSTIMATIO, cogitatio. I, 263, 264 A, *Nec tamen hoc ipso modo* (Heuman. *moniti*) *ad æstimationem*, etc. Sensus: nec tamen ea re se admoneri patiuntur, ut cogitent fortasse veritatem subesse ei doctrinæ, quæ vulgo damnatur. I, 1327 A, *In æstimationem temporum* recte Rigaltius restituit *in extimatione temporum*, i. e. in extremis temporibus, in fine sæculi.

ÆSTUARE. II, 134 C, *Cum terrena quoque officia in gradu æstuent*, i. e. contendant pro dignitate gradus, ut primum obtineant locum. I, 497 A, *De vestris semper æstuat carcer*.

ÆSTUARIUM. I, 658 A, *Quid facies in illos suffragiorum impiorum æstuario deprehensus*.

ÆTAS, I, 316 A, 319 A, *Major ætas*, i. e. majores natu. I, 1527 A, *Ætates denique requietas jam et in portum modestiæ subductas*. Ibid., *Pro frigore ætatis*. II, 982 B. *Habet et in Christo scientia ætates suas*.

AFFECTATIO, imitatio. I, 371 A, *Sed et plerique vestium affectatione aliquando*, etc.

AFFECTIO, προπάθεια, assumptio. II, 1015 A, *Ob diversam affectionem tenebricæ vestis*.

AFFECTIOSUS. II, 682 B, *Et naturaliter affectiosa sit, non habens intellectum*.

AFFINIS. II, 260 A, *Et impudentiæ et malignitatis affinis est*, i. e. particeps; ita Cic. pro Sylla: *Hujus affines suspicionis*. II, 437 C, *Extraneos et nullius juris affines*. I, 1261 A, *Affines cupiditatis deprehendemur*. I, 1267 A, *Numquid impatientes paris affines*. I, 671 A, *Affines illos esse multimodæ idololatriæ*.

AFFINITAS. I, 679 A, *Ut non usque ad idololatriæ affinitates*, i. e. usque adeo ut participes simus idololatriæ.

AFFLATUS. II, 291 B, *Afflatus Dei*, i. e. anima. II, 294 C, *Imprimis tenendum quod græca Scriptura significavit, afflatum* (πνοὴν) *nominans, non spiritum* (πνεῦμα). I, 1231 B, *Alia afflatu ejus consummata*.

Ἀγενεαλόγητος, qui est sine cognatione, II, 73 A.

AGERE. II, 26 B, *Egisse Jesum Christum*, h. e. eam hominis personam induisse, omniaque egisse quæ de Jesu Christo fuerant prædicta. II, 416 B, *Et illi agis*, i. e. agis actorem et procuratorem illius. II, 434 B, *In tantum illi negotium agens*. II, 667 C, *Quid autem agere dicuntur moribundi, animum an animam?*

AGINA est, inquit Festus, foramen illud in quo inseritur scapus trutinæ, hoc est in quo agitur sive vertitur trutina; unde *aginatores* dicti, qui parvo lucro moventur. II, 234 B, *Mediæ quod ainnt aginæ*, de motu, qui adeo temperatus, ut nullam in partem vergat, parsque nulla præponderet.

AGNITIO, assensus, approbatio. II, 155 B, *Et ex ea agnitione pacem*. II, 963 A, *Verum etiam sacramentorum agnitionem jejunia de Deo merebuntur*, i. e. peritiam interpretandi figuras et imagines sacras, nempe divinitus objectas in somnis.

AGNOSCERE, assentiri, approbare. II, 155 B, *Agnoscentem jam prophetias Montani*.

AGNOSCIBILIS. II, 877 A, *Sed liniamenta Petro agnoscibilia servaverat*.

AGONOTHETA, ἀγωνοθέτης, certaminis præses et judex, musici scilicet et scenici. Gymnicorum enim certaminum qui præsides essent, athlothetæ dicebantur. II, 104 A, *Ita agnosces ad eumdem agonothetam pertinere certaminis arbitrium*. I, 624 A, B, *In quo agonothetes Deus vivus est*.

Αἱρέσεις, *dictæ græca voce, ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instruendas, sive ad suscipiendas eas, utitur*, II, 18 A.

Αἰὼν. II, 550 B, Αἰῶνα τέλειον, æonem perfectum.

ALIQUI, pro aliquis, I, 315 A. Ita sæpissime.

ALCINOUS rex in Corcyra insula, II, 1036 A. De ejus pomariis vid. Plin., H. N., lib. XIX, cap. 4, et Hom., Odyss., lib. VII.

ALES, metaph. pro eo quod est, velocissimus est et quovis alite velocior. I, 407 A, *Omnis spiritus ales est*.

ALEXANDER, II, 1038 A, est Polyhistor, quem Suidas Milesium fuisse refert, et bello captum, in Corn. Lentuli familia pædagogum egisse, posteaque manumissum, Cornelii nomine vocitatum. Scripsisse videtur libros de rebus Phrygiorum et Ægyptiorum ad matrem suam. Richerius intelligit de Alexandriæ et Africæ populis.

ALLECTIO. II, 58 B, *Allectio explorata;* allegandorum scilicet in ordinem ecclesiasticum. Hoc enim ante ordinationem prædicari mos erat. Prædicatio autem fiebat nominibus eorum propositis, admonito populo,

ut si quis adversus eos quid haberet criminis, probaret manifestis rebus : talis apud Ecclesiam fuit *allectio explorata*, ut contra apud hæreticos ordinationes temerariæ notantur supra. II, 514 B, *Creatoris autem non natura sunt filii Judæi, sed allectione patrum*, i. e. adoptione.

ALLEGERE, assumere, adoptare. I, 335 A, *Vacat ex hac parte caussa allegendæ humanitatis in divinitatem*, II, 808 A, *Cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit ut anima allegi possit.*

ALLEGORIA, parabola, ænigma, figura. II, 421 C, *Per allegorias et figuras.* II, 833 B, *Ut allegoriæ quidem nubilo careant.*

ALLEGORICUS. II, 543 A, *Allegorica dispositio*, i. e. figurata. Vid. CONVITIUM. II, 996 A, *Et histriones cum allegoricos gestus accommodant.* II, 836 A, *Allegoricæ scripturæ.*

ALLEGORIZARE. II, 401 A, *Quæ Christus in homines allegorizavit.* II, 834 A, *Habemus etiam vestimentorum in Scripturis mentionem ad spem carnis allegorizare.*

ALLOCUTIO. II, 28 B. *Allocutionis præfationem*, l. e. προσφωνήσεως. II, 660 A, *Aut allocutiones proferuntur*, ὁμιλίαι, ἐκκλησίαι.

ALTEGRADIUS. II, 913 A, *Ut bestia quædam magis quam avis... cætera allegradia.*

ALTERUTER. I, 321 A, *Ex alterutro*, i. e. ex utraque contrahentium parte. I, 471 A, *Pro alterutro*, i. e. alter pro altero. II, 985 A, *Sine alterutra oppositione.*

ALTILIS. I, 651 A, *Et propter otium Græciæ altiles homines oderis.* Athletas seu palæstritas intelligit, a gymnasiarchis ali solitos summa cura, ut essent viribus ad certamina valentissimis nobiles. Talium vero certaminum studiosissimi erant Græci, publicæ utilitatis otio gaudentes. Illæc enim patiebantur longæ pacis mala. Altiles homines Septimius dixit, ut Varro et Martialis boves et gallinas altiles, pro opimis et saginatis. I, 1246 B, *Conquirito altilium enormem saginam.*

ALVEARIUM. II, 586 A, *In conspersionis alvearia*, i. e. alveos, et quæ vulgo dicuntur mactræ.

ALVEUS, alvus, venter. I, 322 A, *Ipsorum ursorum alvei appetuntur.* II, 663 A, *Et digesta sine alveis.*

AMARE, solere. II, 1033 A, *Temporatim vestiri amantem.* II, 319 A, *Sed expedita virtus veritatis paucis amat*, i. e. solet, more Græcorum, φιλεῖ γενέσθαι, malle. I, 265 A, *Amant ignorare.* Heuman legit *amans.* II, 133 B, *Amavit, quæ vocaverat in salutem, invitare ad gloriam.*

AMBITIO, vagus et multiplex circuitus. II, 978 B, *Illis ambitio corporis competit.* II, 900 A, *Quis non sit naturaliter consecutus ambitionem capillorum*, περιόδων. II, 691 B, *Tota ventris ambitio.* II, 650 B, *Sed viderit utriusque præstantiæ ambitio*, i. e. φιλοτιμία.

AMENTARE. II, 439 C, *Amentavit hanc sententiam*, i. e. ut jaculum intorsit, vibravit. Lucan., *Jaculum amentavit habena.* Hesych. Ἄμμα, ἄκμης; hinc *amentum*, jaculi et hastæ lorum.

AMENTATIO. I, 572 A, *Quo macharis vestris amentationibusque cadatis*, i. e. amentis.

AMENTIA. II, 684 B, *Quam in illum Deus amentiam immisit*; sic vocat somnum Adami. Vid. ECSTASIS.

Ἀμήτωρ, qui est sine matre. II, 73 A.

AMOR. II, 247 A, B, *Amores Colchorum*, philtra, amatoria venenata, aliaque venena omnia. Conf. Horat. Carm. II, Od. 13.

AMPLIARE. I, 1318 A, *Quam si Dominus ampliando legem a facto stupri non discernit.* II, 937 B, *Non tantum reservata permanent, verum et ampliata.* II, 76 B, *Et res ampliata.* Res *ampliari* dicitur, cujus cognitio in aliud tempus, vel ad aliud tribunal rejicitur aut remittitur. Ampliatorum exempla sunt apud Livium, XLIII, ubi de M. Fitinnio : *Bis amplialus, tertio absolutus est reus.* Et paulo post, de P. Furio, Philio et M. Matieno : *Gravissimis criminibus accusati ambo ampliatique.*

AN, forte. I, 416 A, *An Christianis*, i. e. forte factis christianis. Sensus totius loci est : Credite illis, cum adjurati a nobis verum dicunt; si enim liceret illis mentiri, quando homo christianus veritatem probare vult, facerent certe, ne vos tam fructuosos sibi amitterent, imo, ne a vobis ipsis olim forte christianis, ab aliqua possessione sua deturbarentur.

ANABIBAZON, ἀναβιβάζων, ascendens : signum astrologis, planeta γενέθλιος, sub quo quisque concipitur aut nascitur. II, 266 A, *Fortasse enim Anabibazon ei obstabat.*

ANDROMACHA. II, 996 B, *Nihil enim ad Andromacham*, i. e. nihil ad Christum. Alii proverbii loco habent, ut alludat ad veteris alicujus tragici fabulam nomine *Andromachæ* inscriptam, et nihil aliud significari hac locutione, quam hisce : Nihil ad versum, nihil ad Bacchum, οὐδὲν πρὸς Βάκχον, ἀκροδρύαινα, h. e. aliena a re. Nam hæreticos cum histrionibus comparat. Illi allegoricos gestus accommodantes canticis, alia longe a præsenti et fabula et scena exprimunt : illi, hæretici scilicet, easdem parabolas quo volunt, tribuunt, non quo habent, aptissime excludunt. (Vid. PROVERB. FORMULAS, I, 210 D.)

ANGELIFICARE. II, 832 B, *In regno Dei reformatam et angelificatam.*

ANGINA. II, 732 B, *Aut compressu jecoris angina sit mentis*, angor scilicet animi.

ANGUSTIA. II, 905 A, *Ex angustiis*, i. e. tenuitate facultatum sive fortunarum.

ANIMA. II, 228 B, *Natatiles et volatiles animæ.* II, 905 A, *Et animam expectatione et carnem transfiguratione*, i. e. virgo illa tua jam nupta est animum expectatione mariti, nupta est carnem transfiguratione pubis. *Nupta carnem et animum*, ut, *Os humerosque Deo similis.* Verborum quæ sequuntur, *cui tu secundum paras maritum*, sensus est : Virgo tua, quam tu virginem existimas, propter ætatem desiit esse virgo, non quidem a viro corrupta, sed ab ætate; proinde maritus, quem ei trades, secundus erit.

ANIMALIS ψυχικός. II, 953 C, *Agnosce igitur animalem fidem, studio carnis, qua tota constat.*

ANIMARE. I, 1322 A, *Tum solis animando simul et siccando capillo exoptabilis ardor.* Animando, colorando, ut *animatæ fruges* Lucretio, et *animata exta* Arnobio. I, 1202 B, *Si aquæ animare noverunt*, i. e. æternam homini vitam reddere, qua peccando exciderat. I, 1208 A, *Alio spiritu tantæ claritatis animare.* Animari dicitur machina digitis musici modulantibus spiritum in aquam pressionibus densatum et concorporatum, ut in clarissimum exeat sonum multiplici varietate distinctum. Hujusmodi autem Septimius alium spiritum appellat, nempe eruditum et exarticulatum. II, 994 C, *Et credideris comparationes eorum inter se animasse.* Animantur colores, tam apte comparati, ut alter alterius vigore excitetur.

ANIMATIO. II, 556 B, *Et totam enthymesin, id est animationem cum passione*, etc. Iren. *Deposuisse pristinam intentionem, cum ea quæ acciderat passione.*

ANIMATRIX. II, 147 A, *Animatricem confessionis* vocat dilectionem perfectam, i. e. quæ incitat, impellit, animum addit ad confitendum Christum.

ANNOTATIO, cura ut care locetur. I, 345 A, *Sub eadem annotatione quæstoris.*

ANNUS. I, 487 A, *Annus in cura est.* Zephyrus ad sollicitudinem hominum ejus anni applicat; sed Tertullianus, non hominibus, sed anno et tempori curam quasi et laborem tribuere videtur. II, 976 C, *Cum stupet cælum et aret annus.*

ANNULUS. I, 302 A, *Annulus pronubus.* Aureum hunc fuisse ait h. l. Tertullianus. Plinius autem, H. N, XXX, 1, docet pronubum illum annulum ex ferro fuisse. Kipping. (*Antiq. Rom.*) putat Tertullianum pro ævi sui more locutum esse; an potius male intellexit Plinium, qui non de annulo pronubo est locutus, sed de symbolo frugalitatis et modestiæ, qua ad veteres illas horridasque Sabinas sponsa seu nova nupta revocaretur.

ANNUUS. II, 79 B, *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus.*

ANTECESSOR. II, 890 B, *Hic solus est antecessor, quia solus post Christum;* de Paraclelo. II, 364 A, *Destituta patrocinio antecessorum.*

ANTECESSIVUM. II, 894 C, *Et subjectivum antecessivo et portionale universali.*

ANTECURSOR. II, 825 A, *Et dehinc florem frugis antecursorem.*

ANTELIUS. I, 684 A, *Etiam apud Græcos Apollinem Θυρεῖον, et Antelios dæmonas ostiorum præsides legimus.* Hesych. Ἀντήλιοι θεοί, οἱ πρὸ τῶν θυρῶν ἱδρυμένοι. Εὐριπίδης, Μελεάγρῳ. Deinde ἀντήλιος ὁ ἴσος τῷ ἡλίῳ φαινόμενος καταχρηστικῶς δὲ ὁ ἀντιχρὺ ἡλίου ἱδρυμένος βωμὸς ἢ θεός.

ANTELUCANUS. II, 79 B, *Etiam antelucanis cœtibus.* I, 273 A, *Cœtus antelucanos ad canendum Christo.*

ANTENNA. II, 346 B, *Nam et in antenna, quæ crucis pars est, extremitates cornua vocantur.* Sic apud Virgilium: *Cornua velatarum obvertimus antennarum.*

ANTIÆ sunt capilli anteriores de fronte pendentes. II, 1042 A, *Genuini inter antias adumbrati.*

ANTICIPARE. II, 858 B, *Omnis enim consummatio atque perfectio, etsi ordine postumat, affectu anticipat.*

ANTIQUITAS. I, 515 A, *Adhuc enim mihi proficit antiquitas præstructa divinæ literaturæ.*

ANTIQUIUS. II, 213 B, *Aliquid fuerit præter patrem antiquius*, i. e. prius natura, non tempore, ut docent sequentia.

ANTISTARE, præstare, potiorem esse. I, 442 A, *Qui utique vivunt et mortuis antistant.* II, 279 B, *Non enim et continentia virginitatis antistat:* legendum cum Rigalt. *virginitati.* II, 845 C, *Sed nos multis passeribus antistamus.*

ANTISTATUS. II, 563 B, *Angelorum comparaticium antistatum*, i. e. angeli apparitores Soteris, ante ipsum stantes sive apparentes ei, ad obeunda ministeria. *Comparaticium* vero dicit, quia genus eorum comparari poterat substantiæ Soteris. Jun. *antistatum* interpretatur προστασίαν.

ANTISTES. I, 259 B, *Romani imperii antistites.* Zephyrus intelligit ipsos pontifices, quorum auctoritas rem sacram, cæremonias, omnem denique religionem administrabat, in quibus interpretandis summa reip. versabatur; unde et principes publici consilii a Cicerone appellantur, et deorum immortalium antistites. Atque inter eos etiam ipsos imperatores fuisse constat ex inscriptionibus antiquis, in quibus *pontifices maximi* vocantur.

ANTITHESIS. II, 267 C, *Nam hæ sunt antitheses Marcionis, id est contrariæ oppositiones.*

AORI, ἄωροι, qui morte immatura pereunt, II, 745 B.

Ἀπάτωρ, qui est sine patre, II, 75 A.

APEX, insigne sacerdotum: pileus fuit sutilis, quo flamines caput operiebant. II, 1015 A; I, 363 A; II, 164 A, *Apex ex radio:* apicem vocat, simili ducto a pileis flaminum, illud quasi filamentum, quod radiis jaculantibus intermicare videmus splendente sole, et quodammodo pendere ante oculos nostros. Lucret. *tela dici* vocat; P. Varro *jacula;* Prudentius, *solis* vel *radiorum spicula* appellavit. II, 988 A, *Inter duos apices facinorum eminentissimos.* II, 629 B, *De apicibus scilicet Christi crucis. Apices* dicit quæ supra dicit *cornua.*

APOCARTERESIS, ἀποκαρτέρησις, est propositum et electio mortis per inediam et famem. I, 512 A, *Lycurgus apocarteresin optavit ut hypocrita.* II, 262 B, *Apocarteresi si probes te Marcionitam*, i. e. reipsa proba, voluntaria inedia et nece tui ipsius te esse hypocritam, qui Creatorem repudies.

APORIATIO, hæsitatio, metus, confusio. I, 69 A, *De aporiatione conceptus atque prolatus.*

APOSTOLICUS (II, 198 A) vocatur Hermogenes, quem etsi non denotavit Apostolus animo, tamen notavit communicatione nominis. II, 472 B, *Scripturam Actorum apostolicorum confirmat.* Solemne fuit patribus olim, ut τὰς τῶν ἀποστόλων Πράξεις vocarent *Apostolica*, Ἀποστόλικα.

APOSTOLI, *Quos hæc appellatio missos interpretatur.* II, 52 A.

APPARENTIA, ἐπιφάνεια. II, 268 A, *Ab apparentia Christi, usque ad audaciam Marcionis.*

APPARERE, procurare, colere, ministrare. I, 347 A, *Nam et aruspex mortuis apparet.* I, 527 A, *Alius, qui judicio Dei apparet*, i. e. ministrat. II, 814 C, *Vice potius vasculi apparere animæ.* I, 650 A, *Cum spiritui appareant aures et oculi.* Sic et Tullius vocat sensus *mentis satellites.* I, 687 A, *Qui regibus idololatris usque ad finem idololatriæ apparuerunt.*

APPARITIO. II, 59 A, *Apparitio devota.*

APPARITOR. I, 650 A, *Nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur;* loquitur de sensibus: oculis et auribus. Vid. APPARERE.

APPENDIX. II, 744 A, *In paradiso, quo jam tunc et patriarchæ et prophetæ appendices dominicæ resurrectionis.* II, 806 B, *Et appendices hujus officii* (jejunii) *sordes.* II, 977 B, *Appendices scilicet gulæ lascivia atque luxuria est.*

APPLICARE. II, 123 A, *De affectibus applicant*, blande et molliter accedunt. II, 502 D, *Angelum Satanæ colaphizando apostolo suo applicuisse.* I, 341 A, *Quas* (bestias) *Libero applicatis.*

APULIA. I, 652 B, *Quod deus etiam extra apulias oculos habet.* Hoc vocabulo significari videntur vela quæ in theatris et amphitheatris ad ornatum, et ad excludendos ictus solis fervidos. Ea vero quandoque purpurea: quo colore præstantissimæ, ut verisimile est, lanæ imbuebantur, quales ex Apulia. Martialis: *Velleribus primis Apuleia.* Unde et velis nomen *Apuliarum.*

AQUA. I, 1202 A, *Aqua dignum vectaculum Deo.* I, 1224, A, *Post aquam*, i. e. post baptismum.

AQUARIOLUS. I, 495 A. Festus, *Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum sordidi asseclæ.* Iidem et lenonum vice fungebantur, et conditiones meretricibus conciliabant. Turneb. *Advers.* lib. XIV, cap. 12.

AQUATILIS. I, 1259 A, *Post petræ aquatilem sequelam desperant de Domino.*

AQUATIO. II, 962 A, *Deliquerat Israel in aquatione apud Masphat.*

AQUIGENUS. II, 299 B, *Inter aquigena et terrigena animalia*, ὑδρογενῆ καὶ γηγενῆ τῶν ζώων.

AQUILEGUS. II, 707 A, *Quantum sibi de pristinis et aquilegis notis gratulabuntur*, i. e. jumenta, muli et asini qui hisce machinis volvendis occupabantur, si quando in homines mutari contigerit, de sua sibi conditione gratulabuntur, vertendis enim hisce rotis non adeo insudabunt. Vitruvius illas describit. Erant autem instrumenta, quæ situlis quibusdam aquam hauriebant et effundebant.

AQUILEX dicebatur artifex aquis inveniendis, ducendis, curandis præfectus. II, 326 C, *Non statim aquilicem et agricolam se Deus repromisit.*

AQUILICIA, sacra, aquis eliciendis et impetrandis instituta. I, 487 A, *Aquilicia Jovi immolatis.* Hoc erat Romanorum, nam magis proprie apud Carthaginienses Juno hujus curæ præerat. Cf. cap. 33.

ARA. II, 1031 A, *Post trinas Pompeii aras*, sc. triumphales, i. e. triumphos. I, 1182 A, *Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris*, alludens ad stationes: utitur proprio sacrorum verbo. Stare ad aram dicitur dedicatum animal, victimæ patiens. Virgil. II Georg.: *Et cornu ductus stabit sacer hircus ad aram.* I, 1286 A, *Aram enim Dei mundam proponi oportet;* in aliis locis hominem christianum dicit aram Dei, cujus ex corde preces ad Deum feruntur. Hic vero eximio quodam sensu *aram Dei* vocat ordinis ecclesiastici præsides, qui Ecclesiæ vota ad Deum perferunt, per quos Ecclesia christiana sacrificiorum orationes ad Deum allegare solet. I, 677 B, *Fumantes aras despuet et exsufflabit.* II, 1048 A, *Soleo de qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere.* Nempe hic in pallio loquitur philosophus, non christianus. Eo enim adduci Christianus non potuit, ut in aram saliret concionis ergo, quippe aras et sacrificia detestabantur, et exsufflabant tunc temporis transeuntes Christiani. II, 156 C, *Et aram rogum.*

ARBITER. II, 960 A, *Deploraturus erat eosdem duces suos et arbitros*, i. e. spectatores, testes. II, 317 B, C, *Arbitrio patris*, i. e. teste. II, 414 A, *Tres de discentibus arbitros futuræ visionis et vocis assumit.*

ARBITRATRIX. II, 299 B, *Quæ in Domino inventa sit arbitratrix operum ejus.*

ARBUSTUS. II, 320 B, *Qui res suas arbustiores in primordiis*, i. e. qui res suas robustiores procuraverit, qui scilicet non surculos depanxerit, sed jam arbusta, eaque arbustiora, i. e. jam grandia, quæ fructum proferunt maturius multo quam surculi.

ARCANUM. I, 1297 A, *Quarum arcana in periculum quod credunt servent*, etc. Uxorum arcana dicit, quod uxores suas christianis sacris operantes non prodant. Earum igitur arcana mariti ethnici in periculum, quod credunt, servant, i. e. in periculum quod nomini christiano imminere, credunt, persecutione, ut sperant, exarsura, ita ut tunc temporis eas prodant, si qua forte animi læsura inde concepta perniciem eis exoptent. Hoc enim est, *si forte lædantur*, si qua forte incidat animi læsura, si quod jurgium. Vid. OBJECTIO.

ARCHETYPUS. II, 548 A, *Archetypi magistri* sunt principes magistri, vetustiores.

ARCHIGALLUS, antistes Gallorum sacerdotum Cybeles, matris deum, I, 425 A. Vid. IMPERIUM. II, 815 A, *Vel fictricis, vel archigalli.*

ARCHIVA, diaria, annales. I, 401 B, n. (4), *In archivis vestris relatum habetis.*

ARCHON, ἄρχων, princeps, seu magistratus primarius. II, 88 B; II, 215 A, ἄρχοντες.

Ἀρχή. II, 215 A, ἀρχὴ *non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum.* II, 551 A, Προαρχὴν et τὴν ἀρχὴν. II, 579 A, *Choicum substantia* ἀρχῆς *carnem, materia.* Græca Irenæi postulant, choicum substantia *corpus*, carnem a materia.

ARCUATUS. II, 122 A, *Arcuato impetu surgens*, de scorpione.

ARCTARE. II, 710 B, *Ne in custodiam delegatus ad solutionem totius debiti arcteris.*

ARDOR. II, 106 B, *Cum enim exurimur persecutionis ardore.* II, 123 A, *Et certo tempore subornantur, nec alio quam ardoris de gnosticis.* I, 510 A, *Novi et Phrynen meretricem Diogenis, supra recubantis ardori subantem.*

AREA. I, 701 A, *Areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt.* Ludit in voce. Nam cum ille acclamasset, *Areæ non sint*, intellexit de sepulturis; cum rursum dicit, *areæ ipsorum non fuerunt*, intelligit de areis messium. Area autem pro cœmeterio sumitur. Pontius Diaconus in Actis Cypriani : *Sepultus est in area Candidi procuratoris.*

ARENA. I, 321 A, *Munus in arena*, i. e. munus gladiatorium. I, 467 A, *Cum atrocitate arenæ.*

ARENARIUS *numerorum*, arithmeticas varias numerorum compositiones in abaco, pulvere consperso, discipulis monstrans, II, 1050 A.

ARGUMENTARI, argutiis agere, argute excogitare aut tradere. I, 655 B, *Ne quis argumentari nos putet.* I, 659 B, *Ab ea et Circi appellationem argumentantur.*

ARIDUS. II, 1040 A, *Arida saginatio est* ξηροφαγία quæ athletarum propria erat. II, 954 A, *Vel aridas, vel aridas escas.*

ARIES. II, 800 B, *Et ubique primus iste in nos aries temperatur, quo carnis conditio quassatur.* Aries, trabs funibus suspensa, cujus caput ferro vestitur, ut durissimam, arietis instar, frontem videatur habere; et more etiam arietis retro ducitur, ut majore impetu feriat subruatque muros. Hinc verbum *temperari*, quod in apparatu et libratione in ictus destinata, arte opus esset et certa temperatura. Proverbialiter dici poterit pro eo quod est : « Validum argumentum nobis objicitur, quod difficile sit dissolvere; aperta vi oppugnamur, » ut arietes et cuniculi in argumentis inter se opponuntur. II, 1031 B, *Nam et arietem*, etc.

ARITHMI, lib. Numeror. H, 431 C.

ARMARIUM. I, 1507 B, *Quia nec in armarium judaicum admittitur.* In eo scilicet canone Scripturarum, qui servabatur in templo hebræi populi succedentium diligentia sacerdotum. Sic interpretatur Augustinus lib. XV *de Civitate Dei*, cap. 23. Idem lib. XII *contra Faustum*, ubi de Judæorum gente : *Quid est aliud gens ipsa, nisi quædam scrinaria christianorum, bajulans legem et prophetas ?* I, 670 B, *Quanto citius armarium compingit.*

ARMARE. II, 687 B, *Quod et solum armare potuissem ad testimonium plenæ divinitatis.* II, 259 B, *Tantis operibus notitiam sui armaverit.*

ARTIFEX. I, 655 B, *Sane ille artifex pugnorum*, i. e. pugil. II, 762 B, *Sed spectaculi artificem.* I, 636 A, *Inde Romani accersitos artifices mutuantur*, i. e. histriones.

ARTUS. II, 1030 C, *Nec manibus artæ*, i. e. arctiores, angustiores. Vid. Cic. *in Catil.* I, 1245 B, *Quanto in arto negotium est.*

ASINARIUS, cultor asini. I, 365 A, 577 C, *Quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque asinarii tantum sumus.*

ASINUS. II, 416 B, *Asinus de Æsopi puteo*, ineptus ex improviso superveniens, et importuno ruditu complens omnia.

ASPIS. II, 331 C, *Aspis (quod aiunt) a vipera mutuari venenum.* De aspide sic Plin. H. N., lib. VIII, cap. 23 : « Colla aspidum intumescere...; nullo ictus remedio, præterquam si confestim partes contactæ amputentur. » Tam præsentaneum scilicet est venenum. De *vipera*, eodem lib., cap. 39 : « Serpentum vipera sola terra dicitur condi, cæteræ arborum aut saxorum cavis (sed Aristot., lib. V *de natura Animal.* contra tradit viperam sub petris sese condere, reliquas serpentes in terra abdi). Omnia secessus tempore veneno orba dormiunt. » Lib. VII, cap. 2, ait, « Qui montem Athon incolant viperinis carnibus ali. » Quod certe argumentum est veneni minus efficientis. Proverbio igitur isto significabitur pestilentissimum a minus malo ad nequitiam edoceri.

ASSECTATUS. II, 948 B, *Et aliquamdiu assectatæ* viduæ, i. e. appetitæ. Rhen. legit *affectatæ.*

ASSENTATOR. II, 206 A, *Assentator mali invenitur Deus*, qui assentiatur ut fiat malum. Deus scilicet malam esse materiam cum agnoscat, ea tamen utitur (quod erat Hermogenis dogma), illiusque pravitatem vel adstruit, vel saltem dissimulat. Jun. conjicit *assectator*, qui vel materiæ naturam debuerit συναχολουθεῖν atque sustinere.

ASSERTOR, quisquis in statum asserit sive liberum, sive etiam servilem, vindex alienæ libertatis. II, 273 C, *Talis assertor etiam damnaretur in sæculo.* I, 1287 A, *Cujus assertor cum Domino disputavit*, i. e. patronus, qui hominem tuendum suscipit.

ASSIGNARE. I, 1269 C, *Et virginem assignat*, i. e. communi cum viduis castimonia signatam et obstrictam tenet. I, 1272 A, *Exomologesin assignat*, nempe pœnitentiæ proxime positæ. II, 18 B, *Sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* II, 1046 A, *Totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus assignet.* III, 137 B, *Perennes cruoris sui maculas silicibus assignans.* II, 1023 B, *Disciplina hominem gubernat, potestas assignat*, i. e. demonstrat, eximium ostendit, χαρακτηρίζει.

ASSUMERE, I, 1236 B, *Et pœnitentiam assumunt.* Assumere pœnitentiam dicitur, qui inter audientes nomen profitetur suum.

ATHENÆ, II, 20 B, *Quid ergo Athenis et Hierosolymis*, i. e. quid philosophis cum Christianis?

ATTENTARE, adoriri, II, 55 B : nam impii de suis sensibus adoriuntur quasi manu piorum sensus, et id unum agunt, ut veritatem transforment in mendacium.

ATTONITUS, II, 58 B, *Diligentia attonita*, quæ semper est in metu, ne quid peccet. I, 656 B, *Attonitus in mimos*, i. e. attonita mente ad mimos attendens.

Avena. II, 156 A, *Avenæ Praxeanæ*. Falsam doctrinam avenæ comparat; nam, ut Plinius scribit, frumenti vitium est avena. *Ibid.*, *Avenæ vero illæ ubique tunc semen excusserant.*

Avocator. II, 762 B, *Nec mortuorum suscitatorem, sed vivorum avocatorem*, i. e. qui vivos avocata vita ad mortem, a recta fide ad hæresin.

Avocatrix. II, 647 C, *Omnis veritatis avocatricem.*

Auctor, justus dominus. II, 51 B, *Et ab ipsis auctoribus*, i. e. κυρίοις, mancipibus. II, 113 B, *Sed quum ipsi auctores*, qui auctoritate præsunt, penes quos est Ecclesiæ habendæ auctoritas. In glossis Philoxeni, Auctor, ἀρχηγός, αὐθέντας, et in Agrimensorum libris, *auctores* absolute ponuntur pro doctoribus et magistris.

Auctoramentum. I, 476 A, *Sub auctoramento ventris.*

Auctorare, est mercedem quærere. I, 697 D, *Auctorati in has pugnas accedamus. Auctorati* dicuntur, qui, proposita mercede aut præmio, se obligaverant, operamque suam gladiatoriam spondebant. I, 626 B, *Jam et ad ignes se quidam auctoraverunt*, i. e. obligaverunt. II 77 C, *Et satis auctoratam consensus patrocinio*, i. e. auctoritate firmatam eaque obligatam.

Auctoritas, summa in administrando imperio potentia. I, 258; II, 49 A, *Unde nobis quoque auctoritas præsto est*, i. e. ex qua Ecclesia nobis Christianis statuta quoque, ut ex aliis prædictis similibusque auctoritas, κύρος καὶ βεβαίωσις, et præsto est illa cathedra, etc. II, 977 A, *Et stellæ auctoritatem demorantis suspirant*, i. e. dolent cunctari tam diu stellarum exortum, ante quem nefas jejunium solvere.

Audire, celebrari. II, 1034 A, *Solus audiebat*, i. e. olim in ore omnium erat ob fertilitatem, et vix de alio sermones erant. II, 796 A, *Sciemus quid audiant a Christo Sadducæi*, i. e. quo nomine appellentur, et quibus modis confutentur. I, 1239 A, *Aliis audientibus*, i. e. catechumenis.

Auditus. II, 404 A, *Qui auditui suscitabat*, i. e. ad auditum sive ad audiendum, græca phrasi, τῇ ἀκοῇ ἡγειρεν.

Auriga. II, 950 C, *Inter alienos spadones et aurigas tuos.* Rigalt. legit *perorigas tuos.* Varro, lib. II *de Re rustica*, ubi de admissura equarum, *peroriga dicitur quisquis admittit.* Itaque perorigas vocat Psychicos, qui, ut ipse ait, *nuptias ingerebant, et quasi prurigine conciliabant.* Le Prieur vult *urigas*, i. e. qui pruriginem veluti movebant. I, 641 B, *Merito et aurigis coloribus idololatriam vestierunt*, i. e. in ludis suis idololatricis aptaverunt colores pro ratione idolorum aurigis suis attributos; hos enim aurigas colores appellat, ut Virgil., Æneid. XII, *aurigamque sororem* adjective dixit. I, 661 A, *Auriga in flammea rota totus rubens*; alludit ad agitatorum factionem russatam.

Aurugināre. II, 675 C, *Qui redundantia fellis aurugināant*, i. e. ictero laborant. *Aurugo* icterus, ab auri colore. Vet. Gloss. ἴκτερος, aurugo; ἰκτερικός, aurugināosus, qui eo morbo laborat.

Auspex. II, 140 C, *Sicut non olim pro auspice*, i. e. apud eum cujus imperio et ductu res gerebatur. Rigaltio tamen hæc vox non placet, cui nihil deesse videtur, nisi nomen loci.

Aut. II, 464 E, *Ita aut pater aut filius est*, i. e. ita aut pater est qui dicitur vocabulo *patris*, non filius; aut filius est, qui dicitur vocabulo *filii*, non pater. Cum de hac aut ista persona habetur sermo, respondet vocabulum personæ veritati. I, 1175 A, *Aut quantis arteriis opus est : aut* significat *alioquin*, græco more, sic enim accipitur interdum ἤ.

Autem. *Ipsum velut fibula conjunctivæ particulæ ad connexum narrationi appositum est*, II, 221 B.

Αὐτεξούσιον. II, 685 A, *Habenus in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur.*

Authenticus. II, 49 A, *Apud quas authenticæ literæ eorum recitantes*, i. e. lingua eadem qua fuerunt ab apostolis conscriptæ, *sonantes vocem uniuscujusque.* II, 546 B, *De Ecclesia authenticæ regulæ abrupit.* II, 916 A, *Sciamus plane non sic esse in græco authentico.*

Axis. Fest. stipes, teres, circa quem rota vertitur. I, 531 A, *Ad stipitem dimidii axis revincti.*

B

Bacchans. II, 1043 B, *Digne quidem ut bacchantibus indumentis aliquid subtiniret*; bacchantia indumenta, purpureæ vestes mulierum bacchantium propriæ.

Bajuli. I, 1281 B, *Nec Germanicos bajulos.* Erant Germanici bajuli, qui aut sedentes harmamaxis, aut quiescentes lecticis gestabant, virorum principum molliorumve fœminarum satellites, proceritatis caussa dilecti maxime.

Balteus seu *Balteum*. I, 634 B, *Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum.* Viæ duplex fuit ratio : una transversa, per ambitum emitibus, altera recta, veluti per proclivum (ut auctor loquitur) caveam circumve petituris. Ambitus enim digniorum fuit proxime caveam aut circum; proclivum, popularium ambitum circumstantium. Ambitum, in quo senatorum orchestra fuit, distinctum fuisse narrat Tertullianus balteis et cardinibus. Balteos sive baltea (quod frequentius) ea opera constat παραφράκτας appellari, quæ aliorum velut cingula et repagula sunt, eaque substringunt et firmant loco suo. In spectaculis item baltei sive baltea dicta sunt repagula consessuum, quibus senatorum, equitum et magistratuum στίχοι sive ordines distincti erant, ut commode spectare possent; puta deni, quindeni, viceni, triceni, etc., singulis balteis conclusi, prout a circo aut cavea propius aberant, deminuta balteorum longitudine. Singulis autem balteis sui erant cardines ad utramque viam bini, quibus a dextra ac sinistra ingrediebantur spectaturi, et ingressi occludebant, ne quis balteum præterea inire posset. Cardines autem synecdochice eo dicebantur, quod fores essent versatiles et cardinibus impactæ, ut liber aditus atque exitus pateret spectatoribus (quemadmodum item ab auctore cap. 20 appellantur), ex via in balteum, aut ex balteo in viam abituris. Inter populares item par ratio : nisi quod populo pro honoratioribus balteis sedes puræ erant, sive repagulis et fulcris manuariis; et levia quædam discrimina viarum, cardinum digniorum loco. Hæ igitur viæ, inquit auctor, quibus a scena atque proscenio (quæ sipario distinguebantur) secundum cardines balteorum ubi honoratiores sedebant per ambitum, et secundum discrimina popularium per proclivum extra spectacula veniebatur, aut contra, inter hos et illos cardines atque discrimina.

Baptismus. II, 1209 A, *Post baptismum mundi*, i. e. post diluvium. II, 1213 A, *Cum Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit.* II, 1217 A, *Baptismus sanguinis.*

Barbaria. II, 890 B, *Per Græciam et quasdam Barbarias ejus.* Barbarias Græciæ dicit extra Græciam regiones quasdam, seu appositas Græciæ, quibuscum fuere Græcorum negotia seu bella. Horat.: *Græcia barbariæ lento collisa duello.*

Bardus. II, 230 B, *Pictor te bardior non est.*

Basilia, βασιλεία. II, 350 B, *In prima Basiliarum.* Basilias, regna, i. e. *Regnorum* libros in duas partes dividebant; quarum prima duos libros capiebat, qui *Samuelis* inscribuntur, secunda duos *Regum.* Errant qui *in primo Basil.* legunt, nam locus est in *prima Basiliarum, libro secundo* eorum qui *Samuelis* inscribuntur (cap. 7). II, 389 A, *Sic et retro in Basiliis.*

Baxa, genus calceamenti deaurati et muliebris. II, 670 B, II, 1043 B, *Soccus et baxa quotidie deaurantur.*

Bekkos. I, 570 B, *Prima vox Bekkos renuntiata est; interpretatio ejus* panis *apud Phrygas nomen est.*

Benedictus. II, 42 A, *Sub episcopatu Eleutheri be-*

nedicti. Benedictus erat apud primitivos Christianos eminens titulus. II, 1003 C, *Bonus pastor et benedictus Papa.*

Beneficiarii dicebantur milites beneficio principis assumpti ad officia seu ministeria certa ; itaque apparebant principi mandatis exsequendis. II, 118 C.

Beneficium. II, 1031 A, *Injuriæ beneficium;* injuria facta fuit Carthagini in eversione, beneficium in concessa restauratione.

Beryllus, βήρυλλος, gemma est una ex virentibus lucidisque nascens apud Indos, cujus speciem Plin. II. N., XXXVII, 5, facit *Chrysoberyllum*, pallidum quidem, sed in aureum colorem exeuntem. Agricola *Chonspitem* dici etiam Chrysoberyllum scribit, lib. VI *Fossilium. Beryllus* paulo languidior, fulgore in aurum vergente. II, 660 B, *Nec beryllis ideo aquosa materia est quod fluctuent colato nitore.*

Bestia. II, 261 B, *Illas ipsas lectuli et tegetis tuæ bestias*, cimices et pulices. II. 913 A, *Ut bestia quædam*, etc., periphrasis struthionis vel struthiocameli, quem optime describit Aristotel. lib. IV *de Partib. Animal.*, et Plin. principio lib. X II. N.

Bestiarii, qui cum bestiis congrediuntur in arena, sive nocentes, sive inopia illorum alii cum immanibus feris comparati, I, 317 A. Illisce ultimum cœnantibus liberaliter apponebatur mensa. I, 492 A, *Non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis suprema cœnantibus mos est.*

Bleothanati, βλεοθάνατοι, quibus animæ vi eripiuntur per atrocitatem suppliciorum, II, 717 B.

Bibere. I, 471 A, *Qui unum spiritum biberunt sanctitatis* Opponit hos iis qui in Cebetis tabula errorem et ignorantiam bibere dicebantur. Paulo post : *Cœnare disciplinam.*

Bisculum. I. 1246 B, *Bisculum aliquid ferri vel æris. unguibus repastinandis.*

Blattire, incondite et inaniter loqui. II, 1032 B, *Ut Silenus penes aures Midæ blattit.*

Botronatus est comæ strues corimbiata. Hesych. Βοτρυῶν ἐτέρα τὰς ἑτέρας ἐχομένη, ὡς οἱ βότρυες τὰς ῥάγας ἔχουσι πύκνας καὶ κατὰ συστροφήν, ἢ συνημμένοι ὁμοῦ. I, 1529 A.

Botulus. II, 954 B, *Exteriores et interiores botuli Psychicorum.* Amarulenta in orthodoxos hypallage, tanquam si dixerit : Crassi isti et pingues et obesi Psychici, botulis similes, tam farcti, quam botuli. Merito autem præfatus est honorem auribus. Etenim botulus interior quidem farciminis ingluvie stipatur, ut ganeonis alicujus abdomen ; exterior vero in veretri modum inverecunde distenditur, ut Horatianus ille de ficulneo truncо deus : *Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus.*

Brabium, βραβεῖον, præmium. I, 624 B, *Brabium angelicæ substantiæ.*

Breviarium. I, 1153 B, *Ut revera in oratione breviarium totius Evangelii comprehendatur*, i. e. brevis recensio atque summaria. Plin. H. N. VII, 26 : *Hoc est breviarium ejus ab Oriente.*

Buccella. II, 943 B, *Et illi plane sic dabunt viros et uxores quomodo buccellas*, i. e. omnibus petentibus. Respicit enim ad dictum illud : *Omni petenti te dato*:

Buccinæ. Sunt conchæ minores, quæ in mari nascuntur, II, 1033 B.

Byssinum. I, 1334 A, *Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis.* Byssum speciem esse lini Indici vulgo fertur, quod ex arbore Ponticæ hujus persimili lanæ instar ducitur : quamvis nonnulli Indicæ plantæ corticem affirment.

Bythion, profundum, II, 551 A.

Bythos, βυθός, gurges, profundum. II, 68 A, 551 A. *Illum Valentini Monogenem ex patre* Βυθῷ *et matre* Σιγῇ.

Cacabulum, instrumentum quo ventris et vesicæ onus excipiebatur. I, 344 B.

Cacabus. II, 977 B, *Apud te agape in cacabis fervet.*

Cactus, spinarum genus. Hesych. Κάκτος, ἄκανθα τις ἐκ γῆς ἐκφυομένη πλατεῖα πάνυ πικρὰ ἰσχει τὰ δ.τα εἰς αὐλους. II, 1036 A, alii legunt *exsecto*, alii *exacto.*

Cadaver. II, 819 B, *Ut exinde a* cadendo *cadaver renuntietur.* II, 878 C, *Cum frigidum, cum expallidum, cum edurum, cum cadaver.*

Cæcus, II, 903 A, *Cæco bono suo*, i. e. latente, non exposito oculis, velut tenebris et obscuritate merso, incognito, cui opponitur *illustris* sequentibus. II, 662 B, *Sed et personant cutices ne in tenebris quidem aurium cæci.* II, 733 C, *Cæco somno noctem transigere*, i. e. sine visionibus.

Cedere II, 281 C, *Cui cædendo præstat et esse.* Sensus est, *cui* sanctitati *præstaret*, i. e. foret utilius atque optatius, *cædendo esse*, i. e. parem esse conjugio cædendo resecandoque. Melius nobiscum, inquit, ageretur, si ea nostra sanctitas esset, quæ nos ad conjugium tollendum adduceret, faceretque exsortes conjugii. II, 876 A, *Licet alimnde jam cæsæ* (quæstiones), i. e. profligatæ. II, 547 A, *Et manibus cædentibus pectus* orando.

Cesariatus. II, 1040 A, *Equis cæsariatos*, i. e. quibus equina ad galeam erat cæsaries.

Cæsio, κλαστιγμός. I, 477 A, *Inde discedituv non in catervas cæsionum.* Hujus petulantiæ meminit Suetonius in Nerone, cap. XXVI : *Siquidem redeuntes a cœna verberare ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assueverat.*

Cæterum, alioquin. II, 13 B, *Cæterum nihil valebunt.* II, 546 A, *Cæterum inhumane.* Ita sæpissime.

Calcaria, locus ubi aut coquitur calx, aut asservatur, aut venditur. I, 763 A, *Pervenimus igitur de calcaria... in carbonarium :* proverb., de loco impuro in nihilo puriorem venire, a conditione laboriosa et sordida una ad aliam devolvi. Postquam Tertullianus Marcionis hæresi responderat, quasi impurissimæ, ad Apellis æque impuri, confutationem sese accingit.

Calceatus II, 254 C, *Calceati mox venam gloriam vapulabunt*, i. e. novis calceis instructi, de quibus gloriantur vane. II, 77 A, *Calceatus de Evangelii paratura.*

Calendarium vocabatur liber in quo accepti expensique ratio continebatur. I, 1314 B, *Graciles aurium cutes calendarium expendunt*, i. e. universum domus censum quasi in extima auricula appendunt et circumferunt.

Calere. II, 247 A, *Nihil illic nisi feritas calet.* II, 123 A, *Calentes et ipsi offendere ;* de scorpiis, quibus incalescentibus venenum inardescit.

Caliendrum, Fest., operimentum capitis, II, 1044 A.

Caligatus. I, 690 A, *Et an militia ad fidem admitti etiam caligata.* Caliga erat militare calceamentum, ita ut caligatus etiam pro milite accipiatur. Ita Sueton. in August. : *Coronas murales sæpe etiam caligatis tribuit.* Balduin. *de Calc.* cap. 13. Erant autem caligati milites, gregarii, manipulares, et ob vilitatem, infimum militiæ ordinem, exercitusque plebem, ut ita dicam, constituebant. Nigronius, *de Caliga Veter.*, cap. 3.

Calix, II, 1000 C, *Pastor quem in calice depingis.* II, 991 B, *Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum.*

Calliblepharum, II, 991 B, est purpurissum, quod pulchritudinem acuit et venustatem in fœminis. Plin. II. N. XXI, 19, ex foliis rosarum exustis confici docet, et ex nucleis palmarum atque etiam ex bubula medulla. lib. XXVII, 4.

Callositas. I, 647 B, *Exisse hæc in usus communis callositatem :* consuetudinem significat, quæ longo usu veluti callum obduxit. Ita Cic. *Quæst. Tuscul.* lib. III, cap. 22 : *Diuturna cogitatio animis callum vetustatis obduxit.*

Canales, forenses dicti, auctore Festo, quod circa canales fori consisterent. II, 1047 A, *Canales non adoro.*

Cancelli. II, 1047 A, *Cancellos non adoro.* Le Prieur vult : *non adorior ;* quod dicitur de causidicis,

qui causam suscipiunt, et sistunt se apud judices. II, 142 B, *Quas a cancellis ordinas potestates.*

Candida. II, 147 C, *Sed de candida salutis gloriari volebat.* II, 445 A, *Ac candida quædam utriusque judicii prospiciatur*, exspectantium et designatorum ad honores nota. II, 523 B, *Pharisææ candidæ notam*, i. e. honorum pharisaicorum. II, 750 B, *In quadam usurpatione et candida ejus. Usurpatio* est pœnarum judicialium in antecessum afflictio et anticipatio; *candida* vero, gloriæ complendæ perceptio. II, 77 A, *Et de martyrii candida melius coronatus.*

Candidatus. II, 315 A, *Ut restitutionis candidatos*, i.e. jam indutos candida per Dei gratiam ad restitutionem sui. Non enim hic candidati appellantur velut ambientes, sed velut jam ad restitutionem designati. I, 1300 A, *Sic et ipse Dei candidatus est timore*, i. e. agens in tyrocinio timoris et reverentiæ Dei. II, 881 A, *Æternitatis candidati.* I, 1156 A, *Et nos angelorum candidati*, i.e. qui designati sumus similes fieri angelis. II, 718 A, *Genimina sua dæmoniorum candidata profitentur*, i. e. designata dæmoniorum cultui. II, 86 B, *Quod a candidatis diaboli introductum.*

Candidare. II, 147 C, *Et candidaverunt ipsum in sanguine ipsius.* II, 147 C, *Maculæ vero martyrio candidantur.*

Canere. I, 1205 C, *Figura ista medicinæ corporalis spiritalem medicinam canebat.* I, 1291 B, *Apostolus cecinit.* II, 610 A, *Quem venturum prophetæ canebant.* II, 493 B, *Sed et hic psalmus Salomoni canere dicetur.*

Canicula. II, 247 B, *Nam ille canicula Diogenes.* Cynicus ille Diogenes, dictus ob libertatem, quam sibi in carpendis tum hominibus, tum etiam diis sumebat.

Caninus. I, 1231 B, *Non affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore formata;* intellige cynicam sive Diogenicam tolerantiam. II, 1042 B, *Ne caninæ forte constantiæ mandatum sit.*

Cantabrum, vexilli genus Persarum. V, 369 A.

Cantherius. I, 365 A, Festus : *Cantherius hoc distat ab equo, quod mas alis a verre, caput a gallo, vervex ab ariete ; est enim cantherius equus, cui testiculi amputantur.*

Canus. I, 386 A, *Historiarum canas et memoriarum*, i.e. historias et memorias canas. Vid. Memoria.

Capere, de eo quod fieri potest, ut Græcorum δύνεσθαι. I, 376 A, *Dum æstimari non capit.* II, 60 A, *Talia capit opinari eos.* II, 207 A, *Nam definimus diminutionem et subjectionem capere posse.* II, 213 B, *Multo magis non capit sine initio quicquam fuisse.* II, 576 A, *Vel quia origo sordidior capit*, i. e. capax est, nimirum infamiæ. II, 162 A, B, *Et ita capiat secundus a Deo constitutus*, i. e. δέχεται, quasi dicat, *obtineat.* II, 253 B, *Si depretiari capit in Creatore*, i. e. si conceditur, si datur, ut Creator depretietur. II, 295 A, *Capit etiam imaginem spiritus dicere flatum*, i. e. flatus significat etiam imaginem spiritus, sive potest dici imago spiritus. II, 395 B, *In quantum ergo fidem non capit*, h. e. non est credibile, neque probabile. I, 687 A, *An servus dei alicujus dignitatis aut potestatis administrationem capiat*, i. e. susceperus sit vel suscipere possit. II, 215 A, *Non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum;* et eadem pag., *principium nihil aliud capiat, quam initium.*

Capillago. II, 737 A, *Vel affluit capillago.*

Capillatura. I, 1224 A, *Frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis.* Hi peculiari vocabulo *cosmetæ* dicebantur. Glossæ veteres, Κοσμήτης, ornamentarius, ornator. Juven., *Ponunt cosmetæ tunicas.* Et puellæ in eum usum adhibitæ; nam et in glossis legimus : κοσμήτριαι, ornatrices.

Captatela, capiendi vestiendique commoditas. II, 1046 A, *Prius etiam ad simplicem captatelam ejus.*

Captatrix. II, 916 A, *Et est omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix.*

Capulus, receptaculum, loculus. II, 805 A, *Vilissimo alicui commiserit capulo :* ita vocat corpus.

Caro. II, 124 B, *Carne spiritus exolescit*, carne, i.e. vitæ mortalis pravo amore.

Cassis, reticulum, quo obvelatur vultus, ne quis internosci queat; quæ etiam *cassiculum* olim per deminutionem dicta, auctore Festo. II, 774 B, *Nemo ostendere volens hominem, cassidem aut personam ei inducit.*

Castrare. I, 426 A, *Lacertos quoque castrando libebat.* I, 1327 A, *Tanquam castigando et castrando sæculo erudimur a Deo.* II, 932 B, *Apostolus propterea et ipse castratus.* I, 570 B, *Castratis faucibus*, i. e. exsecta lingua.

Castrator. II, 247 B, *Castrator carnis.* Conf. Plin. H. N. VIII, 30; et lib. XXXII, 3, *De muro pontico*, id., lib. VIII, 37; et lib. X, 73.

Castus, substant., ritus sacer, ἁγνεία. II, 977 A, *Casto Isidis et Cybeles eas adæquas. Græco castu* dixit Varro, pro *Græco ritu.*

Catabolici sunt genii inauspicati et infames, qui fanaticos prosternunt, atque ad terram profligunt, II, 698 B.

Cataclisti. II, 1036 B, *Vestis de cataclistis*, de pretiosis et diligentius adservatis. Sic Apulei, lib. XI : *Chorus veste nivea et cataclista prænitens.* Hesych.: Κατάκλειστος, ἐν Κορίνθῳ ἱματίαι τινες. Alii *cataclitis*, i. e. obscuri et depressi coloris.

Cataclysmus, diluvium, primi orbis per aquam universa ruina. I, 481 A; 571 C. I, 701 A, *Cataclysmum scilicet et retro fuisse propter incredulitates et iniquitates hominum.*

Catapbracte est lorica seu thorax militaris, II, 1043 A.

Catechizare. II, 434 B, *Et illi catechizat*, i. e. sermone rudi informat servos ejus ad obsequium ipsius. I, 675 B, *Quære an idololatriam committat, qui de idolis catechizat.*

Catharticum, καθαρτικόν, medicamentum, quod purgandi vim habet. II, 1019 A, *Dabo catharticum impuritati Scauri.*

Cathedra. II, 49 A, *Apud quas ipsæ adhuc cathedræ apostolorum.* Rigalt. hæc non proprie de cathedris apostolorum intelligi vult, sed de principalibus Ecclesiis, ab ipsis videlicet apostolis constitutis, quæ ætate Tertulliani suis locis præsidebant, tanquam aliarum matrices, qualis in Achaia Corinthus, in Macedonia Philippi, Thessalonica, in Asia Ephesus, in Italia Roma.

Catholice. II, 38 D, *Quum catholice in medium proferebant*, i. e. apud omnes palam, non inter domesticos. II, 106 B, *Catholice fieri hæc*, i. e. in universum, cui *ex parte* opponitur.

Catholicus. II, 304 B, *Protectorem catholicæ et summæ illius bonitatis.*

Cauda. II, 123 B, *Itaque primo trahentes adhuc caudam*, i. e. nondum arcuato, ut scorpiones, impetu surgentes, nondum figentes spicula, nondum fundentes virus.

Caupo. II, 651 B, *Cum omnes illic sapientiæ atque facundiæ caupones degustasset.* Metaphora, quam exponunt sequentia. *Proinde enim*, i. e. perinde, *et animæ ratio* se habet, *per philosophatas doctrinas hominum miscentes aquas vino*, etc.

Cauter, græc. καυτήρ, instrumentum ferreum, quo vulnera exuruntur. II, 1048 A, *Adigo cauterem ambitioni.*

Cauterium, græc. καυτήριον. II, 198 A, *Bis falsarius et cauterio et stylo.* H. l. canterium non est ferrum illud candens, quo aut signantur probati, aut sontes puniuntur, sed est καυτήριον ζωγραφικόν, pictorium instrumentum, quo fieret genus illud picturæ, quod encaustum solet a pictoribus et aurificibus appellari ; Plin. II. N. XXXV, 11; Vitruv. VII, 9; Marcian. 17. Est itaque falsarius Hermogenes cauterio suo pictorio, discolores ceras inurens exprimendis falsorum numinum simulacris. Falsarius etiam scripturis stylo hæretico depravatis. II, 131 C, *Et est plane sævitia medicina de scalpello deque cauterio.* I, 1246 A, *Mi-*

serum est secari et cauterio exuri. I, 362 A, *Mercurium mortuos cauterio examinantem.*

CAUTIO. II, 290 A, *Nec cautionem ejus delegasset*, i. e. cavere voluisset.

CAVEA, arena gladiatorum et amphitheatra. I, 361 A, *Plane religiosiores estis in cavea.* II, 279 A, *Et careæ sævientis.*

CAVERE. II, 156 A, *Denique caverat pristinum doctor.* Forensis locutio, pro eo quod est: Confirmaverat se in priore doctrina permansurum, et a novatione abstenturum. I, 1265 B, *Tamen judicantis impatientiam cavit*, i. e. adhibuit impatientiam judicantis seu persequentis injuriam judicio. Cavit impatientiam injuriæ, actionem ejus aggressus judicio; et si non pergit. Cavit tanquam periclitaretur reposita apud Deum ultio, eaque cautione honorem judicis, i. e. Dei, abstulit. I, 694 A, *Jurati cavent.* Jureconsulti schedulas aut syngraphas hujusmodi vocant *cautiones*, et cavent, quia scilicet cavemus ita nobis, et reddimur securi cum mutuum damus.

CAVILLARI dicuntur *fontes*, II, 1033 B, cum sui copiam facere desinunt, cava telluris subeundo: tunc enim circumpositos incolas fallunt. II, 823 B, *Per quæ fere promulgatio majorum cavillatur*; i. e. cavillationibus infesta est, passive. II, 844 C, *Sed quoniam et hic de interpretatione corporis quæstio cavillatur.*

CAVOSITAS. II, 742 B, *Nobis inferi non nuda cavositas.*

CEDERE. II, 114 C, *Sol cessit diem emptionis nostræ*, i. e. sol repræsentavit diem emptionis nostræ, quo Christus surrexit a mortuis.

CELLARIUM, ταμεῖον, cella, proma. II, 834 C, *Quæ enim ab ira Dei cellariorum nos refugia servabunt.*

CELLULA. II, 262 A, *In hac cellula creatoris etiam crucifixus est*, i. e. corpore suo, quod velut cellulam et σκηνήν de creatione sibi assumpsit, ut in ea habitaret.

CENSERE. II, 1039 B, *Præter urbem censebat*, i. e. ex urbe pellebat. Originem ducere: I, 341 A, *Inde censentur dii vestri*, i. e. ortum suum et principium suum ab eis ducunt; sunt enim vel ex metallo quodam, vel saxo, vel marmore. II, 33 B, *An nostra doctrina de apostolorum traditione censeatur.* II, 895 A, *Quo communiter etiam virgines censeantur*, i. e. communi nomine *mulieris* comprehensæ. I, 1160 A. *Tum et corpus ejus in pane censetur.* Rigalt. interpretatur: Per panis sacramentum commendat corpus suum. Quemadmodum Augustin. lib. I, *Quæst. evang.*, cap. 43, dixit: *Per vini sacramentum commendat sanguinem suum.* I, 471 A, *Sed et quod fratrum appellatione censemur.* II, 920 C, *Uno matrimonio censemur utrobique.* I, 363 A, 577 A, *De contemptu utique censentur.*

CENSUALES, ii qui diaria et annales et acta publica confecerunt. Illos vocabulo sui ævi appellat Tertullianus, I, 388 A.

CENSURA. II, 273 A, *Quid temetipsum censura circumvenis.* Heumann scribit: *Quid? quod semetipsum censura circumvenit*, i. e. sententia Trajani semetipsam evertit, suoque se jugulat gladio. II, 281 B, *Secundum censuram institutoris ipsius.* II, 759 B, *Tua opinor, illi censura præscriberet.* I, 469 A, *Censura divina*, est excommunicatio ecclesiastica.

CENSUS, origo, æstimatio, professio. I, 307 A, *Census istius disciplinæ a Tiberio est.* I, 329 A, *Ab illo census totius vel potioris vel notioris divinitatis.* I, 403 A, *Hunc edidimus et seciæ et nominis censum cum suo auctore.* II, 44 C, *Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt*, i. e. origines suas. II, 228 B, *Ex facto habet censum.* II, 575 B, *De animalibus scilicet censu invaletudinis, spiritalia accedere.* Demiurgum ait ab ea substantia animalia, censu invaletudinis traxisse aliquid invalidi, fuisse autem invaletudinem, accedere spiritalia, h. e. esse propterea invalidum accedere spiritalia, ad spiritalia accedere non valere, non posse. II, 579 A, *Hominis censum*, i. e. quo vere hominem censeri par est, nimirum qua spiritalis est. II, 270 B, *Nullam autem apostolici census Ecclesiam invenias.* II, 895 A, *Et omnis census elementorum*, i. e. numerus, quasi recensione certa comprehensus, recensio. II, 703 A, *Et majorem piscium censum.* II, 934 B, *Quam ipse census generis humani*, i. e. primordium. II, 803 B, *De limi sordibus excusato censu eliquasse:* vid. EXCUSARE. II, 646 C, *De solo censu animæ congressus Hermogeni.*

CENTENARIUS. I, 500 A, *Video enim et centenarias cænas*, i. e. sumptuosissimas, ut in quibus tot sestertia, quam olim æra consumebantur. II, 98 B, *Et quod magis usui est, centenariis quoque rosis*, etc. Centenarias rosas dixit a centum foliis. Convenientissime autem dixit coronam ex rosis, *quæ spectaculi et spiraculi res est*, h. e. oculos colore et nares odore delectat, magis usui esse, quam de laurea, myrto, olea, aut quavis alia illustri fronde, quæ oculos tantum pascit. II, 1048 A, *Item qua lances centenarii ponderis Sulla molitur.*

CENTONARIUS. II, 53 A, *De carminibus Homeri opera propria more centonario*, i. e. quomodo centones confici et curari solent.

CERAUNIA, gemma est candida et rutilans, sic dicta quasi a tonitru. Plin., H. N., XXXVII, 9. I, 1305 B, *Et ceraunia coruscaret.* II, 660 B, *Nam et ceraunia gemmis non ideo substantia ignita est quod coruscent rutilato rubore.*

CERNERE, σινιάζειν, cribrare. II, 165 B, *Postulavit Satanas ut cerneret, vos*, ex Lucæ Evang. cap. 22.

CERVUS. II, 776 C, *In prælio cervos.* Rhenan. proverbialem figuram sapit, natam, ut apparet, ex illo Chabriæ apophtegmate: formidabiliorem esse cervorum exercitum duce leone, quam leonum duce cervo. II, 681 B, *Sine arundine, sine cervo.* Maluit Rigaltius servare vocem *cervo*, quam *corno* aut *orno* reponere. Hic enim de vitis pedamentis, non de arboribus vitis amicis agitur, quales sunt ornus et cornus. Sunt autem *cervi* bacilla furcillata habentia figuram literæ V, a similitudine cornuum corvi, quod docet M. Varro lib. IV.

CHARITES. II, 85 A, *Hoc primum caput coronatum est a Charitibus.*

CHARISMA. II, 547 A, *Et charisma ingenium appellant.* II, 147 A, *Tot charismata perperam operata.* II, 659 B, *Nam quia spiritalia charismata agnoscimus.* II, 155 B, *Cujus charismata quoque expugnavit.*

CHIROGRAPHUM. II, 156 A, *Et manet chirographum apud Psychicos*, II, 1019 D, *Donato chirographo mortis.*

CHRISTIANIZARE. II, 270 B, *Quæ non in Creatore christianizet.*

CHRISTIANUS. I, 281 A, *Perperam Christianus vocatur*: legendum *Chrestianus. Chrestianorum* autem nomen ideo magis invaluisse inter gentiles, quam *Christianorum*, viri docti credunt, quod plurimi apud illos fuerint *Chresti*, nulli *Christi*. Vid. Havercamp. ad h. l., qui multos hujus nominis ex scriptoribus laudat. I, 403 A, *Ipse jam pro sua conscientia Christianus*: vocat Pilatum *Christianum* quia sciebat injuste accusatum Christum. *Ibid.*, *Ut credatis Christiani*, i. e. ut jam facti Christiani credatis.

CICADA. II, 903 A, *Aut cicadas Atheniensium* apud Athenienses qui fuerit ritus, optime describit Clemens Alexandr., lib. II *Pædagog.*, p. 199 C, ed. Sylburg. Ἀθηναίων δὲ ἔμπαλιν οἱ ἄρχοντες, οἱ τὸ ἀστικὸν πολίτευμα ἐξηλικιώτες, ἐκλαθόμενοι τῆς ἀνδρωνίτιδος ἐχρυσοφόρουν, ποδήρεις χιτῶνας ἐνδυόμενοι, καὶ ποδήρεις ἠμπίσχοντο καὶ κρώβυλον, ὁ ἐμπλοκῆς ἐστιν εἶδος, ἀνεδοῦντο χρυσοῦν, ἐλέφαντι τεττίγων, κοσμούμενοι, τὸ γηγενὲς, ὃς ἀληθῶς, ἀπτεροκαλλὲς κινεῖδιας ἐνδεικνύμενοι, etc., ex Thucydid. libro I. *Crobylus* species fuit virilis cinni a media fronte cacumen versus in acutum utrimque desinens, nam muliebris *corymbus*, puerilis *scorpius* dicebatur. Continebatur crobylus iste anadesmate, quod item crobylus, teste Servio (ut fœminis corymbium Petronio), dicebatur, aut proprio et singulari nomine ὄγγος, ut

est apud Hesychium, a cicadis admordentibus atque hærentibus. Illuic δηγγω, sive crobylo impactæ erant quasi morsu aureæ cicadæ, quæ τὸ γηγενὲς, hoc est indigenas, vel aborigenes Athenienses esse ostenderent. Hujus ornamenti meminerunt auctores multi. Tertullianus vero synecdochice totum hoc instrumentum significat cicadarum appellatione.

Cicuta. II, 647 A, *Jam cicutis damnationis exhaustis*, i. e. jam audita damnationis suæ sententia, quasi ab eo temporis momento mortem Socrates bibere cœpisset, cum ab eo quoque judices vitam custodiis ademisse censeantur, ex quo mortis sententiam dixere.

Cinædus. I, 348 B, *n.* (6), *Nescio quem cinædum deum facitis.* Antinous intelligitur, quem in deliciis habuit Hadrianus imperator.

Cinctus, zona. II, 1031 B, *Cinctu arbitrante*, i. e. tunica cingulo suspensa arbitratu vestro.

Cinerarius, structor comæ et capillamenti. I, 1301 B, *Et cinerariis peregrinæ proceritatis.* Videntur tamen potius hoc in loco esse cinerarii, qui dominam suam ut pompam prosequuntur, et cinerem pulveremque ab ea abstergunt, ut solent meretricum ancillarioli. Glossar. *Cinerarius*, δοῦλος ἑταίρας. Confirmat hanc interpretationem adjunctum epitheton *peregrinæ proceritatis.*

Circulatorius. II, 762 B, *Sed de aliquo circulatorio cœtu*, i. e. conventu agyrtarum, præstigiis circulatoriis agentium, ut loquitur auctor Apolog., cap. 23. Nam *circulator*, ἀγύρτης περιφόρητος in Glossario. I, 672 B, *Quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret.*

Circumdare. I, 1325 A, *Circumdare capillum.* Nullum sensum fundit hoc in loco verbum *circumdare.* Optime Rigaltius, *circumradere.*

Circumgelare. II, 687 A, *Accepto initio animæ immortali mortale ei circumgelaverint corpus.*

Circumscriptio. I, 1257 B, *Et circa diaboli circumscriptionem*, i. e. deceptionem.

Circumscriptor, abrogator. II, 276 B, *Sententiæ suæ circumscriptorem*, i. e. qui eam circumscribit et fraude irritam facit. *Circumscribere*, pro *circumducere* et *obliterare*, frequens jureconsultis et auctoribus idoneis verbum. II, 293 B, *Dum ipsum circumscriptorem colubrum a congressu fœminæ arcet*, i. e. deceptorem.

Circumstantia. II, 1156 A, *Cui illa angelorum circumstantia non cessat dicere*, i. e. περίστασις vel potius ὑπόστασις, græco more de angelis enuntiatum. Gell., N. A., lib. VII, cap. 4, *circumstationem* vocat. II, 963 *t*, *In tempore pressuræ et persecutionis, et cujuscumque circumstantiæ.*

Circurianiana. II, 591 A, *Accipe alia ingenia circurianiana.* Latin. emendandum censuit: *Accipe alia ingenia cercuriana. Cercurus*, inquit, *dicitur navis asiana prægrandis.* Ita quidem Festus tradidit, sed hoc frigidum nimis præ stoliditate ac vesania istius Valentiniani, quem Tertull. explodit. Rigalt. conjicit auctorem scripsisse: *Accipe alia ingenia Curucæ Enniani insignioris apud eos magistri.* Curruca, stupidi cujusdam mimologi nomen fuit, ut discimus ex veteri Juvenalis interprete ad hunc versum ex Satira sexta: *Tu tibi nunc, Curruca, places, fletumque labellis exsorbes*, quo certe fatuus aliquis describitur. Hujusce autem Currucæ aptam ridiculis personam primus ut videtur, Ennius introduxit. Unde Tertullianus hoc loco aliquem e proceribus Valentinianis deliramenta sua, tanquam effata pontificialia verbis ad fastum compositis pronuntiantem Currucam Ennianum nuncupavit. Tertullianum vero imitatus est Hieronymus, libro adv. Rufinum: *Sed nos homines simplices et Currucæ Enniani, nec illius sapientiam, nec tuam, qui interpretatus es, intelligere possumus.*

Cibia, seu *scirius*, pellis leonina, quæ minime subacta est, sed crudo gestatu exarefacta inhorruit. II, 1042 A, *Ne cervicem enervem inureret cirria leonina.*

Cibrus. II, 903 A, *Aut cirros Germanorum*, i. e. capillorum intortos flexus in nodum ad verticem vinctos, et exinde in latum diffluentes. Tacit., *de Mor. German.: Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere.* Vid. et Sueton. Calig. 47.

Civilis, clemens. I, 276 A, *Civilis, non tyrannica, dominatio.*

Clancularia, amasia; cum qua quis clam consuescit. II, 1041 B, *Tantum Lydiæ clancullariæ licuit.*

Clanculus, clanculum. II, 1041 A, *Certe jam virum alicui clanculus functus.*

Clausula, finis. I, 447 A, *Ipsamque clausulam sæculi.* II, 109 B, *In clausula officii.* II, 831 B, *Aut tunc sub omni clausula temporum.* I, 672 B, *Quasi clausulam sacrificationis.*

Clibanus. II, 437 A, *Quia post illam clibanus vel furnus gehennæ sequatur.*

Climacterica sunt certa vitæ spatia per annos novem aut septem scansili ratione currentia, quæ Chaldæi periculosa esse affirmabant, præcipue vero annum LXIII. Vid. Gell., N. A., lib. III, cap. 10; lib. XV, cap. 7. I, 675 A, *Quæ aliorum climacterica præcanit.*

Cloacinæ, deæ, quæ cloacis præerant. II, 1043 B, *Adita Cloacinarum* sunt ipsæ cloacæ.

Cluere, II, 1030 A, *Aut quis Tarentum, vel Bætica cluit. Cluo* et *clueo* dicebant veteres, pro: esse, nominari, celebrari. Forte a græco κλύειν, corrupte, ut alia multa, vel potius ἀπὸ τοῦ κλύειν, quod est *audire*, vel *esse*, dici quomodo Latinis hoc ipsum in usu est. Unde *inclutus* pro celebri. Plaut. Men. V, 2, 101: *Qui cluet Cygno patre.* Sic Prudentius: *Qui patria virtute cluis.* Cicero, de clar. Orat.: *Tum duo Cæpiones multum cluentes consilio et lingua.* Martianus *præcluis* pro nobili et claro accipit.

Cludere, pro claudere. II, 822 B, *Si priorem venisse hoc fidem cludet*, i. e. si hoc quasi claustra, terminos constituet fidei, extra quæ nihil credi ab homine oporteat. II, 384 B, *Ut aliquid cludam cum mei domini veritate scripti.* I, 337 A, *Et cœlum semel clusit.* II, 254 C, *Ilis interim lineis eam clusimus.*

Cœtare. II, 858 B, *Cœtani natu*, de anima et corpore.

Coagulum. II, 785 A, *Nam ex coagulo in caseo vis est substantiæ, quam medicando constringit, id est lactis.*

Cocetum, est genus edulii, ut docet Festus, ex melle et papavere factum. Sed apud veteres usurpatum etiam est pro potu miscello et ex rebus variis confecto, ut fuit ille Nestoris, Hom. II, λ. 1, 562 B, *Nestoris cocetum.*

Cocus, pro coquus, I, 272 A, 282 A, et sæpe.

Cœlementatus, II, 577 A, vid. *adv. Valentin.* cap. 23.

Cœna. II, 477 A, *Et cœnas puras*, i. e. Parascevas, ἀντὶ ἕκτης τῶν ἡμερῶν. Sic interpretatur Irenæus, lib. I, cap. 10. Glossar. *Cœna pura*, προσάββατον, quod sine ullo apparatu et accuratione fiebat cibo tenuissimo et simplicissimo. II, 702 B, *Atque exinde in illo finita sit metensomatosis, ut æstiva cœna, post assum.* Videtur innuere Tertullian. *in cœnis æstivis, post assum*, hoc est, carnes assas, nihil præterea ferculorum afferri solitum, ita ut finis cœnæ fuerit assum. Uti Empedocles in ardenti Ætna probe assus in nullum aliud corpus est mutatus, atque adeo finis fuit metensomatoseos. Quid si huc alludat? Græcis, qui ova cum turdis et leporinis carnibus ac mellitis placentis, secundas mensas dabant, mos iste fuit, ut in fine cœnæ linguas igne torridas post sermones degustandas darent. Quare finitum aliquid esse, nihil esse reliqui proverbio significabatur.

Cœnaculum. Cœnacula sunt superiora domus. Vitruv. *Architecturæ* lib. II: « Cum enim, inquit, auctor mirum in modum Romano populo, necesse fuisset in cœnaculis habitare (nam ante, cum per laxitatem urbis licebat, unius tantum contignationis erant habitacula), ad ædificiorum altitudines deventum et ædium frequentiam. »

Cœtus, coitus, I, 326 A, *Neque eas cœtus in-*

cesti sanguinis agnoscat. Sensus est, hoc ritu ita memorias parentum tenebrari, ut jam cæci; genealogiam suam nescientes non agnoscant, nuptias istas, vel cœtus incesti esse sanguinis et exempli nefandi. I, 465 A, *Nulla est necessitas cœtus.* I, 273 A, *Cœtus antelucanos ad canendum Christo et Deo.*

Cogere, includere, colligere. II, 1048 B, *De piscibus placuit feras cogere*, h. e. pisces in vivaria colligere, qui ferarum officium faciant, hominesque sic mandant, ut feræ solent. Ibid., *Coactis alimentis*, i. e. objectis in pastum, quæ animalium natura minime appeteret. I, 452 B, *Vino lutum cogere*, i. e. humum multo vino conspergere et inebriare, proteriæ luxusque signum. I, 468 B, *Cogimur ad literas*, i. e. convenimus.

Cogitatorium. II, 814 A, *Caro erit animæ cogitatorium*, i. e. locus in corpore, sive pars corporis, ubi anima cogitat. I, 632 C, *Aut spiritus ideo insitus corpori, ut iniquitatum cogitatorium fieret.*

Cogitatus, i. q. cogitatio, II, 910 B, *Quicumque malus cogitatus.* II, 914 C, *Cogitatum movet.* II, 814 A, *Cogitatus carnis est actus.*

Coitio, conventus. II, 973 A, *Et in principum mandata coitionibus opposita delinquimus.*

Colligere. II, 199 A, B, *Sed quomodo colligemus.* Ibid., *Si colligere interdiu non potes, habes noctem*, nempe conventus Ecclesiæ, qui ex eo συλλογαί, συνάξεις dicti. Iren., lib. III, cap. 5 : *Confundimus omnes, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam vel vanam gloriam colligunt.* Optatus lib. II : *Non enim grex aut populus appellandi fuerunt pauci, qui inter quadraginta et quod excurrit basilicas, locum ubi colligerent, non habebant.*

Collineare. II, 991 C, *Utrumque christiano an ethnico peccatori de restitutione conliniet*, i. e. conveniat interpretatio restituendo peccatori.

Collocare. I, 261 A, *Hanc itaque primam caussam apud vos collocamus*, h. e. crimen, quod vobis defertur, illud primum est. Ileuman pro *vos* affert, e duobus cod., *nos. Apud nos collocamus*, i. e. nobiscum statuimus. II, 57 A, *Nunc neophytos collocant*, scil. in gradibus ordinationis ecclesiasticæ.

Collyris, est placentæ genus, figura rotunda, adeo ut idem esse videatur, ac umbilicus in scutis. I, 1323 B, *Vos plane adjicitis ad pondus collyridas quasdam.*

Color. II, 910 C, *Vel qui diversæ sententiæ color est.* II, 548 A, *Habet etiam colores ignorantiarum.* I, 1312 B, *Quis enim est vestium honor justus, de adulterio colorum injustorum?* Accusat luxum mulierum, quæ in vestimenta colores inducerent non nativos velleri aut lanæ, videlicet purpureos, hyacinthinos, coccineos: et hos ait esse colores injustos et adulteria.

Colorare. II, 927 A, *Scio quibus causationibus coloremus insatiabilem*, etc. I, 655 A, *Coloratus ut leno.*

Combibere. I, 647 A, *Per quæ simul inquinamentum combiberint.*

Comesor. II, 247 B, *Quis tam comesor mus ponticus, quam qui Evangelia corroserit.*

Comestus. I, 533 A, *Linguam suam comestam.* Plinius, qui Anaxareho hoc adscribit, *dentibus præsam.* Valer. Max., *dentibus abscissam et commanducatam.*

Cominus. II, 317 A, *Cæterum ipsas quoque antitheses Marcionis cominus cæcidissem.* II, 326 A, *Sed et hinc jam ad certum et cominus dimicaturus.* Cominus cædere, cominus dimicare, συστάδην μάχεσθαι, καὶ ἐγγύθεν, cui contrarium, πόρρωθεν διὰ δοράτων ἢ βελῶν. Translatum a bello, in quo nunc consertis pugnant gladiis, et conserere sive conferre manus dicuntur, nunc machinis aut etiam amentis procul tela in hostem torquentes. Utimur eo, quum significare volucrimus, nos rem propius, seu de propinquo velle expendere, agitare, argumenta ex rei ipsius natura, non extrinsecus adsumpta, ad infirmandam alicujus sententiam afferre. II, 787 B, *Accedant adhuc cominus ad congressum* insolenter comparatum.

Comitiare. II, 1047 A, *Quantum nomine comitiasti.* Exponitur; quantum mihi pallii nomine in comitio Exprobrasti. *Inconitiare* dixit Plautus.

Commeatus, prorogatio. I, 447 A, *Romani imperi, commeatu.* Adhibetur de omni mora et dilatione. I, 508 A, *Commeatus deliberandi*, i. e. spatium deliberandi. II, 156 B, *In isto commeatu*, i. e. spatio temporis istius. II, 141 A, *Nec per hunc commeatum vitæ.* II, 334 A, *Brevem carnis commeatum non debuerant nascendo sumpsisse*, i. e. facultatem brevis temporis agendi in carne. II, 441 D, *Lucrari nos vult commeatum.* Commeatum sæculi dicit moram in sæculo nostram. Lucrari autem nos vult commeatum, h. e. pro lucro nobis poni diem, quemcumque innocenter, sive, ut ait, sapienti conversatione, transigimus. II, 297 B, *Commeatum operationibus ejus admetiendo rationem bonitatis suæ egit.* Castrensis locutio est, sic enim duces militibus commeatum admetiri solent et circumscribere. I, 1237 A, *Et commeatum sibi faciunt delinquendi.* Commeatus est venia, quæ militi datur, ut possit ad tempus abesse a castris vel negotiorum, vel valetudinis caussa. Sensus itaque : Potius ipsi facultatem sibi parant et curant delinquendi quam eruditionem et disciplinam non delinquendi. II, 710 A, *Si non in primo quoque vitæ hujus commeatu omnibus illicitis satisfiat.* Iren. *Si non præoccupans quis in uno adventu omnia agat semel ac pariter, quæ non tantum dicere et audire non est fas nobis, sed ne quidem mente in conceptionem venire.*

Commentari. II, 1032 A, *Commentata vim tormenti debile* (alii *de bile*, i. e. ex arietis irati motu) *pecoris caput vindicantis ;* sensus : Machinam commentata violentam, quæ ad irati exemplum arietis vindicat se capite. II, 573 B, *Achamoth in honorem æonum imaginem commentatam.* II, 266 C, *Si hic homo Deum commentabitur.*

Commentarius. II, 151 A, *Et si fidem commentarii voluerit hæreticus*, h. e. si ex publicorum etiam archivorum fide doceri voluerit. I, 292 A, *Consulite commentarios vestros.* Pamel. putat alludi his verbis ad Annal. Corn. Tacit., lib. XV, aut potius ad Suet. in Nerone. II, 966 B, *Porro cum in eodem commentario Lucæ.*

Commentator. I, 370 A, *Neque ullus commentator ejuscemodi antiquitatum.* II, 789 A, *Ipse imprimis Matthæus, fidelissimus Evangelii commentator.* II, 841 B, *Aut a commentatore Evangelii præluminatam.*

Commisero est græce συναλαίτωρες, II, 374 C, 449 D.

Committere, duos pluresve in certamen conjicere. II, 56 B, *Ut apostolos committam*, metaphora sumpta a gladiatoribus. II, 570 B, *Quæ nos commisit cum Hermogene*, i. e. fecit ut scriberem adversus Hermogenem. I, 621 A, *Ut vos committat*, i. e. ad certamen inter vos adducat. II, 281 A, *In gulam committunt*, i. e. ei ipsi nocent, qui gulam suam obruerint cupediis. II, 287 B, *Et ideo in suam summam commisit bonitatem*, i. e. reposuit, tempore scilicet suo promendam. II, 919 B, *Cum sollicitudinem nuptiarum committit*, i. e. confert, comparat inter se. II, 862 A, *Sed nec ipsum baptisma committi per regenerationem*, etc. I, 439 A, *Ideo ergo committimus in majestatem imperatorum.* I, 416 A, *Committilis crimen veræ irreligiositatis.*

Communicare. II, 33 B, *Communicamus cum Ecclesiis apostolicis*, i. e. probamus nos communionem habere cum eis, *quod nulla doctrina diversa*, nimirum nobis est, sed conspirat cum illis. I, 1262 A, *Non vasculorum inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari*, i. e. coinquinari, κοινοῦν. I, 650 A, *Cur quæ ore proferuntur communicant hominem*, etc.

Communicatio. II, 58 C, *Et communicatio deliberata*, nempe orationis et conventus, et omnis rei sanctæ.

Ad eam vero non admittebantur, nisi deliberatione prius habita probatissimi. II, 789 A, *Non ex vulgi communicatione*, i. e. inquinatione illa, quæ fit in coitu, quam ante *genitalem passionem* dixit.

COMMUNICATOR. II, 1027 A, *Et inde communicatores revertuntur*, h. e. cum jure pacis et communionis.

COMMUNITER, communi modo. I, 376 A, *Quod videri communiter potest*, i, e. oculis, manibus, sensibus.

COMPACTUS, creber, frequens, densus. II, 549 A.

COMPARATIO. II, 579 A, B, *In animalis comparationem*, i. e. ut hic animali conjunctum formetur et comparetur cum eo.

COMPAR. I, 284 A, *Sed jam, ut volunt, compares tuos*, i. e. similes, qui Christianis illa objiciunt, falso quamvis, quæ ipsi revera faciunt.

COMPARCINUS. II, 586 A, *Comparcinus ille Soter. Compactilius*, apud Semler; Jun. legit *comparcivus*, i. e. ad cujus constitutionem compagemque omnes symbolam suam comparserant sive, ut olim dicebatur, *comparciverant*. Nævius quadrigeminis, *Suo labori nullus parcivit*.

COMPASSIO. II, 799 B, *Compassio sententiarum*, inter vos scilicet, quibuscum intercedit communis sententiæ commune negotium. Sic contra libro de *Virgin. veland.* jam se proprium opinionibus suis negotium passum esse præfatur. Postea vocat, *communionem favorabilem sensuum*.

COMPENDIARE. II, 362 A, *Compendiatum est enim novum testamentum, et a legis laciniosis oneribus expeditum*. II, 575 B, *Sicut sermonem compendiatum, ita et lavacrum*.

COMPENDIUM. II, 248 A, *Ne compendium præscriptionis ubique advocatum diffidentiæ deputetur*. Compendium præscriptionis vocat thesin illam: *In tantum hæresis deputabitur, quod postea inducitur, in quantum veritas habebitur, quod retro et a primordio traditum est*. II, 519 B, *Soleo in præscriptione adversus hæreses omnes de testimonio temporum compendium figere*. I, 1214 B, *Et exinde individuæ familiaritatis prærogativa compendium baptismi conferre potest*. II, 894 B, *Naturaliter compendium sermonis et gratum et necessarium est*.

COMPENSARE, commutare. II, 1041 B, *Qui totam epitheti sui sortem cum muliebri cultu compensavit*.

COMPERIRI, deponente forma. II, 222 B, *Unde ergo compertus est Hermogenes*, pro *comperit*, ita *consultari*.

COMPERTUM. II, 312 B, *Utique de comperto*, i. e. non temere, sed e re comperta.

COMPESCERE. I, 262 A, *Qui legem veterem compescat*, i. e. abroget, ut novam subinducat.

COMPITUM. II, 882 B, *Et compitum stomachi*. Ita vocat conventiculum et receptaculum, quod in hoc videlicet conveniat, quidquid eduliorum per os immittitur.

COMPLECTI, passiva significatione. II, 225 C, *Et complectebantur*, i. e. constringebantur, continebanturque complexu cœli. Sic *complectendi* verbum Cicero usurpavit, *Tusc.* V, 14: *In eo genere, quo vita beata complectitur*; ubi vid. Davis. et pro Rosc. Amerin. XIII: *Quo uno scelere omnia scelera complexa esse videantur*. Alii cod. Vatic. *contemplabantur*, passive, i. e. committebantur et compingebantur. Vid. CONTEMPLARI.

COMPONERE. II, 432 A, *Ut inter illum et fratrem ipsius dividunda hæreditate componeret*. Ead. pag., *Pacis inter fratres componendæ*. I, 363 A, *In templis adulteria componi*.

COMPOS. II, 1033 A, *Compotes sumus*, sc. veræ historiæ. II, 217 C, *Proinde nos et de cœlo et de terra compotes reddidisset*, i. e. Spiritus sanctus qui cœli arcana nos docebat, monuisset *de cœlo*, a quo res creatæ fuissent. Idem quoque spiritus docuisset *de terra*, ex qua res crearentur, sicque vos et de cœlo et de terra compotes reddidisset. II, 965 A, *Et occultorum compotes faciunt*. II, 396 A, *Hanc legis voluntatem et revelavit et compotem fecit*. II, 726 A, *Si compotes somniaremus*, nimirum nostri, et non anima quodammodo e sensibus corporis sui excideret.

COMPOSITITIUS. II, 659 A, *Dissolubile autem omne compositilium et structile*.

COMPOSSESSOR. I, 682 B, *Compossessores mundi, non erroris*.

COMPULSATIO, concertatio. I, 400 A, *Nec alia magis inter nos et illos compulsatio est*. I, 464 B, *Spectacula etiam æmulis studiorum compulsationibus inquietaret*.

COMPUTARE. II, 995 B, *Sed qui non computaverint Deum* II, 768 A, *Non computantes scilicet*, i. e. spernentes.

CONARI. I, 483 A, *Et si qua illic arborum poma conantur*, etc., i. e. et si quæ illic forte arbores supersunt, spectantium quidem oculis poma promittunt, sed ea poma carpentium digitis contacta solvuntur in cineres.

CONCARNARE. II, 786 B, *Ita concarnatur et convisceratur cum eo cui adglutinatur*.

CONCARNATIO. II, 841 C, *Occasio tertiæ concarnationis irrumpat*.

CONCESSARE. II, 156 A, *Et a proposito recipiendorum charismatum concessare*. II, 110 B, *Quod apud doctores nostros concessavit*.

CONCILIABULUM. Fest.: *Locus, ubi in concilium venitur. Ubi plures sui juris sedent*. Municipia etiam prius conciliabula appellata docet Frontinus. I, 463 A, *Municipia, conciliabula, castra ipsa*. I, 639 B, *Nam non sola ista conciliabula spectaculorum*.

CONCILIARE. II, 994 C, *Cum putaveris recte conciliasse temperamenta colorum*.

CONCILIUM. II, 1030 C, *Luminis concilio*. Lumen atque os tunicæ stipabatur, aggesta materia densius, aut loro valentiore firmabatur, plerumque ex opere coactili, quod *concilium* Latinis dictum. Mercerius mavult *consilio*, i. e. coloris ratione. II, 1041 A, *Nominis consilium*, i. e. nomen quod sibi adscivit et conciliavit.

CONCILIATUS. II, 1003 C, *Conciliatum et concineratum cum dedecore et horrore compositum*, in cilicio et cinere pœnitentium squalore.

CONCOLORARE. II, 995 A, *Concolorantibus figuris*.

CONCORPORARE. II, 988 B, *Concorporavit nos Scriptura divina*. II, 1009 C, *Illo enim concorporato rursus Ecclesiæ*.

CONCORPORATIO. II, 386 A, *Ut interpolatam a protectoribus Judaismi, ad concorporationem legis et prophetarum*. I, 1207 B, *Sane humano ingenio licebit spiritum in aquam arcessere, et concorporationem eorum*, etc. Organa hydraulica significat, qualia describuntur a Vitruvio, lib. X *Architect.*

CONCORPORIFICATUS, II, 577 A. Vid. *advers. Valentin.* cap. 23.

CONCUBINA. I, 1277 A, *Erant et concubinæ* patriarcharum. II, 921 A, *Verum etiam concubinis conjugia miscuerunt*.

CONCUBINUS. II, 815 B, *Urgentium et inquietantium sanguinis sui concubinum*, quasi cæsorum sanguini incubet, qui gladium cæsorum sanguine tinctum cervicali supposuit suo.

CONCULTUS, bene cultus. II, 1036 A, *Conculta et amœnus super Alcinoi pometum*.

CONCUSSIO. I, 705 A, *Ex concussione milites*, qui gratum se facere arbitrati imperatoribus commilitones suos tradunt, produnt et deferunt. II, 952 A, *In concussione totius mundi*. I, 308 A, *In elogio concussione ejus intellecta*, i. e. quum audivisset quomodo pecuniæ extorquendæ vim ei intulissent, qui nomen ipsius detulerant in elogio suo. Est enim *concussio* illatus terror, specie auctoritatis vel jussu præsidis, aut etiam extorsio pecuniæ ab alio per calumniam aut violentiam.

CONCUSSOR est qui pecuniam extorquet per calumniam sive terrore illato. II, 115 B, *Quid etiam dicit ille concussor*, de Simone ex Act. Apost. II,

118 B, *Concussores nostri in amicitiam redacti per Mammonam.*

Concussura, i. q. concussio, civile quoddam latrocinium, cum quis terrore cogitur, invitus ad dandum aliquid. II, 117 B, *In causa eleemosynæ, non in concussuræ.*

Condere. II, 758 A, *Rursumque condita pace situi suo reddidisse*, h. e. post osculum pacis, quod erat signaculum et conclusio orationis, ut ipse ait sub finem libri *de Oratione*. Conditam pacem dixit osculum mutuo data, nempe inter fratres seu fideles, qui mortui componendi officio interfuerant. *Condere*, hoc loco, significat mutuo dare.

Condicere, similiter dicere, assentiri. II, 170 B, *Condicente etiam Scriptura.* II, 150 B, *Solus autem homo Dei condixerat, scilicet Petrum;* i. e. cum Paulo dixerat, consentanea Paulo dixerat Petrus. II, 268 C, *De Evangelii societate condixerant*, i. e. convenerant. II, 905 B, *Quo totam condixerunt confusionem.* Vid. confusio. I, 294 A, *Ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas*, i. e. amicos sibi adjungat, qui in balneis apud se lavent, quo tempore opus erat plurimo ministerio, nec stationem mulier poterat observare. II, 657 B, *Philosophi ex contrariis universa constare condicunt.* II, 985 A, *Causas pœnitentiæ delicta condicimus.* II, 207 B, *Pecora condixerint bestiis;* ut communis umbra seu commune tectum claudat oves et lupos, ut eodem quasi ad condictum amice conveniant.

Condimentarius. II, 686 C, *Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.*

Conditio, est græc. κτίσις. II, 207 B, *Cum revelatio filiorum Dei redemerit conditionem a malo*, ex Rom. VIII. I, 281 A, *Neque alia conditio.* II, 148 C, *Quemadmodum et universum conditionis;* τὸ ὅλον τῆς κτίσεως. II, 895 C, *Si qua ergo conditio nova in Christo.* II, 502 B, *Cui conditio quæcunque serviret.* I, 1313 A, *Quia Dei conditio est thus.* I, 632 A, *Adulterandis usibus divinæ conditionis.* II, 84 A, *Sic itaque et circa voluptates spectaculorum infamata conditio est.* II, 995 B, *Cui etiam conditio gratior quæque de gula erepta est*, i. e. edulia quæque a Deo creata et condita. II, 656 B, *Universa conditio*, i. e. quicquid a Deo conditum creatumque est. II, 702 B, *Ne aliqua sepulturæ conditio patesceret.* Jun. legit: *ne aliqua sepulturæ conditio putesceret.* Est autem *conditio* condimentum sive conditura, quæ adhibetur piscibus. Sic illudit Empedoclis verbis, quod se piscem dixisset.

Conditionalis. I, 678 A, *Sed conditionalis eram.* Servus dicitur conditionalis, certæ conditioni adscriptus et mancipatus. II, 638 A, *Sicut machæræ conditionalis comminatio.* II, 354 B, cod. verba. II, 157 C, *Quando vigore animi conditionales minas regis excutiunt.*

Confessio. II, 649 B, *Quæ penes nos apocryphorum confessione damnantur*, i. e. quod in confesso est, libros esse apocryphos. I, 471 A, *Alumni confessionis suæ fiunt.* II, 1028 B, *Quem in prælio confessionis tormentis colluctatum sævitia dejecit.*

Conficere, colligere, parare. II, 52 B, *Ad materiam suam cædem Scripturarum confecit;* Jun. vult: *Ad materiam suam concædem scripturarum fecit.* Est autem *concædes* accumulatio ramorum e sylva cæsorum.

Confiscatus. II, 116 A, *Qui animam solam in confiscato habent.* Verbo confiscatum usus est Sueton. ubi pecuniam dicens confiscatam, intelligit asservatam in fiscis.

Conflabellare. I, 656 B, *De commercio scintillas libidinum conflabellant.*

Conflictatio. II, 458 C, *Conflictationes orbis.* I, 1225 A, *Simul et de pristinis satisfacimus conflictatione carnis et spiritus.* II, 806 B, *Conflictationes dico animæ, jejunia*, etc.

Confœderare. II, 570 A, *Uti in ipso, secundum Apostolum omnia confœderetur* : legendum forte *condendum*, nam apud Iren. est : Ὅπως ἐν αὐτῷ τὰ πάντα κτισθῇ. etc., Coloss. I.

Conformalis. II, 863 A, *Conformale corpori gloriæ suæ.* II, 877 A.

Confusio. II, 1033 A, *Distincta confusio siderum.* Optimus est ipse sui interpres libro de Resurrectione carnis : *Redaccenduntur et stellatorum globi, reducuntur et siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat.* II, 905 B, *Per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem*, quam prope dixit, totam condixerunt contumeliæ conjugalis impudentiam, sed Junius interpretatur : Condicto communi omnium rerum et juris et facti promiscuam inter se consociationem spoponderunt; male.

Confusus. I, 273 A, *O sententiam necessitate confusam!* i. e. quæ necessario aliqua ex parte in justitiam peccat, vel potius, qua occurrere volens Trajanus et odio in Christianos, et justæ eorum caussæ parcere, neutri bene satisfacit.

Congressio. II, 549 B, *Quanquam autem distulerim congressionem*, i. e. refutationem. Vid. Lusio. I, 664 B, *Et in ipsa carnis congressione censendum.*

Congrex. I, 1247 A, *Nullis conviviis celebres, nullis comessationibus congreges.*

Conjectatio. II, 560 A, *Et innati conjectationem.* Iren. ἀγεννήτου καταλήψιν.

Coniscare. II, 1049 A, *Patinam coniscavit.* Salmasius et alii legunt *conflavit.*

Conresupinatus. II, 732 B, *Neque conresupinatis internis, quasi refusis loculis.*

Consanguinitas *doctrinæ*, II, 45 B, i. e. doctrinæ quæ ab uno eodemque auctore sunt traditæ, quasi ab uno parente.

Consatus. II, 721 B, *Strato segregationem consati spiritus somnum affirmat.*

Conscientia. I, 261 A, *Quæ non de eventu, sed de conscientia probanda est;* sensus : Si vel maxime juste odissetis Christianos forte fortuna, tamen injuste faceretis, eos odio prosequentes, quos odio dignos esse compertum non habetis, cæco quippe flagrantes eorum odio. I, 375 A, *Quasi de conscientia præteriissemus*, i. e. taciti præ metu. I, 438 A, *Quod conscientia vestra est*, i. e. quod vos probe scitis quod vestrum est crimen. I, 452 B, *Conscientia potius*, i. e. intimo animi cultu. II, 44 B, *Quibus nulla constantiæ conscientia concedit*, i. e. quibus nemo locum eo concessurus est, easque admissurus, quod sit apud se conscius, eas aliquantisper constitisse, aut porro constitutas esse. II, 1045 A, *Sacerdos suggestus* pro sacerdotali suggestu. II, 928 A, *Si novam uxorem de tua conscientia impleveris.* I, 289 A, *Nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet.* I, 328 A, *Appellamus et provocamus a vobis ipsis ad conscientiam vestram.* I, 617 B, *An a Deo formata sit animæ conscientia.* I, 468 A, *Corpus sumus de conscientia et disciplinæ divinitate.* I, 1316 B, *A quibus abest conscientia veræ pudicitiæ.* II, 943 A, *Substantia, non conscientia, reformabimur.*

Consecraneus, sive *consecraneus*, qui iisdem sacris initiatus est, I, 366 A.

Conservitium, II, 1316 A, *Qui de meo jure conservitii et fraternitatis.*

Consignare. II, 540 A, *Quam consignant*, i. e. ad sacra admittunt. Rigalt. *linguam consignant*, i. e. silentium indicunt. Consignati dicebantur μεμυημένοι et σφραγισθέντες. Philo *de Mon.* Irenæus, lib. I, cap. 24. Prudent. in martyr. S. Romani. Arnob. lib. III.

Consistere. I, 284 A, *Jam de caussa innocentiæ consistam*, i. e. arma movebo. Est autem genus loquendi tractum ab athletis et gladiatoribus, qui pedem in arena figunt, ne facile supplantari vel dejici possint. I, 500 B, *Constitimus adversus omnium criminum intentionem*, i. e. firmiter stantes, locum quem ceperamus, tuemur. II, 951, *Ut jam de hoc primum consistendum sit.*

Consistorium. I, 1298 A, *Ut de novo consistorio li-*

bidinum publicarum. II, 832 A, *Uti ille juvetur, sive laudatur per consistorii sui exitus*, i. e. exitus præstitutos et determinatos a consistorio in quo de homine cognoscitur, nimirum consilium Dei. Metaphora a re forensi, nam *consistorium* in jure summus consessus appellatur. I, 649 B, *A theatro separamur, quod est privatum theatrum impudicitiæ.*

Consolari. I, 645 A, *Ita mortem homicidiis consolabantur.* II, 624 B, *Cives Clazomenii Hermotimum templo consolantur.* II, 617 A, *Cui nec consolanda injuria est, sed potius insultanda.* II, 1044 B, *Et immundiorem loco cervicem monilibus consolatur*, i. e. cervices suas infelici latrinæ lavandæ ministerio damnatos absurdissimi luxus impudentia consolatur. II, 547 A, *Memoriam Valentini integra custodia regularum ejus consolatur.*

Conspargio. II, 418 C, *Præter oneribus conspargionum offarcinatam.* Onera conspargionum dicit farinæ massam aquæ conspargine coactam : Exod. XXII, 34 : Ἀντὶ ἐὰν δὲ ᾖ λάδε τὸ στεῖς αὐτῶν πρὸ τοῦ ζυμωθῆναι τὰ φυράματα αὐτῶν etc. Hesych. Στεῖς, φύραμα ἀλεύρου πυρῶ Glossar. vetus : Στεῖς, adeps. Item : Φύραμα, massa, conspersio.

Conspector. I, 1331 A, *Deus conspector cordis est.*

Conspurcare, I, 644 A, *Si apparatus agonum idolatria conspurcat de convivis profanis.*

Constanter. II, 236 A, *Quo constantius utar rationis editæ patrocinio*, i. e. liberius, audacius. II, 384 C, *Sed quoniam discipulos non constanter tuebatur*, i. e. non fortiter. II, 469 A, *Ut possis eum constanter exponere*, i. e. intrepide, libere et sine dissimulatione. I, 1220 A, *Qui ne discere quidem mulieri constanter permisit*, i. e. non absolute scitari, aut præfracte interrogare.

Constantia. I, 1218 B, *Tunc enim constantia succurrentis excipitur.* Fiduciam significat succurrentis, qui juris sui conscius sine adlubitatione aut hæsitatione succurrit periclitanti, hoc est admittitur, accipitur, laudatur. II, 659 B, *Verum et ex constantia gratiæ per revelationem*, ex certa gratiæ dicit, gratiam de qua certissime constat.

Constare. II, 260 C, *Ut plerique Physicorum formidaverint, initium ac finem mundo constare*, i. e. ei tribuere.

Constituere, II, 869 B, *Quam constituit in membris, suis*, i. e. constitutam ait et stabilitam, adeo ut radicitus inhæreat.

Constitutio. II, 29 A, *De studio aliter ineundæ constitutionis*, i. e. στάσεως, status caussæ.

Constrictare, constrictum tenere gravissime. II, 503 A, *Quod accent et inurant et amputent et constringent.*

Consubstantivus. II, 563 A, ὁμοούσιος vulgo coessentialis, *paria et consubstantiva.*

Consuetudo. II, 970 B, *Ne consuetudinem quærant*, ne consueta, ne sua desiderent, ut lautius in carceribus vivant, quam domi.

Consultari, consultum rogare, deponente forma. II, 212 A, B, *Aut quem consultatus est.*

Consummare, *Ubi ipsa anima consummat*, i. e. ubi discedens anima a corpore, actus in eo sui singula computat, et summam colligit, tanquam pecuniam de multis nominibus confectam.

Contemnere. I, 1257 A, *Quid primum fuerit ille angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quærere.*

Contemperare. II, 858 B, *Contemperant fœtu* de corpore et anima.

Contemplari, passiva significatione. II, 225 C, *Ita et cœlum spiritui et aquis incubabat et complectebantur.* Alii, teste Junio, e codd. Vatican. *contemplabantur*, phrasi tectonica. « Est enim templum, inquit Festus, lignum jacens quod in ædificio summo transversum supra cantharios ponitur. » Et ita accipit Vitruvius lib. IV, cap. 2. Hinc contemplari dicuntur cantherii, i. e. committi inter se templo et concatenari ac constringi in suum templum desinentes. Sic ergo spiritus et aquæ contemplari dicuntur cœlo, i. e. committi et compingi tanquam in templo suo (*Ibid. ch.* 10). I, *Contemplandis et distinguendis lapillis.*

Contemplatio. I, 477 A, *Sed qua, penes Deum major est contemplatio mediocrium*, i. e. pauperum cura.

Contendere, disputationem habere. II, 56 B, de mulieribus hæreticis.

Contenebrare, in tenebris agere. I, 272 A, *Quod incesta contenebrasset.*

Contesseratio. II, 32 B, *Et contesseratio hospitalitatis*, conjunctio familiarior, quæ per tesseram, signum hospitale, fiebat, cujus ostensione, si quem obiisse contigisset, statim agnoscebatur. Sic et *contesserare.*

Contestatio. I, 1259 B, *Ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem*, i. e. exemplum, figuram, sacramentum, mysterium.

Continens. I, 414 B, *In continenti*, i. e. simul, uno obtutu, statim. II, 17 A, *Et in continenti hæreses subjungit.*

Continentia. II, 42 B, 43 A, *Desertor continentiæ Marcionis.* Vocatur Marcion continens, quod nuptias prohibeat.

Continere. I, 534 A, *Quia nihil continendo et sustinendo homini prospectum*, etc., i. e. quia nihil, quo homini, ut in vita perduraret, prospiceretur, postquam jam fuit homo, creari potuit vel debuit. II, 915 C, D, *Si continuerimus*, i. e. mordicus tenere voluerimus, et voluntatem Dei omnibus actionibus nostris obtendere.

Contrarietas. II, 703 B, *Quæ nomine contrarietatis opponerem.*

Contristare. II, 385 A *Quoniam potiorem honorem sabbati servat non contristandi.* II, 1003 A, *Si quis autem contristavit, non me contristavit.*

Contumelia. II, 905 B, *Qui ex consensu contumeliam communem jam recusaverunt.* Iniquos in Tertullianum Junius eos putat, qui hæc de conjugali solum cubilis usu intelligant : vocari potius contumeliam communem, afflictiones et persecutiones communes, quæ conjugatis eo tempore accidebant aliena injuria et contumelia. At vereor ne bonus ille Junius, qui, ut hic, ita et in multis aliis locis, durioribus auctoris defensorem egit, iniquus videatur interpres.

Convenientia. I, 1267 B, *Negotium convenientia solvet*, i. e. conventione, consensu, pacto.

Convenire, in jus vocare. I, 328 A, *Sacrilegii et majestatis rei convenimur.* I, 446 A, *Convenimur in crimen.* II, 24 B, *Et erit itaque nusquam dum ubique convenior*, i. e. dum ubique eos convenio, qui mihi occinunt : Quærite et invenietis, duo gravia mala se mihi offerunt : unum, quod nusquam ille finis quærendi futurus sit, incertum me errare semper oportebit : alterum, quod velim sic esse nusquam, i. e. optandum mihi fuerit, ut nunquam novissem doctrinam Christi, quia tolerabilior conditio mea futura esset, si nunquam eam cognovissem. II, 305 B, *Cum utramque convenieris in crentore*, i. e. deprehenderis. II, 368 B, *Hæc conveniemus*, i. e. de his experiemur. II, 775 C, *Sed aliam argumentationem eorum conveniemus.* II, 719 C, *Sed ea, per quam delinquitur, convenitur.* II. 91 A, *In quorum et antiquitatibus et solemnitatibus et officiis convenitur*, i. e. comparet, invenitur, deprehenditur.

Convicium. II, 543 A, *Et convicium falsi simulacris excusat.* Eleusiniorum antistites ad illud membri virilis simulacrum velut ad divinitatem, adorantium habitu accedunt. Itaque falsi crimine tenentur, qui aliud oculis colunt, aliud mente. Etenim, aiunt, coli a se non simulacrum, sed rerum naturam eo simulacro expressam ; quod est accusationem falsi simulacris excusare, mendacium mendacio diluere.

Convisceare. II, 786 B, *Ita concarnatur et convisceratur cum eo cui adglutinatur.*

Coodibilis, est græc. συμμισούμενος. II, 574 C ; *ib*, 449 D.

Copia II, 262 B, *Reprobas et mare, sed usque ad*

copiæ ejus, i. e. ad pisces, qui copiose in mari A sobolescunt luxurianturque. Illos enim, utpote ἐμψύχους sive animatos, pro cibo utendos negabat Marcion, et sanctiorem cibum deputabat, quam ut homini usui essent. II, 871 B, *Exsurgit autem copia fœneratum.*

Cor. I, 1173 A, *Deus autem non vocis, sed cordis auditor est.* II, 161 C, *Proprie de vulva cordis ipsius.*

Corium. II, 1038 A, *De corio suo ludere* : proverb. a chamæleonte tractum, qui toto corpore reddit colorem quemcumque proximum attigerit, præter rubrum et album. Itaque adagium patet in hominem versipellem, inconstantem ac pro tempore in omnem habitum se vertentem.

Corneus. II, 970 B, *Et contra ungulas corneus* : sensus : tam expers quam cornu. Vid. Ungula. II, 741 A, *Vel ut per corneum speculor.* Platonem imitatur, qui eodem modo in Charmide vocat carnem corneum speculum. Alludit uterque ad portas corneam et eburneam somniorum apud Homerum. B

Cornutus. I, 596 A, *Aut cornutum aut plumatum amatorem.*

Corporalitas. II, 842 A, *Ne corporalitas animæ occasionem subministrans figurarum corporalitatem carnis excludat.*

Corporabi. II, 1032 B, *Corporatus*, i. e. ex diversis substantiis compactus et compositus. II, 757 A, *Et carne corporaretur.* Deum corporatum dicit hoc sensu Lactant. lib. IV *Instit.* cap. 26 : *Deus igitur corporatus est, et veste carnis indutus.*

Corporatio. II, 758 B, *Neque ut periculosam Deo repudias corporationem.*

Corpulentia. II, 570 B, *In æmulas æquiparantias corpulentiarum.* II, 335 A, *Totas istas præstigias putativæ in Christo corpulentiæ.* Commode laudat Rigaltius ad hunc locum verba Boetii lib. de Fide : *Hodieque non desunt, qui negent eum nostram gestasse corpulentiam.* II, 653 A, *Fortasse an extruentur magis ad auferendam animæ corpulentiam.*

Corpulentum. II, 214 A, *Quasi substantivum corpulentum*, i. e, quod habet corpus.

Corpus. II, 230 A, *Cum ipsa substantia corpus sit rei cujusque* : σῶμα, per abusum, quod vulgo essentia. II, 162 C, *Quis enim negavit Deum corpus esse?* II, 842 B, *Nam et ideo præstruximus tam corpus animæ*, etc. II, 150 B, *Et de reliquo corpore hæretici cujusque doctrinæ.* I, 432 A, *Et sæculum corpus temporum fecit.* II, 521 C, *Manifeste legis est Christus, si corpus est umbræ.*

Corruptorius. II, 503 B, *Quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones.*

Corybans. I, 426 A, *Et æra corybantia.* Corybantes seu Curetes cum Rhea nutrice adhibiti sunt ad custodiam Jovis. Dicti sunt, ut putat La Cerda ex Strabone, *Curetes*, quasi κουροτροφήσαντες : nisi potius dicti a custodia, nam βαίνειν est φύλαττειν, unde Homerus, D ἐς Χρυσὴν ἀμφιβέβηκας.

Cothurnatio. II, 563 B, *Alia autem trans siparium cothurnatio est*, i. e. alia scena tragœdiæ, alius actus tragœdicus.

Crates II, 854 B, *Quorum crates adhuc vivunt*, i. e. σκέλετοι, reliquiæ ossium, quæ spinæ dorsi hærent in modum cratis. Sic Ovid., *Metamorph.* lib. VIII : *Pendere putares pectus, et a spinæ tantummodo crate teneri.*

Credere. I, 1220 A, *Cæterum baptismum non temere credendum esse*, i. e. committendum et administrandum petenti.

Crehare. II, 795 B, *Quum crematis cremat*, i. e. quum mortuis sacrificat. Utitur verbis quæ morem ostendant magis ridiculum. II, 92 B, *Et cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit. Cremabitur* militaris rogi modo, superstitiosæ idololatriæ ritibus plenissimi. *Cremare*, scil. thura idolo.

Crementum. II, 281 A, *In crementum generis humani.* II, 691 B, *Crementa, decrementa.*

Crepitaculum, ex ludicris puerilibus est, κρόταλον. II, 618 A, *Et signum belli non tuba, sed crepitaculo daturus.*

Crepitulum, ornamentum capitis, quod in capitis motu crepitum facit. Fest. II, 1044 B. Turneb. legit *crepidulam.*

Critæ. II, 129 B, *Critas, quos* censores *intelligimus.* Ibid. C, *Annales critarum.*

Cruciarius, est Apuleio crucem gerens, furcifer, deinde, cruciatibus onerans alterum. II, 13 A, *Et cruciarios exitus.*

Crudus. II, 246 C, *Cruda vita*, τὸ ζῆν ἁμίν. II, 401 C, *Sed nec exinde pertinere poterat cruda* (fides), recens, incipiens, imparata, opponitur coctæ, cultæ naturæ. I, 1321 D, *Non ad crudum in totum et ferinam habitudinem.* I, 1217 A, *Quæ non atria nocturnis et crudis salutationibus occupant.*

Cruditare, de cibis, qui nondum sunt digesti. I, 322 A, *Ipsorum ursorum alvei appetuntur cruditantes adhuc de visceribus humanis*, i. e. nondum digestæ sunt carnes humanæ, quæ in ferinis sepulcris sunt conditæ, quum ipsæ feræ ad comessationem appetuntur.

Crux, est forceps, qua assignabatur umbo togæ. II, 1047 A, *Nulli cruci in posterum demandatur.*

Cubitus. II, 743 A, *Et illos cubito pellere*, i. e. aspernari et respuere homines tam prava opinione imbutos.

Culus, podex. II, 1020 A, *Aculo resina.* Salmas. et alii legunt *ab ala resina* : hinc *alipilarius*, qui resina et dropace alas pilabat. Nam alipila resina erat, qua alæ pilabantur.

Cultus. I, 1309 A, *Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant*, nempe aurum, gemmæ, vestes.

Cuneus. II, 270 B, *Hoc enim cuneo veritatis omnis extruditur hæresis*, i. e. hoc argumento ad veritatis defensionem cuneata velut acie. Desumpta a disciplina militari metaphora. II, 797 C, *Quo cuneo decurrendum sit a nobis*, qua acie cuneata, quam firmo ad perrumpendos hostium numeros. II, 938 B, *Noster hic cuneus est, nostra compago.* II, 546 A, *Hunc primum cuneum congressionis armavimus.*

Curare. II, 976 B, *Curantia Deum*, i. e. colentia. I, 655 B, *Qui etiam muliebribus curatur*, i. e. qui et voce et gestu et incessu accuratissime effœminatur, ut saltandis fœminarum fabulis pro fœmina haberi possit. II, 706 B, *Curata mora finis ad plenitudinem pœnæ.*

Curatio. II, 976 B, *Curationem facere dicuntur*, θεραπείαν. Lipsius, epist. 95., ait Tertullianum alludere ad romanarum mulierum morem, quas Junoni speculum tenebant, capillos disponebant, etc., ornantium modo. Senec. lib. *de Superstit.*

Curiosi. II, 118 C, *Cum in matricibus beneficiariorum et curiosorum.* Beneficiarii dicebantur milites beneficio principis assumpti ad officia seu ministeria certa. Itaque apparebant principi, mandatis exsequendis. Ex eorum schola seu corpore erant Curiosi, cursus publici curæ præpositi, qui et stationarii dicebantur, per stationes dispositi. Iis autem inter cætera hoc muneris injungit lex prima (C. *de Curiosis*), *ut crimina judicibus nuntianda meminerint.* Ergo reorum nomina requirebant, ac deferebant, ipsos reos sistebant tribunalibus et judiciis. Vetus historia passionis Fructuosi episcopi : *Direxerunt Beneficiarii in domum ejus*, et paulo post : *Cui milites dixerunt : Veni, Præses te accersit*, etc. Scriptor anonymus vitæ Chrysostomi apud Suidam, ἐλκόμενος ὑπὸ τοῦ κουριόσου τῆς πόλεως. Et apud Euseb. H. E. lib. IX, cap. 9 : Διωγμὸν χειρῶν ὕβρεις καὶ στρεβλάς. Hujusmodi autem officia tandem in prævaricationes et rapinas et concussiones degeneravere, conniventibus plerumque hominum

pessimorum improbitati Beneficiariis et Curiosis. Nam A et ipsi pensionibus annuis aut menstruis corrupti, tabernariorum, ganeonum, furum, lenonum scelera dissimulabant : ita ut domi servarent matriculas turpium hujusmodi pactionum. Cum igitur et in Christianos mandata principum sive proconsulum aut præsidum tanquam in facinorosos atrociter exsequerentur, tandem et istis Christiani quoque pecunias pactis pensionibus numerare cœperunt. Hoc Septimius nomini christiano turpe ac pudendum esse ait, in matricibus Beneficiariorum et Curiosorum, inter ganeones et fures, et tabernarios et lenones, christianos quoque vectigales censeri.

Curiositas. I, 265 A, *Illic tantum humana curiositas torpescit ;* sensus : Recedilis etiam in eo natura hominis, quod hæc semper curiosa sit, altius eo in quæ incidit, scrutandi. Heuman. mavult, *urbana curiositas.*

Currere. II, 908, C, *A quocumque institutore sunt sive spiritali*, qui singularibus Paracleti revelationibus B instructus, *sive tantum fideli*, qui communi fide solum, *eidem Deo currant*, i. e. eidem Deo conveniant, de eodem Deo intelligi debeant. II, 300 C, *Item cætera bona, per quæ opus bonum currit bonæ severitatis.*

Cursitare. I, 452 B, *Catervatim cursitare ad injurias.*

Custodia. II, 539 A, *Custodiæ officium*, quo occultant doctrinam suam, ut qui solent custodire aliquid diligenter. II, 771 A, *Quem et facultate custodiæ liberæ.* Lucian. διαρθίζοντες τοὺς δεσμοφύλακας. I, 325 A, *Et utique non deesset vobis in auditione custodiarum et damnatione sanguis humanus.*

Custodiarium. I, 622 A, *Ut vos, benedicti, de carcere in custodiarium, si forte translatos existimetis*, i. e. ut hoc de vobis statuatis, vos ad libertatem servari, non ad captivitatem et mortem. Nam carcer damnandorum damnatorumve custodiarium stationariorum et speculatorum est, opus stationis suæ præstantium, et observantium tanquam de specula, ut appellatur lib. *adv. Jud.*, cap. 3. C

Cutis. II, 1042 A, *Intra cutem cæsus et ultra.* Cleomachus cæsus est intra cutem, cinædus jam factus, et extra cutem, cum pugil erat propter æstuum vulnera, quæ ultra cutem descendebant.

Cymatia, omnia opera prominula et aquæ modo in longum fluentia, sinuæ, rectæ aut inversæ, et similia. Vitruv. lib. III *de Architect.* cap. 3, et lib. IV, cap 6. Hesych. Κυμάτια τὰ χεῖλη διὰ τὸ κυμαίνειν, ἢ αἱ ὑπερῳαὶ παρὰ τίτοσι καὶ λιθίνοις. I, 674 A, *Et cymatia distendere.*

Cymbalum. II, 1043 B, *Cymbalo incessit.*

Cynocephalus, κυνοκέφαλος, δεῖνος, ἀναίσχυντος. II, 126 B, *Ab isto scilicet Cynocephalo*, i. e. diabolo, canina invidia genus humanum vexante. Junius intelligit de Plautiano, quo accidente Severi temporibus calamitatum æstus in Christianos excanduerunt.

Cynopæ, sive *Cynopes*, sunt Cynocephali homines caninis capitibus, de quibus ex Indicis Ctesiæ Plin. H. N. lib. VII, cap. 2. I, 512 B. Sed I, 370 A, legitur *Cynopennæ*. Pamel. et La Cerda legunt *Cynophanæ*. Wouw. *Cyclopes*. At Heraldus habet *Cynopenæ*.

D

Demon. II, 61 B, *Ad dæmonem se aberrantem.* Dæmonem vocat scortum suum Simon, nomine Helenam, quam circumducebat secum, et Ennœam, Ἔννοιαν, appellabat cogitationem ac intelligentiam suam : se ad hanc perditam ovem quærendam descendisse narrabat Simon, quum ab angelis invidiose detenta esset, ut Irenæus exponit copiosius lib. I, cap. 20.

Damnare. II, 48 A, *Ideo et sibi damnatum dixit hæreticum*, i. e. a semetipso, proprio judicio. Hæretici in semetipsos sententiam ferunt, arbitrio suo de Ecclesia recedentes ; quæ recessio, propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.

Damnatitius. II, 48 A, *Quo etsi nihil de damnatitiis*, scil. hæresibus, *participarentur*, i. e. jam damnatis, ut *fictitium*, quod fictum est, *donatitium*, etc.

Dare. II, 963 B, *Dedit faciem suam Deo*, i. e. conversus ad Deum.

De, ob, propter. I, 571 A, *De religione.* II, 318 A, *Et de judice necessarie severum, et de severo, sicut sæpe.* I, 415 A, *Se dæmonem confitebitur de vero*, i. e. quod vere est. Conf. Lactant. lib. II, cap. 16. I, 416 A, *Colitis illos, quod sciam, etiam de sanguine christianorum*, i. e. non tantum cum in gratiam illorum eos mactatis, sed ad aras ipsorum trucidatis nonnunquam. I, 523 A, *Sed de nostra magis defensione.* Jun. explicat : Facit hoc magis ad defensionem nostram. Alii : Maneamus potius in defensione nostri. II, 204 B, *De cujus utitur*, subaud. *rebus*, aut aliquid simile. Hujusmodi formula sermonis etiam in superioribus libris usus est, *adv. Marcion.* lib. V : *Si in creatoris accipitur.* Eod. libro, *Et a nostræ partis possit opponi*, græcorum est imitatio. II, 188 A, *Sicut ipse de patris*, i. e. de eo quod est patris. II, 792 B, *Ut autem clausula de præfatione communifaciat*, i. e. præstet usum præfationis communis, faciat quod præfatio communis solet.

Debellator. I, 294 A, *Edite aliquem debellatorem Christianorum*, i. e. non extinctorem, sed aggressorem, persecutorem.

Debellare. II, 909 B, *Debellatos aliquandiu a matribus.* I, 442 A, *Cœlum denique debellet imperator.*

Debere. I, 444 A, *Ego sum cui impetrare debetur*, i. e. ego solus impetrare debeo.

Debitum. I, 265 A, *Si nullum odii debitum deprehendatur*, i. e. caussa justa, cur virum bonum odisse hanc professionem oporteat. II, 305 A, *Debita enim omnia hæc sunt severitati, sicut severitas debitum est justitiæ.* II, 399 C, *Quam sibi debitum gratiæ referentes homines.* II, 659 A, *Solemniora quæque et omnimodo debita corpulentiæ.* Ita vocat habitum, terminum, longitudinem, latitudinem, etc.

Debuccinare, διασαλπίζειν. II, 907 B, *Nihil debuccinemus eorum quæ apud illum mercedem merebuntur.*

Decedere, de fastigio decedere, subigi. II, 1043 A, *In captiva Sarabara decessit.* II, 274 B, *Cogitis tormentis de confessione decedere.*

Decimare. I, 704 B, *Quid ipsa Carthago passura est, decimanda a te.* Quid sit decimare, indicat his verbis Livius : *Cætera multitudo forte decimus quisque ad supplicium lectus.*

Declinare. II, 556 B, *Declinata investigatione patris ;* Jun. legit cum Rhenano et aliis, *de inclinata invest.*, i. e. cujus spes omnis eripitur, quasi inclinantibus et deficientibus adjumentis, quæ ad eam consequendam fuerunt necessaria ; sic Cicero scribit Lentulo : *Res inclinata est, laboratur vehementer.* II, 462 A, *Jam tunc Christum in Juda declinabat*, i. e. declinatum sive derivatum iri vaticinabatur ; nam *declinare* Latinis *derivare* est, et inde *voces declinatæ primigeniis* apud Varr. lib. IV. *de Ling. lat.* D

Decor. II, 256 B, *Sicut facit, qui decor solummodo apparens.* Rigalt., Jun. et alii legunt *quid decor.* Decor solummodo apparens facit aliquid, h. e. vulnerat animam.

Decrescere. I, 1247 A, *Ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes*, i. e. demittentes se ad reverentiam illi exhibendam.

Deculcare. I, 511 A, *Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat*, superbe calcat, et quasi ex alto.

Decumanus. II, 1033 A, *Decumani (fluctus)*, i. e. magni et pessimi. II, 739 B, *Nullis quassata decumanis.*

Decutere. I, 579 B, *Quotidie toto jam corpore decutit*, i. e. toto jam corpore cutem amisit.

Dedamnare. II, 1009 B, *Sed et sceleris manifestum dedamnaverit*, i. e. sententiam damnationis rescinderit, damnatum absolverit.

DEDERE. II, 892 A, *Dedantur illis*, i. e. jubeantur transire in morem et consuetudinem ipsarum. Metaphora e castris adversantibus. II, 544 B, *Simul dedi in sapientiæ ordinem.*

DEDICARE, incipere. I, 340 A, *In patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur.* II, 223 A, *Dehinc exornatis velut dedicans*, Guil. Canterus in lectionibus variis legit: *De hinc exornatis velut delicans*, et exponit ex Nonio, explanans, aperiens, patefaciens. Sed *delicare* est sermone explanare atque evolvere ea quæ obscura sunt, non autem opere. II, 367 B, *Ut cum ipsis ecclesiis dedicata.* II, 934 B, *At ubi primum scelus homicidium in fratricidio dedicatum.* II, 802 B, *Recogita totum illi Deum occupatum ac dedicatum.* Fest. *Dedicare* proprie est *dicendo deferre.* Deus illi materiæ hominique formando operam suam prius detulerat, dicendo: *Faciamus hominem*, etc. I, 1229 A, *Jam inde in semetipso pœnitentiam dedicavit.* II, 725 C, *Sic et in primordio somnus cum ecstasi dedicatus.*

DEDICATOR, inceptor, auctor, princeps. I, 293 A, *Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur.* II, 781 C, *Novæ nativitatis dedicator.*

DEDUCTOR, dicebatur proprie in sacris Eleusiniis is qui facem manu tenens, alios præibat, atque viam illuminans deducebat, ut docet Eustath. ad Homer. *Il.*, α, vers. 279. I, 395 A, *Illuminator atque deductor generis humani*, græc. ἀρχηγός.

DEFÆCARE. I, 1246 B, *Defæcato senectutem vini.*

DEFÆCATIO. II, 693 A, *Sicut et virus illud corporale semen et carnis defæcatione.*

DEFARINATUS. II, 586 A, *Ad molas delatum et defarinatum*, i. e. molitum atque redactum in farinam.

DEFECTIO. II, 798 B, *Solius carnis et defectionem agnoscimus*, i. e. mortem. II, 951 A, *Et tamen nec cruentam defectionem infirmitas carnis excusat.*

DEFENDERE. I, 289 A, *In aliis de admisso non de nomine probata defendunt*, i. e. juste censent, in accusatione eorum qui non sunt christiani, rapi in jus non esse satis, sed vel maxime de facto constare debere, cum vel innocentissimus criminis accusari possit. II, 277 C, *Cur enim prohibet admitti, quod non defendit admissum*, i. e. ulciscitur, punit, defendens auctoritatem interdicti sui. II, 898 B, *Et ita universo mulierum generi defensam*, i. e. vindicatam. II, 903 A, *Debebunt etiam et ipsi aliqua sibi insignia defendere*, i. e. tueri, asserere sibi, et quasi suo jure vindicare. I, 1280 B, *Carnis concupiscentia ætatis officia defendit*, i. e. tuetur ætatem quæ adhuc apta est nuptiis, in eis occupandam. II, 934 C, D, *Iniquitates semel defensæ*, i. e. vindicatæ in diluvio.

DEFENSA, ultio, defensio. II, 305 C, *Mihi defensam et ego defendam.*

DEFERRE, emere, et condicto pretio secum exportare, II, 1049 A.

DEFETISCENTIA. II, 722 A, *Defetiscentiam esse somnum, contrarium potius defetiscentiæ, quam scilicet tolli.*

DEFICERE. II, 868 A, *Regnum Dei capere deficiunt*, τοῦ λαβεῖν ἀκολλκνται. Hellenism. II, 84 A, *Scientia autem deficiunt illud quoque intelligere*, i. e. non intelligunt, deficiunt scientia qua intelligant.

DEFIGERE. II, 368 C, *Qua defigimus*, i. e. fixum ponimus, statuimus et determinamus. II, 880 B, *Facilia crementa*, nempe unguium, *defixit*, i. e crescere vetuit.

DEFINITIO. II, 222 A, Est *definitionis caput*, erat *relationi facit*, quasi dicat: *Est* de re in se simpliciter dicitur; *erat* de re non simpliciter atque secundum se dicitur, sed cum relatione et determinatione ac restrictione temporis. II, 294 B, *Cum definitione mortis*, i. e. cum sententia definitiva mortis; ut jurecons. loquuntur.

DEFLORATIO. II, 562 B, *Ut ex omnium defloratione constructum.* Iren. διὰ τὸ ἀπὸ πάντων εἶναι.

DEFLUXURA. II, 884 A, C, *Cur non magis quam defluxura colorentur.* Defluxuras potuum dicit, quæ de potu excernuntur.

DEFORMARE. II, 444 A, *Utrinsque exitu deformans.* I, 340 A, *Quod simulacrum non prius argila deformat cruci et stipiti superstructa.*

DEFRAUDATIO. II, 723 A, *Omnis enim natura aut defraudatione aut enormitate rescinditur.*

DEFRUTUM. II, 526 C, *Aut defrutum de rupibus.* « Defrutum (inquit Varro., lib. I *de Vit. pop. Rom.*, ut citatur a Nonio) appellabant mustum, si ex duabus partibus ad tertiam redegerant fervefaciendo. »

DEFUNCTUS, passio, mors. II, 580 A, *Et defunctui ingratis subjaceret.*

DEFUNDERE. I, 534 A, *Et tamen illis omnibus et statuas defunditis.* I, 1259 A, *Cum in idolum auri sui collationes defundit.*

DEFUNGI. II, 281 C, *Sed ut matura defungi.* I, 1285 A, *Igitur defuncto per Dei voluntatem etiam matrimonium Dei voluntate defungitur*, i. e. jam nullus matrimonii usus.

DEGENERATUS. II, 583 A, *Choicum saluti degeneratum.* Sicut degenerem appellamus eum qui generosus non est, ita degeneratum saluti vocat, quod ad salutem non est generatum. Iren. τὸ μὲν χοϊκὸν εἰς φθορὰν χωρεῖν.

DEGUSTARE. II, 818 A, *Prior degustans judicium.* II, 125 A, C, *Alii fustibus interim et ungulis insuper degustato martyrio.*

DEHAURIRE. II, 809 C, *Poterit et carnem quocumque dehaustam evocare de alio*, i. e. absumptam. II, 1049 A, *Margarita namque vel ipso nomine pretiosa dehausit.*

DEHONORARIA, indecora, inhonesta, I, 470 A. Vid. HONORARIA.

DEJERARE. II, 45 C, *Et demonstratæ et dejeratæ*, i. e. juramento admodum confirmatæ. Conf. *de Pœnit.*, cap. 4.

DEJICERE, decidere, occidere, de stellis. II, 1033 A, *Siderum distincta confusio interdum dejicit quid.*

DELATURA. II, 519 A, *Ipsum vocabulum diaboli quæro ex qua delatura competat Creatori.*

DELEGARE, injungere, committere. I, 1251 B, *Sed vivæ ac cœlestis disciplinæ divina dispositio delegat.* II, 660 A, *Aut petitiones delegantur.* II, 290 A, *Nec cautionem ejus delegasset sub metu mortis.*

DELIBARE. I, 319 A, *Dum adhuc sanguis in hominem delibatur.* Delibari in hominem sanguis dicitur, dum ex præstantissimo hominis succo embryo nutritur. Alii *deliberatur.*

DELIBATIO. II, 549 B, *Non erit delibatio transpunctoria expugnatio*, i. e. suggillabimus quidem et libabimus, sed non transpungemus. Suggillatio pungit, expugnatio transpungit. II, 804 A, *Et ipsa delibatio masculi in fœminam.*

DELIBERARE, i. q. liberare. II, 583 B, *Animal mediæ spei deliberatum*, h. e. libertati arbitrioque suo traditum. *Mediam spem* dicit, quod supra *dubitatum eventum.* Alludere videtur ad regionem medietatis, ubi Valentiniani justorum animas refrigerari dicebant. Junius mavult *delibratum*, i. e. mediæ, quod aiunt, aginæ æquilibrio et sui ipsius impetui permissum. Vid. DELIBRARE.

DELIBERATIO. I, 1262 A, *Minorum deliberatione lædemur.* Minorum, h. e. pecuniæ. *Deliberatione* positum esse videtur pro *liberatione.* Christianæ philosophiæ scitum est, divitias inter impedimenta censeri.

DELIBRARE. II, 412 A, *Non decem mensium cruciatu delibratus*, i. e. quasi in uteri trutina suspensus: alii legunt *deliberatus.* Partum delibrari dixit quamdiu fœtus in utero perficitur ordine nativitatis humanæ, decem mensium spatio currente. Haverc. ad *Apolog.*, c. 9, ita explicat: Dum deliberat natura in utero, velitne conceptum semen commixtumque in hominem formare, an sinere ut effluat, naturalemque patiatur abortum. Non placet.

DELINEATIO, typus. II, 582 A, *In delineationem superioris Christi.*

DEMANDARE, proponere, adserere, præmittere. II,

326 A, *Et ut ita dixerim, naturam demandare.* II, 332 B, *Mors Christi negatur, cum tam impresse Apostolus demandat.*

DEMENTIRE, insanire, quasi de mente exire. I, 412 A, *Ut aliter dementire videantur*, Lucret. III, 464, *Dementit enim deliraque fatur.* II, 679 B, *Nam et cum dementit homo, dementit anima.*

DEMERERE. I, 378 A, *Qui demerendo sibi disciplinas determinaverit*, qui scilicet certas præscribit leges et regulas *demerendo sibi*, i. e. quibus observatis favor ejus exprimi potest. I, 404 A, *Multitudine tot numinum demerendorum.* II, 963 A, *Sciens quid ad demerendam Dei gratiam faceret.* II, 252 B, *Possem in uno demereri.* I, 1269 A, *Quæ demerendo domino multipliciter allaboret.*

DEMORARI. II, 957 B, *Demorati cibi*, h. e. dilati propter stationes, quæ quoniam protendebantur, cibos morari consueverant. II, 977 A, *Et stellæ auctoritatem demorantis suspirant*, i. e. morantis, tardantis.

DEMUTATIO. II, 876 A, *Discernenda est autem demutatio ab omni argumento perditionis; aliud enim demutatio, aliud perditio.*

DENOTARE, reprehendere. II, 1030 C, *Habitus denotare.* Alii legunt: *Habitus denotare pacis, hæc et annona et otia; ab imperio et a cælo bene est.* Junio *denotare* est, nota publica indicare, et auctoritate indicere: male. II, 1036 A, *Quid denotas hominem.* II, 551 A, *Nec aliud magis in hujusmodi* (nempe æonum) fabula) *denoto.* II, 177 C, *Nonne denotasset vanitatem.* II, 560 A, *Doctrinæ denotabo perversitatem.*

DENOTATIO, reprehensio. I, 1332 A, *Et ipsa denotatione sui exultat.*

DENOTATUS, id. II, 1044 A, *Quantum denotatui passivitas offert libertinos.*

DEPALARE, palis impactis statuere et circumcludere. I, 530 A, *Civitas quam depalaverat Saturnia usque nunc est.* II, 222 C, *Incultis primo elementis depalans quodammodo mundum.* Depalare Tertulliano interdum esse videtur id. quod propalare, manifestare, palam ostendere. II, 484 C, Apostolus vocatur *depalator disciplinæ divinæ*, i. e. enarrator, promulgator. Junius tamen ingeniosius, ut solet, hunc locum interpretatur: « Est, inquit, totus hic sermo figuratus, sumpta allegoria a statuariis, qui primum depalant incultum et rude lignum, deinde vero affabre factum et exornatum dedicant. » *Depalo* verbum non a *palam* ductum est, sed a nomine, *palus, pali. Depalare mundum*, rudem tanquam in palo formandum faciendumque statuere, ut sensus sit: crassum et rude opus, quasi palum exhibens dolandum ad stipitem, ut I, 366 A, *Quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica? et Ceres farrea, quæ sine effigie rudi palo et informi ligno prostant?*

DEPERIRE. I, 260 A, *Quid hic deperit legibus in suo regno dominantibus*, i. e. quid decedit, etc.

DEPLUERE. II, 584 A, *In animas bonas depluat*, i. e. infundat et instillet. Iren., *Spiritalia vero inseminat Achamoth.*

DEPOSTULATOR. I, 456 A, *Nec ulli magis depostulatores christianorum*, qui Christianos depostulabant ad supplicium, et acclamabant: Christianos ad leones.

DEPRECARI, I, 250, *Nihil illa* secta vel veritas *de caussa sua deprecatur*, i. e. secta Christianorum non est sibi conscia caussæ non satis bonæ, ut cogatur misericordiam judicum implorare.

DEPREHENDERE. I, 1292 B, *Qui in matrimonio gentilis a fide deprehendantur*, i. e. ad christianam fidem vocantur; postquam matrimonio cum infideli conjuncti sunt, et inveniuntur in conjugio, quo tempore in matrimonio sunt. II, 944 C, *Qui in matrimonio a fide deprehensi.*

DEPRETIARI, καταπωλεῖσθαι, pretium minuere, contemnere, translatum a mercimoniorum licitatione. I, 500 A, *Epicurus omnem cruciatum doloremque depretiat.* II, 253 B, *Si depretiari capit in Creatore*, i. e. si datur, ut Creator depretietur. II, 262 B, *Depretias in quibus et viris et moreris.* II, 112 D, *Qui fugis diabolum depretiasti Christum, qui in te est.*

DEPUGNATIO. I, 650 C, *Et quamcumque humani oris, id est divinæ imaginis depugnationem*, i. e. deformationem pugnando factam.

DEPUNGERE, præstare et occupare bonum acceptum, sive in usum vertere. II, 293 C, *Si non bene depunxisset, quod bene acceperat.*

DEPUTARI. I, 284 A, *In quibus irridendi deputamur.* II, 588 B, *Deputor angelis, non angelus, non angela*, i. e. similis fio angelis, neque jam censeor masculus nec fœmina. Resurgent mortui cum sexu quibusque suo; sed erunt officia sexuum nulla, quia nec amplius erit nasci nec mori. I, 270 A, *Ad Persas si forte deputabimur*, i. e. Persarum religione uti dicemur. I, 1305 C, *Damnati in pœnam mortis deputantur.*

DERIDERE. II, 758 C, 759 A, *Quod blanditiis deridetur*, de infante.

DERIVATIO. II, 164 B, *Filius vero derivatio ipsius et portio*, i. e. ἀπόῤῥοια, qui e patre emanavit. II, 171 A, *Pro modulo derivationis.*

DESCROBARE, profundius quasi in scrobem inserere, a scrobe, i. e. fovea. II, 805 A, *Et insuper operosissimo descrobes auro.*

DESÆVIRE, sæve et crudeliter tractare. II, 347 A, *Nervos ejus clavis desævierunt.*

DESIGNARI, ostendi, omnium conspectui expositum esse. II, 1042 A, *Jam Omphale in Herculis scorto designata descripsit.*

DESINERE. II, 21 A, *Cum etiam Johannes de illo certus esse desiisset*, h. e. etiam post excessum Joannis. Hunc locum exponit Tertullian. lib. *de Baptismo*, cap. 10, *adv. Marcion.* lib. IV. cap. 18. II, 904 B, *Desiit virginem.* Hellenism. παρθένον παύεται, non amplius virgo est.

DESPOLIARE. II, 587 A, *Despoliari autem est deponere animas quibus induti videbantur.*

DESTINARI, ὁρίζεσθαι, definiri, statui. II, 248 A, *Destinare digito*, i. e. directo digito aliquem monstrare ac denotare. II, 543 A, 1043 B, *Proinde quos nunc destinamus hæreticos*, i. e. velut ad ictum propositos petimus.

DESTINATIO. I, 523 A, *Quia ratio restitutionis destinatio judicii est*, i. e. id ad quod destinatum judicium est: sens., quia illud agit judicium, ut cuique pro meritis tribuatur.

DESTRUCTIO. II, 211 A, *Pluribus et indignioribus destructionibus Deo objiciunt.* Destructiones hic præstructionibus oppositæ (quæ non nominantur) pro consectariis, quæ ex præmissis adstruuntur, τὰ παρεπόμενα.

DESULTRIX. II, 592 A, *Tantum quod desultricem.* Iren. ἀποστᾶσαν, i. e. quæ desiliverit de ratione communi æonum, atque ab ea defecerit.

DETENTUS. II, 587 B, *Neque detentui neque conspectui obnoxii.*

DETERGERE, de bestiis, comminuere dentibus et disrumpere occursu suo. I, 322 A, *Aper ille quem cruentavit, colluctando detersit.* II, 819 A, *Duo verba expedita, decisa, detersa.*

DETINERE, accusare. I, 1301 A, *Quam hujus amentiæ caussam detineam.* I, 283 A, *At nunc utriusque inquisitione et agnitione neglecta nomen detinetur.*

DETRACTARE, διατυπῶν. I, 1292 A, C, *Detractata et exerta sententia est. De* compositum intendit significationem verbi.

DETRACTATUS. I, 633 B. *Convertamur magis ad nostrorum detractatus*, i. e. tractatus de hac re.

DETRIMENTUM. I, 1260 B, *Ita detrimentum patientiæ fastidium opulentiæ præministravit.* Obscura sententia. Videtur sic intelligenda et distinguenda: Ita Dominus præministravit patientiæ detrimentum, subaudi *rei familiaris*, fastidium opulentiæ, contemptum divitiarum, appositive, ut sit sensus: Dominus primus ostendit patientia tolerandum esse rei familiaris detrimentum, dum docet divitias esse contemnendas.

DEVEHERE. I, 1164 A, *Sed devehe nos a malis.* I, 1506 C, *Sed ut devectum de simplicitate et sinceritate.*

DEVERGERE. II, 30 B, *Ad veritatem an magis ad hæresin deverget.* II, 235 A, *Ad bonum autem et malum non devergente materia.*

DEVESTIVUS, qui nulla se veste, i. e. facie et forma potest ipse tegere, II, 363 C, *n.* (5). Sic *devestiendi* verbum Apulcius usurpavit, lib. III *Metamorph.*

DEVINCTIO. I, 652 A, *Vis homicidium ferro, veneno, magicis devinctionibus perfici.* Magicæ devinctiones dicuntur artes superstitiosæ, ac nefariæ, quæ signa vincire aut nectere solent ad necem aut damnum incantatione, ut contra solvere dicuntur, quum resecrant et liberant a malo.

DEVORARE. II, 847 B, *Et devorandus auditu.* Metaphora hæc insolens ex eo ducitur, quod cum Christus sit Dei Verbum, et caro ejus panis, auditu devorari dicatur, ut panis ore devoratur. II, 873 B, *Quasi non bilem et dolorem dicamur devorare, id est abscondere et tegere et intra nosmetipsos continere.* II, 875 B, *Quomodo mortale devoretur a vita.* II, 1008 B, *Devorari adhuc increpitus periclitabatur.* II, 854 B, *Utique enim devoratum non aliud putas quam interceptum, quam abolitum, quam omni sensu ereptum.* II, 809 A. *Qui valent delapsum et devoratum, et quibuscumque modis ereptum tabernaculum carnis reædificare.* II, 804 A, *Obliteratus igitur et devoratus est limus in carnem.*

DEVORATORIUS. I, 663 C, *Post talia crimina, tam devoratoria salutis.*

DEVOTAMENTUM. II, 127 C, *Et devotamenta fierent universa ejus.*

DEVOVERE. II, 1046 A, *In terga devoto*, i. e. dedicato ac reservato in eum usum, ut etiam terga ornentur. Alii *detorto.*

Διαμαστίγωσις, flagellatio, I, 626 A.

DICI. I, 270 A, *Quodcumque dicimur, cum alii dicuntur*, i. e. cum alii rei accusantur ejus criminis, quod nobis imponitur.

DICIBULUM. II, 575 A, *Satis meminerat Ptolemæus pueriliun dicibulorum*, i. e. nugarum familiarium, sicut et dicibile in glossario λῆρος.

DICTATA, μαθητά quævis, ut est in glossario vetere; magistrorum omnium, non literas docentium solum. II, 620 A. Sic Sueton. in Vita Jul. Cæs. de gladiatoribus, cap. XXVI, *Ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent.*

DIFFERRE, dissipare, spargere: I, 511 A, *Etiam quod fama non distulit.* Abstinere: I, 487 A, *Ab omni vitæ fruge dilati*, i. e. nullum vitæ fructum capientes, abstinentes ab omni re læta. II, 81 A, *Apostolum non differo*, i. e. hic non habeo rationem mandati apostolici, quia longo post tempore secutum est.

DIGERERE. II, 660 A, *Nam et diligentissime digeruntur*, i. e. referuntur in digestum. II, 1038 A, *Et Alexander digerit*, i. e. tradit. I, 1256 A, *Si quod vitandum sit proinde digesseris.*

DIGESTUM. I, 516 A, *Si quid in sanctis offenderunt digestis.* II, 365 A, *Et inde sunt nostra digesta*, i. e. διατρώματα. Sensus est: Atque ab ea occasione pseudapostolorum Spiritus sanctus auctor fuit, ut apostoli et viri apostolici doctrinam sacram monumentis literarum consignarent, quæ nostra digesta sunt. II, 367 A, *Nam et Lucæ digestum Paulo adscribere solent.*

DIGESTUS, digestio. II, 663 A, *Et digestu sine alveis.*

DIGITUS. II, 221 C, *Et nutu digiti accommodato*, etc. Usurpatur in hominem plus nimio sibi sumentem, et pro arbitratu suo, quod lubet, statuentem. Alii putant digitos pictoris notari, varios colores, et quidvis varie effingentes, quæ omnia altero versu nominat *lenocinium pronuntiationis.*

DIGLUBARE. II, 1038 B, *Diglubasse oviculam*, pro deglubisse. Antiquis mos erat non tondere, sed deglubere et vellere oves, teste Plin., II. N., lib. VIII, cap. 48. Turneb. vult *delibassé*; Latin. *delibrasse.*

DIGNARI, ut apud Græc. ἀξιοῦν. II. 267 A, *Anno XV Tiberii, Christus Jesus de cœlo manare dignatus est.*

DIGNE. I, 1260 B, *Quando ne digne quidem malefacere concessum est*, i. e. jure et merito.

DIGNITAS. I, 1319 B, *Nunc non sit timenda dignitas formæ.* II, 880 C, *Habilitatis et dignitatis justitia.* II, 988 A, *Est et mali dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum collocatur.*

DILIGENTIA. II, 58 B, *Diligentia attonita*, quæ semper est in metu, ne quid peccet. II, 585 B, *Diligentia delictorum*, prona ad delinquendum libido, studium ad peccandum. I, 1303 A, *Quotidiana diligentia sine impedimento.* Diligentiam dicit, quam in *Apolog. diligentissimam religionem*, h. e. sedulam et sollicitam disciplinæ seu religionis observantiam. II, 104 A, *In alterutra diligentia et dilectione.* His verbis significat, quæcumque sunt christianæ pietatis erga Deum et alios officia, quales fidelium inter sese diligentium et dilectorum affectus, etiam ethnici laudabant et mirabantur.

DILUERE, deglutire, inundare. II, 1035 A, *Denique si quid mare diluit.* I, 1201 B, *Nonne mirandum et lavacro dilui mortem.* I, 1205 B, *Lacu an alveo diluatur*, de baptismo. I, 615 A, *Et lucratione gravioris partis metum diluis*, i. e. solvis. I, 1204 B, *Et spiritus in aquis corporaliter diluitur.* II, 803 B, *Sed dilutior videatur auctoritas carnis*, i. e. minor. II, 687 B, *Ac per hoc dilutioris divinitatis.* I, 614 B, *Aut a bilstis dilutior redis.*

DILUVIO. II, 727 A, *Virginis vesicam in diluvionem Asiæ fluxisse.*

DIMINORARE. II, 707 B, *Diminoratur illic ille cui*, etc.

DINUMERARE. I, 268 A, *Dinumerant in semetipsos*, i. e. recolunt et recensent intus semetipsos, h. e. acta sua, vere semetipsos scrutantur. Numerare enim est recensere. Latin. vult *deonerant semetipsos*; deonerare, onus criminis allevare. Heuman. conjicit *et murmurant in semetipsos.*

DIPLOMA. I, 426 A, Per *somniculosa diplomata* intelliguntur nuncii publici et diplomata publica, quibus irascitur quasi Tertullianus, quod non citius ad Cybelen et archigallum ejus perrexerint.

DIRECTO, aperte, clare. I, 414 A, *Quos directo dæmonas nostis.* I, 652 A, *Quæ directo prohibeat.*

DIRIGERE, lege agere sive convenire et actionem intendere. II, 257 A, *Hinc itaque constantissime dirigam*, i. e. quas in nos rationes contorserunt, retorquebo. I, 1267 B, *Quis judicium cum adversario suo dirigens*, i. e. contendens. II, 968 B, *Propterea per singulas direximus species jejunationum*, i. e. disputavimus. II, 796 A, *Dubitata dirigere*, est clariora reddere. II, 798 A, *Plures quos instrui, dirigi, muniri oportebit.*

DIRIGERE, secundæ conjug., est solvi ac subsidere. Glossæ veteres, ἀποπήσσομαι, derigeor, ἀποπηγνύω, diriguo. Legendum *derigeo*, vel *dirigeo.* Riget statua, riget fastigium, riget quivis suggestus, et habent in rigore velut superbiam, nec facile cedunt, imo resistunt, nam sunt in duritiem stipata. Ea vero cum solvuntur, ut igne metalla, ut sole glacies, derigere dicuntur, quia jam non rigent. I, 689 A, *Plenissime dedit formam suis dirigendo omni fastigio et suggestu tam dignitatis quam potestatis.*

DISCENTES, i. e. discipuli. I, 1212 C, 1254 A; II, 15 A, 43 A.

DISCENTIA, μάθησις. II, 687 A, 690 A, *Quorum discentiæ reminiscentiæ fiunt.*

DISCERNERE. II, 570 A, *In exterminium discretis.* Quod Tertullianus dicit in exterminium discernere, latinus Irenæus dixerat *exterminare*, græcus ἀφανισθῆναι.

DISCIPLINA, severa ordinis custodia, severitas castigatrix. II, 558 B, *Disciplina non terretur.* Sic Cyprian. *de Hab. Virg.*: *Disciplina custos spei, retinacu-*

lum fidei. I, 307 A, *Census istius disciplinæ*, i, e, sectæ Christianorum. I, 444 A, *Qui propter disciplinam ejus occidor.* I, 453 A, *Qui observant disciplinam de Cæsaris respectu.* II, 980 A, *Si disciplina persuaserit.* I, 499 A, *Non adeo timendæ estis disciplinæ ad innocentiæ veritatem.* I, 700 B, *Et utique ex disciplina patientiæ divinæ agere nos.* II, 679 B, *Adversus fidei disciplinam.* I, 681 B, *Dum sumus in observatione non in exorbitatione disciplinæ.* II, 23 B, *Sine disciplina rationis interpretentur*, I, 1152 A, *Ut hæc quoque orandi disciplina.* II, 18 B, *Et acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* II, 58 B, *Doctrinæ index disciplina est.* II, 810 B, *Quippe etiam terræ de cælo disciplina est.* II, 857 B, *Per disciplinam sanctitatis et patientiæ, et justitiæ et sapientiæ.* II, 931 B, *Itaque monogamiæ disciplinam in hæresin exprobrant.* II, 989 A, *Quid agis, mollissima et humanissima disciplina.* II, 1001 B, *Christiana enim disciplina a novatione Testamenti censetur.* II, 1023 B, *Disciplina hominem gubernat.* I, 378 A, *Qui demerendo sibi disciplinas determinaverit.* II, 1024 A, *Apostolos non ex disciplina, sed ex potestate fecisse.* I, 468 A, *Corpus sumus de conscientia religionis et disciplinæ divinitate*, alii *unitate.* I, 477 A, *Reliquum ordinem disciplinæ æstimate.* II, 684 B, *Adeo apud Dominum in hujusmodi etiam disciplina familiæ nostræ æstimatur.* Ibid., *Sed intra limites disciplinæ.* II, 56 B, *Prostrationem disciplinæ.* II, 585 A, *Nec ulla disciplinæ munia observant.* II, 977 B, *Ita de campo laxissimæ disciplinæ tuæ venis.* II, 983 C, *Disciplinæ enormitate.* II, 997 C, *Totum autem statum salutis in tenore disciplinæ constitutum.* II, 1002 B, *Nisi ut illis compendia ista disciplinæ semper imponant.* I, 273 A, *Et ad confœderandam disciplinam.* II, 998 D, *Et tutelæ disciplinarum accommodatiores interpretationes reddidisse.*

A

B

C

D

Disciplinatus. II, 104 A, *Tunc et fides in expeditione sollicitior et disciplinatior in jejuniis.*

Disconvenientia. I, 618 A, *In tanta disconvenientia conversationis.*

Discriminare. II, 985 B, *Secundum hanc differentiam delictorum, pœnitentiæ quoque condition discriminatur.*

Disculpere. II, 1043 A, *Disculptum.* Lipsius vult *discalptum.*

Dispartibilis, divisibilis. II, 235 A, *Demutationes enim ejus dispartibilem eam ostendunt.*

Dispector, qui circumspecte ad singulos attendit. I, 499 A, *Ut ab incontemptibili dispectore mandatum.* I, 1329, A, *Non etiam dispectorem institutorum suorum.* I, 611 B, *Deum : dispectorem plane et arbitrum.* I, 1300 A, *Quasi revera dispectores divinarum sententiarum.*

Dispensatio. II, 583 A, *Dispensationem mundi hujus.* Supra dixit *dispensationem.* Iren. τὴν κατὰ τὸν κόσμον οἰκονομίαν. II, 156 B, *Sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus.* II, 722 A, *Ut dispensatio ciborum, non facilè procederet*, i. e. digestio.

Dispergere, frustrari, annihilare. II, 296 A, *Ita alio modo palam dispersit.*

Dispersum. II, 246 B, *In disperso*, sparsim, σποράδην. II, 583 B, *Colligam nunc ex disperso*, ἐκ τῶν σποράδην.

Dispicere, considerare, examinare, perpendere, I, 259 A, *Palam dispicere.* II, 141 B, *Et per singula tabulata cœlorum de præcepto dispici cœperint*, i. e. inquiri et examinari an præcepto Christi paruerimus, an fuerimus constantes in confessione nominis Christi coram potestatibus. II, 302 A, *Justitiam ergo primo judicis dispice.*

Disponere. II, 254 B, *Quia prohibet disposita jam regula summi magni*, i. e posita illa regula seu jacto fundamento, duo dii esse non poterunt.

Dispositio. II, 19 A, *Temeraria interpres naturæ divinæ et dispositionis.* Lupus per *dispositionem* intelligere vult creationem mundi. Rigalt. melius, ordinem, quo Deus omnia regit.

Dispunctio. I, 378 B, *Ad utriusque meriti dispunctionem*, a re nummaria sumptum, tabulisque accepti et expensi. II, 502 B, *Et dispunctionem boni ac mali operis.*

Dispunctor, qui rationes excutit, et reddit cuique secundum opera ipsius lance justitiæ et misericordiæ ipsius. II, 400 B, *Ut a judice et punctore meritorum.*

Dispungere. I, 462 A, *Si malum malo dispungi penes nos liceret*, i. e. rependi. I, 500 A, *Qui sub Deo omnium speculatore dispungimur*, i. e. qui judicem habemus Deum, et leges illius, cujus oculis nihil occultari potest. II, 705 B, *Non ipsæ dispungentur*, i. e. in rationem venient. II, 624 B, *Itaque specialiter dispungamus ordinem cæptum*, i. e. velut accepti et dati rationibus ex omni parte subductis compensemus. Nam quæ in rationibus probantur in ultro citroque, quæ in suffragiis, quæ in recensionibus militum officiorumve, ea solebant notari punctis, ut ad discutienda cætera veniretur, et dispuncta vocabantur : ut contra expuncta, quæ ex rationibus velut improba vel præterita eximebantur. II, 511 C, *In utroque dispungetur a Deo*, i. e. in utroque ei satisfiet, in utroque mercedem accipiet. II, 415 A, *Quasi jam et officio et honore dispunctis*, i. e. perfunctis absolutisque. II, 916 A, *Et æternitatis mercede dispungit.* II, 881 A, *Quod hodie Enoch et Helias nondum resurrectione dispuncti*, i. e. perfuncti et consummationem assecuti.

Dis-ipare. II, 108 C, *Tormento dissipatus, credo pro fugæ castigatione.*

Dissolutrix. II, 721 A, *Mortem dissolutricem corporis.*

Distantivum. II, 659 A, *Ut illud trifariam distantivum, longitudinem dico et latitudinem et sublimitatem.*

Distrahere. II, 151 A, *Paulus distrahitur* capite separato, et a cervice reciso. Separationem opus esse machæræ, ait Septimius *adv. Marc.*, lib. IV.

Dividere. I, 459 A, *Forum sibi dividebant*, captantes scil. commodissimum optimumque locum.

Divinatio, I, 391 A, *Veritas divinationis*, i. e. inde concludi potest divinitas Scripturæ, quod divinatio, i. e. prophetia, quotidie impleatur.

Divortium. II, 223 B, *Quod erat futura ex divortio humoris.* II, 741 A, *Sæpe animam in ipso divortio potentius agitari.* II, 90 C, *Longum enim divortium mandat ab idololatria.* I, 463 A, *Sed tantummodo discordes solius divortii invidia adversus vos dimicasse.*

Doctrina. II, 57 B, *Tam idoneum, ut alterius doctrinæ deputetur*, i. e. usque adeo dignum ut ad remotiorem doctrinam (quemadmodum post dicitur) et minime in vulgo notam censeatur pertinere. *Doctrina remotior*, i. e. arcana, II, 45 B, *Non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.*

Documentum. II, 315 A, *Neque enim ulli hominum diversitas spiritalium documentorum competebat, nisi in Christum.* II, 142 C, *Pulchra videlicet documenta præmittam*, quasi caussæ nostræ instrumenta. II, 967 B, *Et efficacia virtutum, atque documentorum linguam.* Rigalt. *documentisque linguarum*; bene. II, 963 C, *Ad nova enim nunc documenta properamus*, i. e. ad novum Testamentum.

Domesticus. I, 380 A, *Scilicet ad domesticam Dei gentem ex patrum gratia.* I, 470 A, *Jamque domesticis senibus.* II, 52 A, *Neque domestica unquam est ejus, quod æmulatur.*

Domina. I, 619 A, *Domina mater Ecclesia de uberibus suis.*

Donativum. II, 862 A, *Donativum autem Dei vita æterna.* II, 489 C, *Donativa qua charismata dicuntur.*

Dos. I, 1229 A, *Post condemnatum hominem cum sæculi dote.* Dotem sæculi dicit delicta, per quæ homo ex divina gratia excidit. Albaspinæus intelligit miserias humanas, quæ post peccatum mortalibus in dotem assignatæ sunt. II, 885 B, *Dotis nomine sequebatur anima caro.*

DRACO. I, 1284 A, *Auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone curantes.* Draco fuit Æsculapius, anguis tam fœcundus, ut nisi incendiis fœminina exurerentur ejus, non esset fœcunditati ejus resistere, ait Plin., H. N., lib. XXIX, cap. 4. Propterea Rom. olim placuit ut extincto igne procurationes cum draconc fierent, i. e. Æsculapio, ne igni Vestæ adversus esset, ac potius reip. salutem procuraret, probaretque virginis Vestalis, cujus existimatio et vita periclitabatur, innocentiam. Etsi non dubium est, quin auctor eadem opera Satanam, qui draco in Scripturis dicitur, et opus illius, ut libro *de Idololatria* probat, destrinxerit.

DRACONTARIUM, exponunt alii coronam ex herba draconlia adversus venena utili, alii ex gemmis draconitibus, alii insigne draconarii, i. e. signiferi, draconem gestantis. Iun. et Heraldus ex Clem. Alexandr., lib. II *Pædagogi*, cap. ultim., monile ex auro flexuosum et in formam draconum, quo collum aut manum ornabant. *Dracontas* Græci appellant. Vid. Lucian. in *Amoribus*, et Hieronym. *ad Marcellam.* II, 101 B, *Quid caput strophiolo aut dracontario damnas?*

DUBITARE. I, 389 A, *Si dubitatur antiquas*, pro an sint antiquæ. II, 579 A, *Dubitatum eventum*, i. e. incertum, dubium.

DUCERE. I, 1261 B, *Ipse ferrum in corpore suo ducit.*

DUCATOR, dux, II, 634 C, *Cum ducator ejus in ea pati haberet.*

DUCATUS. II, 329 B, *Rationem quoque errorum ejus a quo ducatum mutuatus.* II, 988 A, *Hinc ducatum idololatriæ antecedentis.*

DUPLICITAS. II, 499 C, *Scimus quosdam sensus ambignitatem pati posse, de sono pronuntiationis aut de modo distinctionis, cum duplicitas earum intercedit.*

DURE. I, 1205 C, *Ne quis durius credat*, i. e. difficilius. II, 797 B, *Quia durius creditur resurrectio carnis.*

DURICORDIA. II, 479 A, *Circumcidetis duricordiam vestram.*

DURITIA. I, 1239 B, *Nunc duritia sæviendi.* II, 282 B, *Nisi claustrorum duritia repugnet, non erit immanior duritia Pharaonis.* II, 302 B, *Duritia populi talia remedia compulerat.* II, 302 A, *Post duritiam populi, duritia legis edomita.* II, 942 A, *Id genus duritiæ commissum deputetur*, de repudio.

E

EBIBERE. II, 723 B, *Adam ante ebibit soporem, quam sitiit quietem.* II, 1011 C, *Si vis omnem notitiam, Apostoli ebibere.* I, 481 A, *Sed et mare Corinthium terræ motus ebibit.*

EBRIAMEN. II, 965 B, *Vinum et ebriamen non bibet*; vox insolens, ficta ad græcum μέθυσμα exprimendum.

ECSTASIS. II, 413 C, *Gratiæ ecstasin, id est amentiam, convenire.* II, 491 A, *In ecstasi, id est amentia.* II, 665 B, *Cecidit enim ecstasis super illum sancti Spiritus, vis operatrix prophetiæ.* II, 659 B, 725 B, *Hanc vim ecstasin dicimus, excessum sensus et amentiæ instar.*

ECTROMA, ἔκτρωμα, abortus, II, 20 A.

EDISCERE. II, 175 A, *Semper ediscebat*, i. e. ἐμελετᾶτο. II, 764 B, *Et judicare humanum genus ediscebat in carnis habitu non natæ adhuc.* II, 724 A, *Dissimulatione præsentiæ futuram absentiam ediscens.*

EDITIO. I, 638 A, *Inter quos etiam privatorum memoriis legatariæ editiones parentant*, i. e. munera et ludi editi ab hæredibus aut legatariis, quibus testator de suis bonis ad edendos ludos aliquid testamento legaverat.

EDUCERE. II, 906 B, *De virginibus educuntur*, i. e. educunt sese virginum censu. I, 402 A, *Nam nec ille se in vulgus eduxit.*

EDULIS, tertiæ declinationis. II, 521 C, *Interdictionem quorumdam edulium.*

EDURUS. II, 878 C, *Cum edurum*, de cadavere.

EFFECTUS. II, 589 B, *Voluntatis enim vis utique effectum præstat cogitationi.* Iren. ἡ θέλησις τοίνυν δύναμις ἐγίνετο τῆς ἐνθολῆς.

EFFIGIATUS. II, 659 B, *Omne enim effigiatum compositum et structile affirmat.*

EFFIGIES. I, 386 A, *Effigies literarum indices custodesque rerum*; non inventionem tantum literarum innuit, quam vetustus ille Cadmus ex Phœnice in Græciam attulit, sed et literarum usum sculptis et effigiatis animalibus sensum animi efferebant. Porphyrius, qui et Malchus, in Vita Pythagoræ, refert, triplex esse literarum genus: epistolicum scilicet, hieroglyphicum et symbolicum. II, 659 A, *Quid nunc, quod et effigiem animæ damus.*

EFFLIGERE. II, 384 B, *Spicas decerptas manibus efflixerant*, i. e. fligendo excusserant eduxerantque.

EFFUMIGARE. I, 621 A, *Tanquam coluber excantatus aut effumigatus*, i. e. in cantatione enervatus, et fugatus certis fumi generibus.

Εἶδος, *græce formam sonat, ab eo per diminutionem εἰδώλιον deductum æque apud nos formulam fecit.* I, 665 A.

ELABORARE. II, 585 A, *De suffragio actus elaboremus*, i. e. assiduo labore comparemus. II, 866 B, *Cui ad illam elaborare mandatur.* II, 988 B, *Ego quoque homicidium nonnunquam mœchia elaboro.* Latin. legit *mœchiæ elaboro.* Hellenismus est, τῇ μοιχείᾳ πονοῦμαι: de hac autem re, *Apolog.* cap. 15.

ELÆON, ἐλαιών, olivetum. II, 459 B, *Ad noctem vero in elæonem secedebat.*

Ἔλαυνε τὴν μητέρα, agitavit matrem. I, 325 A, pro quo I, 581 B, rectius legitur: Ἔλαυνε εἰς τὴν μητέρα; de Macedonibus, qui cachinno spectaculum trucidati OEdipi exceperant, improbam hanc caussam derisus sui assessoribus suis in eodem theatro dederunt.

ELECTIO. II, 51 A, *De sua electione sectati.* Sensus totius loci est: Non dicuntur a Christo habendo Christiani isti, quam rem (nempe, se non Christianos esse) isti admittunt et probant de sua electione, i. e. suo ipsorum judicio sectati hæreticorum nomina.

ELECTRUM, metallum ex auro et argento mixtum, et tertiam quamdam speciem constituens. II, 220 A. Vid. Plin., H. N., lib. XI, cap. 40; lib. XXXIII cap. 4.

ELEMENTITIUS. II, 703 A, *Etiamsi secundum philosophos ex elementitiis substantiis censeretur.*

ELICERE. II, 698 B, *Scimus etiam magos elicere explorandis occultis*, etc. Verbum peculiare sacrificiis et evocationibus manium deorumque. Ita Ovid. Fast. III: *Eliciunt cœlo te, Jupiter*; et Arnob lib. V: *Quibus ad terram modis Jupiter possit sacrificiis elici.*

ELIDERE, spiritum suffocare. I, 411 A, *Si pueros in eloquium oraculi elidunt.* Junius intelligit de sacrificiis puerorum, quæ divinatio βριμομαντεία vel pædomantia dicebatur. Nempe magi pueros in eloquium oraculi dicuntur *elidere*, i. e. ἀποτραχηλίζειν, cum eorum cervices frangunt, in eloquium oraculi, i. e. ut dæmones quasi litato puerulorum sanguine ad eloquendum oraculorum suorum effata adducantur. La Cerda, Heraldus et Rigalt. ad vaticinantis morem, ut corrueret, referunt. Etenim incantati corruebant, velut caduci: posteaque nescientes sui excitabantur in eloquium oraculi, et multa præsagio prædicebant. II, 109 B, *Non propter elidendum periculum proprio nomine persecutionis.* I, 703 A, *Si autem contenditis ad elidendos nos*, i. e. elidendum fidem nostram. II, 797 C, *Dum ante de resurrectione carnis eliduntur, quam de unione divinitatis elidunt.* II, 863 A, *Quod elisum est, suscitans.* I, 651 A, *Primos homines diabolus elisit.* I, 1224 A, *Tentationesque plenitudini et immoderantiæ ventris oppositas abstinentiæ elidi.*

ELIMATOR, purgator, II, 447 A, *Christum esse verum disceptatorem et climatorem humanarum macularum.*

ENNOEA, ἔννοια, cogitatio, II, 551 A.

ENORME, excurrens extra justam scribendi normam. I, 387 A, *Non tam difficile nobis est exponere, quam enorme.*

ENORMITAS. II, 961 A, *Præposuit corruptelæ divitiarum educatis enormitatem.* II, 248 B, *Ipsa enormitate curiositatis.* I, 1323 A, *Quas enormitates subtilium atque textilium capillamentorum*, i.e. enormia capillamenta, subtilia, textiliave, sive galericuli sint, sive substructiones repandæ illorum, nam hoc duplex fuit capillamentorum genus. I, 640 A, *Obelisci enormitas.* II, 983 C, *Disciplinæ enormitate*, i. e. eo quod discedunt a norma disciplinæ.

ENTELECHIA, ἐντελέχεια, II, 703 B, *Et Entelechias Aristotelis.* Vid. Ernest. Clav.

ENUBILARE, lucem claram reddere. I, 459 A, *Elatissimis et clarissimis lucernis vestibula enubilabant.* Havercamp. mavult cum Fuld. *nubilabant.* Fuliginem eo atrociorem attraxerunt postes, quo majores et plures faces vel lucernæ accensæ essent. Respondet enim illi, quod dixit de laureis sertis, *præstruebant.* II, 450 C, *Ut non prius hanc cæcitatem hominis illius enubilasset.* II, 652 A, *Ea erunt Christianis enubilanda.*

ENTHYMESIS. ἐνθύμησις, cogitatio, consideratio. II, 20 A, 536 A, *Et totam Enthymesin, id est animationem cum passione*, etc. Iren.: *deposuisse pristinam intentionem cum ea quæ acciderat passione.*

Ἐπερχόμενα, superventitie. Nam Christus ὁ ἐπερχόμενος. II, 416 B, 422 D.

EPICITHARISMA, II, 589 A, *Velut epicitharisma post fabulam.* Proverbialis formula a re scenica, quam symphonia plurima terminabat, aut synodia demulcendis auribus comparata.

EPISCYNIUM, supercilium. I, 1044 A, *Episcynio dispersо*, i. e. supercilio minus adstricto contractoque, minus severo, quantum ad denotationem et increpationem.

EPISTATES, ἐπιστάτης, præfectus et magister certaminum, quem auctor *præsidem* vocat *certaminis*, *Scorpiace*, cap. 6. I, 624 B, *Itaque epistates vester Christus Jesus.*

EROGARE, exhaurire, consumere. II, 13 A, *Erogando homini deputatam.* Elegans metaphora; ut enim erogatio pecuniam, ita febris cruciatio exhaurit corporis vires. II, 807 A, *Cum denique suppliciis erogatur.* I, 645 A, *Mox edicto dii inferiarum apud tumulos erogabant*, i. e. expendebant in rogum atque consumebant. I, 496 A, *Cum tot innocentes erogamur.*

EROGATOR. II, 1012 C, *Sic melius facere pronuntiat virginis conservatorem, quam erogatorem*, i. e. qui virginem permittet marito.

ERROR. I, 1264 B, *Ultio penes errorem*, i. e. pœnes idolorum cultores. II, 648 B, *Offenditur, prospero errore.*

ERUBESCERE. II, 247 A, *Erubescunt armis suis*, i. e. non pudet eos armorum, qui adeo Veneri dediti sint. I, 611 A, *Ut vel tibi erubescant.* Hellenism. αἰσχύνεσθαί τοι. Sic Cur. lib. V: *erubescere fortunæ.*

ERUCTARE. I, 1372 A, *Et eructet a conscientia in superficiem.* II, 700 A, *Consilio exonerandæ popularitatis in alios fines examina gentis eructant.*

ELIQUARE, elicere, licium nendo educere. II, 1038 B, *Tractu prosequente filum eliquat.* II, 700 A, *Paludes eliquantur.* II, 251 A, *In unum necesse est summitas magnitudinis eliquetur.*

ELLEBORUM. II, 656 A, *Sic Chrysippus ad ellebori.* Chrysippus, Cleanthis discipulus, homo acerrimo ingenio, de quo versiculus, Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος οὐκ ἂν ἦν στόα. Refert. Valer. Maximus, lib. VIII, cap. 7, Carneadem cum Chrysippo disputaturum, elleboro se ante purgare solitum ad exprimendum ingenium suum attentius, et illius refellendum acrius. Idem A. Gell., lib. XVII, cap. 15: « Carneades scripturus adversus stoici Zenonis libros, superiora corporis elleboro candido purgavit. »

ELOGIA, vocabantur vinctorum singulorum nomina, ætas, forma, crimen, quæ judicibus in tabellis exarata offerebantur, quando illi pro cujusque elogio pœnam ejus temperabant. I, 496 B, *Qui sententiis elogia dispungitis.* II, 620 B, *Superstitionis et maledictionis elogio.* II, 342 B, *At quin ista etiam ignominiosa est ex elogio transgressionis et merito damnationis.* II, 272 A, *Totum denique Creatoris elogium in illam rescribetur*, i. e. nomen, titulus transcribetur. II, 941 A, *Non capit elogium adulterii.* II, 986 C, *Si adulterium et si stuprum dixero, unum erit contaminatæ carnis elogium.*

ELUCTARI, exercere, colere. II, 1040 A, *Quas natura ægro potius eluctando commodavit.*

EMANCIPARE, est per mancipationem sive imaginariam venditionem addicere alicui, vel quovis modo alienare et in alterius jura transferre, vel dono etiam dare. II, 291 C, *Quasi libripens emancipati a Deo boni.* Vid. LIBRIPENS. II, 372 C, *Non ita Christo creatoris per prophetas emancipata.*

EMANCIPATIO. II, 114 C, *Apud inferos emancipatio nostra est.*

Ἐμβρυοσφάκτη. II, 692 A, *Est etiam æneum spiculum, quo jugulatio ipsa dirigitur cæco latrocinio: Ἐμβρυοσφάκτην appellant de infanticidii officio, utique viventis infantis peremptorium.*

EMENDATOR. II, 589 A, *Ab emendatoribus Ptolemæi*, i. e. qui de schola Ptolemæi sunt evecti, ut eam emendarent.

EMENDICARE. II, 736 A, *Ita argumentationes emendicant.*

EMERERI. II, 447 A, *Emeruisse medicinam a destructore legis, observatores legis.*

EMICANS. II, 223 B, *Emicantior facta est arida*, i. e. facilius conspici potuit.

EMIGRARE. II, 77 A, *Nec dubito quosdam scripturas emigrare*, intransitive, quemadmodum et Livius, lib. X, dixit *migratu difficile*, pro eo quod est exportatu. *Scripturas* vocat tabulas, codices, instrumenta.

ENARRARE. II, 1031 B, *Solemnia enarravit*, i. e. solemnia effatus est, inaugurandæ coloniæ verba. Recte autem *enarrare*, quoniam utrumque complectitur, et liberationem a sacris prioribus, et posteriorum sacrorum effatum.

ENDROMIS, vestis hirsuta et villi longioris, quæ post cursum vel certamen in usu erat, ne frigus madidos sudore artus penetraret. II, 1012 B, *Ita et endromidis solocem aliqua multitia synthesi extrusit*

ENERGEMA, ἐνέργημα, effectus quod ex vi quapiam et efficacia prodit. II, 43 A, *Cujus energemate circumventus.*

ERUDIRE. II, 890 A, *Eruditur in mansuetudinem saporis*, i. e. eruditate et acerbitate sua evehitur. II, 788 B. *Et ex flore omnis fructus, eruditur in fructum.* II, 706 B, *Etiam præter naturam eruditis bestiis*, i. e. ad sævitiam informatis et impulsis. II, 994 C, *Eruditio mox utroque corpore*, i. e. expolito utroque panno. In veteribus glossis polita dicuntur γεγραμμένα, rudia ἄγραφα.

ERUDITUS, i. q. eruditio. II, 584 A, *Sed eruditu hujus fides augetur.*

ERUERE. II, 105 B, *Sed erue nos a maligno*, investigare. II, 524 B, *Leges malos erui jubent.* I, 276 A, *Qua eruimus tempora ista*, i. e. tempestive depromimus, non intempestivis repetitionibus ut imperiti faciunt, obruimus.

ERUPTIO, cogitati facinoris executio. I, 458 A, *Sub ipsa usque impietatis eruptione.*

ESCATILIS. I, 1259 A, *Post mannæ escatilem pluviam.* II, 247 A, *Qui non ita discesserint, ut escatiles fuerint maledicta mors est.*

ESURIRE. II, 125 A, *Degustata martyria in carcere esuriunt*, i. e. exoptant martyria consummare, quæ tantum degustaverint fustibus vel ungulis, verbera-

tique, quasi extrema tantum cute perstricta. II, 87 A, *Per eos in quibus exurierunt.*

Euripus, est maris pars inter Æolidem Bœotiæ portum, et Eubœam insulam. Livius, lib XXVIII, cap. 6. Euripi etiam dicuntur fossæ atque incilia cum aquis in hortis et prætoriis. Sic Euripi etiam dicebantur fossæ in Circo, quæ impletæ subito aquis per occultos canales ex aquæductibus, totam arenam ad naumachiam inundabant. Vid. Diod. Sicul., lib. LXI; Senec., Epist. 90; Sueton. Cæs., 39; Plin., H. N., lib. VIII, cap. 7; Salmas. ad Solin., f. 658. II, 226 A, *Et statuæ super Euripum.* I, 640 A, *Ea* (mater magna) *itaque illic præsidet Euripo.*

Evehere. II, 1164 A, *Sed evehe nos a malo.*

Eventus. II, 40 B, *Nullus inter multos eventus unus est exitus*, etc. Sens.: Quum tam multi sunt, ad quos res una eademque affertur, si errant, fieri non potest, ut sit eventus unus, i. e. ut tam multi uno errore erreant : exitus varius esse debuerat, prout error est varius et multiplex, et varium ordinem doctrinæ Ecclesiarum efficere.

Eversio. II, 30 A, *Nisi plane ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri.* Hæc explicari videntur istis mox sequentibus : *Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione ;* dixit autem, *ut stomachi quis ineat eversionem*, quemadmodum lib. IV, adv. Marcion. : *Necesse est omnis demutatio veniens ex innovatione diversitatem ineat cum his quorum fit.*

Evigescere. II. 717 A, *Denique derogatis eis* (alimentis) *evigescat anima.*

Evigorari. vigorem perdere, I, 376 B, *Licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata.* II, 1042 A, *Nisi diu mollitus et evigoratas et exeduratas.*

Evolvere. II, 840 A, (*Jonas*) *de alvo piscis evolvitur.*

Evomere, II, 994 A, *Errorem omnem traducta diversitas evomet.* Ostendet male conciliata fuisse colorum temperamenta. Lanas dicit evomere, colores, quales imbibere.

Ex, cum substantivo adverbialiter. I, 456 A, *Religiosi ex fide*, i. e. fideliter. I, 504 A, *Qui eam ex fide præstat.*

Examen, multitudo, I, 332 A, *Totum gentis examen.* I, 482 A, *Judæum ab Ægypto examen.* II, 251 C, *Examen divinitatis*, de XXX Valentini æonibus.

Examinate, II, 35 B, *Sufficit unicuique examinate credenti*, i. e. postquam demum ipse examen habuerit.

Exancillare, perpetuo ac religioso cultu quasi exhaurire. *Ancillare* enim est Festo ministrare. I, 376 A, *Licet falsis diis exancillata.*

Exarmare, II, 971 B, *Ita exarmata sunt jura.* I, 691 A, *Omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit.*

Exasperari. I, 400 B, *Ita exasperabantur.*

Exauctorare. II, 324 A, *Quam et ipse postmodum exauctoravit*, auctoritate destituit, infirmavit. II, 1007 C, *Ut sacramento benedictionis exauctoraretur.* II, 1044 A, *Quæ ita sese exauctorasset.*

Excantare. I, 621 A, *Tanquam coluber excantatus aut effumigatus*, i. e. incantatione enervatus aut fugatus certis fumi generibus.

Excedere, de æterna generatione Filii Dei. I, 399 B, *Et a matrice non recessit, sed excessit.*

Exceptaculum. I, 632 C, *Et aures ad exceptaculum maliloquii.*

Exceptio. II, 855 C, *Sed et hoc exceptio personarum est*, προσωπόληψις. I, 592 A, *Neque devictus exceptionibus.*

Excerebratus. II, 382 B, *Excerebratus ex novo vino.*

Excessus, digressio in oratione. II, 44 A, *Sed ab excessu revertar.* II, 327 A, *Et ab omni post matrimonium excessu.* I, 426 A, *Quorum vitio excessum mortis non ante Cybele cognovit*, i. e. obitum, mortem.

Excetra, dicta est hydra ab excrescentibus capitibus, uno reciso, I, 1258 C, *Talis igitur excetra delictorum.*

Excidere. II, 233 A, *Et hic a lineis tuis excidisti.* II, 400 C, *De magistri regula excidere.* I, 529 B, *Qui malumus damnari, quam a Deo excidere.* II, 960 C, *Quo ipsum sibi hominem excidere solemne est.*

Excitare. II, 396 B, *Et omnem dentem excitatura.* Qui excitatur, loco fere movetur. Itaque eleganter ait, pugno in maxillam incusso dentem omnem excitari. Nec inane est votum illius miseri in rixa pugnati : *Ut liceat pancis cum dentibus inde reverti.*

Excludere. II, 996 B, *Sic et hæretici easdem fabulas quo volunt tribuunt, non quo debent aptissime excludunt.* II, 247 A, *Ubera excludunt.*

Excondere. II, 517 A, *Vere eum et invisibilem excondis præliatorem*, i. e. condis et fingis eum ex illis prophetarum locis.

Excruciare. I, 1297 A, *Aut re excruciata*, i. e. extorta expressaque tormentis per judicem.

Excutere. I, 137 C, *Conditionales minas regis excutiunt*, i. e. depellunt a se.

Excusare. II, 899 A, *Quarum flos etiam humanam libidinem excusat*, h. e. recusat. Excusat libidinem virgo, quæ virginitatis suæ flore gaudet, ita ut nolit decerpi, qualis ille Catulli flos intactus et illibatus : *Ignotus pecori, nullo contusus aratro, qui nondum tenui captus defloruit ungui*, etc. Credibile est, inquit Tertullianus, talibus puellis angelos potius quam maculatis jam corporibus exarsisse. II, 803 B, *Ita et Deo licuit carnis aurum de limi sordibus excusato censu eliquasse.* Excusatus dicitur, extra causam legis, oneris aut criminis positus, qui scilicet docuit, in ea se caussa non esse, ut onere aliquo sive accusatione aliqua premi, sive lege aliqua censeri aut teneri debeat. Carnis itaque census dici videtur excusatus limi sordibus, quasi sordium exsors limosarum. Verumtamen Septimio nostro mentem fuisse aliam credimus ; et aurum et carnem de terra esse ait ; utrumque autem manibus artificis perfectum transire in materiam longe aliam, splendidiorem atque nobiliorem de obsoletiore matrice, ut jam non amplius terra, sed aurum et caro dicantur. Itaque, ut licuit artifici aurum de terra excudere, ac prunæ violentia coctum adeo purgare, ut tandem in perfectissimam proficiat bonitatem, ita etiam licuisse summo omnium artifici Deo, carnis nostræ aurum de limo excudere, ac virium divinarum fornacibus excoctum et eliquatum in nobilissimæ materiæ censum referre pristino illo terræ seu limi censu sordibus excusato. *Census* materiam dixit, qualiscumque censeatur. *Excusatum* vero, excusum, ab eo quod est cudere et excudere, unde *cusare* et *excusare*, quemadmodum ab eo quod est quatere, jacere, premere, dicimus quassare, jactare, pressatum, quod alias quassum, jactum et pressum. II, 884 B, *Nos quoque ut possumus, os cibo excusamus.* I, 1246 A, *Emolumento curationis offensam sui excusant.* II, 1002 B, *Cur ergo cervicem nostram a tanto jugo excusant.*

Exedurari, consumi, tabescere. II, 1042 A, *Nisi diu mollitus et evigoratas et exeduratas.*

Exemplarium, exemplar. I, 252 C, *Exemplarium antiquitatis.* II, 264 B, *Cum justius multo sit, aliquibus exemplariis annuere quam nullis.*

Exemplum, figura, imago. I, 459 A, *Et in aliena solemnitate exemplum atque imaginem spei suæ inaugurarent.* II, 849 A, *Nullum vero exemplum majus est eo cujus exemplum est.* II, 488 A, *Hæc autem exempla nobis sunt facta.* II, 871 C, *Servi igitur exem-*

plo, et conserva speculum ejus carni. II, 476 A, *Non enim exemplum est, sed veritas.* II, 159 A, *Ad exemplum prophetarum.*

EXEMPTUS. II, 1031 D, *Ut senium non fastigium exemptis.* Constructio Tertullianea, *exemptus fastigium*, ut *erepta Pompeios.* Sens.: Vobis senio confectis, non tamen summa inter cæteras Africæ urbes potestate detrusis.

EXEQUIÆ. II, 706 A, *Quod exequias convivium patitur*, i. e. quod convivio infertur non sepulchro, quod cœnæ impenditur non funeri.

EXERCITUS. I, 417 A, *Ut Plato Jovem magnum in cœlo comitatum exercitu describit deorum pariter ac dæmonum.* II, 1013 A, *Adversus exercitum sententiarum instrumenti totius armari.*

EXERTE, diserte, expresse, palam. II, 52 B, *Exerte et palam.* I, 978 A, *Sicuti nos non dubitamus exerte mandare.* I, 1290 A, *Jam non suadet, sed exerte jubet.*

EXERTUS, græc. δῆλος. I, 462 A, *Hostes exerti.* I, 1292 A, *Detractata et exerta sententia est.* II, 1006 C, *Quam exerta acies machæræ spiritalis*, quam quasi plenæ juris, auctoritatis et potestatis habenæ. effunduntur in aperta objurgatione. Apud Virgil.: *Ense inciuso ibat.* Cui contrarium est illud Cicer. I in Catil.: *At nos vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis tanquam gladium in vagina reconditum:* Sic in Appio : *Dentes exerti ad vulnera infligenda acuti et erumpentes.*

EXAURIRE. II, 647 A, *Jam cicutis damnationis exhaustis*, i. e. jam audita damnationis suæ sententia, quasi ab eo temporis momento mortem Socrates bibere cœpisset, cum ab eo quoque judices vitam custodiis ademisse censeantur, ex quo mortis sententiam dixere. II, 522 C, *Sed exhausit semetipsum.* II, 799 C, *Ergo Dei Filius in tantum humilitatis exhaustus.*

EXHIBERE, edere, emittere, II, 246 B, *Et exhibuit frequentiæ.*

EXHIBITIO. I, 668 B, *Quibus exhibitionis nostræ gratia obligati sumus*, i. e. præstationis alimentorum. I, 677 B, *Male nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus, non habeo quo vivam.* II, 87 B, *Per communia ista instrumenta exhibitionis humanæ.* II, 951 B, *Exhibitionis caussa rubentem.* II, 827 B, *Ad usque tempora exhibitionis omnium*, i. e. τελειώσεως.

EXIMERE, dimittere, absolvere. I, 277 A, *Debito pœnæ nocens expungendus est, non eximendus.*

EXITUS, evulgatio in publicum. II, 246 B. Exitium, mors. II, 49 B, *Ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* I, 702 A, *In illo exitu Byzantino*, i. e. exitio et eversione oppidi per milites Severi facta. I, 633 A, *Non in exitum operum constat condidisse quæ damnat.* Exitus hic non exitium sonat, quod putavit Pamelius, sed eventum et consecutionem. Sensus est : Deum non condidisse res, ut indo exirent et consequerentur ex iis mala opera, quæ damnat. Nam per se bonæ erant, nec nisi bonum facturæ, conditionis lege, sed in opera mala per accidens traductæ sunt. II, 152 A, *Sensusne an exitus Apostolorum :* mox explicat, *nihil enim passi fuissent, quod non prius patiendum esse sensissent.*

EXOMOLOGESIS *est qua delictum Domino nostrum confitemur*, I, 1243 B.

EXORBITARE. II, 995 A, *A vero lumine exorbitant ejus comparationis.* I, 298 A, *Elementorum munia exorbitant.* II, 16 C, *Qui ad hæreses non exorbitaverint.*

EXORDIUM. II, 831 A, *Et totam Christianæ spei frugem in exordio sæculi collocent.* Rectius legit Rigaltius, *in exodio sæculi*, h. e. in fine sæculi. *Exodium*, exitus, finis. Glossæ veteres, ἔξοδιον, exsequies. Lucilius, *Principio exitus dignus, exodiumque sequetur.* Juvenal. Sat. III, *Tandemque redit ad pulpita notum exodium.* Vetus interpres, *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, et quidquid lacrymarum atque tristitiæ coegissent ex tragicis affectibus, hujus speculi risus detergebat.* Argute igitur Septimius finem sæculi nuncupavit exodium, tunc enim aderit tempus, quo fidelibus christianis omnium laborum et erumnarum tristitia vertetur in gaudium, quale Septimius describit sub finem libri *de Spectaculis.* II, 1306, *Et illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.*

EXORNARE. I, 1326 A, *Velut exornatam*, i. e. ornamentis destitutam et exutam, ut exonerare, exarmare, etc.

EXPANDERE. II, 274 A, *Ad alienum cælum, alii deo expanditur*, i. e. qui brachia orans ad cœlum extendit.

EXPAVESCERE. I, 472 A, *Ad unam lucem expaverunt veritatis*, i. e. quasi ex carcere tenebrarum, mortis et peccati ad lucem veritatis pertracti affliguntur et toti tremunt.

EXPEDIRE. I, 670 A, *Eodem crimine expediunt*, i. e. conficiunt, adornant. II, 683 B, *Opinitas sapientiam impedit, exilitas expedit.*

EXPEDITIO. II, 356 A, *Denique expunctum est orientali expeditione*, quum expeditio in Parthos institueretur denuo, qui Mesopotamiam occupaverant, ut ex Dione Xiphilinus narrat. Nam eo tempore, cedentibus repente Parthis, Severus Orientem lustravit et Ægyptum, et Judæos ita graviter est persecutus, ut, Spartiano teste, Judæos fieri sub gravi pœna vetuerit. I, 1282 B, *In illa die expeditionis* qua Deus corpora e vinculis mortis, et suos omnes omnino ex malis omnibus expediturus est. II, 650 B, *Quod implicationes expeditionum*, i. e. solutionum, quibus quæstiones expediri possunt.

EXPEDITUS. I, 564 A, *Ægypto expeditos*, de profectione Judæorum ex Ægypto, qui expediverant sese injuriis et oneribus et intolerabilibus.

EXPETERE. II, 1030 C, *Sed nec cingulo sinus dividere expeditum;* sens.: Olim non expetebant nec curabant Carthaginienses sinus vestis dividere. Alii, forte melius, *expeditæ : sed nec cingulo sinus dividente expeditæ;* sens.: Expeditæ, non impedimento fuere istæ tunicæ, ac ne cingulo quidem adstringente et dividente sinus vel strias et strigas dispescente ipsarum opus habuisse, ut expeditiores essent.

EXPIATUS, expiatio. II, 563 A, *Conjunctæ passionis expiatum.*

EXPINGERE. I, 1317 A, *Quæ non velit idcirco se expingere*, i. e. exornare quasi pigmenti.

EXPONERE. II, 556 B, *Et totam enthymesin exposuit*, i. e. deposuit, abjecit a se. Ibid., *Quibus forma mutaretur exponendi*, i. e. fœtum suum abjiciendi.

EXPOSITIO, depositio. II, 1046 B, *Nullius profecto alterius indumenti expositio quam togæ gratulatur.*

EXPOSTULARE. II, 551 A, *Sed ut sit expostulo*, i. e. hoc etiam adversus eos contendo, Deum ante omnia fuisse ; quod tamen ipsi negant, qui coætaneum Deo comitem tribuunt Ennœam sive Sigen.

EXPRIMERE. I, 457 A, *Qui faucibus ejus exprimendis*, Antonino Commodo strangulando.

EXPUMICARE, expurgare quasi pumice et expolire. II, 570 A, *Et ab omnibus injuriis passionis expumicat.*

EXPUNCTIO, complementum. II, 24 B, *Ubi expunctio inveniendi.* II, 686 A, *Officii et operæ meæ expunctio*, i. e. persolutio et præstatio. I, 615 A, *Post vitæ expunctionem.*

EXPUNCTOR. I, 1151 A, *Superducto Evangelio, expunctore totius retro vetustatis*, i. e. consummatore.

EXPUNGERE, delere. I, 276 A, D, 277 B, *not.* (a). *Debito pœnæ nocens expungendus est, non eximendus.* Nam in peragenda cognitione exactor pœnarum de tabella damnati cujusque nomen cum elogio seu caussa citatum simul sumpto supplicio expungebat. Conf. DISPUNGERE. I, 363 A, *Thure flagrante libidinem expungi*, i. e. perficere, consummare. I, 391 A, *Dum expungitur*, i. e. dum habetur completum, de vaticiniis. I, 400 A, *Adventus Christi expunctus.* I,

453 A, *Qui vota probi expungimus*, i. e. implemus, perfungimur. I, 527 A, *Ad expungendum*, i. e. ad perficiendum, perfecte præstandum. II, 605 A, *Et legis veteris abolitio expuncta suis temporibus demonstratur.* Expuncta nempe fuit lex vetus, nova superveniente. II, 524 B, *Et si qua in hoc opus dilata erant, expunxerimus*, i. e. absolverimus, effecta reddiderimus. II, 813 A, *Judicum resurrectio expunget.* I, 627 A, *Imo et omni contumelia expuncti*, i. e. nihil contumeliæ omissum, quod illi non sint perpessi. I, 663 B, *In idololatriæ tamen crimine expungitur*, i. e. perficitur, consummatur. II, 76 A, *Liberalitas præstantissimorum imperatorum expungebatur in castris.* Donativum significat. Singuli milites ex catalogo seu tabella citati adibant, et singulorum nomina, prout quisque accipiebat, expungebantur. Itaque absoluto cunctis donativo, omniumque nominibus expunctis, tota illa tabella, qua nomina continebantur eorum quibus donativum distribui convenerat, expuncta apparebat: ac per hoc liberalitas imperatoris absoluta quoque et expuncta. *Præstantissimorum imperatorum*, nempe L. Septimii Severi patris, et M. Aurelii Antonini Caracallæ filii, sub quibus Tertullianum floruisse D. Hieronymus auctor est in illustribus Ecclesiæ viris.

Exsecutio. II, 604 B, *Et hostis exsecutionem*, i. e. persecutionem.

Exsufflare. I, 677 B, *Fumantes aras despuet et exsufflabit*, i. e. profitens se Christianum fumi idololatrici aversatione.

Exstructio, est, I, 1294 A, capilli strues, suggestus; quo Juvenal. Satyr. VI, *Altum ædificat caput.*

Extare, I, 1331 B, *Et extamus inter demersos*, i. e. eminemus. Sunt autem demersi, in profundo siti, qui celsis atque eminentibus opponuntur.

Extendere, de canibus, cum in pedes se conjicientes spe prædæ internodia corporis laxant, et spiras extendunt. I, 313 A, *Quæ illos ad eversionem luminum extendant.* I, 1279 B, *Extendamur in priora.* I, 1319 B, *Illæ sibi formositatem et datam extendunt*, C *et non datam conquirunt.* I, 676 B, *Diligentiam extendunt observationis.*

Exterminium. II, 612 A, *Exterminii civitatis Hierusalem, id est vastationis ejus.*

Extimare. II, 82 B, *Contactum in manibus extimavit*, i. e. contactum extremum sive extimum sensum in manibus collocavit, et quidem extimis, nam extrema digitorum tactuum differentias maxime percipiunt ac sentiunt.

Extra. I, 512 A, *Christianus etiam extra fidelis vocatur*, i. e. erga exteros et ab extraneis, a Gentibus.

Extranaturale. II, 721 B, *Non utique extranaturale est somnus.*

Extraneus. I, 446 B, *Liceat extranei a turbis in aliquo loco casus inveniuntur*, i. e. licet nullis turbidis rebus nos immisceamus, tamen cum concutitur imperium, nos quoque concutimur, et aliquis casus nos ferire potest, itaque patimur vobiscum. Construitur sæpe cum genitivo. I, 1317 B, *Cujus te profiteris* D *extraneam.* I, 1250 A, *Nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus patientiæ possit.* II, 727 A, *Quis autem tam extraneus humanitatis.*

Extremus. II, 708 A, *Quia nihil plenius, quam quod extremius.* I, 387 A, *Extremissimi tamen eorum.*

Exul. I, 1247 A, *Sed exules a libertatis et lætitiæ felicitate.*

Ezechiel. II, 790 C, *Legimus quidem apud Ezechielem de vacca illa quæ peperit et non peperit.* Cum in Ezechiele propheta nusquam mentio fiat illarum vocum quæ hic laudantur ab auctore, merito dubitant interpretes, quæ sit hujus loci explicatio. Pamelius et alii putant id esse quod habetur Job II, *Vacca peperit et non est privata fœtu suo.* Junius hoc ex scripto aliquo apocrypho depromptum esse suspicatur. Nisi quis forte de Ezechielo poeta acceperit tragœdo, qui a Clemente Alexandrino, *Strom.* II, et ab Eusebio sæpe libris *de Præparat. Evang.* adducitur.

F

Fabale. II, 702 A, *Pythagoras vero ne per fabalia quidem transeundum discipulis suis tradidit.* Etiam cum discrimine vitæ observatum præceptum illud Pythagoræ. Κυάμων μὴ θιγγάνειν scribit Jamblichus cap. 31, ubi narrat quosdam Pythagoræ discipulos fugientes milites Dionysii tyranni incidisse casu in fabalia, qui, decreti memores et illud violare nolentes, substitere, minime ausi transire per fabalia, sed maluerunt trucidari et obrui.

Fabricare. I, 1261 C, *Quomodo amicos de mammona fabricabimus nobis.*

Facere, vadere, proficisci. II, 1038 B, *Quo ad illum ex Libya Hammon facit.* Hyginus Hammonem refert ex Africa venisse ad Liberum: Liber autem B apud Ægyptios Osiris. Alii legunt *vasit.* Prodesse, II, 1045 B, *Est habitus iste quod faciat.* Sensus totius loci est: Nulla signa pallium exhibeat hominis ad meliora transgressi: habet tamen hic habitus, in quo utilitatem suam possit ostendere. II, 227 A, *Quia et filios facimus, licet generemus.* II, 399 B, *Qui nobis filios facere non permisit*, græc. ποιεῖσθαι. II, 618 B, *Ante militare, quam virum facere;* eamdem sententiam Tertull., lib. III, *adv. Marcion.*, cap. 13, sic edidit: *Nusquam hoc natura concedit, ante militare quam virere.* II, 143 A, *Qui solum corpus occidunt, animæ autem nihil faciunt.* II, 792 B, *Ut autem clausulam de præfatione communi faciat*, i. e. præstet usum præfationis communis, faciat quod præfatio communis solet.

Facilis. II, 538 B, *Ad fabulas facile est*, i. e. libenter recipit. II, 647 B, *Sane Socrates facilius diverso spiritu agebatur*, i. e. potius et certius. « Veteres enim, ait Donatus, *facile* dicebant pro *certo.* »

Facilitas. II, 52 C, *Excogitandis instruendisque erroribus facilitatem*, activa significatione accipiendum pro habitu facili et molli brachio efficiente, quod instituitur.

Facinus. II, 692 A, *Quo totum facinus attrahitur*, præferenda illa altera lectio, *quo totum pecus.* Vid. Pecus.

Factio. II, 468 A, *Edam jam nunc ego ipse negotia christianæ factionis.* I, 478 A, *Quo de factionibus querela est.* II, 152 A, *Valentinianæ factionis.*

Factitamentum. II, 680 A, *De factitamentis intellectus visuntur.*

Factitatio. II, 226 B, *An et hæc in hominis factitatione censetur*, i. e. creatione seu conditione.

Factitator. II, 177 B, *Ad idolorum factitatores.*

Factitius. I, 651 A, *Sed nec cura factitii corporis, ut plasticam Dei supergressa.*

Factura. II, 652 B, *Capit itaque et facturam dici generari pro inesse poni.* Capit, h. e. licet, fas est. D Facturam de anima dicit, quod alias diceret creationem. Vid. Inesse.

Facula, diminutiv. a fax. I, 461 A, *Pauculis faculis.* II, 1027 C, *Quomodo oleum faculæ tuæ sufficere et tibi et mihi poterit.* II, 135 A, *Qui faculis oleum non præparassent.*

Fama. II, 1030 C, *In fama de subtemine studio.* Junius mavult: *infamatæ*, i. e. aut infames factæ, aut jactatæ fama, divulgatæ, ut Liv.: *infamandæ rei caussa januam observari jubet.*

Familia. II, 554 A, *Familiæ Phosphori φῶ acclamant*, i. e. sectatores rhetoris, συνήθεις, οἰκεῖοι ἑταῖροι. II, 1252 A, *Nomen cum familia ipsius persequentes.* Rhenan. ex MSS.: *Nomen, familiam ipsius persequentes.* Nomen autem dicit christianum et familiam ipsius, scilicet Christi, hoc est christianos.

Famositas. I, 654 B, *Ademptis bonis dignitatum in quemdam scopulum famositatis.*

Famulare est græc. δουλοῦν, in servitutem redigere. I, 400 B, *Elementa ipsa famularet.* I, 476 A, *Ad gloriam famulandæ libertatis.* II, 224 A, *Ut ex illa animalia usui meo famulentur.* II, 862 A, *Famulati autem Deo.* II, 868 A. *Quod famulatum est liberans.*

Famulatorius. II, 705 B, *Subigendæ quæ in famulatoriis*, i. e. iis animalium generibus, quæ ad famulatum comparantur.

Famulus. II, 707 B, *Omnia famula sunt hominis.*

Farsus, pro fartus vel farctus. II, 971 A, *Aliquamdiu farsum omnibus balneis.* Sic, II, 1012 A, *Hiatus criminibus infarsus.*

Farsura. II, 781 B, *Reliqua farsura*, vox tertullianea pro fartura vel farctura.

Fascinare. II, 755 A, *Tacent et anus illa, ne fascinet puerum*, i. e. ne fata accinat puero, et bene vertat incantationibus.

Fastidibilis. II, 707 B, *Fastidibilia de gratiis, quæ nec pessimi metuant.*

Fasti. II, 364 D, *Circumcisionem vindicantium et Judaicos fastos;* ita legit Rigaltius; in exemplari Pithœano legitur *fastus.*

Fastidiosus, qui amores spernit. I, 359 A, *Et Cybele suspirat pastorem fastidiosum.*

Fastidire. I, 1265 A, *Si fastiditi ante in fastidio ultionis non erimus.* Optime restituit Rigaltius: *Si fastidientem fastidio ultionis nocuerimus.* Fastidimur ab adversario qui nos odio habet: quem si vicissim odio habemus et fastidio, jam fastidientem refastidimus, et malum pro malo rependimus, et præceptum Domini non observamus. Nocere fastidientem dixit h. l. Septimius, ut *noscere nascentem* lib. *de Exhort. castit.*

Fastidium. II, 289 A, *Solutis a Deo et ex fastidio liberis*, i. e. quæ animalia libera sunt et soluta lege, quia non æque amavit, sed abjecit et fastidivit Deus.

Fastigium. II, 803 A, *Artificis fastigium recogitari oporteret*, i. e. majestatem, dignitatem, amplitudinem. I, 420 A, *Sed quam vanum est fastigium Romani nominis religiositatis meritis deputare.* II, 920 A, *Ut sibi Apostoli fastigium redderet.*

Fatigabilis. II, 703 C, *Ascensu etiam scalarum fatigabilis.*

Fatum. II, 714 A, *Quum et fato jam inscribitur*, i. e. accensetur et revera est in eorum numero, quibus inest arcana illa vis societatis corporis cum anima continendæ. Hoc enim est quod fatum et fatalia vitæ tempora vocaverunt, inquit Macrobius, lib. I, in *Somnium Scipionis*, cap. 13. II, 718 A, *Dum ultima die fata scribunda advocantur.* II, 685 C, *Et providentiæ fatum et necessitas.* I, 428 A, *Fato stat Jupiter ipse.*

Feralis. I, 1309 A, *In maledictorum metallorum feralibus officinis.* Nam metallorum operibus addicebantur damnati, inque his sæpe Christiani. De quibus Cyprian. lib. III, epist. 25.

Feria. II, 956 A, *Quartæ feriæ et sextæ*, i. e. die Mercurii et Veneris.

Feretrum. I, 1270 C, *Quale in illo viro feretrum Deus diabolo extruxit*, i. e. quale tropæum Deus de diabolo erexit. Est enim h. l. feretrum non νεκροφόρειον, quo mortuus effertur, ut Rigalt. vult, sed instrumentum triumphi, quo circumferebantur arma devictorum in pompa. Ita pergit: *quale vexillum*, etc.

Ferae. I, 647 A, *Reliquas ipsarum rerum qualitates contra Dei omnes feramus.* Feramus, inquit, res spectaculorum contra res Dei. Res Dei pro divina seu christiana disciplina. Contra *ferre* est contraponere, opponere, componere, committere, conferre.

Ferrum. I, 1328 A, *Ut exitilis ad ferrum nati corporis cicatricibus.* Natum ad ferrum corpus dicit, quod simul ut natum est, ferro vulneratur, ima auricilla infantium pertusa.

Fibula. II, 221 B, *Nam et autem ipsum velut fibula conjunctivæ particulæ ad connexum narrationi appositum est*, i. e. conjunctio, sive conjunctiva particula sermonem confibulans et adstringens. Hypallage. II, 850 C, *Vocabulum homo consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est.* II, 93 B, *Aut etiam voluntariis delictis fibulam laxet:* proverbial. locut., pro eo quod est, januam aut fenestram aperiat. II, 1011 D, *Hujus boni fibulam quis illum nesciat invitum relaxasse?*

Fictrix. II, 815 A, 1044 B, *Et tamen calicem, non dico venenarium*, etc., *sed fictrices, vel archigalli.* Le Prieur legendum esse putat *frictricis*, sicque locutus esset Tertullianus de poculis, quæ frictrices illæ propudiosæ mulieres seu eunuchi cum osculo soriebant. Sed melius Rigaltius e cod. Pith.: *fictricis*, φαρμακίδος, sagæ, simulacra cerea fingentis. In Ursini libro legitur *fascinatoris. Fictricis* non *fictrices* legendum esse monent sequentia.

Fidelis. II, 908 C, *A quocumque institutore sunt sive spiritali, sive tantum fideli.* II, 920 A, *Sed non omnes fidelcs Apostoli.* II, 56 A, *Quis catechumenus, quis fidelis, incertum est.*

Fideliter. II, 928 A, *Satis consulte, et imprimis fideliter*, i. e. ut Christianum decet.

Fidentia, in bonam partem. I, 416 A, *Ipsi spei nostræ fidentiam ædificant:* eodem sensu et Cicero usus est hac voce.

Fides. II, 1040 B, *Det consuetudo fidem tempori, natura Deo.* Salmasius et alii legunt *debet.* Fidem dare est sequi, obtemperare, inservire. II, 206 A, *Bona fide*, i. e. ut serio simpliciterque dicam. II, 543 A, *Si bona fide quæras.* II, 686 B, *Doleo bona fide.* II, 138 B, *Pro qua fidem diceret passio ipsorum*, etc., i. e. probationem fidelem ac testimonium. II, 281 A, *Jam nec ipsum fidei ejus sacramentum*, i. e. baptisma. I, 677 B, *Si post fidem obsignatam dicemus*, i. e. post baptismum. II, 986 C, *Habet et fides quorumdam nominum familiaritatem.* Fidem hic dicit, quam alias sectam, philosophiam, disciplinam, religionem, scilicet christianam.

Fiduciatus. I, 694 A, *Pecuniam de ethnicis mutuantes sub pignoribus fiduciati*, i. e. ὑποθέμενοι, et fiduciare, ὑποτίθεσθαι in glossario vetere.

Figere. II, 1043 B, *Et acie figere*, est acute, intentis et quasi defixis in rem oculis intueri, ἀτενὲς ὁρᾶν. Ut qui vestibus a natura moderatione alienis hominesque transversos de recto statu agentibus induti, palam conspiciendos se aut potius deridendos præbent, omnium oculos in se convertere velle videantur. Ut tamen hujusmodi inspectio sive spectatio, quam captant, cum probro contumeliaque eorumdem gestantium sit conjuncta, ut non laudi, sed vitio vertat. Huic subjungitur: *Digito destinare, nutu* tradere. II, 815 B, *Estne ergo et in vascula et in instrumenta sententiam figere*, i. e. intrepide et constanter asserere.

Figulare, II, 578 A, *Figulat ita hominem demiurgus.* II, 920 B, D, n. (14). *Cum hominem figulasset.*

Figulatio. II, 690 C, *Nec cum carnis figulatione compingi et produci*, II, 801 B, *Totam hominis figulationem Deo nostro cedunt.*

Figura. II, 146 B, *Cui potius figuram vocis suæ declarasset*, i. e. sermonis sui mysteria, sacramenta, cum scilicet recedunt a literis suis sensus. II, 339 C, 620 B, *Babylon Romanæ urbis figura est.* II, 460 C (*Vid. not.* [c], 459 D), *Hoc est corpus meum, dicendo: Id est figura corporis mei.* II, 461 B, *Ut autem et sanguinis veterem figuram in vino recognoscas.* I, 1205 C, *Figura ista medicinæ corporalis spiritalem medicinam canebat.* II, 89 A, *Atquin si figuræ nostræ fuerunt*, nempe templum, arca, tabernaculum, etc. II, 489 A, *Christum enim in floris figura ostendit oriturum.*

Figurare. II, 44 A, *Proprie enim doctrinarum distinctionem figurat*, i. e. per figuram docet. II, 811 A, *Si parum universitas resurrectionem figurat.* II, 462 A, *Qui tunc vinum in sanguinem figuravit.*

Fimbria, est mitra compescens fines crinium. II, 913 A.

FILIUS *omnium*, i. e. ex communi incerto natus, I, 512 A.

FINIRE. II, 143 B, *Si bestiis finiendus*, i. e. si cui ad bestias damnato mors obeunda, vita finienda. II, 966 B, *Quo magis sexta diei finiri officio huic possit*, i. e. præfiniri, determinari.

FINIS. II, 207 B, C, *Puniturus, quibus contra malum finis*, i. e. puniturus eos, qui malum sibi pro fine proposuerint, contra imperavit. II, 271 C, *Finis invenietur malignitatis*, i. e. suprema malignitas.

FLABELLARE, II, 1043 A, *Verum cum in affectionem flabellatur, jam de incendio gloriæ ardor est.*

FLABRUM, ventus tranquillior ac levior. II, 1033 A, *Dum et flabris æque nutantibus.*

FLAGRUM. I, 301 A, *Vel adhuc flagra rumpentium*, i. e. qui vix manumissi sunt, in quorum tergis vestigia recentia exstant disruptorum in cædendo flagellorum.

FLAMMEUM. II, 588 A, *Pro fuce et flammeo.* Flammeum erat velum quo nuptæ operiebantur, ita dictum quod eo assidue Flamminica uteretur, cui divortium facere non licebat. De flammeo agit Sueton. in *Nerone*, cap 38; Martial., lib. II et lib. XII; Juvenal., *Satyr.* VI.

FLAMMEUS. I, 1322 A, *Male ac pessime sibi auspicantur flammeo capite*, i. e. quasi flammam ignis æterni et gehennæ infernalis præsignificantes et ominantes sibi. Sic Cyprian.; et Hieronym. ad Lætam: *Ne capillum irrufes et ei aliquid in gehennæ ignibus auspiceris.*

FLATURALIS. II, 663 A, *Quia flaturalibus artubus structa non sint*, i. e. partibus organicis flatus.

FLERE. II, 708 B, *In interitum frustra flevit*, i. e. frustra pœnituit.

FLORERE, de purpura: II, 1036 B, *Imo omni conchylio pressior, qua colla florent*; de sole et luna: I, 334 A, *Lumina floruisse*, i. e. splendore excelluisse. Conf. Lucret. lib. IV, vers. 451. II, 562 A, *Quod optimum atque pulcherrimum unusquisque florebat.* Iren. Ὅπερ εἶχεν ἐν ἑαυτῷ κάλλιστον καὶ ἀνθηρώτατον συνειγμασμένους.

FLUERE. II, 1042 B, *De masculo fluxisset.* Pugilem significat in muliebris patientiæ mollitiem solutum, unguento delibutum, vestitu affluentem.

FLUSTRUM. Festus: « Flustra dicuntur, cum in mari fluctus non moventur. » II, 1033 A, *De flustris temperatum.*

FLUXILIS. II, 578 A, *Si enim fusile et fluxile liquoris est qualitas.*

FŒNERARE. I, 1260 A, *Dentem pro dente repetebant, et malum malo fœnerabant.* II, 700 A, *Et alibi amplius gentilitatem fœneraverunt.*

FŒTURARE. II, 578 B, *Atque ita fœturatum*, i. e. gestatum in utero, κυοφορηθέν.

FOLLICULUM. II, 786 B, *Per illum nervum umbilicarem quasi folliculi sui traducem. Folliculum* vocat, quem Hippocrates ὑμένα, τὴν περιέχοντα τὸν γόνην. His autem verbis χορών describi ait Galenus. Involucrum fœtus, Hesych. κάλυμμα τὸ συγγενόμενον ἐκ τῆς κοιλίας. Latini dixere secundas. In iis autem sunt venæ, quibus tanquam radicibus traducitur sanguis ad fœtus umbilicum; ideoque Septimius nervum, quem appellat *umbilicarem, folliculi traducem* esse ait. *Folliculam* dici vulvam notat Servius, III *Georg.* « Genitali arvo, inquit, pro muliebri folliculo, quem scilicet vulvam vocant, ut etiam Plinius docet, nam folliculus ante dicebatur. »

FOLLICARE. II, 1037 B, *Follicans*, i. e. in modum follis inflatus.

FOLLIS. I, 532 A, *Tunde Anaxarchi follem.* Ita corpusculum suum appellat. Cum enim instar ptisanæ tunderetur, pariter nihil aliud sibi contingere profitetur, quam quod hordeo contingat, scilicet ut divina illa interior particula, vigor mentis, illæsa maneret, solusque caducus folliculus rumperetur, dissiparetur.

FORCEPS, est ferreum aut ligneum potius instrumentum, ad modum forcipum, quas vulgo *tenalias* vocamus. His forcipibus umbo togæ committebatur, ut structuram rugarum constringerent, et in loco suo servarent. II, 1046 A, *Totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus assiguet.*

FORIS. I, 458 A, *Alii foris, alii intus*, i. e. quibus aliud in ore, aliud in pectore. II, 22 A, *Et foris semper*, i. e. extra Ecclesiam et alienum a Deo commune nationum fuit.

FORMA. II, 1033 B, *Sed et enatando rursus in forma, mutavit rursus orbis*, etc. Legendum *informa*, una voce, pro informi, sic elinguus pro elinguis; alii *infima*. Totum hunc locum alii legunt: *enatando rursus infima mutavit, rursus orbis alius, idem mutat*, etc. I, 309 A, *Ex forma omnium mysteriorum.* i. e. ex lege. II, 45 B, *Ad utramque formam*, unam successionis episcoporum, alteram successionis in consanguinitatem doctrinæ. II, 654 B, *Quæ non corporalium forma*, i. e. rerum corporalium lege, natura. I, 681 A, *Da formam, qua velis agi tecum*, i. e. elige, qua tecum agi velis formula. II, 475 B, *Ejus Dei fidem esse, cujus est forma gratiæ fidei.*

FORMARE, subornare. I, 436 A, *Formati estis ab iisdem utique spiritibus*; supra dixit *modulati et subordinati.*

FORS, forsan, fortasse. II, 703 B, *Invenirem fors his quoque speciebus animalia.*

FORUM. I, 461 B, *Tunquam in foro torcularis.* Proprie Latinis dicitur forus vel forum, a ferendo, vas vinarium, in quo lectius defertur uva, unde in dolium inane veniat, ut Varro loquitur, lib. I *de Re rustica*, cap. 34; inde fora, vasa prægrandia, in quæ infertur uva et de quibus vinum defundi in dolia solet. Columella, lib. XI, cap. 2, et lib. XIII, cap. 18. Recentioribus vero forum est ληνός, torcularis lacus.

FOVELA, fomentum, recreatio. II, 657 A, *Incorporalitas est immunis a pœna et a fovela.*

FOVERE. II, 817 A, *Num et nunc animas torqueri, foverique penes inferos.* Alludit ad petitionem divitis avari, cum petiit guttam aquæ a Lazaro, qui in sinu Abrahæ foveantur: unde ortum paradoxum aliud Tertulliani, qui putavit, animas sanctorum in sinu Abrahæ seu paradiso, sive sub altari foveri, et gaudere ad diem usque judicii; de quo, lib. *de Anima*, capp. 7, 9, 55, 56 et 58.

FRATERNITAS. II, 908 B, *Quia facile virgines fraternitas suscipit.* Locus obscurus; referri tamen posse videtur ad eleemosynam, qua fratres christiani libenter accipiebant virgines.

FRAUDARE. II, 1034 B, *Unicis castris fraudatis*, de Cambysæ exercitu in Libycis Syrtibus, immensis arenarum cumulis cooperto atque obruto. I, 494 A, *Qua alieno fraudando abstinemus.*

FREQUENTIA. II, 246 B, *Exhibuit frequentiæ*, i. e. emisit in vulgus. I, 390 A, *Frequentiæ pleraque montium*, intelligit feras bestias, frequentes in montibus, illorumque incolas, ut leones, ursos, etc.

FRICTRICES, fœminæ lascivæ, nefandæ: græc. τριβάδες, ἀπὸ τοῦ τρίβεσθαι ἀναλλήλαις ὀλισθ. II, 1044 B.

FRIGERE. I, 465 A, *Nobis ab omni gloriæ et dignitatis ardore frigentibus*, oppos. *calere*, II, 247 A.

FRIGIDUS, de deorum simulacris, in hoc etiam nihil a mortuis distantes, a quibus calor vitalis abest, I, 343 A.

FRONS. II, 947 B, *Oportebat igitur omnem communis disciplinæ formam sua fronte proponi.* Frontem Ecclesiæ sine dubio vocat episcopos, presbyteros, diaconos. Oportebat, inquit, in fronte Ecclesiæ christianæ proponi ac pendere formam, h. e. tabulas totius disciplinæ ecclesiasticæ, ut sic præcederet edictum, quod universi sequerentur. Sed Rhenan. proverbialiter accipit, ut sit *sua fronte proponi*, libere et aperte proponi, non coacte.

FRUCTIFICATIO. II, 458 C, *Si enim fructificationes arbuscularum signum æstivi temporis præstant.*

FRUCTUS, fruitio. II, 457 C, *De eodem adventu filii hominis, et fructu ejus.*

Frustra. II, 1034 A, *Frustra ager*, i. e. fallit, A frustratur sperantes fructum.

Frustrari, deludere, declinare, aut declinare et trucidare. I, 372 A, *Frustrandis bestiis mercenarius noxius*, quia audacis illius artis maxima pars erat, impetum bestiarum eludere. Vid. Noxius. II, 381 B, *Johannis ordinem frustra frustratus est*. II, 556 A, *Ut vero impossibilia contendens sophia frustrarat*, i. e. decepta erat. Jun. conjicit, *frustra erat*.

Frustratorius. II, 731 B, *Quanto magis vana et frustratoria*.

Fruticare. II, 552 B, *Quod in patris gloriam fruticasset*, i. e. fruticis in modum prolatus esset. II, 825 A, B, *Ita etsi in agnitionem sacramenti fruticat*.

Fugari. II, 1045 A, *In Bellonæ mentes fugantur*, i. e. in Bellonæ templo furore corripiuntur, inde Bellonarii.

Fugere. II, 112 C, *Qui fugiebat, rursus prœliabatur*. Rhenanus vult græcum versum in textu fuisse positum, ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχόμενος. *Demosthenes* olim fugiens ex prœlio illo Chersonensi, in B quo succubuerant Athenienses adversus Philippum Macedonum regem pugnantes, fœdam eam fugam ob clypeum abjectum exprobrantibus hoc versiculo solitus est respondere.

Fuligo. II, 1041 B, *Oculos fuligine collinunt*, i. e. stibio, nigro illo pulvere. Vid. Pulvis.

Fumus. II, 981 A, *Nova emergit, jam non est seminis limo, non ex concupiscentiæ fumo, sed ex aqua et spiritu mundo*. Wower ex conjectura, *fimo* : quo, dum sono verborum studet, antitheton, familiarissimum Tertulliano genus, corrumpit. Ut enim *seminis limo*, hoc est, liquori terræ sordibus mixto *aqua pura*, ita *concupiscentiæ fumo*, spiritui turbido crassoque *spiritus mundus* obducitur. Quod etsi finxerit ille respectu spiritus mundi, non tamen antiquorum abest sapientum scitis, concupiscentiæ fœdæque libidinis cum fumo, qui mentes hominum involvat et occæcet tenebris : comparatio.

Funambulus. II, 1000 B, *Age tu, funambule pudicitiæ et castitatis*. C

Fundere. II, 1041 A, *Stolam fundere*, i. e. stola fusiore uti. Stola autem erat indumentum muliebre, quo fere uti sine opprobrio non potuerant,

Funerare. II, 737 B, *Propterea nec ignibus funerandum aiunt*.

Funestare. II, 810 A, *Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur*.

Fungi. II, 1032 B, *Fungitur*, subaudi : munere illo habitum vertendi. Pamel. interpretatur *paulatim interit*, alii legunt *stringitur*. II, 426 A, *Sic nec aliorsum pulsabo, quam unde sum functus*, i. e. ubi et apud quem pulsem, nisi apud eum ipsum qui me vocat, et hac functione sui vocandi instruit. Metalepsis obscurior. II, 87, B, *Non alias... hominem functo, τὸν ἄνθρωπον τετελευτήκοτι*, id est, τὸ ἀνθρώπινον. Hellenism.

Fungus. I, 655 B, *Et aurium fungos*. Fungi tubera appellantur ex ictibus enascentia et sanguinis collectione, translata a morbis arborum appellatione, D de quibus Plin., H. N., lib XVII, cap. 24.

Funis. II, 355 B, *De titulo quoque funis ducendus est contentionis*. Funem ducere, proverbialis locutio, pro altercari cum aliquo. Tractum a ludo puerorum, qui sparteam restim ductitabant, et tamdiu trahebant, donec aut rumperent, aut alteruter, omissa funis prehensione, in nates caderet. II, 597 A, *Alternis vicibus contentioso fune*. II, 984 C, *Sed non decet ultra de auctoritate Scripturarum ejusmodi funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere*. II, 843 B, *Nolo nunc contentioso fune deducere*.

Furiæ, Bacchantium furores. I, 306 A, *Licet Baccho jam Italico furias vestras immolaritis*. II, 987 A, *Reliquas autem libidinum furias impias*.

Furtivus. II, 750 C, *Quotiens item corpore afflicto furtivum sibi animæ gaudium exquirit*.

Furunculus. II, 315 A, *Lupus aut furunculus non latet*.

G

Galaticari. II, 973 A, *Horum igitur tempora observantes et dies et menses et annos, galaticamur plane*, i. e. Galatas imitamur, insanimus ut Galatæ, judaizamus ut Galatæ. Sic ab ingenio Cilicum fraudulento verbum ἁγαλιάζειν formavit Pherecrates comicus, ad fraudes et imposturas deorum gentilium significandas, ἀπ' αὐθ' ἡμῶν ἁγαλιάζουσ' οἱ θεοί, imponunt et illudunt nobis Cilicatim.

Galaticus, coccineus. II, 1045 A, *Galatici ruboris superjectio*, est pallium cocco galatico infectum. Plin., H. N, lib. IX, cap. 41.

Galerus, matronarum Cereris sacerdotum erat crinium attextorum compositio in modum galeri facta, quibus matronæ maxime caput velabant. II, 1045 A, *Ob notam vitæ* (non *vitæ*) *et privilegium galeri*.

Garamantes. II, 903 A, *Aut pennas Garamantum*. Fuerunt Garamantes populi Africæ, latrones plurimum, ut narrat Plinius, H. N., lib. V, cap. 6; qui ut B horridiores viderentur, magisque terrori essent Africanis, pennis sese instruebant horribilium quam maxime poterant animalium, qualia idem auctor narrat lib. VIII, cap. 21. Junius mavult *aut pinnas Garamantum*, i. e. intortos crinium plexus, ad formam pinnæ in galeis militum aut Samnitum gladiatorum, quos Martialis notavit lib I Epigram. 3, *Atque aliter tortis crinibus Æthiopes*, his enim vicini Garamantes.

Gehenna. I, 520 A, *Si gehennam comminentur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus*. I, 1247 A, *Gehennam in corde considera*. II, 437 A, *Quia post illam clibanus vel furnus gehennæ sequatur*.

Gemonius. II, 590 B, *Per gradus revera Gemonios* ; hi Romæ fuerunt in Aventino, regione urbis XIII, prope fabariam porticum. Dicebantur et scalæ Gemoniæ, ad quas damnatorum corpora struebantur, et proponebantur ostentui, donec unco traherentur in Tiberim. Ad hunc infamem locum respexit Tertullian. cum diceret : *alium ex alio fructum*.

Generositas. II, 478 A, *Et christianismi generositatem in filio Abrahæ ex libera nato, allegoriæ habere sacramentum, sicut et judaismi servitutem legalem in filio ancillæ*. II, 658 B, *Ut natorum suorum generositatem de pupillarum audacia judicent*, de aquila.

Geniculatio, genuum flexio. I, 705 C, *Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ*. I, 1222 B, *Jejuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet*.

Genimina. II, 718 A, *Genimina sua dæmoniorum candidata profitentur*.

Gens. II, 246 C, *Gentes ferocissimæ* fuere Sarmatæ, Geloni, Massagetæ et genus universum populorum hamaxobiorum.

Genticus. II, 718 B, *Pro gentica devotione*. Ita Tacitus *morem genticum* dixit lib. VI *Annal.*

Gentilitus. II, 1040 A, *Quarum pars gentilitus inhabitatur*, i. e. a gentibus particularibus.

Genuini, dentes posteriores qui cibum conficiunt. II, 662 B, *Deprome genuinos*. II, 1042 A, *Genuini inter antias adumbrati*.

Ginatem. II, 234 B, *Mediar quod aiunt ginatem*. Sensum nullum fundunt hæc verba ; reponenda itaque illa lectio quam exhibent omnes, *mediæ quod aiunt aginæ* ; is motus scilicet, qui adeo temperatus, ut nullam in partem vergat parsque nulla præponderet. « Est enim, ut docet Festus, agina foramen, cui inseritur et in quo vertitur scapus trutinæ. »

Gluten. II, 988 B, *Literæ ipsæ glutina nostra sunt*.

Gomphus, γόμφος, clavus. I, 340 A, *Cervices ponimus ante plumbum et glutinum et gomphos*. Tria, quæ circa capita deorum, qua statuis imponebantur, fiebant, recenset Tertullianus : *plumbum*, quod in aureis, argenteis, stanneis, plumbeis fiebat simulacris ; *glutinum*, quod in ligneis et ex argilla confectis ; *gomphos*, quod in colossis, ubi caput cervicibus clavis ferreis affigebatur.

Gradus, de tempore. I, 391 A, *Per duos gradus*,

est præteritum et futurorum. II, 22 B, *Cedo nunc sponte de gradu isto.* II, 512 A, *Ut jam et Marcion de gradu cedat.* II, 993 B, *Decedam nunc paulisper de gradu isto.* Omnes metaphoræ ab athletis sumptæ jam congredientibus. I, 436 A, *Ad quod necesse habeo eodem gradu occurrere*, sumptum a gladiatoribus, qui cum antagonista decreturi gradum figunt, et ictus declinandi caussa cedentes iterum procedunt, et eodem gradu consistunt, obviam euntes reniteruntur. Sens.: ad quod necesse est eodem argumento ac telo uti. II, 260 A, *Cum Deum hoc gradu expellimus*, i. e. quum Deo hanc potestatem, vim creandi, adimimus. II, 377 A, *Dum te, Marcion, de gradu pellam*, h. e. convincam te falsi, et tuas rationes infirmabo. II, 654 C, *Si non hujus definitionis gradum exclusero*, h. e. ostendero definitionem consistere non posse, neque rem. Hæc omnia a colluctatoribus sumpta, significant adversarium confutare, et in certamine disputationis superare. II, 797 B, *Dejectus enim unusquisque vel motus de gradu ejus spei, quam susceperat*, i. e. qui jam spem abjecit, in qua innitebatur alienis persuasionibus inductus. II, 368 A, *Sed alium jam hinc inimus gradum*, i. e. novum inire certamen, vel saltem novo modo, vel, re una jam improbata et labefactata, ad alterius eversionem sese accingere. II, 521 A, *Hinc denique gradum confero.* II, 599 A, *Igitur gradum conferamus.* II, 609 C, *Igitur in isto gradum conferamus*, καταρχεσθαι τῆς μαχῆς, auspicari certamen disputationis, ad rem propius accedere. II, 452 B, *Sed in alterius quæstionis gradum dirigo*, i. e. ad alteram quæstionem expendendam me comparo. II, 363 C, *Et possem hic jam gradum figere.* II, 495 A, *Atque adeo recte hunc gradum figimus*, et multis aliis locis. Translatio ab athletis in certamine congredientibus, est sententiam semel conceptam acriter defendere, in eaque persistere aut premere argumentum suum, ut loquitur Cicero, vel in unius rei diligenti pensitatione immorari, et nullis uti excursionibus a re alienis. II, 971 B, *Movistis igitur gradum excedendo traditionem, cum quæ non sunt constituta obitis.* I, 433 A, *Provocati ad sacrificandum obstruimus gradum perfidiæ* (alii *pro fide*) *conscientiæ nostræ*, h. e. constanter obsistimus, obnitimurque, omnes introitus in animos nostros occludimus. II, 29 A, *Hunc igitur gradum potissimum obstruimus*, i. e. hoc primum opponimus, a congressu removemus. II, 248 A, *Sed alius libellus hunc gradum sustinebit adversus hæreticos*, i. e. suscipiet hujus rei defensionem. II, 324 A, *His præluserim, quasi de gradu primo adhuc.* Solebant gladiatores ante justum cum antagonista certamen ostentandæ artis et oblectandi spectatores caussa præludere. Est igitur levia et quasi ludicra afferre argumenta et imbecilliora, initio, antequam ipsum robur argumentorum depromatur. II, 1023 B, *Sed et in hunc jam gradum decurram*, i. e. sed et ad hujus rei disquisitionem me comparabo. II, 470 B, *In ipso gradu provocabimus præscriptionis.* II, 159 A, *Hoc mihi et in tertium gradum dictum sit*, i. e. personam ordine tertiam. Vid. etiam col. 157 C. II, 164 C, *Ut tertium gradum ostenderet in paracletum.* II, 433 B, *Ea si regno accedunt, secundo gradu restituenda; ejus est secundus gradus, cujus et primus.*

Græcari, Græcorum mores imitari. II, 1048 A, B, *Nisi aura minime græcatur.* Barth. in *Adv.* interpretatur: græce colitur.

Græcatum, more græco. II, 1045 A, *Et crepidæ græcatum Æsculapio adulantur.*

Græcia, impudentia Græcorum mendacissimorum. II, 1037 A, *Kidebis illico audaciam et Græciam nominis*; alii *audaciam egregiam nominis*; alii *Græci jam nominis*; Turneb. *et gratiam nominis.* II, 972 B, *Per Græcias*, per varias Græciæ provincias, in quibus varia concilia coacta sunt.

Grama, λήμη, vitium oculorum, ut Festus docet, sive pituita oculorum. II, 578 A, *Et limum ex pituitis et gramis sophiæ.*

Grandis. I, 452 B, *Grande videlicet officium focos et thoros in publicum educere.* II, 1032 B, *Aptas sane grandioribus fabulis.*

Gratia. II, 131 B, *Martyrium enim non de communi aliqua malitia certat cum idololatria, sed de sua gratia*, i. e. certamen non est inter duo mala, utrum sit potentius, sed martyrium certat de sua gratia, de suo bono, quod ab idololatria liberat. II, 309 A, *Querela ergo major Ægyptiorum, an gratia Hebræorum?* Gratia quæ eis debebatur, quamque meruerant, i. e. merces.

Gratiositas. II, 255 B, *Ipsamque naturalem novitatis gratiositatem volui repercutere.*

Gratuitus. II, 726 A, *Denique et bona facta gratuita sunt in somnis, et delicta secura.*

Gravitas. I, 1325 A, *Respectu obediendæ gravitatis.* Gravitas, σεμνότης, virorum est obedienda, i. e. cui fœminas obedire oportet, propter metum debitum Domino. II, 550 A, *Ne gravitate adorentur.* Vid. Adorare.

Gubernaculum. II, 22 C, *Certare cum interpretationis gubernaculo*, i. e. cum ratione, cum disciplina rationis, quæ omnem interpretationem gubernare debet, et in ea semper regnare.

Gula. II, 133 B, *Evulsum enim hominem de diaboli gula per fidem.* II, 958 B, *Salutem gula vendidit.* II, 977 A, *Ille denique idolo gulam suam mactat.* II, 281 A, *In gulam committunt*, i. e. ei ipsi nocent, qui gulam suam obruerit cupediis. II, 800 A, *Et ipsorum temporum propria gula.* Rhenan. putat alludere Tertullianum ad Vedii Pollionis gulosam sævitiam, qui damnata mancipia vivariis murænarum immergebat, non tantum ut totum hominem pariter distrahi spectaret, quod Plinius tradit, verum etiam ut humana carne in piscibus vesceretur. Conf. II, 1048 B, sq. Possit tamen etiam de ipso tempore intelligi, nam tempus edax rerum. I, 632 C, *Et gulam ad gulæ crimen*, i. e. ad gulæ intemperantiam. II, 965 C, *Verisimile non est, ut quis dimidium gulam Deo immolet, aquis sobrius et cibis ebrius.*

Gymnosophista. I, 490 B, *Neque enim Brachmanæ aut Indorum gymnosophistæ sumus, sylvicolæ et exules vitæ.* Brachmanæ philosophi fuere Indorum, qui et gymnosophistæ a nuditate corporis præter eas partes quas occultas voluit natura, sic dicti sunt, licet nonnulli a Brachmanis diversos fuisse gymnosophistas asserant. Dicuntur vero sylvicolæ, seu quod in sylvis viverent, ut Druidæ apud veteres Gallos, seu quod alieni essent ab iis rebus eoque cultu, quo vita hominum communis fruitur. II, 260 C, *Indorum gymnosophistæ.*

H

Habere, est Græcorum ἔχειν, in utraque significatione, ut sit et *posse* et *debere*, v. c. I, 409 A, *Habent, de incolatu aeris*, i. e. possunt incolentes et mansionem habentes in aere. II, 834 A, *Habemus etiam vestimentorum in Scripturis mentionem ad spem carnis allegorizare.* II, 710 A, *Cæterum totiens animum revocari habeo*, i. e. debeo revocari. II, 1044 B, *Queis.... habebantur*, i. e. in quibus sedebant. Latin. volt *vehebantur.* II, 206 B, *Et sic jam habetur ejus, quod licet*, etc., i. e. reus est ejus, quod licet, ut Græc. ἔχεται, ἀνέχεις ὅτι. II, 564 A, *Dum ita rerum habet*, i. e. dum ejus res in eo sunt statu, οὕτω τῶν πραγμάτων ἐχουσα. I, 1283 A, *Etenim illa tunc cæcitas longe a finibus sæculi habebatur.*

Habilis. II, 224 B, *Faciendo visibilem et habilem*, i. e. habilem perfectionis, non per omnia perfectam, sed aptam perfectioni habendæ. I, 1222 B, *Omne tempus habile baptismo.*

Habitus. II, 82 C, *Substantia tibi a Deo tradita est, habitus a sæculo*, i. e. modus ille habendi flores, quicunque tandem sit, a mundo est. I, 452 B, *Civitatem tabernæ habitu abolefacere*, i. e. civilem ordinem honestumque tabernaria confusione commutare. I,

453 A, *Induere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* II, 648 A, *Ut et mortem non de poculo per habitum jucunditatis absorbeat.*

Hactenus. II, 229 A, *Etiam mare hactenus*, i. e. ad hoc usque tempus futurum est et non alterius; jam non erit. II, 1054 B, *Hactenus Sodoma et nulla Gomorra.* I, 1240 C, *Hactenus periculosis nosmetipsos inferamus*, i. e. nunquam posthac. II, 1001 A, *Ut eos qui hactenus delinquunt.*

Hærentia. II, 420 B, *In testificationem et hærentium terræ corum*, hærentium terræ dixisse videtur, ut explicaret quod pulveris nomine Lucas intelligi voluerat.

Hærere. II, 557 A, *Hærere de ratione casus*, i. e. incertum esse de caussa ejus rei quæ accidit.

Hamatilis. II, 122 A, *Hamatile spiculum*, sive aduncum in summo, quod inter vulnerandum restringit illa nodorum series, et de venula infundit venenum suum ulceri retrahens.

Harena. II, 1054 A, *Harenæ Samos*, alii *arenæ*. Jun. legit *Arene. Samos* intelligit insulas Achaicas. Strab. lib. VIII. III. 45. *Aut harenæ atrocitatibus;* vid. Arena. II, 700 A, *Harenæ seruntur.*

Hastarium, scheda, in qua digerebantur vendenda et vendita. Conf. lib. *ad Nat.* I, 345 A, 573 A, *Quos in hastario vectigales habetis.*

Hebraicum. II, 160 A, *Aiunt quidem et Genesim in Hebraico ita incipere : In principio Deus fecit sibi Filium.*

Hebdomas. II, 375 B, *Ut totius hebdomadis caperet expiationem*, i. e. septem macularum, de quibus proxime.

Helucus, alii *elucus*, etsi H ad euphoniam præfigi Gellius annotavit, lib. XVI, cap. 12. Festus : *Elucum significat languidum ac semisomnium, vel, ut alii volunt, alucinatorem et nugarum amatorem ; sive halonem, id est hesterno vino languentem, quem ἅλων Græci vocant.* Et recte idem Gellius exponit tarditatem animi et stuporem, qui hallucinantibus plerumque usu venit. II, 85 B, *Quod hederæ natura sit cerebrum ab heluco defensare.*

Heri, nuper adeo. I, 287 A, *Heri Severus constantissimus principum exclusit.*

Hermaphroditus. II, 590 A, *Ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet.* Hermaphroditi sunt homines utriusque sexus, olim Androgyni dicti, ut refert Plin., H. N., lib. VII, cap. 3, et lib. XI, cap. 49. Hinc per catachresin etiam Hermaphroditi casei fuerunt appellati, qui ex duplici confinio facti, ut Fenestella in Annalibus scripsisse videtur de Lunensibus caseis, olim laudatissimis. Vid. Plin., H. N., lib. XI, cap. 42.

Hermotimus. II, 649 B, *Ut Hermotimum cui Clazomenii mortuo templum contulerunt.* Plin., lib. VII, cap. 52, Hermotimum Clazomenium nominat, verum Plutarchus Hermodorum substituit, lib. de Socratis dæmonio, ubi falsum esse ait, Hermodori Clazomenii animam, relicto corpore, dies noctesque per loca plurima vagari solitam, iterum corpus repetiisse. Urbs illa Clazomene, quæ erat Ioniæ, dicta fuit olim Gryna, eratque ibi templum Apollinis oraculo longe celeberrimum, unde *Apollo Grynæus.*

Hesternus, novus, nuperus. II, 157 A, *Ne dum ante Praxeam hesternum.*

Hieran anaphen. I, 480 A, Alii *Hieranapen.* Pamelius legit *Hierapolin*, aitque ex Eusebio et Orosio tres urbes imperante Nerone concidisse : Hierapolin, Laodiceam et Colossen.

Hierophanta. II, 260 C, *Et Ægyptiorum Hierophantæ, ἱεροφάνται* dicti, quod sacra ostenderent aut peragerent, genus sacerdotum apud Ægyptios.

Hierosolymæ. II, 20 B, *Quid ergo Athenis et Hierosolymis* i. e. quid philosophis cum Christianis.

Hinc, de hac re. II, 246 B, *Hinc viderit*, phrasis Tertullianea, pro eo quod est, non curo, mea nihil refert, pro meo haberi nolo, ut præstem.

Hipposa. Turneb. et Scaliger scribendum censent *Epona.* Plutarch. in *Parall.* : Φούλβιος στίλλος μισῶν γυναῖκας ἵππῳ συνεμίσγετο, ἡ δὲ κατὰ χρόνον ἔτεκε κόρην σύμμορφον, καὶ ὠνόμασεν Ἵππωναν, ἥτις δὲ θεὸς τρόπον τινὰ ποιουμένη ἵππων. Ipsa plerumque in stabulis erigebatur roseisque corollis ornabatur. I, 365 A, legitur et I, 577 C, *Epona.*

Histriculus, ἐλευπρώκτος, purus a nefanda et præpostera venere. II, 1041 A, Mercerus legit *ustriculas*, i. e. igniculi et scintillæ libidinis. Turneb. vult *striculis*, i. e. puer grandior.

Hodie. II, 274 A, *Qui hodie de confessis homicida scientes homicidium quod sit.* Heuman. legit : *Quando de confesso homicida, scientes, homicida quod sit.*

Homerici *oculi*, cæci, I, 1033 A.

Homerocentones, qui vocentur, II, 53 A.

Homo, II, 87 A, *Non alias scilicet hominem functo, τὸν ἄνθρωπον τετεληκότα*, id est *τὰ ἀνθρώπινα.* II, 94 B, *Nec hominem Deo reddere*, nempe homo est numisma et imago Dei : ita sæpe Tertull.

Honestas. II, 772 A, *Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit*, i. e. formæ et pulchritudinis.

Honestus. II, 329 C, *Ne adspectu quidem honestus*, i. e. pulcher. II, 639 A.

Honor. I, 1512 A, *Proinde et vestium de coloribus honorem*, i. e. vestes honoratissimas. II, 810 A, *Funestatur mundi honor*, i. e. sol. I, 1265 A, *Quem autem honorem litabimus Domino Deo.* II, 654 B, *Platonis honor*, i. e. Plato philosophorum honoratissimus, δι' ὑπαλλαγῆς, ut sequentia omnia. Nam etiam Labeo inter semideos Platonem commemorandum putavit, cui defuncto Magi ut Deo immolaverunt, Cicerone teste in *Quæst. Tuscul.*

Honorarius. I, 470 A, *Non de honoraria summa*, i. e. quæ pro introitu in collegium dabatur, quasi honoribus redemptis. Haverc. legit, una voce, *dehonorario*, i. e. indecora, inhonesta.

Honoriger. II, 903 A, *Honorigeram notam virginitatis suæ.*

Horoscopus, est qui natalem alicujus horam considerat, atque inde futura prædicit. II, 1039 A, *Quæ per aerem liquando araneorum horoscopis idoneas sedes tendit ;* alii, *araneorum more scopis idoneis distendit.* Scopi autem seu scopiones sunt fibræ foliorum quibus scipsum affigit et distendit.

Hospitus. II, 249 A, *Facile novam et hospitam argumentatus est divinitatem in Christo revelatam*, i. e. peregrinam, advenam.

Humanitas, homo, vel hominis natura. I, 335 A, *Causa allegendæ humanitatis in divinitatem.* II, 750 B, *Quo universa humanitas trahitur*, i. e. omnes homines.

Humiliatio. II, 908 A, *Quorum probatio in omni humiliatione constat.* II, 733 A, *Scd ut Deum illiceret humiliationis officiis.*

Humilificare. I, 1213 B, *Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est.*

Humilitas. I, 1326 B, *Quomodo enim humilitatem, quam Christiani profitemur, implere poterimus.* II, 98 A, *Habet humilitatis suæ sarcinam.*

Hydrophobus, ὑδροφόβος, qui aquam timet, I, 1205 A.

Hypobrychium, ὑποβρύχιον, in aqua vel mari, idem quod barathrum in terra, devorans et exsorbens in submersione homines navigiaque. I, 695 A, *Irrespirabile devoratis hypobrychium in idololatria.*

Hypsoma. I, 701. B, *Positus in suo hypsomate et domicilio.* Utitur vocabulis astrologorum loquens de eclipsi

quadam solis non ordinaria, sed prodigiosa. Vulgus astrologorum hodie vocat altitudinem et domum.

I

Iao. II, 565 A, *Ut etiam inclamaverit in eam Iao.* Est exclamantis et exclamatione sistentis et hortantis desistere, prout ostendunt sequentes formulæ, quarum priore Quirites, posteriore Cæsar appellabatur, ut eorum majestate et auctoritate præsens impetus sisteretur. Ibid., *Inde invenitur Iao in scripturis,* nempe hæreticorum.

Ictus. II, 131 A, *In alium ictum consideremus de voluntatis qualitate*, a gladiatoribus sumptum. Cicer., I Catil., *Quot ego tuas petitiones, ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, et, ut aiunt, corpore effugi.* Ut sit : uno argumento refutato, alius infirmationem inquirere et rationem secum inire qua improbari possit.

Idiotes. II, 164 A, *Male accepit idiotes quisque aut perversus hoc dictum.* II, 157 C, *Simplices enim quique, ne dixerim imprudentes et idiotæ, quæ major semper credentium pars est.* II, 1012 D, *Sed est hoc solemne perversis et idiotis hæreticis.* Rigalt. legit *idiotis et hæreticis.*

Idoneus, est græc. ἱκανός. II, 809 C, *Et utique idoneus est reficere, qui fecit.* II, 597 B, *Quemquam habemus ipsum Deum idoneum pollicitatorem.* II, 991 A, *Et jactæ sortes* (rectius, quod vidit jam Ursinus, *sordes*) *non ablui idoneæ;* vid. Sordes. II, 1039 A, *Quæ per aerem liquando araneorum horoscopis idoneus sedes tendit.*

Ignavescere. II, 724 A, *Nec ignavescit omnino.*

Igneus. II, 19 B, *Igneus deus*, i. e. ignis, quem Heraclitus Ephesius faciebat deum, aut certe principium omnium.

Ignis. II, 13 B, *Majoris ignis ardorem inferentes*, i. e. divini, supra quam humani aut istius mundi. II, 27 A, *Ad profanos judicandos igni perpetuo.* II, 276 C, *Cui nullus ignis coquitur in gehenna.* I, 1284 A, *Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant*, est periphrasis Vestalium.

Ignoscentia. I, 1241 B, *Clausa licet ignoscentiæ janua.*

Illex. I, 1244 A, *Conversationem injungens misericordiæ illicem*, i. e. inductorem, ab illiciendo. I, 488 A, *Vos malorum illices semper.*

Illiberis, qui est sine liberis, ἄπαις. II, 443 C, *Quam si frater illiberis decesserit.*

Illidere. II, 126 B, *Ibidem scorpio pro solea anathema illidito*, est idem quod supra dixerat, *urgere bestiæ calcem.*

Illuminare. II, 386 A, *Dum operum differentiam illuminat.* II, 847 A, B, *Pariter illuminavit, quid cui prosit.* I, 286 A, *Nonne et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis*, etc.

Illuminator. II, 401 B, *Novæ, tantæque religionis illuminator.* I, 303 A, *Illuminator atque deductor generis humani.* II, 85 A, *Auctores rei vel illuminatores.*

Immolare. I, 1327 A, *Sed humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant.* II, 968 A, *Quæ ad vesperam jejunans pinguiorem orationem Deo immolat.* II, 899 B, *Si pœnitentiam Deo immolarit.* II, 707 B, *Cui populus suffragiis immolat.*

Immundus, substantiv. I, 1309 A, *Ornatum quem immundum muliebrem convenit dici*, nempe cura capilli et cutis.

Immunis, intactus. II, 1040 A, *Et cultri vertex solus immunis.*

Immusicus, ἄμουσος, qui musicam ignorat. I, 265 A.

Impatiens. I, 1257 B, *Impatiens etiam tacendi est.*

Impendi. I, 496 A, *Quum tot justi impendimur*, de Christianis, qui morti traduntur, atque e medio tolluntur. I, 651 B, *Quod homo per ejus tam nocens factus est, ut tam crudeliter impendatur.*

Imperium. I, 426 A, *Solida æque imperia mandavit.* Quemadmodum in Eleusiniis fuit ἄρχων, qui rex erat seu præfectus mysteriis. Hesychio : βασιλεύς, ἄρχων τις Ἀθήνῃσι μυστηρίων προνοῶν, cui, ut subjecti, imperio ejus adjungebantur, οἱ ἐπιμελήται et ἱεροποιοί, de quibus Pollux, VIII, 8, 3 et 26. Et præclare Meursius in *Eleusiniis*, cap. 15 : « Ita etiam hic in Cybeles ministerio talis Gallorum rex seu Archigallus innuitur, qui suos habeat sacrificulos et minores Gallos, quibus itidem imperaverit vota facere, et lacertos secare pro Aurelii salute.

Impetigo, est fœdatio cutis, serpens cum pruritu. II, 1048 A, *Nullis veternis parco, nulli impertigini.*

Impingere. I, 280 B, *Cæcitate odii in suffragium impingunt*, i. e. cæco odio laudant quasi suffragio probitatem ipsorum. I, 661 B, *Si oculum quis impegerit libidinose.*

Imponere, condere, exstruere. II, 1031 A, *Ubi mœnia Statilius Taurus imposuit.*

Importare. I, 1318 A, *Quid alteri concupiscentiam importamus.*

Importunitas. II, 927 C, *Importunitas liberorum.* Jun. interpretatur de prole capitibus liberis importune imperata. Non placet. Importunitas est, quæ nec temporis nec loci habet commoditatem. Importunitatem liberorum dixit, quod parentibus majores calamitates pluraque incommoda essent subeunda ob liberos. II, 103 A, pro loco ac tempore, ac quarumdam personarum importunitate.

Importunus. Servius, ad Virgil., Æn. XI, v. 305, *importunum* explicat, ubi nullum refugium est, quod caret portu, id est quiete. I, 488 A, *Vos igitur importuni rebus humanis*, i. e. calamitosi, incommodi, propter quos pace publica orbis caret. II, 133 A, *Ab una solummodo arbuscula temperaret quam ipse medicus importunam interim norat.*

Impresse. II, 332 B, *Quam tam impresse Apostolus demandat.* I, 377 B, *Sed quo plenius et impressius*, i. e. magis clare.

Imprimere, promulgare lege lata in imperio suo. I, 297 A, *Nullus Verus impressit*, a re militari desumptum, ubi impressionem facere dicuntur cohortes, cum in hostium aciem incursant, eamque turbant.

Improvidentia, II, 469 A, *Quasi improvidentiam existimo.*

Impudentia. II, 412 B, *Pro impudentia idololatriæ satis Deo faceret per impudentiam fidei.* Idololatriæ impudentia fuit, cum non puduit adorare lapides et ligna; impudentia fidei, cum minime pudet Deum credere natum et crucifixum.

Impudicitia. I, 397 A, *Dei Filius nullam de impudicitia habet matrem.* Rigalt., Rhenan. et Ilaverc. legunt *de pudicitia.* Ut sensus sit: Dei Filius non tantum ex impuro et illicito concubitu non est natus, sed ne quidem ex puro licitoque matrimonio susceptus.

In. II, 1031 A, *In fibulæ morsu*, i. e. per fibulæ morsum. II, 123 A, *In ventum*, i. e. vento ferente, vento secundo, prout occasio dederit, suaserit. II, 484 A, *Si in Creatoris accipitur;* subaud. *interpretationem*, ut de Creatore videlicet intelligatur. I, 1262 A, *Cum per viam in mores bestiarum latrocinantur*, i. e. in morem bestiarum, more bestiarum. Pro *perviam*, Rigalt. legit *per invia.* Sic lib. *de Anima : Quia et ipsa bestiis objecerit eos quos in sylvis et aviis trucidaverit.*

Inaccusatus. I, 529 A, *Inaccusatis et impunitis.*

Inalterare. II, 893 C, *Igitur quas non divisit, tacendo inalteravit.* Ita legendum pro *in altera iniit.* Inalteravit, indidit alteri, conjunxit, confudit, ut jam ambo una sint, ac sese mutuo contineant. Ipse paulo post : *A muliere non separavit, et non separando conjunxit ei, a qua non separavit.*

Inanimalia, inanimata, quæ a semetipsis non moventur. II, 230 C, 236 C, *Inanimalia et incorporalia laudes canunt;* alludit ad hymnum trium puerorum Dan. III, juxta editionem Theodotionis : nam in he-

453 A, *Inducre domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* II, 648 A, *Ut et mortem non de poculo per habitum jucunditatis absorbeat.*

HACTENUS. II, 229 A, *Etiam mare hactenus*, i. e. ad hoc usque tempus futurum est et non alterius; jam non erit. II, 1034 B, *Hactenus Sodoma et nulla Gomorra.* I, 1240 C, *Hactenus periculosis nosmetipsos inferamus*, i. e. nunquam posthac. II, 1001 A, *Ut eos qui hactenus delinquunt.*

HÆRENTIA. II, 420 B, *In testificationem et hærentiam terræ eorum*, hærentiam terræ dixisse videtur, ut explicaret quod pulveris nomine Lucas intelligi voluerat.

HÆRERE. II, 557 A, *Hærere de ratione casus*, i. e. incertum esse de caussa ejus rei quæ accidit.

HAMATILIS. II, 122 A, *Hamatile spiculum*, sive aduncum in summo, quod inter vulnerandum restringit illa nodorum series, et de venula infundit venenum suum ulceri retrahens.

HARENA. II, 1034 A, *Harenæ Samos*, alii *arenæ*. Jun. legit *Arene. Samos* intelligit insulas Achaicas. Strab. lib. VIII. III. 45. *Aut harenæ atrocitatibus*; vid. ARENA. II, 700 A, *Harenæ seruntur.*

HASTARIUM, scheda, in qua digerebantur vendenda et vendita. Conf. lib. *ad Nat.* I, 345 A, 573 A, *Quos in hastario vectigales habetis.*

HEBRAICUM. II, 160 A, *Aiunt quidem et Genesim in Hebraico ita incipere : In principio Deus fecit sibi Filium.*

HEBDOMAS. II, 375 B, *Ut totius hebdomadis caperet expiationem*, i. e. septem macularum, de quibus proxime.

HELUCUS, alii *eluens*, etsi H ad euphoniam præfigi Gellius annotavit, lib. XVI, cap. 12. Festus : *Elucum significat languidum ac semisomnium, vel, ut alii volunt, alucinatorem et nugarum amatorem ; sive halonem, id est hesterno vino languentem, quem ἐώλον Græci vocant.* Et recte idem Gellius exponit tarditatem animi et stuporem, qui hallucinantibus plerumque usu venit. II, 85 B, *Quod hederæ natura sit cerebrum ab heluco defensare.*

HERI, nuper adeo. I, 287 A, *Heri Severus constantissimus principum exclusit.*

HERMAPHRODITUS. II, 590 A, *Ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet.* Hermaphroditi sunt homines utriusque sexus, olim Androgyni dicti, ut refert Plin., H. N., lib. VII, cap. 3, et lib. XI, cap. 49. Hinc per catachresin etiam Hermaphroditi casei fuerunt appellati, qui ex duplici confinio facti, ut Fenestella in Annalibus scripsisse videtur de Lunensibus caseis, olim laudatissimis. Vid. Plin., H. N., lib. XI, cap. 42.

HERMOTIMUS. II, 649 B, *Ut Hermotimum cui Clazomenii mortuo templum contulerunt.* Plin., lib. VII, cap. 52, Hermotimum Clazomenium nominat, verum Plutarchus Hermodorum substituit, lib. de Socratis dæmonio, ubi falsum esse ait, Hermodori Clazomenii animam, relicto corpore, dies noctesque per loca plurima vagari solitam, iterum corpus repetiisse. Urbs illa Clazomene, quæ erat Ioniæ, dicta fuit olim Gryna, eratque ibi templum Apollinis oraculo longe celeberrimum, unde *Apollo Grynæus.*

HESTERNUS, novus, nuperus. II, 157 A, *Ne dum ante Praxeam hesternum.*

HIERAN ANAPHEN. I, 480 A, Alii *Hieranapen*. Pamelius legit *Hierapolin*, aitque ex Eusebio et Orosio tres urbes imperante Nerone concidisse : Hierapolin, Laodiceam et Colossen.

HIEROPHANTA. II, 260 C, *Et Ægyptiorum Hierophantæ, ἱεροφάνται* dicti, quod sacra ostenderent aut peragerent, genus sacerdotum apud Ægyptios.

HIEROSOLYMÆ. II, 20 B, *Quid ergo Athenis et Hierosolymis* i. e. quid philosophis cum Christianis.

HINC, de hac re. II, 246 B, *Hinc viderit*, phrasis Tertulliana, pro eo quod est, non curo, mea nihil refert, pro meo haberi nolo, ut præstem.

HIPPONA. Turneb. et Scaliger scribendum censent *Epona*. Plutarch. in *Parall.* : Φούλβιος στίλβος μισῶν γυναῖκας ἵππῳ συνεμίσγετο, ἡ δὲ κατὰ χρόνον ἔτεκε κόρην σύμμορφον, καὶ ὠνόμασεν Ἐπονην, ἔστι δὲ θεὸς κρόνιαν ποιουμένη ἵππων. Ipsa plerumque in stabulis erigebatur roseisque corollis ornabatur. I, 365 A, legitur et I, 577 C, *Epona.*

HISTRICULUS, ἐλευπρώκτος, purus a nefanda et præpostera venere. II, 1041 A, Mercerus legit *ustriculas*, i. e. igniculi et scintillæ libidinis. Turneb. vult *striculis*, i. e. puer grandior.

HODIE. II, 274 A, *Qui hodie de confessis homicida scientes homicidium quod sit.* Heuman. legit : *Quando de confesso homicida, scientes, homicida quod sit.*

HOMERICI *oculi*, cæci, I, 1033 A.

HOMEROCENTONES, qui vocentur, II, 53 A.

HOMO, II, 87 A, *Non alias scilicet hominem functo, τὸν ἄνθρωπον τετεληκότι*, id est *τὰ ἀνθρώπινα.* II, 94 B, *Nec hominem Deo reddere*, nempe homo est numisma et imago Dei : ita sæpe Tertull.

HONESTAS. II, 772 A, *Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit*, i. e. formæ et pulchritudinis.

HONESTUS. II, 329 C, *Ne adspectu quidem honestus*, i. e. pulcher. II, 639 A.

HONOR. I, 1312 A, *Proinde et vestium de coloribus honorem*, i. e. vestes honoratissimas. II, 810 A, *Funestatur mundi honor*, i. e. sol. I, 1265 A, *Quem autem honorem litabimus Domino Deo.* II, 651 B, *Platonis honor*, i. e. Plato philosophorum honoratissimus, δι' ὑπαλλαγῆς, ut sequentia omnia. Nam etiam Labeo inter semideos Platonem commemorandum putavit, cui defuncto Magi ut Deo immolaverunt, Cicerone teste in *Quæst. Tuscul.*

HONORARIUS. I, 470 A, *Non de honoraria summa*, i. e. quæ pro introitu in collegium dabatur, quasi honoribus redemptis. Haverc. legit, una voce, *dehonorario*, i. e. indecora, inhonesta.

HONORIGER. II, 903 A, *Honorigeram notam virginitatis suæ.*

HOROSCOPUS, est qui natalem alicujus horam considerat, atque inde futura prædicit. II, 1039 A, *Quæ per aerem liquando araneorum horoscopis idoneas sedes tendit ;* alii, *araneorum more scopis idoneis distendit.* Scopi autem seu scopiones sunt fibræ foliorum quibus seipsum affigit et distendit.

HOSPITUS. II, 249 A, *Facile novam et hospitam argumentatus est divinitatem in Christo revelatam*, i. e. peregrinam, advenam.

HUMANITAS, homo, vel hominis natura. I, 335 A, *Causa allegendæ humanitatis in divinitatem.* II, 750 B, *Quo universa humanitas trahitur*, i. e. omnes homines.

HUMILIATIO. II, 908 A. *Quorum probatio in omni humiliatione constat.* II, 733 A, *Sed ut Deum illiceret humiliationis officiis.*

HUMILIFICARE. I, 1243 B, *Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est.*

HUMILITAS. I, 1326 B, *Quomodo enim humilitatem, quam Christiani profitemur, implere poterimus.* II, 98 A, *Habet humilitatis suæ sarcinam.*

HYDROPHOBUS, ὑδροφόβος, qui aquam timet, I, 1205 A.

HYPOBRYCHIUM, ὑποβρύχιον, in aqua vel mari, idem quod barathrum in terra, devorans et exsorbens in submersione homines navigiaque. I, 695 A, *Irrespirabile devoratis hypobrychium in idololatria.*

HYPSOMA. I, 701. B, *Positus in suo hypsomate et domicilio.* Utitur vocabulis astrologorum loquens de eclipsi

quadam solis non ordinaria, sed prodigiosa. Vulgus astrologorum hodie vocat altitudinem et domum.

I

Iao. II, 565 A, *Ut etiam inclamaverit in eam Iao.* Est exclamantis et exclamatione sistentis et hortantis desistere, prout ostendunt sequentes formulæ, quarum priore Quirites, posteriore Cæsar appellabatur, ut eorum majestate et auctoritate præsens impetus sisteretur. Ibid., *Inde invenitur Iao in scripturis,* nempe hæreticorum.

Ictus. II, 131 A, *In alium ictum consideremus de voluntatis qualitate*, a gladiatoribus sumptum. Cicer., I Catil., *Quot ego tuas petitiones, ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, et, ut aiunt, corpore effugi.* Ut sit : uno argumento refutato, alius infirmationem inquirere et rationem secum inire qua improbari possit.

Idiotes. II, 164 A, *Male accepit idiotes quisque aut perversus hoc dictum.* II, 157 C, *Simplices enim quique, ne dixerim imprudentes et idiotæ, quæ major semper credentium pars est.* II, 1012 D, *Sed est hoc solemne perversis et idiotis hæreticis.* Rigalt. legit *idiotis et hæreticis.*

Idoneus, est græc. ἱκανός. II, 809 C, *Et utique idoneus est reficere, qui fecit.* II, 597 B, *Quonquam habemus ipsum Deum idoneum pollicitatorem.* II, 991 A, *Et jactæ sortes* (rectius, quod vidit jam Ursinus, *sordes*) *non ablui idoneæ;* vid. Sordes. II, 1039 A, *Quæ per aerem liquando araneorum horoscopis idoneus sedes tendit.*

Ignavescere. II, 724 A, *Nec ignavescit omnino.*

Igneus. II, 19 B, *Igneus deus*, i. e. ignis, quem Heraclitus Ephesius faciebat deum, aut certe principium omnium.

Ignis. II, 13 B, *Majoris ignis ardorem inferentes*, i. e. divini, supra quam humani aut istius mundi. II, 27 A, *Ad profanos judicandos igni perpetuo.* II, 276 C, *Cui nullus ignis coquitur in gehenna.* I, 1284 A, *Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant*, est periphrasis Vestalium.

Ignoscentia. I, 1241 B, *Clausa licet ignoscentiæ janua.*

Illex. I, 1244 A, *Conversationem injungens misericordiæ illicem*, i. e. inductorem, ab illiciendo. I, 488 A, *Vos malorum illices semper.*

Illiberis, qui est sine liberis, ἄπαις. II, 443 C, *Quam si frater illiberis decesserit.*

Illidere. II, 126 B, *Ibidem scorpio pro solea anathema illidito*, est idem quod supra dixerat, *urgere bestiæ calcem.*

Illuminare. II, 386 A, *Dum operum differentiam illuminat.* II, 847 A, B, *Pariter illuminavit, quid cui prosit.* I, 286 A, *Nonne et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis*, etc.

Illuminator. II, 401 B, *Novæ, tantæque religionis illuminator.* I, 393 A, *Illuminator atque deductor generis humani.* II, 85 A, *Auctores rei vel illuminatores.*

Immolare. I, 1327 A, *Sed humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant.* II, 968 A, *Quæ ad vesperam jejunans pinguiorem orationem Deo immolat.* II, 999 B, *Si pœnitentiam Deo immolarit.* II, 707 B, *Cui populus suffragiis immolat.*

Immundus, substantiv. I, 1309 A, *Ornatum quem immundum muliebrem convenit dici*, nempe cura capilli et cutis.

Immunis, intactus. II, 1040 A, *Et cultri vertex solus immunis.*

Immusicus, ἄμουσος, qui musicam ignorat. I, 265 A.

Impatiens. I, 1257 B, *Impatiens etiam tacendi est.*

Impendi. I, 496 A, *Quum tot justi impendimur*, de Christianis, qui morti traduntur, atque e medio tolluntur. I, 651 B, *Quod homo par ejus tam nocens factus est, ut tam crudeliter impendatur.*

Imperium. I, 426 A, *Solida æque imperia mandavit.* Quemadmodum in Eleusiniis fuit ἄρχων, qui rex erat seu præfectus mysteriis. Hesychio : βασιλεύς, ἄρχων τῆς Ἀθηνᾶσι μυστηρίων προνοῶν, cui, ut subjecti, imperio ejus adjungebantur, οἱ ἐπιμεληταὶ et ἱεροποιοί, de quibus Pollux, VIII, 8, 3 et 26. Et præclare Meursius in *Eleusiniis*, cap. 15 : « Ita etiam hic in Cybeles ministerio talis Gallorum rex seu Archigallus innuitur, qui suos habeat sacrificulos et minores Gallos, quibus itidem imperaverit vota facere, et lacertos secare pro Aurelii salute.

Impetigo, est fœdatio cutis, serpens cum pruritu. II, 1048 A, *Nullis veternis parco, nulli impertigini.*

Impingere. I, 280 B, *Cæcitate odii in suffragium impingunt*, i. e. cæco odio laudant quasi suffragio probitatem ipsorum. I, 661 B, *Si oculum quis impegerit libidinose.*

Imponere, condere, exstruere. II, 1051 A, *Ubi mœnia Statilius Taurus imposuit.*

Importare. I, 1318 A, *Quid alteri concupiscentiam importamus.*

Importunitas. II, 927 C, *Importunitas liberorum.* Jun. interpretatur de prole capitibus liberis importune imperata. Non placet. Importunitas est, quæ nec temporis nec loci habet commoditatem. Importunitatem liberorum dixit, quod parentibus majores calamitates pluraque incommoda essent subeunda ob liberos. II, 103 A, pro loco ac tempore, ac quarumdam personarum importunitate.

Importunus. Servius, ad Virgil., Æn. XI, v. 305, *importunum* explicat, ubi nullum refugium est, quod caret portu, id est quiete. I, 488 A, *Vos igitur importuni rebus humanis*, i. e. calamitosi, incommodi, propter quos pace publica orbis caret. II, 133 A, *Ab una solummodo arbuscula temperaret quam ipse medicus importunam interim norat.*

Impresse. II, 332 B, *Quam tam impresse Apostolus demandat.* I, 377 B, *Sed quo plenius et impressius*, i. e. magis clare.

Imprimere, promulgare lege lata in imperio suo. I, 297 A, *Nullus Verus impressit*, a re militari desumptum, ubi impressionem facere dicuntur cohortes, cum in hostium aciem incursant, eamque turbant.

Improvidentia, II, 469 A, *Quasi improvidentiam existimo.*

Impudentia. II, 412 B, *Pro impudentia idololatriæ satis Deo faceret per impudentiam fidei.* Idololatriæ impudentia fuit, cum non puduit adorare lapides et ligna; impudentia fidei, cum minime pudet Deum credere natum et crucifixum.

Impudicitia. I, 397 A, *Dei Filius nullam de impudicitia habet matrem.* Rigalt., Rhenan. et Havercl. legunt *de pudicitia.* Ut sensus sit: Dei Filius non tantum ex impuro et illicito concubitu non est natus, sed ne quidem ex puro licitoque matrimonio susceptus.

In. II, 1031 A, *In fibulæ morsu*, i. e. per fibulæ morsum. II, 123 A, *In ventum*, i. e. vento ferente, vento secundo, prout occasio dederit, suaserit. II, 484 A, *Si in Creatoris accipitur;* subaud. *interpretationem*, ut de Creatore videlicet intelligatur. I, 1262 A, *Cum per viam in mores bestiarum latrocinantur*, i. e. in morem bestiarum, more bestiarum. Pro *perviam*, Rigalt. legit *per invia.* Sic lib. *de Anima : Quia et ipsa bestiis objecerit eos quos in sylvis et aviis trucidaverit.*

Inaccusatus. I, 529 A, *Inaccusatis et impunitis.*

Inalterare. II, 893 C, *Igitur quas non divisit, tacendo inalteravit.* Ita legendum pro *in altera iniit.* Inalteravit, indidit alteri, conjunxit, confudit, ut jam ambo una sint, ac sese mutuo contineant. Ipse paulo post : *A muliere non separavit, et non separando conjunxit ei, a qua non separavit.*

Inanimalia, inanimata, quæ a semetipsis non moventur. II, 230 C, 236 C, *Inanimalia et incorporalia laudes canunt;* alludit ad hymnum trium puerorum Dan. III, juxta editionem Theodotionis : nam in he-

bræo non haberi, recte annotavit Hieronym. Eamdem etiam citat *Exomologesis* titulo Cyprianus libris *de Lapsis* et *Orat. domin.*

INAPPREHENSIBILIS. II, 256 A.

INBONITAS. I, 624 A, *Ubi omnis duritia et inbonitas et insuavitas constitit.*

INCERTUS. II, 970 B, *Martyribus incertis*, i. e. quorum fides minus spectata, neque satis explorata.

INCIDERE. I, 429 A, *Antequam isti dii inciderentur*, i. e. incisi insculptique fuerant, nam ab inscriptione dii noscebantur. II, 255 C, *Quem titulum incidemus ex duobus, deo Marcionis?*

INCLUDERE. I, 1236 B, *Sed includere eam* (pœnitentiam) *negligunt*, baptismo scilicet, qui et *obsignatio* dicitur. Et ipse paulo post: *Intentionis seram obstructam.* Pœnitentia igitur et fides tunc includitur, cum in baptismum deducitur, sicut actiones judicio inclusas dixit Caius, quæ sunt in judicium deductæ. Porro, pœnitentiam includere negligunt, qui pristinis ægre renuntiant, quasi maleficiorum summa quam includi baptismo volunt, nondum completa.

INCOLATUS, mansio, domicilium. Vox, qua usus est et Varro, quem multum imitatur Tertull. I, 409 A, *Habent de incolatu aeris.* II, 833 A, *Vere sancta per incolatum Spiritus sancti.* II, 747 C, *Evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur.* II, 96 A, *Ab ipso incolatu Babylonis illius submovemur.*

INCOLERE. I, 643 B, *Qui nomina incolunt auctorum earum*, i. e. honoribus dæmonum, qui in simulacris mortuorum velut inquilini habitant, et nominibus eorum abutuntur, qui artes illas tradiderunt: synecdochice, *incolere*, velut inquilinum colere.

INCONCESSIBILIS. II, 979 A, *Aut paria quoque eorum mœchiam et fornicationem inconcessibilia servari.*

INCOMMUNIS, particularis. II, 1039 B, *Quarum pars gentilitus inhabitantur, cæteris incommunes.*

INCONGRESSIBILIS. II, 315 B, *Igitur quæcumque exigitis Deo digna, habebuntur in patre invisibili, incongressibilique.*

INCONGRUENTIA. II, 654 A, *Ad hoc nos mirabimur incongruentiam primo definitionis provocantis ad ea quæ in animam non conveniunt.*

INCONSIDERANTIA. II, 868 B, *Etiam pro Apostolo ipso revera maximæ inconsiderantiæ revincendo.*

INCONTRADICIBILE. II, 456 B, *Quid enim sapientius et incontradicibilius?*

INCONVERTIBILIS, II, 757 A, de natura Dei.

INCOPIOSUS. II, 960 A, *Statim autem solitudinis incopiosæ circumspectu scandalizatus.*

INCORPORA. II, 230 C, *Si qua incorpora iis adsunt*, i. e. non corpora, indefinita significatione.

INCORPORALIS. II, 229 C, *Prima facie videtur nobis incorporalis esse materia.*

INCORPORALITAS. II, 657 A, *Incorporalitas ab omni genere custodiæ libera est, immunis a pœna et a fovela.*

INCREPITUS. II, 573 C, *Et ille jussu et increpitu ea expellens*, nempe dæmonia.

INCUBARE. I, 1266 A, *Quod si patientiæ incubabo*, i. e. indormiscam, translatione sumpta a rebus caris, quas ne perdamus, etiam quum dormimus, nobis supponimus custodiæ caussa. I, 658 B, *Ipsumque aerem, qui desuper incubat.*

INCUBO. II, 724 C, *Genus erat gravioris aliquanto soporis, ut de incubone præsumptio est.*

INCULCARE. I, 1296 B, *Sustinent quidem, sed ut inculcent* pedibus, proterant ac ludibrio habeant uxores suas; vid. ARCANUM.

INCUMBERE. II, 1032 B, *Quem* (mundum) *incumbimus*, i. e. in quo vivimus. I, 653 B, *Et in suo sanguine squalentia corpora patientissimis oculis desuper incumbat.* I, 340 A, *At in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ et runcinæ.*

INCURSARE. II, 996 C, *Nec enim interest nuptam alienam an viduam quis incurset.*

INCURSIO. II, 1020 A, *Quod sint quædam delicta quotidianæ incursionis.*

INCURSUS. II, 782 A, *Et tamen ne mihi vacet incursus nominis ad eumdem Christum*, etc. Ne elabi sinam occasionem argumentandi ex nomine Adam. Incursum dicit argumentationis impetum. II, 87 A, *Dum incursum quæstionis excutio*, i. e. impetum.

INDICARE. II, 267 C, *Quo denique initiantur et indicantur in hanc hæresin;* i. e. inscribuntur et quasi in indicem sui ordinis referuntur.

INDICIUM. I, 259 A, *Si denique, quod proxime accidit, domesticis indiciis;* legendum *domesticis judiciis.* Domestica autem judicia sunt opiniones præconceptæ.

INDIGENA. I, 429 A, *Sed Romæ postea cum indigenis suis.* Indigenæ non ad Romanos, sed ad Sterculium referendi sunt. Sunt enim indigenæ illi, qui una cum Sterculio vernaculi et proprii Romanorum dii, ut Mutunus, Tutunus et similes.

INDIGITARE. II, 976 C, *Precem indigitant*, i. e. precantur precem mysticam, quæ dici in publico non possit. Nam indigitare *imprecari* exponit Festus, idque oratione arcana, neque in vulgus manatura.

INDIGNATIVUM. II, 673 A, *Indignativum quod appellant θυμικόν, et concupiscentivum quod vocant ἐπιθυμητικόν.*

INDISCRETUS. I, 472 A, *Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores.*

INDIVIDUUS. II, 161 B, *Habentem in se individuas suas*, sc. comites, rationem et sophiam.

INDUBITATUS. II, 579 A, *Indubitatum interitum.* Iren. κατ' ἀνάγκην ἀπολλύσθαι λέγεται.

INDUCERE. II, 29 A, *Induxerim*, i. e. deleverim, sustulerim et ab ea adducenda abstinuerim. II, 352 A, *Etiam fidem istam Apostoli induxerunt*, i. e. deleverunt Evangelii promulgatione. II, 107 A, *Possumus jam consultationem tuam inducere*, i. e. tollere dubium consultationis tuæ. Exponit autem seipsum, cum addit: *et determinare.* II, 680 B, *Proinde enim viam sternunt postea inducendi ejus*, i. e. delendi, oblitterandi. II, 38 B, *Neque ethnicos inducere potuissent*, i. e. adducere, impellere ad credendum.

INDUERE. II, 35 C, *Qui ab Apostolis fidem induerant.* Jun. suspicatur *imbuerant.* II, 935 B, *Sic duas Græciæ literas, summam et ultimam, sibi induit Dominus.* Sic Tacitus: *Etiam adversus nos hostilia induerat;* item, *magnum animum induisse.* II, 105 B, *Igitur consultationi tuæ ordinem quoque induimus.* II, 734 B, *Qui baptisma ejus induerit.* II, 779 A, *Quid vestiris a nudo si Christum induisti?* II, 112 D, *Christum indutus es, siquidem in Christum tinctus es.*

INEMERIBILIS. II, 848 B, *Non quia et substantiæ ipsi inemeribile sit*, i. e. quod caro non possit attingere aut consequi; nam mereri est consequi.

INESSE. II, 652 B, *Capite itaque et facturam dici generari, pro inesse poni.* Verbum *inesse* ex propria compositionis forma non solum significat *esse in aliquo*, verum etiam *generari et produci in esse*, προσάλλασθαι εἰς τὸ εἶναι.

INEXPERIENTIA, II, 683 C.

INEXTRICABILIS. I, 695 A, *Inextricabile impactis naufragium est.* Græcis ναυάγιον ἄρατον, quod vitari non potest. Qui in scopulos impingunt, navemque frangunt, sese extricare sive expedire a periculo non possunt. Virgil. de Labyrintho: *Inextricabilis error.*

INFÆCARE. II, 741 A, *Et concretione carnis infæcat.*

INFAMARE. I, 411 A, *Et jam defunctorum infamant animas.* Infamare animas defunctorum est, quando fortium et præstantium virorum umbræ ad libitum impurissimæ venefícæ excitantur, vel excitari simulantur, cum nihil sint nisi meræ nugæ et fallaciæ. II, 997 A, *Et licet. cultu et ornatu mœroris nimius infament.* II, 450 D, *Ne patientiam ejus infamaretis.* I, 699 B, *Sic et circa majestatem imperatoris infamamur.* II, 84 A, *Sic itaque et circa voluptates spectaculorum infamata conditio est.* II, 97 B, *At enim Christianus nec jannam suam laureis infamabit.*

INFANS. II, 544 A, *Infantes testimonium Christi sanguine litaverunt.* Infantes sive ætate, sive simplicitate

fidei et morum. Priorem interpretationem tenent, qui de infanticidio Herodis hæc dici putant, ex Matth., II : posteriorem, qui de apostolis et discipulis martyribusque Christi, qui non ætate infantes, sed fidei et vitæ instituto, ex Matth., XVIII ; atque hoc confirmant sequentia ; nam illa verba, *qui crucem clamant*, non de Judæis enuntiantur, sed de gloriantibus in cruce Christi. I, 312 A, *Veni, demerge ferrum in infantem nullius inimicum, nullius reum, omnium filium.* II, 422 B, *Et impudentia infantes.*

INFANTARE. II, 262 A, *Qua suos infantat*, i. e. cibo *pascit infantili.*

INFANTARIUS. I, 581 A, *Perducerentur infantarii et coqui et ipsi canes pronubi.* Trium nempe criminum postulabantur : impietatis, Thyestæarum epularum, et concubitus incesti. Aiebant enim ethnici Christianos, ubi convenissent, mactare solitos infantem, cujus carne manducata, et epoto sanguine, fœdus inter se inire, ac post convivium cum quibusvis mulieribus promiscue commisceri, adeoque adhibere canes in more esse ad candelabra alligatos, qui offa injecta candelabra everterent ; extinctisque luminibus, tunc fieri dicebant fœdissimarum illarum commixtionum scelera.

INFANTIA. II, 681 A, *Et quidem ab infantia et ipsæ suæ*, de arboribus. II, 914 C, *Adeo ut præ illa infantia fidei ignorarent adhuc.*

INFECTUS, non factus. I, 333 A, *Corpus innatum et infectum.*

INFERI, omnis locus aut status mortuorum. I, 680 A, *Sic et Lazarus apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus* ; ex verbis Christi ad latronem, *hodie mecum eris in paradiso*, et Abrahæ de Lazaro ad divitem purpuratum, et Johannis martyrum animas videntis sub altari, et Pauli ad Thessal., I, cap. 4. Veterum plerique in ea sententia fuere, ut crederent esse apud inferos animarum receptacula piarum et impiarum divini judicii diem exspectantium. Interea tamen pias quidem pace, quiete, refrigerio gaudere ; impias contra carcere, ignibus, gehenna cruciari. Piarum receptacula in recessu quidem subterraneo, sed inferioribus multo impiarum abyssis superstructo. Inter utrumque autem insuperabilis altitudinis chaos obfirmatum. Quum igitur in hac sententia fuerit Tertullianus, nihil est quod hic miremur, et Lazarum et Abrahæ sinum apud inferos censeri. Nam et ipse eodem sensu, lib. *de Anima*, animam Christi ait egressam de crucifixi corpore ad inferos descendisse, ut compotes sui faceret Patriarchas. Alii vero eadem quoque fide et apud inferos esse paradisum credidere, quo latroni Christus condixit : etenim paradisi vocabulo significari hortum seu pratum, seu quemvis alium amœni refrigerii locum, ubi Patriarchæ, ubi Abraham, ubi Jacob, ubi Lazarus, ubi ille de latrone fidelis, ubi etiam martyrum animæ placide quiescant. Ac de martyribus quidem Septimius noster ita sensisse videtur in *Scorpiace*, cum ait animas eorum sub altari patientiam pascere, et indutas stolam candidam claritatis usurpare. Quasi sedes illa sub altari, ὑποκάτω θυσιαστηρίου, Joanni revelata, nomine altaris terram significet, super quam immolata martyrum corpora, veluti super altare jacuerunt, unde ipsorum animæ in subterraneas amœnitates ab angelis sunt delatæ, ubi resurrectionem ac Dei regnum præstolantur. Moram vero tantulam, licet complurium annorum, sanctis minime gravem, æternæ gloriæ fiducia singulari. Verumtamen Septimium in hac sententia parum fuisse constantem, arguunt ea quæ libro *de Resurrectione* tradidit. Etenim posteaquam probavit, omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini, confestim eximit ab ea dispositione martyrum animas, *paradiso*, inquit, *non inferis deversuras.* Quibus certe verbis paradisum esse apud inferos negat : etsi, lib. *de Anima*, secundum Irenæi sententiam, Christum ipsum dixisset forma humanæ mortis apud inferos functum ; cosque superbe nimis censere, qui non putarent animas fidelium inferis dignas. *Servi super dominum*, inquit, *et discipuli super magistrum, aspernati si forte in Abrahæ sinu expectandæ resurrectionis solatium capere.* Ex his igitur colligimus, homines adhuc ævo illo valde fuisse harum rerum incertos ac dubios. Sequens ætas videre sibi visa est, quæ priores non viderant. Augustinum tamen habuit æque incertum ac dubium. Imo et regulam fidei significationis ambiguo tentavit infernorum sive inferorum vocabulum : aliis Christum ad inferos descendisse horrentibus, ut vel passionis professione sepulturam et descensum involverent ; aut qui sepultum dixissent, descendisse præterea non dicerent, qui descendisse hoc pro sepultura positum intelligi vellent. Et ita jam pridem in Orientis Ecclesiis fuisse testatur Rufinus. Irenæi sententia habetur in fine libri V ; Justini, *Quæstionibus* LXXV et LXXVI ; Tertulliani II, 636 B, 742 B, sq., 747 C, sq., 831 A, B. Augustini *Epist.* LVII, *ad Dardanum*, et XCIX, *ad Evodium*, et lib. VII, *de Genesi ad litt.*, *cap.* 32, 33, 34, et *Quæst. super Genes.*, lib. I, cap. 25.

INFERIÆ, sacrificia, quæ diis manibus inferebant, ut ait Festus, I, 645 A, *Mox edicto die inferiarum*, i. e. publice indicto et pronuntiato die inferiarum.

INFLABELLARE. II, 577 A, *Ignis inflabellatus est.*

INFLAMMARE. I, 1314 A, *Sic et pretia rebus inflammavit, ut se quoque accenderet.* Ita et Plinius dixit *pretium accendere*, lib. XVIII, *Hist. Nat.*

INFULA. II, 947 B, *Deponimus infulas et imparas sumus*, i. e. nos laici, cum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus personam sacerdotalem, et jam dicimus alios esse laicos, alios sacerdotes.

INFUSCARE. II, 205 C, 206 A, *Spiritum Dei delicto infuscandi, τοῦ σκλῦναι*, ut in Glossario exponitur, i. e. vitiandi labe et corrumpendi. II, 308 C, *Quantitas et qualitas muneris infuscabit divitem.* II, 808 A, *Tenes scripturas, quibus caro infuscatur.* II, 652 A, *Si qua igitur candidum et purum aerem veritatis infuscant.*

INGENIUM, res ingenio facta et inventa, σόφισμα. II, 1032 A, *Stupuere illico Carthaginienses, ut novum extraneum ingenium.* I, 528 B, *Et insignia*, i. e. res ingeniose inventæ. II, 889 B, *Ad iniquitatis ingenia*, σοφίσματα. I, 1306 B, *Sine ingeniis decoris.* I, 1319 C, *Quia gloria exaltationis ingenium est.* I, 625 A, *Et omne carnificis ingenium in tormentis.* II, 668 B, *Non enim membra sunt substantiæ animalis, sed ingenia*, i. e. vires et efficaciæ et operæ, ut antea exposuit. II, 986 B, *Sed viderit ingenium extraordinarium.* Extraordinarium histrionis ingenium dicit, quod minime convenit Christiano, quod est extra ordinem christianæ disciplinæ. Confirmant sequentia.

INGESTUS. II, 855 A, *Numquid ab immortalitatis ingestu*, i. e. superindumento.

INGRATIA. II, 311 B, *Interdum et ex alicujus boni operis ingratia.* I, 1230 A, *Viderit ergo ingratia hominum.*

INGRATIS, invite, ἀκουσίως, quasi per vim. I, 284 B, *Aut ingratis necessitas obsequii præferatur veritati.* I, 525 A, *Ingratis experieris conditionis tuæ legem*, i. e. velis, nolis, et moriendum et resurgendum erit tibi. II, 214 A, *Suspiciones suas ingratis fulcire conatur.* II, 143 B, *Aut ingratis luminosus*, i. e. male, maligne, de carcere.

INGRESSUS. II, 714 A, *Legitima nativitatis ferme decimi mensis ingressus est*, i. e. cum partus mensem decimum agit in utero.

INGUSTARE. II, 136 C, *Et Latio in hodiernum Jovi media in urbe humanus sanguis ingustatur.*

INHABITARI, indui, vestimento esse. II, 1039 B, *Quarum pars gentilitas inhabitantur.* II, 223 A, *Sed inhabitari.* Ad verbum vertit illud Is. XLV : Ἀλλὰ καὶ ἐλεεῖσθαι, *ut inhabitarentur.*

INHALARE. I, 413 A, *Qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt.* Tale vaticinationis exemplum sacræ historiæ præbent in Balaamo, Num. XXIII, 1, 2, 3. Quin ipse Apollo negat vaticinari se posse absque thymiamatibus.

INHONESTAS. II, 331 B, 641 A, *Omni inhonestate prostratus canebatur*, i. e. deformitate.

INHONESTUS. II, 772 A. *Contumeliæ inhonestam carnem probavere*, i. e. deformem.

INHONOR. II, 108 B, *Ad contestandum autem inhonores illum.*

INHONORARE. II, 393 C, *Inhonorabitur vir, utique ob substantiam honorabilis*, i. e. honore suo destituetur. II, 808 B, *Ut carnis non tamen substantia sed actus inhonoretur.*

INHUMANUS. II, 1047 A, *Ut ex uno circumjectu licet equidem nusquam inhumano.* Latin. legit, *licente quidem nusquam inurbano.*

INJECTIO. II, 17 A, *Sollicitudinis injectio.* II, 28 A, *Quasi non liceat omnibus male examinatis injectione alicujus mali impingere per errorem*, est græc. ἐπιβολή. II, 270 C, *Nisi cæteris quoque injectionis ejus elidendis locus detur.* II, 206 A, *Sua injectione*, εἰσβολῇ, objectione seu argumento in contrarium contorto. II, 190 B, *Sed et hæc injectio eorum... jam retusa est.* II, 708 B, *Illam vero* (Helenam) *injectionem suam primam.* Clarius Justinus: primam quamdam mentem seu intelligentiam. Iren. mentis conceptionem matrem omnium, per quam initio mente concepit angelos facere et archangelos. II, 1003 B, *Quoniam non ignoramus injectiones ejus*, οὐ γὰρ αὐτοῦ τὰ νοήματα ἀγνοοῦμεν, ex II Cor., II, 11.

INJICERE. II, 34 C, *n.* (6), *In utroque Christum reprehensioni injicientes.* II, 189 A, *Nec pudet illos injicere*, i. e. ἐπιστῆν. II, 708 B, *Qua injecerat angelos et archangelos condere*, i. e. mente conceperat. Exponit sequens, *hujus eam propositi compotem.*

ININTERPRETABILIS. II, 564 A, *Hoc solo ininterpretabili nomine.*

ININVENTIBILIS, ἀνεξερεύνητος. II, 238 B. *Ininventibilia judicia ejus.*

ININVESTIGABILIS, ἀνεξιχνίαστος. II, 238 B, *Ininvestigabiles viæ ejus.*

INIRE. II, 893 C, *Igitur quas non divisit tacendo, in altera iniit.* Rectius legitur, *igitur quas non divisit, tacendo inalteravit*, i. e. indidit alteri, conjunxit, confudit, ut jam ambo una essent, ac sese mutuo continerent. Ipse paulo post: *A muliere non separavit, et non separando conjunxit ei, a qua non separavit.*

INLUDIA. II, 815 B, *Nihil aliud se, quam inludia animarum somniaturum*, i. e. illusiones manium, in ultionem inimicos suos parricidii auctores exagitantium.

INOBEDIENTIA, obsequium objectum. II, 401 B, *Qui et inobedientiam illis exprobrare posset.*

INOBSCURABILIS. II, 652 A, *Muniti et illic divinæ determinationis inobscurabili regula.*

INOFFICIOSUS, cum genitivo. I, 485 A, *Inofficiosa ejus*, græca locutio.

INOLESCERE. I, 1269 B, *Cum cineri et sacco inolescit*, i. e. assuetudine pœnitentiam familiarem sibi reddit et pene naturalem. Desumpta metaphora ab arboribus, quæ, insitæ in alias arbores et inoculatæ, cibo et alimento assuescunt per truncum educto et attracto. I, 486 A, *Omnibus vitiis et criminibus inolevit.*

INORARE, os vel oram instruere. II, 815 B, *Coronis quoque potatoris sui inorabitur.*

INPRÆSCIENTIA. II, 293 C, *Nonne tunc magis deceptus ex inprævidentia futuri videretur.*

INQUIES. II, 691 B, *An si desierit inquies ejus.*

INQUIETARE. II, 1033 A, *Inquietat*, i. e. inquietatur; ita sæpe. Turbare. I, 363 A, *Honorem inquietant divinitatis.*

INQUIETATOR. I, 654 B, *Auriga ille, tot animarum inquietator.*

INQUILINITATUS. II, 717 A, *Toto inquilinatus sui tempore.*

INRECOGITATIO, i. e. incogitatio, ut Plautus ait, sive inconsiderantia. II, 919 B, *Hæc ipsa hujus consilii interjectio, quasi inrecogitationem excessus sui passa.*

INSANIRE. I, 692 C, *Nam si insanis, jam esse confirmas*, i. e. si irascaris. I, 1284 A, *Et quæ Delphis insaniunt, nubere nesciunt.*

INSCRIBERE. II, 504 C, *Sed ipse mundus inscriptus est*, scil. hoc testimonio. Sens.: Catholica illa et summa Dei bonitas inscripta est in mundi tabulis. II, 714 A, *Cum et fato jam inscribitur*, i. e. accensetur.

INSCRIPTURA. II, 585 A, *Nobis enim inscriptura hujus seminis*, ἐγγραφή, qua inscripti sumus ad salutem in hoc animali censu, ut ante dicebat auctor. Itaque inscriptura hujus seminis est regula animali semini præstituta.

INSECUTOR, persecutor. I, 294 A, *Tales semper nobis insecutores, injusti, impii, impœ.*

INSERERE. II, 581 A, *In quem tanta licentia Jesum inserunt.* Valentiniani inserunt Jesum illum ex omnium æonum defloratione constantem Soterem, in animalem demiurgi Christum, fertilem Christum constituentes, et semen spiritale eodem modo in animale infulciunt.

INSOLESCENS. II, 756 B, *Uterum de die in diem insolescentem*, i. e. protuberantem et more non solito prominentem. II, 700 B, *Tanquam tonsura insolescentis generis humani.*

INSTANTIA, instans, persecutio. I, 1265 B, *Quotiens instantia ejus deterior facta est caussis suis.* I, 651 B, *Aut instantia quæstionis.* II, 748 B, *Instantia divinæ gratiæ victus.*

INSTAURARE. II, 363 C, *Ex Apostolicis Lucas et Marcus instaurant*, i. e. instruunt et parant. Plin., II. N., lib. XXXI, cap. 2: *M. Cicero Academia sua monumentum sibi instauraverat, ceu vero non et in toto terrarum orbe fecisset.*

INSTITUERE. II, 51 D, *n.* (7), *Necessitas instituit*; subaud. *eos.* Est enim Tertulliano ellipsis antecedentis frequentissima.

INSTITUTIO. I, 376 A, *Institutionibus pravis.* Haverc. vult spectari his verbis a Tertulliano Cebetis tabulam, ubi hæ pravæ institutiones, quibus homo circumscribitur, i. e. fallitur: sunt δίξαι, ψευδοπαιδεῖαι, poetæ, oratores, etc. II, 208 B, *Horum enim natura habendo institutionem, habere poterit et cessationem.* II, 810 A, *Itaque restitutionem carnis faciliorem credas, quam institutionem.*

INSTRUCTILIS. II, 668 A, *Et de suo tota est non magis instructilis aliunde, quam divisibilis ex se.*

INSTRUCTUS, splendidus apparatus, et instrumentum domesticum invidiosum. I, 305 A, *Habitu, victu, instructu. Quam dicimus cum omni instructu suo nasci*, quasi cum omni instructu et instrumento, cum omni censu, cum omnibus suis. Sic enim supra. Atque in hunc significatum locutiones istas apud Africanos præsertim fuisse indicat Augustinus, lib. II *Quæst. in Exod.*, quæst. 47: *Græcus*, inquit, ἀπουσιωτήν, *habet, ubi* substantiam *Latinus interpretatus est, quod aliquando Censum interpretantur nostri, sicut nunc instructum dicere voluimus.*

INSTRUMENTUM. I, 377 A, *Instrumentum literaturæ*, i. e. sacræ literæ. I, 381 A, *Instrumentis istis.* II, 214 A, *Ad originale instrumentum Moysi provocabo.* II, 151 A, *Instrumenta imperii loquentur.* II, 267 B, *Nec poterunt negare discipuli ejus, quod in summo instrumento habent.* II, 561 B, *Alterum alterius instrumenti, vel quod magis in usu est dicere, testamenti.* II, 169 B, *Qui omnia apostolatus ejus instrumenta protulerint.* II, 472 C, *Quam de instrumento Actorum.* II, 484 A, *Secundum commune instrumentum*, i. e. secundum eam partem Evangelii Lucæ, quam et Marcionitæ communiter nobiscum accipiunt. II, 906 B, *Plus instrumenti ad balneas deferunt.* Clemens, *Pædagog.* III, 5: Τά τε ἀργυρώματα μεθ' ὧν ἐμπομπεύουσιν ἀπερισκέπτως ἐν τοῖς βαλανείοις προτιθέασι. II, 1306 A, *Fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt*, i. e. mundum muliebrem, instructum, ex libro Enoch. κόσμια τοῖς γύναιξιν. II, 1325 B, *Quo ergo pacto pudicitiam sine instrumento ejus tractabimus*, i. e. sine gravitate, nempe instructior est pudicitia, quæ gravitatem habet co-

mitem. II, 850 B, *Tunc et Apostolus per totum pene instrumentum*, i. e. per omnes suas epistolas. I, 636 A, *Quam de instrumentis ethnicarum literarum.* I, 1202 C, *Quantum instrumentum mundo ferat*, nempe aqua.

INSUBDITIVUM, quod non est obnoxium passionibus et mutationibus, II, 582 A.

INSULA. II, 550 B, *Insulam Feliculam credas*, insulæ, domus magnæ, circumquaque via publica cinctæ, quæ plurimum tabernas institorias et meritoria cœnacula habere solent.

INSULTATORIUS. II, 497, C, *A quo verbum insultatorium de morte, et triumphatorium accepit.*

INSUMERE. II, 217 B, *Si tantam curam instructionis nostræ insumpsit Spiritus sanctus.*

INTENTATIO, i. q. intentio. I, 500 B, *Adversus omnium criminum intentationem.* I, 432 B, *Satis hæc adversus intentationem læsæ divinitatis.* II, 1009 B, *Si etiam sequentia illius epistolæ ad intentationem Apostoli extendas.*

INTENTIO, crimen, accusatio. II, 636, A, *Enormis intentio philosophiæ.*

INTERCALARE, tempus interjicere, ut in ratione fastorum olim. II, 504, D, *Nisi si Creator ideo intercalavit.*

INTERCEDERE. II, 555, A, *Sed intercessit mater Sige*, i. e. opposuit se, obstitit; forensi phrasi. Iren.: κατέσχε δὲ αὐτὸν ἡ Σιγή. II, 293 A, *Quod Deus non intercesserit adversus ea*, i. e. non obsterit. II, 472 C, *Intercessisse quosdam qui dicerent.*

INTERCIPERE. II, 426, A, *Imperatoris Marci* (Antonini) *jam intercepti*, i. e. quem, antequam sciret Cybele mortem ejus, interceperat fatum.

INTEREMPTRIX. I, 650 A, *Ipsæ illæ pudoris sui interemptrices.*

INTERFECTOR. II, 750 B, *Sed jam hic responde, interfector veritatis:* appellat Marcionem.

INTERIBILIS. II, 229 B, *Ex materia Deus nihil interibile fecisset.* Ibid., *Ex interibili in æternum.*

INTERIM, interdum. I, 309 A, *Quæ prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt.* II, 1032 B, *Fungitur et ipse mundus interim iste, quem incumbimus.* Tandem aliquando : II, 1045 B, *Unius interim erroris tui renuntiatorem.* Tamen : I, 386 A, *Et sacra unius interim prophetæ.* II, 554 A, *Interim in tricenario*, i. e. quantacumque sint istorum privilegia numerorum in tricenario, etc. *Agnoscant interim naturæ auctoritatem*, i. e. jam nunc. II, 10 B, *Interim et semper*, i. e. interdum.

INTERPELLATIO. I, 702 B, *Et nunc ex eadem caussa interpellatio sanguinis*, hæmorrhagia fortasse, ex qua Scapula tum laborabat.

INTERPRETARI. Passive. II, 214 A, *Quod in materiam interpretari possit.* II, 627 A, *Interpretatur enim spiritaliter sic.* II, 1222 A, *Nec incongruenter ad figuram interpretabitur.* II, 910 A, *Hoc nos interdum diabolo interpretamur*, i. e. adtribuimus, acceptum ferimus. II, 92 A, *Transgressioni interpretanda*, i. e. quæ pro transgressione judicari et haberi debeat.

INTERPRETATIO. II, 22 C, 23 A, *Certare cum interpretationis gubernaculo*, i. e. cum ratione, cum disciplina rationis, quæ omnem interpretationem gubernare debet, et in ea semper regnare.

INTERPRETATOR. II, 957 A, *Idem Apostolus edocet interpretator utriusque Testamenti.*

INTERSTES, limes. II, 441 B, *Et cæperunt nova interstite Johanne.*

INTERVENIRE. I, 1267 A, *Aut admonitionibus Domini intervenit usus.* Rhenan. *intervenimus.* Intervenimus erroribus nostris, aut mali insidiis, cum nos illis opponimus, non consentiendo, sed evitando potius. Sic olim tribunus senatusconsultis intercedebat. At admonitionibus Domini intervenimus, cum eis obsequimur.

INTERULA, est tunica, quæ sub pallio gestabatur, II, 1047 A.

INTIMARE. I, 1310 A, *Nullus clavus argentum intimat tabulis*, intromittit, intestino opere infigit inserit- que intus. II, 851 A, *Sensibus utique intimandum Dominum significavit.*

INTINCTIO. II, 1229 A, *Præire intinctionem pœnitentiæ jussit*, i. e. baptismum. I, 1270 A, *Ad occasionem secundæ intinctionis*, i. e. martyrii, I, 1247 A, *Præsumptio intinctionis importat;* i. e. fiducia veniæ per baptismum impetrandæ.

INUNITUS. II, 583 A, *Et tamen inunitam in Adam.* Iren. : τὴν ἐν ἑνὶ τῷ Ἀδὰμ συστᾶσαν.

INVENIRE. II, 25 B, *Quærenti invenietur*, i. e. quærenti aderit, quod quærit, græca phrasi.

INVENTUS, inventio, εὕρημα, forma Tertullianea. II, 648 B, *Testimonium est veritatis inventus ipsius.*

INVESTIS, qui veste non indutus est. II, 1038 A, *Nudus certe et investis figulo suo constitit.* II, 900 C, *Etiam nondum viri masculi investis*, i. e. ἄῤῥενες ἀρθόρου qui in veste, i. e. in castitate et pudicitia adhuc est, ut interpretatur Nonius. II, 906 A, *Et paterfamilias, licet investis.* II, 746 B, *Puta nunc puer investis.*

INVIDIA. I, 487 A, *Invidia cœlum tundimus.* Exponitur ἀτενισμός ab *invidendo*, quod est *valde videre*, et contenta oculorum acie intueri in aliquid vehementissime. Ita Junius : aliter Rigaltius ad I, 1159 A, *Clamant ad Dominum invidia animæ martyrum*, i. e. clamando invidiam faciunt, sanguine per tot cruciatus fuso invidiam objiciunt Deo. Tam sunt obnixæ et efficaces martyrum voces, ut ab Deo, vel invito, sanguinis ob ipsius nomen fusi vindictam extorquere valeant : adeoque ipsum, nisi petentibus annuat, invidia crudelitatis et immisericordiæ onerare videantur. II, 113 A, *Malo invidiam ei facere per voluntatem ipsius pereundo, quam bilem per meam evadendo.*

INVISIBILIS. II, 223 A, *Invisibilis* (terra), *ut adhuc aquis tanquam munimento genitalis humoris obducta.*

INVOCARE. I, 399 B, *Quoniam remissio Domini Dei tui invocata est*, ἐπικέκληται, publica voce promulgata.

INVOLUNTAS. II, 499 B, *Ex involuntate vel necessitate delinquenti*, i. e. dum prætexitur peccatum involuntarium, et ad quod vi et necessitate sunt coacti.

IRE. II, 282 B, *Gratus esses, o dee hæretice, si isses in dispositionem Creatoris*, i. e. si obstitisses; non enim Marcion natus fuisses.

IRRECUPERABILIS. II, 1007 C, *Immunditia irrecuperabili*, i. e. unde recuperari nihil potest, immunditiam scilicet arte nulla curabilem. Sic infra, ubi de lepræ immunditia sanabili, *recuperationem et reformationem* dixit.

IRROGARE. I, 690 A, *Per illas et pœnæ ad impios paratæ irrogantur.* Mendose. Verissima lectio est vulgata, quam tuetur etiam codex Agobardi : *Per illas et pœnæ ad impios paratæ ignorantur.* Ait Tertullianus per iniquam sæcularium potestatem adversus Christianos sævitiam fieri, quo minus religio christiana proficiat, ac per hoc ignorari, quæ sint a Deo pœnæ adversus impios paratæ. Itaque omnes hujus sæculi potestates et dignitates, non solum alienas, verum et inimicas Dei esse, adeoque Christianis Dei cultoribus minime ambiendas aut suscipiendas.

IRRUERE. II, 701 C, 702 A, *Æthalides autem et Hermotimus fabam quoque in pabulis communibus irruerat*, i. e. intulerat, injecerat; nam et *ruere* agentis est, ait Servius in Georg. II.

ISCLA. II, 554 A, *In isclis Carthaginiensibus.* Vocabulum Carthaginiense. Syris *iscola*. Latin. *schola.*

ISTER, Danubius. II, 247 B, *Istro fallacior*, quia nautas profunditate, rapiditate et cautium scopulorumque intervenientium frequentia plurima fallit.

ITERARE. II, 1008 A, *Cum ad Corinthios ejusdem Apostoli literæ iterant.* II, 711 B, *Animæ in aliud corpus iteratæ.*

ἰχθύς, I, 1198 A, *Sed nos pisciculi, secundum ἰχθύν, nostrum Jesum Christum in aqua nascimur.* ἰχθύς nomen ἀκροστιχίον (ut ait Junius) ex Sibyllinis versibus,

in hunc modum I. Ἰησοῦς, χ. Χριστός, θ. Θεοῦ, υ. Τιος, σ. Σωτηρ. Cf. I, 150 D, 151 D, 1198 D, 1199 B, C, D, 1200 B, C, D; II, 872 A, 1140 D, 1141 A, B, C.

J.

Jejunare. II, 655 B, *Denique jejunantes a philosophia nihilominus vivunt.* II, 1011 C, *Aspice illum a justa fruge naturæ, a matrimonii dico pomo animas jejunare cupientem.* II, 651 B, *Jejunantibus cæteris a salute.*

Jejunatio. I, 703 C, *Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ.*

Jejunus. II, 983 C, *Jejunas pacis lacrymas profusuris*, i. e. absque pacis spe.

Judicare. I, 286 A, *Inedia de semetipso judicaverit*, i. e. inedia mortem sibi conscivit. I, 352 A, *n.* (2), *Fulmine judicatum*, i. e. punitum.

Judicato, certo judicio. I, 1235 B, *Et judicato pronuntiasse eum meliorem.*

Judicium. *Domesticum judicium* est opinio præconcepta.

Jupiter. I, 317 A, *Jupiter quidam*, intelligitur Latiaris. II, 974 A, *Apud Jovem hodiernum de Pythagora hæreticum*, i. e. Encratitarum deum, auctoremque primum. Vid. Epiphan. lib. II.

Juridicina, tempus quo quis jus dicit, II, 1040 A, est prætura.

Jurulentia. I, 313 A, *Quo sanguinis jurulentiam colligas.*

Justitia. II, 1030 C, *Quadrata justitia*, i.e. συμμετρία. Alii legunt : *atque quadratæ institu.* Institia fasciola erat tenuissima, qua vestes subnectebantur, ornatus caussa, erant enim segmenta pretiosioris panni. Reliqua apud alios ita leguntur : *In viris autem pallii extrinsecus habitus*, etc. II, 231 B, *Justitia mutationis*, i. e. justa mutatio. II, 880 B, C, *In ipsis corporibus unguium et capillorum facilia crementa habilitatis et dignitatis justitiæ defixit.*

Juvare. II, 1030 C, *Cum ita vacat ac juvat*, i. e. dum ita libet et licet.

Juvenescere. II, 921 B, *Jam senuit, ex quo juvenuit.*

Juxta. II, 648 B, *Aliquando philosophos juxta nostra sensisse*, i. e. peræque in nonnullis rebus. II, 987 A, *Non prius apud Ecclesiam professæ juxta mœchiam et fornicationem judicari periclitantur.* II, 1020 A, *Juxta est igitur, ut excidisse sibi dicamus Joannem.*

L

Labare. II, 998 A, *Quis labat de valetudine.*

Laberius, poeta antiquissimus, qui suis in carminibus verba petulanter finxit. Sueton. Jul. cap. 39. Gell., N. A., lib. XVI, cap. 7.

Laborare. II, 322 D, *Decet veritatem totis viribus uti suis, non ut laborantem.* Laborat virtus, cum aut falsitate opprimitur, aut veri specie obducitur. Contingit etiam non raro, ut vera dicere periculosum sit, propter violentiam et impotentiam quorumdam.

Laciniosus. II, 362 A, *Et a legis laciniosis operibus expeditum*, i. e. multiplicibus et quæ omnes occupationibus distinebant, sicut impedit gressum vestis laciniosa. II, 433 C, *Expediti esse ab impedimentis laciniosæ vitæ et implicitæ.* II, 894 B, *Quoniam sermo laciniosus*, i. e. diffusus. I, 1225 B, *Laciniosis pomparum et deliciarum ineptiis occupare*, i. e. variis et redundantibus.

Lacryma, vocatur omnis humor ab arboribus distillans. Plin., Hist. Nat., XII, 14. I, 444 A, *Arabicæ arboris lacrymas*, i. e. grana thuris.

Lacunaria, opera tabulata. I, 417 A, *Alius lacunaria numeret.* Pertinet ad gentiles, apud quos deau rata erant templorum laquearia. Vid. Lips., lib. III, *de magn. Rom.*, cap. 5; Meurs., *de Luxu*, cap. 7; et Ricq. *de Capitolio*, pag. 200. In hos repercutit id quod Christianis et Judæis objiciebant nubes numerare. Ipsi enim illi sacrificantes in Capitolio, manibus non tantum sursum levatis, sed et pedum digitis insistentes arrecti stabant, quasi lacunaria numerarent.

Læsura. I, 1260 C, *Læsuras quoque earum computandas non esse*, i. e. detrimenta sive dispendia, cum aliquid de re familiari amittitur.

Lamius. II, 545 B, *Lamiæ turres, et pectines solis.* Fabellæ pueriles apud Carthaginem tempore Tertulliani, quibus parvulos suos a clamoribus continebant nutrices.

Lana, ἔριον sive ἄμαριον, fuit villosum sive densum ἐπίθημα, quo molliores cerebri partes obtegebant, cætera nudæ. II, 912 A, *Mitris enim et lanis quædam non velant caput.*

Lancea. II, 994 B, *Sed totius solis lancea opus est*, i. e. radio.

Lanceare, lancea transfodere ac occidere. II, 618 B, *Qui ante norint lanceare quam lanciuari*, de infantibus ponticis, II, 538 A.

Lancinare, discerpere, secare in frusta. II, 247 B, *Prometheus, deus omnipotens, blasphemiis lancinatur*; alii *laciniatur*, i. e. quasi laciniatim distrahitur ac vellicatur. II, 618 B, *Qui ante norint lanceare quam lanciuari* : infantes dentitione exasperati, mammas inter sugendum lancinant. II, 337, 806 B, *Ipsisque stramentis lancinata.*

Laniare. I, 274 B, *Laniari jubere sacrilegum*, subaud. *tormentis.* Verba priora forte ita interpungenda sunt : *Sic enim soletis; dicere homicidæ, Nega*, i. e. vos estis auctores ut negent.

Lanicutis, laniger, εἰριπόκος, II, 1011 B.

Lanius. II, 199 A, *Inter tabernarios et lanios.* Rigaltio mendosum videtur, quod hic lanii separatim notantur, quoniam hi in matricula tabernariorum censebantur. Rhenan. et Jun. testantur, in exemplaribus antiquis scriptum fuisse *janeos*; quod Junius interpretatur de janitoribus mercenariis, et laudat Festum; Rhenan., de *ganeonibus*, quasi *ganeos* dixerit Septimius pro *ganeonibus.* Verumtamen, cum illius ævi Christianos tantum a sanguine *et* cruore abhorruisse sciamus, ut etiam a botulis et cæteris hujusmodi eduliis studiosissime abstinerent, facile mihi persuaderi patiar Tertullianum hoc loco lanios a generali tabernariorum appellatione exemisse, quo magis negotii, de quo agitur, fœditatem extolleret.

Lanositas. II, 1039 A, *Quo muscosæ lanositatis plautiores conchæ comant.*

Lanx. I, 300 A, II, 1048 A, *Item qua lances centenarii ponderis Sulla molitur.* Lances erant vasa escaria, facta ex centenis libris argenti. Plin., H. N., lib. XXXIII, cap 11.

Lapidositas. I, 1311 A, *Sicut et in piscium cerebris lapidositas quædam est.*

Largiter. I, 462 A, *Largiter ultionis.* Hellenism. Largam ultionem.

Larissæus *heros*, Achilles, II, 1041 A.

Laterculum, est libri nomen, in quo dignitatum omnium tam militarium quam civilium cognitio continebatur : hic erat penes primicerium Notariorum. Vide et Pancirol. in *Notit. dignit. Imp.* cap. 92. II, 584 A, *Ex earum ergo laterculo.*

Latere. II, 248 A, *Ne cui lateat.* Hellenism. II, 774 A, *Dum id fit, cui latebat.*

Laterensis. II, 466 A, *Tot fere laterensibus uti solebat*, i. e. honorariis comitibus et amicis honoris caussa prosequentibus, qui item *a latere* in civili jure appellantur. Alii sunt *laterones*, δορύφοροι, ex officio ministratorio sequentes et tegentes latera principum virorum, non autem officio, ut illi, honorario.

Latrinæ. II, 1044 B, *Latrinarum antistes*, quæ

Cloacinæ deæ præest. II, 900 C, *Præmeditatorium efficitur latrinarum.* Hoc etiam imitatus est Hieronymus. *Quale*, inquit, *jejunium est, aut qualis refectio post jejunium: pridianis epulis distendimur, et guttur nostrum meditatorium, seu potius præmeditatorium efficitur latrinarum.* Qui etiam allegat Scripturas hic citatas, Exod. XXXI, et Deuter. XXXII et VIII. Item Isai. VI, excepto quod ibi etiam legi debeat, *Deum*, quod græce sit Θ-εν, et quod auctor sua utatur phrasi *salvificatore*, pro *salutari*.

Latus. II, 1054 A, *Italiæ latus*, Magna Græcia. II, 798 A, *Quia et hoc latere unio divinitatis defenderetur*; metaph. sumpta a re militari. II, 443 B, *Habes etiam nuptiarum, quoque latere velis, prospectorem*, i. e. quamcumque in partem te vertas. II, 969 A, *Quo itaque putas laterum confirmatum apud nos spiritum*, i. e. utra parte argumenti, qua ratione, quam in partem. Utitur verbo *confirmatum*, ut ad latus tectum, in exercitu vel gladiatore referatur.

Laureolus. II, 565 A, *Quia nullum Catuli laureolum fuerit exercitata*, λαυρίολον ἀσκηθείσα. Hellenism. Catullus mimographus mimos duos composuit, *Phasma* et *Laureolum*. In hoc Laureolo judex in crucem agebatur coram frequenti populo. Verum Domitianus reum quemdam crimine capitali postulatum damnatumque judicio serio penitus in crucem agi voluit, atque ibi ab ursa dilaniari. Sueton., *Calig.*, cap. 57. Joseph., *Antiq. Jud.*, lib. XIX.

Lectio, scriptura. I, 408 A, *Et nunc lectionibus resonantibus carpunt*, i. e. ex corum scriptis, quæ adhuc quotidie loquuntur. II, 697 B, *Et lectionibus stylo quæstiones retractatus terminare*, i. e. placuit lectionibus terminare quæstiones retractatas stylo sive hac scriptione mea, cum disputationibus illis quæstiones sermone ultro citroque tractatæ non potuerint nec adhuc possent terminari.

Legatorius. I, 638 A, *Inter quos etiam privatorum memoriis legatoriæ editiones parentum*, i. e. munera et ludi editi ab hæredibus aut legatariis, quibus testator de suis bonis ad editionem ludorum aliquid testamento legaverat.

Lemniscus. II, 647 B, *Si et in carcere lemniscatas Amyti et Melyti palmas gestiens infringere*, lemniscata palma proprie est, in qua majoris honoris caussa lemnisci sunt. Nam lemnisci sunt vittæ, quæ sunt in honoribus deorum usitatæ; vid. Auson., Ep. 20. In Decreto Berenices urbis Africæ est στέφανος ἐλατὸς καὶ λημνίσκος, majoris honoris caussa coronæ additus, ap. Maffeum, *Antiquit. Gallic.* p. 7.

Leno. I, 1184 A, *Et crinium lenonem operositatem.* Sic I, 1151 A, *Superducto Evangelio expunctore totius retro vetustatis.* II, 1045 A, *Sacerdos suggestus.* IV. 190, *Purgatrice aqua se purgabat.* II, 716 A, *Pro dominatricibus potestatibus.* Ut adeo vix opus sit conjectura *lenoninam operositatem.*

Lenocinator. II, 272 B, *Gratiæ lenocinatorem.*

Lenocinium. II, 221 C, *Sine ullo lenocinio pronuntiationis.* I, 1274 A, *Aut lenociniis negotiantes uxorem potestatibus subjicit.* Phrasis est jureconsultorum. Nam, teste Ulpiano, de iis qui notantur infamia, cap. I, *Athletas*, « Lenocinium facit qui quæstuaria mancipia habuerit, sed et qui in liberis (adde, ex auctoris sententia, uxorem) hunc quæstum exercet. »

Leo. II, 77 B, *Novi et pastores eorum in pace leones, in prælio cervos.* Proverbialis locutio in eos qui præpostere se gerunt: ubi res postulat audaciam et virtutem, ibi timidi; feroces, ubi nihil ferocitate opus. Livius: « In otio tumultuosi, in bello segnes. » Synesius: ἐν μὲν εἰρήνῃ θρασεῖς, ἐν δὲ πολέμῳ δειλοί.

Lex. II, 586 B, *Leges quoque Julias intervenire, sicut et Cainam.* Jun. legit *Caniam*, sive *Canuleium.* Lex Julia agebat de maritandis ordinibus, et cælibem esse quemquam non patiebatur, etc. Lex Canuleia, de maritandis ordinibus, ut plebeii cum patriciis possent connubia jungere promiscue, ut tradit Livius principio lib. IV. Hac lege autem fuit opus ut inferiores, qui sub pleromate, connubio cum superioribus intro pleroma jungi possent. II, 952 A, *Aliud est, si et apud Christum legibus Juliis agi eredunt.* Vid. Solidum. II, 327 B, *Scilicet nauclero illi non quidem Rhodia lex sed Pontica caverat.* Cavebatur Rhodia lege, ne cui in jactu plus frandis cuiquam esset, quam prout æqualitas geometrica (ita vocant) latura esset, nec quisquam erraret in victoris ullius incommodum. Scilicet, inquit auctor, Pontica lege aliqua, unde nobis prodiit Marcion, itidem fuerit prospectum, ne Judæis in Christum suum errare liceret.

Liare. II, 670 A, *Et cisternam liare* λειαίνειν accurate expolire, ne qua effundi aqua possit. Vid. Plin., H. N., lib. XXXVI, cap. 23.

Libens, placens, gratus, qui libeat spectantibus. II, 247 A, *Sol nunquam libens*: melius tamen forte: sol haud libenter adspicit hanc regionem.

Libenter. II, 151 A, *Et solummodo columbæ libenter errantes*, i. e. incauta simplicitate aberrantes et avolantes a dominicis ædibus.

Liberalitas. II, 76 A, *Liberalitas præstantissimorum imperatorum*, i. e. liberale donativum militibus indulserunt imperatores L. Septimius Severus pater et M. Aurelius Antoninus Caracalla filius, ut Rhenan. observavit.

Libertas. II, 902 A, *Ut honorem sanctitatis in libertate capitis ostendat*: libertatem capitis dicit, quam paulo ante *velaminis veniam*, i. e. non habendi velamen in capite.

Libido, studia, appetitus. II, 27 A, *Et omnem libidinem curiositatis effundas.* II, 231 A, *Aut libidines eorum.* II, 758 A, *Totum incertum libidinibus fastidii et gulæ*, i. e. appetitionibus aut voluntariis motibus fastidii aut appetentiæ, quibus gravidæ plerumque infestantur.

Libidinosus. I, 516 A, *Gloriæ libidinosi.* II, 908 A, *Ut gloriæ libidinosum*; quod fit ob libidinem et cupiditatem gloriæ.

Librare, libramento impellere. II, 1031 B, *Nemini libratum*, i. e. a nemine libratum. II, 234 B, *Ex vi librato impetu ferebatur.*

Librator. II, 227 A, de spiritu, qui super aquas ferebatur.

Libripens. I, 291 C, *Quasi libripens emancipati a Deo boni.* Libripens, proprie qui aurum appendit, hic in emancipationibus plurimum adhibebatur, et in manumissionibus sacrorum caussa. De emancipatione auctor agit non personæ, sed boni, quod Deus per emancipationem (non per coemptionem) aut hominis dignitatem ullam in hominem transtulit. Bonum ergo Deus homini dedit et emancipavit, i. e. de manu sua in manum hominis transportavit. Quemadmodum autem quadam fictione et repræsentatione juris libripens interveniebat in emancipationibus, qui rem ab emancipante expensam appenderet emancipato: ita, inquit auctor, fictione juris a Deo adscripta est homini libertas arbitrii, quasi libripendens quidam, qui bonum a Deo acceptum in hominem transportaret traderetque, ut dominus esset homo boni sui a Deo erogati.

Licentia. II, 942 B, *Habet secum animi licentiam*, ἐξουσίαν, potestatem. II, 117 A, *Si tributo licentium sectæ compensaremus.* II, 649 A, *Nihil divinæ licentiæ servat*, nimirum potestatis, ut exemplis ex Arnobio, lib. I et II, *adv. gentes*, Latinius confirmavit.

Licere. II, 231 A, *Sed de motu et alibi licebit*, pro *liquebit.* II, 133 B, *Etiam Africæ licuit.* II, 781 B, *Quanquam licuit jam et de nomine hominis.* II, 683 A, *Ita et animam licebit semine uniformem*, i. e. liquebit.

Licite. II, 198 A, *Pingit licite*, i. e. licenter seu licentiose, contra quam Deus, pictoriam artem circumcripsit, vetans ne ea pingantur, quæ adorari possint, aut imago Dei statuatur: sic legem Dei *in artem contemnit.*

Lignarius. II, 628 B, *Ne forte lignarium aliquem re-*

gem significari putetis. II, 317 B, *Nisi forte lignarium aliquem regem significari Judæorum.*

Limax, cochlea terrestris, a limo, quod in eo generetur et nutriatur, auctore Varrone et Festo. II, 663 A, *Et spumante reptatu, quod limaces.*

Limen. II, 939 A, *Ecce statim quasi in limine duæ nobis antistites christianæ sanctitatis occurrunt*, i. e. in ipso operis disputationisque congressu sese offerunt, II, 545 B, *De limine offendere* est locutio proverb. de iis qui initio rei, quam agendam susceperunt, peccant.

Limes. I, 526 A, *Cum ergo finis et limes medius*, etc. Sens.: cum ergo constitutum tempus et terminus ille extremus, qui inter temporalem et perpetuam ætatem est, aderit. Rigalt. putat, *limitem medium* vocari a Tertull. spatium annorum mille. II, 548 A, *Mihi autem cum Archetypis erit limes principalium magistrorum*, i. e. repagula et cancelli hujus meæ disputationis hi futuri sunt, ut cum authenticis principum hæreticorum scriptis congrediar.

Linea. II, 200 B, C, *Propter non intelligentes, quorum Hermogenes extrema linea est*, i. e. summus ἀνοήτων, metaphora sumpta a pictorio opere. II, 232 B, *Cujus linea extrema est.* II, 233 A, *Et hic a lineis tuis excidisti*, i. e. contra te ipsum disputas, sive ab instituto et proposito aberrasti. II, 577 A, *Horo signante lineam extremam.* II, 175 C, *Deus universitatis extrema linea est.* II, 599 A, *Et summam quæstionis ipsius certis lineis determinemus.* II, 254 C, *His interim lineis eam clusimus*, metaphora a ludis sumpta. II, 276 A, *His lineis deduximus*, i. e. hac ratione et via docuimus. II, 781 B, *Ad unam jam lineam congressionem dirigamus*, i. e. in re una insistamus, eamque allatis utrimque rationibus disputemus. II, 659 B, *Sed nos corporales quoque illi* (animæ) *inscribimus lineam.* II, 693 B, *In nostras jam lineas gradum colligam.* II, 78 C, *Quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus*, proverbialis locutio de inutili et vano labore. Metaphora sumpta a sectoribus lignorum, qui sic ducunt serram, ut aut non dimittant, aut in eadem tantum linea perseverent: nihil agent, vel certe non multum agent.

Liniamentum. II, 812 A, *Talia interim virium divinarum liniamenta.* II, 866 B, *Secundum liniamenta Christi incedentes in sanctitate*, etc., imitantes conversationem, quam Christus gessit in carne. Sic, *adv. Marc.*, lib. II, lineas Dei habere dicitur, qua immortalis, qua libera et sui arbitrii, quæ præscia plerumque, capax intellectus et scientiæ.

Linum. I, 1314 B, *Uno lino decies sestertium inseritur.* Uniones intelligit, quibus pertusis in linea utuntur fœminæ. *Lineam margaritorum* dixit Scævola, lib. XXVI, ad L. Falcid. De unionibus in linea lex est Ulpiani, 27, ad L. Aquil.

Litare. I, 1265 A, *Quem autem honorem litabimus Domino Deo.*

Literatura. I, 515 A, *Adhuc enim mihi proficit antiquitas præstructa divinæ literaturæ.* I, 377 B, *Instrumentum literaturæ.*

Localis. I, 701 B, *Et deprecemur interim localem esse*, i. e. ad singulum aliquem locum pertinere; opponitur *universali.*

Locare. I, 626 B, *Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat*, de iis qui affectatione quasi domina et magistra locantur ad operas gladiatorias, cum a nemine cogi possint; itaque non opus est Junii conjectura *vocant.*

Loculus. I, 1314 A, *Brevissimis loculis patrimonium grande profertur.* Loculi non sunt thecæ et repositoria, quibus conditus asservatur mundus ille muliebris, sed loculamenta sunt in muliebri habitu, palæ, fundæ, et si quid est ejusmodi, in quo pretiosæ illæ res proferuntur, i. e. feruntur palam ab omnibus spectandæ ambitiosa ostentatione.

Locus. I, 1043 B, *Tunc locorum*, i. e. tum temporum. I, 446 B, *In aliquo loco casus invenimur*, i. e. aliquis casus nos ferire potest. II, 103 B, *Locum dabimus*, i. e. alibi erit dicendi locus.

Λόγος. I, 398 A, *Apud vestros quoque sapientes λόγον, id est sermonem atque rationem constat artificem videri universitatis*; præter quos nominat Plutarchus, Numerius, Plotinus et ipse Plato. Theodoret. Plotini verbis: Οὕτω δὴ ἐξ ἑνὸς νοῦ καὶ τοῦ ἀπ' αὐτοῦ λόγου, ἀνίστη τόδε τὸ πᾶν καὶ διίστη. Et Numerii de Platone dictum exstat apud Hesychium, *Illustr. Miles.*, qui hac nota illum perstrinxit: Ὡς ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν βιβλίων τὰ περὶ Θεοῦ καὶ κόσμου ἀποσυλήσασαν, quare ab eodem vocatus fuit Moses *atticisans.* Τί γάρ ἐστιν Πλάτων, ἢ Μώσης ἀττικίζων. I, 400 B, Λόγος *Dei, id est Verbum illud primordiale primogenitum.* II, 160 A, *Hanc* (rationem) *Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus.*

Longinquare. II, 987 B, *Nihil secundum longinquat a primo.*

Lucar. II, 137 B, *Contumeliosa cæde truncatur in puellæ salticæ lucar.* Lucar erat merces saltatorum et histrionum. Plutarch. vertit τὸ τελούμενον εἰς τὰς θείας. Charis. et Glossar. θεατρικόν, itemque μισθὸς ἀπὸ ῥιπεῖν. Ex eo lucare dabatur pecunia in sumptus et impensas scenicas; unde θεατρικόν vertunt grammatici, quibus impensis modum factum fuisse, et lucar histrionum coercitum temporibus Tiberianis refert Tacit. *Annal.* I.

Lucernatus. I, 1298 A, *Et procedit de janua laureata et lucernata.* Antiquitus in omni publica privataque lætitia mos erat januam ornari lauris et lucernis. Ejusmodi lucernæ pensiles erant, suspendebanturque catenulis ad ædium januas aut fenestras accensæ. Vid. *Apolog.* cap. 35.

Lucifugus. II, 545 A. *Lucifuga bestia*, de serpente.

Ludere. II, 1038 A, *De corio suo ludere.* Proverb. de iis hominibus, qui ad omnia commodissime aptissimeque se habent. Vid. Corium.

Ludum. I, 1262 A, *Cum denique ludo et castris sese locant*, ludum gladiatorium intelligit.

Lumen. II, 1030 C, *Luminis concilio.* Vid. Concilium.

Lunenses. II, 590 A, Vetus Hetruscorum oppidum significat, a quo *Marmor Lunense.* Vid. et Plin., H. N., lib. XI, cap. 42.

Lusio. II, 550 A, *Congressionis lusionem deputa, lector*, i. e. prælusionem. Alludit ad prælusiones gladiatorum, quæ fiebant rudibus.

Lusius. I, 280 B, *Quam lusius.* Pamel. legit *qui Lucius.* Cod. Ursini et Scriverii habent *lascivus.* Havercamp. vult Tertullianum scripsisse *pusus* vel forte *pusius*, unde *pusio*, infantulus.

Lymphatus, I, 1205 B. Festus: *Lymphæ dictæ sunt a nymphis, vulgo autem memoriæ proditum est, quicumque speciem quamdam e fonte, id est effigiem nymphæ viderent, furendi non fecisse finem, quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini* lymphatos *appellant.*

M

Macellum. II, 975 A, *Et si claves macelli tibi tradidit permittens esui omnia.* II, 883 B, C, *Sed accepisti dentes ad macellum corrodendum.* Quemadmodum Mœvius ille Horatianus: *Pernicies et tempestas barathrumque macelli.*

Machæra. II, 1006 C, *Exerta acies, machæræ spiritalis.* II, 638 A, *Sicut machæræ conditionalis comminatio.*

Mactare. II, 977 A, *Ille denique idolo gulam suam mactat.* II, 998 A, *Et rursus ille mactabitur Christus.*

Magisterium, II, 1047 B, *Sapientes vocas totum quietis magisterium.* I, 1249 A, *Exhibendi fiat magisterium.*

Magnanimis. I, 1268 B, *Dilectio magnanimis est.* Ita vertit Tertullianus Paulinum verbum μακροθυμεῖ. Cyprianus æmulator Tertulliani, sed styli purioris: *Cha-*

ritas, inquit, *magnanima est*. Idem μακροθυμίαν magnanimitatem reddidit in elocmosyna.

Male. II, 36 B, *Imo non mihi tam male est*, i. e. non sum furiosus aut mente captus. II, 681 B, *Contra quibus de ædificio male est*.

Maliloquium. I, 632 C, *Neque lignum ad maliloquium*.

Malle, cupere, favere. II, 1031 A, *Et Romanis Deus maluit*.

Malus, ὁ πονηρός. I, 1321 B, *Christianus a malo illo adjuvabitur* I, 686 A, *Sed quoniam ita malus circumdedit sæculum idololatria*. I, 692 B, *Per quem te malus honori idolorum*, etc.

Manare. II, 665 A, *Manante impetu*, i. e. labente, fluente : de angue.

Manceps, auctor, qui proprie possidcat ipsc. I, 332 B, *Mancipem quemdam divinitatis*. I, 664 A, *Quod ad idolorum mancipes pertinet*. I. 643 A, *Musas et Minervas et Mercurios mancipes habent*, i. e. auctores et præfectos, ac curatores summos, qui sibi publice hanc procurationem depoposcerint, quasi redemptores publici.

Mandare. II, 163 A, *Et quæ mandatus est a patre*, hellenism.; ἄπαξ ἐντεταλται pro eo quod est, mandata accepit.

Mandator, qui aliquid agendum committit. Mandatorius qui suscipit. II, 323 B, *Quem nunquam mandator designavit*.

Mandatus. I, 1211 A, *Mandatu tamen non et potestate*. Sic etiam Sueton., sed tantum sexto casu.

Mandibulum, a mandendo : glossar. φάντωμα. II, 662 B, *Demonstra mandibula*.

Manere. II, 619 A, *Maneant enim orientales illi magi*, i. e. exspectent, ut Terent. Phorm. *Mansurus patrem*. Jun. mavult *mantant* vel *mansitant*. Mandare autem et mansitare est frequenter manere et manendo observare, auctore Festo. I, 1263 A. *Manere nos omnis vani et supervacui dicti reatum*.

Manticularius, fur, qui crumenas scrutatur. *Manticulari* est, Festo auctore, furandi gratia manticulas attrectare. I, 496 B.

Manus. I, 468 A, *Ut ad Deum quasi manu facta*, i. e. ut apud Deum collectis manipulatim copiis. II, 255 A, *Conveniens enim, et quodammodo injecta manu detinens*. I, 1208 A, *Accommodatis desuper manibus alio spiritu tactæ claritatis animare*. Vitruv. *Cum pinnæ manibus tactæ propellunt et reducunt continenter regulas, alternis obturando foramina, alterutis aperiundo, ex musicis artibus, multiplicibus modulorum varietatibus sonantes excitant voces*.

Manualis. I, 477 A, *Aqua manualis*, quæ manibus abluendis effundebatur, ad discrimen balnearum, quibus ante cœnam utebantur.

Mappa, dicebatur pannieulus candicans, quem prætor sive ludorum editor mittebat sive attollebat daturus signum committendis ludis, unde et Quintillian., lib. I, cap. 5, usurpatum circo nomen appellat. Inde *mappam mittere* pro signum quodlibet dare, proverbialiter dixerant. I, 648 B, *Non vident quid sit, missam mappam putant*.

Margo, extremum viæ publicæ. II, 1048 A, *Soleo de qualibet margine vel ara medicinam moribus dicere*. Turneb. vult *imagine*. Loquitur autem hic in *Pallio* philosophus non Christianus. Eo enim adduci Christianus non potuit, ut in aram saliret concionis ergo : quippe aras et sacrificia detestabantur et exsufflabant tunc temporis transeuntes Christiani.

Martyrium. II, 63 A, *Martyria negat esse facienda*, i. e. martyrium obeundum pro Christi nomine, scilicet, quia Christum pro nobis passum negat. II, 125 A, *Degustato martyrio in carcere esuriunt*. Rigalt. legit *degustata martyria*, hoc sensu, exoptant martyria consummare quæ tantum degustaverint, fustibus vel ungulis verberatique quasi extrema tantum cute perstricta.

Martyr. II, 970 B, *Martyribus incertis*, i. c. quorum fides minus spectata, neque satis explorata.

Marrucinus. II, 515 A, *Et hic non Marrucine sed Pontice*. Marrucini furtivis dolis et artibus fuerunt celebres, ut ex Catulli epigrammate XII notat Latin.; Pontici vero stupore mentis. De Marrucinis videndus Strabo, lib. V.

Massalis. II, 224 B, *Massalis illius molis*, id quod apud Ovidium, *rudis indigestaque moles*. II, 402 B, *In dominum, ut in massalem suam* (Johannes) *summam*, i. e. integram.

Massaliter. II, 570 A, *Atque ita massaliter solidata*. II, 118 C, *Massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt*, i. e. simul et pro omnibus, non sigillatim pro hoc aut illo.

Materiarius. II, 219 C, *Cæterosque materiarios hæreticos*, i. c. qui materiam æternam esse volunt.

Mathesis. I, 672 A, *De Christo scilicet est mathesis hodie*, i. e. hodierna mathesis est disciplina Christi. Stella Christi, hoc est genesis Christi, exempla et mandata ejus observanda sunt nobis ea prædicanda. Le Prieur ironice hæc verba intelligi vult ; non apte satis.

Μάθησις. II, 687 A, Μαθήσεις ἀναμνήσεις, *id est discentias reminiscentias esse*. Locus hic haud dubie ex Phædone, non ex Timæo Platonis desumptus est. Sic enim ibi legitur, sed et secundum illum sermonem, inquit Cæbes, si verus est, o Socrates, quem tu frequenter referre soles : Ὅτι ἡμῖν ἡ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησις τυγχάνει οὖσα.

Matrix, σημεῖον τῶν ὀνομάτων in Glossario, matricula in jure, i. e. regestum officiorum, sive indiculus. II, 118 C, *In matricibus beneficiariorum et curiosorum*. II, 599 B, *Quasi matrix omnium præceptorum Dei*. II, 211 B, *Videbitur materia etiam boni matrix*. II, 803 B, *Splendidior atque nobilior de obsoletiore matrice*. II, 304 A, *Ipsamque matricem earum, bonitatem*.

Matrimonium. I, 532 A, *Rogo secundum matrimonium dedit*, i. e. sese in rogum potius intulit, quam ut matrimonio secundo Iliarbæ, Maurorum regi, qui ambiebat etiam cum mimis ipsam, conjungi pateretur. Justin. lib. XVIII.

Matthæa. I, 614 A, *Cum obsoniis et matthæis tibi potius parentans ad busta recedis*. Jun. legit *mattyis*. Athen., lib. XIV, ματτύη πᾶν τὸ πολυτελὲς εἶδος, et inde ματτυάζειν et ματτυολοιχός. Hic singulari quadam significatione, τὰ ματτύα, tragemata, bellaria, secundas mensas videtur significare, cum præcesserint obsonia. In hoc genere sunt macteæ latinis dictæ a *mactando*, i. c. honorando, cupediæ, scitamenta honoraria et bellaria idem dicta. Sueton., in *Calig.*, XXXVIII, *multis venenatas macteas misit* ; et inde macteolæ Arnobio, lib. VII. Alterum itaque legendum aut *mattyis*, aut *macteis*. Ex his constabat silicernium, quod tenuioribus in Exquiliis aut ad Puticulos extra portam solebat exhiberi Romæ, puta convivium quod in sequentibus nominatur.

Maturare. I, 1229 A, *Cum ruesus ad suam misericordiam maturavisset*, i. e. maturo se recepisset et in tempore. Sic Cyprianus *gratiam maturantem* dixit.

Mederi, passive. I, 1246 A, *Tamen quæ per insuavitatem medentur*. I, 1206 A, *Nunc spiritum medentur*.

Medicare. I, 1204 B, *Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum*. I, 1205 A, *Si religione aquam medicari putant*.

Medietas. I, 1202 B, *In medietate distinctis aquis fecit*.

Medium. II, 608 B, *Sed et illis in medio est*, i. e. palam, in aperto. II, 736 A, *Opus autem mortis in medio est*.

Mediocritas. II, 123 A, *Acerba mediocritas et isti*, idem est quod ab initio dixerat : *Magnum de modico malum*.

Memoria, genus, affinitas sanguinis. I, 326 A, *Ut ita sparsum genus per commercia humana concurrant in memorias suas*. Memorabilia : I, 379 A, *Cæteru memoriarum*. I, 586 A, *Historiarum cauas et memoriarum*, i. e. historiæ et memoriæ canæ. Differunt

autem historiæ et memoriæ, quod hæ significent archiva, ut mox loquitur, seu commentarios; illæ vero congestam in rerum gestarum libros historiam. II, 960 C, *Occupatis memoriæ locis, impeditis sapientiæ membris.*

MENDACIUM, quod vere non est, idolum. I, 416 B, *Qui mendacium colentes.* II, 31 A, *Expositionum earum mendacia*, i. e. earum expositionum, quas gignunt Scripturarum adulteria. II, 86 B, *Si enim mendacium divinitatis diabolus operatur.*

MENTIRI. II, 898 C, *Si ita virgini cæsum capillum decori mentitur.* Sensus est: Viderit sæculum, si adeo mentitur decori, hoc est, si tam prave decori favet, ut cæsum virgini capillum decori esse mentiatur, cum sit potius dehonestamento. Alium sensum quæsivit Latinius, litera detracta, *si ita virgini cæsum capillum decori metitur*, ut sit sensus: Viderit sæculum, si talem tribuat mensuram decori, cæsum virgini capillum ut puero promissum. Quæ conjectura non displicet.

MERCENARIUS. I, 270 A, *Mercenaria advocatione*, i. e. advocato mercede conducto. I, 372 A, *Mercenarius noxius.* Vid. NOXIUS.

MERERI, consequi, nempe hæc significatio demum post Ciceronis tempora invaluit, *suspicionem merebuntur alicujus conscientiæ*, h. e. in suspicionem venient, se non ignorare hujus caussæ, quam tamen damnant, justitiam. Curt., VI, 11, 40. Plin., lib. I, epist. 8. Minuc. Felix, in *Octavio*, V, 13. I, 274 A, *Meruit pœnam*, i. e. pœna affectus est. I, 400 A, *Meritum fuit delictum eorum*, i. e. meruit. I, 448 B, *Qui merear impetrare*, i. e. qui consequar. II, 202 B, *Si meruerimus illi esse*, i. e. assequamur. II, 378 A, *Veniam meruisse.* I, 688 A, *Qui familiaritatem regum merebantur.*

MERITORIUM. II, 550 B, *Meritorium factus est mundus*, i. e. domus cœnaculis referta meritoriis (ut Sueton. vocat *Vitellio*, cap. 7), quæ locantur quæstus gratia, quæ eadem dicuntur meritoria. Juvenal., Satir. III: *Nam quæ meritoria somnum admittunt.*

MERITUM. II, 372 C, *Merito unius proverbii*, i. e. attributione. II, 510 C, *Dominum et hic retributorem utriusque meriti*, i. e. boni et mali. II, 814 C, *Idcirco cum auctoribus merita communicare.* I, 1154 A, *Meritum fidei* vocat, quod Deum patrem appellare nobis liceat.

MEROPES. II, 1032 B, Ælian., lib. III, refert Silenum quemdam Midæ, Phrygiæ regi, persuasisse extra hunc mundum alium esse, in quo homines Meropes appellarentur.

MESSIS. II, 740 B, *Sic rapida quæque mors ut cervicum messis.*

METALLUM. II, 1038 A, *Pellitus orbi, ut metallo datur*, i. e. tanquam ad metalla damnatur. Conf. Genes., III, 17, 18. I, 1309 B, *Metalli refuga*, de torquibus et armillis, qui a communi metallorum sorte seipsum eximit.

METARI. II, 912 B, *Nobis Dominus etiam revelationibus velaminis spatia metatus est* i. e. constituit fines et terminos. II, 988 B, *Ab idololatria metamur.* II, 577 A, *Inferius illum metatur medietatem Achamoth.*

METATIO, locus in quo metamur. II, 1032 B, *Nostra certe metatio*, i. e. hic mundus, in quo vivimus. II, 669 B, *Et quibus in corpore metationibus sequestrentur.*

METATOR. II, 255 B, *Arbitro et metatore initii et finis.*

METERE. II, 504 B, C, *Cujus et litera metens carnem ejus*, i. e. lex circumcisionis.

Μὴ θεομάχειν. I, 702 B, Noli cum Deo bellare. Bis in *Actis Apostol.* μὴ θεομάχωμεν. Cicero, in lib. *de Senect.*: *Quid est enim aliud gigantum more bellare cum diis, nisi naturæ repugnare.*

Μετεμψύχωσις, II, 702 A.

Μετενσωμάτωσις, II, 702 A.

Μετοικία. II, 700 A, *Dum solemnes etiam migrationes quas* μετοικίας *appellant*; alii legunt ἀποικίας, nil interest. Phavorin.: Μέτοικοι λέγονται οἱ καταλείποντες τὴν ἰδίαν πόλιν, καὶ ἄλλην οἰκοῦντες.

MICA. II, 655 B, *Aut micas de minutiloquio Aristotelis infersit.* Micas et minutiloquium dicit λεπτολογίαν, scribendi genus subtile, concisum, quale est Aristotelis. Junius legit *intersit.* Est autem intergere, ἀπομάσσειν, in Glossario nutricum proprium, quæ intergendo pultem exhibent parvulis, tanquam si digitos intergerent ad malas ipsorum.

MILESIÆ. II, 686 C, *Per quod historias et milesias œonum suorum.* Latin. *historias æque milesias*, vel *historias easque milesias. Milesiæ* appellantur Latinis fabulæ magnificæ atque ὑπερτραγῳδούμεναι. Julius Capitolinus in Clodio Albino: *Milesias nonnulli ejusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamvis mediocriter scriptæ sint.* Videntur autem *Milesiæ* dictæ propter vanam Milesiorum gloriationem de oraculo Didymæi Apollinis in Branchidis, cujus templum cum olim Xerxes evertisset, oraculumque desiisset, innumerabiles fabulas contexerunt frustra, ut sui oraculi restitutionem affirmarent in templo, quod omnium maximum reædificaverant, ut Strabo, lib. XIV *Geograph.*, narrat.

MILITARE. II, 1031 B, *Quæ muros frangere militat*, i. e. cujus militia est muros frangere. Ciacon. ap. Latin. vult *minitat.*

MIMICE. I, 504 A, *Mimice philosophi affectant veritatem*, i. e. mimos agunt, cum alii videantur foris, alii sint intus, adeoque aliquando detectis vitiis ridiculi fiunt.

MINISTRARE, ministro uti, instigare. I, 276 A, *Quæ vos ministret.* Heuman. vult *cui vos ministretis.* II, 775 B, *Sine qua notitia sui nulla anima se ministrare potuisset*, i. e. se ipsam per se præbere cum ratione ministram.

MINUS. II, 227 A, *De tenebris vero ipse ad minus per Esaiam.*

MINUTALIS. II, 251 A, *Si in minutalibus, ut ita dixerim, regnis.* II, 703 A, *Culices, formicas, tineas, et hoc genus minutalia.* I, 1310 B, *Ejusdem terræ minutalia*, i. e. minutias, partes minutissimas.

MINUTILOQUIUM. II, 655 B, *Aut micas de minutiloquio Aristotelis infersit* Iren., lib. II, ubi adversus Valentinianos dixerat: *Et minutiloquium autem, et subtilitatem circa quæstiones, cum sit Aristotelicum, inferre fidei conantur.*

MIRIONES, θαυμασταί, qui admirantur omnia, inque iis stupent, sive, ut vult Rhenanus, qui ob nimiam ac deformem admirandi et scandali patiendi facilitatem, essent firmis suis fratribus dolori ac admirationi. II, 14 B, *Solent quidem isti miriones;* alii legunt: *Solent quidem isti infirmiores*, hoc sensu, hæreses de quorumdam infirmitatibus habere quod valent. Istas autem infirmitates, hoc est, infirmiores istos Christianos ædificari solere in ruinam, nempe in hæresin, ab iis, quos jam hæresis decepit.

MISCERE. I, 399 B, *Nascitur homo Deo mistus.*

MISERABILIS. II, 963 B, *Quatenus miserabilis es*, i. e. quantæ miserationis gratiam adeptus es.

MITHRA, Μίθρα, a Persis sol dicitur. II, 54 A, *Et si adhuc meminit Mithræ*, i. e. singularia sacra facit illius. II, 261 A, *Sicut aridæ et ardentis naturæ sacramenta leones Mithræ philosophantur.* Sacris Mithræ sive Solis adhibebantur leonum simulacra. Erant autem sacramenta, hoc est signa seu mysteria solaris naturæ aridæ et ardentis. Tunc enim æstus intenditur, fontes et fluvii siccantur, cum ingredi leonem sol dicitur, tunc denique Cereris raptus celebratur, hoc est messis agitur, ut docet Arati scholiastes.

MITRA, capitis ornatus muliebris, tænia subtilis, et quasi corolla ex filo confecta raro textu, capillis continendis apta. II, 912 A, *Mitris enim et lanis quædam non velant caput.*

Mna. Plin., H. N., lib. XXI, cap. 27 : *Mna, quam nostri minam dicunt, pendet drachmas atticas centum.* Decem vero drachmæ aureum unum coronatum. *Mina* igitur decem coronis seu coronatis valuit. Esse autem *minam* ipsam Græcorum μνᾶν Fannius docet *de Ponderibus*, V, 32.

Modestia. I, 464 B, *De providentia constat modestiæ publicæ*, i. e. quieti consulitur et providetur.

Modulari. I, 1170 A, n. (2), *Dominica passione modulantes et orantes confitemur Christo*, i. e. modum quem exhibuit Christus expansis in cruce manibus imitantes. Sic orantes confitemur Christo, quia nos inter orandum ipso gestu profitemur Christianos, corpore nostro ad figuram Christi crucifixi conformato. Ipse Tertull., lib. I *ad Nat.: Si statueris hominem expansis manibus, imaginem crucis feceris.* I, 1208 A, *Deo autem in suo organo non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem*, i. e. præstare et exhibere ex facto pro modo ipsius. I, 433 A, *Modulatis et subornatis ad omnem perversitatem*, i. e. temperatis et accommodatis.

Modulus, dispositio. I, 399 B, *De Deo Deus modulo alterum, non numero, gradu, non statu fecit*, i. e. Pater et Filius distant modulo, i. e. dispositione, distributione, distinctione, non vero diversitate vel numero : gradu, ut filius sit secunda persona in Deitate, non vero statu, quasi alter Deus.

Modus. II, 232 A, *De situ materiæ id tracto quod et de modo*, i. e. eadem situs et modi ratio, ac proinde idem judicium. Est enim modus, quantitas seu moles rei uniuscujuscumque, prout autem rei modus est, ita et situs.

Mœchus. II, 1021 A, *Illo apocrypho Pastore mœchorum.* Moechos appellat Psychicos, qui *Pastoris* librum receperant.

Moliri, parare sibi. II, 1048 A, *Item qua lances centenarii ponderis Sulla molitur.*

Molitio. II, 807 B, *Molitionis suæ reginam*, i. e. creationis. Creavit Deus hominem, tanquam regem omnium quæ in terra, quæ in mari.

Monarchia. II, 158 A, *Monarchiam, inquiunt, tenemus*, i. e. Deum unum asserimus. Hieronym., lib. *de Script. Eccles.*, auctor est librum ab Irenæo esse compositum hoc titulo : *de Monarchia*, sive quod Deus non sit auctor malorum. Ipse Tertullianus monarchiæ nomine Deum significavit. II, 164 B, *Ita Trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiæ nihil obstrepit, et* οἰκονομίας *statum protegit.*

Monela. II, 445 B, *Nostri Dei monela de cœlo, non Moysen et Prophetas jussit audiri, sed Christum.* I, 1262 B, *Præsto est dominica monela.*

Monstrum. II, 1041 A, *Monstrum eruditorem*, i. e. monstrosum præceptorem, nempe Chironem, ex equo et homine et Centaurum ; alii *monstrorum.*

Mora. I, 1248 A, *Cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat.* Mora est in re chirurgica pars canalis, in quem crus fractum, ex quo deligatum est, conjicitur. Dicitur autem *mora*, quia moratur crus, femurque ut collatum est, detinet, et delabi a justa ipsius sede non patitur. Ejusmodi moræ sunt in sagittis, quæ morantur eas, ne forte revocari aut avelli possent. Vid. Cels., lib. VIII. cap. 10, *De cervo ;* Plin., II. N., lib. VIII, cap. 27. I, 434 A, *Frœndæ interim malignitatis de pœnæ mora.* I, 468 B, *Oramus pro mora finis.* II, 711 A, *Nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.*

Moratus. I, 237, *Jam aliquid et cum Creatore moratum*, aliquid moratum dicit moribus quibusdam præditum, qualibus Creator, nempe odio, benevolentia ; ira, misericordia ; justitia, clementia. I, 1255 A, *Quanto magis nos secundum moratos* (lege *secundum Dominum moratos*) *inveniri oportet.* I, 1203 A. *Dei spiritum, qui ab initio superevectabatur super aquas, intinctorem moraturum.* II, 707 A, *Perinde qui integre morati commendaverint judici vitam.*

Mori. II, 810 A, *Dies moritur in noctem, et tenebris usquequaque sepelitur.*

Morose, diligenter, accurate. II, 1045 A, *Cum ipsum hoc pallium morosius ordinatum.*

Morositas. II, 53 A, *Morositatem illam Judaicæ legis*, i. e. morum et rituum Judaicorum scrupulositatem. Rigalt. legit *judaicæ legis.*

Mors. II, 1054 B, *Mortem vivit*, i. e. mare illud etiamnum visitur et vivit, sed *mortuum* vocatur ; itaque non vitam vivit, sed mortem. II, 800 A, *Et omnis jam vocabuli mortem*, mortui desinunt, quidquid, dum viverent, vocabantur, et jam sunt nulli. Plin., H. N., lib. II, ubi de natura terræ. II, 810 A, *Interficiens mortem suam*, de sole, qui altero die oritur. I, 524 A, *Qui tantum corpus hoc mundi de eo quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis et inanitatis composuit.*

Motator. II, 666 A, *Ut volunt qui etiam universitatis motatorem animum decernunt.*

Motiunculæ, febriculæ. II, 577 B, *Ego interim argumentabor motiunculis ejus excussum.*

Motorium. II, 608 B, *Non enim membra sunt substantiæ animalis, sed ingenia ; ut motorium, ut actorium, ut cogitatorium.*

Mugire. I, 1244 A, *Et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum.*

Mulieritas. II, 906 B, 907 A, *Apertam professæ mulieritatem*, conditionem muliebrem.

Mulleolus, calceus, calceus lunatus. II, 1044 B, *Purum aut mulleolum inducit calceum :* purus est, cui nihil adsutum ; mulleolus, cui lunula adsuta. Mulleus calceus patriciorum.

Mulsa. II, 655 B, *Nemo unquam cunctanti de exitu animæ mulsam aquam de eloquio Platonis infudit.* Aqua mulsa, ὑδρόμελι, ἢ μελίκρατον, aqua melle mixta. Alludit non solum ad copiosam, sed ad mellitam sive melleam in Platone eloquentiam. Lib. *de Anima*, de eodem Platone, *Ob mella facundiæ.*

Multinubentia, πολυγαμία, II, 953 C.

Multivorantia, πολυφαγία, II, 953 C.

Mulus. I, 574 A, *Hoc est mulum de asino pingere ;* proverbialis locutio, ad exemplar ineptiarum similium ineptiarum exemplum repræsentare, aut ad mendacia nova mendacia confingere. Nam subjicit : *et Ptolemæum describere de Valentino.* Portentosas istas nugas prior Valentinus commentus est. Ptolemæus aliquid de suo adjecit, ab auctore nonnihil varians. Ergo Valentino hæreseos istius auctori nomen asini competit, ut muli, Ptolemæo discipulo.

Munditenens, κοσμοκράτωρ, II, 518 B, 576 A.

Murtia. I, 640 A, *Murtias quoque idolum fecit*, i. e. etiam murtiæ metæ sunt ab idolo dictæ. Erant enim Murtiæ metæ in circo magno ultimæ ad ædem Murtiæ, post quas stabat præco, qui ludentium certamina ab ea parte observabat, et eos qui bene defuncti erant aut male, pronuntiabat. *Murtiam enim deam amoris*, i. e. Veneris, *volunt*, etc., quæ Venus myrtea, vel murtea primum a duabus myrtis ante delubrum Quirini positis, nimirum patricia et plebeia dicta est, dein de Murtia. Historiam narrat Plinius, lib. XV H. N., cap. 29. Meminit Varro, lib. IV, *de Lingua lat.* Ita Junius : sed Rigalt. legit *deum marcoris.* Augustin., IV *de Civit. Dei*, cap. 16 : Deam Murciam vocaverunt, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem ut ait Pomponius, marcidum, i. e. nimis desidiosum.

Mutare. II, 229 A, *Mutari perire est pristino statui, quæ dum mutantur, amittunt.*

Mysteria attica, I, 474 A, sunt sacra Eleusina.

N

Nascibilis. II, 349 A, *Meum vero mortalem negat, quem nascibilem confitetur.*

Nasus, II, 984 B, *Et qui naso non deridetur :* sic reddidit Pauli verbum, *Gal.* VI, οὐ μυκτηρίζεται. Hesych. μυκτηρίζει, χλευάζει, καταγελᾷ, ἀπὸ τοῦ μύζειν τοῖς μυκτῆρσι.

NATALES, origo, initium. I, 1256 B, *Igitur natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo* : sic, lib. I *adv. Marc.*, *natales agnitionis* dixit, et lib. *de Pallio*, *natales mundi*.

NATATILIS. II, 228 B, *Ut ex aquis natatiles et volatiles animæ*.

NATURA. I, 811 A, *Et dispositione naturæ*. MS. Fuld. *divinæ naturæ*, et adscripsit, qui illam collationem dedit, seu Modius, Scioppius : dictum profecto gravius, et verbis Christi conveniens. I, 471 A, *Jure naturæ matris unius*.

NATURALIS. II, 894 B, *Naturale vocabulum est fœmina, naturalis vocabuli generale, mulier*. Naturale vocabulum i. e. a natura commune omnium animantium, quæ discernuntur sexu. *Generale*, quod distinguit in humano genere; huic subditur *speciale*.

NATURALITAS. II, 722 B, *Qui ergo de somni naturalitate dubitabit*.

NATURIFICATUS. II, 584 B, *Naturificatæ jam spiritalis conditionis germanitate*.

NAUFRAGIUM. I, 695 A, *Inextricabile impactis naufragium est*, Græc. ναύαγιον ἄρυκτον, quod vitari non potest. Qui in scopulos impingunt, naveinque frangunt, sese extricare sive expedire a periculo non possunt.

NAVICULARIUS. II, 374 B, *Aliud est, si affectavit de navicullariorum collegio allegere*.

NAVIGARE. I, 695 A, *Inter hos scopulos et sinus, inter hæc vada et freta idololatriæ velificata spiritu Dei fides navigat*.

NECESSARIUS. I, 1310 A, *Operas plures et necessariores*. II, 768 A, *Quasi necessarius aliquid afferrent eo*, pro *magis necessarium*. I, 1266 A, *Ubi major injuria, ibi necessarior injuriæ medela*. II, 1002 B, *Nisi ut perpetuo ad necessariora constringant*.

NECESSITAS. I, 273 A, *O sententiam necessitate confusam*, i. e. quæ necessario aliqua ex parte contra justitiam peccat. Vel potius : qua occurrere volens Trajanus et odio in Christianos et justæ eorum caussæ parcere, neutri bene satisfacit. I, 275 A, *Necessitas*, quam leges injustæ adversus Christianos latæ judicibus imponunt. I, 345 A, *Ut quisque dominum sanctiorem expertus est domesticam necessitatem*. Sens. : Revera illi cognoscunt, nihil sibi boni a diis istis accedere qui majori vi subjecti sunt, necessitati nempe domesticæ. II, 385 C, *Quoniam humanam apponit necessitatem quasi deprecatricem*. II, 93 A, *Non admittit status fidei allegationem necessitatis*. II, 93 B, *Quibus familiarissima est advocatio necessitatis*.

NEGARE. II, 246 C, *Qui Euxinus natura negatur*, h. e. fallit mendacio cognominis, cum ob ingenium loci ac feritatem naturæ ἄξενος dici debeat. Ovid. : *Quem tenet Euxini mendax cognomine Pontus* ; II, 247 A, *omnes negantur*, i. e. cohibentur *glacie*, fluere non possunt. I, 324 A, *Alioquin negandi, si non gustassent*, i. e. negandum esset, eos esse Christianos, si non gustarent sanguinem, quem tantoperè dicuntur appetere.

NEGATOR. II, 95, A, *Ita fidem meam deferens, negator invenior*.

NEGOTIUM. II, 285 A, *At nunc negotium patitur Deus*, i. e. facessit Deo negotium Marcionitarum temeritas et audacia, qui sibi alium denm ab Omnipotente confinxerunt. II, 905 B, *Nam fœminas quidem a duodecim annis, masculum vero a duobus amplius ad negotia mittunt*, i, e. statuunt sui juris esse quasi e repagulis alienæ auctoritatis eximant : dant negotiorum gerendorum potestatem, de jure phrasis. II, 649 B, *Ex negotio curiositatis*. II, 888 B, *Proprium jam negotium ex passus meæ opinionis*, i. e. qui antea fui occupatus in ponenda græce opinione mea de velandis virginibus : ita Jun. explicat, sed Rigaltio videtur, disputatione quadam adversus Græcos, cum et virgines velari oportere acrius forte asseruisset, Græcorum conviciis exceptus ac pro hæretico exagitatus fuisse.

NEOPHYTUS, νεόφυτος : is qui recens ad fidem christianam accessit, II, 57 A, 268 B.

NEPOTARI, luxuriose et profuse vivere. I, 513 A, *Sub magna gravitatis superficie nepotatur*.

NERVUS. II, 786 B, *Per illum nervum umbilicarem*, i. e. venarum et arteriarum compaginem, quatenus collatis in umbilicum fibris coeunt. I, 623 B, *Nihil crus sentit in nervo*. Nervus est ligni genus, quo crura disjuncta et luxata frangebantur. In leg. XII Tabular. *Secum ducito ; vincito ; aut nervo aut compedibus quindecim pondo*, etc. Vetus gloss. *nervus*, ξυλοπέδη. I, 512, *Alii ad incestam libidinem nervi*.

NIDOR. I, 407 A, *Pabula propria nidoris et sanguinis*, libaminibus et sacrificiis ; sed hoc in loco forsan loquitur de sacrificiis generatim, non de necromanticis.

NIMIETAS. II, 236 A, *Inapprehensibilis præ nimietate certaminis*.

NOBILIS. II, 150 C, *Num ergo et Apostolorum literæ nobiles*, i. e. nonne sunt omnibus notæ, claræ, manifestæ ? Exemplar Ursini habet *mobiles*, i. e. quæ sapiunt præterquam sonant, et aliud est in vocibus, aliud in sensibus. Præfert tamen Rigalt. illam priorem lectionem. Jun. legit *nubilæ*, i. e. nube obscuritatis et caligine offusæ, ne intelligantur.

NOEROS, Νοερὸς, mentalis, intellectualis ; alii legunt *noetos*, νοητός, ut Iren. II, 574 B.

NOMEN, religio christiana. I, 278 A, *De eo nomine excludamur*, i. e. desinamus audiri Christiani, christianamque repudiemus religionem. I, 280 A, *Quos retro ante hoc nomen*, i. e. olim, antequam fierent Christiani. I, 1252 A, *Nomen cum familia ipsius persequentes*, i. e. religionem christianam et sectatores ejus. I, 661 A, *Persecutores dominici nominis*. I, 525 A, *Tu, homo, tantum nomen*, i.e. ingens momentum, magna gloria. II, 890 A, *Et totum arboris nomen expanditur*, i. e. quidquid significatur arboris nomine. II, 800 A, *Et de isto quoque nomine perituræ in nullum inde nomen*. Post cadaveris nostri corruptionem, nullum est destinatum nomen, quo materia illa, quæ fuerat humani corporis, signetur. Hoc vocat *mortem vocabuli*.

NICOLAITÆ. II, 63 B, *Quod totam istam hæresin Nicolaitarum*, etc. Significantur illi *Actor*. XX, his verbis : Καλοῦντες διαστρεμμένα. Auctorem hujus sectæ faciunt Nicolaum, unum e septem Diaconis, Tertullian. hoc in loco, Epiphan. *Hæres*. XXV ; Clemens Alexand. *Strom*. II et III ; Hieronym., epist. de Fabiano et ad Ctesiphontem ; Euseb., lib. III ; Philastrius Brixiensis, lib. *de Hær.* ; Theodoret., *Hær. fab.* lib. III, Augustin., *Hær.* V ; et alii innumeri. Ignatius tamen, scrupulum injicit, qui epist. ad Trallianos : Φεύγετε καὶ τοὺς νικολαΐτας, τοὺς ψευδονύμους. Adde plerosque illorum patrum dubitanter loqui de Nicolao illo, in quem facile fuit illud rejicere propter vitæ sordes et mores corruptissimos.

NOTA. II, 17 B, *De pejoris quoque notæ tentationibus*. Metaphora a mercibus aut vini generibus, quæ solebant distingui notis, atque ex iis internosci. II, 254 A, *Nec sono, nec notæ nominis hujus*, i. e. scripturæ nominis. I, 1238 A, *Quis miles, postquam castris suis emissus, pro notis suis satagit*. Notas militares dicit, quibus miles denotatur ob delicta militaria, puta si fuerit emansor, desertor, seditiosus, etc. I, 1248 B, *Peccator enim omnium notarum cum sim*.

NOVELLITAS, de eo quod recens ortum est. II, 157 A, *Ipsa novellitas Praxeæ hesterni*. II, 697 C, *Neque mendacium devitat novellitatem*.

NOVELLUS, recens. I, 392 A, *Quam aliquanto novellam*.

NOVIANUS. II, 1042 B, *Fullones Noviani*. Novius poeta fabulam edidit *Fullones* inscriptam, quo in verbo inest nefanda obscœnitas.

NOVITAS. II, 1030 C, *Novitate felices* vocat Carthaginenses, quia Carthago juris italici facta erat, beneficio Severi imperatoris, cujus tempore libellum *de Pallio* scripsit Tertullianus.

NOXIUS. I, 372 A, *Mercenarius noxius*. Gothofredus *noxium* pro *obnoxio* capit ; Rigaltius non bona fide ait versatum, quia toties dentes bestiarum eluserat. Malim hoc in loco noxium intelligere eum, qui, cum nullam habuisset necessitatem pugnandi cum bestiis, inter noxios illis non addictus, tamen lucelli cupiditate, mercede pacta, ipse se lanistæ tradiderat.

Nubere. II, 198 A, *Nubit assidue*, i. e. polygamiam probat quacumque specie, et nuptias imperat sine ullo discrimine. *Sic legem Dei in libidinem defendit.*

Nubes. I, 417 A, *Alias, si hoc putatis*, scil. fieri oportere, *nubes numeret orans.* Christiani plerumque convenichant in areis, ibique orantes, cœlum suspiciebant absque aris, absque statuis : eos igitur ethnici deridebant, quasi nubes orando numerarent.

Nubilum. II, 597 A, *Singulorum nubilo quodam veritas obumbrabatur*, i. e. nubilum ignorantiæ obumbrabat in singulorum mentibus veritatem. II, 247 B, *Nubilo obscurior.*

Nucetum, locus est nucibus arboribus consitus, a *nuce*, ut quercetum a *quercu*, lauretum a *lauro*. II, 575 A, *Sic et in cœlestibus nuceta præsumpsit.*

Nuditas. II, 706 B, *Nec cinctibus indulgetur nuditate plectendis*, quia sicariorum cinctes non vestiuntur aut conduntur urna.

Nudus. II, 247 A, *Libido nuda*, non tecta, sed oculis spectantium exposita : nam ex contrario sequitur, *etiam cum abscondunt* libidinem, *suspensis de jugo* plaustri, in quo libidinantur, *pharetris*, ut *judicibus* notantur. I, 301 A, *Theatra nuda*, i. e. sine tecto. Tegebantur enim ad arcendum solem.

Nullificamen, ἀχοθέτημα. II, 330 A, *Et nullificamen populi*, quod II, 639 A, dicit *et abjectionem populi.*

Nullus. II, 134 A, *Nulla sunt vulnera*, i. e. non æstimantur, licet sint. Rigalt. retinet vulgatam lectionem, *non nulla vulnera*, hoc sensu : Nulla sunt prælia, quia nullus hostis, sed tamen non sunt nulla vulnera, quia strenue ac fortiter decertant ac vulnerantur.

Numerare, i. q. censere. II, 116 C, *Sanguine numerati*, i. e. quorum facies notatæ sanguine.

Numerose. II, 167 D, *Ut numerose loquereturi*, i. e. pluraliter, ut ante dixit *sine plurali numero.*

Nundinare. II, 907 A, *Laudabo vigorem, si aliquid et apud ethnicos virginitatis nundinarint*, i. e. si tantum illis in sua virginitate constantiæ suppetit, ut ejus etiam exempla proponere audeant, unde ethnici sumant quod imitentur. Metaphora a rebus promercalibus, quæ in nundinis omnium oculis proponuntur.

Nundinatitius. II, 892 B, *Propter ejusmodi igitur capita nundinatitia*, i. e. in publico sese exponentia tanquam in nundinis.

Nus, νοῦς. II, 62 A, *Basilides esse dicit summum deum nomine Abraxam, quo mentem creatam, quam græce νοῦν appellant.* II, 552 A, 573 B, *Eumdem autem demiurgum νοῦν filium effingeret.* II, 666 A, *Proinde et animum, sive mens est*, νοῦς *apud Græcos, non aliud quid intelligimus quam suggestum animæ ingenitum et insitum*, etc.

Nusquam. II, 228 B, *Nusquam fiet*, ex Is., XXXIV, 4, οὐδέποτε γενήσεται.

Nutare. I, 516 A, *Eo magis scrupulositas humana fidem aspernata nutabat*, i. e. qua incertitudine et instabilitate confuderunt conturbaruntque etiam quod certum in Scripturis invenerant.

Nutus. II, 1043 B, *Nutu tradere.* Est deridentium et improbantium aliquid clanculum inter se, quod palam facere non sit impune vel decens, cum neque conjectis in hominem oculis, neque protentis digitis id facere licet; tum clancularo saltem nutu demonstrari potest.

O

Obba, vasis ventricosi genus, quo diis Manibus litabatur. I, 347 A.

Obducere, refellere, sive contraria ac inter se pugnant a asserentem captum tenere. I, 501 A, *Dum de bono hujus sectæ obducitur.* II, 232 B, *Et obduceris corpoream infinitam facicns.* II, 218 C, *Altercatio diversæ partis obducitur*, revincitur, refellitur. II, 270 B, *Exhibe igitur aliquem ex tuis, apostolici census, et obduxeris*, i. e. eviceris. II, 344 A, *De nominibus jam obduximus.* II, 797 A, *Proinde et obducimus obducti dehinc de Deo.* II, 993 B, *Cum sic quoque obduxero diversæ partis præsumptionem.* Deleri, sumpta metaphora ex rationum scripturis, ut *expungere.* I, 531 A, *Sed obducimur*, i. e. morimur in prælio, idque objicitis.

Obex. II, 143 C, *Nec ullus obicem præscriptionis istius extrudet.*

Obfirmare. II, 688 C, *Et si nullum illi venabulum obfirmabit.*

Obhumare, II, 1033 B. Obhumantur flumina, quorum alvei limo opplentur, ita ut cursum mutare inde cogantur. Alii *obumbrando*; Latin. *obambulando.*

Objacere. II, 658 A, *Sic igitur etsi corporalia in corporalibus objacent.*

Objectio. I, 1297 A, *Quarum dotes objectione nominis mercedem silentii faciant*, etc., i. e. cum deferuntur propter nomen et professionem religionis christianæ earum dotes sibi vindicent pro mercede silentii, quod suis uxoribus sustinentes tamdiu præstiterint. Sic ipse maritus speculator, qui per nuptiarum occasionem arcana christiana subdole speculatus erat, litis arbiter flebat. Erat enim necesse uxori, nisi mori paratissima esset, fidem Christo dictam perdere, vel dotem.

Oblatio. II, 739 A, *Quod ex oblationis potestate accidit*, i. e. conditionis oblatæ.

Oblaqueare, laqueato opere deducere atque distendere. II, 805 A, *Ne argento quoque oblaqueo.*

Oblegatus. II, 971 B, *Et omnibus vitæ istius illecebris quasi æternæ dignioribus hoc puto oblegatum*, i. e. circumquaque inescatum, et deliciis innutritum, atque in eis obtorpescentem.

Obligamentum. II, 352 B, *Cum legis obligamenta et onera, evangelica jam libertate mutarent.* I, 684 A, *Et omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum.* II, 98 A, *Ne velamento quidem obnoxium, nedum obligamento.*

Obliterare. I, 1283 B, *Quod si habent, obliterare debent, quod habent.* II, 933 C, *Igitur si omnia ista obliterant licentiam nubendi.* II, 700 A, *Solitudines famosas retro fundi amœnissimi obliteraverunt.* I, 1293 A, *Quis enim dubitet obliterari quotidie fidem commercio infideli.*

Obnoxius. II, 900 C, *Duæ leges obnoxiæ invicem*, i. e. quodam velut fœdere naturæ inter se obligatæ. II, 452 A, *Dissolvens violentiorum contractuum obnoxiis*, melius *obnexus.*

Obscœnus. II, 1051 A, *Post Gracchi obscœna omina*, i. e. infausta, sinistra auspicia; nempe signum vi ventorum, cum signifer valde resisteret, fractum; sacra altaribus imposita dissipata, et extra terminos urbis abjecta.

Observare. II, 39 A, B, *n.* (1), *Cum ipsi observarent*, i. e. cum ipsi sibi constarent, cum idem ipsi docuerint in epistolis suis. Nam de forma prædicationis statuit ex epistolarum forma.

Obsignare. I, 1283 B, *Qui statim a lavacro carnem suam obsignant*, i. e. a baptismo dant virginitati et cœlibatui operam. I, 1327 A, *Et obsignant se spadonatui.* I, 675 A, *Deos ipsos hoc nomine obsignat.* I, 677 B, *Si post fidem obsignatam dicimus.*

Obsolefactus. II, 905 A, *Vox obsolefacta est*, i. e. ex solito mutata alterataque, ex quo primum cœpit, ut Nonius loquitur, *gallulascere.*

Obsoletare. I, 363 A, *Majestatis vestigia obsoletant*, Haverc. legit in MS. Fuld. *fastigium adsolant*, i. e. solo adæquant; recte. Conf. I, 577 A, II, 135 A, *Qui vestitum obsoletassent nuptialem*, i. e. obsoletum reddidissent, vel obsoletum apportassent.

Obstinatio, bono sensu, pro *constantia.* I, 631 B, *Ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri.*

Obstrepere. II, 82 C, *Quanquam nec habitus extraordinarius ordinario usui obstrepit*, i. e. impedimento est. I, 630 B, *Nihil obstrepere religioni in*

animo et conscientia tanta solatia extrinsecus oculorum vel aurium. I, 654 B, *Etiam obstrepente gratia voluptatis.* I, 1326 A, *Et obstrepant pudicitiæ disciplinis.*

OBSTREPITACULUM. II, 268 A, *Adversus obstrepitacula diversæ partis.*

OBSTRINGERE. II, 57 A, *Nunc sæculo obstrictos.* Eos intelligit qui præfectura aliqua inter gentiles fungebantur; plerique enim Christianorum dignitatem aliquam aut militare officium adepti, eorum honorum munia nihilominus obibant, quos tamen Ecclesiæ honoribus ordinare æquum non videbatur.

OBSTRUERE. II, 38 B, *Lucernam non sub modio obstrui solere:* Jun. et alii malunt *abstrui. Abstruere* autem est objecta strue auferre lucem.

OBTUNDERE. II, 454 C, *Non David errorem scribarum obtundebat*, i. e. refellebat. II, 169 B, *Ut jam hinc fidem tuam obtundam.*

OBVENIRE. II, 36 A, *Quia adversarius ejus Paulus obveneral*, i. e. obtigerat, ut servus datus Ecclesiæ a Deo.

OBVENIENTIA. II, 584 C, *De obvenientia superducunt:* obvenientiam vocat, quæ aliunde obveniunt eventa.

OBUMBRARE. II, 597 A, *Singulorum nubilo quodam veritas obumbrabatur*, i. e. in singulorum mentibus veritatem obumbrabat nubilum ignorantiæ, quod fit præsertim, si aliorum æque obumbratorum strepitus insuper conturbaverint. II, 717 B, *Nunc quoque obumbrat et depravat.*

OCCASIO, II, 545 A, *Ex divinæ copiæ occasione.* II, 886 B, *Illæ autem sine aliquibus occasionibus scripturarum audere non poterant.*

OCCISORIUS. II, 705 B, *Jugulandæ quæque in occisoriis*, i. e. iis animalium generibus, quæ ad cædem comparantur.

OCCUPARE. I, 376 A, *Minus est et oculis quibus occupatur;* occupat enim homo visu suo, quidquid oculis objicitur. II, 802 A, *Quæ prior vocabulum hominis occupavit.* II, 802 B, *Recogita totum illi Deum occupatum ac dedicatum.*

OCCURRERE. I. 500 A, *Merito soli innocentiæ occurrimus*, i, e. illam inventam soli amplexuri. II, 42 B, *Cum conditione datæ sibi* (nimirum pœnitentiæ) *occurrit*, i. e. se ultro de integro Ecclesiæ stitit.

OCTOJUGIS. Dicitur *ogdoas* illa Valentinianorum; alludit enim ad ludos Circenses. II, 500 B, *Mappa, quod aiunt, missa semel octojugem istam.*

OCULARE, visum reddere. Scaliger: ἐξομματεῖν. I, 404 A, *Qui jam expolitos in aquitionem veritatis ocularet.* I, 1248 A, *Novit illos oculare rursus.* II, 994 C, *In vestibus purpura oculandis*, i. e. illuminandis. Sic de sole Plinius: *Hic reliqua sidera* oculat. Propriæ autem purpuræ splendor seu fulgor lumen dicitur. Fabius, *Instit.* VIII: *Adferent lumen clavus et purpuræ loco insertæ.* Horat.: *Purpureus late qui splendeat unus et alter adsuitur pannus.* Artis poet.

OCULATUS. *Deum puto a sublimioribus oculatiorem aliquid subjecti præterire non posse.*

ODEUM. II, 851 C, *Sed et proxime in ista civitate odei fundamenta tot veterum sepulturarum sacrilega collocarentur.* Civitatem aut Carthaginem aut Romam intelligit. Odea erant loca in quibus aliquando se recipiebant spectatores e theatro, si pluvia supervenisset. Hoc in loco recitabantur etiam poemata, ac venalia frumenta exponi solebant. *Fundamenta sacrilega sepulturarum* appellantur, quia sepulchreta in religiosis et sacris rebus habebantur: ex quo sequebatur reos esse sacrilegii, qui ea refoderent, et sacrilega odei fundamenta esse, cujus caussa res sacræ jure gentium habitæ in profanos usus raperentur.

Οἰκονομία. II, 156 B, *Sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus.* II, 158 A, Οἰκονομίας, *sacramentum*, de doctrina de Trinitate.

ŒNOTRIA. Ita Italia dicta est a vino, non ab aliquo rege hujus nominis: quæ opinio consentit cum Aristotel., lib. VII *Polit.*, et cum Strabon. lib. VI, qui, nulla facta mentione Œnotrii, illam indigitant. I, 330 A.

OFFARCINARE. II, 418 C, *Præter oneribus conspersionum offarcinatam.* Exod. XII, 34: Ἀνέλαβε δὲ ὁ λαὸς τὸ σταῖς αὐτῶν πρὸ τοῦ ζυμωθῆναι, τὰ φυράματα αὐτῶν ἐντετειλμένα ἐν τοῖς ἱματιοῖς αὐτῶν ἐπὶ τῶν ὤμων.

OFFERENTIA. II, 421 A, *Considera caussarum offerentium*, i. e. prout se diversæ offerunt.

OFFERRE. II, 922 B, *Et offers et tinguis.* II, 942 C, *Et offert annuis diebus dormitionis ejus.* II, 984 B, *Et afflictionem suam offerentes Deo.*

OFFICIALIS. II, 93 A, *Et cæteras officialium coronarum caussas*, quas necessitate officii gestabant ii qui certis officiis honoribusque fungebantur.

OFFICIUM. II, 970 A, *Ad eam emittit cum officio et comitatu.* Jureconsultis officium cœtus ipse est eorum, qui magistratui inserviunt; unde apud eosdem, officium deponere, et officio tradere, in quem sensum et hic usurpat Tertullianus. II, 137 B, *Cum dedicatio imaginis regiæ turbam urgeret officio*, i. e. ad officium cultus idololatrici. II, 119 A, *Si officia militaria redemeris*, i. e. milites publica auctoritate fungentes tibi pecunia conciliaveris. II, 713 A, *Nos officia divina angelos credimus*, i. e. officiales et officiorum administratores. II, 719 C, *Gravior invidia est in præsidem, cum officia pulsantur.*

OFFICINA. II, 336 A, *Cloacam voca uterum tanti animalis, id est hominis producendi officinam.*

OFFOCARE, seu *offucare*, aquam in fauces ad sorbendum dare, ut exponit Festus. I, 695 A, *Quicumque fluctus ejus offocant.*

ONERARE. I, 1293 A, *Tanto contumaciæ crimen oneratur*, i. e. tanto gravius, tanto atrocius est. II, 928 A, *Ab extraneis quoque agnoscitur, et testimonio oneratur.* II, 988 A, *Oneravit itaque mœchiam*, i. e. mœchiam ut gravius et atrocius crimen describit. Præferenda videtur hæc lectio conjecturæ illi Latinii: *honoravit.*

ONEROSITAS. I, 1323 A, *Tanta ordinandi capitis onerositas.*

ONESIMUS. II, 588 A, *Et forsitan parias aliquem Onesimum onem.* Alludit ad Onesimum Philemonis, quem Paulus in vinculis genuit, ut ipse ad Philem. scribit, seu partu plane cœlesti, factum scilicet de Gentili Christianum, de fugitivo probum. Exspectamus, inquit ridendo Septimius, ut tu, qui Marcus es aut Caius, certe, quod sufficit, masculus, in istis infandis angelorum Valentinianorum vinculis sive amplexibus parias, sed quid parias? aliquem scilicet Onesimum Paulinum? imo prodigiosum aliquem Satanæ mastigiam.

Ονοκοίτης. I, 372 A, Proprie qui concumbit asino, deinde, ex asino et homine conceptum: ita LXX interpretes voce κοίτης pro prole sæpius usi sunt; et Paulus ad Roman., cap. IX, 10. Hunc Deum fictum ex habitu corporis quasi ὀνοκοίτην denotaut, turpi quasi mœcha prognatum. Vid. Juvenal., *Sat.* VI, v. 330; Sueton., *Vit. Domit.* cap. 12; Martial. I, 5.

ONUS. I, 515 A, *Si non onus, jam voluminis temperarem*, i. e. ὄγκος, μέγεθος.

OPERARI, operam dare. I, 1520 A, *In quibus operamur.* II, 762 C, *Cum languoribus et vitiis medendis operaretur.* I, 695 A, *Det fratribus operandi copiam*, i. e. commoditatem benefaciendi nobis, ut ab illa necessitate subsidio ipsorum caveatur nobis.

OPERARIUS. I, 1271 A, *Itaque operarius ille victoriæ Dei*, diabolus. I, 1274 A, *Ventris operarios*, vocat parasitos. II, 705 B, *Et fatigandæ in operariis*, i. e. iis animalium generibus, quæ ad operam præstandam compalantur.

OPERATIO. II, 907 A, *Vel quamcumque eleemosynæ operationem*, ita et *operatio jejunii.*

OPERATRIX. II, 739 A, *Ipsa illa ratio operatrix mortis, simplex licet, vis est.*

OPERATUS. I, 259 A, *Operata infestatio*, i. e. vehementior, acrior. Melius fortasse *onerata*, ut sensus sit: Quominus defendi patiamini sectam Christia-

norum, obstant vobis præjudicia, quibus tam sæpe eam damnastis.

Operositas. I, 1528 A, *Et operositas cum raritate commissa*, i. e. opus, manupretium. Utitur hoc vocabulo Irenæus pro labore et ærumna, lib. V, cap. 19. I, 1184 A, *Et crinium lenonem operositatem*, sic I, 1151 A, *Superducto Evangelio expunctore totius retro vetustatis*. II, 1045 B, *Sacerdos suggestus*, etc. II, 651 A, *Tanta operositas suadendi*.

Opifice. I, 158 A, *Et tam opifice*. Rigalt. mavult : *etiam opifices ;* quod sequentibus convenire magis videtur. Alii legunt : *etiam opici*, i. e. barbari, quod *opice*, i. e. barbare loquerentur, non latine, juxta Plin., lib. XXIX, cap. 1.

Opimitas. II, 683 B, *Opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit*. II, 998 C, *Atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur*.

Opiniosus, opinator. II, 447 A, *Viderit si cui tam opiniosus videbitur Christus :* ita Cic., *Academ.*

Opus. I, 339 A, *In ipso opere*, i. e. cum funduntur, tunduntur, scalpuntur ; atque ita læduntur, vulnerantur.

Oratio. II, 105 B, *Sed in legitima oratione*. Orationem legitimam dicit quam nobis Christus dictavit cœlestis juris peritus. Sic *precem legitimam* dixit Augustin., *Serm.* 123, *de Temp.*

Orbis, mensa rotunda, quam veteres dicebant *cillibam*. II, 1048 A, *Qua M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit*. Mensæ citreæ ex Mauritania incredibili sumptu Romam advehebantur. Plin., lib. XXXIII, cap. 11.

Ordo. II, 39 B, *Omnem ordinem regulæ*, i. e. forma ordinata doctrinæ Christianæ ; eodem sensu. II, 40 B, *Ordinem doctrinæ Ecclesiarum*. II, 947 B, *Quo magis sciret plebs eum ordinem sibi observandum, qui faceret præpositos*. Ordinem monogamorum significat, unde sumuntur præpositi. Itaque omnem plebem volebat esse monogamos.

Oriens. II, 545 A, *Orientem Christi figuram ;* subaud. *amat*. Orientis enim vocabulo Christus sæpe intelligitur in sacris literis, ut apud Zachariam. Oriens autem vocatur, quia sol est justitiæ prodiens ex alto.

Ornatus. I, 1309 A, *Ornatum dicimus, quem immundum muliebrem convenit dici*, nempe cura capilli et cutis.

Ortaneus. II, 485 B, D, *n.* (1), *Et signa aliqua vel ortancorum*. Ortanea, quæ sunt momentanea, et suum esse in solo ortu habent, quæ simul oriuntur, simul occidunt.

Os. I, 654 A, *Illum vero confectum etiam oris spectaculo repetat*, ut etiam os et vultum exspirantis intueri velit.

Oscillum, libratio, *αἰώρα*, machinæ ad incussionem et impetum libratæ. Vid. Festus in h. v. II, 1032 A.

Ostentatitius. II, 892 B, *Impudentium ostentatitiæ* virginitatis.

Otiosus. II, 76 A, *Coronamento in manu otioso*. Otiosum dicit inutile et ineptum. Sic, *ad Uxorem : Nobis otiosum est liberos serere*, i. e. Christianis inutile est et ineptum liberos serere, dum sævit in Christianum nomen tyrannus.

P

Pabulum. I, 306 B, *Et pabulo inde*, i. e. ex ea carne infantis cæsi. Haverc. vult : *Et pabulo crude, inde et post*, etc.

Pacatorius. II, 455 C, *Justum judicium et pacatorium judicate*.

Pædagogatus. II, 563 A, *Spiritus sancti pædagogatum*, i. e. ministerium.

Pædagogium, conventus. I, 348 A, *Tum de pædagogiis aulicis*. II, 554 A, *Et mille alia de pædagogio nomina*. Pædagogium vocat de more Cæsariani palatii, in quo pueri aulici sub aliqua pædagogorum custodia alebantur et instituebantur.

Pala, instrumentum, quo ventilantur et purgantur frumenta. II, 103 C, *Hæc pala illa quæ et nunc dominicam aram purgat*.

Palliatus. II, 1049, A, *Sermo palliatus*, h. e. philosophicus et christianus.

Pallium. II, 1031 B, *Pallii jam teretis*, etc. ; pallium vestrum quadratum tereti seu rotundo pallio mutavistis, h. e. toga romana. Cui interpretationi appositissimum testem Salmasius adhibuit veterem Persii scholiastem, qui togam esse ait purum pallium forma rotunda, fusiore atque inundante sinu.

Palus. II, 969 B, *Sed rursus palos terminales figitis Deo*. Auctores finium regundorum palos pro terminis in quibusdam regionibus poni docent, iliceos, oleagineos, etc.

Pangapipan nirapiam. II, 563 A, Sensus hujus loci forte est : Quam Ptolemæi miscellaneam propius fuit de aliquibus ἀττικὶς curis, *πάγκαρπον ἢ τὸ πᾶν* vocari. *Curas atticas* dicit libros Græcorum, qui ob titulos hujusmodi ambitiosa festivitate conceptos, merito sunt Pliniana ad Vespasianum prælatione derisi. *Πάγκαρπον* sunt fructus omnis generis. Vid. Gell., lib. XX, cap. ult.

Panis. II, 461 A, *Cur autem panem corpus suum appellat*. I, 1160 A, *Tum quod et corpus ejus in pane censetur*. II 262 A, *Nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat*. II, 274 A, *Super panem alienum, alii Deo, gratiarum actionibus fungitur*. II, 370 B, *Ecce doctrinæ suæ panem prioribus offert Israelitis*. II, 80 A, *Calicis aut panis etiam nostri, aliquid decuti in terram anxie patimur*. II, 489 A, *Proinde panis et calicis sacramenta jam in Evangelio probavimus*, etc.

Papa. II, 103 C, *Bonus pastor et benedictus papa*, i. e. pater, quæ appellatio jam tum piis Dei servis et administris Ecclesiæ fuit honorifice attributa.

Papilio, est tentorium. I, 624 A, *Sed de papilionibus expeditis et substrictis*. Expediuntur papiliones et tentoria involuta, quum in castris extenduntur, et funiculis ad palos terræ infixos substringuntur et alligantur, ne vento disturbante corruant.

Par. II, 204 A, *Ex pari*, *ἐξ ἴσου*, æque, pariter. II, 398 A, *Ut ad legem voluntatis meæ parem factum*, i. e. tanquam si penes me esset facere quicquid mihi in voluntate fuerit animoque. II, 920 B, *Eique* (Adamo) *parem necessariam prospexisset*. II, 107 C, *Quæ etiam in malis par bonum est*, i. e. conjugum cum malo, adeo ut bonum et malum paria in eadem re facere videantur. Sic paribus equis, pro eo quod est duobus in ache veteres pugnasse dicit Festus.

Paracletus. II, 156 A, *Paracletum fugavit*, i. e. spiritum singularium revelationum auctorem. Montanus autem, si aliis fides est habenda, majorem sibi spiritus plenitudinem inesse, quam Apostolis prædicabat. Sed Baronius jam observavit Montani scholam aliquandiu stetisse innoxiam, discipulos habuis e adeo morum sanctitate commendabiles, martyriorum constantia fortes, ut nemo præsentiores alibi Numinis vires agnosceret. Et vero recte doctissimus cardinalis censuit Anicetum, tunc pontificem romanum, in hominibus nihil adhuc a fidei regula dissentientibus hæc divini Spiritus charismata agnovisse, eorum Ecclesiis pacem intulisse, atque, ut ait Tertullianus, *pacis literas misisse*. Ergo Praxeas ille, qualis a Tertull. depingitur, fictis apud pontificem caussis, adeoque imminutæ auctoritatis pontificiæ criminationibus Montani discipulos onerare non destitit, donec pacis seu communicationis literæ jam emissæ revocarentur. Quare forte an nonnulli plus æquo offensi indignatique, Montanum suum in tantum extollere ac prædicare cœperunt, ut dicerent in Apostolis quidem Spiritum sanctum fuisse, Paracletum non fuisse : et Paracletum istum suum plura in Montano dixisse, quam in Evangelio Christi ; nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora. Hæc nimirum de iis legimus, qui *cataphrygæ* dicuntur, in Catalogo hæreticorum, qui Tertulliani libro *de Præscriptione* vulgo annecti solet. Quæ satis arguunt Phrygas istos

Montano suo multa, quæ ipse sibi nunquam arrogaverit, tribuisse. Unde verosimile fiat Montani dogma, quale fuit, primordio quidem sui Christianis austerioribus probabili, Tertullianum tenuisse, non quale postea, cum sequacium quorumdam imposturis et fraudibus acu Phrygia interpolatum ab Ecclesiis passim catholicis despui cœpit.

PARADISUS. II, 856 A. *Scilicet paradiso non inferis deversurus;* vid. INFERI.

PARATURA, constitutio. I, 409 A, *Sapere paraturas.* Sens. totius loci est: Possunt incolentes et mansionem habentes in aere sideribus vicini et nubibus adsueti scire constitutionem aeris, adeoque pluvias, siccitatem, pestilentiam, famem prædicere. I, 433 A, *Ille scilicet spiritus dæmoniacæ et angelicæ paraturæ.* I, 519 A, *Hanc novitiolam paraturam.* La Cerda novellam Christianorum sectam intelligit; Havercamp., rectius cum Rhenan., Novum Testamentum. II, 908, B, *Secundum utriusque Testamenti paraturam.* II, 570, B, *In materiæ corporalem paraturam.* II, 259 B, *Nullam sibi prospexerit agnoscendo paraturam*, i. e. ornamentum seu creationis præcipuum, quo velut proprio apparatu propriaque gloria cognoscatur. II, 284 C, *Sic ædificat, qui propria paratura caret*, i. e. materia ad ædificandum comparata. II, 321 C, *In tantum paraturam desiderabat, ut credi posset.* II, 361 A, *Omnem sententiam et omnem paraturam*, i. e. omnem materiam et argumentorum apparatum. II, 906 B, 907 A, *Solæ autem manifestæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem*, i. e. capite incedunt nudo, principali manifestæ muliebris paraturæ parte, quam tegere solent mulieres. II, 937 B, *Ut per ordinem de omni nostra paratura retractemus*, significat utriusque instrumenti scripturas. II, 769 A, *Debeo illos de sua paratura repercutere.* II, 723 B, *In his* (esu et potu) *plurima somni paratura est.* II, 77 A, *Calceatus de Evangelii paratura.*

PAREDRI, spiritus sunt mali genique improbi, qui

PARCERE. I, 1283 B, *Quum pleræque gentilium fœminarum memoriæ carissimorum maritorum parcant*, i. e. conservant integram, sc. nubendi abstinentiam. alicui semper adsident et familiares sunt. II, 698 B.

PARENTARE, justa parentibus celebrare. II, 927 B, *Forsitan qui illi parentent.* II, 795 B, *Defunctis parentant.* Hoc quidem ethnici, sed et Christianos Augustini ævo quibusdam in locis factitasse arguit lib. VIII *de Civit. Dei, cap.* 27. Epulas suas ad martyrum memorias deferebant, orabant et offerebant ut vescerentur, vel ex iis etiam indigentibus largiebantur. *Quod quidem*, inquit, *a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo.*

PARERE. II, 807 A, *Quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto*, i. e. præstare tantum debitum ac solvere. Appellanti creditori paret debitor cum satisfacit. Jubet qui exigit, paret qui præstat quod promisit. II, 813 B, *Totum porro hominem ex utriusque substantiæ concretione parere*, i. e. adesse, sisti. I, 639 C, *Ante has tres aræ trinis diis parent*, i. e. præsto sunt. I, 1203 A, *Etiam in sacramentis propriis parere fecit.* II, 654 B, *Et conatus ejus extrinsecus foris parent*, i. e. apparent suntque spectati. II, 191 C, *Non tam distincta documenta parerent utriusque substantiæ*, apparerent, sensu forensi. II, 263 A, *Quomodo Dominus paruit ejus in hoc mundo*, i. e. ὥρθη ἐπεφάνη, si hic non potuit Dominus substantia exsistere, quomodo specie substantiæ?

PARIARE. II, 433 E, *Quam cui per omnia pariaverint.* II, 802, C, *Non rapinam existimavit pariari Deo*, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Est autem *pariari* forense verbum, pro eo quod est paria fieri, et *pariare*, paria facere, adæquare. II, 700, C, *Quia nec pariasset commeatus hic*, i. e. paria fecisset, ex æquo respondisset. II, 705 A, *Pariant naturalia earum, substantiva non pariant.*

PARILITAS. II, 252 B, *Hoc ipsum testimonio præstans parilitati et unitati eorum.* II, 804, A. *Exemplum porro ex diversitate an ex parilitate componitur.*

PARITER. I, 386, A, *Pariter ætate est*, Hellen., τὴν ἡλικίαν ἴσα ἐστί.

PARMULA. I, 321 A, *Sanguis de femore proscisso parmula exceptus.* In Dactyl. Gorlæana, tom. II, num 664, est scalptura gemmæ, ubi clypeolus vel parmula aræ Bellonæ innixa et ad sanguinis exceptionem destinata. Sed et *palmulam*, quod alii substituunt, adhibitam in his sacris, patet ex gemma Leon. Augustin. I, 171, ubi nudus Bellonarius conspicitur, qui latus ferro sibi, quod sinistra gerit, fodit, cruore, qui de femore proscisso labitur, dextram plenam ante Bellonæ signum sublevans.

PARRICIDIUM. I, 1282 B, *Parricidiis expugnantur* abortivis, dissoluto medicaminibus conceptu. Sic, lib. *de vel. Virg., infantes aliquandiu a matribus debellatos.*

PARTIARIUS. II, 274 B, *Partiaria exitii.* II, 343 A, *Disce et hic cum partiariis erroris tui Judæis.* II, 796 B, *Partiarios sententiæ illorum*, κοινάνους.

PASCUA, pastus. I, 407 A, *Quæ illis accuratior pascua est*, i. e. pastus, qui magis illis curæ est.

PASSIBILITER. II, 726 A, *Quam affecte et anxie et passibiliter.*

PASSIO. II, 1010 B, *Et invitantis ad passionem contrarium fugæ.* II, 905 B, *Nuptiarum passio.* I, 842 A, *Quæ ad passionem regni, judicii et resurrectionis prædicantur.*

PASSIONALIS. I, 612 A, *Nam si Deus, inquiunt, irascitur, corruptibilis et passionalis est.*

PASSIVE, passim, in commune, pro arbitrio cujusque. II, 956 A, *Passive tamen currant.*

PASSIVITAS, promiscua frequentia. II, 1014 A, *Quantum denotatui passivitas affert libertinos.* I, 325, A, *Passivitas luxuriæ* est Venus erronea et passim per licita et illicita vaga. II, 234 B, *Et passivitas non est*, i. e. affectio passim diffluens et motibus exposita, dissolutio, confusio. II, 585 B, *De passivitate vitæ*, i. e. vita incomposita et pro libidine transacta, qua Valentinianos fuisse notabiles, Irenæus auctor est. II, 397 C, *Passivitatem sententiæ meæ permisit*, i. e. rationem communem et promiscuam, ad quasvis opiniones amplectandas liberam. II, 652 B, *Habent aliquando et passivitatis commercia*, i. e. jus passim commeandi et reciprocandi, adeo ut alterum promiscue sumatur loco alterius. II, 726 B, *Et in passivitate omnia spargens*, i. e. promiscua confusione et conturbatione rerum. II, 88 A, *Quia passivitas fallit*, i. e. fallit communis usus, qui passim obtinet, ut corruptela a conditione internosci nequeat, quodammodo obumbrata et obtecta usu promiscuo omnium.

PASSIVITUS, passim, commune, apud omnes promiscue. II, 1039 B, *Pars vero passivitus omnibus utiles.*

PASSIVUS, passim occurrens, vulgaris. II, 548 A, *Non cum affectatis ducibus passivorum discipulorum.* II, 252 A, *Passivum scilicet convictum.* I, 1277 B, *Per licentiam tunc passivam*, i. e. nuptias multiplices, passim concessas. II, 956 B. *Non enim passivus tibi census est in illo*, i. e. vagus, infinitus, ex historia Abrahami undecumque tibi promiscue applicandus, II, 791 B, *Alium cæteris passivum, ignobilem* i. e. vulgarem, communem. II, 985 A, *Sine passiva concessione.*

PATAGIUM, clavus aureus, qui ad summam tunicam adsuebatur vulgo: in matronis patagium dicebatur, et clavus in viris, II, 1036 B, *patagio inauratior.*

PATER, sacrorum, ἱεροφάντης, Vid. Meurs., *Eleus.* cap. XIII. I, 313 A.

PATI, et de re læta et adversa, ut Græc. πάσχειν, I, 376 B, *Sanitatem suam patitur.* I, 413 A, *Qui de Deo pati existimantur*, i. e. agitari, τῶν ἐνίων ἀθολέστερον, circumlocutio, quorum tria genera subjecta sunt, θεοφορούμενοι, θεοπάραυτοι, θεοπρόβλητοι. II, 248 B, *Passus infelix hujus præsumptionis instinctum.* II, 285 A, *At nunc negotium patitur*, i. e. facessit Deo negotium Marcionitarum temeritas et audacia, qui Deum alium ab omni potente sibi confinxerunt. II, 888 B, *Proprium jam negotium passus meæ opinionis*, i. e. qui antea fui occupatus in exponenda græce opinione mea de velandis virginibus, ita Jun. explicat; sed Rigaltio videtur disputatione

quadam adversus Græcos, cum et virgines velari A oportere acrius forte asseruisset, Græcorum convitiis exceptus ac pro hæretico exagitatus fuisse. II, 895 A, *Quæ virum passa sit.* II, 904 B, *Et nuptias pati.* II, 652 B, *Post definitionem census, quæstionem status patitur.* II, 706 A, *Quod exequias convivium patitur*, i. e. quod convivio infertur, non sepulchro, quod cœnæ impenditur, non funeri.

Patrocinium. II, 543 A, *Patrocinio coactæ figuræ sacrilegium obscurat*, i. e. ad defensionem probationemque pudendæ illius figuræ, ex lana coacta factæ, opere coactili: ideo enim prætendunt venerandum naturæ nomen. Vid. Convitium. II, 668 A, *Cujus intelligam instrumentum esse animum, non patrocinium*, i. e. principalitatem, ut initio capitis appellavit.

Patruitus. II, 562 B, *Et sermonem de patruitis.* Iren. πατρωνυμικὸς. Jun. mavult *de patritis*, ut Cic., *Tusc.* I, 19, *Patritam illam* et avitam *philosophiam.*

Paupertinus, i. q. pauper. II, 262 A, *Propter* B *quem in hæc paupertina elementa.*

Peccatela. II, 719 A, *Ad suadendam vel imperandam peccatelam.*

Pecten. II, 545 B, *Lamiæ turres et pectines solis.* Fabellæ pueriles apud Carthaginem Tertulliani tempore, quibus nutrices parvulos suos a clamoribus continebant.

Pecus. II, 441 B, *Non pecus dictus post figuram*, i. e. corpus animatum sentiens primum, et figura sua instructum recens. Eodem vocabulo utitur Julius Firmicus, lib. VII, cap. 1: *Pecus intra viscera matris artuatim concisum a medicis proferetur.* II, 486 A, *Per similitudinem sanguinis salutaris et pecoris Christi.* Alludit ad sanguinem illum Paschalis agni, qui postibus inspersus fuit in Ægypto. *Exod.*, XII.

Pejor. I, 1300 A, *Quod solis pejoribus placet nomen christianum.* Ait Tertullianus: Quæ Deum offendunt, a malo inferri, idque ex eo manifestum fieri, quod ex Gentilibus Christianarum nuptias ambiant, ii præsertim qui vitæ sunt pejoris et turpioris. Ideo C ethnici inveniuntur, qui tales, i. e. Christianas non exhorreant, ut exterminent, ut abripiant, ut a fide excludant.

Pelliceus. II, 578 A, *Interim carnalem superficiem postea aiunt choico superiextam, et hanc esse pelliceam tunicam, obnoxiam sensui.* I, 1305 B, *Et adornari tibi in mente est, super pelliceas tuas tunicas?* II, 803 B, *Neque enim, ut quidam volunt, illæ pelliceæ tunicæ, quas Adam*, etc.

Pelitus, pelle. II, 1038 A, *Pellitus orbi, ut metallo datur.*

Pendere. II, 450 B, *Vel de recentibus Augustianis censibus adhuc tunc fortasse pendentibus. Tunc*, i. e. cum diceret cæcus: Jesu, fili David. *Pendentibus*, scil. tabulis census. Nimirum haud semel acti census fuisse videntur sub Augusto. Et Septimius ipse, libro *adv. Judæos*, addubitare videtur an Christus adscriptus fuerit censui statim ut natus est. II, 819 A, *Unum opinor apud omnes edictum Dei pendet resurrectio mortuorum.* Sic vocat symbolum fidei christianæ, et supra dixit, quoniam *titulo res ista proscripta* sit, alludens ad edicta prætorum, quæ in albo, h. e. tabula proscribi et proponi solebant. I, 648 B, *Dehinc ad signum annii pendent.*

Pendulus. II, 708 A, *Ut pendula exspectatione sollicitudo fidei probetur.*

Penes, apud. I, 314 B, *Infantes penes Africam Saturno immolantur.*

Pensum, pars laboris quovis die perficienda. II, 247 A, *Pensum securibus faciunt.*

Penula. II, 76 B, *Ibidem gravissimas penulas posuit relevari auspicatus.* Penulas gravitate sua fuisse odiosas constat. Hinc Septimius, occasione sumpta, ait militem illum in Deo gloriosum, gravissimo militiæ gentilis onere deposito, jam exinde relevari cœpisse, simul atque onus Christi subiit, quod esse leve Christus ipse docuit.

Pepo. II, 702 B, *Cur non magis et pepo tam insulsus*, ex proverbiali usu insulsum hominem denotans. II, 461 A, *Cur autem panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit.*

Per. I, 403 B, *Per eum et in eo*, i. e. secundum ejus doctrinam atque religionem a Deo institutam.

Perditrix. II, 929 A, *Invenit diabolus post luxuriam, etiam castitatem perditricem.*

perdocere. II, 546 A, *Sed nec omnes quos edocent, perdocent.*

Perductor. I, 495 A, *Primi erunt lenones, perductores, aquarioli.* Perductores hoc differunt a lenonibus, quod hi voluntarias, illi invitas ad aliquem pertrahant.

Peregrinari. I, 388 A, *Peregrinandum est in historias et literas orbis.* Exprimit moram istam et tempus, quod in aliarum gentium perscrutandis originibus teritur, dum mente non corpore peregrinamur.

Peremptorius. II, 980 C, *Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium.*

Peremptrix. II, 721 A, *Mortem peremptricem sensus.*

Perennare. II, 855 A, *Verum et dentes incorruptos perennare.* I, 1233 B, *Et in foliis perennat*, i. e. perenne durat.

Pergula. II, 550 B, *Aliis atque aliis pergulis superstructis. Pergulæ*, στενὰ οἰκήματα (ut exponitur in Glossario), angusta cœnacula, projecta extra ædes atque exstantia parte sui aliqua, eo maxime pertinentia, ut ex una parte ædium in alteram pergeretur commode. Sic Plin., H. N., lib. XXI, cap. 3.

Periclitari, prope abesse, parum abesse quin, ut græc. κινδυνεύειν. II, 216 B, *Et non periclitatur, ne ex aliquo factum existimetur*, i. e. non prope est, ut ex aliquo, etc. II, 77 A, *Mussitant denique tam bonam et longam partem sibi periclitari*, etc. Fortissimi hujusce militis facinus a commilitonibus Christianis etiam, tanquam imprudentis ac præcipitis et intempestivæ fortitudinis exemplum vituperabatur, deque eo sermones ferebantur, ut de abrupto et præcipiti, et mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini christiano invidiam fecisset, ac periculum creasset, pacemque tam bonam et longam, qua tum Christiani fruebantur, temeritate sua prope evertisset. Has voces graviter increpat Septimius: *Mussitant*, inquit, *tam bonam et longam sibi pacem periclitari..... Nec dubito quosdam* etiam mussitare, *Scripturas sacras* jam *emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem.* Vulgo legitur: *Nec dubito quasdam scripturas emigrare;* at in cod. vetustissimo: *Nec dubito quosdam Scripturas emigrare*, et verbum de præcedentibus repetendum est, *Nec dubito quosdam Scripturas mussitare*, etc.

Periculum. II, 174 A, *Sine periculo luminis*, i. e. damno.

Periscelium, molle et fastidiosum est crurum D ornamentum. I, 1332 A, Juvenal. vocat *periscelidem.*

Permovere. I, 1317 B, *Certe vel spiritu scandalum permovent.* Rigalt. optime, *spiritum scandalo permovent*, i. e. concutiunt, inquietant. Etenim Spiritum Dei habent sancti. Itaque si quid admittant a malo, Spiritum Dei permovent, spiritum quem a Domino sumpsere, sæcularis rei gratia concutiunt.

Perones, rustici calcei, contra nives, imbres, frigoraque commodi, ex corio crudo, præalti. II, 1046 B, *Perones effœminati* dicuntur, quia eos mollities effœminaverat. I, 1312 A, *Et peronibus uniones mergere de luto cupiunt.* Plin., lib. IX, cap. 35.

Perpes, perpetuus, continuus. I, 378 A, *In ignem æque perpetem et jugem.*

Perpetrabilis. I, 1289 B, *Quanto autem nubere in Domino perpetrabile est*, pro eo quod est, *perpetrabilius*, vel *magis perpetrabile* more græco; sed

in bonam partem dicitur, ut, I, 1288 A, *Studio perpetrantur*; nam, teste Festo, *perpetrat qui peragit ac perficit.*

Persona. II, 391 A, *Personam nominis*, i. e. personam illam, cui hoc nomen competit.

Personaliter. II, 551 A, ὑποστατικῶς ratione singularis personæ.

Perstringere. Usurpant Latini de levi vulnere, non vero alte adacto, ut et de arrosione quoque quasi fulminis cum non disjicit aut comburit. I, 489 B, *Si aliqua nos quoque perstringunt.*

Pertinax. I, 671 B, *O divina sententia usque ad terram pertinax*, i. e. quæ ubique obtinet constantissime, etiamque hic, in terris obligat homines, ut ex eadem judicent mathematicos ejici oportere.

Pertinentius. II, 374, C, *Quam pertinentius volebat agnosci*, i. e. altius, sive hanc legem proxime ad Christum pertinere.

Pertractus. I, 1159 A, *Quomodo quidam pertractum quemdam in sæculo*, i. e. perdurantem et perpetuam durationem, protractionem sæculi, quasi trahente in longum Domino.

Philosophari. II, 861 A, *Sicut aridæ et ardentis naturæ sacramenta leones Mithræ philosophantur*, i. e. ratione philosophica interpretantur leones Mithræ sacramento esse, h. e. signa aridæ et ardentis naturæ.

Philyra, est tiliæ membrana fasciatim dissecta. II, 1038 B, *Tenus philyræ* est tænia seu laqueus et vinculum ex philyra. *Tenus* autem et *tænia* græca sunt.

Physcon. II, 1042 B, *Physcone impurior.* Proverb. locut. de homine qui se in omne luxus libidinisque genus ingurgitat. Fuit enim Ptolemæus *Physcon* a Lago septimus Ægypti rex, qui, cum Cyrenæ imperaret, fratri Evergete defuncto successit, qui supra belluinam libidinem et crudelitatem (quæ facinora commemorat Justin., lib. XXXVIII), sagina ventris et corporis vultusque deformitate, belluæ quam homini similior. Quæ fœditas in eo pellucidæ vestis subtilitate, quasi de industria, sive potius ex intemperantia augebatur, infame *Physconis* nomen ex re tulit, quasi ventricosi et aquarioli, propter abdominis studium.

Pigmentum. I, 676 A, *Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia.* Nam et pigmenta sunt utilia medicinæ, unde et *pigmentarii* dicti pharmacopolæ. Julius Firmicus, lib. VIII, cap. 17 : *Quicumque sub hoc sidere nati fuerint, Marsi erunt, vel qui veneris ex herbarum pigmentis confectis salutaria soleant hominibus remedia comparare.* Pigmenta etiam dixere condimenta. Cassianus, *Collat.*, XV, cap. 3 : *Corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus in editioribus cellulis recondantur.* Sic etiam *Exod.*, XXXVII, sub finem, *opus pigmentarii* dicitur, quod Septuaginta, ἔργον μυρεψοῦ.

Pipiare. II, 568 A, *Cœlestes imbres pipiavit Achamoth*, i. e. effudit pipians. Pipum vel pipulum, plorantis vagitus et pipiatio, clamor plorantis lingua Oscorum, ut ait Festus. II, 952 B, *Et infantes pipiantes.*

Plaga. II, 130 C, 131 A, *Occursum est huic plagæ.* Sumptum a gladiatoribus, qui vel adversarii petitionem corporis declinatione effugiunt, vel parmula excipiunt ut sit frustra conatus.

Plagiator, plagiarius qui liberum hominem aut servum surripit. II, 273 C, *Talis assertor etiam damnaretur in sæculo, nedum plagiator.*

Plagula. II, 342 A, *Novam plagulam non adsui veteri vestimento.* Plagulam lacernas vocat Turneb. I, 25. Plagulæ vela sunt et textilia quibus lecticæ et lecti intendebantur, aut involvebantur, ut apud Tranquillum in *Tito*, cap. 10, *lectica dimotis plagulis.* Nonius *plagulas* interpretatur grandia lintea et toral et lecticariam sindonem ; unde plagulæ, II, 382 C, dicit *additamentum.*

Plane, immo, recte. I, 405 A, *Plane a bono*, i. e. immo habuit dæmonium, sed quod illum a bono dehortaretur. *Planius*, facilius. II, 1044 A, *Quo planius deantur.*

Planus, impostor. II, 529 B, *Quem planum, in signis et æmulum in doctrinis existimabant.* Utitur et Cicero *pro Cluentio*, 26. Est etiam bis apud Plin., XXXV, 10. II, 342 C, *Aut planum potius aliquem.*

Plasmator. II, 599 A, *Hominis plasmator.*

Plausor. I, 458 A, *Scelestarum partium socii aut plausores*, i. e. fautores, auxiliatores, vel certe idem optantes.

Plautior, ad plausum aptior. II, 1059 A, *Quo muscosæ lanositatis plantiores conchæ comant.*

Plenitudo. I, 500 A, *Pro scientiæ plenitudine*, græce ἐκ τῆς πληροφορίας. II, 39 B, *Ignoranse Apostolos plenitudinem prædicationis*, i. e. non summam ac perfectissimam habuisse cognitionem omnis doctrinæ christianæ. II, 202 A, *Quia non totum habendo non concurrat in plenitudinem comparationis.* II, 218 A, *Adoro Scripturæ plenitudinem.* I, 653 A, *Et quæ ei debetur disciplinæ plenitudo.*

Plenius, perfecte magis, I, 377 B.

Plumbatus. I, 440 A, *In manibus esse plumbatis. Plumbatæ manus* sunt fulcro quodam plumbi ferruminatæ, ne facile delaberentur vel dehiscerent. Id in incurvatione brachiorum et manuum extensione præcipue requirebatur.

Plurimum, adverbialiter, pro *ut plurimum.* II, 511 B, *Ex recordatione plurimum delicti.* Terent, *in Phorm.: Domum ire pergam, ubi plurimum est.*

Pœnicum, pro pœno. II, 1032 A, *Ne pœnicum inter Romanos aut erubescat aut doleat.*

Pœnitentia. II, 42 B, *Cum conditione datæ sibi* scil. pœnitentiæ. Episcopus autem, sive Ecclesia *dare pœnitentiam* dicebatur, pro eo quod est indicere pœnitentiam et leges ipsius. II, 200 C, *Ex pœnitentia illius retorquebo adversus illum*, fortasse legendum *ex peniculo illius*, nam pergit auctor in allegoria instituta a re pictoria. Peniculus autem est instrumentum pictorium, quo colores ducuntur ; sensus ergo est : ex peniculo illius retorquebo adversus illum, coloresque delibo et lineamenta illius.

Πολιτεύμα. *Nostrum id est, municipatus in cœlis*, II, 335 C.

Pollinctor, νεκρόκομος, νεκροδεκτης, qui mortuorum corpora ungit et curat. I, 347 A, *Ab aruspice pollinctor.* II, 136 C, *Et pollinctorem sacerdotem*, de eo qui homines immolat.

Pollucibilis. II, 978 A, *Nisi obsonandi pollucibilior*, i. e. nitidior, lautior, magis opipara.

Polluctum. Varro, lib. V. *de Ling. lat.* : *Cum ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum pollluctum est. Pollucta* et pollucibilis cœna est opipara et splendida. *Pollucere*, consecrare, convivio lauto sacrificare, I, 474 A.

Poma. I, 1344 A, *Ad hoc enim noverim maris poma.* Ita appellat conchas, quod non ad fastum, sed ad saporem et escam sint ordinatæ.

Ponere. II, 721 A, *Ut illic materia ponat*, i. e. ut illic desinat sermo iste de anima.

Ponticus, i. e. Marcion. II, 248 A.

Pompaticus. I, 1326 A, Ita pompaticas progredi.

Pompatus. I, 658 B, *Sed circensium paulo pompatior suggestus.*

Popina. II, 970 B, *Plane vestrum est, in carceribus popinas exhibere martyribus incertis.* Lucian. : Συκεάθευδον μετ' αὐτοῦ διαφθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας, εἶτα δεῖπνα ποικίλα εἰσαγόμενοι.

Populabia dicebantur in theatro loca populi vel plebis, ad equestrium discrimen. I, 635 A, *Et discrimen popularium per proclivum.* Sic equestria equitum loca erant.

Popularitas. II, 257 B, *Denique major popularitas generis humani*, i. e. gentium consensus. Conscientia publica : II, 97 A, *Officia sæculi, honores, solemnitates, popularitates.* II, 700 A, *Concilio exonerandæ popularitatis.*

Porta. II, 540 A, *Cum et portas ante quinquennium instituunt*, anastrophe : *portas ante*, pro eo quod est

ante portas. Quinquennium, ait, instituunt initiandos, antequam portas ingrediantur, et consignentur eas ingressuri. Scaliger legendum putat, *cum epoptas ante quinq.*, i. e. magistros ceremoniarum, qui præformentet observent initiandos. Nam in rebus sacris ἐπόπται ἢ ἱερεῖς erant, qui jam ante legitimum tempus in officio μύστων consumpserant; unde Aristoph. ἐκπετεύειν. Ibid., *tot suspiria portarum*, i. e. totum illud quod tam diu desideraverant.

PORTARE, *Græci etiam pro eo solent ponere, quod est tollere.* II, 373 A.

PORTIO, i. e. par, similis. I, 293 A, *Portio Neronis de crudelitate :* sic *edicti portio*, pro *simili edicto.* I, 326 A, *Ex aliqua seminis portione ;* Havercl. leg. *sparsione*, καταβολῇ σπέρματος. Conf. Ebr. XI, 11. II, 963 C, *Potus strictura xerophagiæ portio est;* i. e. hac forma potus perstricta etiam aridum pabulum significatur.

PORTIONALE, opponitur *summali.* II, 226 A, 964 B, *Nam exceptione eduliorum quorumdam portionale jejunium est.* II, 894 C, *Et portionale universali.*

POSTERITAS, quod postea subrepsit. Scholastici insolentius vocant *posterioritatem.* II, 44 A, *Posteritatem mendacitati.* II, 48 A, *Præcedente illo fune supradicto posteritatis*, i. e. ordine successionis, quo tanquam fune ad apostolicas Ecclesias conscenditur. II, 197 B, *Solemus hæreticis, compendii gratia, de posteritate præscribere*, i. e. quod doctrinam adferant posteriorem doctrina veritatis. II, 157 A, *Probabit jam ipsa posteritas omnium hæreticorum.*

POSTREMUS. I, 1316 A, *Postremissimus omnium.*

POSTUMARE, posteriorem esse. I, 587 A, *Etsi Moysi postumant.* II, 858 B, *Omnis enim consummatio atque perfectio, etsi ordine postumat, effectu anticipat.*

POSTUMATUS. II, 590 A, Opponitur principatui.

POSTUMUS, posterior. II, 121 A, *Quodcumque de postumo corporis propagatur.* II, 958 A, *Et quasi postuma soboles supparabatur.*

POTESTAS. I, 457 A, *Respectu repræsentaneæ potestatis*, i. e. quæ divinam repræsentat et sustinet in terris vicem, et confestim exigere pœnas potest. II, 371 A, *Quoniam in potestate erat sermo ejus*, i. e. potens erat.

POTESTATIVUS. II, 215 A, *Non tantum ordinativum sed et potestativum capit principatu.*

PRÆ. I, 456 A, *Præ manu*, i. e. in promptu.

PRÆBERE, referre, repræsentare. II, 255 B, *Vis ex compositis incomposita præberi.*

PRÆBIBERE. II, 122 A, *Nam et præbibunt quidam festinando tutelam, sed*, etc., i. e. ante se confirmant antipharmacis, amuletis et φυλακτηρίοις potionibus, sed quarum vis dissolvitur venere, atque fit irrita.

PRÆCERPERE, degustare. II, 158 B, Si quid utriusque *linguæ præcerpsi.*

PRÆCIPITARE, decutere, dejicere, de frugibus et pomis, quæ ante justum tempus et maturitatem dejiciuntur. I, 406 A, *Nescio quod auræ latens vitium in flore præcipitat.* Præcipere, præoccupare : I, 489 A, *Non præcipitat discretionem*, i. e. Deus non præoccupat ante illud tempus judicii æterni discretionem inter bonos et malos, in qua judicium partim consistet.

PRÆCOQUUS, immaturus. II, 1031 B, *Romanum præcoqua*, i. e, præcoci et præfestinata Romani habitus susceptione. Alii leg. *Romana præcoqua*, h. e. præcoce properoque consilio Romana facta per deditionem. II, 331 C, *Præcoquos et abortivos* quodammodo Marcionitas. II, 429 A, *Tam præcoquam, imo tam acerbam dilectionem.*

PRÆDAMNARE, i. e. damnare. I, 283 A, *Ignotum et auctorem vox sola prædamnat.* I, 1260 B, *Semper pauperes justificat, divites prædamnat.*

PRÆESSE. I, 522 A, *Quasi non quæcumque ratio præest*, i. e. quasi non omnis argumentorum vis, quibus præstruitur et defenditur reciprocatio animarum humanarum et in alia corpora transmigratio, magis etiam stringit, si affirmetur, revocari animas ad sua quasque corpora.

PRÆFARI, de prophetis. I, 578 B, *De officio præfandi.* Rhenan. *prophetandi.* Sed alterum latinum magis est apud quos vates fantur, passim et profantur, dum præfantur. I, 413 A, *Anhelando præfantur*, de prælocutio, quod præcedere vaticinium suum faciebant. Conf. *Num.*, XXIV, 3; et Donat. Terent. *Phorm.* IV, scen. 4, ad verba : *Interdixit hariolus.*

PRÆFORMARE, pervalde, præ quam alios informare. I, 266 A, B, *Quanti enim ad malum præformantur.* Sed Heuman. legit cum Havercl. *reformantur.*

PRÆFUGERE. II, 706 B, *Sed etsi anima præfugerit ultimo gladio*, i. e. si forte anima inter ferarum laniatus e corpore excesserit priusquam ultimo gladio pelleretur.

PRÆGNATUS, prægnatio, graviditas propinqua partui. II, 649 A, 650 C, *Juvenculæ scilicet prægnatus et partus.* II, 754 C, *Ut et conceptus et prægnatus.*

PRÆJUDICARE. I, 265 A, *Præjudicant id esse*, i. e. licet nesciré velint, tamen ex illa vi, quam sibi ipsis inferunt, ut in ignorantia illa permaneant, posita est aliqua cognitio, præjudicium scilicet, odio haberi illa non posse, si sciant ulterius. II, 157 A, *Quo peræque adversus universas hæreses præjudicatum sit. Præjudicare* sæpe est judicium prævium dare aut præmonstrare. II, 659 A, *Jam hæc conditio proprietatis de cæteris accidentibus corpulentiæ præjudicavit*, i. e. conditio proprietatis corporea jam erit conspicuum quoddam judicium ad judicandum de cæteris corpulentiæ accidentibus.

PRÆLATIO. II, 801 C, *Et amplius manu propter prælationem, ne universitati compararetur.* I, 573 A, *Prælatio alterius sine alterius contumelia esse non potest.*

PRÆLATOR. II, 984 B, *Idem misericordiæ prælator.*

PRÆLUDERE, i. q. proludere, quod est in re militari ἀκροβολίζεσθαι II, 324 A, *His præluserim.*

PRÆLUMINARE. II, 841 B, *Parabolam a commentatore Evangelii præluminatum.*

PRÆMEDITATORIUM, προμελετητήριον. II, 900 C, *Præmeditatorium efficitur latrinarum.*

PRÆMITTERE, II, 970 B, *Præmisso jam sanguinis succo*, præmisso scilicet ad Deum, quo jam et ipse totus properat. Sic alibi dixit præmissam uxorem, præmissos liberos, jam sæculo digressos.

PRÆPARATURA. II, 402 B, *In Johanne egerat præparaturam viarum dominicarum*, præparationem, παρασκεύασμεν, ἑτοιμασίαν.

PRÆSCRIBERE, exceptionem objicere. II, 197 B, *Solemus hæreticis compendii gratia de posteritate præscribere.* II, 158 B, *Non tamen præscribere monarchiam ideo*, etc. II, 150 B, *Præscribitur mihi, ne quem alium Deum dicam.* II, 256 A, *Præscribens. Deum ignorari nec potuisse*, i. e. respondendo ad objecta adversariorum, eademque diluendo. II, 888 B, *Hoc exigere veritatem cui nemo præscribere potest*, i. e. de qua nihil detrahi potest quacumque ratione. II, 948 A, *Præscribe constanter, non omnibus præcipi, quæ quibusdam sint præcepta.* II, 849 A, *Omnia præscribit*, i. e. præscriptis definitionibus omnia comprehendit. I, 507 A, *De vestra vobis dissimulatione præscribitur*, I, 170 C, *adspice itaque quanta præscribam tibi.*

PRÆSCRIPTIO. Ex usu forensi significat refutationem, qua, qui postulatur, adversarii accusationem, disjicit, aut in eum retorquet. Conf. *de Præscript. adv. hæret.* cap. 55. *Præscriptionem hæreticorum* dicit, quia præscribimus hæreticis hoc ipso, quod sint hæretici : quibus hanc unam exceptionem opponimus, quod adversus regulam dogmata proferant, itaque ut minime audiendos ab omni disputatione submovemus. II, 248 A, *De præscriptione novitatis.* II, 60 B, *Certis et justis et necessariis præscriptionibus repellendas*, necessarias præscriptiones dicit, quia secundum eas necesse est judici, quoscumque agere volentes repellere. II, 157 B, *Sed salva ista præscriptione*, nempe ante dixerat : *verum quodcumque primum, adulterum quodcumque posterius.* II, 248 A, *Ne compendium præscriptionis, ubique advocatum diffidentiæ deputetur.* Compendium præscriptionis vocat thesin illam : *In tantum hæresis*, etc.

PRÆSCRIPTIVE. II, 261 B, *Quanquam tam facile est,*

præscriptive occurrere, i. e. obducta præscriptione qua excludam ac perimam totam actionem illius. Quæ autem hæc præscriptio sit, ostendit sequentibus.

PRÆSIDIUM, lucrum, bona, peculium. I, 495 B, *Cum aliquo utique præsidio.*

PRÆSIGNARE. II, 260 A, *Quam Creatoris testimonium præsignaverit*, i. e. signum prætulerit, unde cognosceretur.

PRÆSPERARE. II, 513 A, *Qui ergo prænuntiabatur, ille et præsperabatur*; græc. προελπίζειν.

PRÆSTANTIA, præstatio, exhibitio. II, 302 B, *Et præstantiam propter merentes*, qua scilicet præstat præmia vel supplicia. II, 432 C, *Alius de præstantia ejus securos agere mandet.* In malam partem : I, 1255 B, *Ego enim præstantiam in delictis meam agnosco.* II, 650 B. *Sed viderit utriusque præstantiæ ambitio*, i. e. φιλοπρωτεία.

PRÆSTARE. II, 281 C, *Cui cædendo præstet esse.* Sensus est : Cui sanctitati *præstaret*, i. e. foret utilius atque optatius, *cædendo esse*, i. e. parem esse conjugio cædendo resecandoque. Melius nobiscum, inquit, agerctur, si ea nostra sanctitas esset, quæ nos ad tollendum conjugium adduceret, faceretque exsortes conjugii.

PRÆSTRUCTIM, via præparata, præmunita. II, 1038 A, *Ut ad hominem præstructim perveniretur.*

PRÆSUMERE, poncre, ὑπολαμβάνειν. I, 274 A, *Cum præsumatis de sceleribus nostris ex nominis confessione.* I, 1317 B, *Optantes perseverare id in nobis, non tamen præsumere.*

PRÆSUMPTIO. II, 993 B, *Cum sic quoque obduxero diversæ partis præsumptionem.* I, 1237 A, *Præsumptio intinctionis importat*, i. e. fiducia veniæ per baptismum impetrandæ.

PRÆSUMPTORIE. II, 462 B, *Nam et Petrum præsumptorie aliquid elocutum*, i. e. præsumptione præfidente.

PRÆTENDERE. II, 619 B, 620 C, *n.* (10), *Et Judas prætendit Israel*; legendum *Hierusalem*, ex *Zach.*, XIV, 14. Est autem *prætendere* ante vel e regione tendere, aut etiam per circuitum, ut exponitur sequenti membro. II, 272 B, *Aliam illi regulam prætendo*, i. e. alio argumento in ipsum utor, et regulam veritatis ei explico. II, 927 A, *Prætendimus necessitates adminiculorum.* II, 80 A, *Traditio tibi prætendetur auctrix.*

PRÆTER. II, 572 A, *præter hæreticorum*, i. e. præterquam hæreticorum; græc. πλήν. Hæretici genus spiritale sibi arrogabant. II, 169 C, *Præter unus Deus.*

PRÆTERESSE, abstinere, renuntiare. I, 466 A, *Cum et ipsis rebus, de quibus transiguntur, prætersumus*, i. e. quum ab illis ipsis superstitionibus, sive furore, libidine, crudelitate, quarum caussa spectacula transiguntur, adducti religionis nostræ conscientia, abstinemus.

PRÆTRACTATUS. II, 107 A, *Et determinare ex hoc ipso prætractatu.*

PRÆVELLERE. II, 150 A, *Quid ei magis quam martyria prævellit?* Sicubi homines Deus ab idololatria divellit, quid magis idololatriæ prævellit, quod prævulsum statim ipsi opponat, quam martyria fortium Christianorum ?

PRÆVENIRE. II, 23 A, *Damnare prævenit.* Hellenism. II, 312 B, *Propterea prævenit fugere in Tharsos.*

PRÆVENTO. II, 23 A, pro quo Latinius melius *præverto*, et Rigalt. *prævenio :* utrumque est Græcor. ῥθάνειν.

PRÆVERTERE, præponere, anteponere. II, 1045 B, ut sæpe apud Plautum. II, 1028 B, *Qui pœnitentiam peccatoris morti prævertit.*

PREMERE. II, 586 A, *Totam massam seminis sui preserit*, i. e. trituraverit.

PRESSUS. II, 1036 B, Purpura *pressa* dicitur, quæ purius et meracius lucet, cui est color sanguinis pressi et concreti, nigricans aspectu. II, 59 A, *Pressiora testimonia.*

PRINCIPALITAS, quod statim a principio fuit : scholastici vocant *prioritatem.* II, 44 A, *Ad principalitatem veritatis.* II, 668 A, *Habes animæ principalitatem.*

PRIORATUS, πρωτεῖον, primæ partes, principatus. II, 546 B, *Ut solent animi pro prioratu exciti.*

PRISTINUS. II, 970 B, *Quam nec ille Pristinus vester non Christianus martyr attigerat.* Rigalt. legendum arbitratur : *pristinum vester*, h. e. quondam vester, quemadmodum, initio libri *adv. Praxeam*, dixit *pristinum doctor.* In hanc vero historiam, quam narrat Septimius, plurima quadrant eorum quæ Lucianus *de Peregrino* tradidit. Nam et istum apud Christianos in fama et pretio aliquamdiu fuisse refert, ac propter habitos ab eo per oppida Syriæ de Christo sermones comprehensum, missumque in carcerem, atque ibidem Christianorum charitate ac studio diligentissime curatum, cœnis omne genus illatis, mox per humanitatem præsidis emissum carcere. Postea vero ob delicta quædam, ab christiano consortio ejectum, varias urbes obiisse non sine gloria philosophantem, ac demum Athenis insana quærendi nominis cupidine percitum, convocata multitudine, postquam verba multa de contemptu mortis fecisset, in ardentem rogum insiliisse, nec visum amplius. Martyrem istum, qualiscumque fuerit, psychicum id est catholicum fuisse ait Septimius, non Christianum, quia tormentis admotus Christum negaverat. Peregrinum suum Lucianus scribit in carcerem conjectum, propterea quod Christum coleret, τὸν μεγάλον ἐκεῖνον ἄνθρωπον δι παλαιστίνης ἀνασκολοπισθέντα; confestim accurrisse Christianos, uti fratres, atque omnimoda solatia contulisse, quin etiam cum eo in carcere permansisse ac pernoctasse, corruptis custodiis.

PRO. II, 1044 B, *Pro stupro erat pœna*, i. e. tam fœdæ exauctorationi eadem pœna, quæ stupro.

PROBARE. II, 191 A, *Cum semetipsum voluit probari.* Iren. : ὅτε οὖν ἠθέλησεν ἐπιδείξαι αὐτόν. Latinus interpres Irenæi reddit : *ostendere.*

PROBOLA, πρόβολή. II, 162 D, Προβολήν, *id est prolationem rei alterius ex altera.* II, 163 B, *Hæc erit probola veritatis*, i. e. generatio filii vera. II, 163 A, *Valentinus probolas suas discernit.*

PROBUS. II, 1033 A, *De tranquillo probum*, i. e. tranquillitate probum, tranquillum, ut de eo queri nemo jure possit. Latin. vult : *pronum.*

PROCEDERE, est frequentare sacra, adire templum, I, 1294 A, *Si procedendum erit.*

PROCLIVARE, proclivis esse, inclinare. II, 254 B, *In alterum magis proclivarunt.*

PROCURARE. II, 576 B, *Cui omnes hæreses procurantur*, ᾧ ἅπασαι αἱρέσεις οἰκονομοῦνται, forensi usu. II, 158 C, *Quia per tanta millia virtutum procuratur*, scil. monarchia. II, 961 A, *Cui ipsæ divitiæ procurant*, i. e. inserviunt. II, 277 A, *Æmulatio autem liberando homini procurat*, II, 799 A, *Sub obtentu procurandi*, i. e. ministrandi Imperatoribus.

PRODICIA. I, 567 A, *Videte qualem prodiciam adversus nos subornastis.* Prodiciam hic vocat, quam in Apologetico *indicem.*

PRODIGERE. I, 525 A, *In nihilum prodegerit*, i. e. licet etiam luxuriaverint et prodigi fuerint in perdendo et dissipando corpore. Alii, *redegerit.* I, 578 A, *Pene jam totis sæculis Creatoris prodactis*, i. e. porro actis. II, 483 B, *Prodacto ære isto*, i. e. consumpto. I, 1245 A, *Saluti prodactæ reformari*, i. e. turpiter profusæ, projectæ, deperditæ.

PRODUCERE, propr. de metallis, extendere, excudere. I, 501 A, *Et in lances argentaria metalla producta.* II, 609 A, *Quo eos de terra Ægypti produxit*, pro *eduxit.* II, 908 B, *Non religio produxit*, i. e. facit ut veniant in Ecclesiam Dei, et se ei adjungant. I, 614 B, *Et ad hoc scamma produxit.* Produci proprie in spectacula athletæ gladiatoresque dicuntur ab ipsis munerariis, qui ludos edunt.

PRODUX. II, 786 B, *Et producem mutui coitus.* Producem dicit, quemadmodum supra traducem. Igitur unitatem mutuo coitu productam dicit esse producem mutui coitus, sive potius id quod ex utriusque

coagmentatione dissilit, quum inter se divelluntur quæ arcte fuerant coagmentata.

Proferre. II, 165 A, *Prolatus est sermo Dei, an non?*

Professio, ὑποθήκη, de negotiatoribus, qui merces suas profitentur. I, 494 A, *Quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio vestrarum professionum.* II, 469 B, *Verum professio ejus alterius auctoritate conficitur.*

Professor. II, 469 B, *Nemo sibi est professor et testis est.*

Profligare, magnam rei partem conficere. II, 503 B, *Quanto opusculum profligatur breviter*, i. e. quo magis prope est, ut hic liber absolvatur atque ad finem producatur. Ita Cic. *Tusc.* V, 6 : *Profligata jam quæstio est, et pene ad exitum adducta.*

Proinde, i. q. perinde, ut ap. Cic. sæpe.

Prolatio, continuatio, duratio. II, 24 A, *Omnem prolationem quærendi et inveniendi.* II, 552 A, *Accepit prolationis suæ officium*, i. e. procreationis. II, 172 D, *Me πρόλοιν aliquam inducere, id est prolationem rei alterius ex altera, sublimitati et claritati aliqua prolatio.*

Proma, ταμεῖον. II, 297 B, *Promas tuas replesti.*

Promulgare, juris publici facere et ad usum publicum traducere. I, 554 B, *Qui primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgavit.*

Promulsis, vas escarium, lanx. II, 1048 B, *Quingenariam promisisdem*, i. e. lancem quingentarum librarum argenti.

Pronus, cum dativo. II, 254 C, *Nec malo nec bono pronus.*

Prope. II, 1035 A, *Prope sis eamdem negare*, i. e. parum absit quin neges eamdem.

Properabilis. II, 722 A, *Calore properabili.*

Properatum, præpropere editum, seu inchoatum et rude. II, 246 B. Vid. Hieronym., comment. *in Abdiam.*

Proprie. II, 664 B, *Non quia spiritus proprie est*, i. e. seorsim ab anima et per se.

Propudiosus, impudicus, inverecundus. II, 1042 B, *Ne quid et illi de Cæsaribus vestris obmussitent, pariter propudiosis.*

Prosapia significat progeniem vel familiam. Vet. gloss. prosapies, γένους καταγωγή. Prosapia, ἐκ προγόνων εὐγένεια καὶ συγγένεια.

Proscribere. II, 668 A, *Faciem tamen operis frontemque materiæ de anima unusquisque proscripsit.* II, 101 A, *Rex Judæorum proscriptus in crucem*, i. e. pronuntiatus programmate a præside provinciæ imposito. II, 1008 A, *Sed incertum cui, quia nec persona, nec caussa proscribitur.*

Prosecare, sacrificando Deo offerre. I, 503 A, *Major ætas apud Gallos Mercurio prosecatur.* I, 316 A. *Æsculapio tamen gallinaceum prosecari jam in fine jubebat.*

Prospecte, maxima providentia. I, 304 A, *Etiam circa ipsos deos vestros, quæ prospecte decreverant patres vestri.*

Prospectus. II, 98 A, *Ex Apostoli prospectu*, i. e. ut prospicienter statuit Apostolus.

Prosper. II, 1030 C, *Tam prosperos temporum*, phrasis tertullianea, ut et infra : *insignes libidinum.*

Prospex. I, 646, A, *In ominibus augurem, in eventibus prospicem*, i. e. providentem, prudentem.

Prospicere. I, 425, A, *Si ad ultores transire prospexit.* Sensus est : recte Cybelen cum cultu suo ad Romanos transiisse, quod sciverit, forte inde ultores Ilii prodituros. At quomodo tam seram prospicere temporis fortunam potuit, quæ paucos dies in fato Aurelii discernere non potuit. II, 150 A, *Quibus magis eam, quam passionibus prospicit,* τοῖς παθήμασι προορᾶται, græca phrasi.

Prospicue. II, 580 A, *Prospicias earum.* Ciacon. legit *prosicias* ; Fest. *Prosicium*, quod prosectum projicitur. Glossarium : *Prosiciæ*, αἱ τῶν θυμάτων ἀπάρχαι, et alibi, *prosiciæ*, ἀκροθίνια.

Prostare. II, 709 B, *Postrema dedecoratione sub titulo prostitisse Helenam viliorem*, i. e. prostibulam fuisse in fornice vel lupanari publico, cujus infamiam publicus titulus proscriptione profiteretur.

Prostituere. I, 502 A, *Lucernas meridie vanas prostituere.* Havercampus cum cæteris interpr. ait vehementius esse dictum, prostitui enim exiguam lucernarum et tædarum lucem, quum lucidissimis radiis solis meridiani opponatur. Malim tamen interpretari : palam exponere. II, 891 C, *Aut tegi aut prostitui*, i. e. retecta palam statui, et sine velamento procedere ante oculos omnium. II, 912 A, *Quam totum faciem prostituere.*

Prostitutio, institutio publica. I, 455 A, *Sub imaginum prostitutione.*

Protelare. II, 409 C, *Sed sexcenta millia hominum protelavit*, i. e. sexcentis hominum millibus vitæ et virium tenorem continuavit, produxit, protraxit. I, 1235 B, *Et in portum divinæ clementiæ protelabit*, i. e. ad portum usque quemlibet distantem producet, I, 650 A, *Ut et ignorantiam protelet in occasionem*, i. e. tanta est voluptatum vis, ut hominem suum tamdiu doceri nolit, vitanda esse christiano spectacula, quamdiu spectandi occasio sperabitur.

Provocare. II, 88 A, *Provocans eam*, nempe communionem utensilium, *ad rationalium et irrationalium distinctionem*, i. e. jubens ut ea commode prudenterque in duo genera distinguatur ; hæc rationalia, quorum fabrica et usus cum ratione conjunctus, illa irrationalia, quorum tota accuratio præter et contra ipsam rationem est.

Proxime, proximo tempore, nuperrime. I, 572 A.

Psychicus. II, 156 A, *Et manet chirographum apud Psychicos.* Psychici opponuntur Pneumaticis, i. e. spiritualibus ; quemadmodum et animalem fidem spiritali opponit disciplinæ, lib. *de Jejun*, cap. I. Dicebantur autem a suis Montanistæ sive Cataphryges *spirituales*, eo quod spirituales revelationes et prophetias ἐνθουσιώδεις sibi arrogarent : qui vero has singulares prophetias et revelationes ordinarias negabant esse in Ecclesia, audiebant *Psychici* ex I Cor., II. Tertullianus autem mediam quamdam viam tenuit quodammodo. Nam paracletum, i. e. spiritum ordinarium prophetiarum revelationumque singularium, agnoscebat ut Montanista : jejunia severe urgebat, martyria cogebat, in persecutionibus interdicens fugæ, et secundas nuptias damnabat ; sed a Montanistarum sacramentis abstinebat, et impiis illis atrocioribusque de Montano et Prisca prædicationibus. Ex quo factum, ut Augustinus (*lib. de Hæresib. ad Quodvultdeum*) Tertullianos sive Tertullianistas a Montanistis, qui et κατάφρυγες dicti, distingueret. II, 953 B, 954 B, *Exteriores et interiores botuli Psychicorum.* I, 552 A, *De quo inter nos et Psychicos quæstio est.*

Ptissana, πτισάνη, hordeum decorticatum. Græci hordeum aqua perfusum, dumque tumeret in solo expositum, mox in pila ligneo pistillo tantisper tundebant, dum corticem glumamque exuisset. I, 532 A, *In exemplum ptissanæ*, i. e. instar ptissanæ.

Publicare, in publicum traducere. II, 112 B, *Qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in Domino.*

Publicatio. II, 892 B, *Omnis publicatio virginis bonæ stupri passio est*, i. e. detectio capitis.

Pulsare. I, 391 A, *Idem spiritus pulsat*, i. e. mentes prophetarum veridicis implevit, futura dicere impulit. II, 796 A, *Pulsata salute, licet non adita veritate*, i. e. pulsavere salutis januam Platonici, vindices immortalitatis animarum, sed qualitatem et modum immortalitatis ignoravere, non adita veritate. I, 609 B, *Tunc philosophi duri, cum veritatis fores pulsant.*

Pulvis. I, 1306 A, *Et illum ipsum nigrum pulverem.* Niger pulvis est calliblepharum Græcis et Latinis dictum, ex adustis rosarum palmarumque foliis, ex ampelitide et aliis, *quo oculorum exordia producun-*

tor. Jun. leg. *exodia*, i. e. fines et ambitus promoventur pigmento ad venustatem vultus.

Pumex. II, 1042 A, *Pumice speculi*, i. e. speculo pumicato, lævissimo ac politissimo.

Punire. I, 1270 B, *Adversus omnem subvertendæ fidei aut puniendæ paraturam*, puniendæ fidei, i. e. pœnis ac tormentis exercendæ probandæque.

Purgare. II, 427 C, *Alibi malo purgare*, i. e. refellere atque amovere: metaphora a re rustica. I, 506 A, *Ut viam mihi ad manifestiora purgem.*

Purgatrix. I, 1205 A, *Purgatrice aqua se expiabat.*

Purus. I, 700 B, *Sacrificamus quomodo præcepit Deus, pura prece*, absque thure, absque victima. Sic I, 1244 A, *Pastum et potum pura nosse*, i. e. uti pane et aqua solum, absque ullis aliis esculentis, absque condimentis. Sic Juvenalis: *Observant ubi festa mero pede sabbata* reges, i. e. nudo pede. Itaque *pura prece*, hoc est sola et nuda oratione, de mente sancta et innocenti. Offerebant Gentes diis vanis inanima aut bruta, thura aut boves; Christiani Deo vero offerunt animam rationalem, laudes et gratias dicentem Deo. Hoc diserte explicat Athenagoras legatione illa pro Christianis ad Antoninum et Commodum, citatis etiam Pauli verbis, quibus hostiam describit, Θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ θεῷ, τὴν λογικὴν λατρείαν ἡμῶν. Ipse Tertullianus in Apologetico: *Offero optimam et majorem hostiam Deo, quam ipse mandavit: orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Et lib. IV, cap. 1, *advers. Marcion.* ad illud Malachiæ: *Offertur nomini meo oblatio munda*, scilicet simplex oratio de conscientia pura. Et cap. 9, hominem ait offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet et actionem gratiarum apud Ecclesiam per Christum Jesum, catholicum patris sacerdotem. Minutius Felix, posteaquam dixit: *Delubra et aras non habemus*, addit: *Litabilis hostia bonus animus, et pura mens, et sincera sententia. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt.* Denique *Eucharistica nostra confici pura prece*, sive oratione sola, Justinus *adversus Tryphonem* Judæum testatur. (Apud Rigalt. ista leguntur.) I, 1269 A, *Contenta simplici pabulo, puroque aquæ potu.*

Pusillitas, parvitas. II, 210 A, *Quæcumque potestas ei, quam pusillitas, competit*, i. e. potius, vel magis, quam pusillitas. Ellipsis græca perfrequens.

Putativus, qui vere non est. II, 535 A, *Putativæ in Christo corpulentiæ.* II, 535 C, *Nativitatem putativam illi accommodasse*, quasi vere natus et re ipsa non fuisset. II, 754 C, *Qui carnem Christi putativam introduxit.*

Pyctes, πύκτης, pugil. II, 154 A, *Pyctes ipse non queritur.* II, 978 B. *Pyctæ xerophagiis invalescunt.*

Pyriphlegeton, igneus inferni fluvius, ubi pœna εἱμαρμένη τῶν ἐπὶ τοῦ πύρος ὀπτωμένων, i. e. ejulatus in igne flagrantium, ut ait Lucianus in *Necyomantia.* I, 520 A.

Q

Qua, quia, in quantum. I, 441 A, *Sciunt, qua homines, quis et animam*, i. e. quia vel in quantum homines sunt, sciunt etiam a quo animam acceperint. Vel ita: sciunt quis illis dederit animam, qua scil. anima homines sunt, et differunt a brutis. I, 483 A, *Si qua illic arborum poma conantur*, i. e. si quo modo, ut *aliqua* apud Virgil. pro *aliquo modo.*

Quæstio. II, 581 A, *In præpositionum quæstionibus*, i. e. in exagitatione subtili præpositionum; inde *ex, per*, similiumque exponit atque demonstrat sequentibus. Sed de ea re amplius egit auctor lib. *de Præscript.*, cap. 49. II, 172 C, *Si hunc articulum quæstionibus Scripturæ veteris non expediam.* II, 187 C, *Post Philippum et totam substantiam quæstionis istius.* II, 307 A, *Diligere quæstiones*, i. e. toto studio operam dare sanctis illis quæstionibus, de quibus Isaias postea, Καὶ ὅσιοι, διηλεχθώμεν.

Quanti, pro *quot*, ut *tanti* pro *tot.* I, 266 A, 281 A, *Quanti enim ad malum præformantur.* II, 179 C, *Quanta tibi præscribam*, i. e. quam multa. II, 253 C, *Quanti nequam servi regum nominibus insultant.*

Quanto. II, 219 B, *Quanto non comparat cui adscribantur*, i. e. quanto magis non comp II, 626 A, *Quantoque incredibile*, subaud. *magis.* II, 503 A, *Quanto opusculum profligatur breviter*, i. e. quo magis prope est, ut hic liber absolvatur, atque ad finem perducatur.

Quantum, quod attinet ad, si spectes. I, 581 A, *Quantum interpretatio est.* II, 232 B, *Quantum proprie pictor*, i. e. in quantum.

Quatenus, i. q. quia. II, 226 B, *Quatenus hic solorum corporum*, etc. II, 176 B, *Quatenus ita Scripturæ docent*, i. e. quoniam, quandoquidem.

Qui. II, 236 B, *Sicut facit qui decor*, i. e. aliquis decor.

Quicquid, pro *quidvis, quidlibet.* II, 43 B, *Hoc nomine quidquid emendat.*

Quinio. II, 656 A, *Invenitur etiam in jure civili græca quædam quinionem enixa filiorum.* In jure civili, i. e. in jureconsultorum libris, quos ita citare solent etiam veteres grammatici. Plin. H. N. lib. VII, cap. 5. *Reperitur et in Peloponneso quinos quater enixa majoremque partem ex omni ejus vixisse partu.* Aristot. Ἀνὰ πέντε γὰρ ἔτεκε, καὶ τὰ πολλὰ αὐτῶν ἐξετράφη. Etenim Peloponnesi non meminit. Sed et Strabo, etiam ex eodem Aristotele aliter narrat, in XV; aliter Gellius in X. Denique Aristoteles ipse, eadem de re alio se loco dixisse commemorat, qui locus hodie non apparet. Gaius lib. I, *Fideicommissor.*, ut refertur L. 3 *de Rebus dubiis*, et Julianus I, 36, *de Solutionib.* Idem omnino de Alexandrina muliere tradunt, quod hic Septimius noster de Græca.

Quinquatria. I, 674 A, *Quis ludimagister sine tabula VII idolorum quinquatria tamen frequentabit?* Quinquatria dicuntur festi illi dies Minervæ sacri, quorum primo Minervæ fiebant sacra, tribus sequentibus munera, quinto denique lustratio. Ovid. Fast. III:

Una dies media est et fiunt sacra Minervæ,
Nomina quæ a junctis quinque diebus habent.

Erat autem primus istorum dies mense Martio, XIV Cal. April.: ultimus communi appellatione Tubilustria dicebatur: omnes muneribus frequentati, quæ Minervalia dicebantur, præsertim quæ tirones atque novitii magistris suis in omni genere exhibebant. Ovid. ibidem:

Vos quoque, Phœbea morbos qui pellitis arte.
Munera de vestris pauca referte deæ:
Nec vos, turba feri census fraudata magistri,
Spernite, discipulos attrahit illa novos.

Hæ quidem majores Quinquatriæ. De minoribus vid. Varro, lib. V. *de Ling. lat.* et Festus. Sensus est, nullum esse ludimagistrum, qui non habeat in ludo suo sive schola tabulam septem idolorum, hoc est, septem planetarum, Lunæ, Martis, Mercurii, et cæterarum, unde nomina dierum hebdomadis cujusque. Aut si quis reperiatur absque hujusmodi tabula, hunc tamen quinquatria frequentaturum. Quis autem fuerit apud ludimagistros istius tabulæ sive laterculi septem dierum usus diligentius inquirere non tanti est. Forteau perscriptum aut significatum illic fuit, quid quaque die discipulis tradi reddive oporteret. Juvenal. *Sat.* VII:

Nil satis Arcadico juveni, cujus mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet.

Ea die scilicet totius hebdomadis summa colligebatur. Septima die, quies et otium. Ipse Tertull. lib. *ad Nationes* I, cap. 13: *Vos certe estis, qui in laterculum septem dierum Solem recepistis, et ex diebus ipsum prælegistis, quo die lavacrum subtrahatis aut in vesperam differatis, aut otium et prandium curetis.*

Quisque, pro quisquis. II, 611 B, *Vel quisque ei in hæreditate regni successit.*

Quo. II, 216 A, *Quo illic etiam, per quem omnia fuerit, revelatur*, i. e. quod. II, 522 B, *Quo nec hic Apostolus*, i. e. quapropter. II, 518 B, *Quo jam mihi duos deos*, i. e. quorsum, ad quid.

Quomodo, quoquo modo, vel quocumque modo. II, 471 B, *Sed quomodo Marcionitæ volunt credi.*

R

Ranunculus. I, 659 A, *Ac si stillicidia mellis de ranunculo venenato*, i. e. ut si quis favum mellis una cum ranæ rubetæ pulmonibus exprimat, nam inde confusa veneno mella stillabunt, mella quidem sed venenata. Juvenal. Sat. I:

..... *Quæ molle calenum*
Porrectura viro miscet sitiente rubetum.

Rapere. I, 266 A, *Quos rapit*; subaud. *malum*, i. e. qui mala sequuntur ac perversa. I, 1205 A, *Quoniam subjecta quæque materia ejus, quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est.*

Ratio. I, 278 A, *Quædam ratio æmulæ operationis*, i. e. quoddam ens operose æmulum. Intelligitur de diabolo, qui invidet Ecclesiæ Christi. I, 526 A, *Quæ ratio universitatem*, etc., per rationem intelligenda summi Dei sapientia. II, 122 A, *Tormenti ratione*, in modum tormenti. II, 143 C, *Hæc nobis etiam ludicrum in modum certa ratio mandavit*, i. e. ratio ipsa nos cogit jubetque, ut istis somniis et nugis illudamus.

Rato. II, 710 A, *Nulli enim vitam istam rato fieri nisi universis, quæ arguunt eam, expunctis*, i. e. nullam vitam ratam haberi, et in rationes referri, nisi omnia absolverit atque perfecerit, quæ pertinent ad vitæ traducendæ modum. Forenses locutiones.

Rebellare. II, 480 D, *Quæ pax a non rebellato?* i. e. in quem nulla commissa rebellio.

Recapitulare, *id est, ad initium redigere, vel ab initio recensere.* II, 512 C.

Receptum. II, 141 B, *Et per singula tabulata cœlorum de recepto dispici cœperint.* Latin. vult *de receptu;* Rigalt. vero *de præcepto dispici*, i. e. inquiri, et examinari an præcepto Christi paruerimus, an fuerimus constantes in confessione nominis Christi coram potestatibus.

Recidivatus. II, 796 A, *Certe recidivatum animæ corporalem pronuntiaverunt*, i. e. restitutionem ex casu. II, 818 A, *Quæ carnis recidivatum pollicentur.* II, 857 C, *Recidivatus status judaici.* II, 697 A, *Samius sophista Platoni auctor est animarum de recidivatu revolabili.*

Recidivus, redivivus. II, 261 A, *Recidivi anni fidem argumentantur.* II, 424 B, *Exsuscitatus ad spem æternæ vitæ per exempla recidivæ*, i. e. redivivæ, instauratæ. *Recidiva* Servius exponit post casum restituta. Ita Virgil., *recidiva Pergama*, Æn. IV, 7 et 10. Plin. *recidivas febres* cum medicis appellavit παλινδρόμους, ἀναπτομένας. II, 810 B, *Universa conditio recidiva est*, i. e. omnes res creatæ de integro restituuntur restauranturque. II, 690 A, *Ipsa post oblivionem recordatio memoria recidiva est.* II, 1022 A, *Ita mœchia de pristino recidiva.*

Reciprocare. II, 555 B, *Ad caput, id est ad initium reciprocare universa in Christo.* II, 78 C, *Quam diu per hanc lineam serram reciprocabimus.* Vid. Linea.

Reciprocicornis, qui reciproca et obtorta cornua habet, ἑλιξοκέρως, II, 1031 B.

Recogitatus. II, 466 A, *In recogitatu mulierum illarum.*

Recognoscere, accurate legere. I, 391 A, *Dum patimur, legantur, dum recognoscimus, probantur*, i. e. fiunt illa omnia interim, dum ista in transcursu legimus; sed, dum accurate legimus, videmus illa prædicta ante jam exitu probari.

Recorporare, in aliud corpus, sive in aliam formam transmutare. II, 804 A, *In materiam robustiorem recorporare.* II, 837 B, *Et recorporari carnis facultatem.* II, 706 C, *Nam et qui laboribus atque servitiis puniendi, in asinos utique et mulos recorporabuntur.*

Recorporatio, II, 837 C.

Rector. II, 218 A, *Arbitrum rectoris invenio sermonem.* Cod. Divionens., *Arbitrum factoris invenio sermonem.*

Recuperatio. II, 1022 C, *Post recuperationem et reformationem.* Recuperationem hic dicit pro curatione et sanatione, ut supra immunditiam dixit *irrecuperabilem.*

Recusare, derelinquere. II, 1037 A, *Cum squamis et anni recusantur*, alii *recursantur.* II, 556 A, *Plane nativitatis mendacium recusasti*, i. e. confutasti adductis caussis: forense verbum.

Redanimare. II, 811 B, *Nec redanimari, sed reformari existimentur.*

Redanimatio, II, 837 C.

Redinvenire. II, 729 A, *Sophocles tragicus, somniando redinvenit.*

Redire, resolvi. II, 247 A, *Liquores ignibus redeunt*, i. e. ne liquores quidem ipsi illic sunt liquidi, nisi ignibus admotis resolvantur in liquorem, glaciati sunt, constricti gelu.

Refectio. II, 798 B, *Solvis carnis refectionem cum maxime asserimus*, i. e. resurrectionem.

Reficere, reponi. II, 1047 A, *Facile sese regit, facile reficit.* II, 809 C, *Et utique idoneus est reficere, qui fecit.*

Refrigerare. I, 701 A, *Indigentibus refrigeramus*, τοῖς πένησιν ἀναψύχομεν. Hellenismus. Varinus, ἀναψύχω, inquit, τὸ τὸν λειποθυμοῦντα ἐπαναρίπτω, ἢ τὸ ἀνάπτω καὶ ἀναλαμβάνω: et ita *refrigerium* locis quam plurimis.

Refrigerium. II, 708 A, *Per sententiam æternam tam supplicii quam refrigerii.*

Refrigescentia. II, 722 A, *Sed nec refrigescentiam admittam.*

Reformatus. II, 563 A, *Æonum tutelarem reformatum*, i. e. reformationem.

Refuga. II, 1309 B, *Metalli refuga mutatur*, qui a communi metallorum sorte seipsum eximit, sive, ut Rigalt. vult, quasi damnatus ad metalla inde fugerit.

Regio. II, 235 A, *Ab utraque regione*, i. e. a loco vel sede utriusque, nimirum boni et mali.

Regula. II, 26 B, *Regula fidei.* Regulam hic et aliis locis vocat, quod vulgo Apostolorum symbolum vocamus. Κανὼν τῆς ἀληθείας, σωμάτιον τῆς ἀληθείας Irenæo. II, 197 B, *Veritatis regula.* II, 157 A, *Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse.* II, 254 B, *Quia prohibet disposita jam regula summi magni*, i. e. posita illa regula, seu jacto fundamento, duo dii esse non poterunt. II, 271 A, *Ad regulas perducam*, i. e. constringam ordine et loco, quæ ad declarandam quæstionem hanc pertinent. II, 272 B, *Aliam illi regulam prætendo*, i. e. alio argumento in ipsum utor, et regulam veritatis illi explico.

Religio. I, 346 A, *Circuit cauponas religio mendicans.* Pamel. intelligit de sacerdotibus Cybeles, qui stipem ostiatim exigebant; Haverc. vero de invitatione publica ad locationem, et laudat verba in lib. *ad Nat.* I, cap. 10: *Negotiatio religione proscribitur, sanctitas locationem mendicat.*

Reliquatio. II, 746 B, *Nulla erit reliquatio temporum non constitutorum.*

Reliquatrix. II, 710 A, *Reliquatricem delictorum*, i. e. ex rationibus debitricem reliquationis. Sunt enim reliquatores, qui quod alicui debent, ex asse et integro non persolvunt, sed alicujus partis debitores remanent.

Remeabilis. II, 705 C, 706 A, *Imo adhuc proxime etiam in corpora remeabilem affirmant.*

Remediare, subvenire. II, 52 A, *Detractione vel adjectione vel transmutatione remediaremus.* II, 447 A, *Ideo illos remediatos*, sanitati restitutos. I, 703 B, *Aut a dæmoniis aut valetudinibus remediati sunt.*

Remissa, remissio. II, 403 B, *Diximus de remissa peccatorum.*

REMUNERARI, passive. I, 502 A, *Statuis et salariis remunerantur.*

RENIDENTIA. II, 755 B, *Et renidentias eorum per quietem*, i. e. risus. Nam *renidere* etiam est τὸ μειδιᾷν in Glossario vetere.

RENUNTIARE, discedere de loco, quem quis indigne occupaverat. I, 404 A, *Sequitur ut falsa renuntietur.* II, 395 B, *Atque adeo hoc statim renuntiandum est*, i. e. declarandum. II, 403 A, *Plenius eam de stylo nunc renuntiaturus*, i. e. definiturus et declaraturus scripto responso meo. II. 81 B, *His igitur exemplis renuntiatum erit*, i. e. contra et ex adverso nuntiatum erit. II, 658 A, *Aiunt enim et idcirco animam incorporalem renuntiandam.*

RENUNTIATIO. II, 754 B, *Renuntiatio ejus dabit legem nostræ resurrectioni*, i. e, demonstratio, declaratio enuntiando facta. I, 638 B, *Una renuntiatio nostra adversus idololatriam.*

REPASTINARE, propr. refodere pastino seu ferramento bifurco vinitorum. II, 305 C, *Ut commissio injuriæ metu vicis statim occursuræ repastinaretur.* I, 1326 B, *Non repastinantes divitiarum vestrarum vel elegantiarum usum.* I, 1246 B, *Et bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinandis.* II, 755 A, *Aut repastinet vitis modo* (i. e. prout vite facit agricola, eam novellans propagine) *vitam, ætate renovata.*

REPASTINATIO, evulsio, recisio, quæ propagationi opponitur. II, 921 B, *Non sine ratione propagationis in primordio et repastinationis in ultimo.*

REPERCUTERE, contra adversarium suo uti argumento, quasi telo, quod repercussum a clypeo jacientem vulnerat, inque eum resultat. I, 488 A, *Hoc, inquitis, et in Deum vestrum repercutere est.*

REPERTRIX. II, 394 B, *Nec gaudium confert repertrici Ecclesiæ.*

REPUERASCERE. II, 544 A, B, *Repuerascere nos et Apostolus jubet.*

REPUTESCERE. II, 702 B, *Ne aliqua sepulturæ conditio reputesceret.* Vid. CONDITIO.

RES. II, 1032 A, *Sit nunc aliunde res*, nunc aliunde argumenta petantur, transeamus ad alia argumenta, aliunde sumpta.

RESCULPERE. II, 959 C, *Nam et primus populus primi hominis resculpserat crimen.* Augustin. in Psalm. VI: *Dum enim nos convertimus, id est mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum.* Rufinus in eumdem Psalm.: *Dum convertimur, id est, dum commutatione veteris vitæ resculpimur.*

RESERARE, frangere et aperire. I, 308 A, *Quis cruenta... ora judici reseravit*, i. e. ferinum illum hominis belluæ similis rictum, dentium ordine quasi sera clausum, vi diffractum et opertum, quomodo nondum ad stomachum missæ particulæ carnis humanæ in ore deprehendantur.

RESIGNARE, aperire, effringere. I, 303 A, *Ob resignantes cellæ vinariæ loculos.* Sera enim non tantum, sed et sigillo muniebant cellas, in quibus vina et esculenta condebant. II, 782 A, *De terra, id est carne, nondum generationi resignata.* II, 378 A, *Jonathan, filium Saulis, resignati jejunii culpam deprecatione delesse.* Resignatum vocat jejunium infringendum; dederat enim Jonathas occasionem violandi jejunii, cum mel ori suo admovit. II, 849 B, *Veteris testamenti resignandi*, et novi confirmandi, i. e. explicandi veteris, et novi confirmandi. Nam testamenta aperiebantur resignatione, consignatione stabiliebantur.

RESONARE. II, 906 C, *Quæ publice resonant*, signo dato tuba vel tintinnabulo, de horis tribus insignioribus publicis.

RESPERGERE. II, 1001 C, *Maculas carnis post baptisma respersæ*, i. e. rursus sparsæ et maculatæ, novis scilicet post lavacrum sordibus.

RESPONDERE. II. 233 B, *Informem et incultam materiam respondere.* In speculo *respondere* dicitur imago aut res, pro eo quod est præberi, repræsentari, referri, vel potius spectandam sese exhibere ex adverso. Negat igitur materiam respondere in hoc ornato mundo, i. e. sui responsum imaginemque exhibere. II, 91 B, *Et in alium dominum respondere post Christum*, i. e. superveniente nova sponsione se obligare ad officia præstanda domino, qui alius sit a Christo, et aliud ab ipso sentiens jubensque.

RESPONSIO. II, 865 A, *Anima enim non lavatione sed responsione sancitur.* Responsionem appellat auctor *sponsionem*, qua nos ipsi vicissim obstringimus gratiam spondenti Domino. Ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς appellat Apostolus ex relatorum natura, I Petr. III.

RESUSCITARI, oriri de stellis. II, 1035 A, *Siderum distincta confusio. interdum dejicit quid, interdum resuscitat.*

RETRACTARE, refellere. I, 280 A, *Nemo retractat, nonne ideo bonus*, etc., i. e. nemo refellit sermones istos criminantium, dicendo: Vide, ne, etc. II, 549 A, *Non aliæ erunt, quam quæ retractantur.* II, 156 C, *Nec quisquam retractat.* II, 405 B, *Sed non statim hac sententia cæteris retractavimus*, i. e. de aliis argumentis hanc sententiam nolumus hoc loco accipi. *Retractare* sæpe est diligenter tractare, et recognoscere. II, 251 B, *In præteritis aliquid retractavimus.* I, 1255 B, *Quis de bono ejus late retractet*, i. e. quis de bono ejus satis unquam dixerit. At in omnibus antiquis exemplaribus legitur *quis de bono ejus latere retractet*, i. e. quis de bono ejus latere aut reticere apud se cogitet. I, 392 A, est carpere, *Fortasse an hoc nomine de statu ejus retractetur.* Nam obtrectationis ergo diligenter inquiri sectam dicit Tertullianus.

RETRACTATUS. II, 157 B, *Dandus etiam est retractatibus locus*, i. e. diligentiori examini et refutationi. II, 248 A, *Hæreticos sine retractatu doctrinarum revincendos.* II, 474 A, *Sicut et in evangelii vestri retractatu probatum est.* II, 951 B, *In generali retractatu.*

RETRO, olim. II, 246 B, *Retro gestum est nobis*, πεποίηται ἡμῖν. Hellenism. I, 432 A, *qui retro oderant*, i. e. qui antehac oderant. Sic sæpissime.

RETROSIOR, qui magis retro, i. e. vetustior, antiquior est. I, 387 A, *Extremissimi tamen eorum non retrosiores deprehenduntur primoribus vestris sapientibus.*

RHETORICARI. II, 301 A, *Ita nos rhetoricari quoque provocant hæretici, sicut etiam philosophari.*

RISILOQUIUM. II, 1245 A, *Cum penes insultaturos in risiloquio consistit.*

RIVALITAS. II, 988 C, *Quot rivalitates defendam.* Etenim plerique amatores amatas suas ab rivalibus defendunt homicidio, rivalibus vario mortis genere extinctis.

ROBORATUS. II, 691 A, *At quanto roboratior exitus a fœminis revinci quam probari?* Latin., Rigalt. et alii leg. *ruboratior exitus*, non *roboratior. Exitum ruboratiorem* vocat eventum ex quo plus ruboris ac pudoris incutiatur.

ROMANITAS. II, 1040 A, *Si est romanitas omni salus*, etc., i. e. si romanos mores amplecti cunctis populis utile est et gloriosum, quid nunc per studia prorsus inhoneste atque inutilia ad Græcos abitis?

ROMPHÆA, ῥομφαία, gladius. II, 745 A, *Nisi quia nullis romphæa paradisi janitrix cedit.*

RUCTARE. I, 413 A, *Qui ructando curantur.* Haverc. *curvantur.* De vatibus, qui, ubi per sacrificia et incensiones holocaustorum numen conceperunt, in partus doloribus et ὠδῖσι sunt: incurvantur itaque, dum conceptus spiritus per fauces erumpere cupit. II, 815 A, *In quem mors aliqua ructarit*, i. e. in quem aliquis celeritate veneni correptam animam inter sorbendum cum ructu efflaverit.

RUDIS. II, 222 B, *Rude illud est, quod imperfectum est.*

RUMA, et *rumen* appellatur in fœminis mamma, in quibusdam vero animantibus eminens pars gutturis, per quam dimissus cibus revocatur, ut ait Servius, sive, ut Nonius, locus in ventre, quo sumitur cibus, et unde redditur. Festus: Rumen est pars colli, *qua esca devoratur.* II, 800 A, *Et rumis alitum.*

Rumpere. I, 501 A, *Vel adhuc flagra rumpentium*, in quorum tergis vestigia recentia exstant disruptorum in cædendo flagellorum ; quos lepide *hesternos Quirites* vocat Persius *Sat.* III, 106.

Runcare, radicitus evellere, amovere. II, 1055 B, *Runcare atque rustare instituit.*

Runcina, instrumentum quo opus poliebatur. I, 340 A.

Rupex, inscultus, rusticus. II, 1011 A, *Ille apud rupicem.* I, 401 A, *Non qui rupices et adhuc feros homines.* II, 655 B, *Quid autem facient tot ac tantæ animæ rupicum et barbarorum.*

Russatus. II, 77 A. *Et tunc russatus sanguinis sui spe.* Tunicæ militares erant russatæ, φοινικαῖ χιτῶνες. Hic miles factus Christianus, pro tunica russata, sanguinis sui spe, hoc est, sperata martyrii purpura russatus dicitur, *russatæ militares* apud Trebellium, et apud Juvenalem, *russatus Lacerta.*

Rustare, ruscum seu ruscus sunt rubi et sentes, unde ruscare seu rustare, unde et rustariæ falces sentibus eradicandis paratæ. II, 1035 B, *Runcare atque rustare instituit*, alii legunt *ruspare*, i. e. quærere..

S

Sacerdos. II, 1015 A, *Sacerdos suggestus*, i. e. sacerdotalis suggestus. Ita I, 907 B, *Sinistra conscientia*, i. e. sinistra conscia. II, 926 C, *Per sacerdotem de monogamia ordinatum, aut etiam de virginitate sanctum*, i. e. vocatum ad sacerdotium de numero monogamorum, aut de numero virginum ἀγάμων.

Sacerdotium. II, 1051 A, sacerdotes.

Sacramentum, religio. I, 563 B, *Et omnem hinc sacramenti nostri ordinem haurite*, i. e. progredimini ad notitiam religionis nostræ. II, 623 B, *Sic et Jesus ob nominis sui sacramentum.* I, 520 A, *Nonnisi de nostris sacramentis.* II, 52 B, *Ejusdem sacramenti una traditio*, i. e. ejusdem evangelii. II, 38 A, *Tacitum sacramentum*, i. e. doctrina sacra remotior et arcana. II, 45 B, *Ob diversitatem sacramenti*, i. e. doctrinæ. II, 588 A, B, *Qui tantum sacramentum etiam illudendo prodiderim*, i. e, tantum mysterium, tam arcanam et absconditam doctrinam. II, 594 A, *Pro magno nominis sacramento.* Iren. καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ μεγὰ καὶ ἀπόκρυφον μυστήριον. II, 157 B, οἰκονομίας *sacramentum* dicitur doctrina de Trinitate. II, 622 B, *Qui in hujus sacramenti imagines parabatur*, i. e. tum ut ipse imago esset, tum ut typis et imaginibus Christi accenseretur, quæ fuerunt ex lege quamplurimæ in testamento vetere. II, 855 B, *Hoc enim lignum tunc in sacramento erat.* II, 138 B, *Ne antiquitas suum forte habuerit sacramentum*, i. e. ne quis putet, veteri testamento ordinata fuisse martyria, non novo; lege, non evangelio. Itaque sacramentum martyrii dicit, II, 965 A, *Verum etiam sacramentorum agnitionem jejunia de Deo merebuntur*, i. e. peritiam interpretandi figuras et imagines sacras, nempe divinitus objectas in somno. *Sacramenta* igitur somnia a Deo immissa. II, 964 C, *Quibus modis de Deo impetraretur agnitio sacramentorum.* II, 470 A, *Harum figurarum sacramenta.* II, 660 A, *Et videt et audit sacramenta*, i. e. parabolas, ænigmata, figuras, mysteria, cujusmodi sunt quæ ostenduntur aut suggeruntur per somnia, quibus Dei voluntas significatur, sive aperitur. Iren. lib. V, cap. 7, latine dixit *sermones inenarrabiles*, ἀῤῥητα ῥήματα. II, 973 A, *Lex est sacramenti*, i. e. communionis christianæ lex est, ut nostrum sit, quodcumque nostrorum est. II, 261 A, *Aridæ et ardentis naturæ sacramenta*, i. e. signa seu mysteria. II, 280 A, *Jam nec ipsum fidei ejus sacramentum*, i. e. baptisma. I, 1197 A, *Felix sacramentum aquæ nostræ.* II, 547 C, vocatur Christus *sacramentum humanæ salutis.* II, 487 D, *Cui rei figuram extranei sacramenti interpretatur ?* i. e. signi sacri a deo extraneo dati. II, 943 C, *A presbyteris et diaconis ejusdem sacramenti*, i. e. monogamis. II, 823 A, *Ut ea species sacramenti*, de resurrectione. I, 1268 B, *Dilectio summum fidei sacramentum.* I, 405 A, *De propria conscientia anima eadem ex sacramenti voce pronuntiat.* Haverc. legit *animæ eadem exsacramenti : exsacramentum* formatum ab *exsecrare*, ut sensus verborum sit : Vulgus quoque jam indoctum pro maledicto frequentat Satanam auctorem hujus generis, dæmoniorum scil. Post *generis* distinctio ponenda.

Sacrificium. I, 1329 B, *Aut sacrificium offertur*, i. e. orationes sacræ, quibus se pii sistunt Deo, ut copiose exponit Clem. Alex. *Strom.* VII, et Tertull. *Apolog.* cap. 30, *ad Scapul.* cap. 2. I, 1303 A, *Sacrificia sine scrupulo.* II, 927 A, *Ascendet sacrificium tuum libera fronte.* Vid. Purus. II, 806 B, *Num et sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, et seras et aridas escas, et appendices hujus officii sordes.* I, 1182 A, *Non putant plerique sacrificiorum orationibus intervenicndum;* loquitur de jejuniis et eucharistia, quæ sacrificia maxime celebrabantur orationibus.

Sæcularis. II, 52 C, *Sæculares scripturæ* opponuntur Scripturis sacris.

Sæculum. *Qui sæculum corpus temporum fecit.* Zephyrus intelligit de ætate illa incerta, in qua nec prius nec posterius dignoscebatur, in ordinem vicesque redacta. De mundo tamen mavult Heraldus : ille enim est corpus temporum, a cujus creatione ævum, annos, menses, dies numeramus ; ultra quem vices temporum distinguere non possumus, sed ipsa est æternitas, ipse Deus sibi et tempus et omnia invenitur. Potest etiam simpliciter *sæculum* pro corpore centum annorum capi. II, 57 A, *Nunc sæculo obstrictos.* Vid. Obstringi. II, 197 B, *Denique ad hodiernum* est et vivit *homo in sæculo et natura quoque hæreticus*, i. e. cujus doctrina est hæretica in argumento de sæculo et natura, cum materiam stoice æternam facit. II, 898 B, *Proinde viderit sæculum æmulum Dei*, i. e. impium hoc sæculum et Deo obnitens, vel natura duce, ducet. Pamel. intelligit de Christianis ; Le Prieur de ethnicorum more, qui puellarum comas tondebant. II, 932 A, *Ab illo ultimo exitu sæculi.*

Sævus. II, 70 B, Alter deus Cerdonis ; Irenæus vertit δίκαιον, i. e. summo jure urgentem. Nam summum jus, summa injuria.

Salacitas, libido. II, 593 C, *Per edacitatem salacitas transit.*

Salticus. II, 137 B, *Contumeliosa cæde truncatur in puellæ salticæ lucar :* puella saltica, i. e. saltatricula, a saltu dicta.

Saltus, de incontinentia libidinis. I, 324 A, *Comes est libido, cujus ubique saltus*, etc.

Salutificator, σωτήρ, salutis artifex, ut lib. V *advers. Marcion.* cap. 15. II, 778 A, *Nec unus salutificator, si duo salutis artifices.*

Samia, genus placentarum, quæ in deliciis erant. II, 526 C, *Te unquam placentas et samias coctarum ;* alii *psamia.*

Sanguinans. II, 408 A, *Quia lex a contactu fœminæ sanguinantis summovet*, i. e. αἱμορροούσης.

Sapere. II, 705 A, *Sic et divina pronuntiatio sapit.*

Sapa. II, 526 C, *Non tamen ut sapam de petris.* Sapam (inquit Varro lib. I *de vit. pop. Rom.*, ut citatur a Nonio) appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant.

Sapientia, religio Christiana. II, 1045 A, *Cum hanc primum sapientiam vestit*, i. e. statim atque Christiani pallio induti sunt.

Sapientialis. II, 670 A, *Gradus vitalis et sapientialis, quod* ἡγεμονικὸν *appellant, id est principale.*

Sapor. II, 851 A, *Non substantiam ipsam, sed substantiæ saporem*, quo substantia sapit, active. Sic. *adv. Marc.* lib. II, cap. 19, *per eumdem saporem passionis.*

Sarabara, vestis fluxa, qua Persarum primores induebantur. Hesych. Σαράβαρα, τὰ περὶ τὰς κνημίδας ἐνδύματα. I, 1171 A ; II, 1043 A.

Sarmentiti. Cur ita vocati sint Christiani, ipse Tertullian. exponit I, 531 A.

Satiare. II, 124 B, *Si plagam satiaverit*, i. e. si jaculum penetravit adactum in vulnus.

Saturitas. II, 962 B, *Nec saturitatis cultus in sacco.*

Saturitatis cultum dicit, quia ex saturitate lætitia, ex lætitia autem cultus delicatioris cura, qui non convenit cum horrore cineris et asperitudine sacci.

SATURNALIA. II, 119 A, *Talem pacem Christus mandavit a militibus per Saturnalitia redimendam:* aut scribendum *Saturnalia*, aut dicendum Saturnalitia munera significari, quæ Saturnalitiæ celebritatis occasione militibus sive officialibus proconsulis aut præsidis Christiani mittebant, ut eos haberent æquiores et clementiores. Saturnalia munerum et strenarum dies fuere. Unde illud Martial. 4: *Saturnalia fructuosiora annis non habuit decem Sabellus.*

SCAMMA, Græcis locus dicitur certaminis, in quo congrediuntur athletæ, quod fossa soleret cingi, a σκάπτειν. Hinc proverbialiter dictum Hieronymo ad Pammachium, *De scammate et loco certaminis egredi*, pro eo quod est a proposito digredi, sive lineas transilire. I, 614 B, *Et ad hoc scamma produxit.*

SCANDALUM. II, 320 C, D, *Ante scandalum Marcionis.*

SCANTINIA, sive *Scatinia lex*, lata a Scatinio tribuno plebis, *in molles et effœminatos, qui nefanda venere uterentur*, h. e. aut ipsi muliebria paterentur, aut pueris vim facerent, quibus pœna decem millium nummorum statuebat; ex qua sibi inimicos accusationem minari scribit Cœlius ep. 13. II, 947 C, *Sicut ille vester Uthinensis nec Scantiniam timuit.*

SCAPULÆ, sunt inferiores montium partes, quæ sæpe a torrentibus avulsæ una cum illis decurrunt. II, 1033 A.

SCENA. II, 336 A, *Debuerat phantasmatis scenam decurrisse;* sens.: Debuerat ex toto servire scenæ, et susceptam fabulam peragere christus Marcionis, qui si putativam gessit carnem, debebat etiam putativam habere, sic enim phantasmatis scenam decucurrisset.

SCHOLA. I, 455 A, *Scholæ bestiarum;* spectacula et circi, in quibus caveæ; unde a munerariis emittebantur leones, ursi, et hujusmodi feræ laniandis hominibus eruditæ, et homines cum feris depugnare doctæ. Inter ea vero spectacula auditæ nonnunquam voces et in suos Cæsares obliquæ.

SCIAPODES, Hesych. Σκιάποδες, οἱ ἐν Λιβυῇ πλατεῖς ἔχουσι τοὺς πόδας, καὶ ποιοῦσι σκίαν αὐτοῖς, ἐν καύματι. Et Stephan. Byzantin. Σκιάποδες, ἔθνος Αἰθιοπικόν, ὡς ἑκάτερος ἐν περιηγήσει Δηΰττου, I, 570 A.

SCIBILIS. II, 511 A, *Non omnibus scibilis.*

SCIDIUM. I, 621 A, *Tentabo illos vilibus scidiis.* Scidia sunt σχίδακες, κλάσματα ξύλων, vilia cæsarum arborum segmina. Vitruv. lib. II, cap. 1: *Intervalla scidiis et luto obstruunt.*

SCINDERE. II, 568 C, *Intra hos magnam et omnem differentiam scindit*, i. e, quali discindens aperit atque patefacit, ut *dolorem suum scindere* scribit Cic. Attico.

SCIRE, sapere. I, 436 A, *Et merito si sciatis*, i. e. sapiatis; *quod sciam*, i. e. si quid sapio, si bene memini. I, 446 A, *Scito ex illis*, i. e. disce, intellige ex illis, unde velis sapere.

SCOBINA, instrumentum ad politiorem ornatum. Gloss. κοσμητήριον, I, 340 A.

SCORTUM. II, 1042 A, *Jam Omphale in Herculis scorto designata descripsit*, intelligitur de pelle leonis σκῦτος.

SCRINIUM, scriptura in eo condita reservataque. I, 381 A, *Et sacra unius interim prophetæ scrinium sæculis vincit.*

SCRIPTURA. II, 585 A, *Nobis enim in scriptura hujus seminis;* alii legunt *inscriptura*, una voce, i. e. ἐγγραφή, qua scilicet, ut supra dixit, inscripti sumus animali censui. Itaque inscriptura hujus seminis est regula animali semini præstituta.

SCROBULUS. II, 903 A, *Aut scrobulos barbarorum.* Legendum, ut monuit Salmasius, *stropulos.* Stropus qui idem stroppus vel struppus apud Festum, ut Atteius philosophus existimat, στρόφιον, quod sacerdotes pro insigni habent in capite; quidam coronam esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale si strophilum. Inde stropiola, seu strophiola et stropuli. Le Prieur mavult *crobylos.* Thucydidis interpres in lib. I, κρώβυλος δ' ἐστὶν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν ἀπὸ ἑτέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον. Hesych. Κρώβυλος ὁ μαλλὸς τῶν παίδων, ἢ ὁ κόρυμβος τῆς ἐμπλοκῆς ἢ ἐστιν ἀνηνεγμένη ἀπὸ μέσου τοῦ μετώπου ἐπὶ τὴν κορυφήν, οὕτω δὲ ὁ ῥήτωρ Ἱππίας, καὶ ὄνυγος ἐκαλεῖτο κρώβυλος, etc. Vid. CICADA.

SCROFA, porca. II, 251 C, *Usque ad XXX æonum fœtus tanquam æoneiæ scrofæ examen divinitatis effudit.* Rigalt. emendat: *æneiæ scrofæ;* alludit enim ad illam Æneæ scrofam, quæ, ut est apud Virgilium lib. III Æn.

Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fœtus enixa jacebat.

Ita quoque legit Rigalt. in Hieron. epistola ad Galatas: *Quot Æneia fœtus scrofa generavit*, ubi vulgo legitur *Æonia.*

SCRUPEUS, saxius. II, 1011 A, *Scrupea schola* est antrum Chironis.

SCRUPULOSITAS. II, 39 B, *Omnia ista scrupulositatis incitamenta.* II, 957 B, *Ad omnem circa victum scrupulositatem.* II, 905 A, *Ex angustiis vel scrupulositate descendens*, h. e. morositate parentum, quibus nullus placet.

SCRUPULOSUS. II, 1228 A, *Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit;* unde gemmarum scrupuli penderent.

SCYTALOSAGITTIPELLIGER; Herculis epitheton, quod clavam, græce σκυτάλην, sagittas et pellem leoninam gestaret. I, 1041 B.

SECTA, in bonam partem, de religione christiana. I, 501 A, *Dum de bono sectæ hujus obducitur.* II, 416 C, *Sub redemptione antiqua capitis et sectæ.* II, 1008 C, *In ipsa Apostoli secta.* Sectam pro moribus posuit. Atque ita Justinianus sub finem tituli *de legatis*, ubi de legatis probrosis: *Hujusmodi*, inquit, *testamentum dispositionis valere secta meorum temporum non patitur.* Sectam igitur Apostoli dicit, quod paulo post naturam atque propositum Apostoli, formam et regulam doctrinarum ejus. Sic supra, *ex forma Petri.*

SECUNDATUS. II, 695 A, *Si alteri primatum damus, alteri secundatum.*

SECUNDUM. I, 503 A, *Quem secundum deos philosophi dæmonas deputent*, i. e. proximo a diis loco æstimant, adeoque nihil mirum, dæmonia a philosophis non fugari quoniam amici sunt illis, utpote secundum deos illa reputantes.

SEDATIO. II, 441 A, *Ut ab alia virtute facta sit sedatio legis et prophetarum*, ἡρέμησις, q. d. in sede quietis atque in otio collocatio.

SEMAXII, cur ita vocati sunt Christiani, ipse Tertullianus exponit I, 531 A.

SEMEL, ἁπαξ, ἁπαξαπλῶς, omnino, prorsus. I, 528 A, et sæpe.

SEMINALE, quodcunque seminis est et a semine. II, 261 A, *Magnam matrem in terram seminalia demessam.*

SEMITRACTATUS. II, 105 A, *Semitractatam materiam abstuli mecum.*

SEMPER. II, 1029 C, *Principes semper Africæ.* Hellenism., ut Terent. *Et heri semper lenitas.* Cujusmodi locutiones frequentissimæ sunt in Tertulliano.

SENECTUS. II, 133 B, *Post stadii senectutem*, i. e. postquam stadium, seu locus ad agonas deputatus jam senectutem quamdam passus esset, utpote a multis annis minime frequentatus.

SENESCERE. II, 1040 A, *Studia palæstræ male senescentia.* Ita vocantur, sive quod, cum in desuetudinem fere abirent, ea renovavit Severus, sive quia raro senescunt pugiles.

SENEX. I, 527 A, *Senes pueri*, qui ad senectam usque puerilem virginitatem servarunt.

SENTENTIA. II. 815 B, *Estne ergo et in vascula et in instrumenta sententiam figere*, h. e. intrepide et constanter asserere.

SENTENTIALITER. II, 783 B, *Vel quia ipse Dominus sententialiter et definitive pronuntiavit.*

SENTIRE, II, 276 C, *Post tantum ævi senserit in hominis salutem*, i. e. animum suum in hoc consilium adjecerit. I, 1239 B, *Quoad Dominum senseris*, i. e. Domino deditus fueris. I, 1264 A, *Si damno affecti impatienter senserimus.*

Sensus. II, 213 B, *Sensu sophia.* Liber Pithœi : *Sensus et sophia.* Jun. vult. *sensus sophiæ.* II, 798 B, *Est quidem et communibus sensibus sapere in Dei rebus.* Communes sensus sunt κοιναὶ ἔννοιαι, seu notiones omnium fere sensu et consensione comprobatæ.

Sepia. II, 306 A, *Sed enim sepiæ isti.* Apposite Marcionitas sepiis comparat. Nam, ut Plinius tradit lib. IX, cap. 29, sepiæ, piscium genus, ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine iis est, infuscata aqua absconduntur. Eodem modo Marcionitæ ubi traductionem sui sentiunt, hoc est, cum erroris arguuntur, tenebras huic blasphemiæ intervomunt, atque ita arguentem impediunt et avertunt, allegando quæ bonitatem Creatoris infuscent obnubilentque.

Septentriones, sidus illud ex septem stellis compositum quod Græci ἅμαξαν et ἄρκτον vocarunt, II, 771 B.

Sequestrare. II, 578 B, *In filio demiurgo sequestraverat*, i. e. secus positum asservaverat, forense verbum. II, 834 B, *Corpora medicata condimentis, sepulturæ, mausoleis et monumentis sequestrantur.* II, 818 B, *Si ad fidem potius sequestrandam futuræ resurrectionis*, i. e. certo confirmandam velut sequestri fide. II, 669 B, *Et quibus in corpore metationibus sequestrantur*, i. e. quibus sedibus singulæ habeantur. II, 759 B, *Quo spes omnis sequestratur.*

Sequestratorium, locus ubi deponitur recipiturque pecunia. II, 872 C, *Quia et seminibus sequestratorium terra est.*

Sericum, serica vestis. II, 1042 A, *Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerint.* Richer. leg. *in theristro*, i. e. θερινὸν ἱμάτιον, æstiva vestis.

Si, Sæpe est veluti *si, ac si.* I, 406 A, *Si poma, si fruges.* I, 438 A, an vero : *Constet igitur prius, si isti impertiri possunt.* II, 222 A, *Scilicet quæstio est, si erat terra quæ facta est.* I, 467 A, *Si forte*, i. e. si qua forte est, ut esse putatur, injuria. II, 156 B, *Si quominus*, i. e. sin autem minus aliqua in re poterit jam eradicari. II, 187 C, *Si quominus, vel propter opera credite*, i. e. si quo argumento aut modo; si qua re aut caussa.

Sibyna, venabulorum genus exponit auctor, II, 361, C. Hesych. σιβύνη, ὅπλον δίφατι παραπλήσιον, et alibi ζιβύνη, ὁλοσίδηρος ἄκοντες; et paulo post, ζιβύνη, ὁλοσίδηρον ἀκόντιον, ἢ λόγχη, ἢ σπάθη, ἢ μάχαιρα. Festus exponit *genus teli Illyrici venabulo simile.* Ennius, *Restant sicis sibynisque fodentes.*

Siccare, II, 577 B, *Superstite limo siccaverit*, i. e. siccata fuerit.

Sigæum, Troadis promontorium est; ibi Achilles sepultus creditur.

Sigerius natione Germanus, Domitiani cubicularius, Dione teste, qui maximis a Cæsare beneficiis affectus, cum Parthenio, Stephano, et aliis de Domitiani cæde conjurationem fecit, I, 457 A.

Sigillarium, II, 563 A, taberna sigillaris, ut vicus Romæ dictus Sigillaria, τὰ ἀγαλματοπώλεια. Sueton. in *Claudio*, cap. 16, et *Nerone*, cap. 28. II. 575 A, *Et velut sigillario extrinsecus ductu*, i. e. ad externas actiones movebatur interno ductu illius, quemadmodum sigilla νευροσπαστα atque αὐτόματα, latente artificio et vi organica moveri solent. II, 654, *Velut sigillario motu superficiem intus agitante*, i. e. interiore motu, qui artificio quodam et virtute organica perficitur.

Signaculum. I, 392 A, *De ipso signaculo corporis.* Minut. Fel. : *Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo dignoscimus.* II, 541 A, *Totum signaculum linguæ*, quo imperabatur religiosum silentium. I, 656 A, *Adversus quam in signaculo fidei ejeramus*, i. e. in baptismo juramento sancte profitemur nos ei renuntiavisse, et constanter renuntiaturos esse.

Signare, obsignare, occultare. I, 401 A, *Dies media, orbem signante sole, subducta est*, i. e. occultante lumen suum et obsignante. Conf. Joh. IX, 7. II, 577 A, *Uoro signante lineam extremam.* II, 122 A, *Diffidentia signandi statim bestiæ calcem*, ubi *signare* est sub sigillo quasi includere, et tenere clausam. II, 282 B, *Quomodo habebit, in quo bonitatem suam signet*, i. e. ostendat, in quem conferat bonitatem suam. I, 1296 A, *Cum lectulum, cum corpusculum tunum signas*, crucis signo. II, 927 B, *Ætate signatam*, i. e. quæ ob ætatem expers est libidinum, quæ intacta futura est.

Significantia. II, 549 B, *Significantiæ per paginarum limites aderunt.* II, 504 C, *Ut nihil de arcanis attingam significantiis legis, spiritalis scilicet*, etc. Rigalt. legit *significantis legis.* Arcana legis significantis, i. e. mysteria legis figuratæ. Ipse mox explicat, *spiritalis scilicet et propheticæ.* II, 483 A, *Sed de significantiis obumbrata.*

Silicernium, convivium funebre, senibus exhibitum. I, 547 A. Vid. Donat. ad Terent. *Adelph.*, pag. 299.

Silva. II, 51 A, *Quo denique, Marcion, jure silvam meam cædis?* i. e. quid in meam possessionem irruis? in meam messem falcem immittis? I, 286 A, *Totam illam veterem et squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus truncatis et cæditis.* I, 244 A, *Ut intelligas quanta securi censuræ omnem silvam libidinum cædat et eradicet et excaudicet.*

Simplicitas. II, 543 A, *Tuam simplicitatem sua cæde dispergunt*, i. e. simplicem animum tuum de veritate simpliciter agentem in varias cogitationes distrahunt, cædentes pectora sua, perinde ac si de doctrinâ acquiescerent, de pœnitentia solum ac summopere laborarent. Rigalt. legit *fatuam simplicitatem*, hoc sensu : Si cominus certes, cædentur quidem, sed operam dabunt ut ex sua cæde nihil aliud colligi queat, nisi quod sint fatue simplices, summa illis erit cura, ut fatue simplices cadant potius quam mali.

Simpulum, vas quo in sacrificiis vinum libabatur, dicitur et simpuvium. I, 547 A. Vid. Kipping. *Antiq. Rom.*

Singilarium. Vid. sigillarium.

Singularis, μόνος. I, 315 A, *Singulares Christiani*, i. e. soli quibus nec mater, nec soror vel in vivis, vel ad manum. Sic Lactantius *Inst. div.*, l. III, *Singularis Deus.*

Singulariter. II, 914 C, *De exitu singularitatis cogitare*, i. e. de tuo exitu, qui jam singularis et superstes conjugi tuæ degis.

Sipara. Sunt vela pendentia, puellarum, theatrorum, I, 568 A.

Siparium, velum est mimicum, quod obstitit populo, dum fabularum actus commutantur. II, 565 B, *Alia autem trans siparium cothurnatio est*, i. e. alia scena tragœdiæ, alius actus tragœdicus.

Sitire. II, 809 A, *Qui forte adhuc sitiant Deum nosse.* Sitiunt qui nondum norunt, adeoque nesciunt. II, 855 B, *Nihilominus tamen ipsius simplicitatis suæ sitiant interpretationem.* II, 886 D, *Nullam poteritis sitire doctrinam.* II, 725 B, *Adam ante ebibit soporem, quam sitiit quietem.*

Sol. II, 558 A, *Credo ad solem uncti prius.* Alludit ad ἡλίωσιν sive insolationem, qua scilicet uncti calefiebant membris siccandis firmandisque. Persius, *Sat.* 4:

Aut si unctus cesses et figus in cute solem.

Jun. mavult *ad solium;* quod vide.

Solidum, I, 1275 A, *Tu modo ut solidum capere possis, hoc meæ admonitionis fidei commissum.* Alludit ad solidi capacitatem inter virum et uxorem, quæ non nisi certis casibus permittebatur ex lege Julia et Papia. Qua de re exstat inter fragmenta Ulpiani titulus XVI, III, 168 : *Et existimant cœlibes et orbos ex testamento Dei solidum non posse capere.* Solidum capere est ἴσον ἀξιοῦσθαι, quod idem est ac hæredem fieri ex asse, et omnem illam hæreditatem adire, quod lege Julia in cœlibes non fiebat : nam legata fiebant caduca, ibantque in fiscum. Inde lex Julia dicta est *lex caducaria.*

Solium. II, 158 A, *Et ita solium ipsum vocaliter ex-*

primunt latini. Sens. est, jam nomen solii ea significatione latinis auribus invalescere. Est enim solium quidem vulgo a sedendo dictum, sed et solium est ab eo quod est solus, ut sit solius sedes, solius conditio vel dignitas monarchia. Ejus generis est illud apud Festum : *Solia sedilia in quibus non plures singulis sedere possunt, ideoque* soliar sternere *dicuntur, qui sollisternia habent*, etc. II, 618 A, *Credo ad solium uncti prius*. Solium a sedendo dictum, vas in quo sedentes lavabantur. Vid. Sueton. *Aug.* cap. 82; Plin. H. N. lib. XXVI, cap. 19.

Solox, lana crassa. I, 1042 B, *Endromedis solocem*, Turneb. vult : *Endromedis colorem*.

Solum. *Caro in solo*, in solitudine, in tristitia desolationis. Vel, in nuda humo, in silice nuda.

Sophista. II, 548 A, *Milliades ecclesiarum sophista*, ita vocatur quod disputando de quibuslibet rebus et scripturæ locis multum posset. II, 965 A, *Circa somnium regis Babylonis omnes turbantur sophistæ*. Sophistas dicit, qui alias sapientes, somniorum interpretes, conjectores.

Sordes, II, 806 B, *Et appendices hujus officii sordes*, squalorem incultum, ut olim in cilicio et cinere, de quo lib. *de Pœnit.* cap. 9. II, 991 A, *Inhærebat usquequaque libidinis virus, et jactæ sordes* (sic legendum, non *sortes*) *non ablui idoneæ, quod nec ipsæ adhuc aquæ laverant*. J. F. Gronov. in libello *Observatorum in scriptoribus ecclesiast.* ad h. l. hæc scribit : « Sic scriptus Ursini codex, propius vero atque olim vulgatum erat : *lucteæ sordes non habentes idoneæ :* ex quo Scaligeri manu formatum sane videbimus : *et luctæ sordes non habenis idoneæ*. Sed hoc nihilo facilius intelligimus. » De *luctea* non potest placere, non dico propter κακέφατον (nam plura sunt quæ hoc nomine reprehendi possint apud Tertullianum), sed quia humor ille lici est, non foliorum, quorum similitudine utitur. Sic et Hieronymus ad Eustochium : *Crescite et multiplicamini; hoc expletur edictum post paradisum, et nuditatem, et ficus folia, auspicantia pruriginem nuptiarum*. Censeo scribendum esse : *Inhærebat usquequaque libidinis virus et cæcæ sordes, non ablui idoneæ*, hoc est, occultæ, internæ, atque, ut ipse dixit, inhærentes. Ut ille, *Et cæco carpitur igni*. Iis abluendis non sufficiebat aqua, sordes quidem externas purgare pollens, sed ipsa quoque cæcis quibusdam conspurcata sordibus, antequam iisdem Christi baptismate purgaretur. Etenim errant, qui conjunctionem *quod* ceu pronomen respondens τῷ *virus* accipiunt. Sensus est Patribus summe frequentatus, Christi baptismum sanctificasse aquas et cæcis illis atque arcanis peccati nativi sordibus abluendis una cum S. Spirito, idoneas effecisse. Optatus Afer. lib. I : *Christi autem caro, dum in Jordane descendit et ascendit, demersa a te dici non debuit. Cujus caro ipso Jordane sanctior invenitur, ut magis aquam ipsam descensu suo mundaverit, quam ipsa mundata sit*. Hieronymus ad Marcellam, ut commigret Bethlehem, *Videre exire Lazarum fasciis colligatum, et fluenta Jordanis ad lavacrum Domini puriora*. Epitaphio Paulæ matris : *Pollutasque diluvio aquas, et totius humani generis interfectione maculatas, suo Dominus laverit baptismate*.

Soror. II, 1031 A, *Soror civitas* est Utica, Tyriorum colonia. II, 759 A, *Concretionem sororum substantiarum divellit*.

Sors. II, 991 A, *Et jactæ sortes*, leg. *sordes*, quod vide.

Spado. II, 930 C, *Inter alienos spadones*, h. e. inter hæreticos, qui nuptias auferunt. Hæretici alieni sunt et extranei Catholicis. Spadones vocat osores nuptiarum.

Spadonatus. I, 1327 A, *Et se spadonatui adsignant*.

Sparsile. II, 984 A, *Talia et tanta sparsilia eorum*. Protulit hanc lectionem Pamelius ex Anglicano codice, et in Remensi *spartilia* legi Pithœus notavit ; alii *futilia*.

Sparteoli appellabantur milites qui Romæ arcendis incendiis agebant vigilias, urbisque circumibant partes. Nomen ipsis inditum vel a funibus, quorum multus usus in restinguendis incendiis, vel a calceamentorum genere, vel tunicis sparteis, quibus erant amicti. I, 474 A, *Ad fumum cœnæ Serapiacæ sparteoli excitabuntur*.

Spatha. I, 1552 A, Spathæ longiores dicuntur enses, Vegetio teste, a spathæ, i. e. ternitis palmarum similitudine.

Spathalium est ornamentum muliebre, ex variis rebus in lineam flexilem concinnatum, ἀπὸ τοῦ σπαλῆν. I, 1552 A.

Speciatum, εἰδοποιηθέν, in species suas informatum. II, 255 C.

Speciositas. I, 1519 A, *Sed etiam naturalis speciositatis suggestum obliterandum*.

Spectus, conspectus, aspectus. II, 410 A, *In spectum centum millibus hominum*. Plin. II. N. lib. II, cap. 54, *In sedecim partes cœlum in eo spectu divisere Thusci*.

Speculum. II, 996 A, *Etsi omnia ad speculum respondere possint*, i. e. imaginem, exemplum, parabolam.

Speculatoria. II, 76 B, *Speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit*. Hæc pertinent ad caligam militarem, præsertimque militis illius qui inter speculatores militaverat ; quæ militia erat valde inquies, morosa et aspera, cum huc illucque cursitando, explorando nuntiandoque vagaretur. Is igitur, de caligato speculatore factus Christianus, absolvit de pedibus suis morosissimam illam et molestissimam caligam speculatoriam, et simul cœpit terræ sanctæ insistere, hoc est in ipso vestigio mortem pro Christi nomine fortiter oppetere, vitam agere sanctam et innocentem, longe absimilem speculatoriæ, carnificinam ad tribuni nutum plerumque agebat.

Spelæum est nomen loci. Justin. martyr, *advers. Tryphon.* : Καὶ σπήλαιον καλοῦσι τὸν τόπον, ἔνθα μόνοι τοὺς πεθομένους αὐτῷ παραδίδουσιν. Hoc autem Spelæum in montibus Persidis a Zoroastre primum fuisse dicatum, prope fontes, narrat Porphyrius in Comment. antri nympharum ex *Odyss.* XII. II, 102 A, *Qui cum initiatur in spelæo*.

Sperare, timere. II, 1034 B, *Quo magis de montibus suis Campania speret*. Virgil. Æneid. I : *Sperate Deos*. Confidere. II, 1042 A, *Quæ apud Omphalem balsamo aut telino spero factum*. I, 1518 A, *Utilius ergo, si speremus nos posse delinquere, sperando enim timebimus*. I, 1247 B, *Aut idem sibi de die sederent*.

Spiculum. II, 122 A, *Hamatile spiculum*, sive aduncum in summo, quod inter vulnerandum restringit illa nodorum series, et de venuta infundit venenum suum ulceri retrahens.

Spiritalis. II, 931 A, *Penes nos autem, quos spiritales merito dici facit aquilio spiritalium charismatum*.

Spiritus. II, 194 D, *Sermo autem spiritu structus est, et ut ita dixerim, sermonis corpus est spiritus*. II, 194 D, *Ita, etsi Spiritus Dei quid pati posset in filio*. Naturam divinam Christi auctor intelligit ; nam statim sequitur negatio istius hypotheseos : *Sed sufficit nihil spiritum Dei passum suo nomine*. II, 892 C, *Sed cum spiritus ipse violatur in virgine*, i. e. vis fuit animo et studio virginis, vehementi subsidio consulentis pudicitiæ et sanctificationi suæ animo et corpore. II, 658 B, *Joannes in spiritu Dei factus*. Hellenism. Ἐν πνεύματι θεοῦ γενόμενος.

Sponsio est pecunia depositis pignoribus constituta, aut pecunia de gladiatoris victoria facta. I, 648 B, *Jam de sponsionibus concitatum*. Vid. Turneb. lib. VIII, cap. 4, et XVIII, cap. 35.

Sportula. II, 342 C, *Ut sportulam furunculus*, i. e. furtiva fraude et mentitio nomine, ut fures sportularum in ædium vestibulis solent.

Spurciloquium. II, 800 B, *Cæterum quantum etiam spurciloquii licet*, etc.

Sputum. I, 1525 B, *Vel sputorum umbilicos cervicibus adstruendo*, i. e. bullas et pompholygas corii quod inducebatur. Ita Scaliger legit et interpretatur ; alii *scutorum*.

STABULUM, diversorium, tectum ad habitandum et commorandum institutum, I, 491 A.

STADIUM. II, 133 C, *Post stadii senectutem*, i. e. postquam stadium seu locus ad agonas deputatus jam senectutem quamdam passus esset, utpote a multis annis minime frequentatus. II, 81 A, *Cæterum in stadio mariti non putem velatam deambulasse*; intelligit *stadii* nomine hypæthram, h. e. subdivalem ambulationem, quam et *xystum* appellamus; quæ etiam arboribus consita esse solebat, umbræ gratia.

STATICULUM. II, 127 A, *Et comminuetis staticula eorum*, τὰς στηλάς, quibus insistunt homines aut idola stantia.

STARE cœlum dicitur in diuturno vel ardore vel gelu, cum non solvitur in imbres. I, 479, 480 A, *Si cœlum stetit.*

STATIO. II, 24 A, *Ubi statio credendi?* Tota periodus allegorica est, a re castrensi sumpta. Cum credis, inquit, quasi fixisti palos tentorii et stationis tuæ, ne proferantur ulterius: ad fructum quærendi, i. e. quem rimabaris quærens, pervenisti; hanc determinationem *fossam*, tibi imperavit Deus, nec ultra debes quærere. Est enim statio, ubi consistere solent mortales, et confabulari. I, 1185 A, *Si statio de militari exemplo nomen accipit.* II, 752 B, *Statio sensuum*; intelligit præcordia, περικάρδιον, sanguinem circumcordialem. II, 925 B, *Postquam in secunda statione continens non fuisti*, i. e. in matrimonio. II, 967 C, *Quæ ipsis elementis stationem imperavit.* II, 954 C, *Quod stationes plerumque in vesperam producamus.* II, 92 A, *Jam stationes aut alii magis faciet, quam Christo?* II, 966 A, *Æque stationes nostras ut indignas, quasdam vero et in scrum constitutas.* II, 753 A, *Quia et Daniel trium hebdomadum statione aruit victu.* I, 1181 A, *Similiter de stationum diebus.* II, 971 B, *Et stationum semijejunia interponentes.*

STATUS. II, 581 A, *Secundum choicum statum ex Cain*: statum appellat conditionem et habitum ipsarum.

STELLA. II, 977 A, *Et stellæ auctoritatem demorantis suspirant.* Stellam significat, quam Plautus *vesperginem*, Ennius *vesperum*, Virgilius *hesperon* appellant. Auctoritatem vero præsentiam dicit. Etenim quamvis famelici, nullum attingere audebant cibum ante vesperæ exortum. II, 266 A, *De ipsis etiam stellis vivere Creatoris*, i. e. stellarum motu vitam suam pendere.

STEMMA, generis series. II, 12 B, *Apellis stemma.*

STERCEIÆ, mulieres quæ cunas purgant aut mutant, II, 554 B.

STIGMA. II, 903 B, *Aut stigmata Britonum*, i. e. varias et versicolores picturas, quibus Britanni sive Britones corpus suum et caput ipsum per illud tempus variabant. Vid. Herodian. lib. III.

STILLICIDIUM. II, 21 B, *Nisi stillicidium de situla*, ex Es. XL, 15; i. e. nisi pauculi vocati de turba nationum vel gentium innumerabili.

STYLUS. II, 1055 A, *Ultra stylus non solet*, i. e. ultra Ninum ab Assyriis apud vos stylus extendi non solet. II, 52 A, *Adulter stylus.* II, 198 A, *Bis falsarius, et cauterio et stylo.* II, 549 A, *Nemo tam otiosus fertur stylo.* II, 798 B, *Habet et iste a nobis plenissimum de omni statu animæ stylum.*

STIPENDIARI, stipendium facere seu recipere. II, 558 A, 618 B, *Dehinc pannis armati et butyro stipendiati*, de ponticis infantibus.

STIPARE. II, 906 B, *Calceum stipant, multiformem*, ne follicet calceus. Ne vero follicaret, si quando pedum modulo laxiores essent, solebant eum vel tormento, vel quavis alia re idonea stipare. Calceum multiformem distinguit ab uniformi et plano, quo modestiores fœminæ utebantur. Vid. Balduin. *de Calceo*, cap. 19.

STOMACHUS. II, 50 A, *Ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri*: eod. sensu dixit lib. I *adv. Marcion.* cap. 14: *Necesse est omnis demutatio veniens ex innovatione, diversitatem incat cum his quorum fit.*

STRANGULABILIS. II, 703 C, *Submersu etiam piscinarum strangulabilis.*

STRENA. I, 674 B, *Etiam strenæ captandæ.*

STRICTURA. II, 965 B, *Et hæc autem stricturæ potus xerophagiæ portio est*, i. e. hac forma potus perstricta etiam aridum pabulum significatur.

STRINGERE. I, 527 A, *Sive de cœlo fulmina stringens*, i. e. eliciens, adeoque igneum quasi ensem ex nubibus, ut vagina, educens. II, 501 C, *Hinc enim expressit, quod in prima epistola, strinxit*, i. e. perstrinxit, vel leviter indicavit.

STRONGYLA, statua in clypeo, expresso cum thorace vultu. II, 1041 A.

STROPHA, dolus, versutia, impostura. II, 554 C, *Quanto dignius necessitas fidem, quam strophan administrasset.* I, 660 B, *Nec strophæ, sed simplicitates.* II, 698 A, *Num qui talem commentus est strophan.*

STROPHIOLUM. II, 101 B, *Quid caput strophiolo aut drucontario damnas?* Tenuioribus scilicet coronis utebantur antiqui, strophia appellantes; unde strophiola, ut exponit Plin. II. N. lib. XXI, cap 2.

STROPULUS. Vide SCROBULUS.

STRUCTE. I, 1529 B, *Structius prodeundi*, i. e. instructius, majore instrumentorum et mundi muliebris accuratione. II, 922 A, *Plenius atque structius.*

STRUCTIO, instructio. I, 1251 A, *Penes nos vero ratio est structio.*

STRUERE, instruere, ornare. II, 163 B, *Sermo autem spiritu structus est.* II, 902 B, 903 A, *Experimentis omnium affectuum structæ.* I, 1257 A, *Quid ad peccandum adjuvaret structus.*

STRUES. II, 567 A, *In omnem hanc struem mundi*, i. e. structuram.

STUPIDUS. II, 694 B, *Ut altera semini stupida, altera intacta.*

STUPORATUS. I, 1520 A, *Omnis gloria vana et stuporata*, i. e. hebes, stolida. Quo sensu dixit Catulus: *Talis iste meus stupor, nil videt, nihil audit.*

STUPRUM, pro adulterio. II, 14 B, *Stupri reus* de Davide.

SUADERE. II, 547 A, *Alioquin tantum se huic hæresi suadere permissum est.* Suadendi verbum ab officinis baphicis infectorum translatum est. Festus: *Suasum colos appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus, quia tibi suaso infecisti propudiosa pallulam. Nec desunt qui dicant omnem colorem qui fiat inficiendo, suasum vocari, quod quasi persuadetur in alium ex albo transire.* Hinc suadere, sine vase cortinave colorem aliquem inducere. Huic hæresi, inquit auctor, permissum est tantum se suadere, i. e. tantum sibi coloris et fuci pigmentique fallacis addere, quantum publica scorta prostibulæque meretrices solent. II, 1005 C, *Omnium lacrymas suadentem.*

SUASORIA. II, 957 B, *Et scimus quales sint carnalium commodorum suasoriæ*, i. e. scimus quales soleant a Psychicis declamationes tractari commodis carnalibus suadendis. Apud rhetores duo genera materiarum tractabantur, suasoriæ et controversiæ. Suasoriæ tanquam leviores, et minus prudentiæ exigentes, pueris delegantur quasi rudimenta dicendi; controversiæ, seu judiciales robustioribus assignantur.

SUAVILUDIUS, is qui ex Christianis spectaculorum adhuc oblectamentis seu suavitate ludorum delectabatur. II, 652 A, *Novam proxime defensionem suarii ludii cujusdam audivi.* II, 84 A, *Sed et hanc materiæ propter suaviludios nostros græco quoque stylo satisfecimus.*

SUB *divo* II, 1055 A: legendum una voce *subdivo*. Subdivum, ὑπαίθριον, serenum.

SUBARE, vehementius appetere Veneris caussa. I, 552 A, *Nunc fœde subantem in sororem sub commemoratione non ita delictarum jam pridem amicarum*, legendum: *non ita dilectarum*. Conf. Hom. II. XIV, 514. I, 510 A, *Novi et Phrynen meretricem Diogenis supra recubantis ardori subantem.* II, 951 A, *Quam*

primunt latini. Sens. est, jam nomen solii ea significatione latinis auribus invalescere. Est enim solium quidem vulgo a sedendo dictum, sed et solium est ab eo quod est solus, ut sit solius sedes, solius conditio vel dignitas monarchia. Ejus generis est illud apud Festum : *Solia sedilia in quibus non plures singulis sedere possunt, ideoque* soliar sternere *dicuntur, qui solisternia habent*, etc. II, 618 A, *Credo ad solium uncti prius*. Solium a sedendo dictum, vas in quo sedentes lavabantur. Vid. Sueton. *Aug.* cap. 82; Plin. H. N. lib. XXVI, cap. 49.

Solox, lana crassa. I, 1042 B, *Endromedis solocem*, Turneb. vult : *Endromedis colorem*.

Solum. *Caro in solo*, in solitudine, in tristitia desolationis. Vel, in nuda humo, in silice nuda.

Sophista. II, 548 A, *Miltiades ecclesiarum sophista*, ita vocatur quod disputando de quibuslibet rebus et scripturæ locis multum posset. II, 965 A, *Circa somnium regis Babylonis omnes turbantur sophistæ*. Sophistas dicit, qui alias sapientes, somniorum interpretes, conjectores.

Sordes, II, 806 B, *Et appendices hujus officii sordes*, squalorem incultum, ut olim in cilicio et cinere, de quo lib. *de Pœnit.* cap. 9. II, 991 A, *Inhærebat usquequaque libidinis virus, et jactæ sordes* (sic legendum, non *sortes*) *non ablui idoneæ, quod nec ipsæ adhuc aquæ lavarant*. J. F. Gronov. in libello *Observatorum in scriptoribus ecclesiast.* ad h. l. hæc scribit : « Sic scriptus Ursini codex, propius vero atque olim vulgatum erat : *lacteæ sordes non habentes idoneæ* : ex quo Scaligeri manu formatum sane videbimus : *et lactæ sordes non habentis idoneæ*. Sed hoc nihilo facilius intelligimus. » De *lactea* non potest placere, non dico propter κακέμφατον (nam plura sunt quæ hoc nomine reprehendi possint apud Tertullianum), sed quia humor ille fici est, non foliorum, quorum similitudine utitur. Sic et Hieronymus ad Eustochium : *Crescite et multiplicamini; hoc expletur edictum post paradisum, et nuditatem, et ficus folia, auspicantia pruriginem nuptiarum*. Censeo scribendum esse : *Inhærebat usquequaque libidinis virus et cæcæ sordes, non ablui idoneæ*, hoc est, occultæ, internæ, atque, ut ipse dixit, inhærentes. Ut ille, *Et cæco carpitur igni*. His abluendis non sufficiebat aqua, sordes quidem externas purgare pollens, sed ipsa quoque cæcis quibusdam conspurcata sordibus, antequam iisdem Christi baptismate purgaretur. Et enim errant, qui conjunctionem *quod* ceu pronomen respondens τῷ *virus* accipiunt. Sensus est Patribus summe frequentatus, Christi baptismum sanctificasse aquas et cæcis illis atque arcanis peccati nativi sordibus abluendis una cum S. Spiritu, idoneas effecisse. Optatus Afer. lib. I : *Christi autem caro, dum in Jordane descendit et ascendit, demersa a te dici non debuit. Cujus caro ipso Jordane sanctior inveniatur, ut magis aquam ipsam descensu suo mundaverit, quam ipsa mundata sit*. Hieronymus ad Marcellam, ut commigret Bethlehem, *Videre exire Lazarum fasciis colligatum, et fluenta Jordanis ad lavacrum Domini pariora*. Epitaphio Paulæ matris : *Pollutasque diluvio aquas, et totius humani generis interfectione maculatas, suo Dominus laverit baptismate*.

Soror. II, 1031 A, *Soror civitas* est Utica, Tyriorum colonia. II, 759 A, *Concretionem sororum substantiam divellit*.

Sors. II, 991 A, *Et jactæ sortes*, leg. *sordes*, quod vide.

Spado. II, 930 C, *Inter alienos spadones*, h. e. inter hæreticos, qui nuptias auferunt. Hæretici alieni sunt et extranei Catholicis. Spadones vocat osores nuptiarum.

Spadonatus. I, 1327 A, *Et se spadonatui adsignant*.

Sparsile. II, 984 A, *Talia et tanta spursilia eorum*. Protulit hanc lectionem Pamelius ex Anglicano codice, et in Remensi *spartilia* legi Pithœus notavit ; alii *futilia*.

Spartioli appellabantur milites qui Romæ arcendis incendiis agebant vigilias, urbisque circumibant partes. Nomen ipsis inditum vel a funibus, quorum multus usus in restinguendis incendiis, vel a calceamentorum genere, vel tunicis spartels, quibus erant amicti. I, 471 A, *Ad fumum cœnæ Serapiacæ spartioli excitabuntur*.

Spatha. I, 1332 A, Spathæ longiores dicuntur enses, Vegetio teste, a spathæ, i. e. teranitis palmarum similitudine.

Spathalium est ornamentum muliebre, ex variis rebus in lineam flexilem concinnatum, ἀπὸ τοῦ σπαθᾶν. I, 1332 A.

Speciatum, εἰδοποιηθὲν, in species suas informatum. II, 255 C.

Speciositas. I, 1319 A, *Sed etiam naturalis speciositatis suggestum obliterandum*.

Spectus, conspectus, aspectus. II, 410 A, *In spectum centum millibus hominum*. Plin. H. N. lib. II, cap. 54, *In sedecim partes cœlum in eo spectu divisere Thusci*.

Speculum. II, 996 A, *Etsi omnia ad speculum respondere possint*, i. e. imaginem, exemplum, parabolam.

Speculatoria. II, 76 B, *Speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit*. Hæc pertinent ad caligam militarem, præsertimque militis illius qui inter speculatores militaverat ; quæ militia erat valde inquies, morosa et aspera, cum huc illucque cursitando, explorando nuntiandoque vagaretur. Is igitur, de caligato speculatore factus Christianus, absolvit de pedibus suis morosissimam illam et molestissimam caligam speculatoriam, et simul cœpit terræ sanctæ insistere, hoc est in ipso vestigio mortem pro Christi nomine fortiter oppetere, vitam agere sanctam et innocentem, longe absimilem speculatoriæ, carnificinam ad tribuni nutum plerumque agebat.

Spelæum est nomen loci. Justin. martyr, *advers. Tryphon.* : Καὶ σπήλαιον καλοῦσι τὸν τόπον, ἔνθα μέλλει τοὺς πεισθέντας αὐτῷ παραδίδοσθαι. Hoc autem Spelæum in montibus Persidis a Zoroastre primum fuisse dicatum, prope fontes, narrat Porphyrius in Comment. antri nympharum ex *Odyss.* XII. II, 102 A, *Qui cum initiatur in spelæo*.

Sperare, timere. II, 1034 B, *Quo magis de montibus suis Campania speret*. Virgil. Æneid. I : *Sperate Deos*. Confidere. II, 1042 A, *Quæ apud Omphalem balsamo aut telino spero factum*. I, 1518 A, *Utilius ergo, si speremus nos posse delinquere, sperando enim timebimus*. I, 1247 B, *Aut idem sibi de die sederent*.

Spiculum. II, 122 A, *Hamatile spiculum*, sive aduncum in summo, quod inter vulnerandum restringit illa nodorum series, et de venuta infundit venenum suum ulceri retrahens.

Spiritalis. II, 951 A, *Penes nos autem, quos spiritales merito dici facit agnitio spiritalium charismatum*.

Spiritus. II, 194 D, *Sermo autem spiritu structus est, et ut ita dixerim, sermonis corpus est spiritus*. II, 194 D, *Ita, etsi Spiritus Dei quid pati posset in filio*. Naturam divinam Christi auctor intelligit ; nam statim sequitur negatio istius hypotheseos : *Sed sufficit nihil spiritum Dei passum suo nomine*. II, 892 C, *Sed cum spiritus ipse violatur in virgine*, i. e. vis fuit animo et studio virginis, velamenti subsidio consulentis pudicitiæ et sanctificationi suæ animo et corpore. II, 658 B, *Joannes in spiritu Dei factus*. Hellenism. Ἐν πνεύματι θεοῦ γενόμενος.

Sponsio est pecunia depositis pignoribus constituta, aut pecunia de gladiatoris victoria facta. I, 648 B, *Jam de sponsionibus concitatum*. Vid. Turneb. lib. VIII, cap. 4, et XVIII, cap. 35.

Sportula. II, 342 C, *Ut sportulam furunculus*, i. e. furtiva fraude et cementitio nomine, ut fures sportularium in ædium vestibulis solent.

Spurciloquium. II, 800 B, *Cæterum quantum etiam spurciloquii licet*, etc.

Sputum. I, 1325 B, *Vel sputorum umbilicos cervicibus adstruendo*, i. e. bullas et pompholygas corii quod inducebatur. Ita Scaliger legit et interpretatur ; alii *scutorum*.

STABULUM, diversorium, tectum ad habitandum et commorandum institutum, I, 491 A.

STADIUM. II, 133 C, *Post stadii senectutem*, i. e. postquam stadium seu locus ad agonas deputatus jam senectutem quamdam passus esset, utpote a multis annis minime frequentatus. II, 81 A, *Cæterum in stadio muriti non putem velatam deambulasse;* intelligit *stadii* nomine hypæthram, h. e. subdivalem ambulationem, quam et *xystum* appellamus; quæ etiam arboribus consita esse solebat, umbræ gratia.

STATICULUM. II, 127 A, *Et comminuetis staticula eorum*, τὰς στηλάς, quibus insistunt homines aut idola stantia.

STARE cœlum dicitur in diuturno vel ardore vel gelu, cum non solvitur in imbres. I, 479, 480 A, *Si cœlum stetit.*

STATIO. II, 24 A, *Ubi statio credendi?* Tota periodus allegorica est, a re castrensi sumpta. Cum credis, inquit, quasi fixisti palos tentorii et stationis tuæ, ne proferantur ulterius: ad fructum quærendi, i. e. quem rimaharis quærens, pervenisti; hanc determinationem *fossam*, tibi imperavit Deus, nec ultra debes quærere. Est enim statio, ubi consistere solent mortales, et confabulari. I, 1185 A, *Si statio de militari exemplo nomen accipit.* II, 752 B, *Statio sensuum;* intelligit præcordia, περικάρδιον, sanguinem circumcordialem. II, 925 B, *Postquam in secunda statione continens non fuisti*, i. e. in matrimonio. II, 967 C, *Quæ ipsis elementis stationem imperavit.* II, 954 C, *Quod stationes plerumque in vesperum producamus.* II, 92 A, *Jam stationes aut alii magis faciet, quam Christo?* II, 966 A, *Æque stationes nostras ut indignas, quasdam vero et in serum constitutas.* II, 753 A, *Quia et Daniel trium hebdomadum statione aruit victu.* I, 1181 A, *Similiter de stationum diebus.* II, 971 B, *Et stationum semijejunia interponentes.*

STATUS. II, 581 A, *Secundum choicum statum ex Cain:* statum appellat conditionem et habitum ipsarum.

STELLA. II, 977 A, *Et stellæ auctoritatem demorantis suspirant.* Stellam significat, quam Plautus *vesperginem*, Ennius *vesperum*, Virgilius *hesperon* appellant. Auctoritatem vero præsentiam dicit. Etenim quamvis famelici, nullum attingere audebant cibum ante vesperæ exortum. II, 266 A, *De ipsis etiam stellis vivere Creatoris*, i. e. stellarum motu vitam suam pendere.

STEMMA, generis series. II, 12 B, *Apellis stemma.*

STERCELÆ, mulieres quæ cunas purgant aut motant, II, 554 B.

STIGMA. II, 903 B, *Aut stigmata Britonum*, i. e. varias et versicolores picturas, quibus Britanni sive Britones corpus suum et caput ipsum per illud tempus variabant. Vid. Herodian. lib. III.

STILLICIDIUM. II, 21 B, *Nisi stillicidium de situla*, ex Es. XL, 15; i. e. nisi pauculi vocati de turba nationum vel gentium innumerabili.

STYLUS. II, 1055 A, *Ultra stylus non solet*, i. e. ultra Ninum ab Assyriis apud vos stylus extendi non solet. II, 52 A, *Adulter stylus.* II, 198 A, *Bis falsarius, et cauterio et stylo.* II, 549 A, *Nemo tam otiosus fertur stylo.* II, 798 B, *Habet et iste a nobis plenissimum de omni statu animæ stylum.*

STIPENDIARI, stipendium facere seu recipere. II, 558 A, 618 B, *Dehinc pannis armati et butyro stipendiati*, de ponticis infantibus.

STIPARE. II, 906 B, *Calceum stipant, multiformem*, ne follicet calceus. Ne vero follicaret, si quando pedum modulo laxiores essent, solebant eum vel tormento, vel quavis alia re idonea stipare. Calceum multiformem distinguit ab uniformi et plano, quo modestiores fœminæ utebantur. Vid. Balduin. *de Calceo*, cap. 19.

STOMACHUS. II, 50 A, *Ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri:* eod. sensu dixit lib. I *adv. Marcion.* cap. 14: *Necesse est omnis demutatio veniens ex innovatione, diversitatem ineat cum his quorum fit.*

STRANGULABILIS. II, 703 C, *Submersu etiam piscinarum strangulabilis.*

STRENA. I, 674 B, *Etiam strenæ captandæ.*

STRICTURA. II, 965 B, *Et hæc autem stricturæ potus xerophagiæ portio est*, i. e. hac forma potus perstricta etiam aridum pabulum significatur.

STRINGERE. I, 527 A, *Sive de cœlo fulmina stringens*, i. e. eliciens, adeoque igneum quasi ensem ex nubibus, ut vagina, educens. II, 501 C, *Hinc enim expressit, quod in prima epistola, strinxit*, i. e. perstrinxit, vel leviter indicavit.

STRONGYLA, statua in clypeo, expresso cum thorace vultu. II, 1041 A.

STROPHA, dolus, versutia, impostura. II, 334 C, *Quanto dignius necessitas fidem, quam strophas administrasset.* I, 660 B, *Nec strophæ, sed simplicitates.* II, 698 A, *Num qui talem commentus est strophas.*

STROPHIOLUM. II, 101 B, *Quid caput strophiolo aut dracontario damnas?* Tenuioribus scilicet coronis utebantur antiqui, strophia appellantes; unde strophiola, ut exponit Plin. II. N. lib. XXI, cap 2.

STROPULUS. Vide SCROBULUS.

STRUCTE. I, 1329 B, *Structius prodeundi*, i. e. instructius, majore instrumentorum et mundi muliebris accuratione. II, 922 A, *Plenius atque structius.*

STRUCTIO, instructio. I, 1251 A, *Penes nos vero ratio est structio.*

STRUERE, instruere, ornare. II, 163 B, *Sermo autem spiritu structus est.* II, 902 B, 903 A, *Experimentis omnium affectuum structæ.* I, 1257 A, *Quid ad peccandum adjuvaret structus.*

STRUES. II, 567 A, *In omnem hanc struem mundi*, i. e. structuram.

STUPIDUS. II, 694 B, *Ut altera semini stupida, altera intacta.*

STUPORATUS. I, 1320 A, *Omnis gloria vana et stuporata*, i. e. hebes, stolida. Quo sensu dixit Catullus: *Talis iste meus stupor, nil videt, nihil audit.*

STUPRUM, pro adulterio. II, 14 B, *Stupri reus* de Davide.

SUADERE. II, 547 A, *Alioquin tantum se huic hæresi suadere permissum est.* Suadendi verbum ab officiis baphicis infectorum translatum est. Festus: *Suasum colos appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus, quia tibi suaso infecisti propudiosa pallulam. Nec desunt qui dicant omnem colorem qui fiat inficiendo, suasum vocari, quod quasi persuadetur in alium ex albo transire.* Hinc suadere, sine vase cortinave colorem aliquem inducere. Huic hæresi, inquit auctor, permissum est tantum se suadere, i. e. tantum sibi coloris et fuci pigmentique fallacis addere, quantum publica scorta prostibulæque meretrices solent. II, 1005 C, *Omnium lacrymas suadentem.*

SUASORIA. II, 957 B, *Et scimus quales sint carnalium commodorum suasoriæ*, i. e. scimus quales soleant a Psychicis declamationes tractari commodis carnalibus suadendis. Apud rhetores duo genera materiarum tractabantur, suasoriæ et controversiæ. Suasoriæ tanquam leviores, et minus prudentiæ exigentes, pueris delegantur quasi rudimenta dicendi; controversiæ, seu judiciales robustioribus assignantur.

SUAVILUDIUS, is qui ex Christianis spectaculorum adhuc oblectamentis seu suavitate ludorum delectabatur. II, 652 A, *Novam proxime defensionem suaviludii cujusdam audivi.* II, 84 A, *Sed et huic materiæ propter suaviludios nostros græco quoque stylo satisfecimus.*

SUB *divo* II, 1055 A: legendum una voce *subdivo.* Subdivum, ὑπαίθριον, serenum.

SUBARE, vehementius appetere Veneris caussa. I, 552 A, *Nunc fœde subantem in sororem sub commemorationem non ita delectarum jam pridem amicarum*, legendum: *non ita dilectarum.* Conf. Hom. II. XIV, 214. I, 510 A, *Novi et Phrynen meretricem Diogenis supra recubantis ardori subantem.* II, 951 A, *Quam*

quæ subans. II, 1028 B, *Qui subando*, turpissime in voluptates ruendo, et concubitus appetendo.

Subjacere, in promptu esse. I, 363 A, *Intelligi subjacet*.

Subjicere, circumvenire. I, 513 A, *Ignorantibus subjicitur et imponitur*, i. e. ex omni parte circumveniuntur objectis calumniis.

Sublimans, intransitive. II, 574 A, *Sublimantia*, ἀνωφερῆ, superna petentia.

Sublimis. II, 1031 B, *Sublimior populus*, romanus. II, 1014 B, *Vel sublimis*, i. e. oculis limis, vel transversum tuentibus.

Subnero, qui Neronem vita scelesta refert, II, 1042 B. Domitianum intelligit. Ita Cic. *ad Att. lib.* X. *ep.* I, *Submarium*.

Subnixus. I, 1255 A, *Nos non de hominibus modo servitute subnixis*, i. e. aut qui servitute pressi nituntur et operam dant, ut obsequio suo demereantur dominos, aut qui simpliciter servituti subjecti sunt. I, 681 C, *Sic et Daniel cætera Dario subnixus*.

Subornari, instrui. II, 19 A, *Hæreses a philosophia subornantur*. I, 433 A, *Modulatis et subornatis ad omnem judicandi perversitatem*.

Subremanere. II, 679 B, *A qua nec in fine subremanet*.

Subscribere, concedere. I, 380 A, *Ptolemæo a Judæis subscriptum est*. II, 903 B, *Spiritum sanctum magis masculis tale aliquid subscribere potuisse, si fœminis subscripsisset*. II, 110 A, *Sollicitudini eorum non subscripsit*. II, 719 B, *Quale est, ut cui nec bona documenta propria subscribas, et crimina appingas*. II, 983 A, *Ejusmodi maculis nullam subscribere veniam*.

Subsignare, subscribere, favere, adstipulari. II, 278 C, *Si velitis illi obsequium subsignare*. I, 1251 A, *Tantum illi subsignant*.

Subsignatio. I, 1229 B, *Per pœnitentiæ subsignationem anteponeret*. Verba sunt e jure petita. Etenim juris auctoribus *subsignatæ* facultates ideo dicuntur, quia conductorum subscriptionibus obligatæ sunt fisco, et obsignata apud ærarium et censorem prædia, quæ sunt in censum delata. Eo sensu Tertullian. pœnitentiam *subsignatam* dicit, qua se apud Deum quis proposito vitæ sanctioris obligavit, adhibito intinctionis sive baptismi sacramento, tanquam signaculo. Pro *anteponeret* Rigalt. legit *ante componeret*. Componit sacramentis suis Deus homines pessime meritos, et in suorum amicorum numero esse jubet.

Substantia. II, 1032 B, *Ex diversis substantiis officiisque*. Sunt quatuor omnino capita, ut Aristoteles tradit, quæ a Physicis observentur in re quaque, οὐσία, ὄνομις, ἔργα, πάθη. Horum duo priora ad substantiam rei pertinent, posteriora duo continentur officiorum appellatione. II, 187 C, *Post Philippum et totam substantiam quæstionis istius*. II, 150 C, *De omni substantia diligere*. II, 406 A, *Agnorant substantiæ auctorem suum*. II, 393 C, *Inhonorabitur vir utique ob substantiam honorabilis*. II, 251 A, *Quis eorum præcellat in substantiis et viribus regni*. I, 1314 B, *Tantarum summarum substantium*, i. e. sortem seu caput, οὐσίαν dicunt Græci et κεφάλαιον et ἀρχαῖον. I, 1317 B, *Tota fidei substantia*. II, 931 B, *Resurgere in opera carnis de continentiæ otio, substantia est laterum*, antea dixerat : *Iterum nubere est res virium*. II, 808 B, *Ut carnis non tamen substantia sed actus inhonoretur*, II, 817 A, *Habentem propium genus substantiæ soliditatis*, i. e. entis solidi, quod opponitur accidenti. I, 661 A, *Tam locuples substantia criminum*, de idololatria. II, 77 B, *Hanc magis localem substantiam caussæ præsentis aggrediar*, i. e. in qua agitur de expresso Scripturæ loco, ubi hoc prohibetur. II, 82 C, *Substantia tibi a Deo tradita est, habitus a sæculo*, i. e. res ipsa, flores ipsi a Deo, sed habitus, modus habendi flores, a mundo.

Substantialiter. II, 550 B, οὐσιώδως, ratione communis essentiæ.

Substantivum, quod subsistit. II, 214 A, *Nam et ipsum principium, in quo Deus fecit cœlum et terram, aliquid volunt fuisse quasi substantivum et corpulentum, quod in materiam interpretari possit*. II, 703 C, *Quæ substantivi status diversitatem committit*.

Substillum, Festus : tempus ante pluviam jam pene uvidum, et post pluviam non persiccum, quod jam stillaret, aut nondum desiisset. II, 1033 A, *Et si qua mitesilia cum imbribus, dehinc substillum, et denuo sudum*.

Subtemen. II, 1030 C, *Et quidem in fama de subtemine studio*. Varro de *Ling. lat.* lib. IV, *subtemen*, quod subit stamini. Est pars interior panni, velamentum, ἡ ἐνδὸν ἐστιπολή, quæ stamini subest. Mavult tamen Junius cum Rhenano, *subtegmen*, i. e. interior pannus, quo vestis suffulta est, commoditatis et ornatus caussa, studiique ostentationis.

Subter. I, 1274 A, *Quam subter ignis exspectat*, i. e. in inferis et locis subterraneis.

Subverbusti, servi veribus usti. II, 1044 A, *Subverbustos in liberalibus*.

Succedere. II, 543 A, *Quia de multis multa succedere est*, i. e. præ copia facile est factu, ut alia aliis succedant, et per vices substituantur plurima. Hellenism.

Succidere, de servis fugitivis, qui retracti a dominis tremente ad genua eorum advolvuntur. I, 454 A, *Et tamen apprehensi subiguntur, et conditioni suæ succidunt*. II, 557 B, *In preces succidit*. II, 1257 B, *Et ubi semel succidit impatientiæ*. II, 709 A, *Humanæ quoque formæ succidisse*. Iren. : *Usque adeo ut et in corpore humano includeretur*. II, 84 A, *Unde jam et Apostolus invitam ait vanitati succidisse*, i. e. succubuisse, subjectam esse. II, 983 A, *Ne mœchiæ et fornicationi succidere cogantur*.

Suculæ, stellæ sunt imperite sic vocatæ, quemadmodum Cicero testatur lib I. *de nat. Deor.* cap. 85, quæ Hyades alias dicuntur, ὑάδες ab ὕειν, *pluere*.

Sudum, siccum. II, 1033 A, *Dehinc substillum et denuo sudum*.

Suffectura. II, 280 A, *Suffectura est quodammodo spiritus anima*, i. e. tanquam supposita spiritui sustinendo. *Suffecturam* dicit, quemadmodum contrario significatu dicimus præfecturam. Itaque *suffecturam* tribuit animæ, ut intelligamus datam spiritui præfecturam. Sic libro *de Anima*, animum dixit *suggestum* esse animæ.

Sufferentia, patientia. II, 392 A, *Quo suam supra in benedictionibus sufferentiam commendaret*, eamdem et mox benignitatem interpretatur. I, 1158 A, *Jam hoc dicto ad sufferentiam nos metipsos præmonemus*.

Sufficere. II, 246 B, *Exemplariis suffectam*, i. e. sufficienter exscriptam.

Suffragium. II, 76 B, *Suffragia exinde*, i. e. res in consilium mittitur, et suffragiis decernitur, perscriptio fit in actis publicis, et reus præfectis deditus, ut exsequerentur sententiam.

Suffundere, pudefacere, ignominia afficere. II, 891 B, *Tam sancti viri est suffundi*, pudore vel rubore pudico.

Suffusus. II, 716 A, *Ab his autem annis et suffusior et vestitior sexus est* ; suffusior pudore et pudoris conscientia.

Suggestus, habitus. II, 1045 A, *Sacerdos suggestus*, i. e. sacerdotalis suggestus. I, 368 A, *Suggestus imaginum* sunt parmulæ sive clypeoli, qui in orbem signis appendebantur, ita ut mulieæ essent gradationes, altiores depressiones, velut tabellata et circuitus in turribus visuntur, in illis depictæ erant imagines imperatorum, qui consecrati et inter divos relati erant, vel etiamnum imperabant, ut ex Lipsiano loco de Vitelli imagine liquet. I, 379 A, *Ex suggestu Demetrii Phal.* i. e. hortatu et opera. II, 325 B, *Præeunte suggestu ejus, qui auctoritatem præstat* : suggestus, quod antea patrocinium. II, 211 C, *Plane socia materia per substantiæ suggestum*, i. e. ornamentum seu decoris additionem. II, 225 B, *Cœlum et terram habentes utique suggestus suos proprios*. II, 570 A, *Fructiferumque suggestum*, i. e. ornatum et comitatum ipsius. II, 414 B,

Oportebat in eo suggestu consignari novum testamentum. A II, 810 A, *Donec et nox reviviscat cum suo et illa suggestu:* noctis suggestus sunt tenebræ, sicut diei, lux. II, 871 C, *Accipiet enim et ipsa suggestum et ornatum.* I, 687 B, *Jam vero de solo suggestu, et apparatu honoris retractandum*, i. e. de vestimentis.

Suggillare, de facie proprie dicitur, cum percussa lividis maculis deformatur, hinc et existimationem alicujus, lædere violenter et deformare significat. I, 284 A, *Ad suggillandam odii erga nos publici iniquitatem*, i. e. convincendam non tantum, sed turpitudinem, livorem et vibicem inurendam, ut publicæ ostentui sit. Jun. mavult *sigillandam*. I, 473 A, *Ut prodigus suggillatis.* II, 519 B, *Sicubi tamen indignitas meruerit suggillari.*

Suggillatio, contumelia. I, 376 A, *Suggillatio est in cœlum vestra justitia.* II, 21 B, *Totus sermo suggillationis istius.*

Sui, propinqui, agnati gentiles. I, 305 A, *Ut matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui inedio necarint.*

B

Summale, opponitur *portionali*, quod totum complectitur. II, 226 A, 964 B.

Superargumentare. II, 254 B, *Proinde superargumentasset.*

Supercilium, supercilia in ima fronte sunt supra oculos, deinde pro tristitia ac severitate censoria, itemque fastu ac superbia ponitur. II, 221 C, *Sed tu supercilio capitis*, etc. II, 254 C, *Supercilio stuporem suum ædificant.*

Superficies. I, 564 B, *Ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem consecrasse*, de capite asini. I, 513 A, *Sub magna gravitatis superficie.*

Superferre, I, 1203 A, *Aut ab eo quod superferebatur*, aqua super quam Spiritus Dei ferebatur.

Supergressus, ὑπερβολή. II, 851 B, *Per supergressum in supergressum, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν*

Supernitas. II, 550 A, *Supernitates supernitatum et quantas sublimitates sublimitatum.* Irenæus: *In invisibilibus et inenarrabilibus altitudinibus.*

C

Supersapere. II, 677 B, *Illum ergo ait supersapere, qui mente maxime sapiat.*

Supervectare, I, 1263 A, *Qui ab initio supervectabatur super aquas.*

Supparare, II, 564 A, *Potiorum desiderio suppararetur.* Iren. ὁρεχθῆ τῶν διεφορώντων, concupiscat eorum, quæ meliora essent. II, 443 C, *Ut a fratre ipsius et ex costa ipsius suppararetur semen illi.* II. 938 A, *Et quasi posthuma soboles supparabatur.* II, 700 C, *Et si non statim, supparetur.*

Supparatura, ἀντικατάστασις, suffectio. II, 884 A, *Neque generis supparatura gravis erit membris.*

Supparum, linteum femorale usque ad talos pendens, II, 1044 A.

Supplaudere, II, 1017 B, *Joannes nescio quid diversæ parti supplaudere videatur.*

Supplicamentum, κόλασις, supplicium, pœna peccati. II, 112 A, *Quia timor supplicamentum habet, utique ignem stagni.*

D

Supplicium, sceleratus. I, 312 A, *Et numina erunt dicenda supplicia*, i. e. scelerati illi qui supplicia patiuntur, dii sunt vocandi, et in deos consecrantur tunc cum puniuntur.

Suppurare. II, 121 A, *Magnum de modico*, i. e. de parvo et exili corpore, *malum scorpium terra suppurat*, hæc non de alimento scorpionum e terra eductorum intelligenda videntur, sed ex eo explicanda sunt, quod scorpii non modo ex sese generentur, sed etiam procreentur e putredine, lignis putrefactis, et terra etiam; unde scholiastes Nicandri in Theriac. γίνονται δὲ οἱ σκόρπιοι οὐ μόνον ἐξ ἀλλήλων ἀλλὰ καὶ ἀπὸ στομφίνων ξύλων καὶ πηγούρων.

Suspectus, suspicax, suspicans, activa significatione. I, 401 A, *Ne fallerent suspectos.* II, 576 A, *Saltem suspectus de aliquo factitatore*, i. e. in suspicione agens seu versans. I, 1320 C, *Aut suspecto aut non desideranti placere.* I, 1270 A, *De contumeliæ dolore suspectum.*

Suspendere, inhibere, cohibere, sistere. I, 487 A, *Cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt.* Recte videtur explicuisse Zephyrus, tamdiu serenus aer deneget imbres, ut æstiva continuentur cum hybernis. La Cerda explicat: cum neque pluit æstivo, neque hyemali tempore, quo modo comma interseri debet.

Suspensio. I, 1158 A, 1159 A, *Et ad nostram suspensionem pertinet regni Domini repræsentatio*, i. e. ad spei sive expectationis nostræ et regni dominici mora, exspectamus sollicite, quod in suspenso esse novimus.

Suspirium. II, 541 A, *n.* (2), 542 A, *Tot suspiria portarum*, i. e. totum illud quod tam diu desideraverant.

Sustinere. II, 225 B, *Usque tunc videri sustinebat*, i. e. exspectabat. II, 609 B, *Si necdum venit, sustinendus est*, i. e. exspectandus est. II, 125 B, *Sustineant Evangelia paulisper dum radicem eorum exprimo legem.* II, 139 B, *Nec enim aliud est sustinere in finem, quam pati finem.* I, 659 C. *Tutelinas a tutelis fructuum sustinent*, i. e. affirmant defenduntque fuisse dictas istis nominibus ab illa origine. I, 645 B, *Quid ergo de horrido loco perorem, quem nec perjuria sustinent.* Circum significat, quasi ejus loci horrorem non sustineant pejerati, h. e. horrore loci terreantur, adeoque pejeratum cant in Capitolium. Etenim jurisjurandi solemnia fiebant in Capitolio, non in Circo.

Sutrina, sutorum officina. II, 1046 B, *Sutrinæ Venetiæ*, in quibus Venetæ pelles ad conficiendos calceos accommodarentur. In Veneta enim regione pecudum ingens erat copia, ex quarum pellibus calcei fiebant.

Suus. II, 138 B, *Ne antiquitas suum forte habuerit sacramentum*, i. e. proprium et peculiare antiquitati, nimirum Judæis, non etiam communicandum novitati Christianæ.

Symbola, collatio, quoties scilicet a singulis aliquid in commune confertur. II, 562 A, *Ut nautæ ad symbolam semper exultant.*

Symbolum. I, 1238 B, 1239 A, *Quod si necessitate nobis symbolum mortis indulget.* Rigalt. interpretatur de peccato, rectius exponit Latinius de baptismo, per quem Christo συναποθνήσκομεν καὶ συνθαπτόμεθα, *Rom.* VI.

Symphon. II, 588 A, *In symphone pleromatis ab angelo;* alii, rectius, *in nymphone*, hoc sensu: in nymphone sive thalamo patiantur viri, quod sponsarum est.

Symplegades, sunt duo scopuli seu rupes in mari ad Bosphorum Thracium, dicuntur Cyaneæ seu Planctæ, navigantibus periculosæ. Strab. lib. VII; Pomp. Mel. lib. II, cap. 7; Plin. H. N. lib. IV, cap. 12.

Synagoga. II, 370 A, *De cœlo statim ad synagogam, ut dici solet*, etc. Duplex est hujus loci interpretatio: prior est, ut proverbium accipiatur de Christo, qui de cœlo statim ad synagogam venerit, nec rem ullam antiquiorem habuerit, quam ut faceret ea ad quæ vocatus erat. Joh. IV. *Ut dici solet, ad quod venimus, hoc age.* Posterior est, ut de Marcione intelligatur; quod Latinius fecit.

Συζυγία, conjunctio. II, 68 A.

Συμπαιζόμενον, *id est coodibilem.* II, 374 C.

Συντελαίτωρεν, *id est commiseronem.*

Synthesis, elegantior et lautior vestis. II, 1042 B, *Multicia synthesis*, h. e. vestis mollis, delicata et pellucida, ut solent esse fœminarum. Vid. Turneb. *Adv.* lib. XXIII, c. 19.

Syntrophus, σύντροφος, qui una educatur. II, 554 B.

Syrma, tragœdorum vestis laxa et soluta. II, 1036 B, *Et omni syrmate solutior.*

T

Tabella. II, 906 A, *Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsulium et nuptiarum*, quibus natura puellam obstringit sponsalibus et nuptiis. In tabulas

enim ut plurimum sponsalitiæ conventiones referebantur. Hæ tabulæ signatoriis eorum qui interfuerant, annulis obsignabantur.

TABERNACULA, tabernæ. II, 976 C, *Balnea et tabernacula in nonam usque cluduntur.*

TABULÆ, dicebantur plicæ laxioris panni eo quod aliæ aliis in modum tabulati essent superpositæ. Ferrar. *de re vest.* Inde *tabulatus;* q. v. II, 1046 A, *Jam deficientibus tabulis.* II, 83 A, *Habes communem istam legem in publico mundi, in naturalibus tabulis.*

TABULATUS. II, 1031 B, *Tabulata congregatione*, i. e. umbone ex pluribus tabulis coacto, seu multiplici contabulatione coacto.

TALIA, rugæ et plicaturæ, quasi scissuræ. II, 1046 A, *Et inde deducat in talias.* Alii legunt *tabulas*, alii *tilias.*

TAM. II, 187 B, *Hermogenis autem doctrina tam novella*, nempe quam aliæ illæ hæreses, quibus de posteritate solemus præscribere. Jun. mavult *tantum.*

TANGERE. I, 488 A, *Deum tangimus :* tangi dicebantur dii, cum afficerentur votis et potita cordi haberent.

TANTUM *quod*, est græc. πλὴν ὅσον, πλὴν ἔτι. I, 281 A, *Bonus vir Caius Seius, tantum quod Christianus.* II, 426 B, *Ad deum autem novum nemo sero pulsasset, tantum quod lucescentem.*

TANTUS, subaud. numerus. I, 262 A, *Et sunt tanti quanti et denotamur*, i. e. tanta est eorum multitudo, quanta vos non præterit. I, 281 A, *Tanti non est bonum, quanti est odium Christianorum*, i. e. non tam gaudent uxorem ex adultera pudicam, filium ex immorigero subjectum, servum ex improbo fidelem, quantum quasi detrimento mœrent transgressos ad hoc nomen, quod non factum, vel damno suo pacisci velint. I, 480 A, *Tantos ad unum*, i. e. tot Christianos, etc. II, 255 A, *Quem tantis retro sæculis nominem.*

TARDABILIS. II, 722 A, *Rigore tardabili.*

TAUREA, scutica seu lorum valentissimum ex corio bubulo. I, 626 B, *Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inumbulaverunt.* Juven. *Sat.* VI : *Taurea pavit continuo flexi crimen facinusque capilli.*

TELINUM, unguentum dictum a Telo, una ex Sporadibus insula, quam Callimachus *Agathussam* appellavit. Plin. H. N. lib. XIII, cap. 1. II, 1042 A, *Quod apud Omphalen balsamo aut telino spero factum.*

TEMENUS. II, 1035 B, Unus ex Herculis posteris, Messenios Peloponnesi populos rexit : alii legunt, *qui a Temeno;* alii, *qui cum Timeno.*

TEMERARIUM, temere et sine arte factum, sive ex obvia quacumque materia. I, 450 A, *Temeraria de cæpite altaria.*

TEMPERARE. I, 276 A, C, *Apud vos soli quæstioni temperatur*, h. e. ad quæstionem duntaxat adhibentur tormenta, expressaque confessione illico cessant.

TEMPESTIVITAS, ex græco ὡραιότης τῷ κάλλει. II, 550 B, 621 A.

TEMPORALITAS, tempestas anni. II, 1031 B, *Si quid præterea conditio vel dignitas vel temporalitas vestit.*

TENEBRÆ. *Caninæ tenebræ ceciderint*, i. e. ad canis motum lumen extinguatur, lucerna cadente.

TENEBRICUS, niger. II, 1045 A, *Eum ob diversam affectionem tenebricæ vestis.*

TENEBROSUS, σκοτεινός. II, 348 A, 651 A, Ita vocatur Heraclitus ob nimiam illam obscuritatem, quam affectabat, *Heraclitus ille tenebrosus.*

TENERE. I, 618 B, *Teneo testimonium cæcitatis*, i. e. accuso cæcitatis. II, 158 A, *Monarchiam, inquiunt, tenemus*, i. e. Deum unum asserimus.

TENUS, vinculum, laqueus : Τενίαι, δεσμοὶ, διαδήματα, Hesych. II, 1038 B, *In restis pristini modum, quam philyræ tenus junxerat.*

TENUS. I, 483 A, *Oculis tenus :* sens.: si quæ illic forte arbores supersunt, spectantium quidem oculis poma promittunt, sed ea poma carpentium digitis contacta solvuntur in cineres.

TERMINUS. II, 1005 A, *Adversus terminum Domini*, h. e. adversus sententiam et determinationem Domini. Etenim Tertulliano *determinare et judicare*, pronuntiare, definire judicio.

TERRIGENA. II, 299 A, *Inter aquigena et terrigena animalia*, ὑδρογενῆ, καὶ γηγενῆ τῶν ζώων.

TESTITRAHUS, qui testes trahere videtur, ob eorum magnitudinem. Voss. *Rhetor.* lib. IV. Alii *textitrahum*, ἱστοπίτλον, II, 1031 B. Alii *vestitrahum*, aut *textitrahum.*

TESTUDO. I, 621 A, *Testudinem densando.* Præferenda sine dubio hæc lectio omnibus cæteris. Intelligenda enim hæc verba de testudine scutorum, quæ densatis scutis fiebat. Liv. lib. XLIV : *Quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam sicut tecta ædificiorum sunt testudinem faciebant.*

TETRAO. genus avis, cujus meminit Plin. H. N. lib. X, cap. 22; Athen. τά τε τῶν φασιανῶν, οὓς τετράωνας. II, 261 A, *Una tetraonis pennula.*

TETRICUS. I, 1529 B, *Vobis autem nulla procedendi caussa non tetrica*, i. e. non gravis, non seria, non sancta.

THAMNUS, θάμνος, planta quævis fruticans, et copiose subolescens. II, 702 B, *Thamnus et piscis fui.* Exstant de hac re Empedoclis ipsius versus apud Diogenem Laertium; sed longe emendatiores apud Clementem Alexandrin. *Strom.* 6, in hunc modum : ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε, κόρη τε, θάμνος τ' οἰωνός τε, καὶ ἐν ἁλὶ ἔλλοπος ἰχθύς.

THENSA, II, 95 B, sive potius *Tensa*, a *tendendo*, ut monet Asconius. Erat, auctore Festo, vehiculum argenteum, quo exuviæ deorum ludis circensibus in circum ad pulvinar vehebantur, I, 638 B.

THISTRI, I, 705 A, *Ut Cincius Severus, qui Thistri.* Jun. legit *Thustri* vel *Thystri*, liberum Africæ mediterraneæ oppidum : Θυσδρὸς Ptolemæo, ac fortasse Θυσδρ'ς; unde Thusdritanus Plinio, lib. V H. N. cap. 4, et lib. VII, cap. 4. Latinius reponit *Thysdri*, ex Sallustio, Oppio et aliis. Sed apud Plinium sine aspiratione legitur. Est autem *Cincius Severus* sine dubio idem, qui et Cingius Severus Lampridio dicitur in fine Commodi. Ac fortasse etiam hæc caussa fuerat, cur a Severo traditus sit morti ad inimicorum accusationem, ut Spartianus in Severo meminit.

THORI. I, 452 B, *Thoros in publicum educere*, sunt lectisternia et pulvinaria.

THURARIUS, qui thura vendit. I, 677 A, *Nisi si quis et de thurario dissimulabit.*

TIBERIS. I, 455 A, *Testis et Tiberis.* Gothofred. refert hoc ad domum Tiberianam seu palatium Cæsarum. Sed olim fluvii ripam vulgus accolebant, potentiores montes occupabant. Cum itaque de plebe loquatur, nihil commodius, quam habitationis locum indigitare potuit.

TIBICINARE. II, 717 A, *Nec ut ipse tibicinandus*, i. e. fulciendus tibicine et sustentaculo; metaphora a structuris.

TITULARE. II, 620 B, *Magos quoque Samaritanorum appellatione titulavit*, i. e. titulo notavit atque appellavit. II, 936 D, *Etsi digamiam tibi tituleris.* II, 667 B, *Quis non animæ dabit summam omnem, cujus nomine totius hominis mentio titulata est?*

TITULUS. II, 1045 A, *Superque omnes apices et titulos*, melius *tutulos.* Tutuli erant pilei sacerdotales, unde apud Varronem, *sacerdotes tutulati.* Turneb. *Advers.* XXVI, 10 : « Tutulum pallium erat, quo sacerdotes ad sacra accessuri caput tegebant tutabanturque. » I, 525 A, *vel de titulo Pythiæ discens*, respicit nobilem illam inscriptionem Delphis ad fores Apollinis, γνῶθι σεαυτόν. II, 965 B, *Habet enim et abstinentia vini suos titulos.* II, 310 C, *An delectabit titulus officii.* I, 1219 A, *Quasi titulo Pauli de suo cumulans*, i. e. quasi aliquid titulis et gloriæ Pauli de suo adderet, quod cumuli esset instar. II, 987 B, *Nullum aliud in talibus titulis firmandis.* Titulos vocat legis

divinæ capita, eodemque significatu supra *damnationis titulos* dixit. II, 959 B, *Ut uterque titulus sanctitatis in Christi censu dispungeretur.* Utitur metaphora a ratiocinatoribus ducta, et a censoribus, qui in tabulas referunt nomina et titulos eorum qui profitentur. Vid. DISPUNGERE. II, 255 C, *Quem titulum incidemus, ex duobus, deo Marcionis?* Incidere est notare aliquid in monumentis rerum gestarum. Cic. *Incidere elogium in æs, marmor*, etc. Plin. *de Pomponio magno*, lib. VII, cap. 26, commemorat titulos victoriarum et triumphorum notatos. Quem ad modum alludit Tertull., ut sit publico cognomento honestare vel infamare, et elogio nobilitare.

TONSURA. II, 700 B, *Revera lues et fames et bella, et voragines civitatum pro remedio deputanda, tanquam tonsura insolescentis generis humani.* Simile est *de Pallio*, cap. 2.

TORMENTUM. II, 1046 B, *Calces nihil dicimus, propriumque togæ tormentum.* Salmas. leg. *tormentum togæ*, h. e. id in quo toga terminatur: et calceus togæ est terminus. *Proprium togæ* hic dicit, quia apud Romanos nec toga sine calceis nec calcei sine toga sumebantur. II, 122 A, *Hamatile spiculum in summo tormenti ratione restringens*, i. e. prout in scorpione, bellico tormento, per illud tempus videbatur. I, 1303 A, *Eleemosynæ sine tormento.* Christianæ maritus ethnicus, ubi de suis rebus aliquid abesse sibi notaverat, ab uxore fortean in christianos pauperes delibatum, plerumque adeo sæviebat, ut servos uxoris torqueri juberet. At cum ambo christiani, tunc eleemosynæ sine tormento.

TRADUCERE, in lucem exponere, aperire, detegere. II, 45 C, *Sic facilius traducentur.* II, 156 A, *Traductæ dehinc*, i. e. manifestatæ confutatæque. II, 105 A, *Aut homines ejus fuisse traducat*, i. e. ostendat, demonstret homines fuisse diaboli, qui, deserto Deo, defecerint ad diabolum. II, 115 B, *Dum nolo traduci quod sum, confessus id esse quod nolo traduci, id est Christianum.* II, 671 A, *Si etiam prophetes ejus, occulta cordis traducendo probatur.* II, 1028 A, *Ut traduceret cogitatus.* II, 647 C, *Quæ vim istam perniciosissimam sola traducit*, i. e. quæ christiana potestas sola dæmonas abigit, migrare cogit, excutit de hominibus, adjurando scilicet. I, 446 A, *Traductione non traduces proximum tuum.* Græc. Levit. XIX: Ἐλεγμῷ ἐλέγξεις τὸν πλησίον σου.

TRADUCTIO, illustratio, demonstratio, detectio. II, 35 A, *Ne pariter admittantur traductiones eorum*, i. e. documenta certa, quibus mendacia sua traducantur atque ridenda propinentur. II, 621 B, *Minantes traductionem uniuscujusque cordis.* Rigalt. exponit de vi gratiæ spiritalis, quæ divinorum præceptorum sagittis conscientiam cujusque transadigit. II, 308 B, *Ut traductionem sui sentiunt*, i. e. cum erroris arguuntur et convincuntur.

TRADUX. II, 32 B, *A quibus traducem fidei*, i. e. translationem fidei de una ecclesia in aliam. Ecclesiæ nempe mutuo quasi per manus apostolicam doctrinam sibi tradidere. I, 1257 B, *Ad traducem illum ejus, quod a Malo hauserat, facit.* Sensus: Evam solam convenerat Satanas, solam afflaverat spiritu impatientia infecto. At illa impatiens etiam tacendi pravam Satanæ suggestionem transfundit in suum Adam. Itaque ipsa fuit peccati tradux in Adam, et exinde illum fecit ejus peccati adtraducem, h. e. administrum et socium traducendo in communem prosapiam peccato. II, 661 A, *Sed quoniam omne tenue atque perlucidum aeris æmulum est, hoc erit anima, qua flatus est, et spiritus tradux.*

TRANSFIGURATIO. II, 191 A, *Transfiguratio est interemptio pristini.*

TRANSFRETARE. I, 1227 A, *Itaque universam vitæ conversationem sine gubernaculo rationis transfretant.*

TRANSFUNCTORIUM, quod et perfunctorium est, quod levi cura fit, et aliud agendo, tum videlicet non curamus, ut aliquid bene fiat, sed tantum ut fiat. II, 278 B, *Et ipsa transfunctoria præcepta.*

TRANSITUS. II, 888 B, *Ex quo transitum suæ ætatis fecerint*, i. e. pueritia excesserint.

TRANSCRIBERE, in alium transferre. II, 1056 A, *Quot census transcripti?* II, 619 B, *Antequam transcripta esset in Syrophœnicen.*

TRIBUTUM. II, 336 A, *Aut sanguinis tributo*, de menstruo. I, 1252 A, *Totius generis tributa*, i. e. conceptum nutricationemque fœtus in utero, et partum ipsum animalium omnium.

TRICHEA. II, 565 A, aspera. Jun. legit *trechea* seu *trachea*; græc. τραχεῖα, ἡ τραχεῖα.

TRINITAS. II, 19 A, *Trinitas hominis*, scil. homo hylicus seu choicus, i. e. materialis et terrenus; homo psychicus, i. e. animalis, et homo spiritalis. Ita Valentinus censebat. II, 684 A, *Ut adhuc trinitas Valentiniana cædatur.* II, 675 B, *Ecce enim tota hæc trinitas*, nempe partium seu affectionum animæ, ratiocinantis, irascentis et concupiscentis. Animæ triplex munus in Evangelio indicatur.

TRUCIDARE. II, 986 C, *In cubiculis an in turribus pudicitia trucidetur.*

TRULLA, vas cavum, in quo ventris onus deponitur, sub sella familiarica. I, 544 B, *Aliquando in trullam de Minerva.*

TUNICA, II, 1030 C. Tunica Carthaginiensis a Romana differebat, quod hæc sine manicis et brevior esset, illa manicata et longior. Gell. N. A. lib. VII, cap. 12.

TURBA. II, 545 B, *A turba eorum*, i. e. a turba deorum gentilium, et argumento ejus aliam frequentiam æonum sive sæculorum hominibus persuadere, ut Valentiniani faciunt.

TURPE. I, 517 A, *An hoc turpius.* Turpe sacrificium malus homo, quia nihil Deo nisi perfectum in suo genere immolari debet; infra: *Cum enecta et tabidiosa et scabiosa quæque mactatis.*

TURPILOQUIUM, αἰσχρολογία, II, 1014 C.

U

UBIQUE. II, 1055 B, *Per ubique orbis*, εἰς τὰ πανταχοῦ τῆς γῆς. Salmas. negat esse atticismum.

ULTIMARE, in ultima parte esse, ad finem properare. II, 1052 A, *Cum tamen ultimarent tempora patriæ.*

UMBO, togæ erat centrum, et nodus artifex cocuntium plicarum, inde umbilicus togæ. II, 1046 A, *Totumque contractu umbonis figmentum custodibus forcipibus assignet.*

UMBRA. II, 198 B, *Hanc primam umbram plane sine lumine pessimus pictor illis argumentationibus coloravit*, ab arte pictoria, quam Hermogenes exercuerat, tractum. Prima picturæ initia, inquit Plinius, *umbra* hominis lineis circumducta, quæ *linearis* dicta; secunda singulis coloribus, et *monochromatos* appellata. Itaque prima sine ullo colore fuit, adeo ut quos pingerent, adscribere esset institutum. Deinde lineæ colorari cœptæ testa trita. Cujusmodi picturæ in arte tectonica par est ἰχνογραφία, quæ est areæ jacens efformatio, et superficiaria descriptio, futuri operis specimen exhibens. Exponitur de sermonis, argumenti, rei demonstratæ obscuritate.

UNARE. II, 190 B, *Dividere illos potius, quam unare.* Simplex verbum usurpat, unde nos *adunare* dicimus, et *coadunare.* Tres MSS. Vaticani codd. legunt *unire*, sed illud Africanam magis phrasin redolet.

UNDE, undecumque. II, 217 B, *Quamquam possimus unde illas prolatas æstimare.* II, 221 C, *Unde habet.* II, 333 C, *Quam carnis veritatem unde producere.*

UNGERE. II, 122 A, *Et ungendi bestiæ calcem.* Rigaltii lectio magis placet, *urgendi.* Urgere bestiæ calcem idem est atque urgere bestiam calce. Ipse paulo post dicit: *Ibidem scorpio pro solea anathema illidito.* II, 338 A, *Credo ad solem uncti prius.* Alludit ad ἥλωσιν sive insolationem, qua scilicet uncti calefiebant membris siccandis firmandisque. Pers. *Sat.* IV,

Aut si unctus cesses, et figas in cute solem,

Jun. mavult *ad solium*; quod vide.

Ungula. II, 970 B, *Et contra ungulas corneas.* Inter tormenta erant ungulæ, ac primum quidem, ut ex vocabulo conjicere est, de ipsis bestiis decisæ, dein ad earum formam ferreæ, iis latera miserorum derudebant, vel, ut dixere quidam, scribebant, charaxabant. Ait igitur Septimius cutem jejuniis aridam et corneam adversus hujusmodi tormenta constantiorem fore.

Uniformis. II, 661 B, *Uniformem dumtaxat substantiæ nomine*, i. e. una forma essentiali, ac non pluribus præditam; quod Plato in *Timæo* docet. Hanc postea *substantiam naturalem* vocat.

Unitas. II, 57 C, 58 A, *Schisma est unitas ipsa*, i. e. præ se ferunt unitatis speciem diligentissime, sive, sunt quidem apud hæreticos schismata, sed ea minus advertimus, ob communem et concordissimam nobiscum discordiam.

Universitas, πλήρωμα. II, 625 C, *Neque enim ulli hominum universitas spiritalium documentorum competat.* Mundus: II, 258 B, *Denique si universitas Creatoris est.*

Urbanitas. I, 404 A, *Urbanitate deceptos* vocat, quos institutionibus pravis circumscriptos, cap. 17, scholis formatam, bibliothecis exercitam, academiis et porticibus partam sapientiam, ructantem animam, *de Anim. Testim.* cap. 1.

Usurpare. I, 1257 B, *Facile usurpari ab impatientia cœpit in omne quod Deum offenderat.* Usurpant proprie, ad quos jus possessionis spectat. Sic impatientia jam velut possidens hominem, facile eum ad quidvis traxit, quod Deum offenderet.

Usurpatio. II, 750 B, *In quadam usurpatione*, i. e. pœnarum judicialium in antecessum inflictione et anticipatione.

Usus. II, 564 B, *Usus est rerum*, pro eo quod est, *solet, usu venit.* Hellenism. χρῆται ἐστι.

Ut. II, 185 A, *Ut sic duos divisos diceremus*, i. e. etiamsi diceremus duos esse. II, 195 A, *Ut quid me dereliquisti.* Græc. ἵνα τι; formula Optato Afro frequentissima.

Utensilitas. I, 1309 B, *Quorum ita disposita est utensilitas.*

Uthinensis, episcopus Uthinax, quæ urbs Africæ fuit colonia Romanorum. Non agnoscebat autem, ut videtur, novam Montani prophetiam. II, 947 C, *Scilicet ille vester Uthinensis.*

Utilis, qui in usu est. II, 1039 B, *Pars vero passivitus omnibus utiles, ut hoc pallium.*

V

Vacare. II, 1030 C, *Cum ita vacat ac juvat*, i. e. dum licet et libet. II, 1041 A, *Vacuerat* pro vacaverat. Abesse: II, 1047 A, *Vacat Zonæ tormentum.* I, 276 A, *Et si confessione prævenientur, vacabunt*, i. e. cessabunt, non adhibebuntur amplius, scil. tormenta. II, 226 A, *Sed vacet hoc exemplum ut humanum.* II, 229 A, *Ex rebus consistentibus fiant necesse est, non ex vacantibus.* I, 380 A, *Ne notitia vacaret*, i. e. ut ipsi intelligerent sacra voluminа. II, 22 B, *Vacabat erga nos*, i. e. vacua, otiosa et inutilis erat. II, 968 B, *Qui hæc velut vacantia infirmant*, i. e. tanquam inutilia et pretii nullius. II, 256 B, *De noto vacat quæstio.* II, 479 A, *Ideo utraque in Christo vacabat.* II, 815 B, *Licet ab exemplo vacet diversitas rerum*, i. e. licet exemplum sit dissimillimum, et nulla ex parte cum hoc comparandum. II, 760 B, *Quia ut phantasma vacabat ad sensum earum*, i. e. carebat earum sensu.

Vacuus. II, 654 B, *Unde vacuæ rei solida propellere*, i. e. animæ, si incorporalis et vacua est ad Tertulliani sensum.

Valentia, ἰσχύς. II, 238 A, *Valentia facientis terram.* II, 619 B, *Et congregabit omnem valentiam populorum.*

Vanitas. I, 1246 A, *Et oris dejejunio vanitate.* Etenim de jejunio nativus oris et formæ vigor evanescit. Alludit ad illud Matth. VI, 16: *Vultu incedunt evanido.*

Vanitimum, vox est antiqua, a vano dicta, pro eo quod est ad vanitatem pertinens et in ea situm. Sic æditimus, maritimus, medioximus, finitimus. II, 224 C, *n.* (12).

Variare. II, 1031 A, *Sæcularium rerum variavit urna*, i. e. rerum vices mutatæ sunt. II, 558 A, *Quia de patris sexu ita variant*, i. e. ita plane sexu variant ut pater.

Varietas. II, 610 C, *Etiam Getulorum varietates*, pro eo quod est, varii Getuli; Pomp. Mela *de situ Orb.* lib. I, cap. 4, *Natio frequens multiplexque Getuli.*

Vectaculum. I, 1202 A, *Dignum vectaculum Deo subjiciebat.* Alii *vectabulum*; et melius fortasse, ex Gellii N. A. lib. XX, cap. 1; et Non. Marcell. IV, 321: *Deficientis vectaculi nomine.*

Vectari. II, 670 A, *Asclepiades etiam illa argumentatione vectatur.* II, 1002 A, *Vectante vos Spiritu sancto.* Irenæus, *Ambulantes in Spiritu sancto*; et vetusta Actor. exempla, φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

Vectigal. I, 381 A, *Vectigalis libertas vulgo aditur*, i. e. libertas, quam Judæi vectigali redimunt, seu pensitatione annua, ut libere in synagogas suas et cultum suum convenire possint.

Vedius Pollio. Fregerat unus ex servis crystallinum; rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte; murænis objici jubebatur, quas ingentes in piscina continebat. Senec. *de Ira* lib. III, cap. 40; Plin. H. N. lib. IX, cap. 23; II, 1048 B.

Velificare, vela dare vel facere. II, 122 A, *Austro et Africo sævitia velificat*, i. e. scorpiones dirum Africæ malum (ut Plin. vocat lib. V H. N. cap. 7): hoc igitur malum Africæ volucre etiam Austri faciunt, inquit Plin. lib. XI; id autem est, ut docet Tertull. *flante Austro et Africo.*

Vendere. I, 508 A, *Vendere facinora*, est accepto pretio celare.

Venditari, venalem esse, haberi. I, 512 A, 513 A, *Plato Dionysio ventris gratia venditatur.*

Venter. II, 908 B, *Ventres tegere coguntur infirmitatis ruina.* Ventres dicit, ut solent auctores juris, uteros admisso viro gravidatos. Itaque ventres tegere, hoc est, graviditates dissimulare. I, 1274 A, *Ventris operarios*, i. e. parasitos.

Ventilare. II, 1044 B, *Sericum ventilat*, i. e. laxa fluxaque veste serica ventum concipit, atque undante serico incedit. II, 82 B, *Odoratum in naribus ventilavit.*

Ventus. II, 123 A, *Plerosque vero in ventum, si placuerit Christianos, in ventum*, h. e. vento ferente, vento secundo, prout occasio dederit, suaserit. *Si placuerit*, nimirum Cæsari, proconsuli, præsidi, etc.

Veritas. II, 295 A, *Imago veritati non usquequaque adæquabitur.* II, 795 B, *Aut nullius veritatis contendentes eam*, i. e. contendentes non veram fuisse carnem Christi. I, 1264 B, *Penes veritatem*, i. e. penes Christum.

Vernaculus. I, 388 A, Josephus dicitur *vernaculus scriptor*, quoniam, ipse Judæus, Judæorum origines et bella cum Romanis, græce licet, descripsit. I, 421 A, genus Trojanum *Cybeles vernaculum* vocatur. I, 454 A, *Ipsamque vernaculam septem collium plebem.* I, 1311 B, *Apud barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum.* II, 737 B, *Scio fœminam quamdam vernaculam Ecclesiæ*, i. e. christianam.

Verruca. I, 1341 A, *Quam conchæ illius aliqua dura et rotunda verruca.* Margaritas conchæ *verrucas* vocat, quia sani concharum partus multiplici cute constant, ut non improprie callum corporis existimari possit, ideoque purgari soleant a peritis. Ita enim in ipsa ostrei carne nascuntur, quemadmodum grando solet in suilla. Vid. Athenæum, lib. III, cap. 8, et Plin.

Versura. Versuram facere et solvere, est recepta ab alio pecunia alii reddere, quod ei debebatur. II, 1035 A, Est τὸ ἀντιστρόφου vel ἡ ἀντιστροφή; alii, *versuram compensato reddit.*

Vertere. II, 906 B, *Vertunt capillum*, non idem

significare videtur, ac crines intorquere. Monent verba, I, 1322 A, *Video quosdam et capillum croco vertere*, hæc de mutatis tinctisque crinibus intelligere apud veteres. Herodian. *de Antonino*, Κόμας τε τῇ χειρὶ ἐκετίθετο ξάνθας, et apud Clement. Alexandr. Τρίχας ξάνθας ποιοῦν. Capitolinus in Vero: *Dicitur sane tantam habuisse curam flaventium capillorum.* Ea fuit flaventis capillitii affectatio, ut Lætam admoneat Hieronym.: *Ne capillum irrufes.* II, 705 B, *Vertit autem status animarum*, intransitiva significatione.

VERTEX. I, 262 A, *Vertex civitatis* est Capitolium.

VERTIGINARE, II, 1037 B, quid sit, intelligi potest ex Aristotelis verbis de chamæleonte: Στρέφει δὲ τὸν ὀφθαλμὸν κυκλῷ, καὶ τὴν ὄψιν ἐπὶ πάντας τοὺς τόπους μεταβάλλει.

VESICA. I, 521 A, *Illic vesica quæritur.* Haverc. *Statim illic vesica queritur*, i. e. quasi ventis distenditur, cruciaturque pectus illorum vehementissime. Havercampio proverbium videtur, desumptum a puerulis qui mingendi necessitatem ultra ferre non possunt, vesica lotio impleta, adeoque sæpe virgam metuentes exclamant. Sic illi, audita Christianorum oratione de resurrectione mortuorum, statim egrediuntur auditorio, quasi mingendi necessitas urgeret.

VESPERUGO, vespertilio. II, 703 B.

VESTICEPS. II, 746 B, *Puer vesticeps.*

VESTIFICINA, locus ubi vestes conficiebantur. II, 1039 A. Sed Rhenan. interpretatur: *vestiarii* seu *sartores.*

VESTIRE. II, 1031 A, *Sic et in proximo soror civitas vestiebat.* II, 1034 B, *Et si quid præterea conditio, vel dignitas vel temporalitas vestit*, dicitur ἀμπεχόνης. Turneb. vult, *vertit*; Jun. *gestit* i. e. ἀγάλλεται. II, 50 A, dicitur de baptismo, *sancto Spiritu vestit.*

VESTITUS. II, 716 A, *Ab his autem annis et suffusior et vestitior sexus est*, vestitior pilo, qui adnascitur corpori. Vid. INVESTIS.

VETERNUS, est morbus nascens ex humoribus frigidis, cerebrum infestantibus, et rationem tollens, vulgo lethargus. II, 1048 A, *Nullis veternis parco.* Metaph. pro *vitiis.*

VETUSTAS. II, 1022 A, *Si vero post abolitionem in vetustatem aliquid ex illa revixerit*, i. e. in veterem hominem, in ethnicum.

VIA. I, 634 B, 635 A, *Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum, et discrimina popularium per proclivum.* Vid. BALTEUS.

VIBRARE. I, 1196 B, *Ad cælum non otiosi ore suspiciunt vibrantes spiritu suo movere.* Locus corruptus, forte ita restituendus: *Ad cælum non otioso ore suspiciunt, vibrantes spiritum suo more*, id est: Mugitus boum, balatus ovium, voces ferarum et avium sunt preces erga omnium parentem, qui providet leonibus, rugitu suo prædam quærentibus, et alit pullos corvorum, qui illum compellant. *Vibrare spiritum* est fortiter emittere spiritum, uti faciunt animalia, quando clamant, et rumorem efficiunt. Prudentius dicit de Ἀόρῳ, *Apoth.* 49.

Hoc verbum est quod, vibratum patris ore benigno,
Sumpsit virgineo fragilem de corpore formam.

VICES. I, 499 A, *Vicem injuriæ sinere* est injuriam rependere. II, 437 C, *Qui humani totis istius vicem retribuere non possint.* II, 554 B, *Hac vice seminis.* Irenæus, κάθαπερ σπέρμα.

VICTORIATUS, II, 907 B, nummus Victoriæ imagine signatus, de quo Plin. H. N. lib. XXXIII, cap. 3. Valuit duos sestertios.

VIDERE. *Viderit habitus*, i. e. nihil refert habitus, nihil conducit ad rem, habeat se lignum hoc vel illo modo, signum crucis vel rudistipitis, dummodo lignum sit. II, 198 A, *Sed viderit persona*, i. e.: Quid moramur in persona, quid ad nos persona, *cum doctrina mihi quæstio est?* II, 555 A, *Viderit Solœcismus* II, 898 C, *Viderit sæculum æmulum Dei*, i. e. impium hoc sæculum et Deo obnitens, vel natura duce judicet.

VIDERI. I, 386 A, *In quo videtur*, i. e. conspicitur, cernitur, ne quis interpretetur, putatur. II, 608 B, *Nec si venietis videri mihi*, i. e. apparere.

VIDUARE. II, 955 A, *Cereris sacerdotes viventibus etiam viris et consentientibus amica separatione viduantur.* II, 680 B, *Qui vel modico temporis viduant animum intellectu.*

VIDUATUS. II, 902 A, *Plane scio, alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatum, ἐν χηρείᾳ*, i. e. in sacro viduarum ministerio; de quo *Actor.* VI, et I *Tim.* V.

VIDUUS. I, 1204 B, *Sed viduis aquis sibi mentiuntur.* Viduis scilicet angelo ac Spiritu sancto, ideoque sterilibus. At nostris aquis supervenit Spiritus de cœlis, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ, vim sanctificandi concipiunt: quare et pariunt, nempe Christianos homines vitæ æternæ.

VIGORARE. II, 984 A, *Effœminantia magis quam vigorantia disciplinam.*

VILLICUS, proprie qui villæ gubernationi præest, οἰκονόμος. II, 40 B, *Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius.* Notat Paulum.

VILLUS, est lana. II, 913 A, *Aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt.*

VINDICARE. I, 889 A, *Et ita adversus veritatem vindicatur*, i. e. asseritur, significatione forensi.

VIRGILIÆ, seu potius Vergiliæ, septem stellæ in signo Tauri, inde dictæ, quod vel oriuntur in vere circa æquinoctium, vel quod verni temporis ortu suo significationem habeant, quemadmodum Servius annotavit in lib. I *Georg.*; Cic. *de Nat. Deor.* lib. II, cap. 44, II, 772 A.

VIRGINARI. II, 907 A, *Sed virginari volunt*, i. e. virgines haberi volunt.

VIRGO. I, 413 A, *Virgo continentia*, per quam semper manent virgines. I, 413 A, *Virgo cælestis* est Juno. II, 549 A, *Virginis senectæ*, i. e. qui cælebs permansit usque ad senectutem. II, 960 B, *In virgine adhuc saliva*, i. e. cum saliva nostra adhuc a cibo et potu intacta, jejuni sumus. II, 782 A, *Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa*, etc.

VIRIÆ, armillæ quas fœminæ in brachiis gestabant. II, 1042 B, *Vestigia cæstuum virilis occupavit*, i. e. loco cæstuum armillas induit brachiis. Turneb. vult: *Vestigia cæstuum viria occupavit.*

VIRILIS. II, 542 A, *Simulacrum membri virilis revelatur.* Jun. legendum putat, *membri viralis*, ut sit a *vira*, i. e. fœmina, dictum *viralis*, sicut *virilis* a *viro.* Nam membrum *virile* fuit Orgiorum, sacrorum Bacchi: *virale* vero sive muliebre, Eleusiniorum, sacrorum Cereris.

VIRIOSUS. II, 570 A, *Et usu viriosa confudit*, i. e. magnarum virium, ἰσχυρὸς, δύνατος. II, 681 B, *Et quidem viriosius amplexabitur.*

VIRTUS, donum miraculosum. I, 378 B, *Voces eorum itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant*, de prophetis. II, 41 A, *Tot virtutes*, ut græc. δύναμις. II, 619 B, *Orientis virtutem, id est vires.*

VIS. I, 275 A, 276 A, *Ne qua vis lateat in occulto*, intelligitur de diabolo.

VISCERATIO, distributio erat carnis, quæ fieri solebat vel in solemni sacrificio, vel in funere excellentis alicujus personæ. I, 644 A, *Quasi visceratione quadam fruentur*, II, 331 B.

VISUALITAS. II, 699 B, *Et nos enim opponemus contrarietates nati et innati, visualitatis et cæcitatis.*

VITIUM. II, 1034 A, *Novum vitii nari imbuit*, i. e. novum vitium. Jun. mavult *nomen vitii.* Charybdim significat, quod *Vitium* Tert. vocat, quoniam sine periculo præternavigare non licet. I, 47 A, *Et unius æonis vitium*: pridem cap. 7. appellavit ἔκτρωμα, abortum.

VITRUM. I, 626 B, *Si tanti vitrum, quanti margaritum*, proverb. ad significandam ingentem rerum inæqualitatem et distantiam. Hieronym. ad Lætam, 7: *Si tanti vitrum, quare non majoris pretii margaritum.*

VIVICOMBURIUM. II, 648 A, *Sed de patibulo et vivi-*

Uncula. II, 970 B, *Et contra ungulas corneas.* Inter tormenta erant ungulæ, ac primum quidem, ut ex vocabulo conjicere est, de ipsis bestiis decisæ, dein ad earum formam ferreæ, iis latera miscrorum derudebant, vel, ut dixere quidam, scribebant, charaxabant. Ait igitur Septimius cutem jejuniis aridam et corneam adversus hujusmodi tormenta constantiorem fore.

Uniformis. II, 661 B, *Uniformem dumtaxat substantiæ nomine*, i. e. una forma essentiali, ac non pluribus præditam; quod Plato in *Timæo* docet. Hanc postea *substantiam naturalem* vocat.

Unitas. II, 57 C, 58 A, *Schisma est unitas ipsa*, i. e. præ se ferunt unitatis speciem diligentissime, sive, sunt quidem apud hæreticos schismata, sed ea minus advertimus, ob communem et concordissimam nobiscum discordiam.

Universitas, πλήρωμα. II, 625 C, *Neque enim ulli hominum universitas spiritalium documentorum competat.* Mundus: II, 258 B, *Denique si universitas Creatoris est.*

Urbanitas. I, 404 A, *Urbanitate deceptos* vocat, quos institutionibus pravis circumscriptos, cap. 17, scholis formatam, bibliothecis exercitam, academiis et porticibus partam sapientiam, ructantem animam, *de Anim. Testim.* cap. 1.

Usurpare. I, 1257 B, *Facile usurpari ab impatientia cœpit in omne quod Deum offenderat.* Usurpant proprie, ad quos jus possessionis spectat. Sic impatientia jam velut possidens hominem, facile eum ad quidvis traxit, quod Deum offenderet.

Usurpatio. II, 750 B, *In quadam usurpatione*, i. e. pœnarum judicialium in antecessum inflictione et anticipatione.

Usus. II, 564 B, *Usus est rerum*, pro eo quod est, *solet, usu venit.* Hellenism. χρῆται ἔστι.

Ut. II, 185 A, *Ut sic duos divisos diceremus*, i. e. etiamsi diceremus duos esse. II, 195 A, *Ut quid me dereliquisti.* Græc. ἵνα τί; formula Optato Afro frequentissima.

Utensilitas. I, 1309 B, *Quorum ita disposita est utensilitas.*

Uthinensis, episcopus Uthinæ, quæ urbs Africæ fuit colonia Romanorum. Non agnoscebat autem, ut videtur, novam Montani prophetiam. II, 947 C, *Scilicet ille vester Uthinensis.*

Utilis, qui in usu est. II, 1059 B, *Pars vero passivitus omnibus utiles, ut hoc pallium.*

V

Vacare. II, 1030 C, *Cum ita vacat ac juvat*, i. e. dum licet et libet. II, 1041 A, *Vacuerat* pro vacaverat. Abesse: II, 1047 A, *Vacat Zonæ tormentum.* I, 276 A, *Et si confessione præveniantur, vacabunt*, i. e. cessabunt, non adhibebuntur amplius, scil. tormenta. II, 226 A, *Sed vacet hoc exemplum ut humanum.* II, 229 A, *Ex rebus consistentibus fiant necesse est, non ex vacantibus.* I, 580 A, *Ne notitia vacaret*, i. e. ut ipsi intelligerent sacra volumina. II, 22 B, *Vacabat erga nos*, i. e. vacua, otiosa et inutilis erat. II, 968 B, *Qui hæc velut vacantia infirmant*, i. e. tanquam inutilia et pretii nullius. II, 256 B, *De noto vacat quæstio.* II, 479 A, *Ideo utraque in Christo vacabat.* II, 815 B, *Licet ab exemplo vacet diversitas rerum*, i. e. licet exemplum sit dissimillimum, et nulla ex parte cum hoc comparandum. II, 760 B, *Quia ut phantasma vacabat ad sensum earum*, i. e. carebat earum sensu.

Vacuus. II, 654 B, *Unde vacuæ rei solida propellere*, i. e. animæ, si incorporalis et vacua est ad Tertulliani sensum.

Valentia, ἰσχύς. II, 258 A, *Valentia facientis terram.* II, 619 B, *Et congregabit omnem valentiam populorum.*

Vanitas. I, 1246 A, *Et oris dejejunio vanitate.* Etenim de jejunio nativus oris et formæ vigor evanescit. Alludit ad illud Matth. VI, 16: *Vultu incedunt evanido.*

Vanitimum, vox est antiqua, a vano dicta, pro eo quod est ad vanitatem pertinens et in ea situm. Sic æditimus, maritimus, medioximus, finitimus. II, 224 C, *n.* (12).

Variare. II, 1031 A, *Sæcularium rerum variavit urna*, i. e. rerum vices mutatæ sunt. II, 558 A, *Quia de patris sexu ita variant*, i. e. ita plane sexu variant ut pater.

Varietas. II, 610 C, *Etiam Getulorum varietates*, pro eo quod est, varii Getuli; Pomp. Mela *de situ Orb.* lib. I, cap. 4, *Natio frequens multiplexque Getuli.*

Vectaculum. I, 1202 A, *Dignum vectaculum Deo subjiciebat.* Alii *vectabulum;* et melius fortasse, ex Gellii N. A. lib. XX, cap. 1; et Non. Marcell. IV, 321: *Deficientis vectaculi nomine.*

Vectari. II, 670 A, *Asclepiades etiam illa argumentatione vectatur.* II, 1002 A, *Vectante vos Spiritu sancto.* Irenæus, *Ambulantes in Spiritu sancto;* et vetusta Actor. exempla, φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

Vectigal. I, 381 A, *Vectigalis libertas vulgo aditur*, i. e. libertas, quam Judæi vectigali redimunt, seu pensitatione annua, ut libere in synagogas suas et cultum suum convenire possint.

Vedius Pollio. Fregerat unus ex servis crystallinum; rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte; murænis objici jubebatur, quas ingentes in piscina continebat. Senec. *de Ira* lib. III, cap. 40; Plin. H. N. lib. IX, cap. 25; II, 1048 B.

Velificare, vela dare vel facere. II, 122 A, *Austro et Africo sævitia velificat*, i. e. scorpiones dirum Africæ malum (ut Plin. vocat lib. V H. N. cap. 7): hoc igitur malum Africæ volucre etiam Austri faciunt, inquit Plin. lib. XI; id autem est, ut docet Tertull. *flante Austro et Africo.*

Vendere. I, 508 A, *Vendere facinora*, est accepto pretio celare.

Venditari, venalem esse, haberi. I, 512 A, 515 A, *Plato Dionysio ventris gratia venditatur.*

Venter. II, 908 B, *Ventres tegere coguntur infirmitatis ruina.* Ventres dicit, ut solent auctores juris, uteros admisso viro gravidatos. Itaque ventres tegere, hoc est, graviditates dissimulare. I, 1274 A, *Ventris operarios*, i. e. parasitos.

Ventilare. II, 1044 B, *Sericum ventilat*, i. e. laxa fluxaque veste serica ventum concipit, atque undante serico incedit. II, 82 B, *Odoratum in naribus ventilavit.*

Ventus. II, 123 A, *Plerosque vero in ventum, si placuerit Christianos, in ventum*, h. e. vento ferente, vento secundo, prout occasio dederit, suaserit. *Si placuerit*, nimirum Cæsari, proconsuli, præsidi, etc.

Veritas. II, 295 A, *Imago veritati non usquequaque adæquabitur.* II, 795 B, *Aut nullius veritatis contendentes eam*, i. e. contendentes non veram fuisse carnem Christi. I, 1264 B, *Penes veritatem*, i. e. penes Christum.

Vernaculus. I, 588 A, Josephus dicitur *vernaculus scriptor*, quoniam, ipse Judæus, Judæorum origines et bella cum Romanis, græce licet, descripsit. I, 421 A, genus Trojanum *Cybeles vernaculum* vocatur. I, 651 A, *Ipsamque vernaculam septem collium plebem.* I, 1311 B, *Apud barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum.* II, 737 B, *Scio fœminam quamdam vernaculam Ecclesiæ*, i. e. christianam.

Verruca. I, 1341 A, *Quam conchæ illius aliqua dura et rotunda verruca.* Margaritas conchæ *verrucas* vocat, quia sani concharum partus multiplici cute constant, ut non impropric callum corporis existimari possit, ideoque purgari soleant a peritis. Ita enim in ipsa ostrei carne nascuntur, quemadmodum grando solet in suilla. Vid. Athenæum, lib. III, cap. 8, et Plin.

Versura. Versuram facere et solvere, est recepta ab alio pecunia alii reddere, quod ei debebatur. II, 1035 A, Est τὸ ἀντίστροφον vel ἡ ἀντιστροφή; alii, *versuram compensato reddit.*

Vertere. II, 906 B, *Vertunt capillum*, non idem

significare videtur, ac crines intorquere. Monent verba, I, 1322 A, *Video quosdam et capillum croco vertere*, hæc de mutatis tinctisque crinibus intelligere apud veteres. Herodian. *de Antonino*, Κόμάς τε τῇ χειρὶ ἐπετίθετο ξάνθας, et apud Clement. Alexandr. Τρίχας ξάνθας ποιοῦν. Capitolinus in Vero: *Dicitur sane tantam habuisse curam flaventium capillorum.* Ea fuit flaventis capillitii affectatio, ut Lætam admoneat Hieronym.: *Ne capillum irrufes.* II, 705 B, *Vertit autem status animarum*, intransitiva significatione.

VERTEX. I, 262 A, *Vertex civitatis* est Capitolium.

VERTIGINARE, II, 1037 B, quid sit, intelligi potest ex Aristotelis verbis de chamæleonte: Στρέφει δὲ τὸν ὀφθαλμὸν κυκλῷ, καὶ τὴν ὄψιν ἐπὶ πάντας τοὺς τόπους μεταβάλλει.

VESICA. I, 521 A, *Illic vesica quæritur.* Haverc. *Statim illic vesica queritur*, i. e. quasi ventis distenditur, cruciaturque pectus illorum vehementissime. Haverc ampio proverbium videtur, desumptum a puerulis qui mingendi necessitatem ultra ferre non possunt, vesica lotio impleta, adeoque sæpe virgam metuentes exclamant. Sic illi, audita Christianorum oratione de resurrectione mortuorum, statim egrediuntur auditorio, quasi mingendi necessitas urgeret.

VESPERUGO, vespertilio. II, 703 B.

VESTICEPS. II, 746 B, *Puer vesticeps.*

VESTIFICINA, locus ubi vestes conficiebantur. II, 1039 A. Sed Rhenan. interpretatur: *vestiarii* seu *sartores.*

VESTIRE. II, 1031 A, *Sic et in proximo soror civitas vestiebat.* II, 1031 B, *Et si quid præterea conditio, vel dignitas vel temporalitas vestit*, dicitur ἀμπεχόντος. Turneb. vult, *vertit*; Jun. *gestit* i. e. ὀρέγεται. II, 50 A, dicitur de baptismo, *sancto Spiritu vestit.*

VESTITUS. II, 716 A, *Ab his autem annis et suffusior et vestitior sexus est*, vestitior pilo, qui adnascitur corpori. Vid. INVESTIS.

VETERNUS, est morbus nascens ex humoribus frigidis, cerebrum infestantibus, et rationem tollens, vulgo lethargus. II, 1048 A, *Nullis veternis parco.* Metaph. pro *vitiis.*

VETUSTAS. II, 1022 A, *Si vero post abolitionem in vetustatem aliquid ex illa revixerit*, i. e. in veterem hominem, in ethnicum.

VIA. I, 634 B, 635 A, *Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum, et discrimina popularium per proclivum.* Vid. BALTEUS.

VIBRARE. I, 1196 B, *Ad cælum non otiosi ore suspiciunt vibrantes spiritu suo movere.* Locus corruptus, forte ita restituendus: *Ad cælum non otioso ore suspiciunt, vibrantes spiritum suo more*, id est: Mugitus boum, balatus ovium, voces ferarum et avium sunt preces erga omnium parentem, qui providet leonibus, rugitu suo prædam quærentibus, et alit pullos corvorum, qui illum compellant. *Vibrare spiritum* est fortiter emittere spiritum, uti faciunt animalia, quando clamant, et rumorem efficiunt. Prudentius dicit de Λόγῳ, *Apoth.* 49.

Hoc verbum est quod, vibratum patris ore benigno,
Sumpsit virgineo fragilem de corpore formam.

VICES. I, 499 A, *Vicem injuriæ sinere* est injuriam rependere. II, 437 C, *Qui humani totis istius vicem retribuere non possint.* II, 551 B, *Hac vice seminis.* Irenæus, κάθαπερ σπέρμα.

VICTORIATUS, II, 907 B, nummus Victoriæ imagine signatus, de quo Plin. H. N. lib. XXXIII, cap. 3. Valuit duos sestertios.

VIDERE. *Viderit habitus*, i. e. nihil refert habitus, nihil conducit ad rem, habeat se lignum hoc vel illo modo, signum crucis vel rudistipitis, dummodo lignum sit. II, 198 A, *Sed viderit persona*, i. e.: Quid moramur in persona, quid ad nos persona, *cum doctrina mihi quæstio est?* II, 555 A, *Viderit Solœcismus* II, 898 C, *Viderit sæculum æmulum Dei*, i. e. impium hoc sæculum et Deo obnitens, vel natura duce judicet.

VIDERI. I, 386 A, *In quo videtur*, i. e. conspicitur, cernitur, ne quis interpretetur, putatur. II, 608 B, *Nec si venietis videri mihi*, i. e. apparere.

VIDUARE. II, 955 A, *Cereris sacerdotes viventibus etiam viris et consentientibus amica separatione viduantur.* II, 680 B, *Qui vel modico temporis viduant animum intellectu.*

VIDUATUS. II, 902 A, *Plane scio, alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatum, ἐν χηρείᾳ*, i. e. in sacro viduarum ministerio; de quo *Actor.* VI, et I *Tim.* V.

VIDUUS. I, 1204 B, *Sed viduis aquis sibi mentiuntur.* Viduis scilicet angelo ac Spiritu sancto, ideoque sterilibus. At nostris aquis supervenit Spiritus de cœlis, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ, vim sanctificandi concipiunt: quare et pariunt, nempe Christianos homines vitæ æternæ.

VIGORARE. II, 984 A, *Effœminantia magis quam vigorantia disciplinam.*

VILLICUS, proprie qui villæ gubernationi præest, οἰκονόμος. II, 40 B, *Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius.* Notat Paulum.

VILLUS, est lana. II, 913 A, *Aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt.*

VINDICARE. I, 889 A, *Et ita adversus veritatem vindicatur*, i. e. asseritur, significatione forensi.

VIRGILIÆ, seu potius Vergiliæ, septem stellæ in signo Tauri, inde dictæ, quod vel oriuntur in vere circa æquinoctium, vel quod verni temporis ortu suo significationem habeant, quemadmodum Servius annotavit in lib. I *Georg.*; Cic. *de Nat. Deor.* lib. II, cap. 44, II, 772 A.

VIRGINARI. II, 907 A, *Sed virginari volunt*, i. e. virgines haberi volunt.

VIRGO. I, 413 A, *Virgo continentia*, per quam semper manent virgines. I, 413 A, *Virgo cœlestis* est Juno. II, 519 A, *Virginis senectæ*, i. e. qui cælebs permansit usque ad senectutem. II, 960 B, *In virgine adhuc saliva*, i. e. cum saliva nostra adhuc a cibo et potu intacta, jejuni sumus. II, 782 A, *Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa*, etc.

VIRIÆ, armillæ quas fœminæ in brachiis gestabant. II, 1042 B, *Vestigia cæstuum virilis occupavit*, i. e. loco cæstuum armillas induit brachiis. Turneb. vult: *Vestigia cæstuum viria occupavit.*

VIRILIS. II, 542 A, *Simulacrum membri virilis revelatur.* Jun. legendum putat, *membri viralis*, ut sit a *vira*, i. e. fœmina, dictum *viralis*, sicut *virilis* a *viro.* Nam membrum *virile* fuit Orgiorum, sacrorum Bacchi: *virale* vero sive muliebre, Eleusiniorum, sacrorum Cereris.

VIRIOSUS. II, 570 A, *Et usu viriosa confudit*, i. e. magnarum virium, ἰσχυρός, δύνατος. II, 681 B, *Et quidem viriosius amplexabitur.*

VIRTUS, donum miraculosum. I, 378 B, *Voces eorum itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant*, de prophetis. II, 41 A, *Tot virtutes*, ut græc. δυνάμεις. II, 619 B, *Orientis virtutem, id est vires.*

VIS. I, 275 A, 276 A, *Ne qua vis lateat in occulto*, intelligitur de diabolo.

VISCERATIO, distributio erat carnis, quæ fieri solebat vel in solemni sacrificio, vel in funere excellentis alicujus personæ. I, 641 A, *Quasi visceratione quadam fruentur*, II, 331 B.

VISUALITAS. II, 699 B, *Et nos enim opponemus contrarietates nati et innati, visualitatis et cæcitatis.*

VITIUM. II, 1034 A, *Novum vitii mari imbuit*, i. e. novum vitium. Jun. mavult *nomen vitii.* Charybdim significat, quod *Vitium* Tert. vocat, quoniam sine periculo præternavigare non licet. I, 47 A, *Et unius æonis vitium*: pridem cap. 7. appellavit ἔκτρωμα, abortum.

VITRUM. I, 626 B, *Si tanti vitrum, quanti margaritum*, proverb. ad significandam ingentem rerum inæqualitatem et distantiam. Hieronym. ad Lætam, 7: *Si tanti vitrum, quare non majoris pretii margaritum.*

VIVICOMBURIUM. II, 648 A, *Sed de patibulo et vivi-*

comburio per omne ingenium crudelitatis exhauriat. II, 706 C, *Patibula, vivicomburia.*

Vocatus. II, 220 A, *Pariter et a vocatu ejus recedit appellationis.*

Volatica. II, 1050 A, *Qui volaticam spectat.* Nonnulli interpretantur de geometria, a *vola*, qua dimetiuntur geometræ omnia. Salmasius *de haruspicio.*

Volaticus. I, 1281 A, *Temporalia et volatica desideria.* II, 1247 A, *Idque totum propter unius anni volaticum gaudium.*

Volsella, instrumentum ad pilos evellendos. II, 1040 A, *Tam furax a mento volsella.*

Voluntas. I, 1285 A, *Ad sustinendam novissime voluntatem Dei*, i. e. judicium accipiendum in die ultimo.

Volutare. I, 1302 B, *Simul orant, simul volutantur:* sic lib. III adv. Marc.: *Manibus cædentibus pectus, et facie humi volutante orationem commendare.*

Voratrina. I, 470 A, *Nec ingratis voratrinis*, sunt helluones, perditi, gurgites et voragines æris elecmosynarii, qui in Deum et Ecclesiam et fratres singulos beneficos æque ac alios ingrati sunt.

Votivus. I, 515 A, *Votivis crucibus exposuit.* Haverc. ita explicat, Tiberium ex votivis arboribus votivas fecisse cruces, in quibus scelerati isti sacerdotes pulchre pendebant, tanquam anathemata ex voto. Junius hanc appellationem derivat a votis salutaribus, quæ Augustus fecerit. Vid. Sueton. Aug., cap. 97.

Vulnerare. I, 1252 A, *Patientia Domini in Malcho vulnerata est.*

Vulsinii, Hetruscorum opulentissimi quondam populi, quorum civitas tota fulmine concremata est, II, 1034 B.

X

Xerophagia, ξηροφαγία, aridorum esus. II, 955 A, *Quo etiam xerophagias observemus.* II, 960 A, *Et illis xerophagia panis angelici displicebat.*

Xystarches, xysti, sive stadii athletici præses, qui omnia quæ sunt opus certaturis suppeditat. I, 624 B, *Xystarches Spiritus sanctus.*

Xysticus, athletarum proprius. II, 1040 A. *Xysticæ munditiæ.* Nam athletæ et palestritæ exercebantur in xystis et porticibus nudi; ideoque summa illis fuit cura corporis et munditiarum. II, 995 B, *Et xysticæ vanitates.*

Z

Zona. II, 519 B, *Maceria quadam igneæ illius zonæ*, igneam zonam appellat æthera.

MONITUM.

Haud esse omittendum hunc veterem Tertullianeæ bibliothecæ Catalogum eo præcipuo nomine duximus, quod a primis Septimii recensionibus editus, atque a Cl. viro Jac. Pamelio digestus, inde integer in recentiores Rigaltii et Priorii editiones transierit. Quam ergo prævio Pamelii opere, Vita nempe Tertulliani, inchoavimus editionem, hanc ejusdem indice claudere juvat; nec ultimam istam appendiculam ullo additamento renovandam curavimus, etsi haud ita sit omni puncto absoluta: identidem enim desunt plurium quos appellat Tertullianus auctorum nomina; pauca vero bis fortasse excitantur aut redundant; ut ut sit, qualem exhibuerint primi editores, eum a nobis velimus accipias hunc ultimum indicem. Locus enim jam non datur, quo prodeat, ut in cæteris editionibus, duplex Scripturæ sacræ et rerum memorabilium index; quorum prior remittitur ad *Apparatum generalem* universæ huic Patristicæ Bibliothecæ subjiciendum, posterior vero proxime in calcem tertii voluminis succedet, et summa duorum primorum voluminum capita quam accurate recensebit.

Edd.

INDEX
VETERUM SCRIPTORUM
QUORUM MENTIO IN SCRIPTIS TERTULLIANI.

SACRORUM.

Amos citatur frequenter; de quo vide indicem Scripturarum.

Arithmi, sive numeri, II, 429 A, 418 B, 451 C.

Barnabæ titulo citatur Epistola ad Hebræos, quam apud Ecclesias receptam pronuntiat, II, 1021 A.

Baruch citatur Hieremiæ nomine, II, 137 B.

Basiliarum, id est Regum, libri quatuor, II, 350 B, 586 B, 410 A. Qui etiam *Regum Annales* vocantur, II, 429 C.

Critarum, seu Judicum Annales, II, 429 B.

Danielis hebdomadæ, II, 612, 614.

Enoch libri verba citantur, I, 665 C, 666 A, 2507 A. In armarium Judaicum non admittuntur, ibid. utrobique apud Judam Apostolum testimonium possident, ibid. utrobique. I, 1328 B.

Esdras omne instrumentum Judaicæ literaturæ restauravit. I, 1507 A. Quædam etiam ex quarto libro Esdræ citantur, II, 15 A, 395 A.

Ezechiel citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Hermas, cujus scriptura *Pastor* inscribitur, I, 1172 G. Ab omni concilio Ecclesiarum inter apocrypha et falsa judicatur, II, 1000 B, 1021 A.

Hieremiæ olim adscriptum quidquid hodie libro Baruch continetur, II, 137 B.

Isaias citatur frequenter.

Jacobus. II, 600 B, 922 B.

Joannis Apocalypsis, et Epistola prima et secunda ejusdem auctoris. II, 1020 A. Ejus Evangelium ante Marcionem editum. II, 767 B. Joanni apostolo tribuitur Apocalypsis. Ut Apostolus Evangelio suo fidem nobis insinuat. II, 363 C. Et si Apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus, in Joannem stabit auctorem, II, 112 A, 147 A B, 366 C, sqq.

Jos citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Joel citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Jonas citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Judas. Vide Indicem Scripturarum.

Judith ex libro quædam citantur, II, 253 C, 952 B.

Lucæ, sectatoris apostoli Pauli, ex Apostolicis, Acta Apostolorum, scriptura authentica. II, 34 C, 35 B, ejusdem Evangelii digestum. II. 363 sqq., quod et Paulo adscribere solent. II, 366 C. Auctorum apostolicorum scripturam confirmat Paulus Epistola ad Galatas, quæ proinde male respuuntur a Marcione.

Macharæorum libri citantur a Tertulliano, II, 26 B, 606 C.

Malachias citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Marcus. Apostolicus, Evangelio suo fidem nobis instaurat, II, 363 sqq., 366 C. licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus.

Matthæus, fidelissimus Evangelii commentator, ut comes Domini, II, 788 790, ut apostolus fidem nobis facit, II, 363 sq.

Michæas citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Moyses, auctor Judaici Instrumenti, argivo Inacho par ætate, trecentis pene annis Danaum prævenit, mille circiter cladem Priami antecedit, quingentis amplius et Homerum. Ejus originale instrumentum Genesis, I, 382, 386 A; antiquior Saturno nongentis circiter annis, II, 697 A; Pentateuchi auctor, II, 257 B; ante Lycurgos et Solonas omnes, II, 305 A.

Nahum citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Osee citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Pauli Epistolis plurimum uti hæreticos ad quæstiones adnotavit Tertullianus, II, 35 A, B; ejus Apocalypsis improbatur, *ibid.* et 37 A; item ejus et *Theclæ Actus* sive *Periodi*, I, 1219 A; ejus Epistolas de numero mutilavit Marcion, II, 470 C; utpote omissis Epistolis ad Timotheum et ad Titum, qui et alias ejus Epistolas sententiis mutilavit, II, 471 A; quarum ea quæ ad Galatas est, principalis est adversus Judaismum Epistola, *ibid.*; quam nos ad Ephesios præscriptam habemus, hæretici ad Laodicenos, II, 500 B, 512 B, maxime de vinculis scripta sunt, II, 111 C.

Petrus. Epistola ad Ponticos, quam *primam* hodie vocamus, II, 146 B, et alibi frequenter.

Salomonis nomine citatur, præter Proverbia, Ecclesiasten et Cantica Canticorum, etiam liber Sapientiæ, II, 20 B; item Ecclesiasticus, II, 263 A, 950 C.

Septuaginta et duo Interpretes jussu Ptolemæi Philadelphi Hebræarum literarum Instrumentum Judaicum in Græcum stylum transtulerunt; quorum sententiæ communionem suspexit Menedemus philosophus; affirmavit hæc Aristæas, I, 378, 379. Quorum translatio apud Seraparum Ptolemæi bibliothecæ cum ipsis hebraicis literis exhibetur. *Ibid.*

Sophonias citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

Symmachi editionem aliquando sequitur Tertullian. II, 403, 404.

Zacharias citatur frequenter; de quo vide Indicem Scripturarum.

ECCLESIASTICORUM.

Apologeticorum adversus Gentes scriptores, I, 609 A.

Irenæum Tertull. adlegat II, 548 A; ad verbum imitatur lib. *adv Valent.* II, 539, 551 sqq, et deinceps pleraque ejus verba describit usque ad libri finem *adv. Valent.* II, 593 sqq.

Justini, Martyris, Apologias adv. Gentes imitatur per omnia Tertullian. in *Apologetico* II, 548 A. Philosophum etiam vocat, adludens ad librum ejus *contra omnes Gentes*, Ibid.

Miltiades, Ecclesiarum Sophista, II, 548 A.

Proculus, adhuc Catholicus, *adv. Valent.*, quem vocat Christianæ eloquentiæ dignitatem, II, 549 A.

HÆRETICORUM.

Æschines, II, 72 A, B.

Alexander, Valentinianus, II, 779, 780.

Apelles, qui *Phaneroseis* conscripsit, II, 18 C, 24 B, 42 B, sqq. 46 A, 47 A, 51 A, 68 B, 686 B, 712 B, 765 B.

Apellæiaci, II, 766 A.

Axionicus, II, 547 A.

Basilides, II. 62 A, 796 B.

Blastus, II, 72 B.

Cajani, II, 46 B, 1198.

Cainæi, II, 65 A.

Carpocrates, II, 66 A, 686 B.

Cataphrygas, II, 72 A.

Cerdon, II, 70 B, 351 A.

Cerinthus, II, 67 A.

Colarbasus, II, 70 A.

Dositæus, Samaritanus, II, 61 A.

Hebion, II, 24 B. 46 A, 67 A, 778 B.

Heracleon, II, 69 C.

Hermogenes, Africanus, II, 46 B, 43 B, 46 A, 828 B.

Hermogenes, Apostolicus, II, 13 A, 106 A, 198 A, 211 C.

Herodiani, II, 64 A.

Hymenæus, II, 13 B.

Lucanus, II, 71 A, 798 A.

Marcion, II, 19 A, 24 A. 42 A, 43 A, 51 A, 52 B, 58 A, 71 A, B, 755 B, 759 A, sqq.; *in quadam Epistola*, II, 247 B; *in Epistolis* II, 267 C. sqq.; in *Antithesibus* II, 382 C, D; in libro *Apostolico*, II, 345 B. 361 A, sqq.; in Evangelio, II, 361 A, sqq.; in Antithesibus ex *Evangelio*, ex libro *Apostolico*, II, 468 D, sqq.

Marcus, II, 70 A. Magus, II, 546 B.

Menander, II, 61 B, Magus Samaritanus, II, 734 B, 735 A.

Monarchiani, II, 464 D.

Montanus, II, 72 A.

Nicolaitæ. II, 46 B, 63 B, sqq.

Nicolaus, II, 63 A.

Nigidius, II, 43 B.

Ophitæ, II, 63 B.

Pharisæi, II, 61 A, 64 A.

Philetus, II, 13 B.

Phygellus, II, 15 B, 106 A, 828 B.

Praxeas, II, 74 A, 155 B, sqq.

Proclus, seu Proculus, II, 72 A.

Prodicus, II, 152 B, 159 A.

Ptolomæus, II, 69 B, 554 A. In Miscellanea, II, 562 B.

Quintilla, I, 1197 B.

Sadducæi, II, 46 A, 61 A, 754 A, 796 A, 850 A.

Saturninus. II, 61 C, 686 A.

Secundus, II, 69 B, 546 B.

Settboitæ, II, 65 B.

Simon, Magus, II, 61 B, 708 B.

Tatianus, II, 72 A.

Theodotus, Byzantius, II, 72 B.

Theodotus, Coriarius, II, 72 B.

Theotimus, 546 B.

Valentinus, II, 19 A, 42 A, 54 B, 67 B, 538 B, sqq.

Ejus libri Sophia, II, 19 A, 24 A, 51 A, 52 A, 58 A, A
69 B, C. Evangelium, 538-596 B, 754 C, 779 A, sqq.
Valentiniani, II, 558 B, sqq. Eorum Commentarii, II, 881 C.
Victorinus, II, 74 A.

EORUM QUI DE DEO ET DEIS SCRIPSERUNT, EOQUE PERTINENTIBUS.

Antiphon, de Somniis, II, 729 A.
Artemon, de Somniis, II, 729 A.
Callimachus, de Coronis, II, 85 A.
Claudius Saturninus : de Coronis liber, origines, caussas, species et solemnitates earum edisserens, II, 86 A, sqq.
Cratippus, de somniis, II, 729 A.
Diodorus, II, 85 A.
Dionysius, rhodius, de somniis, II, 729 A.
Epicharmus, de somniis, II, 750 A.
Harpocration, II, 85 B.
Hermateles, sive Termateles, de Circensibus ludis, B
I, 649 A.
Hermippus, beritensis, omnem historiam somniorum cum suis originibus, ritibus et relatoribus quinione voluminum satiatissime exhibuit, II, 729 A, 730 A.
Histrionum literæ, I, 351 A.
Leo, ægyptius, de Coronis, II, 86 A.
Musæus, I, 403 B, II, 649 B.
Nicander, de Oraculis, II, 749 B.
Numa Pompilius, I, 404 A, II, 55 A.
Pherecides, de Saturno, II, 86 A, 698 B.
Philochorus, atheniensis, II, 730 A.
Pindarus, I, 352 A, II, 85 B.
Piso, de Ludis, I, 637 B.
Serapion, de Somniis, 30.
Strato, lampsacenus, II, 729 A.
Timæus, de Ludorum origine, I, 636 A.
Varro, romanus, cynicus, I, 365 A, 637 B.

MAGORUM.

Berenice, II, 747 B.
Damigeron, ibid.
Dardanus, ibid.
Nectabis, ibid.
Rostanes, ibid.
Typhon, ibid.

MEDICORUM, MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

Andreas, II, 670 B.
Apollodorus, II, 672 A.
Apollophanes, II, 668 B.
Archimedes, II, 669 A.
Asclepiades, II, 670 A, B.
Chrysippus, II, 653 C, 672 A.
Diocles, II, 670 B, 674 A.
Erasistratus, II, 670 B, 671 B, 692 A.
Harpocration, II, 85 A.
Herophilus, qui sexcentos exsecuit, ut naturam
scrutaretur, II, 662 A, 692 A. D
Hicesius, II, 691 A, 692 A.
Hippocrates, II, 670 B, 692 A.
Mercurius Trismegistus, magister omnium physicorum, II, 567 A, 697 A.
Nicander, lib. *de Venenatis bestiis*, II, 121 A.
Soranus, methodicæ medicinæ instructissimus auctor, plenissime super Anima commentatus, quatuor voluminibus, 670 B, 692 A, 724 C.
Strato, Physicus, II, 670 B, 671 B.

PHILOSOPHORUM.

Anaxarchus, pilo contusus, I, 552 A.
Ænessidemus, de Anima, II, 660 B, 669 A.
Albinus, platonicus, II, 697 A, 699 B.
Anacharsis, II, 265 A, 1045 B.
Anaxagoras, de Deo, II, 666 A, 667 A, 721 B.
Anaximander, II, 260 B, 1051 B.
Anaximenes, de Anima, II, 260 B, 660 B.
Apollophanes, de Anima, II, 668 B.
Aristodemus, II, 727 B.
Aristophon, ibid.
Aristoteles, in *Dialectica*, II, 20 A; *de Anima*, II, 651 A, 666 B, 667 A, 721 C, 727 A, 798 A; Alexandro adulatur, I, 512 A.
Arius, II, 742 A.
Callinicus, in *Orationibus*, I, 535 A.
Cebes in *Pinace*, de Anima, II, 55 A.
Chrysippus, de Divinatione, II, 653 C, de Anima, II, 668 B.
Cleantes, de Anima, I, 399 A, II, 653 B.
Cratippus, II, 729 A.
Critias, de Anima, II, 653 A.
Critolaus, atheniensis, de Anima, II, 652 C.
Critolaus, peripateticus, II, 652 C.
Democritus, de Anima, II, 667 A, 670 B; de Somno, II, 721 B.
Dicæarchus, messenius, de Anima libris tribus, B
II, 672 A, B.
Diogenes, cynicus, I, 510 A, de Morte, I, 535 A, II, 1015 B.
Empedocles, de Anima, I, 671 A, 674 A, 685 B; de Amicitia et inimicitia, II, 651 B, 653 A, de Somno, II, 702 B, 721 B, 795 C, 1013 B.
Epicharmus, II, 730 A, 732 A.
Epicurus, I, 517 A, II, 19 A, 1047 A; *de Vacuo et inani*, II, 551 A; *de Anima*, II, 651 C, 653 A, 672 A; in Epistola *ad Menœcæum*, II, 721 B; de Somnis, II, 72 A, 275 A, 301 C, 394, 795, 942.
Eubulus, de Anima, II, 652 C.
Heraclides, ponticus, de Anima, II, 660 B.
Heraclitus, *de Igneo Deo*, I, 518 A; lib. *de Natura*, II, 651 A, 653 A, 671 B.
Hipparchus, de Anima, II, 653 A.
Hippon, de Anima, II, 653 A.
Menedemus, Providentiæ vindex de editione, I, 380 A.
C
Mercurius, ægyptius, II, 649 A, 697 A; in *Asclepio*, II, 705 B.
Moschion, II, 671 B.
Nigidius, II, 43 B.
Panetius, de Anima, II, 668 B.
Parmenides. de Somno, II, 721 B.
Pherecides, Pythagoræ magister, II, 649 B, 698 B.
Phædo, II, 648 B.
Plato, I, 405 A, 416 B, 417 A. II, 1033 B; in *Timæo*, II, 481 A; in *Socrate*, II, 503 A, 509 A; in *Timæo*, Ibid.; in *Socrate*, Ibid.; in *Phædone*, II, 795 C; in *Phædro*, II, 648 A, B; in *Sophista*, II, 651 B; in *Phædro*, Hipparcho, Lachete, Protagora, Symposio, Alcibiade, Gorgia, Critone et Timæo, Ibid.; in *Phædro*, II, 659 A; in *Timæo*, II, 661 A, 666 A; in *Phædro*, II, 668 B; in *Timæo*, Ibid.; *de Republica*, II, 670. sqq.; in *Timæo et Phædone*, II, 673 A; in *Phædro*, II, 676 B; in *Theæteto*, Ibid.; in *Phædone*, Ibid.; in *Parmenide*, et *Timæo* de Idæis, Ibid. et II, 678 A; in *Timæo*. II, 683 B; in *Legibus*, Ibid.; in *Phædone*, II, 686 C; in *Timæo*, Ibid.; in *Phædone*, Ibid.; in *Philebo*, II, 688 A; in *Phædone*, Ibid.; in *Phædro*. Ibid.; in *Parmenide*, Ibid. et II, 695 A; in *Legibus*, Ibid. II, 697 A, 752 B, in *Phædone*, et de *Repub*. II, 741 B, in *Phædone* et in *Politia*, II, 736 A; in *Phædone*, II, 160 B, in *Phædro* et *Timæo*, Ibid.; in *Phædone*, Ibid. et II, 795-799.
Posidonius, de Anima, II, 668 B.
Protagoras, II, 672 A.
Pyrrhon, I, 535 A.
Pyrrhus, II, 798 A.
Pythagoras, I, 517 A, 521 A, Samius sophista, II, 697 A, 698 A, 741 B.
Socrates, I, 353, 534 A, 504 A; II, 796 A.
Strato, physicus. II. 671 B; de Somno, II, 260 B, 721 B.
Thales, de Anima, I, 508 B, II, 260 B.
Xenophanes, de Somno, II, 721 B.
Zenon, citticus, I, 398 A, 511 A; II, 260 B, 655 A.

HISTORICORUM.

Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum archiva, I, 587 A.
Alexander Polyhistor, II, 1038 B.
Appion, sive Apion, I, 387 B.
Aristeas de 70 Interpretibus, I, 380 A.
Berosus, chaldæus, I, 387 A.
Callisthenes, II, 728 A.
Cassius Severus, I, 330 A.
Charon, lampsacenus, Herodoto prior, II, 727 A.
Cornelius Nepos, I, 330 A.
Cornelius Tacitus, in *Commentariis*, I, 292 A, 364 A, B, in *Historia romana*, lib. V; mendaciorum loquacissimus, Ibid.
Ctesias, I, 325 A.
Demetrius Phalereus, bibliothecæ Ptolemæi præfectus, grammaticorum probatissimus, I, 379 A.
Diodorus Siculus, I, 329 A, 330 A, II, 85 A.
Ephorus, II, 728 A.
Euphorion, Ibid.
Fenestella, in *Annalibus*, II, 590 A.
Græcorum Annales, I, 387 A.
Heraclides, II, 728 A, 749 B.
Hermotimus, II, 698 A, 702 A, 724 B.
Herodotus, in Clio, in historiis, II, 733 B, in Melpomene, II, 749 B.
Iromus, Phœnix, Tyri rex, I, 387 A.
Josephum, in libris contra Apionem imitatur Tertullianus, Ibid.
Juba, rex, Ibid.
Manethon, ægyptius. Ibid.
Nestor, in *Cocalo*, II, 562 B.
Nymphodorus, II, 769 B.
P. Pilatus, Epistola *ad Tiberium*, I, 403 A.
Pisistratus, bibliothecarum studiosus, I, 379 A.
Plinii pleraque imitatur ex libris *Histor. natural.*
Plutarchum de Placitis Philosophorum imitatur Tertullianus plerisque locis.
Ptolemæus, Mendesius, I, 387 B.
Ptolemæus Philadelphus, eruditiss. studio bibliothecarum Pisistratum æmulatus, 70 Interpretibus, transferenda in linguam Græcam Biblia tradidit, I, 378 A, 379 A. Bibliotheca ejus apud Serapæum. Ibid.
Sallustius, II, 683 B.
Silenus, phryx, II, 220 B, 649 A, 1032 B.
Strabo, II, 728 A.
Suetonius Tranquillus. Eum imitatur Tertullianus, I, 637 B, in Nerone, II, 151, A, B, 725 A.
Thallus, I, 330 A, 387 B.
Trajani rescriptum ad Plinium, I, 273 A.
Vitellius, in *Commentariis*, II, 728 A.
Zeno, Eleates, I, 553 A.

ORATORUM, POETARUM ET GRAMMATICORUM.

Æsopus in *Fabulis*, II, 562 B.
Aratus, in *Phænomenis*, II, 142 A.
Cato senior, II, 1040 A.
Catulus, mimographus, in *Laureolo*, II, 565 A.
Cebetis Pinax, ex Virgilio, II, 53 A.
Cicero seu M. Tullius, II, 728 A, in *Tusculanis*, I, 535 A, de *Oratore*, II, 688 A.
Comicus incertus, II, 683 B, II, 1042 sqq.
Demetrius, Phalereus, grammaticorum probatissimus, I, 379 A.
Demosthenis græcus versiculus, II, 112 C.
Diogenes, comicus, I, 355 A.
Ennius, II, 550 A, 677 B, 707 A.
Epicharmus, comicus, II, 729 A.
Hesiodus, de Pandora, II, 54 C, 55 A, 562 B; poeticus *pastor* appellatus, Ibid.
Homerus, in *Odyss.* II, 708 B, 796 A; in *Iliad.* I, 387 A, II, 53 A, 550 A.
Homerocentones, II, 53 A.
Hostilius, comicus, I, 379 A.
Laberius, mimographus, I, 580 A, 521 B, II, 1031 A.
Lentulus, mimographus, in *Catiniensibus*, II, 1042 B et seq.
Lucretius, lib. I *de rerum Natura*, II, 653 C.
Macrobius, in *Somnium Scipionis*.
Menander, comicus, in *Fullonibus*, II, 734 C, 735 A.
Neoptolemus, Tragœdus, II, 729 H.
Novius, comicus, in *Fullonibus*, II, 734 C, 735 A.
Ovidius, Geta, in *Medæa*, tragœdia, ex Virgilio, in *Metamorphosibus*, II, 53 A.
Pacuvius, II, 1037 A.
Phosphorus, rhetor, II, 554 A.
Poeta incertus, in tragœdia *Cerberi*, II, 852 A.
Seneca, II, 343 A, in *Fortuitis*, I, 535 A, quem sæpe nostrum appellat, II, 724 A, 796 B.
Sophocles, tragicus, II, 729 A.
Theopompus, comicus, II, 220 B.
Virgilius, in *Æneide*, II, 1032.
Virgiliocentones, II, 53 A.

INDEX TOMI SECUNDI.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI OPERUM PARS SECUNDA, QUÆ LIBROS AB AUCTORE IN MONTANISMO SCRIPTOS CONTINET.

Præmittitur liber de Præscriptionibus adversus hæreticos. col. 10
Procemium. *Ibid.*
Argumentum partis prioris. 11
Propositio prima. Oportere et hæreses esse et plurimum valere, multumque in subvertendas animas prodesse. Cap. I-III. 12-15
Prop. II. Fugiendas esse hæreses, utpote dissensionibus et persecutionibus pejores. Cap. IV-V. 16-17
Prop. III. Hæresim esse electionem, et in quo fit electio, inde damnationem. Cap. VI. 18
Prop. IV. Cunctas hæreses ab alterutro fonte, sive secularis sapientiæ, sive prurientis curiositatis dimanare. Cap. VII-XII. 19-23
Prop. V. Integram servandam esse fidei regulam, nec in litem unquam esse discerpendam. Cap. XIII-XIV. 26-27
Argumentum partis posterioris. 28
Prima præscriptio. Hæreticos ad disputandum de Scriptura non esse audiendos. Cap. XV-XIX. 28-30
Præscr. II. Ab ipso Christo apostolos, ab apostolis Ecclesias sanam disciplinam posteris transferendam accepisse nec aliunde ullam esse accipiendam. Cap. XX-XXVI col. 31-39
Præscr. III. Ideo veram Ecclesiæ doctrinam, quia unam falsam vero hæreticorum, quia diversam. Cap. XXVIII. 40
Præscr. IV. Illud verum et divinum, quod prius traditum. Cap. XXIX-XXXI. 41-44
Præscr. V Firmum esse veræ Ecclesiæ testimonium continuam ab apostolis episcoporum successionem. Cap. XXXII. 44-45
Præscr. VI. Veram esse disciplinam nostram, quæ ab apostolis utique non damnatur, imo defenditur; falsam vero quamlibet aliam, utpote apostolis alienam vel incognitam. Cap. XXXIII-XXXV. 45-48
Præscr. VII. Ad inveniendam veritatem consulendas esse Ecclesias apostolicas ac præ omnibus felicem illam Ecclesiam, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine profuderunt. Cap. XXXVI-XXXVII. 48-51
Præscr. VIII. Jus nullum in sacras Scripturas hæreticis competere. Cap. XXXVIII-XL. col. 51-55
Præscr. IX. Nullam veritatem inesse cum perversa hæreticorum conversatione ubi vero metum in Deum, ibi

Ejus libri Sophia, II, 19 A, 24 A, 51 A, 52 A, 58 A, A
69 B, C. Evangelium, 538-596 B, 754 C, 779 A, sqq.
Valentiniani, II, 558 B, sqq. Eorum Commentarii, II, 881 C.
Victorinus, II, 74 A.

EORUM QUI DE DEO ET DEIS SCRIPSERUNT, EOQUE PERTINENTIBUS.

Antiphon, de Somniis, II, 729 A.
Artemon, de Somniis, II, 729 A.
Callimachus, de Coronis, II, 85 A.
Claudius Saturninus : de Coronis liber, origines, causas, species et solemnitates earum edisserens, II, 86 A, sqq.
Cratippus, de somniis, II, 729 A.
Diodorus, II, 85 A.
Dionysius, rhodius, de somniis, II, 729 A.
Epicharmus, de somniis, II, 730 A.
Harpocration, II, 85 B.
Hermateles, sive Termateles, de Circensibus ludis, B
I, 649 A.
Hermippus, beritensis, omnem historiam somniorum cum suis originibus, ritibus et relatoribus quinione voluminum satiatissime exhibuit, II, 729 A, 730 A.
Histrionum literæ, I, 351 A.
Leo, ægyptius, de Coronis, II, 86 A.
Musæus, I, 403 B, II, 649 B.
Nicander, de Oraculis, II, 749 B.
Numa Pompilius, I, 404 A, II, 53 A.
Pherecides, de Saturno, II, 86 A, 698 B.
Philochorus, atheniensis, II, 730 A.
Pindarus, I, 352 A, II, 85 B.
Piso, de Ludis, I, 637 B.
Serapion, de Somniis, 30.
Strato, lampsacenus, II, 729 A.
Timæus, de Ludorum origine, I, 636 A.
Varro, romanus, cynicus, I, 365 A, 637 B.

MAGORUM.

Berenice, II, 747 B.
Damigeron, ibid.
Dardanus, ibid.
Nectabis, ibid.
Rostanes, ibid.
Typhon, ibid.

MEDICORUM, MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

Andreas, II, 670 B.
Apollodorus, II, 672 A.
Apollophanes, II, 668 B.
Archimedes, II, 669 A.
Asclepiades, II, 670 A, B.
Chrysippus, II, 653 C, 672 A.
Diocles, II, 670 B, 674 A.
Erasistratus, II, 670 B, 671 B, 692 A.
Harpocration, II, 85 A.
Herophilus, qui sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur, II, 662 A, 692 A. D
Ilicesius, II, 691 A, 692 A.
Hippocrates, II, 670 B, 692 A.
Mercurius Trismegistus, magister omnium physicorum, II, 567 A, 697 A.
Nicander, lib. *de Venenatis bestiis*, II, 121 A.
Soranus, methodicæ medicinæ instructissimus auctor, plenissime super Anima commentatus, quatuor voluminibus, 670 B, 692 A, 724 C.
Strato, Physicus, II, 670 B, 671 B.

PHILOSOPHORUM.

Anaxarchus, pilo contusus, I, 532 A.
Ænessidemus, de Anima, II, 660 B, 669 A.
Albinus, platonicus, II, 697 A, 699 B.
Anacharsis, II, 265 A, 1045 B.
Anaxagoras, de Deo, II, 666 A, 667 A, 721 B.
Anaximander, II, 260 B, 1051 B.
Anaximenes, de Anima, II, 260 B, 660 B.
Apollophanes, de Anima, II, 668 B.
Aristodemus, II, 727 B.
Aristophon, ibid.
Aristoteles, in *Dialectica*, II, 20 A; *de Anima*, II, 651 A, 666 B, 667 A, 721 C, 727 A, 798 A; Alexandro adulatur, I, 512 A.
Arius, II, 742 A.
Callinicus, in *Orationibus*, I, 535 A.
Cebes in *Pinace*, de Anima, II, 53 A.
Chrysippus, de Divinatione, II, 653 C, de Anima, II, 668 B.
Cleantes, de Anima, I, 399 A, II, 653 B.
Cratippus, II, 729 A.
Critias, de Anima, II, 653 A.
Critolaus, atheniensis, de Anima, II, 652 C.
Critolaus, peripateticus, II, 652 C.
Democritus, de Anima, II, 667 A, 670 B; de Somno, II, 721 B.
Dicæarchus, messenius, de Anima libris tribus, B
II, 672 A, B.
Diogenes, cynicus, I, 510 A, de Morte, I, 535 A, II, 1015 B.
Empedocles, de Anima, I, 671 A, 674 A, 685 B; de Amicitia et inimicitia, II, 651 B, 653 A, de Somno, II, 702 B, 721 B, 795 C, 1013 B.
Epicharmus, II, 730 A, 732 A.
Epicurus, I, 517 A, II, 19 A, 1047 A; *de Vacuo et inani*, II, 551 A; *de Anima*, II, 651 C, 653 A, 672 A; in Epistola *ad Menœcæum*, II, 721 B; de Somnis, II, 72 A, 275 A, 301 C, 594, 795, 942.
Eubulus, de Anima, II, 652 C.
Heraclides, ponticus, de Anima, II, 660 B.
Heraclitus, *de Igneo Deo*, I, 518 A; lib. *de Natura*, II, 651 A, 653 A, 671 B.
Hipparchus, de Anima, II, 653 A.
Hippon, de Anima, II, 653 A.
Mexedemus, Providentiæ vindex de editione, I, 380 A.
C Mercurius, ægyptius, II, 649 A, 697 A; in *Asclepio*, II, 705 B.
Moschion, II, 671 B.
Nigidius, II, 43 B.
Panetius, de Anima, II, 668 B.
Parmenides, de Somno, II, 721 B.
Pherecides, Pythagoræ magister, II, 649 B, 698 B.
Phædo, II, 648 B.
Plato, I, 405 A, 416 B, 417 A, II, 1033 B; in *Timæo*, II, 481 A; in *Socrate*, II, 503 A, 509 A; in *Timæo*, Ibid.; in *Socrate*, Ibid.; in *Phædone*, II, 795 C; in *Phædro*, II, 648 A, B; in *Sophista*, II, 651 B; in *Phædro*, Hipparcho, Lachete, Protagora, Symposio, Alcibiade, Gorgia, Critone et Timæo, Ibid.; in *Phædro*, II, 659 A; in *Timæo*, II, 661 A, 666 A; in *Phædro*, II, 668 B; in *Timæo*, Ibid.; *de Republica*, II, 670. sqq.; in *Timæo et Phædone*, II, 673 A; in *Phædro*, II, 676 B; in *Theæteto*, Ibid.; in *Phædone*, Ibid.; in *Parmenide*, et *Timæo* de Idæis, Ibid. et II, 678 A; in *Timæo*, II, 683 B; in *Legibus*, Ibid.; in *Phædone*, II, 686 C; in *Timæo*, Ibid.; in *Phædone*, Ibid.; in *Philebo*, II, 688 A; in *Phædone*, Ibid.; in *Phædro*. Ibid.; in *Parmenide*, Ibid. et II, 693 A; in *Legibus*, Ibid. II, 697 A, 752 B, in *Phædone*, et de *Repub.* II, 741 B, in *Phædone* et in *Politia*, II, 736 A; in *Phædone*, II, 160 B, in *Phædro* et *Timæo*, Ibid.; in *Phædone*, Ibid. et II, 795-799.
Posidonius, de Anima, II, 608 B.
Protagoras, II, 672 A.
Pyrrhon, I, 535 A.
Pyrrhus, II, 798 A.
Pythagoras, I, 517 A, 521 A, Samius sophista, II, 697 A, 698 A, 741 B.
Socrates, I, 353, 534 A, 504 A; II, 796 A.
Strato, physicus. II. 671 B; de Somno, II, 260 B, 721 B.
Thales, de Anima, I, 506 B, II, 260 B.
Xenophanes, de Somno, II, 721 B.
Zenon, citticus, I, 398 A, 511 A; II, 260 B, 655 A.

HISTORICORUM.

Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum archiva, I, 587 A.
Alexander Polyhistor, II, 1038 B.
Appion, sive Apion, I, 587 B.
Aristeas de 70 Interpretibus, I, 380 A.
Berosus, chaldæus, I, 387 A.
Callisthenes, II, 728 A.
Cassius Severus, I, 330 A.
Charon, lampsacenus, Herodoto prior, II, 727 A.
Cornelius Nepos, I, 330 A.
Cornelius Tacitus, in *Commentariis*, I, 292 A, 364 A, B, in *Historia romana*, lib. V; mendaciorum loquacissimus, Ibid.
Ctesias, I, 325 A.
Demetrius Phalereus, bibliothecæ Ptolemæi præfectus, grammaticorum probatissimus, I, 379 A.
Diodorus Siculus, I, 329 A, 330 A, II, 85 A.
Ephorus, II, 728 A.
Euphorion, Ibid.
Fenestella, in *Annalibus*, II, 590 A.
Græcorum Annales, I, 387 A.
Heraclides, II, 728 A, 749 B.
Hermotimus, II, 698 A, 702 A, 724 B.
Herodotus, in Clio, in historiis, II, 733 B, in Melpomene, II, 749 B.
Ironus, Phœnix, Tyri rex, I, 387 A.
Josephum, in libris contra Apionem imitatur Tertullianus, Ibid.
Juba, rex, Ibid.
Manethon, ægyptius. Ibid.
Nestor, in *Cocalo*, II, 562 B.
Nymphodorus, II, 769 B.
P. Pilatus, Epistola *ad Tiberium*, I, 403 A.
Pisistratus, bibliothecarum studiosus, I, 379 A.
Plinii pleraque imitatur ex libris *Histor. natural.*
Plutarchum de Placitis Philosophorum imitatur Tertullianus plerisque locis.
Ptolemæus, Mendesius, I, 387 B.
Ptolemæus Philadelphus, eruditiss. studio bibliothecarum Pisistratum æmulatus, 70 Interpretibus, transferenda in linguam Græcam Biblia tradidit, I, 378 A, 379 A. Bibliotheca ejus apud Serapæum. Ibid.
Sallustius, II, 683 B.
Silenus, phryx, II, 220 B, 649 A, 1032 B.
Strabo, II, 728 A.
Suetonius Tranquillus. Eum imitatur Tertullianus, I, 637 B, in Nerone, II, 151, A, B, 725 A.
Thallus, I, 330 A, 387 B.
Trajani rescriptum ad Plinium, I, 275 A.
Vitellius, in *Commentariis*, II, 728 A.
Zeno, Eleates, I, 555 A.

ORATORUM, POETARUM ET GRAMMATICORUM.

Æsopus in *Fabulis*, II, 562 B.
Aratus, in *Phænomenis*, II, 142 A.
Cato senior, II, 1040 A.
Catulus, mimographus, in *Laureolo*, II, 565 A.
Cebetis Pinax, ex Virgilio, II, 53 A.
Cicero seu M. Tullius, II, 728 A, in *Tusculanis*, I, 535 A, de *Oratore*, II, 688 A.
Comicus incertus, II, 683 B, II, 1042 sqq.
Demetrius, Phalereus, grammaticorum probatissimus, I, 379 A.
Demosthenis græcus versiculus, II, 112 C.
Diogenes, comicus, I, 355 A.
Ennius, II, 550 A, 677 B, 707 A.
Epicharmus, comicus, II, 729 A.
Hesiodus, de Pandora, II, 54 C, 55 A, 562 B; poeticus *pastor* appellatus, Ibid.
Homerus, in *Odyss.* II, 708 B, 796 A; in *Iliad.* I, 387 A, II, 53 A, 550 A.
Homerocentones, II, 53 A.
Hostilius, comicus, I, 379 A.
Laberius, mimographus, I, 580 A, 521 B, II, 1031 A.
Lentulus, mimographus, in *Catiniensibus*, II, 1042 B et seq.
Lucretius, lib. I *de rerum Natura*, II, 653 C.
Macrobius, in *Somnium Scipionis*.
Menander, comicus, in *Fullonibus*, II, 734 C, 735 A.
Neoptolemus, Tragœdus, II, 729 H.
Novius, comicus, in *Fullonibus*, II, 734 C, 735 A.
Ovidius, Geta, in *Medæa*, tragœdia, ex Virgilio, in *Metamorphosibus*, II, 53 A.
Pacuvius, II, 1037 A.
Phosphorus, rhetor, II, 554 A.
Poeta incertus, in tragœdia *Cerberi*, II, 852 A.
Seneca, II, 343 A, in *Fortuitis*, I, 535 A, quem sæpe nostrum appellat, II, 721 A, 796 B.
Sophocles, tragicus, II, 729 A.
Theopompus, comicus, II, 220 B.
Virgilius, in *Æneide*, II, 1032.
Virgiliocentones, II, 53 A.

INDEX TOMI SECUNDI.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI OPERUM PARS SECUNDA, QUÆ LIBROS AB AUCTORE IN MONTANISMO SCRIPTOS CONTINET.

Præmittitur liber de Præscriptionibus adversus hæreticos. col. 10
Procemium. *Ibid.*
Argumentum partis prioris. 11
Propositio prima. Oportere et hæreses esse et plurimum valere, multumque in subvertendas animas prodesse. Cap. I-III. 12-15
Prop. II. Fugiendas esse hæreses, utpote dissensionibus et persecutionibus pejores. Cap. IV-V. 16-17
Prop. III. Hæresim esse electionem, et in quo fit electio, inde damnationem. Cap. VI. 18
Prop. IV. Cunctas hæreses ab alterutro fonte, sive sæcularis sapientiæ, sive prurientis curiositatis dimanare. Cap. VII-XII. 19-25
Prop. V. Integram servandam esse fidei regulam, nec in litem unquam esse discerpendam. Cap. XIII-XIV. 26-27
Argumentum partis posterioris.
Prima præscriptio. Hæreticos ad disputandum de Scriptura non esse audiendos. Cap. XV-XIX. 28-30
Præscr. II. Ab ipso Christo apostolos, ab apostolis Ecclesias eamdem disciplinam posteris transferendam accepisse nec aliunde ullam esse accipiendam. Cap. XX-XXVI col. 31-39
Præscr. III. Ideo veram Ecclesiæ doctrinam, quia unam falsam vero hæreticorum, quia diversam. Cap. XXVIII. 40
Præscr. IV. Illud verum et divinum, quod prius traditum. Cap. XXIX-XXXI. 41-44
Præscr. V Firmum esse veræ Ecclesiæ testimonium continuam ab apostolis episcoporum successionem. Cap. XXXII. 44-45
Præscr. VI. Veram esse disciplinam nostram, quæ ab apostolis utique non damnatur, imo defenditur; falsam vero quamlibet aliam, utpote apostolis alienam vel incognitam. Cap. XXXIII-XXXV. 45-48
Præscr. VII. Ad inveniendam veritatem consulendas esse Ecclesias apostolicas ac præ omnibus felicem illam Ecclesiam, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine profuderunt. Cap. XXXVI-XXXVII. 48-51
Præscr. VIII. Jus nullum in sacras Scripturas hæreticis competere. Cap. XXXVIII-XL. col. 51-55
Præscr. IX. Nullam veritatem inesse cum perversa hæreticorum conversatione ubi vero metum in Deum, ibi

gravitatem honestam, et communicationem deliberatam, et promotionem emeritam, et subjectionem religiosam, et appartitionem devotam, et processionem modestam, et Ecclesiam unitam, et Dei omnia. Cap. XLI-XLV. 55-60
Catalogus hæreticorum : Simon magus, Menander, Saturninus, Basilides, Nicolaus. Cap. XLVI. 61
Ophitæ, Caiuæl, Sethoitæ. Cap. XLVII. 64
Carpocrates, Cerinthus, Hebio, cap XLVIII. 66
Valentinus, Ptolemæus, Secundus, Heracleon XLIX. 67
Marcus, Colarbasus. Cap. L. 70
Cerdo, Marcio, Lucanus, Apelles. Cap. LI. *Ibid.*
Blastus, Theodotus uterque, Praxeas, Victorinus. Cap. LII. 72

SERIES PRIMA.

SCRIPTA AUCTORIS MONTANISTÆ POLEMICA.

De Corona. 70-74
De Fuga in persecutione. 101-103
Adversus Gnosticos Scorpiace. 121-122
Adversus Praxeam. 152-155
Adversus Hermogenem. 195-196
Adversus Marcionem. Procemium. 239-240
Totius operis conspectus. 240-244
Liber I. Argumentum. 240-244
Liber II. Argumentum. 281-282
Liber III. Argumentum. 317-318
Liber IV. Argumentum. 357-358
Liber V. Argumentum. 467-468
Adversus Valentinianos. Procemium. 523-524
Nomina Æonum et Deorum Valentini, ex edit. Pamel. 525-526
Schema Gnosticum ab Editt. descriptum. 533-534
Argumentum. 535-536
Liber adversus Judæos. — Argumentum. 595-596
Liber de Anima. — Argumentum. 641-642
Liber de Carne Christi. — Argumentum. 751-752
Liber de Resurrectione carnis.— Argumentum. col. 791-792

SERIES SECUNDA.

SCRIPTA AUCTORIS MONTANISTÆ MORALIA.

Liber de Velandis Virginibus. 887-888
Liber de Exhortatione Castitatis. 913-914
Liber de Monogamia. 929-930
Liber de Jejuniis. 953-954
Liber de Pudicitia. 979-980
Liber de Pallio. 1029-1030

APPENDICES,

AD GENUINA Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI OPERA.

Appendix prima. — Carmina Tertulliano adscripta. 1039-1060
Monitum Edd. *Ibid.*
Adversus Marcionem libri quinque. 1051-1052
Præfatio ex editione Veneta. *Ibid.*
Liber I. — De Deo unico. 1055-1054
Liber II.—De Concordia veteris et novæ legis. 1061-1062
Liber III.—De Concordia Patrum Veteris ac Novi Testamenti. 1069-1070
Liber IV. — De Marcionis antithesibus. 1077-1078
Liber V. — De variis Marcionis hæresibus. 1083-1084
Incerti auctoris, De Judicio Domini. 1089-1090
Incerti auctoris Genesis. 1097-1098
Incerti auctoris Sodoma. 1101-1102
Argumentum libri ad Senatorem, ex christiana Religione ad idolorum servitutem conversum, per Jacobum Pamelium. 1105-1106
Carmen de Jona et Ninive cum annotationibus Franciscl Jureti. 1107-1108
De Ligno vitæ. 1113-1114
Appendix II.— Præfatio Josephi-Mariæ Suaresii Avenionensis. 1114-1115
De Execrandis gentium diis. Fragmentum erutum e Bibliotheca Vaticana a Josepho-Maria Suaresio Avenionensi. *Ibid.*
Appendix III. — Græcorum operum fragmenta et notulæ, cum annotationibus Jacobi Pamelii. 1117-1118
Apologetici adversus gentes pro Christianis græci fragmenta. *Ibid.*
Ex Apologetici cap. V, juxta Eusebium et Nicephorum. 1119-1120
Ex eodem Apologetici V cap., juxta Eusebium et Niceph. *Ibid.*
Libri de Spectaculis græci citatio. Ex lib. de Corona militis. 1121-1122
De Virginibus velandis græci notulæ. *Ibid.*
De Baptismo libri mentio. *Ibid.*
Appendix IV. — Quæ desiderantur fragmenta, mentio et notulæ. 1121
Notulæ ex B. Hieronymo. *Ibid.*
De Fato libri mentio et fragmentum ex ejusdem libro de Anima. 1123-1124
De mundis et immundis animalibus quæstionum citatio ex B. Hieronymi epistola 125, ad Damasum.
De Circumcisione quæstionum citatio eodem B. Hieronymi loco. *Ibid.*
De Vestibus Aaron libri mentio ex D. Hier., ep. 128. *ibid.*
De Trinitate libri notula. 1125-1126
De Censu animæ libri ad Hermog. fragm. *Ibid.*
Adversus Apelletianos, 1127-1128
Libri de Paradiso Argumentum. *Ibid.*
De Spe Fidelium libri Argumentum. 1129-1130
Libror. sex de Extasi mentio ex D. Hieron. et Nicephor. Hist. Eccles. 1131-1132
Libri adversus Apollonium. 1133-1134
Operum plurium quæ desiderantur mentio, fragmentum, in quo discreparet a Psychicis Tertullianus Montanista. 1135-1136
Appendix V. In libros Tertulliani de Baptismo et de Pœnitentia adnotationes R. P. D. Corbiniani Thomæ, Monachi o. benedict., e congregatione S. Spiritus, in Bavaria. *Ibid.*
Elenchus libror. et capitum libri de Baptismo. 1138-1139
Index latinitatis Tertullianeæ. 1249-1250
Index Veterum Scriptorum quos memoratur Tertullianus. 1415-1422

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Col. 81 A, Apostolum differo, *lege* : Apostolum non differò. — 115 A, dopretiat, *l.* : depretiat. — 258 B, *inventibilia*, l. : *ininventibilia*. — 258 B, proptereat, *l.* : propterea. — 306 C, (11) *legale.*, *l.* : *legebatur.*, — 321 C, XV, *ungui*, l. : *ungi*.— 422 C, *Linea 36 ante lin. 32 reponatur*. — 447 A, *Isie*, l. : *Iste*. — 558 D, *Agloophamus*, l. : *Aglao*. — 540 D, Quid vero, si vult, l. : Quid sibi vult. — 558 C, *n.* (i), aperte *tollatur*. — 570 C, *n.* (c), quasi Jesu, *l.* : quasi a Jesu. — 608 B, In edit. Pam., Semi. et Oberth. post hæc verba, *de manibus vestris*, additur : « Spiritualia vero sacrificia de quibus prædictum est, et sicut supra dicit : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus. Sacrificia non accipiam de manibus vestris ; quoniam ab oriente sole usque in occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus, dicit Dominus.* De spiritualibus vero, etc. » Desunt hæc verba in edit. Rigalt. Prior. Venet. — 641 D, II. *versis*, l. : *veris*. — 685 B, materiæ cognoscitur (*Sic ed. Prior. et Venet.*), *lege* : materiæ propinqua cognoscitur. *Sic legitur apud Pam., Semi. et Oberth.* — 737 A, fefellirunt, *l.* : fefellerunt. — 761 A, *post* Dei Filius, *addendum* : non pudet, quia pudendum est ; et mortuus est Dei Filius, prorsus, etc. — 765 A, hubuisse, *l.* : habuisse. — 806 A, *post* emaculetur, *addatur* : Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manus, etc. — 880 B, obveniant, *lege* : obveniant. — 906 B, de virginibus educantur, *l.* : de virginibus educuntur. — 908 B, facile virginis, *l.* : facile virgines. — 910 A, oculos ; habet, *l.* : oculos habet. — 915 C, Anonm. *vermittit... a sent*, l. : permittit, asserit. — 918 D, *n.* (6), non esset. opinionis, *l.* : non esset. Hujus opinionis. — 919 B, recogitationem, *l.* : inrecogitationem. — 919 C. (6), Inducit *alios*, l. : Inducit *alii*. — 923, 926 C, D. *In lect. var. non attendatur ordini numerorum, qui fuit a typographis interversus : sic autem legantur, ut numeri a primo ad ultimum utriusque columnæ ordine consueto decurrant ; hoc enim modo, cum notis arithmeticis in textu descriptis optime concordabunt.* — 930 B, cum interfectricem, *l.* : cur interfectricem. — 951 A, quæ lubens, *l.* : quæ subans. — 970 B, corneus, *l.* : corneas. — 980 A, *id suæ*, l. : *id.est suæ*. — 985 A, Causa, *l.* : Caussas. — 992 B, respondisse, *l.* : respondissę. — 1000 B, filium, *l.* : filum. — 1001 D, Scri-, *l.* : Scripturis. — 1021 B, *propter* s..., l. : *propter quos*. — 1024 A, ignoraverant, *l.* : ignoraverunt. — 1035 B, (7), *Siephanus*, l. : *Septimius*. — 1045 B, rhori platonici, *l.* : thori platonici.

Index analyticus amplissimus tomum tertium absolvet.

FINIS TOMI SECUNDI.

Réimprimé d'après l'édition originale par les Usines Brepols S. A. — Turnhout (Belgique).
le 10 octobre 1956.

CANCELLED

3 2044 015 466 741

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

WIDENER
MAY SEP 6 09 1998
BOOK DUE
CANCELLED
DUE JAN '74
JUN 29 1974
CANCELLED
STALL STUDY
CANCELLED
CHARGE